12
2 S
14

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
10 H
8
ROMA

C. 3 p. a

12 c
2
3
1-13

Digitized by Google

D. GASPARIS
BRAVO,
RESOLVTIONES
MEDICÆ.


D.D. GASPAR BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ SANCTÆ INQVISITIONIS MEDICVS ÆTATIS SVÆ XLIIII. Anno 1653.
L. Spirinx ſcul

D. GASPARIS BRAVO, DE SOBREMONTE RAMIREZ,

MAGNI PHILIPPI QVARTI

Potentiſſimi Hiſpaniarum, & Indiarum Catholici Regis, Archiatri, & Protomedici, ſupremi Senatus ſanctæ Inquiſitionis Miniſtri, & Medici Primarij; Olim in Valliſoletano Archigymnaſio Artium Cathedræ Chirurgicæ, Methodicæ veſpertinæ, Primariæ Hippocratis, & Primariæ Auicennæ Moderatoris,

RESOLVTIONVM,

& Conſultationum Medicarum

Sancte Marie de Scalo.

VLTIMA EDITIO.

In ſex partes diſtributa, vltimis duabus nunc ſuperadditis, Quarum: I. *Phyſiologiæ:* II. *Pathologiæ:* III *Febrium Theoriæ, ac curationis:* IV. *Sanguinis miſsionis, Purgationis, & de ſudore:* V. *Sanguinis circulationis, & ipſa præſuppoſita, artis ſphygmicæ Theoria, è Galeni mente, ac prognoſis Recidiuæ natura, quorumdam Eunuchorum potentia controuerſias proponit, excutit, ac dirimit: In* VI. *ſelectas aliquas obſeruationes, & conſultationes Medicas proponit.*



LVGDVNI,

Sumpt. LAVR. ARNAVD, ET PETRI BORDE.

M. DC. LXXI.

CVM PRIVILEGIO ET APPROBAT.

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA



ILLVSTRISSIMO AMPLISSIMOQVE DOMINO,

D.MATTHÆO DE SEVE,

BARONI DE FLECHERES, Domino de Sancto Andrea du Coing, Limonetz, Villette, & Grelonges, Regis à Conſiliis, & in Præfectura Lugdunenſi Prætori, necnon Præſidi digniſſimo.

IN publico luctu, quem ab funeſto tui Patris obitu, nos ſingulariter, pro beneficiis plurimis, perſenſimus atque eluximus; quæ publica omnibus, nobis etiam priuata ſpes in Te illuxit; Prætor Illuſtriſſime; vt qui mortalitatis caſum lugeremus in Patre, emendatam mortem gauderemus in Filio. Neque id contigit ſine præſcio diuinæ mentis Conſilio, vt futurus

Parenti

Parenti ſucceſſor, educareris in Iuſtitiæ gremio,in Doctrinæ ſinu,in literarum contubernio,in vigilantiæ lumine, in Temperantiæ ſchola, ad Æquitatis vbera, ad Prudentiæ ſpeculum; hoc eſt ſub Patris oculos; nam hæc omnia ab inſtitutione Patris habuiſti. Quibus ſi adiungimus diuturnam illam cum Ampliſſimo Patruo conſuetudinem, cum Præclariſſimo Senatus Pariſienſis Oraculo conuictum domeſticum; ab vberrimo illo æquitatis, ſcientiæ, & fortitudinis fonte petitos hauſtus, & deriuatos in tuam mentem copioſos riuos, quis te non ſuſpiciat, demiretur, accuſetq; ętatem, quę perfectum tot dotibus virum, adoleſcentis ſpecie referat? Sciunt qui te familiarius norunt, quantam frugem primis vitę tuę annis collegeris, quàm diligenter ſcriptores euolueris, quàm accuratè ſelecta exſcripſeris, quàm prudenter lecta, in mentem tuam transfuderis; vt tibi Pretori tam nouo, nouum nihil dici poſſit quod diſcas; & tibi iam callenti præclara antiquitatis monumenta, futura, antiqua ſint, quæ proferentur. In quam molem exurget tua illa Doctrina, in quę ibit incrementa, cuius initia tam ſublimia ſunt? Sed eam, quę eſt animi tui moderatio, non oſtentas; palàm profiteris Iuſtitię cultum & amorem, ſingularem humanitatem, ſuauitatem morum incorruptam, beneficiorum ſtudium, literatorum tutelam; eaſq; leges tibi iam indicis, & Domi viuendi, & foris agendi, vt ſtuporem omnibus moueas, reputantibus ſeueritatem illarum; tibi non moueas, qui virtutis tuæ conſcius es, qui maximè calles, quantum & ex

quanto

quanto promiſeris. Dum igitur tuos Ciues expectatione tam nouâ concitas,& iam imples, quòd in plures annos ſpes partiebatur, nos & amantiſſimo Patri olim chari,& cupidiſſimi obſequij tui, qui primus te Prætore typis noſtris prodit, librum Bibliothecæ tuæ primi inferimus, ratione ſtudij noſtri maiore, quàm Authoris, vel argumẽti. Quamquam nec Author, qui legatur à te indignus eſt, ſuæ artis peritiſſimus, & in obſeruandis naturæ noxis oculatiſſimus: nam argumentum nec ab occupationibus tuis, nec ab noſtro erga te ſtudio eſt alienum; in quo cum morbi caueantur, retegantur & perſanentur; noſtræ felicitatis erit, noſtrique gaudij, allaboraſſe tuendæ & promouendæ valetudini tuæ, tam optatæ, tam vtili, tam neceſſariȩ, & in bonum publicum ſic impenſȩ atque effuſæ. Atque omnino decet, vt quam in libris valetudinem teris atque imminuis, eam libri inſtaurent, atque reficiant, & inde ſit remedium, vnde ȩgritudo. Sanè hic liber dolori noſtro vtcumque medebitur, parentem lugenti, ſi nos tibi gratos & acceptos præſtet, fidemque faciat nos eſſe, qui ſumus.

Tibi Addictiſſimi & Obſequentiſſimi.

PHILIPPVS BORDE, & LAVRENTIVS ARNAVD.

LECTOR

LECTOR.

ELOQVAR, etſi qui imperat me caues non deſore ſuſpicer,

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit;

Tunc propriis meritis quemque tuetur honos.

Haud ignatus (vt cum Plinio loquar) quam arduum ſit, nouis authoritatem dare, obſoletis nitorem, faſtidiis gratiam, dubiis fidem: (Pulchrum, ac magnificum ratus non aſſequutis Voluiſſe.) Tyronum gratia has cudi Reſolutiones in vniuerſam Phyſiologiam, iudicans cum Galeno *lib. de propriis lib. Nihil prius, nec præſtantius Theorica Medicina diſcendum.* In quibus nec cuncta fœliciter attingere autumo, hoc enim accidit raro, quia vt fatur Scaliger: *Perquam paucis attentio data eſt; & quibus data, mutila eſt, & inchoata.* Antiquam propono perluſtrandam doctrinam, aggredriorque prouinciam ab aliis impugnatam, non tamen oppugnatam. Nec forſan inutiliter, vt fœtui huic nondum in lucem edito obiicit garrulitas aliquorum, qui mutuo ſe fricant inuida ſcalpentes prurigine. Quæ obiectio, & Hippocrate antiquior eſt, & ab illo deiecta in *Proœmio ad lib. 1. de diæta: Propterea*, inquit, *hunc ſermonem propono; quòd multi homines vbi audierint aliquem de re aliqua expoſuiſſe, eum, qui de his poſterius diſſerit, non recipiunt, non agnoſcentes, quod eiuſdem intelligentiæ eſt, ea, quæ rectè dicta ſunt, poſſe iudicare.* Plura exactè ab aliis elaborata eſſe circa hanc doctrinam fateor, miror, veneror que: aſſentior enim libenter Plinio *lib. 6. epiſt 5.* rectè aſſerenti: *Equidem omneis, qui aliquid in ſtudiis faciunt, venerari etiam mirarique ſoleo; eſt enim res difficilis, ardua, faſtidioſa.* Sed cuncta ab his in ſummum culmen euecta diffiteor: Præcipuè cum in docendi via aberrent plerique; alij nimio contradicendi conatu, & ſophiſtica argutie irruentes in aliorum ſententias, nullis plerumque, nec ſuiſmet ipſis inſiſtentes principiis; de quibus ait Seneca: *Neceſſaria neſciunt, quia ſuperflua didicerunt.* Alij ſuo nutu indemonſtrata proponentes placita. Inter hos mediâ conamur progredi viâ, nihil ſine demonſtratione ſancientes, nihilque demonſtratum ab aliis contradicendi conatu colludentes. Quæ & aliis diſplicebit via, ex Horatio enim: Vnaquæque.

——Culpantur ab his, laudantur ab illis.

Nec mirum diſſentire plures ab eo, qui diſſentit ab aliis: innoteſcit enim adhuc, quæ ad veritatem tendit via; ideò innoteſcit & veritas, quia vt tradidit D. Auguſtinus *lib. de vtilitate credendi: Etſi mens humana viuax, ac perſpicax ſit, latet veritatis quærendi modus.* Huic an aliqualiter non contingat accedere imperitorum, & peritorum iudicio ſubmittimus. his, quia data eſt illis, ex Ariſt. *lib. 2. de part. animal.* facultas iudicandi: *Quid rectè, aut non rectè ſit præſtitum ab eo qui docet:* Illis quia ipſi tumidi, & ſtupentes, vt comminiſcantur iudicium, quod proferre nequeunt, pellem, quam rodant, quærunt, pro quibus nec ex Martiali deficient,

Pellem qui velint rodere caninam.

BIBLIO

BIBLIOPOLA LECTORI

S.

QVANQVAM occurrentes in vaſto Rei Medicæ campo Controuerſias non pauci præſtantes doctrinâ Viri, ſiue ex profeſſo, ſiue pro re natâ, variis temporibus agitandas ſuſceperint: accuratæ tamen methodi faculam, quâ pleniùs exſplendeſcerent, apud pleroſque illorum deſiderari animaduertens Illuſtris hic Auctor; quin & nouas ſubinde Controuerſias pullulaſſe, prioribus incompertas ac intentatas, quales inprimis ab Helmontio quodam non ita pridem ſpargi cœpere: hanc ipſam eandem ſummâ vi tundere aggreſſus eſt. Idcóque poſtquàm ſuperioribus annis Reſolutionum in vniuerſam phyſiologiam librum edidiſſet, necnon aliquanto pòſt alium ſeorſim, circa negotium Purgationis: hos ipſos duos libros, eóſque multis numeris auctiores, in præſenti Opere Primam & Quartam ſuarum Reſolutionum partem conſtituere voluit: adiectâ inter vtramque, Secundâ, & Tertiâ parte Reſolutionum, circa Pathologiam, necnon circa Febrium theoriam ac curationem verſantium, nunquam hactenus editâ. Ad calcem autem Operis, Appendicis inſtar, perelegantes adhuc ſubiunxit circa materiam de Sudoribus Reſolutiones. Ex quibus omnibus ita collectis, Volumen iſtud Studioſorum vſibus apprimè expetitum conflauit, quod noſtris typis euulgare inſtituimus, certò fore perſuaſi, vt cùm ſeorſim olim editi Tomi tanto omnium applauſu fuerint excepti, támque citò diſtracti, Noui nunc demum adiecti, non minorem ab omnibus gratiam ſint inituri: præſertim cùm delira, ne dicam belluina Helmontij commenta (quæ ſuis hodie ſectatoribus & patronis non deſtituuntur) nondum quiſquam alius luculentiùs profligarit. Vale, & mendis Typographicis, quæ irrepsère, benignè ignoſce.

Alia admonitio Bibliopolæ ad Lectorem pro iſta vltima editione.

HAbes hîc Optime Lector, D.Gaſpar. Brauo Lucubrationes, nitentioribus iterum typis excuſas, multóque quàm antehac caſtigatiores: Cùm enim primæ Editionis exemplaria, breuiſſimo tempore diſtracta, Permulti, famâ operis illecti auidè expeterent; ad nouam hanc moliendam, exquirentium vota expleturi, Nos accinximus; ídque hoc lubentiùs à Nobis præſtitum eſt, quòd & Quintam & Sextam Partem iam elucubratis Author addiderit, in quibus næ, vltimum Libris ſuis Colophonem videtur impoſuiſſe. Enimverò totius Medicinæ Theoricæ luculentiſſimam ex antiquorum mente Encheireſim cùm quatuor primis libris comprehendiſſet, haud ſatis eximiæ ſuæ in publicam vtilitatem propenſioni factum arbitrabatur, niſi & Quinta Parte, nouiter inuentarum atque ab Recentioribus ſtabilitarum opinionum ideam Reſolutionibus ſuis adumbraſſet; & quod longè vtiliſſimum, ſumma etiam, atque exquiſitiſſima Practicæ Medicinæ capita Conſiliis ſuis delibaſſet. In his, dubio procul miraberis Viri incomparabilis diffuſiſſimum genium, qui vtramque Medicinæ partem, rem inprimis arduam atque difficilem, ſic plenè, ſic perfectè fuerit aſſecutus; ac quemadmodum Conſtantinus olim Porphyrogenitus, ex digito Coloſſi Rhodij, totam eius molem comprehendit; haud aliter Tibi ex præmonſtrato veluti eiuſmodi ſpecimine, ſumma præclariſſimi Doctoris laus, atque in medendo præſtantia, calliditáſve innoteſcent. Tu interim Vale, noſtrúmque in promouenda re litteraria ſtudium æqui boníque conſule.

D. MARTINVS DE SALINAS RECALDE, IN PINTIANA ACADEMIA MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ

publicus Profeſſor, Nobiliſſimi, Doctiſſimique D.D. GASPARIS BRAVO de SOBREMONTE RAMIREZ Diſcipulus:

MERITISSIMO,

Et vndequaque Auſpicatiſſimo Primariæ Auicennæ Cathedræ Moderatori, vnicóque huius ætatis Hippocrati, Magiſtro ſuo, in beneuolentiæ, & meritorum pignus Pan-gyrim hanc D. C. Q.

INVALVIT dudum iam, *Inclyte Medicinæ Princeps*, fucatus lenocinantium maleſanus colos, quo panegyriſtarum vulgus typis mandantium ſcripta adulationis penicillo depingunt: quippe dum ex æquo Auctorum ingenia laudibus communibus ſupra ſidera tollunt, conſtat illud, cuius encomium deſcribitur, vel à reliquis fuiſſe furatum, vel diſcribentem mentiri: Laus enim ita cuique naſcitur indiuidua, vt pluries diuiſa vileſcat. Sed ecce Panegyriſta tuus (*Heros Nobiliſsime*) cui, nullatenus vereor, fucata contingat Oratio, tantúmque à ſpecie adulationis aberit, quantum abeſt à neceſſitate. Illud enim referam, quod de alio nullatenus poſſe dici videatur: non enim ab occúlta affectus poteſtate, aut vbique volitantis famæ acclamatione; ſed à te ipſo coram, ac palam, aut in Academia docente, aut ſalutem mortalibus communicante, in publicis, aut priuatis conſultationibus, aut in Reipublicæ gubernatione, quidquid dixero accepi: illudque idem non tibi do; ſed refero cum Poëta,

Claud. de Ma lij & Theod. cõſ.

Ingenij redeunt fructus, aliique labores
Et vitæ pars nulla perit, quodcumque recedit
Litibus incumbit ſtudiis, animuſque viciſsim
Aut curam imponit populis, aut otia Muſis.

Quare abeant, & recedant illæ voces, quas mendax laudantium caterua ſolet exprimere, vt mihi dignam Nobiliſſimo Heroi, licèt non primo, tamen non ſecundo Ariſtoteli, & vnico noſtræ ætatis Hippocrati contingat dicere panegyrim. Sed illud ſanè verear, quod parcas precor, ne nimis parcus videar; cùm inopem,

titulorum

titulorum fecerit copia: *Animaduerto enim Deum ipſum non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia, & ſanctitate lætari; gratioremque exiſtimari, qui eius delubris puram caſtámque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit.* Et ne longiùs protrahatur exordium, Tibi propiùs accedo.

Plin. in paneg. Trajano dicata.

Neſcio quo Naturæ ordine, qui idole, & Virtutibus præſtant, natiuæ Nobilitatis ſtemmata, tenuat licèt fortuna, depromunt; ſed vidi ſemper fœliciori conatu arriſiſſe Nobilitati Sapientiam: quippe à Deo primus homo, Naturæ Princeps, Diuinitatis particeps, duplici quaſi natura iubente, in oppoſita propendet vtrinque: alius namque rudi, & imbecilli obtutu, aquilæ illegitima proles, Solis paueſcens obtutus, ad ima fœdè deprimitur, eáque ſequitur, quæ abiecta nimis, natura belluis deſtinata reliquit, in quo tandem Diuinitatis participatio ita obnubilata tenebreſcit, vt pene iam extincta videatur. Cúmque ab altiori non vocetur origine, vilior iam dominatur natura, operum viliſſima prole fœcunda. Alij quorum mentibus altioris naturæ notitia affulſit, viuaciori conatu ad diuina quæque excitantur, conantúrque mentem ad excelſiorum contemplationem erigere, vt ſua quæ ſit origo operis teſte probetur, & mentis agitatione fiant originis ſuæ memores, Diuinitatiſque conſortes. Hæc ſumma humanæ vitæ perfectio, qua, qui inſignes olim ſunt inuenti in Deorum numerum relati innumeriſque honoribus cumulati ſuæ Nobilitatis teſtes immortalitatis plauſum acquiſiere. Et, credo equidem, præcipuè illi, qui Medicinæ Sectatores viuificam mortalibus gloriam Philoſophiæ contemplatione, Orbi tribuére. Nam apud Græcos nulli exercendæ Medicinæ facultas fuit, qui ab Aſclepiadum Nobiliſſima Familia non duxiſſet originem: Nobiliſſimam ſcientiam nonniſi Nobilibus Principibuſque cedere iudicantes. Ceſſit tamen, vt Anteceſſores ſuos prætercam, maximo illi non ſatis in Orbe decantato Hippocrati Coo, forſan quia origine paterna ab Æſculapio, Materna autem ab Hercule procrearus, debuit ſane Proauorum veſtigiis inhærere, vt ne inclyta Medicinæ ſcientia, quam Aſclepiadum familia annos amplius mille conſeruauerat, liberis in veſtigia parentum ſuccedentibus à Nobilitate deficeret.

Nobilibus propria ſapientia.

Exercenda Medecina facultas Nobilibus tantũ apud Græcos.

Eum. in Orat. de Med. Origen.

Sed quorſum hæc? Anne ab Hippocratis, & Proauorum ſepulchris Medicinæ gloriam emendicabo? Aſclepiadum alia glorioſior familia, alius non minor Hippocrates abſque ſepulchrali gloria fidem ſenſibus facit. Viuit hodie, & æternus famâ viuet hic Medicinæ Parens; & in Academia Pintiana Primarius, Nobiliſſimus, Doctiſſimúſque D. D. GASPAR BRAVO de SOBREMONTE RAMIREZ, qui, *quæ diuerſa efficerent, collecta tenet*, Cuius Nobilitatem eximiam, ſine vocis affectatione, ſine Rhetoricæ blandimentis, ſtemmata, in Libri fronte depicta *Brauorum de Sobremonte* ſtirpem ac Genealogiam oſtendunt ad vnguem. Eximie Princeps, laudibus parce, non enim ab artificio, ſed à natura laudaris: omne enim encomium tibi naſcitur: quippe qui ab egregia ſtirpe naſcendo gloriæ viam ſecutus es. Et quia nefas iudico in Orbe Virum vndique ingentem ignorari; cognominis huius *Brauo de Sobremonte* Originem, Antiquitatem, & Stemmata libuit explicare, vt quidnam illud fuerit liqueat, quod tantum Virum ſcientiis adſcripſerit.

Ælian. Hiſt. animal. c. 18.

D. Gaſpar Brauo ſtirpe clarus.

Celebre hoc cognomen *Brauorum de Sobremonte*, originem ducit ab Oppido Diui Chriſtophori de Sobremonte in Valle de Valderebible Diœceſis Burgenſis: ab illis, inquam, Montanis locis, vnde propiùs videt aſtra Nobilitas, & quaſi à Deo primi videntur cultores. Eius Antiquitas ne ad illegibile Græcum perueniat Aſclepiadum incipit à calamitoſo illo tempore, quo noſtra fœlix, & tunc infœlix Hiſpania alienigenis paruit, & aluit natorum ſanguine campos.

Domus Brauorum de Sobremonte antiquitas & origo.

Cuius

Cuius tempeſtatem Antiqui Gothi fugientes à poſſeſſione deficere coacti, montanáque petere, liberiori Cœlo litauere libertatem. Poſtmodùm ibi ſtirpi ſuæ quiſque domum, & Regi arcem conſtruxit, vnde hoſtium peruicacia multaretur, quámque poſteri Nobilitatis ſuæ quaſi Sacrarium colerent. Indéque vſque ad noſtra tempora, propago ſine controuerſia delabitur, & ita vnanimi totius Vallis de Valderebible, quæ quinquaginta oppidis conſtat, acclamatione; vt monſtrum ſit nimia fœlicitate nullatenus laboraſſe. Ipſóſque cultores ipſiſſima veritas fidem fecit Brauos de Sobremonte, vtpotè quos ſanguinis candor elegit alumnos in Republica Nobilitatis munia obiiſſe, Principéſque reputari.

D. Gaſpar Brauo Princeps hodie in Familia.

Inter quos, *Princeps* hodie *ſapientiſſime Doctor Gaſpar Brauo*, machinæ huius fulcrum exiſtis, Teque vnico ita truncus iſte vireſcit, vt in progenies, & ramulos diſperſus, magnam Orbis partem, vt poſtmodùm dicam, ſplendenti fronde coronauerit.

Cognom. de Brauo ſtemmata.

Huiuſcemodi Cognominis ſtemmata deſignat Caſtellum vndarum procellis innatans, cuius oſtium hirſutus Leo turbulenta facie, vngueque minaci imperuium atteſtatur: Prominet in Caſtello geminata Turris, & in vtriuſque apice Aquila volitanti ſimilis quieſcit impatiens: Et demum in eius arce per ferreos cancellos in feneſtra, formoſa puellæ facies amiſſæ libertatis proponit augurium. Quæ quidem ſtemmata non Nobilitati tuæ modò, ſed etiam Sapientiæ, credo dicari: Quatuor namque elementa hic amico fœdere coadunari conſpicio: quorſum enim aquæ volubilis natura terream Caſtelli molem auderet ſuſtinere, ni à circumſtanti aëre falleretur? ſed vbinam ignis? fortè Aquilæ Turris apicem conſcendunt ignis commercia poſtulantes? Te te ipſum agnoſce, *Eximie Doctor*, dum in Phyſiologica tui Voluminis parte, quaſi Aquilæ legitima proles elementorum affinitatem, eorúmque energiam docuiſti.

Claud. de conſ. Honorij.

Ah! quot, es elementa doces, rerumque iuuenis
Materiæ cauſas.

Sed quid mirum prius enim ea à te, ac Progenitoribus tuis adunata, quàm explicata conſpicio, præſagire coacti ex ſua ſtirpe naſciturum, qui primus elementa ſciret adunare, vt poſtmodùm ea Orbi adunata, atque explicata relinqueret. Et, credo equidem, ille es, qui.

Ouid. 1. Met.
Claud. de rapiu Proſerp.

Diſſociata locis concordi pace ligauit.
&, *Pene reluctatis iterum pugnantia rebus.*
Rupiſſent elementa fidem.

Ni Aquilæ genio præuideres, qua arte diſcors illa amicitia foret conſeruanda, Medicis, Philoſophiciſque præceptis rerum facultates; earúmque partes inquirendo, eáque ſoliditate, vt verear ne Orbis tanto volumine immortalitati donetur, Etiamſi maledicentium linguæ, & *facto prorumpant agmine Sectæ*. digniſſimam puellæ faciem, hoc eſt Sapientiæ, in Te, quaſi in Caſtello clauſæ euertere affectantes: ades enim in limine, tantæ audaciæ multandæ turbulentus Leo, cuius litteratis vnguibus ignorantiæ furens victima cadit,

Alia domus, quæ à prius poſita origine ſumunt.

Sed qui ante Te ab Oceano eruperint ſcaturigines? accipe: Anno 1380. Fratres Ferdinandus Brauo de Sobremonte, & Gutierre Brauo de Sobremonte. quibus oppidum Diui Chriſtophori de Sobremonte ortum dedit, Montana, reor, paucitate oppreſſi, gentilitium, quo in ſe ſe maius eſſe non poterat, & propria mole opprimebatur in liberiorem plagam deduxere. Primus enim in oppido de Soſilla Mariam de Villalobos, Gilij de Villalobos filiam, duxit vxorem; quam ab Aſturicæ domo deſcendere, eius progenies etiam nunc in dicta villa atteſtatur, quæ Paternum cognomen, Brauum ſcilicet de Sobremonte, &

Domus Brauorum de Villalobos.

Villalobos

Villalobos, quaſi integerrimum obſeruauit. Gutierre Brauo de Sobremonte ſe Catharinæ Garcia iunxit in Domo de Sotronca, quam fratres ambo propriam fecere pecuniis, quamque ab illis acceptam Braui de Sotronca poſſident. Vnde liquet duplicem hanc Domum à prima illa ſtirpe Brauorum de Sobremonte exordium ſumpſiſſe. *Domus Brauorum de Sotronca.*

Ab eximio illo Ferdinando Brauo de Sobremonte, qui, vt ſupra dictum eſt, in Villa de Soſilla celebri coniugio proprium ſparſit ſplendorem nobis aduenit Ioannes Brauo de Sobremonte, qui à Maria de Villalobos nuptias accepit, cuiuſque nepos extitit Sebaſtianus Brauo, qui coniugem fecit Ioannam Gomez de Nauamuel, à qua poſtmodùm Ildephonſum Brauo de Sobremonte Orbi dedit, vt demum Brauorum de Sobremonte cognomen ſtabiliret, vt ſtabilitum manet in villa de Reynoſa, Aguilar, Villaherrero, in Palentina vrbe, & Torrelobaton, & Carrion, in quibus noua progenie quotidie geminatur: Cuius Nepos D. D. Antonius Brauo de Nauamuel, qui materna hæreditate Domum de Nauamuel poſſidet, relictis, quæ extant, diplomatibus, planius atteſtatur. *Domus Brauorum de Nauamuel.*

Gutierre Brauo de Sobremonte, cuius ſuprà memini, qui in Domo de Sotronca nuptias celebrauit, Brauorum de Sotronca ſtirps exſtitit & origo, quorum vltimus Domum poſſidet D. Gaſpar Brauo de Oyos, poſtquàm eam Domui de Oyos coniunxit. Anne amplius quærat Panegyris? quid amplius calamo dictet Apollo? ſufficiet, credo, verbum BRAVO, vt vno verbo omnem pene Hiſpaniæ Nobilitatem complectar. Sed reſtat adhuc alius Oceanus ex innumera gentis tuæ ſerie. Sed ne nimis moleſtus videar, Marte relicto, eos referam, qui naturæ Nobilitatem, & fortunæ trabeatum honorem debuere. Quorum primus, *Domus Brauorum de Oyos.*

Ferdinandus Brauo de Sobremonte Iacobæa Purpura, Andreas Brauo candida Diui Ioannis Trabea, Marcus Brauo Diui Stephani Florentinæ Reipublicæ honore inſigniti, & ſanguine, & honore fratres extitere. *Viri periluſtres Trabeati, & ſancti Officij miniſterio dicati.*

Dominus Antonius Brauo de Sobremonte in Villa de Villaherrero Beneficiatus Archipresbyter Sanctæ Eccleſiæ de Aguilar, & Reuerendiſſimus Pater F. Mathias Brauo de Sobremonte Seraphicæ Ordinis Prouincialis Sancti Officij honores meruére; Commiſſarius ille, iſte Qualificator.

Ioan. de la Serna Sobremonte Calatrauenſi trabeatus ſplendore Philippi IV. à conſiliis, & Reginæ à ſtabulis; D Antonius Brauo del Trejo Archidiaconus Granatenſis, & Sancti Officij Commiſſarius; D. Ildephonſus de la Serna Sobremonte Dominus Villæ de Villaherreros, Iacobæa; Don Ioannes de la Serna Sobremonte, Alcantarenſi; D. Ioſephus de la Serna, Calatrauenſi; D. Antonius de la Serna, D. Ioannis trabea condecorati, & omnes Dominæ D. Antoniæ Brauo de Sobremonte nepotes; monſtrum eſt adhuc plus vltra permittere.

D. Ioannes Morante de la Madrid, Dominæ D. Antoniæ Brauo nepos Iacobæus Eques, & Dominus Franciſcus Antonius eius in ſanguine filius, frater in trabea, & Dominus Ioannes de Solorzano Aranda Dominæ D. Ludouiſiæ Brauo de Sobremonte nepos ſupradictis, vt ſanguine, ita & trabeæ honore ſimillimus euaſit. Et iam pro coronide, vt innumeram ſobolem Bello, & Pace admirabilem prætercam; Dominus D. Ioannes Brauo Sanctæ Eccleſiæ Lugenſis Epiſcopus Meritiſſimus qui in Salmanticenſi Academia Archiepiſcopi Maioris Collegij togam meritis & ſanguine Nobilitauit, non tuæ ſtirpi, quæ ad inſtar Oceani finem ignorat, ſed affectui noſtro finem impònat. Dum,

Iam ſecura petit priuatum gloria portum.

Interim liceat vulgatiſſimum illud Poëtæ Encomium potiori iure Tibi millies repetere ; Tibi enim ille dixit,

Mecænas atauis edite Regibus.

Nec videbor adulari, nec nimis affectui cedere tantæ Nobilitatis Encomiaſtes: Tibi ipſi debuiſti quidquid es, *Doctiſſime Brauo*, à propria namque ſtirpe deficeres, ſi Princeps ingenio, Princeps in Academia, Primarius in Cathedra, Primus denique in Orbe non eſſes : puderet namque gentem tuam decoloraſſe ; vt puderet Hippocratem, Aſclepiadum gentem ſapientiæ defectu fœdare : Conſtat namque Eximios illos Viros, quos hucuſque retuli, ex tua ſtirpe quaſi ramulos aſcendere ; quorum alij in Valle de Valderebible primarium illum Domûs ſplendorem cum cognomine conſeruaſſe noſcuntur; quia ab illis præcipuè ortum duxit. Et præeminenti quodam titulo, officiis, & priuilegiis Equitibus vndique debitis honorari : teſtis extet modò Pater tuus *Gaſpar Brauo*, qui omnia Reipublicæ Nobilitatis officia obtinuit. Ab Auo tuo *Ioanne Brauo de Sobremonte*, & ab Atauo *Guttierre Brauo de Sobremonte* debetur Tibi ſancti Officij familiaritas, ſed à Te ipſo Tibi debetur, vt eiuſdem ſancti Officij Primus ſis Medicus communi totius Vrbis plauſu. Sed, quod maius eſt, adhuc in Academia primariæ Cathedræ moderatione detentus, ad Patriæ & Vallis moderationem vocaris, pro Nobilibus ad iuſtitiam exercendam electus, ne honos dominandi à Nobili ſtirpe recedat. Quid amplius de Heroë dicam? nam quid amplius Heros eſſe poteſt? Finiam panegyrim cum Poëta:

Claud. de conſ. Theodori.

Te quoque naturæ ſacris, mundique vacantem
Emeritum pridem, deſudatiſque remotum
Iudiciis, eadem rurſus complexa poteſtas
Euehit, & reducem notis imponit habenis:
Accedunt trabeæ, nil iam Tibi Brauo *relictum,*
Quo virtus animo creſcat, vel ſplendor honore. V. & V.

Minor diſcipulus tuus

D. Martinvs de Salinas Recalde.

D. D. IOANNES DE LAS CVEVAS NORIEGA,
olim Artium, nunc Methodicam Cathedram regens;

AD D. D. D. GASPAREM BRAVO DE SOBREMONTE
Veſpertinæ Cathedræ Medicæ Optimatem; ingeniorum Oceanum; ſubtilitatis Pelagum, D. C. O. S. C.

BREVI hac panegyri Virum vndique ingentem deſcribere, amice Lector,

Hybernos citius, numeraueris imbres
Syluarúmque comas.

Papinio œſtro, ſeu furore percitus quicumque hærebit: obſtant vndique laudum, & gloriarum maria; naufragium faciet Apollo. Hinc enim litterarum Syrtes; illinc ingenij Charybdes, & vndique quaſi monſtra virtutum diuina, aut audentem ſtylo, aut volantem calamo diuellent. Viderunt Te Palæſtritæ inſignes (quos in teſtes creo) Academiæ noſtræ ſæpe ſæpius in Agone litterario Præſidem, indiuidua atomorum corpuſcula ſecantem ingenio; diſcrimina Hippocratica facili peruolantem doctrina, & confeſſum Aſclepiadeum graui maieſtate mulcentem. Io Pæan vndique ſonat: grande *Sophos* vndique erumpit.

Dicite io Pæan, & io bis dicite Pæan.

Machaonias artes diuina ſcientia, & felicitate exerces, exhalantes iam hominum vitas comprimis, & in longam viuendi rationem prorogas. Parua loquor. Cedit reſtituendi vitas Æſculapij fama: plures Hyppolitos & Androgeos in viuentiũ numerũ arte reductos audimus. Gloriari niſi eximia tua modeſtia obſiſteret, ſic iure magis quàm Apollo poſſes:

Inuentum Medicina meum eſt; opiſexque per orbem
Dicor, & herbarum eſt ſubiecta potentia nobis.

Hæc miracula in hominum ſalutem edunt perennis ſciendi labor, inexhauſta euoluendi libros ambitio, ſubtiliſſimi ingenij altiſſimus volatus, & quæ moderatur cuncta, ſolers prudentia; qua ductrice, & ingenia temperas, morbos declinas, antiquorum Patrum dogmata legis, & herbarum inſitam poteſtatem ſubodoras. O Vir vndique mirabilis!

Nec me Phœbi cortina fefellit;

Cùm licèt immeritus, tecum S. Raphaëlis collega, cærolea toga humeros amictus, congrederer, quaſi diuino furore arreptus præcinni has tuas litterarum pompas, hos fauſtos lucubrationum fructus, & denique tuos exceſſus ingenij. Breui hoc volumine hominem formas, & ad viuum ita delineas quod quaſi à vertice ad imos pedes informare videaris, & ſtylo, quaſi lampade Promethea inflare vitam. Præter primum naturæ parentem quis talem hominis ſtructuram, & compaginem edidit? Quis fando eius miracula loquetur? Quis admiratione fibras eius litterarias rimabitur?

Vtere perpetuum populi, magnique Senatus
Munere. Apellea cuperent Te ſcribere cera
Optaſſetque nouo ſimilem Te ponere Templo
Atticus Elei Senior Iouis.

Siſto libens; neque enim ego ſum ſatis ad tanta laudum præconia; fruſtraque conarer, nam

Semper bonos, nomenque tuum, laudéſque manebunt.

D. IOANNES. DE LAS CVEVAS NORIEGA.

LICENCIATVS ANTONIVS GVTIERREZ, AVTHORIS
Diſcipulus, in celeberrimo Pintiano Archigymnaſio Philoſophiæ, & Medicinæ publicus Profeſſor; Ad Aſclepiadis familiæ Alumnos.

Diſcite, mortales, longæuos viuere curſus
Hoc duce, iam vita diſcite noſſe viam.
Hoc igitur facilè Galeni ſtudioſa iuuentus
Currite: pro cunctis hic Liber vnus erit.
Nam ſatis elucet, ſatis & laudatus habetur,
Ingenio cùm ſit conditus ipſe ſuo.
Perlegat aſſiduè priùs (excultiſſime Braue)
Qui vellet doctus, cùm legat, eſſe, librum.

CENSVRA

Eruditi admodum Doctoris FERDINANDI INFANTE DE ROBLES, Medici Complutenſis, nunc autem Mantuæ,apud Generale Noſocomium Regium Profeſſi.

SVPREMI Senatus iuſſu librum inſpexi, cui Titulus: *Pars prima Reſolutionum Medicarum circa vniuerſam totius Phyſiologiæ doctrinam*; Celebri admodum *Doctore Gaſpare Brauo Ramirez de Sobremonte*, Veſpertinam Cathedram Iatrologicam in Valliſoletano Athenæo, olimque Artium, Chirurgiæ, & Methodi, publicè moderante, Authore; Authore profectò ſuo dignum opus. Quod equidem ob tanti Viri celebritatem ſummoperè intentus auidè colluſtraui; ac vix tandem ſuperis Decretis, quin potius ingenij ſtimulis, & ſcientiæ grauitate ferè inflammatus, vndique ſæpius mihi venit ſpeculandum. Illa ſanè rudis Medicarum rerum, indigeſtáque Theoriæ moles ita ſeſe exhibuit perpolita, concinna, & adæquata, vt quaſi ad Adraſtiæ legem circinatè cadere videretur, modo, quo eam veneratur Galen. 6. *de vſu part. cap.* 14. contra Aſclepiadem inſerendo veritati teſtimonium. Nam, nec quidpiam aliud à Philoſophiæ ſinu magè Iatrologum, aut inter Hippocratides magè Philologum firmioribus volantis calami Reſolutionibus (vt ita dicam) valebit detrudi. Reſoluta Theoremata, ita repurgata, exoſſata, quis præſtitit? Honor ſit Pintiæ, Gloria Hiſpaniæ, ſcientiæ faſtigium, orgiis eius initiatis complementum, Magni denique noſtri Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis, cubiculo ſalubria armamenta. Inacceſſum quidem opus nedum ob Metaphyſicum materierum pelagus; ſed vel etiam, quòd plura clariſſima ingenia eo in ipſo ſeſe adeò difficulter verſauerint, ſic ſenſerit politicus Socrates in Panegyrico; *Difficile* (inquiens) *eſt ea argumenta tractare, in quibus iam olim clariſſima ingenia ſeſe exercuerunt.* Sed adeò fœliciter, & aptè Reſolutiones iſtæ proferuntur, vt vni Authori, quaſi nullus antea conſtitiſſet, deuolui mereantur. Vtile, & perneceſſarium, quis dubitat? Cùm licèt ad Philoſophiæ nobilitatem non conuertamus, Medicus hebere teneatur tanquam principem ſcopum, quidquid ſecundum naturam eſt, aliter valetudines ignorabit. Quod ipſe cauit Pergamenus Princeps in Arte humani generis recuperatrice (ſic Medicinam inſigniuit Origenes;) ille quidem Vir, quamuis tot laudibus per Vniuerſum, nedum pro meritis demiratus, M.C. Galenus libro de oſſibus in principio: *Etenim* (inquit) *in omnibus, quæ ad Medicinam pertinent, perſpicuum eſt, id, quod ſecundum naturam eſt, tanquam ſcopum habendum eſſe: cui verò id ignotum eſt, minimè intelliget; nec vbi à ſua natura læſa loca diſtrahuntur, nec qua ratione ad id, quod ſecundum naturam eſt, adduci debeant: quare nec morborum notitiam aſſequi, nec rectam illorum curationem poterit.* Præſtitit autem Eximius hic Doctor, Reſolutionibus eiuſmodi vniuerſam Phyſiologiæ doctrinam apprimè cribellatam, qua initiantur Medici, vt quæque ſecundum naturam ſint, primitus intelligant: inde *Pars naturalis* ea ipſa tractatio pleriſque nuncupatur: Vbi natura, & conſtitutiones hominum affabrè circumſpiciuntur. Micat autem inſtitutio præſens breuitate, complexu, & Reſolutione, vt pote, quæ cuncta comprehendat, ſummatim diſputet, & ex integro tractet. Qua in re illud potiſſimum præſtare videtur, quod ipſe præſtitit Galen. dum *lib. de cauſis procatharticis cap.* 1. ſibi propoſuiſſe concluſit: *Nobis enim propoſuimus, nullius præterquam vtilium rerum per hos libros meminiſſe; immò ea omnia remouere, quæ male ſe habent, eos imitantes, qui vias veteres ſpinis ac ſentibus obſitas depurgant. Nam nec illis is erat ſcopus, vt ſpinas & ſentes reſecarent, ſed dum ad negotia ſua properarent, puncti ab his ſylueſtribus plantis, coguntur primùm ea abſcindere; & ita deinceps ad id, quod ſibi inter initia propoſuerunt, redire. Quod ſi non modò ſpinis, & vepribus via ſit interſepta,*

ſed

ſed hamis quoque, & alijs præterea, quæ illi poſſint eſſe impedimento, multum ille, qui eam purgaturus eſt, tempus conterere cogetur. Porrò in hac nobis in præſenti propoſita contemplatione, nonnulla reperiantur ſophiſmata, quæ ſpinarum ſimilitudinem gerunt, quædam verò veprium, alia hamorum, à quibus incautus ſi quis ceciderit, ſtatim capietur. Et proinde non ſecus odio habendi ſunt illi, qui huiuſmodi ſophiſmata conſuunt, quæ beneficia artis impedimento ſunt, ac ij etiam, qui ea in vijs, per quas homines frequenter tranſeunt, ſeminant. Nos itaque, & horum nonnulla reſcindamus, aliqua emendemus, alia contexamus, vt antiquam viam, quæ non ad ciuitatem, ſed ad artem omnibus ciuitatibus vtilem, fert, expurgemus. Hæc Galenus; quæ apprimè conſentiunt inſtituto huius Doctoris B R A V O, quem vel ipſum nomen condecorat, &, quin cenſura premat, pluris æſtimamus, vt ſic dicere cum Beroaldo queam: *Non ex amore iudicium hoc, ſed ex iudicio amor.* Et cum Ægidio Baldo:

Hac animos appelle, ſimul circumſpice, lector,
Materiæ titulum cum grauitate parem.

Quid igitur reſtat, niſi vt omnium manibus teratur. Imprimi propterea licebit nobile iſtud Opus, & perneceſſarium. Ex Muſæo noſtro, apud Regiam domum Generalis Matritenſis Xenodochij 4. Idus Iulij, Anno 1648.

D. FERDINANDVS INFANTE DE ROBLES,
ex Compluto Medicus, Mantuæ Profeſſus



CENSVRA

Sapientiſſimi Patris præſentati Fr. BERNARDI DE CASSO, Regentis, Inſignis, & in toto Orbe celeberrimi Collegij Diui Gregorij Vallis-Oletani.

DE Mandato Illuſtriſſimi, ac pariter Reuerendiſſimi D.D. Fratris Ioannis Merinero, Seraphicæ Familiæ ſupremi quondam Præſulis, & nunc Vallisoletanæ Diœceſis meritiſſimi Antiſtitis; librum, cuius in fronte inſcriptio eſt, *In vniuerſam Phyſiologiæ doctrinam*, Doctoris GASPARIS BRAVO Ramirez, in Pintiana Academia Veſpertinæ Cathedræ Medicinæ Moderatoris eximij, ſudore excultum, vigiliis elaboratum, non ſine ſumma attentione vidi, non cum mediocri perlegi voluptate; in eo quippe fortunatè accidit id, quod cuidam Romano Ciui contigiſſe narratur. Is enim, cùm ex intimis præcordiis non ſemel deploraret pulcherrimum ſimulachri Palladis vultum, demiſſo ſuper illum lapideo velo, obnubilari, & ſitibundis venerantium oculis velaminis interuentu denegari; quadam die peritiſſimi Artificis induſtria ſacrum perfectiſſimæ imaginis vultum detectum deprehendit, hilarique voce illicò exclamauit: *Grates ſuperis, quia Ariſtippi operâ ſpecioſiſſimam Palladis faciem non iam cernimus perſonatam.* Intuebamur hucuſque formoſam Palladem, nobilem dico Medicinæ facultatem quaſi perſonatum geſtare vultum, dùm ſub obſcurarum vocum inuolucris, & tenebroſis terminorum tegumentis latitabat; ſed hen iam peritiſſimi Gaſparis arte, antiqua pulſa obſcuritate detegitur, & clariſſimi ingenij (quo pollet) operâ, non ſolum Medicinæ, verùm & aliarum artium liberalium Profeſſoribus, & ſcientiarum cultoribus acceſſibili diffuſa luce, redditur conſpicua: in hoc enim, etſi exiguo volumini, ſublunaris naturæ occultiſſima reſerat ſacramenta, pandit arcana, dum mixtorum eſſentias, qualitates, & affectiones mirabiliter depingit, dum humanæ compaginis admirabilem ſtructuram mirabili profunditate delineat, reconditiſſimas eius proprietates, facultates, & vniuerſas harum functiones in communis lucis vſuram, & mortalium proficuitatem perluſtrans, Angelici Doctoris perlucente face, & robore galeatus; prodeat ergo in lucem tam eximium opus Theologis iocundum, Philoſophis proficuum, Medicis perneceſſarium, & Religioni Chriſtianæ in nullo diſſonum, ſed ſecurum; & tam diuitis ingenij vena perenniter ſcaturiat mortalibus profutura: &, vt ait Hieronymus, fœcundus hic ceſpes immortalitatis æmulus nobis frugibus in dies ingraueſcat. Noſtrum eſto iudicium ſub aliorum correctione. Datum in Collegio Diui Gregorij, die 1. Ianuarij, Anni Domini 1648.

FR. BERNARDVS DE CASSO,
eiuſdem Collegij Regens.

Licentia

Licentia del Illuſtriſſimo, y Reuerendiſſimo Señor D. Fr. Iuan Merinero, Obiſpo de Valladolid.

NOS D. Fray Iuan Merinero, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apoſtolica, Obiſpo de Valladolid, Prior, y Señor de Iunquera, de Ambia, del Conſejo de ſu Mageſtad, &c. Auiendo hecho ver eſte libro, no tiene coſa contra la Fè, y buenas coſtumbres: por lo que à nos toca, ſe puede imprimir: En Valladolid à 16. de Enero de 1648.

Fr. IVAN OBISPO
de Valladolid.

Por mandado del Obiſpo mi Señor.

El Lic. IVAN ALONSO DE ZEVALLOS.

APPROBATIO DOCTORVM.

QVOD de Medicina corporis Reſoluit Doctor Medicus, D. GASPARDVS BRAVO de SOBREMONTE RAMIREZ, in ſuo libro *Medicarum Reſolutionum*, ita ſanum eſt pro anima, vt tantum abeſt quod aliquid ſapiat contra bonos mores, aut fidem, quin potiùs profundus videatur Theologus, vbi de rebus, quæ Theologiam redolent, ſenſum ſuum aperit. Prælo igitur ſubmitti debet. Sic iudicauimus Lugduni, in noſtro Carmelo, Nos infra ſcripti Doctores Theologi ſacræ Facultatis Pariſienſis, die vltima Ianuarij anni 1654.

Fr. PAVLVS LOMBARD, Prouincialis
Prouinciæ Narbonæ, Ordinis B. Virginis
Mariæ de Monte Carmelo.

Fr. CYRILLVS MOREL, Prior Conuentus
Lugdunenſis eiuſdem Ordinis.

CON

CONSENSVS.

VIſis Superioribus Approbationibus librum hunc *Reſolut. Medicar. D.D.Gaſpar Brauo de Sobremonte Ramirez*, Typis mandari,& in lucem edi Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis Conſiliarius & Aduocatus in Lugdunenſi Præfectura non impedio: Lugduni die ſexta Februarij 1654.

BOLLIOVD MERMEL.

VIſo Aduocati Regij conſenſu, fiat vt petitur, & ne quis vltra conceſſam facultatem denuò excudat hunc librum prohibemus. Datum Lugduni die 6. Februarij 1654.

SEVE.

AVTHO

AVTHORVM NOMINA
Quorum ope hoc perluſtratur Opus.

A.

ABBAS,
Abulenſis,
Acachias,
Acharieas,
Achilles,
Aclinianus,
Actuarius,
Adrianus Amynſicht,
Aëtius,
Ægidius,
Ægineta,
Ælianus,
Æſculapius,
Agatinus,
Aguilera,
Albenzoar,
Albertinus Botinus,
Albertus Magnus,
Albertus de Saxonia,
Albumazar,
Alenſis,
Alexander,
Alexander Aphrodiſeus,
Alexander de Angelis,
Alexander à Ferrata,
Alexander Suchtenius,
Alexandrinus,
Alexis,
Alexius Damaſcius,
Algacelus,
Alhindus,
Ali-Abbas,
Aloyſius Torellus,
Aloyſius Toreus,
Alpinus,
Alſarauius,
Altomarus,
Amadæus,
Amatus Luſitanus,
Ambroſius Nuñez,
Ambroſius Paræus,
Anaxagoras,
Anaximander,
Andernacus,
Andreas Bachius,
Andreas Barbatia,
Andreas Cathaneus,
Andreas Lacuna,
Andreas Laurentius,
Angelucius,
Angeſtus,
Annibal Albertinus,
Antipater,
Antiphanes Cariſtius,
Antonius Andreas,
Antonius Contugitus,
Antonius de Feloaga,
Antonius Maginus,
Antonius Mirandulanus,
Antonius Muſa Braſabulus,
Apollinaris,
Apollonius,
Apollophanes,
Apponenſis,
Aphrodiſeus,
Aratus,
Archangelus Piccolominæus,
Archigenes,
Areulanus,
Arethæus,
Argenterius,
Argentina,
Ariſtoteles,
Arnaldus de Villa-noua,
Aſcarides,
Aſclepiades,
Aſtudillo,
Atamar,
Athenæus,
Auenazra,
Auerodan,
Auerroës,
Augenius,
Auguſtinus Nimphus,
Auguſtinus Vaſquez,
Auicenna,
Aulus Gellius,
Author libri de Mundo,
Author Medicinæ ſecundùm Ægyptios.

B.

BAldiuinus,
Bald. Ronſeius,
Ballonius,
Baluerde,
Barixellus,
Baronius,
Bectrutius,
Beda,
Beguinus,
Bellantius,
Benedictus Victorius,
Beniuenius,
Bernardinus Chriſpoltus,
Bertinus,
Blemidas,
Boceaangelinus,
Bonamicus,
Bonauentura,
Bonus,
Borreus,
Botallus,
Bouius,
Braceſeus.

† Brache

Brachelius,
Braſabolus,
Brauo Salmanticenſis,
Briſotus,
Burguerius,
Buccafetus,
Buridanus.

C.

CAcheran. Oſach.
Caietanus,
Caimus,
Calepinus,
Calmeteus,
Capiuaccius,
Capreolus,
Carbinus,
Cardanus,
Cariſtius,
Carmona,
Carpentarius,
Carreirus,
Cartherius,
Caruinus,
Caſtrenſis.
Caxanes,
Celſus,
Cenſorinus,
Cerdanus,
Chaſſaneus,
Chriſtophorus à Veiga,
Chriſtophorus Gluſtran,
Chryſippus,
Cicero,
Citadinus,
Claudius,
Claudinus,
Clemens,
Clemens Alexandrinus,
Cneulinus,
Cœlius Aurelianus,
Cœlius Rhodiginius,
Collegium Conimbricenſe,
Collegiũ Diſcalceatorum,
Columella,
Comes Montanus Vicentinus,
Commentator,
Conciliator,
Conradus,
Conſtantinus Africanus,
Contugtius,
Cotella,
Cornelius Celſus,
Conteſius,
Coſtæus,
Couarruuias,
Crato,
Creminus,
Cremonenſis,
Crinitus,
Crithias,
Criſpus,
Curtius,
Cyprianus de Maroja.

D.

DAmohus,
Daniel Sennertus,
Delrius,
Democritus,
Dexippus,
Didacus de la Vega,
Dinus,
Diocles,
Diodorus,
Diogenes,
Dioſcotides,
Diuus Ambroſius,
Diuus Anſelmus,
Diuus Auguſtinus,
Diuus Baſilius,
Diuus Chryſoſtomus,
Diuus Damaſcenus,
Diuus Gregorius Nyſſen.
Diuus Gregorius Papa,
Diuus Hieronymus,
Diuus Hilarius,
Diuus Iſidorus,
Diuus Lucas,
Diuus Matthæus,
Diuus Marcus,
Diuus Nemeſius,
Diuus Paulus,
Diuus Thomas,
Doctor Maroja,
Doctor Merola,
Doctor Serna,
D.D. Antoniùs Feloaga,
Dodoneus,
Dominicus Montiſianus,
Donatus ab Altomari,
Donatus Antonius,
Donatus Santorius,
Dornæus,
Dornheinſerus,
Duarte Madeira,
Ducanus,
Durandus,
Duretus.

E.

ECcleſiaſtes,
Elianus,
Elias Venetus,
Eliodorus Athenienſis,
Emmanuel Martinez,
Empedocles,
Ennodius,
Epheſius,
Epicurus,
Epiphanius Ferdinandus,
Eraſmus,
Eraſmus Salatus,
Eraſiſtratus,
Eraſtus,
Erodianus,
Erodicus,
Erophilus,
Eſaias Meyceſnerus,
Eucharius,
Eugenius Lopez,
Eurnius,
Euſebius,
Euſtachius Rudius.

F.

FAbius Pacius,
Fabricius,
Fallopius,
Fauentinus,
Felix Platerius,
Fenandez Beiaranus.

Fernã

Fernelius,
Ferrara,
Ferrarienſis,
Feſalus,
Ficinus,
Fienus,
Figueroa,
Finelus,
Florus,
Fonſeca,
Fontanus,
Foreſtus,
Fracantianus,
Fracaſtorius,
Franciſcus Alexius,
Franciſcus Hudesheim,
Franciſcus Iuntinus,
Franciſcus Sanchez,
Fuchſius,
Fumanellus.

G.

GAbucinus,
Gabriel,
Galeanus,
Galenus,
Galeot Martius,
Gandauenſis,
Garcia,
Gardinius,
Gaſpar Aſſellius,
Gaſpar Hofmannius,
Gaſpar Lopez,
Gauaſſetus,
Geberus,
Gellius,
Gentilis,
Georgias,
Georgius Agricola,
Georgius Bertinus,
Glaucias,
Godofredus,
Gordonius,
Gradius,
Gratiolus,
Gridius,
Gregorius Ariminenſis,
Greuinus,
Guaniuetus,
Gueuara,
Guinterius,
Gullielmus,

H.

HEber,
Henriquez,
Heraclides,
Heraclitus,
Hereulanus,
Hercules de Saxonia,
Hermes Triſmegiſtus,
Herophilus,
Herrera,
Herueus,
Heurnius,
Hieremias,
Hieremias Barthio,
Hieremias Brachelius,
Hieronymus Angeſtus,
Hieronymus Bardus,
Hieronymus Montuus,
Hieronymus Prouençalis
Hippocrates,
Hiſpalenſis,
Hollandus,
Hollerius,
Homerius,
Honeſtus,
Horatius Augenius,
Horpheus,
Hortulanus,
Horus,
Hucherius,
Hugo,
Hugo Senenſis.

I.

IAchinus,
Iacobus,
Iacobus de Graſſis,
Iacobus de Partibus,
Iacobus Forliuienſis,
Iacotius,
Iandunus,
Iauellus,
Ioannes Alphonſus,
Ioannes Auguſtinus,
Ioannes Baptiſta Cortez,
Ioannes Baptiſta Pelegrinus,
Ioannes Colle,
Ioannes de Rupe Sciſſa,
Ioannes de Vigo,
Ioannes Franciſcus Vlmus.
Ioannes Gorreyus,
Ioannes Langius,
Ioannes Lupus,
Ioannes Maior,
Ioannes Michaël Paſchalio,
Ioannes Montanus,
Ioannes Mogius Raphaël
Ioannes Nicolus Stupanus,
Ioannes Paſchaſius,
Ioannes Paſchaſius,
Ioannes Picus Mirandulanus,
Ioannes Pontanus,
Ioannes Santorius,
Iob,
Ioël,
Ioſeph de Acoſta,
Ioubertus,
Irenæus,
Iſaac,
Iſaac Iſraëlita,
Iſaac Monachus,
Iulius Alexandrinus,
Iulius Cæſar Benedictus,
Iulius Clarus,
Iulius Firmicus,
Iuſtinus Martyr,

K.

Kemmanus.

L.

LAcinius,
Lactantius,
Lælius Viſciola,
Laërtius,
Langius.

Larianus,
Laurentius,
Layman,
Lazarus Riberius,
Lelius,
Lemoſius,
Lemus,
Leonardus Fauentinus,
Leonardus Fuchſius,
Leonardus Iachinus,
Leonardus Palmarius.
Leonellus,
Leonicenus,
Leſſius,
Leucippus,
Leuinius Lemnius,
Libauius,
Liuius,
Louanius,
Lucanus,
Lucius Philacteus,
Lucretius,
Ludouicus Mercatus,
Lupeius,
Lyneſius.

M.

Macrobius,
Magiſter Bañez,
Magiſter Sententiarum,
Magninus,
Maior,
Manardus,
Manardus Ferrarienſis,
Manelphus,
Manuel Martinez,
Marcellus Donatus,
Marc. Antonius,
Marcus Antonius Montiſignianus,
Marcus Cató,
Marcus Varro,
Maroja,
Marſilius,
Marſilius Ficinus,
Martinez,
Martinus,
Martinus Del-Rio.
Maſeus,
Maſſaria,
Matamoros,
Matthæus Curtius,
Matthæus de Gradi,
Maurilycus,
Mazanala,
Medina,
Meliſſus,
Mena,
Mendeſius,
Menochius,
Menocrates,
Menodotus,
Mercatus,
Mercurialis,
Meſues,
Metrodorus,
Michaël Medina,
Michaël à Petra Sancta,
Mirandulanus,
Mogius,
Monardes,
Montanus,
Montuus,
Morienes,
Moxius,
Moyſes,
Mucedinus,
Mundinus,
Murcia,
Muſa.

N.

Nauarrus,
Nemeſius,
Nicander,
Nicephus,
Nicolaus de Lira,
Nicolaus Nicolus,
Nicolus Alexandrinus,
Nicolus Florentinus,
Niger,
Nimphus,
Niſſenus,
Nuñez,
Nuñez Complutenſis,
Nuñez de la Serna,

O.

Ochamus,
Odis de Odi,
Oddus,
Ollerius,
Omnibonus,
Oporinus,
Oporinus,
Oribaſius,
Origenes,
Oſuna.

P.

Paludanus,
Palmarius,
Panterus,
Paparella,
Paracelſus,
Paræus,
Parmenides,
Paſchalius,
Paſchaſius,
Pauiſius,
Paulus,
Paulus Ægineta,
Paulus Venetus,
Peramatus,
Perdulus,
Pereda,
Pereirus,
Pereyra,
Petronas,
Petrus Andreas Canonherius,
Petrus Antonius Contughius.
Petrus Aponenſis,
Petrus Bacius,
Petrus Brauus,
Petrus de Oſma,
Petrus Garcia,
Petrus Nauarra,
Petrus Poriſotus,
Petrus Seuerinus,
Petrus Salius Diuerſus,
Petrus Vairus,

Phædrus,
Philaltheus,
Philenus Cous,
Philippus Ingraſia,
Philippus Theophraſtus,
Philolaus,
Philoponus,
Philotheus,
Piccolomineus,
Picus Mirandulanus,
Pierius,
Pierius Valle.
Piſo,
Plato,
Platerius,
Plempius,
Plempius Fortunatus,
Plinius,
Plotinus,
Plutarchus,
Pollux,
Pomponacius,
Pontanus,
Praxagoras,
Prodicus,
Proſperus,
Proſperus Alpinus,
Ptolomæus,
Puteanus,
Pythagoras.

Q.

Quintilianus,
Quercetanus.

R.

Rabbi Moyſes,
Ramos,
Ranodæus,
Raymundus Lullius,
Realdus,
Rhaſis,
Rhodiginius,
Rhodion,
Rhudius,
Richardus,
Riphæus,
Riuerius,
Rodericus de Caſtro,
Rogerius,
Rolandus,
Rondeletius,
Ronſeius,
Rorarius,
Roſellus,
Rubius,
Ruelius.

S.

Sacroboſcus,
Salius Diuerſus,
Saluſtius,
Saluſtius Saluianus,
Saluus Sclanius,
Sanchez,
Sancta-Cruz,
Sanctorius,
Santonus,
Santus Ardoynus,
Saracenus,
Saxonia,
Sayrus,
Scaliger,
Schenkius,
Scholtzius,
Sclanius,
Scotus,
Segarra,
Seneca,
Sennertus,
Septalius,
Serapius,
Serna,
Seruius Tullius,
Seuerinus,
Sextus Empiricus,
Solenandrus,
Solinus,
Solon,
Soncinas,
Soranus,
Soranus Epheſius,
Soria Granatenſis,
Soxanus,
Staiheas,
Steflerinus,
Stephanus Athenienſis,
Strabon,
Straton,
Suarez,
Suetonius Tranquillus,
Syluatus,
Syluaticus,
Sylueſter,
Syluius,
Syrus.

T.

Tamayus Hiſpalenſis,
Temiſon Laodiceus,
Thadæus Florentinus,
Thales Mileſius,
Themiſtius,
Themon,
Theodoretus,
Theophraſtus,
TheophraſtusParacelſus,
Theſſalus,
Theaſir,
Thienſis,
D. Thomas,
Thomas de Garbo,
Thomas de Vega,
Thomas Iordanus,
Thomas Minadaus,
Thriuerus,
Thucidides,
Ticho Brahe,
Tiraquellus,
Titelmannus,
Titus Liuius,
Toletus,
Torellus,
Torrejon,
Toſtatus,
Trabeanus,
Trallianus,
Tranquil.
Trincauellus,
Triſmegiſtus,
Turinus.

Turriſanus.
Turturetus.

V

VAcrus.
Valerius Maximus.
Valerius Martinus.
Valleriola.
Valles.
Valleſius.
Valleſius de Taranta.
Valuerdus.
Vanhelmont.
Vanutius Beringutius.
Varandæus.
Varrus.
Vaſalius.
Vaſquez.
Vaſquez Salmanticenſis.
Vayrus.
Vega.
Veſalius.
Victriuius.
Vidiuidius.
Vidiuidius Iunior.
Villanouanus.
Villa-Real.
Vincentius Moles.
Virgilius.
Virceanus.
Viuius.
Weckeirus.
Wierus.
Wolpius.

X.

XEnophanes.
Xephelinus.

Z.

ZAchias.
Zacutus.
Zaël.
Zamora.
Zenon.
Zechius.
Zimara.
Zozimus.

ELENCHVS
Diſputationum, Sectionum, & Reſolutionum quæ continentur in hoc Libro.

EX PRIMA PARTE.

DISPVTATIO I.

De præcognitis in vniuerſam Medicinam. pag. 1

SECTIO Vnic.

De Medecinæ habitu. ibid.

RESOLVT. I. VTRVM ſit neceſſaria Medicina in ſubſidium ſalutis humanæ? pag. 2

II. Vtrùm Dogmatica Medicorum Secta ſit præſtantior reliquis? 3

III. Vtrùm Secta Paracelſitica differat ab Spagirica? 4

IV. Quid ſit Medicina Dogmatica? 5

V. Vtrum Medicina Dogmatica ſit ſpeculatiua? 7

VI. Vtrùm corpus humanum vt ſanabile, ſit Medicinæ obiectum? ibid.

DISPVTATIO II.

De Elementis. 9

SECTIO I.

De Elementorum natura. ibid.

RESOL. I. VTrùm quatuor Elementa dentur, & in rebus, & pro mixtis neceſſaria? ibid.

II. Vtrùm Elementum ſit minima pars eius rei cuius eſt elementum? 10

III. Vtrùm Elementa pro mixtis neceſſaria, ſint quatuor. 11

IV. Vtrùm præter aſſignata Elementa quatuor alia pro cœlorum generatione ſint admittenda? 12

V. Vtrùm igni caliditas cum ſiccitate, aëri humiditas cum calore, aquæ frigiditas cum humiditate, terræ ſiccitas cum frigiditate ſint propriæ? 13

VI. Vtrùm cum qualitate prope ſummum in quouis Elemento remiſſa altera qualitas ſit admittenda. 15

VII. Vtrùm Elementa ſint propter mixtionem? 16

SECTIO II.

De neceſſitate Elementorum in mixto. 17

RESOL. I. VTrùm quoduis perfectum mixtum ex omnibus quatuor Elementis debeat neceſſariò fieri? ibid.

II. Vtrùm in prima rerum creatione omnia mixta fuerint facta ex quatuor Elementis? 18

III. Vtrùm Elementa quæ ſunt in mixto, retineant ſuas formas ſubſtantiales. 19

IV. Vtrùm mixta forma ſaltem virtualiter contineat Elementorum formas. 21

V. Quid ſit, Elementa virtualiter contineri in mixto? ibid.

VI. Vtrùm aliquod reperiatur in mixto, per quod determinetur forma mixta, vt ſibi debitas qualitates producat? 24

VII. Vtrum materiæ Elementorum in mixto ſint ſimul ſub eadem exquiſita parte materiali quamminima. 26

VIII. Vtrum ſub quacumque parte formali mixta ſint omnium Elementorum partes materiales. 27

IX. Vtrum materia cuiuſuis Elementi determinet formam mixtam informantem illam, vt producat in tali materia qualitates formæ Elementi, quæ præfuerunt in illa? 25

X. Vtrum ſigillatio ſubſtantifica ex præeſſiſſe formæ elementalis, ſufficiat, vt materia determinet pro ſui elementi qualitatibus. 29

XI. Vtrùm materiæ elementorum, quæ non transeunt immediatè per mixtionem ad formam mixtam, retineant ſigillationem ſimplicium formarum, ſub quibus mediatè fuerunt? 30

XII. Vtrum diſpoſitio adæquata mixta per ſe primò producatur à forma mixta in quacumque parte materiali? 31

DISPVTATIO III.

De Temperamentis. 30

SECTIO I.

De natura, & numero complexionum. 32

RESOL. I. Vtrum qualitatiuum temperamentum ſit in mixtis neceſſarium? ibid.

II. Vtrum ex mixtione remaneat neceſſariò in quocumque mixto perfecto ſubſtantificum temperamentum? ibid.

III. Quid ſit temperamentum, vt abſtrahit à qualitatiuo, & ſubſtantifico? 34

IV. Quid ſit temperamentum ſubſtantificum. ibid.

V. Vtrum qualitatiuum temperamentum conſiſtat in congrua qualitatum commixtione? 35

VI. Vtrum ſub qualitatiuo temperamento ſint nouem differentiæ? 37

VII. Vtrùm ſub ſubſtantifico temperamento nouem ſint differentiæ. 38

VIII. Vtrùm detur corpus temperatum, in ſubſtantiis Elementorum ad pondus? 39

IX. Vtrùm detur temperamentum qualitatiuum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis? 40

X. Vtrùm in motiuis qualitatibus aliquid mixtum ſit æquale ad pondus? 41

XI. Vtrùm omnes vitales operationes perfectiori modo eliciat homo cum temperie ponderali? 42

SECTIO II.

De variis rerum temperamentis. 43

RESOL. I. Vtrùm maſculus ſit calidior fœminâ, ibid.

II. Vtrùm in aliquo mixto poſſit reperiri temperamentum potentiale? 44

III. Vtrùm medicamenta frigida reducantur de potentia ad actum per nouam frigiditatis intenſionem acquiſititiam de nouo. 47

IV. Vtrùm valeant venti noſtram immutare temperiem ſuis diuerſis temperiebus? 48

V. Vtrum dum anni tempora ſunt conſtantia, eorum temperies ſit morbis minùs obnoxia? 50

VI. Quod clima ſit humanæ temperiei aptius. 51

VII. Vtrùm conſuetudo differat à Temperamento acquiſititio. 52

SECTIO III.

De propria cuiuſque partis temperie. 54

RESOL. I. Vtrùm partes ſpermaticæ calidiores ſint carnoſis? ibid.

II. Vtrùm partium corporis temperies remaneat proportionata materiæ, ex qua ſiunt? 55

III. Vtrùm in partibus corporis caliditas ſit præſcribenda ex Auicennæ decreto? 56

IV. Vtrùm rectè præſcribatur partium frigidarum ordo? 57

V. Vtrùm partium humidarum ordo rectè præſcribatur? 58

VI. Vtrùm partium ſiccarum ordo ſit debitè adaptatus? 59

DISPVTATIO IV.

De ætatibus. 59

SECTIO I.

De ætatum natura. 60

RESOL. I. Vtrùm ætas ſit menſura durationis vitæ humanæ? ibid.

II. Vtrùm ætates ſint quinque? 61

III. Vtrùm in pueritia debeatur homini caliditas, & humiditas? 62

IV. Vtrùm adoleſcentibus debeatur æqualis calor

calor ac pueri? 63
V. Vtrùm adoleſcens in paſſiuis qualitatibus perueniat ad mediocritatem? 64
VI. Vtrum in iuuentute debeantur homini caliditas, & ſiccitas excedentes. ibid.
VII. Vtrùm homo in ætate conſiſtentiæ ſit ſiccus, & in actiuis ad mediocritatem perueniat? 65
VIII. Vtrùm in omni ſenectute ſit homo frigidus, & ſiccus. ibid.

SECTIO II.

De morte naturali. 66

Resol. I. Vtrùm aliqua mors poſſit dici naturalis. ibid.
II. Vtrùm inter res præternaturales coadiuuent aliquæ vt cauſæ ad mortem naturalem inducendam. 67
III. Vtrùm aliquæ cauſæ non naturales valeant coadiuuare ad naturalem mortem cauſandam? 68
IV. Vtrùm inter res non naturales ſpiritus vitales ſaltem ſint ineuitabilis cauſa mortis naturalis. ibid.
V. Vtrùm aſtra, & orbes cœleſtes ſint ineuitabilis cauſa naturalis interitus? 69
VI. Vtrùm calor innatus, ſeu adſcititius ex partibus igneis, ſeu aëreis ſubſtantifici temperamenti ortis, ſit neceſſaria, & ineuitabilis cauſa mortis naturalis? 70
VII. Vtrùm mors naturalis fiat cum voluptate? 71

DISPVTATIO V.

De humoribus. 72

SECTIO I.

De humoribus in communi. *ibid.*

Resol. I. Vtrùm dentur humores in corpore humano? ibid.
II. Vtrùm humores intra venas ſint actu, & formaliter. 73
III. Vtrùm humor ſit corpus liquidum, in quod tranſmutatur chylus, vi iecoris, pro corpore alendo, vel aliis corporis commodis genitus? 75
IV. Vtrùm naturalis humor ſit quadruplex intra ſtatum naturalem. ibid.
V. Vtrùm omnes quatuor humores generentur ex chylo immediatè. 76
VI. Vtrum vi iecoris fiant omnes humores. 77
VII. Vtrùm ab vno eodemque iecoris calore fiat omnium humorum productio. 79
VIII. Vtrùm iecur vnica ſubſtantiali actione producat omnes quatuor humores? ibid.
IX. Vtrùm quilibet humor ſit propter nutritionem? 81
X. Vtrùm quilibet humor diſtinctus à ſanguine poſſit ſine eius conſortio nutrire. ibid.
XI. Vtrùm omnes humores ante aſſimilationem vltimam, mutentur in quatuor ſecundas humiditates? 82
XII. Vtrùm quatuor humiditates differant ſpecie? 83
XIII. Vtrum quarta humiditas vt talis, in eſſe humiditatis ſecundæ cum reliquis conueniat? ibid.

SECTIO II.

De humoribus in particulari. 84

Resol. I. Vtrùm ſanguis ſit humor vi iecoris genitus, maiori ex parte ex aereis chyli partibus, calidus, & humidus, ruber, dulcis, alendo corpori maximè accommodatus? ibid.
II. Quotuplex ſit ſanguis. 85
III. Vtrùm pituita ſit humor frigidus, humidus, albus, craſſus, vi iecoris genitus maiori ex parte ex partibus aqueis, ob ſimilium nutritionem. ibid.
IV. Vtrum duplex pituita naturalis ſpecie diuerſa ſit admittenda? 86
V. Vtrum præternaturalis pituita adæquatè diuidatur in octo ſpecies, dulcem, acetoſam, ſalſam, ponticam, mucilaginoſam, crudam, vitream, & gypſeam. 87
VI. Vtrum pituita valeat in omnes alios humores conuerti. 88
VII. Vtrum bilis ſit humor tenuis, amarus, flauus, vi iecoris maiori ex parte, ex igneis partibus factus, in ſimilium nutritionem, & vt coadiuuet excrementorum expulſionem. ibid.
VIII. Vtrum quinque ſpecies bilis præternaturalis ſint admittendæ, vitellina, porracea, æruginoſa, cærulea, & iſatidea? 89
IX. Vtrum melancholia ſit fæx ſanguinis? ibid.
X. Vtrùm quadruplex præternaturalis melancholia detur? 90

DISPVTATIO VI.

De humani corporis partibus. 91

SECTIO I.

De partium natura, & numero. *ibid.*

Resol. I. Vtrùm dentur in corpore humano partes ſubſtantialiter diuerſæ. ibid.
II. Quid ſit pars? 92
III. Vtrùm partis diuiſio in ſimilarem, & diſſimilarem ſit adæquata? 93
IV. Quid ſit pars ſimilaris, quid diſſimilaris. 94
V. Vtrùm tam ſimilaris, quàm diſſimilaris pars poſſit dici organica, ſeu inſtrumentaria. ibid.
VI. Vtrum viuentis actiones eliciantur à partibus ſimilaribus, an verò ab organicis? 95
VII. Vtrùm pars ſimilaris ſua temperie concurrat ad operandum. 96

SECTIO II.

De partium principum diuerſitate? *ibid.*

Resol. I. Qvid ſit pars princeps? 97
II. Quotuplex ſit pars princeps? ibid.
III. Vtrùm teſticuli ſint pars princeps reſpectu ſpeciei. 99
IV. Vtrùm teſticuli ſint pars princeps reſpectu ſui indiuidui? ibid.
V. Vtrùm inter partes principes aliqua ſit reliquis præſtantior? 100

SECTIO III.

De partium principum influxu. *ibid.*

Resol. I. Vtrum influat aliquid à partibus principibus? ibid.
II. Vtrùm quod influit à partibus principibus ſit facultas? 101
III. Quid influat à partibus principibus? 102
IV. Vtrum vna tantùm qualitas influat à cerebro? 103
V. Vtrum à corde vna tantùm influat qualitas? 104
VI. Vtrùm à iecore aliqua influat qualitas. ibid.
VII. Vtrum Teſtes influant pro actionibus indiuidui in quo ſunt? 105
VIII. Vtrum qualitas quæ influit, à cerebro reſultet? 106
IX. Vtrum omnis influens qualitas, à cerebro, an ab eius fiat membranis? 107
X. Vtrum influens qualitas à cerebro, & & corde, fiat media ſenſitiua facultate. ibid.
XI. Vtrum influens qualitas communicetur irradiatione. 108
XII. Vtrùm qualitas influens in inſtanti communicetur? 109
XIII. In quo genere cauſæ ſit neceſſaria qualitas influens? 110

DISPVTATIO VII.

De calido innato, & humido radicali. 110

SECTIO I.

De calidi innati natura. *ibid.*

Resol. I. Vtrum detur calidum innatum in corpore humano? 111
II. Quid ſit calidum innatum? ibid.
III. Qualis ſit calor ex calido innato reſultans. 112
IV. Propter quid calidum innatum requiratur in viuente? 113

SECTIO II.

De humido radicali. 113

Resol. I. Vtrum humidum radicale ſit aliud à calido innato? 114
II. Quid ſit humidum radicale? ibid.
III. Vtrùm humidum radicale ſit pabulum calidi innati? ibid.
IV. Propter quid ſit humidum radicale? 115

DISPVTATIO VIII.

De Spiritibus. 116

SECTIO I.

De Spiritibus in communi? *ibid.*

Resol. I. Vtrùm detur ſpiritus in corpore humano? ibid.
II. Quid ſit ſpiritus? 117

III.

III. Vtrùm ſpiritus viuant? ibid.
IV. Quotuplex ſit ſpiritus? 118
V. Vtrum detur ſpiritus naturalis inſitus? 119
VI. Vtrùm Spiritus vitales, & animales differant ſpecie? 120
VII. Vtrùm ſpiritus generentur per coctionem. ibid.

SECTIO II.

De ſpiritu animali? 121

Resol. I. Quid ſit ſpiritus animalis? ibid.
II. Vtrùm ſpiritus animalis ſit vitali calidior? ibid.
III. Vtrùm ſpiritus animales ſint lucidi? 122
IV. Vtrùm ſpiritus animalis fiat ex aere, & ſpiritu vitali? ibid.

SECTIO III.

De ſpiritu vitali? 123

Resol. I. Quid ſit ſpiritus vitalis? ibid.
II. Vtrùm ſpiritus vitales ſint corde calidiores? ibid.
III. Vtrum ſpiritus vitales generentur à ſolo corde? 124
IV. Vtrùm fiat ſpiritus vitalis ex aëre, & ſanguine. ibid.
V. Vtrùm per ſpiritus vitales communicetur partibus aliqua vitalitas, 125

DISPVTATIO IX.

De facultatibus. 125

SECTIO I.

De Facultatibus in communi? 126

Resol. I. Vtrùm facultates ſint aliud ab animæ ſubſtantia? ibid.
II. Quid ſit facultas? 127
III. Vtrum adæquatè diuidatur facultas in naturalem, vitalem, & animalem? ibid.
IV. Vtrum corporeæ facultates inhæreant in partibus organicis? 128

SECTIO II.

De facultatibus naturalibus. 129

Resol. I. Vtrùm naturales facultates ſint aliud à temperamento? ibid.
II. Vtrùm facultates miniſtrantes vegetiuæ ſint vitales? 130
III. Quid ſit facultas naturalis? 131
IV. Vtrùm adæquatè diuidatur facultas naturalis in miniſtrantem, & miniſtratam? ibid.
V. Vtrum potentia auctrix differat realiter entitatiuè ab altrice? 132
VI. Vtrum facultas generatiua differat à nutritiua? 133
VII. Vtrum facultates miniſtrantes ſint tantum quatuor? 134

SECTIO III.

De facultate vitali. ibid.

Resol. I. Vtrùm in corde ſit aliqua vitalis facultas peculiariter ſic dicta, ordinata in vitæ conſeruationem? 135
II. Vtrùm facultas vitalis, quæ reſidet in corde, ſit illius nutritiua facultas? 136
III. Vtrùm facultas generatiua ſpirituum vitalium, ſit diſtincta à facultate vitali? 137
IV. Vtrum facultas pulſifica ſit, quæ in corde dicitur vitalis. 138
V. Vtrùm facultas pulſifica ſit vitalis intrinſecè? 139

SECTIO IV.

De facultate animali locomotiua? 140

Resol. I. Vtrùm detur potentia localiter motiua à qua efficienter fiat motus? ibid.
II. Quod ſit proprium ſubiectum facultatis locomotiuæ? 141
III. Vtrùm omnis facultas localiter motiua operetur præcedente cognitione, & actu appetitus? 142

SECTIO V.

De facultatibus cognoſcitiuis? ibid.

Resol. I. Vtrùm ſint neceſſariæ facultates externæ cognoſcitiuæ? ibid.
II. Quid ſit externa facultas cognoſcitiua? 143
III. Quotuplex ſit facultas externa cognoſcitiua? ibid.
IV. Vtrum vnicuique externæ facultati debeatur organum diuerſum ob exceſſum diuerſarum partium elementalium? 144

SECTIO

SECTIO VI.

De facultatibus rectricibus. 145

RESOL. I. VTrùm ſint animali neceſſariæ rectrices facultates? ibid.

II. Quid ſit facultas interna cognoſcitiua? 146

III. Vtrùm vnica virtus internas omnes eliciat operationes? ibid.

IV. Vtrum in cerebro ſecundum omnes illius partes, ſimul omnes rectrices facultates inhæreant? 147

V. Vtrum ſenſus communis ſit facultas alia à reliquis rectricibus? 148

VI. Vtrùm phantaſia, ſeu imaginatiua ſit facultas diſtincta à ſenſu communi? ibid.

VII. Vtrum facultas æſtimatiua, ſeu cogitatiua admittenda vt diſtincta à phantaſia? 149

VIII. Vtrùm memoria ſit admittenda tanquam potentia alia ab æſtimatiua. 150

DISPVTATIO X.

De generatione hominis eiúſque principiis. 151

SECTIO I.

De hominis generatione. ibid.

RESOL. I. VTrùm aliqua ſubſtantialis generatio ſit poſſibilis? ibid.

II. Quid ſit generatio ſubſtantialis? 152

III. Quid ſit ſubſtantialis generatio viuentis? ibid.

IV. Vtrùm in hominis productione ſit vera ratio generationis? ibid.

V. Vtrùm fœmina requiratur vt ſimpliciter neceſſaria pro generatione animalis? 153

VI. Vtrum fœmina fœcundum ſemen pro generatione emittat? ibid.

VII. Vtrum fœmina cùm ſemen emittat, valeat ſe ſola generare? 155

VIII. Vtrum in naturali generationum ordine maternitatis relatio fundetur in actiuitate? 156

SECTIO II.

De ſanguine menſtruo. 157

RESOL. I. VTrùm menſtruus ſanguis ſit [illegible]

II. Vtrum rectè diffiniatur ſanguis menſtruus? ibid.

III. Vtrùm ſanguis menſtruus peccet in quanto, aut quali? 159

IV. Vtrum immediata cauſa periodicationis ſanguinis menſtrui ſit Luna? 160

V. Vtrum menſtrua purgatio petat fieri per vterum? 161

VI. Vtrùm expultricis ſola vi ſanguis menſtruus deferatur ad vterum? 162

SECTIO III.

De ſemine ſiue genitura? 263

RESOL. I. VTrùm ſemen ſit neceſſarium pro fœtus formatione. ibid.

II. Quid ſit ſemen? 164

III. Vtrùm ſemen ſit corpus calidum, humidum, ſpumoſum, & album? 165

IV. Vtrùm ſemen fiat ex ſanguine? 166

V. Vtrùm ſeminis ſpirituoſa pars decidat ab omnibus partibus? 167

VI. Vtrùm ſeminis ſpirituoſa pars ex omni ſpirituum genere fiat? 169

VII. Vtrum ſemen generetur ſola vi teſtium? ibid.

VIII. Vtrum ſemen decidat ab omnibus partibus ſecundùm aliquid ſui? 170

IX. Vtrum ſemen præſtet materiam pro fœtus formatione. 171

X. Vtrum ſeminis pars ſpirituoſa materiam præſtet pro fœtus formatione? 172

XI. Vtrum ſemen animatum ſit. 173

SECTIO IV.

De filiorum ad parentes ſimilitudine. 175

RESOL. I. QVid ſit ſimilitudo natorúm ad parentes? ibid.

II. Vtrum ſimilitudo ſpecifica ab actiuo, an à paſſiuo principio proueniat? ibid.

III. Vtrum ſimilitudo in ſexu proueniat ab actiuo, an à paſſiuo ſeminis principio? 176

IV. Vtrum ſimilitudo indiuidualis proueniat ab actiua vi? 178

V. Vtrum à conformatrice proueniat ſimilitudo ad auos, & conſanguineos? 179

VI. Vtrum indiuidualis ſimilitudo poſſit immutari ab intenſo imaginationis actu. ibid.

EX SECVNDA PARTE.

DISPVTATIO I.

De Sanitate. 182

SECTIO I.

De Sanitatis quidditate. ibid.

RESOL. I. VTrum ſit poſſibilis ſanitas perfecta? ibid.
II. Quid ſit ſanitas? 183
III. Vtrùm ſanitas ſit vna ſecundùm ſpeciem atomam? 184
IV. Vtrùm ſanitas ſit vna ſimplex qualitas? 185
V. Vtrùm ſanitas & morbus ſint ſub eodem genere? 186
VI. Vtrùm ſanitas in aliquibus gradibus valeat ſimul cum morbo reperiri? 187
VII. Vtrum ad ſanitatem detur per ſe motus? 188
VIII. Vtrùm ſint plores gradus ſanitatis intra illius latitudinem? 189
IX. Vtrum aliqua ſigna diuerſos ſanitatis gradus indicent? ibid.

SECTIO II.

De Sanitatis cauſis conſeruatricibus. 190

RESOL. I. VTrùm res non naturales ſint cauſæ ſanitatis conſeruatrices? ibid.
II. Quid ſint res non naturales? ibid.
III. Quot ſint res non naturales? 191
IV. Vtrùm vna ſanitas poſſit eſſe cauſa conſeruatiua alterius ſanitatis. 192
V. Vtrùm conſeruatio ſanitatis proueniens à cauſis ſalubribus fiat à ſimili? ibid.

DISPVTATIO II.

De natura & differentiis morbi. 193

SECTIO I.

De natura morbi. ibid.

RESOL. I. VTrum morbus ſit ens reale? ibid.
II. Vtrum morbus ſit relatio? 195
III. Vtrùm morbus diuagetur per omnia prædicamenta? 196
IV. Vtrum morbus ſit Affectus præter naturam lædens ſenſibiliter operationes primò & per ſe? 197
V. Vtrum particula, *præter naturam*, ſit releganda à morbi diffinitione? 198
VI. Vtrùm particula, *lædens operationes*, in morbi diffinitione ſit ponenda? 199
VII. Vtrùm particula, *ſenſibiliter*, ſit neceſſaria in morbi diffinitione? ibid.
VIII. Vtrùm particula, *primò*, *& per ſe*, ſit neceſſaria in morbi diffinitione? 200

SECTIO II.

De morborum differentiis ſecundum genus. 201

RESOL. I. VTrùm morbus formaliter ſumptus ſit multiplex ſecundùm ſpeciem? ibid.
II. Vtrum morbus pro materiali diuidatur adæquatè in intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem? 202
III. Vtrum detur morbus formæ alius ab enumeratis genere. 203
IV. Vtrum detur morbus materiæ, diſtinctus genere à tribus enumeratis. ibid.
V. Vtrum morbus à tota ſubſtantia ſit diuerſi generis? 204
VI. Vtrùm morbi hæreditarij ſint ſub aliquo genere ex tribus annumeratis. 205

†† VII. Vtrum

VII. Vtrùm in intemperie detur morbus proueniens ab intrinſeco? 206
VIII. Vtrùm morbus in mala compoſitione ortus ab intrinſeco poſſit dari? 207
IX. Vtrùm morbi in ſoluta vnitate poſſint ab intrinſeco prouenire? 208
X. Vtrùm morbus petat inhærere ſoli parti viuenti. ibid.

SECTIO II.

De differentiis morborum partium ſimilarium, ſiue in intemperie. 209

Resol. I. Vtrùm detur morbus in intemperie? ibid.
II. Vtrum intemperies partibus ſimilaribus accidat? 210
III. An intemperies ſit morbi cauſa, an morbus? 211
IV. Vtrùm in quavis latitudine contrariorum valeat vna ſimplex intemperies reperiri? ibid.
V. Vtrùm vna ſimplex ſenſibilis intemperies poſſit dari ex affluxu humoris in partem. 212
VI. Vtrùm aliqua poſſit intemperies cauſari in parte ex humoris affluxu ſine tumore. ibid.

SECTIO IV.

De inæquali intemperie. 213

Resol. I. Vtrùm detur intemperies æqualis aut inæqualis? ibid.
II. Vtrùm æqualis temperies ſit duarum temperierum in vno corpore proportio. ibid.
III. Vtrùm intemperies inæqualis ſit duarum intemperierum improportio? 214
IV. Vtrùm intemperies inæqualis poſſit dari inter duas intemperies inæqualitèr ſe habentes in diuerſis partibus? 215
IV. Vtrùm poſſit dari inæqualis intemperies in eademmet parte per comparationem intemperiei ſubſtantificæ & qualitatiuæ? ibid.
VI. Vtrùm intemperies inæqualis reſpectu eiuſdem partis cauſetur ab extrinſeco? 216
VII. Vtrum dolor ſit ſignum inæqualis intemperiei. ibid.
VIII. Vtrùm læſio actionis ſit ſignum æqualis intemperiei, quæ eſt in eadem parte. 217

SECTIO V.

De morbis partium organicarum. 217

Resol. I. Vtrùm morbus partium organicarum ſit verè morbus? ibid.
II. Vtrùm morbus partium organicarum ſit illis proprius? 218
III. Vtrùm morbus in mala compoſitione ſit ille, qui oritur ex vitio naturalis conſtitutionis alicuius partis quatenus organica eſt. 219
IV. Vtrum morbus in mala compoſitione adæquatè diuidatur in morbos malæ conformationis, magnitudinis, numeri, & ſitus, ſiue compoſitionis ſpecialiter ſic dictæ. ibid.
V. Vtrùm morbus in mala conformatione adæquatè diuidatur in morbum in figura, in via, & in ſuperficie. 221
VI. Vtrum aſperitas & lenitas ſint morbi partium organicarum ſub mala conformatione. 222
VII. Vtrùm res omninò præter naturam intra corpus genitæ ſint morbi in numero adaucto. ibid.
VIII. Vtrùm in numero diminuto per partis abſciſſionem morbus pro formali inhæreat in parte abſciſſa? 223
IX. Vtrùm ex particulæ ablatione fiat morbus in numero diminuto; an in quantitate diminuta? 224
X. Vtrùm omne adaugens quantitatem, habeat morbi rationem? ibid.
XI. Vtrùm morbus in mala compoſitione ſpecialiter dicta diuidatur adæquatè in morbum in ſitu, & morbum in coalitu ſeu connexione. 225

SECTIO VI.

De morbis vtriſque partibus communibus. 225

Resol. I. Vtrum ſolutio continuitatis ſit morbus? ibid.
II. Vtrùm ſolutio continuitatis ſit morbus communis partibus ſimilaribus & organicis? 226
III. Vtrùm ſolutio continuitatis valeat accidere parti ſimilari, ſine eo quòd ſimul accidat organicæ? 227.

IV. Vtrum

V. Vtrum morbus in ſoluta vnitate poſſit ſoli parti organicæ accidere non patiente ſimilari aliqua? ibid.
VI. Vtrum ſolutio continuitatis valeat ſimul accidere tam parti ſimilari,quàm organicæ. 228

DISPVTATIO III.

De temporibus morborum. 229

SECTIO I.

De quidditate, multiplicitate, & ſignis temporum morborum. ibid.

Resol.I. Vtrùm dentur tempora morborum. ibid.
II. Vtrum morborum tempus ſit menſura durationis mutationum quæ ſuperueniunt in morbo viciſſitudine naturali, iuxta propriam eius conſtitutionem. 230
III. Vtrum morborum tempora adæquatè diuidantur in vniuerſalia, & particularia? ibid.
IV. Vtrum tempora vniuerſalia morbi ſint quatuor? 231
V. Vtrùm tempora particularia morborum ſint ſex. ibid.
VI. Vtrùm tempora vniuerſalia morborum alterationis materiæ & accidentium coincidant? ibid.
VII. Vtrum morbi lethales poſſint peruenire ad declinationem? 232
VIII. Vtrùm morbi, quibus accidit, quòd fiant lethales, poſſint ad imperfectam ſaltem, aut infidam peruenire declinationem. 233
IX. Vtrùm morbi ſalubres perenrrant quatuor tempora vniuerſalia? 234
X. Vtrùm tempora vniuerſalia in omni morbo ſint æqualis durationis? 236
XI. Vtum aliquibus ſignis valeant cognoſci tempora vniuerſalia morborum? ibid.
XII. Vtrùm in augmento morbi ſalubres pendentes ex materiæ alteratione ſint intenſiores? 238
XIII. Vtrùm ſit morbus ſecurior ſimul, & intenſior in ſtatu ratione coctionis? 239

DISPVTATIO IV.

De cauſis morborum. 240

SECTIO I.

De morborum cauſis in genere. 240

Resol.I. Vtrùm morbus formaliter ſumptus habeat cauſam materialem ex qua fiat? ibid.
II. Vtrùm morbus formaliter ſumptus habeat cauſam formalem per quam fiat. 241
III. Vtrùm morbus formaliter ſumptus induat rationem finalis cauſæ? ibid.
IV. Vtrum morbus formaliter ſumptus habeat cauſam efficientem? 242
V. Quid ſit cauſa efficiens morborum? ibid.
VI. Vtrum inter cauſas morbi debeant, vltra communes cauſarum differentias,aliæ annumerari? ibid.
VII. Vtrum cauſa procathartica differat à cauſa interna. 243
VIII. Vtrum cauſa procathartica differat à cauſa interna. 244
IX. Vtrum cauſa antecedens ſit tantùm cauſa in actu primo. ibid.

SECTIO II.

De cauſa continente. 245

Resol.I. Vtrùm ſit admittenda cauſa continens? ibid.
II. Vtrùm cauſa continens ſit cauſa conſeruatiua effectus quoad eſſe exiſtentiæ. 246
III. Vtrum cauſa continens differat à cauſa coniuncta. 247
IV. Vtrùm omnis morbus formaliter ſumptus habeat cauſam continentem? 248
V. Vtrum morbus in intemperie habeat cauſam continentem? ibid.
VI. Vtrùm morbi in mala compoſitione habeant cauſam continentem? 249
VII. Vtrùm morbi in ſoluta vnitate materialiter ſumpti habeant cauſam continentem? ibid.

SECTIO III.

De cauſis morbi calidi. 250

Resol.I. Vtrùm cauſæ morbi calidi ſint tantum quinque annumeratæ à Galeno? ibid.
II. Vtrum localis motus ſit cauſa morbi calidi 251

III. Vtrùm paſſiones animæ ſint cauſæ morbi calidi. 253
IV. Vtrum vicinia rei calidæ ſit cauſa morbi calidi? 255
V. Vtrum alimentum calidum, ſit cauſa morbi calidi? 256
VI. Vtrum putredo ſit cauſa morbi calidi ob partium deunionem? ibid.
VII. Vtrum adſtrictio, ſeu obſtructio ſint cauſa morbi calidi? 257

SECTIO IV.

De cauſis reliquarum intemperierum? 258

Resol. I. Vtrùm ſex cauſæ morborum frigidorum ſint admittendæ? 259
II. Vtrum cauſæ morbi ſicci ſint quatuor. 260
III. Vtrum cauſæ morborum humidorum ſint quatuor? ibid.
IV. Vtrum compoſita intemperies petat ſemper fieri à diuerſis complicatis cauſis. 261
V. Vtrum cauſa intemperiei cum affluxu materiæ rectè à Galeno rradatur? ibid.
VI. Vtrùm calor ſit cauſa intemperiei cum affluxu. 262
VII. Vtrum dolor ſit cauſa tractionis humorum in partes? 263

DISPVTATIO V.

De Symptomate & eius differentiis. 265

SECTIO I.

De Symptomate. 265

Resol. I. Vtrùm detur morbi ſymptoma? ibid.
II. Quid ſit Symptoma? 266
III. Vtrùm omne ſymptoma ſit ſolius morbi effectus. ibid.
IV. Vtrum quodlibet ſymptoma petat immediatè ſubſequi à morbo? 267

SECTIO II.

De Symptomatum differentiis. 267

Resol. I. Quotuplex ſit Symptoma? 268
II. Vtrum adæquatè diuidatur actio læſa in Diminutam, Abolitam, & Deprauatam? ibid.
III. Quid ſit actio deprauata. 269
IV. Quotuplex ſit ſymptoma in qualitate mutata. ibid.
V. Quotuplex ſit Symptoma in Exeunte mutato. ibid.

EX TERTIA PARTE.

DISPVTATIO I.

De Febris natura. 272

SECTIO I.

Deſcribitur Quidditas Febris. 272

Resol. I. Quid ſit Febris? ibid.
II. Vtrum ſit febri intrinſecum quod ſit Calor. 273
III. Vtrùm calor fiat extraneus, & febrilis abſque maiori intenſione. 274
IV. Vtrùm calor Febrilis noua intenſione, valeat fieri extraneus à principio intrinſeco. 275
V. Vtrum febris quæ fit per nouam caloris adquiſitionem conſiſtat in ſolo addito calore. 277
VI. Vtrum ſit intrinſecum febrili calori quòd ſit accenſus in corde. 279
VII. Vtrum medio ſanguine, & ſpiritu petat communicari calor febrilis. 280
VIII. Vtrùm febris lædat omnes operationes naturales. 281
IX. Vtrum caliditas iræ, & laboris, poſſit eſſe febris. ibid.
X. Vtrùm febris ſubiectum ſit aliud à ſubſtantia. 282

SECTIO II.

De differentiis febrium. 283

Resol. I. Vtrùm ſub febre ſint aliquæ eſſentiales differentiæ. ibid.

II. Vtrum diuiſio febris, in febrem morbum,& febrem accidens ſit admittenda. 284
III. Vtrùm febris Lipyria ſit febris morbus, aut accidens. 285
IV. Vtrum ſint differentiæ accidentales febris in communi. 286
V. Vtrùm calor vt febris eſt, ſit diuiſibilis diuiſione accidentis in ſubiecta per ordinem ad ſpiritus, humores,& partes viuentes. ibid.
VI. Quænam ſit magis adæquata Febris diuiſio. 287
VII. Vtrùm ab humoribus non alteratis poſſit febris humoralis ſuperuenire? 288
VIII. Vtrùm ſpiritus ratione putredinis valeant febrem cauſare? 289

SECTIO III.

De cauſis Febribus. 190

Resol.I. VTrùm omnia genera cauſarum requirantur pro febrium generatione? ibid.
II. Quid ſit cauſa efficiens febris? ibid.
III. Quotuplex ſit efficiens febrium cauſa? 291
IV. Quæ ſint cauſæ productiuæ habitualis caloris? 292
V. Vtrùm ex parte paſſi aptior temperies ad febrem recipiendam in viuente ſit calida, & ſicca? 293
VI. Vtrum corpora denſiora rarioribus ſint aptiora ad febres recipiendas? 294

DISPVTATIO II.

De Febre Ephemera. 294

SECTIO I.

De Quidditate, differentiis, & cauſis Diariæ. 294

Resol.I. QVid ſit febris Diaria? 295
II. Quotuplex ſit Diaria, ratione ſpirituum, à quibus fieri poteſt? ibid.
III. Vtrum diuiſio Dariæ,in legitimam & non legitimam, ſit vniuoca? 296
IV. Vtrum Diaria ſit diuiſibilis reſpectu cauſæ procatharticæ à qua ſit? 297
V. Quot ſint Ephemerarum cauſæ? 298

SECTIO II.

De ſignis Febris Ephemeræ. 298

Resol.I. VTrùm his ſignis ſit facile cognoſcibilis Diaria? ibid.
II. Vtrum febri Diariæ ſit proprium,quòd ſiat à cauſa procatharctica? 299
III. Vtrùm ſit proprium Diariæ, quòd in illa appareant à primo inſultu ſigna coctionis in lotio? 300
IV. Vtrùm ex pulſu valeat Diaria cognoſci? 301
V. Vtrum ex modo caloris ſit cognoſcibilis Diaria? ibid.
VI. Vtrum ſit proprium Diariæ, quòd ſoluatur cum ſudore? 302
VII. Vtrum per aliqua ſigna ſit cognoſcibilis permutatio Diariæ in humoralem, & hecticam? ibid.

SECTIO III.

De Diariæ febris curatione. 303

Resol. I. DE Diariæ legitimæ ſimplicis curatione? ibid.
II. De Diariæ curatione, cum qua,aut cauſa, aut febris alia complicatur? ibid.
III. De curatione Diariæ illegitimæ. 304
IV. De diagnoſi, prognoſi, & curatione Diariæ ortæ ex ventriculi frigida cruditate,aut nidoroſa? ibid.
V. De curatione febris ex cruditate cum lumbricis? 306
VI. De febre ex cruditate in ſecunda regione. 307
VII. De aliquibus remediis euentu comprobatis in febribus ex cruditate ortis? 308

DISPVTATIO III.

De febre Hectica. 309

SECTIO I.

De Febris Hectica Diagnoſi. *ibid.*

Resol. I. VTrùm ſubiectum Hecticæ, ſit commune cum reliquis febribus? ibid.
II. Quid ſit febris Hectica. 310
III. Vtrum febris hectica ſit calor. ibid.
IV. Vtrùm febris hectica ſit calor præternaturalis. 311
V. Vtrũ febris hectica ſit calor habitualis?312
VI. Vtrùm febris hectica ſit calor æqualis.ib.

VII. Vtrùm febris hectica pulluletab anima ob peruerſum temperamentum ſubſtantificum. 313
VIII. Vtrùm febris Hectica ſit independens à cauſa, 314
IX. Vtrùm calor febris hecticæ poſſit intendi. 315
X. Vtrùm febris hectica ſit ardente intenſior. 316
XI. Vtrùm ſiccitas ſit de conceptu febris Hecticæ. 317
XII. Quotuplex ſit Febris hectica. ibid.

SECTIO II.

De Cauſis & ſignis febris Hecticæ. 318

RESOL. I. QVid, & quotuplex ſit cauſa febris Hecticæ. ibid.
II. Quotuplex eſt cauſa non viuens, coadiuuans ad Hecticæ productionem. 319
III. Vtrum Hectica poſſit incipere à cauſa procatharctica? ibid.
IV. De ſignis febris Hecticæ. 320
V. Vtrum incaleſcentia à cibo ſit pathog. nominum Hecticæ ſignum. ibid.

SECTIO III.

De Febris Hecticæ curatione. 322

RESOL. I. DE Hecticæ curatione iuxta Dogmaticorum Scholas. ibid.
II. De Hecticæ febris curatione Dogmatica. ibid.
III. De aëris vſu in Hecticæ curatione. ibid.
IV. De Balneis & eorum vſu in curatione Hecticæ? 323
V. De inunctionum vſu pro Hectica curanda. 324
VI. De Hecticæ curatione ex remediis indicatis à temperiei ſubſtantificæ perverſione? ibid.
VII. De obſeruationibus, quæ euentu confirmant Dogmaticam doctrinam. 325

DISPVTATIO VI.

De Febre Humorali. 326

SECTIO I.

De Humorum rationali ac Dogmatica doctrina aduerſus Imaginarios Medicos. ibid.

RESOL. I. VTrum præter Cruorem ſint alij humores in corpore? 327
II. Vtrum Pituita ſit humor vtilis alendo? 328
III. Vtrum melancholia ſit naturalis humor? 330
IV. Vtrum ſola vi iecoris valeat generari Melancholia naturalis? 331
V. Vtrùm ex flauo vomitu probetur dari bilem in corpore? 332
VI. Vtrum icteri color demonſtret bilem dari in corpore? 333
VII. Vtrùm ex tinctura lotij, aliiſve ſignis, conſtet dari naturalem bilem in venis? 335
VIII. Vtrùm ex quatuor Elementis dari bilem & mixtionem probetur? 336

SECTIO II.

De Humorum putrefactione & vſtione. 337

RESOL. I. VTrùm humorum putredo ſit poſſibilis? ibid.
II. Vtrùm putredo differat ab vſtione eſſentialiter? 338
III. Vtrùm vſtio ſit diſſolutio mixti ſecundùm quaſcumque partes euaporabiles, proueniens à calore violento? 339
IV. Vtrum putredo ſit corruptio mixti per deunionem humidi à ſicco, proueniens à præternaturali calore ſub eadem forma? 340
V. Vtrùm formalitas putredinis conſiſtat in deunione humidi à ſicco? 341
VI. Vtrùm omnis putredo fiat ab extrinſeco calore? 342

SECTIO III.

De Febre humorali. 342

RESOL. I. VTrum detur febris Humoralis? 343
II. Vtrùm ratione putredinis valeat humoralis fieri febris? 344
III. Vtrùm ab vno humore valeat febris humoralis oriri. 345
IV. Vtrum calor febrilis ſit in humoribus independens à cauſa extrinſeca? ibid.
V. Quotuplex ſit febris Humoralis? 346
VI. Vtrum ex quolibet putrefacto humore fiat febris? 347
VII. Vtrum omnis febris putrida continua fiat ex humoribus in vaſis maioribus putrefactis. 348
VIII. De ſignis putridæ humoralis febris. ibid.

SECTIO

SECTIO IV.

De Febre humorali intermittente. 348

RESOL. I. VTrùm febris Intermittēs perueniat ad omnimodam infebricitationem? 349

II. Vtrùm intermiſſio febris ſit morbi tempus? ibid.

III. Quinam ſit focus putredinis in febribus intermittentibus. 350

IV. Vtrùm rigor ſit inſeparabilis à febre intermittente. 351

V. In quo conſiſtat natura rigoris? 353

VI. Vtrùm rigor ſit motus expultricis facultatis naturalis? ibid.

VII. Vtrùm à debili facultate intenſior fiat rigor? 354

VIII. Quænam ſit rigoris cauſa? 355

IX. Quænam ſit cauſa reditus febrium per circoitus? 356

X. A quo proueniat circuituum determinanata repetitio? 357

SECTIO V.

De vſitatis februm humoralium remediis. ibid.

RESOL. I. VTrùm pro febribus curandis, victus ratio, Pharmacia, & Chirurgia ſint ex vſu? ibid.

II. Vtrùm aërem immutare liceat febrientibus? 359

III. Vtrum localis motus ſit exercitium vtile febre putrida laborantibus? 359

IV. Vtrum ſanguinis miſſio ſit vtile remedium pro febribus humoralibus. ibid.

V. Vtrùm in omni febre potrida conueniat ſanguinis miſſio? 361

VI. Vtrùm porgatio ſit vtilis pro febrium curatione? 363

VII. Vtrùm clyſterium vſus ſit vtilis pro febrium curatione? 364

VIII. Vtrùm cucurbitulæ, ſcatificationes, ſanguiſugæ, veſicatoria ſint vtilia pro febrium curatione? 366

IX. Vtrùm vinum competat febricitantibus? ibid.

X. Vtrùm iuſcula carnis, ſola, aut alterata, carnes ipſæ, aut piſces, ſint cibus vtilis pro febribus? 368

XI. Vtrum aquæ inſtillatitiæ à ſolis carbus, aut ſimul cum herbis refrigerantibus factæ, ſint vtiles febrientibus? 369

XII. Vtrùm profundus ſomnus ſit vtilis febrientibus? ibid.

DISPVTATIO V.

De humoralium Febrium curatione in particulari. 370

SECTIO I.

De febre Synocho. *ibid.*

RESOL. I. DE diagnoſi, prognoſi, & curatione Synochi imputris. ib.

II. Vtrum in Synocho imputri pulſus ſit æqualis? 371

III. Vtrùm Synochi pulſus ſit vehemens? 372

IV. Vtrùm Synochi imputris pulſus ſit velocior quàm in Cauſonide? ibid.

V. Vtrùm Synochus imputris percurrat quatuor tempora? ibid.

VI. Vtrùm potus aquæ frigidæ ad ſatietatem poſſit exhiberi ante coctionem. ibid.

VII. Vtrùm balneum aquæ dulcis pro humoralibus, putridiſve febribus ſit vtile? 373

VIII. Vtrùm in Synocho conueniat ſanguinis miſſio vſque ad animi deliquium? 374

SECTIO II.

De Febre Synocho putrida. 375

RESOL. I. DE febris Synochi putridæ curatione. ibid.

II. Vtrum ſanguis putreſcere poſſit? 376

III. Vtrùm ſanguis poſſit manens ſub propria forma potridam cauſare Synochum. 377

IV. Vtrum fieri poſſit febris intermittens ex ſanguine putreſcente? 378

V. Vtrùm febris continens fiat à ſolo ſanguine? 379

SECTIO III.

De febre ardente, continuaque Tertiana. 379

RESOL. I. DE febris ardentis, & continuæ tertianæ curatione. 380

II. Vtrùm febris ardens exquiſita ſit duplex? 381

III. Vtrùm Cauſus poſſit fieri ex bile ratione putredinis? 382

IV. Vtrùm bilis putrefacta in qubuſlibet

venis cauſet febrem ardentem? ibid.
V. Vtrùm ingens calor, & inextinguibilis ſitis, ſint ſigna, per quæ diſtinguuntur Cauſus, & Tertiana continua? 383
VI. Vtrùm bilioſa febris continua per fluxum ſanguinis narium poſſit terminari? 384
VII. Vtrùm ex venis brachij aliqua peculiariter eligenda pro phlebotomia in his febribus? ibid.
VIII. Vtrùm Oua ſint vtilis victus pro febribus bilioſis? 385

SECTIO. IV.

De Tertiana exquiſita 386

Resol. I. Tertianæ exquiſitæ quidditas? cauſæ, ſigna, prognoſis, & curatio. ibid.
II. Vtrùm ſola Tertiana exquiſita oriatur à ſincera bile? 388
III. Vtrùm ſiccitas ſit de eſſentia Tertianæ exquiſitæ. ibid.
IV. Vtrùm exquiſita Tertiana generari petat à ſincera bile. ibid.
V. Vtrùm Tertiana exquiſita ſit morbus acutus? 389
VI. Vtrùm Tertiana exquiſita ſit morbus periculoſus? ibid.

SECTIO V.

De Tertiana Notha. 390

Resol. I. De diagnoſi & curatione Tertianæ notæ. ibid.
II. Vtrum bilis vitellina ex qua fit Tertiana notha, poſſit fieri ſola alteratione? 391
III. Vtrum poſſit fieri Tertiana notha ex bile vitellina facta ex bile & pituita? 392
IV. Vtrùm Tertiana notha fieri poſſit ex bile & melancholia commixtis? 393
V. Vtrum ex permixtione pituitæ, aut melancholiæ cum bile fiat mixtum ſubſtantiale aliud ab illis? ibid.
VI. Vtrum Tertiana notha fieret ex bile cum melancholia, aut pituita æqualiter permixtis? 394
VII. Vtrum Tertiana notha ſit longior Quotidiana? ibid.
VIII. Vtrùm victus debeat eſſe craſſior pro Tertiana notha, quàm pro exquiſita? 395.

SECTIO VI.

De quotidiana. *ibid.*

Resol. I. Quid ſit febris Quotidiana, quotuplex, illius cauſæ, ſigna, & curatio proponuntur. 396
II. Vtrùm detur Febris Amphimerina? 397
III. Vtrùm detur Quotidiana intermittens? ibid.
IV. Vtrùm Quotidiana poſſit oriri à pituita naturali? 498
V. Vtrùm Quotidiana incipiat cum rigore? ibid.
VI. Vtrum Quotidiana nocturna ſit periculoſior quàm diurna? 399
VII. Vtrùm Febris Latica differat à continua Quotidiana. ibid.

SECTIO VII.

De Quartana. 400

Resol. I. De diagnoſi, prognoſi, & Curatione Quartanæ. ibid.
II. Vtrum Dogmaticorum ſchola cognoſcere, & curare valeat Quartanam? 402
III. Vtrùm ex omni melancholia, ſi putreſcat, fiat Quartana. 403
IV. Vtrum hæc febris pluries eidem poſſit accidere? 404
V. Vtrùm vomitus ſit vtilis in Quartanæ curatione? ibid.
IV. Vtrum victus humidus competat laborantibus Quartanâ? 405
VII. Vtrùm vinum album competat pro potu in Quartana? ibid.
VIII. Vtrùm purgatio lenitiua ſit exercenda in Quartana? ibid.
IX. Vtrùm ſelectiua purgatio ſit vtilis in Quartana ante ſigna coctionis? 406
X. Vtrùm paulò ante acceſſionem debeat exhiberi pharmacum ſolutiuum in Qartana? 407

EX QVARTA PARTE.

DISPVTATIO I.

De Sanguinis miſſione. 409

SECTIO I.

De morbo & eius magnitudine. 410

Resol. I. Quid ſit morbus in omni Medicorum ſecta? ibid.
II. Quotuplex ſit morbus cui accidit magnitudo. ibid.
III. Quid ſit morbus magnus? 411
IV. Vtrum *Vehementia* ſit de eſſentia morbi Magni? ibid.
V. Vtrum triplex ſit morbus magnus. ibid.

SECTIO II.

De cauſa materiali ex qua pendere plures morbos magnos contingit. 412

Resol. I. Vtrum Sal, Sulphur, & Mercurius ſint cauſa materialis cuiuſvis morbi magni? ibid.
II. Vtrum cruor poſſit eſſe cauſa alicuius morbi magni? 414
III. Vtrum præter Cruorem dentur in corpore alij humores, qui poſſint eſſe morborum cauſæ? 414
IV. Vtrum Pituita poſſit eſſe cauſa morbi magni? 415
V. Vtrùm Melancholia ſit morbi magni cauſa? ibid.
VI. Vtrùm bilis ſit morbi alicuius magni cauſa? 416

SECTIO III.

De vitiis ſanguini ſuperuenientibus. 417

Resol. I. Vtrum ſanguis ratione motus localis vitium adquirat? 417
II. Vtrùm ſanguis poſſit adquirere vitium in Quali, quod non ſit cacochymia? ibid.
III. Vtrùm Plethora ſit poſſibilis? 419
IV. Quid ſit Plenitudo? ibid.
V. Quotuplex ſit Plenitudo? ibid.
VI. Vtrùm plenitudo ad vires fiat comparatiuè ad vnam determinatam facultatem? 420
VII. Vtrùm plenitudo ſit vitium pertinens ad res præternaturales? 421
VIII. Vtrùm plenitudo quoad vaſa poſſit dari ſine plenitudine quoad vires? ib.
IX. Vtrùm plenitudo quoad vaſa valeat propriis ſignis cognoſci? 422
X. Vtrùm dentur propria ſigna plenitudinis quoad vires? ibid.
XI. Vtrùm ſint aliqua ſigna plenitudinum ſecundùm quid? 423

SECTIO IV.

De ſanguinis miſſione. 423

Resol. I. Vtrùm ſanguinis miſſio ſit vtile remedium in Medecina? ibid.
II. Quid ſit ſanguinis miſſio? 425
III. A quo moueatur ſanguis ſecta vena? ibid.
IV. Quotuplex eſt ſanguinis miſſio. 426
V. Vtrùm in Reuulſione per ſe conueniat quòd fiat auerſio ad partem diſtantiorem? 427
VI. Vtrùm Reuulſio ſemper debeat fieri per vias communes? 428
VII. Quæ rectitudo requiritur in Reuulſione? ibid.

SECTIO V.

De indicantibus Sanguinis miſſionem, & de permittentibus. 429

Resol. I. A Quo deſumatur indicatio mittendi ſanguinem? ibid.
II. Vtrùm vitium ſanguinis ſoli accidat cruori? 432
III. Vtrùm à magnitudine aliqua indicatio ſumatur pro ſanguine mittendo. 433
IV. Vtrum virium robur præſtet aliquam indicationem? ibid.
V. Vtrùm ætas florens indicet per ſe ſanguinis miſſionem? 435
VI. Vtrùm pueritiæ ætas contraindicet omninò ſanguinis miſſionem? ibid.
VII. Vtrum Senectus contraindicet ſanguinis miſſionem? 437

VIII. Vtrùm

VIII. Vtrùm humorum cacochymia valeat indicare ſanguinis miſſionem? 438
IX. Vtrum materia turgens poſſit indicare ſanguinis miſſionem? 439
X. Vtrùm temperamentum indicet ſanguinis miſſionem? 440
XI. Vtrùm accidentia coindicent ſanguinis miſſionem? 441
XII. Vtrùm corporis habitus coindicet ſanguinis miſſionem? 442
XIII. Vtrùm anni tempora valeant coindicare ſanguinis miſſionem? 443
XIV. Vtrùm conſuetudo coindicet ſanguinis miſſionem? 444

SECTIO VI.

De contraindicantibus & impedientibus ſanguinis miſſionem. 444

RESOL. I. VTrum cruditas in prima regione valeat impedire ſanguinis miſſionem? 445
II. Vtrùm crudi humores ſecundæ regionis impediant ſanguinis miſſionẽ? 446
III. Vtrùm cruditas humorum in tertia regione impediat ſanguinis miſſionem? 447.
IV. Vtrùm aëris conſtitutio impediat ſanguinis miſſionem, aut coindicet illam? ibid.
V. Vtrùm animi pathemata impediant ſanguinis miſſionem? 448
VI. Vtrum dolor valeat impedire ſanguinis miſſionem? 449
VII. Vtrum vigilia & ſomnus impediant ſanguinis miſſionem? 450
VIII. Vtrum venereus vſus impediat ſanguinis miſſionem? ibid.
IX. Vtrum ſanguinis miſſio poſſit impediri menſtruo ſanguine ſuperueniente? 451
X. Vtrùm refrigeratio impediat ſanguinis miſſionem. ibid.
XI. Vtrùm fœtus in vtero impediat ſanguinis miſſionem? 453
XII. Vtrùm venæ ſectio poſſit in prægnante fieri ex baſilica? ibid.
XIII. Vtrùm ex pede poſſit in prægnantibus ſanguis mitti? 454
XIV. Vtrùm in prægnantibus ob vitandũ aborſum liceat ſanguinem mittere? 456

SECTIO VII.

De Sanguinis miſſione in febribus. 457

RESOL. I. VTrùm in omni febre diaria liceat ſanguinem mittere? ibid.
II. Vtrùm à febre hectica indicetur per ſe ſanguinis miſſio? ibid.
III. Vtrùm pro febribus putridis curandis ſit vtilis ſanguinis miſſio? 458
IV. Vtrum in quavis febre putrida ſit ſaluberrimum ſanguinem mittere? 459
V. Vtrum ſanguinis miſſio tantum debeat exerceri euacuationis cauſâ in febribus? 461
VI. Vtrum ſanguinis miſſio petat fieri tanquam remedium refrigeratorium in febribus? 463
VII. Vtrùm ſanguinis miſſio poſſit exerceri in principio vniuerſali febris putridæ? ibid.
VIII. Vtrùm in Augmẽto ſanguinis miſſio ſit exercenda in febribus putridis? 464
IX. Vtrum in Statu liceat ſanguinem mittere in febribus putridis? 465
X. Vtrùm in declinatione febris putridæ ſit aliquando vtilis ſanguinis miſſio? 566
XI. Vtrùm in declinatione, ſaltem refrigerationis cauſâ, ſit mittendus ſanguis, dum febris pendet ab humore cacochymo? 467
XII. Vtrum in quovis particulari tempore febris, ſit exercenda ſanguinis miſſio? 468.
XIII. Vtrum in Tertiana exquiſita conueniat ſanguinis miſſio? 469
XIV. Vtrum in Tertiana exquiſita in principio vniuerſali conueniat ſanguinis miſſio. 470.
XV. Vtrùm ante tres periodos in perniciosa Tertiana ſanguis ſit mittendus? ibid.
XVI. Vtrùm ſanguinis miſſio in Quotidiana ſit vtilis? 471
XVII. Vtrùm in Quartana ſit mittendus ſanguis? ibid.
XVIII. Vtrùm ex qualibet vena ſit ſanguis mittendus in Quartana? 472
XIX. Vtrùm in febre puncticulari ſit mittendus ſanguis? 473
XX. Vtrùm ſanguinis miſſio debeat in febre maligna fieri, puncticulis apparentibus? 474
XXI. Vtrùm in febre peſtilente debeat exerceri ſanguinis miſſio? 476
XXII. Vtrùm ex talo ſemper ſit ſanguis mittendus in febribus peſtilentibus & malignis? 477

DISPVTATIO Vnic.

De purgandi ratione. 481

SECTIO

SECTIO I.

De Cacochymia ſuccorum à ſanguinis conſortio ſupernatantium. 481

RESOL. I. QVid ſit cacochymia? ibid.
II. Vtrùm plethora,& cacochymia poſſint ſimul reperiri? 484
III. Vtrùm dum coincidunt plethora, & cacochymia; huius, quàm illius indicatio ſit præſtantior. ibid.
VI. Vtrùm aliqua ſuccorum cacochymia poſſit reperiri in prima regione? 485
V. Vtrùm quadruplex cacochymiæ differentia poſſit in ſecunda regione reperiri? ibid.
VI. Vtrùm in tertia regione eædem,ac in ſecunda ſint differentiæ cacochymiæ? 487
VII. Qualis ſit deterior cacochymiæ ratio in ſuccis cacochymis ſecundæ, & tertiæ regionis? 487
VIII. Quotuplex ſit cacochymiæ cauſa. ibid.

SECTIO II.

De turgentium humorum cacochymia. ibid.

RESOL. I. QVid ſit turgentia? ibid.
II. Vtrùm in humoribus aliqua ſit turgentiæ ratio? 488
III. Per quid dicantur humores turgere? ibidem.
IV. Vtrùm pituita, & melancholia valeant turgere. 489
V. Vtrùm ſanguis poſſit turgentiam acquirere. 490
VI. Vtrùm atra bilis turgeat. ibid.
VII. Vtrùm turgens humor ſtatim ſit purgandus. ibid.

SECTIO III.

De purgatione.

RESOL. I. VTrùm purgatio ſit auxilium pro morborum curatione admittendum? ibid.
II. Vtrùm ſi non eſſent humores, eſſet vtilis purgatio? 492
III. Vtrùm purgatio ſit euacuatio humorum qualitate peccantium? 493
IV. Quotuplex ſit purgatio? 494
V. Vtrùm lenitiua purgatio poſſit fieri ſine præcedente coctione. 495
VI. Vtrùm ſcroſa ſubſtantia, nulla præcedente coctione, petat pharmaco euacuari? ibid.
VII. Vtrùm ſelectiua purgatio debeatur, non expectata coctione, in principiis morborum pendentium ex humorum cacochymia nuda, ex qua febris non dependet? 496
VIII. Vtrùm in febribus putridis in aliquo morbi tempore ſit vtilis ſelectiua purgatio? ibid.
IX. Vtrum materia morbifica febris ſit radicatinè purganda, quæ nec turget, nec vrget, nulla expectata coctione? 497
X. Vtrum morbifica febrilis materia ſaltem de cura coacta poſſit, cruda exiſtente materia, minoratiua purgatione euacuari? 498
XI. Vtrùm in febre maligna,aut peſtilente, materia morbifica euacuanda ſit, non expectata coctione? 500
XII. Vtrum propter indicationem deſumpiam ab aliqua parte, dedeat purgatio exerceri in princio morbi? 501
XIII. Vtrum purgatio ab humorum cacochymia indicata ſtatim ſemper ſit exercenda? 502
XIV. Vtrùm pro indicata purgatione poſſit ſanguinis miſſio ſubrogari? ibid.
XV. Vtrum præcautoria purgatio ſit celebranda in Vere. 503
XVI. Vtrum tempore intermiſſionis, in quo timetur recidiua, debeat exequi purgatio? 504

SECTIO IV.

De purgationis tempore in morbis particularibus. 505

RESOL. I. VTrùm in phrenitidis principio ſit vtilis ſelectiua purgatio. ibi.
II. Vtrum in principio lethargi ſit celebranda purgatio? 506
III. Vtrum in morbo ſuffocante celebrari poſſit in principio ſelectiua purgatio? 507
IV. Vtrum in principio pleuritidis ſit vtilis purgatio? 508
V. Vtrum purgatio in prægnantibus celebranda? 510
VI. Vtrùm in pueris purgare liceat? ibid.
VII. Vtrum pro diarrhœa, febri ſuperueniente,ſit vtilis purgatio? 511
VIII. Vtrum purgatio debeat exerceri in dyſenteria? 513
IX. Vtrum in dyſenteria ſanguinis miſſio ante purgationem debeat præire? 515

SECTIO

SECTIO V.

De purgante facultate in catharticis reperta. 516

RESOL. I. VTrùm catharticorum cognitio ſit Medico neceſſaria, aut vtilis? ibid.
II. Quid, & quotuplex ſit purgans medicamentum? 517
III. Vtrùm medicamentum hæmagogum ſit admittendum? ibid.
IV. Vtrum primæ regionis ſolutiua pharmaca ſint tantum tria, comprimentia, lubricantia, & lenientia? 518
V. Vtrùm lubricantia, & lenientia ſint pharmaca ſelectiua vi operantia? ibid.
VI. Vtrùm ſelectiua cathartica humores generandi vim habeant? ibid.
VII. Vtrùm ſelectiua cathartica ſola irritandi facultate exequantur purgationem? 519
VIII. Vtrùm manifeſtis primis, aut ſecundis qualitatibus operentur cathartica? 520
IX. Vtrum ratio trahendi in catharticis ſit ſimilitudo? 521
X. Vtrum cathartica, media facultate attractrice, habeant vim purgandi humores? 522
XI. Quid ſit facultas dicta à tota ſubſtantia, abdita, cœleſtis formæ, ſeu occulta? 523
XII. Vtrum cathartica, vt attrahant humores, deferantur ad venas? 525
XIII. Vtrum putridi humores valeant attrahi vi ſolutiui pharmaci? ibid.

SECTIO VI.

De coindicantibus, aut contraindicantibus pharmaci exhibitionem. 526

RESOL. I. VTrùm maius virium robur pro pharmaci exhibitione requiratur, quàm pro miſſione ſanguinis? ibid.
II. Vtrum viribus præſtantibus, valida pharmaca ſint ex vſu? 527
III. Vtrum coctione humores fiant obiectum medicamenti purgantis? ibid.
IV. Vtrum putredine fiant humores cacochymi, vt pharmaco ſolutiuo attrahi poſſint? 528
V. Vtrum anni tempora, aut Aſtrorum mutationes valeant coindicare pharmaci ſolutiui exhibitionem? 531

Ex Tractatu de Sudore.

DISPVTATIO Vnic.

De Humani corporis Sudore. 533

SECTIO I.

De Sudore naturali. 533

RESOL. I. VTrum detur Sudor naturalis? ibid.
II. Quid ſit Sudor? 534
III. Vtrùm Sudor omni accidat corpori mixto? 535
IV. Vtrùm vnica actione fiat naturalis Sudor? 536
V. Quæ ſit materia ex qua Sudor generatur? 537
VI. Vtrùm calor ſit cauſa efficiens euaporationis requiſitæ pro ſudore naturali? 538
VII. Vtrum forma vaporis prærequiſita pro ſudore differat à materia aquea ex qua eleuatur? 539
VIII. Vtrum ex euaporatione prærequiſita pro ſudore naturali ſubſequatur vtilitas Viuenti? 540
IX. A quo feratur vapor pro ſudore à ſecunda, aut prima, ad tertiam; Regionem? ibid.
X. Vtrùm vaporis denſatio fiat à frigiditate? 542
XI. Vtrùm denſitas localis inducatur in vapore à cauſis loco-motiuis inſitis? 543
XII. Vtrùm ſudor vltimò feratur extra corpus à propriis loco-motiuis qualitatibus? 544
XIII. Vtrum ſit proprium naturali ſudori, quòd ſit guttatim? ibid.
XIV. Vtrùm ſit proprium ſudori guttatim exeunti quod guttæ ſint rotundæ? 545

SECTIO II.

De Sudore critico ſalutari. 545

RESOL. I. VTrum criticus ſalutaris ſudor ſit naturalis? ibid.
II. Vtrùm ſanguineus ſudor poſſibilis ſit naturaliter? 546
III. Vtrum ſanguineus ſudor ad criticum ſudorem debeat reduci? ibid.
IV. Vtrum ſudor ſanguineus Domini noſtri Saluatoris

Saluatoris fuerit ſupernaturalis? 547
V. Vtrùm aliqua ſigna demonſtrent futurum criticum ſudorem? 548
VI. Vtrùm ſint aliqua ſigna, quæ ſalubrem à ſymptomatico diſtinguant ſudorem? 549
VII. Vtrùm ſit proprium critico ſalutari ſudori, vt fiat in die decretorio? ibid.
VIII. Vtrùm pro ſalutari critico ſudore debeant præcedere ſigna coctionis? 550
IX. Vtrùm ſudor vt ſalutaris criticus, debeat eſſe multus? 551

SECTIO III.

De ſudore ſymptomatico. 552

Resol. I. QVid, & quotuplex ſit ſudor ſymptomaticus? ibid.
II. De ſudore ſymptomatico à ſubſtantiæ modo dicto. ibid.
III. Vtrùm ſudor multus fiat ob ſolam cutis raritatem? 553
IV. Vtrùm ſudor paucus à contrariis fiat cauſis, ac ſit multus? 554
V. Vtrùm calidi, frigidique ſudores fiant ab eadem cauſa? ibid.
VI. Vtrùm colores in ſudoribus fiant ratione alterationis? 555
VII. Vtrùm ſudores in principio morbi ſuperuenientes ſint ſymptomatici, & lethales? ibid.
VIII. Vtrùm ſudor ante paroxyſmos, ſit ſymptomaticus? 556

Ex Appendice ad Diſputationem de ſanguinis miſsione.

De loco mittendi ſanguinem in febribus putridis, & morbis fluxione ortis in ſuprema corporis parte. 557.

SECTIO I.

De differentiis ſanguinis miſsionis deſumptis à loco. 557

Resol. I. VTrùm adæquata ſit diuiſio ſanguinis miſſionis in Euacuatoriam, Deriuatoriam, & Reuulſoriam; & an deſumatur à loco? ibid.
II. A quo indicetur ſanguinis miſſio euacuatoria? 558
III. A quo indicetur ſanguinis miſſio Deriuatoria? 559
IV. Vtrum per ſe competat Deriuationi quòd fiat à parte proximiori? ibid.
V. Quid & quotuplex ſit Reuulſio? 560
VI. A quo indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria ſimpliciter talis? 561
VII. Vtrùm ſanguinis miſſio reuulſoria ex ſe petat fieri à parte diſtantiori? 562
VIII. Vtrum ſanguinis miſſioni reuulſoriæ per ſe competat quod ſit auerſio ad originem? 563
IX. Vtrùm Reuulſio petat fieri ſecundùm rectitudinem. 564
X. Vtrùm per ſolas venas petat fieri reuulſio? 565

SECTIO II.

De venarum origine. 566

Resol. I. VTrùm omnes noſtri corporis venæ oriantur à corde? ibid.
II. Vtrùm venæ lacteæ oriantur à iecore? 568
III. Vtrùm aliquarum venarum lien poſſit dici origo? 569
IV. Vtrùm venæ hæmorrhoïdales propagentur à vena caua? 570
V. Qualis ſit corporis diuiſio prout petit phlebotomari? 571
VI. Quæ ſint venæ aptæ in quauis regione phlebotomari? ibid.
VII. Vtrùm in venis inferioris Regionis eadem ſit ratio vniuſcuiuſque aperiendæ. 572

SECTIO III.

De loco mittendi ſanguinem in febribus. 572

Resol. I. VTrùm ſanguinem mittere in omni febre putrida ſit ſaluberrimum? 573
II. Vtrùm in febribus putridis ſanguinem mittere ex pede, ſit conſonum Galeni doctrinæ, ſaltem in principio? 574
III. Vtrùm in omni febre putrida indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria à vitio ſanguinis in motu? 575
IV. Vtrùm in febribus, in quibus aliquod eſt vitium humorum in motu, indicetur ratione illius, ſanguinis miſſio revulſoria? 576
V. Vtrùm in febribus putridis ſuperueniente affectu, à quo indicetur ſanguinis miſſio revulſoria, hæc ſemper debeat fieri ex pede? 578

VI. Vtrùm ſemper pro peſtilente febre ſanguis ex pede mittendus reuulſionis cauſâ? 579
VII. Vtrùm præter humorum motum ſit aliqua ratio, vt in febribus fiat ſanguinis miſſio ex pede. 582
VIII. Vtrùm ſanguinis miſſio indicetur in putridis febribus vt remedium refrigeratorium. 584

SECTIO IV.

De loco venæ ſectionis in morbis fluxione ortis in ſupernis corporis regionibus. 584

RESOL. I. A Quo loco petat fieri ſanguinis miſſio reuulſoria iuxta Galeni doctrinam, humoribus fluentibus ad ſupernas corporis regiones? ib.
II. Quid rationi conſonum ſtatuendum pro loco exercendi ſanguinis miſſionem curatoriam reuulſoriam? 587
III. Vtrùm ſit fas in prægnantibus mittere ſanguinem ex talo pro affectibus partium ſuperiorum? 589
IV. Vtrùm in omni gonorrhœa gallica, galliciſve bubonibus ſemper ſanguis mittendus ex pede? 591
V. Vtrum ex pede mittendus ſanguis in affectibus fluxione ortis in ſuperioribus regionibus, ſi complicentur cum dictis, vel aliis, in quibus à pede mittendus ſanguis. 592
VI. Vtrùm menſtruis complicatis, ſanguinis miſſio ex pede ſemper ſit exercenda? 593

EX QVINTA PARTE.

DISPVTATIO I.

De Arte Sphygmica.

SECTIO I.

De vſu cordis, venarum & arteriarum; & de ſanguinis circulatione. 595

RESOL. I. VTrum ſanguinis circulatio ſit neceſſariò admittenda. 595
II. Vtrum venæ meſeraïcæ deſeruiant pro chylo in iecur deferendo. 597
III. Vtrùm omnis chylus feratur in iecur. 598
IV. Vtrùm ſanguis genitus in liene feratur in iecur? 600
V. Vtrùm ſanguis à iecore refluat ad cor? ibid.
VI. Vtrùm ſanguinis motus per venas fiat à maioribus in minores venas; vel è contrà. 601
VII. Vtrùm ſanguis in corde à dextro in ſiniſtrum ſinum feratur per cordis ſeptum? 602
VIII. Ob quem vſum ſanguis recipitur in corde. 603
IX. Vtrùm à corde in arterias totus ſanguis per dextrum cordis ſinum protrudatur ſimul cum ſpiritibus 604
X. Per quas vias ſanguis ex nutritione redundans refluat in venas ab arteriis? 605
XI. A qua cauſa per venas & arterias ſanguis moueatur? ibid.
XII. A quo moueantur ſpiritus vitales per arterias? 608

SECTIO II.

De Sphygmicæ artis Phyſiologia. 609

RESOL. I. VTrum ſit Medico neceſſaria ars ſphygmica. ibid.
II. Vtrum pulſus definitio à Galeno tradita ſit admittenda. ibid.
III. Vtrum Pulſus fiat ab aliqua facultate cordi, aut arteriis inhærente? 610
IV. Vtrùm facultas pulſifica ab extrinſeca facultate ſit peculiariter vitalis? 612
V. Vtrùm facultas pulſifica ſit intrinſecè vitalis. 613
VI. Vtrùm pulſus fiat à generante. 615
VII. Vtrum facultas pulſifica ſit vitalis intrinſecè ſub gradu ſenſitiuo. 616

VIII. Vtrum

VIII. Vtrùm facultas pulſifica operetur ex indigentia ? 619
IX. Vtrùm facultas pulſifica inhærens arteriis per influxum communicetur à corde in illas ? ibid.
X. Vtrum ſola facultas pulſifica perficiat pulſum, & illius quietes? 620
XI. Vtrùm quietes ſint partes eſſentiales pulſus ? ibid.
XII. An cor & arteriæ ſimul eodem tempore comprimantur & dilatentur ? 621

SECTIO III.

De phyſiologiæ Artis ſphygmicæ ſecunda parte. 622

Resol. I. Qvotuplex ſit pulſus ſecundùm geneticas ſuperiores differentias. ibid.
II. Quæ ſint primæ quinque ſimplices differentiæ ? 623
III. Quæ & quot ſint pulſuum compoſitæ differentiæ ? 624
IV. Qui pulſus Rhytmi dicantur ? ibid.
V. Qui & quot ſint pulſus æquales & inæquales ? ibid.
VI. Qui ſint ordinati, & inordinati pulſus ? 525
VII. Vtrùm ſub octo genericis differentiis adductis ſint omnes pulſuum omnium differentiæ ? ibid.
VIII. Vtrùm vehemens pulſus poſſit eſſe præternaturalis ? 626
IX. Vtrùm vehemens pulſus Dicrotus à Galeno rectè comparetur ictibus mallei in incudem ? 627
X. Vtrùm pulſus poſſit peruenire ad tantam crebritatem vt careat altera quiete. ibid.

SECTIO IV.

De Parte artis Sphygmicæ Diagnoſtica. 627

Resol. I. Qvæ ſint pro pulſus dignotione requiſita ? ibid.
II. Quæ obſeruari debent pro vnaquaque pulſus differentia peculiari. 628
III. Qualiter pulſus magni differentiæ ſint cognoſcendæ ? ibid.
IV. Qualiter petit cognoſci pulſus celeritas & tarditas ? ibid.
V. Qualiter creber aut rarus pulſus cognoſcatur. 629
VI. Qualiter pulſus languidus & vehemens cognoſcantur ? ibid.
VII. Qualiter pulſus durus aut mollis cognoſcantur ? ibid.
VII. Qualiter pulſus Rhytmi cognoſcantur ? ibid.
IX. Qualiter ſit cognoſcibilis pulſus inæqualitas ? ibid.

SECTIO V.

De Artis Sphygmicæ parte Æthiologica 629

Resol. I. Qvæ ſit cauſa efficiens pulſus. ibidem.
II. Quæ ſint cauſæ à quibus fit pulſus ? 630
III. Vtrùm pulſus poſſit variari ſine immutatione cauſarum continentium? ibid.
IV. Vtrum in paſſionibus animæ pro formali, aliqua ex cauſis continentibus mutetur ? 631
V. Quæ pulſuum differentiæ ponantur ab vſu adaucto. 633
VI. Quæ fiant differentiæ propter vſum diminutum in pulſu. 634
VII. Quæ differentiæ pulſus ponantur ex connexione facultatis & vſus ? ibid.
VIII. Quæ ponantur differentiæ ex vſu & inſtrumenti connexione ? ibid.
IX. Quæ ſint cauſæ relatiuorum pulſuum. ibidem.
X. Vtrùm pulſus inæqualitas poſſit prouenire abſque vitio inſtrumenti ? 635
XI. Quæ ſint cauſæ inæqualitatis ſingularis in pulſu. ibid.
XII. De cauſis peculiaris inæqualitatis aliarum differentiarum ? 636
XIII. Quos pulſus naturales & non naturales res efficere poſſunt. ibid.
XIV. Qui fiant pulſus ab aliquibus affectibus præter naturam ? 537

SECTIO VI.

De prognoſtica Artis Sphygmicæ parte 638

Resol. I. Qvid prædicendum ex pulſu magno & paruo ? ibid.
II. Quid præſagiendum ex celeri pulſu & tarddo ? 639
III. Quid præſagiendum ex crebritate & raritate? ibid.

IV. Quid præſagiendum ex pulſus vehemente & languido? ibid.
V. Quid prænuncient pulſus mollis & durus? ibid.
VI. Quid prædicendum ex rhytmis. ibid.
VII. Quid prænuntient inæquales pulſus. 640
VIII. Quid prænuncient pulſus complicatæ inæqualitatis, qui proprio gaudent nomine? ibid.
IX. Vtrum amoris ſit determinatus pulſus ex determinata proueniens cauſa? 641

DISPVTATIO vnic.

De morborum Ricidiua.

SECTIO vnica.

De conducentibus ad Recidiua integram cognitionem. 642

Resol. I. Vtrum apud Medicos Recidiua ſolius morbi reditum ſignificet? ibid
II. Quid ſit Recidiua morbi. ib[illegible]
III. Quotuplex ſit recidiua. [illegible]3
IV. Vtrùm Recidiua & primus m[illegible] inſultus ſint idem numero morb[illegible]. 644
V. Vtrùm Recidiua periculoſior ſit quàm primus morbi inſultus? 645
VI. Vtrùm materia poſt indicationem imperfectam derelicta, ſit vnica Recidiuæ cauſa. 647
VII. Vtrùm ſint manifeſta ſigna quæ prænuntient Recidiuam? 649
VIII. Vtrùm dum timetur Recidiua à Medico ſit aliquid agendum? 650

APOLOGETICON

Contra nouum quendam Bombilium Hiſpalenſem, pro Doctrina Doctoris Gaſpar. Brauo de Sobremonte; Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis magni Philippi IV. Archiatri, ſupremæ Inquiſitionis Medici, & olim Primarij in Valliſoletana Regia Academia. 651

DISPVTATIO PRIMA Apologetica.

De minoratiua purgatione. *ibid.*

Resol. I. An in maſſa ſanguinaria humores, dum intra venas perſiſtunt ſupernatantes, ſeparentur à ſanguinis commixtione. 652
II. Vtrum vitium cacochymiæ ſtet in humorum ſupernatantia. 654
III. Quid ſit minoratiua purgatio. 656
IV. Quo tempore ſelectiua purgatio conuenit ex Hippocrate & Galeno. 657
V. Vtrum occaſio, & neceſſitas exhibendi minoratiuam purgationem ſit à Me ſufficienter demonſtrata. 658
VI. Vtrùm Bombilius in ſuis impugnationibus ſuam conuincat ignorantiam, ſuoſque errores in praxi manifeſtet? 659

DISPVTATIO II. Apologetica.

De ſanguinis miſſione ex pede in principio cuiuſuis morbi. 661

Resol. I. Vtrùm Theorica Praxi ſit contraria. 662
II. Vtrum rationes à Me adductæ conuincant, nullas dari cogentes, ſanguinem mittere in principio cuiuſlibet febris, ex pede. ibid.

EX

EX SEXTA PARTE,

Continente varias Conſultationes Medicas.

CONSVLTATIO I.

Pro propugnanda potentia quorumdam caſtratorum, edita pro collegio Medicorum Valliſoletanæ Academiæ. 669

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§ I. Vaſita conſultationis, & conſulendi proponitur occaſio. 670
II. Proponuntur quædam à Medicis recepta fundamenta, ex quibus deciſio Medicorum pendet. ibid.
III. Hiſtorica enarratio pro primo quæſito. 671
IV. Hiſtorica enarratio pro tertio quæſito. ibid.
V. An ſic curati iudicandi ſint impotentes maleficiati? 672
VI. An ſic curati iudicandi ſint impotentes frigidi? ibid.
VII. Pro ſecundo quæſito ſatisfacimus. 673
VIII. Nec ſic curati, ex vi curationis contrahunt morboſam impotentiam. 674

CONSVLTATIO II.

Archiatrorum,

Qui indicarunt fontanellam pro Principe Hiſpaniarum non ſolùm proponi vtilem prò præcauendis morbis, quibus eſt obnoxius, quibus ſæpè infeſtatur, ſed neceſſariam pro eius vita conſeruatione. 675

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§ I. Hiſtorica enarratio ætatis, temperiei, & morborum, quibus infeſtatur. 676
II. Scribendi occaſio, & neceſſitas, fundamentum totius diſcurſus & aſſenſus ac diſſenſus Archiatrorum proponitur. ibid.
III. Ex coinquinamento in vtero contracto iudicata eſt fontanella pro præcauendo Principe ab epilepſia, quæ ex illo poteſt illi ſuperuenire. 677
IV. Hemicranea & epilepſia, quæ morbi ſunt Principi hæreditarij ex matre, indicant neceſſariam eſſe fontanellam in illo ad ſui præcautionem. ibid.
V. Quantumvis epilepſia non eſſet Principi hæreditaria, ſed à ventriculi cruditatibus oriretur, indigeret fontanella præcautionis gratia. 679
VI. Fontanellam tanquam præcautorium remedium ad præcauendos morbos, quos Princeps ſæpiſſimè patitur ex propriis intemperiebus neceſſariam eſſe conſtanter aſſerimus. 680
VII. Locus fontanellæ ob vrgentiorem indicationem reuellendi à iecore, quæ præualet reliquis, debet eſſe in dextro Principis crure, in parte interiori, per quatuor digitos infra genu. 681
VIII. Fontanellæ in Principe neceſſariæ non obſtant contrariè opinantium rationes? 682
IX. Totius diſcurſus concluſio & fundamenta ex dictis deducuntur? 686

CONSVLTATIO III.

De præcautione epileptici inſultus in puerperio Auguſtiſſima Regina noſtra. 686

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§ I. Ex euentibus neceſſitas præcautionis, & qualis fuerit, proponitur? ibid.
II. Proponuntur cauſæ Epileptici inſultus in puerperio Auguſtiſſimæ Reginæ noſtræ. ibid.
III. Curationis ratio ex indicatione à cauſa, &

& quæ antiepeliptica forent ex vſu. 688
IV. Nunquam in puerperis acuto morbo correptis adhuc in ſuperioribus partibus, ſanguis eſt mittendus ex brachio. ibid.

CONSVLTATIO IV.

De primo Epilepſia inſultu, qui vitam ſuſtalit sereniſsimi Infantis Ferdinandi Hiſpaniarum. 689

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Natiua infantis debilitas proponitur, & infelix euentus. 690
II. Qui affectus, variæ eius differentiæ, & Anthorum obſeruationes referuntur. ibidem.
III. Communis curandi via ex Dogmaticis, & Empericis proponitur. 691
IV. Quod dubia ſit ſpes ſalutis in Epilepſia, & epileptici quibus honoribus fiant inepti? ibid.

CONSVLTATIO V.

De ſanguine mittendo in grauida Auguſtiſſima Regina noſtra. 693

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Proponitur caſus, ratio adducitur conſultationis. 692
II. Quæ nos coëgerunt fundamenta determinare ſanguinem mittendum in Regina vtero gerente. 693
III. Non ſolùm ob matrem, ſed etiam ob fœtum debebat Regina phlebotomari. ibidem.
IV. Requieuimus ab opere, & quæ nos auerterunt ab illo. 694
V. Prægnantiæ tempore quando licet phlebotomare ex pede. ibid.

CONSVLTATIO VI.

De vlcere in tunica externa vteri. 696

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Proponitur euentus & cauſæ conſultationis. 696
II. Qui morbus, quæ fuerint cauſæ, quæ prima curatio? ibid.
III. Abſceſſus ſuperueniens quibus fuerit curatus? ibid.

CONSVLTATIO VII.

De vtilitate & perfectione partus sereniſſimi Caroli Ioſeph Hiſpaniarum Principis. 697

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Principis natalis proponitur dies, & conſultationis occaſio. 698
II. Præfinitum naſcendi homini tempus eſſe à natura conſignatum decernimus? ib.
III. Quod ex Hippocratis doctrinâ deducitur determinatum eſſe homini naſcendi tempus? 699
IV. Principis partum intra decimum menſem non eſſe ita naturalem ſicut ſi fuiſſet in menſe nono, videtur ſuaderi poſſe ex aliquibus. 700
V. Sereniſſimi Principis partus intra decimum menſem vitalis magis iudicatur, ipſeque præſtantior Heros. ibid.

CONSVLTATIO VIII.

De impotentia viri ex maleficio. 701

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Caſus proponitur & conſulendi occaſio. 702
II. Sterilitatis quæ ſint naturales cauſæ, proponitur. ibid.
III. Maleficiati ope dæmonum, corpora variis modis immutare valent, morbos cauſare, & impotentiam. ibid.
IV. Impotentiam ex maleficio poſſibilem admittimus, ex ipſa conſulentem infirmatum indicamus. 704
V. Impotentiæ ex maleficio curatio non facilis, variæ pro illa auferenda proponuntur curationes. 705

CONSVLTATIO IX.

Pro nutrice sereniſſimi Principis Caroli mutanda ob lochiorum paruam ſuperuenientem euacuationem. 706

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Caſus proponitur & redditur conſulendi ratio. 707

II. Nu

I I. Nutricum Heroum vſum approbat antiqua conſuetudo: Quibus dotibus vnaquæque debeat ornari proponitur. ibid.
III. Qui morbi aut euacuationes nutricem mutare cogant. ibid.
IV. Quo tempore lochia poſſunt perdurare in puerperis. 703
V. Hippocratis doctrina non opponitur Moyſis Decreto. 709
VI. Deducitur ex dictis nutricis Principis ſubſequutam purgationem non impedire progredi in lactatione. 711

CONSVLTATIO X.

De vteri geſtatione vltra duos annos cum variis accidentibus. 711

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I. PRoponuntur accidentia, geſtationis tempus, & conſulendi occaſio. 711
II. Vteri geſtationis variæ proponuntur ſortes. 712
III. An mola carnoſa fieri petat ex ſemine virili? ibid.
IV. Nullum eſt euidens ſignum manifeſtans naturalem geniturum in vtero. 714
V. Ex quibus ſignis coniectabamur excellentiſſimæ fœminæ geſtationem non eſſe prægnantibus naturalem. ibid.
VI. De monſtruoſis ex vtroque ſemine animalibus qualis fuerit hæſitatio. 715
VII. An geſtatio ex ſolo ſemine fœmineo perſtiterit in hac fœmina? ibid.
VIII. Inter geſtationes vteri quæ de ſemine non fiunt, recipitur vteri geſtatio huius fœminæ, & ſub qua illarum determinatur? 716

CONSVLTATIO XI.

De vulnere capitis cum crany læſione & ſuſpicione veneni. 717

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I. PRoponitur euentus & conſulendi ratio. 717
II. Vulnerum capitis eſſentiam, & differentias propono, & quali affectus fuerit æger? ibid.
III. In præſagiendo præcipuè apud iudices quanta debeat eſſe ſolertia? 718
IV. Vulneri propoſito qualis curatio ex communi chirurgicorum praxi debuit adaptari? 719
V. Magati & aliorum curatio per primam intentionem in fracturis capitis proponitur, & aliis vulneribus? 720
VI. Vnguenti armarij quanta ſit vis ad hæc vulnera curanda? 721. vel 725
VII. Qualis curatio vtilis foret ægroto pro vulnere vt venenoſo. 721. vel 726

CONSVLTATIO XII.

De triſtitia & morte superueniente commota melancholiâ. 722. vel 726

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I. PRoponitur euentus, & traditur conſulendi ratio? ibid.
II. Melancholici humoris traditur natura, malus eius mos detegitur? 723
III. Melancholia & triſtitiam inducere, & omnes conturbare rectricum virtutum actiones valet. 724
IV. Triſtitia an ſubſequatur ex quavis melancholia, & modus oſtenditur. ibid.
V. Commota melancholia fit mortis ſubitò irruentis cauſa. 726
VI. Viæ deſtinatæ à natura ad expurgandam melancholiam proponuntur, & hemorrhoïdalium venarum vſus. ibid.

CONSVLTATIO XIII.

De dyſuria iſchuriaque per plurimos dies permanente, & lapidoſo mictu terminata. 728

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I. PRoponitur euentus & profertur conſulendi occaſio. ibid.
II. Dyſuriæ proponuntur diuerſæ cauſæ, & qualis in ægra iudicabatur fuiſſe. ibid.
III. Iſchuriæ per plures dies permanentis cauſæ aperiuntur. 729
IV. Iſchuriæ permanentia quibus remediis fuerit deuicta? 730
V. Lapidum generatio in corpore in quibus fiat locis, & quo in loco in ægra genitos fuiſſe coniectabamur. ibid.
VI. Lapidum generatio in corpore à quibus proueniat cauſis, præcipuè in viis lotio deſtinatis? 731

CONSVLTATIO XIV.

De chocolate, eius vſu, & quam potus habeat rationem? 732

CONSVL

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Refertur occaſio conſultationis, & eius euentus. ibid.

II. Quid ſit chocolate proponitur, & ex quibus componitur hæc Indica confectio. ibid.

III. Quæ ſit temperies Indicæ confectionis chocolatis, & quæ ſint illi vires. 733

IV. Sub quo genere potus ſit, qui fit ex chocolate, & qualem habeat vim alimenti. ibid.

V. Qualiter potus chocolatis iudicetur non frangere ieiunium? 735

CONSVLTATIO XV.

De repentina morte Illuſtriſſimi Ducis de Vejar. 736

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I. Proponitur euentus, ex quo mortis repentinæ inueſtigantur cauſæ. ibid.

II. Hominis præſtantia morte præfinitur, quid hæc, quot illius ſortes. ibid.

III. Mortis repentinæ inueſtigantur cauſæ. 737

IV. Determinantur cauſæ quæ mortem repentinam valent cauſare, corrumpendo vitalem calorem. 738

V. Superadduntur cauſæ mortis repentinæ ob vitiatam conformationem. 739

VI. Proponitur cauſa quæ ſubitæ mortis Ducis indicabatur fuiſſe. ibid.

VII. Quod iudicium fuit factum de repentina morte Ducis; quibus ſignis fuit comprobata, & tandem tempore confirmata? 740

CONSVLTATIO XVI.

De ægro per decem & octo dies abſtinente à cibo. 740

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Hiſtorica enarratio ex qua conſultationis doctrina deducitur. 741

II. Examinantur occaſiones ob quas cœpit ægrotare. ibid.

III. Diu viuentium ſine alimento varia exempla proponuntur. 742

IV. Diurni ieiunij variæ Auctorum referuntur opiniones, & in noſtro ægro aſſignatur cauſa. ibid.

V. Proponuntur varia auxilia quæ pro fame excitanda fuerunt propoſita. 743

CONSVLTATIO XVII.

De ſcholaſtico patiente varios ac periodicos motus conuulſiuos, qui energumenus apparuit. 743

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Proponitur euentus & conſulendi occaſio. 744

II. Conuulſiui motus qui affectus, & quot eius differentiæ. ibid.

III. Conuulſiui motus qualiter fiant dæmone non concurrente. 745

IV. Dæmone concurrente quomodo fiant motus conuulſiui. 746

V. Quibus ſignis, quotve modis poteſt inueſtigari, an aliqui motus ſint dæmoniaci? 747

VI. Dæmon in energumenis, quos morbos inducat, quas immutat vegetatiuas, ac ſenſitiuas potentias. 747

VII. Dæmon in energumenis, qualiter valeat inmutare, ac deprauare actiones animæ rationalis? 748

VIII. Quid ſentiamus de facinore dæmoni tribuendo? 750

CONSVLTATIO XVIII.

De patiente ventris adſtrictionem. 750

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Proponitur æger cuius cauſâ fit conſultatio. ibid.

II. Excrementorum neceſſaria generatio in noſtris corporibus, & expulſionis vtilitas aperiuntur. ibid.

III. Naturalis excrementorum expulſio per ventrem quæ requirat. 751

IV. Quid ventris adſtrictio, variæ illius obſeruationes proponuntur. ibid.

V. A quibus cauſis prouenire poteſt ventris adſtrictio. ibid.

VI. Quid prædicendum de ventris adſtrictione & lubricitate. 752

VII. Quæ curatio vnicuique ventris adſtrictioni adaptanda. 754

DOCT.

DOCT. MED.

D. GASP. BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ,

Reſolutionum Medicarum

PARS PRIMA

CONTINENS PHYSIOLOGIAM.

DISPVTATIO PRIMA.

De præcognitis in vniuerſam Medicinam.

MEDICINA à Medendo dicta, omnes habitus comprehendit ordinatos in acquiſitionem ſanitatis: quales ſunt, & habitus ſcientificus ipſius medicinæ, & habitus artium illi deſeruientium, & habitus reliquarum ſectarum, quæ fuerunt in medicina: nos tamen in hac diſputatione de ſolo habitu medicinæ Dogmaticæ agemus; de cuius origine, nobilitate, neceſſitate, & præſtantia pertractant Tiraquellus *de nobilitate cap.* 31. Ioannes Baptiſta Pelegrinus *Apologia aduerſus Medicinæ, & Philoſophiæ calumniatores.* Eraſmus *declamatione in laudem medicinæ.* Chaſſaneus *in Catalogo de gloria mundi, p.*10. Turturetus *lib.* 1. *de nobilitate Gentilitia.* Cortés *in diſcurſu apologetico medicinæ.* Figueroa *in theatro ſcientiarum* .c.16. Valles *lib. de ſacra Philoſophia c.*74. Fontanus *vniuerſa artis medicinæ, part.* 1. *cap.*3. Varandeus *lib.* 1. *Phyſiologiæ cap.* 1. Bertrutius *collectorio artis medicæ, cap.*1. Saluus Sclanus *in præfatione ad* 1. *aphor.* Valleriola *lib.* 1. *de locis comm. cap.*1. A Concilistor *different.* 5. Nicolus *ſermone* 4. *tract.*8. Langius *lib.* 1. *epiſt.*79. Zacutus *tom.* 4. Eutrius *de origine medicinæ.* Paræus *in præfatione ad ſua opera.* Fontanus *vniuerſæ artis medicæ, part.*1. Ioan. Baptiſta Cortés *decade* 4. *cap.*1. Fuchſius *lib.*1. *inſtit. medicinal. ſect.* 1. Segarra *in lib. de prolegomenis artis medicæ.* Petrus Andreas Canonherius *in lib. aphoriſm.* Plempius *lib.*1. *de medicinæ fundamentis.* Doctor Merola *in ſua Reipub. orig.* Ian. Nicol. Stupanus *in ſua medica theorica.* Hieron. Montuus Mirebelli, Riuoriſque Dominus, Galliarum Regis Conſiliar. & medic. *in epiſt. Anaſceues* Hieron. Bird. *medic. politic. catholic. ſeu medicin. ſacr.*

B

SECTIO VNICA.

De medicinæ habitu.

ANNVENTE Gal. *lib.* 6. *de morbis vulgaribus, comm.* 1. ſicut in conſtruenda domo, Architectus in illius ſcientia peritus requiritur, qui demonſtret media, & modum, quo ipſa debet ædificari, & prætetea requiruntur miniſtri, qui in ſuis artibus inſtructi ea manu exerceant,

SECTIO V.

De purgante facultate in catharticis reperta. 516

RESOL. I. VTrùm catharticorum cognitio ſit Medico neceſſaria, aut vtilis? ibid.
II. Quid, & quotuplex ſit purgans medicamentum? 517
III. Vtrùm medicamentum hæmagogum ſit admittendum? ibid.
IV. Vtrum primæ regionis ſolutiua pharmaca ſint tantum tria, comprimentia, lubricantia, & lenientia? 518
V. Vtrùm lubricantia, & lenientia ſint pharmaca ſelectiua vi operantia? ibid.
VI. Vtrùm ſelectiua cathartica humores generandi vim habeant? ibid.
VII. Vtrùm ſelectiua cathartica ſola irritandi facultate exequantur purgationem? 519
VIII. Vtrùm manifeſtis primis, aut ſecundis qualitatibus operentur cathartica? 520
IX. Vtrum ratio trahendi in catharticis ſit ſimilitudo? 521
X. Vtrum cathartica, media facultate attractrice, habeant vim purgandi humores? 522
XI. Quid ſit facultas dicta à tota ſubſtantia, abdita, cœleſtis formæ, ſeu occulta? 523
XII. Vtrum cathartica, vt attrahant humores, deferantur ad venas? 525
XIII. Vtrum putridi humores valeant attrahi vi ſolutiui pharmaci? ibid.

SECTIO VI.

De coindicantibus, aut contraindicantibus pharmaci exhibitionem. 526

RESOL. I. VTrùm maius virium robur pro pharmaci exhibitione requiratur, quàm pro miſſione ſanguinis? ibid.
II. Vtrum viribus præſtantibus, valida pharmaca ſint ex vſu? 527
III. Vtrum coctione humores fiant obiectum medicamenti purgantis? ibid.
IV. Vtrum putredine fiant humores cacochymi, vt pharmaco ſolutiuo attrahi poſſint? 528.
V. Vtrum anni tempora, aut Aſtrorum mutationes valeant coindicare pharmaci ſolutiui exhibitionem? 531

Ex Tractatu de Sudore.

DISPVTATIO Vnic.

De Humani corporis Sudore. 533

SECTIO I.

De Sudore naturali. 533

RESOL. I. VTrum detur Sudor naturalis? ibid.
II. Quid ſit Sudor? 534
III. Vtrùm Sudor omni accidat corpori mixto? 535
IV. Vtrùm vnica actione fiat naturalis Sudor? 536
V. Quæ ſit materia ex qua Sudor generatur? 537
VI. Vtrùm calor ſit cauſa efficiens euaporationis requiſitæ pro ſudore naturali? 538.
VII. Vtrum forma vaporis prærequiſita pro ſudore differat à materia aquea ex qua eleuatur? 539
VIII. Vtrum ex euaporatione prærequiſita pro ſudore naturali ſubſequatur vtilitas Viuenti? 540
IX. A quo feratur vapor pro ſudore à ſecunda, aut prima, ad tertiam; Regionem? ibid.
X. Vtrùm vaporis denſatio fiat à frigiditate? 542
XI. Vtrùm denſitas localis inducatur in vapore à cauſis loco-motiuis inſitis? 543
XII. Vtrùm ſudor vltimò feratur extra corpus à propriis loco-motiuis qualitatibus? 544
XIII. Vtrum ſit proprium naturali ſudori, quòd ſit guttatim? ibid.
XIV. Vtrùm ſit proprium ſudori guttatim exeunti quod guttæ ſint rotundæ? 545

SECTIO II.

De Sudore critico ſalutari. 545

RESOL. I. VTrum criticus ſalutaris ſudor ſit naturalis? ibid.
II. Vtrùm ſanguineus ſudor poſſibilis ſit naturaliter? 546
III. Vtrum ſanguineus ſudor ad criticum ſudorem debeat reduci? ibid.
IV. Vtrum ſudor ſanguineus Domini noſtri Saluatoris

Saluatoris fuerit ſupernaturalis? 547
V. Vtrùm aliqua ſigna demonſtrent futurum criticum ſudorem? 548
VI. Vtrùm ſint aliqua ſigna, quæ ſalubrem à ſymptomatico diſtinguant ſudorem? 549
VII. Vtrùm ſit proprium critico ſalutari ſudori, vt fiat in die decretorio? ibid.
VIII. Vtrùm pro ſalutari critico ſudore debeant præcedere ſigna coctionis? 550
IX. Vtrùm ſudor vt ſalutaris criticus, debeat eſſe multus? 551

SECTIO III.

De ſudore ſymptomatico. 552

RESOL. I. Qvid, & quotuplex ſit ſudor ſymptomaticus? ibid.
II. De ſudore ſymptomatico à ſubſtantiæ modo dicto. ibid.
III. Vtrùm ſudor multus fiat ob ſolam cutis raritatem? 553
IV. Vtrùm ſudor paucus à contrariis fiat cauſis, ac ſit multus? 554
V. Vtrùm calidi, frigidique ſudores fiant ab eadem cauſa? ibid.
VI. Vtrùm colores in ſudoribus fiant ratione alterationis? 555
VII. Vtrùm ſudores in principio morbi ſuperuenientes ſint ſymptomatici, & lethales? ibid.
VIII. Vtrùm ſudor ante paroxyſmos, ſit ſymptomaticus? 556

Ex Appendice ad Diſputationem de ſanguinis miſsione.

De loco mittendi ſanguinem in febribus putridis, & morbis fluxione ortis in ſuprema corporis parte. 557.

SECTIO I.

De differentiis ſanguinis miſsionis deſumptis à loco. 557

RESOL. I. Vtrùm adæquata ſit diuiſio ſanguinis miſſionis in Euacuatoriam, Deriuatoriam, & Reuulſoriam; & an deſumatur à loco? ibid.
II. A quo indicetur ſanguinis miſſio euacuatoria? 558
III. A quo indicetur ſanguinis miſſio Deriuatoria? 559
IV. Vtrum per ſe competat Deriuationi quòd fiat à parte proximiori? ibid.
V. Quid & quotuplex ſit Reuulſio? 560
VI. A quo indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria ſimpliciter talis? 561
VII. Vtrùm ſanguinis miſſio reuulſoria ex ſe petat fieri à parte diſtantiori? 562
VIII. Vtrum ſanguinis miſſioni reuulſoriæ per ſe competat quod ſit auerſio ad originem? 563
IX. Vtrùm Reuulſio petat fieri ſecundùm rectitudinem. 564
X. Vtrùm per ſolas venas petat fieri reuulſio? 565

SECTIO II.

De venarum origine. 566

RESOL. I. Vtrùm omnes noſtri corporis venæ oriantur à corde? ibid.
II. Vtrùm venæ lacteæ oriantur à iecore? 568
III. Vtrùm aliquarum venarum lien poſſit dici origo? 569
IV. Vtrùm venæ hæmorrhoïdales propagentur à vena caua? 570
V. Qualis ſit corporis diuiſio prout petit phlebotomari? 571
VI. Quæ ſint venæ aptæ in quauis regione phlebotomari? ibid.
VII. Vtrùm in venis inferioris Regionis eadem ſit ratio vniuſcuiuſque aperiendæ. 572

SECTIO III.

De loco mittendi ſanguinem in febribus. 572

RESOL. I. Vtrùm ſanguinem mittere in omni febre putrida ſit ſaluberrimum? 573
II. Vtrùm in febribus putridis ſanguinem mittere ex pede, ſit conſonum Galeni doctrinæ, ſaltem in principio? 574
III. Vtrùm in omni febre putrida indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria à vitio ſanguinis in motu? 575
IV. Vtrùm in febribus, in quibus aliquod eſt vitium humorum in motu, indicetur ratione illius, ſanguinis miſſio reuulſoria? 576
V. Vtrùm in febribus putridis ſuperueniente affectu, à quo indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria, hæc ſemper debeat fieri ex pede? 578

††† VI.

VI. Vtrùm ſemper pro peſtilente febre ſanguis ex pede mittendus reuolſionis causâ ? 579

VII. Vtrùm præter humorum motum ſit aliqua ratio, vt in febribus fiat ſanguinis miſſio ex pede. 582

VIII. Vtrùm ſanguinis miſſio indicetur in putridis febribus vt remedium refrigeratorium. 584

SECTIO IV.

De loco venæ ſectionis in morbis fluxione ortis in ſupernis corporis regionibus. 584

Resol. I. A Quo loco petat fieri ſanguinis miſſio reuulſoria iuxta Galeni doctrinam, humoribus fluentibus ad ſupernas corporis regiones? ib.

II. Quid rationi conſonum ſtatuendum pro loco exercendi ſanguinis miſſionem curatoriam reuulſoriam ? 587

III. Vtrùm ſit fas in prægnantibus mittere ſanguinem ex talo pro affectibus partium ſuperiorum ? 589

IV. Vtrùm in omni gonorrhœa gallica, gallicíſve bubonibus ſemper ſangnis mittendus ex pede ? 591

V. Vtrum ex pede mittendus ſanguis in affectibus fluxione ortis in ſuperioribus regionibus, ſi complicentur cum dictis, vel aliis, in quibus à pede mittendus ſanguis. 592

VI. Vtrùm menſtruis complicatis, ſanguinis miſſio ex pede ſemper ſit exercenda ? 593

EX QVINTA PARTE.

DISPVTATIO I.

De Arte Sphygmica.

SECTIO I.

De vſu cordis, venarum & arteriarum; & de ſanguinis circulatione. 595

Resol. I. VTrum ſanguinis circulatio ſit neceſſariò admittenda. 595

II. Vtrum venæ meſeraïcæ deſeruiant pro chylo in iecur deferendo. 597

III. Vtrùm omnis chylus feratur in iecur. 598

IV. Vtrùm ſanguis genitus in liene feratur in iecur ? 600

V. Vtrùm ſanguis à iecore refluat ad cor? ibid.

VI. Vtrùm ſanguinis motus per venas fiat à maioribus in minores venas; vel è contrà. 601

VII. Vtrùm ſanguis in corde à dextro in ſiniſtrum ſinum feratur per cordis ſeptum? 602

VIII. Ob quem vſum ſanguis recipitur in corde. 603

IX. Vtrùm à corde in arterias totus ſanguis per dextrum cordis ſinum protrudatur ſimul cum ſpiritibus 604

X. Per quas vias ſanguis ex nutritione redundans refluat in venas ab arteriis ? 605

XI. A qua cauſa per venas & arterias ſanguis moueatur? ibid.

XII. A quo moueantur ſpiritus vitales per arterias ? 608

SECTIO II.

De Sphygmica artis Phyſiologia. 609

Resol. I. VTrum ſit Medico neceſſaria ars ſphygmica. ibid.

II. Vtrum pulſus definitio à Galeno tradita ſit admittenda. ibid.

III. Vtrum Pulſus fiat ab aliqua facultate cordi, aut arteriis inhærente ? 610

IV. Vtrùm facultas pulſifica ab extrinſeca facultate ſit peculiariter vitalis? 612

V. Vtrùm facultas pulſifica ſit intrinſecè vitalis. 613

VI. Vtrùm pulſus fiat à generante. 615

VII. Vtrum facultas pulſifica ſit vitalis intrinſecè ſub gradu ſenſitiuo. 616

VIII. Vtrum

VIII. Vtrùm facultas pulſifica operetur ex indigentia? 619
IX. Vtrùm facultas pulſifica inhærens arteriis per influxum communicetur à corde in illas? ibid.
X. Vtrum ſola facultas pulſifica perficiat pulſum, & illius quietes? 620
XI. Vtrùm quietes ſint partes eſſentiales pulſus? ibid.
XII. An cor & arteriæ ſimul eodem tempore comprimantur & dilatentur? 621

SECTIO III.

De phyſiologia Artis ſphygmicæ ſecunda parte. 622

RESOL. I. Quotuplex ſit pulſus ſecundùm genericas ſuperiores differentias. ibid.
II. Quæ ſint primæ quinque ſimplices differentiæ? 623
III. Quæ & quot ſint pulſuum compoſitæ differentiæ? 624
IV. Qui pulſus Rhytmi dicantur? ibid.
V. Qui & quot ſint pulſus æquales & inæquales? ibid.
VI. Qui ſint ordinati, & inordinati pulſus? 525
VII. Vtrùm ſub octo genericis differentiis adductis ſint omnes pulſuum omnium differentiæ? ibid.
VIII. Vtrùm vehemens pulſus poſſit eſſe præternaturalis? 626
IX. Vtrùm vehemens pulſus Dicrotus à Galeno rectè comparetur ictibus mallei in incudem? 627
X. Vtrùm pulſus poſſit peruenire ad tantam crebritatem vt careat altera quiete. ibid.

SECTIO IV.

De Parte artis Sphygmicæ Diagnoſtica. 627

RESOL. I. Quæ ſint pro pulſus dignotione requiſita? ibid.
II. Quæ obſeruari debent pro vnaquaque pulſus differentia peculiari. 628
III. Qualiter pulſus magni differentiæ ſint cognoſcendæ? ibid.
IV. Qualiter petit cognoſci pulſus celeritas & tarditas? ibid.
V. Qualiter creber aut rarus pulſus cognoſcatur. 629
VI. Qualiter pulſus languidus & vehemens cognoſcantur? ibid.
VII. Qualiter pulſus durus aut mollis cognoſcantur? ibid.
VII. Qualiter pulſus Rhytmi cognoſcantur? ibid.
IX. Qualiter ſit cognoſcibilis pulſus inæqualitas? ibid.

SECTIO V.

De Artis Sphygmicæ parte Æthiologica 629

RESOL. I. Quæ ſit cauſa efficiens pulſus. ibidem.
II. Quæ ſint cauſæ à quibus fit pulſus? 630
III. Vtrùm pulſus poſſit variari ſine immutatione cauſarum continentium? ibid.
IV. Vtrum in paſſionibus animæ pro formali, aliqua ex cauſis continentibus mutetur? 631
V. Quæ pulſuum differentiæ ponantur ab vſu adaucto. 633
VI. Quæ fiant differentiæ propter vſum diminutum in pulſu. 634
VII. Quæ differentiæ pulſus ponantur ex connexione facultatis & vſus? ibid.
VIII. Quæ ponantur differentiæ ex vſu & inſtrumenti connexione? ibid.
IX. Quæ ſint cauſæ relatiuorum pulſuum. ibidem.
X. Vtrùm pulſus inæqualitas poſſit prouenire abſque vitio inſtrumenti? 635
XI. Quæ ſint cauſæ inæqualitatis ſingularis in pulſu. ibid.
XII. De cauſis peculiaris inæqualitatis aliarum differentiarum? 636
XIII. Quos pulſus naturales & non naturales res efficere poſſunt. ibid.
XIV. Qui fiant pulſus ab aliquibus affectibus præter naturam? 537

SECTIO VI.

De prognoſtica Artis Sphygmicæ parte 638

RESOL. I. Quid prædicendum ex pulſu magno & paruo? ibid.
II. Quid præſagiendum ex celeri pulſu & tarddo? 639
III. Quid præſagiendum ex crebritate & raritate? ibid.

IV. Quid præſagiendum ex pulſus vehemente & languido? ibid.
V. Quid prænunciēt pulſus mollis & durus? ibid.
VI. Quid prædicendum ex rhytmis. ibid.
VII. Quid prænuntient inæquales pulſus. 640
VIII. Quid prænuncient pulſus complicatæ inæqualitatis, qui proprio gaudent nomine? ibid.
IX. Vtrum amoris ſit determinatus pulſus ex determinata proueniens cauſa? 641

DISPVTATIO vnic.

De morborum Ricidiua.

SECTIO vnica.

De conducentibus ad Recidiuæ integram cognitionem. 642

RESOL. I. Vtrum apud Medicos Recidiua ſolius morbi reditum ſignificet? ibid
II. Quid ſit Recidiua morbi. ib
III. Quotuplex ſit recidiua. 3
IV. Vtrùm Recidiua & primus m... inſultus ſint idem numero morb... 644
V. Vtrùm Recidiua periculoſior ſit quàm primus morbi inſultus? 645
VI. Vtrùm materia poſt indicationem imperfectam derelicta, ſit vnica Recidiuæ cauſa. 647
VII. Vtrùm ſint manifeſta ſigna quæ prænuntient Recidiuam? 649
VIII. Vtrùm dum timetur Recidiua à Medico ſit aliquid agendum? 650

APOLOGETICON

Contra nouum quendam Bombilium Hiſpalenſem, pro Doctrina Doctoris Gaſpar. Brauo de Sobremonte; Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis magni Philippi IV. Archiatri, ſupremæ Inquiſitionis Medici, & olim Primarij in Valliſoletana Regia Academia. 651

DISPVTATIO PRIMA Apologetica.

De minoratiua purgatione. ibid.

RESOL. I. An in maſſa ſanguinaria humores, dum intra venas perſiſtunt ſupernatantes, ſeparentur à ſanguinis commixtione. 652
II. Vtrum vitium cacochymiæ ſtet in humorum ſupernatantia. 654
III. Quid ſit minoratiua purgatio. 656
IV. Quo tempore ſelectiua purgatio conuenit ex Hippocrate & Galeno. 657
V. Vtrum occaſio, & neceſſitas exhibendi minoratiuam purgationem ſit à Me ſufficienter demonſtrata. 658
VI. Vtrùm Bombilius in ſuis impugnationibus ſuam conuincat ignorantiam, ſuoſque errores in praxi manifeſtet? 659

DISPVTATIO II. Apologetica.

De ſanguinis miſſione ex pede in principio cuiuſuis morbi. 661

RESOL. I. Vtrùm Theorica Praxi ſit contraria. 662
II. Vtrum rationes à Me adductæ conuincant, nullas dari cogentes, ſanguinem mittere in principio cuiuſlibet febris, ex pede. ibid.

EX

EX SEXTA PARTE,

Continente varias Conſultationes Medicas.

CONSVLTATIO I.

Pro propugnanda potentia quorumdam caſtratorum, edita pro collegio Medicorum Valliſoletanæ Academiæ. 669

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Vaſita conſultationis, & conſulendi propoonitur occaſio. 670
II. Proponuntur quædam à Medicis recepta fundamenta, ex quibus deciſio Medicorum pendet. ibid.
III. Hiſtorica enarratio pro primo quæſito. 671
IV. Hiſtorica enarratio pro tertio quæſito. ibid.
V. An ſic curati iudicandi ſint impotentes maleficiati? 672
VI. An ſic curati iudicandi ſint impotentes frigidi? ibid.
VII. Pro ſecundo quæſito ſatisfacimus. 673
VIII. Nec ſic curati, ex vi curationis contrahunt morboſam impotentiam. 674

CONSVLTATIO II.

Archiatrorum,

Qui indicarunt fontanellam pro Principe Hiſpaniarum non ſolùm proponi vtilem prò præcauendis morbis, quibus eſt obnoxius, quibus ſæpè infeſtatur, ſed neceſſariam pro eius vita conſeruatione. 675

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Hiſtorica enarratio ætatis, temperiei, & morborum, quibus infeſtatur. 676
II. Scribendi occaſio, & neceſſitas, fundamentum totius diſcurſus & aſſenſus ac diſſenſus Archiatrorum proponitur. ibid.
III. Ex coinquinamento in vtero contracto indicata eſt fontanella pro præcauendo Principe ab epilepſia, quæ ex illo poteſt illi ſuperuenire. 677
IV. Hemicranea & epilepſia, quæ morbi ſunt Principi hæreditarij ex matre, indicant neceſſariam eſſe fontanellam in illo ad ſui præcautionem. ibid.
V. Quantumvis epilepſia non eſſet Principi hæreditaria, ſed à ventriculi cruditatibus oriretur, indigeret fontanella præcautionis gratia. 679
VI. Fontanellam tanquam præcautorium remedium ad præcauendos morbos, quos Princeps ſæpiſſimè patitur ex propriis intemperiebus neceſſariam eſſe conſtanter aſſerimus. 680
VII. Locus fontanellæ ob vrgentiorem indicationem reuellendi à iecore, quæ prævalet reliquis, debet eſſe in dextro Principis crure, in parte interiori, per quatuor digitos infra genu. 681
VIII. Fontanellæ in Principe neceſſariæ non obſtant contrariè opinantium rationes? 682
IX. Totius diſcurſus concluſio & fundamenta ex dictis deducuntur? 686

CONSVLTATIO III.

De præcautione epileptici inſultus in puerperio Auguſtiſſimæ Reginæ noſtræ. 686

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Ex euentibus neceſſitas præcautionis, & qualis fuerit, proponitur? ibid.
II. Proponuntur cauſæ Epileptici inſultus in puerperio Auguſtiſſimæ Reginæ noſtræ. ibid.
III. Curationis ratio ex indicatione à cauſa, &

& quæ antiepeliptica forent ex vſu. 688

IV. Nunquam in puerperis acuto morbo correptis adhuc in ſuperioribus partibus, ſanguis eſt mittendus ex brachio. ibid.

CONSVLTATIO IV.

De primo Epilepſiæ inſultu, qui vitam ſuſtulit sereniſſimi Infantis Ferdinandi Hiſpaniarum. 689

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Natiua infantis debilitas proponitur, & infelix euentus. 690

II. Qui affectus, variæ eius differentiæ, & Authorum obſeruationes referuntur. ibidem.

III. Communis curandi via ex Dogmaticis, & Empericis proponitur. 691

IV. Quod dubia ſit ſpes ſalutis in Epilepſia, & epileptici quibus honoribus fiant inepti? ibid.

CONSVLTATIO V.

De ſanguine mittendo in grauida Auguſtiſſima Regina noſtra. 693

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Proponitur caſus, ratio adducitur conſultationis. 692

II. Quæ nos coëgerunt fundamenta determinare ſanguinem mittendum in Regina vtero gerente. 693

III. Non ſolùm ob matrem, ſed etiam ob fœtum debebat Regina phlebotomari. ibidem.

IV. Requieuimus ab opere, & quæ nos auerterunt ab illo. 694

V. Prægnantiæ tempore quando licet phlebotomare ex pede. ibid.

CONSVLTATIO VI.

De vlcere in tunica externa vteri. 696

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Proponitur euentus & cauſæ conſultationis. 696

II. Qui morbus, quæ fuerint cauſæ, quæ prima curatio? ibid.

III. Abſceſſus ſuperueniens quibus fuerit curatus? ibid.

CONSVLTATIO VII.

De vtilitate & perfectione partus sereniſſimi Caroli Ioſeph Hiſpaniarum Principis. 697

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Principis natalis proponitur dies, & conſultationis occaſio. 698

II. Præfinitum naſcendi homini tempus eſſe à natura conſignatum decernimus; ib.

III. Quod ex Hippocratis doctrinâ deducitur determinatum eſſe homini naſcendi tempus? 699

IV. Principis partum intra decimum menſem non eſſe ita naturalem ſicut ſi ſuiſſet in menſe nono, videtur ſuaderi poſſe ex aliquibus. 700

V. Sereniſſimi Principis partus intra decimum menſem vitalis magis iudicatur, ipſeque præſtantior Heros. ibid.

CONSVLTATIO VIII.

De impotentia viri ex maleficio. 701

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Caſus proponitur & conſulendi occaſio. 702

II. Sterilitatis quæ ſint naturales cauſæ, proponitur. ibid.

III. Maleficiati ope dæmonum, corpora variis modis immutare valent, morbos cauſare, & impotentiam. ibid.

IV. Impotentiam ex maleficio poſſibilem admittimus, ex ipſa conſulentem infirmatum indicamus. 704

V. Impotentiæ ex maleficio curatio non facilis, variæ pro illa auferenda proponuntur curationes. 705

CONSVLTATIO IX.

Pro nutrice sereniſſimi Principis Caroli mutanda ob lochiorum paruam ſuperuenientem euacuationem. 706

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Caſus proponitur & redditur conſulendi ratio. 707

II. Nu

II. Nutricum Heronm vſum approbat antiqua conſuetudo: Quibus dotibus vnaquæque debeat ornari proponitur. ibid.
III. Qui morbi aut euacuationes nutricem mutare cogant. ibid.
IV. Quo tempore lochia poſſunt perdurare in puerperis. 703
V. Hippocratis doctrina non opponitur Moyſis Decreto. 709
VI. Deducitur ex dictis nutricis Principis ſubſequutam purgationem non impedire progredi in lactatione. 711

CONSVLTATIO X.

De vteri geſtatione vltra duos annos cum variis accidentibus. 711

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I. PRoponuntur accidentia, geſtationis tempus, & conſulendi occaſio. 711
II. Vteri geſtationis variæ proponuntur ſortes. 712
III. An mola carnoſa fieri petat ex ſemine virili? ibid.
IV. Nullum eſt euidens ſignum manifeſtans naturalem genituram in vtero. 714
V. Ex quibus ſignis coniectabamur excellentiſſimæ fœminæ geſtationem non eſſe prægnantibus naturalem. ibid.
VI. De monſtroſis ex vtroque ſemine animalibus qualis fuerit hæſitatio. 715
VII. An geſtatio ex ſolo ſemine fœmineo perſtiterit in hac fœmina? ibid.
VIII. Inter geſtationes vteri quæ de ſemine non fiunt, recipitur vteri geſtatio huius fœminæ, & ſub qua illarum determinatur? 716

CONSVLTATIO XI.

De vulnere capitis cum crany læſione & ſuſpicione veneni. 717

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I. PRoponitur euentus & conſulendi ratio. 717
II. Vulnerum capitis eſſentiam, & differentias propono, & quali affectus fuerit æger? ibid.
III. In præſagiendo præcipuè apud iudices quanta debeat eſſe ſolertia? 718
IV. Vulneri propoſito qualis curatio ex communi chirurgicorum praxi debuit adaptari? 719
V. Magati & aliorum curatio per primam intentionem in fracturis capitis proponitur, & aliis vulneribus? 720
VI. Vnguenti armarij quanta ſit vis ad hæc vulnera curanda? 721. vel 725
VII. Qualis curatio vtilis foret ægroto pro vulnere vt venenoſo. 722. vel 726

CONSVLTATIO XII.

De triſtitia & morte ſuperueniente commota melancholiâ. 722. vel 726

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I. PRoponitur euentus, & traditur conſulendi ratio? ibid.
II. Melancholici humoris traditur natura, malus eius mos detegitur? 723
III. Melancholia & triſtitiam inducere, & omnes conturbare rectricum virtutum actiones valet. 724
IV. Triſtitia an ſubſequatur ex quavis melancholia, & modus oſtenditur. ibid.
V. Commota melancholia fit mortis ſubitò irruentis cauſa. 726
VI. Viæ deſtinatæ à natura ad expurgandam melancholiam proponuntur, & hemorrhoïdalium venarum vſus? ibid.

CONSVLTATIO XIII.

De dyſuria iſchuriaque per plurimos dies permanente, & lapidoſo mictu terminata. 728

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§. I. PRoponitur euentus & profertur conſulendi occaſio. ibid.
II. Dyſuriæ proponuntur diuerſæ cauſæ, & qualis in ægra iudicabatur fuiſſe. ibid.
III. Iſchuriæ per plures dies permanentis cauſæ aperiuntur. 729
IV. Iſchuriæ permanentia quibus remediis fuerit deuicta? 730
V. Lapidum generatio in corpore in quibus fiat locis, & quo in loco in ægra genitos fuiſſe coniectabamur. ibid.
VI. Lapidum generatio in corpore à quibus proueniat cauſis, præcipuè in viis lotio deſtinatis? 731

CONSVLTATIO XIV.

De chocolate, eius vſu, & quem potus habeat rationem? 732

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Refertur occaſio conſultationis, & eius euentus. ibid.
II. Quid ſit chocolate proponitur, & ex quibus componitur hæc Indica confectio. ibid.
III. Quæ ſit temperies Indicæ confectionis chocolatis, & quæ ſint illi vires. 733
IV. Sub quo genere potus ſit, qui fit ex chocolate, & qualem habeat vim alimenti. ibid.
V. Qualiter potus chocolatis iudicetur non fraugere ieiunium? 735

CONSVLTATIO XV.

De repentina morte Illuſtriſſimi Ducis de Vejar. 736

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Proponitur euentus, ex quo mortis repentinæ inueſtigantur cauſæ. ibid.
II. Hominis præſtantia morte præfinitur, quid hæc, quot illius ſortes. ibid.
III. Mortis repentinæ inueſtigantur cauſæ. 737
IV. Determinantur cauſæ quæ mortem repentinam valent cauſare, corrumpendo vitalem calorem. 738
V. Superadduntur cauſæ mortis repentinæ ob vitiatam conformationem. 739
VI. Proponitur cauſa quæ ſubitæ mortis Ducis indicabatur fuiſſe. ibid.
VII. Quod iudicium fuit factum de repentina morte Ducis; quibus ſignis fuit comprobata, & tandem tempore confirmata? 740

CONSVLTATIO XVI.

De ægro per decem & octo dies abſtinente à cibo. 740

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Hiſtorica enarratio ex qua conſultationis doctrina deducitur. 741
II. Examinantur occaſiones ob quas cœpit ægrotare. ibid.
III. Diu viuentium ſine alimento varia exempla proponuntur. 742
IV. Diuturni ieiunij variæ Auctorum referuntur opiniones, & in noſtro ægro aſſignatur cauſa. ibid.
V. Proponuntur varia auxilia quæ pro fame excitanda fuerunt propoſita. 743

CONSVLTATIO XVII.

De ſcholaſtico patiente varios ac periodicos motus conuulſiuos, qui energumenus apparuit. 743

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Proponitur euentus & conſulendi occaſio. 744
II. Conuulſiui motus qui affectus, & quot eius differentiæ. ibid.
III. Conuulſiui motus qualiter fiant dæmone non concurrente. 745
IV. Dæmone concurrente quomodo fiant motus conuulſiui. 746
V. Quibus ſignis, quotve modis poteſt inueſtigari, an aliqui motus ſint dæmoniaci? 747
VI. Dæmon in energumenis, quos motbos inducat, quas immutat vegetatiuas, ac ſenſitiuas potentias. 747
VII. Dæmon in energumenis, qualiter valeat immutare, ac deprauare actiones animæ rationalis? 748
VIII. Quid ſentiamus de facinore dæmoni tribuendo? 750

CONSVLTATIO XVIII.

De patiente ventris adſtrictionem. 750

CONSVLTATIONIS DECISIO.

§.I. Proponitur æger cuius cauſâ fit conſultatio. ibid.
II. Excrementorum neceſſaria generatio in noſtris corporibus, & expulſionis vtilitas aperiuntur. ibid.
III. Naturalis excrementorum expulſio per ventrem quæ requirat. 751
IV. Quid ventris adſtrictio, variæ illius obſeruationes proponuntur. ibid.
V. A quibus cauſis prouenire poteſt ventris adſtrictio. ibid.
VI. Quid prædicendum de ventris adſtrictione & lubricitate. 752
VII. Quæ curatio vnicuique ventris adſtrictioni adaptanda. 754

DOCT.

DOCT. MED.

D. GASP. BRAVO

DE SOBREMONTE

RAMIREZ,

Reſolutionum Medicarum

PARS PRIMA

CONTINENS PHYSIOLOGIAM.

DISPVTATIO PRIMA.

De præcognitis in vniuerſam Medicinam.

MEDICINA à Medendo dicta, omnes habitus comprehendit ordinatos in acquiſitionem ſanitatis: quales ſunt, & habitus ſcientificus ipſius medicinæ, & habitus artium illi deſeruientium, & habitus reliquarum ſectarum, quæ fuerunt in medicina: nos tamen in hac diſputatione de ſolo habitu medicinæ Dogmaticæ agemus; de cuius origine, nobilitate, neceſſitate, & præſtantia pertractant Tiraquellus *de nobilitate cap.* 31. Ioannes Baptiſta Pelegelnus *Apologia aduerſus Medicinæ, & Philoſophiæ calumniatores.* Eraſmus *declamatione in laudem medicinæ.* Chaſſaneus *in Catalogo de gloria mundi*, p. 10. Turturetus *lib.* 1. *de nobilitate Gentilitia.* Cortés *in diſcurſu apologetico medicinæ.* Figueroa *in theatro ſcientiarum* , c. 16. Valles *lib. de ſacra Philoſophia* c. 74. Fontanus *vniuerſæ artis medicinæ, part.* 1. *cap.* 5. Varandeus *lib.* 1. *Phyſiologiæ cap.* 1. Bectrutius *collectorio artis medicæ, cap.* 1. Saluus Sclanus *in præfatione ad* 1. *aphor.* Valleriola *lib.* 1. *de locis comm. cap.* 3. A Conciliator *different.* 5. Nicolus *ſermone* 4. *tract.* 8. Langius *lib.* 1. *epiſt.* 79. Zacurus *tom.* 4. Eurnius *de origine medicinæ.* Paræus *in præfatione ad ſua opera.* Fontanus *vniuerſæ artis medicæ, part.* 1. Ioan. Baptiſta Cortés *decade* 4. *cap.* 1. Fuchſius *lib.* 1. *inſtit. medicinal. ſect.* 1. Segarra *in lib. de prolegomenis artis medicæ.* Petrus Andreas Canonherius *in lib. aphoriſm.* Plempius *lib.* 1. *de medicinæ fundamentis.* Doctor Merola *in ſua Reipub. orig.* Ian. Nicol. Stupanus *in ſua medica theorica.* Hieron. Montuus Mirebelli, Riuoriſque Dominus, Galliarum Regis Conſiliar. & medic. *in epiſt.* Anaſceues Hieron. Bard. *medic. politic. catholic. ſeu medicin. ſacr.*

B

SECTIO VNICA.

De medicinæ habitu.

ANNVENTE Gal. *lib.* 6. *de morbis vulgaribus comm.* 1. ſicut in conſtruenda domo, Architectus in illius ſcientia peritus requiritur, qui demonſtret media, & modum, quo ipſa debet ædificari, & præterea requiruntur miniſtri, qui in ſuis artibus inſtructi ea manu exerceant, quæ

quæ ab ipſo præſcribuntur neceſſaria pro conſtruenda domo. Sic in ſanitatis acquiſitione requiritur medicus, qui ſcientifice demonſtret media, & modũ acquirendi ſanitatem, cui deſeruiunt miniſtri plures variis artibus inſtructi in hunc finem. Iuxta quam doctrinam Philotheus Medicinam diuidit in ſpectatiuam, & actiuam; ſub illa, medicinæ ſcientiam comprehendens; ſub hac, omnes miniſtrorum medicinæ habitus complectens. Habitus miniſtrantium harum artium tempore in incrementum, vſu, & exercitatione venerunt; ſcientificus verò medicinæ habitus à ſummo Deo originem duxit, & eſt de quo diſputationem ſuſcipimus.

RESOLVTIO I.

Vtrùm ſit neceſſaria Medicina in ſubſidium ſalutis humanæ?

§. I.

Vulgaris inſipientium aſſenſus proponitur.

GEorgius, Leontinus, Poli ſectatores, & alij Hipp. antiquiores, quos ipſe refutat *in lib. de Arte, de Veteri Medicina, de Medico, de lege, & aliis*, parti adhærent negatiuæ, quorum aſſeclæ etiam ſunt fatuorum plerique, eiſque ſubſcribit Plinius *lib. 29. naturalis hiſtoria*, medicinam reprehendens vt inutilem, cum ſine illa vltra ſexcentos annos Romanus permanſerit populus; vt inconſtantem, quia in varias abiit ſectas; vt parum tutam, ex Marci Catonis authoritate, & quia à ſolis mancipiis Romæ profitebatur.

Secundò, eis fauet Hipp. *in lib. Epidem.* vbi naturam docet eſſe morborum medicatricem, *& lib. de Elegant. Medici*, quod morbi, qui à medico, ſanantur, Deorum ope ſanantur: & Meſuës Deum morbos ſanare docet: ergo medicina inutilis eſt.

Tertiò, cuique eſt præfixus, & determinatus à Deo vitæ finis, ante omnia ſæcula immutabili, & indefectibili determinatione, quæ nullis valet, medicis auxiliis immutari: ergo nullum medicinæ ſubſidium pro vitæ conſeruatione erit vtile.

Quartò, ſi medicina, quæ habitus eſt ſcientificus, eſſet homini condonata in ſubſidium vitæ, & ad morbos curandos, cùm omnis ſcientia ſit de neceſſariis, & eis, quæ aliter ſe habere non poſſunt, certè neceſſariò, & euidenter omnium morborum curationes demonſtraret medicina, nulluſque eſſet morbus lethalis, neque incurabilis, ſed huius contrarium demonſtrat experientia: ergo non datur ſcientificus habitus medicinæ in ſubſidium ſalutis humanæ.

§. II.

Pars affirmatiua fulcitur communi ſapientium aſſenſu.

REſoluendum affirmatiuè ex Sacra Pagina in Eccleſiaſt. *cap.* 38. ex Hipp. *lib. de Veteri Medicina, lib. de leg. lib. de Medico lib. de Arte, & in aliis Iſagogicis libris*, ex Gal. *lib. de ſanitate tuenda. lib. Artis Medicinalis*, ex Auicen. *fen.* 1. 1. & ex omnium horum Commentatoribus: præcipuè hanc demonſtrant veritatem ex modernioribus, Valleſius *lib. de Sacra Philoſophia. cap.* 74. Varandeus *lib.* 1. *Phyſiolog cap.* 1. Fontaneus *vniuerſa artis medica, p.* 2. *c.* 3. Duncan. *lib.* 1. *Phyſiologia, cap.* 2. Nicolus *ſerm.* 4. *tract.* 3. Langius *lib.* 1. *Epiſtolar. ep.* 79. Zacutus *tom.* 4. Furnius *in oratione de origine medicina*. Tiraquellus *de nobilit. c.* 31. Ioannes Baptiſta Pelegrinus *Apol. adu. Medicina, & Philoſophia calumniatores*. Eraſmus *declamatione in laudem medicinæ*. Chaſtaneus *in catalog. de gloria mundi, part* 10. Turturetus *lib.* 2. *de nobilitate gentilitia*. Andreas Barbatia *in cap. Clerici, de indictis*. Cortès *diſcurſu Apologetico medicina*.

Probatur 1. *Ex Sacra Pagina*, dicit enim Ieſus filius Sidrac in Eccleſiaſt. *cap.* 38. *Honora medicum propter neceſſitatem: etenim creauit eum Altiſſimus. A Deo eſt omnis medela, & à Rege accipiet donationem: diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatum collaudabitur. Altiſſimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam*: & infra *In infirmitate tua da locum medico, etenim illum Dominus creauit, & non diſcedas à te, quia opera eius ſunt neceſſaria. &c.*

Probatur 2. Ex ſummo Dictatore Hipp. qui tum refutatiuè, tum demonſtratiuè hanc veritatem docet, *libb. iam citatis*, quam ſimiliter demonſtrat Galen. *Arte parua, c.* 4. *& lib. de ſanit. tuenda*, ſic: Corpus humanum obnoxium eſt variis mutationibus, ortui enim, & interitui ſubiacet, quia contrariis conſtat mutuò inter ſe agentibus, & patientibus; ergo medicinæ ſcientia neceſſaria eſt: quæ illud vt obiectum reſpiciat, & vt demonſtret media, modumq; operandi, quibus ad amiſſam ſanitatem poſſit reduci. Id ipſum ferè apud Origen. *hom.* 1. *ſup. Pſalm.* 37. *Creator humanorum corporum Deus ſciebat quod talis eſſet fragilitas humani corporis; quæ languores diuerſos poſſet recipere, & vulneribus, aliiſque debilitatibus eſſet obnoxia; & adeo venturis paſſionibus prouidens etiam medicamenta procreauit ex terra, & medico tradidit diſciplinam, vt ſi acciderit ægritudo corporis, non deeſſet medicina.*

Probatur 3. Ex D. Thom. 1. *part. quæſt.* 94. dicente quòd Adam habuit omnium ſcientiam quibus homo natus eſt inſtrui, *& hæc ſunt* (inquit ille) *omnia illa, quæ virtualiter exiſtunt in principiis primis per ſe notis: quæcumque ſcilicet naturaliter homines cognoſcere poſſunt, &c.* Sed vt infra demonſtrabimus, medicina eſt ſcientia naturalis: ergo vt neceſſaria in ſubſidium ſalutis humanæ fuit à Deo hominibus condonata.

Probatur 4. Experientia, quæ demonſtrat medicis auxiliis homines à maximis liberari vitæ periculis, dolorum vehementia, innumeriſque, & morbis, & ab eis ſubortis ſymptomatibus: ergo fuit neceſſaria medicina, quæ in hunc finem conducentia demonſtret media. Qua in re eleganter Quintilianus: *Sola eſt medicina, quæ opus eſt omnibus; nam licet reliquis artibus, nec ſemper, nec omnes egemus, huius vtilitate mortalium conſtat omnis vita.*

§. III.

Negatiuæ partis diluuntur fundamenta.

AD Plinium reſpondetur cum Valleſio *loco citato*, & cum Hieronymo Bardo medico politico catholico, *pag.* 251. Quod neque grammaticalis garrulitas Plinij plena inſcientiæ, & mendaciij, neque Catonis magis procax, quàm grauis ſententia poſſunt quidquam detrahere ab excellentia medicinæ, quæ ſemper vtilis, & neceſſaria eſt, vt ex Sacra Pagina demonſtrauimus; quantumuis fatui, & garruli irruant in ipſam. Nec detrahit quòd populus Romanus diu permanſerit ſine illa, ſicut & ſine Theologia, & Philoſophia, aliiſque ſcientiis, ex quarum nobilitate hoc nihil detraxit, ſicut & quod vſque ad noſtra tempora, & iſtæ ſcientiæ à pluribus aliis nationibus non ſint cognitæ. Cognita tamen medicinæ neceſſitate, annuente ipſo Plinio, (& firmat Tranquil. *in Oct. Auguſt.*) medicinæ profeſſores in Romano Populo admiſſi,

A admiſſi, & maximis præmiis, & honoribus fuerunt condecorati. Ipſaque medicina Dogmatica conſtans ſemper ſtetit eiſdem neceſſar..., ac propriis principiis; quantumque in illa variæ ſubſtiterint hereſes, prout in aliis contingit ſcientiis. Quæ neque vt ſcientia non niſi à nobiliſſimis, & in Aſclepiadarum familia, fuit exculta. Empirica enim; quæ ex ſimilitudine eorum, quæ ab aliis fiebant, acquirebatur, hæc vt ſordida, & ignobilis digna fuit, vt in Romano Populo à ſolis mancipiis profiteretur, quod vel his temporibus vbique lugemus. Nam quamuis medicinam exercere, ſit res vna omnium difficillima, cuiuſuis eſſe putatur. Sed quid nobis obiicit Plinius Rom. Popul. B ſub primis incrementis, cùm ex ipſis Romanorum Scriptoribus habeamus, de ſceleratis, & nocentibus congregatum fuiſſe? Saluſt. in Catil. Liuius *lib.* 1. Lucan. tandem *lib.* 7.

Romulus infami complexit mœnia luco.

Actiua Iuuen. Satyr. 8.

Et tamen vt longe repetas, longeque reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis aſylo.
Maiorum primus, quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Latronem dicere voluit. Quid ergo erat huic pro tunc leui Populo cum nobilibus ſcientiis? Verùm in dies aucta virtute, & nobilitate populi, medicinam, & C reliquas artes ciuitate donauit.

Ad 2. negatur conſequentia, quia natura eſt morborum medicatrix, ſe ſola in paruis morbis; adiuuamine medici (qui ex Galen. adiutor eſt naturæ) in aliis, quos vincere non poſſet ſine medicina, ſicut neque medicina, neque natura ſine ope Dei ſimul concurrentis.

Ad 3. reſpondetur ex Raymundo Lullio *lib. de ſecretis naturalibus*, cuius hæc ſunt verba: *Vnicuique vitæ terminus eſt ſtatutus, quem nullo ingenio tranſgredi poſſumus. ſed intra eum terminum mortem accelerare in promptu eſt omnibus. ideo à medicina petendum remedium, quo corpus noſtrum à putredine præſeruemus, & infirmum curemus, donec veniat is poſtremus dies à Deo præſtitutus, &c.*

Ad 4. negatur maior, ait enim Ariſtot. 5. *Topic.* D quod medicina non demonſtrat media, quibus omnes morbi curentur; ſed demonſtrat, qui morbi ſint incurabiles, qui ſint curabiles, & quibus hi vincantur remediis: medici enim eſt, ex ſummo Dictatore, *Vehementes morborum impetus tundere, ſanabiles curare, inſanabiles non attingere*, lib. de arte, num. 3.

RESOLVTIO II.

Vtrùm Dogmatica medicorum ſecta ſit præſtantior reliquis?

§. I.

Pars negatiua ſuadetur:

E PRimò, quia illa ſecta præſtantior, quæ antiquior eſt, tanquam maximè neceſſaria, ab ipſa fuit natura demonſtrata, & neceſſitate cogente ab hominibus inuenta, & à qua reliquæ dimanarunt, ſed Empirica medicinæ ſecta eſt huiuſmodi: ergo eſt præſtantior quàm Dogmatica.

Secundò, ſecta methodica videtur reliquis præſtantior, eſt enim aliquantulum rationalis, ratione enim vtitur, contraria contrariis curari demonſtrat, & quàm pauciſſimis præceptis, omnes particulares affectus ad generales tres reducens, omnium morborum curationem amplectitur: ergo præſtantior eſt ſecta rationali.

Tertiò, videtur præſtantior reliquis ſecta Spagirica, quia breuioribus eorumque principiis modum docet extrahendi validiora pro morbis debellandis remedia, & puras ſubſtantias ab impuris ſeparando, eis conſequitur ſanitatem in illis morbis, pro quibus Dogmaticorum remedia non ſufficiunt, aptioraque extrahit medicamenta non ſolum pro operari, ſed vt poſſint in vſum medicinæ deſumi: ergo præſtantior eſt reliquis ſectis medicinæ.

§. II.

Pro deciſione aliqua proponuntur fundamenta.

B PRo reſolutione notandum, quod ſecta eſt, *Dogmatum coacervatio, quæ ſe conſequuntur, conſequi videntur, aut apparent*, quæ triplex apud antiquos ſtetit, Empirica, Rationalis ſeu Dogmatica, & Methodica, vt docet Galen. *lib. de ſectis*. Noſtris etiam temporibus inualuit Spagiricorum ſecta, quæ licet inter reliquas à Gal. non fuerit enumerata, ab Hermete Triſmegiſto originem trahere contendunt ſui ſectatores. Ex his autem Dogmatica ſeu rationalis ſecta ſcientia eſt antiquior reliquis ſectis, a ſummo Deo Adamo cum reliquis ſcientiis communicata; quæ diu deliteſcens à parentibus in filios deriuata apud Hebræos, & Ægyptios remanſit, à quibus eam emendicarunt Græci, inter quos exculta maximè fuit apud Enidios, C Rhodios, & Coos in Academiis elaborata, præcipuè apud Coos, in quorum ſchola tandem ſummus Dictator Hipp. ipſam ad ſummum euexit. Vnde Soranus dixit: *Medicinam quidẽ inuenit Apollo, amplificauit Æſculapius, perfecit Hippocrates.* Hæc naturas rerum rimatur, morborum cauſas inueſtigat, ſignis ad cauſarum inuentionem vtitur, indicationibus ad curationẽ pergit, quandoque experientiam admittit, eique rationem adiungit, elementorum, & reliquarum cauſarum, quibus poteſt corpus immutari, naturas inueſtigat, cognitionem corporis humani intendit, quaſlibet eius particulas anatome comprehendit. Ipſam ab Hipp. conditam ampliauit Gal. profeſſi ſunt Praxagoras, Diocles, Cariſtius, Eraſiſtratus, Herophilus; receperunt Arabes, inter quos Auicenna, Auerroës; horumque commentatores quam plurimi. Et tandem D Latini, quorum Celſus Princeps cultiſſimus fuit.

Secunda medicorum ſecta fuit Empirica indoctorum inuentum, qui neceſſitate coacti, cum ſcientiam non haberent, qua inueſtigarent neceſſaria pro morbis remedia, experientiæ addicti, & quæ vſu ab aliis cognouerunt fuiſſe obſeruata, hiſtoria prius expertorum vtentes, tum à compertis ad incomperta, ſed ſimilia ſecundum apparentem ſpeciem tranſeuntes: cauſarum, & naturarum inueſtigationem reiiciebant. Quam ſunt ſequuti Serapius, Rhaſis, Menudorus, Glaucias, Apollonius, Diodotus, Taouentinus, & alij. Qui omnes ſcientiæ cognitionem remotam habentes videntur contempſiſſe illam.

Tertiò ſubſequuta eſt Methodica ſecta, quæ ſignis contemptis, nec cauſis multum inſpectis, in omnibus E morbis duo reperit, & hæc communitates vocat, laxum ſcilicet, & adſtrictum: quibus ſuperaddit in his medium; ad quæ omnes reducit morbos, omneſque intentiones curatiuas. Huius ſectæ profeſſor ſtetit Themiſon Laodicens. Syrus, Theſſalus, Trallianus, Soranus, Epheſius, Maſcus, Antipater, Archigenes, Agatinus, & alij. Qui omnes ſcientiæ grauitatem videntur ſuſtinuiſſe non poſſe.

Quarta noſtris temporibus vires aſſumpſit ſecta Spagirica, Paracelſica, ſeu Hermetica. quæ tria omnium rerum principia conſtituit Sal, Sulfur, & mercurium, ex his omnia componi, ab his omnes morbos oriri tenet, & his ſimiliter curari. Communiſſimum principium quòd contraria contrariis curantur, contrarius

tur euertere, & omnes morbos ſimilibus curari contendit. Hanc ab Hermete ducere originem iudicant: à Paracelſo ſuſcitatam, à Raymundo Lullio adiutam, tandemque illuſtratam à Quercetano, ab aliiſque quàm pluribus modernioribus.

§. III.

Veritas ſancitur, & fulcitur.

RESoluendum tamen Affirmatiuè: ſic deducitur ex Sacra Pagina, vbi de rationali, & ſcientifica medicina neceſſitas docetur: & ex Hip. qui ipſam iam penè delapſam condidit: ex Gal. qui ipſam ampliauit: ex Auic. qui eam ſimiliter perfecit, cunctáque ſapientium cohors demonſtrauit latiſſimè hanc veritatem, ſic Gal. *lib. de ſectis, & de optima ſecta ad Traſibulum*, aliiſque in locis.

Probatur 1. reſolutio: medicinæ præſtantior ſecta eſt illa, quæ ſcientifica eſt, demonſtratiuè procedit, Philoſophiæ eſt affinis, inter naturales ſcientias locum obtinet, & vt talis à ſummo Deo fuit hominibus communicata in Adami creatione ſimul cum reliquis ſcientiis, ſed hæc tantum eſt Dogmatica ſecta, rationalis dicta, quia ratiocinio, & demonſtratione procedit: ergo eſt reliquis præſtantior.

Secundò, præſtantior ſecta eſt, quæ reliquas excedit in certitudine, & euidentia concluſionum, quæ deducuntur ex ſuis principiis, & quæ latiſſimam tradit doctrinam ex illis deductam, pro ſecura, certa & tuta curatione cuiuſuis morbi, ſed talis eſt Dogmatica, vt euidenter conſtat ex modo procedendi earum: ergo eſt præſtantior reliquis.

Tertiò, ſecta rationalis naturæ rationem habet, cauſas morborum inquirit, ſignis illorum inuentionem vtitur, curationem à contrario intendit, prout cauſæ, aut morbi indicant; ſed hæc omnia in reliquis non reperiuntur: ergo reliquis eſt præſtantior.

§. IV.

Fit ſatis argumentis.

AD primum negatur minor, quia medicina Dogmatica, & rationalis, fuit hominibus à prima Adami creatione condonata, & à parentibus in filios deriuata. Hi verò, in quos non peruenit, cum ſcientiam propriis viribus condere non poſſent, Empiricam ſectam inuenerunt, in qua vtebantur eis remediis, quæ obſeruatione inuenerunt aliis fuiſſe ex vſu in ſimili morbo, & hac ſecta vſi ſunt, donec rationali medicina adepta, Empirica ſecta à doctioribus fuit excluſa vt parùm vtilis, remanſitque apud vetulas, & impoſtores aliquos, qui quia rationali medicinæ inepti, Empiricæ adhærent medicinæ, vt victum quærant, induentes medici nomen.

Ad 2. diſtinguo antecedens: ſecta Methodica adhæret rationali ſectæ ſecundum aliqua principia communiſſima, concedo; ſecundum omnia particularia, & ſpecifica præcepta requiſita ad rationalem methodum procedendi in curatione morborum, nego antecedens: ſecta enim Methodica paucis vtitur principiis, diminutè procedit, neque omnium morborum proſequitur cognitionem, & ideò neque ad neceſſarias valet peruenire indicationes, quibus omnium valeant morborum ſpecies curari.

Ad 3. reſpondetur diſtinguendo antecedens: ſecta Spagirica docet modum extrahendi validiora medicamenta, ſeparat ſubſtantias puras ab impuris, & quæ poſſunt morbos deuincere, qui non vincuntur remediis aliis, prout eſt ars miniſtra medicinæ Dogmaticæ, concedo; tanquam ars, ſeu ſecta ab illa diſtin-

A cta, nego antecedens. Secta enim Spagirica vno modo ſumitur pro arte chymica, quæ docet extrahere ſubſtantias puras ab impuris, & hæc ars eſt conſocia Pharmaceuticæ; & ſicut illa, miniſtra medicinæ, & quæ ab illa edocta, remedia adducit maxima, vtiliſſimaque pro ſalute. Alio modo ſecta Spagirica ſumitur pro quadam medicinæ ſecta, quæ ſicut falſis nititur fundamentis, ac principiis, falſas etiam elicit concluſiones, vt dicemus.

RESOLVTIO III.

B

Vtrùm ſecta Paracelſiſtica differat ab Spagirica?

§. I.

Pars negatiua proponitur.

PAracelſi diſcipuli ſectam Paracelſiſticam non quidquam differre iudicant ab arte Spagirica.

Pro quibus ſtat primò, quòd Paracelſus, illiúſque ſectatores, omnium Spagiricorum formulas recipiunt, chymicam artem profitentur, totique verſantur in ſeparandis ſubſtantiis puris ab illarum fæcibus, háſque puras ſeparatas ſubſtantias diuerſis nominibus denotant cum Spagiricis ſic, Magiſterium elementorum, Magiſterium principiorum, Extractum, Eſſentiam, Ens primum, Myſterium, Arcanum ſpecificum, Tincturam, Arcanum, Specificum materiale, Oleum, Coagulum, Specificum, Elixir, Clyſum; & alias quàm plurimas ſubſtantias Spagiricorum arte extractas comprobant, & recipiunt: ergo eandem cum illis profitentur artem. C

Secundò, vt patet ex Paracelſo *lib. 2. Paramiri*, totam medicinæ eſſentiam, in ipſis medicamentis arte Spagirica extractis, conatur Paracelſus ſtare. Et ideò illorum diſcipuli cum Quercetano medicinam definiunt eſſe, *eſſentiam quandam, à natura collocatam depromptam ex materia vegetabilium, mineralium, & animalium, quæ arte Spagirica debitè præparata, & ab impuritatib. ſeparata humani corporis morbos auferre poteſt*: Ergo Paracelſiſticorum ſecta eadem eſt cum arte Spagirica. D

Tertiò, ars Spagirica docet per ignem omnia mixta, ſiue mineralia, ſiue vegetabilia, ſiue animalia reducere in ſua prima principia, ſed hoc idem contendit Paracelſus *lib. 2. Paramiri cap. 2.* dicens: *Doceri debere arte Chymica, quid in homine ſit, per ignem ſingula examinando, & reſoluendo; & de modo Pharm.* in ſpiritu veram medicinam eſſe contendit, non in corpore medicamenti, & concludit tria tantùm principia reperiri in omni mixto Sal, Sulfur, & mercurium, quia Spagirica arte hæc tantum extrahi poſſunt ex quocumque illorum: ergo non differt ſecta Paracelſi ab arte Spagiricorum. E

§. II.

Affirmatiua pars determinatur ſuiſque fulcitur fundamentis.

RESoluendum, artem Spagiricam veterum Spagiricorum, quam Auicenna, Geberus, Rhaſis, Arnaldus de Villanoua, Raymundus Lullius, Blemidas, Braceſeus, Vitceanus, Ioannes Auguſtinus, Panterus, Iſaac Monachus, Morienes, Zocimus, & alij Hipp. Sectatores profeſſi ſunt, diuerſam eſſe à ſecta Paracelſiſtica.

Probatur 1. ars Spagirica miniſtra eſt medicinæ Dogmaticæ, & ſub Pharmaceutica continetur, vt

luculentè demonſtrauit Libauius, *in examine ſententiæ Pariſienſis in Alchymiam lata*, & manifeſtè conſtat quòd ſi ars Spagirica ſub Pharmaceutica contenta, eſt enim Pharmacopolæ munus (qui medici rationalis œconomus eſt) Pharmaca ſeligere, in vſum ſeruare, medicamentorum vtiles ab inutilibus ſeparare ſubſtantias; quod dum minore opere, & arte conſequitur, infuſione inquam, expreſſione, decoctione, clarificatione, diſtillatione, Pharmacopolæ nomen retinet. Ipſe verò dum id munus maiore ignis vi, & arte conſequitur, Calcinatione, Sublimatione, Diſſolutione, Reuerberatione, Aſſatione, in humiditate, Inceratione extrahens puriores ſubſtantias medico deſeruientes pro morbis curandis, tunc Pharmacopola, Spagiricos nominatur; ſed Paracelſus non tantùm in his ſiſtit, ſed nouam medicinæ ſectam diuerſis principiis ab aliis conditam conatur adſtruere: ergo differt Spagirica à ſecta Paracelſiſtica. Probatur minor Philippus Theophraſtus Paracelſus medicinæ affectans monarchiam, Philoſophorum omnium, ac medicorum deſerens placita quatuor humores in corpore humano reperiri negat, quatuor elementa tanquam prima principia omnium rerum communiter recepta, ex quibus mixta fiunt, & in quæ reſoluuntur, reiicit; Sal, Sulphur, & mercurium omnium rerum principia, conſtituit, ex eis omnia fieri contendit, & in ea omnia vi ignis reſolui. In horum vnione ſanitatem ponit, morbum verò ex eo cauſari, quòd diſſoluantur, & rupto fœdere, vnum eorum à cæteris, aut omnia inter ſe diſſentiant. Quod dicit fieri: *Quando ab aſtro virilia, aut aſtralia redduntur, ſiue in exaltationem deducantur. vbi Sal reſoluitur, calcinatur. reuerberatur; mercurius diſtillatur, ſublimatur, aut præcipitatur, Sulphur accenditur, coagulatur, aut reſoluitur, &c.* Sed hæc omnia ſunt principia ab arte ſpagirica omnino diuerſa; ergo Paracelſus, artem diuerſam ab ipſa, & ab aliis medicinæ ſectis conatur adſtruere.

Probatur 2. Ars ſpagirica ſiſtit in medicamentorum extractione, & vt plurimum ſe extendit ad eorum applicationem: ſed Paracelſus in ſua ſecta non ſiſtit in his, ſed quamplurima alia ſuæ ſectæ coniungit: ergo ars Spagirica differt à ſecta Paracelſiſtica. Probatur minor, Paracelſus Spagiricis vtitur remediis, vt tegat cum eorum vſu abuſum plurium ſuperſtitionum. In hunc finem vtitur etiam Energia plurium nominum conducentium ad Aſtrologiam, ſic in explicandis mineralibus, aurum Solem, argentum Lunam, plumbum Saturnũ, ſtannum Iouem, æs Venerem, ferrum Martem vocat. Prætereà pro morborum curatione vltra remedia Spagirica *lib. de abdita Philoſophia*, ex ſacris Theologiæ fontibus contendit aliqua educere remedia, ſcilicet orationem fidem, & imaginationem, quibus ſolis ſe plures curaſſe morbos gloriatur: ergo ſecta Paracelſiſtica non ſiſtit in modo operandi artis Spagiricæ.

Probatur 3. Ars Spagirica nullis vtitur impiis remediis, ſed Paracelſus vir veneficus, inter veneficos ſui temporis inſignis, vt venefica, quibus vtebatur occultaret, non ſolum vt probauimus, vocabulorum Aſtrologiæ energia, & artis Spagiricæ inuolueris, ſed veneficis remediis à Cacodæmone inuentis, impiâ, abſurdâ, inuerecundâque vtitur audaciâ: ergo Paracelſiſtica ſecta differt ab arte Spagirica. Probatur minor. *lib.* enim *de occulta Philoſophia* Paracelſus ad maleficium hoc proponit remedium: *Membrum effingit, manum ſcilicet, pedem, aut aliud membro dolenti planè ſimile. aut imaginem integram efformare, quam abluite, & inungite, non hominem, &c.* Et aſſerit hoc remedio curari, *dum non nimis vrgent dolores*, vel *in principio morbi*, ſi vero fiant intenſiores, ſuperaddit, *imaginem ceream cum firma fide, & attenta imaginatione formandam eſſe.* & ſuperaddit, *hæc non diſci in ſcholis; quia non omnia, quæ à Medico ſciri debent, docentur in Academia, ideò operæ pretium eſſe, vt Medicus cum vetulis colloquatur, Tartaros conſulat: Necromanticos, Circulatores, Agricolas, alióſque id genus homines:* Ergo Paracelſus non ſolum Spagiricis, ſed veneficis remediis à Cacodæmone inuentis vtitur.

§. III.

Argumenta diluuntur.

AD 1. diſtinguo antecedens: Paracelſus, & illius ſectatores; omnes Spagiricorum formas recipiunt, in quantum cum ſua ſecta artem Spagiricam coniungunt, concedo: ita vt in operibus ſolius Spagiricæ artis ſiſtant, nego antecedens. Secta enim Paracelſiſtica, vt aliqua veneficia quibus adhæret, occultaret, arte Spagirica vtitur, vt Paracelſus ope Spagiricorum remediorum occultaret, quæ opera, dæmonis ope conſequebatur.

Ad 2. negatur conſequentia: Quia Paracelſi diſcipuli, ſicut & Quercetanus, aliquando ſolum Spagiricam artem, quam ſibi aſciſcunt, diffiniunt, non verò totam Paracelſi ſectam, quam amplectuntur.

Ad 3. diſtinguo minorem: Sed hoc idem contendit Paracelſus, dum ponit præcepta propria ſuæ ſectæ, nego, dum agit de præceptis artis Spagiricæ quam ſuæ adiungit arti, concedo minorem. Cum enim Spagiricam artem amplectatur, iuxta eius principia plura proponit tanquam Spagiricus, non tamen tanquam Paracelſiſticus Præceptor.

Resolvtio IV.

Quid ſit Medicina Dogmatica?

§. I.

Artis inducere rationem ex Auerroë, Fuchſio, Sennerto, & aliis ſuadetur.

MEdicinam Dogmaticam artem mechanicam eſſe contendunt Auerroës, Fuchſius, Sennertus, Godofredus, & alij: Mercatus verò, & Petrus Garcia, & artem eſſe, & ſcientiam defendunt, pluresque alij ex Auicennæ Commentatoribus.

Pro quibus ſtat primò Hipp. *lib. de lege*, qui medicinam eſſe artem præclariſſimam docet, & *in principio lib. de flatibus*, dicit: *Ex harum genere artium eſt medicina. & lib. de veteri medicina, lib. de arte, lib. de medico*, probat dari artem medicinæ, & eius neceſſitatem demonſtrat; *lib. 1. aphor. cap. 1.* dicit: *Medicinam eſſe artem*: ſtat ſimiliter Gal. *lib. artis medicinal.* vbi de arte medicinæ per totum librum agit, & *lib. 1. method. c. 2.* dicit: *Medicinam præſtantiorem eſſe aliis artibus, & quòd eſt præclariſſima* artemque eſſe, aliis quam plurimis in locis profitetur: ergo medicina eſt ars, & non eſt ſcientia.

Secundò ſcientia ex Ariſt. 2. *poſterior. eſt de vniuerſalibus neceſſariis, & quæ aliter ſe habere non poſſunt*: ſed medicina de ſingularibus agit, ex Ariſt. 1. *metaph. c. 1.* dicente: *Actiones vero, generationeſque omnes in ſingularibus verſantur, neque enim hominem curat medicus niſi per accidens, ſed Calliam, vel Socratem, vel quempiam aliorum, qui ita dicuntur, cui accidit, vt homo ſit, &c.* Ergo medicina non eſt ſcientia.

Tertiò: contingit plerumque eadem opera medicũ exercere circa ægrotantes, quæ exercentur ab eius miniſtris, componit enim aliquando pharmacum, vel

venæ ſectionem exercet:ergo ſicut artes illi miniſtrantes non ſunt ſcientia,nec ipſa medicina.

§. II.

Medicinam eſſe ſimpliciter ſcientiam reſoluitur.

RESoluendum tamen: quod Medicina dogmatica eſt ſimpliciter ſcientia, nihil includens artis. Primam partem reſolutionis tenet Auic.*ſen.*1.1.*doctr.* 1,*cap.*1.Gentilis *ibidem cap.*Nicolus Florentinus *tract.* 1.*ſerm.*1 *diſtinct.*2.c.3.Iacobus de Partib. *ſen.*1.1. *different.*1 *com.*1. Iacobus Forliuienſis *in Auicen.loco citato*, Grattolus *lib.*1. *cap.*2. Vuekcirus *lib.ſyntaxis medicinæ*, Petrus Garc.*ſuper Auic.ſen.*1.1.*diſp.*1. Varandeus *lib.*1. *Phyſiologiæ c.*1. Santa-Cruz *in ſen.*1.1.*opuſc.*1.Mercatus *tom.*1.*quæſt. proœmiali art.*4. Martinez ille, Recentior quidem, ſed ſummus apud Complutenſes Theoricus, *quæſt.*1. *proœmiali*, Zacutus *in Introitu ad praxim, præcepto* 33.

Probatur 1. Ex Auic.*loco citato*, vbi medicinam per ſcientiam diffinit; ex Galen. *lib. artis medicæ, c.*1. qui medicinam docet, *eſſe ſcientiam ſalubrium, & inſalubrium,& neutrorum.& lib.ſuaſorio ad artes*,ſimiliter fatetur eſſe ſcientiam.

Probatur 2. Scientia ſimpliciter talis,ex Ariſt.*lib.*1. *poſter.* eſt habitus acquiſitus per demonſtrationem, ſed in medicina Dogmatica dantur demonſtrationes, per quas illius habitus acquiratur: ergo illa eſt ſimpliciter ſcientia.Probatur minor ex Galen.*lib.*4. *Methodi*, dicente: *Arbitror,& in his omnibus, quæ in medicina demonſtrantur,ad primas,& indemonſtrabiles propoſitiones,& quæ ex ſe fidem faciunt, omnia eſſe perducenda*,&c. Tum quia in medicina Dogmatica demonſtratur, quòd morbus eſt res præter naturam, cum corrumpat ſubiectum; quòd ſeneǐctus, & mors naturalia non poſſunt euitari, cum ab internis cauſis neceſſariis & naturalibus procedant:Quòd temperamentum fit ex elementis:Quòd contraria contrariis curantur: ergo in medicina ſunt demonſtrationes, per quas generatur habitus illius ſimpliciter ſcientificus.

Dices, quòd probatur, quòd medicinæ habitus ſit ſcientia,non tamen quòd ita ſit ſcientia,vt non poſſit ſimul eſſe Ars.

Contrà habitus ſcientiæ non poteſt eſſe ars,ſed medicina eſt habitus ſcientificus: ergo nunquam poteſt eſſe ars.Probatur maior, ſcientia eſt habitus acquiſitus per demonſtrationem,ſed in artibus non ſunt demonſtrationes. Præterea ſcientia differt ab arte ex Ariſt.6. *Methaph. c.*1. Quia ars exercitio plurium actuum acquiritur, & per experientiam; ſcientia verò demonſtratione,ex magiſtris, & librorum lectione. Præterea quia habitus ſcientificus ſiſtit in ſui obiecti ſpeculatione: Ars eſt habitus alicuius operis rectè efficiendi: ergo habitus, qui eſt ſcientificus, nullo modo poteſt eſſe Ars.

Confirmatur Ariſt.ſcientia ſpeculatur obiecti naturam ab alio facti,ars verò obiectum reſpicit, quod eſt factibile ab ipſa arte, ſed medicina ſpeculatur humanum corpus,quod non eſt factibile ab ipſa,ſed à natura: ergo eſt habitus ſimpliciter ſcientificus.

Dices, quòd licèt medicus non operetur corpus humanum operatur tamen ſanitatem de qua agit.

Contrà ſtat Hipp.6. *epidem. ſect.*5. docens, Naturam morborum eſſe medicatricem;& Galen. *lib.de optima ſecta ad Traſibulum*, c.4. dicit, quòd auxilia, quæ applicantur ab arte, non poſſunt ſanitatem acquirere, ſed naturæ adminiculum præſtare, motúſque initium, naturam verò omnia per ſe perficere;& Auic.*ſen.*1.4. *tract.*1.*c.*8.dicit:*Curans,vt ſciuiſti eſt virtus,nam medicus tantum facit inſtrumenta peruenire ad virtutem, &c.* Ergo medicina non efficit ſuum obiectum, ſed id quod factibile eſt à natura ſpeculatur, modumque demonſtrat,& media quibus ipſa coadiuuare poſſit in hunc finem.

§. III.

Fit ſatis pro argumētis, & roboratur reſolutio.

AD 1. diſtinguo conſequens: ergo medicina eſt ars prout condiſtinguitur à ſcientia, nego; eſt ars, prout ars aliquando eſt quid ſuperius ad artem,& ſcientiam, concedo conſequentiam. Ars dupliciter vſurpatur, primò, prout ſcientiæ opponitur, in qua acceptione illam diffinivit Ariſt. *lib.*6. *Ethicorum, c.*4. Quòd ſit *habitus faciendi vera cum ratione*, Secundò ſumitur latiori modo, prout artem, & ſcientiam comprehendit, ſic vſurpatur ab Ariſtot. 1. *Metaph. cap.*23. In qua acceptione ars eſt duplex, vna mechanica, altera doctrinalis; ars mechanica ſeptem artes mechanicas comprehendit ſcilicet lanificiam, militarem, medicinam, agriculturam, venatoriam, nauticam,& fabrilem. Ars doctrinalis alia dicitur liberalis, quæ ſeptem etiam artes liberales comprehendit, tres dictas ſermocionales, Grammaticam,Rhetoricam, & Logicam; & quatuor Mathematicas,Muſicam,Arithmeticam, Geometriam, & Aſtronomiam. Alia eſt ars doctrinalis non liberalis, quæ ſeptem etiam artes huiuſmodi ſe continet, tres dicuntur morales Ethica, Oeconomica,& Politica, duæ naturales,Phyſica, & Medicina,duæ quaſi diuinæ,Methaphyſica,& Theologia. Ex quibus patet medicinam ſcientiam eſſe Philoſophiæ conſociam, & inter ſcientias, naturales contentam, quæ omnes ſub arte comprehenduntur in hac artis latiſſima acceptione.

Dices medicinam poni ſub artibus mechanicis, & ideò neceſſariò recedere à ſcientia.

Reſpondetur, quòd medicina vſurpatur dupliciter, vno modo pro habitu ſcientifico intellectuali per demonſtrationem acquiſito, per quem medicus Dogmaticus ſit talis, & hic ſiſtit in contemplatione corporis humani,vt ſanabile eſt, & talis ſub naturalibus ſcientiis ars eſt. Alio modo vſurpatur pro habitu, ſeu facilitate, quæ acquiritur per experiĕtiam eorum actuum, qui a miniſtris medicinæ exercentur circa ea,quæ conducunt pro acquiſitione ſalutis in homine;& per huiuſmodi habitus conſtituuntur Pharmacopola, Phlebotomus, & alij miniſtri medicorum, qui exercent ea, quæ à medico neceſſaria pro ægrotis eſſe demonſtrantur;& huiuſmodi artes dicuntur medicina, quia pro ſalute acquirenda in homine operantur, & quia opere exercent,quod demonſtratione neceſſarium cognouit medicus,ideò artes ſunt mechanicæ;ſicut ſunt artes mechanicæ,quæ deſeruiunt Architecto pro exercendo, quæ ipſa neceſſaria pro conſtruenda domo demonſtratione cognouit: quod manifeſte deducitur ex Gal. *lib.*6. *de morbis vulgaribus comm.* 2. dicente: *Quam enim proportionem Architectus erga ædificatores, lignarioſque fabros,& alios, quibus imperat artifex, eandem & medicus circa miniſtros ſuos gerit. Iſti verò ſunt, herbarij, vnguentarij,coqui,cataplaſmata adhibentes,humorem conſpergentes, clyſterem ſuffundentes, cucurbitulas affigentes, ſcarificantes, venam ſcindentes, &c.*

Ad 2. diſtinguo minorem: medicina agit de ſingularibus, ſi ſumatur pro habitu alicuius ex artibus illi deſeruientibus, concedo; ſi medicina ſumatur pro ſcientifico habitu medicinæ, nego minorem. Medicina enim, vt probauimus, quæ eſt habitus ſcientifi-

cus

tus, demonſtratiuè tantum procedit, & agit de homano corpore, vt ſanabile, circa quod demonſtrat auxilij quantitatem, qualitatem, occaſionem, & viendi modum, id tandem, quod demonſtratiue cognouit exequendum pro acquirenda ſanitate, exercent miniſtri circa Calliam, vel Socratem, vel alios homines, per habitus artium medicinæ deſeruientium, quos etiam medicinam vocauit Ariſt.

Ad 3. diſtinguo antecedens: pleromque eadem opera exercet medicus, quæ exercentur ab eius miniſtris, vt medicus eſt, nego; vt miniſter artis, concedo antecedens: patet id ex Galen. *loco citato ad primum* paucis interpoſitis, inquit enim: *At ſi nos etiam deducimus, & facimus, perinde facimus, ac gubernator remigandi peritus, & facilè ſummum malum aſcendere valens, & omnia alia nautarum munia cognoſcens, & faciens, ſæpè & arcu vti, & iaculari, & pugnare gladio, haſtaque ſciunt, & faciant Reges pariter ſed non vt Rex, aut Imperator erat Alexander Macedo, aut eius pater Philippus, ſed per alias artes Imperatoria, aut Regia ſeruientes hæc munera obibant militaria: itaque nos vt medici cuiuſcumque auxilij quantitatem, qualitatem, occaſionem, & vtendi modum cognoſcimus, vt miniſtri vero venam ſcindimus, & cucurbitulas adhibemus, & reliqua manibus operamur.* hæc Galenus.

Resolvtio V.

Vtrùm Medicina Dogmatica ſit ſpeculatiua?

§. I.

Suadetur pars negatiua.

PArtem negatiuam tuentur Auerroës, Sennertus, Godofredus, & reliqui, qui medicinam Artem eſſe fatentur, pluresque Auicennæ Commentatores, etiamſi ipſam ſpeculatiuam eſſe fateantur, ſimul practicam eſſe admittunt. Pro quibus videtur ſtare D. Thom. 2. *de verit.* & Gal. *lib. de constitutione artis medicæ, & lib. 1. method. medendi*, qui medicinam eſſe artem factiuam, & conſequenter practicam eſſe dicunt.

Secundò ſtat Auicenna, *fen.* 1. 1. *doctr.* 1. Qui medicinam diuidit in practicam, & theoricam: ergo licèt ſit ſpeculatiua vna pars, practica debet eſſe altera eius pars.

§. II.

Pars affirmatiua tuetur.

REſoluendum tamen, quòd habitus ſcientificus Dogmaticæ medicinæ eſt ſimpliciter ſpeculatiuus, & nullo modo practicus. Quantum ad primam partem, admittunt Mercatus *tom.* 1. *q. proœmiali art.* 5. Petrus Garc. *diſp.* 1. *in fen.* 11. *cap.* 6. & alij ex commentatoribus Auicennæ.

Quoad vtramque verò partem probatur 1. Habitus practicus eſt, qui habet pro fine praxim, vt docet D. Thom. *opuſc.* 7. *quæſt.* 5. *art.* 1. *ex doctr.* Ariſt. *lib.* 9. *metaph. cap.* 2. Sed habitus medicinæ Dogmaticæ non habet pro fine praxim: ergo nullo modo eſt practicus. Probatur minor, Habitus medicinæ ſpeculatur corpus vt ſanabile, & in eius ſpeculatione ſiſtit, vt patet ex Auicenna *fen.* 1. *c.* dicente: *Cum ergo de medicina dicimus quod eſt theorica, & quod eſt practica, non eſt exiſtimandum, quòd velimus dicere, quòd vna diuiſionum medicinæ eſt ſcire, alia eſt operari, vt multi iudicant hunc locum perſcrutantes, ſed debes ſcire, quod illud, quod volumus, eſt aliud, & quod nulla dictarum diuiſionum medicinæ eſt niſi ſcientia.* Hæc Auic.

A ergo ex eius ſententia habitus medicinæ tam quoad partem theoricam, quàm quoad practicam eſt ſcientificus, & ſpeculatiuus ſimpliciter.

Dices quòd habitus ſpeculatiuus non poteſt attingere modum operandi, cum hic opus includat, à quo ſpecificatur ſcientia practica.

Contra ſtat D. Thom. *q.* 3. *de veritate art.* 3. qui docet modum, quo habitus ſpeculatiuus poteſt agere de re operabili, his verbis: *Cum operatio rei terminatur ad eſſe illius, tunc conſideratur res, vt operabilis, vel modo operabili, cum conſiderantur in illa omnia, quæ ad ipſius eſſe requiruntur in ſingulari, & vt ſit à parte rei, potius ab his abſtrahit habitus ſpeculatiuus conſiderando ſolum rationes communes, & æternas, ſicut ſi artifex conſideret domum con-*
B *ſiderando paſſiones eius, genera, & differentias, & alia huiuſmodi inueſtigando.* Hæc D. Thom. ergo licet medicinæ habitus de re operabili, ſpeculando modum inquirendi ſanitatem, agat, ſimpliciter ſpeculatiuus eſt.

Probatur 2. Habitus medicinæ Dogmaticæ eſt ſpeculatiuus ex Auic. ergo nullo modo poteſt eſſe practicus. Probatur conſequentia ex D. Thoma 1. 2. *q.* 7. *art.* 1. *ad* 1. dicente: *Practicum, vel operatiuum, quod diuiditur contra ſpeculatiuum, ſumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus ſpeculatiuus, &c.* ergo habitus medicinæ, qui ſpeculatiuus eſt, nunquam poteſt ordinem dicere ad opus exterius, per quod fiat practicus.

Probatur 3. Scientia practica eſt, quæ habet pro fine praxim: ergo nullo modo poteſt medicina dici practi-
C ca. Patet conſequentia, quia ſiſtit in contemplatione ſui obiecti eius demonſtrando paſſiones, quantitatem, qualitatem, & occaſionem, & modum vtendi auxiliis, ex Gal. *lib. de morbis vulgarib. comm.* 1. ita vt actiones, quæ circa hæc fiunt, ſint miniſtrorum exequentium manuali operatione, quæ neceſſaria demonſtrauit medicus.

§. III.

Satisfit authoritatibus.

D AD 1. reſpondetur, D. Thomam, & Gal. loquutos fuiſſe de habitibus artiũ miniſtrantium, qui omnes, dicuntur medicina, & ſunt practici, vt diximus.

Ad 2. reſpondetur ex ipſo Auic. qui in loco citato pro concluſione docet, non vocari practicum medicinæ habitum, quia recedat à ſcientia ſpeculatiua, ſed quia licet ſpeculatiuus modum operandi attingat, quod quia ſiſtendo in eius ſpeculatione facit, ſemper ſcientificus, & ſpeculatiuus eſt, licèt denominatiuè dicatur practicus, prout diſtinguitur à ſe ipſo, prout reſpicit, & ſpeculatur reliquas ſui obiecti partes.

Resolvtio VI.

E
Vtrùm corpus humanum vt ſanabile, ſit medicinæ obiectum?

§. I.

Valleriola, Plempius, & Santorius, negatiuam partem, licèt diuiſiuè, ſancire conantur.

VAlleriola *lib.* 1. *de locis communibus*, & reliqui, qui medicinam artem eſſe contendunt, iudicant, quòd medicina reſpicit corpus tanquam materiam circa quam operatur, ſanitatem verò tanquam finem,

 à quo

à quo in artibus ſumendam eſſe ſpecificationem omnes admittunt. Plempius *lib. 1 de fundamentis medicinæ*, ſcientiam, & artem formaliter idem eſſe fatetur, & quòd medicinæ, vt ſcientia eſt, obiectum adæquatum materiale eſt corpus viuens. Santorius, Corpus humanum non ſolùm vt ſanabile, ſed vt ſanum, medicinæ adæquatum conſtituit obiectum.

Pro quibus ſtat 1. Medicina eſt ars, ſed artes non ſpecificantur penes materiam circa quam, ſed à fine in quem tendunt: ergo medicina non reſpicit tanquam obiectum corpus humanum, vt ſanabile, ſed ſanitatem, quam reſpicit tanquam finem. Probatur minor ex Gal. *lib. ad Traſibulum*, dicente: *Artes non à materia quam tractant, ſed à fine diſtingui*, & ſubdit: *Medicinæ artis, vna cùm ſit, infinita ſunt materia, & corpus ipſum ſanitatem accipiens, ac potus, ac medicamenta omnia, hæc igitur medicamentorum materia, corpus verò tanquam id ex quo finis, aut in quo, &c.*

Secundò, vt aliquod dicatur obiectum alicuius ſcientiæ requiritur ex parte obiecti, vt quidquid continet ſit ſub illa ſcientia, & vt vnitatem, & ſpeciem ſcientiæ det illi, ita vt per illud poſſit diffiniri, ex parte ſcientiæ, vt ſcientia adæquatè conſideret id obiectum, & vt tradat cauſas, tùm affectiones illius, ſed hæc omnia (inquit Plempius) reperiuntur in corpore viuente: ergo corpus viuens eſt adæquatum medicinæ obiectum.

Confirmatur, ſi corpus viuens non eſſet admittendum obiectum adæquatum materiale medicinæ, maximè quia ſub illo Veterinaria ars, Mulomedicinaria, aut Agricultura comprehenderentur (quod medicinæ, & Medicis, & veritati eſt indecorum) ſed medicina has omnes comprehendit patet: ergo corpus viuens eſt medicinæ obiectum. Probatur minor: medicina, Veterinaria, & Agricultura præcepta habent communia, finem communem, ſanitatem nimirùm: ergo medicinæ nomen commune habent.

Dices, quòd artes differunt à ſcientia, quia hæ obiectum, illæ reſpiciunt finem, à quibus ſpecificantur, artes verò ſunt inter ſe diuerſæ, quatenus diuerſos fines reſpiciunt; Veterinaria ars, & Agricultura inter ſe à fine differunt, Veterinaria enim ſanitatem reſpicit in iumentis, herbaria in ſtirpibus.

Contra inſurgit Plempius, medecina in homine eadem eſt, etſi diuerſis finibus reſpiciat ſanitatem in oculis, in corde, aut iecore, etiam ſi ſint diuerſi fines, & curandi modi pro illis partibus: ergo ſimili modo à ſola illa ſpeculari poteſt ſanitas in iumentis, in herbis, & in quocumque alio corpore viuente.

Tertiò, medicina non ſolùm docet corpora humana reducere, & morboſa curare, ſed etiam corpora ſana in ſanitate conſeruare, vt demonſtrat Gal. *in lib. de ſanitate tuenda*, ſed corpus ſanum non eſt ſanabile, cùm iam ſit ſanitate præditum: ergo medicinæ obiectum non ſolum eſt corpus humanum, vt ſanabile, ſed etiam vt ſanum.

§. II.

Medicinæ obiectum ſancitur.

Reſoluendum Affirmatiuè cum Auic. commentatoribus, quos ſequitur Carreitos *diſp. 2. in ſen. 1. t. cap. 1.* Mercat. *quæſt. 9. proœmiali. art. 6.* Varandeus *de præcognitis in medicinam cap. 3.* Conciliator *differ. 6.* tenet D. Thom. *in quæſt. ſuper lib.* Boëtij *de Trinitate c. 2.* fauet Ariſt. 1. *Rhetoricorum ad Theodoſium.*

Probatur 1. ex Gal. *lib. 1. de ſanitate tuenda cap. 4.* vbi probat medicinam eſſe neceſſariam, quia corpus

A humanum obnoxium eſt mutationibus, & alterationibus; ſed quælibet ſcientia ob ſui obiecti ſpeculationem neceſſaria eſt: ergo obiectum medicinæ eſt corpus humanum, vt mutationibus obnoxium, ſeu vt ſanabile.

Probatur 2. Illud eſt obiectum medicinæ, per quod ſpecificatur, & ſit vna ſcientia ſecundum ſpeciem ab aliis ſcientificis habitibus diſtincta; ſed per ordinem ad corpus humanum in cuius ſubſidium Adamo fuit cum reliquis communicata vt ſanabile eſt, ſpecificatur medicina: ergo eſt medicinæ obiectum, corpus humanum vt ſanabile eſt. Probatur minor, Medicina, ſicut & quælibet alia ſciẽtia, ſpecificatur per

B ordinem ad illud obiectum, per quod innoteſcit & diffinitur, ſed medicina innoteſcit, & diffinitur per ordinem ad corpus humanum vt Sanabile, vt conſtat ex Auic. *ſen. 1. t. tract. 1. cap. 1.* vbi docet quod medicina eſt ſcientia, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ex parte qua ſanantur: ergo medicina ſpecificatur per ordinem ad corpus humanum, vt ſanabile.

Probatur 3. Obiectum medicinæ eſt illud, cuius naturam, affectiones & proprietates ſpeculatur medicinæ habitus, & circa quod agunt artes medicinæ deſeruientes, ſed ſpeculatiuus medicinæ habitus ſpeculatur, quæ corpori humano ſunt ſecundum natu-

C ram, elementa, temperamenta, humores, partes, ſpiritus, calidum innatum, humidum radicale, facultates, & propria generationis principia, ac conformationem, & eius affectiones, cauſam, morbum, & ſymptoma, curationemque illius per horum contraria: ergo obiectum medicinæ eſt corpus humanum, vt ſanabile eſt.

§. III.

Vallcriola, Plempij, & Santorij fundamenta diluuntur.

Ad 1. diſtinguo minorem, artes non ſpecificantur penes materiam circa quam, ſed penes obiectum; ſi ſint artes mechanicæ, concedo; ſi ſint artes

D liberales, & habitus ſcientifici, nego minorem. Vt enim conſtat ex dictis, ſub arte, ſunt artes mechanicæ, & liberales, ac ſcientificæ, inter ſcientificas eſt medicina, quæ ideò petit ſpecificari ab obiecto quod ſpeculatur.

Ad 2. negatur minor, ſpeculatur enim corpus humanum vt ſanabile habitus ſcientificus medicinæ. Adamo enim fuit communicatus ſimul cum aliis ſcientiis in ſubſidium ſalutis humanæ, ſpecificatur huiuſmodi habitus ab illo, & ideò Auic. definit medicinam, *ſcientiam, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur, ex parte qua ſanatur*, quidquid enim ſpeculatur, ad corpus vt ſanabile aliquo modo conducit, ideò prin-

E cipia communia rerum attingit, particularia mixtorum, & viuentium, horumque adintegrantes partes complectitur, quatenus homini qua parte corpus, qua mixtum, qua viuens communia ſunt, cuius vt ſanabile vlterius rimatur affectiones quaſcumque.

Ad confirmationem dicimus, quòd ſicut Plempius indulget nobis, ſi communi omnium Medicorum aſſenſu adſtricti, corporis humani tantum ſpeculationem attingamus, indulgeamus illi, ſi & Medicus, & Veterinarius, & Mulo-medicus, & Agricultor velit eſſe, cùm fateatur, quòd ſpeculatiuus medicinæ habitus, per quem Medicus fit talis, humanum corpus vt ſanabile ſpeculatur tantùm. Licet in ratione communi medendi, à qua medicina nomen deſumpſit, aliquam habeat cum reliquis, qui medentur, analogiam, non ideò medicinæ habitus ſcientificus horum

omnium

omnium ſpeculationem attingit; aliàs Theologia, quæ animarum medetur peccata, & artes in refectionem ordinatæ, tam artificialium, quam naturalium rerum, omnes eſſent ſub medicina; ſed diuerſo modo tendunt in ſuos fines, medicina verò ſub vnica formali ratione quaſcumque corporis partes ſpeculatur vt ſanabiles ſunt, & ideò vnico habitu ſcientifico.

Ad 3. diſtinguo minorem, corpus humanum ſa-
A num, non eſt ſanabile redoplicatiuè, vt ſanum eſt, concedo; ſpecificatiuè, vt corpus humanum eſt obnoxium morboſæ diſpoſitioni, nego minorem. Vel diſtinguo minorem, non eſt ſanabile ſanitate reductionis, vel curationis, concedo; ſanitate conſeruationis, nego minorem; licet enim Medicus non agat circa corpus ſanum curando illud; agit, illius ſanitatem conſeruando.

DISPVTATIO II.

De Elementis.

DE Elementis diſputant Philoſophi cum Ariſt. *in lib. de cælo*, ſecundum quod ſunt partes huius Vniuerſi; diuerſaſque locomotiuas ſeculares habent, quibus in loca propria deferuntur. Diſputant & de illis cum eodem *in lib. de ortu, & interitu*; ſecundum quod ſunt prima principia generationum, & corruptionum, quæ ordine naturali fiunt mediis primis qualitatibus, quarum generationes, & corruptiones ſunt opus. Medici verò de elementis agunt cum Galen. ſecundum quod partes ſunt, ex quibus conflatur mixtum, & quatenus ex illis; illud ſuam naneiſcitur temperiem, cauſamque ſuæ conſeruationis, & interitus; cui nos ſpeculationi adhærentes, de elementis diſputabimus, Philoſophis relinquentes, quæ vltra veniunt de illis examinanda. De
C ipſis verò primus omnium egit Hipp. *lib. de natura humana, & lib. de carnibus.* Ariſt. *lib. 2. de ortu, & interitu, lib. 3 de cælo, lib. 4. meteor. & in lib. metaph.* In cuius expoſitione agunt ſimiliter de elementis D. Thomas, Auerroës, & vniuerſi illius commentatores. Agit Galen. de elementis. *in commentariis ad lib. de natura humana, in lib. de elementis, in lib. 8. de placitis. Hipp. & Platon.* Auic. *fen. 1. 1. d. 1 cap. 1.* Gentilis, *ibi*, Iacobus Forliuienſis, Iacobus de Partibus, Nicolus Florentinus, & reliqui Arabis commentatores. Præcipuè tamen ex modernioribus medicis, prout ad noſtrum attinet inſtitutum, hanc materiam elaborarunt Valleriola *lib. 1. de locis communibus. c. 9.* Fernelius *lib. 2. Phyſiolog.* Valles *lib. 1. controu. & lib. de Sacra Philoſophia*, Petrus Garc. *ſen. 1. 1. c. 1. diſp. 2.* Santa-Croz *in fen. 1. 1. opuſc. 2.* Vaſandeus *lib. 1. Phyſiolog ſect. 1. tract. de elementis.* Duncanus *lib. 1. Phyſiolog. c. 5.* Eurnius *inſtitutionum medicinæ, lib. 1. c. 3.* Leonardus Fuchſius *lib. 1. inſtit. ſect. 2.* Segarra *in commentariis ad lib. Hipp. de natura humana.* Mercatus *tom. 1.* Vuecherius *in ſyntaxi, lib. 1. p. 1.* Petamatus *lib. de elementis.* Martinez Complut. *lib. 1. tract. 1. ſect. 1.* & alij plures.

B Quartò propriè elementa dicuntur ignis, aër, aqua, & terra quæ prima ſunt principia, ex quibus fit mixtum; & in quæ tandem vltimò reſoluitur; in qua acceptione agemus de elementis.

SECTIO PRIMA.

De elementorum natura.

ELEMENTI multiplex eſt acceptio, 1. pro primis cuiuſque rei principiis: ſic orationis litteræ, ſic ſcientiarum prima principia, dicuntur elementa. Secundò ſumitur pro principiis generationis, ideò Ariſt. 12. *Metaph. c. 4.* Materiam primam, formam, & priuationem conſtituit generationis elementa. Tertiò elementum pro ſola materia prima vſurpatur, qua acceptione abutitur Ariſtoteles *Phyſic. 1.*

RESOLVTIO I.

Verùm quatuor elementa dentur, & in rebus, & pro mixtis neceſſaria?

§. I.

Nouatorum Paracelſiſticorum aperitur Dogma.

ARiſtot. antiquiores Philoſophi, cœlum, & materiam primam nudam ab omni forma fuiſſe creata in prima rerum geneſi, & ex materia prima omnia mixta facta fuiſſe, alij ex atomis; alij verò ex hoc, aut illo determinato elemento, contendebant; quorum placita ipſe exploſit ab ſcholis, & quatuor elementa omnium mixtorum ſtabiliuit principia, donec Paracelſus Dogmaticæ medicinæ iuuerſor hoc etiam Philoſophiæ commune iam principium, conatus euertere,
D & omnium mixtorum noua conſtruere elementa Sal, Sulſur, & mercurium. Sulſur vocat quidquid in corporibus facilè accenditur: Sal, quod petit fundum; mercurium, quod liquidatur, aut tollitur in vaporem.

Probatur antiquorum Dogma; tum quia pro quocumq; mixto ſufficit materia nuda, cui mixta ſuperueniat forma ſine elementalium præcedentia; tum quia elementa in mixto ſunt vt plurimum propter quatuor qualitates, quæ in duobus elementis in ſummo poſſunt reperiri, & hæc vt plurimum dicentur neceſſaria; tum quia plures generationes fiunt ſine ope elementorum, aut ſuarum qualitatum, vt in ſuffocatis, & ferro
E extinctis apparet: ergo quatuor elementorum neceſſitas ob mixta, nullo modo potuit ab Ariſt. ſtabiliri.

Secundò Paracelſiſtarum doctrina comprobatur; quia cùm vnumquodque reſoluitur in ea, ex quibus componitur, illa dicentur propriè elementa mixtum componentia, in quæ mixtum poteſt reſolui: ſed omne mixtum, vt in operibus Spagiricæ artis demonſtratur, reſoluitur in Sulfur, Sal, & mercurium: ergo illa ſunt elementa in rebus deſtinata pro mixti productione.

Tertiò, elementa in mixtis ſolum virtualiter remanere poſſunt in probabiliori opinione, vel vt plurimum ſecundum ſuas materias, ſed mixtum non poteſt non fieri ex miſcibilibus corporeis conſtantibus ex materia, & forma: ergo elementa non ſunt

neceſſaria

neceſſariæ principia illius, ſed Sal, Sulfur, & mercurius, quæ ſunt ſubſtantiæ corporeæ. Probatur minor, vnumquodque totum fit tale, qualia ſunt principia, ex quibus componitur, ſed mixtum eſt corporeum: ergo principia, ex quibus fit, corporea debent eſſe.

§. II.

Antiqua Peripateticorum Doctrina admittitur.

RESoluendum, quòd quatuor elementa ſunt admittenda in rebus, non ſolùm ob Vniuerſi compoſitionem, ſed propter mixtorum neceſſitatem. Sic communiter Authores tenent, Hipp. *lib. de natura humana.* Gal. *in commento ad eundem librum, lib. de element.* Auic. *fen.* 1. 1. Ariſt. *lib. 2. de ortu & interitu*, quos ſequuntur omnes Interpretes.

Probatur, tum ex Geneſi in principio, vbi ex communiori Interpretum aſſenſu, prima quatuor elementorum geneſis docetur; tum ex Hipp. Galen. Auic. & Ariſt. qui & ſancire, & demonſtrare hanc doctrinam ſunt conati; tum quia ſunt in concauo Lunæ quatuor diuerſa loca deſtinata pro termino loco-motiuarum facultatum quatuor elementorum; tum quia ſunt neceſſaria in rebus ſubiecta quatuor ſimplicia pro quatuor ſimplicibus qualitatum primarum combinationibus; tum quia petit mixta diſpoſitio conflari ex quatuor primis qualitatibus communicatis à quatuor elementis; tum quia cum mixta forma ſubſtantialis indifferens ſit pro omnibus elementalibus qualitatibus producendis ſibi naturalibus, & debitis, debuit per quatuor materias elementorum, in earum productionem determinari, pro intenſione debita, & proportionata, tum quia Sal, Sulfur, & mercurius, quæ arte Spagirica extrahuntur ex reliquis mixtis, mixta etiam ſunt, mixta diſpoſitione gaudent, & qualitatibus elementalibus: ex quo patet ex miſcibilibus elementis componi: ergo neceſſario ſunt admittenda actu in rebus quatuor elementa, & propter Vniuerſum, & propter mixta neceſſaria.

§. III.

Antiquorum, & Paracelſi diluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur, quòd ſicut forma viuens non poteſt niſi in ſubiecto organizato recipi, ita nec mixta niſi in ſubiecto materiali conflato ex materiis omnium elementorum, vt conſtabit *diſp. 1 ſequenti*: & quòd adæquatum mixtorum ſubiectum completur ex omnium elementorum materiis, ex quibus quadruplex ſubſtantiæ modus elementis proportionatus acquiritur, in quo igneæ, aëreæ, aqueæ, & terreæ pullulent qualitates à forma mixta; & quod generationes, & corruptiones, quæ fiunt ordine naturali, ſunt opus primarum qualitatum, & elementorum, & elementa ſunt ob illas, non verò ob eas, quæ à cauſa violenta contingunt.

Ad 2. diſtinguo minorem, omne mixtum arte Spagirica reſoluitur in Sal, Sulfur, & mercurium vltima reſolutione, nego; reſolutione media ad illam, concedo minorem. Sunt enim in mixtis præcipuè viuentibus variæ partium compoſitiones. Totum viuens fit ex partibus organicis, organicæ ex ſimilaribus, ſimilares ex elementis; in quouis mixto vtcumque homogeneo ſunt diuerſæ partes materiales, & ex illis fit multiplex ſubſtantiæ modus; oleaginoſus magis ex aëreis, cineritius ex terreis, vaporabilis ex aqueis, quas ſubſtantias ſeparat Ars ſpagirica, ſed harum quælibet, vltimò in elementa vt in prima principia, eſt reducibilis.

Ad 3. negatur minor, quia vt mixtum ſit corporeum, non eſt neceſſarium quòd componatur ex aliis principiis, quæ ſint adæquatè corporea, ſed ſufficit, quòd fiat ex elementali materia, & forma, quarum quælibet eſt corporea incompletè, & per illas completur in ſuo eſſe phyſico, entitatiuo, ſubſtantiali, corporeo, & tali.

RESOLVTIO II.

Vtrùm elementum ſit minima pars eius rei, cuius eſt elementum?

§. I.

Plempius Fortunatus partem tenet negatiuam.

ADductam diffinitionem ſuſtinendam non eſſe contendit Plempius *lib. 2. de fundamentis medicinæ cap. 5.*

Primò ſuaderi poteſt authoritate Ariſt. cui adhæret D. Thom. & communior Philoſophorum pars, qui *lib. 3. de cœlo, text. 31.* Elementum diffinit, quòd ſit id *corporum, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus ineſt potentia, aut actu, & eſt indiuiſibile ſecundum ſpeciem.*

Secundò, materia, & forma non ſunt elementa in ea acceptione, qua de illo diſputamus, cùm debeat ſic elementum eſſe corpus ſimplex, ex materia, & forma compoſitum, ſed tam materiæ, quàm formæ Gal. diffinitio poteſt adaptari, cùm quælibet earum ſit *minima pars eius rei, cuius eſt elementum*: ergo diffinitio adducta non eſt bona.

Tertiò, elementa, quæ diffinire intendimus, ſunt ſimplicia corpora, quæ ob mixtorum generationem ſunt creata, ſed non ſolùm illa ſunt minima pars eius rei; cuius ſunt elementa, ſed litteræ, quæ dum ſunt ſcriptæ, *ſunt minima pars eius rei, cuius ſunt elementa*, ſcilicet dictionum: ergo amplior eſt diffinitio, quàm quæ requiritur pro elementis.

§. II.

Varandei, Vuekeiri, & Fuchſij præfertur opinio.

REſoluendum Affirmatiuè: ſic docet Galen. *lib. 8. de placitis Hip. & Platon. lib. de elementis*, tenet Varandeus *lib. 1. Phyſiolog. ſect. 1. cap. 2.* Vuekeirus *in ſyntaxi lib. 1 part. 1.* Fuchſius *lib. 1 inſtitutionum*, Eutnius *lib. 1 inſtitus. c. 5.* Et eſt inter Medicos communis opinio, vt fatetur Plempius.

Pars eſt elementum mixti, licèt enim mixtum ex elementis formaliter non fiat, ex eorum materiis commixtis componitur: & omnium partium, ex quibus fit mixtum, vt tale, *minima* eſt cuiuslibet elementi componentis *pars*.

Particula *eius rei, cuius eſt elementum* denotat *mixtum*, quaſi elementum definiat, quod ſit *minima pars mixti*, miſcibilia enim, quæ ſunt partes componentes, mixtum, diffinit Gal. per ordinem, & relationem ad illud, vt eſt totum ex illis factum, vt ſic enim elementum eſt illius totius minima pars, & nec litteræ, nec materia, & forma poſſunt ſub hac diffinitione comprehendi, quia litteræ non ſunt pars *mixti*, ſed dictionum, & materia, & forma ſunt illius partes, vt eſt ens phyſicum, non tamen, vt *mixtum*, quia vt tale non immediatè fit ex materia, & forma vt ſic, ſed ex materiis vt elementalibus, & ex forma vt elementales virtutes continet.

§. III.

§. III.

Plempij fundamenta diluuntur.

AD 1. dicimus, quòd quidquid Ariſt. in latiori ſua diffinitione amplectitur, in ſua adſtrictiori complectitur Gal. ex eo enim quòd aliquid ſit *minima pars mixti*, eſt id corporum, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus ineſt actu, vel potentia, & eſt indiuiſibile in alias ſecundum ſpeciem.

Ad 2. negatur minor, quia materia, vel forma non eſt minima pars mixti, vt mixtum eſt, poteſt tamen dici minima pars entis naturalis, & largo modo dici elementum ſaltem analogicè, quia ſuo modo ſe habet ad totum phyſicum, ſicut ſe habent elementa ad mixtum, cuius minima ſunt pars.

Ad 3. patet ex dictis, quòd per particulam, *eius rei cuius ſunt elementum*, intelligit Galen. mixtum, cuius ſyllabæ non ſunt partes, nec ideò elementa, quia hæ ſunt tantùm partes mixti, vt mixtum eſt. Ratio huius eſt, quia ſicut propriè tantùm ignis, aër, aqua, & terra ſunt elementa, ideò mixtum tantum dicetur res cuius ſunt elementum, id eſt entitas cuius eſt proprium componi ex veris elementis.

Resolvtio III.

Vtrùm elementa, pro mixtis neceſſaria, ſint quatuor?

§. I.

Anaxagoræ, Leucippi, Democriti, & aliorum placita referuntur, & ſuis fundamentis fulciuntur.

PHiloſophorum Primi, pro mixtorum materia vnum elementum ſufficere intendebant. Hos impugnat Hipp. *lib. de natura humana text.* 5. Gal. *in commento ad illum, & lib.* 1 *de elementis, c.* 3. Ariſt. *lib.* 3. *cœli*, & ibi ſequuntur illos eorum Commentatores. Alij verò illorum duo elementa, & alij tria admittebant. Anaxagoras verò, Leucippus, & Democritus pro quovis mixto infinita ponebant elementa, infinitóſve componentes atomos: quos ſimiliter impugnauit Ariſt. *lib.* 1. *Phyſicorum, lib.* 1. *de ortu, & interitu, lib.* 3. *de cælo, in lib. Metaph.* & ex communi aſſenſu Hipp. Ariſt. Galen. & Auic. omnes Interpretes receperunt quatuor pro mixtorum compagine admittenda eſſe elementa, ignem, aërem, aquam, & terram. Quorum numerum non eſſe adæquatum,

Probatur 1. Elementum pro mixtis vel requiritur ob ſuam actiuitatem, vel vt præſtet materiam, vel quia habet aptam diſpoſitionem, vt formentur omnia ex illo, vel vt præſtet vitæ principium, ſed pro quovis horum vnum ſufficit elementum: ergo non ſunt plura admittenda. Probatur minor, pro actiuitate ſufficit ignis, pro materia terra, ſicut ſubſtantiæ modus eſt vnus, quòd præſtetur ab vno elemento, pro diſpoſitione, ſeu aptitudine ad conformationem ſufficit aqua, pro vitæ principio ſufficit aer, per quem viuentia viuunt: ergo vnum elementum ſufficit pro quovis requiſito ex dictis.

Secundò, ex Hipp. *lib. de diæta*, omnia animalia fiunt ex igne, & aqua; ex Ariſt. tot ſunt elementa, quot ſunt loco-motiuæ virtutes, & loca, in quæ per illas debent ferri elementa; ſed duplex eſt loco-motiua facultas, grauitas, & leuitas, duplex locus in quem mouent; ſurſum, & deorſum: ergo duo tantùm elementa.

A Tertiò, partes ſimplices noſtri *corporis organicarum* ſunt elementa; humores partium ſimplicium; ignis aër, aqua, & terra humorum; materia, & forma ignis, aëris, aquæ, & terræ: ergo plura, quàm quatuor elementa admittenda.

§. II.

Hipp. Ariſt. Galen. & Auicennæ, & communis amplectitur doctrina.

REſoluendum, quòd quatuor elementa ignis, aër, aqua, & terra ob generabilium neceſſitatem, tantùm ſunt admittenda. Sic ſanciuit Hipp. *lib. de natura humana*. B Galen. *ibid. & lib. de elementis. lib* 8. *de placitis*. Ariſt. *lib.* 2. *de ortu, & interitu, &* 3. *cæli. lib.* 4. *meteororum, in lib. metaphyſic. ibid* D. Thom. Auic. *fen.* 1. 1. *d.* 2. & communis fuit ſuorum Commentatorum aſſenſus, vno dempto Valleſio. Ex Medicis verò amplectitur Georgius Vertious *lib.* 1 *de elementis, c.* 2. Varandeus *lib.* 1. *Phyſiolog. ſect.* 1. *c.* 2 Petrus Garc. *fen.* 1. 1. *diſp.* 3. *c.* 4. Eutnius *lib.* 1. *inſtit. c.* 3. Fontanus *p.* 1. *claſ.* 1. Godefredus *lib.* 1 *c.* 2. Fernel. *lib.* 2. *Phyſiolog. c.* 4. Leonardus Fuchſius *li.* 1. *inſt. ſect.* 1. *c.* 2. Iacobus Forliuenſis, Iacobus de Partibus, Gentilis, & Nicolus *in fen.* 1. 1. *d.* 1. *c.* 1. Ioannes Baptiſta Cortés *decad.* 4. *cap.* 3. Martinez *lib.* 1. *q.* 1 Mercatus *lib.* 1. *p.* 1. *claſ.* 2. Angelucius *de arte medica p.* 1.

Probatur 1. ratione ex Hipp. deſumptâ *lib. de natura* C *humana*, quia dolore afficimur, quod ab vno elemento fieri non poteſt, ſi enim non eſſet contrarium illi; neque eſſet alteratio, nec ſine illa ab alteratiua qualitate ſentiremus dolorem, neque plura eſſent morborum genera in intemperie, deficerent enim diuerſæ primæ alterantes cauſæ: ergo elementa plura quàm vnum admittenda.

Probatur 2. ex Auic. 1. *p. Canticorum, text.* 7. & 8, Tot ſunt elementa, in quot poteſt corpus, dum corrumpitur, reſolui, ſed in ignem, aërem, aquam, & terram diſſoluitur; inquit enim Hipp. *de natura humana*. Rurſus, *quando corpus humanum interiit, neceſſe eſt ſingula ad ſuam naturam ſecreta reuerti, humidum ad humi-* D *dum, ſiccum ad ſiccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum*. Ergo quatuor elementa adducta rationum debent admitti.

Probatur 3. ex Ariſt. *lib.* 2 *de generat.* tot pro mixtis elementa debent admitti, quot ſunt poſſibiles ſimplices primarum qualitatum combinationes; quia tanquam propriæ paſſiones requiruntur pro formis ſimplicibus, ſed ex quatuor primis qualitatibus quatuor poſſunt fieri combinationes ſimplices pro ſimplici forma, calidi cum ſicco, calidi cum humido, frigidi cum ſicco, frigidi cùm humido: ergo quatuor poſſunt reperiri elementa.

Dices, plures alias combinationes poſſibiles eſſe ex contrariis qualitatibus, & ex remiſſis diuerſo modo E combinatis.

Contrà; qualitatum omnium contrariarum combinatio eſt diſpoſitio pro mixta forma & qualitatum primarum non contrariarum combinationes inter ſe ſecundum Intenſum, & remiſſum in latitudine, qua ſimplex forma poteſt conſeruari, illius ſunt conſeruatiuæ; & ſolùm differunt penes magis, & minus: ergo non eſt aſſignabilis alia qualitatum combinatio pro ſimplici forma elementali.

Probatur 4. Ex quatuor diuerſis locis quæ ſub concauo Lunæ ſunt deſtinata pro quatuor ſimplicibus corporibus; ex quatuor humoribus, quorum quilibet in corpore diuerſum ſubſtantiæ modum, & temperiem retinet iuxta maiorem copiam ſubſtantiæ elementi prædominantis in illo; ex diuerſis ſubſtantiæ

tiæ modis repertis in mixtis iuxta diuerſum prædominantem humorem in illis. Ex proportione elementorum cum diuerſis anni temporibus, cum diuerſis diei mutationibus: ergo quatuor diuerſa elementa admittenda.

§. III.

Antiquorum fundamenta diluuntur.

AD 1. reſpondetur, quòd elementa pro mixtis requiruntur, & vt virtualiter contineantur in illis, & vt media eorum continentia, omnes quatuor qualitates primas valeant producere mixtæ formæ, & vt ex omnibus illis fiat materia adæquatè mixta, & apta pro receptione mixtæ formæ.

Ad 2. reſpondetur, quòd Hipp. duo viuentis perfecti admittit principia ſemen, & ſanguinem, quorum illud ignem propter actiuitatem; hunc vocauit aquam propter aptitudinem, vt præſter materiam. Ariſt. verò grauitatem, & leuitatem loco-motiuas facultates admittit, quarum quælibet eſt duplex, alia ſimpliciter talis, alia ſecundum quid, quæ ſunt quatuor pro quatuor elementis neceſſariæ.

Ad 3. reſpondetur, quòd propriè elementa vocantur partes, ex quibus per mixtionem, mutua præcedente actione, & reactione, fit mixtum, & in quas reſoluitur; alia verò ſine his conditionibus fiunt ex aliis, vt probat argumentum, quorum partes analogica proportione ſolent & elementa vocari, ſicut & quæ ex illis fiunt, ſolum analogicè mixta dici poſſunt, propriè verò dicuntur ex illis compoſita, non verò mixta.

Resolvtio IV.

Verùm præter aſſignata elementa, quatuor alia pro cœlorum generatione ſint admittenda?

§. I.

Valleſij opinio, & fundamenta, communeſque aliæ proponuntur rationes.

VAlles *lib. de Sacra Philoſophia*, Cælum eſſe mixtum contendit, ſed non ex elementis corruptibilibus, cùm ipſum iudicet incorruptibile, ſed alia quatuor elementa admittit perfectiora, ex quibus fiunt orbes cœleſtes.

Probat 1. Cœlum eſt corpus ſolidum, ex Iob. 37. Quod ideò conſtare debet terrâ; inquit enim Plato *in Thimæo*, nihil ſine ſolido tangi, ſolidum ſine terra nihil. Præterea cõſtat igne, videtur enim; & nihil ſine igne viſibile eſt: & cum terra, & ignis, quia ſicca, ſine humido non valeant vniri, requiritur aqua in cœlo, & cùm diaphanum ſit cœlum, aëre componente indiget: omniáque elementa ſic pro cœlo cohærent: ergo ex quatuor elementis fit neceſſariò cœlum diſtinctis, ac incorruptibilibus.

Secundò, in quo corpore datur contrarietas, datur diuerſitas partium componentium, ſed in cœlo datur contrarietas partium, aliæ enim ſunt diaphanæ, & viſibiles, aliæ minus diaphanæ, & minus viſibiles: ergo dantur diuerſa elementa illud componentia.

Tertiò, partes cœli differunt inter ſe, aliæ enim compactiores, aliæ rariores ſunt, ſed hoc non prouenit, ratione raritatis, aut denſitatis, quæ conſiſtunt in pororum apertione, aut occluſione, quia in cœlis, cùm ſint

A corpora ſolida non poſſunt dari: ergo conſiſtunt in diuerſo mixtionis modo.

Dices quod raritas, & denſitas non conſiſtunt (vt intendit Valles) in occluſione, & apertione pororum, ſed (vt docet D. Thom. 3. *p. q. 77. art. 2. ad 3.*) Corpus ſic ratum, quia ſub parua quantitate habet magnas dimenſiones; denſum verò, quia ſub magna quantitate habet paruas dimenſiones.

Contrà, etiam ſi raritas, & denſitas non conſiſtant in apertione pororum, non poſſunt reperiri in cœlo niſi componatur ex elementis: ergo componitur ex illis. Probatur antecedens, raritas, & denſitas ex Ariſt. *4. de partibus animal. c. 1. & 7. Phyſicorum c. 2.* ſunt qualitates ſecundæ, ſed ſecundæ qualitates non poſſunt niſi

B ex primis oriri ex elementis oriri: ergo etiamſi non conſiſtant in apertione pororum, non poſſunt reperiri in cœlo, niſi componatur ex elementis.

Dices, quòd eſt duplex raritas, & denſitas, aliæ enim dicuntur qualitatiuæ, quæ ſunt ſecundæ qualitates, & non poſſunt oriri niſi ex elementis, mediis primis; aliæ verò ſunt raritas, & denſitas locales, quæ non ſunt qualitates ſecundæ loco-motiuæ; ſed denſitas localis conſiſtit in locali poſitione partium, quæ in magna quantitate locantur ſub parua poſitione, & raritas in poſitione partium, quæ in magnis dimenſionibus ſunt cum parua quantitate,

Contrà, raritas, & denſitas locales ſunt terminus raritatis, & denſitatis qualitatiuæ, ſed hæ reperiuntur in

C cœlis: ergo etiam qualitatiuæ.

Dices, quod raritas, & denſitas locales, quæ reperiuntur in cœlis, ſunt termini aliorum motuum localium.

Contrà, paruæ dimenſiones ſub magna quantitate, & magnæ dimenſiones ſub parua quantitate ſunt termini proprij, & ſpecificatiui raritatis & denſitatis qualitatiuæ; ergo non fiunt ab alia cauſa localiter motiua.

§. II.

Communis amplectitur doctrina.

D REſoluendum negatiuè. Sic dempto Valleſio, tenet communis Philoſophorum conſenſus.

Probatur 1. Si quatuor alia elementa eſſent superaddenda, ab his ſublunaribus diuerſa, maximè vt ex illis fierent cœli incorruptibiles; ſed in hunc finem non ſunt ex vſu: ergo non ſunt admittenda. Probatur minor, ipſa quatuor ſuperaddita elementa, vel ſunt corruptibilia, vel ſunt incorruptibilia: ſi incorruptibilia, inepta ſunt, vt aliud mixtum fiat ex eorum materia: ſi corruptibilia, cœli, qui peterentur ex illis fieri, corruptibiles eſſent, cùm ex materia corruptibilium generarentur: ergo non ſunt ex vſu, in finem, in quem à Valleſio admittuntur.

Probatur 2. Cæli corruptibiles ſunt: ergo etiamſi cæli ſint corpora mixta, poſſent fieri ex elementis,

E ex quibus reliqua mixta facta ſunt. Probatur antecedens, tum ex antiquorum Philoſophorum ſententia, Thales Mileſius, Empedocles, Anaxagoras, Democritus, Anaximander, Xenophanes, Heraclides, Metrodorus, Philolaos, Epicurus, & alij Cœlis, & ſtellis corruptibilem, ex qua fierent, materiam adaptarunt tum quia eorum corruptibilitatem admittunt D. Baſilius, D. Damaſcenus, S. Gregorius Papa, D. Ambroſius D. Chyſoſtomus, Theodoretus, Iuſtinus Martyr, Irenæus, & alij Sacri Scriptores; tum quia ſic depromitur ex ſacra Pagina, *In Pſalm.* 102. *& Eccleſiaſt.* 17. *& Apoc.* 21. *& Epiſtola* 2. *Petri cap.* 3. *& ex D. Luc.* 21. Ipſe legiſlator ſanciuit, quòd cælum, & terra tranſibunt, verba autem eius non præteribunt; tum patet ratione, quia cœlorum permanentia vſque in

diem

diem iudicij, etiamſi & cœli, & Aſtra ſint corruptibilia, cetra, & indefectibilis eſt, ſicut & terræ, ac reliquorum elementorum, quæ corruptibilia cum ſint, permanebunt vſque in illum diem: ergo cœli ſunt corruptibiles.

Probatur 3. Eadem eſt materia, ex qua facti ſunt cœli, ac materia horum inferiorum: ergo eadem ſunt elementa pro mixtia horum inferiorum, ac pro quibuſlibet aliis. Probatur antecedens, ſi diuerſa pro cœlis eſſet adaptanda materia, maximè quia petunt eſſe incorruptibiles, & ideò ex materia componi, quæ ſit ſuæ formæ adaptata: ſed, vt ex dictis conſtat, non inconuenit, quòd ſint corruptibiles: ergo nec qòòd fiant ex eadem materia, ac reliqua corruptibilia.

Probatur 4. Cœli ſunt corpora ſimplicia, ſicut & ipſa elementa: ergo non petunt ex aliis componi elementis. Probatur antecedens; tum ex communi Peripateticorum ſententia; tum ex *Sacra pagina*, ex qua rigoroſa *in Geneſi*, creatione, conſtat elementa, & cœlum facta fuiſſe, quia ſunt corpora ſimplicia: tum quia adhuc ſi admittamus ex communi opinione, & ex antiqua Aſtronomia, quod Aſtra, & orbes cœleſtes ſolum differrent ſecundum quòd ſunt partes denſæ, aut raræ, poſſet id prouenire ſine diuerſa elementorum commixtione, per raritatem, aut denſitatem locales ortas ex vi conformationis; tum quia vt Tieho Brahe, Claudius Borteus, Eruditiſſimus Pater Euſebius omnigenæ litteraturæ culmen, & reliqui Aſtronomi moderniores demonſtrant, cœlum homogeneam naturam habet, & C Aſtra, & Stellæ, ab illo, & inter ſe differunt eſſentialiter per diſtinctas ſpecie ſubſtantiales formas: ergo cœli ſunt ſimplicia corpora nullam ex diuerſis elementis miſcibilibus compoſitionem admittentes.

§. III.

Valleſij fundamenta ex noua Philoſophia, & Aſtronomia refelluntur.

AD 1. reſpondetur, quòd vt iam communiter recipitur ex noua Aſtronomia recepta, & ex obſeruationibus Tich. Brahe demonſtrata; priuſque à Sacra pagina edocta, & à D. Baſilio, & aliis Patribus admiſſa, tres tantùm ſunt cœli, Æthereum, Sydereum, & Empyreum; hoc perfectiſſimum eſt corpus ſimpliſſimæ ſubſtantiæ, ſolidæ, & incorruptibilis, vniformiſque, & ideò ex ſimili materia, & forma ſubſtantiali compoſitum, & ſine partium diuerſitate, ideóque, nec componentium diuerſitate. Cœlum Æthereum eſt ſpatium illum aëris, in quo ſupra terram meteorologicæ impreſſiones fiunt, & in quod vapores, qui communiter eleuantur ex terra, aſcendunt. Poſt hoc verò cœlum eſt Sydereum, quod tenuis eſt ſubſtantiæ, aëreæ, aut igneæ, facilè permeabilis, in quo ſeptem planetæ, & fixæ reliquæ ſtellæ reperiuntur, inter ſe, & à cœlo formaliter ſpecificè, ac ſubſtantialiter diuerſæ, quarum cuique accidit moueri per cœlum, per ipſumque proprio permeare motu; ex quo patet, quòd Valleſij fundamentum ruit, Iudicabat enim iuxta antiquam Aſtronomiam cœlum, & ſtellas eſſe eandem entitatem, tantumque differre accidentaliter penes rarum, & denſum ſubſtantiæ modum cœlo.

Vel ſecundò reſpondetur iuxta communem Philoſophiam, quòd cœli poſſunt eſſe corpora denſa, & ſolida ratione denſitatis localis, quæ virtute actiua producentis ſine diuerſa elementorum compoſitione poteſt prouenire, & quod poteſt eſſe lucidum ex propria natura & ſubſtantiæ modo, ſicut & ipſe ignis lucidus à ſe.

Ad 2. dicimus 1. Quòd cœli, & Aſtra ſunt entia A diuerſa, vel quòd ſi ſint eadem, diuerſi modi ſubſtantiæ poſſunt prouenire in eadem materia ex diuerſa partium locali poſitione ſub maioribus, aut minoribus dimenſionibus quantitatis à facultate efficiente poſitis.

Ad vltim. replicam tertij reſpondetur quòd raritas localis poteſt à quacumque cauſa localiter motiua prouenire, ſunt enim raritas, & denſitas locales quædam vbicationes, ſeu dimenſiones quantitatis, quæ vario modo, & à variis, & diuerſis cauſis loco motiuis valent fieri, ſic apparent acquiri tamquàm terminus raritatis; & denſitatis qualitatiuæ, & ex impulſu in motu progreſſiuo acquiritur raritas localis in aëre poſt terga relicto, & denſitas, in aëre, in parte anteriori compreſſo; dum aër frigidus comprimitur ſilice, & chalybe atB teratur, ita vt in formam ignis aër moretur motu locali ictus, & in prima animalis conformatione aliæ partes comprimuntur, & fiunt denſiores; aliæ remanent rariores à formatrice ſic conformatæ. Quod idem fit in cœlo, conformantis actione, locali raritate aliæ partes denſæ, aliæ euaſerunt raræ ſine prima aut ſecunda qualitate ibi reperta.

Resolvtio V.

Verùm igni caliditas cum ſiccitate, aëri huC miditas cum calore, aquæ frigiditas cum humiditate, terræ ſiccitas cum frigiditate ſint propriæ?

§. I.

Ariſt. opinio varijs opinantium ſortibus obruditur.

ANtiqua Ariſtotel. doctrina in adaptando vnicuique elemento proprias primas qualitates ex diſſentientium varietate inualuit, quorum aliqua adducemus fundamenta.

Primò, ignem non eſſe ſummè calidum ſuaderi videtur, Vnicuique elemento, cui aliqua qualitas deD betur in ſummo, debetur etiam proprius locus in quem & naturaliter tendat, & proprias valeat conſeruare qualitates in debita intenſione; ſed igni nullus debetur proprius locus, in quo calorem in ſummo valeat conſeruare; cùm ex Pythagoricorum opinione in centro terræ, ex Valleſio *lib. de Sacra Philoſophia*, ex Cardano *lib. de ſubtilitate*, ex Segarra *lib. de temperam.* in hæc inferiora diſperſus tantum reperiri poſſit: ergo vel calorem in ſummo non petit, vel ſemper in ſtatu violento reperitur.

Secundò, nec ſiccitas eſt cur adſcribatur illi, quia nulla qualitas fruſtra alicui communicatur à natura, ſed ſiccitas in igne eſſet ſuperflua, cùm ignis ſine illa, eo ipſo quod calidus eſt, poteſt ſua caliditate deſiccare: E ergo ſiccitas in illo ſuperfluè additur.

Tertiò, aëri non competere humiditatem ſummam, ſed aquæ, videtur fauere D. Thom. *in lib. 1. de generat. text. 23.* Galen. 1. *de alementis capita* 3. *libro de ſimplic. medicament. cap.* 8. & 32. Anic. *fen.* 1. 1. *d.* 2. Thomas de Garbo *in ſumma tract.* 1. *quaeſt.* 2. & ſuadet ratio; tum quia plus humectat aqua quàm aër, tum quia difficilius reminitur aquæ, quàm aëris humiditas; tum ab effectu, aër enim terram exſiccat; tum quia in pluuiis humectatur ab aqua aër; tum quia Lunam, quæ humida eſt, aquæ aſſimilari dicimus: ergo aër non eſt in ſummo humidus.

Quartò: aërem eſſe temperatum in actiuis, & non

non à prædominio calidum contendit. Vall. *lib.* 5. *controuerſ.* 6.3. Tum quia aër requiritur ad attemperandum cor, & partes corporis calidas; tum quia medicamenta aërea temperata ſunt, vt patet de anodinis, de oleo cera, & aliis: tum quia meteorologicæ frigidæ impreſſiones in media aëris regione fiunt, quæ non poſſent in nimia caliditatis præſentia fieri.

Quintò, aquæ non deberi frigiditatem in ſummo ſuaderi poteſt: tum ex Ariſt. *lib. de cælo, cap. vlt.* tum quia fauet D. Thom. *lib.* 2. *de gener. text.* 23. tum quia loca aquæ proximiora, vt maritima ſunt temperata; tum quia, cùm calor à cœlo communicetur, terra, quæ magis diſtat ab illo, quàm aqua, debet eſſe frigidior; tum quia, ſi aqua eſſet frigida in ſummo, à ſumma frigiditate condenſaretur; tum quia, ſicut ſumma leuitas fit a calore in igne, ſumma grauitas à frigiditate ſumma in terra proueniret: ergo aqua non eſt frigida in ſummo.

§. II.

Ariſtotelica amplectitur doctrina.

Reſoluendum tamen quòd ex natiua temperie ignis habet calorem in ſummo, ſiccitatem propè ſummum: aër humiditatem in ſummo, calorem propè ſummum: aqua frigiditatem in ſummo, humiditatem propè ſummum; terra ſiccitatem in ſummo, frigiditatem propè ſummum. Sic docet Ariſtot. *lib.* 2. *de generat. text.* 16. *& text.* 24. Alexander *ad lib. Metheor.* Marſilius *lib.* 2. *de generat. cap.* 3. *quæſt.* 5. *art.* 1. Conciliator *differ.* 12. Vega *lib.* 1. *meth. cap.* 1. Carreicus *fen.* 1. 1. *diſp.* 4. *cap.* 4. Varandeus *lib.* 1. *Phyſiolog. tract. de elementis ſect.* 1. *cap.* 3. Georgius Bertinus *lib.* 2. *cap.* 4. Eurnius *inſtit. medicinæ*, *lib.* 1. *cap.* 5. Duocanus *lib.* 1. *Phyſiolog. tractat. de element.* Martinez *lib.* 1. *tract.* 1. *quæſ.* 1. Ioannes Baptiſta Cortes *decad.* 4. *cap.* 3. & alij quamplurimi.

Probatur 1. ex Ariſt. *lib.* 2. *de generat.* §. *nam ignis calidus & ſiccus, aër humidus, & calidus; aqua frigida, & humida, terra frigida, & ſicca, &c.* Et in text. 14. dicit, *Verùm enimuerò, cum ſimpliciter quatuor ſint, quorumque vnum eſt terra, quæ quidem ſicci potius, quam frigidi, aqua verò frigidi magis, quàm humidi, aër humidi, quam calidi.*

Probatur 2. Inſunt in elementis qualitates, & vt ſint mediis illis elementa prima generabilium principia, & vt eum illis ipſa ſe tueantur à vicinis elementis corrumpere valentibus: ergo in hunc finem aſſignatæ duæ qualitates excedentes requiruntur in quouis elemento. Probatur conſequentia, ignis, qui per calorem in ſummo fit maximè calidus, quia contiguus eſt aëre humiditatem habenti in ſummo, indiget ſiccitate, qua ei reſiſtat; aër maximè humidus calore indiget, vt reſiſtat aquæ frigiditati; aqua maximè frigida humiditate gaudet, qua terræ reſiſtat ſiccitati; & terra ſummè ſicca, gaudet frigiditate vt coniuncta quomodocumque igni, reſiſtat eius caliditati: ergo duæ aſſignatæ qualitates requiruntur excedentes in quouis elemento, altera in ſummo, per quam in genere generabilis ſit primum in illo genere, & altera prope ſummum, vt elemento habenti contrariam in ſummo reſiſtat.

Probatur 3. quòd altera qualitatum prope ſummum tantùm ſit neceſſaria, quia primum in vnoquoque genere eſt maximè tale in illo genere ex Ariſtot. *lib.* 2. *metaph. cap.* 1. ex D. Thom. 1. *contra Gentes, cap.* 42. Sed ignis eſt maximè calidus, aër maximè humidus, aqua maximè frigida, terra maximè ſicca: ergo qualitates, per quas hæc elementa

A fiunt maximè talia, debent neceſſariò in illis reperiri in ſummo.

Dices, has qualitates modo dicto eſſe in ſummo in elementis, ſed etiam in illis reperiri in ſummo reliquas qualitates primas quæ eum illis reperiuntur.

Contra, ſi reliquæ qualitates eſſent in ſummo, ſicut per calorem ignis fit maximè calidus, fieret etiam per ſiccitatem maximè ſiccus, & aër per calorem maximè calidus, ſed hoc non admittendum, aliàs in eodem genere eſſent plura maximè talia, & duo elementa ſufficerent pro quatuor qualitatibus primis in ſummo habendis, & pro omnibus generationibus, & corruptionibus dicerentur prima principia: ergo altera illarum tantùm eſt in ſummo, & altera prope ſummum.

Dices, conſtitui elementum maximè tale per illam
B qualitatem, quam per ſe primò reſpicit, non verò per illam, quam reſpicit ſecundariò.

Contra, per ſe primò reſpicit quamcumque qualitatem ſui conſeruatiuam, & debitam in ſecundo modo perſeitatis: ſed vtraque eſt conſeruatiua diſpoſitio elementi, & vt talis debita in ſecundo modo perſeitatis tanquam propria illius paſſio: ergo vtramque reſpicit per ſe primò.

Præterea, per qualitatem fit elementum maximè tale, non quia hoc, vel illo modo illam reſpicit, ſed quatenus fit per illam principium actiuum operationum, quæ in illo genere principaliter debentur illi, & proueniunt ab illa qualitate: ergo ſi æquè intenſè conſtituuntur elementa per vtramque qualitatem, æquè con-
C ſtituuntur primum principium per illam.

§. III.

Modernorum diſſentientia placita, & fundamenta diruuntur.

Ad 1. negatur minor, quia ignis, quidquid reclament Cardanus, & moderniores alij, proprium locum habet ſub concauo Lunæ, vt docet Ariſtot. 1. *cæli, cap.* 2. *& lib.* 2. *cap.* 3. *& lib.* 3. *de generat. animal. cap.* 11. aliiſque in locis; & conſtat a paritate, quia nullum eſt corpus ſimplex, cui non ſit naturalis deſtinatus locus ob ſui conſeruationem,
D aliàs eſſet perpetuum violentum in corpore, cui non eſſet naturalis locus pro ſui conſeruatione, ob quam docet experientia, quòd ignis ſurſum mouetur dirumpens quæcumque valeant illius motum naturalem impedire.

Ad 2. negatur minor, ſiccitas enim in igne non tam, vt agat, quàm vt reſiſtat aëris ſummæ humiditati condonatur, & vt ageret, eum illa requiritur, calor enim per accidens ſiccat, ſiccitas verò per ſe, & ideò per ſe intenditur, vt per ipſam agat, & reſiſtat.

Ad 3. reſpondetur, quòd aqua plus aëre humectat, non quia intenſiori gaudeat humiditate, ſed quia ipſam habeat in compactiori materia, quæ quia
E denſior inſeritur, inhæreſcitque magis; multitudo enim materiæ iuuat ad agendum, vel producendum perfectiorem effectum, ideò calidum ferrum magis calefacit, quàm ignis in ſtopa accenſus, licet in igne ſit intenſior caliditas: Et quod aquæ humiditas reſiſtit magis, quia eſt in denſiori materia: Et quòd aër terram exſiccat ob ſiccas exhalationes, & ventos ſecum adiuncta: Et quòd in pluuiis humectantur ſiccæ prædictæ ſubſtantiæ aëri commixtæ, & quod Luna aquæ aſſimilatur quia aqua ratione denſitatis humectat intenſiùs.

Ad 3. reſpondetur. quòd aër à ventis frigidis, aliiſque alterantibus cauſis frigidior redditus cordi eſt

ex

ex vſu pro attemperatione; Et quod medicamenta aërea aëris qualitatem, & calorem retinent, iuxta maiorem, aut minorem numerum partium aërearum quas continent, & in calore temperata ſunt, in quibus mediocris proportio, aut parum mediocritatem excedentis aëreæ ſubſtantiæ eſt, & quòd meteorologicæ impreſſiones fiunt à frigiditate, in media aëris regione per antiperiſtaſim reperta; ſeu quia vapores delati ad mediam aëris regionem à propria forma acquiſitâ frigiditate aqueâ, aërem infrigidant, à qua, & reliqua frigida meteorologica fiunt mixta.

Ad 5. reſpondetur, quod loca aquæ maritimæ proxima ſunt calida propter reflexionem radiorum ſolarium ab aqua, vel quia plures ſiccæ, & calidæ exhalationes à terra eleuatæ propter aëris denſitatem detinentur, & calefaciunt, ſicut & aquæ puteorum calefaciunt hyeme; Et quod non agimus de calore à cœlo, ab extrinſeco communicato, aut de frigiditate; ſed de frigiditate, quæ poteſt à propria oriri forma; Et quod denſatur, & concreſcit aqua à frigiditate, & ſiccitate, & quia hæc deficit non concreſcit: Et quod grauitas & leuitas non vnius primæ qualitatis intenſionem, ſed duarum talem vel talem combinationem ſequitur.

Resolvtio VI.

Vtrùm cum qualitate prope ſummum, in quovis elemento remiſſa altera qualitas ſit admittenda?

§. I.

Conciliatoris, Zimaræ, Carreiri, & Fernelij opinio proponitur.

Philoſophi qualitatem eſſe in ſummo dicunt, quãdo adimplet latitudinem octo graduum, quæ ſumma eſt intenſio, in quam poteſt intendi qualitas; ea eorum conſenſu prope ſummum dicitur qualitas intenſa, dum mediocritatem excedit, ſed ad ſummum non peruenit: quæ mediocritatem attingit qualitas, dicitur moderata, infra illam verò remiſſa. Cùm duas cuilibet elemento adaptemus qualitates, alteram in ſummo, alteram prope ſummum: dubitatur nunc, an latitudinem remanentem infra ſummum adimpleat remiſſa qualitas contraria ei, quæ in quovis elemento reperitur prope ſummum.

Hanc remiſſam qualitatem in elemento non eſſe admittendam contendunt Conciliator *different.* 12. Zimara *theoremate* 18. Fernelius *lib.* 2. *partis naturalis cap.* 4. Cotteirus *in fen.* 1... *diſp.* 4. *cap.* 14. pluteſque alij.

Primò, Ariſt. *lib.* 1 *de generat.* duas tantùm cuicumque elemento adaptauit qualitates: ergo tertia alia qualitas non eſt admittenda in elemento.

Secundò, combinatio qualitatum contrariarum eſt diſpoſitio debita pro forma mixta, ſed ſi tertia ſuperaddatur qualitas, erit in elemento combinatio qualitatum contrariarum: ergo non eſt illi adſcribenda.

Tertiò, aliqua elementa diſſymbola ſunt admittenda, vt docet Ariſtot. *lib.* 2. *de generat.* Sed ſi in quovis elemento tres ſint qualitates primæ, omnia erunt ſymbola: ergo tertia qualitas prima non eſt adaptanda in elemento.

Quartò, humiditas remiſſa non poteſt reperiri in igne cum ſiccitate prope ſummum: ergo nec reliquæ remiſſæ qualitates primæ in reliquis elementis. Probatur antecedens, calor in ſummo in igne exiſtens quamcumque humiditatem vtcumque intenſam va-

let in quovis alio ſubiecto reſoluere ergo multo melius reſoluet in ſeipſo remiſſam humiditatem.

§. II.

Buridani, Conimbricenſium, & aliorum opinio præfertur.

Reſoluendùm Affirmatiuè, ſic tenet Marſilius, Buridanus, Conimbricenſes, Aſtudillo, & alij *in lib.* 2. *de generat.*

Probatur 1. implicat dari vacuùm in latitudine cuiuſlibet, ſed ſi non adimpleretur latitudo qualitatis prope ſummum, per remiſſam qualitatem illi contrariam, daretur vacuum in illa latitudine: ergo per remiſſam qualitatem contrariam adimpletur. Probatur minor, implicat dari violentùm perpetuum in rebus; ſed in illa latitudine non adimpleta daretur perpetuum violentum, cum eſſet perpetuò qualitas ab extrinſeco producta, paſſo non conferente vim: ergo implicat, quòd detur vacuum in latitudine qualitatis.

Dices, poſſe illam latitudinem adimpleri à vicino elemento per contrariam ei, quæ erat prope ſummum, ſicut & adimpletur à propria forma elementi.

Contra: illa qualitas, ſi eſſet ab extrinſeco, paſſo non conferente vim, eſſet violenta, non verò ſi à forma elementi oriatur: ergo licèt non ſit inconueniens, quòd oriatur à propria forma, erit quòd ab extrinſeco communicetur.

Probatur 2. Si daretur vacuum in latitudine qualitatis exiſtentis propè ſummum, & à propria forma non reſultaret qualitas adimplens illam latitudinem, ſequeretur, quòd alteratio fieret in inſtanti, cum non eſſet in elemento qualitas reſiſtens actioni extrinſeci agentis, & quòd generatio ſecundum quid fieret ſine alterius corruptione, cùm nihil corrumpẽdum eſſet in latitudine vacui: ſed hæc omnia naturaliter repugnant in doctrina Philoſophi: ergo repugnat vacuum in latitudine qualitatum.

Probatur 3. Elementa non ſolum ſunt neceſſaria, vt tanquam partes Vniuerſi conſeruentur in illo, ſed vt mixtiam ſubſternant pro mixtis: ergo non ſolùm debent habere qualitates ſui conſeruatiuas, ſed aliquas coadiuuantes, vt ex mutua coalternatione fiat mixtum: ſed producta remiſſa qualitate à forma elementi pro adimplenda latitudine fit facilior tranſitus elementorum ad mixtum, cui magis ſymbolum fit elementum in qualitatibus: ergo tertia remiſſa qualitas debet in elementis oriri.

§. III.

Pro Conciliatore, & aliis poſita diluuntur fundamenta.

Ad 1. diſtinguo antecedens, Ariſt. duas tantum adaptauit qualitates mediocritatem excedentes, concedo: remiſſas, nego antecedens. Ariſtot. tantùm intendit docere, quæ qualitates oriantur in vnoquoque elemento intenſæ, & propriæ formæ conſeruatiuæ, non tamen remiſſas annumerat: tum quia annumerata qualitate prope ſummum, ſuæ latitudinis contraria manebat cognita: tum quia potius elementi conſeruatiuas, quàm ob alios fines ſuperuenientes enumerare intendebat.

Ad 2. diſtinguo maiorem, combinatio qualitatum contrariarum eſt diſpoſitio pro forma mixta, ſi ſit omnium contrariarum combinatio, concedo: ſi tantùm ſit vnius contrarietatis, nego maiorem. Mixtum enim, & ex omnium elementorum petit fieri materiebus, & ex omnium qualitatum primarum contrarietate adimpletur mixti illius diſpoſitio, nullius tamen qualitatis primæ in ſummo poteſt eſſe ſubiectum.

Ad 3. diſtinguo minorem, eſſent ſymbola aliquo modo, concedo; eſſent ſymbola per qualitatem excedentem, per quam propriè dicuntur ſymbola, nego minorem. Symbola largo modo dicuntur, quæ aliquo ſaltem gradu conueniunt, ſimpliciter verò, & abſolutè ſolùm dicuntur ſymbola elementa, quæ vtcuſas ſimiles qualitates habent, ita vt ratione intenſionis per illam qualitatem facilis ſit ab vno in alterum tranſitus.

Ad 4. negatur antecedens. Licèt enim valeat ignis externam conſumere humiditatem, non tamen proprium, & ſibi inhærentem, quia in ſe non agit attenuando, & reſoluendo, quia cum in ſumma ſit raritate, & leuitate, & partes, quas in alio reſoluit, reſoluat, raritatem & leuitatem inducendo, proprias reſoluere non B valet.

Resolvtio VII.

Vtrùm elementa ſint propter mixtionem?

§. I.

Mixtionis impoſſibilitas ſuadetur.

Mixtio multipliciter vſurpatur, primò, pro cumulo, ſeu aggregatione plurium rerum, quæ iuxta ponuntur, & remanent cum propria forma, C & figura, vt contingit in coacernatione ordei, tritici, auenæ, & milij. Secundò ſumitur pro vnione plurium rerum, quæ in minutiſſimas partes ſunt redactæ, & ſimul commixtæ, ſeruata forma, mutata figura, vt ſi omnia, quæ in prima acceptione diximus, mutentur in farinam, & commiſceantur. Tertiò mixtio ſumitur pro vnione miſcibilium, in quibus poſt mutuam actionem, & reactionem, propriis formis corruptis, mixta ſuperuenit forma ſubſtantialis, a qua informantur miſcibilium materiæ, in qua acceptione procedit dubitatio, & illius Negatiuæ parti fauet;

Primò, quòd nullus locus poteſt aſſignari, in quem elementa ſimul coëant, & vniantur ad mixtionem, D cùm ob ſuas loco-motiuas facultates in diuerſa, ac contraria loca deferri naturaliter ſit neceſſe, nec ab extrinſeco poſſunt in illum deferri, niſi à cœlo, quod cùm non moueat niſi propter bonum Vniuerſi, & hoc non ſequatur ex tali motu, ab illo fieri non poteſt: ergo nulla poſſibilis mixtio.

Secundò, mixtum, & quidquid producitur, petit fieri vel per generationem, ſi fiat ex præſuppoſito ſubiecto; vel per creationem, ſi fiat ex nihilo: ſed mixtio ex Ariſt. *lib. 1. de generat. cap.* 10. non eſt creatio; nec generatio: ergo per illam non fit mixtum.

Tertiò, non eſt aſſignabilis cauſa à qua per mixtionem, corruptis formis elementorum, in eorum E materiis producatur forma mixta: ergo elementa ex nullo vſu ſunt propter mixtionem.

§. II.

Mixtionis neceſſitas probatur.

Reſoluendum tamen Affirmatiuè ex doctr. Ariſt. *lib. 1. de generat. cap.* 10. & ex D. Thom. *ibidem*, omniſque omnium Commentatorum conſenſu, præcipuè modernicrum. Inter medicos hanc veritatem illuſtrarunt Fernelius *lib. 2. pathologiæ cap. 5. 6. & 7.* Godofredus *lib. 1. cap. 1.* Georgius Bertinus *lib. 1. cap. 3.* Duncahus *lib. 1. cap. 5.* Petrus Garc. *in fen. 1. 1 diſp. 7.*

Primò probatur, quia ex Ariſtot. *lib. 1. de generatione cap.* 10. Mixtio eſt miſcibilium alteratorum A vnio, elementa ſunt corpora ſimplicia, quæ poſſunt miſcibilia fieri alteratione, cùm in illis reperiantur qualitates primæ, & contrariæ, à quibus poteſt mutua actio, & reactio prouenire: ergo ſunt propter mixtionem neceſſaria.

Secundò, plura remanent in mixtis, quæ demonſtrant elementorum in mixtione concurſum: ergo elementa ſunt propter mixtionem. Probatur antecedens, tum, quia plura mixta nutriuntur ex ipſis elementis, vt in plantis, & arboribus patet; & docet Ariſt. *lib. 2. de generat. c. 3.* Tum quia mixtorum reſolutio fit in elementa, tum quia rane, & alia mixta viuentia ex ipſis elementis generantur: ergo elementa ſunt ex vſu ad mixtionem.

B Tertiò, elementa ſunt corpora ſimplicia, cum virtutibus mediis, quibus poſſunt coadunari in vnum locum, & miſceri, habent ſimiliter virtutes, quibus poſſunt refrangi, & alterari, ac commiſceri, ita, vt ex mutua actione, & reactione corruptis formis miſcibilium ob mixtam præcedentem diſpoſitionem, mixta ſubſequatur forma ſubſtantialis, vt ex dicendis ad argumenta patebit: ergo ſunt etiam neceſſaria propter mixtionem.

§. III.

Pro argumentis ſolutiones adhibentur.

C Ad 1. negatur antecedens, elementa enim coadunantur ob eorum obedientem virtutem, qua mouentur à ſummo Opifice, vt in prima omnium mixtorum apparet productione, quæ largo modo creatio dicta eſt, quia mixta tunc producta ex præſuppoſito ſubiecto, ſcilicet ex elementis ſunt facta, ſed non ex concurſu naturalium agentium, ſed ſola Dei virtute elementa commiſcentur, vt dicemus infra. Secundò in vnum locum coadunantur elementa partim virtute propria, partim violenta, vt contingit in cauernis terræ, vbi propter pluuias deſcendit aqua, aër, quia includitur ad implendum vacuum, & flatus concuſſus, & agitatus igneſcit, terra naturaliter manet, & D ex varia contrariorum miſcella, mutua alteratione, corruptis miſcibilium formis, eorum materiis ſuperuenit mixta ſubſtantialis forma. Similiter in media aëris regione aqua in vaporem verſa aſcendit, ſecum terræ quidquam defert, miſcetur aëri, ignis, vi corporum mouentium aſperius cum eis commiſcetur, & inita alteratorum pugna, mixta diſpoſitione poſita, mixtum generari valet, ſic tertiò cœleſtium orbium virtute coadunari ſimul poſſunt omnia elementa, ex D. Thom. 1. *de generat. text.* 84.

Ad 2. diſtinguo minorem, ſed mixtio non eſt generatio tantùm, concedo; non eſt generatio includens neceſſitatem mixtionis, per quam fiat, nego E minorem. Mixtio differt ſolum accidentaliter à generatione ſimpliciter dicta, ſicut homo albus ab homine ſimpliciter ſumpto, fit enim generatio ex præſuppoſito ſubiecto, ex quo denominatur mixtio, requirit enim quòd ſubiectum, ex quo fit per illam mixtum, præceſſerit ſub formis miſcibilium, quæ in ipſa mixtione ex præcedente alteratione corrumpantur.

Ad 3. diſtinguo antecedens, non eſt aſſignabilis cauſa particularis, qua per mixtionem introducatur forma mixta, concedo; cauſa vniuerſalis, nego antecedens. Ex mutua enim actione, & reactione primarum qualitatum, primæ qualitates refranguntur, ita vt non poſſint eſſe conſeruatiuæ formarum ſimplicium, quia mixta fit ex illis diſpoſitio, cum qua cùm non poſſint in materiebus remanere formæ elementorum

torum; nec ſine forma permanere materia; à cauſa vniuerſali ea mixta forma producitur in illis, pro qua aptior poſita fuit ex elementis diſpoſitio ſubſtantifica, & qualitatiua.

SECTIO II.

De neceſsitate elementorum in mixto.

DIVERSAS partes materiales omnium elementorum neceſſarias eſſe in mixtis primus omnium dictauit Hipp. recepit Galen. patefecit Auicē. explicauit Gētilis, ſuſcepit Angeſtus, ſequutus fuit Valles, & ita fuit communis conſenſus omnium, vt nonquam ſub lite fuerit hæc veritas, donec P. Garc. in contrarium lapſus fuit placitum; cuius opinionem ſequuti ſunt aliqui illorum, qui in eius verba iurarūt, conantes non illud placitum Garciæ adſcribere, ſed Complutenſi Scholæ aduerſus Valliſoletanos noſtros, non ſine iniuria plurium doctiſſimorum, qui in eadem Schola amplectuntur antiquam veritatem. Ipſi tamen, noſtrique illius tutelares maximi, ſicut à priori cognitam; à poſteriori, ex variis eam demonſtrantibus effectibus, ipſam comprobare contendunt. Nos tamen illam ex propriis intendemus deducere principiis, à prioriique demonſtrare neceſſitatem admittendi has diuerſas partes ma- C terialés omnium elementorum in quouis perfecto mixto, vt ex hac demonſtrata veritate, aditum faciamus in plurium intelligentiam, quæ ex huius doctrinæ dependent cognitione. Ex modernioribus de neceſſitate, atque diuerſitate harum materialium partium in mixto diſputant Petrus Garc. *fen. 1.1. diſput. 7. c. 4. fen. 1.4. diſp. de natura coctionis, in appendice ad quæſt. de partib. material.* Matamoros *lib. de febrib. tract. de coctione, & putredine.* Manuel Martinez *lib. 1. tract. 1. quæſt. 3.* Sancta-Cruz *in fen. 1.1. opuſc. de temperament. cap. 6.* Noſter doctiſſimus Cyprianus de Maroia *tom. de febrib. quæſt. vltim.* Nuñez *de coctione & putredine, quæſt. 2.* Soria Granatenſis, *tom. 1. certaminis 1. diſp. 2. & in appendice ad prædictam diſput.* Serna *lib. de medendi methodo, lib. 4. cap. 1.* D Vezaranus ille quidem inter Hippocratidea huius ſeculi Mantuæ coryphæus, *lib. 4. Meteor. q. 1.*

RESOLVTIO I.

Vtrùm quodvis perfectum mixtum ex omnibus quatuor elementis debeat neceſſariò fieri?

§. I.

Negatiua pars ex Carreiro proponitur.

PArtem negatiuam tenet Petrus Garc. *in fen. 1.2. Auicennæ diſput. 7. cap. 5.* Qui licèt ex omnibus E elementis poſſe fieri perfectum mixtum admittat, id tamen non ſemper eſſe neceſſarium affirmat. Nec diſcedit ab illo, Sancta-Crux.

Pro quo ſtat primò Ariſt. *lib. 1. de generatione, c. 8. in princip.* vbi docet, quòd omnia ouata quæcumque circa locum medium ſunt, componuntur ex omnibus elementis: Videtur ergo deduci ex illo, Id non eſſe in aliis mixtis neceſſarium.

Secundò, mixta meteorologica, vt grando & nix, ſolum ex vno, aut ex duobus elementis fiunt: ergo non eſt neceſſarium quodlibet mixtum fieri ex omnibus elementis.

A Tertiò, ex duobus diſſymbolis elementis poteſt fieri mixtum, cùm ſint in illis quatuor primæ qualitates, ex quibus fiat mixta diſpoſitio: ergo non requiritur in omni mixto omnium quatuor elementorum concurſus.

Quartò, non poſſunt ſub mixta forma reperiri formæ ſimplices ſubſtantiales elementorum: ergo non requiritur ad mixti productionem omnium elementorum concurſus.

§. II.

B *Pars affirmatiua demonſtratur ex Ariſtotelis fundamentis.*

REſoluendum affirmatiuè ex doctr. Ariſtot. qui *lib. 2. de generat. cap. 8.* hanc ſententiam amplectitur, pluribuſque comprobat demonſtrationibus, quem ſequuntur Auerr. D. Thom. Albert. Magnus, omneſque Peripatetici Commentatores.

Primò probatur ratione adducta ab Ariſt. *loco citato*, qui hanc reſolutionem ſic probat. In omni, quod remanet in terra, eſt manifeſtum conſtare ex terra, cùm habeat virtutem loco-motiuam prædominantem ipſius terræ, quæ non poteſt reperiri in mixtis, niſi ob prædominium huius elementi; ſed dato, quòd ibi ſit terra, debet neceſſariò eſſe aqua, aliàs terra non vniretur; ſed in minutiſſimas abiret partes; tunc ſic, ſed his duobus elementis repertis in C mixto, debent aër, & ignis reperiri, vt refrangantur per eorum virtutes, illorum excedentes qualitates, ipſis enim non inuicem refractis, non maneret mixta diſpoſitio, ſed intenſæ eſſent qualitates, prout requiritur pro conſeruandis formis elementorum: ergo neceſſario in quouis mixto ſunt omnia quatuor elementa.

Dices cum Petro Garc. *diſp. 7. ſuper fen 1.2. Auic. cap. 5.* Quòd, vt fiat mixta diſpoſitio, ſufficit, quòd in mixto dentur duo elementa, à quibus omnes quatuor primæ qualitates refractæ poſſunt oriri, prout requiritur pro mixta diſpoſitione.

Contra eſt in primis authoritas, & ratio Ariſt. qui neceſſitatem ponendi omnia quatuor elementa demonſtrat. Præterea conuincit Ariſt. ex euidentia qua- D litatis loco-motiuæ prædominantis, in mixtis terram prædominari, quæ aquæ vniri petit, & ad horum refrangendas qualitates, reliquas requiri, ex aqua enim, & terra, non poteſt temperata poni frigiditas.

Dices, quòd licet non fiat mixta diſpoſitio ex aqua, & terra, poteſt fieri ex aqua, & igne.

Contra, mixta, quæ ſunt in terra habent grauitatem terream, cum ferantur in illius centrum, ſed hæc grauitas nō poteſt ex loco-motiuis qualitatibus aquæ, & ignis fieri, cum ſic ſupra aquam aſcenderent: ergo habent terram, & conſequenter aquam, qua illius partes vniantur, & ſimul reliqua elementa, quibus ſuæ E qualitates attemperentur.

Secundò probatur reſolutio ratione ab eodem Ariſt. adducta *loco citato*, vnumquodque nutritur ex eis, ex quibus componitur: ſed mixta viuentia nutriuntur ex quatuor elementis, vt docet experientia in plātis, quæ ex terra, & aqua nutriuntur, & illis deficientibus areſcunt; & cùm ex illis ſecundùm totam intenſionem qualitatum nutriri non poſſint, neceſſe eſt, etiam nutriri ex aëre, & igne refrangente terræ, & aquæ qualitates: alias non eſſent illis ex vſu: ergo omnia quatuor elementa debent neceſſariò in illis reperiri.

Dices cum Petro Garc. *loco citato*, quòd licet experientia doceat plantas nutriri ex aqua, reliqua

duo elementa non ſunt neceſſaria, quia qualitatum refractio poteſt fieri à contrariis exiſtentibus in planta.

Contra, qualitates in planta ſunt moderatæ: ergo elementorum qualitates, quæ in illis debent eſſe in ſummo, non poſſunt refrangi à plantis. Præterea qualitates aquæ, & terræ refranguntur à qualitatibus contrariis exiſtentibus in planta: ergo in planta ſunt elementa, quibus debentur illæ qualitates: ergo reperiuntur aër, & ignis; ſed terra, & aqua debent eſſe in illa propter primam rationem adductam, tum quia nutritio fit à ſimili: ergo.

Probatur 3. In quocumque mixto viuente debent eſſe neceſſariò omnia quatuor elementa: ergo idem de reliquis aſſerendum. Conſequentia patet, quia in omni mixto requiritur diſpoſitio mixta qualitatiua, quæ reſultat ex omnibus qualitatibus refractis, & ſubſtantifica illi proportionalis, quæ fit ex miſcella materiarum omnium elementorum. Antecedens probatur: in mixto viuente ſunt variæ organizationes, modique ſubſtantiæ diuerſi, quæ non poſſunt fieri, niſi ex omnibus elementis conſtaret, ergo reperiuntur omnia quatuor elementa.

Dices hanc diuerſam temperiem prouenire à forma mixta, quæ valet mixtam producere diſpoſitionem, diuerſamque in diuerſis partibus.

Contra; forma mixta indifferens eſt ad ponendam mixtam diſpoſitionem: ergo vt determinetur in oſſe pro duritie, in carne pro mollitie, in corde pro excedente calore, & ſiccitate, in cerebro pro humiditate, & frigiditate excedente, debent reperiri omnia elementa iuxta diuerſum ſubſtantiæ modum: quibus determinetur pro his, vel illis producendis qualitatibus.

§. III.

Garciæ in Ariſtotelem argumenta reſciuntur.

AD primum negatur conſequentia; de omni enim mixto hanc ſanciuit doctrinam Ariſt. exemplum tamen determinat in mixtis, quæ ſunt circa medium locum, in quibus manifeſtè demon- D ſtratur hæc veritas, nobiſque magis comprobatur experientia.

Ad 2. diſtinguo conſequens. Non eſt neceſſarium omne mixtum perfectum fieri ex omnibus quatuor elementis, nego; omne mixtum imperfectum, & meteorologicum, concedo conſequentiam. Mixtum perfectum ſubſtantificè eſt tale; & ideò in eſſe talis per mixtam formam ſubſtantialem conſtituitur, & per materiam mixtam conflatam ex materiis omnium quatuor elementorum, per quas recepit mixtum & perfectum modum ſubſtantiæ, & debitas qualitates. Mixtum verò meteorologicum, cum ſubſtantificè ſit corpus ſimplex, & ſolùm qualitatiuè ſit E mixtum, ideò non petit ex omnibus elementis, eorumve fieri materiebus, aut ſubſtantiis, ſed ex qualitatum tantum mixtione, quæ ab extrinſeco partim poteſt poni.

Ad 3. diſtinguo antecedens. Ex duobus elementis diſſymbolis poteſt fieri mixtum meteorologicum, concedo; mixtum perfectum, nego antecedens. Mixtum enim perfectum vt diximus fit tale non per ſolam mixtam diſpoſitionem, ſicut qualitatiuum; ſed per formam mixtam ſubſtantialem, quæ ad ſui conſeruationem duplex requirit temperamentum, alterum qualitatiuum ſui conſeruatiuum, ex omnibus qualitatibus moderatis factum: alterum ſubſtantificum ex commixtis materiebus omnium elemen-

A torum conformatum, à quibus, vt diuerſo modo commixtis, diuerſo modo determinatur forma in diuerſis partibus ad diuerſas primas producendas qualitates, diuerſique fiunt ſubſtantiæ modi conducentes vt diuerſæ facultates producantur in diuerſis partibus mixti.

Ad 4. diſtinguo conſequens: ergò non requiritur ad mixti productionem omnium elementorum concurſus ob ſuarum formarum continentiam in mixto, concedo; ob continentiam virtualem earum, & ob præſentiam ſuarum materierum, nego conſequentiam. Elementa enim ſunt omnia neceſſaria pro perfecto mixto, vt materiæ eorum omnium commixtæ, fiant B aptum ſubiectum pro receptione formæ mixtæ, & vt ob virtualem continentiam, eorum forma mixta producat omnes primas qualitates.

Resolvtio II.

Vtrùm in prima rerũ creatione omnia mixta fuerint facta ex quatuor elementis?

§. I.

Partis negatiua proponuntur fundamenta.

PArs negatiua videtur comprobari ex Geneſi in principio, docet enim creata fuiſſe mixta in omni C genere eorum; ſed creatio eſt productio rei ex nihilo: ergo omnia mixta ſunt creata à Deo ex nihilo, non ex elementis facta.

Secundò, in nullum finem fuit neceſſe mixta primò producta fuiſſe ex elementis: ergo à Deo ex nihilo ſunt producta.

Tertiò, ſi vellet Deus Petrum, vel quodcumq; mixtum creare ex nihilo, illius potentiæ hoc non eſt denegandum, ſed hoc mixtum produci, & conſeruari poteſt ſine elementis: ergo potuerunt ſimiliter reliqua in prima rerum productione produci.

§. II.

Pars affirmatiua reſoluitur & probatur.

D REſoluendum eſt affirmatiuè, ex doctr. D. Thom. 1. *p. q. 91. art. 1. in corpore*, quem ſequuntur ibi Caietanus, & Suarez *tom. 2. in 1. p. D. Thomæ, & lib. 2. de opere ſex dierum cap.* 10.

Probatur 1. Homo fuit à Deo factus in prima ſui creatione ex omnibus elementis: ergo idem aſſerendum eſt de reliquis mixtis, quæ tunc creata ſunt. Antecedens probatur ex D. Thom. *loco citato*, vbi oſtendens quomodo fuerit Adam creatus ex limo terræ, dicit: *Elementa verò ſecundum ſubſtantiam ſunt in illo, ita tamen, quòd ſuperiora elementa prædominantur in eo ſecundum virtutem, ſcilicet ignis, & aer: inferiora vero elementa abundant ſecundum ſubſtantiam,* E *aliter enim non poſſet eſſe mixtionis æqualitas, niſi inferiora elementa quæ ſunt minoris virtutis, ſecundum quantitatem in homine abundarent, & ideo dicitur corpus hominis de limo terræ formatum, quia limus dicitur terra aqua permixta, &c.*

Probatur 2. Prima rerum creatio fuit productio earum iuxta ordinem naturæ magis illis congruum; ſed congrua mixtorum productio petit ex elementis fieri cunctis: ergo ex omnibus illis factum eſt quodcunque perfectum mixtum. Probatur minor, congrua mixtorum productio petit fieri ex principiis valentibus ponere, ac conſeruare mixtam diſpoſitionem conſeruatiuam eorum, ſed huiuſmodi principia ſunt forma mixta omnium qualitatum indifferenter productiua, & materia omnium elementorum, per quas determi

determinantur illæ pro qualitatibus producendis in debita intenſione pro tali forma : ergo congrua mixtorum productio petit ex cunctis fieri elementis.

Probatur 3. Mixta perfecta ſunt ex Ariſtot. *lib. 1. de generatione cap. 10.* quæ ex miſcibilium alteratorum ſunt vnione: ſed quatuor elementa ſunt miſcibilia, quæ de ſe ordinantur, vt mixta connaturalia fiant: ergo mixta ex omnibus debent fieri elementis.

§. III.

Fit ſatis pro argumentis.

AD 1. diſtinguo minorem, creatio eſt productio rei ex nihilo, ſi ſit propria, & rigoroſa creatio, concedo; ſi largo modo creatio dicatur, nego minorem. Vt enim doctiſſimus annotauit Suarez *loco adducto* pro reſolutione, in prima rerum geneſi duplex fuit creatio, alia rigoroſa, per quam ſimplicia corpora ex nihilo fuerunt facta, quæ docentur illis verbis, *creauit Deus cælum, & terram, &c.* & Altera fuit productio reliquarum rerum, mixtorum ſcilicet, quæ largo modo creatio dicitur, quia licet ex omnibus elementis fuerint facta, non tamen cum mora, & præcedente actione, & reactione elementorum, ſed in inſtanti, quia per concurſus ablationem Deus coarctauit elementorum virtutes, vt veluti in inſtanti, & ſine contrarietate, & actione primarum qualitatum formæ introducerentur in materia, quam ex omnibus elementis, quæ conducebant pro illius temperie, & in quantitate pro tali forma debita, coagulauit Dominus, ſicut ſimiliter dedit homini, quem primò creauit non quamcumque materiam, ſed organizatam, ex limo terræ productam cum coniunctione materierum omnium elementorum, vt docet D.Thom. *loco citato* pro prima probatione reſolutionis.

Contra, ſaltem mixta, quæ poſt primam rerum geneſim producuntur, non fiunt ex elementis, ſed ex aliis mixtis.

Reſpondetur, diſtinguo minorem, ſed fiunt ex aliis mixtis immediatè, concedo; mediatè in prima primi mixti productione, nego minorem. Quodlibet enim mixtum fit vel immediate per mixtionem, aut creationem modo dictam, vel ex alio mixto, quod fuerit ex aliis factum, donec perueniatur in mixtum immediate factum ex elementis.

Ad 2. negatur antecedens, quia cum forma mixta ſit indifferens ad producendas omnes omnium elementorum qualitates in ſummo, fuit neceſſe ex materiis elementorum ipſorum poni ſubſtantificum temperamentum, per quod determinetur modo infra dicendo, pro mixta ſibi debita diſpoſitione qualitatiua producenda.

Ad 3. diſtinguo minorem. Sed hoc mixtum produci, & conſeruari poteſt ſine elementis, de potentia Dei abſoluta, & vltra ordinem naturæ, concedo, ſeruato ordine naturali debito pro rerum productione, nego minorem. Homo enim ſeruato ordine naturæ non poteſt ſine debita organizatione produci, poteſt tamen à Deo ſine organizatione creari: quod idem admittendum in mixti productione, & tunc ſicut Deus ſuppleret actiones neceſſarias ad hominis conſeruationem, quæ non poſſent fieri ſine debita organizatione; ſimiliter ſuppleret in mixto ſubſtantifici temperamenti defectum, quod deberet fieri ex materiis elementorum requiſitum pro mixtæ formæ conſeruatione.

A

Resolutio III.

Verùm elementa, quæ ſunt in mixto, retineant ſuas formas ſubſtantiales?

§. I.

Elementorum ſubſtantiales formas admittunt in mixto, Auerroes, Nimphus, & alij.

PArtem affirmatiuam tuentur Auicen. Auer. *tertio cæli text. 67.* Auguſt. Nimph. *lib. 1. de generat.* Zimara *theoremate 48.* Argenterius *lib. artis medicinalis*, B Fernelius *lib. 2. partis naturalis c. 6.* Vega *lib. 1. method. c. 1.* Noſter doctiſſimus Mercatus *lib. 1. de recta ratione principiorum artis medicinæ tract. 5. art. 5.* & alij. Licèt non omnes eodem philoſophentur modo.

Pro quibus ſtat primò Ariſt. *lib. de generat.* dicens: *Hæc mixtura, & congeries ex ſonſeruatis quidem, ſed ſecundum exiguas portiones iuxta ſe compoſitis erit elementis*: & Hipp. *lib. de natura humana text. 24.* dicit: *Rurſus cum corpus hominis moritur, ſingula ad ſuam naturam accedunt, humidum ad humidum, ſiccum ad ſiccum*: & Gal. *lib. 1. de elementis c. 5.* dicit, Elementa ſe habere ita in mixto corpore, ſicut in vniuerſo: & Auicen. *lib. 1. ſufficientiæ c. 10.* loquens de miſcibilibus dicit: *Et horum formæ eſſentiales ſunt formæ permanentes, ſed accidentia* C *horum, ex quibus patiuntur paſſionem conuerſionis, mutantur*: Ex quibus locis conſtat elementa formaliter manere in mixtis.

Secundò, vnumquodque reſoluitur in ea, ex quibus componitur, ſed mixtum reſoluitur in quatuor elementa, vt patet dum viride lignum igneſcit, vbi in fumum aër, & ignis in flammam, aqua ſub propria, terra ſub cineris apparent forma: ergo ex illis formaliter exiſtentibus componitur mixtum.

Tertiò, in mixti productione, vel ipſum elementa omnia virtute ſuperat, vel vno vincente, alterum corrumpitur; ſi primum, cùm formæ non fuerint corruptæ, omnes in mixto remanerent; ſi ſecundum, quod vincit alterum elementum, illud conuertit in ſui naturam: ergo ex mixtione neceſſe eſt elementa formaD liter manere in mixto.

Quartò, materiæ elementorum non poſſunt recipere formam mixtam, niſi per mixtam diſpoſitionem determinentur ad illius receptionem: ſed corruptis elementorum formis, non poſſunt in materia dari qualitates elementorum, ex quibus fiat mixta diſpoſitio (cùm, formâ corruptâ, fiat reſolutio vſque ad materiā primam:) ergo nunquam poſſet mixta recipi diſpoſitio ſine illis.

Quintò obiicies cum doctiſſimo Mercato, mixtum ab intrinſeco poteſt corrumpi: ergo quia elementorum formæ actu manent in illo. Probatur conſequentia, corruptio ab intrinſeco prouenit ab exceden- E te calore ipſius mixti corrumpente mixtam formam, ſed à forma ipſius mixta tantùm qualitates conſeruatiuæ producuntur: ergo quæ corruptiuæ ſunt, ab elementorum formis proueniunt.

Sextò, materia prima non dicit ordinem ad formam mixtam, niſi mediis formis elementorum: ergo non poteſt hæc illam informare niſi illis exiſtentibus.

§. II.

Remanentia formarum ſimplicium reiicitur ab omni mixto.

REſoluitur negatiuè, mixtum enim fit tale ſubſtantifice per formam mixtam ſubſtantialem

diſtinctam à formis elementorum, illis iam corruptis. Sic docet Ariſt. *lib.* 1. *de generatione c.* 7. *text.* 45. D. Thom. *lib.* 1. *de generat. lect.* 10. *& quaeſt.* 9. *de anima ad* 10. *& p.* 1. *q.* 79. *art.* 4. *ad* 4. *& q.* 5. *de potent. art.* 7. *& opuſc.* 33. tenet Scotus *in* 2. *diſt.* 15. *q. vnic.* Caiet. 1. *part. q.* 76. *art.* 4. *ad* 4. Greg. Gabr. & Capreolus *in* 2. *diſt.* 15. Tenent ex medicis Thomas de Garbo *in ſumma tract.* 1. *capite* 1. Segarra *lib.* 1. *de natura hominis comm.* 14. Valles *lib.* 1. *controu. cap.* 1. Sancta-Cruz *in Auic. opuſc.* 2. Petrus Garc. *in Fen.* 1. 1. *diſp.* 7. *cap.* 10. qui latiſſimè proſequitur hanc difficultatem, & vt moris, doctiſſimè. Tenent ex Philoſophis Collegium Conimbricenſe, & ſimiliter Diſcalceatorum, Rubius, & alij, eſtque noſtris temporibus communior ſententia.

Probatur 1. Ratione fundamentali. Mixtum eſt vnum ſubſtantificè tale: ergo per vnam formam ſubſtantialem mixtam ab elementis diſtinctam. Probatur conſequentia, vnitas ſubſtantialis entis naturalis prouenit ab vnitate ſubſtantialis formæ tribuentis mixto eſſe, eſſe tale, & eſſe vnum tale; ſed formæ elementorum non poſſunt vnum tale eſſe tribuere: ergo ab vna forma ſubſtantiali mixta ab illis diſtincta tribuitur. Probatur minor; tum quia formæ elementorum ſunt plures, & conſequenter plura entia valent ſubſtantifica conſtituere, vt patet in elementis; tum quia in mixto variæ oriuntur proprietates, & paſſiones, quæ ab elementorum formis non poſſunt oriri, vt attractio humorum in purgantibus medicamentis, ferri attractio a magnete, & alia huiuſmodi: ergo ab alia forma recipit mixtum eſſe.

Dices, quòd manent formæ elementorum in mixto, licet in ſuo eſſe non conſtituantur per illas, ſed per mixtam ab illis diſtinctam.

Contra, mixtum eſt vnum ens per ſe ſubſtantiale: ergo forma mixta, per quam fit tale, non ſuperuenit remanentibus formis ſubſtantialibus elementorum; Probatur conſequentia, quicquid aduenit enti in actu conſtituto conſtituit ens per accidens, ſed tunc forma ſubſtantialis mixta ſuperueniret entibus conſtitutis in actu: ergo mixtum ex eius aduentu fieret ens per accidens.

Dices, elementorum formas conſtituere entia in actu imperfecta, & complebilia per formam mixtam, ad quam ordinantur eſſentialiter, & ideò ex illis non fit ens per accidens, ſed ens per ſe vltimò conſtitutum per formam completiuam potentialitatis illarum, quæ in ſimplicibus remanet, ſicut ſimiliter forma corporeitatis reperta in materia prima, quia complebilis eſt per reliquas formas, non facit ens per accidens, etiam ſuperuenientibus reliquis formis ſubſtantialibus.

Contra, elementum quodlibet per ſuam formam ſubſtantialem fit vnum ens per ſe, conſtitutum in determinata ſpecie entis ſub prædicamento ſubſtantiæ: ergo forma, quæ illi ſuperuenit, facit ens per accidens. Probatur antecedens, quidquid ponitur in prædicamento ſubſtantiæ tanquam ſpecies illius debet eſſe ens per ſe, & determinatum in tali ſpecie ſub determinato genere: ergo elementum, quod conſtituitur ſub prædicamento ſubſtantiæ, eſt ens per ſe in illo prædicamento. Ariſt. enim in anteprædicamentis relegauit à prædicamentis entia per accidens.

Dices, elementa eſſe entia incompleta, & poni, vt talia, in prædicamento ſubſtantiæ, ſicut ponitur materia, & forma.

Contra, in prædicamento ſubſtantiæ illud ponitur tanquam ens per ſe, & completum, quod determinatam ſpeciem ſubſtantiæ obtinet, completurque eius eſſentia per formam, ſed elemementum determi-

A natam ſpeciem, completamque eſſentiam ex materia, & forma ſubſtantiali habet: ergo elementum quodlibet eſt in genere ſubſtantiæ ens per ſe completum per formam ſub determinata ſpecie.

Confirmatur, ſi formæ elementorum manerent ſimul cum forma mixta, vel remanerent ſecundum omnem ſuam perfectionem, vel remiſſæ, ſecundum omnem perfectionem, non, quia non eſſet poſſibile, mixtione præcedente, in qua refranguntur qualitates, formas ſimplices conſeruari cum tanta remiſſione qualitatum in eſſe perfecto, ſi remiſſæ, non eſſent ſubſtantiales, non enim recipit magis, & minus ſubſtantia. Præterea ſi formæ ſubſtantiales in mixto ſunt remiſ-

B ſæ, non poſſent intenſas qualitates producere, ad quas conſeruandas Mercatus, & alij iudicant eſſe neceſſarias, & vt in mutatione ætatum reluceant intenſæ.

Confirmatur 2. Forma mixta non poteſt introduci in materia, niſi præcedat mixta diſpoſitio, quæ determinat ad formæ mixtæ introductionem, ſed quæcumque diſpoſitio, quæ determinat materiam ad alicuius formæ introductionem, hæc eadem eſt diſpoſitio corruptiua formæ præcedentis in materia: ergo dum in mixtione mixta diſpoſitio diſponit ad introductionem formæ mixtæ, hæc eadem diſpoſitio eſt corruptiua formarum elementorum, quæ præceſſerunt in illis materiebus, ex quibus fit materia pro forma mixta.

Probatur 2. Forma mixta eſt vna: ergo forma mix-

C ta vnam tantum valet informare materiam, ſed, ſi formæ elementorum eſſent in mixto eſſent in illo plures materiæ: ergo non poſſunt ab vna forma mixta informari. Probatur minor, eædem eſſent materiæ elementorum in mixto, quæ erant ante mixtionem, ſed ante mixtionem tot ſunt diſtinctæ materiæ, quot ſunt elementa: ergo poſt mixtionem plures eſſent materiæ in mixto.

Dices, illas materias ſub forma mixti fieri vnam, ratione formæ mixtæ ſuperuenientis.

Contra, idem eſt principium indiuiduationis in elementis ſeparatis, ac vnitis ſub aliqua forma diſtincta, ſi talis vnio eſſet poſſibilis, ſed in illis ante aduentum formæ mixtæ, ſuæ materiæ, vt ſignatæ quantitate, ſunt quatuor principia indiuiduationis, & ideò ſunt

D illis quatuor materiæ: ergo ſi formæ remanent eædem, adueniente forma mixta, adhuc materiæ eædem remanebunt.

Confirmatur: ea, quæ ſunt ſpecie diuerſa, non poſſunt continuari, & vnum numero effici in ratione continui, ſed ſi reperirentur formæ elementorum in mixto, elementa quatuor ſpecie diuerſa fierent vnum numero continuum: ergo implicat ea actu in mixto reperiri.

Probatur 3. Concluſio: ſi eſſent neceſſariæ formæ elementorum in mixto, maximè, vt ab illis producantur qualitates primæ, ex quibus fit mixta diſpoſitio conſeruatiua formæ mixtæ, ſed corruptis formis ele-

E mentorum, remanet forma mixta, quæ valet illas producere: ergo non ſunt neceſſariæ formæ elementorum in mixto. Probatur minor, mixta diſpoſitio eſt propria paſſio mixti, ſed propriæ paſſiones debent produci ab illa forma, cuius ſunt propriæ paſſiones: ergo corruptis formis elementorum, manet forma mixta, à qua poteſt produci mixta diſpoſitio.

§. III.

Contrariæ opinionis fundamenta ſoluuntur.

AD 1. reſpondetur ſolùm probare ex ibi adductis authoritatibus elementa manere in mixto per

per ſuas materias inter ſe commixtas, & quòd ipſæ materiæ retinent propriam temperiem ſuorum elementorum, & quòd informentur formâ mixtâ, quæ ipſa elementa virtualiter continet, Auic. verò loquitur de elementis extra mixtum.

Ad 2. diſtinguo minorem, mixtum reſoluitur in quatuor elementa materialiter ſumpta, concedo; in quatuor elementa formaliter diuerſa, nego minorem: eo modo totum poteſt in partes componentes reſolui, quo continentur in illo, dum verò lignum, in exemplo pro argumento adducto, reſoluitur in quatuor adductas ſubſtantias, non ideò eſt, quia in ipſa tamquam in propria elementa, quæ in illo continebantur, fiat reſolutio; ſed aqua exiit, quia ad nutritionem actu erat in illo, fumus mixtum eſt ex ſubtiliori ſubſtantia factum, ſicut cinis ex craſſiori, neutrum tamen eſt elementum.

Ad 3. negatur antecedens, quia, vt elementa corrumpantur in mixtione, non eſt neceſſarium quòd vnum elementum alterum corrumpat, ipſum in ſe conuertendo; ſed ſufficit, quòd mutuò ipſa elementa commiſceantur, quòd mutuò agant, & reagant, & mixta reſultet diſpoſitio ex elementorum confractis viribus: & cùm mixta diſpoſitio ſit incompoſſibilis cum formis ſimplicium, ipsâ poſitâ, neceſſe eſt, & quòd ipſæ corrumpantur, & quòd in earum materiis superueniat forma mixta ſubſtantialis, cuius præceſſit diſpoſitio.

Ad 4. diſtinguo conſequens: ergo nunquam poteſt dari mixta diſpoſitio pro introductione formæ mixtæ poſt aduentum ipſius formæ, concedo; immediatè ante inſtans in quo mixta forma recipitur in materiam nego conſequentiam. Licèt enim diſpoſitio conſeruatiua formæ petat cum illa produci, diſpoſitio tamen præuia diſponens pro ea in antecedente tempore immediato, ad inſtans generationis tantum petit recipi in ſubiecto.

Ad 5. negatur conſequentia, ſufficit enim virtualis continentia elementorum in mixto, vt poſſit producere non ſolum conſeruatiuas qualitates, ſed etiam ſui corruptiuas, vt patebit infra.

Ad 6. diſtinguo antecedens; materia prima non dicit ordinem ad formam mixtam niſi mediis formis elementorum præcedentibus in tali materia, concedo; niſi mediis formis elementorum remanentibus in illa, nego antecedens. Vt enim materia fiat apta pro forma mixta, ſufficit, quòd præceſſerint formæ elementorum, à quibus remaneant materiæ ſigillatæ pro qualitatibus debitis ſuis elementis.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm mixta forma ſaltem virtualiter contineat elementorum formas.

§. I.

Proponitur pars negatiua.

NEgatiuam partem tenent omnes Authores, qui formaliter contineri contendunt, & in eius probationem faciunt aliqua illorum fundamenta. Prætera, quòd mixta meteorologica, vt grando, & nix non continent virtualiter omnia elementa, cum neque eorum valeant producere qualitates; Idem ergo tenendum eſt de reliquis formis mixtis ſubſtantialibus.

A §. II.

Communior ſententia admittitur.

REſoluendum tamen Affirmatiuè, ex Ariſt. *lib. de generat. text.* 48. *lib.* 2. *de partibus animalium capite* 1. *lib.* 3. *de cælo t.* 3. & ex D. Thom. 1. *part. quæſt.* 76. *art.* 4. *ad* 4. quem ſequitur Caietanus ibi, Scotus *in* 2. *ſententiarum diſtinct.* 15. Conimbricenſes *lib.* 1. *de generat. cap.* 10. *q.* 3. Rubius *lib.* 1. *de generat. cap.* 10. *q.* 4. Petrus Garc. *in fen.* 1. 1. Auicen. *diſp.* 7. *cap.* 3. Valles *lib.* 1. *controuerſ. cap.* 1. Sancta-Cruz *in fen.* 1. 1. *Auicen. opuſc.* 2. Et eſt communis apud omnes, qui formas elementorum negant in mixtis.

Ratio huius eſt, quia in mixtis reperiuntur qualita-
B tes primæ, quæ ſunt effectus proprij formarum elementorum: ergo debent produci ab eorum formis actualiter, vel virtualiter ibi exiſtentibus: ergo debent ſaltem contineri virtualiter. Conſequentia patet, cauſa enim efficiens actu, vel virtute debet reperiri ad efficiendam operationem.

§. III.

Ad rationem dubitandi reſpondetur.

AD rationem dubitandi dicendum, quòd mixtum meteorologicum non ſit tale per ſubſtantialem formam diſtinctam à formis ſimplicium, ſed per primas qualitates commixtas, partim ab illius forma
C ortas, partim ab extrinſeco communicatas; mixta verò perfecta ſiunt ſubſtantialiter talia per formam mixtam ſubſtantialem virtualiter continentem omnia elementa, & media illa virtuali continentia valent omnes primas ſibi debitas qualitates producere.

RESOLVTIO V.

Quid ſit elementa virtualiter contineri in mixto?

§. I.

D *Caietani, Carreiri, & aliorum proponitur opinio.*

VIrtualiter elementa contineri in mixto, quia in illo remanent quatuor primæ qualitates, quæ ſunt virtutes elementorum, tenent plures Thomiſtæ cum Caietano 1. *p. q.* 76. *art.* 4. *ad* 4. & Petrus Garc. *in fen.* 1. 1. *Auic. diſput.* 7. & Conimbricenſes *lib.* 1. *de generat. cap.* 10.

Pro quibus videtur ſtare D. Thomas *loco citato ad* 4. vbi poſtquam determinauit elementa contineri in mixto virtualiter, dicit: *Et ideò dicendum eſt ſecundum Philoſophum* in 1. de generatione, *quòd formæ elementorum in mixto ſunt, non actu, ſed virtute, remanent enim*
E *qualitates propriæ elementorum, licèt remiſſæ, in quibus eſt virtus formarum elementalium*: Ergo virtualiter elementa continentur in mixto; quia continentur eorum qualitates.

Secundò, elementa continentur virtualiter in mixto, vel quia elementorum qualitates remanent in illo, vel quia forma mixta virtute continet formas elementorum: ſed huiuſmodi continentia eſt impoſſibilis: ergo virtualiter continentur elementa in mixto, quia qualitates primæ, quæ ſunt eorum virtutes, ſunt in illo. Probatur minor, ſi forma ſubſtantialis mixti virtualiter contineret formas elementorum; vel eas contineret in genere cauſæ formalis:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

malis; vel in genere cauſæ efficientis; ſed in genere cauſæ formalis eas non continet, alias tribueret mixto eſſe ignem, & eſſe aquam, ſicut anima rationalis tribuit homini eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum, quia formaliter continet animam vegetatiuam, & ſenſitiuã; neque in genere cauſæ efficientis, alias forma mixta valeret qualitates in ſummo producere, & ipſa elementa generare: ergo talis continentia eſt impoſſibilis.

Tertiò, ſi elementa eſſent virtualiter in mixto, quia continentur à forma mixta, ipſa perfectior deberet eſſe ipſis formis elementorum, ſicut anima rationalis eſt perfectior ſenſitiuã, & vegetatiuã, quas continet; ſed elementa ſunt perfectiora quàm quodlibet mixtum, præcipuè non viuens: ergo continentia virtualis potius in ipſis qualitatibus primis, quæ reperiuntur in mixtis, debet conſtitui, quàm in hoc, quòd forma mixta eorum formas contineat.

§. II.

Deciditur continentia elementorum ratio.

RESoluendum tamen, quòd continentia virtualis elementorum in mixto ſtat in hoc, quòd quælibet forma mixta contineat formas elementorum virtualiter, quatenus in ſe habet virtutem producendi, & qualitates debitas vnicuique elemento, & in intenſione debita, vt producatur eius forma quantum ex parte eſt ſuæ virtutis.

Probatur 1. Reſolutio: virtualis continentia elementorum in mixto, vel ſtat in hoc, quod forma mixta virtute contineat elementorum formas, quatenus eas valet producere; vel in hoc, quòd elementorum qualitates remiſſæ ſint in mixto: ſed in qualitatum remanentia in mixto, non ſtat virtualis continentia elementorum in mixto: ergo debet poni in hoc, quòd mixta forma valeat elementorum formas producere. Minor probatur, ſi propter qualitates primas repertas in mixto virtualiter continerentur elementa in illo, vbicumque reperiremus huiuſmodi qualitates, ibi contineretur elementa virtualiter: ſed adhuc ſi in aqua, & igne reperiantur omnes quatuor qualitates, non ideò dicuntur in igne, aut aqua virtualiter omnia elementa contineri: ergo etiam ſi in mixto reperiantur, non ideò dicuntur contineri in illo virtualiter elementa.

Confirmatur, ſi elementa dicerentur contineri virtualiter in mixto, quia elementorum qualitates ſunt in illo, maximè id eſſet admittendum, quia prædictæ qualitates, licet remiſſæ, ſunt inchoatiuè elementa, quatenus per maiorem intenſionem poſſunt illa producere; ſed hæc ratio non ſufficit: ergo ex continentia qualitatum in mixto, non dicendum contineri elementa virtualiter. Probatur minor, hæc ratio etiam conuinceret, vt propter caliditatem remiſſam receptam in aqua, diceretur ignis in illa contineri virtualiter, cùm calor ille ſit inchoatiuè ignis: ergo ſicut hæc ratio non ſufficit ibi, ſimiliter neque in mixtis.

Confirmatur 2. Qualitates primæ quæ reperiuntur in mixtis, neque formaliter, neque efficienter continent elementa: ergo propter illas non dicuntur elementa contineri in mixto. Probatur antecedens, formaliter non, cùm ſit accidens, in quo formaliter non poteſt ſubſtantia contineri; neque efficienter, cùm ſit diſpoſitio mixta corruptiua formarum elementalium, quæ præfuerunt in mixtione: ergo neque formaliter, neque efficienter continent virtutem producendi illas.

Probatur 2. Reſolutio: qualitates primæ, ex qui-
A bus fit mixta diſpoſitio, non poſſunt non produci à forma mixta, alias prouenirent ab extrinſeco, paſſo non conferente vim, & eſſent violentæ: ſed eo ipſo, quod proueniant à forma mixta, ipſa debet virtualiter eas continere: ergo qualitates primas, quas producit, virtualiter continet: & quia, mediis illis, valet elementa producere, ipſa etiam dicitur continere virtualiter elementa. Probatur minor, eo ipſo quòd forma mixta qualitates primas producat, illas formaliter, aut virtualiter debet continere: ſed forma mixta, cùm ſit ſubſtantia, non poteſt formaliter illas continere: ergo virtualiter dicendum eſt continere illas.

Dices, quòd licèt forma mixta virtualiter contineat
B qualitates primas remiſſas, quæ ſunt diſpoſitiones illius, non tamen valet producere illas in ea intenſione, qua, mediis illis, elementa producantur, & ideò non dicuntur continere virtualiter elementa.

Contra, forma mixta ſubſtantialis ideò valet producere qualitates primas, quia, cùm naturaliter non potuerit habere ſecum formas elementorum, & ex alia parte qualitates eſſent diſpoſitio conſeruatiua, illi Deus virtutes elementorum communicauit qualitatum productiuas, vt ſibi neceſſarias produceret; ſed virtus productiua qualitatum primarum eſt eiuſdem naturæ, & ſpeciei, ſicut quæ reperitur in elementis, quidquid enim producit calorem virtute ignis producit illum, ex D. Thom. 2. *de cœlo. text.* 42. *lect.* 10. *& lib.* 2. *de anima, text.* 70. *lect.* 14. Ergo ſicut hæc virtus fuit communicata
C elementis illimitata, ſimilis fuit communicata mixtæ cuicumque formæ.

Dices, cum Petro Garc. mixtam diſpoſitionem non produci à forma mixta, neque in illa eſſe aliquam virtutem qualitatum primarum productiuam, ſed remanere diſpoſitionem mixtam qualitatum, quæ præfuerunt in elementis, in mixtione, & non potuerunt corrumpi in illa.

Contra, generatio ex Ariſt. *lib.* 1. *de generatione,* eſt mutatio huius totius in hoc totum, nullo ſenſibili manente: ergo dum mixtum generatur, nulla ſenſibilis qualitas remanet. Præterea forma mixta poteſt induci cum remiſſioribus diſpoſitionibus, immò de facto ſemper introducitur, quàm quæ requi-
D runtur pro ſui conſeruatione, quia forma antecedens nunquam poteſt conſeruari in materia cum diſpoſitione omnino incompoſſibili, qualis eſt diſpoſitio connaturalis ſubſequentis formæ: ergo adhuc in opinione, quæ non admittit reſolutionem vſque ad materiam primam, debet admitti nouam illam intenſionem qualitatum primarum produci à forma mixta, quæ de nouo generatur.

Præterea, poteſt in mixto diſpoſitio primò adquiſita corrumpi à contrariis: ergo ad illius productionem debet dari in forma virtus primarum qualitatum productiua, aliàs ſemel remiſſis ab extrinſeco qualitatibus, ſemper eſſemus in præternaturali ſtatu per totum vitæ decurſum.

Præterea, plerumque contingit, quòd forma intro-
E ducatur in materia habente qualitates contrarias in magna intenſione, eis, quæ debentur pro conſeruatione ſuperuenientis formæ, vt patet in productione ignis, in aëre frigido, tempore hyemis nimis arrarato: ergo ad contrarias qualitates ſui conſeruatiuas debet forma introducenda habere qualitatum, quæ ibi debentur, virtutem productiuam.

Probatur 3. Reſolutio: forma quælibet mixta viuens habet virtutem illimitatam qualitatum primarum productiuam: ergo de omni forma mixta idem aſſerendum eſt, cum in virtute producendi qualitates primas, ex quibus mixta diſpoſitio reſultat, eadem

fit

ſit ratio in omni forma mixta ergo: mixtum virtualiter dicitur continere elementa, quia virtutem habet illimitatam productiuam qualitatum. Probatur antecedens; quodlibet viuens per varias mutatur ætates, per diuerſas earum intenſiones: ergo quia illimitatam habet virtutem productiuam.

Dices cum Petro Garcia, virtutem productiuam qualitatum primarum eſſe illimitatam in viuente, quia erat neceſſaria noua productio qualitatum in diuerſis ætatibus pro diuerſis operationibus, quæ exercentur ab animali, quæ ratio non currit in non viuente mixto.

Contra eſt, primò quòd iam admittit ſaltem in viuente mixta diſpoſitionem produci à forma mixta. Secundò iam ſaltem in viuente illimitatam virtutem admittit, quia in producendis qualitatibus communicat in virtute cum elementis, quæ illimitatas has virtutes habent; ſed ſimiliter mixta forma non viuens, quatenus communicat in virtute cum elementis, ſuas valet qualitates producere: ergo eadem erit omnino in illis illimitata virtus.

Præterea, viuentia non communicant qualitates primas, nec mixtam diſpoſitionem ex illis compoſitam prout viuentia ſunt, ſed prout ſunt mixta præcisè: ergo ſicut in illis fit productio qualitatum primarum per virtutem illimitatam, ſimiliter & in aliis mixtis.

Præterea, virtus illimitata productiua qualitatum fuit in viuentibus neceſſaria, vt propriam diſpoſitionem producerent, & productam conſeruarent, ſed ad hæc omnia in quocumque mixto ſunt neceſſaria: ergo ſicut illimitata fuit à Deo conceſſa viuentibus mixtis, ſimiliter & aliis.

Probatur vltimò Reſolutio: in homine v.g. anima, vt forma eſt mixta, non ſolum producit qualitates in ea intenſione, qua valent conſeruare illam, ſed in maiori, in qua ipſam poſſunt corrumpere: ergo habet virtutem illimitatam productiuam primarum qualitatum: ergo mediis illis, quantum eſt ex ſe, valet elementa producere, & ideò virtualiter illa continere dicitur. Probatur antecedens: ſicut, manente temperamento ſubſtantifico naturali, producit ſibi debitas, & naturales qualitates, ſimiliter, ipſo corrupto, præter naturales qualitates producit, v.g. calorem, & ſiccitatem ſui corruptiuas in hectica; frigiditatem, & humiditatem ſui corruptiuas in hydrope: ergo non ſolùm qualitates conſeruatiuas, ſed ſui corruptiuas valet forma hominis, quà mixta eſt, producere.

Dices, quòd in hectico, & hydropico producuntur qualitates excedentes corruptiuæ à cauſa extrinſeca, non verò ab ipſa forma viuentis.

Contra, illæ intemperies fiunt habituales, & difficilè mobiles, vt ex difficultate curationis patet, ſed qualitates ab extrinſeco aduenientes, cauſâ extrinſecâ ablatâ auferuntur, nec habituales fiunt: ergo quia non producuntur à cauſa externa, ſed ab ipſa anima.

§. III.

D. Thomas explicatur: fit ſatis argumentis pro Caietani opinione.

AD 1. reſpondetur, quod D. Thomas non intendit docere, quòd elementa continentur virtualiter, quia ſint in mixto qualitates primæ, quæ ſunt virtutes elementorum, ita vt ponat in illis rationem continentiæ virtualis; ſed potius in ipſa forma mixta ſubſtantiali; deducit tamen huius veritatis probationem ex eo, quòd in mixto reperiantur qualitates primæ, quæ, cum, vt iam probaui, non producantur ab elementorum formis (quæ in mixto non ſunt) debent neceſſariò produci ab ipſa forma mixta, quatenus virtualiter elementa continet, quod colligit à poſteriori ex productione qualitatum, dicit enim: *Remanent enim qualitates propriæ elementorum, licèt remiſſæ, in quibus eſt virtus formarum elementalium.* Quaſi dicat id euidenter inferri ex qualitatibus ibi repertis, quæ, cùm ſint propriæ elementorum, non poſſunt ſubſequi, niſi in quibus eſt virtus elementorum, ſeu in quibus elementa continentur virtualiter in forma, quæ ſit principium elicitiuum earum.

Ad 2. negatur minor: Continet enim mixta ſubſtantialis forma virtualiter eminenter elementa, & ideò valet efficere quidquid omnes formæ elementorum ſi actu, & formaliter eſſent in mixto, poſſent producere.

Contra: ſi mixta forma ſubſtantialis poſſet quaſcumq; elementales producere qualitates, & in quacumque intenſione, non ſolum produceret qualitates ſui conſeruatiuas, ſed etiam qualitates ſui corruptiuas: ſed hoc implicat: ergo non poteſt virtualiter eminenter elementa continere. Probatur minor, ſi forma mixta poſſet qualitates contrarias, & ſui corruptiuas producere, ſequeretur, quòd ipſa eſſet principium ſuæ corruptionis; ſed nulli formæ datur principium ſui corruptiuum, cùm potius omnes qualitates, & potentias recipiat, vt valeat ſe conſeruare in materia: ergo implicat qualitates intenſas, & contrarias producere.

Reſpondetur negando vtramque minorem: Mixtum enim mixtam petit diſpoſitionem omnium qualitatum, & cùm ipſæ qualitates ſint propriæ elementorum, non poſſet ipſas producere forma mixta, niſi in virtute earum formarum, cui propriæ ſunt, & ideò ad earum productionem, fuit neceſſarium, quòd virtualiter continerentur à forma mixta elementorum formæ, vt ratione huius virtualis continentiæ ſuam produceret mixtam diſpoſitionem: & quia illæ virtutes ſunt illimitatæ ad totam qualitatum intenſionem, & deberent ſic mixto tribui ſi tractu temporis in mixto eſſent in maiori intenſione ex vſu (vt contingit in viuentibus, & in medicamentis calidis potentialibus) ab intrinſeco fuiſſet in mixto productiua virtus harum qualitatum; & ideò alligari non potuerunt huiuſmodi virtutes, vt non eſſent ſimul, & principium conſeruandæ formæ, & illius corrumpendæ, idem enim, qui nos viuificat calor, nos occidit, ab eodem enim naturales perficiuntur operationes viuentis, & partes reſoluuntur vſque ad naturalem interitum.

Contra: ſi primæ qualitates, ob huiuſmodi virtualem continentiam, producerentur à forma mixta, cùm non fierent à ſimili qualitate per alterationem, deberent ab ipſa pullulare forma: ſed quod pullulat à forma, non poteſt eſſe corruptiua diſpoſitio eius formæ, à qua pullulat, cum tribuatur, tanquam efficienti quod generanti, quod non producit niſi quod in primo, vel ſecundo modo perſeitatis conuenit genito: ergo qualitates primæ excedentes, & corruptiuæ formæ non poſſunt ab illa pullulare.

Reſpondetur 1. Diſtinguo minorem; quod pullulat à forma, non poteſt eſſe illius corruptiuum, ſi comprincipium coadiuuans ſit omninò naturale, concedo; ſi comprincipium coadiuuans ſit præternaturale, nego minorem. Forma enim mixta, cum illimitatam virtutem qualitatum productiuam habeat à temperamento ſubſtantifico coadiuuatur, vt mixtam, ac moderatam producat diſpoſitionem: determinatur enim ab illo ad qualitates, & ad earum intenſionem, & ideò qualitates, quæ pullulant ab

ab anima mediante temperamento ſubſtantifico naturali, naturales ſunt, & conſeruatiuæ; quæ verò proueniunt à forma, vt determinata à temperamento ſubſtantifico præternaturali, præternaturales, & intenſæ vltra mediocritatem debitam ſunt; ſicut contingit in potentiis, quæ dependenter ab organo pullulant ab anima, etſi organum eſt naturale, operationes naturales producuntur, ſin verò organum ſit male conformatum, ratione talis comprincipij facultates culpatas eliciunt operationes.

Reſpondetur 2. Diſtinguo minorem, quòd pullulat à forma, non poteſt eſſe corruptiua diſpoſitio eius, à quo pullat, concedo: eius, in quo pullulat, nego minorem; licèt enim qualitates corruptiuæ primæ non ſint de perfectione viuentis, in quo pullulant, immò ſunt illius corruptiuæ; ſunt tamen de perfectione formæ mixtæ, à qua pullulant, quatenus virtualiter continent ignem, v.g. cuius virtute calor corrumpens ſit.

Contra non ſolum corrumpitur mixtum per illas qualitates, ſed ipſa forma mixta, à qua pullulant: ergo non ſolum ſunt corruptiuæ eius, in quo pullulant, ſed eius à quo pullulant.

Reſpondetur, non ſolùm corrumpitur ſubiectum, ſed forma, à qua pullulant, vt forma mixta eſt adæquatè, concedo antecedens; vt eſt forma mixta inadæquatè ſumpta, ideſt præcisè, vt continet formam ignis, aut aëris, nego antecedens. Forma enim mixta, vt aquam continet, & petit illius diſpoſitiones, non petit aëris, vel ignis diſpoſitiones: at verò vt ignem continet ipſæ ignis diſpoſitiones ſunt in tota intenſione de illius perfectione.

Contra: forma mixta ſecundum illum inadæquatum conceptum, quo continet ignem, corrumpitur per ignis qualitates intenſas: ergo non ſolum corrumpitur, vt mixta eſt inadæquatè.

Reſpondetur, diſtinguo antecedens: forma mixta per qualitates intenſas corrumpitur ſecundum illum inadæquatum conceptum per ſe, nego; per accidens, quatenus eadem eſt entitatiuè cum ſeipſa ſecundum conceptus continentiæ reliquorum elementorum, concedo antecedens. Forma enim mixta, vt ignem continet, perficitur per ignis excedentes qualitates quantumcumque intenſas, ſicut enim formæ elementorum, ſi actu eſſent in mixto, ſemper perficerentur per ignis qualitates conſeruatiuas, ſimiliter forma mixta, prout virtualiter ignem continet, ſemper perficitur per eius conſeruatiuas qualitates, per accidens tamen corrumpitur per illas, quia hæc forma prout reliqua continet elementa, non poteſt non corrumpi per intenſas ignis qualitates.

Ad 3. negatur minor: Quia quæcumque forma ſubſtantialis mixta eſt perfectior quacumque forma ſimplici elementali, & omnibus elementalibus formis ſimul, quia non ſolum producere valet vnius elementi qualitates, ſed & omnium elementorum qualitates, & vltra illas habet aliquas operationes, quas non valent elicere formæ ſimplices.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm aliquid reperiatur in mixto, per quod determinetur forma mixta, vt ſibi debitas qualitates producat.

§. I.

Pars ſuadetur negatiua.

VIdetur quod non 1. Quia in mixto, ante accidentium productionem, tantum remanet illius
A ſubſtantia: ſed nihil eſt in illa, à quo fiat talis determinatio: ergo qualitates producuntur a forma, ſine eo quod ab aliquo determinetur ad earum productionem. Probatur minor, in ſubſtantia mixti tantum reperitur forma ſubſtantialis mixta, & materia prima, quam informat, ſed forma ſubſtantialis mixta non poteſt ſe ipſam determinare, aliàs eſſet determinans & determinatum; nec materia prima, cùm ſit pura potentia, ab omni entitate nuda, habet per quid poſſit formam determinare: ergo nihil reperitur in mixti ſubſtantia, à quo fiat determinatio.

Secundò: formæ ſubſtantiales elementorum ſine aliquo determinante producunt qualitates ſibi debitas: ergo forma mixta debet ſimiliter producere qualitates ſibi debitas, ſine eo quòd ab aliquo determine-
B tur.

Tertiò: mixta diſpoſitio, quæ reſultat in mixto ex qualitatibus proportionatis, eſt illi connaturalis, & debita tanquam propria paſſio, ſed ad productionem paſſionum non requiritur determinans extrinſecum forma enim, ex qua ſequuntur, eſt principium coaptarum, & determinatum earum, ſicut rationalis reſpectu riſibilitatis: ergo à forma mixta producitur ſine aliquo determinante.

§. II.

Ex Thomiſtarum acutiſſima doctrina deciditur reſolutio.

C REſoluendum tamen eſt affirmatiuè: Mixti enim forma ſubſtantialis determinatur ad productionem primarum qualitatum per materias elementorum, quas informat, quæ ſolent communiter vocari partes materiales elementorum. Hæc reſolutio deducitur ex viſceribus antiquæ doctrinæ parentum medicinæ, vt conſtat ex probationibus.

Probatur 1. In viuente, ſicut in quovis mixto, proportio qualitatum talis reperitur, qualis eſt proportio partium materialium elementorum, quæ in ipſo mixto remanent: ergo quia quælibet elementi materia determinat mixta formam, vt in ſe producat qualitates, quæ deberentur ſuæ formæ, ſi actu eſſet in ipſa
D materia. Probatur antecedens, ex Galen. *lib.* 1. *5. method. cap.* 3. *circa finem*, qui his verbis hanc doctrinam expreſsè docuit: *Cum verò diuerſitas non parua ſit in partium animalis temperamento, propriam cuique menſuram fore eorum, quæ ipſis ſunt ſimilia, nempe ei quæ terrea magis eſt, eorum, quæ magis terrea; & ei; quæ humidior eſt, eorum quæ ſunt humidiora; ad eundem modum, & ei, quæ magis aërea eſt eorum, quæ plus huius ſubſtantia in ſe habent; ſicut calidiori, eorum quæ magis ſubſtantia ignea participant, hinc vero iam materias particulares omnes in cibis, potione, aëre & omnibus peragi ſoliris inueniendas eſſe.*

Probatur 2. In mixto perfecto reperiuntur elementorum materiæ, non vt nuda materia prima eſt: ſed quælibet appropriata ſuo elemento, & retinens prædominantes qualitates illius: ergo determinant
E formam mixtam ad ſuarum qualitatum productionem quælibet in ſe, quia in inſtanti generationis, cùm fiat reſolutio vſque ad materiam primam, non eſt aliud à forma, à quo poſſint illæ produci. Probatur antecedens, ex Caiet. 1. *part. quæſt.* 91. *art.* 1. Vbi cum D. Thomas omnium elementorum materias in prima hominis creatione doceat remanere, intendens Caietanus explicare modum, quo D. Thomas intendit remanſiſſe, dicit: *Rurſus dicuntur elementa componere hominem ſecundum ſubſtantiam, non formalem, ſed materialem; non tantùm communem ſcilicet*

materiam

materiam primam, ſed propriam, ſeu appropriatam; elementa enim ex vi mixtionis alterata ſic vniuntur in mixto, quod materia eorum tranſeunt in materiam mixti cum diſpoſitionibus appropriatis illis elementis, putà ſiccitate humiditate, &c. Itaque illa elementa dicuntur prædominare in aliquo ſecundùm ſubſtantiam, ſeu quantitatem, de quorum materia diſpoſita plus ſaluatur in mixto, illa verò ſecundùm virtutem de quorum vi plus ſaluatur in eo Hæc Caiet. ex quibus antecedens, & tota reſolutio deducitur ex D. Thomæ doctrina. A

Probatur 3. reſolutio, à priori. Quodlibet indifferens ad plura, & vt hoc potius, quam illud operetur, debet habere aliquod determinans; ſed forma mixta, vt probauimus, eſt indifferens ad producendas omnium elementorum qualitates & in quocumque gradu: ergo debet habere aliquod in earum productione, per quod determinetur: ſed in mixto ſolum remanet forma mixta determinanda in inſtanti generationis, & materiæ elementorum remanentes ex vi mixtionis: ergo ab illis determinatur, vt in qualibet iuxta naturam ſui elementi propria, qualitates producat. Vltima conſequentia probatur, quia in toto illo compoſito, materia, forma, exiſtentia, ſubſiſtentia, & vnio poſſunt intelligi ante prædictas qualitates: Sed forma eſt determinabilis, modi ſubſtantiæ non determinant pro accidentibus: ergo à ſola materia poteſt determinari. B

Confirmatur: ſic ſe habent materiæ elementorum in mixto ad determinandam formæ mixtæ indifferentiam, ſicut ſe habet corpus organicum in viuente C pro determinanda anima ad producendas ſuas potentias; ſed organizatio materiæ in aduentu formæ determinat iuxta proportionem, quam quodlibet organum dicit ad determinatam potentiam: ergo elementorum materiæ determinant quælibet, iuxta proportionem eorum, quæ debentur ſuo elemento. Probatur maior; ſicut per organa poteſt determinari animæ indifferentia, quia organum eſt inſtrumentum accomodatum pro actionibus talis potentiæ, ita materia cuiuſlibet elementi eſt accommodatum ſubiectum pro recipiendis qualitatibus ſui elementi, habétque ſubſtantiæ modum illis appropriatum ex præceſſiſſe formæ ſimplicis, quæ in illa præceſſit: ergo ſic ſe habent materiæ elementorum ad qualitates, ſicut organa ad potentias. D

Probatur 4. reſolutio: In quolibet mixto perfecto neceſſariò debent reperiri omnium elementorum materiæ, vt probauimus; ſed non ſunt neceſſariæ, vt conſeruent elementorum formas ſubſtantiales, quas non poſſe actu manere in mixto probauimus: ergo requiruntur, vt ſaltem determinent indifferentiam formæ mixtæ, quæ indifferens eſt ad omnium qualitatum primarum productionem. Probatur conſequentia: omnia, quæ neceſſario debent fieri, ſunt propter aliquem finem, vt docet Ariſt. *lib. 2. phyſic. cap. 3.* Sed non eſt alius finis, propter quem ſint materiæ omnium elementorum ex neceſſitate naturæ in mixto: ergo, vt determinent formam mixtam, debent admitti. E

Confirmatur: In mixtis, & in viuentibus fuit neceſſaria diuerſitas partium, & organorum, variaque atque diuerſa temperies propter diuerſos vſus, & operationes: ergo in ipſius viuentis, & mixti ſubſtantia debebat eſſe principium ratione cuius anima produceret diuerſas illas temperies, & ſubſtantiæ modos; ſed non ab alio, quam à diuerſitate materierum id potuit prouenire: ergo ab illis debuit mixta forma determinari. Probatur minor: tenuitas partium à tenuioribus elementis, craſſities à craſſioribus tantum prouenit: ergo.

Probatur 5. reſolutio: Ab eadem mixta forma viuentis, à qua debita temperies ponitur, ſi partes, *frigidæ*, & aqueæ reſoluantur (vt in febre ardente contingit) ponitur febris hectica: & ſimiliter ex nimio vſu calidi alimenti, ſi plures partes igneæ, aut aëreæ reponantur, idem contingit: ſed non poteſt in hoc caſu aſſignari alia cauſa, quare in ſtatu ſanitatis anima producat, & conſeruet debitam temperiem, poſtea verò calorem febrilem; niſi quia prius ad debitam temperiem producendam determinatur per partes materiales igneas, aut aëreas proportionatas, poſtea verò per excedentes. Sicut ſimiliter determinatur forma mixta ad morboſam frigiditatem habitualem in hydropico per exceſſum partium aquearum: ergo per materiales partes elementorum determinatur forma mixta ad qualitates producendas.

Probatur 6. In varia ætatum mutatione à forma mixta viuentis ponuntur diuerſæ temperies ætatiuæ primarum qualitatum, variæque intenſiones earum: ergo aliquod debet in mixto perfecto viuente aſſignari, ex cuius mutatione determinatur forma, vt diuerſis temporibus diuerſas producat qualitates; ſed nihil aliud mutatur in viuente valens ad determinandam formam pro his diuerſis qualitatibus producendis præter partes diuerſas materiales: ergo ab illis determinatur. Probatur minor, illa mutatio debet eſſe per aliquod intrinſecum viuenti, ſed non per formam, quæ, præterquam quod determinatur, manet eadem per totam vitam: ergo à nullo alio quàm à materialibus partibus elementorum determinatur ipſa ad producendas diuerſas temperies in diuerſis ætatibus.

Dices primò, a principiis generationis oriri quandam qualitatem conſeruatiuam primarum, quæ quia tractu temporis corrumpitur, etiam primæ qualitates corrumpuntur.

Contra, in ætatum mutatione non ſolum datur corruptio earum qualitatum, quæ debentur primis ætatibus, ſed productio earum, quæ in ſubſequentibus ſuccedunt: ergo adhuc ſi non conſeruetur temperies primæ ætatis defectu illius qualitatis conſeruatiuæ debet aſſignari, cauſa propter quam ad nouas atque diuerſas producendas qualitates determinetur poſtea forma mixta.

Præterea, quia etiam debet aſſignari alia cauſa conſeruatiua illius conſeruatiuæ qualitatis, & cur poſtea non conſeruetur.

Præterea, illa qualitas conſeruatiua, vel eſt prima, vel ſecunda; ſi prima, à nulla alia prima conſeruatur; ſi ſecunda oritur à primis, & ideò potius petit conſeruari ab illis, quàm illas conſeruare: ergo nulla talis poteſt aſſignari qualitas.

Dices 2. cum Petro Garc. ſuper *fen. 1. 1. Auic. diſput. 17. cap. 9.* Animam ex ſua natura petere illa diuerſa temperamenta in diuerſis ætatibus, non minus quàm petit diuerſas temperies in diuerſis partibus.

Contrà, etiamſi anima diuerſas illas temperies petat, debet habere aliquid, per quod determinetur in diuerſis illis ad diuerſas qualitates producendas: ergo cum nullum aliud poſſit aſſignari principium, ab hoc debet prouenire.

Dices, cum eodem Petro Garc. *loco citato*, quòd anima ſine aliquo determinante producit illas diuerſas qualitates in diuerſis ætatibus, quia illæ temperies ſunt inter ſe ordinatæ, ſicut gradus intenſionis eiuſdem qualitatis, & ſicut agens ponit propter hanc ordinationem ſine aliquo determinante priùs primum gradum, quàm ſecundum, & ſecundum, quàm tertium; ſic anima propter ordinem inter temperies ætatum repertum, priùs hanc, quàm aliam ponit ſine determinante.

Contra, non eſt vnde talis ordo admittendus ſit, A neque tenet paritas; ratione enim perfectionis gradus inter ſe differunt, & ſeruant ordinem, quod in ætatibus non reperitur, & adhuc illo admiſſo remanet ex toto difficultas reſpectu primæ productionis qualitatum in inſtanti generationis, per quid determinetur forma potius ad calorem, & humiditatem quàm ad ſiccitatem, & frigiditatem.

Præterea, quia ratione ordinis tantùm conuincitur, quòd aliæ primò, aliæ ſecundò ponantur, non verò quod vna poſita, aliæ non ſimul ſubſequantur in vno die, ſicut poſſunt, & plures gradus diſtincti eiuſdem qualitatis, & ſic percurret homo omnes ætates in vna hora: ergo aliquid determinans debet aſſignari, ratione cuius iuxta diuerſos annorum curriculos determi- B netur forma ad huius, vel illius ætatis qualitates producendas.

Probatur 7. Ab vno, & eodem iecoris calore producuntur quatuor humores in iecore ſimul ex chylo: ſed hæc diuerſarum ſubſtantiarum productio, quæ ſpecie differunt, non poſſet fieri, niſi diuerſæ materiæ elementorum determinarent iecoris calorem, vt in partibus, in quibus excedunt igneæ materiæ, bilis; in quibus aëreæ, ſanguis; in quibus aqueæ pituita; in quibus terreæ, melancholia producatur, propterea quòd ſunt partes determinantes ad qualitates ſuis formis debitas: ergo forma mixta determinatur ad qualitatum productionem ab ipſis partibus materialibus. C Minorem admittit ipſe Petrus Garc. qui primus neceſſitatem partium materialium in mixto negauit, veritate enim conuictus. *ſen. 1. ſ. diſp. 25. c. 3.* cogitur illas admittere, dicens: *Quod illas tantùm negat ſub eadem exquiſita quantitate.* quæ futilis euaſio eſt, ſub eadem enim quantitate materias elementorum penetrari ſomniauit nullus, ad quid enim hoc inuentum?

§. III.

Fit ſatis pro dubitandi rationibus ex adductis fundamentis.

AD 1. negatur minor. Ad illius probationem, diſtinguo maiorem, in ſubſtantia mixti tantùm reperitur forma ſubſtantialis mixta, & materia prima, D tanquam principia mixti, concedo; tanquam quid præſuppoſitum ex præcedentia formæ ſimplicis in illa materia, nego maiorem. Licet enim pro mixto duo ſint principia componentia, forma ſcilicet, & materia, ſunt tamen aliæ entitates modales diuerſæ, qualis eſt vnio in opinione admittente illam, & vlterius reperitur in materia præceſſiſſe formæ antecedentis, per quod materia, in qua præceſſit, remanet ſubſtantificè ſigillata, & determinata pro qualitatibus debitis formæ antecedenti.

Ad 2. negatur conſequentia, quia formæ elementorum producunt qualitates primas, per virtutes ſibi proprias, & connaturales, & communicatas ab authore E naturæ, vt producat qualitates per tales virtutes ſecundum totam intenſionem in qua debentur illis. Mixtæ verò formæ producunt qualitates ſecundum quòd communicant in virtute cum elementis, per quorum virtualem continentiam producunt eas, & cùm non ſint mixto debitæ in tota intenſione, in qua poſſunt illas producere, ideò fuit neceſſarium, quòd ſaltem ex parte principij materialis eſſet aliquid, per quod determinentur pro intenſione debita illi.

Ad 3. diſtinguo minorem: ad productionem paſſionum, quæ oriuntur à forma tanquam illi propriæ, & incommunicabiles alteri, concedo; tanquàm communicanti cum aliis in eadem paſſione, nego mi- A norem. Propriæ enim paſſiones quarto modo, qualis eſt riſibilitas homini, ſine determinante poſſunt ſubſequi ex forma: ſed quæ non ſunt quarto modo paſſiones, ſed communes etiam aliis, per quarum continentiam virtualem producuntur ab aliqua forma, tunc petit forma in earum productione determinans aliud, quia ipſa non poteſt eſſe determinans, & determinatum.

Vel reſpondetur 2. negando minorem; quia cùm forma perfecta plures valeat producere proprias paſſiones, vt potiùs has, quàm illas in hac, aut illa parte producat petit determinari, vt patet in anima ſenſitiua, cuius ſunt propriæ paſſiones potentiæ; & quia indifferens eſt ad illas producendas, determinatur per B diuerſa organa in illarum productionem: id ſimiliter contingit in medicamentis, quæ vt docet Galen. *lib. 3. de ſimplic. medicament. facultatibus, cap. 14. 15. aliiſque in locis*, quantumcumque appareant ſenſui ſimplicia, habent tamen diuerſas partes, quæ determinant in illis, vt diuerſas produeant virtutes, vt apparet in lente, braſica, rhabarbaro, & aliis.

Resolvtio VII.

Vtrùm materiæ elementorum in mixto ſint C ſimul ſub eadem exquiſita parte materiali quàm minima?

§. I.

Carreiri inopinabile ſuppoſitum proponitur, & fulcitur.

PArtem Affirmatiuam ſupponit Petrus Garcia illos amplecti qui partes materiales elementorum admittunt neceſſarias in mixto: ſed non quia in aliquo hoc figmentum viderit, ſed potius vt fingat hoſtem contra quem pugnet: poteſt hæc tamen pars aliquibus ſuaderi rationibus.

Primò: quælibet pars mixti quantumcumque minima eſt mixta: ergo ſub quacumque mixti parte D quantumcumque minima reperiuntur materiæ omnium elementorum. Probatur conſequentia, quælibet pars eſt mixta, quia in ipſa ſunt omnia elementa commixta, aliàs enim pars ſimplex, & elementalis eſſet: ergo ſub quacumque mixta parte quantumcumque minima, reperiuntur materiæ omnium elementorum.

Secundò: partes materiales elementorum in tam minimas partes ſunt confuſæ, & diuiſæ, vt ſub qualibet minima particula debeant omnes reperiri: ergo ſub quacumque minima materiali remanent omnes. Probatur antecedens, ideò corruptæ ſunt elementorum formæ, quia materiæ ita ſunt refractæ, & com- E mixtæ, vt non potuerint formæ ſub tam minima conſeruari quantitate: ergo ita ſunt commixtæ, & confuſæ, vt ſub qualibet minima particula debeant omnes reperiri.

Tertiò: dum corrumpuntur formæ elementorum; fit reſolutio vſque ad materiam primam, ita vt materiæ elementorum maneant ſine quantitate, aut aliquo accidente impediente illarum materiarum penetrationem ſub quacumque minima materiali: ergo dum poſtea ſunt ſub forma mixta, ita ſunt commixtæ, & penetratæ materiæ elementorum, vt ſint ſimul ſub quacumque minima parte materiali.

§. II.

Communis opinio reſoluitur.

REſoluendum tamen Negatiuè, cum Gentili *lib.* 1. *c.* 1. *fen.* 1. Quem ſequuntur omnes in hac parte, S. Cruz *in fen.* 1. 1. *Auicenna opuſc. de temperamentis c.* 6. Doctor Cyprianus de Maroja *tom. de febrib. q. vltima.* Petrus Garc. *fen.* 1. 1. *diſput.* 7. *c.* 4. *& diſput.* 24. *cap.* 3. Matamoros eius ſubſcriptor *lib. de febrib. tract. de coctione, & putredine diſput.* 3. Nuñez *lib. de coctione & putredine quaeſt.* 2. Doctor Serna *tom.* 2. *de medendi methodo lib* 4. *cap.* 1. Doctor Fernandez Bejaranus, vir acutiſſimus, & philoſophandi ſcientia clarus, *lib.* 4. *meteor. quaeſt.* 1. Complutenſis Martinez *lib.* 1. *tract.* 1. *q.* 3. Soria Granatenſis *tom.* 1. *certaminis primi diſp.* 2.

Probatur 1. reſolutio: Non poſſunt in quacumque minima parte materiali mixti reperiri omnium elementorum materiae, quin aliquae penetrentur in illa, ſed penetratio earum partium eſt impoſſibilis, cum quaelibet pars elementalis ſub mixta forma ſeruet quantitatem propriam alteri impenetrabilem: ergo non poſſunt reperiri quatuor diuerſae partes materiales ſub eadem exquiſitiſſima minima parte materiali.

Secundò: eandem extenſionem quantitatiuam, & localem retinet pars quaelibet mixta materialis, dum eſt ſub forma mixta, quam haberet, ſi formae elementorum eſſent in actu cum illa, ſed illis exiſtentibus, penetratio implicat: ergo ſimiliter implicat in materiis relictis ex earum corruptione, ergo ſub eadem exquiſita materiali parte reliquorum partes reperiri non poſſunt.

Tertiò: partes materiales ſunt neceſſariae in mixto, vt determinans quaelibet pro ſui elementi qualitatibus, ex omnibus cogatur mixta forma mixtam producere diſpoſitionem, ſed in hunc finem ſufficit, quòd elementorum materiae iuxta poſitae vniantur à forma mixta superueniente ſine illarum penetratione: ergo non reperiuntur diuerſae partes materiales ſub quacumque minima materiali parte. Minor docetur *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. ab Auicenna, qui, cum docuerit elementorum virtutes oriri in mixto iuxta variam partium elementorum commixtionem, intendens docere modum, quo praedictae partes materiales ſunt in mixto, vt qualitates oriantur ex illis, dicit: *Et cum medici dicunt, quòd medicina ſic diſpoſita virtus eſt compoſita, non oportet, vt ipſi intelligant à ſe ipſis, & tu ab eis, quòd ſit pars vna ferens frigiditatem, & caliditatem, operans vnamquamque earum ſingulariter, ſicut illa, quae ſunt diuerſa, nam illud non eſt poſſibile; ſed illae ambae ſunt in duabus partibus diuerſis, ex quibus ipſa eſt compoſita, &c.* Ergo ad producendas diuerſas qualitates, in quibus ſtat mixta diſpoſitio, ſufficit eſſe ſub eadem forma vnitas.

§. III.

Fundamenta pro ſuppoſito Carreiri diluuntur.

AD 1. diſtinguo antecedens: Quaelibet pars mixti quantumcumque minima eſt mixta formaliter, nego; eſt mixta materialiter, concedo antecedens. Pars mixta dicitur quaecumque pars mixti, haec eſt duplex, alia formaliter mixta, quae conſtat ex materiis omnium quatuor elementorum, per quas fit mixta formaliter; alia eſt pars mixta materialiter, quia licet ſit materia vnius elementi, ex qua ſimul cum aliis fit per formaliter mixta, ipſa tamen ſolùm materialiter mixta poteſt dici: ex quo patet, quòd licèt ſint materiae omnium elementorum ſub quacumque mixta parte formali, non tamen ſub quacumque materiali.

Ad 2. diſtinguo antecedens: Partes materiales elementorum in tam minimas partes ſunt diuiſae, vt ſub qualibet minima particula debeant omnes reperiri, ſi particula ſit formaliter mixta, concedo; ſi particula ſit pars mixta tantùm materialiter, nego antecedens.

Ad 3. negatur conſequentia: Quia licèt fiat reſolutio vſque ad materiam primam, manent partes ſigillatae, vt à forma ſubſequente in inſtanti generationis reproducantur in eiſdem partibus eadem accidentia ſpecie, quae praeceſſerunt, & ideò materiae elementorum remanent cum eiſdem qualitatibus, cum eadem quantitate, & cum eiſdem ſubſtantiae modis, ſolúmque ſuperadditur in illis, vt illae materiae ſint continuae ſub vna forma, quae erant priùs continuae ſub diuerſis.

RESOLVTIO VIII.

Verùm ſub quacumque parte formali mixta ſint omnium elementorum partes materiales?

§. I.

Partis negatiuae proponitur fundamentum.

VIdetur quòd non; nam pars quaelibet formaliter mixta deberet conflari ex partibus materialibus omnium quatuor elementorum ſub forma mixti vnitis, ſed ſub mixti forma ex mixtione non poſſunt huiuſmodi partes materiales vnitae reperiri: ergo non poteſt in mixto dari pars formalis mixta. Probatur minor: elementa in mixtione quantitates diuerſas habent diuerſis indiuiſibilibus terminatas, ſed in mixtione non datur aliqua realis actio corruptiua indiuiſibilium terminantium, nec productiua indiuiſibilium vnientium: ergo non poteſt dari pars formalis mixta ex partibus materialibus ſub forma mixti vnitis.

§. II.

Altera pars eligitur.

REſoluendum Affirmatiuè.

Probatur 1. Elementa remanere in mixto per ſuas materias eſt neceſſe, vt probauimus antecedenter; ſed non remanent ſub quacumque parte materiali mixta, vt probauimus Reſolutione antecedente: ergo remanent ſub parte formali.

Secundò: pars formalis mixta eſt, quae ex omnibus miſcibilibus coaleſcit; ergo in quacumque minima formali parte mixta omnium miſcibilium materiae reperiuntur.

Tertiò: quaelibet pars formaliter mixta mixtam debet habere diſpoſitionem: ergo debet habere materias omnium elementorum. Probatur conſequentia: Nam mixta diſpoſitio producitur à forma mixta, vt determinata per materias miſcibilium: ergo vt forma mixta producat diſpoſitionem mixtam, requiruntur materiae omnino elementorum determinantes ad eius productionem.

§. III.

Fundamentali negatiuæ partis rationi fit ſatis.

AD argumenti probationem negatur minor: quia, cùm in mixtione corrumpantur formæ ſubſtantiales elementorum, fit reſolutio vſque ad materiam primam, reſoluantúrque ſimul cum aliis accidentibus omnia indiuiſibilia, tam vnitiua, quàm terminatiua; & cùm noua ſuperueniat ſubſtantialis forma mixta, quæ omnes omnium elementorum materias informet, ipſa, & omnes materiæ informantur, & vniuntur per vnam communem quantitatem omnibus materiis ſuperuenientem.

B

Resolvtio IX.

Verùm materia cuiusvis elementi determinet formam mixtam informantem illam, vt producat in tali materia qualitates formæ elementi, quæ præceſſit in illa?

§. I.

Partis negatiuæ rationes adducuntur.

PArtem negatiuam ſuaderi magis ex his quæ ſenſibus percipiuntur, videtur 1. Quia, dum aliquid generatur ex aliquo ente ſimili in qualitatibus, illæ qualitates, in quibus habet ſimilitudinem cum corrupto, actu remanent in materia; ſed primæ qualitates elementorum refractæ in mixtione ſunt ſimiles eis, quæ debentur formæ introducendæ mixtæ, & per quas debet conſeruari: ergo eædemmet tranſeunt in materiebus elementorum ad formam mixtam conſeruandam. Probatur maior ex Ariſt. *lib. 1. de generat. cap. 4.* Qui ideò in elementum ſymbolum tranſitum faciliorem eſſe dicit, quia ſine diſpendio, & reactione qualitatum fit tranſitus ab vno in aliud.

Secundò: Si in inſtanti generationis non remanerent qualitates elementorum actu in eorum materiis, non poſſet forma mixti recipi in iis: ergo remanent actu in eis, abſque eo quod forma mixta determinetur ad earum productionem. Probatur antecedens: corruptis qualitatibus primis, nihil remanet in materia valens illam determinare pro hac, vel illa forma mixta; ſed non introducitur naturaliter aliqua forma ſubſtantialis in materia, quin actu per diſpoſitiones ſit determinata ad illam: ergo, ſi in inſtanti generationis non remanerent actu qualitates in materia, nihil eſſet, per quod determinaretur pro formæ mixtæ receptione.

§. II.

Pars affirmatiua præfertur.

REſoluendum Affirmatiuè.

Probatur 1. In mixtione corrumpuntur formæ ſubſtantiales elementorum (ideò enim eorum materiæ tranſeunt ad formam mixtam recipiendam) ſed corruptis formis ſubſtantialibus, debent neceſſariò corrumpi accidentia, quia vel ab illis ſunt producta, vel mediis illis recipiuntur & conſeruantur: ergo materiæ elementorum non conſeruant qualitates à formis elementorum productas, ſed quas in inſtanti generationis mixti receperunt à forma mixta. Probatur minor ex Ariſt. *lib. 1. de ortu, & interitu, cap. 4. in princip.* vbi generationem docet eſſe *Mutationem huius totius in hunc totum, nullo ſenſibili manente.*

A Confirmatur: In genito, non remanent eadem numero accidentia, quæ erant in corrupto, ſed alia ſimilia ſpecie de nouo producuntur à forma ſuperueniente: ſed ſuperueniens forma eſt indifferens ad omnium elementorum qualitates producendas: ergo ideò has, aut illas producit, quia à cuiuſlibet elementi materia pro ſui elementi qualitatibus determinatur. Probatur minor ex D. Thom. *1. p. quæſt. 76 art. 6. & lib. 1. de generatione, lect. 10.* dicente: *Dicendum, quod in corruptione non manet idem numero accidens: ſed id quod prius erat, corrumpitur per accidens, conſequens formam de nouo aduenientem, &c.*

Secundò probatur: Qualitates primæ, ex quibus mixta diſpoſitio coaleſcit, ab ipſa mixta forma producuntur, quatenus virtualiter eminenter continet B omnia elementa, ideò enim illas in poſterum conſeruat, & ſi à contrario remittantur, eas producit: ſed per continentiam virtualem non eſt determinata pro hac, vel illa qualitatum proportione, cùm indifferens ſit, ſicut eſſent formæ elementorum, ſi actu eſſent cum forma mixta: ergo determinatur in qualitatum productione per elementorum materias, quatenus quælibet determinat in ſe productionem qualitatum ſui elementi. Conſequentia patet, quia non eſt aliud, à quo fiat talis determinatio.

Tertiò probatur: Semel producta mixta diſpoſitio à forma ſubſtantiali mixta, neceſſarium eſt, vt mutetur in viuentibus non ſolùm ſecundum diuerſos gradus eiuſdem qualitatis, ſed etiam ſecundùm diuerſas, & contrarias qualitates: ergo determinatur forma ſub- C ſtantialis mixta ad productionem diuerſam illarum qualitatum: ſed non à ſe: ergo à materiis elementorum, quatenus diuerſo modo proportionatæ per materias elementorum determinando quælibet pro qualitatibus ſui elementi determinat pro diuerſa diſpoſitione mixta producenda.

Probatur 4. Eademmet forma ſubſtantialis mixta, quæ intra ſtatum naturalem, v. g. in homine producit debitam, & naturalem temperiem qualitatiuam, ſi partes igneæ reponantur in maiori numero, producit febrem hecticam, & ſi frigidæ in maiori numero ſint, vt in hydrope, producit prædominium frigiditatis, & humiditatis: ſed non eſt à quo forma, quæ prius de- D bitam diſpoſitionem producebat, quando variantur partes materiales, producat cum prædominio ignearum calorem, & ſiccitatem; cum prædominio aquearum frigiditatem, & humiditatem, niſi quia ab illis partibus materialibus determinatur: ergo forma mixta à materia cuiuſlibet elementi determinatur pro illis qualitatibus producendis.

§. III.

Fit ſatis argumentis.

AD 1. diſtinguo maiorem: dum aliquid generatur ex aliquo ſimili in qualitatibus, illæ qualitates ſimiles remanent in corrupto ſecundum ſpeciem, concedo, ſecundum numerum, nego maiorem. Non enim E inter ſimilia facilior eſt tranſitus, quia eædemmet numero qualitates manent in vtroque; ſed eædem in ſpecie.

Ad 2. diſtinguo antecedens: ſi in inſtanti generationis, non remanerent elementorum qualitates in eorum materiis, non poſſet mixta forma recipi in illis; ſi in inſtanti antecedenti, ſeu vltimo antecedenti tempore ad inſtans introductionis formæ, concedo; in ipſo inſtanti in quo forma introducitur, nego antecedens. Ad hoc enim, vt materia determinetur ad alicuius formæ receptionem, ſufficit, quòd ante illud inſtans, in quo recipitur in materia, præ-

ceſſerit

ceſſerit illa diſpoſitio formæ ſubſequentis, quæ incompoſſibilis ſit cum forma antecedenti, & illius eſt corruptiua, & determinatiua pro ſubſequente forma in ſubſequenti inſtanti. Quia cùm prima corruptâ non poſſit eſſe ſine forma materia, & non quodlibet fiat ex quolibet: ſed determinatum ex determinato ex naturæ ordine; ſequitur, vt ſubſequatur forma, cuius diſpoſitio vltimò præceſſit in materia, per illius præceſſiſſe determinata ad illam.

RESOLVTIO X.

Vtrùm ſigillatio ſubſtantifica ex præceſſiſſe formæ elementalis ſufficiat, vt materia determinet pro ſui elementi qualitatibus?

§. I.

Aliqua notanda præmittuntur.

PRo intelligentia huius dubij nota, quòd, cùm materia habeat appetitum ad omnes formas naturales, ad ſubſtantiales per ſe primò, quatenus per ipſas habet eſſe; ad accidentales quatenus mediis illis conſeruatur in tali eſſe; & cum vlteriùs nullam recipere poſſit, niſi determinetur ad illam, & prætereà cum in inſtanti generationis nullum reale accidens determinans poſſit inhærere materiæ, hinc prouenit, quòd ex aliquo antecedente in illa ante illud inſtans, determinata manere debeat, pro eo quod recipit: hæc autem determinatio reſpectu formæ recipiendæ in materia dicitur ſigillatio, quia ex vi illius quod præceſſit, manet materia ita ſigillata pro tali forma, vt nullam valeat nunc recipere aliam.

Hæc autem ſigillatio eſt duplex, alia qualitatiua, alia ſubſtantifica: ſigillatio qualitatiua eſt determinatio in materia ad receptionem determinatæ formæ ſubſtantialis proueniens ex præceſſiſſe qualitatum, ſeu diſpoſitionum remanentium ante inſtans generationis. Sigillatio ſubſtantifica eſt determinatio in materia, vt media forma ſubſequenti recipiat qualitates ſimiles eis, quæ illi adfuerunt debitæ formæ corruptæ, proueniens ex præceſſiſſe formæ ſubſtantialis in tali materia ante inſtans generationis.

§. II.

Prò negatiua parte ponuntur fundamenta.

QVibus poſitis, pars negatiua videtur probabilior. Primò, ſi ex præceſſiſſe formæ elementi maneret ſubſtantifica ſigillatio determinans materiam elementi pro recipiendis qualitatibus debitis ſuæ formæ, determinaret, vt dum materia vnius elementi tranſit in aliud elementum, v. g. dum fit ex aqua ignis: ab ignis forma producerentur aquæ qualitates: ſed hoc non admittitur; ergo ex præceſſiſſe formæ ſubſtantialis in materia non manet ſubſtantifica ſigillatio in illa determinans ſubſequentem formam pro qualitatibus ſuæ formæ præcedentis.

Secundò: ſigillatio, ſeu præceſſiſſe formæ ſubſtantialis nihil reale relinquit in materia, fit enim omnium, quæ in ipſa præceſſerunt, reſolutio: ergo per ſigillationem, non valet materia determinare formam mixtam ſuperuenientem, vt in ſe aliquas producat.

Tertiò: in inſtanti antecedenti ad generationem fuerunt in materia elementorum diſpoſitiones mixtæ corruptiuæ formarum elementorum: ergo materia non remanet ſigillata pro qualitatibus ſui elementi recipiendis. Probatur conſequentia, illæ mixA tæ diſpoſitiones fuerunt ſufficientes corrumpere ſubſtantiales formas elementorum: ergo valent etiam corrumpere ſigillationem prouenientem ab illis.

§. III.

Fulcitur veritas.

REſoluendum, quòd in tranſitu materiæ elementi ad formam mixtam manet materia ex præceſſiſſe ſigillata, vt ex vi talis ſigillationis determinet mixtam B formam, vt producat in ſe qualitates debitas formæ ſimplici, quæ præceſſit.

Probatur 1. Formæ elementorum valent ſubſtantificè ſigillare materias, quæ fuerunt ſub illis, vt ſuas recipiant qualitates, & ſubſequentem formam determinent pro illis producendis: ergo materiæ elementorum ex vi huius ſigillationis determinant mixtam formam ſubſequutam in illis ad producendas in qualibet ſui elementi qualitates. Probatur antecedens, acetum etiamſi habeat formam, quæ petit frigidas diſpoſitiones, in aliquibus partibus materialibus excedentem calorem producit, vt teſtantur mordacitas, & acrimonia reperta in aceto ob ſigillationem ſubſtantificam formæ vini, quæ præceſſit petens excedentem calorem. Similiter partes, quæ augentur, & nutriuntur in arteriis, etiamſi ſint in præſentia excedentis caloris, quia fiunt ex materia ſeminali frigida, C nutriuntur ex frigida parte humorum, & frigida temperies producitur in illis à forma mixta, qua informatur: Et in cadaueris generatione, ex eo quòd forma viuens petens organicam diſpoſitionem præceſſit, ſigillata remanet materia, vt recipiat à forma cadaueris plura accidentia ſimilia eis, quæ præceſſerunt, v. g. cicatricem, organizationem, albedinem, quantitatem, & alia quæ non ſunt ex vſu pro forma cadaueris ſuperuenientе.

Secundò probatur: Corruptis per mixtionem formis elementorum, aduenit forma mixta ſubſtantialis valens in illis materiebus producere qualitates omnium elementorum: ergo eas producet in qualibet materia, ad quas recipiendas aptior materia fuerit: ſed quælibet materia elementi eſt aptior ad re- D cipiendas qualitates ſui elementi, ad quas per præceſſiſſe ſuæ formæ ſigillata, & determinata manet: ergo quælibet ex vi præceſſiſſe ſuæ formæ recipit qualitates illi debitas. Patet minor, quia cùm non quodlibet fiat ex quolibet; ſed determinatum ex determinato, illas qualitates melius recipiet quælibet materia elementi, ad quas remanet determinata: ſed inſtanti generationis non poteſt determinari per aliquod actu exiſtens in materia: ergo debet ſaltem eſſe determinata per illud, quòd in inſtanti antecedente per ſui præceſſiſſe valuit illam ſigillare, & determinare, quod eſt ipſa forma elementi, quæ ſubſtantificè ſigillat pro ſuis qualitatibus.

E Tertiò: ſecluſa formali continentia, ſic ſe habet forma mixta ad materias elementorum, quas informat, ſicut ſe habebant formæ elementorum actu exiſtentes antecedenter in illis, ſed harum quælibet antecedenter in ſua materia per ſe primò producebat ſuas qualitates: ergo adueniente forma mixta, quæ virtualiter eminenter continet omnia elementa, & eorum retinet virtutes qualitatum productiuas, ipſa informabit quamlibet materiam, ſecundum quòd continet ſui elementi virtutes, mediis illis producet ſuas qualitates in qualibet, quia anima rationis, quæ eminenter formaliter continet vegetatiuam, & ſenſitiuam, in organo accommodato pro vegetatiua anima, exercet opera vegetatiuæ; & in accommodato pro ſenſitiua, exercet operationes ſenſi-

ſenſitiuæ ergo ſimiliter eadem forma rationalis, quæ prout mixta eſt, omnium elementorum materias informat, ſe accommodabit ad operandum iuxta capacitatem, & diſpoſitionem materiæ, producendo in ignea materia ignis qualitates, & in materia aquæ qualitates illius.

§. IV.

Argumenta, quæ huic veritati obſtant, diluuntur.

AD 1. diſtinguo minorem: Sed hoc non contingit defectu ſigillationis in materia, nego: defectu virtutis in forma elementali ad ſimiles producendas qualitates, concedo minorem. Materia enim quæcumque ex præceſſiſſe formæ ſubſtantialis ſigillata manet pro qualitatibus & accidentibus formæ antecedentis, ſed ſi forma ſubſequens non valeat illa accidentia producere, non reſultabunt in genito, vt apparet in cadauere, quod ex præceſſiſſe formæ animalis manet ſigillatum ad ſimilia recipienda accidentia, & ideo recipit cicatricem, & albedinē, quas forma cadaueris poteſt producere, non tamen recipit vitales potentias, quia cadaueris forma ipſa non valet producere: ſimiliter forma quæcumque mixta, quia virtualiter continet omnia elementa, omnes valet qualitates producere in materiis ſigillatis per præceſſiſſe formarum elementorum, ipſæ vero elementorum formæ cum non valeant niſi ſibi debitas producere qualitates, etiamſi ſuperueniant in materia ſigillata pro aliis ipſas non producunt, quia non habent virtutem producendi illas.

Ad 2. diſtinguo antecedens. Sigillatio, ſeu præceſſiſſe nihil reale relinquit in materia, quod ſit reale immediatè ad inſtans introductionis formæ, nego: quod ſit reale in inſtanti introductionis, concedo antecedens. Materia enim recipit formam, non quia actu per aliquid reale inhærens in illa determinatur: ſed quia immediatè ad formæ receptionem iam eſt determinata per aliquod reale, vt recipiat ex vi talis determinationis determinatam formam ſubſtantialem, aut accidentalem ſubſequenti inſtanti.

Ad 3. diſtinguo conſequens. Materia non manet ſigillata pro qualitatibus ſui elementi ſola ſigillatione qualitatiua, concedo: ſigillatione ſubſtantifica, nego conſequentiam. Vt enim notauimus, duplex eſt ſigillatio; alia qualitatiua, & hæc determinat ad ſubſequentis formæ receptionem: alia ſubſtantifica, & hæc determinat materiam, vt recipiat à ſubſequenti forma qualitates, ſeu accidentia ſimilia eis, quæ præceſſerunt cum forma ſigillante in materia.

Resolvtio XI.

Verùm materiæ elementorum, quæ non tranſeunt immediatè per mixtionem ad formam mixtam, retineant ſigillationem ſimplicium formarum, ſub quibus mediatè fuerunt?

§. I.

Negatiuæ partis adducuntur rationes.

NEgatiuam partem his poſſe ſuaderi videtur. Primò: ſicut per ſui præceſſiſſe, valet forma ſimplex ſigillare ad ſuas qualitates; ſimiliter pro ſuis, forma mixta: ergo ſicut per præceſſiſſe formæ ſimplicis in tranſitu ab elemento ad mixtum materia manet ſigillata, ſimiliter in tranſitu vnius mixti in aliud (relicta ſigillatione formæ ſimplicis) manebit materia ſigillata à ſola forma mixta.

Secundò: materia elementi in tranſitu ad aliam formam ſimplicem amittit ſigillationem præcedentis formæ: ergo ſimiliter in tranſitu ad formam mixtam illam amittit.

Tertiò: in inſtanti, quo corrumpitur forma ignis, præceſſit in parte ignea mixta diſpoſitio corruptiua formæ elementalis. ergo ab illa manet ſigillata materia, ad mixtam diſpoſitionem recipiendam per ſe primo in ſe a forma mixta.

§. II.

Affirmatiua pars eligitur, & confirmatur.

REſoluendum, quod materia cuiuſuis elementi per tranſitum in quacumque formam mixtam retinet ſigillationem præhabitam, donec informetur per alterius elementi.

Probatur 1. Secluſa formalitate, forma mixta informat quamlibet partem materialem elementi, non adæquatè vt mixta, ſed ſecundum virtualem continentiam illius elementi: ergo conſeruat eandem ſigillationem ab elementali forma relictam. Probatur conſequentia, propter illum modum informandi producit per ſe primò in tali materiali parte debitas ſuo elemento qualitates, modumque ſubſtantiæ, ergo conſeruat ſigillationem ſub illius forma relictam.

Secundò: pars quælibet materialis cuiſlibet elementi fit talis per præceſſiſſe formæ elementi: ſed in mixtis non poteſt alterius forma elementi dari in illa materia: ergo ſemper remanet ſigillatio ex præcedente forma elementali.

Tertiò, intemperies habitualis dicta, quia oritur ex exceſſu partium materialium, v. g. ignearum in hectica, aquarum in hydrope, eſt eſt difficile mobilis à ſubiecto, ſed ſi partes materiales poſſent diuerſam ſigillationem ſuſcipere ſub forma mixta, non eſſet difficilis curationis, cùm variata ſigillatione, non cogeret formam ad productionem qualitatis excedentis præternaturalis: ergo non amittitur harum partium ſigillatio.

§. III.

Contrariæ ſententiæ reſpondetur fundamentis.

AD 1. diſtinguo antecedens: Sicut forma ſimplex valet ſigillare pro ſuis qualitatibus, ſimiliter valet mixta forma ſigillare pro ſuis qualitatibus, ſi ſint propriæ ipſius, concedo: ſi ſint ſolùm propriæ in quantum communicat cum elementis in virtutibus productiuis earum, nego antecedens. Licet enim forma quælibet ſigillet ſubſtantificè pro aliquibus accidentibus, forma tamen mixta non ſigillat pro qualitatibus primis, quia materia prima, quæ remanet ſub mixta forma, prius fuit ſub formis elementorum, & ab illis remanſit ſigillata pro ſuis qualitatibus, & cùm mixta forma virtualiter contineat formas elementales, media illa virtuali continentia ſigillationem conſeruat in materiebus, quam receperunt ab elementis.

Ad 2. negatur conſequentia: Quia cum forma vnius elementi non contineat virtualiter alterius elementi formam, non poteſt illius ſigillationem conſeruare; forma verò mixta, cùm contineat virtualiter formas elementorum, valet ſuperueniens in eorum materiis eorum conſeruare ſigillationem.

Ad 3. negatur conſequentia: Quia, vt diximus, ex præceſſiſſe qualitatum ſolùm remanet qualitatiua ſigillatio, quæ determinat pro qualitatibus; ſed ſigillat, & determinat materiam, in qua præceſſit, ad formam ſubſtantialem producendam.

Resolvtio XII.

Vtrùm diſpoſitio adæquata mixta per ſe primò producatur à forma mixta in quacumque parte materiali.

§. I.

Pars negatiua proponitur.

NEgatiuam partem ſuadet primò: quòd mixta diſpoſitio, ſicut quælibet alia propria paſſio, debetur in inſtanti generationis formæ de nouo productæ; ſed ſi non poneretur per ſe primò à forma in qualibet parte, non poſſet poni in inſtanti, ſed in tempore media alteratione à parte vicina contrariam qualitatem communicante: ergo per ſe primò à forma in quavis parte materiali mixta diſpoſitio producitur.

Secundò: omnes qualitates mixtam diſpoſitionem adintegrantes in quacumque parte mixta ſunt illi connaturales, & debitæ: ergo omnes ab intrinſeco productæ à forma in tali parte.

Tertiò: illud, quod eſt de intrinſeca perfectione rei, debet oriri ab intrinſeco: ſed diſpoſitio mixta eſt de intrinſeca perfectione cuiuſuis partis materialis, ergo ab intrinſeco in illa debet pullulare.

§. II.

Pars affirmatiua præfertur.

REſoluendum: quòd quæcumque forma mixta producit mixtam diſpoſitionem in quacumque parte materiali mixta per ſe primò producendo in illa ſui elementi qualitates; ſecundariò verò contrarias communicando mediis partibus vicinis, in quibus eas primò producit.

Primò probatur: Eodem modo producitur mixta diſpoſitio conſeruatiua formæ mixtæ in qualibet parte materiali eius, ſicut fuit illi communicata in mixtione diſpoſitio mixta ſimplicis formæ corruptiua: ſed corruptiua diſpoſitio mixta antecedens fuit producta in qualibet parte materiali partim à qualitatibus à forma elementi productis, partim communicata à partibus vicinis: ergo in quacumque parte materiali mixta fit mixta diſpoſitio ex qualitatibus propriis, & ex his, quæ à partibus vicinis communicantur. Probatur minor: eodem modo ſe habent materiæ elementorum ſub mixta forma quantùm ad receptionem primarum qualitatum poſt mixtionem, ſicut ſe habebant in mixtione ſub formis elementorum: ergo eodem modo communicatur mixta diſpoſitio conſeruatiua formæ mixtæ, ſicut fuit producta in mixtione.

Secundò: ideò fuit neceſſarium in mixto ponere materias omnium elementorum, vt mixta diſpoſitio reſultaret ex illis: ſed ſi quælibet pars materialis reciperet à forma per ſe primò mixtam diſpoſitionem, non eſſent omnes neceſſariæ, cùm quælibet, ſine alia à forma illam reciperet: ergo modo dicto in reſolutione producitur mixta diſpoſitio.

Tertiò: vt fiat mixtum, eſt neceſſaria miſcibilium alteratorum vnio, ex Ariſt. *lib.* 1. *de generatione cap.* 10. Et cum tam exquiſita vnione, & refractione partium elementalium, vt minimum vnius tangat minimum alterius, vt docet. Auic. *fen.* 1. 1. *doctr.* 3. *cap.* 3. Sed hoc non ob aliam rationem, niſi, vt quælibet pars recipiat à parte vicina temperiem, quam immediatè non potuit recipere: ergo mixta diſpoſitio ponitur in qualibet parte materiali mixti partim per qualitates in illa reſultantes, partim per communicatas à parte vicina.

§. III.

Ad argumenta ſolutiones adhibentur.

AD 1. diſtinguo minorem: Si non ponerentur qualitates per ſe primò in qualibet parte, non poſſent poni in inſtanti, ſi materia eſſet informata per contrarias qualitates, concedo: ſi ſit materia ab omni qualitate nuda, ſicut de facto contingit in mixti productione, nego minorem. Cùm enim materia ſit omni qualitate nuda, ſicut à forma in inſtanti poteſt debitas ſuo elemento recipere qualitates, poteſt ſimiliter vſque ad adimplendam latitudinem contrariam etiam qualitatem recipere à parte vicina in eodem inſtanti.

Ad 2. diſtinguo antecedens: Omnes qualitates mixtam diſpoſitionem adintegrantes in quacumque parte mixta ſunt illi connaturales, in quacumque parte materiali mixta, nego antecedens: In quacumque formali mixta, concedo. Omnes enim qualitates mixtam diſpoſitionem adintegrantes ſunt connaturales vnicuique parti mixtæ formali, & ab intrinſeco oriuntur in illa, ſed parti materiali mixtæ ſolum ſui elementi qualitates naturales debent dici.

Ad 3. diſtinguo minorem: Diſpoſitio mixta eſt de intrinſeca perfectione cuiuſvis partis materialis mixtæ formalis, concedo; cuiuſvis partis mixtæ materialis, nego minorem. Primæ enim qualitates in materiis elementorum ſic ſe habent ſub forma mixta, ſicut ſi ſub illa actu eſſent formæ elementorum, ſecluſa enim formalitate ob virtualem continentiam quidquid eſt elementum remanet in mixto.

DISPVTATIO III.

De Temperamentis.

TEmperies dicitur, ſeu Temperamentum temperata elementorum miſcella in mixto pro ſui eſſe, & operari; quæ & complexio ſolet vocari, quatenus ex complexu ipſorum elementorum conſurgit. De cuius natura, & multiplicitate diſputauit Galen. *in libro de temperamentis*, Auicen. *fen.* 1. 1. *doctrin.* 3. ibi Gentilis, Iacobus de Forliuio, Nicolaus Florentinus, Iacobus de Partibus, & Gratiolus *lib.* 1. *ſect.* 1. Thom. de Garbo *lib.* 1. *tractat.* 2. Conciliator *à differ.* 17. *vſque ad* 13. Fuchſius *libro* 1. *inſtitut. ſect.* 3. Georgius Bettinus *lib.* 2. Valleriola *libro* 1. *de locis com. capite* 10. Oſuna *commentario ad Galen. in libro de temperamentis*, Gaſpar Lopez *in Gal. lib. de temperam.*

Valles *lib.1. contron.* Fernelius *lib.3 Phyſiolog. capite 6.* A Mercatus *tom 1. part.2. tract. de temper.* Petrus Garc. *in fen.1 1. diſput.3.* Martinez *lib.1. tractat.1. ſect.2.* Sancta Cruz *in fen.1.1. opuſc.3.* Varandæus *lib.1. Phyſiolog. ſect.2.* Sennertus *lib.1. inſtit. cap.4.* & ex Phyſicis Conimbricenſes, & Rubius, & alij *in lib.1. de ortu, & interitu.* Segarra *in lib. de temperamentis.* Petramatus *lib. de temperam.* Saluſtius Salutanus *lib.3 de re medica.* Corella *in Enchiridion lib 1 c.3.* Iuannes Lupus *de re medica, lib.2.* Plempius, & alij quamplurimi.

SECTIO PRIMA.

De natura, & numero complexionum.

TEMPERAMENTORVM diſputatio, ad eam, quæ de elementis agit proximè ſequitur, vt docet Galen. *lib.1. de temperam.* Rationi enim eſt conſonum, cum ex elementis commixtis ſuperueniat temperamentum; vt hæc ad illam ſubſequatur tractatio.

RESOLVTIO I.

Verùm qualitatiuum temperamentum ſit in mixtis neceſſarium?

§. I.

Heurnij, & Galen. ſententia fauet parti negatiuæ?

HEurnius *lib.1. inſtit. c.1.* Temperamentum non eſſe aliud à ſubſtantiali cuiuſque partis forma contendit, & ideò nec temperamentum qualitatiuum ſuperaddendum fore videtur ſuadere.

Primò, ex Galen. qui *lib quod animi mores corporis temperaturam ſequantur*: tenet, quòd temperamentum non differt ab anima, idque contendit comprobare pluribus rationibus: ſed anima ex Ariſtot. *lib.2. de anima*: eſt ſubſtantia, cùm ſit quæ dat eſſe viuens cuicumque viuenti, quod ens ſubſtantiale eſt: ergo temperamentum qualitatiuum non eſt admittendum. D

Secundò: ſi qualitatiuum temperamentum in mixto eſſet neceſſarium, maximè ad operationes illius efficiẽdas: ſed quaſcumque operationes elicit mixtum per potentias ſibi ſuperadditas: ergo temperamentum qualitatiuum non eſt illi neceſſarium.

Tertiò: Temperamentum qualitatiuum deberet eſſe temperata proportio qualitatum, quæ remanent ex vi mixtionis in mixto; ſed non eſt neceſſarium harum qualitatum proportionem in mixtis remanere: ergo non datur qualitatiuum temperamentum in mixtis. Probatur minor. Tum quia, cùm non omnia mixta fiant per mixtionem, non eſt neceſſarium, quòd mixtum qualitatiuum remaneat in illis: Tum quia licèt fiat E mixtum per mixtionem, ante mixti productionem fit reſolutio vſque ad materiam primam: ergo non eſt neceſſarium, quòd qualitatum proportio remaneat in mixto propter mixtionem.

§. II.

Pars affirmatiua communiori Medicorum fulcitur aſſenſu.

REſoluendum Affirmatiuè, ſanciuit Hipp. *in libro de natura humana.* Galen. demonſtrauit *in eius* A *commentariis, in lib. de elementis. in lib. de temperament.* docuit Auic. *fen.1.1. doctr.3. capit.1.* Aſſentitur illis communis omnium commentatorum conſenſus.

Probatur 1. ex Ariſt. *lib. de ortu, & interitu, cap.1.* vbi mixtionem diffiniens, dicit quòd eſt, *eorum, quæ temperari poſſunt commutatorum vnio.* Sed per mixtionem fiunt mixta ex miſcibilibus: ergo remanet in illis vnio eorũ, quæ temperari poſſunt, id eſt temperatarum qualitatum, in quibus ſtat ratio qualitatiui temperamenti.

Probatur 2. Corpora animalium, & mixtorum ſentiuntur qualitatibus tangibilibus affecta, ſed in his proportionatis conſiſtit qualitatiuum temperamentum: ergo in mixtis admittendum temperamentum qualitatiuum.

B Probatur 3. Si non eſſet temperamentum qualitatiuum admittendum, maximè, quia temperamentum ex Galen. eſt ipſa anima, quæ eſt ſubſtantia, ſed hoc fundamentum falſum eſt, vt demonſtrauit D. Thom. *lib.2. contra Gentes cap.63.* pluribus rationibus contra Galenum adductis: ergo temperamentum qualitatiuum non eſt ſubſtantia animæ.

§. III.

Contraria ſententiæ rationibus reſpondetur.

AD 1. negatur conſequentia: Galenus enim poſtquam lapſus fuit in hunc errorem, fatetur ignorare animæ ſubſtantiam, illius tamen error, dum eam à C temperamento non diſtinguit, à D. Thom. conuincitur loco adducto in probatione 3.

Ad 2. diſtinguo maiorem: Si qualitatiuum temperamentum eſſet neceſſarium, maximè ad operationes eliciendas efficienter principaliter, nego: diſpoſitiuè, vel inſtrumentaliter, concedo maiorem. Licèt enim efficiẽter à facultatibus procedant operationes, requiritur temperamentum qualitatiuum, vt inſtrumentaliter concurrat pro actionibus vegetatiuis, diſpoſitiuè verò pro ſenſitiuis, vt docuit D. Thom. 1. p. q.7.8.6 art.1.

Ad 3. negatur minor: Quia ſi fiat mixtum immediatè per mixtionem, licèt fiat reſolutio vſque ad materiam primam, à forma mixta ſubſtantiali ſuperueniente ex vi D ſigillationis producuntur qualitates ſimiles proportionatæ eis, quæ præceſſerunt, ſin minus ſimiliter producuntur qualitates proportionatæ à forma mixta, quatenus informat materiam conflatam ex materiebus omnium elementorum, à quibus determinatur forma mixta, vt qualitatiuam diſpoſitionem, quæ temperamentum eſt qualitatiuum producat.

RESOLVTIO II.

Vtrùm ex mixtione remaneat neceſſariò in quocumque mixto perfecto ſubſtantificum temperamentum?

§. I.

Carreirus, Sennertus, & Plempius, negatiuæ parti adhærent.

TEmperamentum ſubſtantificum, nec aliud à qualitatiuo diſtinctum non eſſe admittendum in mixtis, contendunt Petrus Garc. *fen.1.t. diſput.9.c.1.* Sennertus *lib.1. inſtitut. c.4.* Plempius Fortunatus *lib.2. de fundamentis medicinæ, c.1.* & alij. quod his præcipuè fundamentis conantur ſuadere.

Primò: ſi temperamentum ſubſtantificum eſſet

admit-

admittendum, illud deberet conflari ex materiis quatuor elementorum, ſicut coaleſcit qualitatiuum ex omnium elementorum qualitatibus: ſed mixtum perfectum poteſt ex vno ſolo elemento fieri, cuius materiæ (propria corrupta forma) mixta ſubſtantialis forma ſuperueniat: ergo ſine ſubſtantifico temperamento poterit reperiri perfectum mixtum.

Secundò: temperamentum dicitur illa entitas, per quam mixtum debitè diſpoſitum, & temperatum redditur pro mixta forma conſeruanda, & pro illius operationibus efficiendis, ſed huiuſmodi diſpoſitio, & attemperatio ſolùm poteſt adaptari qualitatibus, non verò ſubſtantiæ, quæ potius petit diſponi, quam alterius entitatis eſſe diſpoſitio: ergo præter qualitatiuum nullum ſubſtantificum temperamentum admittendum.

Tertio: ſi daretur temperamentum ſubſtantificum in mixtis, ex quo reſultaret qualitatiuum, non poſſet dari temperamentum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis: ſed probabiliter hoc eſt poſſibile: ergo ſubſtantificum impoſſibile eſt. Probatur maior, non poſſet dari temperamentum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis, quin in ſubſtantifico in æquali proportione reperirentur materiæ elementorum: ſed in omni mixto ſuper terram poſito debet dari terræ prædominium, ex Ariſt. *lib. 2. de generat. c. 8.* Ergo ſi daretur temperamentum ſubſtantificum, non eſſet poſſibile ponderale in alteratiuis.

Quartò: ex Ariſt. *lib 2. de partib. animal. c. 1.* dicit enim quod, *melius eſt dicere mixtionem fieri ex virtutibus elementorum, quàm ex tota ſubſtantia.* Quod idem admittit Galen. ex eius authoritate *lib. 1. de elementis*: ergo nihil remanet ſubſtantiæ ex mixtione in mixtis.

Quintò: nullum poteſt eſſe temperamentum, cui non competat diffinitio temperamenti: ſed temperamenti diffinitio, quæ adducitur ab Auic. *fen. 1. 1. doct. 3.* quam ex illo recipiunt omnes Interpretes, tantum competit temperamento qualitatiuo: ergo tantum illud eſt admittendum.

§. II.

Fernandez Vejarani, Sanctæ Crucis Zacuti, & aliorum præfertur iudicium.

RESoluendum temperamentum ſubſtantificum neceſſariò admittendum in quovis perfecto mixto ob elementorum miſcellam. Sic ſuſtinuit Fuchſius *lib. 1. inſtitut. medicinal. ſect. 3. cap. 1.* Vega *lib. artis medicinal. cap. 4.* Gaſpar. Lopez *lib. 3. de temperam. cap. 4.* Mercat. *tom. 1. p. 2. claſ. 1. art. 2.* Valleriola *lib. 1. de locis communib. cap. 1.* Oliua *de temper. ad cap. 3.* Sed iſti ferè omnes antiquam doctrinam redolent Auicennæ, & aliorum, qui elementa formaliter manere in mixtis iudicabant, ex quorum commixtis ſubſtantiis ſubſtantificum temperamentum admittunt. Quod placitum (licet aliqualiter veritati accedat) quantum ad formarum remanentiam ſuſtineri non ita poteſt, ſatiſque impugnatum manet à D. Thom. *1. p. q. 76. art. 4.* & *ibi* à Caietano, nec non *5. de potentia art. 5.* Philopono, & Alexandro à Ferrera *2. contra Gentes cap. 58.* a Capreolo *2. diſtinct. q. 15.* à Soncinate *8. Metaph. quæſt. 7.* ab Ægidio *tract. de pluralitate formarum.* Marſilio *2. de generat.* à Suarez *tom. 1. Metaph.* Communiterque abſurdum indicatur hoc placitum à ſelectiori Metaphyſicorum parte. Admittit ſubſtantificum temperamentum Valleſius *lib. 1. controuerſ. cap. 6.* Non tamen ita conſtanter de illo loquitur, vt non aptiùs reprehendatur à Carreiro, quàm à Manuele Martinez contendatur defendi. Securiori tamen iudicio amplectitur reſolutionem noſter Sancta-Cruz *in fen. 1. 1. Auic. opuſc. 3.* Nec minus doctè Doctor Fernandez Vejaranus, præſtantiſſimus & Medicus, & Philoſophus, *lib. 4. meteororum q. 1. art. 2.* annuit Zacutus *lib. 6. de medic. princ. hiſt. q. 9.* Qui veritati accedentes ſubſtantificum temperamentum admittunt, & conſtare reoènt ex partibus materialibus omnium elementorum commixtis, prout conuenit, vt in illis reſultet debitum temperamentum qualitatiuum.

Iuxta quem philoſophandi modum, Probatur primò reſolutio ex Galen. *lib. quod animi mores corporis temperaturam ſequuntur, lib. de placitis Hipp. & Platonis, lib. 12. method. cap. 5. aliiſque quàm plurimis in locis*, vbi quandoque temperamentum vocat ſubſtantiam, quandoque qualitatem, & in ſubſtantiis elementorum proportionatis conſiſtere affirmat, & iuxta diuerſitatem partium materialium elementorum, & earum prædominium in mixtis, & eorum partibus, diuerſam temperiem qualitatiuam ſuperuenire affirmat, vt ſimiliter apud illum videre eſt *lib. 11. method. cap. 3.* dicentem: *Cùm vero diuerſitas non parua ſit in partium animalis temperamento, propriam cuique menſuram fore eorum, quæ ipſis ſunt ſimilia, nempè ei, quæ terrea magis, eorum, quæ magis ſunt terrea; & ei, quæ humidior eſt, eorum, quæ ſunt humidiora: ad eundem modum, & ei, quæ magis aërea eſt, eorum, quæ plus huius ſubſtantiæ in ſe habent; ſicut calidiori, eorum, quæ magis ſubſtantia ignea participant. Hinc verò iam materias particulares omnes in cibis, potione, aere, & omnibus peragi ſolitis uniendas eſſe. &c.* Hæc Galen.

Probatur 2. Temperamentum qualitatiuum naturale conſiſtens in primarum qualitatum commixtione requiſita pro actionibus naturalibus admittitur: ergo temperamentum ſubſtantificum ex omnium elementorum partium materialium congrua proportione propter harum qualitatum reſultantiam neceſſariò debet admitti. Probatur conſequentia, quia, vt probauimus *ſect. 2. de elementis*, qualitates primæ producuntur à forma mixta prout determinata à partibus materialibus elementorum, & iuxta illorum proportionem.

Confirmatur: in mixtione duplex motus reperitur, qui terminatur ad ea, quæ ex elementis remanent in mixto, alter ad qualitatum moderationem tendens; alter localis, per quem commixtæ adinuicem, & confractæ iuxta-ponuntur partes elementorum: ergo ſicut ex motu alterationis refrangentis qualitates ad debitam moderationem qualitatum inſurgit temperamentum, ſimiliter ex commixtis ſubſtantiis elementorum, corruptis formis remanet ſubſtantificum temperamentum.

Probatur 3. Temperies qualitatiua præternaturalis aliquando ſuperuenit corpori per modum diſpoſitionis, vt in febre humorali, & diaria apparet; aliquando per modum habitus, vt in hectica, in qua præternaturalis calor conſeruatur, ablata quacumque cauſa externa conſeruante, donec per vſum alimenti frigidi, & humidi reponantur partes materiales diuerſæ, quæ determinent formam mixtam ad productionem nouæ temperiei contrariæ: ſed hoc non aliunde prouenire poteſt, niſi quia temperies aliquando conſeruatur à ſubſtantifico temperamento, aliquando non: ergo præter qualitatiuum temperamentum debet ſubſtantificum admitti in commixtione partium elementalium, à quo qualitatiuum dependeat.

Dices, quod licèt poſſet in ſtatu naturali dari temperamentum ſubſtantificum determinans pro

naturali

naturali qualitatiuo, non poteſt præternaturale qualitatiuum oriri, & conſeruari à præternaturali ſubſtantifico.

Contra, ſic ſe habent qualitates excedentes ad excedentes partes materiales ſui elementi, ſicut debitæ, & proportionatæ pro forma ad partes materiales pro illa proportionatas: ſed qualitates primæ proportionatæ polluiant à forma in ſtatu naturali, quatenus determinata eſt à ſubſtantifico temperamento connaturali, quod in congrua mixtione partium materialium conſiſtit: ergo ſimiliter temperamentum qualitatiuum præternaturale habituale oritur ex præternaturali ſubſtantifico temperamento.

§. III.

Carreiri, & reliquorum fundamentis ſatisfit.

AD 1. Patet ex dictis: Quòd ſicut pro viuentia forma requiritur corpus organicum: ſimiliter pro forma mixta, materia ex quatuor elementorum materiis conflata: & ſicut naturaliter forma viuens ſine organizatione apta pro ſuis potentiis nullam valet informare materiam, ſimiliter nec forma mixta nullam valet informare materiam, quæ non conſtet ex omnium elementorum materiis aptis, vt determinent pro productione qualitatum, quæ debentur illi pro ſui conſeruatione.

Ad 2. reſpondetur: Quòd temperamentum dicitur quæcumque proportio eorum, quæ remanent in mixto ex elementis, prout conducit ad formæ mixtæ conſeruationem, & quia non ſolùm conducunt qualitates debitè commixtæ prout formam conſeruant: ſed materiæ, ſine quibus non poſſent qualitates nec produci, nec conſeruari, ideò non ſolum dicitur temperamentum qualitatiuum debita proportio qualitatum, ſed materierum etiam debita commixtio pro illis.

Ad 3. diſtinguo maiorem: Non poſſet dari temperamentum æquale ad pondus æqualitate quantitatis, concedo: æqualitate virtutis, nego maiorem. Vt enim qualitatiuum temperamentum reſultet ex ſubſtantifico, non eſt neceſſarium, quòd quantitas partium materialium elementorum ſit æqualis: ſed ſufficit quòd ſint æquales virtutes elementorum ad ipſas producendas: quod patet ex D. Thom. 1. *part. quæſt.* 91. *art.* 1. *in corpore*, cuius hæc ſunt verba: *Elementa vero (remanent) ſecundum ſubſtantiam, ita tamen quòd ſuperiora elementa prædominentur in eo ſecundum virtutem, ſcilicet ignis, & aer: quia vitam præcipuè conſiſtit in calido, quod eſt ignis, & humido quod eſt aeris: inferiora verò elementa abundant in eo ſecundum ſubſtantiam, aliter enim non poſſet eſſe mixtionis æqualitas, niſi inferiora elementa, quæ ſunt inferioris virtutis, ſecundum quantitatem in homine abundarent, &c.*

Ad 4. reſpondetur: Quòd Auic. & Galenus *locis citatis, & aliis huiuſmodi*, non intendunt ex partibus materialibus ſubſtantificum temperamentum non fieri: ſed quòd non fiat ex elementis actu, & formaliter in mixtis remanentibus.

Ad 5. reſpondetur: Quòd Auicenna tantùm intendit definire temp. tamentum qualitatiuum, & ideo eius definitio non explicat naturam ſubſtantifici temperamenti; nec ideò diminutè procedit, quia definit vt medicus, qui artifex ſenſualis eſt, & tantum de temperamento qualitatiuo, quod ſenſui patet, agere intendit.

Resolvtio III.

Quid ſit temperamentum vt abſtrahit à qualitatiuo, & ſubſtantifico?

§. I.

Aliqua adducuntur Moderniorum diffinitiones.

TEnent aliqui, quòd Temperamentum eſt, *qualitatum primarum diſcordium concordia*; alij quòd ſit *harmonia, ſiue concentus earum, quæ in mixtis ex elementis remanent*. Eraſtus dicit, quòd Temperamentum eſt, *qualitas vna, quæ eſt terminus actionis mutuæ, & paſſionis qualitatum primarum*. Heurnius, quòd *eſt, quod cuicunque parti dat eſſe*. Moderniorum plerique, etiamſi ſubſtantificum admittant temperamentum, cum Auicenna diffiniunt, quòd ſit, *qualitas ex mutua primarum actione, & reactione orta*.

§. II.

Ex Galeni doctrina diffinitio deducitur cum Varandæo.

REſoluendum quòd Temperamentum eſt congrua mixtio elementorum ad actiones vniuſcuiuſque rei proprias obeundas, adducitur ex Varandæo *lib.* 1. *Phyſiolog ſect.* 2. *c.* 1. deducitur ex Hipp. *lib. de natura humana*. ex Galen. *lib. de temperament. lib.* 2. *Aphoriſm. com.* 2. *lib.* 9. *de vſu partium*, & aliis in locis, nec recedit Valleriola *lib.* 1. *de locis communibus, c.* 10.

Aptiſſima eſt hæc diffinitio pro explicanda vtriuſque temperamenti tam ſubſtantifici, quàm qualitatiui natura, in qua *mixtio*, non ſumitur pro mixtione formaliter: ſed pro eis commixtis, quæ poſt mixtionem remanent in mixto ex elementis, qualia ſunt elementorum materiales partes, & eorum qualitates, in quibus congruè commixtis ſtat ratio temperamenti.

§. III.

Reliquorum diffinientium exploditur ſenſus.

AD primò propoſitas diffinitiones dicimus: quòd potiùs ſunt temperamenti deſcriptiones ſecundum quid, quàm illius: & quòd Auic. qualitatiuum diffiniit temperamentum tantùm.

Resolvtio IV.

Quid ſit temperamentum ſubſtantificum?

§. I.

Valleſij diffinitio proponitur, Martinez in eius fauorem adducitur.

VAlleſius *lib.* 1. *controuerſ. cap.* 6. Subſtantificum temperamentum docet eſſe, *Subſtantiæ modum reſultantem ex partibus materialibus elementorum, in mixto remanentibus*: Cuius placitum à Carreiri impugnationibus intendit defendere Manuel Martinez *lib.* 1. *tract.* 1. *ſect.* 2. iudicans quòd temperamentum ſubſtantificum eſt modus ſubſtantiæ, qui reſultat ex reliquis qualitatibus, quæ ſunt in mixto, taliter commixtis, quod, ſiue dicatur ſubſtantiæ modus, quinta qualitas, aut ſecunda ex primarum commixtione orta, idem iudicat eſſe.

Primò: quia qualitatiuum temperamentum, cùm

ſit

ſit mutabile, debet habere id ratione cuius ſit permanens; hoc enim ſubſtantificum temperamentum dicitur, quia per modum ſubſtantiæ, fixum, & permanens remanet: ſed propter ſecundam: aut quintam qualitatem reſultantem ex primarum commixtione, fit modus in illis, vt fiant difficilè mobiles, & permanentes in mixto: ergo ille ſubſtantiæ modus, ſeu ſuperaddita qualitas eſt temperamentum ſubſtantificum.

Secundò: ſubſtantificum temperamentum, vel conſiſtit in ſupreueniente illa qualitate, vel ſubſtantiæ modo reliquis qualitatibus ſupraddito, vel in materiis elementorum in mixto repertis: ſed huiuſmodi materiæ ob earum impenetrabilitatem non poſſunt in mixto reperiri: ergo ſubſtantificum temperamentum conſiſtit in modo ſubſtantiæ dicto.

Tertiò: ex diuerſitate ſubſtantifici temperamenti, diuerſæ, occultæque operationes ſubſequuntur in mixtis: ſed iſtæ proueniunt ex diuerſo ſubſtantiæ modo, ſiue ex diuerſis ſecundis, aut quintis qualitatibus ex reliquarum miſcella ortis: ergo in his ſtat ratio temperamenti ſubſtantifici.

§. II.

Veriori fundamento dubium reſoluitur.

C RESoluendum, quod ſubſtantificum temperamentum eſt congrua mixtio partium materialium elementorum in mixto, vt ex illa reſultet qualitatiuum temperamentum in mixtione cõgrua pro actionibus propriis vniuſcuiuſque rei. Aſſentitur Vejaranos doctiſſimus *lib.* 4. *meteor. quæſt.* 5. *artic.* 2. & Sancta-Cruz *in fen.* 1. 1. *cap.* 1. *opuſc.* 3. *cap.* 10.

D Fundamentum huius reſolutionis eſt, quòd vt tenet Valleſius, & Martinez, temperamentum ſubſtantificum admittendum, vt ſit principium conſeruatiuum temperamenti qualitatiui, & ſit illud ratione cuius qualitatiuum temperamentum ſit permanens, & fixum: ſed qualitatiuum temperamentum non ab alio principio habet oriri, & permanenter conſeruari quàm à partibus materialibus, à quibus reſultat, & continenter dependet, vt patet ex dictis, *ſect.* 2. *de elementis*: Ergo ratio temperamenti ſubſtantifici non in alio poteſt reperiri, quàm in illis talis taliter commixtis, vt requiritur pro eſſe, & conſeruatione qualitatiui temperamenti.

E Confirmatur: Subſtantiæ modus, ſiue quarta, aut quinta qualitas ex primarum commixtione orta non poteſt eſſe cauſa productionis, & conſeruationis qualitatiui temperamenti, nec ratio qua illud permanenter conſeruetur: ergo non poteſt eſſe temperamentum ſubſtantificum. Probatur antecedens: ille modus ſubſtantiæ, vel eſt modus primarum qualitatum, vel eſt ſecunda, aut quinta qualitas ex primis orta vt taliter proportionatis, & ab illis dependens continenter, cùm ex earum variatione ſit mutabilis: ergo potiùs illud à qualitatiuo dependere quàm è contra eſt fatendum, cùm modus rei dependeat ab ea, & ſecundæ qualitates à primis.

§. III.

Fundamenta pro Valleſio ruunt.

AD primum negatur minor: Quia qualitatiuum temperamentum non à ſecundis, aut aliis ſuperadditis qualitatibus fit, & permanenter conſeruatur: ſed à forma mixta vt determinata per partes materiales mixti, vt taliter ſunt commixtæ pro qualitatum elementalium proportione.

A Ad 2. negatur minor: Quia ſine penetrabilitate iuxta poſitæ partes materiales in mixto ſunt cauſa conſeruatiua temperiei qualitatiuæ.

Ad 3. reſpondetur: Quòd occultæ qualitates, & indicibiles proprietates oriuntur non efficienter à ſubſtantifico temperamento, vt aliqui moderniores contendunt; ſed tanquam formæ proprietates ab ipſa vt determinata per ſubſtantificum temperamentum; vt eum tali proportione, & commixtione partium materialium.

RESOLVTIO V.

B Vtrùm qualitatiuum temperamentum conſiſtat in congrua qualitatum commixtione?

§. I.

Fundamenta, quæ huic veritati opponuntur & ſententiæ proponuntur.

EX authoribus, alij iudicant temperamentum qualitatiuum formaliter in proportione conſiſtere; alij harmoniam eſſe: alij eſſe corporis, & cuiuſuis particulæ formam: alij quòd ſit quinta qualitas primis manentibus: alij corruptis primis, conſiſtere in remanente quinta qualitate iudicant: alij ex primarum qualitatum coexiſtentia formali conflari.

Sed pars negatiua ſuaderi poteſt. Primò, ex Auic. *fen.* 1. 1. *doct.* 3. *cap.* 1. vbi dicit quòd *temperamentum eſt qualitas orta ex actione primarum*, &c. Ergo non conſiſtit in congrua mixtione illarum.

Secundò: congrua mixtio, ſeu proportio requiſita in qualitatibus, vt ſint temperamentum, eſt relatio: ſed relatio non poteſt eſſe temperamentum, cùm non ſit ex viu ad eſſe, & operari, quod debet conuenire temperamento: ergo ratio temperamenti qualitatiui non conſiſtit in congrua mixtione qualitatum.

Tertiò, ſi in brachio, aut alia parte ponatur congrua mixtio qualitatum, quæ debetur ventriculo, produceret chylum, ſicut ventriculus, ſi in ea conſiſteret ratio temperamenti qualitatiui: ſed extra ventriculum cum tali congrua mixtione qualitatum, chylus generari non poteſt: ergo non ſtat in illa ratio temperamenti.

Quartò: ligata arteria, etiam, ſi infra ligaturam remaneat congrua mixtio qualitatum, quæ erat antecedenter infra illam, deficit pulſatio defectu debitæ temperiei qualitatiuæ: ergo non conſiſtit in congrua qualitatum commixtione.

Quintò: ſtruthiocamelus ferrum concoquit: ſed hoc à nullo aliorum animalium fieri poteſt, etiam ſi gaudeat eadem qualitatum commixtione: ergo ratio temperamenti conſiſtit in alia qualitate diſtincta à primis adhuc vt commixtis.

Sextò: ex partium coaptatione, magnitudine, & figura reſultat pulchritudo, ſicut reſultat temperamentum qualitatiuum ex primis qualitatibus commixtis: ſed pulchritudo eſt diſtincta qualitas ab eis: ergo temperamentum qualitatiuum eſt qualitas diſtincta à congrua primarum qualitatum commixtione.

Septimò: idem temperamentum qualitatiuum non poteſt reperiri in duobus mixtis ſpecie diſtinctis, cum vnicuique eorum inſit proprium temperamentum conſeruatiuum ſpecie diſtinctum ab alio quocumque: ſed eadem commixtio qualitatum poteſt reperiri in duobus mixtis: ergo differt temperamentum qualitatiuum à congrua mixtione qualitatum. Probatur minor: homine ſuffocato, aut ſolutione

tione continuitatis infecto, remanet cadauer eum eodem temperamento ſubſtantifico, ac erat in viuente: ſed qualitatum congrua mixtio ſequitur ex mixtione congrua ſibi proportionata partium materialium: ergo in homine, & cadauere eſſet eadem congrua mixtio qualitatum.

§. II.

Qualitatini temperamenti diffinitio proponitur.

RESoluendum: quòd temperamentum qualitatiuum eſt congrua mixtiò qualitatum orta ex mixtione elementorum in bonc finem, vt ſit veluti inſtrumentum neceſſarium ad omnes illius mixti perfectas operationes. Sic tenet Duncanus *lib. 1 Phyſiolog. cap.* 10. Fauet Fuchſius *part. 1 inſtit. ſect.* 3. c. 1. Fontanus *vniuerſa artis medica, cap.* 4. Deduciturque ea doctrina Valleſij & Fernelij, qui naturam temperamenti conſignant in primis qualitatibus taliter proportionatis, nec deuiat ab Auicennæ definitione.

Primum huius reſolutionis fundamentum deſumitur ex Galen. *lib. 1. de vſu partium, cap.* 9. inquit enim: *Inſunt autem primum, & maxime temperamenta, quippe quæ propriam particularum ſubſtantiam complent: corpus enim tale natura eſt, propterea quod caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate, ſic commixtum eſt: nam carni eſſe carnem, & neruo eſſe neruum, & aliorum vnicuique hoc eſſe, quod eſt, ob qualitatum quatuor prædictarum certam quamdam temperaturam contingit, &c.* Ergo ea Galen. qualitatiuum temperamentum conſiſtit in qualitatum mixtione.

Secundum fundamentum ſic: Temperamentum qualitatiuum illud dicitur in mixto, ea quo ſimul cum debita conformatione, partium vnione reſultat ſanitas: ſed hæc reſultat ex vnione, partiumque debita conformatione, ſimul cum qualitatibus congruè commixtis: ergo in debita mixtione qualitatum conſiſtit ratio temperamenti qualitatiui.

Dicea cum aliquibus: Formam mixtam diſponi per quintam quandam qualitatem à quatuor primis diſtinctam, mediâ, quâ mixta conſeruatur forma, & illius eliciuntur operationes ſimul cum vnione partium, & debita earum conformatione.

Contra: qualitates primæ congruè commixtæ diſponunt, non ad formam elementi, cùm ex tali qualitatum commixtione potiùs fierent corruptæ elementorum formæ: ergo ad formam mixtam conſeruandam ad eſſe, & operari.

Confirmatur: forma mixta eſt perfectior quacumque elementali: ergo perfectiorem petit diſpoſitionem: ſed pro forma ſimplici requiritur duarum, vel trium qualitatum primarum admixtio: ergo pro forma mixta requiritur congrua mixtio omnium qualitatum primarum.

Confirmatur 2. Formæ mixtæ ſunt à natura datæ virtutes omnium elementorum ad producendas qualitates primas, & materiis ipſorum adeſt ſigillatio determinans pro eis: ergo reſultat ex illis congrua mixtio qualitatum pro actionibus. Conſequentia patet, quia natura nihil fruſtra producit: ſed virtus qualitatum productiua datur in forma mixta, & determinatiua vis in materiebus elementorum: ergo vt reſultet congrua qualitatum mixtio in illis.

Dices: qualitates elementorum dari in mixtis in congrua mixtione, non tamen conſiſtere qualitatiuum temperamentum in illa qualitatum commixtione, ſed in alia qualitate quinta reſultante ea illis.

Contra: primis qualitatibus actu exiſtentibus in

A mixto, ad nihil conducit qualitas quinta ſuperaddita: ergo non eſt admittenda. Probatur antecedens, ſi ad aliquid conduceret in mixto maxime ad calefaciendum, infrigidandum, &c. ſed primis qualitatibus exiſtentibus ab illis debent fieri calefactio, & frigefactio: ergo ſuperaddita qualitas ad nihil conducit.

Dices: qualitates primas calefacere, frigefacere, &c. quintam verò qualitatem deſeruire ad illas moderandas, alias non eſſent ex vſu pro mixti conſeruatione, ideóque tribui rationem temperamenti qualitati quintæ, quia reliquas temperat prout requiritur pro operari.

Contra: ratione partium materialium determinantium formam mixtam pro qualitatibus ſibi debitis

B producuntur qualitates primæ in congrua mixtione requiſita pro forma mixta, vt probauimus: ergo quinta qualitas in hunc finem ſuperflua eſt.

Confirmatur: ante mixti generationem qualitates fiunt commixtæ in ea proportione, per quam fiat diſpoſitio mixta antecedens, & determinans pro generatione talis formæ mixtæ ſine aliqua quinta qualitate, ſolum propter incompoſſibilitatem earum in intenſioribus gradibus: ergo in mixto ſine ſuperaddita quinta qualitate fiunt eadem ratione moderatæ.

Confirmatur 2. Quinta qualitas valens remittere, & moderari calorem debet neceſſariò habere cum illo contrarietatem: ſed ſi illam habet cum calore,

C non poteſt cum frigiditate eam habere; vni enim vnum eſt contrarium: ergo non poteſt dari vna quinta qualitas, à qua omnes qualitates primæ remittantur.

Confirmatur 3. Illa qualitas quinta, quæ dicitur temperamentum, pullulat à primis qualitatibus commixtis in homine diſtincta, quam equo, aut leone, quia diuerſa eſt in quolibet horum qualitatum commixtio: ergo præcedit illam commixtio qualitatum in quouis mixto, & conſequenter non cauſabitur ab illa.

Probatur 3. reſolutio: Temperamentum qualitatiuum in mixto viuente, & in mixto non viuente debet eſſe eiuſdem rationis: ſed in viuente conſiſtit in

D commixtione qualitatum congrua pro ſuis operationibus: ergo ſimiliter in omni perfecto mixto. Probatur minor, in viuente facultates gradus vegetatiui, vel ſunt ipſæ primæ qualitates commixtæ, vel ſaltem non poſſunt operari niſi mediis illis: ergo congruè mixtæ qualitates ſunt qualitatiuum mixti viuentis temperamentum.

Dices: quòd ſicut ſuperueniente forma ſubſtantiali mixta, corrumpuntur ſimplices formæ elementorum, ſimiliter corrumpuntur qualitates primæ, adueniente mixta diſpoſitione, quæ ab illis eſt diſtincta, & hæc eſt in viuente, vel principium operatiuum inſtrumentale, vel ipſæ potentiæ conſiſtunt in illa.

E Contra: ideò corrumpuntur formæ ſubſtantiales elementorum, adueniente forma mixta, quia, cum quælibet ſit actus primus materiæ, ſunt incompoſſibiles ſimul in eadem materia: ſed hæc ratio non currit in qualitatibus, cùm plures ſimul reperiri, etſi ſint contrariæ, in gradibus remiſſis, & compatibilibus, non ſit inconueniens: ergo adhuc ſi ſuperueniret qualitas quinta, non ſequitur quòd primæ qualitates in congrua mixtione non ſint in mixto tanquam temperies propria eius.

Confirmatur. Quinta qualitas, vt probauimus, non eſt vtilis, primis qualitatibus exiſtentibus in aliquo mixto; ſed neceſſe eſt qualitates primas in

mixto

mixto reperiri : ergo quinta qualitas,nec primis exiſtentibus , nec ipſis corruptis,eſt vtilis , Probatur minor : ſi ignis , intra ſphæram ſuæ actiuitatis habeat lignum , producet ex illo ignem : ergo quia qualitates primas recipit diſponentes pro ignis forma : ergo ſicut ab igne poteſt illas recipere , poterit illas à ſe habere.

Dices : quòd via corruptionis poteſt lignum recipere calorem ab igne.

Contra : iſte fit à frigiditate tanquam à termino à quo : ergo dum lignum exſiccatur , motus neceſſariò calefactionis , & deſiccationis recipiuntur in ligno ; & cum iſtæ qualitates tunc non ſint in ſumino , ſunt neceſſariò cum ſuis qualitatibus contrariis.

Confirmatur 1. Mixtum corruptibile eſt à principio intrinſeco:ergo habet actu qualitates ſui corruptiuas,aliàs non fieret corruptio ab intrinſeco principio.

Confirmatur 2. Diuerſa ætatum mutatio in viuente varias primarum qualitatum diſpoſitiones ſucceſſiuè ponit : ergo actuales qualitates primæ dantur in illo. Probatur antecedens, non aliunde differt pueritia à ſenectute, niſi quia diuerſa eſt qualitatum commixtio in his diuerſis ætatibus : ergo actu dantur primæ qualitates , quæ ex variatione ætatum ſuccedunt.

§ III.

Communis argumentorum congeries dirimitur.

AD 1. dicimus : Quòd definitio ex Gal. deducta dirimit varias diffi. ultates , quas pro Auic. intelligentia commiſcent moderniores , non ſine addiſcentium temporis iactura , pro quibus potiùs deſideratur veritatis cognitio, quàm mutuò ſe obiurgantium varietas.

Ad 2. diſtinguo maiorem : Congrua mixtio qualitatum eſt relatio formaliter, nego maiorem : fundamentaliter , concedo maiorem. Licèt enim qualitates commixtæ , & proportionatæ ſint temperamentum qualitatiuum, ratio temperamenti non conſiſtit in relatione : ſed in qualitatibus , quæ ſunt illius fundamentum.

Ad 3. diſtinguo maiorem : Si in brachio , aut alia parte ponatur congrua commixtio qualitatum , quæ eſt in ventriculo, produceret chylum, ſi eſſet cum reliquis conditionibus ac eſt in illo, concedo : ſi ſola temperies ponatur , nego maiorem : quia chyli productio non fit à ſola temperie, ſed à parte cum tali temperie , cum tali modo ſubſtantiæ , cum aliis requiſitis in parte inſtrumentali determinata pro tali actione.

Ad 4. diſtinguo antecedens : Ligatâ arteriâ deficeret pulſatio, etiam ſi ſit infra ligaturam congrua mixtio qualitatum primarum , concedo : congrua mixtio omnium qualitatum, quæ requiruntur pro illa actione,& ex quibus totale temperamentum qualitatiuum adintegratur,nego antecedens:adintegratur enim qualitatiuum temperamentum ex primis, ſecundis,& ulterius aliis qualitatibus.

Ad 5. diſtinguo minorem : à nullo alio animali fit talis actio , etiam ſi habeat eandem commixtionem qualitatum cum tali ſubſtantiæ modo , nego : cum diuerſo modo ſubſtantiæ , concedo minorem. Temperamentum enim non attingit principaliter coctionem: ſed vt inſtrumentum facultatis concoctricis , quæ potentior eſt. & diuerſa in vno, ac in alio animali , vel propter ſubſtantiæ modum partis in qua inhæret, vel propter aliquam indicibilem proprietatem indiuidualem.

Ad 6. negatur minor : Pulchritudo enim non eſt

A aliud à partium conformatione , figura , & magnitudine , ſed in illis debito modo proportionatis conſiſtit, ſicut temperamentum in commixtis qualitatibus taliter proportionatis.

Ad 7. diſtinguo minorem : Idem temperamentum poteſt eſſe in diuerſis mixtis,ſecundum aliquas qualitates , concedo : ſecundum omnes qualitates debitas vnicuique mixto , nego minorem. Cum enim qualitatiuum temperamentum , non ſolum fiat ex primis qualitatibus,ſed ex quibuſcumque aliis debitis vnicuique mixto, licet in vno, ac altero poſſit eſſe idem in aliquibus qualitatibus , non in omnimoda eadem intenſione , nec in omnibus aliis qualitatibus , quia aliquæ peculiares qualitates debitæ vni mixto , non

B reperiuntur in reliquis.

RESOLVTIO VI.

Verùm ſub qualitatiuo temperamento ſint nouem differentiæ ?

§. I.

Galen. antiquiores negatiuæ parti adhærent, & aliqua pro eis fundamenta proponuntur.

GAlen. *lib.* 1. *de Temperam.* plures refert antiquorum ſententias , qui nouem temperamentorum

C differentias conantur euertere , quibus fauet,

Primò : quia non poteſt determinatus temperamentorum configurari numerus ſub temperamento qualitatiuo , quia tot debent eſſe temperamenta ſpecie diſtincta , quot formæ mixtæ , quarum cuilibet competit determinatum temperamentum qualitatiuum ſui conſeruatiuum : ſed formæ mixtæ ſpecie diſtinctæ poſſibiles ſunt innumeræ: ergo etiam multitudo temperamenti qualitatiui.

Secundò ex oppoſito , in homine vnicum qualitatiuum temperamentum tantum reperiri ſuadet ; quod temperamentum eſt diſpoſitio conſeruatiua formæ: ſed ſub ſpecie humana vna eſt forma ſecundum ſpeciem: ergo vnum temperamentum. Patet conſequentia; nam

D diſpoſitio conſiſtit in indiuiſibili, & ſequitur naturam formæ cuius eſt diſpoſitio.

Tertiò : ſi nouem temperamenta poſſent in homine reperiri,ſimiliter poſſent reperiri in mixtis non viuentibus,vel ſaltem in aliis viuentibus:ſed in reliquis non reperiuntur;nam non viuentia ſeruant ſemper eandem temperiem , & ex viuentibus , piper enim ſemper eſt calidum,& ſiccum,lactuca ſemper frigida,& humida: ergo homo ſemper eſt cum eodem temperamento qualitatiuo.

Quartò , Temperamentum ſubſtantificum poteſt penes diuerſas partes nutritioni ſuperadditas diuerſorum elementorum, vel propter reſolutionem ablatas , plures quàm nouem diuerſas combinationes qualitatum ponere : ergo ſunt plura temperamenta qualita-

E tiua,quàm nouem :Probatur antecedens. Nam poteſt nutriri ex alimentis in multiplici varietate temperamenti diuerſis , à quorum quouis partes reponantur pro diuerſo temperamento.

§. II.

Galeni doctrina amplectitur.

REſoluendum , quòd temperamenta qualitatiua ſunt nouem,æquale vnum,inæqualia octo : quatuor ex his ſimplicia , quatuor compoſita. Sic tenet Valleſius *lib.* 1 *.controu.c.*7.Mercatus *tom.* 1 *.claſſe* 2 *.tract. de temperamentis*,Duncanus *lib.* 1. *Phyſiologia.c.*6. Sennertus *l.*1 *.inſtit.c.*4.VallerIola *lib.* 1 *locorum comm* *c.*10.

D Peramatus

Peramatus *lib. 1. de temperamentis*, Fernelius *lib. 3. Phyſiologiæ cap. 3.* Godofredus *lib. 1. c. 3.* Fuchſius *lib. 1. inſtit. ſect. 3. c. 2.* Santa-Cruz *opuſc. de temperament. c. 10.* Et eſt communis.

Probatur 1. ex Galen. *lib. 1. de temperament.* Qui poſtquam antiquorum plures adducit, & refutat ſententias de numero temperamentorum, ipſe ex propria ſententia noſtram reſolutionem ſanciuit, validiſſimiſque fundamentis inualidauit contrariam.

Probatur 2. Fundamentali ratione. Temperamentum qualitatiuum conſiſtit in congrua qualitatum commixtione pro eſſe, & operari mixtorum: ergo tot debent admitti temperamenta qualitatiua, quot poſſunt dari huiuſmodi congruæ mixtiones qualitatum: ſed ex primis quatuor qualitatibus nouem mixtiones fieri poſſunt: ergo nouem ſunt qualitatiua temperamenta. Probatur minor ſubſumpta; primæ quatuor qualitates poſſunt æqualiter proportionari in ſuis contrarietatibus ad mediocritatem, & fiet temperamentum qualitatiuum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis, vel poteſt vna qualitas excedere in vna contrarietate, alterius cōtrarietatis qualitatibus æqualiter manentibus, & cum huiuſmodi qualitates ſint quatuor, quatuor etiam fient tēperies inæquales ſecūdum vnam ſimplicem qualitatem. Similiter ſi in qualibet contrarietate duæ qualitates excedant, fit inæquale temperamentum qualitatiuum ex duabus qualitatibus inæqualibus compoſitum, & cum hæc combinatio quadrupliciter fieri poſſit, quadrupla erit compoſita temperies ex qualitatibus primis: ergo nouem combinationes diuerſæ qualitatum primarum poſſunt fieri.

Dices: poſſe per intellectum concipi prædictas nouem combinationes, non tamen probari ex hoc tot debere dari temperamenta in rebus, nec tot mixta, in quibus ipſa actu reperiantur.

Contra: data poſſibilitate illarum combinationum, rectè ſequitur neceſſitas mixtorum, in quibus actu exiſtant in rebus: ergo ex poſſibilitate earum rectè concludit Galenus dari in rebus prædicta temperamenta. Probatur antecedens, ex Ariſt. à paritate, qui *lib. 2. de generat. c. 7.* ex poſſibilitate quatuor ſimplicium combinationum primarum qualitatum probat neceſſitatem admittendi in rerum natura quatuor ſimplicia corpora: ex neceſſitate ergo nouem combinationum mixtarum qualitatum rectè concludit Galen. poſſibilitatem, & exiſtentiam earum in mixtis.

§. III.

Galeni doctrina ab oppugnationibus liberatur.

AD 1. diſtinguo conſequens: ergo innumera eſt multitudo qualitatiui temperamenti ſecundum numericam, aut ſpecificam multiplicitatem, concedo; ſecundum genericas differentias, nego conſequentiā: adducimus enim cum Galeno genericas differentias, ad quas reliquæ particulares differentiæ reducuntur.

Ad 2. diſtinguo conſequens; ergo eſt vnum temperamentum ſub natura humana ſecundum naturam ſpecificam temperamenti, concedo: ſecundum rationes differentiales accidentales illius, nego conſequentiam. Licèt enim vnum ſit temperamentum ſpecie diſtinctum ab aliis, à quo homo conſeruatur, poteſt intra latitudinem conſeruandi hominem varias differentias accidentales acquirere, ſecundum quas dicitur calidum, frigidum, aut humidum.

Ad 3. reſpondetur: Quòd in aliis entitatibus ab homine ſunt etiam differentiæ accidentales diuerſæ temperamentorum intra ſpecificam rationem tem-

A peramenti, quod debetur illis, & ideò inter lapides, & alia mixta intra eandem ſpeciem alia aliis ſunt perfectiora, ſed hæc differentia multò magis apparet in viuentibus, in quibus propter heterogeneitatem partium, & ſenſibiliorem ætatum mutationem, ſenſibiliores etiam acquirunt qualitatum mutationes.

Ad 4. reſpondetur: Quòd ſubſtantifici temperamenti mutationes omnes ſunt intra latitudinem, ſecundum quam, tantùm differentiæ nouem prædictæ ſenſibiles reperiuntur, iuxta quas nouem prædictæ differentiæ qualitatiui temperamenti poſſunt fieri.

B

Resolutio VII.

Vtrùm ſub temperamento ſubſtantifico nouem ſint differentiæ.

§. I.

Partem negatiuam ſequitur Mercatus; eius fundamenta proponuntur.

LVdouicus Mercatus *tom. 1. claſſe 1. art. 3.* ſub temperamento ſubſtantifico non poſſe nouem differentias modo dicto in qualitatiuo reperiri, contendit his rationibus.

Primò: temperamentum qualitatiuum fit diuerſum ſecundum diuerſam intenſionem, aut remiſſionem qualitatum primarum: ſed in ſubſtantifico temperamento, cùm ſit ſubſtantia, quæ non ſuſcipit magis, & minus, non poteſt reperiri intenſio, & remiſſio: ergo non poſſunt reperiri in illo tot differentiæ.

Secundò, ex dicendis reſolutione ſequenti: In quocumque mixto partes terræ, & aquæ ſunt in maiori numero, quàm igneæ: ergo non datur temperamentum æquale ad pondus ſubſtantificum.

Tertiò: diuerſæ intenſiones qualitatum, penes quas fiunt nouem differentiæ temperamenti qualitatiui, mutantur propter mutuam actionem, & reactionem qualitatum mutuò ſe remittentium: ſed inter ſubſtantias elementales non eſt actio contrarietatis, ratione cuius partes materiales minuantur, aut augeantur: ergo non eſt cauſa, qua diuerſæ illæ differentiæ fiant.

§. II.

Verior opinio contra Mercatum ſancitur.

REſoluendum, quòd in temperamento ſubſtantifico ſunt nouem differentiæ diuerſæ, & reſpectiuæ ad eas quæ reperiuntur in temperamento qualitatiuo.

Ratio fundamentalis eſt: Temperamentum ſubſtantificum eſt ſubſtantia partium materialium elementorum, quæ corruptis ſuis formis, manent ſub mixta ſubſtantiali forma in congrua proportione, vt ex illis reſultet qualitatiuum temperamentum: ſed in temperamento qualitatiuo reſultante ex ſubſtantifico penes diuerſas qualitatum combinationes fiunt nouem temperamenta: ergo ex ſubſtantifico tot debent admitti penes diuerſas partium materialium combinationes reſpectiuas ad qualitatiua diuerſa temperamenta.

§. III.

Reſpondetur argumentis pro Mercato adductis.

AD 1. diſtinguo conſequens: Ergo non poſſunt in ſubſtantifico temperamento reperiri tot differentiæ

differentiæ ratione maioris, aut minoris intenſionis, concedo: ratione diuerſæ proportionis in quantitate, nego conſequentiam. Cum enim ſubſtantificum temperamentum ex diuerſis fiat partibus materialibus diuerſo modo combinatis, iuxta diuerſam proportionem quantitatum in materiebus inſurgit diuerſa ratio ſubſtantifici temperamenti.

Ad 2. diſtinguo antecedens: In quocumque mixto partes aquæ, & terræ ſunt in maiori numero, & quantitate molis, concedo: in maiori quantitate virtutis, nego antecedens. Vt enim docet D. Thomas ex actiuioribus elementis minus eſt in mixto de quantitate, quia eſt magis de virtute: inde prouenit, quòd ſubſtantificum temperamentum commenſuretur iuxta diuerſas proportiones partium combinatarum cum ſuis virtutibus in ordine ad productionem ſimilium differentiarum ſub qualitatiuo temperamento.

Ad 3. diſtinguo minorem: Inter ſubſtantias elementales non eſt actio contrarietatis ad ipſas ſubſtantias, concedo: contrarietatis ad qualitates ſui conſeruatiuas, nego minorem. Ex continua enim actione caloris in partes ſubſtantiales, propriis diſpoſitionibus ablatis, & corruptiuis aliis poſitis, fit partium reſolutio, ætatum mutatio, & temperierum ſubſtantialium diuerſitas.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm detur corpus temperatum in ſubſtantiis elementorum ad pondus?

§. I.

Quid dicat Valleſius, & ratio dicendi adducitur.

VAlleſius *lib. 1. contron. cap. 6.* ſequitur Martinez *lib. 1. tract. 1. ſect. 2. qu. 4.* Subſtantificum temperamentum æquale ad pondus ponit, cuius placitum conatur euertere Santa-Cruz *opuſ. 3. de temperament. cap. 10.* Sed coincidit in id quod intendit conuellere. Pro eis ſtat

Primò: quia aliquod temperamentum æquale ad pondus debet admitti, vt patet ex doctrina Galen. nuper adducta: ſed hoc non in qualitatiuo poteſt reperiri, vt ipſe probare contendit: ergo ſaltem ſubſtantifico id non denegandum.

Secundò: vt aliquid pertranſeat de extremo ad extremum, debet per medium pertranſire: ſed homo in ætatum mutatione pertranſit à prædominio partium humidarum, & calidarum, quæ redundant in pueritia, ad prædominium partium frigidarum, & ſiccarum, quæ ſuperabundant in ſenectute: ergo in ætatibus mediis homo habet æqualem omnium elementorum portionem, ita vt tantum habeat de partibus terreis, quantum de igneis.

Tertiò ſuaderi poteſt: Temperamentum qualitatiuum oritur ex temperamento ſubſtantifico, & iuxta eius proportionem immutatur: ſed in temperamento qualitatiuo, vt dicemus, datur temperamentum æquale ad pondus in æquali intenſione primarum qualitatum: ergo in temperamento ſubſtantifico datur temperamentum æquale ad pondus in æquali proportione partium materialium.

§. II.

Iuſtitialis temperiei ſubſtantificæ neceſſitas aperitur.

REſoluendum primò: in quacumque ſpecie mixti poſſe dari corpus temperatum quoad iuſtitiam, A tam quoad ſubſtantificum, quam quoad qualitatiuum temperamentum. Sic ſanciuit Hipp. *lib. de natura humana,* Galen. *in illius comm.* & *lib. de temperamen.* Auic. *ſen. 1. 1. doctr. 3. cap. 1.* Communiſque amplectitur Medicorum aſſenſus.

Probatur: Temperamentum naturale ſubſtantificum eſt illud, quod vnicuique mixto eſt debitum vt naturaliter eliciat operationes, in quas eſt deſtinatum: ſed quodcumque mixtum eſt propter operationes, in quas naturaliter ordinatur: ergo vnicuique eſt debitum tam ſubſtantificum, quam qualitatiuum temperamentum iuſtitiale, quo ſuas operationes perficiat.

B

§. III.

Subſtantifici temperamenti æqualitas non admittitur in materiis.

REſoluendum ſecundò: Quòd homo, & quodvis aliud mixtum non poteſt habere temperamentum æquale ad pondus ſubſtantificum, ita vt in illo remaneant partes materiales elementorum æquales ſecundum quantitatem. Sic deducitur ex Auic. *ſen. 1. 1. doctr. 3. cap. 1.* ex Ariſt. *lib. 4. meteoror. cap. 4.* & *2. de generat. cap. 8.* ex D. Thom. *in diſt. 19. quæſt. 1. art. 4.* & *1. p. q. 91. art. 1. in corpore.*

Probatur 1. Omnia mixta habent ſecundum quantitatem prædominium materierum elementorum aquæ, & terræ: ergo in nullo mixto datur temperamentum C ſubſtantificum æquale ad pondus ſecundum æquales quantitates partium materialium omnium elementorum. Probatur antecedens, ex Ariſt. *libro 4. meteor. cap. 4.* dicente: *Dicuntur elementorum maximè propria ſiccum quidem terra, humidum autem aqua, hac de cauſa corporum determinatorum hinc nullum ſine aqua, & terra, cuius autem facultatis magis eſt, illius vnumquodque dicitur, & in aqua, & terra ſolum ſunt animantia, in aere, & igne non ſunt, quia corporum materia ſunt.* Hæc Ariſt.

Probatur 2. Si in aliquo mixto poſſet reperiri temperamentum æquale ad pondus ſecundum æqualem quantitatem omnium partium materialium elementorum, maximè in homine, qui temperatior eſt cunctis mixtis, & præcipuè in prima ſui geneſi, qua à Deo fabrefactus fuit, cuncta vnicuique tribuente in D pondere, & menſura, iuxta illud, quod debetur naturæ vniuſcuiuſque rei: ſed in illo talium partium materialium elementorum æqualitas non fuit: ergo in nullo mixto valet reperiri temperamentum ſubſtantificum æquale ad pondus ſecundum partes materiales. Probatur minor ex D. Thoma *1. part. q. 91. art. 1. in corpore:* qui intendens docere ſecundum quam proportionem in homine fuerunt elementa in prima primi hominis formatione, inquit: *Elementa vero ſunt (in homine ſcilicet) ſecundum ſubſtantiam, ita tamen quòd ſuperiora elementa prædominent in eo ſecundum virtutem, ſcilicet ignis, & aer, quia vita præcipuè conſiſtit in calido, quod eſt ignis, & humido, quod eſt aeris: inferiora vero elementa, quæ ſunt minoris virtutis, ſecun-* E *dum quantitatem in homine abundarent.* Hæc D. Thomas.

Probatur ratione ex D. Thoma deducta, quæ etiam deducitur ex Ariſt. *lib. 2. de generat. c. 8.* Si daretur in homine, vel quocumque viuente æqualis proportio partium materialium omnium elementorum, non eſſet cur non ita deferantur naturali motu ad locum ignis, aut aëris, quàm ad terræ locum: ſed animalia omnia, mixtaque perfecta ad terræ locum motu naturali feruntur: ergo non eſt in illis æquale temperamentum ad pondus ſecundum partes materiales. Probatur maior, propter partes terreæ

elementi ſit graue quodlibet mixtum, ſicut ſit leue propter igneas: ergo ſi eſſet harum partium æqualis proportio in illo, non eſſet cur non ferretur ad locum ignis, ſicut fertur ad locum terræ.

§. IV.

Valleſij fundamenta ruunt.

AD 1. dicemus infra qualiter temperamentum æquale ad pondus ſit admittendum.

Ad 2. diſtinguo minorem; ſed homo in ætatum mutatione pertranſit à prædominio partium humidarum, & calidarum ad prædominium ſiccarum ſecundum diuerſum poſſe earum partium, concedo; ſecundũ prædominium quantitatis earundem partium, nego minorem. Abundat enim homo in pueritia ſicut in ſenectute prædominio partium terrearum, vt docet D. Thom. ſed actiua virtus, quæ eſt in elementis calidis, & humidis, mutatur, quia imminuitur ille minor numerus partium calidarum, quæ erat in pueritia ſufficiens propter ſuam excedentem virtutem ad magis operandum, & minore adhuc remanente harum partium numero, ſit ſuarum qualitatum remiſſior productio.

Ad 3. diſtinguo maiorem: temperamentum qualitatiuum oritur ex ſubſtantifico, & iuxta eius proportionem virtutis, concedo; iuxta eius proportionem quantitatum, nego maiorem. Vt enim ait D. Thom. quia ſuperiora elementa prædominantur in mixto ſecundum virtutem poſſunt in minori quantitate intenſiores qualitates producere.

Resolvtio IX.

Vtrùm detur temperamentum qualitatiuum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis?

§. I.

Auicennæ, & Arabum opinio refertur.

NOn eſſe poſſibile temperamentum æquale ad pondus in alteratiuis qualitatibus, ſanciuit Auic. *fen.1.doctr.3.cap.1.* cui tenaciter adhæret Auerr. *lib.1 de cœlo, comm. 7. lib.2. de generat.comm.48. lib. 4. meteor. comm.10. lib.10. metaph.comm.23.* Conciliator ſequitur idem placitum, *differen.* 18. ſubſcribitque Arabum ſchola: annuit D. Thom. *in 2. diſt.19 quæſt. vnic. art.4. & in 3. diſt. 16. quæſt.1. art.1.* & ſequuntur aliqui moderniores.

Primò: ſi aliquod mixtum poſſet habere temperamentum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis, vel eſſet mixtum imperfectum, vel perfectum; mixta imperfecta non gaudent omnibus qualitatibus, & ideò neque earum æquilibrio, mixta perfecta, cùm ſine ſupra terram, eius habent prædominium, & conſequenter ſuarum qualitatum: ergo neque in mixtis perfectis, neque in imperfectis poteſt mixta diſpoſitio temperata ad pondus reperiri.

Dices, poſſe reperiri in mixtis perfectioribus viuentibus.

Contra: omnia mixta viuentia ſunt calida, & humida à prædominio: ergo mixtum æquale ad pondus non reperitur in illis in qualitatibus alteratiuis. Probatur antecedens ex Gal. *lib.5. de ſimplic. medicamentorum facultatibus, cap.* 22. vbi probat animal eſſe à prædominio calidum, & humidum, ex Ariſt. *lib. de morte, & vita, cap.1. & lib.2. de anima, cap.4. & lib. de longitudine, & breuitate vitæ, capite* 2. vbi vitam docet eſſe permanſionem calidi in humido.

Secundò: temperamentum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis ſi eſſet poſſibile, maximè in viuentibus, quia cum ſit perfectiſſimum, in perfectiori mixto debet reperiri: ſed in viuentibus repugnat: ergo in omni mixto repugnat reperiri. Probatur minor; ſi reperiretur in viuentibus, ideò eſſet, quia omnes partes viuentis eſſent temperatæ ad pondus: ſed partes viuentis, cùm ſint diuerſæ, & heterogeneæ, diuerſis petunt gaudere qualitatum intenſionibus: ergo in toto viuente non poteſt dari æqualis intenſio qualitatum.

Tertiò: non poteſt dari temperamentum æquale ad pondus inter qualitates alteratiuas, quin ex mixtione æqualitas hæc reſultet in mixto, cùm temperamentum mixti reſultet ex elementorum mixtione: Sed qualitatibus ad æqualitatem ſe habentibus, cùm nulla ſit pugna, nulla eſt actio victoriæ, per quam corruptis formis ſimplicibus, poſſit poni noua forma mixta ſubſtantialis: ergo non poteſt æqualitas in qualitatibus alteratiuis ad pondus reperiri.

Quartò: omne mixtum debet eſſe graue, aut leue: ſed ſi haberet temperamentum æquale ad pondus in alteratiuis, non eſſet graue, aut leue, quia cùm qualitates ſecundæ, ſequantur ad primas, etiam eſſent æquales ad pondus grauitas, & leuitas: ergo non poteſt mixtum æquale ad pondus reperiri.

§. II.

Galeni præfertur opinio.

REſoluendum primò: quòd eſt poſſibile, & de facto in homine poteſt dari temperamentum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis: Sic tenet Galen. *lib.1. de temperam. cap.5 & 6. & lib.2. de temperament. capite 1. & capite* 9. ſequitur Garbos *in ſumma tract.1. quæſt 5.* Fernelius *lib.3 Phyſiolog. capite* 4. Martinez *lib.1 tract.1. ſect.1. quæſt.4.* Valles *lib.1. controuerſ. cap.7.* Per inſtans illud ſaltem admittit Petrus Garcia *in fen.1. 1. diſput.9. cap.5.* Lupeius *lib.1. Enchiridion, cap.3.* Et inter moderniores Medicos eſt communior. Ex Phyſicis tenent Conimbricenſes *lib. 1. de generat. c.8. quæſt.1. art.3.* Rubius *lib.1. de generat. capite 7. quæſt.2.* & alij.

Probatur primò Galen. authoritate, qui locis citatis hanc veritatem demonſtrat. Adhæret D.Thom. *1. part. quæſt.91. art.1. in corpore*. dicit enim: *Diſſimilitudine cœleſtium corporum habet homo elongationem à contrariis propter maximam æqualitatem complexionis*, & art. ſequenti ad 1. *Et ſimiliter poteſt aſſignari ratio quare quædam animalia ſint acutioris viſus, & ſubtilioris auditus, quàm homo, propter impedimentum horum ſenſuum, quod neceſſe eſt conſequi in homine ex perfecta complexionis æqualitate*. Ergo ex D. Thom. datur in homine temperamentum æquale ad pondus in alteratiuis.

Probatur 2. Ratione ex eiſdem locis deducta, & ex Ariſtot. *lib.3. de partib. animal. capite 6. & libro 2. de anima, capite* 1. Homo animal ad ſcientias addiſcendas natus debuit habere ſenſum tactus, qui ad ipſas capeſſendas vtilior iudicatur iudex cum perfectiori temperamento, quod requiritur in hunc finem: ſed temperamentum æquale ad pondus, cum poſſit omnes tangibilium excellentias percipere & ſua mediocritate externas verſus quamcumque partem ſenſibilia attingere, aptius eſt pro tactu: ergo debuit reperiri in homine ſaltem.

Probatur 3. Temperamentum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis non implicat: ergo non

eſt

eſt denegandum. Probatur antecedens: implicaret, vel ratione qualitatum vel ratione ſubiecti, in quo deberet inhærere, vel ratione cauſæ producentis, vel ratione finalis cauſæ: Sed ratione qualitatum non, cùm poſſint ſimul reperiri in gradibus compatibilibus: nec ratione ſubiecti; nam ſicut non repugnat, quòd recipiat temperamenta cum qualitatibus inæqualibus, ſimiliter nec quòd eaſdem qualitates æqualiter intenſas recipere poſſit: nec repugnat ex parte producentis, cùm forma mixta, quæ producit qualitates excedentes determinata per maiorem numerum partium materialium alicuius elementi, eadem determinata per partes materiales æqualiter proportionatas pro æquali qualitatum intenſione producet ipſas cum mediocritate: nec repugnat ex parte finis, cùm homo in cognitionem rerum naturalium aptus natus aptior ſit per temperiem æqualem ad omnia tangibilia percipienda: ergo ex nullo capite repugnat.

Probatur 4. Homo in pueritia calidus, & humidus ætatum mutatione in contrarias labitur temperies per remiſſionem excedentium qualitatum, & intenſionem qualitatum remiſſarum: ſed qualitates intenſæ, vt remittantur infra mediocritatem, & remiſſæ, vt ſupra illam intendantur, attingunt mediocritatem: ergo datur temperamentum æquale in alteratiuis.

§. III.

Æqualitatis in temperie ponderali modus præſcribitur.

Reſoluendum 2. Quòd temperamentum ponderale in alteratiuis non reperitur vniformiter in homine ſecundum eius partes omnes ſimul: ſed in toto reſultat ex exceſſu qualitatum in diuerſis partibus, & vt plurimum reperitur in pulpa digitorum manus, qui præcipuè ſunt inſtrumenta pro ſenſibilibus percipiendis.

Probatur: Heterogeneorum homo præſtantius viuens varia partium gaudet diuerſitate, earumque contraria ac oppoſita temperie, ita vt cor à prædominio ſit calidum, & ſiccum, & cerebrum frigidum, & humidum per totum vitæ decurſum, & ſic in aliis qualitatibus de reliquis partibus dicendum, vt experientia conuincit, & demonſtrauit Gal. *in lib. de vſu partium.* Ergo æqualitas temperamenti non eſt vniformis in qualibet particula: ſed in toto, & in aliqua parte determinata conducente ad finem, in quem ordinatur temperiei æqualitas.

§. IV.

Æqualitatis ponderalis præſcribitur tempus.

Reſoluendum 3. Quòd temperamentum ponderale in alteratiuis: nec in quauis ætate reperitur, nec in aliqua ſimul in actiuis, & paſſiuis qualitatibus primis: ſed in paſſiuis ſub adoleſcentia, in actiuis ſub iuuentute.

Probatur ex dicendis *diſp. de ætatibus*: Homo in ſua pueritia eſt calidus, & humidus à prædominio; in iuuentute ſiccus; & in adoleſcentia eſt calidus à prædominio; in ſenectute, quæ ſubſequitur, frigidus: ergo in adoleſcentia, quæ eſt inter pueritiam, & iuuentutem, debet homo eſſe temperatus in paſſiuis, & in iuuentute, quæ eſt media inter adoleſcentiam, in qua homo eſt calidus à prædominio, & inter ſenectutem, in qua eſt frigidus, debet in actiuis reperiri temperatus.

§. V.

Arabum argumenta diluuntur.

Ad 1. patet: Quòd reperiri poteſt in homine mixtorum perfectiſſimo, qui licet in ſe ... tertam, & ideò prædominium ſubſtantificæ temperiei obtinere arguat, non tamen temperiem qualitatiuam, quæ prouenit, vt diximus, cum prædominio materiæ in elementis grauioribus, quia elementa calida in minori materia excedunt in virtute. Similiter ad replicam patet, quòd viuentia non dicuntur calida, & humida, quia his qualitatibus in exceſſu neceſſariò gaudeant, vt in lactuca, & mandragora, & aliis patet: ſed quia in his qualitatibus conſiſtit viuentium conſeruatiua virtus, aliàs nec viuerent ſenes.

Ad 2. patet ex dictis modus, quo fit temperamentum æquale in toto viuente.

Ad 3. negatur minor: Quia mixta alia fiunt proximè, & immediatè ex mixtione, alia ex elementis commixtis fuerunt creata, vt Adam, alia ex materia mixtorum genita, & in his, ſine eo quod immediatè ex mixtione fiant æquale temperamentum superuenit in varia ætatum mutatione, diuerſis elementorum partibus reſolutis, aliiſve ſuperadditis per nutritionem.

Ad 4. negatur minor: Quia licèt materia grauium elementorum ſuperabundet in mixtis, poteſt virtus leuium elementorum in materia pauciori ſufficere pro mediocritate qualitatum, quæ prouenient ab illis, ſicut & pro maiori earum intenſione.

Resolvtio X.

Vtrùm in motiuis qualitatibus aliquod mixtum ſit æquale ad pondus?

§. I.

Auerroïs, Auicennæ, Algaceli, & Modernorum opinio refertur.

Ex recentioribus Carreinis *in fen. 1. 1. diſp. 9. c. 6.* Martinez *tract. de temper.* Santa-Crux *opuſc. 3. de temperamen.* Et reliqui recentiores negatiuam partem deprompſere ex Auic. *fen. 1 doctr. 3. c. 1.* ex Auerr. 2 *collect. c. 22* ex Thom. de Garbo. *in ſumm. tract. de temperamentis.* Et ex Iacobo Forliuienſi, quam probabiliorem iudicant.

Primò: omne corpus naturale debet eſſe mobile in aliquem locum ſibi naturalem: ſed corpus temperatum ad pondus in motiuis illum non habet; cùm deberet moueri in ſuperficiem mediam inter aërem, & aquam, quæ diuidit locum grauium, & leuium ipſa tamen cùm indiuiſibilis ſit, loci rationem non habet ex Ariſt. 4. *Phyſic.* quia locatum deberet extenſum continere; ergo non eſt poſſibile corpus in loco-motiuis qualitatibus ad pondus temperatum.

Secundò: duo contraria inſtrumenta non poſſunt eidem principali agenti, & particulari formæ eſſe æqualiter conuenientia, contraria enim inſtrumenta diuerſorum generum eſſe debent, & nulli vtraque ſimul propria: ſed grauitas, & leuitas ſunt contraria: ergo ſimul eidem corpori æquali proportione accidere non eſt poſſibile.

Tertiò: non ſunt admittenda duo contradictoria ſimul vera reſpectu eiuſdem: ſed de corpore temperato in motiuis æqualiter eſſet verum, quòd ſemper moueretur, cùm numquam poſſet ſecundum omnes ſuas partes ſub vno indiuiſibili, ad quod mouetur, conti-

continerí, & quòd ſemper quieſceret, cùm non haberet locum proprium, in quem deberet moueri: ergo de illo verificarentur duo contradictoria.

§. II.

Marſily, Fernelij, & aliorum opinio probabilior cenſetur.

RESoluendum Affirmatiue: ſic Saxonia, Fernelius, Marſilius, & alij.

Probatur 1. Corpus naturale ex graui poteſt fieri leue: ergo in tranſitu à grauitate in leuitatem obtinet mediocritatem inter leuitatem, & grauitatem. Patet conſequentia, quia remiſſio grauitatis, & intenſio leuitatis prouenit ab alteratione ſucceſſiua B calefactionis, quæ frigiditatem corrumpendo amittit grauitatem, & medio inducto calore producit leuitatem: ergo ſicut ſucceſſiuè tranſit frigiditas ab intenſa ad remiſſam, & caliditas à remiſſa ad intenſam perueniendo ad omnimodam mediocritatem, ſimiliter grauitatis intenſæ ad remiſſam, & leuitatis remiſſæ ad intenſam fit tranſitus per omnimodam mediocritatem harum qualitatum.

Probatur 2. Corpus, quod deſcendit à loco aëris, & aſcendit à loco aquæ, omnimodè mediam temperiem inter motiuas qualitates retinet, cùm aër proximè accedat ad aquæ grauitatem, & aqua ad leuitatem aëris: ſed oleum ab aëre deſcendit, ab aqua aſcendit: ergo mediam omnino ponderalem temperiem inter vtraque hæc elementa retinet.

C Probatur 3. Corpus leue, ſi ab extrinſeco aliquod corpus graue ſuperaddatur illi, ad mediocritatem perueniet in motiuis qualitatibus: ſed media alteratione qualitatum primarum, à quibus fiunt loco-motiuæ, poteſt corpori graui leuitas ſuperaddi: ergo poteſt ad mediocritatem deduci.

§. III.

Auicenna, & Auerr. fundamenta reſoluuntur.

AD 1. reſpondetur, quòd illud indiuiſibile medium inter ſuperficies, quibus ſe tangunt aër, & aqua, eſt naturalis illius locus, in quem moueretur, ſicut terra mouetur ad indiuiſibile, quod eſt in centro, quod eſt vltimum, in quod tanquam in centrum mouetur, & tota dicitur locata naturaliter, quia D ſecundum indiuiſibile exiſtit in illo, & reliquæ partes continuæ ſequuntur ex illo in loco.

Ad 2. reſpondetur: Quòd non eſt nouum duo contraria in eodem ſubiecto reperiri, qui enim mixtum æquale ad pondus in alteratiuis admittunt, id fateri tenentur, in aqua tepida id denegari non poteſt, nec aliquod inconueniens ſequitur ex eo quòd ratione partium ignearum leuitas, & terrearum grauitas inſint eidem mixto.

Ad 3. reſpondetur: Quòd corpus ponderale in motiuis moueretur, dum eſſet extra proprium locum quem aſſignauimus; quieſceret, dum ſecundum aliquod indiuiſibile, illud indiuiſibile quod eſt centrum ſui loci, attingeret, & reliquæ partes eſſent continuæ ad illud, vt contingit terræ. E

RESOLVTIO XL.

Verùm omnes vitales operationes perfectiori modo exerceat homo cum temperie ponderali?

§. I.

Pars negatiua fulcitur.

VIuentes operationes perfectiori modo exerceri ab homine verſus aliquam qualitatem intem- A perato, quàm ab eo, qui nanciſcitur temperamentum æquale ad pondus, ſuadet.

Primò, quia ſic ſe habet homo in ordine ad vitales exercendas operationes, ſicut & reliqua animalia ad ſimiles qualitates exercendas: ſed reliqua animalia perfectiori modo ſuas vitales operationes exercent cum temperie inæquali, quàm homo cum ponderali: ergo ſimiliter, & homo. Probatur minor; nam noſ aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu, vultur odoratu præcellit, aranea tactu.

Secundò: ſi aliquæ actiones perfectiori modo fierent ab homine cum temperamento ponderali, maximè operationes propriæ ſuæ ſpeciei, cum iſtæ petant fieri à iuſtitiali temperamento, quale eſt homi- B ni ponderale: ſed huiuſmodi operationes fiunt perfectiori modo ab homine melancholico: ergo quælibet vitalis actio fit perfectiori modo cum inæquali temperie. Probatur minor tum ex Galen. *lib. quòd animi mores, corporis temperaturam ſequantur*, vbi ex Heraclito docet, quòd *ſplendor aridus, animus ſapientiſſimus*; tum ex Ariſt. 3. *problematum* 1. vbi melancholicorum actiones mentis præſtare reliquis hominibus intendit.

Tertiò: illa temperies eſt aptior pro actionibus in homine, quæ eſt illi debita ex principiis generationis: ſed temperies à prædominio calida, & humida eſt homini debita ex principiis generationis: ergo eſt aptior pro actionibus. Probatur minor; illa temperies eſt debita ex principiis generationis, quæ debetur genito in C ſtanti generationis: ſed talis temperies à prima productione debetur genito: ergo eſt illi connaturalis ex principiis generationis.

Quartò: aptior temperies ad vitales hominis operationes, eadem eſt aptior, & vt morbificis reſiſtat cauſis, & vt longiorem homo acquirat vitæ terminum: ſed cum humida, & calida temperie homo, & longiorem conſequitur vitæ durationem, & frigidis, ac ſiccis cauſis morboſis reſiſtit magis, cùm magis illis obſiſtat, ergo homo perfectiori modo ſuas elicit operationes cum temperie excedente, quàm cum ponderali.

§. II.

D *Sancitur verior pars.*

REſoluendum, quòd licèt diuiſiuè aliquas vitales operationes meliùs homo exerceat media aliqua excedente temperie; collectiuè tamen, & ſine aliarum incommodo meliùs omnes vitales operationes exercet homo cum temperamento qualitatiuo æquali ad pondus. Sic tenet Santa-Cruz *in fen. 1. 1. opuſc. 3. cap.* 15. tenent & alij.

Ratio fundamentalis eſt, quia illud corpus collectiuè omnes operationes perfectiùs elicit, quod habet temperiem nulli actioni repugnantem, minuſque ab extremis diſtantem: ſed qua parte homo æquales habet qualitates, promptior eſt ad operan- E dum cum omnibus cum minori incommodo operationum, quæ petunt ab aliis qualitatibus fieri: ergo cum æquali proportione, & æqualitate qualitatum homo meliùs omnes valet operationes vitales exercere. Probatur minor exemplo in omnibus actionibus viuentis; retentio fit melius cum ſiccitate, expulſio cum humiditate, vtraque verò ſimul cum mediocritate: & in actiuis frigida intemperies meliùs appetit, calida meliùs concoquit, collectiuè vtrumque ponderalis temperies exercet meliùs; in ſenſitiuis ſiccitas ad olfactum, humiditas ad guſtum conducit magis, ad vtrumque tamen media inter has temperies, in internis viribus ſiccitas ad retinendum,

&

& caliditas ad facilius medium ſoueniendum, frigiditas iudicium firmat, cum mediocritate omnes operationes internæ collectiuè perficiuntur meliùs à temperie ponderali.

§. III.

Solutione argumentorum corroboratur reſolutio.

AD 1. diſtinguo minorem: Reliqua animalia ſuas vitales operationes perfectiori modo exercent cum excedente temperie, quàm homo cum ponderali collectiuè ſumptas, nego: ſumptas diuiſiuè, concedo minorem. Actiones enim vitales dupliciter poſſunt conſiderari, vel ſecundum perfectionem vnicuique debitam ſine reſpectu ad alias, & hoc modo cum excedente aliqua qualitate, mediâ quâ ſuas elicit operationes facultas, fiunt melius. Alio modo poſſunt conſiderari, ita vt fiant perfectè, & ſine incommodo alterius & hanc perfectionem meliùs conſequitur ea actio, quæ fit à qualitate temperata ad mediocritatem, quia in illa habet intenſionem debitam, vt perfecta fiat actio, & non habet exceſſum intenſionis, quo obſtet, quominus actiones, quæ requirunt contrariam qualitatem, fiant remiſſiori modo, quam quæ debetur ſuæ perfectioni.

Ad. 2. diſtinguo minorem: Operationes debitæ ſpeciei fiunt perfectiori modo in homine melancholico, diuiſiuè aliquæ illarum, concedo: omnes ſimul collectiuè, nego minorem. Actiones enim propriiſſimè ſpeciei humanæ ſunt intellectuales, & iſtæ licet in ſtatu ſeparationis nullo indegeant temperamento, vt anima eſt immerſa in materia, fiunt cum aliqua dependentia ab illo, quatenus operatur intellectus dependenter à facultatibus rectricibus, quibus diſpoſitiuè deſeruit, cùm nihil ſit in intellectu, quod non praeſtiterit in ſenſibus ex Ariſt. Ex quo, ſimiliter oportet intelligentem phantaſma ſpeculari. Cùm igitur rectrices facultates ad percipiendum, ad ratiocinandum, & ad iudicium efficiendum diuerſis qualitatibus indigeant, vt ſine alterius incommodo aliæ operentur, aliorum indigent intenſione non impediri.

Vel ſecundò, diſtinguo minorem: Operationes propriæ ſpeciei fiunt perfectiori modo in homine melancholico extenſione actuum, concedo: intenſione perfectionis in omnibus, nego minorem. Licet enim ſi homo temperatus ad pondus æquè conſiſteret circa operationes debitas, vt Philoſophiam, Muſicam, Rhetoricam, vel aliam quamcumque artem acquireret, perfectiori modo illas acquirat, non tamen de facto id conſequitur, quia parùm ſubſiſtit, melancholicus verò diu perſiſtens circa obiectum varias elicit concluſiones, diuerſa adinuenit media, & timens, nec cuicumque adhærens opinioni, vario modo veritates quærit, & adinuenit, iteratione perficiens, quod paucioribus vtcumque perfectis operationibus non valet conſequi bilioſus.

Vel tertiò, diſtinguo minorem: Operationes propriæ ſpeciei fiunt perfectiori modo in homine melancholico, vt melancholici temperies ſubſequatur ad earum elicientiam, concedo: ita vt earum ſumma perfectio proueniat à melancholici temperie, nego minorem. Sic enim videtur colligi ex Ariſtot. inquirit enim, *cur homines qui ingenio claruerunt, vel in ſtudiis Philoſophiæ, vel in republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuiſſe videamus, &c.* Vbi in interrogatione videtur reddi ratio, quare melancholici euaſerunt, quia celebres fuêre, & nimis

A elaboraſſent in his artibus; quas antecedenter melius cum ponderali temperie conſequuti ſunt.

Vel quartò, diſtinguo minorem: Operationes propriæ ſpeciei fiunt perfectiori modo in homine melancholico ob ſpecificam temperiei rationem, neque ob indicibilem aliquam indiuidualem proprietatem, qua præditi ſunt melancholici in prædictas operationes, concedo minorem. Ratione enim propriæ alicuius temperiei indiuiduæ aliquas acquirunt proprietates indiuiduales, per quas circa obiecta aliqua perfectiori modo, aptiorique aptitudine tendunt, quàm quæcumque alia indiuidua, etiam ſi rectam obtineant temperiem, & aptitudinem pro aliis quibuſcumque rebus exercendis, obiectiſve cognoſ-
B cendis.

Ad 3. diſtinguo minorem: Temperies calida, & humida eſt homini debita ex principiis generationis, pro actionibus propriis illius ætatis, concedo: pro actionibus propriis reliquis etiam ætatibus, nego minorem. Omnes enim temperies, quæ ſuperueniunt in homine, ſunt illi debitæ ex principiis generationis, non vt fiant in prima ætate: ſed vt quælibet ſuperueniat in ſua ætate, vt mediâ illâ eliciantur operationes debitæ vnicuique ætati.

Ad 4. dicendum: Quòd homo cum temperie æquali collectiuè meliùs reſiſtit omnibus cauſis morbificis, licet diuiſiuè poſſit aliquibus melius reſiſtere cum temperie contraria: & quòd ob huiuſmodi reſiſtentiam
C de facto homo temperatior longiorem vitæ terminum conſequitur, licet debeatur habenti calidam, & humidam temperiem longior vitæ periodus.

SECTIO II.

De variis rerum temperamentis.

PLVRA ſunt in rebus, quæ noſtram valent immutare temperiem diuerſo modo illam afficiendo, ſuntque diuerſa in homine temperamenta iuxta ſexus diuerſitatem,
D de quibus ſub hac diſputatione agendum.

RESOLVTIO I.

Verùm maſculus ſit calidior fœminâ?

§. I.

Fœminam calidiorem maſculo ſuadet Parmenidis, & Flori conſenſus.

NEgatiuam partem ex antiquis tenuit Parmenides
E referente Ariſt. *lib.2. de partibus animal. cap.2.* & Florus ex Macrobio *lib.7. Saturnalium c.7.* à quibus diſcedunt moderniores: ſtat tamen pro eis

Primò Hippoc. *lib.1. de morbis, num.13.* dicens: *Habet enim mulier ſanguinem calidiorem, & propterea calidior eſt quàm vir, &c.*

Secundò: ſexus ille eſt calidior, qui breuiori tempore perficit actiones à calore prouenientes: ſed fœmina citius ad augmentum peruenit, citius generat, aliaſque conſequitur operationes prouenientes à calore, quàm maſculus: ergo eſt illo calidior.

Dices cum Ariſt. quòd ea, quæ imperfectiora, & debiliora ſunt, facilius perueniunt ad ſuum finem, vt in naturalibus videre eſt; nam non viuentia facilius ſuam perfectionem conſequuntur, quam viuentia,

& inter ipſa viuentia, ea, quæ imperfectiora ſunt; quod idem contingit in fœmina maſculo imperfectiore. A

Contra: fœminæ perueniunt citiùs in eas perfectiones, quæ proueniunt in eis a calore: ergo quantumcunque ſecundùm ſuam naturam ſint maſculis imperfectiores, habent calorem intenſiorem. Patet conſequentia, effectus à calore ſubſequutus eò citius, & perfectius debet fieri, quo ab intenſiori, & perfectiori perficitur calore.

Tertiò: actiones, quæ in homine calorem intenſiorem demonſtrant, in fœmina, quam in maſculo ſunt præſtantiores: ergo & calor eſt intenſior. Probatur antecedens, celeritas in pulſu proueniens ob intenſiorem calorem maior eſt in fœmina, ex Galen. *de pulſibus ad Tyrones cap.* 9. & 3. *de cauſis pulſuum cap.* 1. Præterea ſanguis, qui tecuris prædominanta fit calore, in fœmina in maiori eſt copia, vt demonſtrant menſtruæ euacuationes. Prætereà, ita, quæ eſt effervescentia ſanguinis à calore, in fœmina eſt promptior: ergo omnia, quæ eandem eum calorem atteſtantur præſtantiora ſunt in fœmina. B

§. II.

Maſculus caliditate præfertur fœmina, ex Medicinæ profeſſorum aſſenſu.

Reſoluendum Affirmatiuè, ſic docet Hippoc. 5. *aphor.* 48. 6. *Epidem. ſect.* 2. *text.* 44. *text.* 45. 46. & *ſect* 4. *text.* 27. *lib.* 1. *de diæta num.* 28. 5. *ex omnibus ante* 7. *&c.* docet ſimiliter Gal. 4. *de cauſis pulſuum cap.* 1. *lib.* 2. *de temperam. cap. vltim.* & *lib.* 6. *de locis aff.* ... *cap.* 5. & *lib* 5 *aphoriſm. comm.* 38. 69. & *lib.* 4. *de vſu partium c.* 6. & *lib.* 6. *Epidem. ſect* 2. *comm.* 44. *&* 45. & *ſect.* 4. *comm.* 27. & *lib.* 2. *de ſemine cap.* 5. docet etiam Ariſt. *lib.* 3. *de generat. animal. cap.* 1. & *Problemat.* 1. *ſection.* 10. docet etiam Auic. *fen.* 1. 1. *Doctrin.* 3. *cap. vltim.* & *fen* 2. 1. *Doct.* 3. *cap.* 7. & 3. *tract.* 1. *cap.* 8. quos nouiſſimè citat. & ſequitur Zacutus *lib.* 2. *hiſtoriarum Medicarum quæſt.* 61. ſequuntur ea iuniores Vall. *lib.* 1. *contron. cap.* 9. Permatus *lib. de temperamentis cap.* 13. Andreas Laurentius *lib.* 8. *de re anatomica quæſt.* 2. Petrus Garcia *fen.* 1. 1. *diſput.* 17. *cap.* 10. Varandæus *lib.* 1. *phyſiolog. ſect.* 2. *c.* 6. Mercatus *lib.* 1. *part.* 1. Gentilis *in fen.* 1. 1. *doct.* 3. *cap. vltim.* Conciliator *differentia* 18. *& alibi.* Collæus *in diſq Phyſiol lib.* 3. *cap.* 3. Epiphan. Ferdinand. *Theorem. lib.* 1. *Theorem.* 23. Rotarius *contradict. Med.* 58. Zachias celeberrimus noſtri ſeculi vir, & alij. C D

Probatur hæc communis ſententia, quàm pluribus euidentibus indiciis, quæ prædominium caloris atteſtantur in maſculis: generantur enim ex ſemine calidiori, & in loco calidiori, & dextro ſiquam, citiùs in vtero mouentur, breuior fit purgatio poſt eorū partum, ſolidiori ſunt habitu, vaſa ampliora habent, inferiora mulierum magna ex parte craſſiora, in maſculis ſuperiora, maſculi vt plurimùm corpore ſunt grandiores, vehementiori gaudent pulſu, fœminis obeſiores minus, audaciores magis, quæ omnia ex excedente proueniunt caliditate: ergo fœminis ſunt calidiores. E

Probatur 2. ratione fundamentali: ſubſtantialis forma mixta tunc intenſiorem producit calorem, cum plures partes materiales calidas informat, valentes illam determinare ad illius productionem: ſed in maſculo informat plures partes materiales calidas valentes pro maiori intenſione caloris determinare: ergo in maſculo ea propria ſeans natura producitur intenſior calor. Probatur minor; in illo mixto reperitur maior numerus partium materialium calidarum, quod ex calidiori producitur ſubſtantia: ſed maſculus, ex Hip. *lib.* 1 *de diæta* fit ex ſemine calidiori, quàm fœmina: ergo maſculi forma informat maiorem numerum partium calidarum. A

Confirmatur calidius fit ſemen in dextro teſticulo, cùm & ipſe calidior ſit; ſed maſculus generatur ex ſemine genito in dextro teſticulo: ergo ipſe calidior fœmina euadit. Probatur minor, ex Plinio *lib.* 7. *c.* 4. Varrone *lib.* 1. *de re ruſtica*, & aliis: qui obſeruarunt marem pullum gigni, ſi admiſſarij ſiniſtrum ligant teſticulum, ſi dextrum è contra: ergo quia maſculus generatur ex ſemine genito in dextro teſticulo.

§. III.

Argumentorum continetur ſolutio. B

Ad 1. intelligimus Hipp. locutum fuiſſe non de natiua temperie ſed de aſcititia, quæ illi ſubcreſcit ex redundante ſanguine in vtero plerumque congeſto, & concalefacto, a quo ſubcreſcit aſcititius excedens calor in fœmina; ex propria enim, & natiua temperie fit vir calidior, ex principiis enim generationis calidioribus confingitur. Minus enim aſſentior Dureto, Vegæ, & Andreæ Laurentio, ac illis qui librum genuinum Hipp. non eſſe contendunt.

Ad 2. negatur conſequentia: Quia imperfectiora entia citius poſſunt ab imperfectiori inſtrumento fieri, quam perfectiora à perfectiori, quia ad paruam acquirendam perfectionem, nec multum tempus, nec valida multum cauſa requiritur, & ideò per putredinalem calorem lumbrici, & alia imperfecta animalia generantur, & ſuam quam celerrimè conſequuntur organizationem, aptámque diſpoſitionem, & in artificialibus ab inſtrumentis debilibus, & imperfectis imperfecta videmus pauco tempore artificialia fieri, non verò niſi in multo à multis quæ perfectiora ſunt. C

Ad 3. reſpondetur ex indiciis potius contrarium demonſtrari, nam vaſa, venæ, & arteriæ ſunt ob maiorem calorem ampliora in homine, vt ſuppleant magnitudine, quod in fœmina fit celeritate: ſit etiam in maſculo reſolutio, & conſumptio maioris copiæ ſanguinis, & ideò in illo minus abundat; quàm in fœmina, in qua quia frigidior, maior eſt iracundia, quæ ex frigidiori prouenit temperamento, debilioreque animo, ac prudentia, quàm ita: hæc maior in viris, quia calidiores, ex Gal. *lib.* 1. *Epidem. comm.* 2. D

Resolvtio II.

Vtrùm in aliquo mixto poſſit reperiri temperamentum potentiale?

§. I.

Dubitandi proponitur ratio, placita improbantur Authorum. E

Pars negatiua videtur concludi: Quia ſi daretur temperamentum potentiale, per illud mixtum fieret tale, quale dicitur, & conſequenter eſſet actu tale & non in potentia.

Reſpondetur: Quod eſt impedimentum, ne prorumpat in actum, donec per calorem actuetur, adiuuante ad id partium comminutione, vt ex Gal. conſtabit infrà.

Contra, ex vi caloris, vel partium comminutione, nihil ponitur in potentiali temperamento per quod

prorumpat

prorumpat in actum, in quem priùs non valebat prorumpere: ergo propter hæc non reducitur ad actum, nec dicitur tale.

Reſpondet Auerr. 5. *collect. cap.* 3. Quòd actuatio horum medicamentorum fit à calore in ventriculo, quatenus facit medicamenta mutare ſuam ſubſtantialem,& quia quæ ſubſequitur in calidis eſt calidior, intenſiorem producit calorem; ſicut intenſiorem frigiditatem, quæ in medicamentis frigidis frigidior producitur forma.

Sed contra: medicamenta potentialia ſub forma propria operantur; potentia calida calefaciendo, potentia frigida refrigerando, vt de pipere patet, euphorbio, vel quocumque alio potentiali medicamento ventriculum alterante; quod, ſi vomitu reiiciatur, apparet ſub propria forma. Prætetea ex Galen. dicuntur potentialia, quæ licèt talia actu non ſint, qualia dicuntur, poſſunt tamen talia fieri: ſed ex Auer. entitas, quæ calida dicitur in potentia, nunquam poteſt fieri actu calida, cum ſit forma diſtincta, quæ calidior ſubſequitur. Prætetea, quia ſi caliditas acquireret, & diſponeret pro forma calida inducenda in calidis medicamentis, ſimiliter & actuaret in frigidis pro forma calida: ergo omne medicamentum potentiale fieret actu calidum poſt actuationem, & nullum aliud eſſet potentiale præter calidum.

Reſpondet Trtiſanus *lib.* 3. *artis medicinalis.* Medicamenta potentialia recipere per actuationem à partibus, in quibus fit actuatio, quaſdam qualitates à primis diſtinctas, ſed quæ illas valent producere, ſicut ignis albedinem producit in cinere, nigredinem in carbonibus, ſine eo quòd ſit albus nec niger, mediis quibuſdam qualitatibus, cineres valent diſgregare viſum, carbones illum congregare independenter à primis qualitatibus.

Sed contra: Qualitas illa virtualis productiua caloris producitur à noſtro calore, quem ipſa poſtea intendit: ergo vlterius ipſa perficitur ab illo, & ipſum de nouo intendit, & conſequenter alter intendit alterum, & poterit ſimiliter in nobis eò vſque intendere, donec fiat intra nos ignis. Prætetea in mixto ſuperfluè ponitur alia quæcumque qualitas diſtincta à primis in ordine ad primarum qualitatum productionem, cum iſtæ ſufficiant, nec ſine neceſſitate entitates multiplicandæ. Prætetea à calore per calefactionem producitur caliditas, quæ calefactionis eſt terminus: ergo qualitas ſuperaddita ab illo producenda, ſuperfluè admittitur.

Dices, per calefactionem produci primò calorem, ſecundariò poſſe alios effectus fieri ſicut fit raritas,& leuitas, & conſequenter poſſe ſic virtuales qualitates produci.

Contra, à calore poteſt circa paſſum calor produci ſine illa ſuperaddita virtuali qualitate: ergo ad calorem producendum ſuperfluè admittitur hæc qualitas, ſiue primariò, ſiue ſecundariò eſſet producibilis.

Reſpondet Gaſpar Lopez *lib.* 3. *de temperamentis.* Quòd medicamenta potentialia roborantur per antiperiſtaſim à noſtro calore, & ideò ob calorem intenſiorem poſſunt nos alterare.

Contra: vel illa roboratio medicamenti fit propter qualitatem contrariam corruptiuam, vel propter ſimilem conſeruatiuam; ſi propter contrariam, à calore non poterit actuari piper, vel euphorbium; ſi propter ſimilem, & conſeruatiuam, non poterit opium, & lactuca actuari à calore: ergo cùm vtrumque medicamentum à calore noſtro dicatur actuari, tam frigidum quàm calidum, id non fit propter antiperiſtaſim.

Prætetea, quia cùm calor, terminus ſit calefactio-

A nis, non poteſt niſi per illam intendi, ſicut neque frigiditas niſi per refrigerandi actionem; ergo ſi in antiperiſtaſi non aſſignantur cauſæ, à quibus calida medicamenta calefiant actu, & frigida frigefiant, non ſatisfit dubitationi.

Reſpondet Valles *lib.* 1. *controuerſ. cap.* 12. Quòd medicamenta à noſtro calore actuantur, quia fiunt calidiora ab illo, & ideò iterum poſſunt nos calefacere, etiam ſi à nobis receperint calorem, quia materia eſt diſpoſita ad calorem recipiendum, & iuxta illam diſpoſitionem producitur calor in medicamentis à noſtro corpore in ea intenſione, qua corpus eſt calidum, à cauſa verò vniuerſali, in illa maiori intenſione, ad quam materia medicamenti erat diſpoſita.

B Contra: quia ſi illa materia in medicamento potentiali recipit à cauſa vniuerſali, poſtquam calefit à nobis, gradus vlterioris caloris, quàm qui poſſunt produci à noſtro calore, ſimiliter ante alterationem à nobis factam poſſet cauſa vniuerſalis producere eoſdem gradus caloris, cùm materia ſit eadem, & eodem modo diſpoſita, & cauſa vniuerſalis ſemper aptè producere.

Dices, diſponi ad vlteriorem calorem per calefactionem à nobis factam.

Contra: à cauſa externa calefaciente poſſe calefieri: ergo ab illa poſſet diſponi, vt reciperet intenſiorem calorem à cauſa vniuerſali. Prætetea, cauſa
C vniuerſalis non producit effectum niſi ob vitandum aliquod inconueniens, quod ſubſequeretur in communi rerum ordine, vt ſcilicèt ne detur vacuum; ne maneat materia ſine forma: ſed nullum tale ſequitur, ſiue medicamentum ſit calidum, ſiue frigidum: ergo.

Prætetea, ſi calor eſſet diſpoſitio ad intenſiorem calorem, ita vt ratione illius cogeretur cauſa vniuerſalis ad caloris intenſioris productionem: ergo ſimiliter in ſubiecto apto ad quaſcumque alias recipiendas qualitates concurreret producendo ſemper, quod deficeret à cauſa ſecunda, & ſimiliter à frigiditate ventriculi frigida medicamenta deberent alterari, vt frigiditatem reciperent à cauſa vniuerſali.

Reſpondet Peramatus *lib. de temperamentis cap.* 29.
D & Mercatus *tom.* 1. *part.* 2. *claſ.* 3. Quòd medicamenta potentialia actu ſunt talia, qualia dicuntur eſſe: ſed talis qualitas non relucet propter impedimentum, quod poſtea per calorem aufertur, quo ablato relucet talis qualitas.

Contra: medicamenta, quæ actu ſunt talia, qualia dicuntur eſſe, ſunt medicamenta actualia, & non potentialia ex Gal. Prætetea ſi actu ſunt talia, qualia dicuntur eſſe, actu debent talia ſentiri, qualia ſunt, cùm vnumquodque operetur ſecundùm id, quod habet in actu: ſed medicamenta potentialia immutant per contrariam qualitatem tactum, per quam conſtituuntur in potentia talia: ergo.

Dices, quòd caliditas actualis in illis eſt impedita ad
E operandum, donec actuentur.

Contra: ergo eſt impedita, vt ſit actu in tali ſubiecto, cùm qualitates primæ dùm ſunt actu, & ſunt incompatibiles cum ſuis contrariis, & non poſſunt non ſentiri, & quia agentia ſunt naturalia non poſſunt non operari, & non poſſunt non cohibere, quod contraria qualitas ſentiatur.

Reſpondet Complutenſis Carreirus *fen.* 1. 1. *diſput.* 3. *cap.* 2. *diſp.* 10 *cap.* 5. quòd à nobis producitur in medicamentis potentialibus quædam qualitas, quæ eſt diſpoſitio, vt medicamenta potentialia producant illas qualitates, quas continent in virtute, & fiant per illas actu talia; & quod aufertur per prædictam

dictam qualitatem quoddam impedimentum innominatum, ſicut & ipſa qualitas eſt innominata.

Contra: ſi impedimentum eſt innominatum, & incognitum, incognita etiam, & innominata qualitas, quæ producitur, incognita eſt etiam ſolutio, cum neque aſſignetur quod impedimentum aufertur, neque per quam aufertur qualitatem.

Præterea, hæc qualitas innominata diſponens ad caloris productionem, vel eſt prima; & hæc non, quia nulla poteſt eſſe præter calorem, & idem pro ſe ipſo non valet diſponere. Neque ſecunda, quæ deberet eſſe raritas, vel alia, quæ ſimiliter orietur à calore, & illum actu ſupponeret in medicamento potentiali ante ſui productionem. Neque eſt tertia, cùm ex interitu primarum deberet oriri, & non è contra. Neque eſt qualitas quarta à tota ſubſtantia, vel occulta, quia recurrere ad has qualitates innominatas, vt ipſe Garcia fatetur, præcipuè dum manifeſta valet aſſignari cauſa, eſt ignorantiam fateri. Tum quia in elementis, & quibuſcumque aliis mixtis deberent admitti qualitates à tota ſubſtantia, quæ eſſent diſpoſitiones auferentes impedimentum pro productione primarum qualitatum: ergo non poteſt ſuſtineri ſolutio.

§. II.

Sancitur veritas ex Galen. decreto, & ſuis fulcitur fundamentis.

Reſoluendum tamen Affirmatiuè. Sic tenet Galen. *lib. de temperamentis, & de ſimplicium medicament. facultatibus.* Auicenna *fen.* 1. 1. *doct.* 3. eos ſequuntur Gentilis, & Thomas de Garbo, *q. propria de temperamento potentiali.* Dinus, & Hugo, Auerroës 5. *collect. cap.*.. Conciliator *differ.* 140. Turiſanus *in artem medicinalem tract.* 3. *comm.* 136. Gaſpar. Lopez *lib.* 3. *de temperament.* Garc. *in fen* 1.1. *diſp.* 10. Peramatus *lib. de temperamentis.* Mercatus 1. *tom. claſſ.* 3. Valles 1. *controuerſiarum cap.* 12. & expreſſius Galen. *lib.* 3. *de temperamentis, cap.* 1. in quo, cùm de actuali temperamento priùs egerit, potentiale explicat, & diffinit per hoc quod ſit, *illud. quod quale dicitur, tale nondum eſt, ſed poteſt tale eſſe* (ſaltem in ordine ad operandum vt patebit infra.) Quod tripliciter poſſe contingere affirmat; nam vel tale dicitur, quod potentiam habet, vt tale fiat: ſic nuper genitus homo dicitur rationalis, canis latrabilis, equus velox. Secundò dicitur tale, quod diſpoſitum eſt, vt ab alio tale fiat, ſic ſtupa, & alia huiuſmodi dicuntur potentia ignis, vel igneæ naturæ, quia ſunt proximè diſpoſita, vt ex illis fiat ignis ab extrinſeco igne alterata. Tertio modo aliqua dicuntur talia in ordine ad talem effectum, non quia habeant virtutem elicitiuam eius, ſed quia efficere poſſunt, vt illum eliciant cauſæ, à quibus poteſt ille effectus produci: ſic aqua frigida ex Hipp. tetano laboranti inſperſa calorem cauſat, quatenus ſpiritus detinet, à quibus calor cauſatur.

Ex quibus patet accipi in præſenti potentiale iuxta primam acceptionem, plura enim medicamenta dicuntur talia, non quia actu talia ſunt, ſed quia potentiam habent in ſe, à qua talia fiant actu, vel vt ab illis alia ſimiliter fiant talia, vt piper, dum actualem frigiditatem retinet, calidum dicitur potentiâ in ſe, cùm habeat per quid fiat calidum, & alia calefaciat.

Reſolutionis fundamentum eſt. Temperamentum potentiale ex Galen. *locis citatis*, eſt illud per quod mixtum dicitur non quale eſt actu: ſed quale poteſt eſſe: ſed ex eodem Galen. *ibid.* & experientia conA ſtat dari plura medicamenta, quæ dicuntur calida, etſi ſint actu frigida, qui habent principium, quo talia fiant: ergo datur tale medicamentum. Probatur minor ex Galen. *loco citato*, dicente: *Dubitatur itaque non abſurde circa Caſtoreum, Euphorbium, vel pirethrum, nitrum, vel myſi calida eſſe dicimus. Rurſus lactucam, papauer, cicutam, vel mandragoram frigida:* & hoc prouenire dici, quia licet *Non ſint talia, ſunt tamen apta talia fieri, qualia dicuntur eſſe:* Ergo dantur plura mixta, quæ talia dicuntur non qualia actu ſunt, ſed qualia apta ſunt fieri.

§. III.

B *Quibuſdam prænotatis, fit ſatis rationi dubitandi.*

Ad rationem dubitandi reſpondetur notando, quòd ad varios rerum vſus in aliquibus mixtis partes quaſdam tenues adiunxit natura ſub eadem mixta forma, in quibus diuerſas producit qualitates, ſiue vires, quàm in craſſioribus, quia diuerſum modum ſubſtantiæ habent aptiorem pro eis recipiendis, quod pluribus manifeſtatur exemplis, in primis in rebus odoratis ſunt quædam partes tenues, in quibus inhæret odor, quæ ſi trituratione ſeparentur, vel calore reſoluantur, manent ſine odore mixta, quæ fuerunt priùs odorata.

Præterea apparet idem in ſolutiuis medicamenC tis, quibus Galenus *in lib. de ſimplic. medicament. facultatibus*, præcipuè *lib.* 3. *c.* 14. eſſe compoſita affirmat: & Auic. *lib.* 2. *canonis, cap.* 1. dicit: *Facultates contrariæ, eſt impoſſibile, quod non ſint in partibus diuerſis, ex quibus medicina eſt compoſita.* Et in aloë, rhabarbaro, & lentibus ſeparamus virtutẽ ſolutiuam, ſiue per infuſionem extrahendo illam, vt ſeparata à ſubſtantia craſſiori purget, ſiue illam calore reſoluendo, vt, reſolutis partibus tenuioribus purgatiuis, remaneat in craſſioribus virtus aſtringens.

Præterea, in allio, cepa, pipere, aliiſque huiuſmodi medicamentis calidis apparet virtutem calefaciendi reperiri in partibus tenuioribus, quæ inſenſibiliter D ſeparatæ, ſi ad oculos ferantur, quia ſunt partes nimis ſenſibiles, dolorem mouent; ſi autem ad nares, ſternutamentum.

Præterea; in aceto, & calce remanere conſpicimus quaſdam partes tenues, quæ empyreumata dicuntur, in quibus retinetur excedens caliditas reliquis partibus frigidioribus exiſtentibus. Præterea ars ſpagirica has partes tenuiores ſeparat à medicamentis virtute calidis, & in eis reſultat excedens calor, vt in aqua vitæ apparet, oleo vitrioli, ſulphuris, & aliis huiuſmodi.

Ex quibus patet: Quòd medicamenta potentialia partes quaſdam tenues habent, & in modo ſubſtanE tiæ diuerſas, in quibus eſt virtus reddendi medicamentum potentiale de potentia ad actum, & vt fiat tale, quale dicitur eſſe: ſic in pipere, euphorbio, myſi, præcipitato, thapſia, & aliis calidis ſunt quædam partes tenues ex materiebus elementorum conſtructæ, quæ licèt coniunctæ cum craſſioribus calorem excedentem non producunt, quia impeditur eius pullulatio à forma in eis propter vicinas partes craſſiores frigidiores, tamen ipſis ſeparatis, reſultat in tenuioribus calor, & ablatio huius impedimenti dicitur actuatio medicamenti, quæ dupliciter fit, vel per triturationem, mediâ quâ partes mixti comminuuntur, quam comminutionem requiri docet Gal. *lib.* 3. *ſimplicium*, dicens: *Nihil igitur mirum eſt, ſi medicamenta quoque primum quidem in parua, & tenuia frangi poſtulant:* vel per calefactionem, per

quam

quam auferrur sliqua frigidiras externa impediens A pullulationem, ſic iu aqua contingit impediti frigiditatis pullulationem, dunec ab intrinſeco infrigidante deuincatur caliditas impediens; ideò enim Galen. ad actuationem ducet requiri calorem. *loco citato*. his verbis: *At quidquid quidem poteſtate calidum eſt, non actu calidum frigido præpollet; ſed in propinquo eſt, vt præpolleat, ideò, vt breuem opem, qua vincat, extrinſecus requirat, hanc illi modo frictio abundè præſtare poteſt, modò vel ignis, vel corporis alicuius naturâ calidi contactus, &c.* Ex quibus patet à quacumque cauſa calida valente auferre eatrinſecum impedimentum, ſeu frigiditatem impedientem, fieri actuationem, ſimiliter in medicamentis alexitenis, deleteriis, ſolutiuis, contingit reduci ad actum; quia partes ſeparantur, in quibus virtus reſidet, ſic lactucæ ſuccus craſſioribus commixtus partibus eſt B alimentum, ab illis ſeparatus venenum, & plura ſolutiua medicamenta integra deuorata nullum humorem attrahunt, comminuta, & calefacta illum mouent, & partes tenues ſolutiuæ in rhabarbaro ſeparatæ à craſſioribus bilem mouent, craſſiores retinent.

Resolvtio III.

Verùm medicamenta frigida reducantur de potentia ad actum per nouam frigiditatis intenſionem acquiſitam de nouo.

§. I.

Proponitur pars affirmatiua, & omnium Medicorum communis aſſenſus.

Videtur quòd ſic: primò, lactuca, cucurbita, ſcariola, & alia huiuſmodi calida aſſumpta valent noſtrum corpus alterare per frigiditatem: ſed non per eam, quam habent, dum calida aſſumuntur, cùm adeò ſit remiſſa: ergo per intenſiorem, per quam fiunt actu frigida.

Secundò: ſicut dantur medicamenta potentialia frigida, dantur ſimiliter potentialia humida, & ſicca: ſed humida, & ſicca medicamenta potentialia D fiunt actu talia per reductionem in intenſiorem ſiccitatem, aut humiditatem, quibus corpus valeant alterare: ergo frigida medicamenta reducuntur de potentia ad actum, quia acquirunt intenſiorem frigiditatem intra corpus, quâ illud valent alterare.

Tertiò: medicamenta potentialia calida, piper, ſublimatum, thapſia, auripigmentum, & alia fiunt actu talia, quia intra noſtrum corpus actuata intenſiorem acquirunt caliditatem, qua noſtrum valent corpus calefacere: ergo ſimiliter medicamenta potentialia frigida, opium, mandragora, hyoſciamus, & reliqua fiunt actu talia, quia per actuationem intra noſtrum corpus acquirunt intenſiorem frigiditatem, qua illud adalterare poſſint.

Dices, negando conſequentiam: Quia medicamenta E dicuntur actu talia per aliquam qualitatem, quando poſſunt per illam actu operari, & hoc dupliciter contingit in medicamentis, quæ reducuntur de potentia ad actum; vnum modo, quia ad intenſiorem actum qualitatis reducuntur, & qualitas operatur perfectiori modo ſecundum illud, quod habet in actu, vt contingit in pipere, thapſia, & aliis calidis medicamentis potentialibus. Alio modo, quia licèt medicamenta non fiant actu talia per intenſionem maiorem eius qualitatis, per quam debent operari, aptiora tamen redduntur ad operandum per illam, ſic contingit in medicamentis purgatiuis rhabarbaro, & agarico, quæ habent A omnes ſuas vires purgatiuas; per actuationem verò, licet non intenſiorem virtutem purgatiuam, aptiorem tamen acquirunt diſpoſitionem ad agendum, ſicut & frigida medicamenta potentialia ad operandum.

Contra: vnumquodque operatur ſecundum illud, quod habet in actu: ſed medicamenta frigida poſt actuationem intenſius operantur: ergo ſunt in intenſiori actu frigiditatis.

Dices: diſtinguo maiorem: Vnumquodque operatur ſecundum illud, quod habet in actu formali tantùm, nego: in actu formali, vel virtuali, concedo maiorem. Licet enim frigidum medicamentum non reducatur ad intenſiorem frigiditatem, intenſiori modo operatur, quia virtus agendi eſt potentior.

B Contra: qualitates primæ non producuntur ſibi ſimiles, niſi ſecundum intenſionem gradus, per quem ſunt in actu in agente: ergo medicamentum frigidum non operatur, niſi ſecundum intenſionem, quæ eſt in potentiali medicamento.

Dices, diſtinguo conſequens: Non operatur operatione debita ſoli frigori, concedo: operatione debita illi, vt taliter modificatæ ſub forma ſubiecti, in quo inhæret, nego conſequentiam. Duplex enim debetur operatio qualitatibus in aliquo mixto inhærentibus, alia quæ correſpondet illis vt tali agenti, v. g. frigori, aut calori, vt talia ſunt entia quibus conuenit ſimilia producere, alia eſt operatio, quæ illis competit, vt ſunt inſtrumenta, quæ operantur in virtute formæ, ſic calori competit concoquere, & in intenſione C remiſſiori, v.g dum naturalis eſt perfectiùs concoquet, quàm cum intenſiori, v.g. febrili, eaſque exercet actiones, quæ debentur illi, vt inſtrumentum, licèt ſimilis productio, quæ eſt actio debita illi, ab illa vt intenſiori fiat perfectior.

Contra: frigiditas, in medicamento potentiali frigido reſpectu læſionis operationum in viuente, non habet facultatem, à qua eleuetur: ergo ſe ſola ſua intenſione illas producit.

Dices: diſtinguo antecedens: Non habet virtutem, à qua eleuetur, quæ ſit facultas viuentis, concedo; quæ ſit qualitas deleteria, & occulta, à quo modificatur, & eleuatur ſub forma talis medicamenti, vt D operationes lædat, nego antecedens. Qualitates enim primæ non ſolum eleuantur per facultates viuentis, in ordine ad ſuas operationes; ſed plerumque modificantur ab aliqua deleteria facultate ad operationum vitalium læſionem, & ratione huius modificationis, licèt qualitas ſit remiſſa, intenſiori modo lædit, quàm poſſet, ſi eſſet intenſior non modificata, vt apparet in febre peſtilente quæ cum calore ad ſenſum moderato lethalia inducit ſymptomata, & in febre punticulari: ſic contingit in veneno ſi animalis ſolutione continuitatis, vtcumque parua inducta & contingit in frigidis medicamentis potentialibus, v.g. opio, & cicuta, quæ calida aſſumpta cum remiſſa frigiditate, quia à venenoſa qualitate modificatur, operationes læſas, elicit immò & mortem inducit.

E Contra: opium, & cicuta dicuntur frigida medicamenta: ſed ſi non operarentur ratione frigiditatis, dicerentur calida, aut humida, cum non eſſet maior ratio: ergo dicuntur frigida, quia ad intenſiorem actum frigiditatis reducuntur.

Dices, diſtinguo minorem: Si non operarentur ratione frigiditatis, vt magis intenſæ, nego; vt modificatæ, & eleuatæ, vt perfectiori modo operentur, concedo minorem. Qualitates enim deleteriæ aliæ cum calore, aliæ cum frigiditate, aliæ cum aliis qualitatibus operantur, ideò opium frigiditatem vtcumque remiſſam eleuat, & aſſumit ad agendum, alia

venenoſa

venenoſa animalia calorem, alia humiditatem, aut ſiccitatem, & ideò venena dicuntur calida, frigida, humida, aut ſicca.

Contra, non eſt maior ratio, quare deleteria qualitas vnam ac aliam primam qualitatem eleuet: ergo poſſet omnes eleuare, ſi daretur in medicamento.

§. II.

Partem ſancimus negatiuam.

Reſoluendum: Quòd frigida medicamenta non dicuntur potentialia, quia ſint in potentia ad intenſiorem actum frigiditatis recipiendum per actuationem, ſed ad deleteriam qualitatem, per quam modificata frigiditas perfectiori modo operatur, quàm antea.

Probatur 1. Medicamenta potentialia frigida, v. g. opium, cicuta, mandragora actuantur per noſtrum calorem poſt communitionem calefacta: ergo non poteſt intenſior frigiditas oriri in illis. Probatur conſequentia, à calore actu calefaciente illa neceſſariò debent intenſiorem calorem recipere: ergo in eius præſentia non poteſt intenſior frigiditas produci.

Probatur 2. Frigiditas, quæ actualis exiſtit in medicamentis potentialibus, non poteſt eſſe incompoſſibilis cum vita ratione ſuæ intenſionis: ſed in potentialibus medicamentis fit vitæ incompoſſibilis: ergo quia modificata ab aliqua deleteria qualitate nos alterare valet. Probatur maior: opium & mandragora vitam auferunt, etiam ſi aſſumantur calefacta & vlterius frigiditas eorum vincitur à noſtro calore: ſed tam remiſſior multo eſt in illis frigiditas, quàm in aqua frigida, quæ bibitur: ergo ſi aqua frigida ex niue (vt experientia conſtat) non poteſt per ſuam vtcumque intenſam frigiditatem mortem inferre, multo minus medicamenta potentialia frigida, quæ actu calida intra corpus actuantur.

Probatur 3. Vt medicamenta frigida dicantur reduci de potentia ad actum, ſufficit, quòd eorum frigiditas valeat intenſiori modo alterare nos, quàm antea: ſed per hoc quòd per actuationem facta comminutione, & alteratione in illis, fiat aptior approximatio, & reſultet intenſior deleteria qualitas valens modificare ad operandum ipſam frigiditatem, perfectiùs operatur frigiditas, & cum læſione actionum: ergo reducitur ſine noua ſui intenſione de potentia ad intenſiorem actum.

§. III.

Antiquioris placiti euertuntur fundamenta.

Ad 1. diſtinguo maiorem, lactuca, ſcariola, cucurbita, & alia huiuſmodi calida aſſumpta valent alterare noſtrum corpus, vt alimenta, concedo: vt medicamenta, nego maiorem. Ea enim, quæ aſſumũtur alia ſunt medicamenta, quæ nos valent alterare, ſine eo quòd vincantur à noſtro calore, neque valeant conuerti in noſtram ſubſtantiam, & hæc ſuis nos tantùm ad extra qualitatibus alterant; alia aſſumuntur, quæ ſunt alimenta, & vt talia petunt conuerti in noſtram ſubſtantiam, & aut frigida, aut calida dicuntur, non quia ad extra alterent: ſed quia in noſtram ſubſtantiam conuerſa quatenus reponunt partes calidas, aut frigidas materiales, in quibus à viuente forma frigiditas, aut caliditas reſultat: & ideò lactuca, ſcariola, cucurbita frigida dicuntur vt alimenta, non verò, quia calida aſſumpta poſſint nos vt medicamenta alterare.

Ad 2. negatur minor: Quia de ſiccis, & humidis medicamentis potentialibus, idem dicendum, ac de frigidis, non enim nos occidunt, nec poſſunt per actionem noſtri caloris actuata intenſiora reddi, ad ſiccandum, aut humectandum, niſi quatenus modificantur per aliquam deleteriam qualitatem, qua vires recipiunt, vt poſſint intenſiore modo operari, hoc enim eſt proprium calidis medicamentis, vt aliqua per ſolam reductionem ad maiorem caliditatem reducantur de potentia ad actum, coadiuuatur enim forma eorum ab externo calore actuante, alia verò non ſolum per reductionem ad maiorem intenſionem caloris, ſed quia etiam eſt illis deleteria vis, fiunt actu talia, frigida verò, humida, & ſicca ſolùm vt eleuata reducuntur actu talia ad agendum.

Ad 3. negatur antecedens vltimæ obiectionis. Habent enim deleteriæ qualitates analogiam & proportionem cum primis qualitatibus, ita vt has potius, quam illas eleuet, ſicut apparet in venenoſorum animalium morſu, ex quibus aliquando accidentia ſuperuenientia calori, aliquando ſiccitati, aliàs frigiditati, ſæpè verò humiditati correſpondent.

Resolvtio IV.

Vtrùm valeant venti noſtram immutare temperiem ſuis diuerſis temperiebus?

§. I.

Partis negatiuæ aperiuntur fundamenta.

Pars negatiua ſuaderi videtur.

Primò, quia licèt inconſtantes fuerint antiqui in aëris aſſignanda natura, vt patet apud Ariſt. *lib.* 1. *de cœlo* c. 12. *lib.* 2. *c.* 4. 5. *&* 6. apud Plutarchum *lib.* 3. *de placit.* c. 7. apud Plinium *lib.* 2. *c.* 45. apud Mirandulam *lib.* 1. *de examine vanitatum* c. 12. & apud alios: tamen in aſſerendo quòd ventus ſit aër, communis fuit opinio (vt videre eſt apud Conimbricenſes) Hipp. *lib. de flatibus*, Anaximandr. & Stoicorum; quibus adhærent Seneca, Victruuius *lib.* 1. *architect.* *c.* 6. D. Iſidorus *lib.* 13. D. Damaſcenus *lib.* 2. *fidei cap.* 8. & communiter Aſtrologi: Et tenent inter Medicos Quercetanus *lib. diæteticon Polyhiſtoricon ſect.* 2. c. 3. ait enim quòd *ventus eſt aer in aliquam partem fluens* aut, *aëris commotio vi ſe quâdam inſinuans, & quo collimat rectà tendens* Sed aër eſt calidus, & humidus: ergo venti ſolum caliditate, & humiditate valent nos alterare.

Secundò, ventus etiam ſi non ſit aër, eſt tamen exhalatio calida, & ſicca, vt docet Ariſt. *lib.* 2. *de cœlo, cap.* 4. & doctiſſimus Veiaranus *lib. meteor. quæſt.* 2. *artic.* 1. & Mercatos *tom.* 1. *part.* 2. *claſſe* 4. *q.* 36. *art.* 7. Ventum dicit eſſe, *Impreſſionem ex his, quæ in aëre generantur, ab exhalationibus ex inferioribus eleuatis virtute Solis, & Aſtrorum.* Sed exhalatio eſt calida, & ſicca: ergo tantum nos valet alterare per has qualitates.

Tertiò, vnus ventus tantùm reperitur vnica, & intrinſeca facultate loco-motiua aptus moueri verſus omnes differentias, vt tenet ex Stoicorum ſententia Seneca *lib.* 6. *natural. quæſt.* ergo non tantum modo nos valet alterare.

Quartò, etiam ſi ventorum differentiæ ſint plures, vt tenet Ariſt. *lib.* 2. *de cœlo cap.* 6. D. Damaſcenus *lib.* 2. *fidei orthodoxæ cap.* 8. Seneca *lib.* 5. *natural. quæſt. cap.* 16. Gellius *lib.* 2. *cap.* 22. Plinius *lib.* 2. *cap.* 47. Niger *lib.* 1. *ſua Georg.* Steflerinus 2. *part. de vſu Aſtrolab.* Maurilyeus 2. *dial. ſua Coſmog.* & alij citati à Conimbricenſibus, & admittunt ex noſtris

Veiaranus

Veiſtanus *l.* 2. *meteor.q.* 2. Mercatus *tom.* 1. *p.* 2. *q.* 56. *art.* 7. Quercetanus *lib. diatetericon. ſect.* 2. *c.* 3. Peram. *lib. de temperam. c.* 10. Tamen cauſa materialis eſt in omnibus exhalatio calida, & ſicca, vapori commixta; cauſa formalis prout ſunt entia meteorologica, ſtat in continuitate motus; cauſa efficiens eſt reſilentia qua refluunt à ſecunda aëris regione impediti ab aëre frigido; cauſa finalis eſt ventilatio aëris: ergo vna debet eſſe in illis ratio nos alterandi.

§. II.

Communis amplectitur doctrina.

B REſoluendum, quòd venti valeat diuerſis, ac contrariis temperiebus noſtram immutare temperiem. Sic ſanciuit Hipp. *lib. de locis, aëre, & aquis.* Gal. *ibi.* & *lib. de temp.* & *lib. meth.* aliiſque in locis, Ariſt. in *lib. meteoror.* Quos peculiariter ſequuntur Peramatus, Mercatus, Quercetanus, & Veiſtanus proximè citati.

Probatur ex Hip. *lib. de locis, aëre, & aquis.* Vbi ex varia ventorum temperie, & alteratione ab eis inducta in variis regionibus varias oſtendit hominum mutationes, diſpoſitiones, mores ac differentias, & 3. *aph.* 8. à diuerſa anni conſtitutione orta ex diuerſis ventorum mutationibus diuerſas cauſas morborum, ac ſalutis ſuperuenire affirmat: ergo quia immutatur à ventis temperies noſtra.

C Probatur 2. Flantibus ventis diuerſis, diuerſi ſuperueniunt morbi, ſic Leſſii, & Mitylenes inſularum incolæ, flantibus Auſtris, quibuſdam morbis obruuntur: flante Coro tuſſi vexantur, flante Borea liberantur ab ea, ſi credendum Rhodiginio *l.* 2. *c.* 8. *lect. antiq.* Sic morbi peſtilentes producuntur ex variis ventorum mutationibus, vt docet Hipp. & obſeruauit, 1. *epid. ſect.* 1. 2. 3. *lib.* 2. *ſect.* 1. *lib.* 3. *ſect.* 3. Ergo variis ac contrariis valet temperies noſtra impugnari ventorum intemperiebus.

Probatur 3. Aër, quem continuò inſpiramus, & à quo continuò alterationem patimur, continuò à ventorum variis motionibus immutatur: ergo medio aëre valent noſtram temperiem immutare venti. D

§. III.

Argumentorum ſolutionibus pateſit reſolutio.

AD 1. reſpondetur: Quod ſatis refutatur ab Ariſt. *lib.* 2. *de cœlo*, opinio eorum qui aërem eſſe ventum contendebant, eſt enim, vt ipſe admittit: *Exhalatio calida, & ſicca, cui aliquid vaporis eſt admixtum, eleuata Solis, & Aſtrorum vi ad aëris regionem, quæ impedita reſilit, & refluens rectà fertur.* Non enim vtcumque aër impetu ruat ventus eſt, vt apparet dum commouetur tormentis bellicis agitatus, qui nondum ventus dicitur.

E Ad 2. reſpondetur: Quod ventus pro materiali eſt calida, & ſicca exhalatio: ſed quia pro formali conſtituitur in eſſe entis meteorologici per motum, in quo eius eſſe conſeruatur, ratione motus acquirit à regione per quam mouetur, & à diuerſitate climatum alterantium, quòd hanc vel illam temperiē obtineat, maximè enim ex ortu, & occaſu cœleſtium ſiderum, ortus & temperies ventorum immutantur, ſic in Pleïadum, Hyadum, Caniculæ, Arcturi, Orionis, in æquinoctiis, & ſolſtitiis variè immutantur. Vt enim eruditiſſimè Quercetanus obſeruauit 21. aut 22. Martij, quo tempore Sol ingreditur Arietem, & Pegaſus manè exoritur, & æquinoctium vernum accidit, magnæ ſuperueniunt in aëre mutationes, & perturbationes, aëre in-

A caleſcente, tellureque turgente, ac arboribus, die 18. 19. & 20. Aprilis, Pleïades ad Tauri oculum ſitæ exoriuntur cum Sole, & cum frigidum ſit ſidus, venti frigidiores quam tempore antecedente, ac aër, redduntur. Hyades oriuntur circa 1. diem Maij, & dum prope Solem ſubſiſtunt, tempeſtates, pluuias, magnaſque ventorum ſuſcitant mutationes. 7. Maij Pleïades exurgunt manè recedit Sol à domo Tauri, & ad Amicleos accedit, ventique frigiditas acquieſcit: 6. Iunij poſt Solis occaſum Arcturus occidit: die 9. Delphinus emergit, 23. aut 24. Orion manè oriri incipit: Sol Cancrum ingreditur, æſtiuum fit ſolſtitium, maximæque ventorum alterationes præcedunt, & ſubſequuntur: 3. die Iulij totum Orionis ſidus conſpicitur ad orientem, primæ magnitudinis Stellæ tres apparent, & 23. ſecundæ magnitudinis: 19. cùm Sol ingreſſurus eſt Leonem, canis minor incipit inſurgere, totus aër æſtu incenditur, maximæque aëris mutationes, & perturbationes, 12. Septembris Arcturus exoritur, & periculoſiſſimas ventorum, ac aëris, humorumque perturbationes excitat: 19. eiuſdem oritur Spica maior, aërem vlteriùs perturbans, & cùm paulò pòſt Sol ingrediatur Libram, fiatque æquinoctium autumnale, maiores ſuperueniunt aëris alterationes, ventorúmque, ita vt & noſtra corpora maximis perturbentur morbis, ad humorum commotionem, purgationem aut ſanguinis miſſionem fieri ideò Aetius timet, à 15. Septembris vſque ad 24. A die 25. Octobris Pleiades occidunt, & ventorum magna ſubſequitur aëriſque permutatio: à fine Octobris Orion veſperi in oriente apparet inſurgere, cùm Sol occidit, & quia moratur in Scorpione aër immutatur turbidus, ac procellis innumeris agitatur: 1. Decembris Canis occidit manè, & ſi dies tempeſtuoſa, plerumque extenditur tempeſtas ad 37. dies. Capra paulò ante ſolſtitium hybernum occidit, ſed ad Capricornum accedit hyems, & glacies ſubueniunt, variæque aliæ ex diuerſitate concurſus Aſtrorum ſuperueniunt mutationes.

Ad 3. reſpondetur: Quòd venti non poſſunt moueri ab intrinſeco, cùm non ſint viuentia: ſed quia delati ſurſum ab aëre impediti reſiliunt, tamen à motus diuerſitate diuerſi venti annumerantur; alij enim ſunt communes omnibus regionibus, alij particulares certis regionibus, dicti prouinciales, vt Sciro Atheniensibus, ex Plinio *l.* 2. *cap.* 47. Atabulus Apuliæ, ex Seneca *l.* 5. *natur. quæſt. cap.* 7. Alij ſunt anniuerſarij prouenientes in determinato tempore anni, vt qui accidunt poſt caniculæ exortum quos Eteſias vocant, communiores omnes ſunt 32. ſub Polo Arctico Septentrionem admittunt; Auſtrum, ſub parte oppoſita; ab ortu æquinoctiali ſubſolanum, ab oppoſita Zephirum, ſeu Fauonium, in puncto medio inter Septentrionem, & Subſolanum, admittunt Meſem: inter ſubſolanum, & Auſtrum, Euronotum: inter Auſtrum, & Zephirum, Notozephyrum: inter Zephirum, & Septentrionem, Thracíozephirum: In puncto medio inter quoſuis duos horum octo conſtituunt alium, inter Septentrionem, & Meſem, Boream; inter Meſem, & ſubſolanum, & Cæciam: inter ſubſolanum, & Euronotum, Eurum: ſeu Vulturnum: inter Euronotum, & Auſtrum, Phænicam: inter Auſtrum, & Notozephirum, Libonotum: inter Notozephirum, & Zephirum, Africum: inter Zephirum, & Thraciozephirum, Corum: inter Thraciozephirum, & Septentrionem, Thraciam, ſeu Circium, vt apud Mercatum latiſſimè refertur.

Ad 4. reſpondetur: Quòd ventorum diuerſitas deſumpta eſt ex motus diuerſitate: & ex diuerſitate temperierum, quas in diuerſis regionibus acquirunt, eſt ſufficiens cauſa vt valeant, vt ſic diuerſi diuerſos

cauſare morbos, ſic Læſſai, & Mytilenes incolæ Auſtris ſtantibus infeſtantur maximè morbis, Coro ſtante tuſſi affliguntur, ſtante Borea liberantur, vt tenet Rhodiginus *lib. 5. c. 8.* Morbi Epidemij, & peſtilentes ventorum diuerſitate, alteratione, ac mutationibus ſuperueniunt, ex Hipp. *lib. 1. epid. ſect. 1. 2. 3. lib. 5. ſect. 1. lib. 3. ſect. 3.* Et ob hanc eandem ventorum diuerſitatem varij mores in varijs regionibus, ac climatibus animaduertuntur ab Hipp. *lib. de locis, aere, & aquis.* Quod videre eſt breuiter in ea parte Europæ, in qua ſub Ariete, Leone, & Sagittario, ex Ptolomeo ſunt Britannia, Gallia Braccata, Germania, Baſtarnæ, Italia, Gallia togata, Apulia, Sicilia Tyrrheni, Celtica, Hiſpania: quibus proprium eſt, vt ſint Regni impatientes, libertatis amantes; ſtudioſi belli annorumque; & laborum patientes. Sed inter hos Britannia, Gallia Braccata, Germania, Baſtarnæ, feroces, pertuicaces, & truces procreant incolas communiter. Quia Arieti, & Marti ſubſint Italia, Apulia, Gallia togata, Sicilia benigniores, & amicitiæ ſtudioſos procreant. Quia Leoni, & Soli ſubſunt Terreni, Celtæ, Hiſpani, Sagittario magis ſubditi, & Ioui munditiæ amatores ſunt, & libertatis, ac magnanimi; à varijs enim influxibus, & ventorum alterationibus temperies alia, moreſque fiunt diuerſi, quod in longinquioribus regionibus manifeſtiùs apparet.

Resolutio V.

Verùm dum anni tempora ſunt conſtantia, eorum temperies ſit morbis minùs obnoxia?

§. I.

Pars negatiua proponitur.

Videtur quòd non primò: Quia annus ille ſalubrior eſt, in quo pauciores ſunt morbi: ſed in anno conſtanti plures ſunt morbi: ergo minus ſalubris eſt. Probatur minor, plures ſunt morbi in illo anno, in quo plures, & diuerſæ diſpoſitiones ſuperueniunt valentes noſtram connaturalem immutare temperiem: ſed ex varia temporum mutatione, quæ ſuperuenit in anno conſtanti plures immutamur: ergo in anno conſtanti plures ſubcreſcunt morbi.

Secundò: dum per pluuias, & ventos aliquorum temporum anni temperies immutatur, melius conſeruatur naturalis temperies: ergo ex temporum inconſtantia ſecurior eſt ſanitas. Probatur, tum ex Hipp. & Galen. 3. *Aphor.* 8. tum ex Aliabas 5. *theorica. c. 4.* dicente: *Ver ſuam naturam ſeruans temperatum fit circa calorem, & frigus, & in illo alternatim fiant pluuia.* Tum ratione, quia cùm hominis temperies ſit æqualis, vel æquali accedens, melius conſeruabitur, & immunior erit à morbo: ſed per pluuias temperatur tempus anni, & per ventos: ergo melius conſeruatur ſanitas.

Tertiò: tempora anni nullam valent immutare temperiem: ergo ex conſtantia, aut inconſtantia illorum nihil de ſanitate immutatur.

§. II.

Sancitur veritas, Mercati, & Peramati præfertur opinio, admittuntur fundamenta.

Reſoluendum tamen: Quòd dum anni tempora fuerint conſtantia, noſtri corporis connaturali temperies morbis diſperſis, & proprijs temperiei eorum infeſtatur: ſed dum ſunt inconſtantia anni tem-
A pora, tum magis infeſtatur morbis popularibus: Sic tenet Peramatus *lib. de temperament. cap.* 28. Mercatus *tom. 1. tract. de temperam. claſſ.* 14.

Pro cuius intelligentia notandum eſt ex Peramato, & Mercato *locis citatis*, & Valleriola *lib. 1. de locis communib. cap. 10. circa finem*, & Ioanne Baptiſta Cortes *in ſuis miſcellaneis decad 5. c. 1.* & ex Quercetano *lib. dieteticon.* & alijs, quòd annus, qui eſt illud tempus, quod Sol ſub Zodiaco, & linea ecclyptica ſui curſus ſpatium conſumit, diuiditur in quatuor tempora, quæ dicuntur ver, æſtas, autumnus, & hyems; hæc diuerſo modo conſiderantur ab Aſtrologis, & Medicis, Aſtrologi diuidunt anni tempora penes fixa cœli puncta, ad quæ Sol peruenire poteſt in acceſſu, & receſſu ad nos, & ſic diuidunt anni tempora per
B duo æquinoctia, & duo ſolſtitia: æquinoctium eſt illud tempus, quo nox fit diei æqualis, & eſt duplex; aliud vernale, quod contingit dum Sol ingreditur ſignum Arietis, die 21. menſis Martij; aliud eſt autumnale, dum Sol ingreditur in ſignum Libræ, die 23. Septembris. Solſtitium eſt illud tempus, in quo Sol recedit, vel accedit ad nos ſecundum vltimum quod poteſt, & eſt duplex, aliud eſt æſtiuale, dum Sol incipit ingredi ſignum Cancri, die 21. Iunij; aliud hymale, dum Sol ingreditur in ſignum Capricorni, die 22. Decembris. Solent & Aſtrologi annum diuidere ſecundum quòd ſuum peragit curſum per ſigna Zodiaci, & ſic cuilibet anni tempo-
C ri tres menſes tribuuntur: Ver dicitur totum illud tempus, per quod Sol tranſit tria ſigna Zodiaci, Piſces Arietem, & Taurum. Æſtas dicitur dum pertranſit Geminos, Cancrum, & Leonem. Autumnus, dum pertranſit Virginem, Libram, & Scorpionem. Hyemus, dum Sagittarium, Capricornum, & Aquarium.

Medici verò anni tempora ſpeculantes quatenus diuerſi morbi in illis contingunt, & quatenus variæ ſunt temperies in illis, quibus noſtra corpora alterantur diuerſo modo, anni tempora diuidunt iuxta magis ſenſibiles mutationes caloris, & frigiditatis. Auicenna omnia tempora iudicat eſſe calida, aut frigida à prædominio. Nos hyemem, & æſtatem, in quibus frigiditas, & calor vigent per longiorem dictum numerum perdurare admittimus, quàm ver,
D & autumnus: & iuxta hanc conſiderationem, Veris initium annumeratur ab æquinoctio vernali, quod apud nos, Peramatus, & Mercatus iudicant contingere 21. die menſis Martij & per dies 45. perdurare vſque ad ortum Pleiadum, qui fit die 7. Maij; ab illo autem die, qui eſt ortus Pleiadum incipit æſtas, quæ ab 18. die Iulij aſpectum caniculæ habet ſecum, qui magis apparet à die 21. Iulij, in quo incipiunt caniculares dies annumerari, quia iam in 18. die Canis fuit ortus maior, durat æſtas quatuor menſes, & dies 23. & peruenit vſque ad 17. diem Septembris, in quo Arcturus oritur, à quo die incipit autumnus, duratque dies 50. vſque ad diem 7. Nouembris, in quo fit Pleiadum occaſus. Poſt occaſum Pleiadum hyems
E ſequitur durans à die 7. Nouembris, vſque ad 21. diem Martij.

Ex his temporibus ver temperatum eſt in actiuis, & paſſiuis qualitatibus, licèt calidum à grauioribus authoribus ſolet vocari, quia calidior eſt, quàm hyems, cui ſobſequitur. Æſtas eſt calida, & ſicca à prædominio. Autumnus frigidus, & ſiccus, licèt deberet eſſe temperatus, ſicut ver, cum æquè recedat in illo ac in Vere Sol, ſed Aſtrorum influxu id contingit maximè. Hyems eſt humida, & frigida, & dum prædicta tempora has ſibi debitas temperies obtinent, neque propter diuerſos Aſtrorum influxus, vel ventorum immutantur, conſtantia dicuntur, inconſtantia

conſtantia verò, dum propriæ immutantur in his debitæ temperies. Ex quibus

Probatur 1. reſolutio ex Hipp. *Aphoriſmorū* 8. dicente: *In legitimis temporibus, ac conuenientem ſeruantibus naturam morbi legitimi, & boni iudicij fiunt, in tempeſtiuis autem non legitimi, & mali iudicij.*

Probatur 2. ex Galen. *In illius comment.* dicente: *Legitima tempora nominat, quæ tempore, & loco ſuam recipiunt temperaturam: quem verò legitimum appellet annum? ibi licet diſcere ab ipſo lib. de aere, aqua, locis, & regionibus. ita docente: ſiquidem pro lege naturæ appareant ſigna huiuſmodi in ortibus, & occaſibus ſiderum. & in autumno, ſi aquæ deſcendunt, & hyems mediocritatem ſeruauerit, neque valde ſerena, neque frigore excedens. & vere aquæ euenerint tempeſtiuæ, & æſtate, ſic par eſt annum fore ſalubriorem. Poſtquam igitur qualis debeat eſſe legitimus annus didiciſti, facile eſt etiam non legitimum intelligere, omnia enim, quæ non ſeruant ſecundum anni legitimi aliquid dictum, ea nunc Hipp. non legitima, ſiue tempeſtiua vocat, & eos qui in ipſis accidunt, morbos ſimiliter appellat. ait autem & ipſos difficulter, hoc eſt malè indicari, vel enim cum ſymptomatibus periculoſis indicia in his morbis eueniant, vel ſtatim ſunt pernicioſi, vel omnino faciunt recidiuam.*

Tertiò: probatur ratione fundamentali: Humores, qui in noſtro corpore cauſa communis ſunt omnium morborum, ferè iuxta actualem temperiem, qua corpus fruitur, producuntur: ergo cum debita temperie humores debitò producuntur & cum connaturali temperie, & illis debita: cum indebitis producuntur cum improportionatis qualitatibus: ergo humores producti in temporibus ſuam conſtitutionem ſeruantibus pariunt morbos proportionatos temperiei illorum temporum; ſin minus diuerſi fiunt morbi iuxta varias mutationes ſuperuenientes his temporibus.

§. III.

Argumentis adhibetur ſolutio.

AD 1. reſpondetur ex Hipp. *de locis, aere, & aquis*, ex Galen. *ibid. & comm. 8. in 3. Aphoriſm.* Quòd ſalubrior anni conſtitutio dicitur illa, ratione cuius morbi ſunt ſalubriores, & ſecurioris iudicij: quod contingit, dum morbi ſunt proportionales anni temporibus: quod è contra contingit, dum morbi ſunt diſperſi & improportionales orti violenta cauſa, & humorum heterogeneitate, violentiſque alterantibus cauſis.

Ad 2. reſpondetur: Quòd anni tempora non ſolùm dicuntur conſtantia, dum quodlibet ſeruat temperiem, quam diximus deberi vnicuique, ſed dum temperies cuiuſuis temporis contemperatur iuxta præſcriptum à natura modum, quæ enim nimis excedentia, nimis nocere poſſent, ſic æſtas contemperatur à natura, ideò enim Hipp. *lib. de locis, aere, & aquis*, *& 1. epidem.* Pluuias requiri ad anni conſtantiam tenet in æſtate, & quòd venti præcedant ad humorum attemperationem: Quod etiam docet Plinius *lib. 2. cap. 8.* dicens: *Canicula exortum diebus octo fermè Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant: poſt biduum autem exortus, ijdem Aquilones conſtantiùs perflant diebus 40. quos Æteſias vocant.*

Ad 3. reſpondetur: Quòd anni tempora non alterant; ſunt tamen in quibus variæ ſunt alterationes propter Solis acceſſum, & receſſum, propter ventorum varietatem, influxumque Aſtrorum valentium nos diuerſo modo afficere.

A

Resolvtio VI.

Quod Clima ſit humanæ temperiei aptius?

§. I.

Adducitur ratio dubitandi.

VIdetur quòd illud, quod ad temperiem ponderalem magis accedit: Quia illud Clima eſt aptius ad conſeruandam hominis temperiem, quod temperamentum æquale ad pondus magis poteſt conſeruare: ſed tale eſt quod magis accedit ad temB periem mediam ponderalem: ergo illud præſtantius reliquis eſt. Probatur: hominis iuſtitiale temperamentum eſt æquale ad pondus, ergo per temperamentum æquale ad pondus petit conſeruari, cum conſeruatio fiat à ſimili.

§. II.

Tenendum proponitur, & ſuadetur.

REſoluendum, quòd quodlibet Clima aptius eſt reliquis pro conſeruando temperamento iuſtitiali, & debito, eorum, qui ſub illo naſcuntur.

Pro cuius intelligentia notandum: Quòd in diuerſis regionibus ſunt diuerſæ temperies, quibus noC ſtrum temperamentum valet alterari, quæ præcipuè attenduntur ſecundum diuerſa Climata, per quæ diuiduntur partes terræ, quam vetuſtiores Geographi in quinque Zonas diuidebant, quarum mediam, Torridam propter ingentiſſimum calorem; & duas ſub Polis contentas, propter ſummam frigiditatem inhabitabiles eſſe iudicabant. Duas verò Zonas habitabiles diuidunt per Climata: hoc, vt Elias Venetus ex Vitruuio deducit, eſt: *Cœli declinatio, ſeu eleuatio à terra*: ſeu cum Sacroboſco Clima eſt, *Regio inter duos parallelos, inter quos dimidiæ horæ percipitur varietas.* Antiqui ſeptem Climata cognouerunt, moderniores verò, toto orbe ferè peragrato, 24. cognoſcunt vſque ad parallelum, vbi Sol efficit diem magnum ſcilicet 24. horarum ſine nocte.

Septem ab antiquis annumerata Climata inciD piunt ab Æquatore, ſub quo ſunt dies duodecim horarum; & æquales nocti. Primum Clima eſt regio terræ, in quo dies maior poteſt augeri dimidia horâ ſupra duodecimam. Poli eleuatio in illa eſt 16. graduum, & duarum partium alterius. Dicitur Diameroes, & continet Libyæ interioris, & Æthiopiæ partem, partemque Arabiæ Felicis, & regionis Synarorum. Secundum Clima eſt, in quo peruenit dies maior ad horas 13. eleuatio Poli eſt 24. graduum, cum quarta parte alterius, vocatur Dyaſene. Continet Mauritaniæ, & Tingitanicæ Prouinciæ partem, Getuliam, Africæ, Numidiæque partem, Cyrene, & Marmaricam; totam ferè Ægyptum, atque interioris Luciæ, Felicis Arabiæ, Carmanicæ, & Gedroſiæ parE tem maiorem, Indiarum ambarum partem, aliqualemque ex Synarorum regione. Tertium Clima Dyalexandros dicitur; eleuatio eius eſt 33. graduum, & duarum partium alterius, duratio maioris diei in illo eſt tredecim horarum, & dimidiæ. Continet vtriuſque Mauritaniæ maiorem partem, minoris Africæ, Numidiæ, Cirene, Marmaricæ, Ægypti, & Libyæ interioris partem. Inſulæ Colchidos, Syriæque, Arabiam Petreã, & Deſertam, Babyloniæ, Suſcaniæ, Perſiæ, Carmaniæ, Arabiæ, & Paraponiſiæ partẽ, Drangianiam, Adracoſiam, & aliam Indiarum, & Synarorum partem. Quartum Clima Diarrhodos dicitur, in eo

eleuatio poli eſt 39. graduum, maioris diei duratio quatuordecim horarum. Continet Mediterraneum Mare, Bethicham Hiſpaniæ partem, & Tarraconenſem, aliam vtriuſque Mauritaniæ, & aliquam Numidiæ, minoris Africæ, Marmoricæ, atque Illyrici maioremque partem Siciliæ, Epyri, Achaiæ, Italiæ, Macedoniæ Euboiæ, Peloponneſi, Cretæ Aſiæ minoris, & Oeiæ, Galatiæ Cappadoriæ, vtriuſque Armeniæ, totamque Pamphiliam, ac Siliciam, Rhodarum, & partem Syriæ, Meſopotamiæ, deſertæ Arabiæ, & Babyloniæ aliam totam Aſiam, & Medorum, Suſaniæ, Perſarum, Parthorum, Ariæ, Paraponeæ, Hyrcaniæ, Marginæ, Bactraniæ, Srithiæ, & Sericæ partem. Quintum Clima dicitur Dyaromes, eleuatio Poli eſt 43. graduum, & dimidij, duratio maioris diei eſt quatuordecim horarum, ac dimidiæ. Comprehendit maiorem Hiſpaniæ partem, partem Galliæ Narbonenſis, Pannoniæ, Illyrici, Dalmatiæ, magnam partem Italiæ, Daciæ, Myſiæ inferioris, totam ſuperiorem Myſiam; partem Thraciæ, Peloponeſi, & Macedoniæ, Cretæ, Ponti, Bythiniæ, Aſiæ minoris, Galaciæ, Cappadociæ, Hyrcaniæ, Bactrianiæ, Gudianiæ, & Sericæ regionis partem. Sextum Clima dicitur Diaboriſthenes, eius latitudo eſt 47. graduum, & quartæ partis alterius, diei maioris duratio quindecim horarum. Continet Hiſpaniæ partem Tarraconenſem, Aſturiarum, principatum, Nauarram, Gaſconiam, & Galliam Narbonenſem, Galliæ Aquitaniæ, & Lugduni, Italiæ, Vindeliciæ, Pannoniæ, ſuperioriſque partem Sclauoniæ, vtramque Salmaciam, & Tauricam, Myſiamque inferiorem, partem minoris Aſiæ, Albaniam, Armeniæ, Meſopotamiæ, Battaniæ, Godianæ, Scytharum, & Sericæ partem. Septimum Clima dicitur Diarepheos, eleuatio poli 50. graduū, & dimidij; maior dies in illo eſt quindecim horarum, & dimidiæ, continet Galliam quadripartitam, Germaniam, partem Capadoriæ, Salmatiæ, Aſiæ minoris, & Scythiæ, atque Regionis Sericæ.

Ratio fundamentalis eſt: Quia, cùm conſeruatio fit à ſimili, & conformatio fuerit ex elementalibus partibus contractis ex principiis generationis factis ex alimentis propriis illius Climatis, quæ producuntur iuxta propriam temperiem illius, hinc fit, quòd ea illis facta viuentia ex propria talis Climatis temperie conſeruentur.

Secundò experientia docet: Vnumquemque hac ratione ſub ſuo Climate melius degere, & conſeruari, & ideò vnumquemque Authorum ſuum Clima tanquam ſalubrius laudare, ideo Hipp. Gal. & Ariſt. qui ſub quarto Climate in Græcia habitauerunt, illud Clima ſalubrius iudicant: Auerr. & Petrarnatus, qui fuerunt in Hiſpania ſub quinto Climate, illud iudicant ſalubrius reliquis: ſic ſextum Clima Manardus antepoñit reliquis, ſub illo enim Ferrariæ vixit; nec Albertus Magnus aliter natus ſub ſeptimo Climate in Germania illud laudat: ergo quia vnuſquiſque expertus fuit ſui Climatis temperiem ſibi magis proportionatam.

Tertiò: in longis morbis vt plurimùm, proprium, & natale ſolum eſt vnicum remedium, reliquis nihil iuuantibus: ergo quia natiuum temperamentum meliùs illius temperie conſeruatur, & reſarcitur cibis propriis talis regionis, vtpotè ex quibus fuit congenitum.

Ex quo infero, hanc vnam eſſe cauſam naturalis illius appetitus, quo quilibet quantumcumque benè ſe habet in alia regione, allicitur in propriæ patriæ amorem, quod non aliunde prouenire poteſt, niſi quia, cùm quodlibet appetat ſui conſeruationem, & cùm hæc fiat à ſimili, & nulla temperies, nullaque

A alimenta poſſunt eſſe ita ſimilia principiis, ex quibus fuit genitus, quàm quæ ſuæ patriæ ſunt propria, ideò ſemper remanet propenſio ad illa; ſed aliqualiter variatur, quando ex longo rerum vſu conſuetudinem acquirat ad diuerſa, quia nouam, & acquiſititiam naturam diuerſam etiam acquirit, & præterea amabilis patria, quia gratæ ſunt memoriæ primarum ſpecierum, quas nuda potentia recepit primo nondum reliquarum varietate obuoluta.

§. III.

Satisfit pro adducta ratione.

B Reſpondetur: Quòd cùm conſeruatio fiat à ſimili, & iuxta diuerſas regiones, & diuerſa Climata diuerſæ ſint hominibus temperies, hinc prouenit, quòd in vnoquoque Climate ſit apta temperies pro conſeruatione eius, qui naſcitur in illo.

Resolutio VII.

Vtrùm conſuetudo differat à temperamento ſubſtantifico acquiſititio?

§. I.

Valleſij ſententia proponitur.

C Partem negatiuam tenet Valleſ. *lib. 1. controuerſ. cap. 5.* Primò, quia ſi conſuetudo eſſet temperamentum acquiſititium ex longo rerum vſu comparatum, ſequeretur quòd ſi ponamus duos homines, quorum alter ſit calidus vt 3. alter calidus vt quinque ex natiua temperie, ex his calidus vt quinque vſu frigidorum alimentorum fiet calidus vt quatuor, & calidus vt tres vſu calidorum alimentorum fiet etiam calidus vt quatuor: ergo acquirent ambo idem temperamentum acquiſititium: ſed conſuetudines ſunt diuerſæ, cum alter frigidis, alter calidis aſſueſcat alimentis: ergo conſuetudo eſt quid diſtinctum à temperamento ſubſtantifico acquiſititio.

D Secundò, ex Ariſt. *ad Nichomacum, cap.* 10. Faciliùs poſſunt curari, qui per conſuetudinem incidunt in morbum, quàm qui per naturam: ſed natura eſt ipſum ſubſtantificum temperamentum, quod debitum operationum principium eſt: ergo conſuetudo eſt quid diſtinctum ab ipſo ſubſtantifico temperamento.

Tertiò, facultates naturales ex frequenti vſu veneni acquirunt conſuetudinem: ſed non poſſunt acquirere temperamentum ſubſtantificum, cum hoc non poſſit niſi per nutritionem fieri, & animal non nutriatur ex veneno: ergo conſuetudo, quid diſtinctum eſt à temperamento. Probatur maior, ex Galen. *lib. 3. ſimplic. cap.* E 18. & ex Ariſt. *lib. de ſecretis ad Alexand.* & ex *Auic. fen.* 6. 4. *cap.* 2. Qui referunt vetulam nutritam cicuta fuiſſe, & puellam napello: ergo poteſt ex veneno acquiri conſuetudo.

Quartò, ex longo rerum vſu actuum omnium ferè facultatum vegetabilium acquiritur conſuetudo in illis ad ſimiles actus: ſed temperamentum ſubſtantificum acquiſititium non poteſt acquiri niſi per facultatem nutritiuam: ergo conſuetudo differt ab illo. Probatur minor; non poteſt acquiri temperamentum ſubſtantificum niſi per repoſitionem partium materialium ſimilium eis, ex quibus fit: ſed earum repoſitio ſolùm fit à nutritiua facultate: ergo à ſola illa acquiritur temperamentum ſubſtantificum acquiſititium.

§. II.

§. II.

Pars tenenda reſoluitur.

Reſoluendum: Quod conſuetudo, quæ propriè talis dicitur, & acquiritur ea frequenti vſu facultatum gradus vegetatiui, quo huiuſmodi facultates redduntur aptiores ad ſimiles, actus nihil aliud eſt, quàm ſubſtantificum temperamentum acquiſititium comparatum ex frequentia actuum vegetabilium. Sic deducitur ex Hipp. *lib. de locis, aëre, & aquis*, docet Galen. *lib. de conſuetudine, lib. 2. de temperam. c. 9. lib. 2. de motu muſculorum. c. 3.* & Ariſt. *lib. de memoria, & reminiſcentia, circa finem, & lib. 2. Ethicorum, cap. 1.*

§. III.

Fundamenta aliqua adducuntur.

Pro cuius comprobatione ea Ariſt. *lib. 2. Ethicor. cap. 1.* Eſt ſtatuendum, quòd conſuetudo ex longo rerum vſu permanet, licèt aliquando cauſaliter ſumatur pro ipſo rerum vſu, quo acquiritur. Ipſa tamen *promptitudo eſt ad ſimiles actus comparata ex longo rerum vſu:* Et duplex eſt, alia impropria, quæ ſine naturæ immutatione prouenit: alia propriiſſimè eſt talis, quæ acquiſititia eſt natura, & cùm natura ſit duplex, forma inquam, & materia, non conſiſtit hæc in formæ acquiſitione; ſed in noua materiei primæ repoſitione, non quæ in eſſe materiæ primæ ſit diſtincta; ſed quæ in eſſe materiæ elementalis ſit alia, ex qua ſuperponitur diuerſum temperamentum acquiſititium ſubſtantificum, de quo eſt controuerſia, an ſit, in quo conſuetudo propriè talis conſiſtat. C

Præterea ſtatuendum: Quòd entia ſublunaria phyſica in quadruplici rerum genere ſunt diuerſa, alia naturalia, alia vegetabilia, alia ſenſitiua, & alia rationalia, in quibus omnibus ſunt potentiæ diſtinctæ. Non tamen in quolibet genere potentiarum ex frequentia ſuorum actuum acquiritur conſuetudo eodem modo, nam in potentiis gradus naturalis, cùm operentur ſecundùm vltimum potentiæ; & determinatè ad vnum, non acquiritur conſuetudo, vt docet Ariſt. In facultatibus verò gradus rationalis, intellectu inquam, & voluntate fiunt operationes mediis ſpeciebus, & habitibus, qui acquiruntur in illis per actus circa ſua obiecta, & perficiuntur ea frequenti D vſu actuum; & hæc promptitudo ad operandum mediis ſpeciebus, & habitibus largo modo poteſt dici conſuetudo. Propriiſſimè tamen neque intellectus, neque voluntas operantur per conſuetudinem: ſed per habitus ſcientiarum, vel artium erroris, vel opinionis; voluntas verò per habitus morales virtutum, ſeu vitiorum.

Potentiæ verò gradus ſenſitiui aliæ ſunt loco-motiuæ, aliæ cognoſcitiuæ: loco-motiuæ, aliæ operantur præcedente cognitione, aliæ ſolùm pro vſu, & indigentia. Cognoſcitiuæ aliæ ſunt internæ, aliæ externæ. E Ex his potentiis loco-motiuis, quæ operantur pro vſu, & indigentia, nulla acquiritur conſuetudo; ſed iuxta murationem vſus, ſeu finis operantur, vt apparet in pulſu. Similiter contingit in loco-motiuis, quæ operantur ſubditæ imperio voluntatis iuxta eius nutum ſemper, aliquando tamen dicuntur acquirere conſuetudinẽ largo modo ſumptam pro aptitudine, vel quia intellectus in directione motuũ, qui fiunt à facultate loco-motiua, artis habitum acquirit, medio quo dirigit motum, vt perfectior fiat circa conſequutionem obiecti talis habitus artificialis.

Præterea, ex parte inſtrumenti ſolet etiam acquiri A ex frequentia motus diſpoſitio, vt actus ſuos eliciat cum maiori promptitudine, quatenus reſoluta humiditate in parte inſtrumentali elicitiua motus, pars reddita ſiccior aptior manet pro motu, & hæc etiam non eſt vera conſuetudo, vt ea Galen. conſtat. 2. *Aphoriſm. 50. & lib. de conſuetudine.*

De potentiis cognoſcitiuis eatenus, quæ ex ſola intentionali alteratione operantur, & de eatenus, quæ non operantur mediis ſpeciebus reſeruatis, ſed dependenter ab obiecto actu mittente illas, dicendum nullam acquirere conſuetudinem, nec impropriam: illæ verò, quæ ſpecies reſeruant, conſuetudinem impropriam acquirunt per actus, ideſt promptitudinem ad agendum mediis ſpeciebus reſeruatis, non tamen acquirunt conſuetudinem veram, quæ eſt altera natura. Hæc licet media alteratione intentionali non acquiratur in organo actus, media alteratione reali aliqualiter videtur acquiri, B quatenus ea frequenti alteratione poſſunt immutari partes, vel ipſis aliqualiter reſolutis, vel aliter immutatis, itavt alterum reddatur ſubſtantificum temperamentum in quo ſtat vera conſuetudo, quæ quid ſit in potentiis vegetatiuis manet reſolutum.

Primum fundamentum reſolutionis deſumitur ex Hipp. Galen. & Ariſt. *locis citatis* pro reſolutione: Conſuetudo eſt altera natura, ſeu acquiſititia natura: ſed natura eſt ex Ariſt. 2. *Phyſicor. c. 1.* vel materia vel forma, dum eſt permanens in ſubiecto: ergo conſuetudo, vel eſt materia, vel forma: ſed non eſt forma, quæ ſemper eadem manet: ergo eſt materia, non vtcumque in ratione materiæ; quia hæc eadem eſt ſemper: ergo vt variabilis ſecundum diuerſas materierum C acquiſitiones, quæ loco earum, quæ ea elementis fuerunt primò, ex elementis de nouo acquiruntur.

Secundò probatur ex Gal. *lib. 11. methodi, cap. 3.* in quo diſtinguit indicationem, quæ ſumitur à natura, ab ea, quæ ſumitur à conſuetudine, quia illa ſumitur à temperamento acquiſititio: ergo ex Gal. doctrina conſuetudo eſt ipſum temperamentum acquiſititium ſubſtantificum.

Dices, Galenum per temperamentum non intelligere ſubſtantificum, ſed qualitatiuum reſultans ea proportionatis qualitatibus.

Contra ſtat primò: Quòd temperamentum qualitatiuum ſequitur ad proportionem ſubſtantifici, vt manet probatum. Præterea explicat ſe dicens, quòd D tale temperamentum reſultat in viuente ea partibus materialibus ex alimento deſumptis: ergo dum aſſerit conſuetudinem eſſe temperamentum, loquitur de ſubſtantifico. Probatur antecedens ea eiuſdem verbis, ſubdit enim: *Cum verò diuerſitas non parua ſit in partium animalis temperamento, propriam cuique menſuram fore eorum, quæ ipſi ſunt ſimilia: nempe ei, quæ terrea magis eſt, eorum, quæ magis ſunt terrea; & ei quæ humidior eſt, eorum, quæ ſunt humidiora, &c.*

Tertiò probatur ex Galen. 2. *Aphoriſm. comm. 50.* in quo, cum non veram conſuetudinem acquiri in facultatibus loco-motiuis, ſed ſolam promptitudinem E ad motum ob requiſitam diſpoſitionem qualitatiuam in organo dicat, de facultatibus verò vegetatiuis dicit acquirere propriam conſuetudinem, quia acquiſititium temperamentum acquirunt ex vſu alimentorum: ergo in hoc conſiſtit conſuetudo. Probatur antecedens, ex eius verbis, dicit enim: *Cibi atque potus naturam aduentitiam efficiunt, maximè quidem in ventriculo, cum hoc verò, & in aliis partibus; nam etſi maximè vincantur, & transmutentur à corpore, ipſum tamen quodammodo pro ſui natura diſponunt, ita quod proceſſu temporis multa ſit permutatio, atque ſimilitudo nutritorum ad nutrientia*, hæc Galenus.

§. IV.

Diluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur notando : Quòd temperamentum ſubſtantificum multipliciter acquiritur in nobis, vno modo ex principiis generationis à facultate formatrice : ſecundo modo ex mutatione ætatum à cauſis ineuitabilibus illud variantibus, tertio modo, ex frequenti vſu alicuius alimenti à facultatibus vegetatiuis. Primum dicitur innatum temperamentum, ſecundum ætarium, tertium conſuetudo; quod quadruplex eſt, calidum, frigidum, humidum, ſiccum iuxta diuerſitatem partium materialium eius elementi, per quarum repoſitionem fit tale; vnde in his duobus hominibus, licèt quilibet habeat temperamentum ſubſtantificum calidum, vt quatuor, differunt penes hoc, quod alter habet alterum gradum temperamenti frigidi acquiſititij, & quia in hoc ſuperaddito temperamento orto ex frequenti vſu huius, vel illius alimenti, conſiſtit conſuetudo, hinc oritur, quòd in eadem numero partium materialium ſubſtantia, & in eadem intenſione qualitatum ſit diuerſa conſuetudo in vno, ac in altero; nam in vno fit quartus gradus per repoſitionem partium materialium deſumptarum ex frigidis alimentis, in alio verò, ex deſumptis partibus materialibus ex alimentis calidis.

Ad 2. diſtinguo minorem : Sed natura eſt ipſum ſubſtantificum temperamentum innatum, concedo: ipſum ſubſtantificum temperamentum acquiſititium, nego minorem. Licèt natura ſumatur pro quacumque forma, & materia prima, magis propriè ſumitur pro materia prima deſumpta ex victus elementalibus partibus materialibus, propriiſſimè tamen pro ſubſtantifico temperamento, quod fit ex partibus materialibus deſumptis ex principiis generationis : & iuxta hanc acceptionem dicit Ariſt. Quòd difficiliùs curantur morbi contracti à natura, ideſt à temperamento ſubſtantifico orto ex principiis generationis, quàm morbi orti à conſuetudine, id eſt, ratione temperiei ſubſtantificæ acquiſititiæ ex partibus materialibus, quæ tractu temporis reponuntur ex alimentis.

Ad 3. diſtinguo minorem : Non poſſunt acquirere temperamentum ſubſtantificum, cùm animal non nutriatur ex veneno, vt venenum eſt, concedo : vt alimentum eſt nego minorem. Ex venenis enim alia ſunt omnino lethalia, & ita corruptiua, vt in nulla poſſint quantitate vinci à natura : alia ſolùm deleteria in magna quantitate, quæ poſſunt in parua quantitate à natura deuinci, quæ vlterius alimenta ſunt, dum à natura deuicta in noſtram commutantur ſubſtantiam, & tractu temporis fit nutrientis ad nutritum ſimilitudo in eis, qui illis aſſiduè vtuntur.

Ad 4. reſpondetur : Quòd facultates gradus vegetatiui aliæ deſeruiunt ad conſeruationem ſpeciei, qualis eſt generatiua; aliæ ad indiuidui conſeruationem, quarum aliæ ſunt miniſtrantes, attrahens nempe, retinens, concoquens, & expellens; aliæ ſunt miniſtratæ nempè nutritiua, & augmentatiua, vt deducitur ex Gal. *lib. de facultatib. naturalib.* hæ omnes verſantur circa alimentum, licèt diuerſo modo attrahens attrahendo vtile; retinens, illud detinendo; concoquens illud alterando; expellens, vtile ab inutili ſecernendo; nutriens, vtile relictum conuertens in ſubſtantiam aliti ſimilem; augmentatiua nouam quantitatem adaugendo ex eodem alimento. Ex quo patet, quod omnes prædictæ facultates verſantur circa alimentum, & omnes eò tendunt, vt ex illo reponantur partes in viuente ſimiles, & cùm hæ partes ſint ſubſtantiales, & mixtæ ex omnium elementorum materiebus, ex his materiebus fit acquiſititiũ temperamentum, quod conſuetudo dicitur, quia ex frequenti vſu alicuius alimenti acquiritur, & propter illud omnes potentiæ remanent cum maiori promptitudine ad operandum circa ſimile alimentum, quia attrahens illud attrahit, quia magis ſimile eſt ſubſtantiæ per nutritionem ſimilis acquiſitæ, ideò, & melius retinetur, facilius coquitur ob ſimilitudinem, & pro nutritione, & augmento deſeruit. ſimile etiam eſt excrementitium quod reſultat, circa quod ideò ſimili modo, & ſine maiori noxa operatur expultrix.

SECTIO III.

De propria cuiuſque partis temperie.

PARTES noſtri corporis, quia viuentis; heterogeneæ ſunt, diuerſæque naturâ, ſitu, conformatione, figura, & temperie; hæc autem in illis ex quo principio, & qualiter diuerſa ſit, inueſtigandum.

RESOLVTIO I.

Verùm partes ſpermaticæ calidiores ſint carnoſis?

§. I.

Iouberti placitum, & fundamenta aperiuntur.

COntendit Ioubertus *decad. 1. paradox. 7.* ſuadere, quòd partes ſeminales ſint carnoſis calidiores, his fultus rationibus.

Primò: partes noſtri corporis aſſimilantur in temperie ſubiecto, ex quo fiunt, ſed ſemen, ex quo fiunt ſpermaticæ partes, calidius eſt ſanguine, ex quo fiũt carnoſæ: ergo partes ſeminales calidiores ſunt carnoſis. Probatur minor; tum ex Hipp. qui ſemen appellat igneũ; tum ex Galeno *qui lib. 1. de ſanitate tuenda c. 2.* in ſemine plus igneæ, & aëreæ ſubſtantiæ; in ſanguine plus aqueæ, & terreæ affirmat reperiri : tum quia ſemen fit per coctionem ex ſanguine : ergo calidius eſt illo.

Secundò: oſſibus ſuperponitur caro: ergo quia oſſa, & nerui, quia calidiora, calidiori loco perunt cõſeruari.

Tertiò : partes ſeminales frigore faciliùs læduntur : ergo quia calidiori gaudere perunt temperamento, alias enim caloris defectu non ita facile læderentur. Probatur antecedens ex Hipp. 6. *Aphor.* 18. *frigidum*, inquit, *inimicum oſſibus, dentibus, neruis, &c.*

Quartò : partes ſeminales perfectiori modo ſuo calore operantur, quàm carnoſæ; ventriculus perfectiori modo concoquit, quàm quælibet pars carnoſa; veſica, duriores lapides gignit, quàm ſanguinei renes : ergo quia perfectiori gaudent calore, à quo iſtæ actiones proueniunt.

§. II.

Doctrina ex Galeno communiter recepta amplectitur.

REſoluendum : Quòd partes carnoſæ, quæ ex ſanguine generantur, ſunt calidiores partibus ſeminalibus. Sic tenet Andreas Laurentius *lib. 1. de*

re

in anatomica, quæſt. 9. Varandæus *lib. phyſiolog. ſect.* 1. c. 4. A
Carreirus *in ſen.* 1. 1. Mercatus, Segarra, & communis Medicorum aſſenſus.

Probatur 1. Ex Gal. *lib.* 2. *de temperam.* Ex quo illam omnes deſumpſerunt, inquit enim: *Vnóque verbo omne exangue frigidius eſt ſanguine prædito, &c.*

Probatur 2. Temperies innata reſultat in homine ab anima vt determinata per partes materiales elementorum, vt *diſput. de remanentia elementorum in mixto,* demonſtrauimus: ſed partium noſtri corporis materiales partes deſumuntur ex ſanguine, aut ſemine, ex quibus fiunt: ergo, quæ fiunt ex ſanguine erunt calidiores. Probatur conſequentia: ſanguis calidior eſt ſemine: ergo partes, quæ fiunt ex illo maiori numero partium calidarum gaudent, à quibus intenſior B calidiras pullulet. Probatur antecedens: quia ſanguis in numero calidorum infra ponetur ex Auicen. prior ſemine.

Probatur 3. In materia, ex qua partes noſtri corporis generantur, debent reperiri prædominantes partes elementi, ex quo ſubſtantiæ modus parti debitus melius poſſet conformari; ſed partes ſeminales compactiores, duriores, & fortiores ſunt, quàm carnoſæ partes: ergo ſemen ex quo fiunt, debet habere prædominium partium terreſtrium, ex quibus huiuſmodi ſubſtantiæ modus conformetur in partibus, & conſequenter intenſiorem frigiditatem à terreo elemento ortam.

§. III. C

Argumenta in communem doctrinam ruentia diſſoluuntur.

AD 1. reſpondent communiter: Quòd ſemen eſt ſanguine calidius ratione ſpirituum, quos includit; non ratione craſſioris ſubſtantiæ, ſecundum quā ſubſternit materiam pro partium generatione.

Contra: vt infrà probabimus, ſemen non ſolùm ſubſternit materiam ſecundum partem craſſiorem; ſed ſecundum partem ſpirituoſam: ergo ratione partis ſpirituoſæ, ex qua fiunt partes ſpermaticæ, ipſæ ſunt calidiores.

Reſpondetur: Quòd, cum multitudo materiæ iuuet ad perfectiorem effectum producendum, & materia ſpirituoſa in ſemine ſit parua, maior verò ignea, & D aërea, quæ in ſanguine reperitur, cùm maiorem copiam præſtet pro partibus carnoſis, quàm ſpirituoſa ſeminis pro ſpermaticis, hinc fit quòd calidiores euadant partes carnoſæ, quàm ſpermaticæ.

Ad 2. negatur conſequentia: Caro enim ſpermaticis partibus ſuperponitur; quia cùm frigidiores, vt conſeruetur remiſſior earum calor, indigent partium carnoſarum calore, quo foueantur.

Ad 3. negatur antecedens: Partium enim ſeminalium caliditas, quia remiſſior, facilius frigore offenditur, quàm calor partium carnoſarum, qui intenſior eſt, & magis reſiſtit. E

Ad 4. reſpondetur: Quòd partes ſpermaticæ, vt ventriculus, & veſica cum remiſſiori calore aptius operantur: ventriculus, quia ob ſui ſubſtantiæ modum, compoſitionem, & capacitatem aptius recipit, & adaptatur in illo materia concoctibilis; veſica verò, quia materia, in quam agit, craſſa, viſcida, & glutinoſa eſt, aptiórque vt craſſior poſſit conformari ſubſtantia ab eius calore licèt remiſſiori, quàm qui reperitur in teneribus.

Resolvtio II.

Vtrùm partium corporis temperies remaneat proportionata materiæ, ex qua fiunt?

§. I.

Valleſij, & Carreiri proponitur opinio.

VAlleſius *lib. artis medicinalis,* negatiuæ parti adhæret, cuius fundamenta (vt moris habet) detrudit Carreirus, licèt ſuæ adhæreat ſententiæ, cui ſubſcribit Martinez, pro quibus ſtat;

Primò Galen. *lib.* 2. *de temperam.* Calidum, & humidum conſtituit puerum: ſed puer fit immediatè ex ſemine, ratione cuius frigidum, & ſiccum deberet euadere, ſicut & dicuntur euadere oſſa, quæ ex ipſo conformantur: ergo non prouenit temperies geniti proportionata materiæ, ex qua fit.

Secundò: ſi partes deberent permanere ſimiles in qualitate materiæ, ex qua generantur; teſtes, qui fiunt ex ſemine, frigidiores eſſent, quàm renes facti ex ſanguine; & cor factum ex terreſtriori, denſiorique ſanguinis parte, fieret frigidius hepate, quod fit ex tenuiori: ſed contrarium contingit: ergo non fit proportionalis temperies in genito ad paſſum ex quo fit.

Tertiò: facultas conformatrix tribuit vnicuique parti conformationem, ac temperiem debitam, cum illam in ſtatu naturali conſtituat, & conformet: ergo independenter à temperie, quæ præceſſit in corrupto, producit geniti debitam temperiem.

Quartò: temperies partium prouenit à forma, quæ de nouo generatur, vt probauimus: ergo non ratione materiæ, quæ à corrupto pertranſit ad genitum.

Quintò: extra corpus plura à prædominio generantur frigida ex materia corrupti, quod fuit à prædominio calidum: ergo genitum non requirit aſſimilationem in temperie ad eam, quæ præceſſit in corrupto, ex quo deſumit materiam. Patet antecedens in aceto; quod frigidum eſt, & fit ex ex calido vino.

§. II.

Præfertur opinio affirmatiua.

REſoluendum, quòd ſuperuenit partium temperies ſimilis ei, quæ erat propria materiæ, ex qua fiunt.

Ratio fundamentalis eſt: quia forma, qua partes informantur, cùm indifferēs ſit ad productionem omnium qualitatum, & in quacumque intenſione valeat eas producere, vt determinetur potius ad hanc, quàm ad illam intenſionem, debet aliquod habere, vt ex D. Thom. probauimus, quod cùm non poſſit eſſe ex parte formæ, in qua eſt virtualis continentia omnium elementorum, debet eſſe ex parte materiæ, vt diximus *ſect.* 2. *de element.* ſed materiæ recipiuntur ex materia corrupti, ex quo fit genitum: ergo ratione illarum ſimilis temperies natiua ſuperuenit in genito.

Probatur 2. Si materia, quâ fiunt, aut nutriuntur partes, ſit diſſimilis, & contrariorum elementorum, contraria pullulat temperies ei, quæ illis debetur: ergo natiua prouenit, quia à corrupto deſumunt debitam materiam, ex qua debita temperies reſultat. Probatur antecedens, in aſcite adeò pullulat in partibus, quæ erant prius ea læſæ frigida temperies, quia ratione frigidæ materiæ, ex qua neceſſariò coguntur nutriri, cogitur forma, vt contrarias ponat diſpoſitio-

nes eis, quæ debentur parti: ergo ratione materiæ contrariorum elementorum prouenit contraria temperies.

Probatur 3. A frigidis parentibus frigidi temperamenti producuntur filij: à calidis calidiores: ſed hoc non aliunde prouenit, niſi quia frigida, aut calida materia ſubſternitur ab illis pro filiorum generatione: ergo cauſa materiei, ex qua fiunt partes, euadunt ſimiles in temperie.

§. III.

Valleſij, & Carreiri ruunt fundamenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd puer fit ex ſemine, ſed maiori parte fit ex ſanguine, qui cùm ſit calidus, & humidus, puer calidus, & humidus generatur.

Ad 2. dicimus: Quòd teſtes in calore natiuo frigidiores ſunt renibus, licèt in calore actuali communicato ab ſpirituoſa parte ſeminis ſint calidiores: Vel quòd ſunt caro, quæ renes caliditate excedit ex Auicen. & cor eſt calidius hepate, quia igneis partibus calidis, & ſiccis in maiori numero conſtat quàm hepar.

Ad 3. diſtinguo antecedens: Facultas conformatria tribuit vnicuique parti temperiem, efficienter communicando illam, nego: conformando partes ex materialibus partibus elementorum, ex quibus talis temperies poſſit reſultare, concedo antecedens.

Ad 4. diſtinguo antecedens: Temperies partium prouenit à forma efficienter, concedo: determinatiuè, nego. Licèt enim forma ob virtualem continentiam omnium elementorum omnes valeat producere qualitates, non illas producit niſi in quantum determinatur à materia ad has potiùs, quàm illas producendas.

Ad 5. negatur antecedens: Et ad probationem dicimus, quòd acetum non fit ex vino, donec vinum redditur frigidum à caliditate reſoluente partes illius calidas, quibus reſolutis, cùm materia remaneat cum maiori numero partium frigidarum cum quibus forma vini conſeruari non poteſt, ipſa corrumpitur, & forma aceti ſuperuenit, quæ frigidas illas petit informare materias.

RESOLVTIO III.

Vtrùm in partibus corporis caliditas ſit præſcribenda ex Auicennæ decreto?

§. I.

Auicennæ decretum proponitur, & oppugnatur.

AVicenna inter noſtri corporis partes enumerat ſpiritus vitales, cor, ſanguinem, hepar, carnem muſculos, lienem, renes, tunicas arteriarum, venas, cutem, ſe in caliditate excedentes ordine annumerationis, cuius doctrinæ veritas his fundamentis videtur oppugnari.

Primò ſpirituum vitalium caliditati opponitur, Tum Galen. *lib. de temperamentis*, ſanguinem cunctis partibus calidiorem conſtituens: Tum *lib. 5. de ſimpl. medicament. facultatib.* ſpiritus vitales appellans temperatos: Tum, quòd generentur à corde, à quo ſaltem debent calore vinci: Tum, quòd ex illis generentur ſpiritus animales, qui coctione calidiores debent reddi: Tum, quia cor intenſiùs calefacit: ergo ſpiritus vitales non ſunt reliquis omnibus partibus calidiores.

Secundò: cor frigidum eſſe teſtatur; Tum quòd duræ, & fibroſæ carnis ſit, quæ non niſi ex terreſtri, materia, frigida, & ſicca fieri poteſt; Tum, quia pro nutritione melancholicam præbet materiam: Tum, quia aquam generat intra pericardion: Tum, quia adeps generatur in ipſo, quæ à frigore concreſcit: Tum, quia deficientibus ſpiritibus in frigidos affectus incidit: Tū, quia ex valuulis, fibris, venis, arteriis, & aliis frigidis partibus componitur: ergo frigidum eſt.

Tertiò: ſanguis frigidus apparet: Tum ex Ariſt. doctrina *lib. 2. de partib. animal. cap. 3.* Tum, quia Hipp. *lib. de corde*, nec ſanguinem, nec liquorem aliquem eſſe calidum docet: Tum, quia fœminæ ſunt frigidiores viris, quia maiori ſanguinis copia gaudent: Tum, quia ſanguis, reſolutis ſpiritibus vitalibus ſtatim concreſcit: ergo ex natura ſua frigidus eſt.

Quartò: hepar frigidum videtur: Tum, quia pituitam, & melancholiam generat, quæ frigidæ ſunt à prædominio: Tum, quia ſeroſæ, & purulentæ ſubſtantiæ generantur in illo, quæ aqueæ ſunt naturæ: Tum, quia facile in habitualem frigidam naturam tranſit, mediā quâ hydrops ſuperuenit: ergo quia iecoris ſubſtantia frigida eſt.

Quintò: caro fit ex ſanguineis partibus materialibus, a quibus æqualis debet pullulare calor. Præterea iecur venis intertextum eſt: ergo caro æqualis ſanguini eſt, & iecore calidior.

Sextò: muſculi, cùm ſint deſtinati ad localem motum, duriorem ſubſtantiæ modum petunt, qui ex terreo elemento fit: ergo frigidi ſunt.

Septimò: lien nutritur ex melancholia: ergo frigidus eſt.

Octauò: renes apparent frigidi: Tum, quia duri, & terrei: Tum, quia aquea ſubſtantia potiuntur: Tum, quia ex ea nutriuntur: ergo frigidæ naturæ euadunt.

Nonò: tunicæ arteriarum, & venæ ſunt partes ſimilares, quæ quia fiunt ex ſemine, ſunt frigidæ: ergo non annumerari petunt inter partes calidas.

§. II.

Sancitur verum Auicennæ decretum.

REſoluendum affirmatiuè, ex Auicen. decreto, *fen. 1. t. doctr. 3. cap. 2.* Et communi conſenſu ſuorum Commentarorum, quos, & recentiores ſequuntur.

§. III.

Oppugnationes ſoluuntur.

AD 1. reſpondetur: Tum, quòd Galen. ſanguinem calidiorem conſtituit comparatiuè ad alias partes ratione ſpirituum vitalium illi commixtorum: Tum, quòd vocat ſpiritus temperatos quaſi temperantes ſuo calore reliquas partes, & debitam illarum caliditatem conſeruantes: Tum, quòd licèt generentur à corde, à propria forma pullulat intenſior caliditas, quia calidioribus redundant igneis, & aëreis partibus: Tum, quòd ſpiritus animales calidiores euadunt reſpectu eius partis materiæ, quæ eſt terminus à quo illarum: Tum, quia ratione multitudinis materiæ poteſt intenſius calefacere cum remiſſiori calore, ſic ferrum calidum intenſiùs flammâ calefacit.

Ad 2. reſpondetur: Quod ratione ſiccitatis igneæ bene poteſt cum minori portione terrei elementi compactior fieri, duriórque ſubſtantia: Tum, quòd licèt qua parte durum difficultet coquatur, iam coctum optimum tribuit alimentum: Tum, quòd aqua

pericardij

pericardij non denſatur à frigiditate cũ qualitatiua denſitate, ſed denſitate locali ratione duritiei compactæ: Tum, quòd generatione, ſeu nutrientis actione fit adeps, non à frigiditatis denſitate: Tum, quia licèt calidum ſine ſpirituum adiuuamine facilius ab externis valet infrigidari, ac in ſuis affectibus, potius occultis, quàm manifeſtis infeſtatur qualitatibus: Tum, quia licèt propria temperiea ex partium componentium temperie aliqualiter moderari, non tamen ea toto valet impediri.

Ad 3. reſpondetur: Tum, quòd Ariſtot. non tàm ſanguinis ſubſtantiam quàm fibrarum, quæ illi commiſcentur attendit: vel ſubſtantiam ſanguinis frigidam conſtituit comparatiuè ad commixtos ſpiritus: Tum, quòd Hipp. duo conſiderat in eis, quæ fluida ſunt; ad quod fluunt, aut id ratione cuius fluida ſunt, hoc aquoſum, & frigidum eſt, illud calidum valet eſſe, vt in vino, aqua vitæ, bili, & aliis calidis fluidis apparet: Tum, quòd fœminæ quia frigidiores frigidiorem ſanguinem generant, & quia frigidiores, minus abſumunt, & plus redondat, quàm in viris: Tum, quòd deficiente calore ſanguis ratione fibrarum concreſcit, non quia in ſua ſubſtantia frigidus.

Ad 4. reſpondetur. Tum, quòd ratione aliquarum partium frigidarum in iecore frigidi generantur humores, vel potiùs propter materiæ diuerſitatem ab eodem calore diuerſi generantur humores: Tum, quòd feroſa, & purulenta ſubſtantia non tam generantur, quàm vi coctionis à ſubſtantia, cui commixtæ ſunt ſeparantur: Tum, quòd non niſi à cauſis valentibus natiuam immotate temperiem valet habitualem intemperiem contrahere.

Ad 5. reſpondetur: Quòd caro licèt generetur ex ſanguine, non ex ſpiritibus ſanguini commixtis, nec ex omni portione partium aërearum, quæ præfuerunt in corrupio: Tum; quòd venarum connexus in iecore non aufert parenchymatis propriam temperiem præcipuè cùm ſanguis, & ſpiritus contineantur intra venas.

Ad 6. reſpondetur: Quòd ex terreo elemento, & ex igneo poteſt commiſceri ſubſtantia calida, & cum duritie ad motum: ſicut & in corde apparet.

Ad 7. patet ex Galen. *lib. de vſu partium*. Quòd lien ob intertextas arterias caliditatem acquirit, qua poſſit melancholicum concoquere humorem, ponitur enim inter partes calidas ratione actuati temperamenti.

Ad 8. reſpondetur: Quòd durities non obſtat, vt de corde, & muſculis diximus: Tum, quòd fruitio, & alimonia non eſt ratione aquoſæ ſubſtantiæ, ſed ſanguinolentæ illi commixtæ, qua fruuntur, & nutriuntur:

Ad 9. reſpondetur: Quòd ratione actuati temperamenti inter calidas poſſunt annumerari, licèt ob innatum referantur ad frigidas.

Resolvtio IV.

Verùm rectè præſcribatur partium frigidarum ordo?

§. I.

Auicennæ ordo proponitur, & impugnatur.

AVicenna pituitam, pilos, oſſa, cartilaginem, ligamentum, panniculum, chordam, neruos, nucam, cerebrum, adipem, carnem, ordine quo ponuntur frigidiora conſtituit, cuius doctrinam oppugnãt

A Primò: pituitæ frigiditati repugnat. Tum Gal. *lib. de temperamen.* vbi pilos frigidiſſimos conſtituit. Tum quòd ex pituita fit ſanguis, qui calidus euadit ob prædominium partium calidarum, quas ea pituita recepit: Tum, quòd frigiditas obſtaret fluxibilitati, quæ cuique humori debetur, cùm cauſa ſit denſitatis: Tum, quòd melancholia denſior redditur: ergo quia pituitæ minor frigiditas conuenit.

Secundò: pilos non frigidos probat, Tum Galen. qui pilos vocat fuliginoſum vaporem, qui calidus eſſe debet, & hirſutos calidiores iudicat. *lib. art. medicinal.* Tum, quia pili nos calefaciunt, & ea eorum defectu frigiditatem experiuntur animalia: Tum quia pili ad tactum non apparent frigidi: ergo non ſunt inter frigidiora

B annumerandi.

Tertiò: oſſa nutriuntur ex medulla, quæ aëreæ naturæ eſt, vt oleoginoſa eius natura demonſtrat: Tum, oſſa igni appoſita oleoginoſam de ſe præbent ſubſtantiam, quæ facile accenditur: ergo oſſa calidæ & aëreæ temperaturæ ſunt.

Quartò: cartilago conſiſtentiam habet prouenientem à ſiccitate: ſed hæc poteſt ab ignea natura, prouenire: ergo non inde apparet, quòd ſit frigida.

Quintò: ligamentum oritur ab oſſe; ſed os eſt frigidius cartilagine: ergo, & ligamentum.

Sextò: chorda, & panniculus ab animali extracta apparent calida: ergo, & in ipſo caliditate excedunt.

Septimò: neruus medulla conſtat, quæ aëreæ eſt naturæ: ergo, & caliditatis exceſſu gaudet.

C Octauo: nuca, & cerebrum eiuſdem ſunt naturæ; ſed cerebrum calidiſſimum eſt, à quocumque enim vtcumque calido aëre alteratur, ex Hipp. calidos, tenuéſque ſpiritus animales generat, & vitales ſpiritus viteriùs concoquit, & in animales immutat: ergo quia calidiori gaudet natura.

Nonò, adeps calida apparet: Tum ex Ariſtot. *lib. 3. de partib. animal.* vbi ait: *Pingue omne calidum*, & *lib. 4. de partib. animal. cap. 3.* dicit de omento, quòd natura eo abutitur ad cibi meliorem coctionem, & addit: *Pingue calidum eſt, & omentum pingue*: Tum ex Galen. *lib. 11. de ſimplic. medic. facultatib.* ait: *Omnis pinguedinis facultas eſt humectatoria & calefactoria*, & lib. 4. de vſu partium: *Omentum tenet creatum calidum gratia calefaciendi*: Tum, quia fit ex oleoſa ſubſtantia, quæ aërea

D eſt, & calida.

§. II.

Auicen. ſententia amplectitur.

REſoluendum Affirmatiuè ex Auicen. decreto *fen. 1. 1. diſt. 3. cap. 2.* Quem ſequitur ſuorum commentatorum aſſenſus maiori ex parte.

§. III.

Dilucidatur reſolutio obiectionum ſolutionibus.

E AD 1. reſpondetur: Tum, quòd Galenus inter partes ſiccas frigidiores conſtituit pilos, nõ reſpectu pituitæ, quæ humida eſt: Tum, quòd ſanguis non fit ea pituita quarto humore, de quo Auic. ſed ex ſanguine diminutè cocto, qui pituitæ alia eſt ſpecies: Tum, quòd frigiditas cum humiditate non obſtat fluxibilitati, vt apparet in aqua: Tum, quòd melancholia non ab intenſiori frigiditate, ſed ratione adiunctæ ſiccitatis fit denſior.

Ad 2. reſpondetur: Tùm, quòd pili ex terrea fiunt materia, & ideò in illis reſultat frigiditas, etiam ſi fierent vſtione, & Galen. hirſutos calidiores iudicat, quia calore aduritur terrea materia, ex qua fiunt pili,

ipſi autem frigidi euadunt, quia ex frigida, & terreſtri materia generantur: Tùm, quòd calefaciunt per accidens impediendo effluxum caloris, ſic frigidior aqua tetanum cutas calore; Tùm quòd pili ambienti ea poſiti ambientis temperie actuali gaudent.

Ad 3. reſpondetur: Quòd oſſi oleaginoſum iniungi debuit, vt nimia illius durities aliqualiter eius mollitie attemperaretur, nec ita facilè infringi poſſet, & ideò pro eorum nutritione deſeruit ex humoribus terreum pro oſſia ſubſtantia, aëreum pro oleaginoſo eia admixto.

Ad 4. reſpondetur: Quòd terrea conſiſtentia requiſita pro firmitudine cartilaginis à ſiccitate terrea debuit tribui, qua compactior fit ſubſtantia.

Ad 5. reſpondetur: Quòd ligamentum, ſicut tenuioris eſt ſubſtantiæ, ita & ea minus terrea, ac frigida ſubſtantia petit fieri.

Ad 6. reſpondetur: Quòd non ſentiuntur in ſua temperie, donec remittatur actualis calor ab extrinſeco communicatus.

Ad 7. reſpondetur: Quòd ipſa medulla pars eſt ſpermatica & frigida, vt patet de cerebro.

Ad 8. reſpondetur: Tum, quòd cerebrum ratione temperiei debitæ ſuæ ſubſtantiæ eſt frigidum, at ratione caliditatis, qua ab ſpiritibus alteratur, fit calidum: Tum, quòd ſpiritibus concoquit non ſolùm natiuo, ſed actuato etiam calore, quo abundat ratione ſpirituum, vt patebit amplius *tract. de ſpiritibus*.

Ad 9. reſpondetur: Quòd Ariſt. & Galen. adipem duplici ratione appellant calidam, vel dum in corpore eſt, & ſua corpulentia fouere poteſt, quo minus ſpiritus reſoluantur, & impedit effluuium caloris; vel extra corpus, reſolutis aliquibus partibus frigidis, calidior redditur, & apta fit calefacere.

Resolutio V.

Vtrùm partium humidarum ordo rectè præſcribatur?

§. I.

Auicennæ ordo proponitur, & oppugnatur.

PArtes noſtri corporis humidas proponit Auicen. pituitam, ſanguinem, pinguedinem, adipem, cerebrũ, nucam, carnem mamillarum, carnem teſticulorum pulmonem, hepar, renes, muſculos, cutem: quæ an ordine propoſito ſe præferant, hæc dubitare cogunt,

Primò pituitæ humiditati opponitur: Tum, quòd ſi pituita eſſet humida, maximè quia aquea abundat ſubſtantia: ſed ſeroſi ſucci in corpore redundantes plus de aqua continent: Tum, quòd ſanguis, in quo redundat plus de aëre, cui debetur intenſior humiditas, humidior debet eſſe: Tum, quòd ſi reliquis humidior, fluxibilior etiam humor deberet eſſe, cùm fluxibilitas ab humiditate proueniat.

Secundò: ſanguis ſiccus apparet: Tum, quia relictus ſuæ naturæ ſtatim concreſcit, cui obſtaret humiditas. Tum, ſanguis caliditate excedit à qua, cùm fiat reſolutio partium humidarum, ſiccum reddi, eſt neceſſarium: Tum, quia bili, & melancholiæ eſt commixtus: ergo ſiccum reddi eſt neceſſarium.

Tertiò: pinguedinem, & adipem, pituita, & ſanguine humidiores ait Galen. *lib. 2. de temperamentis c. 4.* Commodè igitur dictum humidiſſimum eſſe adipem: Tum, ſiccæ apparent, ſtatim enim concreſcunt: Tum, ſuæ naturæ relictæ, & in corpore contentæ fluidæ non ſunt: ergo nec humidæ.

Quartò: cerebrum, & nucam non eſſe humida: Tum, ex Ariſtot. *lib. de partibus animal. c. 7.* Cerebrum terrea tenet abundare materia, ea qua ſiccitatem prouenire eſt neceſſe: Tum, Gal. 2. *de temperam. c. 4.* Poſt pinguedinem carnoſum genus ponit: Tum, quòd externa humiditate cerebrum continuò perfunditur, nec ideò interna indiget: Tum, quia ſpirituum vitalium continuò afflatu: ergo exſiccatum remanet.

Quintò: caro mamillaris, & teſticulorum, conſiſtentem, duramque ſubſtantiam obtinet: ſed non frigiditate, cùm caliditate fruantur: ergo ratione excedentis ſiccitatis.

Sextò: pulmonis humiditati repugnat Auicen. qui ex bili ſanguini admixta docet illum nutriri, ratione cuius debet ſiccus reddi: Tum, quia igni appoſitus non liqueſcit ſicut adeps, cui adiuncta eſt humiditas: Tum, quia cordis calori adiungitur, à quo exſiccari eſt neceſſe: Tum, quia continuo motui eſt deſtinatus, in quem finem exſiccatio requiritur: Tum, quia continuo aëre ventilatur, à quo exſiccari eſt neceſſe: ergo ſicci ſunt pulmones.

Septimò, hepar melancholiam, & bilem ſiccas producit: ergo ſiccitate prædominante gaudet.

Octauò: Galen. humidas partes ex mollitie cognoſci docet, & renes non ſunt molles: Tum continuò lotio abundant, à quo exſiccari eſt neceſſe: ergo ſunt ſicci à prædominio.

Nonò: muſculi ſunt duri ad motum deſtinati, & reliquarum partium tenorem, & conſiſtentiam: ergo habent etiam ſiccitatem.

§. II.

Ordo ab Auicen. in humidis partibus admittitur.

REſoluendum: Quòd debitè proponit Auicen. partium humidarum ordinem. Sic deducitur ex eius doctrina, *fen. 1. doct. 3. c. 4.* & ex conſenſu ſuorum Commentatorum, argumentorumque ſolutionibus.

§. III.

Aperitur reſolutio argumentorum reſponſis.

AD 1. reſpondetur: Tum, quòd ſeroſi humores admixtam habent bilem, ſalſuginoſi ſunt, & ſiccitate abundant: Tum, quòd ſicut licèt aër humidior aquâ, hæc magis humectat, ſic & pituita humectat plus ſanguine: Tum, quòd frigiditas fluxibilitati, & tenuitati obſtat, vt apparet in aqua reſpectu aëris, quæ à frigiditate craſſior fit.

Ad 2. reſpondetur: Tum, quòd ſanguis ratione fibrarum concreſcit: Tum, quòd à natiua caliditate, quæ aërea ſiccus non redditur, ſicut nec aër: Tum, quòd licèt aliter à bile, & melancholia eius humiditas attemperetur, ſicut illarum ſiccitas à ſanguinis humiditate, non tamen ita vt cum prædominio propriarum qualitatum non remaneat.

Ad 3. reſpondetur: Quòd Galen. conſtituit adipem humidiorem reliquis partibus viuentibus, non reſpectu humorum, qui non viuunt: Tum, quòd concretio prouenit ab extrinſeco præcipuè à frigiditate ambientis, ſicut accidit in omni ſubſtantia adipoſa, aut oleaginoſa: Tum, quòd defectu fluxibilitatis non obſtat in parte viuente, quominus pars humida ſit, accidit enim à conformatrice non à primis qualitatibus modus ſubſtantiæ.

Ad 4. reſpondetur, Tum, quòd Gal. terrea, & aquea natura cerebrum abundare docet, eſt tamen cum aquæ prædominio à qua intenſior humiditas: Tum,

quod

A quòd inter partes carnoſas ſunt glandulæ,& cerebrum inter quas eſt humidius: Tum, quòd à ſua humiditate prouenit etiam, quòd ſuperfluis abundet humiditatibus: Tum, quòd licèt aliqualiter ab ſpiritibus ſiccetur, prædominat humiditate ſemper ea natiua temperie.

Ad 5. reſpondetur: Quòd ſubſtantiæ modum à conformatrice obtinent, non ab alterantibus ſolùm qualitatibus.

Ad 6. reſpondetur: Tum, quòd Auic. ex bile, ideſt, ex ſanguine à corde calefacto, ac ſi eſſet bilis, ait pulmones nutriri, non tamen in bilem ab intrinſeco mutato: Tum, quòd non tanta aërea conſtat ſubſtantia, vt poſſit liqueſcere, ſufficiente tamen aquea; & aërea, vt ſint humidi à prædominio: Tum, quòd à formatrice ſubſtantiæ modum obtinent motui aptum, à propria temperie humiditatem, qua motus cauſa non nimis exſiccentur: Tum, quòd aëris exſiccationi, & propria, & B intrinſeca humiditate reſiſtunt.

Ad 7. reſpondetur: Quòd mediis aliquibus terreis, & igneis partibus, vel ob paſſi diſpoſitionem eas producit ſiccas.

Ad 8. reſpondetur: Quòd correſpondet humiditati mollities, & hæc ſicut remiſſior eſt quàm in reliquis partibus quæ enumeratæ ſunt in renibus, ita & mollities.

Ad 9. reſpondetur: Quòd muſculi ſupra mediocritatem humiditatem retinent, cui non obſtat ſubſtantiæ modus à formatrice ſuæ actioni proportionatus.

C

Resolvtio VI.

Verùm partium ſiccarum ordo ſit debitè adaptatus?

§. I.

Series partium ſiccarum ex Auicenna deducitur, & oppugnatur.

D Avicen. proponit ſicciores corporis partes hac ſerie, pilos, oſſa, cartilaginem, ligamentum, chordam, panniculum, arterias, venas, neruos motûs, cor, neruos ſenſûs, cutem: ſed hanc doctrinam inuertere videtur.

Primò: quòd ſiccum eſt durum, quod durum frangibile, ſed pili non franguntur: ergo non ſunt ſicciſſimi inter corporis partes.

A Secundò: oſſa apta ſunt pro nutritione viuentis omnia viuentia ſunt à prædominio humida in principio, & petunt ali ex humidis alimentis: ergo oſſa ſunt humida.

Tertiò: cartilago, arteria, & vena ſunt partes ex ſemine factæ, ſemen corpus eſt humidum, aëreum, & ſpumoſum: ergo partes quæ ex illo fiunt debent aſſimilari in temperie illi.

Quartò: nerui ſenſûs, & nerui motûs medulloſâ conſtant ſubſtantiâ à cerebro originem ducente: ſed cerebrum eſt à prædominio humidum: ergo, & nerui.

Quintò: cor deſtinatum eſt pro ſpirituum vitalium generatione: ſed ſpiritus vitales ſunt aërei, & humidi: ergo cor humidum eſt à prædominio.

§. II.

B

Auicennæ doctrina amplectitur.

Reſoluendum amplectendam eſſe Auicen. doctrinam: hæc deducitur ex illo, *fen.* 1. 1. *doct.* 3. *c.* 1. Sequuntur Commentatores, & communiter Medici.

§. III.

Oppugnantes rationes ſoluuntur.

C Ad 1. reſpondetur: Quòd durities ex ſiccitate, aut frigiditate. vt cũ tali commixtione prouenit partium humidarum; ſiccitate enim humiditati impermixta potius friabilitas accidit, vt apparet in terra.

Ad 2. reſpondetur: Quòd omnia viuentia medio humido radicali, & calido innato fruuntur vita; aliqua tamen ſunt à prædominio frigida, alia ſicca, vt canes, quibus veſci oſſibus, & ali datur vt proportionali alimento, etiamſi ſiccitate excedant.

Ad 3. reſpondetur: Quòd fiunt ex craſſiori, terreſtriorique ſemini, parte, non ex tenuiori, & aërea.

Ad 4. reſpondetur: Quòd nerui ſubſtantia eſt duplex interior, & exterior; exterior membranea eſt, & ſicca; interior cerebri pars, ſed durior, & ſiccior; ita vt D totus neruus euadat ſiccus à prædominio, licèt ſola medulla maiori gaudeat humiditate, quàm pars membranoſa.

Ad 5. reſpondetur: Quòd cor ratione diſpoſitionis materiæ ſiccum, & calidius eſt, tamen humidiores ſe ipſo producit ſpiritus, producuntur enim hæ qualitates ab ſpirituum forma, vt determinata per partes materiales aëreas in ſpiritu vitali prædominantes.

DISPVTATIO III.

De Ætatibus.

Mvltipliciter de ætatum natura authores agunt, quiſque pro diuerſo fine artis quam profitetur ætatem diffinit, & diuidit. Medici verò ætates ſpeculantur, quatenus cuicumque earum diuerſa debetur temperies, iuxta quam varij ſupereueniunt morbi hominibus in illa, diuerſæque ſunt vnicuique debitæ operationes, & connaturales iuxta vnamquamque temperiem. De quarum natura, & diuerſitate egerunt ex medicis, Hipp. *lib.* 1. *de diæta, lib.* 1. *Aphoriſm. lib.* 1. *&* 3. ibidem Galen. E & *lib. de ſanitate tuenda, lib.* 5. *de placitis Hipp. & Platon. libro de ſalubri diæta.* Soranus Epheſius *in Iſagog. cap.* 5. Ariſt. *libro de iuuentute, & ſenectute,* ibi Albertus Magnus, *& alij ex Commentatoribus,* Auicen. *fen.* 1. 1. *doct.* 3. & *ibi* Gentilis, Iacobus de Partib. Forliuienſis, Nicolaus Florentinus, & Gratiolus ex modernioribus verò Fernelius *lib* 3. *phyſiolog. cap.* 10. Segarra *lib.* 2. *de temperam. cap.* 2. Valleriola *lib.* 1. *de locis communib. cap.* 10. Valles *lib. controuerſ.* Mercatus *tom.* 1. *part.* 1. *claſ.* 4. Petrus Garc. *fen.* 1. 1. *doctr.* 3. *diſp.* 16. Zachias *lib. quæſtionum medico-legalium tit.* 1.

Sennertus

Sennertus *lib.*2. *inſtitutionum cap.*4. Santa-Cruz *in ſen.* 1.1 *opuſc.*4. Varand.*lib.*1.*phyſiolog ſect.*2.*cap.*5. Peramatus *lib. de temperam.* Duncanua *lib.* 1. *phyſiolog. cap.*6. Martinez *lib.* 1. *ſect.* 3. *quaſt.* 4. Fuchſius *lib.* 1. *inſtit. ſect.*3. Coſtæus *diſquiſit.phyſiolog.l.*3. Bertinus *lib.*2.c.6. Ioël *lib.*1.*compendij medicinæ ſect.*3. Thomas de Garbo *tract.*1. *lib.* 1. Angelucius *lib.*1. *de arte medica cap.* 3. Plempius *lib.*1.*de fundamentis medicinæ cap.*8.

SECTIO PRIMA.

De ætatum cauſa.

CErtæ ſunt rerum menſuræ, per quas earum metimur quantitatem, permanentes pro permanentibus, ſucceſſiuæ pro ſucceſſiuis. Iſtæ pro modo rei menſuræ variis inſigniontur nominibus: Dei duratio æternitas, Angeli æuum, ſublunariom tempus nominatur. Medici tamen maximè attendunt ad morborum menſuras, quæ morborum vocantur tempora, & ad menſuras quæ ſuperuenientes neceſſariò in homine menſurant temperamenti mutationes, quas Ætates vocant, de quib. agemus ſub hac ſectione.

RESOLVTIO I.

Vtrùm ætas ſit menſura durationis vitæ humanæ?

§. I.

Antiquorum incuria & modernorum diſcordia in diffinienda ætate patefit.

HIpp. Galen. Auicen. nec Principum medicinæ illius ætatem diffinit: inter iuniores nullus alteri aſſentitur. Legum latores, *permenſuram durationis vitæ humanæ ipſam deſcribunt.* Poëtæ eam conſtituunt, *in centum annorum duratione*, Segarra *lib.*2. *de temperam.cap.*8. ait, quòd eſt, *Mutatio natiui temperamenti ad ſiccius, ratione annorum proueniens*, Fernel. *l.* 1. *partis naturalis cap.* 10. Cui annuit aliquantulum Zachias, quod eſt, *Vitæ curriculus quo lucu-lenter corporis conſtitutio per ſe, ſuoque nutu mutatur*, Vallerıola *lib.* 1. *de locis com m. cap.* 10. quòd eſt: *Temporis in vita diſcurſus, à quo varia in animantibus temperamentorum genera ſumuntur*, Valle. *lib.* 1. *controuerſ. cap.* 3. quòd eſt, *Temperamentum aduentitium à cauſis naturalibus ineuitabilibus*, Catteiros *ſen.* 1. 1. *doct.* 3. *cap.* 1 *diſp.* 16. quòd eſt, *Temperamentum progreſſu temporis comparatum, non à cauſa morboſa, aut vſu rerum.* Duncanua *lib. phyſiolog. cap.*6. quòd eſt, *Spatium vitæ, quo actione natiui calidi in ſuum humidum corporis conſtitutio manifeſtè mutatur*, Varandæus *lib. phyſiolog. tract. de temperam. cap.*5. quòd eſt: *Diſpoſitio quædam in viuentibus iuxta complexionem variam ex actione calidi in humidum cauſatam, in qua animal augetur, conſiſtit, creſcit, & tandem interit.* Zachias *l.* 1. *quaſt. medico-legal.q.*1. quòd eſt, *Certum vitæ ſpatium, in quo pro temperamenti mutatione corporis,& animæ peculiares vigent IX. actiones*, Mercatos *tom.*1. *tract. de temperament. part.*2. *claſ.*4. *art.*4. quòd eſt, *Temperamentum natiuum*, Santa-Cruz *in ſen.* 1. 1. quòd eſt, *Menſura partium humanæ vitæ.* Complutenſis Neotesicus, ac perdoctus Martinez Segarræ adhærens; quòd ſit, *Mutatio natiui temperamenti in ſiccius, annorum numero proueniens.* Et alij aliter, ex quibus colligi poteſt ætatem non eſſe durationis humanæ vitæ menſuram.

Secundò: Zachias, & Martinez, ille in Legum-peritos, hic in Santa-Cruz irruens, per menſuram non diffiniri ætatem contendunt; quia omnes deſumunt ætatis diuiſionem à temperamento, cuius naturam conantur medici in ætatibus perquirere, quod quàm diuerſum ſit à tempore, conſtat.

Tertiò: fauet eis Galeo. qui *lib.* 5 *de ſanitate tuenda.* ſenectutem diffinit quòd *Temperamentum ſiccum, & frigidum ſit*: Ergo in temperamento ſtat ratio ætatis, & non in menſura.

Quartò: quia Medicus ætates ſpeculatur vt in illis diuerſis diuerſa vtatur remediorum ſorte, quæ diuerſitas cùm à tempore, quod vnum eſt, variari non poſſit, ab alio principio debet conſtitui ætas.

§. II.

Debitam ætati ſancimus diffinitionem.

REſoluendum: Quòd ætas eſt menſura durationis vitæ humanæ ſub determinato temperamento ex inſitis orto, & variabili neceſſario à cauſis ex naturæ præſcripto operantibus.

Patet diffiniendi modus,& veritatis conſequutio in percipienda ætatis natura, quia ſic ſe habet ætas in medica ſpeculatione pro menſuranda hominis duratione ſub diuerſis temperiebus ex inſitis debitis, ſicut ſe habent anni tempora pro menſurandis anni temporibus, & tempora morborum pro menſurandis eorum durationibus, ſub diuerſis cauſæ morbificæ diſpoſitionibus: ſed medicus tempora anni ver, æſtatem, autumnum, & hyemem conſiderat ſecundum quòd horum quodlibet eſt menſura durationis anni ſub hac aut illa temperie; & tempora, morborum principium, augmentum, ſtatum, & declinationem ſecundum quòd horum quodlibet menſurat durationem morbi ſub hac, aut illa materiæ alteratione: ergo ætas ſimiliter à medico diffiniri, & ſpeculari debet ſecundum quòd quælibet eſt menſura durationis vitæ humanæ ſub hac, aut illa temperie ex inſitis illi debita.

§. III.

Pro Zachia, & Martinez argumentis ſatisfacimus.

AD 1. reſpondetur: Quòd authorum varietas in diffiniendo orta eſt ex eo quòd diffinitionem in antiquis non reperiunt, cuius authoritati acquieſcant, & quia rem menſuratam per ætatem pro ætate recipiunt, (quæ temperamentum eſt) & cum in ipſo varia poſſint conſiderari, quæ ratione illius accidunt in homine: iuxta horum diuerſitatem varias etiam diffinitiones deſumunt.

Ad 2. reſpondetur: Quòd cùm medicus ſpeculetur varia hominis temperamenta naturalia, ratione quorum varij ſuboriſcunt morbi, diuerſa victus ratio eſt præſcribenda, mutantur mores, & variantur vires pro præſcribendis remediis, & cùm hæc debeat cognoſcere, & diuidere ſecundum quòd cuique debetur ſua duratio ſub determinato annorum numero, hinc eſt quòd medicus de ætate agit ſecundum quòd eſt menſura durationis vitæ humanæ, ſub hoc, aut illo temperamento, quod medicus intendit ſpeculari, & cuius contendit temperiem cognoſcere.

Ad 3. reſpondetur: Quòd cùm medicus, vt ait Auic. *fen.* 1. 1. ſit artifex ſenſualis, plerumque ea, quæ conducunt ad medicam cognitionem, per id, quod magis ſenſibile eſt, explicat, & cùm ætas ſit menſura durationis vitæ humanæ, vt connotat natiuum temperamentum: ætatem ſicuti ſenectutem per rem connotatam diffinit claritatis cauſâ, ſcilicet per frigiditatem,

tatem, & ſiccitatem, quæ ſunt temperamentum connotatum per menſuram eius ætatis, quæ dicitur ſenectus.

Ad 4. reſpondetur: Quòd medicus ætatem ſpeculatur, prout dicit menſuram durationis vitæ humanæ ſub tali temperamento, ratione cuius homini ſunt propriæ tales actiones, ſuperuenire poſſunt tales morbi, conuenit talis victus, & poteſt hæc aut illa ferre remedia: non ratione eius, quod dicit ætas de formali, ſed de connotato, ſicut à ſimili patet in doctrina Hipp. qui docet, quòd *anni tempora varios pariunt morbos*, & *3. aphor. 1.* quòd *mutationes temporum*, ideſt temperierum, quæ illis debentur, quod non debet intelligi de formali temporum anni, ſed de temperie cuiuſlibet, quam quodlibet anni tempus dicit de connotato.

Resolvtio II.

Vtrùm ætates ſint quinque?

§. I.

Legumlatorum, Philoſoph. & Medicor. placita, & aliqua rationes proponuntur pro parte negatiua.

NVllus eſt ex primis ſine authore numerus: Coſtæus *lib. 3. diſq. phyſiolog. c. 3.* Leonellus *de hominis præcedentia q. 5. art. 3.* duas admittunt ætates, creſcentem, & decreſcentem: Ariſtot. *lib. de iuuentute, & ſeneƈt. lib. de reſpiratione*, tres eamdem admittit, creſcentem, ſtantem, & declinantem, à quo non diſſentit Seruius Tullius, referente Aulo Gellio *lib. 1. noct. Atticar. c. 28.* qui iuuentutem, vigorem, & ſenectutem admittit: nec diſcedit Cardanus *lib. 2. contradict. 10.* & Epiphanius Ferdinandus *lib. 2. theoremat. medic.* Auic. quatuor admittit *fen. 1. lib. 1. doct. 3. c. 3.* & tenet Gloſſa *in leg. hæredum, ff ad leg. falcidiam.* ſequuntur Commentatores, & Albertus Magnus *lib. de ſeneƈt. & iuuent. tr. 1. c. 2.* Fontan. *1. aphor. 13.* Valleriola *loc. comm. c. 10.* Sex ætates admittunt Legumlatores plures, & Fuchſius *lib. 1. inſtit. ſeƈt. 3. c. 4.* Septem admittit Gloſſa *in §. minor natu, Inſtit. de adoptionibus*, admittit ſimiliter Cald. referente Crinito *lib. 23. de honeſta diſciplina.* Tribuentes vnam ætatem cuicumque Planetæ; huius ſententiæ fuit Gordinus, illámque tribuit Hipp. fuit & Cenſorinus *lib. de die naturali:* Nouem ætates Ioël admittit, decem recepit Solon, & Macrobius *lib. 1. de ſomno Scipionis c. 6.* Stateas verò duodecim admittit, & ex doctrina Galen. id comprobari poſſe iudicat Coſtæus *lib. 3. c. 3. diſq. phyſiolog.* Ex quo apparet non eſſe quinque ætates.

Secundò ex medicinæ parentibus videtur obſtare Hipp. *1. Aphoriſ. 12.* Quatuor admittens, Galen. *lib. 8. de placitis, & lib. 1. de diæta.* Auicen. *fen. 1. 1. doct. 3. c. 3.* Et Ariſt. tres tantum *lib. de iuuent. & ſeneƈt.* Ergo plures aut pauciores ſunt admittendæ.

Tertiò: ſub quacumque ex annumeratis ætatibus ſunt aliæ quàm plures, quæ ætatum numerum ampliorem faciunt: ergo plures quàm quinque ſunt admittendæ.

§. II.

Ex Fernelio, Valles, Carreiro, & aliis affirmatiua pars amplectitur.

REſoluendum: Quòd quinque ætates ſunt admittendæ à Medico, quibus in vitæ humanæ duratione menſurentur ſenſibiles mutationes, & diuerſæ temperies, quæ in homine ſuperueniunt ex variatione temperamenti ſubſtantifici naturaliter. Prima dicitur pueritia perdurans ad annum quatuordecimum. Secunda adoleſcentia perdurans ad annũ vigeſimum quintũ. Tertia iuuentus menſurans vſque ad trigeſimũ quintum. Quarta conſiſtentia ſe extendens ferè ad quinquageſimum: poſt quam ſequitur Quinta, ſenectus dicta, in vltimum vitæ ſe extendens. Tenet Fernelius *lib. 3. phyſiolog. cap. 10.* Valles *lib. 1. controuerſ. c. 3.* Petrus Garcia *in fen. 1. 1. diſp. 16. c. 3.* Peramatus *lib. de temperament. cap. 14.* Martinez *lib. 1. ſeƈtione 3. quæſtione 1.*

Probatur 1. Ex Galeno, qui *lib. 3. Aphoriſm.* cum **B** Hipp. vnicuique ætati adaptans morbos proprios, & ratione temperiei homini debitos in illa, quinque ætates diſtinguit, quibus diuerſi ſubcreſcunt morbi.

Probatur 2. Quoad vſum medicum tot debent admitti ætates, quot ſunt menſuræ durationis vitæ humanæ ſub diuerſis temperiebus ex inſitis in homine neceſſariò ſuperuenientibus: ſed quinque ſunt huiuſmodi menſuræ: ergo quinque ſunt ætates. Probatur minor, tot ſunt huiuſmodi menſuræ, quot ſunt debitæ homini diuerſæ ex inſitis natiuæ temperies: ſed quinque ſunt diuerſæ temperies homini debitæ, caliditas, & humiditas vſque ad annum decimum quartum; caliditas, & mediocritas inter ſiccitatem, & humiditatem vſque ad vigeſimum quintum; caliditas, & ſiccitas vſque ad trigeſimum quintum; ſiccitas, & mediocritas in caliditate, & frigiditate vſque ad **C** quinquageſimum annum; frigiditas, & ſiccitas vſque ad totum vitæ decurſum perdurans: ergo quinque ſunt ætates, pueritia, quæ menſurat prædominium caloris, & humiditatis; adoleſcentia, quæ menſurat calorem excedentem cum mediocritate in ſiccitate, & humiditate; iuuentus, quæ menſurat ſiccitatem excedentem cum excedente caliditate; conſiſtentia, quæ menſurat excedentem ſiccitatem cum mediocritate in actiuis qualitatibus; & ſenectus, quæ frigidum, & ſiccum temperamentum menſurat.

§. III.

Reliquorum ſententia, & fundamenta diluuntur.

D AD authorum varietatem dicimus: Quòd ſunt diuerſi in diuidendo (ſicut contingit & in aliis rebus) quia in diuerſos tendunt fines. Legumlatores reſpiciunt ætates prout homines in illis poſſunt diuerſo modo eſſe vtiles reipublicæ, Aſtrologi prout iudicant dependere à Planetis humani corporis mutationes, & eorum numero, quæ ſenſibiles ſunt commenſurari; Philoſophi prout ſublunarium omnium mutationes attendunt; Medici prout in diuerſis ætatibus diuerſæ ſuperueniunt temperies ratione quarum homines diuerſis morbis ſubiſtere, aut reſiſtere **E** poſſunt.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd quandoque Hipp. & Galen. ætates diuidunt phyſico rigore iuxta communes rerum mutationes, ſecundum quas omnia ſublunaria, & quæcumque mutabilia eſſe incipiunt, augentur, perueniunt in aliquem ſtatum, à quo vlterius declinant, in qua conſideratione Auicen. illos ſequutus eſt.

Ad 3. reſpondetur: Quòd quinque ſunt diuerſæ temperies ex inſitis homini ſuperuenientes, ſecundum quas per quinque annumeratas ætates petunt menſurari. Sub aliquibus tamen earum ſunt quædam ſenſibiles mutationes, quarum durationes

commenſurantur per alias partiales ætates, quæ harum quinque prædictarum ſunt partes, licèt propriis inſigniantur nominibus, vt earum diuerſitas poſſit cognoſci, quarum diuerſitas, & aliquibus fuit ratio plures ætates multiplicandi: ſub pueritia enim continetur infantia vſque ad ſeptimum menſem, in quo puer dentire incipit, & incipit etiam dentitionis ætas, quæ menſurat vſque ad ſeptimum annum, à quo vſque ad vndecimum in ordine ad ſe firmatur homo, & ab ipſo in ordine ad ſe vſque ad decimumquartum annum firmatur etiam, & magis in ordine ad ſimilis productionem. Similiter adoleſcentia habet ſub ſe pubertatem vſque ad annum 18. in qua pili in barba incipiunt, & vlterius ipſa extenditur ad annum 25. Sub ſenectute tres diſtinguit Galen. *lib. de ſanit. tuenda*, crudam ſeu viridem, in qua propria valet obire negotia, in ſecunda balnea ſuſtinere valet, & propriæ conſulere ſaluti homo, vltima neutrum patitur, & per interitum naturalem terminatur.

Resolvtio III.

Vtrùm in pueritia debeatur homini caliditas, & humiditas?

§. I.

Negatiua pars proponitur, & fulcitur.

PVeritia *menſura eſt durationis vitæ humanæ ſub humido, & calido temperamento:* Quod menſurare incipit à natiuitatis die apud Legumlatores, vt contendit Zachias: ſed apud Medicos potius à die conceptus, in quo ex principiis generationis propriam nanciſcitur temperiem, cuius durationis menſura eſt pueritia. Ipſam tamen aliqui conantur extendere ad 25. annum, ad quem pubertas ſe extendit, à qua dicitur pueritia ex Iuriſconſulti decretis, ſed in medicorum ſcholis ſicut nec menſurata temperies non vltra decimumquartum progreditur annum: ſimiliter nec eius menſura, aut ætas: de cuius temperie hæc dubitare faciunt,

Primò: pueri in caliditate, & humiditate temperati videntur: Tum, quia Hipp. 3. *aphor.* 18. pueros Vere melius dicit ſe habere ob ſimilitudinem cum illo in temperie: Tum, ex Galen. *lib* 8. *de placitis*, qui docet, quòd pueritia eſt ſimilis Veri: ſed Ver eſt temperatum: ergo & pueritia.

Secundò: frigida à prædominio apparet eſſe: Tum, quia ex Hipp. 3. *Aphor.* frigidis morbis infeſtatur: Tum, quia à primo ortu lac pro nutrimento illis eſt aſſignatum à natura, quod cùm frigidum, frigidam arguit pueri nutriendi temperiem. Tùm, quia fit puer proximè ex ſemine, ex quo quæ generantur, frigida euadunt, vt apparet in temperie partium ſpermaticarum: ergo in pueritia homo frigidus eſt.

Tertiò: omnia viuentia poſſunt eſſe à prædominio frigida, & ſicca: ſed puer eſt viuens: ergo poteſt eſſe à prædominio frigidus, & ſiccus. Probatur maior ex Galeno *lib. 2. de temperament. c. 1.* docente, viuentia calida, & humida dici comparatione facta ad ipſa mortua; in ſe tamen frigida, & ſicca eſſe poſſe: ergo poterunt omnia viuentia eſſe frigida, & ſicca.

§. II.

Galen. communis opinio ſancitur, & probatur.

REſoluendum; Quòd in pueritia debentur homini ex inſitis caliditas, & humiditas à prædominio. Tenet Galen. *lib. 8. met. in c. 16.* & probat latiſſimè *lib. 2. de temperament. c. 2.* Auicen. *fen. 1. 1.* Ariſt. *ſect. 3. problem. quæſt. 7.* Fernelius *lib. 3. phyſiolog. cap. 10.* Leonardus Fuchſius *lib. 1. inſtit. ſect. 5. c. 4.* Valleſ. *lib. 1. controuerſiar. c. 8.* Varandæus *lib. phyſiolog. tract. de temperament. ſect. 1. c. 5.* Petrus Garcia *in fen. 1. 1. diſp. 19. c. 1* Martinez *lib. 1. ſect 3. q. 2.* & eſt communis.

Probatur rationibus deductis ex Galeno. *lib. 2. de temperament. cap. 2.* Primò à priori: Temperamentum qualitatiuum debet eſſe proportionatum temperamento ſubſtantifico, à quo determinatur forma ad eius productionem, vt patet *ex ſect. 1. diſp. 3.* Sed temperamentum ſubſtantificum puerorum eſt calidum, & humidum propter prædominium partium elementorum calidorum, & humidorum: ergo & qualitatiuum. Probatur minor: temperamentum ſubſtantificum pueri conſiſtit in partibus materialibus commixtis, quæ remanent ex principiis generationis, ſanguine, inquam, & ſemine, quæ ſunt calida, & humida ex Gal. *lib. de ſemine, & 1. de ſanitat. tuend.* Sed puer proximè ex his conformatus eſt: ergo eſt calidum, & humidum in puero, propter prædominium partium calidarum.

Dicit Carteirus: Quòd ex temperie præcedente in corrupto non infertur ſimilis temperies in genito, dum illi non eſt ex vſu.

Sed debitè reprehenditur à Martinez, & ſatis à nobis manet confutata hæc opinio *ſection. 3. diſput. 3.* & vlterius improbatur, quia licèt ex temperie actuali, quæ præceſſit in corrupto non inferatur pro genito ſimilis temperies, bene tamen ex ſubſtantifica temperie, nam cùm hæc determinet formam ſubſequentem de nouo informantem ad productionem qualitatum, quæ illis materiebus debentur, eò ipſo quòd partes materiales elementorum fiant materia geniti, neceſſariò debent pullulare in illis qualitates debitæ, vt ex dictis *ſection. 2. diſp. 2.* patet.

Probatur 2. à ſimili in reliquis animalibus, quæ quia ex eiſdem fiunt principiis, experientia docet, quòd humidiora ſunt, ideò gratiora guſtui, quàm tractu temporis, dum fiunt ſicciora: ergo idem dicendum in homine.

Probatur 3. à poſteriori ex qualitatibus ſecundis, quæ reſultant ex primis, qualis eſt mollities, quæ ex humiditate progignitur, quæ in pueris ex impotentia ad motum primò apparet: ergo ſunt à prædominio humidi.

Probatur 4. ex fine: Illa temperies à natura debuit adaptari pueris quæ aptior eſt, vt per illam deducantur in magnitudinem illis debitam: ſed calor, & humiditas à prædominio ſunt qualitates, mediis quibus, meliùs hic finis conſequitur: ergo his gaudent prædominantibus qualitatibus. Probatur minor, calor eſt principium effectiuum coctionis, nutritionis, & augmentationis, humiditas præbet aptitudinem, obedientialemque reddit materiam: ergo calor, & humiditas à prædominio ſunt qualitates, mediis quibus, meliùs hic finis conſequitur.

§. III.

Rationes communem doctrinam impugnantes ſoluuntur.

AD 1. reſpondetur: Quòd ver, cui puer aſſimilatur in temperie, & in quo melius degit, ſëri etiam eſt ſimile, & ſicut ille, prædominatur in caliditate, & humiditate; dicitur tamen temperatum comparatiuè ad extremas intemperies hyemis, & æſtatis, inter quas conſtituitur: cùm enim ſiccitas, & caliditas æſtatis

æſtatis ita vigeat, etut calor muliebris ratione humiditatis apparet temperatus.

Ad 2. reſpondetur: Quòd pueri infeſtantur frigidis morbis, non à temperie oitis: ſed ab humorum cruditate, qua abundant ob ingluuiem, inordinatos motus, & indebitum vſum in rebus non naturalibus: Tum, quòd lac eſt frigidum, prout ex caſeoſa, & ſeroſa ſubſtantia componitur; non tamen ſecundum partes aëreas, & butyroſas, quibus redundat, & ex quibus fit, ſeroſum enim per vrinas, caſeoſum per fæces eſſluit extra corpus: Tum, quòd ſit maiori ex parte ex aëreis, & igneis partibus ſanguinis, & ſemiois, quibus abundat, vt ex infrà dicendis patebit.

Ad 3. reſpondetur: Quòd Galen. non intendit, quòd viuentia ſint frigida, & ſicca: ſed quòd poſſunt talia fieri, quòd in ſenectute admittimus, de qua eſt verum, quòd appareat calida ratione ſpirituum vitalium viuentia, licèt frigida, & ſicca ſint comparatiuè ad ſe ipſa dum non viuunt, quia deficit ſpirituum calor, à quo dum ſueb. ntur vita, videbantur calida.

A tatem paſſiuarum, ſimiliter & ad mediocritatem actiuarum qualitatum peruenit.

Quintò: Videtur intenſior calor quàm in pueritia, quia homo perfectiori modu exercet debitas calori operationes, nutritionem, motus, vltimum augmentum, generationem, & alias ſinales: ergo quia intenſiori gaudet caliditate.

§. II.

Galeni, Auic. & Claſsicorum amplectitur opinio.

Reſoluendum Affirmatiuè. Tenet Auic. *fen.1.t. doctr.3. c.3.* quem ſequuntur ſui Commentatores, Gal. *lib.2. de temperam. cap.1. lib.1. epidem. ſect.1. B text.11. & ſect 2. text.78.* cos ſequuntur Leonardus Fuchſius *lib.1. inſt. ſect.3. c.5.* Vallcriola *lib. 1. locor. comm c 10.* Petramains *lib. de temperam. c.16.* Cattetius *in fen.1. 1. diſp.17. cap.1.* Santa-Cruz. *in fen.1.t. opuſc.4. cap.5.* Duncanus *lib.1. Phyſiolog. cap.6.* & alij quamplurimi.

Probatur 1. Talis vnicuique adaptatur temperies, qualis debetur illi ratione partium materialium determinantium pro illa: ſed partes numero excedentes in adoleſcentia ſunt calidæ, ſicut in pueto à prædominio: ergo caliditas reſultans eſt ita intenſa ſicut in puero. Patet min. ex Hipp. *lib. de diæta, text. 105.* dicente: *Adoleſcens autem quidem calidus eſt, quia ignis impreſſio aqua dominatur, &c.* Præterea, quia partes, quæ remanent in puero, diu durant vſque ad iuuentutem, à quibus in puero, adoleſcente, & iuuene calor excedens conſeruatur, aliàs enim ſenectus ſtatim ſubſequeretur ad puerinam; cùm ſiccitas ſubſequatur ſtatim: ergo partes excedentes in adoleſcentis ſubſtantifica temperie ſunt prædominantes.

Resolutio IV.

Vtrùm adoleſcentibus debeatur æqualis calor, ac pueris?

§. I.

Adoleſcentia quid, & cur non videatur calida proponitur ex Vall. fundamentis, & Veiga.

Adoleſcentiam, ſicut & pueritiam ſub pubertate contendunt contineri; aliqui pubertatem à pube dictam iudicant, eſt enim pubes lanugo, quæ maribus vt plurimum 14. anno apparere circa pudenda Incip. Sic Calep. *in diction. in verbo pubes.* deſumi itaque denominatio à parte, in qua pubes oritur, quæ pubes etiam vocatur ab Hipp. *lib. de natura pueri:* ſed hæc ætatum harum implicationem amplectuntur Iuriſperiti, à quibus pubertatis tempus pro aptitudine ad matrimonia, & alia offi. ia teip. apta contemplatur; nos verò, quibus conuenit ſpeculari temperies, per quas homines diuerſis ſubditi ſiunt morbis à pueritia in iuuentutem, quod tempus menſurat adoleſcentia, an ita intenſus calor debeatur homini inquirimus.

Negatiuam partem amplectitur Valles *lib.1. controuer. c.8.* cui Veiga ſubſcribit, fauet Galen. *lib. de ſalubri diæta c.7 lib.6 de ſanit. tuenda. c.2.* temperatum victum adaptans adoleſcentibus. & Hipp. *3. Aphoriſm.* nullos adoleſcentibus adaptat morbos: ergo quia temperatis gaudent qualitatibus.

Secundò: Galen. *lib. de vtilitate reſpirat. capite 4.* pueris frequentiorem, adoleſcentibus tariorem tribuit reſpirationem: ſed reſpiratio deſeruit ad caloris attemperationem: ergo temperatior eſt adoleſcens in caliditate.

Tertiò: Plus eſt de actuali calore in illo, in quo plures partes materiales calidæ abundant in temperamento ſubſtantifico: ſed in puero, qui nuper illas recepit ea calidis generationis principiis, plores ſunt partes calidæ materiales, quàm in adoleſcente; in quo ſunt reſolutæ: ergo ſunt minus calidiores.

Quartò: Temperies ponderalis eſt homini connaturalis in aliqua ætate; ſed in nulla alia quàm in adoleſcentia: ergo ſicut in illa homo ad mediocri-

Probatur 2. Calor eſt qualitas tactu perceptibilis; ſed experientia comprobat, quod tactu idem gradus caloris, & eadem intenſio percipitur in poeto, & adoleſcente: ergo æqualis eſt calor vtrique. Probatur minor ex Gal. *lib.2. de temperam. c.2. §. Videntur mihi cùm pueros, iuuenes, adoleſcentes melius conſideraſſem, præterea eundem infantem, puerum, adoleſcentem factum nihilo calidior viſus eſt, atque puer quam ætate florens, &c.* D Hæc Gal. ergo experientia ab eo comprobatur, quòd tactus eandem caloris intenſionem percipit in pueto, & adoleſcente.

Probatur 3. Calor in puero requiritur intenſus, vt illum deducat in perfectius augmentum: ſed vſque in finem adoleſcentiæ homo augetur: ergo requirit æqualem caloris intenſionem.

§. III.

Primò poſitæ obiectiones in Galeni doctrinam diluuntur.

Ad 1. reſpondetur: Quòd ex duabus contrarietatibus qualitatum primarum adoleſcens peruenit ad paſſiuarum mediocritatem, remanet tamen cum calore intenſo, ſicut in pueritia; & reſpectu mediocritatis illarum, temperatum vocat Galen. adoleſcentem, & nullos ei morbos adſcribit Hipp. quia in eis, qui ob excedentem calorem poteſt incidere, conueniunt cum pueris, in paſſiuis verò qualitatibus non aſt exceſſus in temperie, ratione cuius proueniant

Ad 2. reſpondetur: Quòd virtus loco-motiua thoracis, à qua fit reſpiratio, validior eſt in adoleſcente; & ideò magnitudine excedit, & ſupplet, quod puer adimplet cum frequentia maiori.

Ad 3. reſpondetur: Quòd cum facultas augmentatiua, & nutritiua ſint validæ, tot partes calidas ex alimento reponunt, quot deperduntur reſolutione, & ideò remanet æqualis numerus calidarum partium

A patrium in poero, & adoleſcente, quia tantum additue de aſcititio temperamento calido, quantum reſoluitur de Inuato,

Ad 4. reſpondetur: Quòd temperamentum æquale, vt patet *ex ſect.1.diſp.2.* Noo requiritur ſimul collectiuè, ſed diuiſiue in diuerſis ætatibus, in adoleſcentia eſt æqualitas in paſſiuis, in conſiſtentia in actiuis qualitatibus.

Ad 5. reſpondetur. Quòd nutritio perfectiori modo exercetor in puero cum humiditate, reliquæ verò actiones, ad quas poteſt coadiuoare ſiccitas, perfectiori modo exercentur in hac ætate non propter maiorem intenſionem caloris, ſed propter ſuperadditam ſiccitatem.

B

RESOLVTIO V.

Verùm adoleſcens in paſſiuis qualitatibus perueniat ad mediocritatem.

§. I.

Carreiri opinio proponitur, & corroboratur rationibus.

PEtrus Garc. *fen.1.1. diſp.17.cap.8.* partem negatiuam contendit ſuadere; & comprobat, quia in adoleſcentia homo augetur, ſicut in pueritia: ſed in pueritia habet prædominantem humiditatem: ergo ſimiliter in adoleſcentia, non ſolum prædominantem calorem, ſed prædominantem habet humiditatem.

C Secundò: calor natiuus, vt nuper probauimus, eſt æqualis in puero, & adoleſcente: ergo ſimiliter humiditas. Probatur conſequentia, quia caliditas natiua non, poteſt conſeruari niſi habeat humiditatem radicalem, in qua tanquam in proprio pabulo conſeruatur: ergo caliditas proportionalis eſt cum humiditate.

Tertiò fauet Auic. *fen.1.1.doctr.2 cap.3.4. Infantium vſque ad inventutem complexio in calore fere temperato, & in humiditate ſuperflua exiſtit:* ergo adoleſcens antequam perueniat ad iuuentutem, ſuperfluam & intenſam humiditatem habet.

§. II.

D *Verior opinio ex Santa-Cruz admittitur.*

REſoluendom, quòd in adoleſcentia peruenit homo ad æqualitatem in paſſiuis qualitatibus. Tenet noſt. r Santa-Cruz. *fen.1.1. opuſc.4. c.5.* & inter admittentes quinque ætatea eſt neceſſariò admittenda.

Probatur 1. Ætas eſt menſura durationis vitæ humanæ ſub diuerſo temperamento, ac menſurat alia quæcumque ætas diuerſa ab ea; ſed adoleſcentia menſurat durationem hominis tanquam diſtincta ab aliis ætatibus: ergo homo habet ſub eius duratione diuerſam temperiem, ac in aliis ætatibus: tunc ſic: ſed in calore conuenit adoleſcens com pueto, & iuuene, in prædominante humiditate conueniret etiam E cum puero, in excedente ſiccitate conueniret cum iuuene: ergo prout menſoratur ab adoleſcentia, differt à reliquis ætatibus, quia ad mediocritatem peruenit in paſſiuis qualitatibus.

Probatur 2. Puer, vt probauimus, eſt à prædominio humidus; iuuenis vt probabimus, eſt à prædominio ſiccus: ergo in adoleſcentia, in qua homo mutatur ab humiditate pueritiæ ad ſiccitatem iuuentutis, paſſiuæ qualitates perueniuot ad mediocritatem.

Probatur 3. Temperies qualitatiua ſequitur proportionem ſubſtantificæ: ſed in adoleſcentia tempe-A ries ſubſtantifica humida peruenit ad mediocritatem: ergo & qualitatiua. Probatur minor, continua reſolutione euaporatur toto tempore pueritiæ, & in iuuentute prædominatur ſicca, ita vt valeat determinare ad productionem excedentis ſiccitatis qualitatiuæ: ergo in adoleſcentia peruenit ad mediocritatem.

§. III.

Fundamenta Carreiri; & quæ adducuntur pro illo, diruuntur.

AD 1. reſpondetur: Quòd homo humidus eſt à prædominio in pueritia, & media parte adoleſcentiæ, in quo tempore præcipuè augetur, declinante autem adoleſcentia parum homo augetur, & ſufficit B humiditas ad mediocritatem ferè accedens.

Ad 2. reſpondetur: Quòd in diſput. de calido innato, & humido radicali probabimus cum ipſo Carreiro, & quàm improbabilis eſt eorum opinio, qui iudicant, quòd humidum radicale eſt pabolum calidi innati, & quòd reſoluta humida ſubſtantia in partibus aëreis, & igneis, poteſt pullulare excedens caliditas, quæ aliàs non eſſet in iuuentute poſſibilis.

Ad 3. reſpondetur: Quòd Auic. intendit, quòd vſque ad iuuentutem ſemper permaneat calor eodem modo temperatos, id eſt æqualis, & proportionatus cum eo, qui eſt in iouentute, & qood humiditas ſit ſuperflua & excedens, quia nomine infantiæ intelligit pueritiam, quam humidam vocat vſque ad iuuentutem, ſub qua comprehendit adoleſcentiam, quatuor enim tantùm ad-C mittit ætates, adoleſcentiam, iuuentutem, conſiſtentiam, & ſenectutem.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm in iuuentute debeantur homini caliditas, & ſiccitas excedentes?

§. I.

Iuuentutis nomenclatura, diffinitio, & partis negatiua fundamenta proponuntur.

IVuentus dicitur ætas, quæ ſuccedit poſt totale corporis incrementum, & in qua animi, & corporis magis vigent actiones ex Homero *Iliad* 4. Firmus D enim, integer indicatur homo in illa ex Cœlio Rhodiginio *lect. antiq. lib.26. c.20.* Ipſam ad annum 40. conantur aliqui extendere, ſed terminari per 35. tenet Gal. 3. *aphor. comm.30.* Auic. *fen.1.1. doctr.3. c.3.* Fernelius *lib.5. phyſiolog.* Cardanus *lib 2. contradict. tract.5.* Valles *lib. . controuerſ.* Carreirus *fen.1.1. diſp. 17.* Martines, & communis ferè medicorum aſſenſus, eſt enim menſura durationis vitæ humanæ poſt totale corporis incrementum vſque ad primam caloris natiui declinationem; de temperie, quam menſurat, an ſint calor, & ſiccitas excedentes, ratio dubitandi eſt,

Primò: quia Gal. *lib.2.de temper.cap.2.* contrariam E videtur ſuadere ſenteentiam, inquit enim: *Floreſcens verò ætas omnium animalium maximè in medio extremorum eſt, neque ſicut ſenium ad ſummam perducta ſiccitatem. neque veluti infantium ætas in humore & multo vuido merſa, &c.* Ergo ex Gal. in florida ſeu conſiſtente ætate homo mediocritatem habet in qualitatibus.

Secundò: non poteſt fieri tranſitus à qualitatibus excedentibus antecedentium ætatum ad contrarias excedentes in ſubſequentibus niſi per mediocritatem: ergo in hac ætate mediocritate primarum qualitatum gaudet homo.

Tertiò: in iuuentute tantum de ſubſtantia viuente

reponitur

reponitur nutritione, quantum deperditur reſolutione: ſed ad repoſitionem requiritur humiditas: ergo reperitur ſaltem moderata.

§. II.

Galeni, & communis opinio amplectitur.

RESoluendum: Quòd iuuentus menſurat hominis durationē ſub caliditate, & ſiccitate, ſic tenet Galen. *lib. de ſalubri diæta comm.* 7. & 2. *Aphoriſm. comm.* 45. & *lib.* 3. *prog. comm.* 30. & *lib.* 6. *de ſanit. tuenda, lib.* etiam 6. *epidem comm.* 4. *part.* 1. quem ſequuntur Fuchſius *lib.* 1. *inſtit. ſect.* 3. *cap.* 5. Carrerius *fen.* 1. 1. *diſp.* 17. c. 4. Perantatus *l. de temperam.* & reliqui moderniores.

Probatur 1. ex Gal. 2. *Aphoriſm. comment.* 35. & 6. *epidem. p.* 1. *commem.* 4. vbi reddens rationem, cur in iuuentute curetur morbus comitialis ob illius ætatis temperiem, dicit, quòd cùm oriatur ex frigida, & humida temperie, hæc corrigitur per ſiccam, & calidam in iuoentute ſuperuenientem: ergo caliditas, & ſiccitas excedentes debentur homini in iuuentute.

Probatur 2. Quælibet ætas eſt menſura durationis vitæ humanæ ſub diuerſo temperamento: ſed nulla alia temperies reperiri poteſt in homine, ratione cuius menſuretur diuerſa ætate ab illis, qualis eſt iuuentus, niſi quia habet calorem, & ſiccitatem excedentes, vt diſcurrenti patebit: ergo hæc temperies eſt homini adaptata in iuuentute.

Probatur 3. quòd in illa excedat calor: Calor in iuuentute eſt in eadem intenſione, ac in adoleſcentia: ſed in adoleſcentia, vt probauimus, eſt a prædominio: ergo etiam in iuuentute. Probatur minor ex Galeno *l.* 2. *de temper. c.* 2. vbi id comprobatum experientia reliquit, 1. *Aphor. comm.* 14. & ex Auic. *fen.* 1. 1 *doct.* 3.

Probatur 4. quòd ſiccitas excedat: Siccitas, vt probauimus, in adoleſcentia reperitur moderata: ergo in iuuentute reperitur intenſa. Probatur conſequentia, humiditas, quæ in pueritia erat excedens, partibus humidis reſolutis in adoleſcentia fit moderata: ergo ipſa vlterius reſolutis, vſque ad iuuentutem fit intenſa ſupra mediocritatem.

§. III.

Dubitandi rationibus fit ſatis.

AD 1. reſpondetur: quòd Galen. non intendit, quòd iuuentus ſit ætas abſolutè moderata in qualitatibus primis: ſed comparatiuè ad reliquas, non enim eſt ita ſicca, ſicut ſenectus, quæ ſequitur, nec in vltima ſui parte, dum ad ſenectutem accedit, calida, ſicut antecedens.

Ad 2. reſpondetur: Quòd in paſſiuis in adoleſcentia, quæ præceſſit, in actiuis in conſiſtentia, quæ ſequitur, ſit homo temperatus.

Ad 3. reſpondetur: Quòd reperitur humiditas prope mediocritatem, quæ ſufficit ad hoc, vt æqualis fiat repoſitio.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm homo in ætate conſiſtentiæ ſit ſiccus, & in actiuis ad mediocritatem perueniat?

§. I.

Conſiſtentia quid nominis, & quid rei proponitur, & eius impugnatur temperies.

HÆc ætas, quia ad medietatem vitæ humanæ pertingit, media vocatur à Cicerone, & à Cor-
A nelio Celſo *lib.* 2. *cap.* 1. Virilitas dicitur à virtute, qua animi, & corporis viget homo in illa, ab Hipp. 1. *Aphor.* 53. dicitur conſiſtens, ſubſiſtens, ſeu conſiſtentia, quia calor in illa à ſuo vigore conſiſtit, extendi ad 40. annum contendūt Iuriſperiti: ſed à Medicis cum Gal. 4. *Aphor.* 30. ad 35. annum extenditur, & eſt menſura durationis vitæ humanæ ſub excedente ſiccitate, & in qua caliditas, & frigiditas perueniunt ad mediocritatem: ſed non conſtitui per ordinem ad hæc ſuadent

Primò: ſiccitas eſt proprium ſenectutis temperamentum ex Gal. *lib.* 5 *de ſanit. tuenda*: Ergo non poteſt conſiſtentia conſtitui per ordinem ad illam.

Secundò: mediocritas inter calorem, & frigiditatem ſolum reperitur in media ætate conſiſtentiæ: ergo non poteſt tota ætas conſtitui per reſpectum ad illam me-
B diocritatem.

Tertiò: Iuriſconſulti non diſtinguunt iuuentutem à conſiſtentia: ergo nec debet apud Medicos vt diuerſa durationis vitæ humanæ menſura conſtitui.

§. II.

Sancitur communis Medicorum opinio.

REſoluendum Affirmatiuè. Et de ſiccitatis exceſſu manifeſtè conſtat, cùm in antecedente ætate iam ob humidas partes reſolutas fuerit intenſa, & reſolutis vlterius eiſdem partibus per totam iuuentutem, intenſiorem reddi eſt neceſſarium.

C Probatur 1. Cum mediocritate caloris, & frigiditatis in antecedente iuuentute, vt probauimus, eſt prædominium frigiditatis: ergo in virilitate media ad mediocritatem perueniunt calor, & frigiditas.

§. III.

Obiectiones diluuntur.

AD 1. reſpondetur: Quòd ſenectus non conſtituitur per ordinem ad ſiccitatem ſolùm: ſed ſimul cum prædominãte frigiditate, in quo differt à virilitate.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licet in media ætate conſiſtentiæ tantum duret mediocritas, & hæc phyſicè per
D quamminimum temporis ſpatium perduret; quia tamen à principio ſubſiſtentiæ incipit calor remitti, & approximari mediocritati, & paulatim ab illa diminui, non eſt quoad ſenſum nimius exceſſus, qui ab his qualitatibus ſentitur, & ideò toto illo tempore, quo incipit excedens calor remitti, donec nimis ſenſibilis percipiatur frigiditas, menſura eius durationis eſt cōſiſtentia, quod idem in adoleſcentia contingit, & ideò in hac ætate Gal. & Auic. dubij ſunt an frigida, an calida ſit dicenda, quia ad ſenſum non conſtat apertè.

Ad 3. reſpondetur: Quòd Iuriſconſulti non attendunt in ætatibus, ſicut Medici, temperies, ratione quarum his, aut illis morbis ſubditur homo: ſed qualis ſit in corpore, & animo diſpoſitio, ſecundum quam Reipub. poſſunt eſſe vtiles, & quia hæc ferè eſt eadem in iuuentute, & adoleſcentia, & ideò à Iuriſperitis hæ duæ pro vna iudicantur ætate.

E

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm in omni ſenectute ſit homo frigidus & ſiccus?

§. I.

Senectus quid, & quotuplex? & dubitandi ratio proponitur.

SEnectus ex Galen. *lib. diffinit. medicar.* eſt ætas, in qua diminuitur animal: ex Platone eſt immu

imminutio animalis à tempore contingens: ex Ariſt. **A** eſt via ad corruptionem *Polit.* 1. ſeu ex eodem *lib. de iuuent. & ſeneƈt. cap.* 14. Eſt primæ refrigeratiuæ particulæ decrementum: Alcais vult, quòd ſit *paulatina mors*: ſed propriè ex Galen. *lib.* 5. *de ſanit. tuend.* c. 9. eſt frigidum, & ſiccum corporis temperamentum annorum multitudinis ratione proueniens: ſeu propriiſſimè eſt, Menſura durationis vitæ humanæ ſub frigido, & ſicco temperamento annorum multitudinis ratione proueniens. Hæc eſt triplex ex Gal. *lib.* 5. *de ſanit. tuenda c. vlt.* Prima dicitur cruda, ſeu viridis ſeneƈtus, cuius meminit Homerus *Iliad. li.* 18. Secunda dicitur media ſeneƈtus. Tertia dicitur ætas præcipitata, ſeu decrepita, vel ſenium dicitur, aut ætatis maraſmus. Primam ad 60. Secundam ad 70. annum, Tertiam ad naturalem mortem carendi iudicant Iuriſperiti; ſed aptius Galen. **B** per virilitatem aƈtionum diuidit, in cruda ſeneƈtute ait poſſe hominem propria obire negotia, & conſulere ſaluti, in ſecunda, & ſaluti conſulere, & balneum adire: in tertia nec propriæ iam aptus ſaluti conſulere eſt. Sed humidam eſſe à prædominio ſuadere videtur, quòd in ſeneƈtute conſtituti morbis ortis ab humiditate plerumque infeſtantur, humidiſque redundant excrementis: ergo humida gaudent excedente temperie.

§. II.

Deciditur communis doƈtrina.

RESoluendum Affirmatiuè. Tenet Galen. *lib. artis medicinalis c.* 100. *lib.* 5. *de ſanit. tuenda cap.* 3. & 9. Ariſt. *lib. de longit. & breuit. vitæ in problem. lib.* & Aui- **C** cen. *fen.* 1. *t. doƈtr.* 3. Et vniuerſa Medicorum, & Philoſophorum ſchola admittit.

Probatur: vſque ad conſiſtentiam deperditæ ſunt partes humidæ, & calidæ ſubſtantificæ, quæ determinabant ad humiditatem, & calorem excedentem producendum, ita vt in vltima parte eius non ſolum prædominet ſiccitas, ſed frigiditas iam ſit manifeſtè adauƈta: ergo in ſeneƈtute, quæ ei ſubſequitur, non ſolùm ſiccitas, ſed frigiditas debet cum prædominio reperiri.

§. III.

Dubitandi rationi ſatisfacimus.

D AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd ſenes defeƈtu caloris generant crudorum excrementorum copiam, & ex iam generatis pauca reſoluunt, nec concoquere ipſa valent, & ideò abundant illis, ab eiſque frigidi, & humidi ſubſequuntur ſenum morbi, non verò à natiua eorum humida temperie, quæ admodum remiſſa eſt.

SECTIO II.

De morte naturali.

NATVRALIS mors naturaliter ſubſequitur ex ætatum mutatione, earum enim terminus **E** præſcribitur in vltima ſeneƈtutis parte, & ideò ad ætatum diſputationem hæc ſubſequitur, in qua eius indagabimus cauſas.

RESOLVTIO II.

Vtrùm aliqua mors poſſit dici naturalis?

§. I.

Pars ſuadetur negatiua.

VIdetur quòd non: primò; Quia ſi aliquid eſt alicui ſecundùm naturam, eius oppoſitum violentum debet illi eſſe: ſed naſci, eſſe, & conſeruari, homini **A** ſecundùm naturam conuenit; ergo quæcumque mors illi eſt præter naturalis.

Secundò; illud quod alicui eſt naturale, demonſtrari poteſt de illo quòd tale ſit per ſuas naturales cauſas ex quibus prouenit: ſed ex Gal. *lib. de maraſmo* c. 2. quòd mors homini poſſit eſſe naturalis, non poteſt demonſtrari: ergo illa naturalis non debet dici.

Tertiò: ſi mors eſſet naturalis, ſine dolore, & moleſtia poſſet ſuperuenire, cùm fieret à cauſis naturalibus & paſſo conferente vim: ſed nulla eſt mors ſine dolore, & moleſtia; cùm ex Ariſt. 3. *Ethicorum c.* 6. ſit maximum omnium terribilium: ergo non debet dici naturalis.

§. II.

Galeni opinio præfertur.

B RESoluendum: Quòd mors, quæ ſubſequitur ad vltimam ſeneƈtutem hominis, dicitur naturalis, ſeu potius ſecundùm naturam, ſicut & ipſa ſeneƈtus, & reliquæ ætates properantes ad illam. Sic tenet Galen. *lib.* 2. *de temperam. cap.* 2. *lib. de maraſmo cap.* 2. Auic. *fen.* 1. 1. *doƈt.* 3. *cap.* 3. Plato *dialogo de natura.* Ariſt. *lib.* 4. *Meteor. cap.* 1. *lib.* 5. *Phyſica cap.* 6. Sequuntur Commentatores, Thom. de Garbo *in ſumma tract.* 2. *lib.* 1. *q.* 19. Iacobus de Forliuio, Iacobus de Partibus *in fen.* 1. & *ibi*, Gentilis, Vall. 4. *Meteor. cap.* 1. & *lib. controuerſ.* 6. *cap.* 2. Argenterius *lib. artis medicinalis*, Petr. Garc. *fen.* 1. 2. *diſp.* 18. *cap.* 1. Santa-Cruz *in fen.* 1. 1. *opuſc.* 5. **C** *cap.* 1. Deducitque ex D. Tho. eruditiſſimus Vincentius Moles *in lib. de Philoſophia naturali ſacro-ſanƈti Corporis Chriſti c.* 19. in quo opere perdoƈtè, acutiſſimè, decenter, & grauiter perfecit quod argumentum operis petit, quantumuis arduum ob nouitatem, & grauitatem ſit.

Probatur 1. Ex Diuo Paulo, Statutum eſt hominibus ſemel mori: ergo ab aliqua violenta, aut naturali cauſa: ſed à cauſa violenta, cùm euitabilis ſit, non omnibus hoc neceſſarium eſt: ergo à cauſis naturalibus aliqua naturaliter mors ſubſequi eſt neceſſe.

Secundò: ætatum mutatio eſt aƈtio naturalis, quæ **D** naturaliter ſequitur ex continua reſolutione partium humidi radicalis faƈta à calore naturali ineuitabiliter orto ex principiis generationis: ſed ex hac ineuitabili mutatione ſubſequitur mors, tanquam terminus vltimæ ſeneƈtutis: ergo naturalis eſt dicenda.

Tertiò: effeƈtus cauſarum, quæ naturaliter ſunt deſtinatæ ad illum producendum, naturalis debet dici: ſed mors, quæ terminat vltimam ſeneƈtutem, eſt effeƈtus, in quem producendum ſunt cauſæ deſtinatæ à natura: ergo debet dici naturalis. Probatur minor, calor naturalis eſt cauſa, quæ in homine eſt deſtinata tanquam neceſſaria, & ſine qua vita protrahi non poteſt: ſed naturalis calor eſt cauſa neceſſaria, & ineuitabilis reſolutionis, ex qua non poteſt non ſequi mors poſt vltimam ſeneƈtutem: ergo mors, quæ ſeneƈtuti ſubſe- **E** quitur, eſt effeƈtus in quem producendum ſunt naturales cauſæ deſtinatæ.

Dices: quòd ille calor eſt cauſa per ſe intenta à natura, vt conſeruet, non autem vt corrumpat ſubieƈtum.

Contra: calor per ſe intenditur à natura, tanquam cauſa per ſe neceſſaria in viuente: ergo omnis effeƈtus qui per ſe poteſt ab illo ſuperuenire, intenditur per ſe à natura: ſed reſolutio circa materiam aptam eſt effeƈtus per ſe caloris ſaltem ſecundarius: ergo ſi natura per ſe intendit calorem in viuente, intendit per ſe reſolutionem.

§. III.

Diluuntur argumenta.

AD 1. diſtinguo conſequens: Ergo quæcumque mors eſt homini præternaturalis iuxta eam acceptionem, in qua naturale eſt illi viuere, concedo: iuxta aliam naturalitatis acceptionem, nego conſequentiam. Naturale enim multipliciter vſurpatur, prout diſtinguitur à ſupernaturali, prout diſtinguitur à libero, vel quia fit iuxta communem ordinem cauſarum naturalium, vel quia alicui conuenit iuxta propriam naturam, vel quatenus diſtinguitur à violento, ſiue violentum ſit, quia prouenit contra naturalem inclinationem, ſiue quia prouenit ab extrinſeco paſſo non conferente vim; præterea naturale dicitur, quod diſtinguitur, contra illud quod præternaturale eſt, vel tandem naturale dicitur, quod naturaliter ſequitur à cauſis iuxta naturæ præſcriptum ordinem operantibus, & in hac vltima acceptione mors ſubſequuta ad ſenectutem naturalis dicitur homini, etiam ſi illi ſit naturale, tanquàm terminus naturalis inclinationis, viuere. Non enim naturalem iudicamus mortem quamcumque, quæ non fit ab externa violenta cauſa, vt Iuriſperiti tenent, ſed tantum eam, quæ contingit ex ſiccitate, extincto humido radicali, cum Gal. *locis citat.* & 1 *de differ. feb. cap.* 8.

Ad 2. dicimus non negare Galen. quòd non poſſit demonſtrari dari mortem naturalem; ſed dicit non fuiſſe ab aliquo antecedenter demonſtratum.

Ad 3. diſtinguo minorem: Nulla eſt mors ſine dolore. qui ſit verè dolor, nego: qui largo modo dolor, ſeu moleſtia dicatur, concedo minorem. Cum quælibet mors ſit contra naturalem inclinationem, nulla eſt mors ſine moleſtia, & naturali repugnantia, eſt tamen ſine dolore propriè dicto prout pertinet ad tactum, & fit ex obiecto ſubito, & affatim corrumpente naturam, tactúſque inducente vehementiſſimam alterationem, cùm paulatim ſequatur ad ſiccitatem, & frigiditatem quaſi naturaliter inductas, ideò & ſine tactus corruptione ſenſibili inducitur.

Resolvtio II.

Verùm inter res præternaturales coadiuuent aliquæ vt cauſæ ad mortem naturalem inducendam?

§. I.

Partis negatiuæ fundamenta proponuntur.

VIdetur quòd non: Quia cauſæ præternaturales licèt calidum valeant inducere maraſmum, quod in hectica febre contingit; non tamen frigidum, qualis in ætatum mutatione accidit, vt ex Galen. deducitur *lib. de maraſmo*: Ergo mors naturalis, quæ ad frigidum maraſmum ſubſequitur, non poteſt aliquo modo cauſari à rebus præter naturam.

Secundò: mors naturalis prouenit à cauſis ex naturæ præſcripto operantibus, & in hunc finem ordinatis; ſed nullæ præternaturales res in hunc finem determinantur à natura, cùm intendat indiuidui conſeruationem: ergo res præternaturales non ſunt coadiuuantes pro morte naturali.

§. II.

Aliqua reſolutioni neceſſaria notantur.

PRo reſolutione notandum: Quòd homo in ætatum mutatione diuerſam pro quavis ætate acquirit temperiem aptam pro actionibus vnicuique ætati debitis: in pueritia calida eſt, quia calor proprium inſtrumentum eſt conformationis, & augmenti requiſiti in prima conformatione, & humiditas aptam reddit materiam, vt conformentur partes, aptiúſque in debitam magnitudinem accreſcant. Perdurat calor æquè intenſus in adoleſcentia, & iuuentute, vt versùs omnem magnitudinem adimpleatur homo. Præterea vtpotè potius robur conſeruetur in corpore ad virilia exequenda munera accreſcit ſiccitas, qua roborentur partes, quæ exerceri petunt pro his actionibus: ſed quia homo non ſolis operatur viribus, ſed conſilio præeſt, ſicca accreſcit vlterius temperies, remittitúrque in conſiſtentia calor, prædominatúrque vlterius frigiditas, quæ dum vigorem viribus corporeis amittit, illud ſuperaddit in viribus prudentiæ, & intellectus, donec tandem, cùm corruptibilis ſit homo, eum deducit eadem temperies in illum terminum, vltra quem non datur progredi, incompoſſibili enim temperie cum vita ſubſequuta, mors naturalis ſubſequitur. Qui finis cùm à natura præfixus præfixas etiam neceſſarias & ineuitabiles determinat cauſas, quas ſolent authores diuidere in extrinſecas, & intrinſecas; nos verò eas diuidimus in coadiuuantes, & neceſſarias, ſeu à natura per ſe in hunc finem deſtinatas.

§. III.

Tenenda pars ſancitur.

REſoluendum affirmatiuè. Ratio fundamentalis eſt, quia, cùm ſubſequantur ætates, quas terminat mors naturalis, ex humidi radicalis reſolutione, ſicut ſunt plures cauſæ præternaturales valentes illud reſoluere, pluréſque potentes habitualem ſiccitatem inducere, valent etiam mortem accelerare, naturaléſque cauſas in hunc finem operantes coadiuuare.

§. IV.

Obuiatur argumentorum vi.

AD 1. negatur antecedens: Cauſæ enim deſiccantes valent coadiuuare ad frigidum maraſmum, quæ & ſimul poſſunt eſſe frigiditatem coadiuuantes, immò & ipſæ cauſæ calidæ præternaturales reſoluentes aëream humidam, & calidam ſubſtantiam, ex cuius reſolutione properatur frigidæ, & humidæ temperiei ſenectutis debitæ intenſio, ſicut enim à calore proprio naturali huiuſmodi contingit reſolutio, ſimiliter & ab externo calore, internóve præternaturali, & excedente coadiuuari poteſt.

Ad 2. diſtinguo maiorem: Mors naturalis prouenit à cauſis ex naturæ præſcripto in hunc finem ordinatis tanquam à cauſis ineuitabilibus, & neceſſariis, concedo: tanquam à cauſis coadiuuantibus, vel contingentibus huius effectus, nego maiorem. Cùm enim interitus naturalis neceſſarius ſit, neceſſarias debuit habere cauſas, quæ non auferunt, quòd contingat eaſdem ab aliis ſimilibus præternaturalibus poſſe coadiuuari.

Resolvtio III.

Vtrùm aliquæ cauſæ non naturales valeant coadiuuare ad naturalem mortem cauſandam?

§. I.

Partis negatiua rationes adducuntur.

PArtem negatiuam ſuadet primò : Quòd cuiuſlibet ætatis duratio certis anniseſt præfixa,& determinata:vt diximus : ergo non poſſunt cauſæ non naturales eſſe coadiuuantes ad mortem naturalem ſubſequutam ex mutatione earum inducendam.Probatur conſequentia,nam ſi ætatum mutatio , & mors naturalis coadiuuarentur à cauſis non naturalibus , cùm ipſæ poſſint operari,aut non operari circa hominem;(cùm non ſint cauſæ neceſſariæ.) in eis, circa quos operantur breuiſſimo tempore,in aliis verò quàmlongiſſimo,& mutarētur ætates,& superueniret mors:ergo,cùm huius euētus ſit tempus determinatus,non coadiuuant hæ cauſæ.

Secundò:ſi poſſent res non naturales coadiuuare ad mortem naturalem inducendam,vel per ſiccæ ſubſtātiæ repoſitionem tribuendo materiam, vt contingit in alimento,vel humidam reſoluendo,vt in alterantibus per caliditatem contingit : ſed hæ actiones ſunt naturales pro viuente : ergo nulla eſt cauſa non naturalis coadiuuans.

§. II.

Pars affirmatiua ſancitur,& fulcitur.

REſoluendum Affirmatiuè : Tenet Auicen.*fen.*1.1. *doct.*3 c.3. Quem ſui Commentatores ſequuntur.

Probatur 1.Res non naturales dicuntur,quæ medio modo ſe habent inter res omninò naturales,& omninò præter naturam,aliquando enim ſe habent ex parte naturæ,aliquando ex parte morbi , ſed cauſæ mortem inducentes,vel ſunt naturales,vel præter naturam:ergo res non naturales poſſunt coadiuuantes ad cauſandam mortem naturalem eſſe.

Probatur 2.Mors naturalis cauſatur,frigiditatem,& ſiccitatem producendo in viuente incompatibiles cum vita : ſed res non naturales poſſunt coadiuuare ad producendam frigiditatem, & ſiccitatem incompoſſibiles cum vita : ergo poſſunt coadiuuare ad producendam mortem naturalem. Probatur minor,aër enim reſoluēdo,ſiccitatem inducit;cibus, & potus materiam ſiccam poſſunt tribuere partibus nutriendis : ſomnu , & vigilia,ſi modum excedant,ſiccare valent, ſic animi pathemata,& motus reſoluere poſſunt, & per ſuas fuligines ſiccare quæ retinentur : ergo poſſunt res non naturales ad introducendam,vel ſiccitatem, vel frigiditatem vitæ incompoſſibiles coadiuuare.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. diſtinguo antecedens : Cuiuſlibet ætatis duratiò certis annis eſt præfixa inuariabili determinatione , nego, determinatione, vt in plurimum ſic contingente,concedo antecedens.Licet enim annorum determinato numero ætates menſuremus, quia vt plurimùm intra tales annos præſcribuntur ætates; non tamen hoc ita neceſſarium eſt , vt non contingat aliquando alicuius ætatis temperiem aliquantulum pro-

A ferri,breuioriue tempore immutari, dum aliquæ in hos effectus coadiuuant non naturales cauſæ.

Ad 2. diſtinguo minorem : Hæ actiones ſunt naturales pro viuente,id eſt ſequutæ ab aliquibus naturalibus cauſis ſolùm,nego; ſequutæ ab aliquibus cauſis in viuente naturalibus , quatenus non naturales cauſæ coadiuuant,concedo minorem.Licèt enim à concoctrice,ſeu aſſimilatrice partis,fiat frigidæ, & ſiccæ ſubſtantiæ repoſitio,coadiuuat vſus alimenti frigidi , & ſicci exhibitio, ex quo neceſſariò ſimilem debuit reponere ſubſtantiam;& licèt naturalis calor humidum radicale reſoluendo frigiditatis,& ſiccitatis habitualis ſit cauſa, aër exſiccans, & calefaciens coadiuuat ad hanc inducendam temperiem. B

Resolvtio IV.

Vtrùm inter res non naturales vitales ſpiritus ſaltem ſint ineuitabilis cauſa mortis naturalis?

§. I.

Valleſij opinio proponitur.

C VAlles tuetor partem affirmatiuam , pro quo ſtat: Quòd ſpiritus vitales ſunt corde calidiores : ergo vnicuique parti noſtri corporis communicant neceſſariò intenſiorem calorem valentém reſolutionem efficere, ſiccitatémque inducere,& frigiditatem habituales, quæ mortis naturalis cauſæ ſunt.

§. II.

Reſoluitur controuerſia.

REſoluendum : Vitales ſpiritus eſſe coadiuuantem cauſam mortis naturalis, nòn tamen omnino ineuitabilem.

Ratio huius eſt , quia cauſa per ſe intenta à natura, neceſſaria, & ineuitabilis eſt à qua non poteſt non fieri D continuò humidi radicalis reſolutio, quæ effectiua eſt diuerſæ mutationis ætatiuæ : ſed ſpirituum vitalium calor non neceſſariò,& ineuitabiliter eſt reſolutiuus noſtræ ſubſtantiæ , etiam ſi ſpiritus ſint corde calidiores: ergo non ſunt reponendi vt cauſa ineuitabilis mortis naturalis.Probatur minor,intra ſtatum naturalem calor ſpirituum remittitur à temperatione aëris ad eam intenſionem,quæ ſimilis eſt naturali calori, cùm ſpiritus vitales ſolùm deferantur in partes ob ſubſidium naturalis caloris,qui in illis à forma oritur proportionatus: ergo ſpirituum vitalium calor in ſtatu naturali non eſt ineuitabilis cauſa reſolutionis.

E §. III.

Rationi dubitandi reſpondetur.

AD 1. diſtinguo antecedens : Spiritus vitales ſunt corde calidiores caliditate debita ſuæ formæ, concedo : caliditate actuali , qua fruuntur in corpore humano intra ſtatum naturalem , nego antecedens.Licèt enim calor debitus ex natura ſua ſpiritibus vitalibus intenſior ſit,quàm qui debetur cuicumque corporis parti. de facto intra ſtatum naturalem non habent calorem excedentem vltra intenſionem debitam vnicuique parti,cui communicantur, quia ab aëre attracto remittitur eorum calor , & in eam reducitur intenſionem , quæ proportionalis eſt parti viuenti , pro cuius caloris ſubſidio impartiuntur ſpiritus.

Resolvtio V.

Verùm Aſtra, & orbes cœleſtes ſint ineuitabilis cauſa naturalis interitus?

§. I.

Aſtrologorum communis aſſenſus refertur, & fulcitur.

COmmuniſſima omnium Aſtrologorum opinio eſt, & dari ſeptem ætates, quarum quamlibet vni ex Planetis tribuunt, & totum noſtram vitam ab illis gubernari contendunt, tandemque interitum naturalem ab ipſa Aſtrorum vi, eorumque alteratione prouenire neceſſariò tanquam ab ineuitabili, & neceſſaria cauſa noſtri naturalis interitus: quorum placitum tum communiter, tum maximè ſequentibus fundamentis fulciri poteſt.

Primò: quia quæ ſunt principia ad eſſe, ſunt principia reſolutionis naturaliter, ex Ariſt. 1. *Phyſic.* Sed orbes cœleſtes, & Aſtra ſunt principia ad eſſe naturaliter: ergo ſunt principia naturalis interitus. Probatur minor ex Ariſt. *l.* 1. *Meteor. c.* 1. *l.* 1. *de gener. animal. c.* 2. *l.* 2. *de gener. animal. c.* 1. *l.* 2. *de gener. text.* 15. & 10. *l.* 2. *cœli, text.* 20. & 21. *l.* 8. *Phyſic. text.* 40. *l.* 12. *Metaph. text.* 34. *l.* 2. *phyſic text.* 26. Quibus in locis docet Cœlos, Solem, & Aſtra concurrere ad hominis generationem, & reliquorum ſublunarium.

Secundò: Cœli, & Aſtra continuò agunt in hæc inferiora noſtram alterando naturam: ergo media ſua alteratione poſſunt eſſe ineuitabilis cauſa noſtri naturalis interitus. Antecedens, vt eruditè proſequitur Alexander de Angelis *lib.* 1. *in Aſtrologos cap.* 2. tenent communi aſſenſu D. Thomas 1. *p. q.* 115. *art.* 3. *lib.* 3. *contra Gentes cap.* 81. & 86. *in* 2. *diſtinct.* 15. *q.* 1. *art.* 2. & *de potentia q.* 5. *ar.* 8. Herueus *in* 2. *diſt.* 15. *q.* 1. Gab. *in* 2. *diſt.* 14. *q. vnic. dub. vlt.* Scotus *in* 2. *diſt.* 14. *quæſt.* 3. Capreol. *ibi q.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 2. Ferrar. *lib.* 3. *contra Gentes cap.* 84. 86 Bonauent. 2. *diſt.* 14. *quæſt.* 6 7. & 14. Ægidius 2. *diſt.* 14. *quæſt.* 13. *artic.* 2. *quodl.* 4. *q.* 12. Argent. *in* 2. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 4. Soncinas *lib.* 12. *metaph. q.* 13. Iandunus *lib.* 1. *de cœlo q.* 1. *art.* 3. Achil. *quodl.* 4. *de orbibus dub. vlt.* Aueri. *lib.* 2. *cœli comm.* 42. *lib.* 2. *de generat. comm.* 55. *lib.* 1. *Meteor. cap.* 2. Paul. Venet. *de compoſit. mundi cap.* 21. & 23. Themon. *lib.* 1. *Meteor. q.* 3. & 9. Amad. *lib.* 2 *cœli q.* 1. *art.* 3. Marſil. *lib.* 1. *de generat. q.* 9. Philopon. *lib.* 1. *meteor. cap.* 4. Auguſt. Nimph. *lib.* 2. *cœli* & *tract. de cauſis calamit. noſtri corporis.* Albert. de Saxo. *lib.* 2. *cœli, q.* 21. Albert. Magn. *lib.* 1. *Meteor. tract.* 1. *c.* 12. Thienſis *lib.* 1. *meteor. c.* 4. Scalig. *exercit.* 1. Buccaferrus *lib.* 2. *de generat. text.* 56. Philalſ. *lib.* 1. *cœli, q.* 17. Picus Mirandulan. *lib.* 1. *contra Aſtrologos,* Anton. Mirand. *de euerſ. ſing. certam. l.* 22. 23. 24. Sextus Empiricus *lib. contra Mathemat. cap.* 23. Triſmegiſtus *in Pymandro,* Plotinus *enead.* 2. *lib.* 3. Plutarchus *opuſc. de iride, & oſiride,* Author. Philoſoph. ſecundum Ægyptios *lib.* 10. *c.* 3. *lib.* 11. *c.* 1. Author. *lib. de mundo c.* 6. & tenent Conimbricenſes *lib.* 2. *de cœlo,* Veiaranus *lib.* 1. *Meteor.* & alij quamplurimi.

Tertiò: mors naturalis eſt neceſſaria, & ineuitabilis ex naturæ inſtituto: ergo debet habere neceſſarias, & ineuitabiles cauſas: ſed non poteſt neceſſariò, & ineuitabiliter oriri ab aliqua cauſa ſublunari naturali, præternaturali, aut non naturali: ergo ab orbibus cœleſtibus cauſatur. Probatur minor, cauſæ naturales ſunt conſeruatiuæ noſtræ naturæ, cauſæ præternaturales inducunt mortem violentam, non verò naturalem, cauſæ non naturales aliquando coadiuuant cauſas naturales, aliquando cauſas præternaturales: ergo nulla ſublunaris cauſa valet naturalem mortē inducere.

Quartò: ſenectus, & mors naturalis quæ ſequitur ad illam, cùm ſint naturales, ab ea cauſa fiunt neceſſariò, & ineuitabiliter, reſpectu cuius poſſunt dici naturales: ſed non dicuntur naturales reſpectu alicuius entitatis ſublunaris, ſed tantùm reſpectu cauſæ cœleſtis vniuerſalis: ergo ab illa fiunt neceſſariò, & ineuitabiliter. Probatur minor, ex D. Thom. *lib.* 2. *de cœlo lect.* 9. §. *ſenectus eſt præter naturam rei particulari, quia eſt corruptio, & defectio illius virtutis conſeruatiuæ, & contra illius finem naturalem: illa enim ſemper intendit ſe conſeruare, & ſuum indiuiduum. At vero ſenectus eſt ſecundum naturam vniuerſalem, quia natura vniuerſalis bonum vniuerſi reſpiciens etiam agit ad corruptionem propter generationem aliarum, &c.*

§. II.

Probabiliorem ſancimus doctrinam.

REſoluendum: Quòd orbes cœleſtes, & Aſtra media luce, & occultis qualitatibus nos valent alterare, & coadiuuare ad naturalem interitum, non tamen ineuitabiliter, & neceſſariò.

Probat. 1. Orbes cœleſtes, & Aſtra ſiue agant in hæc inferiora ſola luce, & motu, vt tenent Auicenna, Auenzoar, Auerroës *l.* 2. *cœli text* 42. Georgius Agricola *l.* 4. & 5 *de cauſis ſubterraneis,* Medina *l.* 1. *ſua parent. c.* 1. Alexius Damaſc. *apud Philoponum,* Philalthe us *l.* 1. *cœli text.* 25. Ioannes Picus *l.* 3. *contra Aſtrologos c.* 4. Mirandulanus *de ſingulari certamine l.* 22. Paulinus *diſp.* 4 *Meteor q.* 9. Plotinus *l.* 3. *enneade* 2. ſiue agant ſimul mediis occultis qualitatibus, vt omnes Mathemat. admittunt, docuit Plato, & tenent D. Thomas *l.* 2 *de cœlo, & quodl.* 6 *art.* 19. D. Bonauent. *in* 2. *d.* 14. Ferrarienſis 3. *contra Gentes c.* 81. Ioannes Maior. *in* 2. *diſt.* 14. Albertus Magnus *in* 2. *diſt.* 15. Ricardus, & alij: per omnes tamen quatuor primas qualitates nos valent alterare, ſicut & ipſi venti, ſeu aër, & conſequenter debent poni inter cauſas non naturales: ſed cauſæ non naturales cùm aliquando ſe habeant ex parte morbi, & cauſarum præter naturam; aliquando ex parte naturæ, & ea quæ ſunt ſecundum naturam, ſæpè coadiuuant, aliquando non: ergo non ſunt cauſa ineuitabilis, & neceſſaria noſtri interitus naturalis.

§. III.

Aſtrologorum authoritati, & fundamentis ſit ſatis.

AD fundamentum deſumptum ex Aſtrologorum authoritate reſpondetur: Tum, quòd rationi repugnat, quæ demonſtrat dependere neceſſariò à continua caloris, ineuitabili reſolutione ætatum mutationes, ſecluſa quacumque Aſtrorum actione: Tum, quòd Aſtrologorum opinio nullam authoritatem tribuit conuincentem, ipſi enim vtpotè nullis firmis nitentes principiis, nullis aſſentiuntur fundamentis; vt enim Alexand. de Angelis, Picus Mirandulanus, & alij obſeruarunt, alia eſt Aſtrologia apud Hebræos, alia apud Chaldeos, alia apud Ægyptios, alia apud Perſas, alia apud Arabes, & inter hos etiam diuerſa. Albumazar Auerodan, Aramar, Mazanella, Zachel, à Latinis, & Græcis diſſentiunt. Antiquorum Aſtronomiam refellit Ptolomæus, Ptolomæum refellit Albumazar, vtrūq; Aoenza, hos omnes Cardanus, hos cunctos Ticho Brabe, Vorreus, & Moderniores. Bellantium Impugnat Michaël à Petra-Sancta, hunc Franciſcus Iuotinus, nec his aſſentitur Antonius Maginus,

Ad 1. reſpondetur: Quòd orbes cœleſtes, & Aſtra non ſunt principia ex quibus facti ſumus, & in quæ reſoluimur, ſed principia ſeu cauſæ ſecundæ, quibus potiùs competit nos conſeruare, quàm corrumpere.

Ad 2. reſpondetur: Quòd orbes cœleſtes, & Aſtra agunt in hæc inferiora aliquando ſuis qualitatibus coadiuuando ad noſtram conſeruationem, aliquando verò ſimul concurrendo cum cauſis præternaturalibus ad inducendam mortem violentam.

Ad 3. reſpondetur. Quòd cauſæ non naturales, & præternaturales coadiuuant ad naturalem interitum ſæpè, inevitabiliter tamen illum cauſare valet noſter calor naturalis, vt *reſolut. ſeq.* patebit.

Ad 4. reſpondetur: Quòd ex *reſolutione 1. huius ſectio*n. patet quot modis dici poſſit mors ſeu ſenectus naturalis. D. Thomas ſuperaddit, quòd licet in ordine ad finem ſit cuique præter naturam, eſt ſecundùm naturam cauſis vniuerſalibus quibus competit conſeruatio Vniuerſi ex continua generatione corruptibilium, non tamen illis ineſt inevitabilis cauſa corruptionis rerum: ſed in ipſis inferioribus in quibus in calore, qui eſt præcipua vis conſeruatiua, alligauit Deus vim neceſſariam corruptiuam, quod cognouit ſummus Dictator, & fatetur dicens, quòd *calor qui nos viuificat, nos occidit.*

RESOLVTIO VI.

Vtrùm calor innatus, ſeu adſcititius ex partibus igneis, & aëreis ſubſtantifici temperamenti ortus, ſit neceſſaria, & inevitabilis cauſa mortis naturalis?

§. I.

Partis negatiuæ fundamenta propono.

VIdetur quòd non: Homo enim conſtat ex materia prima, ratione cuius aduenit omni enti corruptibilitas: ergo illa eſt neceſſaria, & inevitabilis cauſa mortis naturalis.

Secundò: calor natiuus ortus ab anima vt determinata per ſubſtantificum temperamentum, eſt qualitas connaturalis, & illi debita ad ſui conſeruationem, & vt ſuas eliciat, & perficiat operationes: ergo non poteſt eſſe cauſa naturalis interitus. Probatur conſequentia, quia reſolutio, ex qua naturalis interitus ſubſequitur, prouenit à calore excedente, & præternaturali: ergo non à naturali.

Dices: quòd calor non reſoluit, quia naturalis, aut præter naturā, ſed quia calor, à quo prouenit tanquàm effectus primarius, productio alterius caloris ſimilis, tanquam ſecundarius, reſolutio partium humidarum, nomquam tamen ſiue naturalis, ſiue præter naturam ſit, abſoluitur ab hoc, quod reſoluat.

Contra: calor vt calor, eſt naturalis diſpoſitio: ſed vt naturalis diſpoſitio conſeruat, & perficit ſubiectum: ergo vt calor eſt, conſeruat, & perficit ſubiectum.

Tertiò: in quovis perfecto mixto ſunt materiæ omnium elementorum, ſicut in viuentibus: ſed in illis non datur naturalis interitus, nec mutatio ætatiua: ergo hæc non proueniunt à calore partium calidarum agentium in humidas.

Quartò: quæ deſinunt per mortem naturalem deſinunt per putredinem, ſed putredo non fit à calore naturali rei, quæ putreſcit, ſed ab extraneo: ergo non poteſt mors naturalis prouenire à calore partium, quæ ſunt in noſtro corpore.

Quintò: omnes corporis partes materiales, ex quibus ſubſtantificum temperamentum componitur, vna, & eadem forma informantur ſubſtantiali: ergo non eſt maior ratio, quare altera pars reſoluatur, quàm alia, & non è contra. Probatur conſequentia, omnes illæ partes informantur eadem formâ, & debitam temperiem ſui conſeruatiuam recipiunt ab illa: ergo non eſt maior ratio, quare alteram reſoluat, & non è contra.

§. II.

Vera ſancitur ſententia.

REſoluendum tamen affirmatiuè: Tenet D. Thomas 1. *p. q. 97 art. 4.* & *q. 119. art. 1.* & *quæſt. 5 de malo art. 5. ad 8. lib. de ſenectute, & iuuent.* & *lib. de communi motu animalium*: deſumpſitque ex Ariſt. *lib. de iuuent. & ſenectute 3. problemat. q. 5. lib. de reſpirat.* & *lib. de longitudine, & breuitate vitæ.* tenet Hipp. *lib. de corde. lib. de genitura. lib. de diæta, 1. aphoriſm. 13. & 7. aphoriſm. 59.* & *lib. 6 epidem part. 3. text. 20.* quem ſequitur Gal. præcipue *lib. de maraſmo cap. 3. lib. 2. de ſanitate tuenda cap. 2. & 3. & 4. & 7. aphoriſmor. comm. 59.* tenet Auic. *fen. 1. 1. D. 3.* quos ſequuntur Fernelius *lib. 4. partis naturalis cap. 8. & lib. 3.* Conſil. *differentia* 115. Thom. de Garbo *in ſumma tract. 2. q. 19.* Peramatus *lib. de temper.* Mercatus *lib. de ſanit. tuenda, & lib. de princ.* Santa-Cruz *in fen. 1. 1. opuſc. 5 capit. 1.* Segarra *lib. de natura hominis cap. 2.*

Probatur 1. Mors naturalis eſt effectus naturalis, neceſſarius, & inevitabilis: ergo debet prouenire in viuente à cauſa inevitabili, & neceſſaria ex præſcripto naturæ determinata intra illud: ſed res non naturales, & præter naturam, licèt poſſint coadiuuare, non ſunt cauſæ neceſſariæ, & inevitabiles: ergo calori naturali, qui opifex eſt inevitabilis reſolutionis in homine, debet hic effectus tribui.

Probatur 2. Hominem corrumpi eſt neceſſarium ex parte principij materialis, ex quo conſtat: ergo debuit inhærere in illo principium inevitabile proximum, & immediatum ſuæ corruptibilitatis: ſed in nulla alia entitate ita certum, & neceſſarium potuit à natura huiuſmodi principium alligari, quàm in ipſo naturali calore à viuente orto, qui in ſui eſſe, & operari fuit deſtinatus, & de quo Hipp. dicit: *Quod calor, qui nos viuificat nos occidit.* Ergo hic calor eſt inevitabilis cauſa mortis naturalis.

Probatur 3. Partes igneæ, & aëreæ ſunt in noſtro corpore commixtæ partibus humidis, ita vt per quam minimas particulas ſe tangant; ergo neceſſariò, & inevitabiliter partes calidæ agendo in humidas, illas reſoluunt. Probatur conſequentia, calor eſt agens naturale debitè applicatum paſſo capaci ad ſui receptionem: ergo ſimilem producit calorem: ſed non poteſt recipi calor in materia humida, quin ipſam reſoluat: ergo neceſſariò partes calidæ agunt in humidas, ipſáſque reſoluunt.

§. III.

Diluuntur argumenta.

AD 1. diſtinguo antecedens. Homo conſtat ex materia prima, ratione cuius aduenit corruptibilitas tanquam à principio radicali, concedo: tanquam à principio proximo, & formali, nego antecedens. Duplex eſt enim corruptibilitatis principium, aliud radicale, quale eſt materia prima ſublunaris, quæ quia non eſt ſatiata formâ, aliarumque retinet appetitum, primum eſt corruptibilitatis principium,

&

& origo;aliud eſt peoximum, qualia ſunt qualitates primæ, prætecnaturaliſque quæcumqne diſpoſitio, à qua proximè. & immediatè ſeqoitur corruptibilitas, & de hac quænam ſit teſpectu mortis naturalis procedit reſolutio.

Ad replicam ſecundi argumenti: Nego antecedens, quia calor, vt calor eſt, abſtrabit, quòd ſit paſſio;vel paſſibilis qualitas,quòd ſit potentia, vel impotentia, quòd ſit habitus, aut diſpoſitio, id enim tantum dicit,quodeſt de illius eſſentia,quòd ſcilicèt congreget homogenea,& diſgreget heterogenea,reliquas verò acquirit formales cationes, provt hoc, aut illo modo ſe habet ad ſubiectum, vel ad opecationes.

Ad 3. diſtinguo minorem:In aliis mixtis non datur natoralis interitus ita ſenſibilis,& breuis ſicut in viuentibus,concedo: longiori annorum curſu ſupetueniens,nego minorem. Cùm enim in viuente ſint partes heterogeneæ, actio caloris, & mutatiò ætatiua, tendentiaque in interitum magis ſenſibilis eſt, quàm in non viuentibus, in quibus ob partium homogeneitatem vniformis eſt temperies,longior, & minus ſenſibilis qualitatum remiſſio. partiúmqoe reſolutio, & immutatio.

Ad 4. negatur maior: Quia ea quæ deſinunt per mortem naturalem,potius per reſolntionem deſinunt; in potredine enim fit humidi à ſicco deunio, non tamen omnimoda ſeparatio; in motatione verò ætatiua fit partium viuentis paulatina reſolutio, putredo fit à calore prætetnatorali, & eatraneo re',quæ putteſcie, reſolutio verò à naturali, & ptoptio calore proueoire poteſt,putredo in miatis euitari poteſt,at verò viuentis reſolutio,& interitus mutatio neceſſaria, & ineuitabilis eſt.

Ad 5. diſtinguo anteeedens: Omnes corporis partes materiales informantur vna & eadem forma ſubſtantiali eodem modo determinata, nego; diuerſo modo determinata ab illis ad productioοem qualicatum concedo. Licèt enim anima ſit eadem in omnibus partibus, ipſæ verò pa tes materiales, quæ per animam informantur, diuerſis elementis coreſpondent, ideò, quæ calidis correſpondent elementis, calorem habent excedentem, & valentem inducere reliquarum reſolutionem.

Resolvtio VII.

Vtrùm mors naturalis fiat cum voluptate?

§. I.

Proponitur difficultatis ratio.

Naturalis interitus non cunctis eſt eadem præfixa dies; longior,aut breuior accidit duratio ea maiori, aut minori calidi innati, aut humidi radicalis participatione; ex maiori, aut minori concurſu externarum cauſarum mutationi coadiuuantium. Prævaluit in antiquioribus patribus vitæ duratio:mortalium primus ad annos peruenit 930. Iared ad 767. Malaleel ad 891. Cainan ad 910. Seth ad 915. Noë ad 950. Mathuſalem ad 969. Ad decimam huius durationis partem propter iram Dei vita hominuoi abbreuiata eſt: ſic prædiacrat Sacra Pagina Geneſ. 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum; quia caro eſt: eruntque dies illius centum & viginti annorum*, & adſtrictius in Eccleſiaſt. cap. 18. *Numerus dierum hominis vt multùm centum anni.* Quorum vltima meta an cum voluptate attingatur; manet ſob dubio.

Pars affirmatiua ſuadetur primò: Mors naturalis

A accidit ſine morbo, vt ex D.Th. & Platone deducunt Pater Suarez, & noſter doctiſſimus Santa-Crua: Tum, quia Chriſtus Dominus,ſi nō eſſet interfectus,ad mortē naturalem peruenìſſet,quā ſubiſſet ſecluſo miraculo, ſine morbo,quod idem,& in aliis hominibos valet contingere: Tum,quia mors naturalis prouenit ab eis cauſis à quibus ætatiuæ diſpoſitiones,& debet eodem modo eſſe naturalis: Tùm, quia non eſt violenta, & ideò naturalis debet eſſe: ergo nibil repugnat, vt fiat cum voluptate.

Secundò: mors naturalis ſi non fieret cum voluptate, maximè,quia vt tenet Ariſt. 3. *Ethicorum: Mors eſt maximè omnium terribile*, eſt enim vltimum vitæ.

B Sed hoc non obſtat, quia vt idem docet 5. *Rhetoric.* Nullus timet mortem; quoniam vnuſquiſque exiſtimat mortem procul eſſe: Ergo etiam ſi ſit terribilis poteſt cum voluptate fieri.

Tertiò: non obſtat in morte naturali dolor, vt fiat com voluptate: ergo poteſt fieri cum illa. Probatur antecedens ex Ariſt. *lib. de morte, & vita*, & *lib. de reſpir.* vbi docet: *Quapropter, & ſine triſtitia eſt, quæ in ſenectute mors; nulla enim violenta illis paſſione contingente moriuntur, ſed inſenſibilis animæ abſolutio, aut diſceſſus fit omninò*: ergo non fit cum dolore.

§. II.

C *Voluptas denegatur in illa.*

Reſoluendum: Quòd non fit neceſſariò cum voluptate mors naturalis. Sic tenet Carreirus, & Manuel Martinez doctiſſimi Complutenſes.

Probatur: Mors naturalis non poteſt neceſſariò,& per ſe fieri cum voluptate; quin ipſa ſit cauſa neceſſaria voluptatis:ſed ipſa potius ex oppoſito eſt triſtitiæ cauſa:ergo non fit neceſſariò cum voluptate:Probatur, obiectum voluptatis debet eſſe delectabile: ſed mors naturalis eſt terribilium magis terribile:ergo non poteſt eſſe cauſa voluptatis.

§. III.

D *Aperitur voluptatis modus in morte naturali.*

Reſoluendum 2. Quòd poteſt per accidens mors naturalis fieri cum aliqua voluptate.

Probatur: dum aliquod malum, licèt terribile ſit, eligitur propter mala alia vitanda, tale malum proſequitur, vt voluptuoſum, non per ſe, ſed per accidens, & comparatiuè ad reliqua mala quæ per illud euitantur: ſed per mortem euitantur omnia mala, quia omnia ad ſenectutem ſequuntur: ergo per accidens poteſt eſſe cauſa voluptatis. Probatur minor ex Antiphane Catyſtio dicente,

Mala ſenectutem officinam cui ſuam
Humana tandem congregantur omnia.

E

§. IV.

Diluuntur argumenta.

Ad 1. diſtinguo maiorem: Mors naturalis accidit ſine morbo à cauſis ineuitabilibus orto, & ea naturæ præſcripto operantibus,nego:orto à cauſis euitabilibus mortem violentam inducentibus, concedo maiorem. Mors eſt duplex, alia naturalis, quæ eſt interitus naturalis;alia violenta, quæ eſt alia quæcumque,quæ ante hunc præfixum vitæ terminum accidit. Quævis harum à morbo fit,ideò enim ſuperuenit,quia læſæ fiunt operationes,& pro vita inutiles, ita vt non valeat conſeruari cum illis, & harum læſio ſemper, & neceſſariò prouenit à morbo. At verò

diſpoſitio,

A diſpoſitio, à qua læduntur ante interitum naturalem, dicitur ſimpliciter morbus, diſpoſitio à qua læduntur in naturali interitu, dicitur morbus naturalis à Galen. quia licèt verè, & realiter ſit morbus, cùm proueniat à cauſis naturaliter immutantibus naturalem ſtatum, in cuius naturali mutatione, ſenſibilis mutatio quæ percipitur, ſit naturaliter orta: quaſi naturalis iudicatur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd mortis obiectiua repræſentatio ſemper per ſe terribilis eſt, poteſt tamen aliquando non repræſentari, vel quia non ſpectatur, vel quia ratione ætatis non eſt capacitas vt percipiatur vt talis, quia vt inquit Lucretius *lib. 3. de rebus naturalibus*,

B *Poſt vbi tam validis quaſſatum eſt viribus æui*
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguáque, ménſque.

Et tunc non mirum quod licèt ſit obiectum doloroſum mors, non percipiatur vt tale; ſed nec ideò percipitur voluptuoſum obiectum.

Ad 3. reſpondetur: Quòd ſine triſtitia mors naturalis prouenit, non quia ſentitur voluptas, ſed quia incapax eſt homo ad percipiendam obiecti voluptatem, aut dolorem, vt cecinit Iouenal. *ſatyra* 10.

———— Sed omni
Membrorum damno maior dementia, quæ nec
Nomina ſeruorum, nec vultum agnoſcit amici,
Cumque præterita cœnauit nocte, nec illos
Quos genuit, quos eduxit.

B Et ſi adhuc doloroſam percipiat mortis rationem; per accidens gaudere dicitur, quatenus maiora ſenectutis iudicat per illam euitare mala.

DISPVTATIO V.

De Humoribus.

PLVRA, quæ diſputanda veniunt de humoribus, maximè ordinantur ad eorum inquirendas cauſas, quas ſub diffinitione complectar vt ex C earum examine illorum innoteſcat eſſentia, de qua ſicut & de diuerſitate, ac neceſſitate eorum egit Hipp *lib de morbis. lib. de natura humana. lib. de ſemine*, Galen. *lib de humoribus, in diff. medicis, lib. 8. de placitis Hipp. & Platonis, in comm. ad lib. de natura humana. lib. de boni, & mali ſucci cibis, lib. de atra bile, in lib. de typis*, aliiſque in locis. Auic. *fen.* 1. 1. *doct.* 4. ibi Iacobus Forliuienſis, Iacobus de Partibus, Gentilis, Nicolos Florentinus, Gratiolus, Thom. de Garbo *in ſumma lib.* 1. *tractat.* 3. Valleriola *lib.* 1. *de locis comm. cap.* 11. Angelucios *lib.* 1. *de arte medica cap.* 4. Archangelus Picolominæus *in com. ad lib. Galen de humoribus*, Heurnius *lib.* 4. *inſtit.* Leonardus Fuchſius *lib.* 1. *inſtit. ſect.* 4. Godofredus *l.* 1. D *artis medicinal. cap.* 10. Georgius Bertinus *l.* 3. Guinterius *lib. de veteri, & noua medicina dialogo* 6. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog. cap.* 15. Fonianus 3. *phyſiolog.* Varand. *lib.* 1. *phyſiolog. ſect.* 4. Sennertus *lib.* 1. *inſtit c.* 4. Vueckerus *in ſyntaxi part.* 1. Ioannes Baptiſta Cortes *decad.* 4. *cap.* 4. Fernelius *lib.* 1. *phyſiolog. cap.* 12. Santa-Cruz *in fen.* 1. 1. *opuſc.* 6. Petr. Garc. *in fen.* 1. 1. *doctrin.* 4. *diſp.* 19. Martinez *lib.* 1. *tract.* 4. Vega *lib. de arte medendi cap.* 2. Vall. *lib.* 1. *controu. cap.* 14. Mercatus *tom.* 1. *part.* 3. Carbinus *in dialog de ſanguine*, Cardanus *l.* 1. *contradict. tract.* 4. *contr.* 5. *l.* 2. *tract.* 3. *contr.* E 1. & 5. & in aliis ſequentibus. Correlia *lib.* 1. *Enchirid c.* 4. Ioannes Lupus *de re medica lib.* 3. Conciliator *à diff.* 29. *vſque ad* 33. & alij.

SECTIO PRIMA.

De humoribus in communi.

CALOR, qui naturalium actionum inſtrumentum eſt, abſolui non poteſt, vt diximus, à continua noſtræ ſubſtantiæ reſolutione, in cuius ſubſidium nutritiua potentia in quacumque viuentis parte reſidens reſarcire intendit, quod deperditum eſt, per ſubſtantiæ ſimilis repoſitionem, pro qua cooptatam materiam in animali ſubſternunt humores, de quibus diſputabimus in præſenti.

RESOLVTIO I.

Verùm dêtur humores in corpore humano?

§. I.

Nouatoris Paracelſi aſſenſus, & fundamenta proponuntur.

IMpudenter Paracelſus in Medicos rationales irruens, quos & Galenicos, & Humoriſtas vocat, humores animali cuicumque negat *in lib. Paramiri*, D non tam rationibus vtens, quàm varia verborum ſerie varias connectens nugas, & inter ipſas plurima Medicis intermiſcens conuitia inani verborum ſimulacro fingens doctrinam contegere, humores negat, & irridet, & morbos ab illis prouenientes.

Primò: quia ſi humores eſſent admittendi, maximè, quia plurimi morbi proueniunt ex illis: ſed nulli morbi proueniunt ex humoribus: ergo nulli humores ſunt admittendi. Probatur minor ab illo *cap.* 3. *lib. Paramiri*, ſic: *Quidquid morbum generat, illud neceſſariò eſt virile, hoc eſt aſtrale ex toto limbo, cùm tamen humor, vt* E *vulgò æſtimatur, nihil ex aſtris in ſe habeat, quare nec morbum producere poteſt.*

Secundò: vnumquodque nutritur iis, ex quibus componitur: animal non componitur ex humoribus: ergo animal non nutritur ex illis. Probatur minor, animal componitur ex eis, in quæ reſoluitur: ſed animal reſoluitur in Sulfur, Salem, & Mercurium: ergo ex eis componitur, & nutritur.

Tertiò: tria tantùm dantur genera morborum, alia quæ ex Sale, alia quæ ex Sulfure, alia quæ ex Mercurio fiunt, nec alia ex aliis prouenire poſſunt ſubſtãtiis: ergo vltra hæc nulli alij ſunt intra corpus humores.

Quartò: morbi, qui ſuperueniunt, non poſſunt ab humoribus cauſari: ergo ex his non probatur, quòd ſint in animali humores. Probatur antecedens à

Paracelſo

Paracelſo *lib. Paragrani*, quia: *Non ex homine, ſed ex parte ipſius proueniunt omnes morbi*: Ergo non ab hominis humoribus.

§. II.

Rationalis opinio rationibus fulcitur, & experientia.

RESoluendum: Quòd Impoſtoris Paracelſi dicterium potius deridendum, quàm rationibus conuincendum. Sic tenent Hippocratici, & fatentur Baguinus in Tyrocinio Chymico, Chriſtophorus Gluckrat *in praf.* Hierem. Barthio *in Scholiis*, & alij rationales Chymici.

Probatur primò: Quia ex Philoſopho. debilitas eſt intellectus quærere rationem, vbi ſenſus fidem facit: ſed humores intra animal dari, & in homine reperiri demonſtrat ad ſenſum experientia: ergo exſibilandum eſt Paracelſi figmentum. Patet minor; tum, quia plerumque humores in hæmorragia videntur excerni, per venas hæmorrhoidales, per vterum, per venas, & arterias ſectas, & per vulnera vtcumque inflicta: Tum quia, & ad ſenſum apparent intra corpus venæ per humores repletæ intumeſcentes, & partes, quæ per humores irrigantur, & in tumores accreſcunt. Tum, quia ex humorum varietate varia acquiri temperamenta patet, varios ſuccreſcere facies, & aliarum partium colores, diuerſáſque partium nutritiones: Tum, quia iuxta diuerſas diuerſorum humorum alterationes, diuerſas experimur febres diuerſis ſignis cõcomitatas, diuerſis circuitibus inuadentes, variiſque ſymptomatibus concomitatas: ergo diuerſi ſunt admittendi in corpore humores. C

Probatur ſecundò authoritate ſummi Hipp. cuius doctrinam, ſi non admittat, ſaltem non irrideat impoſtor iſte; ille enim *lib. de humoribus*, *lib. de natura humana, aliiſque quampluribus in locis*, de humoribus agit de temperie ex illis proueniente, de morbis ex illis ortis; ergo ſunt ex illo admittendi.

Probatur tertiò, Quia ex Philoſopho, & vera philoſophia, ex nihilo nihil poteſt fieri: ſed in animali fit nutritio, fit augmentum, fit ſimilis generatio: ergo debent admitti humores ex quibus hæc fiant, nulla enim alia ſubſtantia poteſt præter illos aſſignari. D

§. III.

Paracelſi irridentur fundamenta.

AD primum dicimus: Quòd ex Paracelſi probatione ſolùm deducitur, quòd ipſe ſit impoſtor *virilis, aſtralis*, ex toto limbo ignorantiæ in veneficum, Necromanticum, & Impoſtorem allectus. Si enim humor irruit in faciem, vel alias partes, vel illas ſua intemperie à naturali ſtatu ex toto immutat, vel venefica, qua plerumque pollet, qualitate, principes partes afficit, vt quid requiritur, quod ſit *aſtrale*, aut *virile*, vt morbos inferat, vel vt mortem cauſet. E

Ad 2. docet experientia: Quòd fit nutritio ex humoribus; debita, ſi naturales ſunt; non ita, dum naturalem ſtatum non obtinent; nulla, dum nulli ſunt apti humores pro illa. Vt quid enim continuus alimentorum vſus eſſet viuenti neceſſarius, ſi humores ex illo non fierent per nutritionem conuertibiles in aliti ſubſtantiam, aut ad quid Salis, Sulfuris, & Mercurij ſumitur pro continua nutritione materia.

Ad 3. patet: Quòd tria morborum genera in ſolutione continui, in intemperie, in mala conformatione, nec à Sale, nec à Sulfure, nec à Mercurio dependent, ſine his enim fit ſolutio continui ab inſtru- A mento ſcindente, fiunt morbi in Intemperie, & morbi in compoſitione ab ipſa conformatrice vi impedita, vel ab aliis cauſis naturalem diſpoſitionem valentibus immutare.

Ad 4. patet: Qualiter fiunt morbi patre non ſuperſtite, & ſi ſuperſit, quin vim habeat morborum inductiuam, qui enim ruente domo in ipſos contunduntur, & qui enſe à contrariis icti, tormentarióve inſtrumento confoſſi pereunt, quem morbum ex his receperunt à patre?

RESOLVTIO II.

B Vtrùm humores intra venas ſint actu, & formaliter diuerſi?

§. I.

Fernelij, & Peramati refertur opinio.

FErnelius *lib. 6. Phyſiolog. c. 3.* cui adhæret Peramatus *lib. de humoribus, c. 6.* Humores in maſſa ſanguinaria adſiſtit, non actu, & formaliter diſtinctos in homine benè valente: ſed in potentia tantùm ſub vna forma contentos, ſicut & elementa in mixto.

Primò, quia in humoribus reperiuntur omnes conditiones, vt ex illis fiat mixtio: ſed miſcibilia in mixto non actu, ſed tantum in potentia ſunt: ergo humores in corpore humano non ſunt actu, ſed potentia, & commixto in maſſa ſanguinaria. Probatur maior; ſunt corpora ſimplicia, quæ contrariis qualitatibus gaudent, & per minimas partes poſſunt commiſceri: ergo in eis reperiuntur omnes conditiones neceſſariæ, vt fiat mixtum ex illis.

Dices: quòd licèt humores ſint intra venas commixti, non ſunt in tam minimas partes diuiſi, vt requiritur ad mixtionem; neque eſt tanta eorum actiuitas, vt omnino vnus vincat alterius qualitates, neque illa remittat vltra illam latitudinem, cum qua conſeruari poſſint formæ ſubſtantiales; moderata enim, quæ reſultat qualitatum proportio in maſſa ſanguinaria, proportionata eſt, & intra latitudinem requiſita pro humorum conſeruatione; & ſimiliter in ipſis venis reperitur quædam conſeruatiua virtus humorum.

Contra: bilis conſeruatur in veſicula fellea tanquam in proprio loco, melancholia in liene: ergo non petunt in venis conſeruari: vnicuique enim entitati vnus eſt tantum connaturalis locus, vt patet in elementis.

Secundò: ſi bilis eſſet intra venas ſub propria forma ſubſtantiali, maximè quia eſſet humor neceſſarius ad partium nutritionem: ſed ex illa ſola, neque ex melancholia nulla in corpore pars valet nutriri; ergo neuter humorum valet in venis ſub propria forma conſeruari. Probatur minor, bilis enim eſt amara, melancholia auſtera: ſed ex Galen. quod nutrit debet eſſe dulce: ergo nec bilis, nec melancholia requiruntur propter nutritionem.

Tertiò: ea eiſdem nutrimur, ex quibus facti ſumus: ſed ex ſanguine, & ſemine tantùm facti ſumus: ergo alius humor à ſanguine non requiritur pro nutritione.

Quartò: ſi bilis actu, & formaliter eſſet in venis cum ſanguine ad partes delata colorem ictericum cauſaret; ſicut contingit, dum vi morbi gignitur, & ſub propria forma redundat in venis: ergo homine benè valente ſolùm in potentia continetur.

§. II.

Hippocratica præfertur doctrina.

RESuluendum: Quòd in quocumque corpore humano quatuor humores actu intra venas reperiuntur, quorum quilibet ab aliis ſubſtantiali forma differt: ſic tenet Hip. *lib. de natura humana*, demonſtrá:que aduerſus ſe ipſo antiquiores: Tum ratione; tum experientia; tum per ea quæ ſenſibus percipiuntur: quem ſequitur Gal. *in comm ad prædictam lib.* & *lib. de alementis* c. 2. ſic Auic. *fen.* 1. 1. d. 4 c. 1. Quos ſequuntur omnes Auic. Commentatores: & ex recentioribus Georgius Bertinus *lib.* 3. *cap.* 1. Varand. *lib. phyſiolog. ſect.* 4. Valles *lib.* 1. *contrauer. cap.* 3. Santa-Cruz *opuſc.* 6. *in fen.* 1. 1. *Auicenna*, Ioannes Baptiſta Cortes *in miſcellaneis decad.* 4. *cap.* 4. Petrus Garc. *fen.* 1. 1. *diſp.* 19. c. 3. Mercatus *tom.* 1 *p* 3 *claſſe* 1. *art.* 3. Leonardus Fuchſius *lib.* 1. *inſt. medicinal. ſect.* 3 *cap.* 1. Valleriola *lib.* 1. *de locis communib.* c. 11. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog.* c. 12. Heurnius *lib.* 4. *inſtit.* c. 1. Thomas de Garuo *lib.* 1. *tract.* 3. *quæſt.* 23.

Probatur 1. Intra ſtatum naturalem ex diuerſis iecoris temperiebus diuerſi in corpore redundant humores: ex diuerſis temporum anni prædominantibus qualitatibus, diuerſi fiunt prædominantes humores, & iuxta horum diuerſitatem diuerſus ſuberteſcit corporis calor: ergo diuerſi actu, & formaliter ſunt humores.

Dices: quòd humores, qui ſunt in potentia pro partium nutritione, ſubcreſcunt, non tamen fiunt actu diuerſi, & formaliter, niſi à ſtatu naturali diſcedant, fiantque morboſi, & diuerſorum morborum cauſæ.

C Contra: humorum generatio ſubſtantialis tantum debetur iecori, vt probauimus: ergo non extra illud à quacumque alia cauſa valent generari: Tum, humores ſunt propter partium nutritionem, & non vt fiant morbi ex illis, à natura producti, & ideò dum generantur propter partium nutritionem intra ſtatum naturalem debent obtinere proprias formas, & non, dum præternaturales redduntur: Tum, rubor ſanguinis intra ſtatum naturalem à ſanguine prouenieus, ſicut & ipſum ſub propria forma ſupponit, ſimiliter & alios: ergo omnes humores actu, & formaliter geniti ſub propriis formis reperiuntur in homine.

D Probatur 2. contra Fernelium, ex Hipp. *lib. de natura humana*, §. *At verò corpus hominis habet in ſe ipſo ſanguinem, pituitam, & bilem duplicem, &c.*

Dices pro Fernelio: Quòd in ſtatu naturali quatuor humores ſunt intra venas poteſtate tantum; poſſe tamen actu fieri diſtinctos in homine non bene valente, de quo ſtatu venit intelligendus Hip.

Contra ſtat Hip. ſtatim dicens: *Atque hæc ſunt ipſi corpori natura, & per hæc ægrotat, & ſanus eſt*: Ergo non ſolum agit de illis prout in ægroto: ſed in ſano homine.

Dices: quòd vt dicantur eſſe in homine ſano, ſufficit, quòd ſint in eo in poteſtate.

E Contra ſtat Hip. loco citato paucis interpoſitis, dicens: *Ei dico ſanè eſſe ſanguinem, & pituitam, & bilem flauam, & nigram, & horum primum quidem iuxta receptam opinionem, nomina diſtincta eſſe dico, & nulli ipſorum idem nomen eſſe, deinde ſpecies iuxta naturas ſeparatas eſſe; & neque pituitam ſimilem eſſe ſanguini, neque bilem pituitæ, &c.* Ergo ex Hip. in homine ſano actu ſunt, & formaliter diuerſi.

Dices: prædictos humores ſubſtantialiter eſſe idem, accidentaliter diuerſos propter heterogeneitatem ſubſtantiæ, & quia in diuerſis partibus ſunt diuerſæ diſpo-

A ſitiones, & ideò diuerſitatem habent accidentalem, & diuerſo modo denominantur.

Contra ſtat paulò infrà idem Hipp. qui non ſolum accidentaliter, ſed forma ſubſtantiali & ſpecie differre affirmat, dicens: *Cùm itaque tantum inter ſe diſcrepent tum ſpecie, tum facultate, neceſſe eſt ipſam non vnum eſſe, quandoquidem neque ignis, & aqua idem ſunt, &c.*

Dices: quòd humores in corpore contenti, ipſo bene valente, alij ſunt intra venas, alij in propriis receptaculis, vt melancholia in liene, & bilis in veſica fellea, & quod humores intra venas ſunt vnum mixtum, diſtincti verò in propriis receptaculis.

Contra, humores ſuam formam recipiunt in iecore, à quo ſolum intra ſtatum naturalem generari
B poſſunt: ergo ſi vt conſtat ex Hip. dantur ſpecie diſtincti in corpore, à iecore receperunt in prima ſui conformatione diſtinctionem: ergo in venis iam illam habent, & antequam in ſua receptacula ſeparentur.

Prætetea: conſtat ex Hipp. qui eodem lib. dicit: *Si enim homini alicui medicamentum dederis, quod pituitam ducit, pituitam tibi vomet, & ſi pharmacum bilem ducens, bilem purgabit &c.* Sed per pharmacum purgantur humores, qui ſunt intra venas: ergo ipſi actu reperiuntur in illis.

Dices: quòd humores, qui erant in potentia in maſſa ſanguinaria, ſeparantur, & fiunt actu tales à medicamento purgante.

C Contra: humores generantur à iecore tanquam ab vna, & neceſſaria cauſa ſuæ productionis intra ſtatum naturalem: ergo non poſſunt à medicamento purgante produci, in quo ſolum reperitur virtus attrahens, cuius obiectum non ſunt, donec actu & formaliter ſint tales, & diſtincti ab illis.

Probatur 3. humores in propriis receptaculis ſunt ſub propria forma, & continentur actu, & ab aliis diſtincti: ergo ſimiliter in venis. Probatur conſequentia, eadem eſt cauſa productiua humorum, qui à iecore, à quo generantur, ſeparantur in ſuis receptaculis, & qui deferuntur ad venas: ergo ſicut ſeparatis dedit
D iecur propriam formam ab aliis diſtinctam, ſimiliter eiſdem contentis intra venas.

§. III.

Negantium diluuntur fundamenta.

AD replicam contra primum: negatur conſequentia: Quia vnicuique tribuitur locus iuxta fines, in quos à natura eſt deſtinatum; elementa, quæ vt partes Vniuerſi ſunt deſtinata, cuilibet proprius deſtinatur locus ſub concauo Lunæ, cuilibet propria motiua virtus, & determinata ad illum locum fuit condonata à natura; reliqua verò ſublunaria præcipuè viuentia, quibus datur victum, & ſibi neceſſaria per diuerſa loca inuenire, & virtus localiter motiua indifferens ad illa acquirenda fuit à natura condona-
E ta; humoribus verò quibus intra corpus erant varij vſus, & vtilitates, iuxta illa ſimiliter & conſignata diuerſa ſunt loca alia, in quibus pro aliis finibus ſunt vtiles.

Ad 2. minore negata: Ad illius probationem diſtinguo minorem, ex Galeo. quod nutrit dulce debet eſſe, ita vt aliquid dulcedinis ſaltem participet, concedo: ita vt ſit dulce à prædominio, nego minorem: & amplius patebit ſolutio dum agetur de cauſa finali humorum.

Ad 3. diſtinguo minorem: Sumus facti tantum ex ſemine, & ſanguine, ſi per ſanguinem intelligatur

ſolus

ſolus ſanguis quartus humor nego: ſi intelligatur maſſa ſanguinaria, in qua ſunt omnes quatuor humores, concedo minorem. Sanguis enim principium alterum noſtræ generationis eſt tota maſſa ſanguinaria, in qua omnes quatuor humores reperiuntur, ex quibus apta deſumitur materia pro nutritione, & augmento omniũ partium materialium, quæ ſunt in noſtro corpore, & vt ex illis ſubcreſcat genito quadruplex diuerſus ſubſtãtiæ modus, qui in partibus ipſis congeoitis apparet.

RESOLVTIO III.

Vtrùm humor ſit corpus liquidum, in quod trãſmutatur chylus, vi iecoris pro corpore alendo, vel aliis corporis cõmodis genitus.

§. I.

Humoris definitio oppugnatur.

PArs negatiua fulcitur authoritate Auicennæ, qui *fen.1.1.diſ.4.c.1.* diffinit humorem, quòd ſit, *Corpus fluidum, & humidum, in quod in primis nutriens conuertitur:* omnesque ferè Gal. ſectatores ſic diffiniunt.

Secundò hæc definitio adſtrictior eſt, quàm quæ requiritur pro humoribus: ergo non poteſt illis adaptari. Probatur antecedens, nam ex communi modo loquendi Hipp. chylus, lac & ſemen, humiditates, quæ ex humoribus fiunt in partibus, plures humores præternaturales, qui in ventriculo fiunt, & alij, qui à præternaturali calore in aliis generantur partibus, humores ſunt: ſed non definiuntur per hanc definitionem, cùm, vt apparet, non poſſit ſecundum omnes particulas de illo verificari: ergo debet alia aſſignari.

Tertiò: bilis, & melancholia ſunt humores, quorum neuter eſt corpus liquidum, cùm non habeant prædominantem humiditatem, à qua fiant liquida: ergo particula, *liquidum*, redundat.

Quartò: pituita gypſea eſt humor, & non eſt corpus liquidum, cùm ſit ſubſtantia denſa, quæ cuicumque parti affigitur: ergo redundat hæc particula.

§. II.

Prima adducta definitio admittitur & explicatur.

REſoluendum affirmatiuè ex Varand. *lib.1. phyſiolog.ſect.4.c.1.* ex Duncano *lib.1. phyſiolog. c.12.*

Probatur: Humoris adducta definitio conſtat proprio genere, & differentia, datur per omnia cauſarum genera, in illa nihil redundat, neque eſt ſuperfluum, neque diminutum, conuertitur cum omni humore. *Corpus*, ponitur loco generis, *liquidum* dicit formalem rationem humoris, particula *in quod transmutatur chylus*, explicat cauſam materialem; particula *vi iecoris*, cauſam efficientem denotat, eſt enim iecur deſtinatum à natura, vt principium ſit eliciti uum humorum; particula *pro corpore alendo*, denotat cauſam finalem, ſunt enim humores neceſſarij in corpore pro partium nutrimento; & quia etiam in alios fines deſtinantur bilis, vt in inteſtina delata irritet pro expulſione, & melancholia in ventriculo pro fame, ſuperadditur particula, *pro aliis corporis commodis*, quæ id explicat.

§. III.

Definitio ab oppugnantibus rationibus liberatur.

AD 1. reſpondetur: Quòd definitio ab Auicen. adducta ab omnibus eius Commentatoribus

A fuit recepta, ſed quia nimis laborioſa eſt eius explicatio, faciliori hac à modernioribus recepta vtimur, aptiùs enim in illa humorum natura patefit.

Ad 2. negato antecedenti: Ad illius probationem diſtinguo maiorem; lac, ſemen, humiditates, & aliæ huiuſmodi ſubſtantiæ dicuntur humores æquiuocè, concedo: propria humoris denominatione, nego maiorem. Hip. enim aliquando humorem vocat quamcumque corporis humiditatem, propriiſſimè tamen nos de humore loquimur naturali eâ acceptione, qua de illo agit Hipp. *lib. de natura humana*, prout bilem, ſanguinem, pituitam, & melancholiam naturalem comprehendit.

Ad 3. diſtinguo antecedens: Bilis, & melancholia ſunt humores, quorum neuter eſt corpus liquidum

B ratione adiunctæ ſeroſitatis, nego: ratione proprij modi ſubſtantiæ debitæ parti alimentitiæ eorum, concedo antecedens. Humor enim quilibet, cum in partium alimoniam ordinetur, habet duas partes adintegrantes, & partem humoris alimentoſam, & ſeroſam ſubſtantiam, qua fit liquida illa, & apta, vt in partes poſſit deferri, vnde licet ratione proprij modi ſubſtantiæ, aut temperiei parti alimentitiæ debitæ non ſit humor liquidus, fit talis ratione ſeroſæ ſubſtantiæ adintegrantis illam, ſicut quæcumque alia ſubſtantia extra corpus ſicca aquæ adiuncta liquida fit, & apta, vt deferatur in quaſcumque partes recondi tas.

Ad 4. diſtinguo antecedens: Pituita gypſea eſt humor æquiuocè, impropriè ſic dictus, concedo; humor

C naturalis, nego antecedens. Vt enim diximus, non intendimus diffinire niſi naturales, non verò eos, qui ex toto ab illis degenerant.

Dices: etiam conuenit hæc diffinitio aliis humoribus præternaturalibus, qui ex chylo in iecore generantur: ergo non ſolum diffinitur naturalis humor.

Reſpondetur negando antecedens: Licet enim humores præternaturales generentur ex chylo in iecore, non fiunt vi iecoris, & naturali eius potentia, ſed vi alicuius intemperiei, nec in nutricatum partium ſunt deſtinati: & ideò nec illis adaptatur diffinitio.

D

RESOLVTIO IV.

Vtrùm naturalis humor ſit quadruplex intra ſtatum naturalem?

§. I.

Humorum numerus aufertur, aut minuitur.

PArtem negatiuam tenent Paracelſiſtæ nullum intra corpus admittentes humorem, fauent Hip. antiquiores plures, quos ipſe *lib. de natura humana*, refert, & refutat, quibus aliqualiter adhæret Turiſanus Monachus, qui licet melancholiam, pituitam, & bilem

E admittat, ſanguinem quartum humorem negat, ſed ex his tribus humoribus commixtis ſanguinem fieri contendit, pro quo ſtat

Primò: ex tribus dictis humoribus putrefactis fiunt febres intermittentes, ſed ex ſanguine quarto humore nulla febris intermittens poteſt dari, vt docet Galen. *lib.2. de differ. febrium cap.9.* Ergo quia ſanguis quartus humor diſtinctus ab his tribus non poteſt dari.

Secundò: ſanguine venæ ſectione miſſo, tres apparent ſubſtantiæ tantùm, bilis, pituita, & melancholia: ergo in venis non reperitur alter humor ab his diſtinctus.

Tertiò: ſanguinis maſſa dicitur bilioſa, pituitoſa,

& melancholica, non dicitur ſanguinea: ergo quia tandem ſunt in illa tres humores, à quibus redundantibus poteſt denominari.

Quartò: lac fit ex ſanguine: ſed in illo tres tantùm dantur ſubſtantiæ: ergo ſimiliter in maſſa ſanguinaria.

§. II.

Determinatus humorum numerus ſancitur.

RESoluendum Affirmatiuè, ex Hipp. *lib. de natura humana*, vbi hanc veritatem latiſſimè demonſtrat. Sic tenet Gal. *lib. de hominis ſtructura, in comm. ad eundem lib. lib. 1. de elementis, c. 5.* & Auicenna *fen. 1. 1. doctr. 4. c. 1. & 2.* omneſque eius Commentatores, & ex modernioribus tenet Valles *lib. 1. controu.* Varand. *lib. 1. Phyſiolog. c. 12.* Fontanus *lib. 3. Phyſiolog. c. 1.* Heurnius *lib. 4. inſtit. medicinal. c. 1.* Ioannes Baptiſta Cortes *decad. 4 c. 4.* Santa-Cruz *in fen. 1. 1 opuſc. 6. c. 1.* Valleriola *lib. 1. de locis communib. cap. 11.* Petrus Garc. *in fen. 1. 1. diſp. 19. c. 2.* Mercatus *tom 1. p. 3. claſſe 1. art. 6.* Leonardus Fuchſius *lib. 1. inſtitut. medicinal ſect. 3. c. 1.*

Probatur 1. Ex Gal. *lib 2. de temperam. c. 2.* qui tot dari humores in corpore humano affirmat, quot dantur elementa in Vniuerſo, & eos vocat ſecunda elementa, quia illis aſſimilantur in facultatibus, & in eo quòd ſicut elementa ſunt prima principia, ex quibus fiunt mixta, ſic & humores ſunt prima principia, ex quibus fiunt animalia: ergo quatuor ſunt admittendi humores.

Probatur 2. Animal, in cuius nutritionem ordinantur humores, eſt mixtum conſtans ex materia omnium quatuor elementorum: ergo debent in corpore reperiri quatuor humores, ex quibus hæ valeant nutriri partes. Probatur conſequentia, nutritio fit per repoſitionem ſubſtantiæ ſimilis deperditæ: ergo pro quatuor ſubſtantiis diuerſis reſarciendis quatuor humores, ex quibus reſarciantur, ſunt admittendi.

Dices, quòd etiam humor quilibet eſt mixtum, & etiam conſtans ex materiis omnium elementorum, & ideò ſufficit vnus humor ad omnium partium nutritionem.

Contra: animal non ſolùm eſt mixtum conſtans materiis omnium elementorum: ſed corpus organicum compoſitum ex partibus heterogeneis, quarum quælibet habet diuerſum modum ſubſtantiæ ab alia iuxta diuerſam elementorum miſcellam, & prædominium: ſed ſunt quatuor elementa ex quorum quolibet excedente fit cum aliis talis miſcella, & ſubſtantiæ modus: ergo ſicut in corpore pars eſt mixta conſtans ex omnibus elementis cum exceſſu ignei elementi, vt cor, & alia cum exceſſu aquei elementi, vt cerebrum, & ſic de aliis elementis, debet ſimiliter dari ſubſtantia mixta cum vnius elementi prædominio, qualis eſt humor quilibet proprius alimonia.

Probatur 3. Quatuor humores poſſunt cathartico medicamento expurgari ex noſtro corpore: ergo reperiuntur in illo.

Dices: cum Turiſano tres tantùm poſſe expurgari, qui ſoli ſunt in corpore.

Contra: ſanguis, vltra humores qui purgatione euacuantur, poteſt ſanguinis miſſione euacuari: ergo quatuor ſunt in corpore humores. Præterea, quia ipſe ſanguis, ex Galen. *lib. de facult. medicament. purgantium. c. 4.* pharmaco etiam poteſt euacuari, & idem intendit Hipp. *lib. 1. de morbis.* dicens: *Primum igitur ventrem purgare oportet ſurſum. ac deorſum. deinde vteros ſubditio medicamento, à quo ſanguis purgatur, & ita quieſcere, &c.*

§. III.

Argumentis primò poſitis fit ſatis.

AD 1. negatur conſequentia: Quia enim febris fiat intermittens, quia natura extra vaſa mittit putreſcendum humorem, dum irritat ad ſui expulſionem ob præternaturales acquiſitas diſpoſitiones; & ſanguis, quia aliis mitior, aptiorque nutritioni, à natura vt vtilior in venis contineatur, ideò ab illo continens prouenit febris, nulla tamen intermittens ſuperuenit, quia ad ſui expulſionem non valet irritare.

Ad 2. negatur antecedens: Apparent enim in maſſa ſanguinaria, bilis, ſubſtantia tenuis, pallida, & in ſublimi loco collocata, & pituitæ albæ plerumque prædominans ſubſtantia, infra reſidet niger, & melancholicus ſuccus, & plerumque apparet ſuccus ruber, qui ſanguis quartus humor eſt.

Ad 3. negatur conſequentia: Non enim ſanguis ſanguineus deberet dici, eſſet enim inutilis repetitio, ſicut nec pituita deberet dici pituitoſa, nec bilis biliosa.

Ad 4. negatur conſequentia: Quia non in quocumque ente, quod ex alio fit, neceſſe eſt, quòd quatuor appareant diuerſæ ſubſtantiæ, fiunt enim ex quatuor humoribus omnes corporis partes, non tamen in quauis harum quatuor diuerſæ ſunt ſubſtantiæ.

RESOLVTIO V.

Vtrùm omnes quatuor humores generentur ex chylo immediatè?

§. I.

Negatiuæ parti adhærent Segarra, Peramatus, Carrerius, & alij.

PArtem negatiuam tenent Segarra *lib. 2. de facult. naturalibus, c. 11.* qui ſanguinem ex chylo, reliquos humores ex ſanguine iudicat fieri, Peramatus verò, Petrus Garc. Argenterius, & Santa-Cruz, licèt ex chylo omnes generari iudicent, poſſe tamen ex alimento fieri immediatè contendunt.

Quæ pars ſuaderi videtur: Primò ex Ariſt. qui *lib. 5. de hiſtoria animal. c. 19.* dicit, quòd ſanguis fit ex ſanie per coctionem: ergo non fit ex chylo.

Secundò: ex Gal. *lib. 4. de ſanit. tuenda, c 4.* qui docet ſanguinem ſtare in medio pituitoſorum, & bilioſorum: ergo ex pituita, quæ quia non ita cocta eſt, non peruenit ad ſanguinem, ſanguis fieri poteſt vlteriori coctione, & ex ſanguine bilis.

Tertiò: ſanguis poteſt fieri ex aliquibus cibis nondum in chylum tranſmutatis ex Galen. *lib. 6. de placitis c. 6.* dicente: *Licet ventriculus cibos conterere non valeat, modo ſuccos aliquos aſſumamus, vt in multis nationibus lac ſolet, viuere poſſumus, ſi ſanguinis generatio tollatur, vitam tolli quoque neceſſe eſt.* Ergo ex lacte, & aliis ſuccis in chylum nondum tranſmutatis fit nutritio, quæ cùm immediatè petat fieri ex humoribus, ſine mutatione in chylum ex eis ſunt geniti.

Quartò: extrinſeca poſſunt nutrire, & odorifica, & quæ iniiciuntur per clyſteres, ſed nullum ex his patitur coctionem in ventriculo, vt conuertatur in chylum: ergo humores fiunt ex illis immediatè.

Quintò: bilis, & melancholia poſſunt generari ex ſanguine immediatè: ergo non omnes humores generantur

generantur ex chylo. Probatur antecedens ex Gal. *lib.* A *de differ febrium c.9.* & *lib.1. de criſibus c.12.* dicente quòd: *Vlteriori alteratione ſanguinis pars tenuis in bilem, craſſa vero abit in melancholiam c.9.*

Dices, quod humores quatuor naturales ſunt, de quibus procedit dubium præſens, non verò de præternaturalibus, de quibus non eſt dubium in doctrina Gal. poſſe fieri, eo quòd immediatè fiant ex chylo, immò contrarium ipſe docet *lib.1. de locis affectis c.4 lib.1. de temp. c.8. lib. de atra bile, & 2. prognoſticorum c.39. lib. de alimentorum facultatib. c.39.* aliiſque in locis.

Contra: non ſolùm humores præternaturales, ſed etiam humores naturales poſſunt generari ſine eo, quòd fiant ex chylo: ergo ſolutio eſt nulla. Probatur B antecedens, ſanguis generatur immediatè ex pituita, ex Galen. *lib.2. de facultatib. naturalibus c.7.* & ex Auic. *fen.1.1. doct.4.* Ergo naturales humores fiunt immediatè ſine chylo, ex aliis.

§. II.

Tenenda pars proponitur.

RESoluendum Affirmatiuè.

Probatur primò: Ex Gal. *lib.4 de vſu partium c.3.* dicente: *Diſtributum à ventriculo ad iecur chylum à viſceris caliditate, velut vinum muſtum feruere, concoqui, alterari in ſanguinis boni generationem, &c.* Ergo ex C chylo producuntur humores.

Dices Gal. docere ex chylo generari humores, non tamen negari poſſe etiam fieri ex alimentis immediatè.

Contra ſtat ipſe Gal. *libro 6. de morbis vulgaribus p.5. comm.1.* vbi cibus nullo modo poſſe nutrire ſine eo quòd in chylum mutentur, & poſtea chylus mutetur in humores, docet: ergo ex eius doctrina humores ex chylo debent fieri ſemper. Probatur antecedens manifeſtè ex eius verbis, dicit enim: *Quòd ſi deuorata cibaria neque rectè concocta ſint, neque digeſta, neque in ſanguinem verſa neque alendarum partium vim inuenerint, ſtatim mehercle neque corporis noſtri alimentum fuiſſe dicentur, quemadmodum ad nutriendas partes facultas cauſa eſt. ſic ventriculi vis ad cibos concoquendos, & vi iecoris,* D *venarumque facultas ad concoctum ſanguinem conuertendum ſe habet, &c.*

Probatur 2. Ex Auic. à cuius ſectatoribus neceſſariò debet admitti, qui humorem diffiniens, *fen.1.1. doct.4.c.1.* dicit quòd eſt *corpus fluidum, & humidum, in quod in primis nutriens conuertitur* id eſt chylus conuertitur: ergo eſt de intrinſeca, & eſſentiali ratione humoris fieri ex chylo, cùm ab ipſo Auic. includatur in illa, & per definitionem explicetur.

Probatur 3. Formæ, quæ ordine naturæ requiruntur præcedentes in materia, vt ea coaptetur ad formam ſubſequentem, non poſſunt in illa ſubſequi ſine præcedentium præſuiſſe, vt de forma embryonis reſpectu formæ rationalis conſtat: ſed ante aduentum formæ E viuentis in alimento prærequiruntur in materia informanda per nutritionem, quòd præceſſerit forma chyli in ventriculo formam ſanguinis, ſeu reliquorum humorum in iecore & ſubſequantur reliquarum humiditatum formæ: ergo neceſſarium eſt in omni humore naturali, qui ordinatur ad nutritionem fieri ex chylo. Probatur minor, ex Galen. *lib.3. de temperam. c.1 lib.3. de cauſis ſymptomatum c.3 lib.3. de facult. naturalibus c.7.* In quibus docet tres dari coctiones neceſſarias, quæ præcedant in alimento vt poſſit nutrire, primam in ventriculo, in quo chyli formam recipit, ſecundam in iecore, vbi recipit humorum formas, tertiam in tertia regione: ergo.

§ III.

Argumentis reſpondetur.

AD 1. reſpondetur: Quòd Ariſtoteles per ſaniem intelligit ſanguinem ſemicoctum, à quo per vlteriorem coctionem fit perfectus ſanguis.

Ad 2. diſtinguo antecedens: Sanguis ex Gal. ſtat in medio bilioſorum, & pituitoſorum ratione temperiei, concedo: ratione modi ſubſtantiæ apti, vt ex illo poſſit iecur eorum generare ſubſtantiam, nego antecedens: immò ex chylo, in quo ſunt partes alimenti aptæ, & elaboratæ pro omnium humorum productione, ſeligitur materia magis aërea, ex qua quia aptior B pro ſanguine, non pituitam, aut bilem, ſed ſanguinem producit iecur, qui in facto vtpotè magis elaboratus ineptior eſt, vt poſſit iecur ex illo alios producere humores.

Ad 3. negatur antecedens: Gal. enim id tantùm intendit, quòd comparata neceſſitate ventriculi ad iecoris neceſſitatem, ſit maior neceſſitas iecoris, quia ſine ſanguinis productione à iecore animal diu durare non poteſt, non tamen ita neceſſariò, & ita breui tempore periit animal ventriculo non concoquente alimenta, quia poſſunt aliqui ſucci redundare in corpore, ex quibus mutatis à ventriculo in chylum perduret animal; etiamſi cibus non aſſeratur. C

Ad 4. negatur minor: Quia extrinſecus appoſita, & ſubſtantiæ odorificæ aliquas ſuæ ſubſtantiæ partes tenues valent emittere, quæ in chylum à ventriculo mutatæ materiam præbent pro nutritione, vel quæ ad cor, vel cerebrum delatæ materiam præbent pro ſpirituum generatione, & ex clyſteribus fit ſimiliter chylus, delatâ materiâ nutriente in venas ventriculo proximas, in quas ſe extendit concoctricis virtutis ventriculi actiuitas.

Ad replicam 5. reſpondetur notando: Quòd, vt dicemus infrà, pituita alia eſt naturalis, quæ ſimul cum aliis humoribus à iecore generatur, & defertur per venas pro partium nutritione, & hæc fit ex aqueis, D frigidis, & humidis chyli partibus maiori ex parte, ideoque deſtinata eſt in nutritionem partium frigidarum: & humidarum. Alia eſt pituita, quæ licèt intra ſtatum naturalem reperiatur in venis. non tamen eadem eſt cum pituita, quæ vt quartus humor cum reliquis generatur à iecore, ſed fit ex eadem materia chyli, ex qua fit ſanguis, nondum tamen perfectè elaborata, & concocta eſt, ita vt ad formam ſanguinis peruenerit, licèt ſit ſanguis ſemicoctus; & hæc, ad differentiam ſanguinis perfectè cocti pituita dicitur; ad denotandum, quòd ſit crudior pars ſanguinis, & in hunc vſum ſeruatur in venis, vt per vlteriorem coctionem indigentiæ tempore fiat ſanguis perfectus, ex quo patet, quòd ſanguis qui dicitur fieri ex pituita, fiat E proximè ex chylo.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm vi iecoris fiant omnes humores naturales?

§. I.

Partis negatiua fundamenta proponuntur.

PArtem negatiuam ex antiquioribus contendunt plures, Pelopes cerebro ipſam tribuens ſanguifi-

ſanguificandi virtutem, Blemor neulis, Diogenes ventriculo Ariſt. *lib. 1. de generat. animal. lib. de reſpiratione, lib. de ſomno & vigilia, & 3. lib. de hiſtoria animal.* Cordi tribuit facultatem ſanguificandi; adhærent Auerr. Turiſanus, & omnis Peripatetica ſchola & inter Iuniores Pequee; ventriculum poſſe ſaltem generare pituitam admittunt iuniorum aliqui; ſunt, qui quemlibet humorem à ſuo ſimili volunt fieri poſſe.

Pro quibus ſtat primò. Pituita generatur in ventriculo: ergo pituita, & reliqui humores vel in ventriculo, vel extra iecor ſine eius vi poſſunt generari. Probatur antecedens, ex Galen. *lib. de atra bile, c. 8. lib. 2. acutorum comm. 30. lib. de natura humana comment. 39.* & ex Auic. *fen. 13. lib. 3. tract. 1. c. 16.* & ex Ariſt. *lib. 2. de generatione animal.*

Secundò: dum chylos remanet in ramis venæ portæ antequam perueniat ad parenchyma, & ſæpe dum non potuit ſanguis perfici ab illo, extra illum in venis elaboratur, & perficitur: ergo virtus ſanguificandi non reſidet in ſolo iecore.

Tertiò: Hipp. pro humorum generatione varia ponit in corpore principia à iecore diſtincta: ergo non ſola vi iecoris producuntur. Probatur antecedens, ex eodem *lib. 4. de morbis*, dicente: *Et ſanè ſanguinis fons eſt cor, pituitæ caput, aquæ ſplen, bilis locus folliculi in hepate, &c.*

Quartò, illi parti debet tribui virtus productiua alicuius ſubſtantiæ neceſſariæ in corpore humano, in qua oriuntur, & deſumunt principium vaſa cum quibus talis ſubſtantia debet contineri: ſed venæ in quibus humores continentur, originem ducunt à corde, vt docet Ariſt. locis iam citatis: ergo in corde eſt vis humorum productiua.

Quintò: quilibet humor valet alium ſibi ſimilem producere: ergo non fiunt omnes vi iecoris. Probatur antecedens à Santa-Crux *in fen. 1. opuſc. 6.* Quia ſanguis, & quilibet humor habet ſuas qualitates primas, quibus valet alterare paſſum; alteratio verò, ſi intendatur, deducit vſque ad introductionem nouæ formæ, & abiectionem alterius: ergo ſanguis, & quiuis humor poterit ſibi ſimile generare ex chylo ſibi approximato.

§. II.

Communis admittitur doctrina.

RESoluendum Affirmatiuè: Ea Hipp. doctrina, quam ſequitur Galen. *lib. 6. de placitis c. 18. lib. 4. de vſu partium, c. 18. & lib. 3. de cauſis ſymptomat. cap. 3. lib. 3. de facult. naturalib. c. 7. lib. 3. de temp. c. 2. lib. de boni & mali ſucci c. 4. & 5.* tenet Auic. *fen. 1. lib. 1. doctr. 4. cap. 2.* tenet Fernelius *lib. 6. partis naturalis c. 6.* Vall. *lib. 1. controuerſ. c. 13.* Petr. Garc *diſp. 21. c. 2. & diſp. 15. c. 1.* Tenéntque alij plures, licèt de pituita iudicent poſſe etiam in ventriculo generari iuniores. Et nos infrà de imperfectioribus humoribus generari poſſe à liene determinabimus.

Probatur 1. Si debita in iecore ſeruetur temperies, debitè omnes quatuor humores naturales producuntur, ſi varietur, tali afficiuntur temperie, qualis eſt, quæ excedit in iecore, quantumcumque reliquæ partes debita fruantur temperie: ergo à iecore, & non à reliquis corporis partibus fit omnium humorum perfectorum ſaltem productio. Probatur antecedens, frigido exiſtente iecore, vt in hydropicis, frigidi producuntur humores; calido exiſtente, fit bilis excedens, ipſo reducto in naturalem ſtatum, naturales, & cum debita temperie humores fiunt: ergo iuxta iecoris temperiem producuntur humores.

Probatur 2. Quælibet pars corporis tribuit ſubſtantiæ, quam elaborat, ſimilem ſubſtantiæ modum, ſimiA liaque accidentia: ſed humores ſunt iecori, in modo ſubſtantiæ, & in accidentibus ſimiles: ergo producuntur ab illo.

Probatur 3. Eidem parti, cui natura condonauit virtutem alicuius ſubſtantiæ neceſſariæ in corpore productiuam, dedit ſimiliter, quod ſit principium, & origo vaſorum, in quibus contineri, & ſeruari debet talis ſubſtantia, ſic dedit cordi, quòd ſit origo arteriarum, in quibus conſeruantur, & continentur ſpiritus vitales, & cerebro neruorum originem, per quos deferuntur animales: ſed condonauit iecori, quòd ſit origo venarum, in quibus continentur, & conſeruantur humores naturales, vt ex anatome palam demonſtratur: ergo dedit illi virtutem omnium humorum naturalium B productiuam prout perfecti ſunt.

§. III.

Diluuntur argumenta.

AD 1. diſtinguo antecedens: Pituita generatur in ventriculo, ſi per pituitam intelligas vnum ex quatuor humoribus, nego; ſi intelligas ſuccum illi aliquantulum ſimilem, concedo antecedens. Reſultat enim in quavis coctione duplex excrementum, alterum craſſum, alterum tenue: & hoc in coctione, quæ fit in ventriculo, pituita dicitur, illi enim aſſimilatur, non tamen verus eſt humor, nec ex illo fieri poteſt humor perfe-C ctè talis in ipſo iecore.

Ad 2. diſtinguo minorem: In ramulis portæ venæ ante acceſſum ad iecur, & poſt ipſum iecur in venis proximis generatur ſanguis quantum ad aliquam accidentalem perfectionem, concedo: quantum ad propriam ſuæ formæ introductionem, nego minorem. Perficitur enim tripliciter in iecore, in acceſſu ad illud, & in receſſu; in iecore generatur, ſubſtantialiterque fit talis, in acceſſu diſponitur pro forma, in receſſu perficitur in illa, perfectione tantum accidentali in modo ſubſtantiæ. Vel ſaltem in venis lacteis, vt infrà dicemus.

Ad 3. diſtinguo antecedens: Hipp. pro humorum generatione varia ponit in corpore principia à iecore diſtincta, quæ ſint principia emanationis, nego: quæ ſint D principia receptionis, concedo antecedens. Licèt enim tanquam principium effectiuum, & emanationis, iecur tantum agnoſcat Hipp. alia plura admittit receptionis annumerata principia, in quibus varij humores recipiuntur ob varios vſus.

Ad 4. negatur minor: Vt enim demonſtrauit Galen. *lib. de vſu partium, & de placitis Hipp. & Platonis*, contra Ariſt. & contra Peripateticos, noſque ex illius ſententia probabimus infrà, vnicum iecur eſt origo, & principium omnium venarum, in quibus ſanguis, qui per vniuerſum corpus irrigatur, continetur, & conſeruatur.

Ad 5. negato antecedenti: Ad illius probationem, diſtinguo antecedens: Sanguis, & quilibet humor habet qualitates primas, quibus valet alterare paſſum ſimul E cum virtute concoctrice, nego: habet qualitates primas, per quas ſine conſortio cum concoctrice potentia, valet illud alterare, concedo antecedens. Non enim quælibet ſimplex alteratio valet ad cuiuſlibet formæ introductionem: ſed requiritur vltra alterationem primarum qualitatum ad ſanguinis generationem actio concoctricis facultatis, ſicut ad ſimilis ſubſtantiæ productionem vltra primarum qualitatum alterationem requiritur actio nutritiuæ potentiæ, & ad hominis productionem non ſufficit alteratio per primas qualitates inducta ſimilis eis, quæ ſunt in homine: ſed requiritur generatiuæ virtutis actio, quæ ſaltem ipſas primas eleuet qualitates.

Resolvtio VII.

Verùm ab vno, eodémque iecoris calore fiat omnium humorum productio?

§. I.

Pars negatiua proponitur & probatur.

HVmores non poſſe ab eodem calore iecoris produci, probatur primò ex Galen. *lib. 2. de facult. naturalib. cap. 8.* dicente: *Demonſtratum autem his antea eſt, dum alimentum in venis ab innata caliditate alteratur, ſanguinem fieri à mediocri calore, reliquos ſuccos ab eodem immodico.* Ergo ex Galeni doctrina diuerſus eſt calor, à quo diuerſi producuntur humores.

Secundò: præuiæ diſpoſitiones ad formas diuerſas ſpecie diſtinctas debent eſſe etiam diſtinctæ ſpecie: ſed humorum formæ differunt ſpecie: ergo vnus & idem calor non poteſt eſſe pro omnibus diſpoſitio.

Tertiò: diſpoſitiones conſeruatiuæ formarum ſubſtantialium ſunt proportionatæ, & ferè eædem, ac diſpoſitiones diſpoſitiuæ: ſed conſeruatiua diſpoſitio humorum eſt quadrupleх, alij enim ſunt calidi, alij frigidi, &c. Ergo ab vno, & eodem calore præuia humorum diſpoſitio non poteſt poni.

§. II.

Communis amplectitur doctrina.

REſoluendum: Quòd ab vno, & eodem iecoris calore poſſunt omnes quatuor humores produci propter materiæ heterogeneitatem. Tenet Varandæus *lib. 1. phyſiolog. sect. 4. c. 2.* Mercatus *tract. de humorib. art. 3.* Fernelius *lib. 6. phyſiolog. c. 4.* Petrus Garcia *in fen. 1. diſput. 25. c. 3.* Valles *lib. 1. controuerſ. c. 21.* Fontanus *p. 1 uniuerſæ artis medicæ 2. 2.* & eſt communis.

Probatur 1. Ex Auic. *fen. 1. 1. doct. 4. cap. 1. §. Sanguinis ergo cauſa efficiens calor eſt temperatus, & cauſa materialis eſt quod de nutrientibus eſt temperatum, & de potibus bonis, efficiens verò choleræ eſt igneus calor ſuperfluus, & eius cauſa materialis eſt quod de nutrientibus eſt ſubtile, calidum, dulce, & acutum, &c.*

Probatur 2. Iecur producit omnes quatuor humores media concoctrice actione diſponendo materias ad introductionem formarum eorum: ſed concoctrix facultas ſolo calore vtitur, vt inſtrumentum eleuatum pro ſua actione: ergo ab vno, eodémque iecoris calore poteſt fieri omnium humorum productio.

Probatur 3. Ab eodem iecore eodem modo ſe habente, & cum eadem caloris intenſione, ſi diuerſa vtamur alimentorum ſubſtantia, diuerſum prædominium diuerſorum humorum diuerſis qualitatibus gaudentium producitur, vt experientia comprobatur: ergo ab vno, & eodem calore propter heterogeneitatem materiæ, ex qua producuntur, diuerſi quatuor humores valent produci.

§. III.

Vlteriùs deciditur reſolutio.

REſoluendum 2. Quòd in iecore reperiuntur diuerſæ partes materiales, quarum quælibet aptior eſt potiùs pro vno, quàm pro alio humore generando ex parte ſuæ actiuitatis. Sic ſuſtinuit Carreirus *in fen. 1. 1. diſput. 25. cap. 3.* qui licèt primus partes materiales negauit in mixto, ipſas tamen veritate coactus admittit in iecore diuerſas pro diuerſis humoribus producendis.

Probatur 1. Secluſa diſpoſitione ſe habente ex parte paſſi, ex parte agentis requiritur diſpoſitio ſimilis ei, quæ debetur formæ introducendæ: ſed in iecore, cùm ſit mixtum conſtans ex materiebus, & qualitatibus debitis omnibus quatuor elementis, neceſſariò debent reperiri quatuor partes materiales diuerſæ proportionatæ in ſuis temperiebus ipſis quatuor elementis: ergò in iecore reperiuntur diuerſæ partes materiales, quarum quælibet aptior eſt potius pro vno, quàm pro alio humore generando ex parte ſuæ actiuitatis.

§. IV.

Soluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd idem numero calor in iecore, prout eſt in diuerſis partibus materialibus ſecundum diuerſos gradus intenſionis, in partibus igneis eſt aptior pro bile generanda; in aëreis, pro generando ſanguine; in parte in qua magis redundat aqua, pro generanda pituita; & in qua abundat terra, pro generanda melancholia. Vel 2. reſpondetur, quod idem calor in iecore propter diuerſam diſpoſitionem ex parte paſſi, in partibus igneis chyli, & aëreis recipitur in maiori intenſione, in aqueis, & terreis in minori propter diuerſam paſſi diſpoſitionem, & ideò in diuerſis partibus diuerſas producit formas humorum.

Ad 2. reſpondetur: Quòd idem numero calor propter diuerſam materiæ commixtionem diuerſam diſpoſitionem ponit in diuerſis partibus illius ſpecie diſtinctam, ratione cuius diuerſas ſubſtantiales formas valeat producere vt inſtrumentum cauſæ æquiuocæ, ſic contingit in putredine inducta à ſolis calore, medio quo in diuerſis partibus materiæ, diuerſæ formæ viuentes introducuntur à cauſa vniuerſali, vt ranæ, muris, lumbricorum, & aliorum huiuſmodi.

Ad 3. diſtinguo conſequens: Ergo ab vno, & eodem calore præuia humorum diſpoſitio non poteſt poni in materia eadem, & homogenea pro omnibus, concedo: in materia heterogenea, & diuerſa, nego conſequentiam. Vel 2. reſpondetur: quòd calor ſolus non eſt adæquata diſpoſitio præuia pro formis humorum, ſed tribuitur illi actio productiua eorum, quatenus eſt inſtrumentum, quod à iecore eleuatur ad eorum productionem, quod licèt vnum ſit in eſſe caloris, in eſſe inſtrumenti reſpectu diuerſæ quadruplicis diſpoſitionis in diuerſis partibus chyli quadruplex eſt.

Resolvtio VIII.

Verùm iecur vnica ſubſtantiali actione producat omnes quatuor humores?

§. I.

Communis Medicorum proponitur opinio.

PRo reſolutione notandum, quòd iecur duplici actione concurrit ad humorum productionem: alia eſt alteratio, mediâ quâ producit per calorem diſpoſitionem præuiam requiſitam ex parte caloris in qualibet materia apta pro generatione cuiuſlibet humoris; alia eſt actio ſubſtantialis, quâ iecur in genere cauſæ æquiuocæ attingit productionem cuiuſlibet humoris. De alteratione antecedenter diſputauimus: in hac Diſput. agemus de ſubſtantiali

tiali actione, de qua inquirimus vtrum vna ſufficiat pro omnium humorum generatione.

Vulgus Medicorum in ea ſententia perſiſtit, quæ aſſerit, quòd omnes quatuor humores producuntur à iecore vnica ſubſtantiali actione: quibus fauet

Primò, quod Galen. *lib.4. de vſu partium*, protulit, quòd humores generantur à iecore omnes quatuor, ſicut in muſto vi caloris generantur diuerſæ ſubſtantiæ, ſcilicet vinum, fæces, & ſpuma: ſed in muſto vnica caloris actione omnes illæ ſubſtantiæ generantur: ergo à iecore vna tantum actione omnes quatuor humores producuntur.

Secundò: ſi quilibet humor diuerſa ſubſtantiali actione generaretur, pro quadruplici actione quadruplex agens diſtinctum eſſet neceſſarium pro eorum productione: ſed ſolum iecur ſufficit pro productione illorum: ergo, vnica tantum producuntur actione.

Dices, diſtinguo maiorem. Si quilibet humor diuerſa ſubſtantiali actione generaretur vniuoca, concedo: ſi diuerſa ſubſtantiali æquiuoca, nego maiorem. Ratio huius eſt, quia cùm in actione vniuoca producatur effectus eiuſdem rationis cum agente, pro quolibet effectu ſpecie diuerſo requiritur agens ſpecie diuerſum ab alio & ſimile genito: cauſa verò æquiuoca, cùm producat effectum diuerſæ rationis, plures ſpecie diſtinctos valet producere, vt patet in cauſa prima, in cœlo, & aliis æquiuocis cauſis.

Contra: cauſa æquiuoca non producit effectum æquiuocum, quin priùs producat effectum vniuocum; lux enim non producit calorem, quin priùs producat lucem: ſed iecur nullum effectum vniuocum valet producere ante productionem humorum: ergo potius tanquàm ſanguis coagulatus producit omnes quatuor humores vnica actione in genere cauſæ vniuocæ.

Tertiò: effectus adæquatus vnica adæquata actione petit fieri: ſed omnes quatuor humores ſunt adæquatus effectus iecoris: ergo vnica actione tantum debent produci.

§. II.

Sancitur vera doctrina.

Reſoluendum: Quòd quatuor humores naturales producuntur à iecore quadruplici ſubſtantiali actione.

Probatur 1. ratione fundamentali. Actiones ſpecificantur à ſuo termino, vt docet Ariſt. *lib.5. phyſic.c.4. text.31.* & D. Thom. *lib.2. contra Gentes cap.17.1.p. q.25. art.1. & q.45. art.1.* quos ſequitur communis Philoſophorũ, & Metaphyſicorum aſſenſus: ſed quatuor humores naturales ſunt inter ſe diſtincti ſpecie ſubſtantiali, vt docuit Hipp. *in lib. de natura humana*, Galen. *in lib. de humoribus*. Quibus aſſentiuntur Medici, præcipuè, qui humores in venis formaliter contineri admittunt: ergo actiones ſubſtantiales, per quas producuntur, ſunt ſpecie diuerſæ.

Dices: terminum productum eſſe maſſam ſanguinariam, quæ adintegratur per quatuor humores tanquam per ſubſtantias partiales, & ideò vnica actione poſſe produci ad ipſas terminatam tamquàm ad partiales terminos, ſicut actio generatiua hominis eſt vna totalis, licet terminetur ad plures ſubſtantias partiales.

Contra: maſſa ſanguinaria eſt vna per aggregationem, vt probauimus *reſolut.1.* Cum humores actu, & formaliter diſtincti ſint in illa, ſicut ſunt lapides in eorum aceruo: ſed vnitas per aggregationem non tollit, quòd illius adintegrantia ſint producta per tot actiones ſubſtantiales, quot ſubſtantiæ adintegrantes, vt patet in exemplo poſito: ergo licèt partes ho-
A minis, qui eſt ens per ſe, fiant eadem ſubſtantiali actione partes maſſæ ſanguinariæ, quæ eſt ens per aggregationem quatuor humorum ſpecie diſtinctorum, per quatuor actiones ſubſtantiales ſpecie diuerſas petit produci.

Probatur 2. Sic ſe habent quatuor humores intra venas, prout adintegrant maſſam ſanguinariã, ſicut ſe habent quatuor elementa in hoc Vniuerſo ſub concauo Lunæ ad illum adintegrandum: ſed elementa petunt produci per quatuor actiones ſubſtantiales: ergo humores petunt produci per quatuor ſubſtantiales actiones ſpecie diuerſas.

Probatur 3. Sic ſe habet iecur in eſſe cauſæ æquiuocæ ad productionem quatuor humorum, ſicut ſe
B habet cœlum ad productionem metallorum, lumbricorum, vermium, murium, & aliorum, quæ poteſt producere in genere cauſæ æquiuocæ: ſed cœlum quemlibet effectum ex dictis ſpecie diuerſum ab alio producit actione ſpecie diuerſa ſubſtantiali: ergo iecur quemlibet humorem ſpecie diſtinctum ab alio producit, diuerſa actione ſpecie diſtincta ab alia. Minor patet, nam actio productiua cuiuſlibet metalli non poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei cum actione productiua animalis.

§. III.

Soluuntur argumenta

Ad 1. reſpondetur 1. Quòd Galen. comparat pro-
C ductionem humorum in iecore productioni eorum, quæ generantur in efferueſcentia muſti, in eo quod vtraque harum actionum fit mediâ caloris alteratione. Secundò reſpondetur: Quòd ſi de nouo generantur in muſto diuerſæ ſubſtantiæ, ſicut in iecore, ad earum productionem requiruntur ſimiliter diuerſæ actiones generatiuæ ſpecie diſtinctæ.

Ad 2. reſpondetur ad vltim. replicam: Quòd non ſemper eſt neceſſarium, quòd cauſa æquiuoca producat effectum vniuocum ante productionem æquiuoci, vt apparet in cœlis reſpectu mixtorum, & viuentium, quæ generant.

Ad 3. diſtinguo maiorem: Effectus adæquatus debitus vnicuique ſpecificæ adæquatæ actioni, conce-
D do: effectus adæquatus adintegratus ex pluribus actionibus adæquatis adintegrantibus potentialitatem capiebilem per diuerſitatem plurium generationum ſpecie diuerſarum, nego maiorem. Duplex enim effectus adæquatus poteſt conſiderari reſpectu cauſæ æquiuocæ valentis producere plures effectus ſpecie diuerſos. Alter eſt effectus adæquatus, qui correſpondet virtuti generatiuæ determinatæ ſpeciei. Alter eſt effectus adæquatus, qui correſpondet omni potentialitati, quam cauſa habet ad productionem omnium ſuorum effectuum ſpecie diſtinctorum; vt apparet in cœlo, reſpectu cuius productiua actio muris eſt adæquata, & adimplet totam potentialitatem ſpecificam producendi hoc animal: aggregatum verò omnium,
E quæ poteſt producere diuerſis generationibus ſpecie diſtinctis, adimplet abſolutam potentialitatem illius cauſæ; & quilibet horum effectuum adæquatus dicitur, alter tamquàm terminus per ſe vnius ſpecificæ ſubſtantialis generationis, alter tanquàm effectus per aggregationem factus per plures generationes ſpecie diſtinctas complentes potentialitatem cauſæ ad plures effectus ſpecie diſtinctos.

RESOLVTIO IX.

Vtrùm quilibet humor ſit propter nutritionem partium noſtri corporis?

§. I.

Ariſt. Auerrois, & Garbienſis opinio refertur.

SOlum ſanguinem poſſe nutrire contendit Ariſt. *l. 3. de hiſtoria animal. c.* 18. & *l. 4. de partibus animal. c. 2. lib. 3. de hiſtoria animal. c. 2. lib. de partibus animal. c. 3.* quem ſequitur Auerr. 2. *collect. c. 2.* Thomas de (B) Garbo *in ſumma tract. 3. q. 2.* pro quibus ſtat,

Primò Galen. *lib. 1. ſimplic. c. 9.* & Ariſt. *lib. de ſenſu, & ſenſibili c. 3. & lib. de hiſtor. animal.* aſſerentes quòd quidquid nutrit, debet eſſe dulce: ſed non omnes humores ſunt dulces, pituita enim inſipida eſt, bilis amara, melancholia acerba: ergo non valent omnes humores nutrire.

Secundò, bilis non poteſt nutrire, niſi nouam acquirat crudiatem, per quam eius calor remittatur, qui intenſior eſt eo, qui eſt in partibus quibuſcumque viuentis: ſed per coctionem, per quam humores diſponuntur, vt nutriant, incrudari non poteſt, cùm potius concoquatur, & calidior euadat, ex Ariſt. (C) 4. *meteor.* Ergo bilis non poteſt nutrire: quod idem de aliis aſſerendum.

§. II.

Hipp. Auicen. & Medicorum eligitur placitum.

REſoluendum: Omnes humores naturales neceſſarios in corpore humano eſſe propter partium nutritionem. Tenet Hipp. *lib. de natura humana text.* 18. Gal. *in comm. & lib. de elementis, cap. 2.* Auic. *fen. 1. 1. doct. 4. c. 1. & 2.* quos ſequuntur Commentatores, & & ex moderni oribus Vall. *lib. 1. controu. c. 14.* Mercatus *tom. 1. p. 3. claſſe 2. art. 2.* Petrus Garc. *in fen. 1. 1. diſp. 20. c. 2.* Santa-Cruz *in fen. 1. 1. opuſc. 6. c. 4.* Varand. *lib. 1.* (D) *phyſiolog. tract. de humoribus ſect. 4 c. 2.* Duncanus *lib. 1. phyſiolog. c. 12.* Valleriola *lib. 1. de locis comm. cap. 11.* Fontanus *lib. 3. phyſiolog. c. 1.* Angelucius *lib. 1. de arte medica cap. 4.* Georgius Bertinus *lib. 3 tract. de humoribus, cap. 2.*

Probatur 1. In animali reperiuntur quatuor diuerſæ partes, quæ in modo ſubſtantiæ, in exceſſu partium materialium, & in propria temperie correſpondent quatuor diuerſis humoribus, ipſiſque quatuor primis elementis: ſed ſanguis quatenus humor, ſolis partibus carnoſis, quæ aëreo gaudent temperamento, (E) eſt maximè coaptatus, & proportionatus: ergo pro reliquarum partium nutritione reliqui requirũtur humores naturales. Probatur conſequentia, nutritio fit per repoſitionem ſubſtantiæ ſimilis parti nutriendæ: ſed quælibet ex corporis partibus quantumvis minima huic, aut illi humori in modo ſubſtantiæ, & ſubſtantifica, ac qualitatiua temperie magis eſt ſimilis, quàm aliis: ergo pro eius nutritione hic humor, & non alius eſt neceſſarius.

Probatur 2. Ex eiſdem nutrimur, ex quibus ſumus conformati: ſed conformati ſumus ex ſanguine prout comprehendit omnes quatuor humores naturales: ergo omnes illi requiruntur pro nutritione omnium corporis partium.

Probatur 3. Omnes quatuor humores actu, & for-(A) maliter generantur à iecore, deferuntur per venas, & in illis neceſſariò debent reperiri, quolibet enim deficiente, vt in ſuperpurgationibus apparet, perit animal: ergo ſunt omnes neceſſarij propter partium nutritionem, aliàs fruſtrà eſſent producti, & ſi non conſumerentur in continua partium nutritione, redundarent, putreſcerent, nec locus eſſet capax pro eorum receptione: ergo.

§. III.

Fundamenta propoſita inualidantur.

AD 1. reſpondetur duplici ſolutione communi- (B) ter apud Authores, vtramque latè proſequitur Petrus Garc. *diſp. 20. in fen. 1. 1. c. 2. §. in ſolutione ad vltimum.* Prima eſt quòd, quidquid nutrit debet eſſe dulce, id eſt particeps alicuius dulcedinis: quod in quolibet humore reperitur, etiamſi ſit amarus, non enim in ſummo amarus eſt, ſed ſimul cum aliquali dulcedine. Secunda eſt, quòd dulce apud Galen. idem eſt ac familiare, & hoc modo quilibet humor dulcis eſt, id eſt familiaris illi parti, cum qua habet ſimilitudinẽ in temperie, & in modo ſubſtantiæ, & ideò ipſam valet nutrire, cùm ſimiles habeat partes reponendas loco earum, quæ ex illa parte ſunt deperditæ.

Ad 2. negatur antecedens: Quia bilis concoquitur à parte, in qua ſunt plures partes igneæ, & à virtute attrahente illarum ad ipſas defertur propter ſimilitu- (C) dinem, valetque ab ipſis elaborari: vel quòd quælibet pars, licèt natiuo calore fruatur remiſſiori, quàm naturalis bilis; non tamen calore actuato: cùm enim ſpiritus vitales ſint calidiores quacumque parte corporis, ſiue viuente, ſiue quomodolibet integrante, ab ipſis communicatur parti alendæ intenſior calor, quo bilem concoquat, & tranſmutet.

RESOLVTIO X.

Vtrùm quilibet humor diſtinctus à ſanguine poſſit ſine eius conſortio nutrire?

(D) §. I.

Negatiuam ſuadet partem.

PLerique Medicorum admittentes omnes humores nutrire, reliquos à ſanguine non niſi cum conſortio illius poſſe nutrire affirmant.

Primò: quia humor, vt nutriat, debet reſarcire ſubſtantiam rei nutritæ, ſed in qualibet parte viuente nutrienda aliquid amiſſum eſt de ſubſtantia humida, calida, & aërea; ergo vt reſarciatur debet commiſceri ſanguis, qui calidus, humidus, & aëreus eſt, cum reli- (E) quis humoribus nutrientibus illam partem.

Secundò: quod natura expellit tanquam inutile, non poteſt ab ipſa, vt vtile attrahi: ſed bilis ad veſicam, vt inutile repellitur, melancholia ad lienem: ergo vt trahantur ad aliquam partem pro eius nutritione, debet ſanguis cum illis commiſceri.

Tertiò: in quacumque parte corporis, eſt ſubſtantia oleaginoſa, vt demonſtrat eius appoſitio circa ignem: ergo debet fieri nutritio per ſimilis ſubſtantiæ repoſitionem: ſed huiuſmodi ſubſtantia in ſolo ſanguine reperitur, qui ex aëre maximè fit: ergo ſine illius conſortio aliqui humores non poſſunt nutrire.

§. II.

Verior pars admittitur.

RESoluendum: Quòd quilibet humor ſeorſim à ſanguine, & ſine illius conſortio valet nutrire partem ſibi proportionatam in modo ſubſtantiæ. Ita Valles *lib.*1. *controuerſ. cap.* 14. Santa-Cruz *opuſc.*6. *cap.*4. Petrus Garc. *in fen.*1.1. *diſp.*20. *cap.*2. Martinez *lib.* 4.*quæſt.*8.

Probatur 1. Humor quilibet deſeruit ad nutritionem, quatenus habet ſubſtantiæ modum, temperiem, & partes materiales proportionatas pro parte ſibi ſimili ab ipſo nutrienda: ſed datur pars cuilibet humori in modo ſubſtantiæ, & proportione partium materialium proportionata, pituitæ cerebrum, melancholiæ lien, &c. Ergo tales partes poterunt à ſolo illo humore ſibi proportionato ſiue conſortio ſanguinis nutriri.

Probatur 2. Pars bilis, v.g. quæ apponitur huic determinatæ parti nutriendæ, non poteſt penetrari ab alia parte ſanguinis; ſicut nec pars melancholiæ, aut pituitæ: ergo hæc pars determinata, cui bilis apponitur, ex ſola bile, & cui apponitur melancholia, aut pituita, ex illis ſolis nutritur: ergo alia ſimilis pars poterit ſimiliter nutrire ſine ſanguinis conſortio.

Probatur 3. Si reliqui humores à ſanguine indigerent illius conſortio ad nutriendum; vel quia nutritio fieret ex ſolo ſanguine commixto tantùm, & tunc reliqui adhuc commixti cum illo eſſent inutiles; vel nutritio fieret ab illis, quia reciperent à ſanguine poſſe nutrire: ſed hoc etiam eſt falſum, cum nutritio ſit aſſimilatio ſubſtantifica rei nutrientis ad rem nutriendam, ad quam ſufficit commutatiua facultas, & materia apta tranſmutari, quorum neutrum ſoppeditat ſanguis, cùm facultas inhæreat viuenti parti, & reliqui humores ſint apti tranſmutari ab illa in partem viuentem in modo ſubſtantiæ ſimilem: ergo ſanguinis commixtio cum illis non eſt ex vſu, vt ipſi nutriant.

§. III.

Fit ſatis pro primò poſitis fundamentis.

AD 1. diſtinguo minorem: In qualibet parte viuente nutrienda aliquid amiſſum eſt de ſubſtantia humida, ita vt non poſſit ſine ſanguine reſarciri, nego; ita vt in quouis humore ſit ſufficiens portio talis ſubſtantiæ, qua poſſit reſarciri, concedo minorem. Cum enim quilibet humor ſit mixtum, partes aliquas aëreas neceſſe eſt habere, per quas in parte per illum humorem nutrienda reſarciatur quod deperditum eſt de aërea ſubſtantia ſine ſanguinis conſortio.

Ad 2. diſtinguo maiorem: Quod natura expellit tamquàm inutile non poteſt ab ipſa attrahi vt vtile, ſecundùm eam partem, qua expellitur, concedo: ſecundùm aliam partem diuerſam, nego maiorem. Natura enim ex vtili, quo potitur ſubſtantia, quod vtile eſt, & neceſſarium, retinet in parte: quod redundat, expellit; & hoc idem eſt vtile, & neceſſarium pro alia parte, à qua poteſt attrahi, & non ſolùm id contingit in humoribus, qui pro aliarum partium nutritione ſunt vtiles: ſed & in aliis ſubſtantiis, quæ tamquàm excrementa ſeparantur, cum quibus aliæ partes talem habent comparationem, vt ea attrahant, ſaltem vt fruitione voluptuoſa illis vtantur, ſic ſerum, & purulenta ſubſtantia à iecore ſeparantur, & expelluntur, trahuntur tamen à renibus, & à veſica.

Ad 3. negatur minor. Quia cùm omnis humor ſit mixtum, conſtari petit ex omnibus elementis; pro ea parte qua ſit ex aëre, aëream, & oleaginoſam habet ſubſtantiam aptam, vt poſſit ſupponi loco ſubſtantiæ oleaginoſæ deperditæ.

RESOLVTIO XI.

Vtrùm omnes humores ante aſſimilationem vltimam mutentur in quatuor ſecundas humiditates?

§. I.

Negatiuæ aſſertionis ponitur fundamentum.

NOn ſemper eſſe neceſſarium humorum tranſitum per quatuor humiditates ad nutriendum côtendit Santa-Cruz *in fen.*1.1.*opuſc.*6. licèt poſſibilitatem non neget, ratio eius eſt, quia poteſt in exilibus venis ita humor perfectè alterari, vt delatus ad partes in illis conuertatur à ſubſtantia viuentis ſtatim in glutem aut cambium mutatus ſine tranſitu in anteriores humiditates.

§. II.

Veritatis rationem reddit reſolutio.

REſoluendum: Humores non vltimò aſſimilari, & conuerti in ſubſtantiam viuentis poſſe, quin præceſſerit in illis peculiaris in venis exilibus alteratio totius formæ, glutinis ſubſtantiæ modus, poſt quem vltima ſubſequitur aſſimilatio. Sic tenent reliqui Gal. & Auicennæ Commentatores vnanimi conſenſu, deduciturque reſolutio ex Gal. *lib.*1. *de facult. natural.* c.1. dicente: *Poſtquàm ſuccus huiuſmodi, per venarum cauitates ſparſus ad exiguas, & capillares peruenit, effunditur in totam partium ſubſtantiam roris inſtar transcolatus, mox illi adiungitur, ſeu agglutinatur, demum aſſimilatur, &c.* Et deducitur ex Auic. *fen.*1. 2. *doct.*4. *cap.*1. vbi dicit: *Et quæ ſunt ſuperfluitates, ſunt humores qui à principali diſpoſitione conuerſi membris delegati fuerint, quorum ſunt quatuor ſpecies, vna eſt humiditas in foraminibus extremitatum paruarum venarum contenta membrorum ſimplicium propinquarum imbibentium eam, vel à quibus ipſa membra imbibunt. Alia eſt humor per omnia ſimplicia tranſiens membra, ſicut ros, qui in nutrimentum conuerti eſt aptus, cùm corpus nutrimento caret, & vt membra humectet, dum aliqua cauſa fortis motus, aut alia ea exſiccauerit. Tertia eſt humiditas, quæ in tempore proximo ſuit coagulata, & eſt nutrimentum, quod in ſubſtantiam membrorum ex parte complexionis, & ſimilitudinis conuerſum eſt: ſed ex parte eſſentiæ completæ nondum conuerſum ſuit. Quarta eſt humiditas, quæ eſt intus in membris ſimplicibus à principio natiuitatis, per quam partium earum continuitas exiſtit, cuius principium eſt ſperma, ſpermatis verò principium eſt ex humoribus.* Hæc Auic. qui licet aliqualiter videatur diſſentire à Galen. in idem coincidunt, & ex illo hanc deſumpſit doctrinam, annuente Peramato *lib. de humoribus* c.2. Petro Garc. *in fen.* 1. 1. *diſp.*29. Mercat. *lib.*2. *p.*3. *claſ.*1.

Probatur: Sic ſe habent humorum alterationes, vt (hi) ſubſternant materiam pro forma partiali in nutritione, ſicut ſe habent, vt ſubſternant materiam pro forma totali in generatione: ſed in generatione hominis quantumcumque ſint diſpoſiti humores, non poſſunt materiam ſubſternere pro forma totali, quin præceſſerint formæ mediæ, v.g. ſeminis, & embryonis:

embryonis: ergo ſimiliter in nutritione non ſubſternent materiam pro forma quin præceſſerint humiditates omnes, quæ ſunt formæ mediæ, quantumcumque ipſi humores ſint diſpoſiti.

§. III.

Fit ſatis pro fundamento.

AD fundamentum contrariæ opinionis reſpondetur: Quòd humorum diſpoſitio tantùm poteſt conducere, vt forma humiditatis, quæ primò petit ſubſequi, faciliùs introducatur, non autem, vt ſine illa præcedente poſſit altera ſubſequi, formæ enim mediæ tranſitus ita inter ſe ſunt ſubordinatæ, vt ſine præcedentia vnius altera non ſubſequatur, ſicut neque poteſt ſubſequi in materia forma viuentis ſine organizatione, quantumvis præceſſerint in materia prædictæ formæ reliquæ diſpoſitiones.

Resolvtio XII.

Vtrùm quatuor humiditates differat ſpecie?

§. I.

Pars negatiua ſuadetur.

VIdetur quòd nó: Quia neque ex parte efficientis, neque ex parte formæ, neque ex parte finis datur principium diſtinctionis illarum: ergo ſanguis in venis exilibus, ros, gluten, & cambium ſunt eiuſdem ſpeciei. Probatur antecedens, nam ex parte efficientis omnes fiunt ab vna, & eadem facultate concoctrice: ex parte materiæ omnes circa materiam ex chylo receptam ſunt elaboratæ: ex parte formæ omnes eiſdem qualitatibus, & diſpoſitionibus aptis pro nutritione gaudent: ex parte finis omnes ordinantur in omnimodam viuentis aſſimilationem: ergo ex nullo capite ſumitur diſtinctionis principium.

§. II.

Pars affirmatiua proponitur.

REſoluendum: Quòd prima humiditas non differt ſpecie ab humoribus, benè tamen ſecunda ab illa, non verò à tertia; quarta verò à reliquis omnibus diuerſa eſt ſpecie.

Probatur 1. Pars; nam ſanguis in exilibus venis eſt intra propria vaſa conſeruatiua illius, eiſdem qualitatibus primis, & ſecundis, ſubſtantiæque modo gaudet, vt manifeſtè patet ad ſenſum: ergo eadem ſimiliter gaudet forma, & ſpecie.

Probatur 2. Pars; ſecunda humiditas extra venas ſpargitur per partes viuentis ſolidas, & formam totis amittit: ergo ſpecie differt à prima humiditate. Probatur conſequentia; ſubſtantiæ modus diuerſus, qualitatumque diuerſitas, diuerſúſque, quem petit, conſeruationis locus, & quòd ſit terminus alterius, atque perfectioris actus facultatis concoquentis in ipſiſmet viuentis partibus, ac ſolidis reſidentis, diuerſam arguit formam.

Probatur 3. Quòd tertia humiditas non differat à ſecunda, nam in eiſdem partibus, & ab eadem facultate elaborantur, tantum differens penes maiorem, vel minorem craſſitiem: ergo non differunt ſpecie.

Probatur 4. Quòd quarta humiditas à reliquis omnibus ſpecie differat, nam ex Auic. & Galen. *locis citatis*, viuentis forma informatur: ſed nulla humiditas ex antecedentibus informatur forma viuentis: ergo non eſt eiuſdem formæ, & ſpeciei cum illis.

§. III.

Satisfit dubitandi rationi.

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd huiuſmodi formæ cùm ſint mediæ tranſitus ordinatæ in formam viuentis, conueniunt ex parte finis, materiæ, & efficientis, differuntque ex parte formæ ſubſtantialis, quæ perfectior petit eſſe in vltimis, vt perfectiorem modum ſubſtantiæ tribuat materiæ, aptioremque ad receptionem formæ viuentis; quod idem & in generatione viuentis contingit, in qua licèt materia ſit eadem, finis, & facultas; formæ in ſemine, & embryone ſunt ſpecie diuerſæ.

Resolvtio XIII.

Vtrùm quarta humiditas, vt talis in eſſe humiditatis ſecundæ, cũ reliquis conueniat?

§. I.

Negatiuæ partis ponitur fundamentum.

VIdetur quòd non, primò: Quarta humiditas, vt docet Auicen. *fen.* 1. 1. *doctr.* 4. c. 1. vnita eſt parti viuenti, & conſequenter per eius formam informata: ſed ſecundæ humiditates non petunt informari formâ viuentis: ergo humiditas quæ quarto loco enumeratur ab Auic. non debet inter reliquas humiditates ſecundas connumerari.

Secundò: humiditates ſecundæ ſunt formæ mediæ aptam reddentes materiam humorum, vt poſſint informari per formam viuentis, ſicut formæ ſeminis, & embryonis ſunt formæ mediæ ad viuentis productionem: ergo ſicut animal primò productum diſtinguitur à quacumque forma media tranſitus præcedentem in materia ad illud ordinata, ſimiliter cambium vltimò vnitum, & informatum per viuentis formam eſt quid diſtinctum à ſecundis humiditatibus, quæ ſunt formæ mediæ tranſitus ad nutritionem.

Tertiò: ſecundæ humiditates, ſicut & ipſi humores ordinantur tanquam alimentum in partium nutritionem: ſed quod ordinatur tanquam alimentum non poteſt eſſe viuens, cùm eſſe alimentum ordinatum ad nutriendum, & eſſe ipſam partem nutritam omninò differant: ergo cambium quod eſt viuentis pars, & illius forma informatum, non poteſt inter reliquas humiditates ſecundas annumerari.

§. II.

Eligitur pars affirmatiua.

REſoluendum affirmatiuè, docet Galen. *lib.* 1. *de naturalibus facultatibus*. Auicen. *fen.* 1. 1. *doctr.* 4. *cap.* 1. quos ſequuntur ſui Commentatores.

Probatur: Secundæ humiditates dicuntur quæcumque formæ diuerſæ, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, quæ ſuperueniunt in materia humorum toto tempore, quo ab exitu ex venis ad partes nutriendas habent rationem alimenti; ſed humores non ſolùm ante omnimodam aſſimilationem habent rationem alimenti, ſed magis propriè, & poſtquam iam aſſimilati ſunt: ergo poſt omnimodam aſſimilationem cambium, quod eſt pars viuens, iam aſſimilatum per nutritionem, verè ſecunda humiditas eſt dicendum. Maior deducitur ex Gal. & Auic. qui ſecundarum humiditatum rationem diuidunt in humoribus penes diuerſas alterationes, & mutationes, per quas mutantur in ordine ad alendum. Minor verò docetur ab Hipp.

Hipp. qui *lib. de alimento*, diuidit alimentum in futurum alimentum, quaſi alimentum, & alimentum: vbi alimentum propriè vocat illud, quod actu alit, & eſt rei alitæ pars; quod idem ex primis demonſtrauit Gal. *lib. de facultatibus naturalibus c. 11.* dicens: *Nutrimentum propriè appellari quod nutrit, eiuſmodi ſcilicet eſt, quod agglutinatur, vel quod apponitur id propriè nutrimentum non eſt, ſed æquiuocè.*

§. III.

Solutiones adhibentur argumentis.

AD 1. diſtinguo minorem: Secundæ humiditates non petunt informari forma viuentis ſecundum omnes illas, concedo: ſecundum aliquas earum, nego minorem. Secundæ enim humiditates ſunt formæ ſuperuenientes humoribus quatenus proximius induunt rationem alimenti, & vſque vltimam aſſimilationem.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ſecundæ humiditates ſunt formæ quæcumque ſuperuenientes humoribus prout alimentum ſunt, & ſunt formæ mediæ tranſitus, quæ ſuperueniunt ipſis vt ſunt futurum alimentum, non verò vt alimentum ſunt propriè, & ideò reliquæ humiditates non differunt à cambio in eſſe ſecundæ humiditatis, cùm adhuc rationem alimenti proprij obtineant, licet differant ab illis in quantùm ſunt formæ mediæ tranſitus ad illud.

Ad 3. reſpondetur: Quòd illud quod ordinatur ad nutritionem tanquam futurum alimentum, vel quaſi alimentum, non poteſt eſſe viuens, quia vt ſic tantùm æquiuocè alimentum eſt; illud verò quod propriè alimentum eſt, actu alit, & informatur formâ aliti, non enim actu alit donec per nutritionem omnimodè aſſimilatum eſt ſub forma viuentis.

SECTIO II.

De humoribus in particulari.

QVATVOR humores ſpecie diſtinctos ſanguinem, bilem, pituitam, & melancholiam in corpore humano repetiri determinauimus, & quemlibet pro nutritione neceſſarium, de cuiuſlibet nunc natura diſputandum ſuſcipiemus.

RESOLVTIO I.

Verùm ſanguis ſit humor vi iecoris genitus, maiori ex parte ex aëreis chyli partibus, calidus, & humidus, ruber, dulcis, alendo corpori maximè accommodatus?

§. I.

Pars negatiua à Iouberto fouetur.

IOubertus, quem ſequuntur & alij, frigidum eſſe ſanguinem contendit, pro quo ſtat Hipp. *lib. de corde*, qui ſanguinem, neque alium liquorem indicat poſſe eſſe calidum: & *lib. de diæta* ſanguinẽ eſſe frigidum fatetur. Idem tenet Cornelius Celſus *lib. 4. c. 5.* Ariſt. 2. *de partibus animal. c. 2.* Fauet Galen. *lib. de temperament. lib. de fœtus formatione. lib. de ſanit. tuenda cap. 2.*

Probatur 2. Fœminæ, quæ maiori ſanguinis copia abundant, quàm viri, ſunt illis frigidiores: ergo quia ſanguis, ratione cuius illarum temperies prouenit, eſt frigidus.

A. Probatur 3. Sanguis extra corpus nudatus ab ſpirituum conſortio, & ſuæ naturæ relictus concreſcit etiam tempore æſtatis: ergo quia natiua temperiea illius, à qua prouenit concretio, eſt frigiditas.

§. II.

Diffinitionem adductam admittimus.

REſoluendum Affirmatiuè: Et præcipuè de caliditate excedente illi debita. Reſolutioni fauet Hipp. *lib. de natura humana. lib. de flatibus*, Galen. *lib. 10. ſimplic. lib. 1. de cauſis morbor. c. 4. lib. de tumoribus præter naturam c. 2. in comm. ad lib. de natura humana. & lib. artis medic. c. 42.* ſimiliter & Auic. *fen. 1. 1. doct. 4. c. 1. & ibi*, Gentilis, Iacobus de Partibus, Forliuienſis, & reliqui ex Commentatoribus illius, & ex modernioribus Duncanus *lib. 1. phyſiolog. c. 12.* Varandæus *lib. phyſiolog. ſect. 4. de humoribus c. 3.* Fontanus *artis medicæ part. 1. c. 5.* Santa Cruz. *in fen. 1. 1. opuſc. 6. cap. 8.* Vall. *lib. 5. controuerſ. c. 15.* Valleriola *lib. 1. de locis com. c. 11.* Peramatus *lib. de humoribus cap. 8.* Petrus Garcia *in fen. 1. 1. diſput. 20. cap. 1.*

Probatur hæc pars: Nam ex Hipp. *lib. de humana natura*, ex elementis ſanguis aëri correſpondet, & ex anni temporibus correſpondet Veri, & in illo in maiori generatur copia, ſicut ex alimentis humidis, & calidis: ergo calidus, & humidus eſt ex natiua temperie.

Probatur 2. A iecore ex chylo fiunt humores, ex partium aquearum in maiori numero pituita, terreſtrium melancholia, ignearum bilis: ergo ex aërearum redundantia fit ſanguis: ſed excedentibus partibus aëreis neceſſariò debet prædominare calor, & humiditas: ergo gaudet ſanguis inſenſu calore, & humiditate.

§. III.

Primò propoſitis reſpondetur argumentis.

AD 1. dicimus: Quòd cùm duplex ſubſtantia ſit in ſanguine, & ea, quæ ex alimentis fit, & in nutritionem ordinatur, & ea, quæ liquidum reddit ſanguinem, quæ ſeroſa vocatur, de hac loquutus fuit Hipp. & Cornelius Celſus.

Vel 2. reſpondetur: Quòd ſanguis à prædominio eſt calidus ex natiua temperie, & quia intenſum calorem actuatum recipit ab ſpiritibus, & licèt abſolutè calidus ſit ex natiua temperie, comparatiuè tamen ad ſpiritus vitales, à quibus calorem recipit, frigidus dici poteſt.

Ad 2. diſtinguo conſequens. Ergo quia ſanguis eſt frigidus prout redundat in fœminis comparatiuè ad virorum ſanguinem, concedo: prout debetur temperiei illius, & abſolutè, nego conſequentiam. Sanguis enim qui abundat in fœminis frigidior eſt, quia ipſæ frigidiores ſunt, & ideò licèt in maiori copia reperiatur in illis, quàm in viris, ipſæ frigidiores ſunt, & ideò minus de ſanguine abſumunt.

E Ad 3. diſtinguo antecedens: Sanguis extra corpus concreſcit, etiam tempore æſtatis, ratione propriæ ſubſtantiæ, nego: ratione fibrarum eius, concedo antecedens. In ſanguine enim duplex eſt ſubſtantia, alia eſt ipſa aërea, & propriè ſanguinea, quæ nutrit; alia eſt fibroſa, frigidaque ſubſtantia, ratione cuius concreſcit ſanguis, & hæc frigida eſt.

RESOLVTIO II.

Quotuplex ſit ſanguis?

§. I.

Solum naturalem dari ſuadetur.

SAnguinem ſolùm naturalem intra corpus reperiri probatur primò: quia ex Galen. 2. *de differ. febrium*; dum putreſcit, pars tenuis in bilem, craſſa in melancholiam abit: ergo ſub forma ſanguinis numquam recedit à naturali ſtatu.

Secundò: ex Gal. *lib. 2. de criſibus.* Nulla datur febris intermittens ex ſanguine putrido orta, ſicut datur à reliquis humoribus putrefactis: ergo quia ſanguis intra venas non recedit à naturali ſtatu.

Tertiò: ſanguis eſt humor naturæ amicus, in nutritionem maxime deſtinatus, & qui ſuo conſortio, & temperie reliquos coërcet intra debitam commixtionem: ergo numquam recedit ab ſtatu naturali.

§. II.

Sanguinis diuerſitas admittitur.

REſoluendum primò: Quòd ſanguis alter naturalis, alter præternaturalis poteſt reperiri. Communis eſt hæc doctrina.

Probatur 1. ex Auic. *fen. 1. 1. doctr. 3. cap. 1. § Sanguis verò natura calidus, & humidus, cuius ſunt duæ ſpecies, naturalis, & non naturalis, &c.* vbi præternaturalem fieri docet, vel ratione alterius commixti præternaturalis, vel propriæ putredinis, ſeu alterationis vitio.

Probatur 2. Sanguis in corpore, & naturalis, aptúſque pro nutritione poteſt eſſe, vel cauſans febrem ſynochum ratione ſuæ putredinis, aut vſtionis: ergo naturalis, & præternaturalis poteſt dari in corpore.

Probatur 3. A ſanguinis vitio, vel in plethora, vel in qualitate indicatur ſanguinis miſſio, vt in febre ſynocho, & in conſortio illius cum aliis humoribus putridis apparet: ſed eius euacuatio non indicatur, vt naturalis eſt, quia omne, quod eſt ſecundum naturam, indicat ſui conſeruationem: ergo ſecundum quòd eſt præternaturalis.

§. III.

Sanguis naturalis vlteriùs diuiditur.

REſoluendum 2. Quòd ſanguis naturalis, aut eſt quartus humor, aut maſſa ſanguinaria in proportione debita, & connaturali.

Probatur ex Galeno *in comm. ad lib de natura humana.* vbi nomine ſanguinis intelligi docetur tam ſanguis quartus humor ab aliis diſtinctus, quàm omnes ſimul, prout adintegrant maſſam ſanguinariam.

Probatur 2. ex eodem *lib. de plenitudine.* vbi plenitudinem, quæ ex ſanguinis redundantia fit, docet fieri vel ex ſanguine quarto humore redundante, vel ex omnibus humoribus ſimul redundantibus, aut aliorum aliquo redundante cum ſanguine: ergo ſanguis duplex naturalis reperitur, alter quartus humor à reliquis diſtinctus, alter ipſa maſſa ſanguinaria ex omnium cum ſanguine commixtione coaleſcens.

§. IV.

Fit ſatis pro rationibus dubitandi.

AD 1. reſpondetur: Quòd ſanguis, dum putreſcit in vis, antequam partes perueniant ad putredinem in termino, fit febris ſynochus putrida ab illo,

A & ille propriam retinet formam via corruptionis in ſtatu præternaturali, quidquid contra Vallеſ. reclamet Complutenſis Matrix non acquieſcens ad hoc, quòd dum ſanguinis partes ſunt in via ad corruptionem per putredinem, ſanguinis forma permaneat, donec in termino pars tenuis in bilem, craſſa in melancholiam abeat.

Ad 2. reſpondetur: Quòd non datur febris intermittens ſanguinis, quia toto tempore, quo retinet formam, etiam ſi ſit in via putredinis, retinetur à natura intra venas, & ideò non fit ea illo intermittens febris, quæ petit fieri ex humoribus extra vaſa reiectis, & putrefactis.

Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt ſanguis naturalis B habeat omnes conditiones adductas, poteſt præternaturaliter affici, ſicut & reliqui humores, quia etiam ſunt apti nutritioni, & præternaturales fieri poſſunt; ſic ſanguis duplicitèr fit præternaturalis, vno modo, dum putredine, aut vſtione recedit à naturali ſtatu, alio modo dum à commiſtione alterius præternaturalis humoris vitiatur; & huiuſmodi vitium dicitur peccatum, ſeu vitium in qualitate, qualiter contingit ſanguinem viriari in putredine alterius humoris illi commiſti, ratione cuius vitij dicebat Galen. *lib. meth.* Quòd ſanguis mittendus in omni febre putrida, licèt oriatur ab alio humore putrefacto.

RESOLVTIO III.

C Verùm pituita ſit humor frigidus, humidus, albus, craſſus, vi iecoris genitus maiori ex parte ex partibus aqueis, ob ſimilium nutritionem?

§. I.

Partis negatiuæ fundamenta proponuntur.

VIdetur quòd non: Tum, quia pituita generatur à calido iecore, à quo calida debet generari illum, quia albedo petit ſplendeſcentiam, quæ in tenuibus partibus reperitur, non in craſſis, qualis ipſa petit eſſet tum, quia fit vi ventriculi, in quo redondat, & ex cuius coctione reſultat, vt illius tenue excrementum:

D tum, quia aqueæ chyli partes ſunt ſeroſa, & putulenta ſubſtantia, quæ expellitur per renes tanquam excrementitia: tum, quia cum ante nutritionem per vlteriorem coctionem conuertatur in ſanguinem, ipſa non eſt proximè propter nutritionem: ergo propoſita diffinitio eſt reiicienda.

§. II.

Deciditur reſolutio.

REſoluendum Affirmatiuè ex Hipp. Gal. & Auic. communique conſenſu ſuorum Commentatorum. Pro qua nota, quod pituitæ multiplex eſt acce-

E ptio, ſumitur enim latiſſimè pro quacumque ſubſtantia frigida, & humida in corpore genita, ſic ſuccus crudus, mucus, & pus dicuntur pituita, & ſimiliter ſanguis ſemicoctus ante perfectam ſui elaborationem. Propriiſſimè tamen vnus ex quatuor humoribus pituita dictus eſt, de quo inquirimus, qui caret tia fœtoris à pure, homogeneitate à muco, tenuitate à ſucco crudo diſtat.

§. III.

Soluuntur obiectiones propoſitæ.

AD dubitandi rationes dicimus: Tum quòd, vel fit à frigidis partibus iecoris, vel ex frigidis

& humidis chyli, ex quo, & frigida reſultat: tum quòd aquoſitas eius, licet cum aliquali denſitate conducit ad albedinē, ſicut in nocētum quòd pituita, quæ generatur vt excrementum coctionis ventriculi, eſt ſuccus crudus, non quæ propriiſſimè talis dicitur: tum quod ſub chylo ſunt aqueæ partes deſeruientes pro vehiculo, quæ, functo munere, feruntur ad renes, & ſunt aqueæ partes ſubſtantiæ alimentitiæ, quæ remanent in iecore materiam ſubſternentes maiori ex parte pro pituita: tum quòd alia eſt pituita, quæ mutatur in ſanguinem ab ea, quæ diffinitur, vt ſequenti reſolutione conſtabit.

Resolvtio IV.

Verùm duplex pituita naturalis ſpecie diuerſa ſit admittenda?

§. I.

Communis opinionis fundamentum adducitur.

CVncta Medicorum cohors vnanimi aſſenſu quaſi coherentes Hipp. Galen. & Auic. tenet vnicam tantùm naturalem pituitam eſſe admittendam in corpore humano: tum, ad partium aquearum nutritionem: tum, vt tempore indigentiæ ſanguis ex illa fiat pro reliquarum partium nutritione.

Probatur 1. Ex communi omnium Medicorum conſenſu, qui vnanimiter hanc amplectuntur ſententiam.

Secundò: vnicuique humori redundanti à ſanguine diſtincto deſtinauit natura receptaculum in corpore humano præterquam naturali pituitæ, quæ quartus eſt humor: ſed hoc non alia ratione, niſi quia hæc eadem, quæ eſt quocumque tempore apta pro nutritione partium aquearum, tempore indigentiæ in ſanguinem conuerſa, eſt vtilis, ſicut ille, pro reliquarum partium nutritione: ergo vna, & eadem pro vtroque vſu, naturalis pituita tantum reperitur in venis.

Tertiò: ex Hipp. *lib. de natura humana*, in corpore humano quatuor tantùm reperiuntur humores naturales correſpondentes in propria temperie quatuor temporibus anni, & quatuor elementis: ſed ſub nullo humore, aut anni tempore, aut temperie illis debita datur multiplicitas: ergo nec in pituita.

Quartò: ideò non eſt aliqua pars à natura deſtinata pro pituita extra venas, ſicut pro bile, & melancholia, quia vtilis eſt vt ſanguis fiat ex illa: ergo ob hunc finem non eſt alia admittenda, quàm ea, quæ diffinita eſt. Probatur antecedens, ex Auic. *fen. 1. ſ. lib. 3. tract. 5. cap. 8.* & ex Gal. *lib. 2. de facult. naturalib. cap. vlt.* dicente: *Sanè, quòd pituitam expurget, natura nullum inſtrumentum condidit, propterea quòd frigida, humidaque eſt, ac veluti dimidium coctum nutrimentum deſiderat: igitur talis ſuccus non vtique euacuari, ſed in corpore manens alterari:* Ergo.

§. II.

Antiqua Gal. doctrina dilucidatur.

REſoluendum tamen; Quòd pituita, quæ naturalis dicitur, quia in partium nutritionem ordinatur, eſt duplex. alia, quæ remanet diffinita *reſolut. antecedenti*, & quæ omni tempore eſt apta nutritioni pro partibus, in quibus aqueum prædominat elementum. Alia eſt naturalis, quæ ordinatur in nutritionem loco ſanguinis ſaltem tempore indigentiæ, quæ eſt ſanguis ſemicoctus, ex qua tempore indigentiæ poteſt à iecore ſanguis generari.

A Probatur 1. Ex Gal. *lib. de plenitudine c. 11.* dicente, *Manifeſtum præterea eſt eum humorem, qui crudus appellatur inter pituitæ ſpecies in hoc ſermone eſſe ponendum; nam ſi alioquin illum ab hac eſſe diuerſum ſtatuerimus, iſtis, quas modò retulimus, differentiis plenitudinis, ea etiam adiicienda erit, quæ ex iſtiuſmet humore prodiit. Eſt verò hic humor quàm alia pituita craſſior, atque minus flatuoſus, cuiuſmodi eſt ille, qui in vrinis ſubſidet, præſertim in illis, quibus præ nimia voracitate plurimum in illis redundat ſedimenti.* Hæc ex Galen. ex cuius verbis manifeſtè conſtat ſuccum crudum, qui ſanguis eſt ſemicoctus, ponere inter pituitæ ſpecies, & hanc pituitæ ſpeciem, vt diſtinctam ab altera, cum & ſigna adducat illarum diſtinguentia.

B Probatur 2. Ex Gal. & Auic. doctrina *fen. 1. 1. doct. 4. cap. 1.* Pituita naturalis deſeruit in venis, vt tempore indigentiæ recedens ad iecur, fiat ex illa ſanguis pro partium nutritione: ſed pituita naturalis, quæ fuit diffinita à nobis *reſolut. antecedenti*, numquàm eſt apta, vt per vlteriorem coctionem conuertatur in ſanguinem: ergo altera pituita naturalis debet admitti intra venas, quæ eſt crudus ſuccus, ſeu ſanguis ſemicoctus, apta vt ex illa verificetur Gal. & Auic. doctrina. Probatur minor, naturalis pituita eſt humor frigidus, & humidus maiori ex parte factus ex partibus aqueis, ſed ſanguis eſt humor calidus maiori ex parte factus ex partibus aëreis, & à prædominio calidis: ergo non poteſt fieri ex pituita naturali: ſed ex ſucco

C illo crudo dicto pituita, qui ſanguis ſemicoctus ex aëreis partibus chyli factus eſt. Conſequentia patet, quia, vt probauimus *ſect. 2. de element.* propria cuiuſvis mixti temperies prouenit à forma iuxta exigentiam partium materialium.

Probatur 3. A poſteriori ex Authorum diſſenſu, quorum alij tenent pituitam naturalem eſſe inſipidam: ſic Gentilis ſuper Auic. Santa-Cruz ſequuti Galen. *lib. de atra bile c. 2.* Alij plures tenent ſimiliter eſſe dulcem, ſic Galen. 2. *de facult. naturalibus*, Carreirus *in fen. 1. 1.* & fatetur etiam Galen. *lib. de atra bile*, quam difficultatem nec ſatis dirimere poſſunt, quia vtriſque fauet Gal. & Auicen. Sed hæc non aliunde

D orta eſt controuerſia, ſeu contrarietas, niſi quia non diſtinguunt de his duabus pituitis, quarum quæ quartus humor eſt, quia aquea, eſt inſipida; quæ ſanguis ſemicoctus, quia aërea, ſubdulcis; ſanguis enim eſt ſemicoctus, & dulcis: ergo à poſteriori conſtat huiuſmodi pituitæ non naturalis diuerſitas.

§. III.

Fundamenta communis ſententiæ diluuntur.

AD 1. diſtinguo antecedens: Ex doctr. Hipp. Gal. & Auicennæ, vnica naturalis pituita in corpore humano eſt admittenda in ordine ad aquearum partium nutritionem, & tanquam quartus humor cum

E aliis tribus complens maſſam ſanguinariam, concedo: in ordine ad alios fines, nego antecedens. Solùm enim de pituita, quæ vt vnus ex quatuor humoribus generatur in iecore per ſe intenta ad partium aquearum nutritionem, loquuntur communiter antiquiores magiſtri.

Ad 2. reſpondetur: Quòd altera ſpecies pituitæ, quæ eſt ſuccus crudus, ſanguis eſt ſemicoctus, & ideò ſicut & ipſe ſanguis in venis, tanquam in proprio receptaculo continetur, in quibus intra ſphæram iecoris tranſmutatur in perfectum ſanguinem pro nutritione; ſin minus cum ſanguine delatus ad partes in earum coctione, cùm defectus antecedentis non poſſit ex toto emendari, non omnimodam recipit

ſimilitu

ſimilitudinem pro nutritione: ſed aliqualem ratione cuius in formam ſedimenti tranſit, & reſtuit cum lotio, quod deſcendit vt manifeſtè conſtat ex Galen. doctrina nuper adducta.

Ad 3. negatur conſequentia: Quia anni temporibus, & elementis correſpondent in analoga proportione quatuor humores naturales, & ſuo modo illæ ſubſtantiæ, quæ vel ſub illis continentur, vel ad aliquem eorum reducuntur, & ſic, & ipſi præternaturales humores ſuam allis dicunt ſimilitudinem.

Ad 4. reſpondetur: Quòd pituita naturalis ſiue ſit ea, quæ inſipida eſt, & quæ diffinita manet; ſiue ſit illa, quæ a nobis iudicatur ſuperaddenda, quæ eſt ſanguis ſemicoctus, non habet receptaculum intra venas: quæ naturalis eſt, quia ſuperabundans ſtatim tranſmutatur in ſubſtantiam licet imperfectam nutriti, & apta eſt partes aqueas reponere, quod docet Galen. *loco cit.* dicens: *Sanè quod pituitam expurgat, natura nullum inſtrumentum condidit, propterea quod frigida, & humida eſt, ac veluti dimidium coctum nutrimentum, &c.* Pituitam enim ob humiditatem habet reſiſtentiam, vt conuertatur in ſubſtantiam viuentis, ideò plerumque illa redundante, ſuperuenit leucoflegmatia, aut malus habitus corporis, quod non contingit in alius humoribus quibus receptacula dedit natura, quia non ita facilè poterant tranſmutari in partes viuentis. Pituita altera naturalis dulcis, quia apta eſt conuerti in ſanguinem, ideò nec receptaculum extra venas babet, quod docet Auic. *loco cit.* dicens: *Sanguis enim nutrit ſtomachum, & flegma dulce naturale conuertitur in ſanguinem, & nutrit ſtomachum, &c.* & Galen. *loco cit.* dicit: *Quod igitur in venis pituita fertur, cum ſit animalibus exuſu, nulla vacuatione eget: ſanè aduertere hoc loco, ac ſcire oportet, quod tanquam ex bilis generibus aliud vtile, naturaléque, in animalibus eſt, aliud inutile ac præter naturam, ſic pituita quod dulce eſt, ac ſalutaris id eſſe animanti, & naturale, &c.*

Resolutio V.

Vtrùm præternaturalis pituita adæquatè diuidatur in octo ſpecies, dulcem, acetoſam, ſalſam, ponticam, mucilaginoſam, crudam, vitream, & gypſeam?

§. I.

Dubitandi ratio, & fundamenta aperiuntur.

Videtur 1. quòd non; Galenus enim *lib. de aliment. facult. cap. 1.* ratione ſaporis diuidit pituitam, dicens: *Pituitoſi quidem humores, alius acidus, alius ſalſus, alius dulcis, alius ſenſibilis qualitatis expers.* At verò *lib. 1. de natura humana*, à ſubſtantiæ modo diuidit pituitam, dicens: *Sed & pituitam in hoc cum aliis humoribus rationem tandem habere videmus, mutato enim craſſitudinis, & tenuitatis modo, quandoque aquoſa, quandoque ita craſſa, vt puri aſſimiletur.* Et ſimili ratione, *lib. 1. de aliment. facult. cap. 2.* diuidit pituitam in liquidam, craſſam, vitroſam. Et tandem *lib de atra bile, & differ. febr.* diuidit illam ratione temperiei, dicens: *Quod pituita alia calida, vt ſalſa; alia ſubtepida, vt dulcis; alia frigida non extremè, vt inſipida; alia valde frigida, vt vitrea, quæ vitro aſſimilatur in modo ſubſtantiæ:* Ergo plures ſpecies pituitæ præternaturalis debent aſſignari.

Secundò pituita dulcis eſt naturalis, quia, vt diximus *reſolutione antecedenti*, eſt ſanguis ſemicoctus aptus mutari in ſanguinem pro partium nutritione: ergo.

Tertiò: non eſt à quo pituita præternaturalis fiat ratione aciditatis: ergo non datur acida præternaturalis. Probatur antecedens, non à frigore, quod cùm ſit qualitas pituitæ debita, non reddit illam præternaturalem; non à calore, quia ab ipſo potiùs perficitur per coctionem, & redditur dulcis; ergo à nulla cauſa fit talis.

Quartò: pituita non habet à quo fiat ſalſa: ergo non datur pituita ſalſa præternaturalis. Probatur antecedens; nam non à putredine, quia in ipſa fit ſeparatio humidi à ſicco, & redundat humiditas ſuperflua ex Ariſt. *meteor.* à qua impeditur ſalſedinis ſapor. Non à commixtione ſalſæ, ac ſeroſæ ſubſtantiæ, quia ſua humiditate natiua valet eius vincere ſiccitatem. Non per admixtionem amaræ bilis, quia ipſa, cùm ſit dulcis, aut inſipida, euitat amaritudinem: ergo nun eſt ratione cuius fiat ſalſa.

Quintò: non poteſt ex pontico ſapore fieri præternaturalis: ergo non eſt admittenda hæc pituitæ differentia. Probatur antecedens, ponticus ſapor reſultat ex prædominantibus partibus terreis in mixto; ſed in omni pituita prædominant partes aqueæ: ergo non poteſt ponticus ſapor dari in pituita.

Sextò: pituita fit ex partibus aqueis maiori ex parte: ſed ab aqua prouenit fluxibilitas: ergo non poteſt aliqua pituita eſſe mucilaginoſa.

Septimò: pituita cruda eſt ſanguis diminutè coctus: ſed hic ponitur à nobis inter ſpecies naturales pituitæ: ergo non debet inter præternaturales poni cruda pituita.

Octauò: vitrea pituita deberet fieri per congelationem aquei humoris: ſed intra noſtrum corpus congelari non poteſt, cùm nulla ſit pars, in qua ratione influentis caloris non ſit prædominium actualis caloris: ergo non poteſt dari in corpore.

Nonò: gypſea pituita deberet eſſe congelatus humor, ſicut & ipſum gypſum, motuique inepta: ſed omnis humor debet eſſe fluxilis: ergo non poteſt ſub aliquo humore reperiri.

§ II.

Reſoluitur pars affirmatiua.

Reſoluendum affirmatiuè: Sic deducitur ex Galeno, & docet Auic. *fen. 1.1. doctr 4 c.1.* ſequuntur Petrus Garc. *fen. 1.1 diſp. 21.* Santa-Cruz *opuſc. 6. de humoribus.* Martinez *lib. 1. tract. 2.* & communiter omnes Arabis Commentatores, & patebit ampliùs ex ſolutionibus argumentorum.

§. III.

Soluuntur rationes in contrarium adducta.

Ad 1. reſpondetur: Quòd Galenus eaſdem adducit pituitæ præternaturalis differentias, licèt diuerſo modo deſumptas ex diuerſis principiis, ipſas tamen Auicen. à ſapore, & ſubſtantiæ modo deſumptas ſub octo annumeratis differentiis amplexus eſt.

Ad 2. reſpondetur: Quòd pituita dulcis, alia eſt ſanguis diminutè coctus, & hæc naturalis pituitæ eſt ſpecies, alia eſt dulcis commixtione ſanguinis ex Auic. *loco cit.* quæ à commixto diuerſo humore extraneatur à naturali ſtatu.

Ad 3. reſpondetur: Quòd pituita à maiori frigiditatum, aquearumque partium commixtione, quàm quæ requiruntur pro naturali pituita, fit acida, ſicut & ſuccus limonum prouenit acidus ab eadem met cauſa; ſimiliter, & ab adurente calore per accidens

acida redditur, reſolutis aliquibus calidorum elementorum partibus, ſicut contingit in lacte; quod hac ratione in æſtate acidum fit, & modum ducet Galen. *lib. 4. ſimplic.*

Ad 4. reſpondetur: Quòd pituita fit ſalſa, vt docet Auic. *loco cit.* & Galen. *lib. 2. de differ. febrium*, c. 6. Patet quòd ſeroſæ aquoſitatis commixtio vales ſalſam reddere pituitam, ſicut aqua fit ſalſa ſalis commixtione, aut alterius ſalſuginoſæ ſubſtantiæ. Per putredinem fit ſalſa, ex Galen. 2. *de facult. naturalibus, cap. vlt.* aduſtæ enim, & cineritiæ partes ſalſuginoſæ fiunt ratione ſiccitatis, terreſtriſque ſubſtantiæ aduſtæ, quæ aquoſitati ſalſuginoſum ſaporem admiſcet, dum in tali eſt gradu, vt poſſit debitè commiſceri pro ſalſo ſapore efficiendo, quod idem contingit in admixtione bilis cum pituita in proportionata commixtione, vt ex earum commixtione ſint proportionatæ partes, vt ſalſedinis ſapor reſultet.

Ad 5. reſpondetur: Quòd ſapor ponticus, ſiue acerbus oritur in mixtis ex terreis partibus cum aquoſis, non quia congeletur, vt ait Santa-Cruz, non enim proueniunt ſapores raritate, aut denſitate, ſed ex diuerſa miſcibilium commixtione, à qua, quia partes aliquæ terreæ ſuperadduntur pituitæ, vel aqueis reſolutis, terreæ euent prædominantes, ipſa præternaturalis redditur, & pontico ſapore exuperans, quod idem contingit, dum bile permixta, ſiccæ etiam partes commiſcentur.

Ad 6. reſpondetur: Quòd pituita, quia reſoluuntur partes aqueæ, redditur mucilaginoſa, & præternaturalis; naturalis eſt, cui competit fluxibilitas.

Ad 7. reſpondetur: Quòd duplex pituita dicitur in corpore cruda, vna quæ eſt ſanguis diminutè coctus, & vocatur pituita cruda reſpectu ſanguinis, in cuius formam poteſt mutari, & hæc ideo eſt naturalis; alia eſt pituita cruda reſpectu naturalis pituitæ, & hæc præternaturalis eſt, quia nondum pituitæ acquiſiuit formam, reſpectu cuius crudæ vocatur.

Ad 8. reſpondetur: Quòd pituita vitrea non ab extrinſeca frigiditate fit intra corpus vitrea: ſed ex tali commixtione cuiuſdam ſubſtantiæ craſſæ, & mucilaginoſæ, quæ ex modo mixtionis adepta eſt talem ſubſtantiæ modum, in qua prædominium eſt frigidorum elementorum, & ideò euadit frigida vitrea.

Ad 9. reſpondetur: Quòd materia glutinoſa, humidis partibus vtcumque reſolutis, redditur gypſea, non ſemper à frigiditate externa indurante; ſed plerumque, & ab extrinſeco calore poteſt accidere, ſicut ex ſimili materia generantur in corpore lapides, materiâ glutinoſâ, ex qua fiunt, ſecundum partes aqueas à calore reſolutâ.

Resolutio VI.

Vtrùm pituita valeat in omnes alios humores conuerti?

§. I.

Naturalis pituita, qua, vt quartus humor ab aliis alia, tranſmutatio negatur.

Reſoluendum 1, Quòd naturalis pituita, cuius diffinitionem adduximus, vi iecoris non vales in alios humores naturales tranſmutari.

Probatur ex dictis: Non poteſt fieri ſanguis, nec alius quicumque naturalis humor, quin fiat ea materia; ex qua temperamentum ſubſtantificum, & qualitatiuum reſultet proportionatum pro humore generando: ſed ex materia pituitæ naturalis, quæ eſt quartus

A humor, cùm ſit à prædominio frigida, & humida cum prædominio partium aquearum, non poteſt fieri materia, nec diſpoſitio apta pro quocumque alio humore, cum quilibet redundet in prædominio partium materialium diuerſi elementi, ac reliqui redundantes: ergo non poteſt mutari in alium naturalem humorem vi iecoris.

§. II.

De naturali pituita, quæ eſt ſanguis ſemicoctus, quid ſentiendum.

Reſoluendum 2. Quòd pituita, quæ eſt ſemicoctus ſanguis, poteſt in ſolum ſanguinem vi iecoris tranſmutari.

B Probatur: Poteſt tranſmutari in humorem, qui ex vi coctionis poteſt fieri ex illo cum naturali, & debito temperamento: ſed ex vi coctionis ſolus ſanguis perfectus poteſt acquirere debitum virumque temperamentum ex ſanguine diminutè cocto, cùm in illo proprium ſanguinis temperamentum remaneat, ratione cuius ſolum ſecundum magis, aut minus coctum differt a perfecto ſanguine: ergo in illum ſolùm poteſt immutari.

§. III.

Quid ſentiendum de pituita largo modo ſumpta, determinatur.

C Reſoluendum 3. Quòd pituita largo modo ſumpta, quæ eſt cruditas in ventriculo genita, poteſt vi iecoris in omnes quatuor tranſmutari humores.

Probatur 1. ex Galen. 2. *acutor. comm.* 30. Qui pituitoſos docet inediam diu perferre, quia pituita prodeſt pro nutrimento: & patet in animalibus pituitoſis, qui hyeme in ſuis cauernis, viuunt ea ſola pituita æſtate in ventriculo coaceruata: ſed nutritio omnium partium fit ex omnibus quatuor humoribus: ergo vt nutriantur animalia ex pituita in ventriculo redundante, tranſmutatur vi iecoris in omnes quatuor humores.

D Probatur 2. ratione fundamentali: Pituita, quæ in ventriculo generatur, eſt cruditas ob debilitatem coctionis in ventriculo genita ex materia, ex qua chylus deberet fieri; quæ, quia non peruenit per vlteriorem coctionem ad formam chyli, dicitur cruditas, ſeu pituita largo modo ſumpta: ergo ex illa in iecore poſſunt omnes quatuor humores generari ſaltem ſecundum aliquam imperfectionem, cùm fiant ex materia non omnino perfecta per primam coctionem. Patet conſequentia; nam hæc cruditas fit ex tota chyli materia, ex quâ omnes poſſent generari humores: ergo vi iecoris ex illa poſſunt omnes quatuor humores generari.

Resolutio VII.

E #### Vtrùm bilis ſit humor tenuis, amarus, flauus, vi iecoris maiori ex parte ex igneis partibus factus, in ſimilium nutritionem, & vt coadiuuet excrementorum expulſionem?

§. I.

Negatiuæ partis fundamenta adducuntur.

Pars negatiua ſuaderi poteſt ex Auic. qui naturalem bilem docet eſſe ſanguinis ſpumam: ſed ſpuma fit potius ex aquea ſubſtantia, quàm ex ignea: ergo bilis fit ex partibus aqueis chyli, & non ex igneis.

Secundò; bilis aliquando rubra vocatur ab autho-

tibus, aliquando flaua: ergo nullum habet determinatum colorem.

Tertiò: bilis fit per inteoſiorem coctionem, quàm reliqui humores, & ideò calidior illis euadit: ergo ſimiliter craſſior illis debet eſſe: ex Ariſt. enim *lib. 4. meteor.* quæ coquuntur ſolidiora, & craſſiora euadunt.

§. II.

Affirmatiua pars fulcitur.

RESoluendum affirmatiuè: Sic deducitur ex Hipp. *lib. de natura hum. Galen. in comm. lib. de humoribus* ex Auicen. *fen. 1. 1. doct. 4. cap. 1.* A poſteriori ex febribus, quæ ex illa reſultant, apparet eius igneitas & primæ apparent qualitates, à quibus ſecundæ adductæ ſubſequuntur.

§. III.

Satisfit rationibus dubitandi.

AD 1. diſtinguo antecedens: Ex Auicen. naturalis bilis eſt ſanguinis ſpuma, ita vt verè poſſit ſpuma dici, nego: ita vt propter aliqualem ſimilitudinem cum illa poſſit ſpuma vocari, concedo antecedens. Eſt enim bilis leuiſſima & tenuiſſima ſubſtantia, & quæ ſupernatat extra corpus ſupra reliquos humores, & ideò ab Auicen. ſanguinis ſpuma vocatur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ex ſplendeſcentia, quæ debetur igneis partibus, prout commiſcentur cum maiori, aut minori opacitate partium reliquorum elementorum fit bilis ſubflaua, vel intensè flaua, & hæc ſolet vacari rubra, quia ad rubedinem proximior eſt reliquis, quilibet tamen ex his coloribus accidit in ſtatu naturali bili, & dicitur flauus.

Ad 3 reſpondetur; Quòd naturalis bilis non fit ex reliquis humoribus per vlteriorem coctionem, ſed ex chyli ignearum partium maiori numero cum aliarum commixtione, & ideò eſt reliquis humoribus tenuior, & calidior, licèt ſe ipſa in termino à quo, ſit craſſior, dum peruenit ad terminum ad quem ſuæ perfectionis.

RESOLVTIO VIII.

Verùm quinque ſpecies bilis præternaturalis ſint admittendæ, vitellina, porracea, æruginoſa, cærulea, & iſatidea?

§. I.

Partis negatiuæ proponuntur fundamenta.

PRimò non eſt aliquis locus in doctr. Galen. ex quo poſſint omnes iſtæ ſpecies annumerari: ergo non ſunt admittendæ.

Secundò: non eſt in corpore humano aliquis determinatus locus ſuæ generationis, cùm iecur non poſſit in tantam intemperiem venire, qualis requiritur pro earum generatione.

Dices: quòd tametſi non generentur in iecore ratione ſuæ intemperiei, poſſunt in aliis partibus generari.

Contra; iecur, vt probauimus, eſt cauſa à qua neceſſariò quilibet humor petit fieri: ergo ſi non poſſunt in illo generari, non ſunt poſſibiles.

Tertiò: aliæ ſpecies annumerantur præter dictas; ſcilicet glaſtea, maioris famæ, & minoris famæ bilis, citrina, praſina, cinaria: ergo plures ſunt enumerandæ.

§. II.

Affirmatiua pars ſancitur.

REſoluendum Affirmatiuè: Sic Cattelrus, & communiter deducunt Commentatores ex Auicen, *fen. 1. 1. doctr. 4. cap. 1.* Et eſt communis, manebitque confirmata ex reſolut. argument.

§. III.

Satisfit pro argumentis primò adductis.

AD 1. reſpondetur: Quòd Galen. ſparſim omnes bilis præternaturalis differentias adduxit; vitellina flaua, ſimilis vitelliis ouorum craſſitie, & conſiſtentia ex Gal. *lib. de atra bile cap. 2. & lib. 2. de facult. natural. c. vlt.* Porracea, ſeu praſina, ſimilis eſt porrorum foliis ex Galen. *lib. 1. de atra bile cap. 2.* licet ſecundùm intenſum, & remiſſum differant aliqualiter; Æruginoſa ſimilis eſt æruginiæ æris ex Gal. *5. aphor. comm. 1. & lib. de natura humana comm. 4.* Cærulea, & Iſatidea cæruleum colorem habent, ſed vltima obſcuriorem, ex Galen. *lib. 10. ſimplic. cap. de felle*, ex quibus locis patet Gal. omnes has differentias admittere.

Ad 2. reſpondetur: Quòd bilis porracea poteſt generari in ventriculo ex vitioſa alimentorum diſpoſitione apta pro eius generatione, & in venis maiori vſtione ex Galen. *lib. 2. progn. cap. 23.* Extra iecur enim præternaturales poſſunt fieri humores, ex præternaturaliter affecto alimento, aut ob nimiam intemperiem, quæ non ſine maximo incommodo animalis generat præternaturalem bilem, ſicut ſi ex indebito victu fieret æruginoſa, & vitellina in venis generantur, & cærulea, ac iſatidea, ſi aliquando in homine fiunt, à Galen. enim in aegrotatis animalibus in veſicula fellea viſas eſſe tantùm refertur.

Ad 3. reſpondetur: Glaſteam idem eſſe cum cærulea, cinariam cum æruginoſa, citrinam cum vitellina, quæ eſt duplex, alia à Galeno deſcripta *lib. 2. de facult. naturalib. c. 2.* quæ ab intenſiori calore fit ex naturali flaua, reſolutis aliquibus partibus aqueis, fit quâ illa craſſior, calidior, & calore intenſior, & ſimilis vitello oui crudi antiquo. Alia eſt ab Auicen. deſcripta, quæ fit ex miſcella pituitæ craſſæ, mixtæ cum flaua bile, ex cuius conſortio reſultat craſſior, flauitie remiſſior, & ſimilis vitello recenti, & vtramque in corpore admittimus diuerſam, & vtramque neceſſariò admittendam indicamus, ſicut ex commixtione bilis cum pituita fit vitellina, quæ maioris famæ, quia communior eſt, vocatur: ita vitellina minoris famæ fit ex melancholiæ cum bile commixtione, quæ raró accidit, & ideò minoris dicitur famæ; ſed vtraque ſub vitellina non addit nouam ſpeciem ad quinque enumeratas.

RESOLVTIO IX.

Verùm melancholia ſit ſanguinis fæx?

§. I.

Pars affirmatiua ſuadetur.

PRimò: ex Galen. *4. aphoriſmor. comment. 21. lib. 3. de locis affectis c. 8. lib. 2. de facultat. naturalibus, in cap. vltimo*, vbi fæcem ſanguinis melancholiam vocare conſueuit, ſicut & bilem florem illius.

Secundò: fæx eſt pars, quæ in coctione ſubſidet, quia craſſior, & terreſtris: ſed in humorum

coctione ſubſidet melancholia, quia craſſa, & terreſtris: ergo eſt ſanguinis fæx.

Tertiò; quoad fæculentum, nigrum, denſum, & terreſtre apparet, dicitur fæx: ſed talis apparet melancholia, ergo eſt ſanguinis fæx.

§. II.

Pars negatiua ſancitur, & propria adducitur diffinitio.

RESoluendum: Quòd melancholia naturalis eſt humor à iecore genitus ex parte chyli, in qua abundant partes materiales terræ, frigidus, ſiccus, colore niger, ſapore medio inter acidum, & ponticum, præditus conſiſtentia, craſſus, quia ex fæculenta, & terreſtriori parte chyli fit, & defertur maiori parte cum aliis humoribus per venas in nutricatum partium ſimilium in modo ſubſtantiæ, partimque & in lienis nutrimentum defertur, ſeu in illo ſi imperfectior, generatur, & partim in ventriculum, in quo ſua acerbitate famem excitat. innoteſcit per omnia cauſarum genera melancholiæ natura in hac diffinitione.

§. III.

Fit ſatis pro dubitandi rationibus.

AD 1. reſpondetur: Quòd Galen. non intendit quòd melancholia ſit ſanguinis fæx, & vt pars terrea illius fundum petat, quia, vt benè conuincit Cardanus *l. 10. contradict. tract. 3. c. 13.* non eſt pars ſanguinis quarti humoris, ſed ſpecie alius ab illo, & ideò, nec eiuſdem temperiei, ſed aſſimilatur fæci aliquo modo, quatenus terreſtris pars eſt chyloſæ ſubſtantiæ, ex qua fit ſanguis, & ideò in maſſa ſanguinaria, vt grauior reliquis deorſum tendit.

Ad 2. reſpondetur: Quòd fæx ſubſidet tanquàm excrementum craſſum in coctione ſeparatum, melancholia verò per ſe intenditur, & generatur pro ſimilium partium nutritione, ſicut & ipſe ſanguis.

Ad 3. reſpondetur: Quòd nigrū, & terreſtre apparet quia licet per ſe ſit intentum in humorum generatione, fit maiori ex parte ex terreſtriori chyli ſubſtantia.

RESOLVTIO X.

Vtrùm quadruplex præternaturalis melancholia detur?

§. I.

Pars negatiua ſuadetur.

PLures melancholiæ præternaturalis ſpecies admittendas eſſe videntur, quia ex quatuor humoribus per vlteriorem calorem alteratis fiunt quatuor ſpecies melancholiæ præternaturalis, ſeu atræ bilis: ſed etiam per admixtionem pituitæ, aut bilis cum melancholia poſſunt aliæ ſpecies fieri, ſicut apparet in ſpeciebus bilis præternaturalis: ergo plures, quàm quatuor ſpecies melancholiæ præternaturalis ſunt admittendæ.

Secundò: per alterationem caloris non poſſe in atrā bilem mutari reliquos humores naturales apparet: tum, quia ſanguis cùm ſit aëreæ naturæ, non valet in melancholiam mutari, quæ eſt terreæ naturæ: tum, quia ex bile aduſta fiunt aliæ differentiæ bilis præternaturalis, non verò fieri poteſt melancholia: tum, quia naturalis melancholia, cùm nimis terrea ſit, vlterius vſta in cineritiam ſubſtantiam alienam à natura alterius humoris mutaretur: tum quia pituita, vt tenet Valles *lib. 1. controuerſ. c. 11.* Manardus *9. epiſt. 2.* Vega *l. artis medic.* & patet ex Gal. *6. aphor. comm. 53. & l. de locis affectis c. 6.* & *l. 6 epidem ſ. 6 com. 5 & 1. prorit ſect. 1. comm. 4.* atram bilem, ex flaua bile, & fæce ſanguinis tantùm fieri intendit: tum quia, quæ multa aquea humiditate abūdant (vt pituita) ex Ariſt. *3. meteor. c. 9.* vri non poſſunt, nec à prædominātē humiditate, albedineque in cōtrarias omnino qualitates poſſe mutari videtur, ergo ſpecies bilis atræ, ſeu melācholiæ præternaturalis nō ſunt quatuor.

Tertiò: melancholia petit eſſe frigida, & ſicca: ſed atræ bilis ſpecies, quæ fiunt per putredinem, aut vſtionem, calidæ remanent, vt patet ex Hipp. *4. aphor.* 22. ex vlceribus, quæ ex illis ſuperuenire ſolent, & ex aliis accidentibus, quæ ſubereſcunt ex illis: ergo non ſunt ſpecies melancholiæ.

§ II.

Pars affirmatiua ſuadetur.

RESoluendum: Quòd quatuor ſpecies melancholiæ præternaturalis ſunt admittendæ, quæ ſunt atræ biles factæ per vſtionem ex omnibus quatuor humoribus. Sic docet Galen. *lib. 2. de facult. naturalibus.* Auic. *fen. 1. 1. doct. 4. c. 1.* Nicolus *ſerm. 5. c. 11. & 16.* Santa-Cruz *opuſc. de humoribus c. 34.* Carterus *in fen. 1. 1. diſp. a 3.* Peramatus *lib de humoribus.* Martinez *lib. 1. tract. 4. q. 8.* Varandæus *lib. phyſiolog. ſect. 4. c. 6.* & alij.

Probatur: tot ſunt ſpecies melancholiæ præternaturalis, ſeu atræ bilis, quot ſunt humores, qui vſtione, aut putredine aduſti poſſunt in atram bilem transmutari: ſed omnes quatuor humores aduſti poſſunt tranſmutari in atram bilem: ergo quatuor ſpecies atræ bilis admittendæ. Probatur minor, de ſanguine ex Galen. *lib. 2. de differ. febrium c. 9. & lib de criſibus* t 2. vbi ait, quòd ſanguis dum putreſcit, pars tenuis abit in bilem, craſſa in melancholiam; & *lib. de atra bile*, demonſtrat, atram bilem fieri putredine, aut vſtione ex bile, aut melancholia; & de pituita, licèt non doceat idem, quia rarò contingit; demonſtrat ratio, quia ſicut ad rctia prunis ſuperpoſita, reſolutis humidis partibus, nigra redditur; ex nimia ſui vſtione, aut putredine intra corpus eandem valet pati alterationem, & tranſmutationem: ergo quatuor ſpecies atræ bilis, ſeu præternaturalis melancholiæ admittendæ.

§. III.

Fit ſatis pro argumentis.

AD 1. reſpondetur: Quòd renuit melancholia ſua denſitate, & craſſitie reliquorum humorum commixtionem, quam non ita renuit aquoſæ ſubſtantiæ pituita; vel quòd ſoli pituitæ ex admixtione ſuperuenit in varias diuidi ſpecies, quia in ſola illa, quia inſipida, poteſt hæc commixtio cognoſci, quatenus recipit ſaporem humoris, qui commiſcetur, qui in aliis cognoſci non poteſt, quia à propriis ſaporibus obſcuratur, nec ideò cognoſcitur per illum miſcella, ratione cuius poſſent diuidi.

Ad 2. reſpondetur: Tum quòd pars craſſa, & terreſtris ſanguinis ex Gal. eſt, quæ mutatur in melancholiam: tum quòd ex bile ex minori aduſtione fiunt aliæ ſpecies præternaturales bilis, dum ita intenſa, vt igneis, & aëreis, ac aqueis partibus reſolutis, remaneant prædominantes terreſtres partes, fit atra bilis, in cuius confinio ſunt æruginoſa, & iſatica bilis: tum quòd melancholia ſubſtantiæ modum naturalem admittit, remanet tamen eo, qui ſufficit pro præternaturali ſtatu: tum quòd Galenus egit de ſpeciebus atræ bilis, quæ communiter contingunt, & ſubticuit, quia rara, eam, quæ fit ex pituita: tum quòd humida in ſummo reſiſtunt vſtioni, vt apparet in aqua, quæ non

in

in ſummo, qualis reperta in miſcis, reſiſtit: ſed non omninò vſtioni obſtat: ſicut nec quòd pituita ſit alba & humida, quæ licet petat intenſiorem cauſam, vincitur tamen, & tranſit in contrarias qualitates, vt probat reſolut. & conſtat.

Ad 5. reſpondetur: Quòd melancholia naturalis petit eſſe frigida, & ſicca, non tamen præternaturalis, quæ ideò ſunt tales, quia diſcedunt à naturali temperie, & ſubſtantiæ modo: vel quòd licet eſſet frigi- A da atra bilis ratione partium terreſtrium prædominantium, poſſet effectus calidos cauſare propter empyreumata, ſicut videmus in frigido aceto teriam fermentare, & in oleo vitrioli ſcatam inducente, contendunt aliqui alias eſſe frigidas partes, ſecundum quas in febribus ardentibus offerunt illius guttulas attemperationis gratia, & eius frigiditatem ſecundum aliquas partes atteſtatur illius aciditas, quæ ex Gal. *l.3. ſimpl.* ex prædominante frigiditate prouenit.

DISPVTATIO VI.

De humani corporis partibus.

PARTES dicuntur, in quas, cùm inſint, totum diuiditur, ex Ariſt. 2. *phyſic.* & diuerſæ ſunt, prout ratio totius multiplex in illis valet reperiri: communiter tamen, quidquid ad illius conſtitutionem, & conſeruationem in B illo requiritur, pars vocatur; & ideò Hip. 6. *epidem. text.7.* corpus humanum diuidit in continentia, contenta, & impetum facientia, id eſt in ſpiritus, humores, & partes ſolidas; propriè tamen continentia, ſeu partes ſolidæ hominem vt talem componunt, ſunt enim in illo vnica ſubſtantiali forma informatæ, & in quibus potētiæ eius reſident, & à quibus eius eliciuntur operationes, & de quibus diſputandum in hoc tractatu. C

De his docuerunt plura, Hipp. *lib. de veteri medicina, & lib. de locis in homine*, Gal. *lib. 6. de placitis, lib. 1. method. c. 1. & 6. lib. de inæquali intemperie, lib. 1. de locis affectis, & in lib. de vſu partium.* quem ibi ſequuntur Anatomici omnes, *& in arte parua*, in cuius commentariis plura de partibus, Argenterius, Vega, Santorius, Odis de Odi, Saluus Sclanius, & reliqui commentatores; plura docuit ſimiliter Ariſtoteles *in lib. de partibus animal. præcipuè in lib.* 1. Auer. *lib. 1. collige*, Auic. *fen. 1. t. doctr. 5.* quem ſequuntur Gentilis, Iacobus de Partibus, Iacobus de Forliuio, Gratiolus, Thomas de Garbo *in ſumm. lib. 1. tractat. 4.* Conciliator *à differ. 38. vſque ad 47.* Ex moderniotibus Valleriola *lib. de locis communibus c. 12.* Vall *lib. 2. controuerſ.* D Petrus Garc. *in fen. 1. 1. à diſp. 26. vſque ad 55.* Andreas Laurentius *lib. 1. artis anatomica*, Martinez *lib. 1. tract. 2.* Fonianus *lib. 6. phyſiolog* Sennertus *lib. 1. inſtit c. 7.* Varandæus *lib. 1. phyſiolog. ſect. 3.* Fernelius *lib. 1. phyſiolog.* Mercatus *tom 1. p 4.* Duncanus *lib. 1. phyſiolog. c. 3.* Santa-Cruz *in fen. 1. 1. quæſt. 10.* Godofredus *lib. 1. c. 6. & 7.* Leonardus Fuchſius *lib. 1. inſtit. ſect. 5.* Ioannes Baptiſta Cortes *decade 2. c. 1. & decade 4. cap. 5.* Cutella *lib. 1. Enchiridion. c. 5.*

E

SECTIO PRIMA.

De partium natura & numerò.

PARS, particula, locus, ſedes, & membrum, apud Gal. *lib. 1. method c. 5. & 6. & lib 1. de locis affectis*, idem ſunt. Ariſtot. autem partem cum membro non confundit, ſed quid ſuperius indicat illam ad membrum, & ad partem, & in hac acceptione procedit de illa diſputatio.

RESOLVTIO I.

Verùm dentur in corpore humano partes ſubſtantialiter diuerſæ.

§. I.

Pars affirmatiua ſuadetur.

PArtem affirmatiuam contendunt ſuadere Antonius Andreas 7 *metaph. quæſt. 17.* Xuares *tom. 2. ſua* C *Theologia tract. 3. capit. 2.* Paulus Venerus *de anima cap. 5.* Rubius *lib. 2 de anima cap. 3. quæſt. 7.* Petrus Garc. *in fen. 1. 1. diſp. 16. capit. 2.* Commentator *lib. 6. phyſic.* Valleſ. *lib. de ſacra philoſophia capit. 4.* Quorum alij diuerſas animas, ſeu formas ſaltem partiales ſpecie diſtinctas in partibus diuerſis organicis reperiri contendunt, & ab illis partes ſpecie diuerſas effici. Alij verò vnicam in corpore admittentes animam, eam diuerſa organa diuerſo modo ſubſtantialiter informare iudicant, quia diuerſas habet perfectiones indiuiduales, & ideò informat organa perfectione ſubſtantiali indiuiduali diuerſa.

Primò: ſuaderi poteſt ex D. Thoma *quæſt. de ſpiri-* D *tualibus creaturis, art. 4. ad 14.* dicit enim: *Caro mea cum carne tua magis conuenit ſecundum rationem ſpeciei, quàm caro mea cum eſſe meo.* & *quæſt. de anima articulo 9. ad 14.* dicit: *Licèt anima ſit vna forma ſimplex ſecundum eſſentiam, eſt tamen multiplex virtute*: & paucis interpoſitis concludi: *Et ideò oportet quod licèt anima ſit vna forma, partes corporis diuerſimodè perficiantur ab ipſa, & vnaquæque ſecundum quod competit eius operationi, &c.*

Secundò: modus eſſendi, quem habet anima in corpore, eſt diuerſus ab eo, quem habet in corde, ſplene, & ſic de aliis: ergo ſecundùm diuerſam rationem eſt in E illis diuerſis partibus, qui diuerſus modus, cùm ſit modus ſubſtantialiter informandi, conſequenter partes ſic informatæ erunt ſubſtantialiter diuerſæ.

Tertiò: viuentia differunt à non viuentibus penes hoc, quòd forma viuentium eſt actus corporis phyſici organici; forma non viuens non petit diuerſitatem partium, quas informat: ergo anima ſecundum diuerſam rationem ſubſtantialiter petit eſſe in diuerſis partibus; non enim anima partes ſibi diuerſas informaret, quin diuerſum illum modum ſubſtantialem poſſet illis tribuere.

Quartò: præcipuè in homine id manifeſtè conſtat, nam anima rationalis non tribuit cuicumq; corporis

parti eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum; os enim vegetatiuum eſt, & non ſenſitiuum; manus organum eſt vegetatiuum, & ſenſitiuum, ſed non intellectiuum, cerebrum eſt vegetatiuom, & ſenſitiuom, & intellectiuum: ergo anima ſecundùm diuerſam rationem ſubſtantialiter eſt diuerſo modo in diuerſis partibus organicis corporis.

§. II.

Accidentali diſtingui diuiſione partes decernimus.

REſoluendum: Quòd diuerſæ corporis noſtri partes ſunt inter ſe diſtinctæ ſola accidentali perfectione, & quòd neque aliunde prouenit in illis heterogeneitas. Sic tenet D. Thom. 1. *p. q.* 70. *art.* 9. quem ſequuntur Herbeus *tract. de vnitate formarum*, Capreol. *in* 2. *diſt.* 15. *q.* 1. *ad* 6. Caietan. *lib.* 2. *de anima q.* 1. Fonſeca 10. *metaphyſica c.* 17. Soncinas 8. *metaph. quæſt.* 10. Conimbricenſes 1. *de generation. c.* 22. Collegium Diſcalceatorum *lib. de anima diſp.* 6. *q.* 2. Mercatus *p.* 4. *de partibus claſſe* 5. *art.* 7. Nicolus Florentinus *tract. de membris in generali c.* 28. & alij.

Probatur 1. Ex D. Thom. 1. *p. q.* 76. *art.* 5. *ad* 3. dicente: *Partes animalis, vt oculus, caro, manus, os, & huiuſmodi non ſunt in ſpecie, ſed totum, & ideò non poteſt dici propriè loquendo, quòd ſint diuerſarum ſpecierum, ſed quòd ſint diuerſarum diſpoſitionum*: & art. 8. ſequenti in ſolutione ad 8. dicit: *Vna pars corporis dicitur principalior, quam alia, propter potentias diuerſas, quarum ſunt organa partes corporis, quæ enim principalioris potentiæ organum, eſt principaliter pars corporis, vel quæ etiam eidem potentiæ principalius deſeruit, &c.*

Probatur 2. Repugnat aliquid eſſe ſub determinato genere, & non determinari ſub illo ad aliquam certam, & determinatam ſpeciem atomam: ſed partes heterogeneæ viuentis ſunt ſub viuentis genere: ergo debent poni determinatè ſub aliqua ſpecie atoma contenta ſub illo, tunc ſic ad ſpeciem hominis determinantur partes quæ ſunt in homine per animam rationalem, quæ formaliter communicat materiæ, in qua inhæret, eſſe intellectiuum, ſenſitiuum, & vegetatiuum: ergo in quacumque parte hæc omnia repetiuntur.

Probatur 3. Diuerſitas ſubſtantialis in partibus organicis, vel prouenit ex parte materiæ primæ, vel ex parte formæ ſubſtantialis; non ex parte materiæ primæ, in qua ſolùm reperitur diuerſitas partium materialium, quæ accidentalis eſt. Ex parte formæ, non; quia cùm formaliter contineat formas inferiores, communicat materiæ earum eſſe formarum, communicando quas formaliter continet: ergo in illis ſolùm eſt diuerſitas accidentalis. Secunda pars antecedentis patet, quia effectus formalis formæ eſt ipſa forma vt communicata: ergo effectus formalis formæ formaliter continentis vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum eſt ipſa forma communicata, vt vegetatiua, ſenſitiua, & vt intellectiua: ergo eo ipſo quòd anima formaliter contineat alias, dat illarum eſſe in quacumque parte, quam actu informat.

§. III.

Argumentis primò propoſitis fit ſatis.

AD 1. reſpondetur D. Thom. tantùm loquutum eſſe de maiori conuenientia in perfectione ſpecifica accidentali, non de ſubſtantiali: & in loco ſecundo tantùm intendit, quòd anima partes corporis diuerſimodè perficiat perfectione accidentali, vt Complutenſe Diſcalceatorum Collegium doctiſſimè tenet loco citato pro reſolutione.

Ad 2. diſtinguo antecedens: Eſſendi modus, quem habet anima in toto corpore, eſt diſtinctus ab eo, quem habet in corde, & aliis partibus, diſtinctione eſſentiali, nego: diſtinctione accidentali, concedo antecedens. Licèt enim anima ſubſtantialiter eodem modo omnes informet partes, quia diuerſa eſt accidentalis perfectio in hac, ac in illa parte; in hac ſentit, cum illa motum elicit localem, in alia ſanguinem, & in alia chylum producit.

Ad 3. negatur conſequentia: Quia anima ſolùm petit eam partium diuerſitatem, cum qua poſſit per diuerſas potentias diuerſas elicere operationes, cùm modo heterogeneo petat operari, & non cum determinatione ad vnum, ſicut formæ non viuentes; ad hanc autem diuerſitatem ſufficit accidentalis diuerſitas partium, quas informat.

Ad 4. reſpondetur: Quòd anima rationalis omnes partes, quas informat, ſubſtantialiter informat ſecundum eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum; non tamen in quacumque parte horum omnium elicit operationes, quia deficit in illa parte perfectio accidentalis requiſita, vt operetur per potentias omnium: ad hoc enim, vt potentia prorumpat in actum, non ſufficit eſſe ſubſtantiali gradu animam actu in parte, ſed quòd ſit in illa pro potentiis ſenſitiuis organum, in quo vna pars ſimilaris ſit, in qua inhæreat potentia, quæ elicit actionem, & quòd ſint aliæ partes, quæ ſimul vſum præſtent ad illam actionem.

RESOLVTIO II.

Quid ſit Pars?

§. I.

Nulli partis diffinitioni videtur acquieſcendum.

PArtem nulla rectè poſſe circumſcribi diffinitione, ſuadet primò varietas diffinitionum ex antiquis deſumptarum nullo modo inter ſe cohærentium. Auicenna enim *fen.* 1. 1. *doct.* 5. *cap.* 1. partem diffinit Corpus ex prima humorum commixtione genitum. Galen. *lib.* 1. *method. cap.* 5. *& lib. de elementis c.* 6. partem dicit eſſe, Quidquid totum complet, & integrat: ſeu quidquid ad humani corporis conſtitutionem facit, *lib. verò* 1. *de vſu partium.* Quòd eſt Corpus, quod neque vndequaque circumſcriptionem habet propriam, neque vndequaque coniunctum eſt aliis. Petrus Aponenſis, cui Valleriola adhæret *lib.* 1. *de locis communib. cap.* 12. dicit eſſe, Corpus ſolidum, ſpiſſum, ex humiditatibus genitum, naturæ viribus inſignitum. Fernelius verò *lib.* 2. *phyſiolog. cap.* 1. diffinit partem, quòd ſit, Corpus toti cohærens, communique vita coniunctum, ad illius functionem vſúmve comparatum: ergo hæc diffinitionum diuiſio demonſtrat nullum adæquatè illam definiuiſſe.

Secundò: nullum æquiuocum vnica valet diffinitione explicari: ſed pars reſpectu partium, quæ in homine ſunt, eſt æquiuocum: ergo pars diffiniri non poteſt. Probatur minor, tot partes ſunt in homine, quot poſſunt diuidere quamcumque totius rationem in homine repertam: ſed ratio totius in homine multiplex eſt, eſt enim totum phyſicum, diuiſibile in materiam, & formam; totum mixtum diuiſibile in partes

partes elementorum, ex quibus fit; eſt totum viuens adintegratum ex omnibus partibus, quæ ad viuentis eſſe,& conſeruationem pertinent. & ſic diuiſibile ex Hipp.6. *epidem comm.7.* in continentia, contenta,& impetum facientia,eſt totum ſubſtantiale viuens adintegratum ex ſimilaribus, & organicis partibus viuentibus: ergo pars reſpectu harum omnium partium in homine repertarum,æquiuocum eſt.

Tertiò:pars,& membrum ſunt membra diuidentia reſpectu corum, ex quibus corpus humanum componitur: ergo pars non eſt primò diffinienda,quàm diffiniatur id,quod eſt ad vtrumque ſuperius.

§. II.

Diffinitionem eligimus.

Reſoluendum: Quòd pars viuentis, vt tale, eſt: *Corpus toti cohærens,communi vita coniunctum,ad illius functiones,vſúmque comparatum.* Hanc diffinitionem tradit Fernelius *lib.1.phyſiolog.c.1.* quam ex illo receperunt Mercatus *tom.1.p.4.claſ.1.q.99. art.9.* Andr. Laurent. *lib.1.anatomica q.* .Varand. *lib.1. phyſiolog.tr. de partib. human. corporis ſect.3.c.1.*Duncanus *lib.1.phyſiolog.c.3.*Fontanus *lib.6.phyſiolog.c.1.*

Probatur.1. Medicus agit de partibus humani corporis, prout ſanitati, & morbo eſt obnoxium, & vt tale fit medicinæ obiectum:ergo illa diffinitio partis aptior eſt, quæ illius partes vt ſic melius diffiniti: ſed diffinitio ex Fernelio eſt huiuſmodi; ergo hæc eſt reliquis anteponenda. Probatur minor, partes corporis illud conſtituentes vt morbo. & ſanitati obnoxium, C ſunt, in quibus facultates viuentis inſident, quæ actiones edunt, & ob eas ſunt conſtructæ: ſed huiuſmodi partes non alia,quàm adducta diffinitio, explicat:ergo eſt aptior pro diffiniendis partibus,ex quibus componitur corpus,quod eſt medicinæ obiectum.

Dices: ex adductis primò diffinitionibus aliquas ſufficere ad has partes diffiniendas.

Contra: Auicennæ, & Aponenſis diffinitiones organicæ parti adaptari non poſſunt,quia non immediatè fiunt niſi ex aliis partibus. Diffinitiones quæ ex Gal. adducuntur, non ſolùm corporis viuentis partes diffiniunt, ex quibus viuentis actiones prodeunt, & D quibus morbus,aut ſanitas ſuperuenit,ſed quaſcumque alias non viuentes: ergo definitio à Fernelio adducta, quæ partis viuentis naturam explicat, eſt admittenda.

Secundo: illæ partes præcipuè ſunt definiendæ à Medico,quæ hominem,vt homo eſt,componunt: ſed tales ſunt quæ rationali forma informatæ ſuarũ actionum ſunt inſtrumenta:ergo diffinitio,quæ ex Fernelio adducitur,quæ harum naturam explicat,eſt admittẽda.

§. III.

Solutiones rationibus dubitandi adducuntur.

Ad 1. dicimus antiquiores non exquiſitiſſimè elaboraſſe partis diffinitionem: ſed illorum plerique intendentes illius deſcriptionem aliquam proponere,aliqui ex materia,alij ex forma,alij ex fine ipſam deſumpſerunt: Fernelius verò exquiſitiſſimè ex omni cauſarum genere ipſam compleuit diffinitionẽ.

Ad 2.diſtinguo minorem: Pars reſpectu partium, quæ in homine ſunt,eſt æquiuocum, ſi ſumatur abſolutè, vt abſtrahit ab omnibus, concedo: ſi intendatur diffiniri determinatè, vt eſt pars adintegrans viuens, vt anima informatum,nego minorem. Cùm enim in hac acceptione intendatur eius diffinitio,propriiſſimè diffiniri poteſt.

A Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt Galen. aliquando partem,& membrum pro eodem vſurpet; pars tamen genus eſt ad partem, quæ ſimilares, & ad membrum quod organicas comprehendit partes.

RESOLVTIO III.

Vtrùm partis diuiſio in ſimilarem, & diſſimilarem ſit adæquata?

§. I.

B *Pars ſuadetur negatiua.*

Pars negatiua ſuaderi videtur primò: Membra diuidentia debent exhaurire totam diuiſi latitudinem: ſed præter ſimilares, & diſſimilares partes ſunt aliæ plures in corpore humano: ergo diminuta eſt diuiſio. Probatur minor: partes,quæ in corpore humano reperiuntur,aliæ ſunt principales,aliæ eis inſeruientes, aliæ actionem præſtant, aliæ ſolùm ad illam commoditatem,aliæ principes, quædam ex principalibus ortæ,quædam propriis operantes virtutibus,quædam ipſis ab aliis participantes,quædam inſeruientes naturali potentiæ,quædam animali,quædam vitali:ergo præter ſimilares,& organicas,ſunt plures partes in corpore humano.

C Secundò: partes ſimilares dicuntur, quæ nullam ex aliis partibus compoſitionem habent: ſed nullæ ſunt huiuſmodi partes in corpore: ergo diuiſio non eſt adæquata. Probatur minor, ſi aliquæ eſſent partes ſimilares in corpore humano, maximè os,cartilago, ligamentum,membrana, tendo, neruus, ſub quo ſpinalis medulla,arteria, vena, caro ſub qua ſunt glandulæ,parenchymata, & muſculoſa ſubſtantia, & tandem cutis. ex his partibus, quæ anima informantur; ex eis verò quæ non viuunt, pili, vngues, adeps oſſium medulla, ſpiritus, & humores. Sed omnes hæ partes ex aliis compoſitionem habẽt; Galen.enim *lib.1. de elementis c. 8.*dicit: Quòd humores fiunt ex alimẽtis,alimẽta ex elementis,*& lib.1.de ſemine*, dicit: Quòd omnes corporis partes fiunt ex ſanguine, & D ſemine: ergo nullæ ſunt partes in corpore humano, quæ non fiant ex aliis,& ſint compoſitæ ex illis.

Tertiò: membra diuidentia debent eſſe oppoſita; ſed partes ſimilares & organicæ eædem ſunt: ergo pars non poteſt diuidi in partes ſimilares, & diſſimilares. Probatur minor ex Galen.qui neruos, venas, & arterias vocat diſſimilares *lib. de inæquali intemperie*, plerumque verò eaſdem partes ſimilares vocauit: ergo eædem partes ſunt ſimilares,& organicæ.

§. II.

Affirmatiua pars eligitur,& ſuadetur.

E Reſoluendum affirmatiuè. Sic tenet Galen. *lib. de differ. morbor.c.3.*& *5.method.cap.6.* & *8.de placitis c.4.*Tenet Auicen.*fen.1.1.doct.5.* quem ſequuntur ibi omnes ſui Commentatores, Tenet Ariſt. *2.de partib. animal. cap.2. lib.1.de hiſtoria animal.cap.1.* Et ex modernioribus Mercatus *tom.1.part.4.claſ.1.q.99. art.3.* Valletiola *lib de locis communib.c.12.* Andreas Laurentius *lib 1.hiſtoriæ anatomicæ q.5.*Varandæus *lib.phyſiolog. tract.de partibus humani corporis ſect.3.c.2.*Corella *lib.5. Enchirid.c.5.*Martinez *lib.1.tr.2.q.1.* Duncanus *lib.1. phyſiolog.c.3.*Fontanus *vniuerſæ artis medicæ p.1.lib.6. c.1.*Valles *lib.2.controuerſ.c.1.*Auerr.*1.collige.*

Probatur

Probatur: Omnis pars intra corpus diuiſibilis, vel partitur in partes eiuſdem rationis cum ſe ipſa, vel in partes quæ diuerſam denominationem, ac nomen retinent: ſed illa eſt ſimilaris, & hæc diſſimilaris: ergo adæquata eſt diuiſio partis in ſimilarem, & diſſimilarem.

§. III.

Reſpondetur argumentis.

AD 1. negatur minor: Quia omnes corporis partes quacumque alia denominatione denominentur, omnes ſunt aut ſimilares, aut diſſimilares, reliquæ verò ſunt accidentales partium differentiæ, quæ alicui harum ſuperueniunt parti.

Ad 1. reſpondetur cum Andrea Laurentio: Quòd partes ſimilares dicuntur ſimplices, quia ex aliis diuerſis partibus non componuntur, etiamſi ex diuerſis fiant principiis: ſic elementa ſimplicia dicuntur ab Ariſtotel. etiam ſi fiant ex materia, & forma, quia ex aliis non componuntur elementis, ſicut mixtum.

Ad 3. reſpondetur ab Argenterio: Quòd neruus, vena, & arteria ratione formæ ſunt diſſimilares; ratione materiæ, ſimilares.

Sed rectè impugnatur ab Andrea Laurentio demonſtrante cum Galen. *lib. de placitis, & lib. de vſu partium*, has partes eſſe diſſimilares ratione materiæ, neruus enim intrà medullosſus, extrà mollis eſt.

Reſpondet Andreas Laurentius, Vitandæus, Petrus Garcia cum Nicolo Florentino *tract. de membris*: Quòd membrum poteſt dici compoſitum, vel ſenſibiliter, vt pes, & manus, vel inſenſibiliter, vt vena, arteria, & neruus, quæ licèt ſint compoſita, ſolent inter partes ſimilares poni, quia quoad ſenſum ſimilares apparent.

Contra: ad ſenſum etiam apparet diſſimilaris neruus, cùm ad extra ſit mollis, & ad intra medulloſa eius percipiatur ſubſtantia, & in venis percipiantur villi, & membranoſa ſubſtantia: ergo neque quoad ſenſum ſunt ſimilares.

Reſpondetur has partes diſſimilares eſſe; dici tamen ſimilares à Galen. quia non componuntur ex aliqua ſubſtantia communi pro aliarum partium compoſitione.

Contra: pars medulloſa, quæ eſt pars interna componens neruum, non eſt propria neruo, ſed communis etiam cerebro.

Reſpondetur: Quòd cerebrum, & ſpinalis medulla, & pars interna nerui vna ſubſtantia ſunt, & ab omni alia diuerſa.

Resolvtio IV.

Quid ſit pars ſimilaris, quid diſſimilaris?

§. I.

Reſolutio proponitur.

REſoluendum: Quòd *pars ſimilaris* eſt illa, cuius quamcumque ſeparaueris partem, nomen, & diffinitionem retinet cum ea, ex qua ſeparatur. *Diſſimilaris* verò eſt, cuius partes, nec nomen, nec diffinitionem, ſi ſeparantur, retinent cum ea, ex qua ſeparantur. Sic diffinit Auic. *fen. 1 1. doct. 5. cap. 1.* quem ſequuntur Gentilis, vterque Iacobus, Nicolus, & reliqui Commentatores, & fere omnes Authores citati pro antecendenti reſolutione.

Huic fauet diffiniendi modo Galen. *lib. 1. method. c. 6.* dicens: Humœomeria, id eſt ſimilaris pars eſt, ſicut

A ipſum clare indicat nomen, quæ vndique in ſimiles particulas ſcilicet diuiditur. Et *lib. 8. de placitis* dicit: Corpora quæ vna circumſcriptione clauduntur, interdùm ſimilaria, eò quòd omnes partes, tum ſibi mutuo, tum toti ſimiles habeant, interdum ſimplicia & prima nuncupantur. Et *lib. 1. de elementis c. 8.* dicit: Quarum vniuerſæ particulæ eandem omninò formam, & temperiem retinent. Similiter Ariſt. *lib. 2. de partibus animalium c. 9.* dicit: Sed quòd partes eorum idem cùm totius nomen ſortiantur, propterea inter ſimilares in hoc lib. annumerata ſunt. Et *lib. 4. meteor. cap. 4.* dicit: *Cùm autem hæc diffinita iam ſint, ſigillatim dicamus quid ſit caro, aut os, vel aliorum, quæ ſimplicia ſunt, vnumquodque habemus iam eorum ex quibus ſimplicium natura conſtat, genera, & cuius*
B *vnumquodque generis ſit per generationem, nam ex elementis ſimplicia, ex his vero aut materia omnia naturæ opera. ſunt verò omnia, vt ex materia ex dictis, vt autem ſecundum ſubſtantiam, ratione ſemper autem magis manifeſtum in potentioribus, ſed pars ſimilaris dicitur ipſi toti parti, &c.* Et adhæret Auerr. 1. *collig.* has ſimiliter diffiniens partes, vt de parte diſſimilari Galen. dicit *lib. 6. method. cap 6. Voco autem, & nomen ipſum indicat, quod ex diſſimilibus partibus eſt compoſitum.*

Resolvtio V.

C

Verùm tam ſimilaris, quàm diſſimilaris pars poſſit dici organica, ſeu inſtrumentaria.

§. I.

Negatiuæ partis fundamenta proponuntur.

PArtem negatiuam contendunt pleriqoe ſuadere, in illam enim incidere viſi ſunt Gal. & Ariſt. qui indiſcriminatim partem diſſimilarem pro organica, & è contra deſumunt. Ariſt. enim *lib. 1. de hiſtoria animalium*,
D inſtrumentarias partes compoſitas eſſe affirmat: & ex Galen. *lib. 1. de elementis* deducitur, quòd pars organica eſt, quæ ex ſimilaribus compoſita à natura eſt facta ad vnam certam, ab aliis diſtinctam, operationem: ergo ſoli diſſimilari parti conuenit, quòd ſit organica, aut inſtrumentaria.

Secundò: pars inſtrumentaria, ſeu organica differt à ſimilari, quia non ſolùm propriam ſibi temperiem petit, ſicut illa, ſed propriam figuram conformationem, & ſtructuram ſeruat: ſed hoc accidit illi ex varia ſimilarium compoſitione: ergo ſolùm in diſſimilari id valet contingere.

Tertiò: ex Galen. *lib. de differem. morborum.* tria ſunt genera morborum, vnum in intemperie proprium parti ſimilari; aliud in mala compoſitione proprium
E parti organicæ, ſeu diſſimilari; aliud in ſoluta vnitate tam ſimilari, quàm diſſimilari parti commune: ſed ſi ratio inſtrumenti, ſeu organi poſſet tam parti ſimilari, quàm diſſimilari competere, etiam morbus in mala compoſitione eſſet vtrique communis, ſicut morbus in ſoluta vnitate: ergo ſoli parti diſſimilari id competere, aſſerendum.

§. II.

Quid tenendum reſoluitur.

REſoluendum affirmatiuè: Tenet Fernelius *lib. 2. partis naturalis capit. 1.* quem ſequuntur Argenterius

Argenterius *lib. artis medicinalis*, Andreas Laurentius *lib.1. historia anatomica* q.6. Varandæus *lib.physiolog. tractat.de partibus* c.3. Mercatus *tom.1.tract. de partibus art.* 4.

Probatur rationibus ex his Authoribus deſumptis.

Prima deducitur, ex Galen. *lib.3. de facultatibus naturalibus cap.11.* dicente; Quædam eſſe inſtrumenta, quæ vnica conſtant tunica, vt vterus, & veſica: & Ariſt. *lib.2. de partibus animalium cap.1.* dicit Partem eſſe organicam propter ſuæ figuræ formam: & ſuperaddit: *Diſſimilares conſtare ex ſimilaribus poſſunt; tum pluribus, tum ſingulis, vt viſcera nonnulla: conſtant enim ferè omnia multiformi figura, quæ ex corpore ſimilari condita habentur,* &c. Et *eodem cap.* dixerat, Cor propter ſuæ figuræ formam eſſe partem organicam: ergo pars ſimilaris ratione formæ poteſt dici organica.

Probatur 2. Pars organica eſt quæ ſibi propriam, & determinatam, vniuerſo vero corpori communem præſtat actionem, ſiue ex pluribus, ſiue ex partibus ſimilaribus fiat. Pars ſimilaris eſt quæ præſtat actionem communem, ſicut coctionem caro, & os, & quælibet particula corporis præſtat: ſed parti ſimilari, & parti diſſimilari contingere poteſt, quòd non ſolùm communem, ſed ſibi propriam eliciat operationem, vt vtero, & veſicæ: ergo, & quòd ſit pars organica.

Probatur 3. Ratio figuræ, ſeu conformationis non includit neceſſariò diuerſitatem materiæ. poteſt enim in vna, & eadem particula ſubſiſtere, & a natura fieri: ergo tam ſimilari, quàm diſſimilari parti eſt commune, quòd ſit organica. Probatur antecedens; idem poteſt contingere, & fieri à natura, quod contingit in eis, quæ fiunt ab arte: ſed ab arte ex vna materia vniformi, auro, argento, ligno, aut ære conformatur vnum ens organicum, & propriâ gaudens figurâ: ergo ratio figuræ non petit materiæ diuerſitatem.

Dices: quòd ſi inſtrumentum poſſet fieri ex vna ſimilari parte, fruſtra eſſet in parte diſſimilari compoſitio plurium partium ſimilarium diuerſarum, ex quibus organica fiat.

Reſpondetur: Quòd, vt pars dicatur abſolutè organica, vna ſola ſufficit pars, ſi ex illa corporis particula debitam, & propriam nanciſcatur figuram: tunc enim fit pars organica non ratione materiæ, ſed ratione formæ, & in huiuſmodi parte organica tantùm requiritur debita conformatio, & iuſta magnitudo, ſicut eſſet in vaſe, quod in artificialibus fit ex auro, vel argento: at verò, vt organum maiori gaudeat perfectione, & poſſit in perfectiores vſus comparari, ex pluribus petit comparari particulis, & non ſolùm requirit debitam conformationem, ſeu figuram, & iuſtam magnitudinem, ſed connexionem inter illas, vt patet in manu, vel crure; & in artificiatis in domo, vel curri.

§. III.

Authoritati, & rationibus ſatisfit.

AD 1. reſpondetur: Quòd Gal. & Ariſt. partem diſſimilarem, organicam, ſeu inſtrumentariam vocant, quia ſemper diſſimilaris eſt organica, & inſtrumentum, non tamen quæ ſimilaris eſt, & ideò de illa, dum de organica loquuntur, deducunt exemplum non tamen negant, quòd ſimilaris ratione formæ poſſit ſimiliter dici organica, ſiue inſtrumentum pro aliqua actione.

Ad 2. diſtinguo minorem: Hoc accidit ex varia ſimilarium compoſitione, varietate ſubſtantiæ, nego; varietate compoſitionis, concedo minorem. Vt enim conſtat ex dictis, ſufficit, vt pars inſtrumentaria dicatur, quòd figuram ſeruet propriam, ab aliis diſtinctam, etiāſi ex variarum partium compoſitione eam acquirat.

Ad 3. reſpondetur: Quòd morbus qui ſuperuenit parti ſimilari, vel ſuperuenit illi, vt ſimilaris eſt, & talis eſt morbus in intemperie, & proprius partibus ſimilaribus; vel ſuperuenit in illa, vt organica eſt, & talis eſt morbus in mala compoſitione illam vitians, vt inſtrumentum eſt, & ille eſt proprius partibus organicis: aliud eſt enim, quòd morbus ſit proprius parti organicæ, aliud quòd ſit proprius parti diſſimilari.

RESOLVTIO VI.

Verùm viuentis actiones eliciantur à partibus ſimilaribus, an verò ab organicis?

§. I.

Parti organicæ aliquas actiones tribuit Argenterius.

PArtes ſimilares elicere actiones gradus vegetatiui, gradus verò ſenſitiui actiones à partibus organicis, non autem à ſimilaribus produci contendit Argenterius *lib. artis medicinalis.* Quam ſententiam intendit probare primò ex Gal. *lib. de ſanguinis miſſione cap.4.* dicente, Primarias actiones à ſimilaribus partibus effici, ſecundarias verò ab inſtrumentis: & *lib.1. method c.6.* dicit: *Inſtrumentum voco animalis partem, quæ perfectam actionem edere poteſt, veluti oculus viſionem.* Et Ariſt. *lib.2. de partibus animal.* c.1. dicit: *Conſtant enim animalia ex vtroque membrorum genere, verùm ſi meliora diſſimilarium gratia habentur. Illorum enim officia ſunt actiones, & oculi,* &c. Et aliis in locis Gal. & Ariſt. in idem conſpirant: ergo ſaltem animales actiones ab organicis tantùm fiunt partibus.

Secundò, partes omnes ſimilares, in quacumque parte corporis ſint, eaſdem valent producere ſemper actiones, ſi ſimiles ſint, cum eundem ſubſtantiæ modum, & temperiem obtineant: ſed gradus ſenſitiui actiones vni determinatæ parti organicæ tribuuntur, vt oculis videre, auribus audire: ergo partibus ſimilaribus non poſſunt tribui actiones gradus ſenſitiui, ſed ſolùm vegetatiui, quæ communes debent eſſe omnibus partibus.

Tertiò: quia, vt contendunt alij, etiam ſi actiones ſentiendi ſub gradu ſenſitiuo petāt fieri a partibus ſimilaribus, tamen motus locales ab organicis fieri conſtat ex Ariſt. 2. *de partibus animal.* c.1. vbi ſimilares partes ſentiendi actiones, inſtrumentales verò motus locales efficere contendit: ergo ſaltem actiones gradus ſenſitiui fiunt à partibus organicis.

§. II.

Omnem actionem à ſimilari parte determinata effici, ex Gal. Laurentio, Duncano & aliis.

REſoluendum tamen, non ſolùm gradus vegetatiui actiones elici à partibus ſimilaribus; ſed ſenſitiui gradus omnes actiones efficientes elici à determinata ſimilari particula organi; perfectiuè reliquis ipſum adintegrantibus. Sic docet Galen. *lib. 2. de differentiis morb.* c.6. *lib 2. method. cap.6. & 10. l.7. method. cap.2. lib.6. de locis affectis cap.3. lib de optima corporis conſtitutione capite* 2. & 5. Tenet Andreas Laurentius *lib.1. anatomia* q.6. Duncanus *lib.1. phyſiolog. capit.8.*

Varan-

Varandæus *lib. 1. phyſiolog. tractat. de partibus humani corporis c. 5.* Petrus Garc *in ſen. 1. 1. diſp. 18. c. 1.* Martinez *lib. 1. tract. 1. q. 1.* Corteſius *decad. 1. c. 1.*

Probatur hic Medicorum communis conſenſus ex Gal. *locis nuper citatis,* præcipuè ex illo *3. method. c. 10. §. proximis ſimilaribus partibus occurret, à quibus omnes animantium actiones fiunt, &c.* Et ex *c. 6. §. quippe à ſimilaribus functiones edi, eo quòd eſſe cuiuſque inſtrumenti vnam eamum ſimilarem, reliquas verò, quæ cum hac quodlibet inſtrumentum perficiunt, eas vſus alienius gratia illius, quæ prima erat actionis cauſa factas eſſe. &c.*

Probatur 2. Principaliter, & per ſe efficienter ab illa particula fit organi actio, in qua reſidet animalis facultas: ſed hæc non in qualibet organi parte, ſed in vna determinata, cui in illo organo non eſt ſimilis alia: ergo ab illa per ſe primò efficientes fit animalis actio. Probatur minor, quia ideò requiritur heterogeneitas, & partium componentium diuerſitas in viuente, quia anima indifferens ad plurium potentiarum productionem, debet determinari ad hanc potius, quàm ad illam potentiam producendam ex tali determinato ſubſtantiæ modo proprio, & coaptato pro efficientia actionis talis potentiæ: ſed vnus ſubſtantiæ modus proprius, & determinatus pro efficientia operationum determinatæ potentiæ ſenſitiuæ, nec in pluribus eiuſdem corporis partibus, nec in diuerſis partibus eiuſdem organi potuit eſſe communis: ergo in vnica illius determinata particula poteſt tantùm reſultare facultas.

Probatur 3. vltima pars reſolutionis, quòd ſcilicet reliquæ componentes particulæ ad actionem concurrunt, quatenus præſtant vſum, ſeu commoditatem: Quâcumque ex reliquis particulis morboſè læſâ, læditur actio, vt ex Galen. conſtat *lib. 1. de locis affectis, c. 2. & 3. & ex lib. de differ. morb.* manifeſte conuincitur: ergo manifeſtum eſt aliquo modo has particulas concurrere ad elicientiam inſtrumentalium actionum.

Dices: facultas reſidet in determinata particula: ergo nihil actionis elicitur ab aliis, in quibus ipſa non inhæret.

Reſpondetur: Verum id eſſe quoad eſſentiam, non verò quoad vſum, & commoditatem requiſitam ad illam; habet enim ſe particula, in qua inhæret facultas, ſicut artifex, ad cuius miniſterium plures requiruntur miniſtri, à quo licet ſolo poſſit perfici ſua operatio, quia ad ipſum peragendum reliqui ignari ſunt; omnes tamen ad efficiendum artificatum ſunt neceſſarij, & dicontur concurrere, quia in ſuo miniſterio vſum, & commoditatem præſtat quilibet, ſine quibus artifex operari non poſſet.

§. III.

Pro argumentis ſolutiones afferuntur.

AD 1. Ariſt. & Galenum fatemur actiones aliquas tribuere organicæ parti, non quoad elicientiam principalem, ſed quatenus vſum præſtant ad earum efficientiam, ſeu commoditatem, vt fiant ab aliqua ſimilari particula illas componente.

Ad 2. reſpondetur: Quod particula ſimilaris, cui per ſe primò tribuitur actio in quouis organo, talis eſt, vt non ſit alia ſimilis in corpore, etſi alia eſt ſimilis in ſimili in organo, & ordinata in eumdem finem, & ideò eodem modo operari fatemur.

Ad 3. reſpondetur: Quòd tam ſenſatio, quàm motus localis fiunt à particula ſimilari, ſed motum localem concedi fieri Ariſt. à parte compoſita ex duabus particulis eiuſdem rationis ſcilicet à duobus muſculis, qui præcipuè requiruntur in parte inſtrumentaria, quæ diuerſos motus locales efficit, vt in crure, alter enim muſculus trahit, alter dilatat.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm pars ſimilaris ſua temperie concurrat ad operandum?

§. I.

Reſoluitur controuerſia ex doctrina D. Thomæ.

REſoluendum cum D. Thom. *1. p. q. 78. art. 1. in corpore:* Quòd ad actiones vegetatiuæ gradus actiuè ſe habet partis ſimilaris temperies. Verba Angelici Præceptoris ſunt: *Reſpondeo dicendum, quod quinque ſunt genera potentiarum animæ, quatuor dicuntur modi viuendi, & huius diuerſitatis ratio eſt, quia diuerſæ animæ diſtinguuntur ſecundum quod diuerſimode operatio animæ ſupergreditur operationem naturæ corporalis, eſt ergo quædam operatio animæ, quæ tantum excedit naturam corpoream, quod neque etiam exercetur per organum corporale, & talis eſt operatio animæ rationalis; eſt autem alia operatio animæ infra iſtam quæ quidem fit per organum corporale, non tamen per aliquam corpoream qualitatem, & talis eſt operatio animæ ſenſibilis, quia etſi calidum, & frigidum, & humidum, & ſiccum, & alia huiuſmodi qualitates corporeæ requirantur ad operationem ſenſus, non tamen ita, quod mediante virtute talium qualitatum operatio animæ ſenſibilis procedat, ſed requiruntur ſolum ad debitam diſpoſitionem organi. Infima autem operationum animæ eſt, quæ fit per organum corporeum, & virtute corporeæ qualitatis; ſupergreditur tamen operationem naturæ corporeæ, quia motiones corporum ſunt ab exteriori principio, huiuſmodi autem operationes ſunt à principio intrinſeco; hoc enim commune eſt omnibus operationibus animæ: omne enim animatum aliquo modo mouet ſeipſum, & talis eſt operatio animæ vegetabilis; digeſtio enim, & ea, quæ conſequuntur; fit inſtrumentaliter per actionem caloris, vt dicitur in 2. de anima.* Hæc D. Thom. ex quibus patet reſolutio, pro qua vide Petrum Garciam, *ſen. 1. 1. diſp. 18. cap. 2.*

SECTIO II.

De partium principum diuerſitate.

DE partiũ diuerſitate egimus procedente à materia, vel à forma; iam nunc agimus de illa prout in humani corporis vſum ordinatur, in qua conſideratione pars, alia præſtans, alia princeps, alia non princeps, ſeu ignobilis dicitur. Pars præſtans ex Fontano à principe differt, quia omnis princeps eſt præſtans, & non è contrà; præſtans enim pars ratione vitæ dicitur, ſine qua diu ſubſiſtere viuens non poteſt, indiget enim continua illius operatione, & hæc eſt princeps; alia eſt præſtans ratione officij publici, & ideò officialis dicitur, quia præſtat pro reliquis officium, & huiuſmodi ſunt ventriculus, pulmo, renes, & veſica; Ignobilis verò, ſibi præcipuè officium parat, & hoc omnibus aliis partibus eſt commune.

RESOL

Resolutio I.

Quid ſit pars princeps?

§. I.

Altera diffinitio Galen. taxatur Argenterij ratione.

Galen. *l.* 14 *de vſu partium cap.* 1. partem principem eam vocat: *quæ ſimpliciter eſt neceſſaria ad indiuidui conſeruationem.* Quam diffinitionem impugnat Argenterius *lib. artis medic.* Non enim ſoli principi, ſed cuicumque præſtanti parti conuenit, ratione cuius publici officij neceſſaria eſt ad indiuidui conſeruationem.

§. II.

Altera verò recipitur ex Galeno diffinitio partis principis.

Reſoluendum: Quòd pars princeps eſt quæ toti largitur facultatem, vel ſaltem materiam. Hanc tradidit Gal. *lib.* 6. *de placitis c.* 10. recepit Auicen. *fen.* 1. 1. *doct.* 5. *c.* 1. quem ſequuntur Arabes, & ex moderniotibus, Valles *lib.* 2. *controuerſ. c.* 3. Andreas Laurentius *lib.* 1. *anatomia q* 3. Argenterius *in artem medic. fol.* 282. Varendæus *lib. phyſiolog. tract. de partibus ſect.* 3. *c.* 3. Fontanus *p.* 1. *l.* 6. *c.* 5. Santorius *in artem paruam ad c.* 9.

Per *facultatem* diſpoſitionem intelligimus, quæ vltimum complementum eſt, ſine quo facultas in parte reſidens operari non valet, quæ à cerebro pro facultatibus ſenſitiui gradus, motiuis, & cognoſcitiuis; à corde pro motu arteriarum communicatur. Per *materiam*, ſanguineriam maſſam, quæ apta eſt materia pro omnium partium nutritione.

Ex quo patet, in quo conſiſtit eſſentialis ratio partis principis, & quam inutiliter tempus conterunt Argenterius in impugnanda diffinitione primò adducta, & Andreas Laurentius in ipſa defendenda; ibi enim Gal. non diffinire contendit, ſed explicare, quid ſit proprium parti principi, ſcilicet quòd ſit neceſſaria ad indiuidui conſeruationem, quod parti principi conuenit, quatenus præſtans eſt; ipſi verò parti principi eſſentiale eſt, quòd largiatur facultatem, vel materiam: ſi enim lieo ipſam præſtat, hæc à iecore debet perfici, vt infra dicemus.

Resolutio II.

Quotuplex ſit pars princeps?

§. I.

Antiquorum refero, & comprobo ſententias.

Celebrem reddit hanc quæſtionem opinantium authoritas: ex antiquioribus aliqui minus bene philoſophantes, partem corporis determinatam tanquam proprium animæ domicilium aſſignabant. Sic Parmenides, & Epicurus, pectus; Straton partem inferiorem frontis, Erophilus cerebri baſim, Eraſiſtratus cerebri ſinus, Aſclepiades membranam cerebrum veſtientem, Crithias ſanguinem, Diogenes tenuiorem eius partem, qui conſequenter partes iſtas principes eſſe tenentur concedere.

Ex Philoſophis verò reliqui animam totum corpus informare cognouerunt, & aliquid ab aliqua parte deriuari in reliquas, ratione cuius pars illa princeps diceretur; ſed hanc vnicum cor eſſe contendunt Zeno, & Criſippus, quibus accedit Ariſt. acerrimus huius placiti tutelaris, quod defendere contendit totis viribus *lib.* 2. *de partibus animal cap.* 1. 7. *&* 10. *lib.* 3. *de partib. animal. c.* 4. *lib. de ſomno. & vigilia c.* 3. *lib. de iuuent. & ſenectute cap.* 1. *&* 2. *lib. de animal. motu c.* 6. *&* 8. *lib* 2. *de generatione animal. c.* 4. quem ſequuntur Auerr. *l.* 2. *de partib. animal. c.* 7. *& lib.* 2 *collect. c.* 7. *&* 11. Afrodiſ. *lib.* 1. *de anima cap. vlt.* Themiſtius *lib. de memoria q.* 27. Iandunus *de ſomno, & vigilia q* 9. Albertinus *lib.* 3. *c.* 1. Auicen. *fen.* 1. 1. *doct.* 5. *c.* 1. qui cor ſimiliter conſtituit principium vitalis, naturalis, & animalis facultatis, & ab ipſo tanquàm à prima radice operationes oriri, licèt in aliis partibus ab illo poſſint manifeſtari; cui adhærent Arabis Commentatores.

Primum huius placiti fundamentum deſumptum fuit ex communi omnium exiſtimatione, qua non modò cordi tribuitur origo vitalium actionum, ſed animalium, & naturalium, ac rationalium; iudicabatur enim mentis domicilium, qua ratione homines excordes, vecordes, concordeſque dicti ſunt, & cordati, *& in Sacra pagina* 2. *Paralipomenon, & Pſalm.* 7. Secreta cordis Deum cognoſcere dicitur, & Matthæus aſſerit, quòd *de corde exeunt cogitationes*: Ergo ſanciri debet hoc placitum ex communi omnium conſenſu.

Secundò validiſſimis rationibus Ariſt. contendit ſuum placitum ſtabilire, quia illi parti principatus eſt adſcribendus, quæ eſt principium, & origo omnium facultatum: ſed ſoli cordi hoc conuenit: ergo ſolum cor eſt pars princeps. Probatur minor: illa pars eſt principium, & origo omnium facultatum, à qua deſumunt principium, & originem organa, quibus omnes facultates deferuntur in reliquas corporis partes: ſed nerui, venæ, & arteriæ, quæ ſunt organa, per quæ virtutes animales, vitales, & naturales communicantur, à corde originem deſumunt, in quo amplitudo arteriæ, implantatio venæ magnæ, intertexta in interioribus ſinibus neruorum propago: ergo ſoli cordi id conuenit.

Tertiò: in toto corpore eſt vna anima, per ipſam ſit corpus vnum: ergo vnica pars princeps, quæ ſit principium vnicum, à quo omnes partes regantur, debet aſſignari. Probat Ariſt. conſequentiam à paritate in hoc vniuerſo, cuius vnicum eſt principium, vnaque prima cauſa, à qua omnia gubernantur; quod idem conuenit ad cuiusvis reipublicæ gubernationem.

Haud multos regnare bonum eſt; Rex vnicus eſto, repetit Ariſt. ex Homero: ergo vnica pars princeps debet in corpore reperiri.

Quartò: idem eſt principium ſentiendi, mouendi, ac vegetandi, quod & ſeudi: ſed cor primò eſt, viuitque in corpore, vltimóque deſinit eſſe: ergo illud tantum eſt principium. Probatur maior; tum quia corde affecto vt in ſyncope, ſenſus, & motus deficit in reliquis partibus; tum quia in animæ paſſionibus fluit, & refluit ab ipſo in ipſum concurſus ſpirituum, qui & in ſomno recurrunt ad ipſum, & tunc facultates otiantur; tum quòd in eius temperiem corrigendam fuit conſtructum cerebrum humidum, & frigidum: ergo cor primum eſt principium ſentiendi, vegetandi, & mouendi.

§. II.

Ex Galeno communis amplectitur doctrina.

Reſoluendum: Quòd triplex pars princeps debet aſſignari in animali perfecto, Cerebrum, quod ſentiendi eſt principium; Cor, quod eſt principium vitalis facultatis; & Iecur, quod eſt principium naturalium,

ralium, quatenus materiam ſubſternit pro omni parte. Fautes huic ſententiæ Hipp. *lib. de morbo ſacro numero* 18. ipſam expreſſit egregiéque explicauit Plato *in Tymæo, & 4 de Republica.* Tenent ex Patribus Diuus Auguſtinus *in pſalm.* 20. Diuus Ambroſius *lib.* 6. Examer. *cap.* 9. Gregorius Magnus *capite* 9. Niſſenus *lib.* 4. *philoſophiæ cap.* 16. *lib. de creatione hominis cap.* 2. Chryſoſtomus *in cap.* 4. *ad Epheſios*, Albertus Magnus *lib.* 1. *de anima tract.* 4. *c.* 11. Lactantius *lib.* 6. *c.* 9. Diuus Thom. 3. *p. q.* 8 *art.* 1. & 6. Diuus Bonauentura *in* 3. *diſtin.* 3. *art.* 2. *q.* 3. Caietan. 3. *p. q.* 8. *art.* 1. Præcipuè tamen huius ſententiæ ſiunt patroni contra Ariſt. Galenus *lib.* 7. *de placitis Hipp. & Platonis, cap* 3. 6. & 14 & *lib.* 8. *de vſu partium cap.* 3. & 4. & *in arte parua cap* 9. quem ſequuntur Auic. 6. *naturalium part.* 4. *cap.* 1. Plutarchus *lib* 4. *de placitis philoſophorum cap.* 21. Et ex recentioribus Valles *lib.* 2. *controuerſ. c.* 3. Petr. Garc. *fen.* 1. 1. *diſp.* 19. Mercatus *tom.* 1. *q.* 107. Fontanus *p.* 1. *cap* 5. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog. cap.* 8. Varandæus *lib phyſiolog ſect.* 3. *cap.* 4. Valleriola *lib.* 1. *de locis communib. cap.* 11. Andreas Laurentius *lib.* 1. *anatomiæ quæſt.* 2. Martinez *lib.* 1. *q.* 1. *tract.* 2. Godofredus *lib.* 1. *cap.* 7. Fernel. *lib.* 5. *cap.* 14. & 15. Leonardus Fuchſius *lib.* 1. *inſtit p.* 1. *ſect.* 5. *cap.* 1. Fernandez *lib. de facultat. naturalibus tract. de præcipuis facultatibus concluſ.* 1.

Probatur 1. Quòd cerebrum ſit pars princeps: ex Ariſtot. enim illa pars princeps cenſeri debet, quæ eſt principium, & origo influxus neceſſarij ad operationem, & partium inſtrumentalium, per quas talis influxus defertur: ſed tale eſt cerebrum reſpectu influxus requiſiti ad actiones ſenſitiuas: ergo eſt pars princeps. Probatur minor; tum quia exortum neruorum à cerebro omnes Anatomici experientiâ comprobarunt; tum quia quantò deſcendunt à cerebro, tantò fiunt tenuiores, ſicut rami ab ſtipite elongati: Tum quia, vt obſeruauit Galen. *de conſtitutione artis medicæ cap.* 4. ſi nerui in medio vinciantur, pars versùs cerebrum motum, & ſenſum retinet; partes inferiores, etſi versùs cor tendant, priuantur vtroque: Tum quia, vt demonſtrauit Galen. *lib.* 3. *de locis c.* 10. in apoplexia, impedito omni neruorum exortu, omnes partes corporis ſenſu, & motu priuantur, non impedito partis influxu, remanet motus, & ſenſatio in his partibus, ad quas deſcendit, aufertur in aliis, vt in paralyſi: Tum quia in delirio, lethargo, & aliis affectibus, per quos læduntur actiones cognoſcitiuæ, cerebro, & non cordi remedia apponimus: Tum quia actiones, in quibus anima communicat cum intelligentiis in ſublimiori loco conſtitui erat conueniens: ergo cerebrum pars eſt in corpore princeps.

Probatur 2. Quòd iecur ſit pars princeps; tum quia venarum eſt origo, vt Anatomici demonſtrant, demonſtratque experientia; ab ipſo enim truncus magnus venæ portæ & cauæ prouenium, qui diſcedentes tenuiores fiunt, & in magnam ramorum propaginem partiuntur: Tum quia humores abundant iuxta iecoris intemperiem: Tum quia producti intemperiem recipiunt iuxta eam, qua iecur laborat: Tum quia ipſo vitiato ex calore excedente, calidi ex humoribus ſubcreſcunt morbi, ipſius temperie ſubſtantifica in frigiditate, & humiditate excedente hydrops ſubcreſcit: ergo quia ſanguificationis eſt origo.

Reſpondent Auicenniſtæ ſanguinem generari à iecore, ſed perfici à corde.

Sed pugnant hi contra experientiam, quæ ex anatome demonſtrat à iecore ad cor vnum venæ ramum ſanguinem pro illius nutritione, & ſpirituum generatione deferre; ad reliquas verò corporis partes omnis ſanguinis reſiduum immitti à iecore, vtiléque eſſe

A in illis pro earum nutritione: Tum quia à corde in reliquas ex illo immiſſa materia, poſſent partes nutriri: Tum quia ſanguis fit ex chylo, ex quo reliqui fiunt humores in iecore: Tum quia cùm ſanguis fiat ex determinata parte chyli, quæ in cor deferri non poteſt, in iecore ex illa perfici eſt neceſſe: ergo à ſolo iecore fit ſanguinis productio perfecta.

Tertiò probatur, quòd cor ſit pars princeps ex communi conſenſu Philoſophorum, & Medicorum, qui reſpectu facultatis vitalis ipſum principem partem conſtituunt: Tum, quia ex anatome conſtat arteriarum eſſe principium, & ab ipſo per illas in reliquas partes communicari ſpiritus: Tum quia ligatâ arteriâ versùs cor pulſat, non versùs inferiorem partem: ergo cor pars princeps eſt.

B

§. III.

Pro Galeni opinione contrariorum refranguntur rationes.

AD 1. diſtinguo antecedens: Ex communi omnium exiſtimatione actiones omnes vitales dependent à corde tanquam à principio elicitiuo, nego: tanquam à principio remoto, à quo dependet omnium partium temperies conſeruatiua principij radicalis, concedo antecedens. Cordis enim facultas

C vitalis dicitur, quia ad omnia opera vitæ maximè neceſſaria eſt, dependent enim actiones vegetatiuæ ab illius influxu, & ſenſitiuæ, quia ſine debita diſpoſitione in organo nullæ, nec ſenſitiuæ, nec vegetatiuæ fiunt operationes, & propter hanc dependentiam ex communi exiſtimatione cordi ſolent tribui omnes operationes, quæ fiunt ab animali; ſed præter iſtam dependentiam actiones animales à cerebri influxu dependent, & naturales à iecore tribuente materiam: & ideò ſimiliter iſtæ partes dicuntur principes.

Ad 2. & illius probationem negatur minor:

D Conſtat enim ex reſolutionis probationibus, quòd cerebrum neruorum eſt principium, vel ſpinalis medulla, vnicus eſt in corde paruus neruus à ſexta coniugatione ortus, fibræ, & villi ſunt quamplures, quæ in eius ſubſtantia contexta credit Ariſt. neruos eſſe, quâ cauæ venæ vidit ramum inſignem in dextro cordis ventriculo, non tamen obſeruauit à vena caua originem ducere, ſicut reliqui ex quibus vniuerſum irrigatur corpus.

Ad 3. negatur conſequentia: Quia licèt ſi ab vnico principio, & origine poſſent omnia, quæ à partibus principibus mittuntur in partes, generari, & tranſmitti; ſufficeret principium vnum: vna tamen ſubſtantia non poteſt talem habere ſubſtantiæ modum, vt ſit principium tam diuerſarum par-

E tium, quales ſunt venæ nerui, & arteriæ, quæ ſunt partes inſtrumentales, quibus defertur omne requiſitum in partibus; nec ſimiliter valeret eadem producere tam diuerſas entitates, quales requiruntur pro diſpoſitione, ſeu materia facultatum vitalis, animalium, & naturalium, & ideò triplex in hunc finem eſt neceſſaria pars princeps.

Ad 4. negatur minor: Quia poſitâ prauâ diſpoſitione, vel corruptiuâ, ſimul omnes partes informantur, vel informari deſinunt, & quod in syncope omnes ſenſitiuæ actiones deficiunt, quia deficit influxus cerebri pro illis. in animi paſſionibus fit intus, & extra fluxus, & refluxus ſpirituum, quia illorum

cor

cor eſt origo, & principium, neque ob id frigidum fuit productum cerebrum, vt cor attemperaret (ſufficit enim in hunc finem aër ab illo attractus) ſed vt nimis calfactũ ab ſpiritibus in illo neceſſariis, vt animales ſpiritus generentur non inutile redderetur pro cognoſcitiuis.

Resolvtio III.

Vtrùm teſticuli ſint pars princeps reſpectu ſpeciei?

§. I.

Partis negatiuæ fundamenta pro Ariſt. proponuntur.

PArtem negatiuam tenet Ariſtot. Qui teſticulos non generare ſemen contendit, ſed productos eſſe à natura in animali, appensóſque vaſis ſpermaticis vt eorum pondere cor tendatur; & tenſione roboretur, ſicut in telis contingit lapidibus appenſis: & hoc comprobare contendit *lib. 3. de hiſtoria animal. c. 1.* exemplo Tauri caſtrati, qui potuit poſt caſtrationem generare, & *lib. 1. de generat. animal. c. 4.* teſticulos in animalibus non eſſe neceſſarios contendit cùm non reperiantur in piſcibus & ſerpentibus: ergo in nullo animali ſunt pars princeps.

Secundò: videtur ibidem comprobari ex Galeo. qui locis pro reſolutione antecedenti adductis partes principes conſtituit cerebrum, cor, & hepar, non verò teſticulos, & *lib. 7. de placitis Hipp. & Platonis*, & *lib. 6. de vſu partium* poſitiuè docet teſticulos non eſſe partes principes: ergo non ſunt inter illas annumerandi.

§. II.

Tenendum proponitur commune placitum.

REſoluendum: Teſticulos eſſe partes principes in ordine ad ſpeciei conſeruationem. Expreſſe id docet Galen. *lib. 14. de vſu partium cap. 1.* quem ſequuntur Andreas Laurentius *lib. 1. anatomia q. 1.* Fontanus *p. 1. vniuerſa medicinæ c. 5.* Duncanus *lib. 1. phyſiolog. ſect. 3. c. 3.* & tenent Commentatores Galeo. *ad c. 9. artis paruæ.*

Probatur: Pars princeps eſt, quæ materiam, ſeu facultatem tribuit omninò neceſſariam pro conſeruatione alicuius: ſed teſtes ſemen generant, in quo eſt virtus, ſeu facultas, & materia ita neceſſaria pro ſpeciei conſeruatione, vt in animalibus generandis ex ſemine ſine illis ſpecies propagari, & conſeruari non poſſit: ergo in hunc finem teſtes ſunt pars princeps. Probatur minor, ex Galen. *lib. 1. de ſemine c. 15. & 16.* vbi demonſtrat generari ſemen à teſticulis.

§. III.

Pro argumentis adducitur reſolutio.

AD 1. reſpondetur: Ariſt. minus bene decreuiſſe de teſticulorum vſu. Plura enim ex animalibus ipſos ſuſpenſos non habent, & eorum ad ſeminis generationem neceſſitatem demonſtrauit Galen. *lib. de ſemine*, demonſtrátque experientia: ipſis enim abſciſſis impeditur generatio, neque ex Tauro caſtrato ex non teſticulis fuit generatio, ſed ex retento ex illis ſemine, & ante caſtrationem reſeruato in penis radicibus, varicoſiſve venis, ex quo poſtea ſubſequuta eſt generatio. In imperfectis animalibus aliquid ſimile

A teſtibus pro-

Ad 2. dicendum, à quo ſeminis fit generatio. cipes annumeraſſe Galenum *locis citatis* partes princeſſarias, nos verò de pariter ad indiuidui eſſe neſpeciei conſeruatione detractitate teſticulorum pro

---

Resolvtio IV.

Vtrùm teſticuli ſint pars princeps reſpectu ſui indiuidui?

§. I.

B *Communis proponitur aſſenſus Medicorum.*

PArs negatiua vnanimi conſenſu amplectitur à Medicorum ſchola. Ratio communis eſt, quia pars princeps reſpectu indiuidui eſt, quæ materiam, vel facultatem communicat ita neceſſariam cunctis partibus corporis, vt non poſſit indiuiduum diu permanere, aut conſeruari ſine illa: ſed non ſolùm ſine aliquo recepto à teſticulis, immò ſine ipſis animal longiſſimam ducit vitam: ergo teſticuli non ſunt pars princeps reſpectu indiuidui.

§. II.

C *Pars altera amplectitur.*

REſoluendum tamen affirmatiuè: Huic aſſenſui adhæret Doctor Serua *tom. 1. lib. 1. cap. 15.* ex Gali *lib. artis paruæ c. 9.* ait enim: *Sunt vero partium quatuor, differentiæ, quoniam nonnullæ earum principia exiſtunt, aliquæ verò ab ipſis originem habent. aliquæ [neque aliarum gubernationi præſunt, neque aliunde gubernantur, cùm inſitas habeant à natura potentias, à quibus reguntur, quædam verò ſunt, quæ inſitas habent & aliunde emanantes; principia igitur ſunt cerebrum, cor hepar, teſticuli, &c.* Hæc Galenus, ſed in præſenti annumerat Galen. partes ſecundum vſus, quos habent ad proprium indiuiduum: ergo cùm enumeraret teſticulos inter partes principes, illos enumerat D ſecundum quòd ſunt pars princeps illius, & quatenus poſſunt aliquid ſubminiſtrare neceſſarium ſaltem ad robur omnium partium.

Probatur 2. Eadem currit ratio conſtituendi teſtes inter partes principes reſpectu indiuidui, atque conſtituendi cor, & cerebrum: ſed ex Medicorum conſenſu cor, & cerebrum conſtituuntur inter partes principes reſpectu ſui indiuidui: ergo idem dicendum de teſticulis. Probatur maior ex Galen. *lib. de ſemine cap. 16.* dicit enim: *Quid igitur mirandum ſi, quemadmodum mouendi, atque ſentiendi facultas à cerebro in neruos, pulſandi à corde in arterias diffunditur, ita, quoque à teſtibus in totum corpus vim quandam diſE pergi dicamus, quæ quidem in maribus robuſti ac maſculè habitus, in fœminis ipſius fœminæ natura cauſa eſt, atque propterea efficitur, vt fœmina exciſis teſtibus mari caſtrato ſimilis euadat &c.* Ergo eadem currit ratio vt teſticuli ponantur inter partes principes, atque conſtituendi cor, & cerebrum.

Probatur 3. eademmet reſolutio ratione. Pars princeps conſtituitur in ordine ad ſuum indiuiduum in eſſe talis, quia communicat materiam omnibus partibus communem, vel facultatem illis neceſſariam: ſed teſticuli communicant facultatem ſimpliciter neceſſariam in omnibus partibus ſui indiuidui ad proprium robur comparandum: ergo reſpectu eius ſunt pars princeps. Probatur minor ab

coctione ſubſidet melancholia, quia craſſa, & terreſtris: ergo eſt ſanguinis fæx.

Tertiò; quoad fæculentum, nigrum, denſum, & terreſtre apparet, dicitur fæx: ſed talis apparet melancholia, ergo eſt ſanguinis fæx.

§. II.

Pars negatiua ſancitur, & propria adducitur diffinitio.

RESoluendum: Quòd melancholia naturalis eſt humor à iecore genitus ex parte chyli, in qua abundant partes materiales terreæ, frigidus, ſiccus, colore niger, ſapore medio inter acidum, & ponticum, præditus conſiſtentia, craſſus, quia ex fæculenta, & terreſtriori parte chyli fit, & defertur maiori parte cum aliis humoribus per venas in nutricatum partium ſimilium in modo ſubſtantiæ, partimque & in lienis nutrimentum defertur, ſeu in illo ſi imperfectior, generatur, & partim in ventriculum, in quo ſua acerbitate famem excitat. Innoteſcit per omnia cauſarum genera melancholiæ natura in hac diffinitione.

§. III.

Fit ſatis pro dubitandi rationibus.

AD 1. reſpondetur: Quòd Galen. non intendit quòd melancholia ſit ſanguinis fæx, & vt pars terrea illius fundum petat, quia, vt benè conuincit Cardanus *l. 10. contradict. tract. 5. c. 13.* non eſt pars ſanguinis quarti humoris, ſed ſpecie alius ab illo, & ideò, nec eiuſdem temperiei, ſed aſſimilatur fæci aliquo modo, quatenus terreſtris pars eſt chyloſæ ſubſtantiæ, ex qua fit ſanguis, & ideò in maſſa ſanguinaria, vt grauior reliquis deorſum tendit.

Ad 2. reſpondetur: Quod fæx ſubſidet tanquàm excrementum craſſum in coctione ſeparatum, melancholia verò per ſe intenditur, & generatur pro ſimilium partium nutritione, ſicut & ipſe ſanguis.

Ad 3. reſpondetur: Quòd nigrũ, & terreſtre apparet quia licet per ſe ſit intentum in humorum generatione, fit maiori ex parte ex terreſtriori chyli ſubſtantia.

RESOLVTIO X.

Vtrùm quadruplex præternaturalis melancholia detur?

§. I.

Pars negatiua ſuadetur.

PLures melancholiæ præternaturalis ſpecies admittendas eſſe videntur, quia ex quatuor humoribus per vlteriorem calorem alteratis fiunt quatuor ſpecies melancholiæ præternaturalis, ſeu atræ bilis: ſed etiam per admixtionem pituitæ, aut bilis cum melancholia poſſunt aliæ ſpecies fieri, ſicut apparet in ſpeciebus bilis præternaturalis: ergo plures, quàm quatuor ſpecies melancholiæ præternaturalis ſunt admittendæ.

Secundò: per alterationem caloris non poſſe in atrã bilem mutari reliquos humores naturales apparet: tum, quia ſanguis cùm ſit aëreæ naturæ, non valet in melancholiam mutari, quæ eſt terreæ naturæ: tum, quia ex bile adoſta fiunt aliæ differentiæ bilis præternaturalis, non verò fieri poteſt melancholia: tum, quia naturalis melancholia, cùm nimis terrea ſit, vlterius vſta in cineritiam ſubſtantiam alienam à natura alterius humoris mutaretur: tum quia pituita, vt tenet Valles *lib. 1. controuerſ. c. 21.* Manardus *9. epiſt. 2.* Vega *l. artis medic.* & patet ex Gal. *6. aphor. comm. 53. & l. de locis affectis c. 6.* & *l. 6 epidem. ſ. 6 com. 3. & 1. prorit ſect. 1. comm. 4.* atram bilem, ex flaua bile, & fæce ſanguinis tantùm fieri intendit: tum quia, quæ multa aquea humiditate abũdant (vt pituita) ex Ariſt. *3. meteor. c. 9.* vri non poſſunt, nec à prædominãte humiditate, albedineque in cõtrarias omnino qualitates poſſe mutari videtur, ergo ſpecies bilis atræ, ſeu melãcholiæ præternaturalis nõ ſunt quatuor.

Tertiò: melancholia petit eſſe frigida, & ſicca: ſed atræ bilis ſpecies, quæ fiunt per putredinem, aut vſtionem, calidæ remanent, vt patet ex Hipp. 4. *aphor.* 22. ex vlceribus, quæ ex illis ſuperuenire ſolent, & ex aliis accidentibus, quæ ſubceſcunt ex illis: ergo non ſunt ſpecies melancholiæ.

§ II.

Pars affirmatiua ſuadetur.

RESoluendum: Quòd quatuor ſpecies melancholiæ præternaturalis ſunt admittendæ, quæ ſunt atræ biles factæ per vſtionem ex omnibus quatuor humoribus. Sic docet Galen *lib. 2. de facult. naturalibus.* Auic. *fen. 1. 1. doct. 4. c. 1.* Nicolus *ſerm. 5. c. 11. & 16.* Santa-Cruz *opuſc. de humoribus c. 34.* Carreirus *in fen. 1. 1. diſp. a 3.* Peramatus *lib de humoribus.* Martinez *lib. 1. tract. 4. q. 8.* Varandæus *lib. phyſiolog. ſect. 4. c. 6.* & alij.

Probatur: tot ſunt ſpecies melancholiæ præternaturalis, ſeu atræ bilis, quot ſunt humores, qui vſtione, aut putredine aduſti poſſunt in atram bilem tranſmutari; ſed omnes quatuor humores aduſti poſſunt tranſmutari in atram bilem: ergo quatuor ſpecies atræ bilis admittendæ. Probatur minor, de ſanguine ex Galen. *lib. 2. de differ. febrium c. 9. & lib de criſibus* 12. vbi ait, quòd ſanguis dum putreſcit, pars tenuis abit in bilem, craſſa in melancholiam; & *lib. de atra bile*, demonſtrat, atram bilem fieri putredine, aut vſtione ex bile, aut melancholia; & de pituita, licèt non doceat idem, quia rarò contingit; demonſtrat ratio, quia ſicut ad carra prunis ſuperpoſita, reſolutis humidis partibus, nigra redditur; ex nimia ſui vſtione, aut putredine intra corpus eandem valet pati alterationem, & tranſmutationem: ergo quatuor ſpecies atræ bilis, ſeu præternaturalis melancholiæ admittendæ.

§. III.

Fit ſatis pro argumentis.

AD 1. reſpondetur: Quòd tenuit melancholia ſua denſitate, & craſſitie reliquorum humorum commixtionem quam non ita tenuit aquoſæ ſubſtantiæ pituita; vel quòd ſoli pituitæ ex admixtione ſuperuenit in varias diuidi ſpecies, quia in ſola illa, quia inſipida, poteſt hæc commixtio cognoſci, quatenus recipit ſaporem humoris, qui commiſcetur, qui in aliis cognoſci non poteſt, quia à propriis ſaporibus obſcuratur, nec ideò cognoſcitur per illum miſcella, ratione cuius poſſent diuidi.

Ad 2. reſpondetur: Tum quòd pars craſſa, & terreſtris ſanguinis ex Gal. eſt, quæ mutatur in melancholiam: tum quòd ex bile ex minori aduſtione fiunt aliæ ſpecies præternaturales bilis, dum ita intenſa, vt igneis, & aëreis, ac aqueis partibus reſolutis, remanent prædominantes terreſtres partes, fit atra bilis, in cuius confinio ſunt cærulea, & iſatica bilis: tum quòd melancholia ſubſtantiæ modum naturalem admittit, remanet tamen eo, qui ſufficit pro præternaturali ſtatu: tum quòd Galenus egit de ſpeciebus atræ bilis, quæ communiter contingunt, & ſubiicuit, quia rara, eam, quæ fit ex pituita: tum quòd humida in ſummo reſiſtunt vſtioni, vt apparet in aqua, quæ non in

in ſummo, qualis reperta in mixtis, reſiſtit: ſed non omninò vſtioni obſtat: ſicut nec quòd pituita ſit alba & humida, quæ licet petat intenſiorem cauſam, vincitur tamen, & tranſit in contrarias qualitates, vt probat reſolut. & conſtat.

Ad 5. reſpondetur: Quòd melancholia naturalis petit eſſe frigida, & ſicca, non tamen præternaturalis, quæ ideò ſunt tales, quia diſcedunt à naturali temperie, & ſubſtantiæ modo: vel quòd licet eſſet frigi- A da atra bilis ratione partium terreſtrium prædominantium, poſſet effectus calidos cauſare propter empyreumata, ſicut videmus in frigido aceto terram fermentante, & in oleo vitrioli ſcaram inducente, contendunt aliqui illas eſſe frigidas partes, ſecundum quas in febribus ardentibus offerunt illius guttulas attemperationis gratia, & eius frigiditatem ſecundum aliquas partes atteſtatur illius aciditas, quæ ex Gal. *l.3. ſimpl.* ex prædominante frigiditate prouenit.

DISPVTATIO VI.

De humani corporis partibus.

PArtes dicuntur, in quas, cùm inſint, totum diuiditur, ex Ariſt. 2. *phyſic.* & diuerſæ ſunt, prout ratio totius multiplex in illo valet reperiri: communiter tamen, quidquid ad illius conſtitutionem, & conſeruationem in B illo requiritur, pars vocatur; & ideò Hip. 6. *epidem. text.7.* corpus humanum diuidit in continentia, contenta, & impetum facientia, ideſt in ſpiritus, humores, & partes ſolidas; propriè tamen continentia, ſeu partes ſolidæ hominem vt talem componunt, ſunt enim in illo vnica ſubſtantiali forma informatæ, & in quibus potētiæ eius reſident, & à quibus eius eliciuntur operationes, & de quibus diſputandum in hoc tractatu.

De his docuerunt plura, Hipp. *lib. de veteri medicina, & lib. de locis in homine*, Gal. *lib. 6. de placitis, lib. 1. method. c. 1. & 6. lib. de inæquali intemperie, lib. 1. de locis affectis, & in lib. de vſu partium.* quem ibi ſequuntur Anatomici omnes, *& in arte parua*, in cuius commentariis plura de partibus, Argenterius, Vega, Santorius, Odis de Odi, Saluus Sclanius, & *sel.* qui commentatores; plura docuit ſimiliter Ariſtoteles *in lib. de partibus animal. præcipuè in lib. 2.* Auer. *lib. 1. collige*, Auic. *fen. 1. 1. doctr. 5.* quem ſequuntur Gentilis, Iacobus de Partibus, Iacobus de Forliuio, Gratiolus, Thomas de Garbo *in ſumm. lib. 1. tractat. 4.* Conciliator *à differ. 38. vſque ad 47.* Ex modernioribus Valleriola *lib. de locis communibus c. 12.* Vall. *lib. 2. controuerſ.* Petrus Garc. *in fen. 1. 1. à diſp. 26. vſque ad 32.* Andreas Laurentius *lib. 1. artis anatomicæ*, Martinez *lib. 8. tract. 2.* Fontanus *lib. 6. phyſiolog.* Sennertus *lib. 1. inſtit. c. 7.* Varandæus *lib. 1. phyſiolog. ſect. 3.* Fernelius *lib. 1. phyſiolog.* Mercatus *tom. 1. p. 4.* Duncanus *lib. 1. phyſiolog. c. 3.* Santa-Cruz *in fen. 1. 1. opuſc. 10.* Godofredus *lib. 1. c. 6. & 7.* Leonardus Fuchſius *lib. 1. inſtit. ſect. 5.* Ioannes Baptiſta Cortes *decade 2. c. 1. & decade 4. cap. 5.* Corella *lib. 1. Enchiridion. c. 5.*

SECTIO PRIMA.

De partium natura & numerò.

PArs, particula, locus, ſedes, & membrum, apud Gal. *lib. 1. method. c. 5. & 6. & lib. 1. de locis affectis*, idem ſunt. Ariſtot. autem partem cum membro non confundit, ſed quid ſuperius iudicat illam ad membrum, & ad partem, & in hac acceptione procedit de illa diſputatio.

RESOLVTIO I.

Verùm dentur in corpore humano partes ſubſtantialiter diuerſæ.

§. I.

Pars affirmatiua ſuadetur.

PArtem affirmatiuam contendunt ſuadere Antonius Andreas *7. metaph. quæſt. 17.* Xuares *tom. 2. ſua* C *Theologia tract. 3. capit. 2.* Paulus Venetus *de anima cap. 5.* Rubius *lib. 2. de anima cap. 3. quæſt. 7.* Petrus Garc. *in fen. 1. 1. diſp. 16. capit. 2.* Commentator *lib. 6. phyſic.* Valleſ. *lib. de ſacra philoſophia capit. 4.* Quorum alij diuerſas animas, ſeu formas ſaltem partiales ſpecie diſtinctas in partibus diuerſis organicis reperiri contendunt, & ab illis partes ſpecie diuerſas effici. Alij verò vnicam in corpore admittentes animam, eam diuerſa organa diuerſo modo ſubſtantialiter informare iudicant, quia diuerſas habet perfectiones indiuiduales, & ideò informat organa perfectione ſubſtantiali indiuiduali diuerſa.

Primò: ſuaderi poteſt ex D. Thoma *quæſt. de ſpiri-* D *tualibus creaturis, art. 4. ad 14.* dicit enim: *Caro mea cum carne tua magis conuenit ſecundum rationem ſpeciei, quàm caro mea cum oſſe meo*, & *quæſt. de anima articulo 9. ad 14.* dicit: *Licèt anima ſit vna forma ſimplex ſecundum eſſentiam, eſt tamen multiplex virtute*: & paucis interpoſitis concludit: *Et ideò oportet, quod licèt anima ſit vna forma, partes corporis diuerſimodè perficiantur ab ipſa, & vnaquæque ſecundum quod competit eius operationi, &c.*

Secundò: modus eſſendi, quem habet anima in corpore, eſt diuerſus ab eo, quem habet in corde, ſplene, & ſic de aliis: ergo ſecundùm diuerſam rationem eſt in E illis diuerſis partibus, qui diuerſus modus, cùm ſit modus ſubſtantialiter informandi, conſequenter partes ſic informatæ erunt ſubſtantialiter diuerſæ.

Tertiò: viuentia differunt à non viuentibus penes hoc, quòd forma viuentium eſt actus corporis phyſici organici; forma non viuens non petit diuerſitatem partium, quas informat: ergo anima ſecundum diuerſam rationem ſubſtantialiter petit eſſe in diuerſis partibus; non enim anima partes ſibi diuerſas informaret, quin diuerſum illum modum ſubſtantialem poſſet illis tribuere.

Quartò: præcipuè in homine id manifeſtè conſtat, nam anima rationalis non tribuit cuicumq; corporis

parti eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum; os enim vegetatiuum eſt, & non ſenſitiuum; manus organum eſt vegetatiuum, & ſenſitiuum, ſed non intellectiuum, cerebrum eſt vegetatiuum, & ſenſitiuum, & intellectiuum: ergo anima ſecundùm diuerſam rationem ſubſtantialiter eſt diuerſo modo in diuerſis partibus organicis corporis.

§. II.

Accidentali diſtingui diuiſione partes decernimus.

RESoluendum: Quòd diuerſæ corporis noſtri partes ſunt inter ſe diſtinctæ ſola accidentali perfectione, & quòd neque aliunde prouenit in illis heterogeneitas. Sic tenet D. Thom. 1. *p.* q. 70. *art.* 9. quem ſequuntur Herbeus *tract. de vnitate formarum*, Capreol. *in* 2. *diſt.* 15. *q.* 1. *ad* 6. Caietan. *lib.* 2. *de anima q.* 1. Fonſeca 10. *metaphyſica c.* 17. Soncinas 8. *metaph. quæſt.* 10. Conimbricenſes 1. *de generation. c.* 22. Collegium Diſcalceatorum *lib. de anima diſp.* 6. *q.* 2. Mercatus *p.* 4. *de partibus claſſe* 1. *art.* 7. Nicolaus Florentinus *tract. de membris in generali c.* 18. & alij.

Probatur 1. Ex D. Thom. 1. *p.* q. 76. *art.* 5. *ad* 3. dicente: *Partes animalis, vt oculus, caro, manus, os, & huiuſmodi non ſunt in ſpecie, ſed totum. & ideò non poteſt dici propriè loquendo, quòd ſint diuerſarum ſpecierum, ſed quod ſint diuerſarum diſpoſitionum:* & art. 8. ſequenti in ſolutione ad 8. dicit: *Vna pars corporis dicitur principalior, quam alia, propter potentias diuerſas, quarum ſunt organa partes corporis, quæ enim principalioris potentiæ organum eſt principaliter pars corporis, vel quæ etiam eidem potentiæ principalius deſeruit, &c.*

Probatur 2. Repugnat aliquid eſſe ſub determinato genere, & non determinari ſub illo ad aliquam certam, & determinatam ſpeciem atomam: ſed partes heterogeneæ viuentis ſunt ſub viuentis genere: ergo debent poni determinatè ſub aliqua ſpecie atoma contenta ſub illo, tunc ſic ad ſpeciem hominis determinantur partes quæ ſunt in homine per animam rationalem, quæ formaliter communicat materiæ, in qua inhæret, eſſe intellectiuum, ſenſitiuum, & vegetatiuum: ergo in quacumque parte hæc omnia repetiuntur.

Probatur 3. Diuerſitas ſubſtantialis in partibus organicis, vel prouenit ex parte materiæ primæ, vel ex parte formæ ſubſtantialis; non ex parte materiæ primæ, in qua ſolùm reperitur diuerſitas partium materialium, quæ accidentalis eſt. Ex parte formæ, non; quia cùm formaliter contineat formas inferiores, communicat materiæ earum eſſe formarum, communicando quas formaliter continet: ergo in illis ſolùm eſt diuerſitas accidentalis. Secunda pars antecedentis patet, quia effectus formalis formæ eſt ipſa forma vt communicata: ergo effectus formalis formæ formaliter continentis vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum eſt ipſa forma communicata, vt vegetatiua, ſenſitiua, & vt intellectiua: ergo eo ipſo quòd anima formaliter contineat alias, dat illarum eſſe in quacumque parte, quam actu informat.

§. III.

Argumentis primò propoſitis fit ſatis.

AD 1. reſpondetur D. Thom. tantùm loquutum eſſe de maiori conuenientia in perfectione ſpecifica accidentali, non de ſubſtantiali: & in loco ſecundo tantùm intendit, quòd anima partes corporis diuerſimodè perficiat perfectione accidentali, vt Complutenſe Diſcalceatorum Collegium doctiſſimè tenet loco citato pro reſolutione.

Ad 2. diſtinguo antecedens: Eſſendi modus, quem habet anima in toto corpore, eſt diſtinctus ab eo, quem habet in corde, & aliis partibus, diſtinctione eſſentiali, nego: diſtinctione accidentali, concedo antecedens. Licèt enim anima ſubſtantialiter eodem modo omnes informet partes, quia diuerſa eſt accidentalis perfectio in hac, ac in illa parte; in hac ſentit, cum illa motum elicit localem, in alia ſanguinem, & in alia chylum producit.

Ad 3. negatur conſequentia: Quia anima ſolùm petit eam partium diuerſitatem, cum qua poſſit per diuerſas potentias diuerſas elicere operationes, cùm modo heterogeneo petat operari, & non cum determinatione ad vnum, ſicut formæ non viuentes; ad hanc autem diuerſitatem ſufficit accidentalis diuerſitas partium, quas informat.

Ad 4. reſpondetur: Quòd anima rationalis omnes partes, quas informat, ſubſtantialiter informat ſecundum eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum; non tamen in quacumque parte horum omnium elicit operationes, quia deficit in illa parte perfectio accidentalis requiſita, vt operetur per potentias omnium: ad hoc enim, vt potentia prorumpat in actum, non ſufficit eſſe ſubſtantiali gradu animam actu in parte, ſed quòd ſit, in illa pro potentiis ſenſitiuis organum, in quo vna pars ſimilaris ſit, in qua inhæreat potentia, quæ elicit actionem, & quòd ſine aliæ partes, quæ ſimul vſum præſtent ad illam actionem.

RESOLVTIO II.

Quid ſit Pars?

§. I.

Nulli partis diffinitioni videtur acquieſcendum.

PArtem nulla rectè poſſe circumſcribi diffinitione, ſuadet primò varietas diffinitionum ex antiquis deſumptarum nullo modo inter ſe cohærentium. Auicenna enim *fen.* 1. 1. *doct.* 5. *cap.* 1. partem diffinit Corpus ex prima humorum commixtione genitum. Galen. *lib.* 1. *method. cap.* 5. *& lib. de elementis c.* 6. partem dicit eſſe, Quidquid totum complet, & integrat: ſeu quidquid ad humani corporis conſtitutionem facit, *lib. verò* 1. *de vſu partium.* Quòd eſt Corpus, quod neque vndequaque circumſcriptionem habet propriam, neque vndequaque coniunctum eſt aliis. Petrus Aponenſis, cui Valleriola adhæret *lib.* 2. *de locis communib. cap.* 12. dicit eſſe, Corpus ſolidum, ſpiſſum, ex humiditatibus genitum, naturæ viribus inſignitum. Fernelius verò *lib.* 1. *phyſiolog. cap.* 1. diffinit partem, quòd ſit, Corpus toti cohærens, communique vita coniunctum, ad illius functionem vſúmve comparatum: ergo hæc diffinitionum diuiſio demonſtrat nullum adæquatè illam definiuiſſe.

Secundò: nullum æquiuocum vnica valet diffinitione explicari: ſed pars reſpectu partium, quæ in homine ſunt, eſt æquiuocum: ergo pars diffiniri non poteſt. Probatur minor, tot partes ſunt in homine, quot poſſunt diuidere quamcumque totius rationem in homine repertam: ſed ratio totius in homine multiplex eſt, eſt enim totum phyſicum, diuiſibile in materiam, & formam; totum mixtum diuiſibile in

partes

partes elementorum, ex quibus fit; eſt totum viuens redintegratum ex omnibus partibus, quæ ad viuentis eſſe, & conſeruationem pertinent, & ſic diuiſibile ex Hipp. 6. *epidem comm.* 7. in continentia, contenta, & impetum facientia; eſt totum ſubſtantiale viuens adintegratum ex ſimilaribus, & organicis partibus viuentibus: ergo pars reſpectu harum omnium partium in homine repertarum, æquiuocum eſt.

Tertiò: pars, & membrum ſunt membra diuidentia reſpectu eorum, ex quibus corpus humanum componitur: ergo pars non eſt primò diffinienda, quàm diffiniatur id, quod eſt ad vtrumque ſuperius.

§. II.

Diffinitionem eligimus.

B Eſoluendum: Quòd pars viuentis, vt tale, eſt: *Corpus toti cohærens, communi vita coniunctum, ad illius functiones, vſum're comparatum.* Hanc diffinitionem tradidit Fernelius *lib.* 1. *phyſiolog. c.* 1. quam ab illo receperunt Mercatus *tom.* 1. *p.* 4. *claſ.* 1. *q.* 99. *art.* 9. Andr. Laurent. *lib.* 1. *anatomes q.* .Varand. *lib.* 1. *phyſiolog. tr. de partib. humani corporis ſect.* 3. *c.* 1. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog. c.* 3. Fontanus *lib.* 6. *phyſiolog. c.* 1.

Probatur. 1. Medicus agit de partibus humani corporis, prout ſanitati, & morbo eſt obnoxium, & vt tale ſit medicinæ obiectum: ergo illa diffinitio partis aptior eſt, quæ illius partes vt ſic melius diffinit: ſed diffinitio ex Fernelio eſt huiuſmodi: ergo hæc eſt reliquis anteponenda. Probatur minor, partes corporis illud conſtituentes vt morbo, & ſanitati obnoxium, C ſunt, in quibus facultates viuentis inſident, quæ actiones edunt, & ob eas ſunt constructæ: ſed huiuſmodi partes non alia, quàm adducta diffinitio, explicat: ergo eſt aptior pro diffiniendis partibus, ex quibus componitur corpus, quod eſt medicinæ obiectum.

Dices: ex adductis primò diffinitionibus aliquas ſufficere ad has partes diffiniendas.

Contra: Auicennæ, & Aponenſis diffinitiones organicæ parti adaptari non poſſunt, quia non immediatè fiunt niſi ex aliis partibus. Diffinitiones quæ ex Gal. adducuntur, non ſolùm corporis viuentis partes diffiniunt, ex quibus viuentis actiones prodeunt, & D quibus morbus, aut ſanitas ſuperuenit, ſed quaſcumque alias non viuentes: ergo definitio à Fernelio adducta, quæ partis viuentis naturam explicat, eſt admittenda.

Secundo: illæ partes præcipuè ſunt definiendæ à Medico, quæ hominem, vt homo eſt, componunt: ſed tales ſunt quæ rationali forma informatæ ſuarũ actionum ſunt inſtrumenta: ergo diffinitio, quæ ex Fernelio adducitur, quæ harum naturam explicat, eſt admittẽda.

§. III.

Solutiones rationibus dubitandi adducuntur.

AD 1. dicimus antiquiores non exquiſitiſſimè elaboraſſe partis diffinitionem: ſed illorum pleriqué intendentes illius deſcriptionem aliquam proponere, aliqui ex materia, alij ex forma, alij ex fine ipſam deſumpſerunt: Fernelius verò exquiſitiſſimè ex omni cauſarum genere ipſam compleuit diffinitionẽ.

Ad 2. diſtinguo minorem: Pars reſpectu partium, quæ in homine ſunt, eſt æquiuocum, ſi ſumatur abſolutè, vt abſtrahit ab omnibus, concedo: ſi intendatur diffiniri determinatè, vt eſt pars adintegrans viuens, vt anima informatum, nego minorem. Cùm enim in hac acceptione intendatur eius diffinitio, propriiſſimè diffiniri poteſt.

A Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt Galen. aliquandò partem, & membrum pro eodem vſurpet, pars tamen genus eſt ad partem, quæ ſimilares, & ad membrum quod organicas comprehendit partes.

Resolvtio III.

Vtrùm partis diuiſio in ſimilarem, & diſſimilarem ſit adæquata?

§. I.

B *Pars ſuadetur negatiua.*

PArs negatiua ſuaderi videtur primò: Membra diuidentia debent exhaurire totam diuiſi latitudinem: ſed præter ſimilares, & diſſimilares partes ſunt aliæ plures in corpore humano: ergo diminuta eſt diuiſio. Probatur minor: partes, quæ in corpore humano repeciuntur, aliæ ſunt principales, aliæ eis inſeruientes, aliæ actionem præſtant, aliæ ſolùm ad illam commoditatem, aliæ principes, quædam ex principalibus ortæ, quædam propriis operantes virtutibus, quædam ipſas ab aliis participantes, quædam inſeruientes naturali potentiæ, quædam animali, quædam vitali: ergo præter ſimilares, & organicas, ſunt plures partes in corpore humano.

C Secundò: partes ſimilares dicuntur, quæ nullam ex aliis partibus compoſitionem habent: ſed nullæ ſunt huiuſmodi partes in corpore: ergo diuiſio non eſt adæquata. Probatur minor, ſi aliquæ eſſent partes ſimilares in corpore humano, maximè os, cartilago, ligamentum, membrana, tendo, neruus, ſub quo ſpinalis medulla, arteria, vena, caro ſub qua ſunt glandulæ, parenchymata, & muſculoſa ſubſtantia, & tandem cutis, ex his partibus, quæ anima informantur; ex eis verò quæ non viuunt, pili, vngues, adeps oſſium medulla, ſpiritus, & humores. Sed omnes hæ partes ex aliis compoſitionem habẽt; Galen. enim *lib.* 1. *de elementis c.* 8. dicit: Quòd humores fiunt ex alimẽtis, alimẽta ex elementis, & *lib.* 1. *de ſemine*, dicit:

D Quòd omnes corporis partes fiunt ex ſanguine, & ſemine: ergo nullæ ſunt partes in corpore humano, quæ non fiant ex aliis, & ſint compoſitæ ex illis.

Tertiò: membra diuidentia debent eſſe oppoſita; ſed partes ſimilares & organicæ eædem ſunt: ergo pars non poteſt diuidi in partes ſimilares, & diſſimilares. Probatur minor ex Galen. qui neruos, venas, & arterias vocat diſſimilares *lib. de inæquali intemperie*. plerumque verò eaſdem partes ſimilares vocauit: ergo eædem partes ſunt ſimilares, & organicæ.

§. II.

Affirmatiua pars eligitur, & ſuadetur.

E REſoluendum affirmatiuè. Sic tenet Galen. *lib. de differ. morbor. c.* 3. & 1. *method. cap.* 6. & 8. *de placitis c.* 4. Tenet Auicen. *fen.* 1. 1 *doct.* 5. quem ſequuntur ibi omnes ſui Commentatores, Tenet Ariſt. 2. *de partib. animal. cap.* 2. *lib.* 1. *de hiſtoria animal. cap.* 1. Et ex modernioribus Mercatus *tom.* 1. *part.* 4. *claſ.* 1. *q.* 99. *art.* 5. Valleriola *lib. de locis communibus c.* 12. Andreas Laurentius *lib* 1. *hiſtoriæ anatomicæ q.* 5. Varãdæus *lib. phyſiolog. tract. de partibus humani corporis ſect.* 3. *c.* 2. Corella *lib.* 1. *Enchirid. c.* 5. Martinez *lib.* 1 *tr.* 2. *q.* 1. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog. c.* 3. Fontanus *vniuerſæ artis medicæ p.* 1. *lib.* 6. *c.* 1. Valles *lib.* 2. *controuerſ. c.* 1. Auerr. 1. *collig.*

Probatur

Probatur: Omnis pars intra corpus diuiſibilis, vel partitur in partes eiuſdem rationis cum ſe ipſa, vel in partes quæ diuerſam denominationem, ac nomen retinent: ſed illa eſt ſimilaris, & hæc diſſimilaris: ergo adæquata eſt diuiſio partis in ſimilarem, & diſſimilarem.

§. III.

Reſpondetur argumentis.

AD 1. negatur minor: Quia omnes corporis partes quacumque alia denominatione denominentur, omnes ſunt aut ſimilares, aut diſſimilares, reliquæ verò ſunt accidentales partium differentiæ, quæ alicui harum superueniunt parti.

Ad 2. reſpondetur cum Andrea Laurentio: Quòd partes ſimilares dicuntur ſimplices, quia ex aliis diuerſis partibus non componuntur, etiamſi ex diuerſis fiant principiis: ſic elementa ſimplicia dicuntur ab Ariſtotel. etiam ſi fiant ex materia, & forma, quia ex aliis non componuntur elementis, ſicut mixtum.

Ad 3. reſpondetur ab Argenterio: Quòd neruus, vena, & arteria ratione formæ ſunt diſſimilares; ratione materiæ, ſimilares.

Sed rectè impugnatur ab Andrea Laurentio demonſtrante cum Galen. *lib. de placitis, & lib. de vſu partium.* has partes eſſe diſſimilares ratione materiæ, neruus enim intrà medulloſus, extrà mollis eſt.

C Reſpondet Andreas Laurentius, Vatandæus, Petrus Garcia cum Nicolo Florentino *tract. de membris*: Quòd membrum poteſt dici compoſitum, vel ſenſibiliter, vt pes, & manus, vel inſenſibiliter, vt vena, arteria, & neruus, quæ licèt ſint compoſita, ſolent inter partes ſimilares poni, quia quoad ſenſum ſimilares apparent.

Contra: ad ſenſum etiam apparet diſſimilaris neruus, cùm ad extra ſit mollis, & ad intra medulloſa eius percipiatur ſubſtantia, & in venis percipiantur villi, & membranoſa ſubſtantia: ergo neque quoad ſenſum ſunt ſimilares.

D Reſpondetur has partes diſſimilares eſſe; dici tamen ſimilares à Galen. quia non componuntur ex aliqua ſubſtantia communi pro aliarum partiũ compoſitione.

Contra: pars medulloſa, quæ eſt pars interna componens neruum, non eſt propria neruo, ſed communis etiam cerebro.

Reſpondetur: Quòd cerebrum, & ſpinalis medulla, & pars interna nerui vna ſubſtantia ſunt, & ab omni alia diuerſa.

Resolvtio IV.

Quid ſit pars ſimilaris, quid diſſimilaris?

§. I.

Reſolutio proponitur.

E RESoluendum: Quòd *pars ſimilaris* eſt illa, cuius quamcumque ſeparaueris partem, nomen, & diffinitionem retinet cum ea, ex qua ſeparatur. *Diſſimilaris* verò eſt, cuius partes, nec nomen, nec diffinitionem, ſi ſeparantur, retinent cum ea, ex qua ſeparantur. Sic diffinit Auic. *fen.* 1. *doct.* 5. *cap.* 1. quem ſequuntur Gentilis, vterque Iacobus, Nicolus, & reliqui Commentatores, & fere omnes Authores citati pro antecedenti reſolutione.

Huic fauet diffiniendi modo Galen. *lib.* 1. *method.* c. 6. dicens: Humœomeria, id eſt ſimilaris pars eſt, ſicut A ipſum clare indicat nomen, quæ vndique in ſimiles particulas ſcilicet diuiditur. Et *lib.* 8. *de placitis.* dicit: Corpora quæ vna circumſcriptione clauduntur, interdùm ſimilaria, eò quòd omnes partes; tum ſibi mutuo, tum toti ſimiles habeant, interdum ſimplicia & prima nuncupantur. Et *lib.* 1. *de elementis c.* 8. dicit: Quarum vniuerſæ particulæ eandem omninò formam, & temperiem retinent. Similiter Ariſt. *lib.* 2. *de partibus animalium c.* 9. dicit: Sed quòd partes eorum idem cùm totius nomen ſortiantur, propterea inter ſimilares in hoc lib. annumerata ſunt. Et *lib.* 4. *meteor. cap.* 4. dicit: *Cùm autem hæc diffinita iam ſunt, ſigillatim dicamus quid ſit caro, aut os, vel aliorum, quæ ſimplicia ſunt, vnumquodque habemus iam eorum, ex quibus ſimplicium natura conſtat, genera, & cuius* B *vnumquodque generis ſit per generationem. nam ex elementis ſimplicia, ex his verò aut materia omnia naturæ opera, ſunt verò omnia, vt ex materia ex dictis, vt autem ſecundùm ſubſtantiam, ratione ſemper autem magis manifeſtum in potentioribus, ſed pars ſimilaris dicitur ipſi toti parti, &c.* Et adhæret Auerr. 1. *collig.* has ſimiliter diffiniens partes, vt de parte diſſimilari Galen. dicit *lib.* 6. *method. cap* 6. *Voco autem, & nomen ipſum indicat, quod ex diſſimilibus partibus eſt compoſitum.*

Resolvtio V.

C Verùm tam ſimilaris, quàm diſſimilaris pars poſſit dici organica, ſeu inſtrumentaria.

§. I.

Negatiuæ partis fundamenta proponuntur.

PArtem negatiuam contendunt plerique ſuadere, in illam enim incidere viſi ſunt Gal. & Ariſt. qui indiſcriminatim partem diſſimilarem pro organica, & è contra deſumunt. Ariſt. enim *lib.* 1. *de hiſtoria animalium.* D inſtrumentarias partes compoſitas eſſe affirmat: & ex Galen. *lib.* 1. *de elementis* deducitur, quòd pars organica eſt, quæ ex ſimilaribus compoſita à natura eſt facta ad vnam certam, ab aliis diſtinctam, operationem: ergo ſoli diſſimilari parti conuenit, quòd ſit organica, aut inſtrumentaria.

Secundò: pars inſtrumentaria, ſeu organica differt à ſimilari, quia non ſolùm propriam ſibi temperiem petit, ſicut illa, ſed propriam ſiguram conformationem, & ſtructuram ſeruat: ſed hoc accidit illi ex varia ſimilarium compoſitione: ergo ſolùm in diſſimilari id valet contingere.

Tertiò: ex Galen. *lib. de different. morborum.* tria ſunt genera morborum, vnum in intemperie proprium parti ſimilari; aliud in mala compoſitione proprium E parti organicæ, ſeu diſſimilari; aliud in ſoluta vnitate tam ſimilari, quàm diſſimilari parti commune: ſed ſi ratio inſtrumenti, ſeu organi poſſet tam parti ſimilari, quàm diſſimilari competere, etiam morbus in mala compoſitione eſſet vtrique communis, ſicut morbus in ſoluta vnitate: ergo ſoli parti diſſimilari id competere, aſſerendum.

§. II.

Quid tenendum reſoluitur.

REſoluendum affirmatiuè: Tenet Fernelius *lib.* 2. *partis naturalis capit.* 1. quem ſequuntur Argenterius

Argenterius *lib. artis medicinalis*, Andreas Laurentius *lib.1. hiſtoria anatomica q 6.* Varandæus *lib. phyſiolog. tractat. de partibus c.3.* Mercatus *tom. 1. tract. de partibus art. 4.*

Probatur rationibus ex his Authoribus deſumptis.

Prima deducitur, ex Galen. *lib.3. de facultatibus naturalibus cap.11.* dicente; Quædam eſſe instrumenta, quæ vnica conſtant tunica, vt vterus, & veſica: & Ariſt. *lib.2. de partibus animalium cap.1:* dicit Partem eſſe organicam propter ſuæ figuræ formam: & ſuperaddit: *Diſſimilares conſtare ex ſimilaribus poſſunt; tum pluribus, tum ſingulis, vt viſcera nonnulla: conſtant enim ferè omnia multiformi figura, quæ ex corpore ſimilari condita habentur, &c.* Et *eodem cap.* dixerat, Cor propter ſuæ figuræ formam eſſe partem organicam: ergo pars ſimilaris ratione formæ poteſt dici organica.

Probatur 2. Pars organica eſt quæ ſibi propriam, & determinatam, vniuerſo vero corpori communem præſtat actionem, ſiue ex pluribus, ſiue ex partibus ſimilaribus fiat. Pars ſimilaris eſt quæ præſtat actionem communem, ſicut coctionem caro, & os, & quælibet particula corporis præſtat: ſed parti ſimilari, & parti diſſimilari contingere poteſt, quòd non ſolùm communem, ſed ſibi propriam eliciat operationem, vt vtero, & veſicæ: ergo, & quòd ſit pars organica.

Probatur 3. Ratio figuræ, ſeu conformationis non includit neceſſariò diuerſitatem materiæ, poteſt enim in vna, & eadem particula ſubſiſtere, & à natura fieri: ergo tam ſimilari, quàm diſſimilari parti eſt commune, quòd ſit organica. Probatur antecedens; idem poteſt contingere, & fieri à natura, quod contingit in eis, quæ fiunt ab arte: ſed ab arte ex vna materia vniformi, auro, argento, ligno, aut ære conformatur vnum ens organicum, & propriâ gaudens figurâ: ergo ratio figuræ non petit materiæ diuerſitatem.

Dices: quòd ſi inſtrumentum poſſet fieri ex vna ſimilari parte, fruſtra eſſet in parte diſſimilari compoſitio plurium partium ſimilarium diuerſarum, ex quibus organica fiat.

Reſpondetur: Quòd, vt pars dicatur abſolutè organica, vna ſola ſufficit pars, ſi ex illa corporis particula debitam, & propriam nanciſcatur figuram: tunc enim fit pars organica non ratione materiæ, ſed ratione formæ, & in huiuſmodi parte organica tantùm requiritur debita conformatio, & iuſta magnitudo, ſicut eſſet in vaſe, quod in artificialibus fit ex auro, vel argento: at verò, vt organum maiori gaudeat perfectione, & poſſit in perfectiores vſus comparari, ex pluribus petit comparari particulis, & non ſolùm requirit debitam conformationem, ſeu figuram, & iuſtam magnitudinem, ſed connexionem inter illas, vt patet in manu, vel crure; & in artificiatis in domo, vel turri.

§. III.

Authoritati, & rationibus ſatisfit.

AD 1. reſpondetur: Quòd Gal. & Ariſt. partem diſſimilarem, organicam, ſeu inſtrumentariam vocant, quia ſemper diſſimilaris eſt organica, & inſtrumentum, non tamen quæ ſimilaris eſt, & ideò de illa, dum de organica loquuntur, deducunt exemplum non tamen negant, quòd ſimilaris ratione formæ poſſit ſimiliter dici organica, ſiue inſtrumentum pro aliqua actione.

Ad 2. diſtinguo minorem: Hoc accidit ex varia ſimilarium compoſitione, varietate ſubſtantiæ, nego; varietate compoſitionis, concedo minorem. Vt enim conſtat ex dictis, ſufficit, vt pars inſtrumentaria dicatur, quòd figuram ſeruet propriam, ab aliis diſtinctam, etiamſi ex variarum partium compoſitione eam acquirat.

Ad 3. reſpondetur: Quòd morbus qui superuenit parti ſimilari, vel ſuperuenit illi, vt ſimilaris eſt, & talis eſt morbus in intemperie, & proprius partibus ſimilaribus; vel ſuperuenit in illa, vt organica eſt, & talis eſt morbus in mala compoſitione illam vitians, vt inſtrumentum eſt, & ille eſt proprius partibus organicis: aliud eſt enim, quòd morbus ſit proprius parti organicæ, aliud quòd ſit proprius parti diſſimilari.

Resolvtio VI.

Vtrùm viuentis actiones eliciantur à partibus ſimilaribus, an verò ab organicis?

§. I.

Parti organicæ aliquas actiones tribuit Argenterius.

PArtes ſimilares elicere actiones gradus vegetatiui, gradus verò ſenſitiui actiones à partibus organicis, non autem à ſimilaribus produci contendit Argenterius *lib. artis medicinalis.* Quam ſententiam intendit probare primò ex Gal. *lib. de ſanguinis miſſione cap.4.* dicente, Primarias actiones à ſimilaribus partibus effici, ſecundarias verò ab inſtrumentis: & *lib.1. method c.6.* dicit: *Inſtrumentum voco animalis partem, quæ perfectam actionem edere poteſt, veluti oculus viſionem.* Et Ariſt. *lib.2. de partibus animal. c.1.* dicit: *Conſtant enim animalia ex vtroque membrorum genere, verùm ſi meliora diſſimilarium gratia habentur. Illorum enim officia ſunt actiones, & oculi, &c.* Et aliis in locis Gal. & Ariſt. in idem conſpirant: ergo ſaltem animales actiones ab organicis tantùm fiunt partibus.

Secundò, partes omnes ſimilares, in quacumque parte corporis ſint, eaſdem valent producere ſemper actiones, ſi ſimiles ſint, cum eundem ſubſtantiæ modum, & temperiem obtineant: ſed gradus ſenſitiui actiones vni determinatæ parti organicæ tribuuntur, vt oculis videre, auribus audire: ergo partibus ſimilaribus non poſſunt tribui actiones gradus ſenſitiui, ſed ſolùm vegetatiui, quæ communes debent eſſe omnibus partibus.

Tertiò: quia, vt contendunt alij, etiam ſi actiones ſentiendi ſub gradu ſenſitiuo petat fieri à partibus ſimilaribus, tamen motus locales ab organicis fieri conſtat ex Ariſt. *2. de partibus animal. c.1.* vbi ſimilares partes ſentiendi actiones, inſtrumentales verò motus locales efficere contendit: ergo ſaltem actiones gradus ſenſitiui fiunt à partibus organicis.

§. II.

Omnem actionem à ſimilari parte determinatur effici, ex Gal. Laurentio, Duncano & aliis.

REſoluendum tamen, non ſolùm gradus vegetatiui actiones elici à partibus ſimilaribus; ſed ſenſitiui gradus omnes actiones efficienter elici à determinata ſimilari particula organi perfectiuè reliquis ipſum adintegrantibus. Sic docet Galen. *lib. 2. de differentiis morb. c.6. lib 2. method. cap.6. & 10. l.7. method. cap.2. lib.6. de locis affectis cap.3. lib de optima corporis conſtitutione capite 2. & 5.* Tenet Andreas Laurentius *lib.1. anatomia q.6.* Duncanus *lib.1. phyſiolog. capit.8.*

Varag

Varandæus *lib. 1. phyſiolog. tractat. de partibus humani corporis c. 3.* Petrus Garc. *in fen. 1. 1. diſp. 18. c. 1.* Mercatus *lib. 1. tract. 2. q. 1.* Corteſius *decad. 2. c. 1.*

Probatur hæc Medicorum communis conſenſus ex Gal. *locis nuper citatis,* præcipuè ex illo *2. method. c. 10. §. proximus ſimilaribus partibus occurret, à quibus omnes animantium actiones fiunt, &c.* Et eo *c. 6. §. quippe à ſimilaribus functiones edi, eo quòd eſſe cuiuſque inſtrumenti vnam tantum ſimilarem, reliquas verò, quæ cum hac quodvis inſtrumentum perficiunt, eas vſus alicuius gratia illius, quæ prima erat actionis cauſa factas eſſe, &c.*

Probatur 2. Principaliter, & per ſe efficienter ab illa particula fit organi actio, in qua reſidet animalis facultas: ſed hæc non in qualibet organi parte, ſed in vna determinata, cui in illo organo non eſt ſimilis alia: ergo ab illa per ſe primò efficienter fit animalis actio. Probatur minor, quia ideò requiritur heterogeneitas, & partium componentium diuerſitas in viuente, quia anima indifferens ad plurium potentiarum productionem, debet determinari ad hanc potius, quàm ad illam potentiam producendam ex tali determinato ſubſtantiæ modo proprio, & coaptato pro efficientia actionis talis potentiæ: ſed vnus ſubſtantiæ modus proprius, & determinatus pro efficientia operationum determinatæ potentiæ ſenſitiuæ, nec in pluribus eiuſdem corporis partibus, nec in diuerſis partibus eiuſdem organi potuit eſſe communis: ergo in vnica illius determinata particula poteſt tantùm reſultare facultas.

Probatur 3. vltima pars reſolutionis, quòd ſcilicet reliquæ componentes particulæ ad actionem concurrunt, quatenus præſtant vſum, ſeu commoditatem; Quàcumque ex reliquis particulis morbosè læsâ, læditur actio, vt ex Galen. conſtat *lib. 1. de locis affectis c. 2. & 3.* & *ex lib. de differ. morb.* manifeſtè colligitur: ergo manifeſtum eſt aliquo modo has particulas concurrere ad elicientiam inſtrumentalium actionum.

Dices: facultas reſidet in determinata particula: ergo nihil actionis elicitur ab aliis, in quibus ipſa non inhæret.

Reſpondetur: Verum id eſſe quoad eſſentiam, non verò quoad vſum, & commoditatem requiſitam ad illam; habet enim ſe particula, in qua inhæret facultas, ſicut artifex, ad cuius miniſterium plures requiruntur miniſtri, à quo licèt ſolo poſſit perfici ſua operatio, quia ad ipſum peragendum reliqui ignari ſunt; omnes tamen ad efficiendum artificatum ſunt neceſſarij, & dicuntur concurrere, quia in ſuo miniſterio vſum, & commoditatem præſtat quilibet, ſine quibus artifex operari non poſſet.

§. III.

Pro argumentis ſolutiones afferuntur.

AD 1. Ariſt. & Galenum fatemur actiones aliquas tribuere organicæ parti, non quoad elicientiam principalem, ſed quatenus vſum præſtant ad earum efficientiam, ſeu commoditatem, vt fiant ab aliqua ſimilari particula illas componente.

Ad 2. reſpondetur: Quod particula ſimilaris, cui per ſe primò tribuitur actio in quouis organo, talis eſt, vt non ſit alia ſimilis in corpore, etſi alia eſt ſimilis in ſimili organo, & ordinata in eumdem finem, & ideò eodem modo operari fatemur.

Ad 3. reſpondetur: Quòd tam ſenſatio, quàm motus localis fiunt à particula ſimilari, ſed motum localem contendit fieri Ariſt. à parte compoſita ex duobus particulis eiuſdem rationis ſcilicet à duobus muſculis, qui præcipuè requiruntur in parte inſtrumentaria, quæ diuerſos motus locales efficit, vt in crure, alter enim muſculus trahit, alter dilatat.

Resolvtio VII.

Vtrùm pars ſimilaris ſua temperie concurrat ad operandum?

§. I.

Reſoluitur controuerſia ex doctrina D. Thomæ.

REſoluendum cum D. Thom. *1. p. q. 78. art. 1. in corpore:* Quòd ad actiones vegetatiui gradus actiuè ſe habet partis ſimilaris temperies. Verba Angelici Præceptoris ſunt: *Reſpondeo dicendum, quod quinque ſunt genera potentiarum animæ, quatuor dicuntur modi viuendi, & huius diuerſitatis ratio eſt, quia diuerſæ animæ diſtinguuntur ſecundum quod diuerſimode operatio animæ ſupergreditur operationem naturæ corporalis, eſt ergo quædam operatio animæ, quæ tantum excedit naturam corpoream, quod neque etiam exercetur per organum corporale, & talis eſt operatio animæ rationalis; eſt autem alia operatio animæ infra iſtam quæ quidem fit per organum corporale, non tamen per aliquam corpoream qualitatem, & talis eſt operatio animæ ſenſibilis, quia etſi calidum, & frigidum, & humidum, & ſiccum, & alia huiuſmodi qualitates corporeæ requirantur ad operationem ſenſus, non tamen ita, quod mediante virtute talium qualitatum operatio animæ ſenſibilis procedat, ſed requiruntur ſolum ad debitam diſpoſitionem organi. Infima autem operationum animæ eſt, quæ fit per organum corporeum, & virtute corporeæ qualitatis; ſupergreditur tamen operationem naturæ corporeæ, quia motiones corporum ſunt ab exteriori principio, huiuſmodi autem operationes ſunt à principio intrinſeco, hoc enim commune eſt omnibus operationibus animæ: omne enim animatum aliquo modo mouet ſeipſum, & talis eſt operatio animæ vegetabilis; digeſtio enim, & ea, quæ conſequuntur; fit inſtrumentaliter per actionem caloris, vt dicitur in 2. de anima.* Hæc D. Thom. ex quibus patet reſolutio, pro qua vide Petrum Garciam, *fen. 1. 1. diſp. 18. cap. 2.*

SECTIO II.

De partium principum diuerſitate.

DE partiū diuerſitate egimus proueniente à materia, vel à forma; iam nunc agimus de illa prout in humani corporis vſum ordinatur, in qua conſideratione pars, alia præſtans, alia princeps, alia non princeps, ſeu ignobilis dicitur. Pars præſtans ex Fontano à principe differt, quia omnis princeps eſt præſtans, & non è contrà; præſtans enim pars ratione vitæ dicitur, ſine qua diu ſubſiſtere viuens non poteſt, indiget enim continuo illius operatione, & hæc eſt princeps; alia eſt præſtans ratione officij publici, & ideò officialis dicitur, quia præſtat pro reliquis officium, & huiuſmodi ſunt ventriculus, pulmo, renes, & veſica; Ignobilis verò, ſibi præcipuè officium parat, & hoc omnibus aliis partibus eſt commune.

Resolvtio I.

Quid ſit pars princeps?

§. I.

Altera diffinitio Galen. taxatur Argenterij ratione.

Galen. l. 14 *de vſu partium cap.* 1. partem principem eam vocat: *quæ ſimpliciter eſt neceſſaria ad indiuidui conſeruationem.* Quam diffinitionem impugnat Argenterius *lib. artis medic.* Non enim ſoli principi, ſed cuicumque præſtanti parti conuenit, ratione enim publici officij neceſſaria eſt ad indiuidui conſeruationem.

§. II.

Altera verò recipitur ex Galeno diffinitio partis principis.

Reſoluendum: Quòd pars princeps eſt quæ toti largitur facultatem, vel ſaltem materiam. Hanc tradidit Gal. *lib. 6. de placitis c.* 10. recepit Auicen. *fen.* 1. 1. *doct.* 5. *c.* 1. quem ſequuntur Arabes, & ex modernioribus, Valles *lib.* 2. *controuerſ. c.* 3. Andreas Laurentius *lib.* 1. *anatomiæ q* 3. Argenterius *in artem medic. fol.* 282. Varendæus *lib. phyſiolog. tract. de partibus ſect.* 3. *c.* 3. Fontanus *p.* 1. *l.* 6. *c.* 5. Sanctorius *in artem paruam ad c.* 9.

Per *facultatem* diſpoſitionem intelligimus, quæ vltimum complementum eſt, ſine quo facultas in parte reſidens operari non valet, quæ à cerebro pro facultatibus ſenſitiui gradus, motiuis, & cognoſcitiuis; à corde pro motu arteriarum communicatur. Per *materiam* ſanguinariam maſſam, quæ apta eſt materia pro omnium partium nutritione.

Ex quo patet, in quo conſiſtit eſſentialis ratio partis principis, & quam inutiliter tempus conterunt Argenterius in impugnanda diffinitione primò adducta, & Andreas Laurentius in ipſa defendenda; ibi enim Gal. non diffinire contendit, ſed explicare, quid ſit proprium parti principi, ſcilicet quòd ſit neceſſaria ad indiuidui conſeruationem, quod parti principi conuenit, quatenus præſtans eſt; ipſi verò parti principi eſſentiale eſt, quòd largiatur facultatem, vel materiam: ſi enim lien ipſam præſtat, hæc à iecore debet perfici, vt infra dicemus.

Resolvtio II.

Quotuplex ſit pars princeps?

§. I.

Antiquorum refero, & comprobo ſententias.

Celebrem reddit hanc quæſtionem opinantium authoritas: ex antiquioribus aliqui minus bene philoſophantes, partem corporis determinatam tanquam proprium animæ domicilium aſſignabant. Sic Parmenides, & Epicurus, pectus; Straton partem inferiorem frontis. Erophilus cerebri baſim, Eraſiſtratus cerebri ſinus, Aſclepiades membranam cerebrum veſtientem, Crithias ſanguinem, Diogenes tenuiorem eius partem, qui conſequenter partes illas principes eſſe tenentur concedere.

Ex Philoſophis verò reliqui animam totum corpus informare cognouerunt, & aliquid ab aliqua parte deriuari in reliquas, ratione cuius pars illa princeps diceretur; ſed hanc vnicam cor eſſe contendunt Zenon, & Criſippus, quibus accedit Ariſt. acerrimus huius placiti tutelaris, quod defendere contendit totis viribus *lib.* 2. *de partibus animal cap.* 1. 7. *&* 10. *lib.* 3. *de partib. animal. c.* 4. *lib. de ſomno & vigilia c.* 3. *lib de iuuent. & ſenectute cap.* 1. *&* 2. *lib. de animal. motu c.* 6. *&* 8. *lib* 2. *de generatione animal. c.* 4. quem ſequuntur Auerr. *l.* 2. *de partib. animal. c.* 7. *& lib.* 2. *collect. c.* 7. *&* 11. Afrodiſ. *lib.* 1. *de anima cap. vlt.* Themiſtius *lib. de memoria q.* 27. Iandunus *de ſomno, & vigilia q.* 9. Albertinus *lib.* 3. *c.* 1. Auicen. *fen.* 1. 1. *doct.* 5. *c.* 1. qui cor ſimiliter conſtituit principium vitalis, naturalis, & animalis facultatis, & ab ipſo tanquàm à prima radice operationes oriri, licèt in aliis partibus ab illo poſſint manifeſtari; cui adhærent Arabis Commentatores.

Primum huius placiti fundamentum deſumptum fuit ex communi omnium exiſtimatione, qua non modò cordi tribuitur origo vitalium actionum, ſed animalium, & naturalium, ac rationalium; iudicabatur enim mentis domicilium, qua ratione homines excordes, vecordes, concordeſque dicti ſunt, & cordati, *& in Sacrapagina* 2. *Paralipomenon, & Pſalm.* 7. Secreta cordis Deum cognoſcere dicitur, & Matthæus aſſerit, quòd *de corde exeunt cogitationes*: Ergo ſanciri debet hoc placitum ex communi omnium conſenſu.

Secundò: validiſſimis rationibus Ariſt. contendit ſuum placitum ſtabilire, quia illi parti principatus eſt adſcribendus, quæ eſt principium, & origo omnium facultatum: ſed ſoli cordi hoc conuenit: ergo ſolum cor eſt pars princeps. Probatur minor: illa pars eſt principium, & origo omnium facultatum, à qua deſumunt principium, & originem organa, quibus omnes facultates deferuntur in reliquas corporis partes: ſed nerui, venæ, & arteriæ, quæ ſunt organa, per quæ virtutes animales, vitales, & naturales communicantur, à corde originem deſumunt, in quo amplitudo arteriæ, implantatio venæ magnæ, intertexta in interioribus ſinibus neruorum propago: ergo ſoli cordi id conuenit.

Tertiò: in toto corpore eſt vna anima, per ipſam ſit corpus vnum: ergo vnica pars princeps, quæ ſit principium vnicum, à quo omnes partes regantur, debet aſſignari. Probat Ariſt. conſequentiam à paritate in hoc vniuerſo, cuius vnicum eſt principium, vnaque prima cauſa, à qua omnia gubernantur; quod idem conuenit ad cuiusvis reipublicæ gubernationem.

Haud multos regnare bonum eſt; Rex vnicus eſto. repetit Ariſt. ex Homero: ergo vnica pars princeps debet in corpore repetiri.

Quartò: idem eſt principium ſentiendi, mouendi, ac vegetandi, quod eſſendi: ſed cor primò eſt, viuitque in corpore, vltimóque deſinit eſſe: ergo illud tantum eſt principium. Probatur maior; tum quia corde affecto vt in ſyncope, ſenſus, & motus deficit in reliquis partibus; tum quia in animæ paſſionibus fluit, & refluit ab ipſo in ipſum concurſus ſpirituum, qui & in ſomno recurrunt ad ipſum, & tunc facultates otiantur; tum quòd in eius temperiem corrigendam fuit conſtructum cerebrum humidum, & frigidum: ergo cor primum eſt principium ſentiendi, vegetandi, & mouendi.

§. II.

Ex Galeno communis amplectitur doctrina.

Reſoluendum: Quòd triplex pars princeps debet aſſignari in animali perfecto, Cerebrum, quod ſentiendi eſt principium; Cor, quod eſt principium vitalis facultatis; & Iecur, quod eſt principium natu-

radium, quatenus materiam ſubſternit pro omni parte. Fauet huic ſententiæ Hipp. *lib. de morbo ſacro numero* 18. ipſam expreſſit egregiéque explicauit Plato *in Tymæo, & 4 de Republica*. Tenent ex Patribus Diuus Auguſtinus *in pſalm.* 20. Diuus Ambroſius *lib.* 6. Examerum. *cap.* 9. Gregorius Magnus *capite* 9. Niſſenus *lib.* 4. *philoſophiæ cap.* 16. *lib. de creatione hominis cap.* 2. Chryſoſtomus *in cap.* 4. *ad Epheſios*, Albertus Magnus *lib.* 1. *de anima tract.* 4. c. 11. Lactantius *lib.* 6. *c.* 9. Diuus Thom. 3. *p. q.* 8 *art.* 1. & 6. Diuus Bonauentura *in* 3. *diſtin.* 3. *art.* 5. *q.* 3. Caietan. 3. *p. q.* 8. *art.* 1. Præcipuè tamen huius ſententiæ ſleut patronus contra Ariſt. Galenus *lib.* 7. *de placitis Hipp. & Platonis, cap* 3. 6. & 14 & *lib.* 8. *de vſu partium cap.* 3. & 4. & *in arte parua cap* 9. quem ſequuntur Auic. 6. *naturalium part.* 4. *cap.* 1. Plutarchus *lib* 4. *de placitis philoſophorum cap.* 51. Et ex recentioribus Valles *lib.* 2. *controuerſ. c.* 3. Petr. Garc. *fen.* 1. 1. *diſp.* 19. Mercatus *tom.* 1. *q.* 107. Fontanus *p.* 1. *cap* 5. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog. cap.* 8. Varandæus *lib phyſiolog ſect.* 3. *cap.* 4. Vallertiola *lib.* 1. *de locis communib. cap.* 12. Andreas Laurentius *lib.* 1. *anatomia quæſt.* 5. Martinez *lib.* 1. *q.* 2. *tract.* 5. Godufredus *lib.* 1. *cap.* 7. Fernel. *lib.* 5. *cap.* 14. & 15. Leonardus Fuchſius *lib.* 1. *inſtit p.* 1. *ſect.* 5. *cap.* 2. Fernandez *lib. de facultat. naturalibus tract. de præcipuis facultatibus concluſ.* 1.

Probatur 1. Quòd cerebrum ſit pars princeps: ex Ariſtot. enim illa pars princeps cenſeri debet, quæ eſt principium, & origo influxus neceſſarij ad operationem, & partium inſtrumentalium, per quas talis influxus defertur: ſed tale eſt cerebrum reſpectu influxus requiſiti ad actiones ſenſitiuas: ergo eſt pars princeps. Probatur minor; tum quia exortum neruorum à cerebro omnes Anatomici experientiâ comprobarunt; tum quia quantò deſcendunt à cerebro, tantò fiunt tenuiores, ſicut rami ab ſtipite elongati: Tum quia, vt obſeruauit Galen. *de conſtitutione artis medicæ cap.* 4. ſi nerui in medio vinciantur, pars versùs cerebrum motum, & ſenſum retinet; partes inferiores, etſi versùs cor tendant, priuantur vtroque: Tum quia, vt demonſtrauit Galen. *lib.* 3. *de locis c.* 10. in apoplexia, impedito omni neruorum exortu, omnes partes corporis ſenſu, & motu priuantur, non impedito partis influxu, remanet motus, & ſenſatio in his partibus, ad quas deſcendit, aufertur in aliis, vt in paralyſi: Tum quia in delirio, lethargo, & aliis affectibus, per quos læduntur actiones cognoſcitiuæ, cerebro, & non cordi remedia apponimus: Tum quia actiones, in quibus anima communicat cum intelligentiis in ſublimiori loco conſtitui erat conueniens: ergo cerebrum pars eſt in corpore princeps.

Probatur 2. Quòd iecur ſit pars princeps; tum quia venarum eſt origo, vt Anatomici demonſtrant, demonſtratque experientia; ab ipſo enim truncus magnus venæ portæ & cauæ proueniunt, qui diſcedentes tenuiores fiunt, & in magnam ramorum propaginem partiuntur: Tum quia humores abundant iuxta iecoris intemperiem: Tum quia producti intemperiem recipiunt iuxta eam, qua iecur laborat: Tum quia ipſo vitiato ex calore excedente, calidi ex humoribus ſuboreſcunt morbi, ipſius temperie ſubſtantiſica in frigiditate, & humiditate excedente hydrops ſubcreſcit: ergo quia ſanguificationis eſt origo.

Reſpondent Auicenniſtæ ſanguinem generari à iecore, ſed perfici à corde.

Sed pugnant hi contra experientiam, quæ ex anatome demonſtrat à iecore ad cor vnum venæ ramum ſanguinem pro illius nutritione, & ſpirituum generatione deferre; ad reliquas verò corporis partes omnia ſanguinis reſiduum immitti à iecore, vtiléque eſſe

A in illis pro earum nutritione: Tum quia à corde in reliquas ex illo immiſſa materia, poſſent partes nutriri: Tum quia ſanguis fit ex chylo, ex quo reliqui fiunt humores in iecore: Tum quia cùm ſanguis fiat ex determinata parte chyli, quæ in cor deferri non poteſt, in iecore ex illa perfici eſt neceſſe: ergo à ſolo iecore fit ſanguinis productio perfecta.

Tertiò probatur, quòd cor ſit pars princeps ex communi conſenſu Philoſophorum, & Medicorum, qui reſpectu facultatis vitalis ipſum principem partem conſtituunt: Tum, quia ex anatome conſtat arteriarum eſſe principium, & ab ipſo per illas in reliquas partes communicari ſpiritus: Tum quia ligatâ arteriâ versùs cor pulſat, non versùs inferiorem par-
B tem: ergo cor pars princeps eſt.

§. III.

Pro Galeni opinione contrariorum refranguntur rationes.

AD 1. diſtinguo antecedens: Ex communi omnium exiſtimatione actiones omnes vitales dependent à corde tanquam à principio elicitiuo, nego: tanquam à principio remoto, à quo dependet omnium partium temperies conſeruatiua principij ra-
C dicalis, concedo antecedens. Cordis enim facultas vitalis dicitur, quia ad omnia opera vitæ maximè neceſſaria eſt, dependent enim actiones vegetatiuæ ab illius influxu, & ſenſitiuæ, quia ſine debita diſpoſitione in organo nullæ, nec ſenſitiuæ, nec vegetatiuæ fiunt operationes, & propter hanc dependentiam ex communi exiſtimatione cordi ſolent tribui omnes operationes, quæ fiunt ab animali; ſed præter iſtam dependentiam actiones animales à cerebri influxu dependent, & naturales à iecore tribuente materiam: & ideò ſimiliter iſtæ partes dicuntur principes.

Ad 2. & illius probationem negatur minor:
D Conſtat enim ex reſolutionis probationibus, quòd cerebrum neruorum eſt principium, vel ſpinalis medulla, vnicus eſt in corde paruus neruus à ſexta coniugatione ortus, fibræ, & villi ſunt quamplures, quæ in eius ſubſtantia contexta credit Ariſt. neruos eſſe, qui cauæ venæ vidit ramum inſignem in dextro cordis ventriculo, non tamen obſeruauit à vena caua originem ducere, ſicut reliqui ex quibus vniuerſum irrigatur corpus.

Ad 3. negatur conſequentia: Quia licèt ſi ab vnico principio, & origine poſſent omnia, quæ à partibus principibus mittuntur in partes, generari, & tranſmitti; ſufficeret principium vnum: vna tamen ſubſtantia non poteſt talem habere ſubſtantiæ modum, vt ſit principium tam diuerſarum par-
E tium, quales ſunt venæ nerui, & arteriæ, quæ ſunt partes inſtrumentales, quibus defertur omne requiſitum in partibus; nec ſimiliter valeret eadem producere tam diuerſas entitates, quales requiruntur pro diſpoſitione, ſeu materia facultatum vitalis, animalium, & naturalium, & ideò triplex in hunc finem eſt neceſſaria pars princeps.

Ad 4. negatur minor: Quia poſitâ præuiâ diſpoſitione, vel corruptiuâ, ſimul omnes partes informantur, vel informari deſinunt, & quod in ſyncope omnes ſenſitiuæ actiones deficiunt, quia deficit influxus cerebri pro illis, in animi paſſionibus fit intus, & extra fluxus, & refluxus ſpirituum, quia illorum

cor

cor eſt origo,& principium, neque ob id frigidum fuit productum cerebruio, vt cor attemperaret (ſufficit enim in hnoc finem aër ab illo attractus) ſed vt nimis calefactū ab ſpiritibus in illo neceſſariis, vt animales ſpiritus generentur non inutile redderetur pro cognoſcitium.

Resolvtio III.

Verùm teſticuli ſint pars princeps reſpectu ſpeciei?

§. I.

Partis negatiuæ fundamenta pro Ariſt. proponuntur.

PArtem negatiuam tenet Ariſtot. Qui teſticulos non generare ſemen contendit, ſed productoa eſſe à natura in animali, appensóſque vaſis ſpermaticis vt eorum pondere cor tendatur; & tenſione roboretur, ſicut in telis contingit lapidibus appenſis: & hoc comprobare contendit *lib. 3. de hiſtoria animal. c.* 1. exemplo Tauri caſtrati, qui potuit poſt caſtrationem generare, *& lib.* 1. *de generat. animal. c* 4. teſticulos in animalibus non eſſe neceſſarios contendit cùm non reperiantur in piſcibus & ſerpentibus: ergo in nullo aoimali ſunt pars princeps.

Secondò: videtur ibidem comprobari ex Galeo. qui C locis pro reſolutione antecedenti adductis partes principea conſtituit cerebrum, cor, & hepar, non verò teſticulos, *& lib. 7. de placitis Hipp & Platonis, & lib. 6. de vſu partium* poſitiuè docet teſticulos non eſſe partes principes: ergo non ſunt inter illas annumerandi.

§. II.

Tenendum proponitur commune placitum.

REſolueodum: Teſticulos eſſe partes principes in ordine ad ſpeciei conſeruationem. Expreſſe id docet Galen. *lib.* 14. *de vſu partium cap.* 1. quem ſequuntur D Andreas Laurentius *lib. 8. anatomiæ q.* 1. Fontanus *p.* 1. *vniuerſa medicinæ c.* 5. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog. ſect.* 3. *c.* 3. & tenent Commentatores Galeo. *ad c.* 9. *artis paruæ.*

Probatur: Pars princeps eſt, quæ materiam, ſeu facultatem tribuit omninò neceſſariam pro conſeruatione alicuius: ſed teſtea ſemen generant, in quo eſt virtus, ſeu facultaa, & materia ita neceſſaria pro ſpeciei conſeruatione, vt in animalibus generandis ex ſemine ſine illis ſpecies propagari, & conſeruari non poſſit: ergo io hunc finem teſtes ſunt pars princeps. Probatur minor, ex Galen. *lib.* 1. *de ſemine c.* 15. *&* 16. vbi demonſtrat generari ſemen à teſticulis.

§. III.

Pro argumentis adducitur reſolutio.

AD 1. reſpondetur: Ariſt. minus bene decreuiſſe de teſticulorum vſu. Plura enim ex aoimalibus ipſos ſuſpenſoa non habent, & eorum ad ſeminis generationem neceſſitatem demonſtrauit Galen. *lib. de ſemine*, demonſtrátque experientia, ipſis enim abſciſſis impeditur generatio, neque ex Tauro caſtrato ex non teſticolis fuit generatio, ſed ex retento ex illis ſemioe, & ante caſtrationem reſeruato in penis radicibus, varicoſiſue venis, ex quo poſtea ſubſequuta eſt generatio. In imperfectis animalibus aliquid ſimile

A teſtibus producitur, à quo ſeminis fit generatio.

Ad 2. dicendum Galenum *locis citatis* partes principes annumeraſſe ſimpliciter ad indiuidui eſſe neceſſarias, nos verò de principalitate teſticulorum pro ſpeciei conſeruatione determinare.

Resolvtio IV.

Verùm teſticuli ſint pars princeps reſpectu ſui indiuidui?

§. I.

B *Communis proponitur aſſenſus Medicorum.*

PArs negatiua vnnoimi conſenſu amplectitur à Medicorum ſchola. Ratio communis eſt, quia pars princeps reſpectu indiuidui eſt, quæ materiam, vel facultatem communicat ita neceſſariam cunctis partibus corporis, vt non poſſit indiuiduum diu permanere, aut conſeruari ſine illa: ſed non ſolùm ſine aliquo receptro à teſticulis, immò ſine ipſis animal longiſſimam ducit vitam: ergo teſticuli oon ſunt pars princeps reſpectu indiuidui.

§. II.

C *Pars altera amplectitur.*

REſoluendum tamen affirmatiuè: Huic aſſenſui adhæret Doctor Serna *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 15. ex Gal. *lib. artis paruæ c.* 9. ait enim: *Sunt vero partium quatuor, differentiæ, quoniam nonnullæ earum principia exiſtunt, aliquæ verò ab ipſis originem habent, aliquæ [neque aliarum gubernationi præſunt, neque aliunde gubernantur, cùm inſitas habeant à natura potentias, à quibus reguntur, quædam verò ſunt, quæ inſitas habent & aliunde emanantes; principia igitur ſunt cerebrum, cor hepar, teſticuli, &c.* Hæc Galenus, ſed in præſenti annumerat Galen. partea ſecundum vſus, quos habent ad proprium indiuiduum: ergo cùm enumeraD ret teſticulos inter partes principes, illos enumerat ſecundum quòd ſunt pars princeps illius, & quatenus poſſunt aliquid ſubminiſtrare neceſſarium ſaltem ad robur omnium partium.

Probatur 2. Eadem currit ratio conſtituendi teſtes inter partes principes reſpectu indiuidui, atque conſtituendi cor, & cerebrum: ſed ex Medicorum conſenſu cor, & cerebrom conſtituuntur inter partes principes reſpectu ſui indiuidui: ergo idem dicendum de teſticulis. Probatur maior ex Galen. *lib. de ſemine cap.* 16. dicit enim: *Quid igitur mirandum ſi quemadmodum mouendi, atque ſentiendi facultas à cerebro in neruos, pulſandi à corde in arterias diffunditur, ita, quoque à teſtibus in totum corpus vim quamdam diſ-* E *pergi dicamus, quæ quidem in maribus robuſti ac maſculi habitus, in fœminis ipſius fœminæ naturæ cauſa eſt, atque propterea efficitur, vt fœmina exciſis teſtibus mari caſtrato ſimilis euadat &c.* Ergo eadem currit ratio vt teſticuli ponantur inter partea principes, atque conſtituendi cor, & cerebrum.

Probatur 3. eademmet reſolutio ratione. Pars princeps conſtituitur in ordine ad ſuum indiuiduum in eſſe talis, quia communicat materiam omnibus partibus communem, vel facultatem illis neceſſariam: ſed teſticuli communicant facultatem ſimpliciter neceſſariam in omnibus partibus ſui indiuidui ad proprium robur comparandum: ergo reſpectu eius ſunt pars princeps. Probatur minor ab

I a expertēg

experientia, quæ docet eunuchos amittere proprium robur in partibus, propriam virilitatem in viris, & fœmineitatem in fœminis.

§. III.

Diluitur dubitandi ratio.

AD communem rationem, diſtinguo maiorem: Pars princeps reſpectu indiuidui eſt, quæ communicat materiam, vel facultatem ſine qua diu indiuiduum permanere non poteſt, ſi ſit pars princeps principalitate conſeruationis, concedo: principalitate perfectionis, nego maiorem. Duplex eſſe poteſt conſiderari in indiuiduo, alterum ſecundum quòd ſimpliciter eſt tale indiuiduum, alterum ſecundum quod ſub tali eſſe indiuidui perfectiſſimam obtinet ſui ſexus perfectionem; ad quodlibet eſſe iſtorum indigent partes alia principe, à qua dependent in conſeruatione talis eſſe, ſcilicet à corde, cerebro, & iecore, & à quolibet in ſuo genere dependet ſub animali indiuiduum tanquam à parte principe, & ſine qua non poteſt in ſuo eſſe conſeruari: à teſtibus verò indiget quoad ſui eſſe perfectionem, & ideò licèt quoad ſuum eſſe ſimpliciter ſine illis valeat conſeruari, non tamen ſimpliciter quoad ſuum eſſe perfectiſſimum quoad talem ſexum.

Resolvtio V.

Vtrùm inter partes principes aliqua ſit reliquis præſtantior.

§. I.

Partium principum præſtantia proponitur.

NOn perluſtrat reſolutio quænam ex partibus principibus excellat pro ſpeciei conſeruatione, in quâ ſoli præſtant teſticuli; ſed quænam reliquis ſit præſtantior ratione indiuidui, quod adintegrat. Et quòd teſtes ſint pars præſtantior reliquis, præcipuè tamen reſpectu cordis, validiſſimè probat hæc ratio, quam deſumpſit Andreas Laurentius, ex Galen. *l.* 1. *de ſemine*. Præſtantius eſt pulchrè, beneque viuere, quàm ſimplici vita viuere: ſed cor, aut cerebrum conducunt ad ſimpliciter viuere, teſtes ad viuere pulchrè, benè, & condecoratè: ergo teſtes ſunt reliquis partibus pars præſtantior. Probatur minor, ex teſtibus ſuperuenit animali omnis libidinis vſus, ipſis enim ſciſſis, amor extinguitur, venarum deeſt latitudo, pulſus fiunt debiles, viri effeminati, perit virilitas omnis, & in muliebrem naturam verſi videntur eunuchi, mores omninò immutantur, & omnia in peius ruunt: ergo conducunt teſtes ad pulchrè, benè, condecoratéque viuere.

§. II.

Deciditur reſolutio primò.

REſoluendum primò: Cerebrum, cor, & iecur præſtantiora eſſe teſtibus pro indiuidui conſeruatione. Sic tenet Andreas Laurentius *l.* 1. *anatomiæ q.* 4. Fernandez *lib. de facultatibus naturalibus tractatu de partibus principibus*, & eſt communis.

Probatur: Præſtantius eſt id, quod dat ſimpliciter eſſe pro vitæ conſeruatione, quàm illud, quod tantum ſuperaddit aliquam perfectionem, ſine qua tamen poteſt vita conſeruari: ſed cor, & reliquæ principes partes quid neceſſarium tribuunt ad ſimpliciter viuere, teſtes verò non ita, ſed perfectionem ſuperaddunt, ſine qua poteſt indiuiduum conſeruari: ergo aliarum quælibet pars princeps eſt illis præſtantior.

§. III.

Deciditur ſecundò.

REſoluendum ſecundò: Quòd inter reliquas tres partes principes talis eſt præſtantia, qualis docetur à Galen. *lib.* 7. *method. c. vlt. lib.* 5. *de locis c.* 1. Ait enim: *Maxima ſane eſt cordis dignitas, & ægrotantibus eius actio omninò neceſſaria; cerebri verò ad vitam quidem par eſt momentum, non tamen par robur in ægrotantibus requiritur; at iecoris opus omnibus partibus pernecеſſarium eſt, non tamen parem habet neceſſitatem, vt cordis.* Hæc Galenus.

§. IV.

Deciditur tertiò.

REſoluendum tertiò cum Andrea Laurentio nuper adducto, quem ſequitur Fernandez *concluſ.* 2. Quòd quælibet pars princeps ad alias principatum obtinere poteſt ordine diuerſo, cerebrum dignitatis, cor neceſſitatis, iecur vt principium conſeruationis.

§. V.

Fit ſatis dubitandi rationi.

AD dubitandi rationem reſpondetur: Quòd ſi teſticuli reſpectu indiuidui, in quo ſunt, eſſent principium eſſendi, & bene atque pulchrè eſſendi; eſſent pars præſtantior, quàm reliquæ, quæ tantùm conducerent ad ſimpliciter eſſe; at verò cùm ſolùm tribuant perfectionem, ideò præſtant reliquæ, quæ conducunt ad neceſſitatem conſeruationis, & ad ſimpliciter eſſe.

SECTIO III.

De partium principum influxu.

SIcut ex Ariſt. *meteor.* 1. Mundum hunc contiguum eſſe ſuperiori conuenit, vt his inferioribus virtutes, quibus regantur, communicentur influxu ſuo; ſic in microcoſmo partium requiritur continuitas, quia à principibus dependentia eſt per influxum, quo ab his dependent illæ, de quo ſub hac diſput. agemus.

Resolvtio I.

Vtrùm influat aliquid à partibus principibus

§. I.

Pars fulcitur negatiua.

PArs negatiua ſuaderi poſſet in ſententia aliquorum, quorum meminit Petrus Garcia *ſen.* 1. 1 *diſp.* 30. qui non principes partes à principibus dependere poſſe contendunt, ſine eo quòd ab illis recipiant quidquam, ſed tantùm propterea quòd ſint illis in ſuis operationibus ſubordinatæ; ſicut intellectus poſſibilis dependet à phantaſia, quia ſine illa non operari poteſt, etiamſi nihil recipiat ab illa.

Probatur 1. Quælibet pars informata animâ in ſtatu naturali habet omne requiſitum ad operandum ſine

ſine alia quacumque qualitate, vel facultate proueniente ab alia parte: ergo fruſtra talis influens qualitas admittitur. Probatur antecedens; vt pars quælibet operetur, ſufficit, quòd habeat facultatem in organo debita conſtitutione fruente: ſed quælibet pars animâ informata ante quemcumque influxum habere poteſt facultatē dimanantem ab anima, debitam temperiem, vnitatem, & compoſitionem, ex quibus debitè conſtituitur: ergo ſine alia à reliquis partibus entitate communicata habet quidquid requiritur ad operandum.

Dices: quòd ad actiones gradus ſenſitiui non ſufficit diſpoſitio proueniens ex qualitatibus ex vi mixtionis acquiſitis, ſed vlteriùs requiritur qualitas ſuperioris ordinis, quæ in reliquas communicatur à parte principe.

Contra: hæc qualitas pullulat ab anima in parte principe, & ab hac mittitur in reliquas: ergo cùm reliquæ ipſam valeant recipere à parte principe, valebit ſi in aliis neceſſaria eſt, eam recipere ab anima immediatè, & independenter à quacumque alia parte, ſicut recipit reliquas qualitates ex vi mixtionis debitas. Conſequentia patet, quia eadem eſt ratio vt recipiatur ab anima, ac ab alia parte, in qua fuit producta ab anima.

Probatur 2. Sic ſe habent ſenſitiuæ potentiæ ad ſenſitiuas operationes, ſicut vegetatiuæ, ad vegetatiuas: ſed vegetatiuæ ſine influxu, & dependentia ab aliqua parte principe eliciunt operationes ſuas: ergo multo meliùs ſenſitiuæ quæ ſunt ſuperioris ordinis, ſine dependentia ab alio ſuas elicient.

§. II.

Communis recipitur ſententia.

Reſoluendum, neceſſariò admittendum eſſe aliquid influere ab aliquibus partibus principibus in reliquas pro operationibus neceſſarium. Tenet Gal. locis adductis pro reſolutione, in qua determinauimus numerum partium principum, præcipuè tamen *lib de ſemine cap.* 5. & 16. *lib.* 1. *de locis affectis, cap.* 6 *lib* 7. *de placitis, lib. de cauſis pulſuum in principio, lib.* 1. *de ſympt. cauſis, cap.* 5. *lib. quòd ſanguis in arteriis contineatur, cap. vltim.* Auicen. *fen.* 1. 1. *doct.* 6. quem etiam ſequuntur ſui Commentatores, tenent ex modernioribus Santorius *in artem medicinalem ad c.* 9. Vall. *lib.* 2. *controuerſ. cap.* 16. Santa-Cruz *in fen.* 1. 1. *opuſc.* 10. Petrus Garcia *in fen.* 1. 1 *diſp.* 30. Andreas Laurent. *lib.* 1 *anatomiæ*, Martinez *lib.* 1 *tract.* 12. *quæſt.* 4. Fernandez Bexaranus, ille qui Macrocoſmi Hiſtoriam nuperrimè, ſed accuratiſſimè edidit *lib. de facult naturalib. quæſt.* 2. Oddos *in cap.* 9. *artis medic.* Saluus Sclanius *circa idem cap.* Argenterius *in artem medic. comm.* 2. & alij.

Probatur 1. ex communi experientia, quam Gal. demonſtrat; Quòd ligato neruo, partes ſupra ligaturam mouentur, & ſentiunt; non verò quæ ſunt infra illam: & ligatâ, arteriâ, etſi ſpiritus per calamum intromiſſum deſcendant, infra ligaturam partes non pulſant, bene ſupra illam: ergo aliquid à partibus his principibus communicatur in reliquas pro operationibus ſenſitiui gradus.

Probatur 2. In morbis, in quibus impeditur tranſitus à cerebro in ſubiectas partes, vt in paralyſi, vel apoplexia, ſeu in gutta ſerena, in quibus obſtructo exortu neruorum, per quem fit communicatio, partes infra obſtructionem, nec ſentiunt, nec mouentur; quia deficit aliquid, quod influebat priùs.

Probatur 3. Hanc demonſtrat veritatem ipſa natura, quæ ſicut non deficit in neceſſariis, ſimiliter

A nec redundat in ſuperfluis: ſed cordi arterias, cerebro neruos conſtruxit, & alligauit, mediis quibus communicant cum omnibus partibus: ergo, quia ab his organis in reliquas partes debet aliquid communicari.

§. III.

Soluuntur argumenta.

Ad vltimam replicam primi reſpondetur: Quòd qualitas, quæ per influxum communicatur, pullulat à cerebro, & non à reliquis partibus: quia cerebrum propter ſui ſubſtantiæ modum aptius ſubiectum eſt ad eius receptionem, quàm reliquæ animalis partes; & nerui licèt cum cerebro conueniant,
B aliqualiter ab illo differunt. Gal. *lib.* 7. *de placitis c.* 5. Rariorem cerebro ſubſtantiam eſſe, & ideò illa qualitas reſultat in cerebro, & non in partibus reliquis. Poſſunt tamen reliquæ partes ipſam recipere à cerebro, & non ab anima, quia cerebrum actu illam continet, anima virtualiter; & aptior diſpoſitio requiritur in paſſo ad recipiendum effectum ab eo, quod illum continet in actu virtuali, quàm ab eo, quod continet in actu formali.

Ad 2. diſtinguo maiorem: Sic ſe habent ſenſitiuæ potentiæ ad ſenſitiuas operationes, ſicut vegetatiuæ ad vegetatiuas, quantùm ad aliqua, concedo: quantùm ad omnia, nego maiorem. Licèt enim conueniant prout potentiæ ſunt, diſconueniunt etiam in
C aliquibus, quia diſconueniunt in ratione maioris, aut minoris perfectionis: quantò enim perfectior eſt anima, perfectiori indiget diſpoſitione ad operandum; & ideò anima vegetatiua, quæ ex D. Thom. 1. *part. q.* 78. *art.* 1. *in corpore*, inſtrumentaliter vtitur qualitatibus corporeis ad operandum, ſufficit, quòd partes ad ſui operationes per corporeas, & elementares qualitates bene diſponantur, non verò pro anima ſenſitiua, quæ in eleuatiori modo operandi illam excedat, & non ſolùm primarum qualitatum diſpoſitione indiget, ſed altioris ordinis qualitatem diſponentem petit.

D

Resolvtio II.

Verùm quod influit à partibus principibus ſit facultas?

§. I.

Pars affirmatiua Galeni authoritate fulcitur.

Galeo. *in lib. de locis affectis, & de placitis*, præcipuè *in* 7. *c.* 3. indubitanter quotieſcumque ſe offert dicendi occaſio, facultatem à cerebro, vel à corde communicari in ſubiectas partes dicit: ergo id quod influit à partibus principibus in partes illis ſubiectas eſt facultas.

E Reſpondetur: Diſtinguo conſequens, eſt facultas diſpoſitiuè, concedo: eſt facultas entitatiuè, & eſſentialiter, nego conſequentiam. Licèt enim non communicetur à parte principe facultas in partes ſubiectas, communicatur quædam qualitas, quæ vltima eſt diſpoſitio pro earum actionibus, quæ ideò dicitur à Gal. facultas, quia ipsâ poſitâ, facultates operantur; ipsâ ablatâ, operari eſt impoſſibile.

Contra: nulla poteſt diſpoſitiua qualitas communicari à partibus principibus, quæ in aliis ſit neceſſaria ad operandum: ergo ſolam valent communicare facultatem. Probatur antecedens; quælibet pars corporis habet ſimilem connaturalem temperiem requiſitam ad operandum, quæ pullulat in illis à forma

mixta vt determinata per partes materiales elemento- A
rum : ergo nulla diſpoſitiua qualitas communicatur à parte principe.

Reſpondetur : diſtinguo antecedens, nulla poteſt diſpoſitiua qualitas communicari à partibus principibus, quæ ſit elementaris, concedo : quæ ſit altioris ordinis, nego antecedens. Licèt enim forma mixta, vt determinata per ſubſtantificum temperamentum connaturale, & per partes materiales elementorum producat primas, & ſecundas qualitates, requiſitas ad operandum; qualitas tamen diſponens pro ſenſitiuis facultatibus altioris eſt ordinis, & quæ non in quauis parte poteſt pullulare.

Contra: qualitas illa diſpoſitiua; etiam ſi ſit ordinis altioris in eſſe qualitatis pullulat ab anima, vt diſpoſitio B
potentiarum ad operandum: ergo pullulabit in quacumque parte inſtrumentali, in qua reſidet facultas, cui eſt neceſſaria, ſine eo quòd ab alia principe communicetur illi. Probatur conſequentia, nam non deficit in illis efficiens, cùm informentur eâdem animâ, non deficit aptitudo ad illam recipiendam, cùm valeant eam recipere à parte principe; non deficit finis communicationis, cùm ob productionem eius, & communicationem admittatur pars princeps : ergo pullulat ab anima in quacumque parte inſtrumentali pro actionibus ſenſitiuis.

Reſpondetur : Diſtinguo antecedens. qualitas illa diſpoſitiua, etiam ſi ſit ordinis altioris pullulat ab anima, vt diſpoſitiu potentiarum in quacumque par- C
te, in qua ipſæ potentiæ inhærent, nego : in parte, quæ vt princeps eſt deſtinata ad ipſam, concedo antecedens. Deſtinauit enim natura partem magis aptam, vt pullulet in illa, & à qua reliquis communicetur, & ideò illa partis principis rationem obtinet.

Contra : omnes partes, in quas communicatur à parte principe, aptitudinem habent, vt illam qualitatem recipiant : ergo vt pullulet in illis ab anima.

Reſpondetur : Diſtinguo antecedens; omnes partes, in quas communicatur, habent aptitudinem, vt qualitatem illam recipiant per pullulationem, nego : per alterationem, concedo antecedens. Maior D
enim aptitudo requiritur, vt pullulet aliqua qualitas in ſubiecto, quàm vt recipiatur per alterationem ab alio; in partibus igneis ideò pullulat à forma mixta calor, non verò in frigidis, poſſunt tamen partes materiales frigidæ ipſum per alterationem recipere: ratio huius eſt; quia qualitas pullulat ſine præcedente aliqua actione diſpoſitiua, & ideo requirit ſubiectum omninò diſpoſitum; quæ vero producitur à ſimili per actionem alteratiuam, aliqualiter ſua actione diſponit ſubiectum ad qualitatis, quam producit, receptionem.

Contra : æquè neceſſaria eſt qualitas diſpoſitiua ad operandum in reliquis partibus, ac in parte principe : ergo æquè diſpoſitæ debent conformari à natura pro eius receptione, ac conformatur pars prin- E
ceps.

§. II.

Negatiua pars deciditur, & demonſtratur.

RESoluendum : Quòd à parte principe nulla valet communicari facultas vitalis ad reliquas.

Probatur 1. Facultas vitalis eſt paſſio animæ in determinato gradu vitæ pro actionibus determinatis ſub illo gradu : ſed omnis paſſio pullulat ab eo, cuius paſſio eſt, tamquam terminus ſecundariò ſubſequutus ad actionem, qua ſit entitas, cuius eſt

A paſſio : ergo vitalis quæcumque facultas immediatè pullulat ab anima in parte in qua requiritur pro illius actionibus.

Probatur 2. Si facultas vitalis communicaretur à parte principe, vel per continui alterationem ſimilem producendo; vel diffuſione ſui per medium: ſed non per alterationem, cùm nulla vitalis qualitas ab alia valeat ſimili fieri, cùm ſolum operetur circa proprium ſpecificatiuum obiectum, quod pro viuentis neceſſitate eſt aliud à productione ſimilis; nec diffuſione ſui, cum non poſſit migrare de ſubiecto in ſubiectum: ergo nullo modo communicabilis.

Probatur 3. Pro qualibet potentia vitali ſenſitiua eſt in animali organum coaptatum, in quo pulluler,
B ita vt in nullo alio valeat pullulare, verbi gratia, oculus pro potentia viſiua, auris pro auditiua : ſed in nulla principe parte ſunt ſimilia organa : ergo nullo modo poteſt in illis reſultare facultas vitalis communicabilis reliquis.

§. III.

Vltimæ obiectioni fit ſatis.

AD vltimam replicam argumenti reſpondetur: Diſtinguo antecedens, æquè neceſſaria eſt illa qualitas in reliquis partibus, ac in parte principe, neceſſitate phyſica, concedo : neceſſitate œconomica,
C nego antecedens. Licèt enim ita ſit neceſſaria illa qualitas in parte principe, ac in aliis fuit, tamen œconomicæ rerum productioni conſonum eſt, vt ſicut inter Angelos ſunt variæ hierarchiæ, inter res Vniuerſum adimplentes; in rebus publicis, & in aliis quibuſcumque rebus; ita ſimiliter, quòd in viuente, in quo partes ſunt inæqualis perfectionis, aliæ eſſent aliis principaliores in vnoquoque genere vitæ, & quòd in ſuo genere eſſet pars princeps, à qua dependerent reliquæ, & reciperent aliquid, & parti illi principi ideò fuit præſtantior aptitudo in ſui conformatione condonata vt recipiat per pullulationem qualitatem, qua indigent reliquæ, & quam ipſa valeat communicare.

D

Resolvtio III.

Quid influat à partibus principibus.

§. I.

Status reſolutionis aperitur.

FErnandez *tract. 1. de facultatibus* tenet à corde communicari calorem modificatum, quo actuantur partes, vt operentur ſuas naturales operationes; & quòd à cerebro communicatur humiditas modificata, cum qua actuantur potentiæ, & inſtrumentum ad ſuas operatio-
E nes. Alij lumen communicari contendunt. Alij verò facultates, pro quibus,

Primò ſtat Galen. qui quandoque lumen, quandoque facultatem communicari docet : & Auicen. *fen. 1. 1. doct. 5.* Idem tenet : ſimiliter communicari lumen docere videtur Galen. *lib. 6. de placitis cap. 4.* Ergo quod communicatur, vel eſt lumen, vel facultas.

Secundò : quòd à partibus principibus communicatur, conducit ad operandum : ergo vel eſt facultas, vel virtus, vel quidquam partis conformationi conducens, vel temperamentum modificatum pro partis operationibus : Non facultas, vt ex antecedenti reſolutione conſtat : Non virtus, nec quidquam

confor

conformationi conducens, cùm pars quæuis ſine influxu debitè conformata conſpiciatur: ſolùm ergo reſtat, quòd ſit temperamentum modificatum, quod deſcendit. A

Tertiò: ſicut à corde,ſic à cerebro communicantur ſpiritus: ſed per calorem ab ſpiritibus miſſum, & modificatum partes gradus vegetatiui operationes eliciunt: ergo ſimiliter per ſpiritus à cerebro communicatur modificata humiditas neceſſaria in partibus pro actionibus gradus ſenſitiui.

§. II.

Deciditur reſoluendum.

Reſoluendum: A partibus principibus communicari qualitatem ſuperioris ordinis, quæ vltimò complet partium diſpoſitionem requiſitam pro operationibus,tenet Santa-Cruz *in ſen.1.1.diſp.30.* B

Probatur 1. Ex dictis *reſolutione antecedenti*, aliquid communicatur à partibus principibus neceſſarium pro actionibus: ſed non facultas, cùm hæc reſultet ab anima in organo, nec poſſit migrare de ſubiecto in ſubiectum: neque partes, per quas deſcenderet, ſunt omnes aptæ ipſum recipere: neque ſimiliter communicatur lumen, quia hoc, cùm eſſet eiuſdem rationis cum ſolis lumine, poſſet ſuppleri in partibus externis, neque in illis requiritur niſi pro receptione viſibilium ſpecierum: neque eſt temperamentum qualitatiuom, hoc enim ſemel communicatum non ſtatim deficeret in parte,neque ita breui ceſſaret actio, ſtatim enim ... aut ſubſtantiâ arteriæ obſtructis,ex Gal.*lib.7.de placitis cap.9.* Solum ergo reſtat quòd ſit qualitas ſuperioris ordinis,quæ ſicut lux,aut cœleſtis influxus breuiter communicetur, & ſit vltimò diſponens partem in quam influit. C

Dices cum Fernandez, quòd licèt qualitas prima non ita breuiter deficiat ſemel parti communicata, deficit tamen modificatio, quæ dependet à parte principe,per quam vltimò redditur apta pro operatione.

Contra: illa qualitas prima, vel modificatur à parte principe, media aliqua qualitate diſtincta vltimò afficiente illam, & ſic incidit in noſtram concluſionem; vel modificatur ab illa penes hoc quòd ſit intenſior, aut remiſſior, & hoc ab externa cauſa fieri poteſt per ſimilem aut contrariam qualitatem; vel modificatur, quia à parte principe eleuatur tamquam inſtrumentum, & hoc non, quia qualitates primæ non ſunt inſtrumentum reſpectu operationum gradus ſenſitiui,ex D.Thom.1.*p.q.7.art.1.* Ergo per influxum non communicatur aliqua temperiei modificatio. D

Præterea: quia ſi qualitas modificata communicaretur à corde per ſpiritus vitales, à cerebro per animales, ipſis communicatis ſpiritibus fierent actiones in partibus, ad quas deſcendunt ſpiritus: ſed ceſſat operatio in partibus, ſi altera qualitas non influat requiſita pro operationibus: ergo qualitas influens diſtincta eſt à primis, quæ mediis ſpiritibus communicari poſſunt. Probatur minor ex Gal. qui *lib.an ſanguis in arteriis contineatur.* docet, quòd ſi ligetur arteria, partes infra ligaturam non pulſant, etiam ſi calamus immittatur per quem deſcendant ſpiritus: ergo etiam ſi deſcendant ſpiritus cum calore modificato ceſſat actio.

Probatur 2. Sicut cœlum ſe habet ad huius vniuerſi inferiora,ſic ſe habent partes principes ad reliquas non principes partes: ſed cœlum non ſolum mediis primis qualitatibus coadiuuat horum inferiorum operationes, ſed mediis occultis, & ſuperioris ordinis facultatibus: ergo partes principes non ſolùm mediis ſpiritibus temperamentum per primas qualitates adintegrant, ſed mediis occultis aliis ſuperioris ordinis vltimò diſponentibus pro actionibus. A

Probatur 3. Pro operationibus ſenſitiui gradus perfectior diſpoſitio ſequitur,cùm perfectiores ſint,quàm pro operationibus gradus vegetatiui: ſed pro actionibus gradus vegetatiui complerur diſpoſitio per primas qualitates,& alias,quæ ex eis ſubſequuntur: ergo vltra illas pro operationibus gradus ſenſitiui debet diſpoſitio adimpleri per occultas qualitates eleuationis ordinis communicatas à partibus principibus.

§. III.

Pro primò adductis ſolutiones proponuntur.

Ad 1. reſpondetur: Quòd cùm qualitas influens ſit, ſine qua non poteſt aliquo modo operari facultas,ſolet à Galen. vocari facultas,& lumen; quia ſicut luminis à ſole fit communicatio in hæc inferiora, ſic influentis qualitatis à parte principe in inſtanti fit in reliquas.

Ad 2. reſpondetur: Quòd id, quod communicatur, eſt qualitas, non prima, vel ex illis ſubſequuta,ſed ſuperioris ordinis, & vltimò complens temperamentum requiſitum pro operationibus,ſicut lumen complet vltimò diſpoſitionem in medio pro receptione ſpecierum.

Ad 3. reſpondetur: Quòd à corde mittuntur ſpiritus vitales,qui communicant partibus calorem requiſitum pro operationibus gradus vegetatiui,ſed per ſubſtantiâ arteriæ influit vlteriùs qualitas ordinis ſuperioris vltimam diſpoſitionem ponens in arteria pro motu pulſus, (cuius actio ſenſitiui eſt gradus) ſimiliter cerebrum præter temperiem,quam communicat mediis ſpiritibus communicat etiam perfectiorem aliam qualitatem per influxum, qua vltimò diſponuntur partes pro operationibus gradus ſenſitiui perfectioribus. C

Resolutio IV.

Verùm vna tantùm qualitas influat à cerebro?

§. I.

Peramati,& Vegæ refertur ſententia.

Peramatus *lib. de facultatibus animæ noſtrum corpus gubernantibus*, c.12. pro quinque externis ſenſibus quinque à cerebro influxus ſpecie diſtinctos communicari docet: Vega verò *lib.1. method c.5.* tenet duplicem influentem qualitatem pro ſenſatione, & motu voluntario prouenire à cerebro: pro quibus ſtat,

Primò,Galen.*lib.1 de placitis c.4.* qui neruos alios dicere ſenſum,alios motum affirmat, & in hunc finem, *lib.9. de vſu partium c.14.* alios duros,molles alios factos fuiſſe à natura determinauit: ergo diuerſa qualitas influit pro ſenſu,ac pro motu. E

Secundò: diuerſæ potentiæ ſpecie, diuerſas ſpecie petunt diſpoſitiones; ſed ſenſus omnes ſunt facultates ſpecie diuerſæ: ergo pro quocumque illorum debet dari qualitas influens ſpecie diſtincta.

Tertiò: facultates ſenſitiuæ, & loco-motiuæ animales genere differunt: ergo diuerſis diſpoſitionibus genere indigent: ergo pro illis duplex ſaltem genere diuerſa qualitas influens debet admitti.

§. II.

Vnam qualitatem admitti debere tantum decernimus.

RESoluendum: Vnam ſufficere qualitatem influentem pro ſenſitiuis, & motiuis facultatibus à cerebro communicatam. Tenet Garcia *fen.* 1. 1. *diſp.* 30. *c.* 6. Sota-Cruz *opuſ.* 10. *in fen.* 1. 1. Valles *lib.* 2. *controuerſ. c.* 16. Martinez *lib.* 1. *tract.* 2. *q.* 6.

Probatur 1. ex Gal. *lib.* 2. *de cauſis ſymptomat. cap.* 5. *in fine.* vbi reddens rationem, vel cauſam, quare illæſo ſenſu nonnunquam lædatur motus, prouenire dicit, quia remiſſior qualitatis influentis diſpoſitio requiritur pro ſenſu, ac pro motu: ergo ſentit, quòd eadem eſt influens qualitas: conſequentia patet, quia ſi non eſſet eadem, poneret diuerſitatem in diuerſitate qualitatis influentis non in maiori, aut minori intenſione illius.

Probatur 2. Diuerſitas ſpecifica facultatum non petit ſpecificam qualitatum diſpoſitionem; ergo, etiam ſi animæ ſenſitiuæ ſint diuerſæ facultates, qualitas influens non debet eſſe ſpecie diuerſa pro illis. Probatur antecedens, in eadem parte, v.g. in cerebro cum eadem numerica primarum qualitatum diſpoſitione fiunt non ſolùm omnium rectricium facultatum: ſed & vegetabilium operationes: ergo ſimiliter omnes ſenſitiuæ, & locomotiuæ facultates, vnica influente à cerebro qualitate, poſſunt operari.

Probatur 3. Vna ſpecie lux complet vltimam diſpoſitionem in corpore diaphano, vt recipiantur ſpecies omnium colorum, quantumvis ſpecie differant: ergo vna qualitas influens à cerebro ſufficit diſponere pro operationibus diuerſarum potentiarum ſpecie. Conſequentia patet; nam non eſt diuerſa ratio de qualitate diſpoſitiua ad recipiendum, & de diſpoſitiua ad agendum quantum ad hoc.

Dices: quòd diſpoſitiones ad recipiẽdas formas ſpecie diſtinctas in materia ſunt diſtinctæ ſpecie iuxta diuerſitatem formarũ, & quòd idẽ de diſpoſitionibus ad operandum reſpectu diuerſarum potentiarum eſt dicendum.

Contra: ex eiſdem ſpecie qualitatibus primis ſecundùm diuerſam intenſionem, vel combinationem fiunt diuerſæ diſpoſitiones receptiuæ, aut conſeruatiuæ pro diuerſis ſpecie formis: ergo ſimiliter ex diuerſa intenſione influentis qualitatis à cerebro, vel ex diuerſa commixtione eius cum qualitatibus primis combinatis diuerſo modo, diuerſa fiet pro diuerſis facultatibus diſpoſitio.

§. III.

Argumentis adhibetur ſolutio.

AD 1. negatur conſequentia: Quia licèt eadem ſit qualitas influens pro ſenſu, & motu, & plerumque per eoſdem neruos deſcendit ad vtrumque, aliàs verò per alios neruos ad ſenſum, per alios ad motum deſcendit; & ideò alios ſenſum, alios motum communicare docet Galen. id eſt alios diſpoſitionem pro partibus ſenſitiuis, alios pro motiuis: & tunc contingit craſſiores eſſe neruos, qui terminantur in partes locomotiuas, quàm in ſenſitiuas, quia & illæ, quàm iſtæ ſicciores ſunt; & nerui, qui in ipſis terminantur iuxta earum naturam acquirunt modum ſubſtantiæ.

Ad 2. negatur minor: Quia poteſt vna qualitas eſſe diſpoſitio pro pluribus potentiis, præcipuè ſi ſint intra eundem gradum vitæ, immò, & in diuerſis contingit; ſic temperies qualitatiua eadem in eodem organo pro vegetatiuis, & ſenſitiuis potentiis diſponit debitè.

Ad tertium negatur conſequentia, patet enim ſolutio ex nuper dictis.

RESOLVTIO V.

Vtrùm à corde vna tantùm influat qualitas?

§. I.

Dubitandi deducitur ratio.

QVi pro diuerſis potentiis diuerſam influentem qualitatem dari contendunt, diuerſaſque admittunt pro ſyſtole, & diaſtole facultates, conſequenter à corde duplicem influentem qualitatem communicari contendunt, pro quibus ſtant rationes pro antecedenti reſolutione adductæ.

§. II.

Veritas proponitur.

REſoluendum: Vnam tantùm qualitatem pro ſyſtole, & diaſtole communicari à corde.

Probatur 1. Hæc reſolutio omnibus rationibus, quibus manet antecedens reſolutio probata, adhuc ſi eſſet duplex facultas.

Probatur 2. Facultas pulſifica, quæ dilatatur, & comprimitur eſt vna: ergo qualitas, quæ pro motu influit à corde eſt vna. Probatur antecedens ex Gal. *lib.* 2. *de præſag. ex pulſibus, c.* 10. dicente: Quòd corpus cordis facultatem quandam obtinet, quæ diſtendit, & contrahit: & Auic. *fen.* 1. 1. *doct.* 6. *c.* 3. vbi ait: *Et ſimiliter viuentibus animalibus propter operationum eorum diuerſitatem ipſa dilatat, & comprimit, ſimulque mouet*: Quòd idem patet, cùm enim in eundem finem tendant dilatatio, & compreſſio, vna ſufficit facultas: ergo facultas pulſifica, quæ dilatat, & comprimit, vna eſt.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm à iecore aliqua influat qualitas pro actionibus vegetatiuis?

§. I.

Auicennæ opinio refertur, & fulcitur.

BArbari ſcriptores affirmatiuam partem tenentur, ducti ex Auic. *fen.* 1. 1. *c. de virtutibus, §. & huius quidem ſpeciei ſedes, & operationum ipſius proceſſus eſt hepar, &c.* Actuarius *lib.* 1. *de ſpiritu animali.* Aprodiſ. 2. *problem.* 63. Fernandez, & alij.

Probatur 1. ex Galen. *lib.* 7. *method. c.* 1. dicente: *Hanc de his particulis illud arbitror, didiciſti, cerebrum neruis, ac muſculis, cor arteriis, iecur venis virtutem ſuppeditare, &c.* Et idem affirmat *lib.* 2. *acutorum, comm.* 47. *lib. de ſanguinis miſſione, capit.* 7. *lib.* 6. *de placitis, cap.* 3. aliiſque in locis.

Probatur 2. Cor, & cerebrum conſtituuntur in ratione partium principum præcisè, quia ab illis influit qualitas neceſſaria, vt diſpoſitio pro ſenſitiuis operationibus: ſed iecur eſt pars princeps: ergo conſtituitur in eſſe talis præcipuè per hoc quòd influit in potentias vegetatiui gradus.

Dices: quòd iecur mittit materiam communem operationibus vegetatiuis, & per hanc conſtituitur in eſſe partis principis.

Contra

Contra:cor etiam producit ſpiritus vitales, & cerebrum ſpiritus animales, quos per reliquas corporis partes mittunt & mediis illis, ipſis temperiem communicant, & hoc non obſtante, non conſtituuntur in eſſe partium principum, niſi ratione qualitatis ab ipſis proximè fluentis: ergo ſimiliter iecur etiam ſi communicet materiam communem, non eſt pars princeps, niſi communicetur influens qualitas.

Probatur 3. Si propter aliquam rationem non eſſet admittenda qualitas influens in iecore, maximè quia non poſſent pati partes in ſuis vegetatiuis operationibus per conſenſum ab illo, ex doctr. Gal. 1. *loco cap. vltimo*: ſed poſſunt vegetatiuæ facultates pati per conſenſum defectu influxus: ergo iecur influit in illas pro operationibus vegetatiuis.

§. II.

Communior præfertur ſententia.

RESoluendum: Nullam influentem qualitatem communicari à iecore. Sic tenet Petrus Garcia *fen.* 1. *t. diſp.* 30. Valleſius *lib.* 2. *controuerſ. cap.* 16. Martinez *lib.* 1. *tract.* 2. *q.* 6. Santa-Crux *in fen.* 1. 1. *opuſc.* 10. Santorius *in artem medicinalem q.* 36.

Probatur 1. ex Galen. *lib.* 1. *de locis, cap. vlt.* dicente: *Atque in hac re plurimum differunt naturalia ab animalibus inſtrumentis, ſiquidem naturalibus connatam actionis vim eſſe, animalibus vero inſtrumentis à principio, veluti lumen à ſole, ipſam defluere iam oſtenſum eſt*: (ſubditque) *quamobrem ſolis partibus, quæ & ſentiendi, & mouendi vim habent, accidit vt ipſis nequaquam affectis, nihilominus earum actio pereat. id quod in naturalibus inſtrumentis accidere non ſolet, prius enim ea affici neceſſum eſt, quàm actio lædatur, &c.*

Probatur 2. Si à iecore communicaretur influens qualitas, ſequeretur, quòd ſectâ venâ, partes infra ligaturam, immiſſo calamo, non operarentur, ſicut à ſimili demonſtrauit Gal. partes infra neruum, vel arteriam ligatam operari: ſed operantur ex ipſo; fieret enim ex ſanguine immiſſo nutritio: ergo quia nulla influit qualitas.

Probatur 3. Si iecur communicaret reliquis ſenſitiuis potentiis qualitatem influentem, dum per morbum impedientem in ipſo illius communicationem reliquæ partes non operarentur, ipſi ſecundum artem deberent applicari remedia: ſed in defectu operationis cuiuſuis vegetatiuæ potentiæ in quauis parte extra iecur, nunquam iecori ab aliquo remedia apponuntur pro tali actione exequenda, ſicut applicat vertebris Galen. pro manus ſenſitiuis operationibus: ergo à iecore nulla vis influens communicatur.

§. III.

Soluuntur pro Auicenna adducta argumenta.

AD 1. dicimus Galen. & alios Authores poſſe intelligi de influxu materiei, quæ à iecore per venas communicatur in reliquas corporis partes in nutrimentum earum; ratione cuius iecur pars princeps conſtituitur.

Ad 2. reſpondetur pro vltima replica, negando conſequentiam: Quia cor, & cerebrum mediis ſpiritibus communicant qualitates, quæ in partibus non ſolum ſunt diſpoſitio pro operationibus ſenſitiui gradus: ſed etiam pro operationibus gradus vegetatiui, quod præcipuè apparet in corde, quod communicat calorem, ſine quo plurimæ vegetatiuæ operationes non poſſent operari, vlterius verò cerebrum pro ſenſitiuis perfectioribus operationibus, cor pro

A minus perfectis alias mittunt qualitates, quæ complent diſpoſitionem, aptitudinemque tribuunt pro operari, iecur verò nullam huius ordinis mittit qualitatem, quia primæ ſufficiunt pro actionibus gradus vegetatiui, vt apparet in plantis, mittit tamen materiam, circa quam hæ operentur facultates, ſine qua non poſſent operari: & ideò iecur princeps eſt reſpectu illarum, quia aliquid communicat ſimpliciter neceſſarium, vt operentur.

Ad 3. diſtinguo minorem: Qualitates vegetatiuæ poſſunt pati per conſenſum defectu influxus à iecore communicati, nego, defectu influxus qualitatiuæ temperiei communicabilis à corde, concedo minorem. Facultates enim vegetatiuæ dependent à corde qua-
B tenus ipſis communicat calorem, qui eſt apta diſpoſitio pro his actionibus, & dependent à iecore quatenus materiam ſubſternit circa quam operantur, quia ex Ariſt. *lib.* 3. *de anima*, facultas vegetatiua eſt quæ agit circa alimentum, hinc prouenit, quòd ſi illi ſubſternatur materia à iecore, & à corde ſpiritus, partes non patiuntur per conſenſum cum iecore, ex quo infertur, quòd nullam qualitatem ab illo recipiant, aliàs ipſo læſo, etiam ſi ſpiritus, & humores reciperent, poſſent per conſenſum pati.

RESOLVTIO VII.

C
Vtrùm teſtes influant pro actionibus indiuidui, in quo ſunt?

§. I.

Partis negatiuæ ponuntur fundamenta.

OMnium authorum communis ſententia eſt, teſtes, eſſe tantum partes Principes reſpectu ſpeciei, non verò reſpectu indiuidui, & ideò ſolùm materiam communem pro ſpeciei conſeruatione tribuere, pro quibus ſtat.

Primò: quòd nullæ ſunt viæ communes, ſicut in corde, & cerebro, quibus cunctis partibus communicetur
D aliqua influens qualitas: ergo nulla influit qualitas ab illis pro actionibus indiuidui.

Secundò: in qualibet parte, ſi reliquæ partes principes influunt in illas, eſt quidquid requiritur pro ſuis eliciendis operationibus: ergo nulla requiritur influens à teſtibus. Probatur antecedens, abſciſſis teſtibus, fiunt omnes operationes in animali neceſſariæ, & debitæ: ergo eſt in parte, ſi non deficiat influxus à cerebro, & corde, quidquid requiritur pro operationibus.

Tertiò: ſi influeret qualitas à teſtibus neceſſaria pro operationibus, eſſet ſimpliciter neceſſaria pro illis, ſicut reliquæ qualitates influentes: ſed non eſt neceſſaria, niſi vt plurimum ad melius eſſe: ergo non influit. Probatur minor, deficientibus teſtibus, reli-
E quarum partium operationes fiunt: ergo non ſunt neceſſarij teſtes ad operationes reliquarum partium ſimpliciter.

§. II.

Affirmatiua pars præfertur, & probatur.

REſoluendum: A teſtibus communicari qualitatem influentem, viris virilitatem, fœminis verò fœmineitatem tribuentem.

Probatur 1. Ex Gal. *lib.* 1. *de ſemine cap.* 16. qui hanc reſolutionem his verbis docet: *Quid igitur mirandum, ſi quemadmodum mouendi, ac ſentiendi facultas à cere*

à cerebro in neruos, pulſandi à corde in arterias diffunditur, ita quoque à teſtibus in totum corpus vim quandam diſpergi dicamus, quæ quidem in maribus robuſti, atque maſculi habitus, in fœminis ipſius fœminea naturæ cauſa eſt; ac propterea efficitur, vt fœmina ſciſſis teſtibus mari caſtrato ſimilis euadat, &c.

Probatur 2. Naturalis habitus mutatur in fœminis, & maſculis, abſciſſis teſtibus, & in aliam naturam migrare videntur, quam nullo modo poſſunt acquirere, ipſis non abſciſſis: ergo aliquid ab ipſis influit in partes, ratione cuius in virilitate, & fœmineitate ſibi debitis conſeruantur. Antecedens patet experientiâ in eunuchis, qui mente, loquela, corporis habitu, viribus, atque moribus ita à non eunuchis, & à ſe ipſis antecedenter conſideratis differunt, vt in aliam videantur commigraſſe naturam.

Probatur 3. Proprius modus ſubſtantiæ debitus naturæ cuiuſuis animalis, abſciſſis teſtibus, immutatur: ergo quia deficit aliquid ab eis communicabile, quo in proprio & naturali eſſe conſeruetur. Probatur antecedens in animalibus caſtratis, quæ propter huiuſmodi immutationem aptiora redduntur pro nutritione, ſapor, & alia quamplurima immutantur in eis accidentia: ergo quia immutatur ſubſtantiæ modus abſciſſis teſtibus.

§. III.

Primò poſita fundamenta diluuntur.

AD 1. diſtinguo conſequens: ergo nulla influit qualitas per vias patentes, & manifeſtas, concedo: per vias occultas, & ignotas, nego conſequentiam. Influens enim qualitas, vt diximus, communicatur per continui alterationem, per occultas vias, & poroſitates, vel per venas per quas communicant teſtes cum toto corpore, & ſanguinem recipiunt pro ſeminis materia.

Ad 2. diſtinguo antecedens: In qualibet parte eſt quidquid requiritur, ſi reliquæ partes influant pro eliciendis operationibus ſine virilitate, concedo: pro eliciendis illis cum virilitate, aut fœmineitate, nego antecedens. Eunuchi enim quaſi cuiuſdam tertiæ fiunt naturæ, & ideò omnes ſuas actiones modo imperfectiori eliciunt, quantumuis reliquæ influant partes principes.

Ad 3. diſtinguo maiorem: Eſſet ſimpliciter neceſſaria pro actionibus quantum ad earum entitatem, nego: quantum ad virilitatem requiſitam in illis, concedo maiorem. Cùm enim actiones petunt non ſimpliciter fieri tantùm, ſed prout conuenit ſexui maris aut fœminæ, ideò, vt fiant abſolutæ, & perfectæ prout virum aut fœminam decent, ſimpliciter neceſſaria eſt qualitas, qua virilitatis, aut fœmineitatis afficiendæ modus acquiratur.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm qualitas, quæ influit, à cerebro reſultet?

§. I.

Partis negatiuæ fundamenta adducuntur.

EX moderníoribus aliqui qualitatem in cerebro, non oriri à cerebri ſubſtantia, ſed à forma ſpirituum animalium reſultare contendunt: pro quibus ſtat,

Primò Galenus, *qui lib. 7. de placitis cap. 3.* docet, A quòd ſi cerebri ſubſtantia denudetur à craneo, & meningibus, animal non priuatur ſenſu, & motu, & addit: *Etiam ſi cerebrum ipſum quomodocumque incidas, primo non ſenſum, & motum amittet animal quo ad aliquem ventriculum vulnus penetrauit, &c.* Ergo, quia penetratione euacuantur ſpiritus animales, à quibus qualitas pro ſenſu, & motu communicabatur priùs.

Secundò: in apoplexia, paralyſi, & animi deliquio, ideò partes inferiores priuantur ſenſu, & motu, quia ſpiritus non poſſunt communicari in partes inferiores: ergo ex illis fit qualitatis influentis communicatio. Probatur conſequentia, ſi qualitas influens communicaretur à cerebri ſubſtantia, etiam ſi non B poſſent ſpiritus communicari, communicaretur qualitas: ſed non communicatur, ſpiritibus non communicatis: ergo, quia fit ab illis influentis qualitatis communicatio.

Tertiò: ſpiritus animales producuntur in cerebro: ſed non ob alium vſum, niſi vt ab illis qualitas influens neceſſaria pro motu, & ſenſu pullulet, & communicetur partibus: ergo ab animalibus ſpiritibus pullulat influens qualitas, quæ communicatur à cerebro.

§. II.

Affirmatiuæ acquieſcit parti communior Medicorum aſſenſus.

C

REſoluendum: Qualitatem influentem, quæ à cerebro communicatur pro ſenſu, & motu, pullulare immediatè ab ipſius cerebri ſubſtantia: tenet Petrus Garc. *diſp. 30. in fen. 1. 1. cap. 1.* Santa-Crux *in fen. 1. 1. opuſc. 10. capit. 3.* Vall. *lib. 3. controu. cap. 14.*

Probatur 1. ex Galen. *qui lib. 7. method. cap. 2.* dicit: *Ex quibus omnibus rectè dictum eſſe conſtat, cerebrum, tum ſenſuum omnium, tum incitatorij motus in animalibus originem eſſe, &c.* Ergo ex Galen. cerebrum influentis qualitatis eſt origo, & principium.

Dices Galen. docere produci à cerebro, non quia immediatè fiat ab ipſo, ſed mediatè, quatenus cerebrum D producit ſpiritus animales, à quibus immediatè producitur illa qualitas.

Contra: reliquæ qualitates, quæ producuntur ab ſpiritibus animalibus non dicuntur produci à cerebro, nec calor, qui ab ſpiritu vitali partibus communicatur, non dicitur communicari à corde: ſed ab ipſis ſpiritibus vitalibus: ergo ſimiliter influentem qualitatem, ſi produceretur ab ſpiritibus animalibus, ab ipſis, & non à cerebro diceret Galen. produci.

Confirmatur: illa eſt pars princeps, quæ qualitatem pro ſenſu, & motu influentem communicat, & E producit: ergo ſi immediatè ſpiritus illam communicarent, & producerent, ipſi deberent dici à Galen. pars princeps, non verò cerebrum.

Probatur 2. Sic ſe habet cor ad qualitatem influentem pro motu arteriarum, ſicut cerebrum ad qualitatem neceſſariam pro ſenſu, & motu; cùm quodlibet ſit pars princeps propter qualitatem ab ipſo communicatam: ſed cor cauſa eſt proxima, à qua qualitas influens ortum ducit: ergo ſimiliter, & cerebrum pro influente qualitate pro ſenſu, & motu. Probatur minor, ex Galen. *lib. an ſanguis in arterijs contineatur*, & admittitur ab omnibus.

Probatur 3. Qualitas influens eſt diſpoſitio neceſſaria in partibus pro ſenſus, & motus operationibus eliciendis, & ſine qua in ſtatu naturali animal non poteſt conſtitui: ſed omnia accidentia, quæ naturalem

turalem conſtitutionem adintegrant, cum producuntur A à forma, cuius ſunt diſpoſitiones : ergo hæc influens qualitas ab illa media cerebri ſubſtantia, & non ab ſpiritibus debet produci. Probatur minor, in primis, & ſecundis qualitatibus requiſitis pro animalis debita conſtitutione, quæ omnes ab ipſius fiunt forma.

Dices: naturalem diſpoſitionem poſſe adintegrari ex externis qualitatibus, vt patet de calore debito animali, qui ab ſpiritibus communicatur.

Contra: ideò corpus animam recipit, quia ſubſtantificum, & qualitatiuum temperamentum connaturale habet pro illius receptione, & conſeruatione: ergo quælibet pars habet, & ſubſtantificum, & quali- B tatiuum temperamentum pro ſuis actionibus connaturale, licet in ſubſidium cauſarum externarum petat in ſui conſeruationem principium externum, à quo calor naturalis poſſit conſeruari.

§. III.

Negantis partis ruunt fundamenta.

AD 1. dicendum: Quòd cùm intra cerebri ventriculos ab illius ſubſtantia producatur illuſtratiua qualitas, ipſa permanet, donec ex vulnere fiat ſolutio continuitatis, per quam poſſit reſolui, aut ab ex- C trinſeco frigore oppugnante contrarietate corrumpi.

Ad 2. reſpondetur: Quòd in apoplexia, & paralyſi, impeditur non ſolum ſpirituum, ſed illius qualitatis communicabilis à cerebro tranſitus, ſicut clauſâ feneſtrâ, lucis tranſitus in cubiculum impeditur, immò à denſiori nube ex toto impediri contingit.

Ad 3. negatur minor: Quia ſpiritus animales præter alios vſus requiruntur in cerebro, vt communicent neruis, per quos qualitas influens fertur, quandam diſpoſitionem requiſitam, vt poſſint influentem qualitatem recipere, ſcilicet humiditatem, qua meliores fiunt, ſunt enim cerebro duriores in medulla, quod innuit Galen. *lib. 7. de placitis cap. 5.* dicens: *At neruum eandem cum cerebro ſubſtantiam habere conſtat, niſi quatenus compactiori materia conſtitutus eſt, ne facile a quolibet* D *pateretur, eatenus à cerebri natura videtur receſſiſſe, & quatenus compactus induruit, eatenus aſſiduo cerebri auxilio indiget, nam ſi talis, quale eſt cerebrum, prorſus remanſiſſet, nulla eius ope indiguiſſet, &c.*

Resolvtio IX.

Vtrùm omnis influens qualitas à cerebro, an ab eius fiat membranis?

§. I.

Fernelij opinio refertur. E

FErnelius *lib. phyſiolog. c. 10.* iudicat qualitatem pro motu influere à cerebro, qualitatem pro ſenſu ab ipſius cerebri membranis; his commotus,

Primò: ſubſtantia cerebri continuò mouetur, numquam tamen ſentit, membranæ eius ſentiunt, & non mouentur: ergo influit qualitas pro motu à cerebri ſubſtantia, pro ſenſu ab illius membranis.

Secundò: nerui, qui multam habent medullam, ſunt motus inſtrumenta, & terminantur in partes motui deſeruientes: nerui qui habent paucam medullam, deſeruiunt pro ſenſu, & terminantur in partes deſtinatas pro ſenſatione: ergo quia à ſubſtantia cerebri influit qualitas pro motu, & à membranis pro ſenſu.

§. II.

Contraria opinio præfertur.

REſoluendum pro motu, & ſenſu vnam influere qualitatem à ſola cerebri ſubſtantia, ſic tenet Vall. *lib. 2. controuerſ.* Garc. *diſp. 30. in fen. 1. 1.* Santo I. *in artem medicinal. q. 38.* & eſt communis contra Fernelium.

Probatur 1. Ex Galen. *lib. 7. de placitis cap. 3.* qui demonſtrat ab ipſius cerebri ſubſtantia influentem qualitatem prouenire.

Probatur 2. Ex eodem Gal. *lib. 7. de placitis c. 3.* vbi docet non prius ſenſum amittere animal, quàm ad aliquem ventriculum vulnus penetrauerit: ergo quia ab ipſa ſubſtantia producitur qualitas. Probatur conſequentia; aliàs membranâ vulneratâ, etiam qualitas ab illa orta non communicaretur.

Probatur 3. Ex Galen. nerui per medullam communicant qualitatem: ergo ab ipſa cerebri ſubſtantia producitur. Conſequentia patet, nam per ſimilem ſubſtantiam communicatur ac producitur.

§. III.

Argumentis Fernelij reſpondetur.

AD 1. dic: Quòd cerebrum eſt principium ſenſus naturalis, nerui ſenſus voluntarij; & ideò ex motu cerebri non infertur, quòd ſit principium qualitatis conducentis ad motum voluntarium: neque ex eo, quòd pars moueatur, influit qualitas ab illa; aliàs enim à pluribus aliis partibus poſſet influere.

Ad 2. Reſpondetur ſuppoſitum eſſe falſum, ampliores enim nerui ſunt optici, qui deſeruiunt pro ſenſu, viſione ſcilicet; quam deſeruientes pro motu.

Resolvtio X.

Vtrùm influens qualitas à cerebro, & corde, fiat mediâ ſenſitiuâ facultate?

§. I.

Suadetur pars affirmatiua.

ALiqui ex Modernioribus contendunt ab anima in cerebro produci qualitatem pro ſenſatione, & motu, in corde pro arteriarum motu, media aliqua vitali facultate in corde; in cerebro medio ſenſu communi, ſiue appetitiua facultate.

Probari poteſt hæc ſententia primò: Quia hæc influens qualitas non producitur in ente naturali, aut vegetatiuo: ergo media potentia perfectiori debet produci: ſed potentiæ perfectiores ſupra vegetatiuas ſunt ſenſitiuæ: ergo, media aliqua illarum, anima producit hanc qualitatem.

Secundò, vel anima ſenſitiua producit influentem qualitatem ſe ſolâ immediatè, vel media aliqua facultate: ſed non ſe ſolâ, quia ſubſtantia non eſt immediatè operatiua: ergo media aliqua facultate: ſed non media facultate gradus naturalis; nulla enim talis aſſignari poteſt, vt ex ſufficienti partium enumeratione conſtat: ergo media vitali facultate.

Tertiò: probatur ex Ariſt. qui *lib. 3. de anima*, docet ſenſum communem eſſe principium operationum ſenſuum exteriorum: ſed nullo alio modo concurrit ad eorum actiones, niſi quatenus producit influentem qualitatem, media qua, coadiuuat ad eorum efficientiam: ergo in cerebro à ſenſu communi fit influens qualitas,

§. II.

§. II.

Pars tenenda reſoluitur.

Reſoluendum: Ab anima media cerebri, cordis, & teſtium ſubſtantia pullulare influentes qualitates ſine eo quòd aliqua earum fiat à vitali aliqua facultate, tenet Santa-Crux, Petrus Garc. Valleſius, Santorius *locis citatis*, pro reſolutione antecedenti.

Probatur 1. Si facultas influens produceretur media aliqua facultate vitali, deberet produci tanquam terminus talis facultatis: ſed nullius facultatis vitalis eſt terminus: ergo non producitur ab anima media aliqua vitali facultate. Probatur minor; nam neque eſt terminus facultatis vegetatiuæ, aliàs enim vel miniſtrantis, vel miniſtratæ alicuius facultatis eſſet terminus. Neque eſt terminus facultatum gradus ſenſitiui, aliàs enim, vel eſſet vbicatio, vel ſenſatio, quorum omnium nullum eſt, vt de ſe patet: ergo nullius facultatis vitalis eſt terminus.

Probatur 2. Entitas, quæ influit, eſt qualitas: ergo actio per ſe primò tendens in illam debet eſſe alteratio: ſed nullius facultatis vitalis actio eſt alteratio: ergo qualitatis influentis productio non eſt à facultate vitali.

Probatur 3. Qualitas influens eſt qualitas adimplens naturalem viuentis ſenſitiui temperiem: ergo debet produci ab anima, ſecundùm modum quo reliquas qualitates in temperiem adintegrantes producit: ſed reliquas producit, vt naturalis forma eſt: ergo hanc ſimiliter producit. Probatur minor, reliquæ ſunt primæ qualitates, & quæ ſequuntur ea eis: ſed illæ naturali modo in animatis, & in inanimatis fiunt: ergo.

§. III.

Primò adducta argumenta diluuntur.

Ad 1. negatur conſequentia: Quia licèt influens qualitas producatur ab anima, vt naturalis forma eſt, non producitur in entibus merè naturalibus, aut vegetatiuis, quia nec pro actionibus illarum formarum neceſſaria eſt diſpoſitio, neque in illis aliqua reperitur pars, quæ talem habeat ſubſtantiæ modum, vt poſſit hæc qualitas reſultare; & ideò ſolùm inuenitur in animali perfecto, in quo partes ſunt cum tali ſubſtantiæ modo, ex quo reſultat.

Ad 2. diſtinguo minorem: Anima non producit ſe ſolâ illam qualitatem tanquam principium quod, concedo: tanquam principium quo, nego minorem. Cum enim ad generans pertineat tribuere genito & ſuum eſſe, & quidquid ſequitur ad illud eſſe, & eſt neceſſarium pro conſeruatione illius, generans mediâ generatiuâ virtute producit genitum tanquam terminum primarium; diſpoſitionem verò ſui conſeruatiuam, & potentias, ac proprias paſſiones tanquam terminum ſecundarium: iſtæ tamen quia vt quo fiunt mediâ formâ productâ, dicuntur ab illa fieri: quod idem de reliquis qualitatibus adintegrantibus naturalem diſpoſitionem dicendum.

Ad 3. negatur minor: Senſus enim communis dicitur principium operationum ſenſuum externorum ſcilicet diſtinctiuum, nam licèt ſenſus externus quilibet ſuum obiectum percipiat, non diſcernit inter obiecta, cùm reliqua non poſſit cognoſcere, nec percipere: ſenſus verò communis obiectorum omnium externorum eſt cognoſcitiuus, & ideò eſt principium diſtinctionis eorum, & primus ex potentiis, qui omnia illa cognoſcit.

A

Resolvtio XI.

Vtrùm influens qualitas communicetur irradiatione?

§. I.

Proponuntur ſententia opinantium, & Galen. ac Auic. diſſenſus.

Pro hac dirimenda difficultate diſſentiunt Galenus, & Auicenna: hîc *fen.* 1. 1 *doctr.* 6. Partem negatiuam defendit, & adhæret ei Barbarorum ſchola, ex modernioribus Andr. Laurent. *lib.* 5. *de hiſtoria anatomica. c.* 13. *q.* 12. Santa-Crux *in fen.* 1. 1. *opuſc.* 10. Veiga *lib.* 1. *de locis affectis.* Vega *lib.* 1. *method.* Mercatus *tom.* 1. *de principiis, part.* 4. *claſſ.* 3. *art.* 1. Peramatus *lib.* 6. *de facultatib. c.* 15. Fernelius *lib. partis naturalis, c.* 13. qui de facultate, quæ deſcendit à cerebro, id contendunt comprobare: Iſaac verò idem aſſerit de qualitate orta à corde. Galen. verò tenet partem affirmatiuam, *lib.* 1. *de ſemine c.* 15. *&* c. 16. *lib. de locis affectis, c.* 7. *&* 7. *lib. de placitis lib.* 1. *de cauſis pulſuum, & lib.* 1. *de ſymptomat. cauſis, c.* 5. ſequuntur Vall. *lib.* 3. *controuerſ. c.* 3. Santorius *in artem medicinalem. q.* 35. Segarra *in præfatione lib. de facultatibus.* Petr. Garc. *fen.* 1. 1 *diſp.* 30. *c.* 5. Martinez, & alij.

§. II.

Reſpectu cordis, & teſtium deciditur dubitatio.

Reſoluendum 1. A teſtibus, & corde ſola irradiatione communicari influentem qualitatem. De teſtibus id conuincitur ea eo quòd nullos generent ſpiritus. De corde verò, dempto Iſaac, nullus negauit; demonſtrauit Galen. *lib. an ſanguis in arteriis contineatur*, experimento æneí calami per quem licèt penetrant ſpiritus, ſi arteria ligatur, infra ligaturam defectu qualitatis non mouentur arteriæ.

§. III.

Influxus à cerebro explicatur modus.

Reſoluendum 2. Influentem cerebri qualitatem irradiatione communicari in omnes partes, quæ extra cerebrum ſentiunt, aut mouentur.

Probatur 1. influens qualitas non oritur à forma ſpirituum: ſed immediatè à cerebri ſubſtantia, vt probauimus: ergo etiam ſi ſpiritus deſcendant ad partes, non habent qualitatẽ influentem, niſi illis communicetur à cerebro, à quo poteſt eodem modo communicari reliquis partibus: ergo prius quàm ſpiritus valeant communicare qualitatem à cerebro receptam, poteſt eadem qualitas irradiatione communicari partibus ab ipſo cerebro.

Probatur 2. A corde irradiatione communicatur influens qualitas: ergo à cerebro communicatur irradiatione. Conſequentia patet à paritate; antecedens ex nuper dictis.

Probatur 3. Si ex aliquo poſſet inferri, qualitatem communicari per ſpiritus, ex eo quia in obſtructione, ligatura, vel compreſſione nerui fit infra illum priuatio ſenſus, & motus: ſed valet contingere etiam ſi ſola irradiatione deſcendat qualitas: ergo communicatur irradiatione. Probatur minor; etiam ſi irradiatione deſcendat à corde qualitas pro arteriarum motu, infra ligaturam non pulſat arteria, vt demonſtrauit Galenus: ergo licèt irradiatione

tione communicetur à cerebro, ligato, oppreſſo, vel obſtructo neruo, infra ligaturam, deficiet motus, vel ſenſatio.

Confirmatur 1. Etiam ſi irradiatione communicetur qualitas influens, ſine debita diſpoſitione non recipietur in partibus inferioribus: ſed ad illius receptionem pars diſponitur per qualitatem ab ſpiritibus communicatam: ergo etiamſi irradiatione communicetur, non communicatis ſpiritibus, poteſt ſenſatio, & motus in parte inferiori impediri.

Confirmatur 2. Lux etiam ſi irradiatione communicetur compreſſa, ſiue denſata nube, impeditur: ergo compreſſo neruo, ſiue ligato, poterit impediri qualitas irradiatione communicabilis.

Probatur 3. Factâ ligaturâ in neruo, infra illam ſtatim deficit ſenſus, & motus; ſed facta ligatura, non ſtatim deficiunt ſpiritus animales: ergo defectu qualitatis, quæ irradiatione communicatur, & non defectu eius, quod communicatur ab ſpiritibus, deficit ſenſus, & motus. Probatur minor, ſpiritus infra ligaturam non deficiunt, quia efficienter dependeant in ſua conſeruatione à cerebro, ſicut dependet qualitas influens, ſed quia ab aliquo contrario corrumpuntur: ſed corruptio à contrario non eſt inſtantanea: ergo non ſtatim corrumpuntur.

§. IV.

Irradiatione ſuperadditur neceſſitas ſpirituum.

RESoluendum 3. Quòd licèt irradiatione communicetur qualitas influens, requiritur vlterius communicatio in partes ſpirituum animalium, vt ab eis diſpoſitionem recipiant, qua ſint aptæ recipere qualitatem per irradiationem communicatam.

Pro cuius comprobatione nota, quòd ad hoc quòd ſpiritus animales poſſint per neruos communicari non eſt neceſſarium quòd ſit in neruis aliqua ſenſibilis cauitas, per quam deſcendant, poſſunt enim permeare per inſenſibiles cauitates, ſiue poroſitates illorum, ſicut & poſſunt humores nutrientes, licet craſſioris ſint ſubſtantiæ, per inſenſibiles cauitates oſſis permeare.

Probatur 1. Nerui ſubſtantia, vt probauimus ex Galen. durior eſt, quàm ſubſtantia cerebri: ſed cerebri ſubſtantia fuit à natura producta omninò proportionata pro receptione illius qualitatis: ergo vt nerui ſubſtantia fiat aptum ſubiectum talis qualitatis, debet aliqualiter ab ipſa ſpirituum luciditate apta fieri pro eius receptione.

Probatur 2. Vt influens qualitas recipiatur in neruis opticis (quia maior luciditas conuenit oculo) requiritur ſpirituum animalium præſentia: ergo vt recipiatur in reliquis neruis, requiritur ſpirituum animalium præſentia. Probatur antecedens demonſtratione à Galen. facta; clauſo enim vno oculo, pupilla dilatatur in altero: ergo quia vltra incorpoream qualitatem deſcendunt ſpiritus in illam.

Probatur 3. Qui in gyrum mouentur, vel tenebricoſa afficiuntur vertigine, ſenſu, & motu priuantur, non defectu qualitatis communicabilis irradiatione, cùm à nullo poſſit detineri motus localis eius: ergo defectu ſpirituum, qui commoti, & detenti in cerebro cùm non potuerunt in partes communicari, impedita eſt diſpoſitio, quæ ab illis communicatur pro qualitate per irradiationem communicabili.

Dices: eſſe in partibus, ante aduentum ſpirituum animalium, aptitudinem, vt qualitas influens dicta educatur de earum potentia à ſimili qualitate producta à cerebro, ſicut à luce producta à Sole fit in medio productio lucis ſine alia diſponente qualitate.

Contra: licèt aliquæ qualitates poſſent educi è potentia cuiusvis ſubiecti ob nimiam agentis actiuitatem, aliæ verò ita petunt ſubiectum diſpoſitum ad ſui receptionem vt ſine diſponente qualitate non producantur ab agente, vt patet de luce, quæ non recipitur niſi in corpore diaphano, & in ſpeciebus ſenſibilibus, quæ non recipiuntur niſi in organo realiter alterato: ergo ſimiliter non poteſt influens qualitas recipi in neruo niſi diſpoſito, & modificato per qualitatem receptam ab ſpiritu.

Probatur 4. In nimio brachiorum, crurium, vel cuiusvis alterius membri motu ſiuè exercitatione pars mota laxatur, impotenſque redditur ad vlteriorem motum: ſed non defectu influentis qualitatis, quæ non habet à quo irradiatione communicari impediatur, nec agitatione, aut motu reſolubilis eſt: ergo defectu ſpirituum animalium diſponentium pro eius receptione, qui agitatione rarefiunt & reſoluuntur.

Probatur 5. In parte ſtupida contingit aliquando ſentiri ſenſum moleſtum ſpeciem referentem pungentium acuum, vel formicarum, cuius non alia aſſignatur cauſa, vt tenet Pereyra *in lib. de locis affectis*, niſi quia aduentus aliqualis ſpirituum, qui liberè deſcendentes nos irritant, delati impulſu ob non liberum tranſitum efficiunt ſuo impetu ſenſum moleſtum: ergo requiruntur ſpiritus animales in partibus, qui luciditate diſponant ad receptionem influentis qualitatis. Conſequentia patet, quia qualitas influens irradiatione communicabilis melius deſcendit per vias, per quas corporei ſpiritus deſcendunt: ſed non ſentiunt partes ante moleſtum ſenſum cauſatum per ſpirituum aduentum: ergo quia ab illis diſponitur pars in eius receptionem.

Patet ex dictis rectè concludere Auicenniſtas ſpiritus animales referri ad partes; & Gal. ſectatores influentem qualitatem irradiatione communicari: à nullo tamen vtramque ſententiam in concordiam redactam eſſe.

Patet ſimiliter minus philoſophicè procedere eos, qui à ſubſtantia cerebri produci influentem qualitatem iudicant, qui poſtea eam deferri ab ſpiritibus contendunt, cùm poſſit partibus ſemel producta communicari, ſicut & ipſis ſpiritibus.

RESOLVTIO XII.

Vtrùm qualitas influens in inſtanti communicetur?

§. I.

Dubitandi continet rationem.

ALiqui in tempore licèt quàm breuiſſimo communicari influentem qualitatem contendunt; quia cùm per ſpatium, & ad inſtans communicari deceat, neceſſe eſt, vt in aliquo licèt breui tempore deſcendat.

§. II.

Qualitatis communicationis ponit modum.

REſoluendum 1. Quòd qualitas influens à cerebro, dum ſpiritus animales non ſunt par-

tibus communicari, in tempore communicatur.

Probatur: Non poteſt in partes influens qualitas communicari, niſi ſpiritus animales communiceent illis diſpoſitionem pro eius receptione: ſed ſpiritus cùm locali motu deferantur ad illas in tempore debent ferri: ergo qualitas influens in tempore communicatur. Patet maior è nuper dictis.

§. III.

Idem proſequitur.

RESoluendum 2. Quòd à corde, à teſtibus, & ab ipſo cerebro, dum iam ſpiritus animales ſunt in partibus, influens qualitas in inſtanti communicatur.

Probatur. Qualitas hæc communicatur ab agente operante intra ſphæram ſuæ actiuitatis, & ſine reſiſtentia contrarij: ergo in inſtanti. Conſequentia patet, quia non alia ratione lux in ſtre, propriæ paſſiones in ſubiecto, & quæcumque qualitas etiam ſi habeat contrarium, dum fit ſine præſentia illius, vt calor in igne, fiunt in inſtanti, niſi ob hanc: ergo idem dicendum de productione qualitatis influentis.

§. IV.

Rationi reſpondet dubitandi.

AD 1. reſpondetur: Quòd, cùm in tota latitudine, in qua producitur, ſit ſine contrarij reſiſtentia, eadem eſt ratio, vt in omnibus eius partibus fiat in inſtanti.

A

RESOLVTIO XIII.

In quo genere cauſæ ſit neceſſaria qualitas influens?

§. I.

Aliquorum placita ponuntur.

ALiqui iudicant concurrere in genere cauſæ efficientis inſtrumentalis, ſicut calor ad vegetatiuas operationes, pro quibus ſtat ratio, non poteſt concurrere in genere cauſæ materialis, cùm non ſit qualitas ordinata ad recipiendum, Non in genere cauſæ formalis, cùm ſit ante effectum potentiarum; Non in genere cauſæ finalis, cùm ſit actu ante actionis terminum, Nec in genere cauſæ efficientis principalis, cùm nō ſit radi-
B cale, qualis anima; nec proximum, qualis potētia: ergo ſolū cōcurrit in genere cauſæ efficientis inſtrumētalis.

§. II.

Tenendum reſoluitur.

REſoluendum: Concurrere diſpoſitiuè ad agendum tribuendo potentiæ vltimam diſpoſitionem, qua vltimò actuatur, vt poſſit prorūpere in actum ſecundū.

Probatur: Non poteſt aliquo modo concurrere principaliter: ſed neque inſtrumentaliter poteſt: ergo diſpoſitiuè tantùm ad agendum. Probatur minor: Tum ex Diuo Thoma 1. *part.* q. 78. *art.* 1. *in corpore*, vbi docet nullam qualitatem corpoream poſſe concurrere inſtrumentaliter ad actiones ſenſitiuas: Tum, quia motus, & ſenſatio ſufficienter fiunt à parte inſtrumentali, in qua eſt potentia ad illorum elicientiam: Tum, quia
C nihil relucet in motu, aut ſenſatione, quod eius efficientiæ correſpondeat.

DISPVTATIO VII.

De Calido innato, & Humido radicali.

HVMANI Corporis partibus intrinſecum eſt calidum innatum, & humidum radicale, vtrumque earum conſtitutionem adintegrans, deſeruienſque pro earum prima conformatione, mutationibuſque per varia ætatum curricula; principia ſunt naturalis interitus & cauſa. Horum meminit primus omnium ſummus Dictator *lib.* 1. *aphoriſm. ſent.* 14. Ibidem illius Commentatores, Galen. Antonius Muſa Hugo, Cardanus, Mercurialis, Vall. Olerius, Ambroſius Nuñ. z, Vega, Montanus, & reliqui perluſtrarūt plura. Aliqua tetigerunt Ariſt. *lib.* 1. *de generatione animal.* *cap.* 3. Auerr. 5. *metaph. comm.* 3. Albertus Magnus *lib. paruorum naturalium comm.* 10. Auic. *de viribus cordis*. ſimiliter Scaliger *exercitatione* 280. Ex modernioribus verò horum naturam explicarunt Fernelius *lib.* 4. *phyſiolog.* Vallerlola *lib.* 1. *de locis communibus c.* 15. Gauaſetus *lib. de preludiis anatomicis à cap.* 23. Sennertus *lib.* 1. *inſtit. c.* 5. Varandæus *lib.* 1. *phyſiologia ſect.* 5. *cap.* 3. Paparela *lib. de calido innato*, Argenterius *lib. de ſomno, & vigilia tom.* 1. *claſ.* 4. Donatus ab Altomari, *q. de naturali ſpiritu*. Ioan. Lup. *lib.* 5. *dialog.* 1. Vallerius Martinez *lib.* 1. *de medicina certitudine*, Carpentarius, Caimus, Cremin, & alij.

SECTIO PRIMA.

D

De calidi innati natura.

CALORIS, à quo humanum corpus nominatur calidum, multiplex eſt acceptio; alter præternaturalis, & morboſus eſt febrilis dictus, alter naturalis, & eſt multiplex, nam vel ab ſpiritibus, aut humoribus communicatur partibus, & dicitur influens, vel ab eiſdem oritur; ſi ex partibus primogeneis acquiratur, dicitur innatus; ſi ex partibus tractu temporis acquiſitis, acquiſititius dicitur; ſi verò ex proprio partium calore, & influente coaleſ-
E cat, actuatus vocatur calor. Natiuus verò calor, qui ortum ducit ex partibus in prima conformatione acquiſitis, remanentibuſque ex principiis generationis ſanguine inquam, & ſemine, aliquando ſumitur pro ipſomet calore ex his partibus orto, aliquando pro ipſiſmet partibus, ex quibus oritur, quæ ſubſtantia calidum innatum vocatur ex Galen. 1. *aphoriſm. comment.* 14. de qua procedit diſputatio.

Resolvtio I.

Verùm detur calidum innatum in corpore humano?

§. I.

Carreiri ſuadetur opinio.

CAlidum innatum, qoòd ſit ſubſtaotia ex partibus materialibus elementorum conflata remanentibus ex principiis generationis, non eſſe admittendum in corpore humano contendit Petrus Garc.*fen.*1.*t.diſp.*18.*c.*6.*& diſp.*17.*c.*6.*& diſp.*10.*c.*4.aliiſque in locis.

Primò ſuaderi poteſt hæc pars: Quia ſi calidum innatum, & humidum radicale reperirentur in humano corpore, quorum quælibet ſubſtantia eſſet ab alia diuerſa, ſequeretur has duas ſubſtantias eſſe penetratas, cùm in quauis parte deberent reperiri; quod abſque penetratione eſt impoſſibile: ſed penetrabilitas non eſt admittenda naturaliter: ergo nec dari calidum innatum, & humidum radicale in partibus corporis humani.

Secundò: ſi calidum innatum eſſet admittendum in homine, maximè vt ſit pabulum humidi radicalis: ſed iuxta humanum corpus non poteſt vna ſubſtantia eſſe alterius pabulum: ergo non eſt admittendum. Proba- C tur minor, illud eſt alterius pabulum, quod in ſubſtantiam illius conuertitur: ſed ſub eadem forma ſubſtantiali vna ſubſtantia non mutatur ſubſtaotialiter in aliam, aliàs idem numero eſſet ſui ipſius pabulum, & terminus à quo generationis: ergo vna ſubſtantia humani corporis non poteſt eſſe pabulum alterius ſub eadem forma.

Tertiò: abſque huiuſmodi calido innato animalia, quæ ex putredine fiunt, viuunt, perficiuntur, per varias mutantur ætates, & in naturalem peruenire poſſunt mortem: ergo non eſt neceſſarium calidum innatum.

§. II.

Partem affirmatiuam amplectimur.

REſoluendum affirmatiuè: Sic tenet Galen. *lib. aduerſus Lycum.& 1.aphoriſm.comm.*14. Quem ibi ſequuntur Commentatores reliqui, Paparela *lib. de calido innato*. Argenterius *lib.de ſomno, & vigilia*, Varandæus *lib.*1.*phyſiolog.ſect.*5.*c.*4. Et reliqui citati.

Probatur 1. Ex Hipp.§. *Qui creſcunt plurimum habent calidi innati, ſentent.*14.*lib.*1.*aphoriſm.* vbi per calidum innatum, ſubſtantiam ex calidis elementis acquiſitam intelligere docet Galen. *in comm.*

Probatur 2. Hominem augeri, & per mutationes diuerſarum ætatum in varias mutari temperies tandemque in ſenectutem, naturalémque mortem peruenire eſt ſtatutum: ergo hujus euentus neceſſariam, & ineuitabi- E lem cauſam debet in ſe habere: ſed calidum innatum ex materiis elementorum contractum eſt neceſſaria huiuſmodi cauſa, vt *tract. de ætatibus* probauimus: ergo neceſſariò admittendum calidum innatum.

§. III.

Reſpondetur pro argumentis in fauorem negatiuæ ſententiæ adductis.

AD 1. negatur ſequela: Quia vt conſtabit infrà, calidum innatum, & humidum radicale, vel ſunt duæ ſubſtantiæ iuxta poſitæ, vel in vna poſſunt coin-

A cidere duæ diuerſæ formalitates, ſecundum quas vtriuſque rationem induat, & tunc licèt ſint idem entitatiuè, formaliter realiter ſunt diuerſæ, nunquàm tamen ſubſtantiæ diuerſæ penetratæ.

Ad 2. negatur maior: Ridiculum enim iudicamus fundamentum eorum, qui admittunt calidum innatum neceſſarium eſſe, vt ſit pabulum humidi radicalis, nec in hunc finem illud admittimus, ſed vt ſit connaturale ſubiectum caloris natiui debiti viuenti, & omninò neceſſarij pro illius eſſe, & operari, & ineuitabile principium mutationum ætatum, naturaliſque interitus.

Ad 3. diſtinguo antecedens: Animalia facta ex putredine viuunt abſque huiuſmodi calido innato, ita perfecto, ac reperitur in animali facto ex ſanguine, B & ſemine, concedo: abſque aliqua ſubſtantia, licèt non ita perfecta, quæ illius gerit vicem, nego antecedens. Animalia enim facta ex putredine ſicut imperfectiora, ita & imperfectiora principia, ex quibus fiant, petunt, & imperfectiora, per quæ conſeruentur, & viuant, ſed quæ ſuo modo habent aliquam proportionem cum eis, quæ requiruntur pro perfectiori animali.

Resolvtio II.

Quid ſit calidum innatum?

§. I.

Aliquorum placita adducuntur.

MOntanus in 1.*aphoriſm.comm.*14. obumbrauit huius reſolutionis difficultatem, fatetur enim, quòd iam Doctor ſenex nondum innati calidi naturam rectè cognouerat. Spiritum eſſe implantatum, ſeu ſpiritum naturalem inſitum docet Ariſt. *lib. de generat. animal. c.*3. tenet Auerr. 5. *metaph. comm.*3. Albertus Magnus *lib.paruorum naturalium comm.*20. Auicen.*de viribus cordis*. Nicolus *ſerm.*4.*tract.*3.*cap.*4. annuit Galen. *de ſimplic. medicamen. facultatibus cap.*9. ſequitur Fernelius D *lib.*4.*cap.*5. Et hoc placitum commune eſſe conſenſum omnium dicit Scaliger *exercitat.* 280. Fernellus verò *lib.*4.*phyſiolog.c.*6. Calidum innatum, quod implantatum vocauit ſpiritum, oleaginoſam eſſe ſubſtaotiam contendit per omnes corporis partes ſparſam; quem ſequitur Varandæus *lib.phyſiolog.ſect.*5.*c.*3. Gauaſetus verò calidum innatum dicit eſſe *lib. de anatomicis adminiſtrationibus c.*23. Corpus humidum, ſeminale, vaporoſum, à natura primogenitum, vt ſubſtantia incorporea corporibus copuletur.

§. II.

Tenenda pars eligitur.

E REſoluendum: Quòd Calidum innatum eſt ſubſtantia in animali conflata ex partibus materialibus calidorum elementorum, deſumpta ex principiis generationis, præcipuè ex ſpirituoſa ſeminali parte. Tenet Mercatus *tom* 1.*p.*2.*claſ.*4.*art.*4. Argenterius *lib. de ſomno, & vigilia c.*5. Vega *in* 1.*aphoriſ.*14. Holerius, & Valleſius ibidem. Paparella *lib.*2.*de calido naturali*, colligitur ex Gal. 5. *de ſimplic.c.*9.*&* 1.*aphoriſm.*14.*lib.de ſemine, lib.aduerſus Lycum.*

Probatur ex Galen. *lib. aduerſus Lycum*, per totum, & 1. *aphoriſm.* 14. dicente: *Verum Hipp.non ad hanc ſcilicet qualitatem, ſed ad ſubſtantiam in præſenti ſermone refert id nomen, nam ſubſtantia innati caloris aërea eſt, & aquea* (id eſt humida, vt explicant Doct.)

ſicut ex ſemine licet coniectari, quòd paucam omnino terream ſubſtantiam participat, plurimum autem aeris calidi, humidique in ſe ipſo contiuet, quemadmodum in Commentariis noſtris de ſemine, oſtendimus, qui etiam alterum noſtræ generationis principium ſanguis menſtruus videlicet humidum natura eſt, &c. Ergo ex Galen. calidi innati natura ſubſtantia eſt ea calidiorum elementorum partibus modo dicto conflata.

Probatur 2. Illa ſubſtantia in noſtro corpore debet dici calidum innatum, ratione cuius reſultat natiuus calor, qui omnium operationum eſt principium in prima hominis conformatione: ſed talis eſt, quæ inſurgit ex partibus materialibus calidorum elementorum, vt demonſtrauimus, *diſput. 3. de elementis*: Ergo in ea ſtat ratio calidi innati.

Dices: eadem ſubſtantia poteſt permanere in cadauere, & ab eius forma mixta producentur eædem qualitates: ergo fient eædem operationes.

Reſpondetur. Quòd non eſt forma viuens, à qua calor eleuatur, & ideò non fient eædem operationes.

Contra: ad mutationem ætatum non eſt neceſſaria eleuatio: ergo hæc ſaltem fiet ab illo calido innato remanente in cadauere.

Reſpondetur: Quòd cuilibet enti producto iuxta propriam naturam debetur ſua duratio, & licèt calor, vt à forma hominis eleuatus poſſit eſſe principium ætatum, non tamen, vt à forma cadaueris, qui non correctus, nec regulatus à forma viuente ſtatim fit corruptiuus, & putredinalis ob humidas materias dictas, quas vt naturalis priùs poterat regulare.

§. III.

Aliorum placitis ſatisfit.

AD Authores primò adductos reſpondetur: Eos vocaſſe Calidum innatum *ſpiritum naturalem implantatum*, quia in illa implantata ſubſtantia calidi innati reſultat caliditas pro operationibus humani corporis perficiendis neceſſaria, ſicut oritur, & in ſpiritu vitali influente ſimilis calor, qui partibus communicatur in ſubſidium natiui caloris, ne qualitas ita neceſſaria ad vitam poſſit ab extrinſecis contrariis remitti.

Ad Fernelium, & illius ſectatores dicimus, quòd ſubſtantia, quæ ex partibus materialibus calidis fit, quia maiori ea parte fit ex aëreis, vt demonſtrauit loco citato Galen. quodam modo poteſt dici oleaginoſa, non tamen ad calidum innatum conſtituendum, neque ad fines, in quos datum eſt à natura, aliquid conducit oleaginoſitas.

Resolvtio III.

Qualis ſit calor ex calido innato reſultans?

§. I.

Calor natiuus, cœleſtis à Fernelio indicatur.

CAlorem natiuum ex innato calido ortum non eſſe elementarem, ſed cœleſtem ab elementari ſpecie diſtinctum, & cui frigiditas non contrariatur, conſtanter affirmauit Fernelius *l. 4. phyſiolog.* ex Platonicorum ſchola placitum ſuſcitans, cui fauet Ariſt. adhærentque illi Sennertus, Varandæus, & plerique modernorum.

Probatur 1. hæc ſententia ex Ariſt. *lib. 2. de gener. an. cap. 3.* docente: Natiuum calorem nullo modo eſſe igneum, ſed aliquid diuinum, & quòd naturam habet proportionatam elemento ſtellarum, quoniam ignis nihil viuens generat; ſed in ſemine viuentium calor propagatur: ergo cœleſtis eſt naturæ hic calor.

Probatur 2. Calor natiuus eſt quo viuunt omnia animalia: ergo debet à prædominio reperiri in quocumque animali, quod per illum viuit: ſed Salamandra, Torpedo, Serpentes, Talpæ, & ex plantis Papauer, Cicuta, & Hyoſciamus, aliaque huiuſmodi remiſſum habent calorem: ergo præter illum intenſiorem alium cœleſtem habent, cui frigiditas non contrariatur.

Probatur 3. Arſenicum, Sandaracha, Sulphur, & alia huiuſmodi quantumuis calore gaudeant excedente elementari, quia tamen natiuo, & cæleſti calore non gaudent, quo elementalis gubernatur, & quo actiones perfectæ fiunt, vita carent: ergo cuiuſuis viuentis natiuus calor cæleſtis eſt elementali perfectior.

Probatur 4. A natiuo calore diuerſæ, perfectioréſque actiones fiunt, quæ ab elementali fieri non poſſunt: ergo quia perfectioris naturæ eſt. Probatur antecedens, calor enim elementalis nimis vorax, & actiuus eſt, cunctorum combuſtiuus, attenuat maximè, rarefacit, diſgregat, circa tenuem aëreámq; materiam flammam accendit, circa terreſtrem prunas, carbones, & cineres efficit; calor natiuus, ſicut & cœleſtis, viuentia fouet, viuificat, conſeruat, auget, nutrit, generat: ergo à natiuo calore diuerſæ, perfectioreſque operationes fiunt, quàm ab elementali.

§. II.

Communis reſoluitur ſententia.

REſoluendum calorẽ natiuum, igneum, aëcúmve, & elementalem eſſe. Sic reſoluit communior Philoſophorum, & Medicorum conſenſus.

Probatur 1. Calor elementalis eſt quicumque elementali virtute producitur: ſed calor productus in viuente elementali virtute producitur: ergo eſt elemẽtalis. Probatur minor, calor quicumq; producitur in quouis mixto à forma mixta prout virtualiter eminenter continet ignem, aut aërem, & ſecundum quòd vt talis, ad caloris productionem determinatur per partes materiales elementi ignis, aut aëris, vt latiſſimè demonſtrauimus *diſp. 2. q. 3. de elementis*: ſed hoc eſt producere illum virtute elementali ignis, aut aëris: ergo eſt elementalis.

Probatur 2. Calor quicumque in animali poteſt remitti à frigiditate; ergo eſt elemẽtalis, & illi cõtrarius. Probatur antecedens ſi non poſſet remitti à frigiditate tãquàm à ſuo contrario, ſequeretur quòd nullus homo poſſet à nimia frigiditate per caloris remiſſionem mori: ſed huius contrarium experimur in eis, qui glacie, niue, aut aqua intensè frigida, extincto calore pereunt: ergo remittitur. Probatur ſequela, ſi maneret natiuus calor, cùm ab illo perficerentur actiones, non poſſet à frigiditate extingui.

Probatur 3. Calor, qui dicitur cœleſtis, eiuſdem eſt naturæ, ac elementalis: ergo etſi innatus eſſet cœleſtis, eſſet eiuſdem naturæ cum elementali. Probatur antecedens, calor, qui à Sole media luce producitur, qui maximè cœleſtis debet dici, intendit elementalem calorem, ignem producit, iam productus ab igneo calore conſeruatur, frigiditate remittitur: ergo eſt eiuſdem naturæ cum calore igneo ſiue elementali.

§. III.

Argumenta diluuntur.

AD 1. diſtinguo maiorem, ex Ariſt. *lib. 2. de generat.* Non poteſt eſſe igneus, ſed quid diuinum, ſi conſideretur, vt calor eſt, nego: ſi conſideretur, vt eſt

inſtru

inſtrumentum ab anima eleuatum pro ſuis operationibus, concedo maiorem. Licèt enim calor ſit elementaris ab anima productus, vt ex forma mixta, continente elementa calida, in quorum virtute illum producit; tamen calor, vt poſtea ſit animæ inſtrumentum, & ab illa eleuatur, altioris ſit ordinis, ſuperiorisſque naturæ, & ideò perfectiores elicit operationes, quàm quæ debentur illi, vt calor eſt.

Ad 2. negatur conſequentia: Quia vt viuentia dicantur viuere per calorem, non requiritur quòd viuant per illum, quatenus excedit reliquas qualitates, ſed quòd per calorem ſibi debitum ſiue intenſum, ſiue remiſſum, vt eleuatũ ab anima ſibi debitas exerceat operationes præcipuas conducentes ad vitæ conſeruationem.

Ad 3. negatur antecedens: Quia mixta quæcumque non viuentia, ſiue intenſum, ſiue remiſſum calorem habeant, non ideò non operantur viuentis operationes, quia non eſt cœleſtis, ſed quia non habet animam, quæ eo vtatur tamquam inſtrumento pro eis eliciendis.

Ad 4. diſtinguo antecedens: à naturali calore diuerſæ, perfectioreſque operationes fiunt, quàm à calore elementari ſecundùm quòd eleuatur ab anima, concedo: ſecundùm quòd operatur tantùm, vt calor eſt, nego antecedens. Quæcumque enim operatio procedit à calore, vt eleuato, perfectiori ſit modo quàm quæ à ſolo calore ſit.

C

Resolvtio IV.

Propter quid calidum innatum requiritur in viuente?

§. I.

Finalis cauſa pro calido innato denegatur.

IN nullum finem in corpore humano eſſe neceſſarium calidum innatum ſuadet primò: Quia ſi in aliquem, maximè, vt calor natiuus ortus ex illo ſit principium omnium operationum præcipuè naturalium, D quæ perficiuntur ab illo: ſed ad huiuſmodi operationum efficientiam ſufficit calor aſcititius, à quo tractu temporis fiunt, calore innato deperdito: ergo ſufficit calor influens, quo delato in partes, ipſæ medio illo, has eaſdem operationes eliciunt, etiamſi natiuus calor remittatur: ergo in hunc finem non eſt neceſſarius.

Secundò: calor innatus nihil habet, niſi quòd ſit ſubſtantia calida ex igneis, & aëreis partibus in animali conflata, ratione cuius reſultat caliditas innata: ſed in quocumque mixto datur huiuſmodi ſubſtantia, vt conſtat ex dictis *diſp. 3. de elementis:* ergo ob nullum finem viuenti peculiarem admittendum eſt calidum innatũ, tùm in quouis mixto debeat neceſſariò reperiri.

Tertiò: ſine calido innato, quæcumque caliditas moderata pro operatione viuentis erit inſtrumentum, E quod poteſt eleuari ab anima pro ſuis operationibus, ergo ſufficiens inſtrumentum ad omnia, quæ fiunt à calore natiuo.

§. II.

Plures finales partiales cauſæ admittuntur.

REſoluendum: Quòd calidum innatum eſt generationis principium, eſt facultas noſtra gubernans corpora; omnium naturalium operationum author, cauſa à qua poſt primum eſſe animal ſucceſſiuè varias acquirere ætates, varia eorum tempera- A menta valet, pro eorum actionibus conducentia, tandémque ſicut & fuit primi eſſe origo, eſt naturalis interitus ineuitabilis cauſa. Sic Sennertus *lib. 1. inſtit. c. 6.* Argenterius *lib. 1. de ſomno, & vigilia c. 7.* Valleriola *lib. 1. de locis communibus c. 15.*

Quòd ſit generationis principium, docet Galen. *lib. de tremore*: quòd ſit facultas corpora noſtra gubernans, docet *1. aphoriſm. com. 15.* quòd ſit author omnium operationum, docet Gal. *lib. 8. de placitis ex Platonis, & Hipp. ſententia*, docet Hipp. *lib. de carnibus*, vbi omnium operationum eſſe authorem in noſtro corpore dicit (vt inſtrumentum animæ ſcilicet.) Quòd cauſa ſit mutationum ætatum, naturaliſque interitus, docet Galen. *lib. de maraſmo*, ſed hæc omnia in corpore humano B contingere eſt neceſſe: ergo in hunc finem calidum innatum à natura eſt animali condonatum.

§. III.

Primò adducta ſoluuntur obiectiones.

AD 1. negatur minor: Quia calor natiuus, prout ducit ortum ex calido innato, eſt calor mitigatum humiditate coniunctus, & ideò proportionatus ad vitã; vita enim eſt conſeruatio caloris in humido, & ad primam animalis perfecti formationem calor cum prædominante ſiccitate eſſet ineptus, non enim poſſent partes diuerſæ, variaque organa noſtri corporis in dura materia conformari, neque partes in debitam ferri magni- C tudinem, neque ſi vlteriùs nimis igneus eſſet calor, ſicut in viuente, poſſibilis eſſet viciſſitudo ætatum per tot diuerſas tempories, & ideò determinata eſt perfecti animalia productio, vt fiat ex ſanguine, & ſemine neceſſario, quæ ſubſtantiæ ſunt ex pluribus partibus aëreis conflatæ, & ideò caliditate cum humiditate aërea abundantes, quæ partes materiales abundant in animali neceſſario, cùm ex his fiat principiis, nec calor influens id ſupplere valet, ille enim non datur viuenti, vt principium ſuarum operationum primum: nam hoc pullulat à ſubſtantia viuentis, ſed in eius ſubſidium, ſi ab aliqua cauſa oppugnetur.

Ad 2. negatur maior: Quia caliditas natiua habet, D quòd ſit orta ratione principiorum generationis, ex quo prouenit in illa, quòd ſit ex ſubſtantia aërea, magis quàm ex ignea, & ideò aptior pro finibus, in quos calor in prima conformatione fuit animali tributus.

Ad 3. negatur antecedens: Quia caliditas aërea aptior eſt, vt tanquam inſtrumentum animæ perfectius operetur, quia cùm anima eam vt inſtrumentum aſſumat pro actionibus vegetatiuis præcipuis, videlicet generatione, augmentatione, coctione, nutritione, & pro temperamentorum mutatione; hæc omnia perfectiori modo fiunt circa aëream, humidámque materiam, & à calore illo aëreo, quàm ab igneo combuſtiuo, & cum ſiccitate coniuncto.

E

SECTIO II.

De humido radicali.

HVMIDVM radicale coniunctum eſt principium calori innato, ab eiſdem principiis ſanguine ſcilicet, & ſemine deſumptum, & in ſimiles tandem fines, & ideò de ipſo diſputandum venit. Hoc autem dupliciter poteſt ſumi, & pro qualitate ipſa, & pro ſubſtantia, ex qua reſultat: in præſenti de ipſo agimus ſecundùm quòd eſt talis ſubſtantia, ex qua radicalis humiditas oritur diſtincta ab aſcititia, quæ tractu temporis ſuperuenit.

Resolvtio I.

Vtrùm humidum radicale ſit aliud à calido innato?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

RAtio dubitandi eſt, quia, vt patet ex diſputatione antecedenti, calidum innatum eſt ſubſtantia calida deſumpta ex principiis generationis, ſanguine in quam, & ſemine: ſed ex eiſdem principiis deſumit ſui materiam humidum radicale: ergo non differunt.

B Dices: quòd cùm ſint diuerſæ partes materiales componentes ſanguinem, & ſemen, poſſunt aliæ deſumi, vt fiat ex illis calidum innatum, & ex aliis fiat humidum radicale.

Contra: calidum innatum fit, ex Galen. 1. *aphoriſm. comm.* 14. ex partibus aëreis, quæ in ſanguine, & ſemine abundant: ſed ſimiliter ex eiſdem fit humidum radicale: ergo ex eiſdem fit vtrumque, & conſequenter non ſunt diſtinctæ ſubſtantiæ.

§. II.

Pars tenenda eligitur.

C REſoluendum: Quòd calidum innatum, & humidum radicale partim differunt realiter entitatiuè, partim realiter formaliter.

Probatur prima pars: Calidum innatum eſt ſubſtantia in animali conflata ex partibus materialibus calidorum elementorum deſumpta ex principiis generationis: ſed humidum radicale non eſt pars, deſumpta ex igneo elemento, alias enim eſſet ſicca à prædominio: ergo ſaltem ſecundùm iſtam partem differunt entitatiuè. Probatur maior, ex ipſa diffinitione, & patet ex Galen. 3. *de temperamentis cap.* 4. *&* 1. *de ſanitate tuenda c.* 2. vbi poſtquam probauit in principiis generationis dari quatuor elementa ſecundùm partes materiales, dixit quòd ab ignis caliditate ſiccando deducitur homo ad maturitatem: ſed ex eodem Galen. *lib. aduerſus Lycum,* hæc actio prouenit à calido innato: ergo calidum innatum ex ignea materia partim componitur. D

Probatur 2. pars: Pars aërea ex principiis generationis deſumpta, quæ eſt in viuente pars, ea qua fit calidum innatum, ex Gal. 1. *aphoriſm.* 14. eademmet eſt humidum radicale: ergo quoad iſtam partem non differunt realiter entitatiuè, ſed tantum realiter formaliter, quatenus eadem ſubſtantia aërea, quæ calorem, & humiditatem producit, vt calorem producit, dicitur calidum innatum; vt humiditatem, dicitur humidum radicale.

§. III.

Pro dubitandi ratione ſit ſatis.

E AD rationem dubitandi patet ex dictis inter reſoluendam difficultatem.

Resolvtio II.

Quid ſit humidum radicale?

§. I.

Aliquorum placita proponuntur.

HVmidum radicale contendunt aliqui, quòd ſit humiditas aquea, & aërea, quæ primo orta ex

A principiis generationis acquiritur ex ſemine, & ſanguine menſtruo, in quantum pabulum eſt, in quo per totum vitæ decurſum conſeruatur calor innatus, ita vt calor ſit humido quaſi forma, & humidum calido quaſi materia. Albertus Magnus tenet quòd eſt pabulum calidi innati, ſed duplex eſſe indicat, alterum ſeminale ex ſemine virili, quod operatiuum, & effectiuum vocat, ex ſemine materno, quod factum, & operatum vocat, ex ſanguine menſtruo, quod in eius ſupplementum deſumitur. Alterum dicit eſſe humidum nutrimentale, quod proximum vocat, dum iam ſub forma eſt viuentis; remotum, dum nondum informatum illâ, vtrumque ex aërea fit ſubſtantia, vtrumque pingue eſſe dicit, non pinguedine ſicut adeps, ſed qualis, quæ

B aſſatione ſeparatur: ex his primum dicit eſſe ſubiectum calidi innati, ſecundum, & tertium docet eſſe eorum pabulum.

§. II.

Humidi radicalis aperitur natura.

REſoluendum tamen: Quòd humidum radicale eſt ſubſtantia humida in primo eſſe viuentis acquiſita ex principiis generationis, maiori ex parte ex partibus materialibus aëreis conflata.

Probatur: In prima productione viuentis requiruntur duo principia; alterum operatiuum, per quod viuens elicit operationes perfectiuas ſui, quale eſt calidum innatum; alterum, quod ſit quaſi diſponens

C ſubiectum, vt operatiuum principium rectè operetur, quale eſt humidum radicale, per cuius mollitiem partes ſunt diſpoſitæ pro illius operationibus: ſed primum eſt ſubſtantia, quæ ex principiis generationis deſumitur ea partibus materialibus aptis, vt ex illis reſultet neceſſarius calor operatiuus: ergo hoc erit ſubſtantia ex eiſdem principiis deſumpta facta ex partibus materialibus humidis, quæ aptæ ſunt, vt in illis perfectiori modo poſſint operationes exercere.

Resolvtio III.

D

Vtrùm humidum radicale ſit pabulum calidi innati?

§. I.

Pars affirmatiua authoritatibus fulcitur.

PArtem affirmatiuam videntur amplecti Ariſtot. Galen. & Auicen. Ariſt. enim *lib. de longitudine, & breuitate vitæ*, docet quòd plantæ, & animalia ſi alimentum non ſumant, corrumpuntur; ſubditque rationem, quia conſumit ipſum ſe ipſum, quemadmodum enim multa flamma comburit, & corrumpit paucam, ſic naturale calidum conſumit materiam, in qua eſt: er-

E go calidum innatum permanet in humido, vt in pabulo, ob hoc enim aliis in locis determinat Ariſt. innati calidi pabulum eſſe.

Probatur 2. Ex Galen. *de vtilitate reſpirationis* c. 3. *&* 1. *de praeſag. ex pulſib. cap.* 1. dicit enim: *Diſtenſio, velut inſpiratio quadam exceſſum ardoris refrigerando ex ventilatione, quod extinguit, incendendo*: idem reperit *lib. de vſu pulſuum*: ſed flamma, quæ ventilatione indiget, & accenditur, non niſi in pabulo fit: ergo in corpore humano datur innati calidi pabulum.

Probatur 3. Ex Auicen. qui *fen.* 1. 1. *doct.* 3. *& fen.* 3. *doct.* 5. *capite vnic.* doctrinam hanc ex Ariſt. & Galeno receptam expreſſius tradit, docens enim

qualiter

qualiter viuens mutatione ætatiua deſtratur ad naturalem interitum, ſuperaddit: *Et poſtquam ſic eſt, oportet neceſſariò finiatur humiditas, & calor extinguatur. & præcipuè cum ad eius extinctionem adiunet materiæ defectus*, & prædicto *cap. vnico*. dicit: *Calor igitur innatus eſt cauſa extinguendi ſe ipſum per accidens, propterea quòd ſit cauſa ſui ipſius materiam conſumendi, ſicut lampadis flamma, quæ extinguitur propterea quod ſuam conſumit materiam. &c.* Ergo humidum radicale eſt pabulum calidi innati.

§. II.

Pars negatiua verior iudicatur.

RESoluendum negatiuè.

B Probatur 1. Quia pabulum eſt illud, quod connectitur in ſubſtantiam eius, cuius eſt pabulum, & tandiu illud durare facit, quamdiu materiam ſubſternit pro noua eius generatione vt de oleo reſpectu ignis, cuius eſt pabulum, manifeſtè conſtat: ſed humidum radicale ſub forma viuentis non poteſt tranſmutari ad aliam, neque eſt entitatiuè quid diſtinctum à calido innato, cùm aëreæ ſubſtantiæ partes materiales ſint calidum innatum, prout calorem producunt; & humidum radicale, prout humiditas primogenea ſit, & reſultat ex eis: ergo non poteſt eſſe illius pabulum.

Probatur 2. Calidum innatum, quod deperditur, non reponitur per humidum radicale: ergo non eſt illius pabulum. Probatur antecedens, repoſitio cuiuſlibet

C ſubſtantiæ in prima productione acquiſitæ, quæ tractu temporis reſolutione deperditur, reſtauratur à facultate nutritiua reponente ex alimento partes ſimiles loco earum, quæ deperduntur: ſed calidum innatum, vt probauimus, eſt viuentis ſubſtantia calida ex principiis generationis deſumpta, & in prima productione acquiſita: ergo ſi deperditur, non reſtauratur ex humido radicali tanquam ex pabulo: ſed ex alimento media actione facultatis nutritiuæ.

Probatur 3. Si propter aliquam rationem deberet admitti, quòd humidum radicale eſſet pabulum caloris innati, maximè vt ex hoc aſſequamur rationem, quare ex actione calidi in humidum ſuperueniat neceſſitas mutationis ætatum, & interitus naturalis: ſed

D propter hoc non eſt neceſſarium: ergo humidum radicale non eſt pabulum calidi innati. Probatur minor, ex eo quòd caliditas natiua continuò reſoluat partes humidas viuentis, etiamſi humidum non ſit pabulum calidæ ſubſtantiæ, neceſſariò debet tantum de ſiccitate intendi, quantum reſoluitur de humiditate: ergo ſuperueniet tranſitus ab humido in ſiccum, & vſque in interitum naturalem.

§. III.

Ariſt. Gal. & Auicennæ ſatisfit authoritatibus.

E AD 1. reſpondetur: Quòd Ariſt. docet ex defectu alimenti corrumpi plantas, & viuentia, non quia deficit humidum tanquàm pabulum, ſed quia deficit

A alimentum, quod tribuit materiam, ex qua reponuntur partes loco earum, quæ calore reſoluuntur, à facultate nutritiua.

Ad 2. reſpondetur docere Galen. Calorem influentem, de quo loquitur, indigere refrigeratione, & ventilatione per ſimilitudinem ad flammam exteriorem, ſicut enim ipſa remittitur aëre frigido, ſimiliter & calor influens ſpirituum vitalium, ne excedat, remittitur ab aëris per pulſum attracti frigiditate.

Ad 3. quod dicit Auicen. Quòd ſicut defectu olei, deficit flamma lampadis, ſic defectu humidi radicalis deficit calidum innatum: non quia humidum radicale ſit pabulum flammæ, ſed quia cùm aërea ſubſtantia, & humidum radicale maiori ex parte ſit eadem numero

B ſubſtantia, aërea ſubſtantia ex principiis generationis acquiſita, reſoluta illâ ſubſtantiâ vt humidâ, ſimiliter reſoluitur vt calida, & deſinit innatum calidum.

RESOLVTIO IV.

Propter quid ſit humidum radicale?

§. I.

Cauſa finalis aperitur.

RESoluendum: Eſſe neceſſarium ob animalia confor-

C mationem, ob acquiſitionem temperierum, quæ debentur illi pro ſuis operationibus, & vt ſit ineuitabilis cauſa naturalis interitus viuentis. Manifeſtè deducitur ex Galen. *lib. 1. de ſanitate tuenda c. 2. & 3.*

Probatur pars prima: Homo in prima conformatione indiget varia partium corporis organizatione, diuerſa earum compoſitione, nexu, & connexione: ſed hæc omnia perficiuntur meliùs, ſi calor, qui opifex eſt, agat circa materiam aëream, & humidam, cùm hæc magis obedientialis ſit: ergo humidum radicale fuit neceſſarium in animali ad illius perfectiorem conformationem.

Probatur pars ſecunda: Tanta mollities, quanta requiritur in partibus pro earum conformatione, inutilis eſt pro eliciendis actionibus virilitatis homini de-

D bitis tractu temporis: ſed hæc non facilè poſſet acquiri, niſi materia humida, ex qua conformatur, eſſet reſolubilis, vt loco illius ſicciores tractu temporis acquirantur partes: ergo vt reliquæ temperies, quæ debentur pro actionibus viuentis, acquirantur, humidum radicale fuit neceſſarium.

Probatur pars tertia: Animal neceſſariò interiturum petit neceſſarias ſui interitus habere cauſas: ſed ineuitabilior redditur huiuſmodi effectus, ſi non ſolùm animal habeat efficientem calorem ſuæ naturalis reſolutionis: ſed materiam reſolutioni magis aptam, qualis eſt humidum radicale: ergo ob neceſſitatem mortis naturalis, non ſolùm debuit natura tribuere anima-

E li calidum innatum, in quo reſultet huius euentus efficiens: ſed humidum radicale, quod eſt apta materia pro illo.

DISPVTATIO VIII.

De Spiritibus.

CVm natiuus calor operationum vegetabilium opifex præcipuus variis oppugnetur contrariis, in eius ſubſidium vitalis ſpiritus in corpore oritur, aliique in alios vſus deſtinati, de quorum natura, diuerſitate, vſu, & neceſſitate plura adducit Hipp. *lib. de flatib. lib de natura fœtus, lib. 6. de morbis popularibus.* Galen. *lib. an ſanguis in arteriis contineatur, lib. de vtilit. reſpirationis, lib. de placitis, lib. de vſu pulſuum, pluribuſque aliis in locis.* Auic. *fen. 1. 1. doctr. 6. cap. 4.* Actuarius *lib. de ſpiritu animali.* Conciliator *differ. 59.* Fernel *lib. 4. Phyſiolog. c. 2.* Valleriola *lib. 1. de locis communibus, cap. 16.* Val. *lib. 2. controu. cap. 17. & 18.* Fontanus *artis medic. p. 1. c. 18.* Varandæus *ſect. 5. lib. 1. phyſiolog.* Martinez *lib. 1. tract. 6.* Petrus Garc. *fen. 1. 1. doctr. 8. c. 4.* Santa-Cruz *in fen. 1. opuſc. 10. c. 14. cum ſeqq.* Sennertus *inſtitutionum lib. 1. c. 6.* Andreas Laurent. *artis anatomicæ lib. 9* Duncanus *lib. 1. phyſiolog. cap. 9.* Saluius Sclanius *in lib. Gal. artis paruæ.* Sanctorius *in artem paruam. q. 36.* & Paparela, & alij.

SECTIO PRIMA.

De Spiritibus in communi.

NOMINE ſpiritus tenuiſſimam quandam intelligimus ſubſtantiam; ideò ſpiritus ſumitur pro incorporea ſubſtantia, qualis eſt Angelus, anima rationalis, & ipſe Deus, de quo diſputant Theologi. Sumitur præterea pro tenui ſubſtantia corporea ſublunari quæ ſenſum fugit, ſic aër, & flatus, ſpiritus vocantur, & de ſpiritu in hac acceptione diſputant Philoſophi. Propriè prout ad noſtrum inſtitutum attinet, ſumitur ſpiritus apud Medicos pro tenui quadam ſubſtantia in animalibus perfectis reperta, quæ ſenſum fugit ad vitæ operationes neceſſarias, de qua ſub hac diſp. agemus.

RESOLVTIO I.

Vtrùm detur ſpiritus in corpore humano?

§. I.

Pro negatiua parte ponuntur fundamenta.

PArs negatiua ſuaderi videtur, primò reſpectu ſpiritus animalis; quia nihil conducit ad vitæ conſeruationem: ergo non eſt neceſſarius in corpore humano. Probatur antecedens, nōn producit qualitates primas, cùm hæ pullulent à partibus vel ab ſpiritibus vitalibus; non ſecundas qualitates, cùm hæ fiant ex primis; non qualitatem requiſitam pro ſenſu, & motu, cùm hæc fiat à cerebri ſubſtantia: ergo nihil producit conducens ad conſeruationem viuentis.

Secundò: quòd vitalis ſpiritus non ſit neceſſarius probatur; nam ſi neceſſarius, maximè, vt communicet A calorem vnicuique parti: ſed quælibet pars in ſtatu naturali eſt debitè conſtituta, vnita, & temperata ſine quocumque alio influxu, cùm à generante recipiat quidquid requiritur ad debitam ſui conformationem, & conſeruationem: ergo vitalis ſpiritus non eſt neceſſarius.

Dices cum Petro Garcia: Quòd licèt quælibet pars habeat ſibi debitum, & connaturalem calorem, ſpiritus vitalis communicat illi qualitatem occultam, & innominatam requiſitam pro operationibus.

Contra: potentia exiſtens in organo debitè conformata cum debita vnione, & primarum, ſecundarum, ac influentium qualitatum temperie debitè operatur: ſed B hæc omnia abſque hac qualitate innominata habere poteſt quælibet pars corporis: ergo ſine illa occulta qualitate debitè valet operari.

Præterea: Actiones, in quas requiritur ſpiritus vitalis communicatio, ſunt gradus vegetatiui: ſed has eliciunt facultates vegetatiuæ medio calore eleuato, & inſtrumentaliter concurrente, ſicut & in plantis manifeſtè conſpicitur: ergo ſine occulta qualitate operantur vegetatiuæ facultates.

Tertiò: non dari ſpiritum naturalem patet, quia ſi ad aliquod eſſet admittendus, maximè pro operationibus vegetatiui gradus: ſed hæ fiunt ſine aliqua qualitate communicata à naturali ſpiritu, cùm ſolo temperamento perficiantur: ergo non eſt neceſſarius.

C

§. II.

Pars affirmatiua proponitur.

REſoluendum Affirmatiuè: Ex Hipp. *6. epid. part. 8. text. 7.* ex Galen. *lib. 5. de ſimplicium medicamentorum facult. lib. cap. 9 & 12. method. capite 5. & 5. de different. febrium, cap. 1. aliiſque in locis.* in quibus triplex genus febrium conſtituit, quorum alterum ex alteratis ſpiritibus tenet oriri. Idem tenent Authores iam citati in hoc tractatu.

Probatur 1. Experientia communi, qua in animi deliquio, quacumque neruorum, & arteriarum obſtru- D ctione actiones deficere conſpiciuntur ob defectum alicuius ſubſtantiæ antecedenter deſcendentis neceſſariæ pro eis: ſed hanc vocamus ſpiritum: ergo dantur in corpore ſpiritus.

Probatur 2. Ex ventriculis, qui in cerebro, & corde reperiuntur pro ſpirituum generatione & ex communi materia, quæ neceſſariò in ipſos fertur, & ex neruis, & arteriis, quæ tanquam receptacula ſpirituum ſunt animali à natura condonata, & à principiis, in quibus ſpiritus generantur, originem ducunt: ergo dantur in corpore ſpiritus.

Probatur 3. Ventriculis cerebri, aut cordis vulneratis, ſtatim deſinunt operationes, in quas ſpiritus ordinantur, inediâ, aut euacuatione conſumptis, aut reſolutis deficiunt vires, & operationes; ſi materia apta pro eorum generatione offeratur, ipſis denuò genitis, breui recuperantur: ergo admittendi ſunt intra animalis perfecti corpus ſpiritus.

§. III.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes primò adducta.

AD 1. diſtinguo conſequens : Ergo nihil producit condocens ad potentiæ actionem, concedo : nihil producit conducens, vt diſpoſitio debita pro operationibus producendis, nego conſequentiam. Licèt enim partes non recipiant ab ſpiritu animali illuſtrationem, quæ eſt qualitas diſponens pro ſenſitiuis operationibus, producit tamen in parte quandam diſpoſitionem, qua ipſa pars redditur ad illuſtratiuam qualitatem recipiendam.

Ad 2. diſtinguo minorem : Quælibet pars in ſtatu naturali eſt debitè conſtituta, vnita, & temperata ſine adiuuamine ab ſpiritibus vitalibus, nego: eum ſpirituũ vitalium adiuuamine, concedo minorem. Licèt enim valeat calor naturalis debitus vnicuique parti oriri, & pullulare à partibus materialibus calidis in illa repertis. Quia continuò ab aëris frigiditate alteratur, indiget ſpirituum vitalium caliditate, quâ foueatur ab externo frigido, vt ſic poſſit debitus calor oriri à parte.

Ad 3. dicendum, Quòd infra diſputandum, quid ſentiendum ſit de naturali ſpiritu.

RESOLVTIO II.

Quid ſit ſpiritus.

§. I.

Antiquorum, & iuniorum pro ſpiritu diffinitiones feruntur in iudicium.

IN ſpiritus conſignanda natura diſcordes ſunt Authores. Non eſſe quid diſtinctum ab anima fuit ſententia Stoïcorum, referente Ariſt. *lib. 1 de animac. 5.* eamque tribuit Galen. Zenoni, *lib. quòd animi mores corporis temperaturam ſequuntur.* & Chriſippo *lib. 2. de placitis cap. vltim.* Suaderi poteſt primò ex Hipp. *lib. 7. epidem. p. 5. comm. 5.* ait enim : *Hominis anima ſemper producitur vſque ad mortem, ſi autem igneſcit, ſimul cum morbo, & anima & corpus depaſcitur &c.*

Huius tamen ſententiæ falſitatem demonſtrarunt Ariſt. *lib. de comm. animal. motu*, D. Thom. 1. *p. q. 75, ar. 1. & lib. 2. contra Gentes cap. 65.* Gal. *lib. 1. de tremore cap. 6. lib. 7. de placitis cap. 2.* Anic. *fen. 2. lib. 1, doct. 2. c. 2.* Vnde moderniores in varias ſententias ſunt diuiſi, Fernel. *lib. 4. partis naturalis cap. 2.* dicit, quòd ſpiritus eſt corpus æthereum, caloris, facultatiſque ſedes, ac vehiculum, primúmque obeundæ functionis inſtrumentum, In quem inſurgit Argenterius *lib. 2. de ſomno, & vigilia, cap. 6.* qui corpus æthereum non eſſe contendit : Tum quia non ita perfectæ naturæ eſt, nec ita incorrupilbile : Tum quia ſi eſſet, vel cœlum non eſſet igneum, vel ſpiritus non igneſceret.

Duncanus ſpiritum dicit eſſe corpus mixtum à natura genitum gratiâ conſeruationis facultatis animæ in corpore, *Andreas Laurentius* dicit, quòd ſpiritus eſt corpus tenuiſſimum perpetuò mobile, ex ſanguine, & vapore genitum, facultatum animæ vehiculum. *Varandeus.* quòd ſit ſubſtantia tenuis, lucida, &ætherea, ab exhalatione ſanguinis benignioris inſpiratíque aëreis genita, partim inſita ſingulis partibus, partim influens, ad functiones vniuerſas neceſſarias.

A §. II.

Ex Galen. deducitur diffinitio.

REſoluendum: Quòd ſpiritus eſt corpus tenuiſſimũ, & leuiſſimum omnium, quæ in corpore humano ſunt. Deducitur hæc diffinitio ex Galen. *lib. 3. de facultatibus naturalib. c.* 14. amplectitur Petrus Garc. *fen.* 1. 1. *diſp.* 40. *c.* 2. ſequitur Martinez *tract. 6. c.* 1.

§. III.

Antiquorum dictis qualiter acquieſcendum docetur.

B AD Hipp. reſpondetur vocaſſe ſpiritum animam, non quia eſſe animam iudicauerit, ſed quia ita ad animæ conſeruationem neceſſarius eſt, vt ſine ipſo ipſam conſeruari ſit impoſſibile.

Fernelio non acquieſcimus, non quia iudicemus voluiſſe eſſe ſpiritum naturæ, ideſt, ſubſtantiæ cœleſtis, æthereum enim illum vocauit; quia ſicut à cœlo dependent ſublunaria, ſic corporis partes à partibus principalibus; eum quibus medio ſpiritu communicant : ſed diſplicet, quòd ipſum faciat vehiculum facultatum, quas non poſſe migrare de ſubiecto in ſubiectum diximus; reliquæ verò diffinitiones vel non integrè cauſam materialem, vel quia vnam tantùm formalem explicant,
C plicant, exploduntur à nobis.

RESOLVTIO III.

Vtrùm ſpiritus viuant?

§. I.

Communis Theologorum opinio proponitur.

SPiritus, & humores intra corpus exiſtentes viuere contendunt Theologorum plurimi. Sic Conradus
D 1. 2. q. 54. Hiſpalenſis 2. *diſtinct.* 15. q. 1. Medina *diſp.* 6. q. 1. Aſtudillo *lib. 1. de generat. q.* 15. *art.* 2. Toletus *lib. 2. de anima q.* 4. Caietanus, & alij: ſic Fracaſtorius *lib. de antipathia*, licèt inter hos ſit differentia : contendit enim Toletus quòd ſolùm miati gradum ab anima recipiant, alij verò, quòd recipiant etiam ſenſitiuum gradum.

Probatur hæc pars primò ratione Theologica : Verbum Diuinum non ſolùm aſſumpſit naturam humanã, ſed ſpiritus vitales, & animales, & ſanguinem, & quæcumque pertinent ad naturæ humanæ veritatem, vt docet D. Thom. 3. *p. q.* 54. *art.* 1. *in corpore, & ad* 1. Sed Verbum Diuinum vnam tantùm aſſumpſit naturam vnica aſſumptione, & non pluribus : ergo vnicâ informauit animâ ea omnia, quæ aſſumpſit, partes inquam ſolidas,
E humores, & ſpiritus vitales & animales.

Secundò : ſpiritus mouentur verſus omnes poſitionis differentias in corpore humano: ergo viuunt, & informantur eadem viuentis anima. Patet conſequentia, nam non viuentia vnicum habent determinatum motum, vt in graui, & leui conſtat.

Tertiò : quæ nutriuntur, viuunt; cùm nutrio ſit actio animæ vegetatiuæ : ſed ſpiritus nutriuntur : ergo viuunt. Probatur minor, ex Hip. *lib. de alimento*, ait enim : *Principium alimenti, os, nares, pulmo, guttur, & alia reſpiratio.* Sed nares non ſunt principium alimenti, niſi tribuendo aërem, ex quo nutriantur ſpiritus animales in cerebro, vitales in corde per aërem attractum per pulmonem: ergo nutriũtur ſpiritus.

§. II.

§. II.

Medicorum ſententia præponitur.

REſoluendum negatiuè: Sic tenent aliqui ex Theologis, & communis Medicorum conſenſus, Scotus *in 4. diſt.* 10. *q.* 1. ibidem Gabriel. *quæſt.* 1. Abulenſis *paradox.* 1. Galen. *lib.* 4. *de vſu partium.* Vall. *lib.* 2. *controuerſ. cap.* 4. Petrus Garc. *fen.* 1. 1. *diſp.* 27. *cap.* 3. Peramatus *lib. de hominis procreatione.* Segarra *lib.* 2. *de temperament.* Fernel. *lib.* 2. *partis naturalis*, Argenterius *lib. artis medicinal.* Varand. *lib. phyſiolog. ſect.* 5. *cap.* 1. & alij ex Commentatoribus *in Artem parnam.*

Probatur 1. Partes omnes, quæ in corpore vnicâ informantur animâ, debent eſſe continuæ: ſed ſpiritus non ſunt continui reliquis corporis partibus, aliàs enim non poſſent à capite, vel à corde per vniuerſas corporis partes mutari, & indiſcriminatim ferri: ergo ſpiritus non informantur eâdem animâ, qua animal cuius ſunt partes.

Probatur 2. Si ſpiritus informarentur per animam, ſaltem informarentur ſecundùm gradum vegetatiuum, vt tenet communis contrariorum conſenſus ſed non informantur ſecundum illum gradum: ergo nullo modo. Probatur minor, ſi ſpiritus informarentur ſecundùm gradum vegetatiuum, haberent potentias animæ vegetatiuæ, & mediis illis nutrirent ſe ipſos, & per vitæ decurſum, qui fuerunt in adoleſcentia, durarent vſque ad vltimam ſenectutem, ſicut reliquæ partes viuentes, & non continua ſui generatione à corde, & cerebro indigerent, augerent ſe per vitæ decurſum, ſicut reliquæ partes augentur, nec ita breuiter conſumi, & reſtaurari poſſent, ſicut contingit in animi deliquiis: ergo non informantur ſecundùm iſtum gradum.

Dices cum Toleto: quòd non informantur ſecundùm gradum aliquem vitæ ab anima: ſed ſolùm ſecundùm quòd ſunt corpora mixta, quia ſicut anima ſolùm informat os ſecundùm gradum vegetatiuum, poteſt etiam informare ſpiritus ſolùm ſecundùm gradum, quo dat eſſe mixtum.

Contra: omnes gradus generici eſſendi prædicamentales, quos poteſt tribuere aliqua forma à ſupremo genere vſque ad vltimam ſpeciem, ſunt vna, & eadem res, vel vnus, & idem effectus formalis, vna & eadem forma: ergo repugnat animam tribuere vnum, quin tribuat reliquos: ergo ſi anima animalis dat ſpiritibus eſſe mixtum, dat illis eſſe tale mixtum animatum.

§. III.

Primò adducta argumenta ſoluuntur.

AD 1. diſtinguo conſequens: Ergo vnicâ informauit animâ ea omnia, quæ aſſumpſit tamquàm partes primarias, concedo: ea omnia, quæ aſſumpſit tamquàm partes ſecundarias, aut ad ornatum pertinentea, nego conſequentiam. Partes enim integrantes corporis noſtri ſunt in triplici differentia, quædam pertinentes ad primariam conſtitutionem, vt oſſa, caro, nerui, quæ dicuntur partes primariæ. Secundæ ſunt conducentes, vt partes primariæ ex illis recipiant eſſe, vel debitam diſpoſitionem, vt ſanguis ſpiritus, & reliqui humores, qui dicuntur partes ſecundariæ. Sub tertio grado ſunt partes nullo modo pertinentes ad naturalem conſtitutionem, ſed tantùm ad ornatum, vt vngues, & pili. Ex quo patet ad argumentum, quòd ſpiritus ſunt partes pertinentes ad integritatem corporis Chriſti, non tamquam partes primariæ, ſed tamquàm partes ſecunda-

A riæ, quas informari non fuit neceſſe formâ Chriſti Domini, ſed per ſuas formas ſubſtantiales, per quas ſiunt tales, quales requiruntur in partium primarum ſubſidium.

Ad 2. diſtinguo antecedens: Spiritus mouentur versùs omnes poſitionis differentias in corpore humano à ſe ipſis, nego: ab aliqua facultate viuentis, à qua extrinſecè motu feruntur, concedo antecedens. A facultate enim pulſifica versùs omnes poſitionis differentias feruntur prout conuenit animali pro ſui conſeruatione, & operari.

Ad 3. diſtinguo minorem: Spiritus nutriuntur vera nutritione ab intrinſeco, nego: nutritione analoga ideſt, per nouæ ſpirituum productionis additionem, concedo minorem. Nutritio enim apud Hipp. ſumi-
B tur dupliciter, vno modo pro vera nutritione, quæ eſt ſubſtantiæ reparatio per ſimilis appoſitionem. Alia impropria, quæ eſt noua generatio ſubſtantiæ loco alterius conſumptæ, & deperditæ, vt quando producuntur ſpiritus, vel humores loco eorum, qui præfuerunt.

RESOLVTIO IV.

Quotuplex ſit ſpiritus?

§. I.

Spirituum diuerſitas proponitur.

C TRiplicem ſpiritum in corpore humano reperiri, animalem, vitalem, & naturalem contendunt Auicen. *fen.* 1 *lib.* 1. *doct.* 6. *c.* 4. *& lib. de viribus cordis*, quem ſequuntur Arabes, tenet Actuarius *lib. de ſpiritu animali*, Alexander Afrodiſ. 1. *problematum* 63. Fernelius *lib.* 4. *phyſiol.* Andr. Laur *lib.* 6. *anatomiæ q.* 5 5. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog. cap.* 9. Sennertus *lib.* 1. *inſt cap.* 6. Varand. *lib.* 1. *phyſiolog. ſect.* 5. *cap.* 5.

Primò poteſt ſuaderi ex Galen. *lib.* 7. *de placitis cap.* 3. dicit enim, Spiritum animalem gigni ex vitali, vitalem ex parte tenuiore ſanguinis, hæc videtur quòd ſit ſpiritus naturalis: Et *lib.* 11. *methodi cap.* 5. docet ſpiritus animalès eſſe in cerebro veluti in fon-
D te, vitales in corde, & arteriis, & quòd ſi quidam naturalis ſpiritus dabitur, is in iecore, & venis continebitur.

Secundò, in cerebro producitur ſpiritus animalis; in corde ſpiritus vitalis: ergo in iecore producitur ſpiritus naturalis. Probatur conſequentia, non minus eſt pars princeps iecur, ac cerebrum, & cor: ergo ſicut ab illis, quia ſunt partes principes, producuntur ſpiritus ſic & à iecore.

Tertiò: apertâ venâ, exit ſanguis proſiliens, & feruidus apparet ob ſpiritum, quo refertus eſt, & debuit, ſicut ex vitali animalis, ex naturali fieri vitalis ſpiritus: ergo triplex admitti debet.

E
§. II.

Veriorem numerum ſpirituum determinamus.

REſoluendum: Quod præter ſpiritum, quem implantatum vocant, quem calidum innatum vocamus, naturalem alium influentem non admittendum, ſed tantum dari ſpiritum animalem, & vitalem. Tenet Galen. *lib.* 6. *de vſu partium cap.* 10. *artis medicinalis. lib. de placitis Hipp. & Platonis.* Manardus *lib.* 15. *epiſtolarum* 1. Valles *lib.* 2. *controu. cap.* 17. Sclanius *in artem medicinalem*. & ibidem Sanctorius *q.* 36. Petrus Garc. *fen.* 1. 1. *diſput* 40. *cap.* 12. Lemoſius *lib.* 12. *method. q.* 1. Mercatus *lib.* 1. *de pulſuum*

harmonia

harmonia tract. 1. Segarra *in præfatione lib de facultatib. naturalib.* Santa. Cruz *in fen.* 1. 1. Martinez *lib.* 1. *tract.* 6. *quæſt.* 2. Valleriola *lib.* 1. *de locis communib. cap.* 17. quibus aſſentiri videtur Auerr. *lib.* 4. *collectaneorum*, dicens: *Spiritus duo ſunt, ſpiritus apparens in cerebro, &c.* Et Iſaac Iſraëlita animalem, & vitalem diffinit, relicto naturali.

Probari ſolet reſolutio ex eo: Quòd Galen. dubitanter tantùm de naturali ſpiritu loquitur: quia non eſt lucidus, quia nullus ductus apparet, quo aër feratur ad hepar; nulla apparet materialis cauſa, ex qua fiat; nullius facultatis poteſt eſſe vehiculum, cùm facultates naturales, ex Galen. *lib.* 12. *methodi*, non influant, ſed inhærent in partibus; nulla eſt capacitas, & locus pro eius generatione in iecore, ſicut ſunt in cerebro ſinus; non poſſunt per venas ferri, cum ſpiritus æthereus debeat eſſe, & venæ ſint tenuis ſubſtantiæ; non pulſant, quod proprium eſt omni ſpiritui, cùm ideò dicantur *impetum facientia* ab Hipp. ergo nullus datur naturalis ſpiritus.

Reſpondent contrarij placiti ſectatores, quòd ſpiritus naturalis longè à natura aliorum differt, & ideò neque adeò purus eſt, vt reliqui, neque aëreus; ſed caliginoſus, ſanguineus, iecori, à quo fit, aliqualiter proportionatus, & ideò in iecore, & venis genitus, & contentus, aliis humoribus commixtus, vt ſanguinem perficiat, & viuificet, & tandem ſubſternat materiam pro ſpiritu vitali.

Contra ſtat. Galen. *lib.* 3. *de facultatibus naturalib. c.* 14. inquit enim: *Spiritus eſt halitu, & vapore tenuior, &c.* Sed pars illa ſanguinis à iecore genita, quæ per venas defertur, eſt halitu, & vapore craſſior, cum illa quantumcumque tenuis, ſub ſanguinis ſit natura, ex qua poteſt vlteriùs à calore vt vapor eleuari: ergo non eſt dicenda ſpiritus, ſed ſanguinis pars tenuior.

Probatur 2. Si naturalis ſpiritus à iecore genitus eſſet neceſſarius, maximè, vt eſſet materia pro ſpiritu vitali, ſicut vitalis eſt materia pro animali; & vlteriùs vt ſanguinem viuificaret, eleuarétque in venis: ſed non ad primum, cùm vitali ſpiritui ſufficiat ſanguinis pars tenuis, & aër, & ſicut naturalis ſpiritus, ſi daretur, non poterat fieri ex alio, aliàs daretur proceſſus in infinitum, ſimiliter nec ad ſpiritus vitalis generationem admittendus naturalis. Nec ob ſecundam rationem requiritur, cùm ab ipſo ſpiritu vitali in venis cum humoribus commixto ſanguis viuificetur, eleuetur, & perficiatur: ergo ad nihil naturalis ſpiritus eſt neceſſarius.

Probatur 3. Tot ſunt admittendi in corpore ſpiritus, quot ſunt partes principes, quæ pro eis generandis capacitatem habent, ſinus, & inſtrumenta, mediis quibus, ipſos communicent, & quorum ligatura, aut obſtructione impediri contingit aliquas animalia operationes: ſed duæ ſunt huiuſmodi partes cerebrum, & cor: ergo duo ſunt ſpiritus, animalis in cerebro, vitalis in corde genitus. Probatur minor, ex Galen. *lib. an ſanguis in arteriis contineatur*. vbi ex ligatis arteriis pulſandi actiones impediri docet; & demonſtrat experientia ex obſtructis neruis, ſenſitiuas, & loco-motiuas operationes impediri.

§. III.

Auicennæ, & ſectatorum argumenta diluuntur.

AD 1. potiùs ex eodem Galen. conſtat ipſum non admittere naturalem ſpiritum, ſed dubitanter aliquando in aliorum ſententia de illo loqui; vitalem tamen ſpiritum non ex ipſo, immò ex tenuiori ſanguine fieri admittit.

Ad 2. negatur conſequentia vtraque: Quia cor non conſtituitur pars princeps, quia communicat ſpiritum: ſed quia communem materiam pro nutritione cunctis impartitur partibus.

Ad 3. diſtinguo antecedens: Apertâ venâ, exit ſanguis impetu proſiliens ratione commixti ſpiritus vitalis, concedo: ratione ſpiritus naturalis, nego antecedens. Cùm enim magna ſpirituum vitalium copia ſanguini ſit commixta, ab ipſa cum impetu ſanguis exit feruidus, apparétque proſiliens.

Resolutio V.

Vtrùm detur ſpiritus naturalis inſitus?

§. I.

Negatiuæ parti adhæret Garcia.

PArtem negatiuam tenet Petrus Garcia *fen.* 1. 1. *diſp.* 40. c. 11. qui ipſum non admittendum contendit, licèt fateatur à Galen. concedi; nititur enim eiſdem fundamentis, quibus antecedenter calidum innatum renuit admittere; Tum, quia dicit à Galen. non probari dari materiam viuentem, quæ talis ſit naturæ, vt poſſit ſpiritus implantatus dici, nec calidum innatum, quod nec per effectum, nec per experientiam, neque ratione alicuius finis cognoſcitur.

§. II.

Communior aſſenſus præfertur.

REſoluendum dari in animali ſpiritum naturalem implantatum, qui non aliud eſt, quàm calidum innatum. Sic tenet Galen *lib.* 11. *method. c.* 5. *&* 12. *& lib.* 5. *de ſimplic. medicament. facultatibus c.* 9. Ariſt. *lib.* 2. *de generatione animal. c.* 4. Fernelius *lib.* 4 *partis naturalis*, Donatus ab Altomari *quæſt. de ſpiritu naturali*, Segarra *in præfatione ad lib. de facultatibus naturalib.* Mercat. *lib.* 1. *de pulſib. tractat.* 2. Sanctorius *in artem medicinalem q.* 58. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog. c.* 9. Valleriola *lib. de locis communibus c.* 17. Tenéntque reliqui admittentes calidum innatum.

Probatur 1. ex Galen. *lib. de ſimplic. medicamen facultatib. cap.* 9. ait enim: *Sed nos dicta eius haud perperam capere oportet, ac cognoſcere innatum dixiſſe calorem, quem in quoque animantium, & natiuum ſpiritum nominamus.* & addit infra: *Et certè dicimus, tum ſpiritum in omnibus animantis contineri partibus, ſed non vndéquaque eſſe ſui ſimilem, &c.*

Reſpondet Petrus Garc. Non acquieſcendum Galen. quia licèt ita determinauit, non probauit; vel quia nomine partis ſpirituoſæ non debet intelligi pars viuens.

Sed tanto viro indigna reſponſio: Probabilia enim fiunt plurima ab authoritate, quæ non benè probata ſunt, ideò plerumque authoritate tanti viri indigent, & probant rationes, quibus calidi innati demonſtratur neceſſitas, nec de parte non viuente intelligi poteſt Galen. qui calidum innatum ſpiritum implantatum ex ſanguine, & ſemine docet fieri.

Probatur 2. Spiritus naturalis eſt pars illa viuentis, à qua calor innatus pullulat: ſed huiuſmodi ſubſtantia datur in corpore humano: ergo ſpiritus naturalis datur. Probatur minor, calor innatus pullulat à forma, vt virtualiter eminenter continet calida elementa, & vt determinatus per partes materiales calidorum,

lidorum elementorum, vt probauimus *diſp.* 1. *de elemẽtis*: ergo huiuſmodi ſubſtantia calida datur in corpore.

Probatur à poſteriori: ſpiritus vitalis ordinatur ad conſeruationem caloris innati orti ex naturali ſpiritu in prima ſui productione: ergo admittendus naturalis ſpiritus. Probatur antecedens, licèt enim vnicuique particulæ debitam dederit natura temperiem, quia à cauſis extrinſecis oppugnatur, in illius ſubſidium natura vitalem produxit ſpiritum.

§. III.

Qualiter fundamenta Gartiæ diluenda.

AD propoſita fundamenta patet ex dictis in hac reſolutione, & *tract. de calido innato.*

Resolvtio VI.

Vtrùm ſpiritus vitales, & animales differant ſpecie?

§. I.

Negatiuæ opinionis fundamenta refero ex Argenterio.

PArtem negatiuam tuetur Argenterius *lib.* 2. *de ſomno, & vigilia*, c. 9. qui ſub vna ſpecie ſubſtantiali vtrumque conſtituit cum ſola accidentali differentia.

Cui primò fauet Ariſt. *lib.* 5. *de generatione animal. cap vltimo*, vbi inquit: *Vt enim nonnulla artium inſtrumenta vtilia ſunt ad plura v. . . cenſoria, malleus, & incus. ſic iis rebus à natura vnſitum ſpiritus varium exhibet vſum*, & lib. de communi animal. motu ait: *Animalia omnia natiuum quemdam ſpiritum habere, & in corde ſedem obtinere, &c.* Ergo vnus ſpecie ſpiritus eſt tantùm in animali.

Secundò id ſuadere contendit: Tum quia ſi ſpiritus animalis, & vitalis eſſent ſpecie diuerſi, inuicem permiſcerentur, & permixti mutuò ſe impedirent, & neuter eſſet in ſecore vtilis. Præterea ſi in aliquo caſu poſſent ſpiritus animalis, & vitalis conſpici vt diſtincti, maximè in pupillæ dilatatione, quæ deberet fieri ab ſpiritu animali ad viſionem deſeruiente: ſed hæc dilatatio fit à vitali ſpiritu, apparent enim venulæ patuæ oculi repletæ per ſpiritum vitalem, ex quo cõſtat deſeruire ad ſenſationem. Præterea ſi in cerebro reperirentur ſpiritus animales diſtincti à vitalibus, cùm ibi ſemper ſint facultates, ſemper fierent operationes, quæ cùm otiari conſpiciantur, prouenit ex vitalium ſpirituum defectu, qui ibi dicuntur animales. Præterea, quia ſpiritus animales, cùm ſint tenuioris ſubſtantiæ, reſoluuntur, antequam deſcendant ad partes, in quibus pro eis deſeruiunt vitales: ergo quia ſolùm differunt ab illis ſpecie accidentali.

Tertiò: ſi quid poſſet ſuadere in cerebro produci ſpiritum animalem ſpecie diſtinctum à vitali, maximè plexus arteriarum in cerebro repertus, qui in alium finem non apparet neceſſarius: ſed is vix conſpicitur, ex illo non infertur ſpirituum productio, cùm ſine illo in corde fiant vitales: ergo non datur alius ſpecie diſtinctus ſpiritus à vitali.

§. II.

Affirmatiuè reſoluitur.

REſoluendum: ſpiritum vitalem differre ab animali forma ſubſtantiali ſpecie diſtincta. Dedu-

A citur ex Auicen. ex Galen. tenet communis Medicorum conſenſus, Sclanius *in artem medicinalem.* Sanctorius *quæſt.* 56. Manardus *lib.* 15. *epiſtolar.* 1. Vall. *lib.* 2. *controu.* c. 17. Santa Crux *in fen.* 1. 1. *opuſc.* 10. Petrus Garc. *in fen.* 1. 1. *diſp.* 40. c. 4. Martinez *lib.* 1. *tract.* 6. *q.* 2. Andr. Laurent *lib.* 6. *anatomiæ*, *q.* 12. Fernel. *lib.* 4. *phyſiolog. ſect.* 5. c. 1. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog.* c. 9. Sennertus *lib.* 1. *inſtit.* c. 6. Valleriola *lib.* 1. *de locis communibus*, c. 17.

Probatur 1. Ex Galen. *lib.* 7. *de placitis*, c. 3. inquit enim: *Spiritus, qui in arteriis continetur, vitalis eſt; qui in cerebro, animalis: non quod animæ ſubſtantia ſit, ſed primum eius inſtrumentum, &c.* Ergo ex Galen. duplex ſpiritus vitalis genitus in corde, animalis in cerebro reperitur.

Probatur 2. ex infrà probandis: Spiritus animalis

B in cerebro, vitalis in corde fit, ſpiritus animalis ex vitali, vitalis ex tenuiſſimo fit ſanguine, ſpiritus vitalis per arterias, animalis per nèruos in vniuerſas corporis partes fertur, ſpiritus vitalis calorem communicat pro vegetatiuis operationibus conducentem, animalis aptam communicat diſpoſitionem, qua recipiatur debitus influxus pro ſenſitiuis operationibus neceſſarius: ergo differunt ſpecie ſubſtantiali.

§. III.

Reſpondetur ad rationes primò adductas.

AD 1. dicendum: Quòd Ariſt. ſicut vnicam ad-

C mittit partem principem, ita & vnicum admittit ſpiritum, vel quòd de vnoquoque ſpiritu poteſt dici tam de vitali, quàm animali, quòd aptam tribuit diſpoſitionem pro variis, ac diuerſis operationibus.

Ad 2. reſpondetur: Spiritus animales in neruis, vitales in arteriis contineri, & quòd adhuc commixti, quilibet diſponeret iuxta propriam naturam; dilatatio pupillæ prouenit, quia neruus opticus peruenit ad cryſtallinum, & diffunditur in tunicam reticularem, quæ ad pupillam fertur, ratione cuius fit dilatatio; in cerebro facultates non otiantur, in ſomno enim licèt remiſſè, operantur aliqualiter; ſpiritus deſcendunt non

D à vi propria, ſed impulſi, vt demonſtratur *tract. de paſſionibus animæ.*

Ad 3. reſpondetur: In plexu, quem omnes Anatomici viderunt, & obſeruarunt in cerebro diſponi materiam, vt in ventriculis cerebri generentur, ſicut præparatur materia in ſiniſtro cordis ventriculo, vt vitalis ſpiritus generetur in dextro.

Resolvtio VII.

Vtrùm ſpiritus generentur per coctionem?

§. I.

Negatiuæ partis ponuntur fundamenta.

E PEtrus Garc. problematicè adhæret vtrique parti *fen.* 1. 1. *diſputat.* 40. *cap.* 5. partem negatiuam ſuadet,

Primò: quia ſpiritus vitales, & animales denominantur à potentia productiua eorum: ergo alter à facultate vitali, alter ab animali producitur.

Secundò: quod coquitur, redditur ſimile parti concoquenti in modo ſubſtantiæ, temperie, & accidentibus: ſed nec vitalis ſpiritus cordi, nec animalis cerebro hoc modo fit ſimilis: ergo non fiunt per coctionem ab illis.

Tertiò: quidquid per coctionem generatur in corpore, fit materia nutritionis eius partis, in qua

conco

concoquitur, ſic ventriculus chylo, iecur humoribus, partes humiditatibus nutriuntur: ſed ſpiritus non ſunt materia apta pro partium nutritione: ergo non fiunt ab illis per coctionem.

Quartò: In qualibet coctione ex Gal. *lib. 3. method. cap. 4.* duo reſultant excrementa, tenue, & craſſum: ſed nullum apparet in generatione ſpirituum: ergo non fiunt per coctionem.

§. II.

Affirmatiua pars verior cenſetur.

Reſoluendum affirmatiuè. Sic tenet Gal. *lib. 9. de vſu partium c. 7. & lib. 7. de placitis c. 3. & lib. an ſanguis in arteriis contineatur.* Auic. *fen. 1. lib. 3. tract. 1. c. 1.* Santa Cruz in *fen. 1. 1. opuſc. 10.* Martinez *l. 1. tract. 6. q. vlt.* Mercatus *lib. 1. claſſ. 4. p. 4. art. 1.* Vall. *l. 2. controuerſ. c. 18.* Andr. Laurent. *lib. 10. anatomiæ, quæſt. 7.*

Probatur: Spiritus ſunt partes neceſſariæ ſimpliciter in corpore ad illius conſeruationem, & ad efficientiam ſuarum operationum: ergo neceſſaria potentia productiua huius neceſſarij effectus debet à natura determinari in corpore humano: ſed talis non poteſt eſſe vitalis, quæ tantùm eſt loco motiua, nec animalis, cuius terminus eſt ſenſatio, aut vbicatio: ergo debuit eſſe aliqua vegetatiua, quæ ex vi tranſmutationis ſit productiua ſubſtantiæ: hæc non eſt generatiua, quæ ſimilem ſpecie produxit effectum: ergo neceſſariò debet eſſe concoctrix.

Reſpondet Petrus Garcia: fieri ſpirituum productionem à corde, & cerebro per calorem, vt calor eſt, non vt inſtrumentum eſt concoctricis.

Contra: calor cordis, & cerebri ſunt inſtrumentum facultatis concoctricis illius partis, & vlteriùs materia, ex qua fiunt ſpiritus, eſt apta concoqui, & eſt intra ſphæram actiuitatis illius potentiæ, & caloris, vt eſt animæ inſtrumentum: ergo neceſſariò debet non ſolùm ſimplici alteratione alterari, ſed ſimul concoqui, & elaborari ab illo calore, vt concoquens eſt.

Dices: ad generationem ſpirituum requiri remiſſiorem alterationē, quàm quæ neceſſaria eſt pro coctione.

Contra: non poteſt ſpiritus generari; niſi vniantur illæ diuerſæ materiæ, ex quibus fit, & coadunentur ad vnam formam recipiendam: ſed talis coadunatio non poteſt fieri per quamcunque ſimplicem alterationem, ſed per perfectiſſimam coctionem, ergo antequam recipiat terminum coctionis non tranſmutatur illa materia in ſpiritum.

§. III.

Diluuntur argumenta.

Ad 1. negatur antecedens: denominantur enim à cauſa finali, quatenus tales ſpiritus ad vitæ conſeruationem ſunt neceſſarij, & deſtinati, vitales verò ſpiritus ad vegetatiui gradus actiones, animales tam ad ſenſitiuas, quàm ad loco-motiuas.

Ad 2. negatur minor: Quia ſpiritus fiunt ſimiles in modo ſubſtantiæ partibus, à quibus in corde, & cerebro fiunt. Sicut enim iecur non ſecundùm omnes partes generat quemcumque humorem: ſed ſecundùm aliquas determinatas; idem de generationis modo ſpirituum dicendum.

Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt coctio ordinetur in aſſimilationem partis, non ſemper materia, quæ coquitur, ad eam perfectionem peruenit, vt poſſit eſſe apta pro nutritione, ſicut contingit in lactis generatione, & ſeminis, quæ coctione genita inepta ſunt pro partis nutritione.

Ad 4. reſpondetur: Quòd ex coctione ſpirituum craſſum, & tenuè excrementum reſultat inſenſibile; vel quòd Galen. id de primis tribus coctionibus docet, non de reliquis particularibus.

SECTIO II.

De ſpiritu animali.

Animalis ſpiritus ideò talis dicitur, quia in animalis perfectiores operationes neceſſarius eſt, ad ſenſitiuas inquam, & loco-motiuas perfectiores ordinis deſeruit, & ideò & fine, & forma vitalem excedit.

RESOLVTIO I.

Quid ſit ſpiritus animalis?

§. I.

Galeni diffinitio proponitur.

Galen. *lib. 6. de vſu partium*, diffiniuit animalem ſpiritū, quòd ſit: *Quædam exhalatio ſanguinis benigni.* Sed ſatis ſtricta eſt hæc diffinitio. Contendunt alij partem eſſe cerebri viuentem: ſed minùs propriè, cùm ſine ſui ipſius corruptione ſeparari non poſſit à cerebro, nec in reliquas deferri partes.

§. II.

Diffinitur animalis ſpiritus.

Reſoluendum: Spiritum animalem eſſe ſubſtantiam tenuem, ſubtilem, lucidam, puram, mobilem, genitam in cerebro ab illius concoctrice vi ex vitali ſpiritu, & tenui aëris portione, ob animalis perfectiores operationes.

Omne genus cauſarum concurrentium ad illius eſſe amplectitur hæc definitio, & quidquid requiritur pro definiti enodanda doctrina.

RESOLVTIO II.

Verùm ſpiritus animalis ſit vitali calidior?

§. I.

Pars affirmatiua ſuadetur.

Vitali ſpiritu calidiorem eſſe ſpiritum animalem ſuadet,

Primò; quòd per vlteriorem coctionem fit ex vitali ſpiritu: ſed quæcumque coquuntur ex Ariſtot. *lib. 4. meteor.* calidiora euadunt: ergo ſpiritus animalis calidior eſt vitali.

Secundò: lux eſt cauſa productiua caloris, vt patet de luce communicata à ſole: ſed ſpiritus animalis, vt patet ex eius diffinitione, eſt lucidus: ergo eſt calidior ſpiritu vitali.

Tertiò: tenuitas, ſubtilitas, & mobilitatis aptitudo ſunt ſecundæ qualitates ortæ ex calore: ſed ſunt in ſpiritu animali intenſiores, quàm in vitali: ergo eſt illo calidior.

§. II.

Vitalis ſpiritus caliditate præfertur.

Reſoluendum: Spiritum animalem eſſe frigidiorem vitali: tenet Auicen. *fen. 1. 1. doctr. 5.* qui vita-

lem ſpiritum partem calidiorem in corpore conſtituit, A quem ſequuntur ſui Commentatorea, omnes moderniores, Valleſiua, Mercatus, Gateia, & teliqui.

Probatur 1. Cor ex præſentia ſpirituum vitalium, quoa generat, ita calidius euadit, vt, docente Galeno, ſi io illud immitteretur digitus cremaretur: ſed cerebrum vira eſt frigidum, vt ſemper indigeat adiuuamine caloris ſpirituum vitalium: ergo quia vitalea ſont calidiores animalibus.

Probatur 2. Spiritus vitales ordinati ſunt à naturæ in ſubſidium caloria innati, vt illud tueantur ſuo calore à cauſis extrinſecis frigefacientibus: ſed ſpiritus animales io hunc finem nun ex vſu ſunt: ergo illis B frigidiores.

Probatur 3. Pars priuata ſpiritu vitali redditur frigida, pars priuata ſpiritu animali, licèt priuetur ſenſu, & motu, vt in paralyſi appatet, debitum ſeruat calorem: ergo ſpiritus vitales ſunt calidiorea animalibus.

§. III.

Argumentis fit ſatis.

AD 1. diſtinguo minorem: Quæ coquuntur, euadunt calidiora, ſi coquantur coctione propriè dicta, concedo: ſi coquantur tantum coctione, C quæ dicatur elixatio, nego minorem. Duplex enim eſt coctio ex Ariſt. *lib.4.meteor.* Alia propriè talis, qualia eſt maturatio in fructibus, per quam deſtruntur io perfectiorem calorem, eſt enim, *Perfectio caloris, tum proprij, tum naturalis.* Alia eſt coctio largo modo ſic dicta, propriè tamen dicitur elixatio, quales ſunt coctiones, quæ fiunt in corpore, de quibua non eſt neceſſarium, quòd, quæ per illas dicuntur concoqui, euadant calidiora: & per hanc generantur ſpiritus animales.

Ad 2. diſtinguo conſequens. Ergo eſt calidior in actu virtuali, concedo, in actu formali, nego conſequentiam. Lux enim non continet formaliter calorem, vt patet in aëre lucido frigido; ſed in actu virtuali; quatenus valet in alio ſubiecto illum producere, & io hac conſideratione poſſet ſpiritus animalis dici cali- D dior, quantum eſt ex ſe, licèt in actu formali ſit minùs calidus, & licèt de facto minùa de calore poſſit communicare, quia rarioris eſt materiæ, & quia vitalis, cùm in actu habeat calorem, perfectiori modo communicare valet illum.

Ad 3. diſtingoo maiorem: Tenuitas, ſubtilitas, & mobilitas ſunt ſecundæ qualitates ortæ ex calore ſolo, nego: ex calore, aut ſimul ex calore, & humiditate, concedo maiorem. Spiritus enim animales ſunt humidiores, quàm vitales, & ideò tenuiores, quia à calore cum humiditate, etiam ſi ſit remiſſior calor, aduenit tenuitas, mobilitatis aptitudo, & ſubtilitas, vt appatet in ſucco limonum, in quo ratione humidita- E tis, etiam ſi ſuccus ſit frigidior cortice, habet tenuiorem modum ſubſtantiæ, & aptior eſt ad mobilitatem & ſubtiliorea habet partes.

Resolvtio III.

Vtrùm ſpiritus animales ſint lucidi?

§. I.

Argenterij fulcitur opinio.

ARgenterius *lib. artis medicinalis, & l.2. de ſomno, & vigilia c.*8. partem negatiuam probare contendit.

A Quia non eſt aliqua ratio, quæ probet eſſe in ſpiritu animali principium productiuum lucis: ergo non eſt lucidus.

§. II.

Affirmatiua pars reſoluitur.

REſoluendum Affirmatiuè. Sic tenet Gal. *lib.3. de locis affectis, c.7. lib.7. de placitis, c.4. lib.1. prognoſticorum, c.18. lib.10. de vſu partium, c.6. lib.8. de morbis vulgarib. p.4. text.36.* Auicen. *lib.1. de medicinis cordialibus, c.5.* Actuarius *lib. de ſpiritib. c.9.* citati a Petro B Gate. *in fen. 1.1. diſp.40. c.9.* qui ſimiliter hanc amplectitur ſententiam, vt communem apud omnes Commentatores.

Probatur 1. ex Galen. *qui lib. de locis affectis, c.7.* ait: *Quemadmodum nocturna tenebræ pauorem inducunt, ſic atra bilis color mentis ſedem tenebris ſimilem reddens, timorem efficit; quod non aliter prouenit, niſi quia ſpiritus illi ſunt lucidi, & cerebrum priuatur ſplendore,* &c. Et *lib. 10. de vſu partium,* docet ſe demonſtraſſe, *in lib. de viſu,* ſpiritum viſûs lucidum eſſe, *Et lib. quòd animi mores corporis temperaturam ſequuntur,* dictum Heracliti adducit, quòd *ſplendor ſiccus animus ſapientiſſimus, &c.* Ergo ex Gal. manifeſtum eſt ſpiritua animales lucidos eſſe.

C Probatur 2. ratione deducta ex Gal. *lib.7. de placitis, c.4.* vbi demonſtrat ex eo, quòd patefactis palpebris lux apparet in oculis; quod idem confirmat fulgor, qui oculo compreſſo, apparet in tenebris: ergo animalis ſpiritus lucidus eſt.

Probatur 3. Spiritus animalis eſt perfectiſſima ſubſtantia ordinata, vt perfectiſſimam tribuat diſpoſitionem pro ſenſitiuis operationibus: ergo debet habere perfectiſſimum ſubſtantiæ modum, & aptiſſimum, vt perfectiſſimæ qualitates oriantur ex illo: ergo poteſt lux, quæ perfectiſſima qualitas eſt, ex eius ſubſtantiæ modo oriri.

§. III.

Argenterij ratio diluitur.

D AD Argenterium reſpondetur: Quòd luciditas oritur à propria forma ſubſtantiali ſpirituum determinata per modum ſubſtantiæ partium materialium, ob virtualem enim elementorum continentiam, valet primas, ſecundas, & alias quaſcumque elementales qualitates producere, ſi determinetur à materie bona, ſicut ſimiliter contingit in quibuſdam inſectia, aliiſque mixtia, in quibua luciditas iuxta aliquas reſultat partes ob aptum ſubſtantiæ modum ad eius receptionem.

Ex his patet conſtanter Galen. aſſeruiſſe ſpiritus animales eſſe lucidos, & hoc idem demonſtraſſe, vt patet ex dictis.

E

Resolvtio IV.

Vtrùm ſpiritus animalis fiat ex aëre & ſpiritu vitali?

§. I.

Diluitur reſolutio.

REſoluitur Affirmatiuè: Ex communi Medicorum conſenſu, qui vnanimiter hanc admittunt doctrinam ex Galeo. *lib.12. method. cap. 5. lib. de vtilitate reſpirationis, cap. 2. lib. de vſu reſpirationis, cap. vltim. lib. 3. de placitis, cap. vlt. lib. 8. de vſu partium cap.4.*

cap.4.lib de vſu pulſuum.cap.8. altiſque quamplurimis in locis. A

SECTIO III.

De ſpiritu vitali.

VItalis ſpiritus in vitæ conſeruationem omninò neceſſarius licèt naturâ poſterior, neceſſitate prior venit pertractandus.

B

Resolutio I.

Quid ſit ſpiritus vitalis?

§. I.

Obumbratur natura.

HIpp. *lib. de corde*, ſpiritum vitalem, Animam vocauit; non quia ab illa diſtinctum eſſe non cognouerit: ſed, vt eius ad vitam neceſſitatem demonſtraret. Ex Auic. ſpiritus vitalis eſt delator virtutum animæ. Ariſt. illum igneum corpus vocauit. Fernelius eſſe ſedem caloris dictauit. C

§. II.

Diffinitur vitalis ſpiritus.

REſoluendum: Quòd ſpiritus vitalis eſt corpus mobile à corde per arterias in totum corpus diffuſum, genitum in ſiniſtro cordis ventriculo vi inſita cordis ex aëre cum ſanguinis vapore commixto, vt facultas vitalis conſeruetur, & natiuus calor in ſua temperie cuſtodiatur. Sic tenet Duncanus *lib. 1. phyſiolog. cap. 9.* Et omnia cauſarum genera aptè complectitur, & explicat.

D

Resolutio II.

Verùm ſpiritus vitales ſint corde calidiores?

§. I.

Negatiuæ partis proponit fundamenta.

PArtem negatiuam tenent quamplurimi, quibus fauet Galen. *lib. 1. de temperam. c. 9.* vbi non ſolùm corde, immò & ipſo ſanguine ſpiritus frigidiores conſtituit. Calidiſſimum, ait, eorum, quæ ſunt in corpore noſtro, ſanguis eſt: & *lib. 5. de ſimplic. medicam. facultatibus c. 8.* Vitales ſpiritibus temperatos eſſe contendit: ergo calidior eſt ſpiritibus vitalibus ſanguis.

E Secundò: ſpiritus vitales generantur à corde, vt docet Auicenna, Gal. & Ariſt. ergo cor calidius eſt illis. Probatur conſequentia, nihil poteſt reperiri in effectu, quod non contineatur in cauſa efficiente illius: ergo, cùm cor ſpiritus vitales generet, illorum calorem debet continere.

Tertiò: ſpiritus vitales ordinantur vt cordis calor per illos communicetur per omnes corporis partes: ſed ſi ſpiritus eſſent calidiores corde, non poſſent à corde calorem recipere, quem reliquis communicarent partibus: ergo ſunt corde frigidiores.

A

§. II.

Pars affirmatiua reſoluitur.

REſoluendum affirmatiuè. Sic tenent Veiga *lib. artis medicinalis cap. 28.* Peramatus *lib. de temperamentis c. 6.* Sancta Cruz *ſen. 1. 1. opuſc. 3. cap. 20. & opuſc. 2. de cauſis pulſuum cap. 12.* Petrus Garcia *in ſen. 1. 1. diſp. 12. c. 1.* Andr. Laur. *lib 9. anatomiæ q. 13.* & alij ex Commentatoribus Auicennæ.

Probatur 1. Ex Hipp. *lib. de corde*, vbi iacula prodeuntia à corde indigere ventilatione docet, ergo, quia ab illis oritur calor inteoſior, quàm qui reperitur in corde.

B Probatur 2. Cor indiget calore communicato ab ſpiritibus: ergo cor frigidius eſt illis. Probatur antecedens, omnes corporis partes, quia earum calor imminui poteſt à cauſis frigidis extrinſecis, indigent calore communicato ab ſpiritibus: ſed cor multò magis à continua aëris communicatione refrigeratur: ergo indiget calore communicato ab ſpiritibus.

Dices: quòd licèt cor indigeat calore ſpirituum, dùm illius calor remittitur à cauſa extrinſeca, non tamen dum eſt in ſtatu naturali: tunc enim calidius eſt illis.

Contrà: in corde datur ineuitabilis ſuarum partium reſolutio in ſtatu naturali: ſed hæc fit ab ſpirituum calore: ergo non ſolùm calefit ab ſpiritibus, dùm eius calor remittitur ab extrinſeca frigiditate, ſed etiam in ſuo naturali ſtatu. C

Dices partes calidas cordis reſoluere frigidas.

Contrà: non ſolùm reſoluuntur partes frigidæ cordis, & reliquarum corporis partium, ſed etiam partes calidæ, vt demonſtrat ætatum mutatio à calore in frigiditatem, proueniens ob reſolutionem & imminutionem partium calidarum: ſed partes calidorum elementorum non poſſunt reſolui à proprio intrinſeco inhærente calore, cùm ſit illis ita connaturalis, ſicut eſſet, ſi actu aëris, aut ignis formâ informarentur: ergo ab ſpirituum calore intra naturalem ſtatum alteratur.

D Probatur 3. Iecur non ſolùm præparat, & generat humores pro reliquis partibus, ſed pro ſe ipſo; cerebrum non ſolùm generat ſpiritus animales pro reliquis partibus neceſſarios, ſed pro ſe ipſo: ergo ſimiliter cor non ſolùm ſpiritus vitales generat, vt communicent calorem reliquis partibus, ſed etiam, vt ſibi ipſi communicent illum.

Probatur 4. Aliqui pereunt gaudio, refrigerato corde, propter ſpirituum vitalium ſparſionem ad extima. In ira multi laborant febre propter efferueſcentiam caloris in corde cauſatam ob acceſſum ſpirituum vitalium: ergo ſpiritus vitales corde intenſiorem calorem habent, quo illum valent alterare.

Probatur 5. In cadauere breui tempore ſuperuenit frigiditas, licèt tempore antecedenti animal fuerit calidiſſimum: ſed non defectu caloris communicabilis à corde remanente in cadauere: ergo defectu caloris communicabilis ab ſpiritibus, qui reſoluti ſunt. E

Dices: quòd amiſsâ animâ non habet cor à quo recipiat ſibi priùs debitum calorem.

Contrà: forma mixta ſuperueniens eodem modo continet virtutem productiuam primarum qualitatum ob virtualem continentiam elementorum, ſicut forma, quæ præceſſit, vt patet ex dictis *diſp. 2. de elementis*, nam partes materiales cordis ſunt eædem ſub cadauere, ac ſub viuente: ergo eadem caloris intenſio valet produci ab illo, ſi non impediatur ab extrinſeca frigiditate.

§. III.

Reſpondetur ad argumenta.

AD 1. dicimus: Quòd Galen. reliquis partibus ſanguinem calidiorem conſtituit ob commiatos vitales ſpiritus, per quos calidior reliquis partibus redditur; ipſos tamen vocat temperatos, quia licèt debeatur illis calor intenſior, is remittitur, & attemperatus redditur ab aëre, prout conuenit cuicumque parti.

Ad 2. negatur conſequentia: Et ad illius probationem diſtinguo antecedens: nihil continetur in effectu, quod non contineatur in cauſa formaliter, ſicut eſt in effectu, nego: formaliter, aut ſaltem virtualiter, concedo antecedens. Cauſa enim debet formaliter, aut virtualiter continere quod producitur in effectu; licèt enim non contineat cœlum potentias vitales, nec ſenſitiuam animam, quia virtualiter continet, valet eas producere, vt apparet in productione animalium, quæ generantur ex putredine.

Ad 3. diſtinguo maiorem: Spiritus vitales ordinantur, vt cordis calor communicetur per illos, ſi per cordis calorem intelligas productum ab illo in ſpiritibus mediâ virtute generatiuâ, concedo: ſi intelligas calorem actualem illius, qui ſit ſpiritibus communicabilis, nego maiorem. Cor enim communicare dicitur calorem cunctis partibus, mediis ſpiritibus vitalibus, non quia ſuum calorem per illos impartiatur, ſed quia ipſos calidiores generat, vt poſſint reliquas calefacere partes.

Resolvtio III.

Vtrùm ſpiritus vitales generentur à ſolo corde?

§. I.

Carreiri proponitur ſententia.

PArtem negatiuam tuetur Petrus Garcia *fen.* 1. 1. *diſp.* 40. *c.* 7. qui non ſolum à corde, ſed etiam ab arteriis poſſe generari contendit: quod probat,

Primò: ex Galen. *lib.* 7. *de placitis c.* 3. vbi aſſerit vitalem ſpiritum à corde, aut arteriis gigni.

Secundò: probatur ex Gal. *lib. an ſanguis in arteriis contineatur*, *c.* 4. qui eundem vſum docet præſtare arteriarum motum ad generationem ſpirituum, ac præſtat cor; ergo generantur ab illis, ſicut ab ipſo corde.

Tertiò: idem motus reperitur in corde, ac in arteriis: ſed ille motus in corde deſeruit ad ſpirituum generationem: ergo ſimiliter in arteriis.

§. II.

Contraria opinio reſoluitur.

REſoluendum affirmatiuè: Sic docet Hipp. *lib. de corde*. Gal. *lib. an ſanguis in arteriis contineatur*, Auicen. *fen.* 1. *lib.* 1. Ariſt. *de comm. animal. motu.*

Probatur 1. Spiritus vitales producuntur à corde per coctionem, vt probauimus *diſp.* 1. *antecedenti*: ergo ſpiritus vitales non poſſunt ab arteriis generari. Probatur conſequentia: ea quæ intra corpus humanum producuntur ab aliqua determinata parte per coctionem, non poſſunt intra illud produci ab alia quacumque, quæ non ſit omnino ſimilis, non ſolùm in modo ſubſtantiæ, ſed in ſubſtantifica temperie, vt patet de lacte, quod a ſolis mammis; de ſemine, à teſtibus; de ſan-

A guine, à ſolo iecore; de chylo, qui à ſolo poteſt ventriculo generari: ſed arteriæ, cùm ſint partes ſpermaticæ, & ſubſtantificè frigidæ, non habent ſubſtantiæ modum, nec ſubſtantificam temperiem cordi ſimilem, quòd pars eſt carnoſa, calidum ſubſtantificè: ergo ſpiritus vitales non poſſunt generari ab arteriis.

Probatur 2. Facultas concoquens reſidens in animali, licèt ſit eadem ſecundùm ſpeciem, heterogeneam habet naturam, ſed diuerſam iuxta diuerſitatem partium, in quibus inhæret, vt à poſteriori cognoſcitur ex effectibus eius: ergo quæ reſidet in corde diuerſam habet proportionalem naturam ab ea, quæ reſidet in arteriis, ſicut & ipſum cor, & arteriæ; tunc ſic: ſed iſtæ partes ſunt omnino diſſimiles: ergo ſi ſpiritus vitalis

B ob ſimilitudinem in modo ſubſtantiæ fit à cordis concoctrice, nullo modo poteſt fieri à concoctrice arteriarum, in quibus omnino diſſimilis eſt natura.

Probatur 3. Si poſſent vitales ſpiritus generari ab arteriis, maximè, vt tenet Petrus Garc. quia licèt ſint ſubſtantificè frigidæ, ſunt tamen actu calidæ per calorem ab ſpiritibus communicatum: ſed pars quælibet media concoquente, & nutritiua facultate, potiùs operatur iuxta ſubſtantificam temperiem modificando has potentias, quàm iuxta qualitatiuam, vt apparet in ipſis arteriis, quæ licet actu calidæ, quia ſubſtantificè ſunt frigidæ, frigidam attrahunt alimenti ſubſtantiam, ipſam elaborant, retinent, concoquunt, & aſſimilant in omnimodam nutritionem: ergo ex actuali caliditate

C non infertur, quòd per coctionem generent ſubſtantiam, quæ petit produci à corde.

§. III.

Fit ſatis pro argumentis Garciæ.

AD 1. reſpondetur Galen. ſolùm intendere ſpiritus vitales in corde generari, & in arteriis intra ſphæram illius actiuitatis: ſemper tamen eorum generatio eſt cordis virtute.

Ad 2. reſpondetur: Quòd Galen. docet, quòd pro ſpirituum generatione, ideſt pro attractione aëris re-

D quiſiti, vt ex illo fiant ſpiritus, eundem vſum habent cor, & arteriæ; at verò, aëre attracto, à ſolo corde fit ex illis eorum productio.

Ad 3. reſpondetur: Quòd idem motus reperitur in corde, & arteriis, & medio illo aër attrahitur ſpirituũ generatione: at verò non motu, ſed media concoctrice cordis facultate perficitur generatio ſpirituũ vitalium.

Resolvtio III.

Verùm fiat vitalis ſpiritus ex aëre, & ſanguine?

E

§. I.

Auerroës parti adhæret negatiuæ.

AVerroës *lib.* 2. *collectaneorum c.* 16. ſpiritus vitales generari contendit ex ſolo ſanguine, cui fauet Auicen. *fen.* 1. 1. vbi agens de vitali ſpiritu, inquit quòd fit ex humorum vaporibus, & eorum ſubtilitate ſecundùm aliquam complexionem ſubſtantiæ: ergo non fit ex aëre.

Probatur 1. Ex eiſdem nutrimur ex quibus ſumus, ex Ariſt. ſed non poteſt mixtum nutriri ex vno ſolo elemento: ergo, cùm ſpiritus ſit mixtum, non poteſt ex aëre fieri,

Probatur 3. Sanguis, cùm ſit mixtum, partes materiales omnium elementorum habet, & aptitudinem, vt quodlibet aliud mixtum poſſit ex illo fieri: ergo ſubſternit adæquatè materiam pro ſpirituum generatione ſolus ſanguis ſine ſuperaddito aëre.

§. II.

Affirmatiuè reſoluitur.

Reſoluendum: Quòd ex aëre, & ſanguinis tenuiori parte adintegratur materia, ſine qua ſpiritus vitalis generari non poteſt. Sic docet Galen. *lib.* 12. *method. cap.* 5. *& lib.* 7. *de placitis c.* 4. quem ſequitur communis Medicorum conſenſus.

Probatur 1. Spiritus vitalis ex propria, & natiua temperie debet eſſe pars corporis calidior, vt probauimus: ergo debet produci ex maiori numero partium calidarum, quàm ſanguis, & quæcumque corporis pars. Probatur conſequentia; propria ſpiritus temperies, ſicut & cuiuſuis alterius mixti, prouenit ab eius forma mixta determinata per partes materiales: ergo vt ſit reliquis calidior, debet determinari per maiorem numerum partium calidarum, quàm ſunt illæ, quæ reperiuntur in corde.

Probatur 2. Si quid obſtaret ſpiritum vitalem fieri ex aëre, maximè quia, cùm ſit mixtum, ex ſimplici corpore fieri repugnaret: ſed hæc ratio non obſtat: ergo fit ex aëre. Probatur minor, licèt obſtet mixtum fieri ex vno ſolo elemento, non tamen obſtat fieri ex quolibet determinato, cum admixtione reliquorum; alias impoſſibilis eſſet mixti per mixtionem productio: ſed in ſanguine ſunt reliquorum elementorum materiæ: ergo non repugnat ex aëre ſimul cum ſanguine fieri.

§. III.

Reſpondetur argumentis.

Ad 1. reſpondetur: Quòd Auic. docet ſpiritum vitalem generari ex ſanguine, non tamen negat ſimul fieri ex aere.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt ſpiritus vitalis non poſſit ex ſolo aëre produci, quia mixtum eſt, poteſt tamen ex illo & ſanguine fieri.

Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt ſanguis ſit mixtum, non eſt apta materia, vt ex ſolo illo fiat ſpiritus vitalis, quia, cùm debeat eſſe pars corporis calidior, vt determinet ſui formam ad intenſioris caloris productionem, requiritur maior copia calidæ materiæ, quàm quæ poteſt ſubſterni à ſolo ſanguine.

A

RESOLVTIO V.

Vtrùm per ſpiritus vitales communicetur partibus aliqua vitalitas?

§. I.

Pars ſuadetur affirmatiua.

Pars affirmatiua ſuaderi poteſt ex Auicenna *fen.* 1. 1. de ſpiritibus vitalibus agens, inquit: *A corde recipere ſpiritus vitalitatem, eamque deferre ad partes.*

Secundò: ſpiritus dicuntur vitales: ſed non ob aliam rationem, niſi quia aliquid vitalitatis communicant reliquis partibus: ergo aliquid vitalitatis recipiunt.

Tertiò: partes corporis præſentibus ſpiritibus vita-

B libus, operationes vitales exercent, ipſis verò deficientibus facultates vitales deſinunt operari: ergo quia aliquid vitalitatis receperunt ab illis.

§. II.

Negatiua pars proponitur.

Reſoluendum: Spiritus vitales nihil vitalitatis communicare partibus præter calorem, qui eſt debita diſpoſitio pro earum operationibus.

Probatur 1. Vitalitas communicabilis vel eſt vitalitas in actu primo, vel in actu ſecundo: ſed ſpiritus vitales non deferunt vitalitatem in actu primo, nec in actu ſecundo: ergo nulla. Probatur minor: vitalitatem in actu primo dat anima, vitalitas in actu ſecondo eſt ipſa operatio: ſed ſpiritus non deferunt animam, aut operationem: ergo nec aliquid vitalitatis.

Probatur 2. Vitalitas conſiſtit præcipuè in immanentiis actionis: ſed in parte viuente informata per

C animam ſimul cum potentia vitali eſt quidquid requiritur ad huiuſmodi immanentiam: ergo ſpiritus nihil vitalitatis communicant ad actionem. Probatur minor, eſt vtrumque principium proximum, & radicale: ergo eſt quidquid requiritur ad vitalem actionem.

§. III.

Reſpondetur argumentis.

Ad 1. dicimus: Quòd Auicenna dicit communicari ab ſpiritibus aliquid vitalitatis, id eſt aliquid conducens, vt vitalis actio eliciatur, communicant enim diſpoſitionem, ſine qua non poſſet actio vitalis

D exerceri.

Ad 2. negatur minor: Vitales enim dicuntur, quia diſpoſitionem communicant partibus neceſſariam, vt fiant vitales operationes, quæ ad vitæ conſeruationem ſunt neceſſariæ.

Ad 3. negatur conſequentia: Operantur enim, aut deſinunt operari, quatenus ponitur diſpoſitio ad actiones exequendas.

DISPVTATIO IX.

De Facultatibus.

HVMANI Corporis ſtructura, partibus & affectionibus, omnibuſque ad illius compaginem conducentibus in examen adductis, de his iam diſputandum reſtat, quæ abdita magis ſunt in homine, & à ſenſibus remotiora: quæque in illo, & ſui eſſe, & ſuarum operationum ſunt principium, non tam de radicali, quod forma, natura, ſeu anima vocatur, & ex Ariſt. *lib... de anima: Eſt prin-*

E *cipium, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus*; quàm de proximo operandi principio, quod vis, potentia, virtus, ſiue facultas vocari ſolet; de quo aliqua tetigit Hipp. docuit neceſſaria, naturæ genium Ariſt. *lib.* 2. *de anima*, quem latiſſimè dilucidarunt Angelicus Præceptor *in eius Commentariis, & in* 1. *part.* Commentator Auerr. & reliqui illius innumeri Commentatores *in lib. de anima.* Quan-

A tum ad vſum medicum de facultatibus plura dilucidauit Galen. *in lib. de naturalibus facultatib. lib. 8. method.* & *in lib. de placitis*, in aliiſque quàm pluribus locis, Auic. *fen.* 1. 1. *doct.* 6. ibidem Gentilis, Iacobus de Partibus, Gratiolus, & reliqui Commentatores. Thomas de Garbo *tr.* 5. Valletiola *lib. de locis communibus c.* 15. Vall. *lib.* 2. *controuerſ. c.* 19. Fernel. *lib.* 5 *phyſiolog.* Sennertus *lib.* 1. *inſtit.* Varandæus *lib.* 1. *phyſiolog. ſect.* 6. Petrus Garc. *in fen.* 1. 1. *doct.* 6. Sancta Cruz *in fen.* 1. 1. *opuſc.* 8. & 9. Mercatus *tom.* 1. *p.* 5. Ioannes Lupus *lib.* 5. *de re medica.* Fontanus *lib* 4. *phyſiolog.* Duncanus *lib.* 1. *phyſiologia c.* 10. Georgius Bertinus *lib.* 7. Godofredus *lib.* 1. *medicina theorica c.* 8. Leonardus Fuchſius *lib.* 1. *inſtit. ſect.* 9. Ioannes Baptiſta Cortês *decad.* 4. *c.* 7 Hen-
B rnius *lib.* 3. *inſt.* Angelutius *de arte medica lib.* 1. *c.* 6. Corella *lib.* 1. *Enchiridion. c.* 6. Peramatus *lib. de facultatibus noſtrum corpus gubernantibus*. Lemus *lib. de facultatibus natural.* Fernandez *de facult. natural. lib.* Hieron. Prouençalis *lib.* 5. *de ſenſibus*, Gueuara *lib de interiori ſenſu*, Fabricius *lib.* 5. *de ſenſibus*, & alij quàm plurimi.

SECTIO PRIMA.

De facultatibus in communi.

C DE potentiis diſputant Philoſophi *in lib. de anima*: ſed quia plura ſunt Medicis peculiaria, & alia, in quibus ab Ipſis diſcedunt medicinæ profeſſores, ideò de illis diſputabimus, præcipuè ea huic tractationi inſerentes, quæ in vſum Medicum conducere videantur, incipientes primò à communiſſima facultatum ratione.

RESOLVTIO I.

Vtrùm facultates ſint aliud ab animæ ſubſtantia?

§. I.

D *Nominales Marſilius, Buridanus, & alij parti adhærent negatiuæ.*

PArtem negatiuam tenent inter Nominales Gregorius *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 3. Gabriel *q. vnic. art.* 2. *concluſ.* 2. Ochamos *q.* 24. & 26. Quos ſequitur Marſilius *in* 2. *q.* 7. *art.* 3. Buridanus *in lib.* 2 *de anima c.* 3. *q.* 6. Saxonia *lib.* 2. *de anim. q. de diſt. potẽtiarum*, qui omnes realiter entitatiuè conantur diſtingui; realiter formaliter tantùm contendit Scotus *in* 2. *diſtinct.* Henriquez *quodlibeto* 3. *quæſt.* 14. Diuus Bonauentura *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 3. ex Medicis Thomas de Garbo *in ſumma tr.* 5. *q.* 2. *art.* 5. Argenterius & Hieronymus Prouençalis *tract. de facult. p.* 1. *c.* 2.

E Probatur hæc pars primò ex diffinitione ab Ariſt. adducta *lib* 2. *de anima c.* 2. Qui animam dicit eſſe principium, quo viuimus, ſentimus, mouemur, ac intelligimus: ergo ipſa ſine ſuperaddito principio aliquo elicit ſuas operationes.

Secundò: à paritate conſtat; ſic ſe habet potentia actiua ad agendum, ſicut paſſiua potentia ad recipiendum: ſed materia prima, quæ eſt paſſiua potentia receptiua formæ ſubſtantialis, ſe ipſa, ſine ſuperaddita potentia formam recipit: ergo anima, quæ eſt principium, ſeu potentia actiua, operationum vitalium ſe ſolâ, & ſine ſuperaddita potentia eas elicit.

A Tertiò: anima eſt immediatè operatiua: ergo ſe ſolâ immediatum principium omnium operationum. Probatur antecedens, anima in opinione admittente potentias eſt principium immediatum productiuum illarum: ergo immediatè eſt operatiua.

Quartò: ſi repugnaret animæ eſſe principium immediatum ſuarum operationum; vel propter maximam ſui perfectionem, & hoc non; cùm Deus immediatè operetur per ſuam ſubſtantiam. Vel propter ſuam imperfectionem, & ob hanc rationem non; cùm accidentia animâ imperfectiora ſint immediatum principium agendi: ergo ex nullo capite illi repugnat, quòd ſe ſolâ operetur.

B

§. II.

Magiſtri, D. Thom. & ſectatorum eius præfertur opinio.

REſoluendum: Facultates eſſe accidentia animæ ſuperaddita ad agendum. Sic tenent ex Theologis, Magiſter *in* 1 *diſt.* 3. Diuus Thomas 1. *p. q.* 77. *art.* 1. Aleſis 2. *p. q.* 65. Caietanus, & Magiſter Bañez *in Diuum Thomam*. Albertus Magnus *lib.* 2. *de anima q.* 7. Ficinus *lib.* 10. *de Theologia Platonis*, Iandunus *q.* 9. Suarez *de opere ſex dierum lib.* 2. *c.* 1. Sotus *in Logica c. de proprio.* Tolet. *lib.* 2. *de anima q.* 9. Rubius *lib.* 2. *de anima c.* 3. *q.* 1. tenẽt ex Medicis Varãdæus *phyſiolog. ſect.* 9. Santa Cruz *in fen.* 1. 1 *opuſc.* 8. *c.* 1. Mercatus *lib.* 1. *p.* 5. *Claſ.* 2. *art.* 1.

C Probatur 1. ratione fundamentali à D. Thoma 1. *p. q.* 77. *art.* 1. Ad idem genus debet referri actus, & potentia ex Ariſt. *lib.* 9. *metaph. text.* 12. Sed animæ operatio eſt accidens: ergo potentia, quæ eſt ad illum actum accidens, debet eſſe neceſſariò diſtincta ab animæ ſubſtantia. Probatur minor, nam operationem eſſe ſubſtantiam potentiæ operantis tantùm Deo competit, in quo operatio, potentiáque, quæ eſt operationis principium, eſt ipſa Dei eſſentia.

Probatur 2. Res corporea, & res ſpiritualis non poſſunt eſſe realiter entitatiuè idem: ſed in homine intellectus, & voluntas ſunt res ſpirituales, potentiæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ ſunt res corporeæ: ergo ſunt entitates realiter entitatiuè ab anima diſtinctæ. Probatur conſequentia, nam ſi eſſent realiter entitatiuè
D idem cum anima, eſſent realiter entitatiuè idem inter ſe, & conſequenter eademmet entitas eſſet ſimul ſpiritualis & corporalis.

Probatur 3. Ratio formalis conſtitutiua animæ, & ratio formalis conſtitutiua potentiæ ſunt inter ſe eſſentialiter diuerſæ: ergo animæ ſubſtantia eſſentialiter diuerſa eſt ab eſſentia potentiæ. Probatur antecedens, anima ex Ariſt. *lib.* 2. *de anima c.* 1. eſſentialiter conſtituitur per hoc quòd ſit actus corporis phyſici, & organici. Quod eſſentialiter reſpicit facultas, eſt actus, ex eodem Ariſt. *lib. eodem c.* 3. eſſentialiter conſtituitur per reſpectum, & ordinem ad ſuum actum, quem reſpicit eſſentialiter: ſed iſtæ ſunt rationes conſtitutiuæ eſſen-
E tialiter diuerſæ inter ſe: ergo anima, & potentia habẽt rationes conſtitutiuas eſſentialiter inter ſe diuerſas.

§. III.

Primò poſita ſoluuntur.

AD 1. diſtinguo antecedens: Ex Ariſt. anima eſt principium, quo viuimus, &c. radicale, concedo: principium proximum, & formale, nego antecedens. Superadduntur enim potentiæ, quæ ſint principium proximum, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; ipſa tantum, radicale eſt principium.

Ad 2.

Ad 2. diſtinguo maiorem: Sic ſe habet principium paſſiuum ad recipiendum, ac actiuum ad agendum, quantum ad aliqua, concedo: quantum ad omnia, nego maiorem. Aliqualiter enim eodem modo ſe habent, & ſpecificantur, vt potentiæ ſunt, per ſuos actus, in aliis verò differunt; paſſiua enim potentia ita eſt imperfecta, vt non denegetur illi immediata receptio ſui actus per ſuam entitatem. Ratio verò operandi, quæ perfectior eſt vltra animæ ſubſtantiam requirit principium ipſi ſuperadditum, ad illam operationem factum, & determinatum, vel aliunde id prouenit, quia paſſiua potentia vna eſt ſpecie determinata ad vnum actum ſpecificatiuum, anima principium eſt radicale plurium actuum ſpecie diuerſorum, in quos debuit determinari per aliquod ſuperadditum principium, quod vocatur Potentia.

Ad 3. negatur antecedens: Et ad probationem, diſtinguo antecedens: anima eſt principium immediatum potentiarum, vt quod, nego: vt quo, concedo antecedens. Fit enim potentiarum productio à generante tamquam à principio, vt quod, ab anima verò tantùm ſequitur tamquam terminus ſecundarius ad actionem, per quam producitur anima.

Ad 4. reſpondetur: Quòd triplex eſt operandi modus, alter omnium perfectiſſimus per propriam ſubſtantiam, qui ſoli Deo competit, qui omnipotens, & infinitus eſt, & cuius potentia, & operatio non eſt aliud à ſua eſſentia. Alter eſt operandi modus perfectus, quo aliquid operatur non per ſuam ſubſtantiam immediatè: ſed medio aliquo ſuperaddito accidenti, ſeu potentia, & huiuſmodi eſt ſubſtantiæ creatæ operandi modus. Alter operandi modus eſt omnium imperfectiſſimus competens accidentibus, quibus nulla eſt propria nec per ſe, nec per aliud operandi virtus, ſed ſemper quod operantur, operantur tanquam inſtrumenta, & in virtute ſubſtantiæ, cuius ſunt inſtrumenta, & à qua veralia eleuantur ad poſſe operari.

Resolutio II.

Quid ſit facultas?

§. I.

Aliqui adumbrarunt diffinitionem.

FAcultatem diffinit Fernelius *lib. 5. partis naturalis cap. 2.* quòd ſit: *Vis illa, & poteſtas, quam anima tamquam de ſinu ſuo promit & ad munerum functiones profert.* Hanc admiſit aliqui ex modernioribus, conantúrque ab Argenterij calumniis defendere. Fuchſius facultatis naturam *in cuiuſque rei temperie natiua conſtituit.* *Alij* contendunt eſſe primum, & immediatum animæ effectum. Alij verò quòd ſit principium, & cauſa functionum omnium.

§. II.

Eligitur diffinitio tenenda.

REſoluendum: Facultatem eſſe proximum principium operationis, & effectus, ad quæ ex ſua natura conſtitutum, & ordinatum eſt. Sic diffinit Santa-Cruz *opuſc. 10. in fen. 1. 1.* qui hanc diffinitionem deducit ex Suarez *in diſp. metaph. diſp. 45. n. 2.* Qui potentiam dicit eſſe principium proximum alicuius operationis, ad quam natura ſua inſtitutum, & ordinatum eſt, & ipſa diffinitio deduci videtur ex Auic. *fen. 1. lib. 1. doctr. 6.* qui virtutem principium eſſe operationis dicit, & ex Gal. *lib. de facultatib. natural. lib. cap. 2.* vbi ſit facultatem eſſe actionis cauſam, ſicut & 1. *de ſimplic. medicam. facultatibus, cap. 4.* *& lib. quod animi mores, cap. 6.* aliiſque in locis citatis à Complutenſi.

Resolutio III.

Vtrùm adæquatè diuidatur facultas in naturalem, & vitalem, & animalem?

§. I.

Negatiuæ partis adducit fundamenta.

PArs negatiua ſuadetur primò: Ex Ariſt. *lib. 2. de anima*, qui in quinque genera diuidit facultates, nempe vegetatiuam, ſenſitiuam, appetitiuam, rationalem, & motricem: ergo plura ſunt genera potentiarum.

Secundò: Galen. *lib. de placitis Hipp. & Platonis*, ſequutus Platonem *lib. de republica*, facultatem diuidit in rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem: ſed huiuſmodi facultatum diuiſio eſt diuerſa: ergo non rectè proponitur diuiſio facultatum.

Tertiò facultates vitales tot ſunt genere diuerſæ, quot ſunt animæ à quibus poſſunt oriri, & quarum ſunt propriæ paſſiones: ſed animæ ſunt tres diuerſæ, vt docet Ariſt. *lib. 2. de anima*, vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis: ergo triplex facultatum genus debet aſſignari, vegetatiuum, ſenſitiuum, & rationale.

Quartò: Facultas vitalis, aut eſt animalis, aut naturalis, cùm non ſit gradus rationalis: ergo duplex tantum genus debet aſſignari.

§. II.

Communis admittitur ſententia.

REſoluendum: Quòd quoad vſum medicum rectè diuiditur facultas in naturalem, ſeu vegetatiuam, animalem, ſeu ſenſitiuam, vitalémque: Sic tenet communis Medicorum conſenſus.

Probatur 1. Ex Galen. *lib. 9. method. cap. 10.* dicente: *Gubernant animal, vt lib. de placitis Hipp. & Platonis, demonſtratum eſt, tres diuerſi generis inter ſe facultates, toti corpori ex ſuo veluti fonte diſtributæ: eas Plato animas vocat, propriam cuiuſque ſubſtantiam innuens. Eſt enim earum quædam ad nutriendum animal neceſſaria, ſtirpibus communis, quæ iecur pro fonte habet, canales vero ab hoc in totum corpus ſparſos, venas ipſas, hanc ſiue appetitricem, ſiue naturalem voces, nihil intereſt. Altera exiſtit, quæ non modo, vt ſtirpibus, & vita præditis, ſed etiam vt animalibus nobis inſita, hæc ſedem in corde habet, ipſaque inſiti caloris, ſeu vitæ fons eſt, ab hac arteriæ deriuantur in vniuerſum corpus, & hæc facultas vocatur vitalis, & animoſa. Tertia eſt ratiocinatrix, quæ in cerebro habet domicilium, ea voluntarijs actionibus vnà cum ſenſibus præſidet, vtitur hæc quibuſdam canalibus, nimirum neruis ipſis ſenſum, motumque per illos in totum animal tranſmittens, &c.* Ergo ex Galen. animalis, vitalis, & naturalis facultas debet ad vſum medicum admitti.

Probatur 2. ex Auicen. *fen. 1. 1. doct. 6. cap. 5.* dicente: *Virtutum autem genera, & operationum ex eis procedentium apud Medicos ſunt tria, quæ ſunt genus virtutum vitalium, & genus virtutum naturalium, & genus virtutum animalium, &c.* Ergo triplex aſſignatum facultatum genus admittendum pro vſu medico.

Probatur 3. Quoad medicum vſum illæ facultates ſunt præcipuè admittendæ, quæ in animalis conſeruationem ſunt deſtinatæ, & quarum actiones læſæ à

A modo præcipuè intenduntur ad naturalem ſtatum reduci, ſed huiuſmodi facultates ſunt tres aſſignatæ: ergo pro vſu medico rectè adducitur facultatum diuiſio. Probatur minor, illæ facultates in conſeruationem animalis ſunt deſtinatæ, quæ ad temperiei, aut conformationis partium conſeruationem, vel ad animalis operationum executionem ſunt neceſſariæ: ſed pro conſeruatione debitæ temperiei vitalis facultas; pro partium debita conformatione, & earum conſeruatione, naturalis; pro operum, quæ exerceri petunt ab animali, executione, animalis eſt ſimpliciter neceſſaria: ergo triplex hoc facultatum genus à Medico præcipuè debet admitti, & attendi.

Probatur 4. Illas præcipuè facultates genere diuerſa debet medicus admittere in animali, quibus B partem principem in illo deſtinauit natura: ſed pro animali cerebrum, pro vitali cor, pro naturali iecur conſtruxit, eiſque reliquas illius generis deſeruire voluit, hiſque partibus vias, & communia inſtrumenta condonauit, per quæ toti ſubſidium eſſent corpori, vt probauimus *diſput. de partium principalitate*. & docuit Galen. & Auicen. *locis citatis* in hac reſolutione: ergo adæquata adducitur pro vſu medico diuiſio.

§. III.

Diluuntur primò adducta argumenta.

AD 1. diſtinguo conſequens: Ergo ſunt plura genera potentiarum, ſumpta diuiſione in ordine C ad ſua obiecta, concedo: ſumpta prout ad vſum medicum conducit, nego conſequentiam. Ariſt. enim phyſicè ſpeculatur animæ facultates, & in ordine ad rationes formales obiectorum; Medici verò ipſas contemplantur, quatenus facultatum cognitio ordinatur ad ſanitatis conſeruationem, & acquiſitionem, & prout in corpore humano ſecundum diuerſa inſtrumenta conducunt ad ſanitatis perfectionem, & acquiſitionem.

Ad 2. diſtinguo conſequens: Ergo non rectè proponitur facultatum diuiſio, prout conducit ad medicum, nego, prout conducit ad philoſophum moralem, concedo conſequentiam. Gal. autem *loco citato* loquitur in ſententia Platonis, qui vt moralis Philoſophus, in ordine ad mores componendos, facultates diuidit in eas, D quæ maximè ad mores conducunt.

Ad 3. diſtinguo maiorem: Facultates vitales tot ſunt genere diuerſæ, quot ſunt principia, ſeu animæ, à quibus fiunt, ſi attendatur ratio principij à quo eliciuntur, vel gradus vitæ, ſub quo continentur, concedo: ſi attendantur aliæ rationes, ſeu fines, penes quos poſſunt diuidi, nego maiorem. Licèt enim facultates ratione illius gradus vitæ, ex quo oriuntur, habeant diuerſum modum operandi (quia quæ perfectioris gradus ſunt, reliquas excedunt) tamen ſecundùm diuerſas conſiderationes, aliæ earum diuiſiones reperiuntur, & ideò Ariſtot. in homine, in ordine ad ſua obiecta formalia, quinque potentiarum adinuenit genera; Plato tria, ex ipſo adducta in ordine ad E mores componendos contemplatur; Medici verò tres facultates genere diuerſas, & alias ſub enumeratis inuenerunt neceſſarias pro ſanitatis conſeruatione in animali.

Ad 4. reſpondetur: Quòd licet facultas vitalis ſit animalis, vt probauimus iam, in ordine ad vitam eſt genere diuerſa ab aliis in hunc finem conducentibus, quia diuerſo modo tendit ad ſanitatis acquiſitionem, & conſeruationem.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm corporeæ facultates inhæreant in partibus organicis?

§. I.

Veneti, & Ianduni refertur opinio, & partis negatiuæ adducuntur fundamenta.

PAulus Venetus *in ſumma de anima cap.* 4. Iandunus B *lib.* 2. *de anima q.* 7. & alij parti adhærent negatiuæ, iudicantes, quòd non ſolum facultates incorporeæ rationalis gradus inhærent in anima rationali immediatè tamquàm in proprio ſubiecto, ſed idem contendunt probare de reliquis facultatibus corporeis; quia cùm ſint vitales, de quarum ratione eſt, quòd ſint coniunctæ cum principio vitali, ex quo oriuntur, & ratione cuius operantur, neceſſariò videtur dicendum in anima, à qua oriuntur, ſubiectari. Aliter alij harum qualitatum ſubiectum eſſe materiam primam contendunt.

Primò: idem ſubiectum debet aſſignari pro potentiis corporeis in plantis, & reliquis animalibus ab homine, quod in ipſo homine eſt ſubiectum potentiæ viſiuæ, & aliarum facultatum huiuſmodi: ſed harum facultatum in homine eſt ſubiectum materia prima: C ergo in omni animali ſubiectantur corporeæ qualitates in materia prima. Probatur minor, facultas viſiua, & reliquæ corporeæ qualitates ſunt accidentia corporea: ſed accidentia corporea non poſſunt recipi in anima rationali, cùm ſit ſubiectum ſpiritoale improportionatum, & incapax receptionis corporei accidentis: ergo ſubiectatur viſiua facultas, & reliquæ corporeæ in materia prima, quæ ſola in homine eſt corporea.

Secundò: ſi facultas corporea eſſet ſubiectiuè in aliqua parte organica, cùm hæc componatur in homine ex materia, & anima ſpirituali, reciperetur in duplici ſubiecto, materiali inquam, & ſpirituali: ſed idem accidens non poteſt ſubiectari in duplici ſubiecto, cùm vnitatem numericam à ſubiecto recipiat: ergo ſubiectatur in ſola materia prima. D

§. II.

Pars affirmatiua proponitur.

REſoluendum affirmatiuè. Sic tenet Ariſt. 2. *de anima*, & D. Thomas 1. *p. q.* 77. *art.* 5. docet hanc veritatem, ipſámque deducit ex Ariſtot. *lib. de ſomno.*

Probatur 1. Ex D. Thom. loco citato dicente in corpore articuli: *Manifeſtum eſt autem ex ſupradictis, quod quædam operationes ſunt animæ, quæ exercentur ſine corporali organo, vt intelligere, & velle; vnde potentiæ, quæ ſunt harum operationum principia, ſunt in anima ſicut in ſubiecto. Quædam verò opera-* E *tiones ſunt animæ, quæ exercentur per organa corporalia, ſicut viſio per oculum, auditus per auditum; & ſimile eſt de omnibus aliis operationibus nutritiuæ, & ſenſitiuæ partis: & ideò potentiæ, quæ ſunt talium operationum principia, ſunt in coniuncto, ſicut in ſubiecto, non in anima ſola.*

Probatur 2. Facultates recipiuntur in ſubiecto ad ſuas eliciendas operationes: ergo in ſubiecto apto, in quo poſſunt illas exercere: ſed reſpectu facultatis corporeæ vitalis nullum eſt aptum ſubiectum, in quo facultas valeat ſuas elicere operationes, niſi debitam habeat cóformationem, & temperiem requiſitam pro

illis, quæ requiſita non niſi in organo per formam informato reperiri valent: ergo nec anima ſola, nec ſola materia prima ſunt aptum ſubiectum receptiuum facultatum, ſed pars organica per animam informata.

Probatur 3. Si facultates corporeæ non inhærerent in organo corporeo, ſed in ſola anima, ſicut inhæret in anima rationali intellectus, & voluntas, anima rationalis ſeparata non ſolùm intelligeret, & vellet, ſed videret, & audiret: ſed ſeparata anima rationalis à corpore ſolùm exercet rationalis gradus operationes: ergo ſolum potentiæ illius gradus inhærent in illa.

Dices: quòd facultates corporeæ indigent organo, quo exerceant ſuas operationes.

Contra: ideò anima rationalis ſuas exercet operationes, quia ex anima & potentia fit adæquatum principium operationis: ſed ita fieret principium operationis ſenſitiuæ, ſicut fit operationis intellectiuæ: ergo ſicut ſe ſolâ poteſt intelligere ſeparata cum ſua potentia independenter ab organo, poſſet videre cum potentia viſiua independenter ab oculi organo.

§. III.

Soluuntur argumenta.

PRo prima dubitandi ratione dicimus: Quòd anima eſt principium quo, & ſubiectum vt quo, facultatis corporeæ; organum verò animâ informatum principium quod, & ſubiectum quod illius.

Ad 1. negatur minor: Ad probationem, diſtinguo minorem: non poſſunt accidentia corporea recipi in anima rationali, vt rationalis eſt, concedo: vt dat eſſe corporeum, nego minorem. Cùm enim anima rationalis contineat inferiores gradus formaliter eminenter, dat eorum eſſe & eſſe corporeum, ratione cuius poteſt & corporeas qualitates recipere corpus per illam informatum.

Ad 2. diſtinguo maiorem: Reciperetur in duplici ſubiecto totali, nego: in duplici ſubiecto partiali, concedo maiorem. Cùm enim ex materia, & forma fiat vnum numero ens, ita & in vtraque poteſt ſubiectari vnum numero accidens.

SECTIO II.

De facultatibus naturalibus.

FACVLTATES vegetatiui gradus naturales dicuntur, quæ naturalibus magis affines ſunt, quia modo naturali, & ſecundum vltimum potentiæ operantur; & præcipuè quia in productionem, & conſeruationem animalis in ſuo eſſe naturali ſunt coordinatæ, & quia per qualitates naturales ſuas exercent operationes, de quibus primò agemus, quia ad primum gradum vitæ pertinent.

RESOLVTIO I.

Vtrùm naturales facultates ſint aliud à temperamento?

§. I.

Negatiuæ partis fundamenta proponuntur.

LVcius Philalteus *in commentariis ad lib. de anima*, pro vegetatiuæ, & ſenſitiuæ animæ operationibus iudicat ſufficere temperamentum, tamquam animæ potentia, vt ab ipſa eleuatum ſine alia

A ſuperaddita. Pro vegetatiui gradus operationibus, præcipuè id admittit Auerr. *in lib. 4. meth cap. 2.* qui licèt in omni naturali facultate id admittat, præcipuè cum moderniores; huius reſolutionis difficultas diſputabitur de nutritiua, in qua horum fundamenta maiorem oſtendunt vim.

Quorum primum deſumitur ex Ariſt. *qui lib. 2. de generat. animal. cap. 4.* docet primarum qualitatum temperamentum omninò neceſſarium eſſe, vt animal exerceat officia animæ vegetatiuæ, & *lib. 2. de anima cap. 4.* dicit: *Omne igitur alimentum neceſſarium eſt concoqui poſſe. operatur autem concoctionem calidum, vnde omne animatum habet calorem, &c.* Et *lib. de ſenſu, & ſenſibili cap. 4.* dicit: *Calidum autem augmentat, & ſtruit nutrimentum.* Et *lib. 3. de partib. animal. cap. 6.* dicit: *Calor autem eſt quod obtinet* B *augendi vim*; Et *lib 4. meteor.* quod coctio eſt, *Quæ fit à calore, tum proprio; non naturali rei, quæ coquitur*: Sed iſtæ operationes non ſunt tribuendæ calori, vt primæ cauſæ: ergo conueniunt illi, vt potentia eſt.

Secundò: probatur ex Gal. qui *lib. 1. de naturalib. facultatib. cap. 3.* & *lib. 1. de ſimplic. medicament. facultatibus c. 1. lib. de præſag. ex pulſib. c. 4.* aliiſque in locis, in quibus de facultatum læſione agit, vt reducantur in ſtatum naturalem, id tantùm contendit, vt temperamentum ipſum immutetur & in naturalem reducatur ſtatum: ergo quia læſæ facultates nihil ſunt præter ipſum.

C Tertiò: facultas naturalis ſuperaddita, vel attingit opera gradus vegetabilis ſe ſolâ ſine temperamento ſupperaddito, vel ſimul cum illo: ſi ſe ſolâ, ablato temperamento, eleuata ab anima eliceret operationes; cuius contrarium demonſtrat experientia: ſi ſimul cum temparamento, ergo anima eodem modo eleuans, & aſſumens temperamentum pro inſtrumento attingit has operationes, cum ſit inſtrumentum aptius pro illis, & non ſint multiplicandæ entitates ſine neceſſitate.

Quartò: forma accidentalis conſeruatiua formæ ſubſtantialis eademmet eſt virtus diſpoſitiua, & productiua alterius formæ ſimilis. vt de calore, & ſiccitate D in igne, & propriis cuiuſuis elementi qualitatibus conſtat, quæ & diſpoſitiones conſeruatiuæ ſunt, & potentiæ operatiuæ eorum: ſed temperamenti qualitates ſunt in vegetabili conſeruatiuæ formæ: ergo & potentiæ operatiuæ illius gradus vitæ.

Quintò: ſi potentiæ naturales eſſent diuerſæ à temperamento, ſicut in diuerſis partibus heterogeneis eſt diuerſum temperamentum propter diuerſum modum ſubſtantiæ acquiſibilem per nutritionem in illis, ſimiliter & eſſent in eodem animali diuerſæ numero facultates nutritiuæ: ſed ſub vna forma ſubſtantiali non debent tot facultates numero diſtinctæ multiplicari, cùm ſubiectum ſit vnum: ergo non debent admitti facultates temperamento ſuperadditæ. E

§. II.

Reſoluitur pro parte affirmatiua.

REſoluendum: Nutritiuam facultatem & proportionaliter de aliis, eſſe qualitatem ſuperiorem, & perfectiorem calore, & quæ illo vtitur inſtrumentaliter ad ſua exequenda opera. Sic tenet Ariſt. *lib. 2. de generatione animalium cap. 4.* quem ſequitur D. Thom. 2. *diſt. 18. art. 3. & 1. p. quæſt. 78. art. 2. ad 1. & quæſt. 118. art. 1. ad. 3.* Ferrara 2. *contra Gentes, cap. 73.* Albertus Magnus 2. *de anima tract. 2. c. 6.* Apollinaris 2. *de anima quæſt. 2.* Toletus 2. *de*

gime

anima quæſt. 10. Rublus 2. *de anima c.* 4. *quæſt.* 1. Complut. Diſcalceatorum Collegium 2. *de anima diſput.* 8. *quæſt.* 5. Ex medicis Vall. *lib.* 5. *de locis affectis cap.* 6. Mercatus *tom.* 1. *part.* 5. *claſ.* 3. *art.* 2. Vega *lib.* 1. *de locis,* Segura *de facultat. naturalib.* Petrus Garcia *ſen.* 2.1. *diſput.* 33. *cap.* 2. Santa-Crux *in ſen.* 1.1. *opuſc.* 9. *cap.* 10.

Probatur 1. Ex Ariſt. 2. *de gener. cap.* 3. dicente *Quemadmodum quæ ab arte efficiuntur per inſtrumenta efficiuntur, ſed verius dixerim per motum eorum, qui artis operatio eſt: ars verò forma eorum, quæ efficiuntur, eſt in alio; ſic à facultate, ſiue virtute animæ vegetabilis agitur, vt quæ in animalibus, & plantis poſtea ex alimento vis eadem efficit incrementum vtendo caliditate, & frigiditate quaſi inſtrumento, &c.* Et D. Thom. idem amplectitur 1. *part. quæſt.* 18. *art.* 1. ait enim: *Calidum autem elementale ſe habet inſtrumentaliter ad virtutem animæ, ſicut etiam ad virtutem nutritiuam, vt dicitur in* 2. *de anima.* Et *q.* 78. *art.* 2. dicit. Quod hæ vires exercent ſuas actiones inſtrumentaliter per qualitates: Ergo differunt ab illis.

Probatur 2. Actiones, quæ proueniunt ab anima vegetatiuæ vt tali, ſunt vitales, cùm per illas conſtituatur in determinato gradu vitæ: ſed actiones vitales proueniunt à principio vitali vitaliter operante proximè coniuncto ipſi animæ, aliàs non eſſet vitalis; ideò enim à potentia vitali ſeparata ab anima, nulla poteſt elici actio, quæ cùm vitalis ſit, debet à principio vitali coniuncto oriri: ergo talis facultas diſtincta debet eſſe à temperamento. Conſequentia patet, quia temperamentum, ſiue naturalis calor non eſt principium vitale, cùm abſque anima poſſit dari, nec ſicut facultas eſt quid ſeparatum à ſua forma non valens operari.

Probatur 3. Facultates pullulant ab anima determinatè ſecundùm illum gradum vitæ, ſecundùm quem ſunt facultates illius: ſed qualitates primæ non pullulant ab anima ſecundum gradum vegetatiuum, ſed ſecundùm quòd mixta forma eſt, & virtualiter eminenter continet elementa, vt *diſput. de neceſſitate elementorum in mixto,* probauimus: ergo non poſſunt eſſe eius facultates.

Probatur 4. Facultates vitales animæ non poſſunt ab aliquo extrinſeco produci: ſed calor quo vtitur anima ad opera vegetatiua ab ſpiritibus plerumque producitur: ergo præter illum admittenda eſt vitalis potentia pullulatione ab anima orta.

§. III.

Pro primò adductis argumentis ſolutiones adhibentur.

AD 1. negatur conſeqentia: Quia Ariſt. id tantùm intendit, quòd operationes plures naturales fiunt à calore non tamquam à cauſa principali, ſed tamquam ab inſtrumento eleuato ab illa: & hoc modo docet concoquere, aliáſque exercere operationes.

Ad 2. negatur conſequentia: Quia cùm facultas vegetatiua dependeat à qualitatibus corporeis, vt docet D. Thom. concoctrix, quæ a calore dependet tamquam à diſponente, & tamquam à proprio ſuæ actionis inſtrumento, ipſo vitiato, illius operationem vitiari eſt neceſſe, ipſo verò intra naturæ limites poſito, ſimiliter & neceſſe eſt operationes ab ipſa potentia perfectas elici.

Ad 3. reſpondetur: Quòd facultas naturalis ſimul cum temperamento attingit operationem, & vtrumque requiritur ad nutritionem; facultas, quia cùm hæc actiu ſit vitalis, petit principium vitale animæ coniunctum, & ab ipſa vt tali ortum, quod non poterat conuenire calori, qui ab ipſa, vt mixta eſt, prouenit tantùm. Et vlteriùs cùm nutritio debeat fieri alteratione in alimentum, quam facultas vegetatiua ſe ſola non attingit, ideò anima vtroque vtitur inſtrumento, facultate tamquam vitali, quod ipſa eleuat; calore tamquam inſtrumento eleuato ab ipſa facultate: ſicut plerumque artifex pluribus vtitur inſtrumentis ad eandem actionem, quorum primis immediatè dirigit actionem, reliquorum verò mediis primis.

Ad 4. negatur conſequentia: Quia quantò formæ ſe excedunt in perfectione, tantò ſe excedunt in modo operandi; & ideò ſufficiunt in formis ſimplicibus qualitates conſeruatiuæ pro potentiis; in vegetatiuis requiritur ad operandum actio facultatis, & qualitatum; in ſenſitiuis requiritur qualitas, vt diſponat; ſed ſufficit potentia ad operandum: in rationali ſine dependentia à qualitate corporea fieri poterit operatio in ſtatu ſeparationis.

Ad 5. reſpondetur: Hoc argumentum habere eandem vim in vtraque ſententia, & quòd facultas nutritiua licèt vna heterogeneo modo operatur iuxta heterogeneitatem partium, in quibus reſidet.

Resolvtio II.

Vtrùm facultates miniſtrantes vegetatiuæ ſint vitales?

§. I.

Pars negatiua ab aliquibus verior iudicatur.

PArti negatiuæ adhæret Peramatus, Vega, & Segarra, præcipuè reſpectu attrahentis. pro quib. ſtat, Primò experientia: quæ à magnete docet fieri ſimili modo ferri attractionem, & retentionem: à cathartico medicamento attractionem, retentionem, & tandem expulſionem humoris, ac fit in viuente reſpectu alimenti: ergo huiuſmodi potentiæ non ſunt vitales.

Secundò: terminus actionis vitalis recipitur in ſubiecto viuente: ſed harum facultatum terminus, immò & reliquarum miniſtrantium non recipitur in ſubiecto viuente, cùm ſit actio circa alimentum ex Ariſt. 2. *de anima cap.* 4. Ergo non ſunt facultates contentæ ſub aliquo gradu vitæ.

Tertiò: ideò grauitas, qua viuens deſcendit, non tribuitur alicui gradui vitæ, quamtumuis ab eius forma dimanet, quia eſt potentia communis viuenti, & non viuentibus: ſed ſimiliter attractio, retentio, & expulſio: ergo nulla ex his potentiis eſt vitalis, etiam ſi reperiatur in viuente.

§. II.

Affirmatiua pars eligitur.

REſoluendum affirmatiuè cum Complutenſibus, Carreiro, & Martinez.

Probatur primò: Ex Ariſt. *lib.* 2. *de anima cap.* 4. vbi docet ad animam vegetatiuam pertinere viuens producere, conſeruare, & augere: ergo omnes potentiæ, quæ ordinantur in hunc finem, erunt vitales ſub illo gradu: ſed retentrix, attractrix, & expultrix ita ſunt viuentis generationi, conſeruationi, & augmentationi neceſſariæ, vt ſine illis non poſſit finis iſte conſequi: ergo ſunt vitales ſub gradu vegetatiuo

Probatur

Probatur 2. Ex doctrina Gal. *lib. de naturalibus fa-* A
cultatibus & lib. de vſu partium, & lib. de placitis, in quibus latiſſimè docet huiuſmodi facultates eſſe vitales ſub gradu vegetatiuo, & ita ſubordinatas intra ſtatum naturalem, vt non niſi debita œconomia ſeruata operentur: ſed facultates, quæ ad actiones debitas alicui vitæ gradui, ordine, & naturali œconomia ſunt ordinatæ, debent ſub eodem vitæ gradu contineri: ergo ſicut miniſtratæ, quibus deſeruiunt, ſunt vitales ſub gradu vegetatiuo, ſimiliter & miniſtrantes illarum.

Probatur 3. Manente debita diſpoſitione pro eſſe, & operari animæ vegetatiuæ harum facultatum, operationes debitæ eliciuntur; ablatâ, non fiunt: ergo quia ab illa eliciuntur vt tali, & non vt forma non viuente. Probatur conſequentia, actiones quæ non proueniunt ab anima vt tali, non auferuntur, ablata diſpoſitione B
debita illi vt tali, vt patet de grauitate, quæ in ſenſitiuo, & vegetabili, quantumcumque auferantur diſpoſitiones debitæ illi, vt anima eſt, ipſa tamen grauitas nunquam ceſſat operari, quia cùm non ſit ab aliquo gradu vitæ, non dependet à diſpoſitionibus requiſitis in forma, vt operetur ſecundùm talem gradum vitæ: ergo harum facultatum operationes ſunt ſub gradu animæ vegetatiuæ.

§. III.

Contrariorum ſoluuntur rationes.

AD 1. negatur antecedens: Quia, vt docet D.Th. 1.
part. q. 78. art. 1. in corpore, viuentia differunt à C
non viuentibus penes eleuatiorem modum operandi ſupra res merè naturales: Rationalis anima ſine dependentia à corporea qualitate, & ab organo. Senſitiua dependenter ab organo, non verò à qualitate corporea, niſi tanquam à diſpoſitione. Vegetatiuæ verò dependenter ab organo, & à corporea qualitate operantur; differunt tamen à forma naturali, quia viuentia per ſuas qualitates, vt quod, operantur; non viuentia tantùm, vt quo: iuxta quam doctrinam dico, quòd vegetatiuæ facultates, attrahens, expellens, & retinens operantur, vt quod; à ſe enim habent principium operandi adæquatum: magnes, & medicamenta operantur
per ſuas facultates, vt quo, tribuitur enim earum fa- D
cultatum actio generanti. Ratio huius eſt, quòd non viuentia, cùm imperfectiora, quidquid requiritur in illis, recipiunt per ſuam generationem, & ſi quid ex debitis de facto non tribuitur, cùm ſit debitum in inſtanti generationis, ſemper tribuitur actio productiua generanti; viuentibus verò, quia perfectiora, & ex parua genita materia, cùm non ſibi omnia debita poſſint habere in prima productione, dedit natura facultates, per quas ipſa poſſent tractu temporis acquirere perfectiones, quæ non ſunt debitæ in inſtanti generationis, ſed tractu temporis ab ipſis viuentibus acquiruntur, quæ operantur vt quod.

Ad 2. dicimus: Quod actio vitalis conſtituitur in
eſſe talis, quia fit à principio vitali vitaliter operante, E
& eſt quadruplex iuxta quadruplex genus animatorum; & harum actionum imperfectius genus eſt quod pertinet ad vegetatiuum gradum, & ſicut infimum genus habet perfectionis infimum modum, habet ſimiliter & infimum perfectionis modum in operando cum vitalitate, & ideò actiones, licèt non ſint omnimodè immanentes, habent immanentiam in vltimo termino perfectioris actionis, cui deſeruiunt, & ordinantur, & hoc ſufficit ad ſuam vitalitatem.

Ad 3. diſtinguo maiorem: Ideò grauitas, qua viuens deſcendit, non tribuitur alicui gradui vitæ, quia eſt potentia communis viuenti, & non viuenti ſolùm, nego: quia eſt potentia, & eius actus debitus in inſtanti generationis, concedo maiorem. Moueri enim ad centrum, quæ actio eſt proueniens a grauitate, cùm ſit in inſtanti generationis debita graui, fit à generante vt quod, à genito vt quo; & ideò cùm non fiat ab intrinſeco, non eſt actio vitalis; ſicut nec attractio, quæ fit in non viuentibus. At verò attractio facta à viuente, cùm non ſit debita in inſtanti generationis, ſed tractu temporis fiat à viuente operante, vt quod, eſt ab intrinſeco, & vitalis in illo.

RESOLVTIO III.

Quid ſit facultas naturalis.

§. I.

Facultatis naturalis aperitur natura.

REſoluendum: Quòd facultas naturalis, ſiue vegetatiua eſt illa, quæ eſt principium, & cauſa vegetationis, ſiue illa, quæ ab anima vegetatiua, vt tali oritur, & in illius propriam aliquam operationem ordinatur. Eſt autem vegetatio ex Dúcano *lib. Phyſiol. c.* 10. Actio organorum naturalium in alimentum à facultate vegetante inſtrumento caloris natiui, vt mediante alimenti attractione, retentione, concoctione, ac ſuperuacanei expulſione, quod ex ſubſtantia corporis animati defluit, reparetur, & ipſum corpus ad terminum à natura præfixum perducatur, ac aliud ei ſimile gignatur.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm adæquatè diuidatur facultas naturalis in miniſtrantem, & miniſtratam?

§. I.

Negatiuæ partis fundamenta proponuntur.

PArs negatiua ſuaderi videtur ex Auicen. *fen.* 1. *1. doct. 6. cap.* 1. *§. & quid virtus naturalis duas habet ſpecies, &c.* vbi duplex genus potentiarum conſtituit, quorum alterum habet ſpeciem conſeruare, alterum indiuiduum: ergo in has tantum debet diuidi.

Secundò: tot potentiarum genera debent aſſignari, quot ſunt potentiæ diuerſo modo attingentes ſuum obiectum ſub grado vegetatiuo: ſed huiuſmodi potentiæ ſunt ſeptem, alteratrix, auctrix, generatrix, attractrix, retentrix, concoctrix, expultrix: ergo plura potentiarum genera debent ſub naturali gradu admitti.

§. II.

Affirmatiua pars ſancitur.

REſoluendum affirmatiuè. Sic docet Auicen. *fen.* 1. 1. *doct. 6. cap.* 1. Galen. *lib. de naturalibus facultatibus*, Auicennæ Commentatores, quos omnes vnanimi conſenſu ſequuntur.

Probatur ex Auicen. *loco citato*, dicente: *Virtutum verò naturalium aliæ ſunt quæ ſunt miniſtrantes, aliæ ſunt, quæ miniſtrata; & miniſtratarum quidem duo ſunt genera, vnum genus miniſtrat in re nutrientis ad hoc, vt indiuiduum remaneat, quod in duas partitur ſpecies, nutritiuam, & creſcitiuam; & alterum genus miniſtrat in nutriente, ad hoc, vt maneat ſpecies, &c.*

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd ibi loquitur Auicenna de naturali facultate miniſtrata tantùm, & ipſam diuidit, penes fines, in quos eſt ordinata, ſcilicet ſpeciei, & indiuidui conſeruationem, & ideò duplicem conſtituit, aliam pro ſpeciei, aliam pro indiuidui conſeruatione.

Ad 2. reſpondetur ſeptem eſſe facultates naturales, ſumpta diſtinctione ex modo attingendi obiectum: ſed tres, augmentatiua, nutritiua, & generatiua continentur ſub miniſtrata; reliquæ quatuor attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix ſunt ſub miniſtrante facultate.

Resolvtio V.

Vtrùm potentia auctrix differat realiter entitatiuè ab altrice?

§. I.

Negatiuæ partis Authores, & rationes adducuntur.

PArtem negatiuam tenent Philoſophi plures. Ianellus *de anima quæſt.* 18. Apollin. *lib.* 2. *de anima*. Titelman. *quæſt. vnic.* Suarez *tom.* 2. *ſummæ Theologicæ tract.* 3. Rubius 2. *de anima tract. de potentiis vegetatiuis q.* 2. Ex Medicis verò Vall. *in controuerſ. ad Tyrones c.* 29. *& lib.* 2. *controuerſ. medicarum c.* 20. quem ſequitur Petrus Garc. *in fen.* 1. 1. *diſp.* 33. *c.* 3. quorum hæc ſunt fundamenta.

Primò, ſtat Ariſt. *lib.* 1. *de generat. animal. c.* 4. dicens: *Sic etiam principio conſtituit id, quod natura efficitur, eadem enim materia eſt ex qua augetur, & ex qua conſtituitur primum, itaque facultas quoque augens eadem eſt quæ in principio eſt, ſed maior, quòd ſi hæc vegetabilis animæ eſt, eadem, quæ generat quoque eſt, &c.*

Secundò: potentiæ diſtinguuntur per actus: ſed actus potentiæ nutritiuæ, & augmentatiuæ non differunt ſpecie: ergo nec ipſæ potentiæ. Probatur minor, actio potentiæ nutritiuæ terminatur ad ſubſtantiam reponendam loco deperditæ, actio augmentatiuæ ad eandem ſubſtantiam reponendam non ſolùm loco deperditæ, ſed in maiori quantitate, quàm deperdita fuit: ſed huiuſmodi actus ſolùm differunt penes magis, aut minus, penes quæ nòn variatur ſpecies: ergo actus nutriendi, & augendi non differunt ſpecie.

Dices: harum potentiarum actiones eſſe diuerſas, nam actio nutritiuæ potentiæ terminatur ad ſubſtantiam partialem reponendam loco deperditæ; actio verò potentiæ augmentatiuæ terminatur ad quantitatem maiorem viuentis, quàm erat antecedenter.

Contra: quantitas, cùm ſit accidens, ſubſequitur ad ſubſtantiæ poſitionem, ſine qua poni in rerum natura naturaliter implicat: ergo ſicut actio nutritiuæ potentiæ per ſe primò terminatur ad ſubſtantiam loco deperditæ reponendam, ad quam requiritur quantitas proportionalis deperditæ; ſimiliter augmentatio terminatur per ſe primò ad productionem nouæ ſubſtantiæ, ad cuius poſitionem quantitas ſequitur: ergo terminus ſpecificatiuus vtriuſque actionis idem eſt ſecundùm ſpeciem, & ſolùm ſecundùm magis, & minus differens.

Dices: quòd per nutritionem intenditur ſubſtantia, & primò producitur, ipsâ verò poſitâ tanquam terminus ſecundarius ponitur quantitas, in augmentatione per ſe primò intenditur quantitas, & augmentatiua facultas tendit ad eius productionem, quia tamen non poteſt dari ſine ſubſtantia, hæc ponitur ſecundariò.

Contra: per eandem potentiam, per quam producitur ſubſtantia, producitur quantitas: ergo in hos fines non ſunt ſuperaddendæ diuerſæ potentiæ. Probatur antecedens, in prima hominis productione, in qua à facultate generatiua vtrumque producitur, & in augmentatione: ergo à facultate nutritiua poterit poni illa quantitas maior per ſe intenta, ponendo primò ſubſtantiam, in qua inhæreat.

Tertiò magis, aut minus reparari per nutritionem prouenit ex maiori robore, aut minori eiuſdem facultatis, quæ dum debiliter operatur, dicitur tantùm nutrire; dum maiori operatur robore, dicitur augere: ſed per hoc quòd potentia ſit debilis, aut robuſta non variat ſpeciem: ergo potentia vt augmentatiua, & nutritiua non differunt ſpecie.

Quartò: eædemmet potentiæ miniſtrantes, quæ deſeruiunt pro actione accreſcendi, deſeruiunt pro actione nutriendi, ſcilicet attractrix, concoctrix, retentrix, & expultrix: ergo eadem eſt nutritiua, & augmentatiua potentia.

§. II.

Verior iudicatur pars affirmatiua.

REſoluendum affirmatiuè. Ita ex Phyſicis Ariſt. *lib. de anima*, quem citat pro hac opinione, & ſequitur D. Thom. 1. *part. q.* 78. *art.* 2. & ibi Caietan. & Bañez, Albertus Magnus 2. *de anima cap.* 6. *&* 2. *part. ſummæ quæſt. de anima vegetabili art.* 2. Iandunus *lib.* 2. *de anima quæſt.* 3. Themiſtius *ad text.* 30. *eiuſdem lib.* Ferrarienſis *lib.* 2. *de anima cap.* 2. Ægidius *quodlibeto* 3. *quæſt.* 12. Tenétque ex Medicis Galen. *lib.* 1. *de naturalib. facultatib. cap.* 9. Auicen. *lib.* 9. *naturalium part.* 1. *cap.* 4. *& fen.* 1. 1. *doct.* 6. *cap.* 2. Fernelius *lib.* 5. *partis naturalis cap.* 5. Santa-Cruz *in fen.* 1. 1. *opuſc.* 9. *cap.* 12. Mercatus *lib.* 1. *partis naturalis part.* 5. *claſ.* 2. *art.* 2. Varandæus *lib. Phyſiolog. tract. de facultatibus c.* 6. Segarra *ad lib. de facultatibus naturalibus*. Vega *libr.* 1. *methodi cap.* 5. Fernandez *tract.* 3. *de facultatibus naturalibus quæſt.* 1.

Probatur 1. Ratione fundamentali deſumpta ex Ariſt. & D. Thom. *locis citatis*. Potentiæ ſpecificantur per motus, & motus per ſuos terminos, ex Ariſt. *lib.* 3. *phyſicor. & lib.* 5. *phyſic. c.* 3. & colligitur ex *libr.* 2. *de anima c.* 4. ſed actiones, quæ eliciuntur ab his facultatibus, habent terminos ſpecie realiter entitatiuè diſtinctos: ergo potentiæ hæ differunt inter ſe ſpecie. Probatur minor, nutritiua terminatur ad partialem ſubſtantiam in animali loco deperditæ reponendam, augmentatiua ad quantitatem præexiſtenti vniendam: ſed hi ſunt termini ſpecie, & entitate diuerſi: ergo termini harum actionum ſunt realiter entitatiuè diuerſi.

Dices, quòd iſti ſunt actus inadæquati, quorum vterque tendit ad conuerſionem alimenti in ſubſtantiam viuentis, ſed alter reponit eam, quæ reſarcitur deperdita; alter eam, quæ requiritur, vt viuens perueniat ad maiorem molem.

Contrà, actus inadæquati eiuſdem potentiæ tendunt in eundem finem: ſed actus potentiæ nutritiuæ tendit ad productionem ſubſtantiæ loco deperditæ reponendæ, actio augmentatiuæ ad productionem nouæ quantitatis vltra iam habitam adaugendæ: ergo non poſſunt eſſe actus inadæquati eiuſdem facultatis.

Proba

Probatur 2. Actus, quorum vnus ab alio realiter poteſt ſeparari, petunt potentias diſtinctas, quarum vna ab alia poſſit ſimiliter realiter eſſe diſtincta: ſed actus potentiæ augmentatiuæ debita quantitate acquiſita vſque ad vltimum adoleſcentiæ petit per reliquum vitæ decurſum realiter ſeparari à nutritiouis actione, quæ neceſſaria eſt per totum vitæ decurſum: ergo iſtæ potentiæ ſunt realiter inter ſe diſtinctæ. Probatur maior, actus qui vt inadæquati proueniunt ab vna potentia, ſi ipſa manet valens alterum elicere, & obiectum manet, circa quod operetur, eandem vim habet pro altero eliciendo: ergo ſi alter actus ab altero neceſſariò petit ſeparari, ſimiliter & requiritur, quòd altera potentia ſeparetur ab alia.

Probatur 3. Si propter aliquam rationem vna potentia eſſet nutrix, & auctrix, maximè, quia vtriuſque actus verſatur circa alimentum: ſed vtraque earum diuerſo modo ab alis inattingibili verſatur circa illud: ergo quævis earum realiter eſt ab alis diſtincta. Probatur minor, ex Ariſt. *lib. 2. de anima cap. 4. text. 47.* dicente: *Atque diuerſa eſt alimenti ratio, prout nutrit, & auget, nam vt ipſum alimentum, quantum eſt quoddam, auget; vt eſt hoc aliquid, & ſubſtantia nutrit, &c.* Ergo ex Ariſt. ex his potentiis quælibet diuerſo modo verſatur circa alimentum non attingibile ab alio eùm nec nutritiua circa quantitatem, nec alteratrix circa ſubſtantiam agat.

§. III.

Contrariorum rationes ſoluuntur.

AD 2. reſpondetur: Quòd Ariſt. intendit, quòd alteratria, & nutrix ſunt eadem potentia genere, quatenus circa alimentum verſantur; diuerſæ tamen ſunt ſpecie ſub illo genere: quia, vt ex ipſo probauimus, diuerſo modo verſantur circa illud; vel quia ſit eadem anima principium idem radicale harum operationum, at verò potentiæ diuerſæ ſunt principia proxima earum.

Ad 2. pro vltima replica negatur antecedens: Et ad probationem ſimiliter, quia augmentatio per ſe primò terminatur ad quantitatem; nutritiua verò ad ſubſtantiam partialem loco deperditæ reponendam, & ideò nutritio mutatio inſtantanea eſt ad ſubſtantiam partialem terminata; augmentatio verò eſt motus per ſe, & ſucceſſiuus terminatus ad quantitatem, vt in *lib. Phyſicor.* demonſtrat Ariſt.

Ad 3. diſtinguo maiorem: Magis, aut minus reparari per nutritionem prouenit ex robore facultatis reſpectu ſubſtantiæ deperditæ per reſolutionem, concedo: reſpectu nouæ maioris quantitatis ſuperaddendæ, nego maiorem. Licèt enim intra terminum debitum actioni nutritiuæ, cuius eſt reponere nouam ſubſtantiam loco deperditæ, magis, aut minus poſſit à robore, aut debilitate eius prouenire: ſed vltra illam ſubſtantiam nouam ſuperaddere quantitatem, alterius eſt facultatis tendentis in illam.

Ad 4. negatur conſequentia: Non enim deſumitur potentiarum diſtinctio penes diuerſitatem aut diſtinctionem facultatum illis deſeruientium, sed penes diuerſos terminos quos attingunt.

A

Resolutio VI.

Vtrum facultas generatiua differat à nutritiua?

§. I.

Pars negatiua ſuadetur.

PArtem negatiuam tenent Authores pro negatiua parte reſolutionis antecedentis citati, Themiſtius *lib. 2. de anima c. 4.* Titelman. *lib. 8. phyſiolog c. 3.* Suarez *lib. 2. de opere ſex dierum c. 10.* Durandus *in 1. diſt. 8.* Rubius *lib. 2. de anima c. 4. q. 2.* Conimbricenſes *2 de anima c. 4.* Vall. *lib. 2. controuerſ. c. 20.* Petrus Garcia *fen. 1. 1. diſp. 33. cap. 3.* B

Probatur 1. hæc pars authoritate Ariſt. *lib. 2. de generat. animal. c. 4.* dicit enim: *Sic etiam principio conſtituit id, quod natura efficitur, eadem enim materia eſt ex qua augetur, & ex qua conſtituitur primum, itaque facultas quoque augens eadem eſt quæ in principio eſt, ſed maior, quod ſi hæc vegetabilis anima eſt eadem quæ generat quoque eſt, &c.*

Secundò: dum plures actus poſſunt, vt inadæquati ab eadem potentia fieri, non ſunt admittendæ diuerſæ potentiæ pro illis: ſed ſeminis productio, quæ eſt actio, quæ tribuitur potentiæ generatiuæ, eſt actus inadæquatus potentiæ nutritiuæ: ergo non eſt ſuperaddenda alia potentia à qua is actus eliciatur. Probatur minor, virtus nutritiua ex eodem alimento eſt C apta producere ſubſtantiam aptam pro cuiuſlibet partis nutritione; pro iecore humores pro mammis lac, pro oſſibus medullam, pro ventriculo chylum, pro teſtibus ſemen: ſed reſpectu productionis ſeminis generatiua dicitur: ergo ſeminis productio eſt actus inadæquatus, qui elici poteſt à potentia nutritiua.

Tertiò: ex Ariſt. ſicut potentiæ paſſiuæ ſpecificantur, & penes diuerſum modum, quo immutantur ab obiecto, inter ſe differunt, ſimiliter potentiæ actiuæ penes diuerſum modum, quo verſantur, & agunt circa obiectum: ſed potentia, vt nutritiua, & vt augmentatiua verſantur circa idem obiectum, & eodem modo alterando illud, & diſponendo vſque ad vltimam aſſimilationem, ſi permaneat ſemen in teſtibus: D ergo eadem potentia eſt à qua prouenit eadem actio.

§. II.

Affirmatiua pars reſoluitur.

REſoluendum: Quòd facultas generatiua ſeminis reſidens in generante eſt diuerſa ſpecie à nutritiua, ex D. Thom. *1. p. q. 78. a. 2. & q. 79. a. 7. & l. 2. contra Gentes c. 39.* quem ſequuntur ex Phyſicis Caietanus *ad 4. cap. lib. 2. de generat.* Baóez *lib. 2. de generat. c. 5. & 1. p. q. 78. art. 2. q. 7.* Iandun. *q. 13.* Colleg. Diſcalceatorum E *lib. 2. de anima diſp. 8.* Ægidius, *quodlibet. 3. q. 22.* idem docet Gal. *lib de naturalibus facult. c. 7.* quem ſequitur Fernelius *lib. 5. phyſiolog. c. 3.* Mercatus *tom. 2. p. 5. claſ. quæſt. 137.*

Probatur 1. ex Ariſt. *lib. 2. de generat. c. 4.* vbi duo officia tribuit animæ vegetatiuæ, alterum eſt alimento vti pro indiuidui conſeruatione, alterum verò ſibi ſimile generare: ergo debent adæquari illi diuerſæ potentiæ, & facultas, quibus hæc diuerſa exerceat officia.

Probatur 2. Quælibet actio, quæ attingit aliquem terminum, quem alterius potentiæ actio attingere non poteſt, petit ab alis potentiis realiter diſtincta elici: ſed potentia generatiua attingit terminum,

quem non valet attingere vlla actio potentiæ nutritiuæ: ergo differt realiter ab illa. Probatur minor, potentia generatiua attingit formationem membrorum inter ſe, & perfectè v. g. capitis, manus, cordis, & pedis: ſed nutritiua nullum ex his membris valet conformare: ergo non attingit terminum, quem actio generatiuæ attingit.

Probatur 3. Nutritiua, & generatiua potentia ſubiecto inhæſionis differunt, cùm altera in quacumque parte corporis, alia in ſolis reſidet teſtibus. Præterea, facultas generatiua poteſt ſeparari à nutritiua, vt in pluribus imperfectis animalibus contingit, & caſu in aliis perfectioribus, abſciſſa parte in qua reſidet. Præterea modus operandi nutritiuæ eſt ad alimenti alterationem, & appoſitionem; generatiuæ verò altiori modo tendit ad partium conformationem: ergo realiter diuerſa eſt potentia generatiua à nutritiua.

§. III.

Diluuntur argumenta.

AD 1. dicimus: Quòd Ariſtot. id intendit, quòd hæ facultates eædem ſunt genere, non tamen loquitur de identitate in ſpecie.

Ad 2. negatur minor: Quia virtuti alteratiuæ, & tranſmutatiuæ in teſtibus tantùm eſt datum, quòd ſanguinem elaboret, & ſemini debitum ſubſtantiæ modum tribuat, quòd autem habeat generandi virtutem, conformandíque potentiam, hoc non niſi à generatiua vi illi valet superuenire.

Ad 3. negatur minor: Quia vt Ariſt. docet *lib. 2. de anima, c. 4.* nutritiua, & generatiua diuerſo modo agunt circa alimentum, cùm altera elaboret ipſum, vt loco eius, quod in viuente iam genito deperditur, poſſit ſubſtitui; altera verò, vt ex ipſo indiuiduum poſſit integrè ſecundùm omnia ſua membra conformari.

Resolvtio VII.

Vtrùm facultates miniſtrantes ſint tantùm quatuor?

§. I.

Negatiua partis fundamenta adducuntur.

AVerr. *collige c. 7. & 9. & 3. collige c. 16.* Facultatem diſcretiuam ſuperaddit, quæ diſcernat vtile ab inutili, quam Regitiuam ipſe vocat & videtur admiſiſſe Gal. 4. *aphoriſm. 22.* qui ante criſim docet debere præire diſcretionem & *lib. de cauſis ſymptomat. c. 2.* ad alimenti diſtributionem diſtributiuam adiicit facultatem, & 1. *de facult. naturalibus c. 3.* In aſcite nutritionem fieri docet, quia non fit fruitio alimenti, ex quo videtur requiri in parte facultatem, qua hæc fiat: ergo plures miniſtrantes facultates quàm quatuor communiter annumeratæ ſunt ſuperaddendæ.

Secundò; actio retinendi non eſt diuerſa ab attrahente, quæ conſeruat terminum ſuæ actionis: ergo pauciores ſunt quàm quatuor. Probatur antecedens in quacumque alia facultate externa attrahente, quam conſeruare cernimus tractu temporis terminum.

§. II.

Affirmatiua pars eligitur.

REſoluendum affirmatiuè: Ex Galen. *lib. de facultatib. naturalib. 1. aphoriſm. 22.* ex Auic. *fen. 1. 1. doct. 6. cap. 3.* quem ſequuntur & ibi Gentilis, Nicolus Florentinus, Iacobus Forliuienſis, & de Partibus, reliquíque Arabes: ex moderníoribus Sanctæ Cruz *in fen. 1. 1. opuſc. 10. cap. 15.* Petrus Garcia *in fen. 1. 1. diſp. 34.* Varandæus *lib. phyſiolog. ſect. 6. cap. 6.* Duncanus *phyſiolog. cap. 10.*

Ratio fundamentalis eſt, quia cum facultates miniſtrantes verſentur circa alimentum, quod vt elaboratur ab illis iuxta proprium opus, debet attrahi ad partem, in qua reſidet facultas miniſtrans, ad quod requiritur attrahens, & cùm non fiat ſtatim, ac attrahitur, elaboratio circa illud, debet ſimiliter in parte retineri, ad quod deſeruit retinens; & cùm partim ſit ſimile, partim diſſimile, vt vtile ab inutili ſeparetur, requiritur perfectiua facultas, quæ diſpoſitionem debitam tribuat, & hæc eſt coctio, poſt cuius actionem quia quod alioquitur inutile, & diſſimile, petit trudi, expultrix facultas ad eius euacuationem requiritur: ergo quatuor facultates miniſtrantes requiruntur in gradu vegetabili.

§. III.

Reſpondetur primò poſitis rationibus.

AD 1. negatur conſequentia: Quia coctione diſcernitur vtile ab inutili, & hanc coctionem ideò Galen. docet neceſſariò debere præire ante perfectam criſim, in qua inutile ab vtili ſeparatum debet euacuari.

Ad 2. negatur antecedens: Quia in non viuente res attracta, ceſſante facultatis trahentis actione, proprio pondere detinetur, vt in actione magnetis ferrum trahentis patet; at in viuente non ita contingit ſemper, quia materia concoquenda petit deferri aliquando in partes, in quibus permanet contra proprium pondus, quod non poteſt fieri niſi peculiari facultate ordinata in hunc finem, in quem non debuit deficere natura; cùm enim debeat in tempore fieri alteratio, & coctio, vt hæc conſequatur actio, requiritur neceſſariò retentio, ob quam ſuperaddit natura facultatem propriam in hunc finem, & hoc non ſolum in vegetatiuis, ſed in ſenſitiuis facultatibus loco-motiuis, quæ reſident in partibus officialibus in fibris; non enim tantum fibras oblongas ob attractionem, ſed tranſuerſas ponit, in quibus reſidet facultas retinens; actio enim ita neceſſaria, ſine qua non poſſet viuens conſeruari, non poteſt ſine determinata potentia in viuente aſſignari.

SECTIO III.

De facultate vitali.

FAcvltas intrinſecè vitalis eſt, quæ prouenit à principio vitali vitaliter operante. Sic Ariſt *in lib. de anima*, vitales appellat omnes facultates, quæ ſub aliquo determinato gradu vitæ concurrunt ad illius gradus operationes; peculiari verò modo vitalis dicitur illa facultas, quæ ad vitæ conſeruationem præcipuè eſt neceſſaria, qualis eſt illa, quæ reperitur in corde, in quo ex communi omnium conſenſu vitalis reperitur facultas, quatuórque in illo facultates reperiri proprias, nullíque alteri communes admittunt Authores, vitalem, ſpirituum generatiuam, Iraſcibilem, & pulſatilem; de quibus diſputandum venit, cui propriè extrinſeca vitalitatis ratio competat.

Resolvtio I.

Verùm in corde ſit aliqua vitalis facultas peculiariter ſic dicta, ordinata in vitæ conſeruationem?

§. I.

Partem ſuadet negatiuam.

PArs negatiua probatur 1. Sine corde vita poteſt in animali conſeruari: ergo non inhæret in corde aliqua vitalis facultas in vitæ cõſeruationem ſimpliciter neceſſaria. Probatur antecedens, ex Galen. *lib. 2. de placitis, cap 4.* dicit enim: *Conſpicitur quippe hoc in multis ſacrificiis, quæ de more ita peragi conſueuerant, in quibus interdum victima, erepto corde, ariſque iam impoſito; tum reſpirare, & intentè clamare, tum verò fugere tantum perniſa eſt, quoad per ſanguinis profluuium concideret, &c.* Idem confirmat hiſtoria, quam narrat Ioſeph. de Acoſta *lib. 5. hiſtoria moralis & naturalis Indiarum, cap. 22.* de quodam milite Hiſpano, qui poſt extractum cor ad ſacrificium Idolorum; reuerſus ad alios milites Hiſpanos dixit: *Videte viri nobiles, quàm impiè trucidatus ſum:* ergo ſine corde vita, & actiones vitales poſſunt conſeruari in animali.

Secundò: anima, ſicut quæcumque forma ſubſtantialis mixti non ſolùm dat toti viuenti ſubſtantiale eſſe: ſed vnicuique corporis parti debitam tribuit temperiem, fouet, & conſeruat, quatenus determinatur à partibus materialibus elementorum; alias imperfecta produceretur, nec poſſet amiſſis qualitatibus, ad propriam, & ſibi debitam ſemel amiſſam ſe reducere temperiem: ergo non eſt tribuenda cordi vitalis facultas, à qua corporis partes ſuam nanciſcantur temperiem.

Tertiò: ſi cor diceretur proprium ſubiectum facultatis vitalis, quia habet facultatem, per quam ſpiritus vitales communicantur in reliquas corporis partes, vt debitam communicent temperiem illis, ſimiliter cerebro ſimilis eſſet adaptanda facultas vitalis, cùm ſpiritus animales generet, & cunctis partibus communicet: ergo ſicut cerebrum non determinatur tamquam proprium ſubiectum vitalis facultatis, nec ſimiliter cor.

Quartò: partes frigidæ à prædominio, cùm petant conſeruari per ſimilia, ſimiliter & partes, quæ intenſiori fruuntur calore, quàm qui debetur illis, non indigerent corde, nec aliqua facultate, à qua illis communicetur calor mediâ ſpirituum communicatione: ergo nec eſt neceſſarium cor, vt in illo talis inhæreat facultas vitalis.

§. II.

Verior pars reſoluitur.

REſoluendum: Quòd cor eſt ſubiectum proprium facultatis vitalis per ſe, & immediatè reſpicientis, & attingentis vitæ conſeruationem. Sic tenet Ariſt. *lib. 2. de partibus animal. c. 17. & 20. lib. 3. de partibus animal. c. 4 lib de ſomno & vigilia, c. 3. lib. de iuuentute, & ſenectute, cap. 1. & 2. lib. 2. de generat. animal. cap. 4 & lib. de animal. motu, cap. 6.* qui ideò ſoli cordi omnem tribuit principalitatem, quia ab illo vitam omni ex parte dependere iudicat, cui ſubſcribit Aphrodiſ. Auerr. *lib. 2. de partibus animal. cap. 7.* Themiſtius *lib. de memoria, & reminiſcentia*, Iandunus *lib. de ſomno, & vigilia, q. 9.* & alij ex Peripateticis, partimque ſubſcribit Auicenna, & illius Commentatores: & licèt Galen. ab his diſſentiat, non enim cordi ſoli principalitatem: ſed cerebro & hepati tribuens, ipſi tamen cordi vitalitatis principium tribuit pro vitæ conſeruatione. *lib. 7. de placitis Hipp & Platonis, c. 3 6. & 14. & lib. 8. de vſu partium. cap. 5. & 4. & in arte parua*, quem ſequuntur Plutarchus *lib. 4. de placitis Philoſophorum, c. 21.* Petrus Garc. *fen. 1. 1. diſp. 19.* Valleriola *lib. 1. de locis communib. cap. 12.* Papacela *tract. 1. de indicationibus, c. 1.* Fernel. *lib. 5. phyſiolog. c. 16.* Saluius Selanius *in artem paruam, ad c. 23.* reliquique Gal. Commẽtatores.

Probatur 1. ex Hipp. *lib. de corde, num. 44.* inquit enim agens de cordis ventriculis: *Hi ſunt humanæ naturæ fontes, hincque flumina per corpus diſtribuuntur, quibus tota eius moles irrigatur, atque his vitam hominis conferunt, quod ſi exſiccentur, perit homo, &c.* Ergo ex Hipp. cordi competit, quòd ſit principium & primum ſubiectum vitalitatis.

Probatur 2. ex Galen. *lib. 9. method. c. 10.* vbi fatetur vitalem facultatem adeſſe in corde, *& lib. 3. de placitis, c. 5.* cor in ordine ad vitam principaliorem corporis partem conſtituit, *& lib. 2. aphorum. comm. 46.* inquit: *Velociſſimè igitur fiunt mortes, corde patiente, deinde affecto cerebro, tardiſſimè ab hepate prodeunt:* & paulò infra ſuperaddit: *Hos igitur ventres, tum vitalem facultatem ad ſympathiam trahit, ſyncopes infert:* Ergo quia cor pars eſt, in qua per ſe primò facultas vitalis conducens pro vitæ conſeruatione inhæret.

Probatur 3. ex Auic. *fen. 1. 1. doctr 6. c. 1.* qui expreſſiùs reſolutionem docet his verbis: *Vitalis verò virtus eſt illa, quæ ſpiritus eſſe conſeruat, & facit ipſum potentem dandi vitam, vbicumque expanditur, & huius quidem virtutis ſedes, & operationis ipſius proceſſus eſt cor, &c.* Ergo ex Auic. facultas vitalis inſidet in corde tamquam in principali illius ſubiecto.

Probatur 4. Partes noſtri corporis, licèt in prima cõformatione habeant debitam temperiem pro eſſe, & operari, non habent ſufficientem calorem, vt reſiſtant, cauſis extrinſecis, aëri, inquam, frigido ambienti, & per reſpirationem attracto, & ex frigidis excrementis reſultanti intra corpus: ſed debilitato calore, actiones ſimpliciter neceſſariæ ad vitam, quales ſunt coctiones, & nutritiones neceſſariò perirent: ergo natura quæ in his, quæ ſimpliciter ſunt neceſſaria in indiuidui conſeruationem, non deficit, debuit facultatem in huius caloris ſubſidium dare, & ideò vitaliter dictam ponere in corde omnium partium calidiori parte, & aptiori, vt poſſet calorem partibus tribuere.

Probatur 5. Facultas vitalis peculiariter ſic dicta, quia ad vitæ conſeruationem eſt ordinata, per caloris communicationem fuit neceſſaria in corpore: ergo in illa debuit poni parte à qua melius poſſet calor communicari, cunctiſque partibus impartiri; ſed à nulla alia parte calor meliùs in reliquas partes poteſt impartiri quàm à corde: ergo reſidet in illo. Probatur minor, à corde oriuntur arteriæ, per quas in vniuerſum corpus feruntur ſpiritus vitales valentes illas calefacere: ſed à nulla alia ita commune inſtrumentum pro deferendis illis deſumit originem: ergo à nulla alia parte meliùs calor poteſt in reliquas impartiri.

§. III.

Argumentis reſpondetur.

AD 1. diſtinguo antecedens: Sine corde vita poteſt in animali conſeruari eo breui tempore, quo remanet in partibus debita diſpoſitio communicata à corde, concedo: per multum temporis, vel reſoluta iam, aut amiſſa diſpoſitione à corde communicata, nego antecedens. Facultas enim vitalis, quæ reſidet

reſidet in corde deſeruit, non vt in reliquis partibus det eſſe ſubſtantiale, hoc enim ſoli animæ competit, à qua animal habet eſſe ſubſtantiale, ſed deſeruit, vt vitam foueat, & conſeruet in reliquis partibus mediis ſpiritibus, quos communicat, & ideò licèt reſideat in corde, ipſo ablato, poteſt vita foueri breuiſſimo illo tempore, quo reliquæ partes fouentur ab ſpiritibus iam primò à corde communicatis, non tamen poſſunt diu permanere, cùm neque ſpiritus diu non valeant conſeruari ſine noua à corde communicatione.

Ad 2. negatur conſequentia: Quia licet anima tribuat vnicuique parti debitam temperiem, cùm ad cõſeruationem ſui eſſe requiratur calor, qui ab aëre attracto, & ab extrinſecis cauſis oppugnantibus poteſt remitti, in eius ſubſidium requiritur influxus caloris à corde per ſpiritus communicati ad reliquas partes in caloris naturalis ſubſidium, præter quam quod vlterius, & in arteriis communicatur pro earum motu qualitas occulta, quæ ab anima non poteſt in illis produci, niſi à corde communicetur.

Ad 3. negatur antecedens: Quia cerebrum non conſtituitur in ratione partis principis, quia reliquæ partes dependent ab illo; ſed quia magis dependent à corde in ordine ad vitæ conſeruationem, ſi enim cor ſpatio trium pulſationum deficiat, deficit animal; at verò deficiente influxu à cerebro, licèt deficiat quoad actiones ſenſitiuas, non tamen deficit vita, vt patet in paralyſi, ideò facultas in corde dicitur vitalis, ſimpliciter enim eſt ad vitam neceſſaria, non tamen facultas, quæ à cerebro communicatur.

Ad 4. negatur antecedens: Quia tam calidæ, quàm frigidæ partes indigent communicatione caloris à corde, vnicuique enim tribuitur parti iuxta exigentiam, vt tractatu de arte ſphygmica dicemus, & facultas vitalis non ſolùm deſeruit, vt communicet per ſpirituum impartitionem calorem partibus frigidis, ſed vt attemperet excedentem calorem in partibus mediâ aëris frigidi attractione, contendit enim facultas vitalis non ſolùm calorem communicare partibus, ſed cum moderamine ad ſuas operationes, & ideò pro debili per ſpiritus vitales calorem communicat, pro inteoſiori frigiditatem medio aëre attracto.

Resolvtio II.

Vtrùm facultas vitalis, quæ reſidet in corde, ſit illius nutritiua facultas?

§. I.

Veigæ opinio, & fundamenta proponuntur.

PArtem affirmatiuam tueri videtur Veiga *lib. artis medicinalis comm ad cap.* 31. vbi facultatem nutritiuam, à qua fit nutritio ſpirituoſæ ſubſtantiæ, vitalem ſimpliciter conſtituit, quia ſine illa vita conſeruari non poteſt; pulſificam verò facultatem poſſe vitalem dici, quia eſt ſignum, quo cognoſcimus robur facultatis nutritiuæ.

Probatur 1. Illa facultas præcipuè dicenda eſt vitalis, à qua vitæ dependet conſeruatio: ſed talis eſt facultas nutritiua: ergo hæc dicenda eſt vitalis in corde, quatenus conſeruat ſpirituoſam ſubſtantiam illius, ſine qua non poſſet vita conſeruari. Probatur minor ex Ariſt. docente, quòd tandiu viuimus, quandiu nutrimur: ergo nutritio eſt ſimpliciter neceſſaria ad vitæ conſeruationem.

Secundò: deficiente actu nutritiuæ facultatis, perit neceſſariò vita, ergo ad illius conſeruationem præ-

A cipua facultas eſt nutritiua. Probatur antecedens, ex Galen. 3. *epidem. ſect.* 1. *text.* 11. vbi cùm de Hermocrate dixiſſet Hipp. *Toto tempore cibos auerſabatur*, ait: *Cauſa verò huius eſt, quòd partes alimento indigent calidæ, frigidæ, duræ, molles, vt autem caloris natiui modus ad vnguem conſeruatur, non amplius ſimiliter omnes poſtulant, non partes quæ temperamento ſunt frigidæ, etiam ſi ad vltimum aliquando venerint frigiditatis, ſuſtinent tamen, & viuunt, & rurſus ſine moleſtia caleſiunt, &c.* Ergo ex Galen. facultas ſimpliciter neceſſaria ad vitæ conſeruationem non eſt quæ tribuit temperiem, cùm ſine illa diu viuat animal, ſed nutritiua facultas, ſine qua non poteſt viuere.

Tertiò: facultas, quæ communicat calorem, in tantùm neceſſaria eſt partibus, in quantum calor deſeruit

B nutritiuæ facultati vt inſtrumentum ad eliciendas ſuas operationes: ergo principaliter, & primò neceſſaria eſt ad vitam facultas nutritiua, quàm illa, à qua calor communicatur.

§. II.

Negatiuam partem amplectimur.

REſoluendum: Quòd facultas vitalis reſidens in corde diſtincta eſt à nutritiua, ſicut à ſenſitiua, & arbitraria. Sic tenet Galen. & omnis illius ſchola quæ aduerſus Ariſt. tres partes principes conſtituit penes diuerſas facultates.

Probatur 1. Ex Galen. *lib.* 4. *de præſag. ex pulſibus c.* 12. dicente: *Non eadem eſt facultas vitalis, quam vocant, &*

C *nutritiua, naturaliſque, illius enim hoc vnum opus eſt generatio pulſus naturalis, id quod familiare eſt ad nutritionem allicere, & quod eſt alienum excernere, &c.* Ergo ex Galen. vitalis facultas non eſt nutritiua facultas.

Probatur 2. Maiorem offenſam ſentit animal ex læſione facultatis vitalis, quàm ex læſione naturalis, & animalis facultatis: ergo facultas vitalis differt à facultate nutritiua. Probatur antecedens, ex Galen. *lib.* 2. *de ratione victus, ſententia* 47. *& lib.* 5. *de locis affectis cap.* 1. dicit enim: *Cùm itaque tres ſint principes partes, quibus gubernatur animal (quippe præter cordis principatum oſtenſum eſt ſenſum, & motum viuentis corporis partibus à cerebro ſuppeditari, iecur verò nutricis facultatis eſſe principium) ſemper mors ad*

D *immodicas ſequitur cordis intemperantias, ſimul enim cum ipſo omnes vitiantur; cùm enim, vt oſtendimus, ipſum peculiari cordis temperie actiones ſuas perficiat, hac pereunte, actiones quoque ipſarum perire neceſſe eſt, ac proinde cerebri quoque, & iecoris, horum verò temperie deperdita non oportet cordis ſimul actionem perire: ſi enim nec ſentiendi, nec mouendi ab electione facultatem animal habuerit, neque nutriatur, veluti in latentibus euenit animalibus, nihilominus viuere ipſum poſſe, quoad cor manſerit illæſum, haud quamquam negandum eſt, quin videmus ſæpenumerò in multis deinceps diebus alios neque intelligere, neque ſentire, neque etiam moueri, at nihilominus viuere quemadmodum, vbi quis ob*

E *virium hepatis imbecillitatem ſine alimento permanens etiam ſufficere poteſt, at verò ſi cor reſpiratione priuetur, hominem illico perire neceſſe eſt, &c.* Hoc idem docet *l.* 7. *method. cap.* 78. dicens: *Maxima igitur eſt cordis officij dignitas, atque ægrotantibus maximè omnium neceſſaria, &c.*

Probatur 3. Facultas vitalis communicat cunctis partibus diſpoſitionem requiſitam, vt nutritiua illarum facultas, & reliquæ operentur, tribuit pro animalibus vitales ſpiritus, pro naturalibus calorem, qui efficiendi eſt inſtrumentum: ergo differt ab illis.

Probatur 4. Facultas vitalis eſt facultas per ſe primò cordi communicata, vt probauimus reſolu-

tione

tione antecedenti, & neceſſaria vt debitam conſeruet temperiem in vnaquaque parte pro eliciendis actionibus vitalibus illius: ſed in hunc finem non ordinatur nutritiua facultas, neque alia ex animalibus, aut ſenſitiuis à pulſifica diſtinctis: ergo vitalis facultas peculiariter ſic dicta differt ab illis.

Probatur 5. Nutritione impedita per aliquos dies, viuit animal, ex Hipp. enim *lib. de flatibus num. 46.* Siquidem aliis omnibus, & cibis, & potionibus quis abſtineat, duos tamen, vel tres, vel plures dies poſſet vitam ducere; & *lib. de carnibus, num.* 167. ait: Plerique quidem ex his, qui ſeptem diebus nihil edere, aut bibere volunt, in his moriuntur, quod ſiquis eos ſuperauerit, nihilominus tamen moriuntur: Sed impedita communicatione caloris ſpatio duarum, vel trium pulſationum perit ſtatim animal, ex Gal. *lib. 4. de differ. pulſuum cap. 3.* & *2. de præſagat. ex pulſibus c. 4.* Ergo facultas vitalis per ſe ordinata ad vitæ conſeruationem; & magis ad hunc finem neceſſaria diſtincta eſt à facultate nutritiua.

§. III.

Diluuntur primò adducta fundamenta.

AD 1. negatur minor: Quia illa facultas peculiariter vitalis dicitur, quæ diſpoſitionem communicat pro vitæ conſeruatione, & ſine qua ſtatim deficit vita; poteſt etiam deficere defectu aliarum, quæ ordinantur ad vitæ conſeruationem, quales ſunt concoctrix, nutritiua, & reliquæ etiam facultates gradus vegetatiui, quæ ordinantur ad conſeruationem viuentia ſcilicet, perit animal non ita celeriter, & neceſſariò, ſicut ſi deficiat facultas peculiariter dicta vitalis, ſine qua neque ipſæ operari, neque animal permanere poteſt. C

Ad 2. reſpondetur: Quòd Galen. intendit docere, quòd partes deficiunt defectu alimenti, & defectu temperiei, ſed non intendit, quòd magis defectu temperiei, quàm alimenti deficiant, immò contrarium ſupponit, & poſtea comparatione facta inter partes calidas, & frigidas, quæ cùm omnes defectu temperiei poſſint perire, de his dicit, quòd frigidæ non ita citò deficiunt, ſicut calidæ, quæ cum ex ſua natiua temperie frigidæ ſint; cum minima caloris temperie diù valent perdurare.

Ad 3. diſtinguo antecedens: Facultas communicans calorem eſt neceſſaria, quia communicat calorem neceſſarium pro nutritione ſolùm, nego: quia communicat calorem neceſſarium pro nutritione, & ad alios vſus, & facultates, concedo antecedens. Facultas enim vitalis neceſſaria eſt non ſolùm, vt calorem communicet, quo operetur nutritiua facultas, ſed vt communicet debitam diſpoſitionem requiſitam pro eſſe, & operari reliquarum, facultatum, & pro animæ conſeruatione in partibus, & ideò deficiente, perit animal.

RESOLVTIO III.

Verùm facultas generatiua ſpirituum vitalium ſit diſtincta à facultate vitali?

§. I.

Proponitur opinio Andreæ Laurentij.

ANdreas Laurentius *lib. 9. de re anatomica q. 6. in fine*, aſſerit facultatem, quæ propriè debet dici vitalis in corde in ordine ad, animalis conſeruationem, eſſe facultatem productiuam ſpirituum vi-

A talium, à quibus & ipſam deſumere denominationem vitalis iudicat, & huic inſeruire dicit facultatem pulſificam, quam alij vitalem vocant, forſan quia vitam non per pulſum cognoſcere poſſumus.

Probatur 1. Illa facultas debet dici vitalis, quæ deſeruit ad conſeruationem caloris in corde, & in reliquis corporis partibus: ſed talis eſt facultas generatiua ſpirituum vitalium: ergo illa dicenda eſt vitalis. Probatur minor, facultas generatiua ſpirituum vitalium producit ſpiritus vitales, qui ſunt commune inſtrumentum impartiendi calor in cordi; & reliquis partibus: ergo illa eſt, quæ propriè deſeruit ad conſeruationem caloris in partibus noſtri corporis.

Probatur 2. Si facultas pulſifica deberet dici vi-
B talis, & non facultas generatiua ſpirituum vitalium, maximè, quia facultas pulſifica impartitur ſpiritus vitales per quos communicatur debitus calor omnibus partibus: ſed generatiua ſpirituum facultas eoſdem generat ſpiritus: ergo potiori iure debet dici vitalis.

Tertiò: facultas ſpecificatur in eſſe vitalis à ſuo effectu: ergo illa debet dici vitalis, quæ producit ſpiritum vitalem: ſed facultas generatiua ſpirituum eſt quæ producit terminum vitalem, ſcilicet ſpiritus vitales, à quibus poteſt ſpecificari ſecundùm illam denominationem, non verò pulſifica: ergo generatiua facultas ſpirituum eſt dicenda vitalis.

§. II.

Opinio amplectitur contraria.

REſoluendum: Facultatem generatiuam ſpirituum vitalium diſtinctam eſſe à facultate vitali. Hæc reſolutio conformior eſt doctrinæ Gal. & communi Medicorum aſſenſui, qui pulſificam facultatem confundunt, cum vitali.

Probatur 1. Spiritus vitales producuntur in corde à facultate concoquente, vt probauimus tractatu de ſpiritibus: ſed facultas concoquens, ſeu nutritiua, ſeu quæcumque naturalis non poteſt dici vitalis, vt reſo-
D lutione antecedenti probaui: ergo facultas ſpirituum vitalium generatiua non eſt facultas communiter vitalis dicta.

Probatur 2. Illa facultas eſt dicenda vitalis, quæ immediatè attingit vitæ conſeruationem tribuendo partibus debitum inſtrumentum, quo id conſequatur: ſed facultas generatiua ſpirituum vitalium non id attingit, ſed pulſifica: ergo non debet facultas ſpirituum generatiua dici vitalis.

Probatur 3. Ex generatione ſpirituum vitalium non attingitur vitæ, & debitæ temperiei partium conſeruatio: ergo non debet dici vitalis. Probatur antecedens, adhuc ſi ſint ſpiritus vitales geniti, ſi non diſtribuantur, & applicentur partibus, poteſt animal perire ob defe-
E ctum applicationis caloris: ergo ex generatione ſpirituum vitalium, non conſequitur vitæ, & debitæ temperiei conſeruatio.

Probatur 4. Spiritus vitales denominantur tales, quatenùs tribuunt partibus calorem, qui poteſt eſſe inſtrumentum pro actionibus vitalibus; ergo in tantum dicentur propriè vitales, in quantum approximantur ad partes in quibus hanc denominationem recipiunt: ergo illa facultas propriè dicitur vitalis, quæ illos approximat ad partes, à quibus propriè denominantur tales.

§. III.

Laurentij ſoluuntur rationes.

AD 1. diſtinguo maiorem: Illa facultas debet dici vitalis, quæ deſeruit ad caloris conſeruationem, remotè, & vtcumque, nego: proximè per immediatam eius communicationem, concedo maiorem. Illa enim facultas præcipuè vitalis debet dici, quæ medijs ſpiritibus vitalibus immediatè attingit vitæ conſeruationem, non enim conſeruaretur vita per calorem ſpirituum, etiamſi generarentur, niſi per pulſificam diſtribuerentur ad partes, & ideò generatiua illorum non dicitur vitalis.

Ad 2. negatur conſequentia: Quia vt nuper diximus, ſpirituum generatio, niſi impartirentur partibus, & illis calorem communicarent ad vitalitatem vitæve conſeruationem, in parte nihil conduceret.

Ad 3. reſpondetur. Quòd cùm ſpiritus, qui generantur in corde, dicantur vitales, in quantum poſſunt eſſe inſtrumentum vitæ, & hoc non conſequatur ſine eorum applicatione ad partes, illa potentia propriè denominatur vitalis, quæ deducit, & applicat illos ad partes, in quibus denominantur tales, a potentia enim concoquente generantur, vt ſpiritus ſunt, poſtea verò deſumunt vitalium denominationem à partibus, in quibus eorum calor deſeruit ad vitam.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm facultas pulſifica ſit, quæ in corde dicitur vitalis?

§. I.

Negatiuæ partis adducuntur fundamenta.

PArtem negatiuam tenet Annibal Albertinus *lib. 1. de naturalibus affectionibus cordis c. 1. & 4. & 10. & 2.* vbi facultatem pulſificam diſtinguit à vitali. exiſtimat enim vitalem facultatem eſſe quandam animæ potentiam inhærentem cordi tanquàm proprio organo, à qua tamquàm à prima potentia radicali, & remota aduenit vita omnibus partibus noſtri corporis, & ſic huius potentiæ vitalis actum dicit eſſe viuificationem, ſeu vitæ communicationem ad partes, in quibus licèt admittat animam eſſe tribuentem, & vitam ad ſuæ vnionis conſeruationem, & ſuarum operationum elicientiam; facultatem hanc vitalem quandam vitalitatem tribuentem ſemper requiri contendit.

Probatur 1. Facultas pulſifica diſponit ad reliquas facultates, vt docet Auicen. *fen. 1. 1. doct. 6. ſumm. 1. c. 4.* Ergo facultas pulſifica non poteſt eſſe facultas vitalis, ſed alia, à qua reliquæ vitalitatem recipiant, eſt admittenda. Probatur conſequentia, facultas diſponens ad alias, eſt prior ordine generationis, quàm illæ, ad quas diſponit, vt docet D. Thom. *1. p. q. 7 art. 4. & 7.* Ratione cuius docet potentias vegetatiuas primas, & imperfectiores eſſe reliquis.

Probatur 2. Anima producit omnes facultates, quibus indiget, vt diu poſſit permanere in viuente, vt patet de omnibus facultatibus gradus vegetatiui: ergo etiam debuit producere facultatem vitalem ab aliis diſtinctam, per quam poſſet impartiri omnibus partibus vitalitatem, per quam conſeruentur. Patet conſequentia, quia natura non deficit in neceſſariis: ſed ſine illa qualitate adhuc cum aliis qualitatibus non poſſet conſeruari: ergo debuit illam producere.

A Probatur 3. Sine qualitate communicata à corde in partes, media vitali facultate, partes conſeruari non poſſunt: ſed ſine influxu ſpirituum vitalium communicato à corde per facultatem vitalem partes diu conſeruantur: ergo præter illum requiritur alia vitalis facultas, à qua communicetur vitalitas, per quam ſine ſpirituum influxu poſſint conſeruari. Probatur minor, in febre lipyria ſine influxu ſpirituum vitalium ad partes durat animal per multos dies, in principio acceſſionum quartanæ per multas horas, ligatâ arteriâ dicet partes infra ligaturam non pulſent, nec deſcendant ſpiritus, vita conſeruatur: ergo quia qualitas ad vitam neceſſaria poteſt communicari in illas à facultate vitali diſtincta.

B

§. II.

Pars affirmatiua ſancitur.

REſoluendum facultatem pulſificam eſſe, quæ in corde propriè vitalis dicitur, quæ immediatè attingit vtrumque vitæ conſeruationem in partibus. Sic docet Galen. *lib. 1. de different. pulſuum, lib. 1. de difficult. reſpirationis, lib. 1. de arte curatiua ad Glauconem*, aliiſque in locis: ſequitur Auicen. *fen. 1. 1. doct. 6. cap. 1.* vbi ſui Commentatores, Gentilis *fen. 1. 1. doct. 6. ſumm. 1. c. 4. dub. 15.* Fernelius *lib. 5. phyſiolog.* Papatela. *tract. 1 de indicatione naturali, vitalique, cap. 10.* Saluus Sclanius *in artem medicinalem text. 31.* Fontanus *p. 1. vniuerſæ artis medicæ cap. 7.* Santa Cruz *in fen. 1. 1. opuſc. 9. dub. 3.*
C Nuñez *lib. de pulſibus ſect. 1. cap. 2.*

Probatur 1. Ex Galen. qui *lib. 2. de differ. pulſuum c. 4 & lib. 4. de præſagatione ex pulſib. c. 11.* pulſum diffinit, quòd ſit *facultas vitalis* & inquit: De facultate, quæ molitur pulſum, quam appellamus vitalem, & *c. 13. ſequenti*, ait: Non eadem eſt facultas vitalis, quam vocat, & naturalis; illius enim hoc vnum opus eſt generatio pulſus, & *lib. 1. de facult. reſpirationis c. 9.* agens de pulſifica, dicit: In vitalibus verò operibus non ita habetur, ſed cum vtilitas prouocat, & facultas integra eſt, & organa apta exiſtunt ad motum, neque tardam, neque paruam poſſibile eſt fieri actionem, & *1. de arte curatiua ad Glauconem*, dicit: Virtus igitur, quam vitalē vocat, quam ex corde prodeuntem oſtendimus ex pul-
D ſuum debilitate cognoſcitur, & *lib. 4. acutorum text. 19. lib. de ſanguinis miſſione cap. 3. lib. 2. de compoſit. medicamentorum ſecundum locos cap. 6.* Ad ſanguinis miſſionem facultatis pulſificæ vitalis robur requirit: ergo vitalis facultas ex Gal. non eſt alia à pulſifica.

Dices cum Albertino: pulſificam facultatem vocari vitalem à Galen. quia reſidet in corde, quod eſt proprium ſubiectum facultatis vitalis.

Contrà ſi hoc ſufficeret, vt vocaretur vitalis, reliquæ facultates naturales, quæ reſident in corde concoctrix, auctrix, expultrix, & attractrix ſimiliter dicerentur vitales, & eædem met facultates, prout inhærent cerebro dicerentur animales, quia cerebrum eſt proprium ſubiectum facultatis animalis: ergo ex hac ratione non
E poteſt, nec debuit à Galen. vocari vitalis.

Probatur 2. Ex Auic. *fen. 1. 1. doct. 6. ſum. 1. cap. 1. & 5. vitalis virtus eſt illa, quæ ſpiritus eſſe conſeruat*: vbi vitalem facultatem vocat pulſificam, hæc enim ſpiritus conſeruat, vt idem Auicen. docet *fen. 2. 1. in pulſus diffinitione.*

Probatur 3. Pulſifica facultas ſufficit ad vitæ conſeruationem, cùm communicet vitales ſpiritus per omnes corporis partes, mediis quibus fouetur propria cuique temperies, qua operationes eliciantur: ergo non eſt alia vitalis à communiter receptis in corde diuerſa admittenda. Probatur conſequentia:

tum,

tum, quia ſine neceſſitate non eſt ſuperaddenda noua entitas: tum quia potentia illa vitalis diſtincta ſuperaddenda animæ debet habere actum adæquatum, quo cõſtituatur in eſſe talis, & ſpecificetur, vt diſtincta ab aliis: ſed non eſt aſſignabilis talis actus, cùm ab Albertino aſſignatus actus ſit viuificatio partium, qui non eſt actus diſtinctus ab actu formali ſubſtantiali ipſius animæ, vel ſi accidentalis eſt, non eſt diſtinctus ab applicatione caloris influentis ipſis partibus, quæ fit à pulſifica facultate: ergo non eſt admittenda facultas diuerſa à pulſifica.

Probatur 4. motu pulſus deficiente, breui tempore perit animal: ergo quia pulſus conducit ad immediatam vitæ conſeruationem, & conſequenter pulſifica facultas eſt vitalis. Probatur antecedens, ex Hipp. 2. *aphoriſm.* 41. Qui frequenter, inquit, & ſine cauſa manifeſta animo l[illegible]quuntur, repentè moriuntur, & Gal. *lib. 4. de differ. pulſuum c.* 3. ait: Neque enim viuerent, ſi omnis periiſſet m[illegible]tus cordis & arteriarum, *& lib.* 2. *de præſag. ex pulſib. c.* 4. inquit: *Itaque cùm duorum pulſuum arteria quieſcat, non ſcio an ſuperſtes quiſquam eſſe poſſit, & paulò infra: Quies vero temporum vnius pulſus inter omnes intermiſſiones moderatiſſima eſt, mulieréſque ex ea, ſenes pariter, & pueri euaſerant; iuuenum autem neque ex hac quidem vllus, &c.* Ergo ea pulſuum defectu vita breui tempore communicari non poteſt.

§. III.

Negatiuæ partis ſoluuntur fundamenta.

AD 1. diſtinguo antecedens: Facultas pulſifica diſponit pro aliis facultatibus, diſpoſitione præuia, nego: diſpoſitione conſeruatiua, concedo antecedens. Dicitur enim facultas pulſifica diſponens pro aliis, quatenus communicat per ſpirituum vitalium impartitionem debitam temperiem, qua reliquæ conſeruentur; ad quod ſufficit, quod ſit ſimul tempore cum illis, non tamen diſponit pro reliquarum introductione, hoc enim requireret eius prioritatem in ſubiecto.

Ad 2. reſpondetur: Quòd cùm anima det eſſe viuens omnibus partibus, ſolùm requiritur, quòd impartiatur illis aliquid in ſubſidium propriæ diſpoſitionis requiſitæ pro conſeruatione, & operationibus animæ, & hoc tribuitur à facultate pulſifica, & ideò dicitur vitalis.

Ad 3. negatur minor: Et ad probationem dicimus, quòd in caſibus propoſitis in argumento aliquis ſpirituum influxus deſcendit, aliàs non poſſet diu perſeuerare viuens, vt ex Galen. deduximus in vltima probatione reſolutionis: ſi autem omnimodè impediretur influxus, vt ligatâ arteriâ contingit, pars abiret in mortificationem, vt in vehementiſſimis ligaturis demonſtrat experientia, & influxionibus impedientibus ſpirituum deſcenſum.

RESOLVTIO V.

Vtrũ facultas pulſifica ſit vitalis intrinſecè?

§. I.

Pars fulcitur negatiuâ.

DVpliciter poteſt facultas dici vitalis, vel extrinſecè denominatione ſumpta in ordine ad finem, quia à natura ordinata eſt in vitæ conſeruationem media temperie, quam communicat ad eſſe,
A & operari cunctis partibus viuentibus, & in hac acceptione determinauimus facultatem pulſificam eſſe vitalem dictam à Galen. ab eiuſque Commentatoribus. Vel intrinſecè, quia eſt principium vitale vitaliter operans ſub determinato vitæ gradu, in cuius operationes eſt deſtinatum, in qua acceptione dicuntur vitales omnes potentiæ, quæ prouehiunt ab anima ſub gradu vegetatiuo, ſenſitiuo, aut rationali, & illius gradus aliquam operationem exercent, & in hoc ſenſu inquirimus, an facultas pulſifica debeat etiam dici vitalis.

Partem negatiuam tenet Petrus Garc. *diſp.* 50. *in fen.* 1. 1. *Auicennæ c.* 4. vbi docet facultatem pulſificam non eſſe vitalem intrinſecè, quia non eſt potentia animæ
B ſecundùm gradum ſpecificum vitæ, ſed ſecundùm gradum formæ naturalis.

Probatur 1. Si facultas pulſifica, qua cor mouetur eſſet intrinſecè vitalis, deberet eſſe talis ſub aliquo determinato vitæ gradu: ſed ſub nullo gradu vitæ eſt principium ſuarum operationum: ergo non eſt potentia vitalis intrinſecè. Probatur minor: non eſt aliqua ex potentiis rationalibus, cùm non ſit intellectus, nec voluntas, Non eſt vegetatiui gradus, cùm nulla ſit ex potentiis miniſtratis, nec miniſtrantibus, vt patet diſcurrenti; Non eſt ſub gradu ſenſitiuo, cùm non ſit cognoſcitiua, nec ſub tali gradu loco-motiua, aliàs moueretur præcedente cognitione: ergo ſub nullo gradu vitæ eſt principium operationum illius gradus.

Probatur 2. Motus cordis fit à generante: ergo fa-
C cultas pulſifica, quæ mouet illud, non eſt vitalis intrinſecè. Conſequentia patet, cùm ad vitalitatem requiratur immanentia actus, & ſit eadem ratio de facultate pulſifica, ac de grauitate, quæ ſimiliter non eſt vitalis in viuente, quia fit à generante. Antecedens probatur ex D. Thom. *opuſc.* 30. *de motu cordis*, vbi cordis motum tribuit generanti.

Confirmatur: Quia cùm partes noſtri corporis moueantur, & nihil poſſit ex Ariſt. eſſe mouens, & motum; ſed quod mouetur, debet ab alio moueri, fuit neceſſe, quòd aſſignaretur in corpore cor tamquam pars reliquas mouens, & cum ipſum ſe mouere non poſſet, illius motus tribui debet generanti: ergo facultas illius loco-motiua non poteſt dici intrinſecè
D vitalis.

Probatur 3. Facultas, cuius actus eſt debitus genito in inſtanti generationis, non elicit illum actum vitaliter: ſed motus cordis eſt debitus in inſtanti generationis animali: ergo non elicit illum actum vitaliter. Maior patet, quia quidquid debetur genito in inſtanti generationis tribuitur à generante, & non à genito, cui nondum erat eſſe pro tali actione. Probatur minor, motus pulſus conducit ſimpliciter ad vitæ conſeruationem: ſed quidquid conducit ſimpliciter ad conſeruationem eſſe rei productæ, eſt debitum in inſtanti generationis: ergo motus cordis eſt animali de-
E bitus in inſtanti generationis.

§. II.

Affirmatiua pars ſancitur.

REſoluendum: Quòd facultas pulſifica eſt intrinſecè vitalis. Sic tenet Sancta-Cruz, Mercatus, & omnes Medici contra Garceiurum.

Probatur 1. Ex D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 17. *art.* 9. *in ſolutione ad* 1. vbi expreſsè aſſerit motum cordis eſſe vitalem, quia superuenit ex coniunctione animæ ſenſitiuæ ad corpus: ergo eſt potentia ſub illo gradu, intrinſecè vitalis.

Probatur 2. Facultas pulſifica operatur modo vitali

In heterogeneitate motus pulſus: ergo facultas pul- A ſifica eſt vitalis intrinſece. Probatur antecedens, pulſus conſtat ex diuerſis, & contrariis motibus, & quietibus: ſed hæc hæterogeneitas motuum, & terminorum excedit modum operandi rei merè naturalis, ex Ariſt. *lib.* 2. *de anima text.* 24. vbi plantas viuere demonſtrat, quia mouentur per augmentum, & nutritionem in poſitionum varias differentias: ergo facultas pulſifica operatur modo vitali in heterogeneitate motus.

Dices cum Carreiro; totam diuerſitatem pulſus habere rationem vnius termini adæquati; ſicut conſpicitur in motu circulari cœli.

Contra: tum quòd motus cœli fit ab Intelligentiis, quæ vitaliter operatur: tum quòd in non viuentibus B non eſt diuerſitas poſſibilis operationum, vel motus in contrarios terminos, etiam ſi illi termini adæquent aliquem finem, quia operantur cum determinatione limitata ad vnum ſimpliciſſimum terminum.

Probatur 3. Quando ex duobus motibus contrariis naturalibus alter eſt alicui rei naturalis, alter violentus debet eſſe, vt docet Ariſt. *lib.* 1. *de cœlo*, ſed a facultate pulſifica fit duplex motus, vnus alteri contrarius, & vterque eſt animali naturalis: ergo facultas, à qua elicitur, non eſt naturalis: ſed vitalis intrinſecè.

Probatur 4. per facultatem pulſificam, & illius actum conſtituitur anima in determinato gradu vitæ: ergo facultas pulſifica eſt intrinſecè vitalis. Probatur antecedens, ex D. Thom. 1. *p. q.* 78. *art.* 1. Facultas, quæ operatur ſine concurſu qualitatis corporeæ inſtrumétaliter C concurrentis eſt gradus ſenſitiui: ſed pulſifica facultas terminum primarium ſpecificatiuum ſcilicet vbicationem attingit ſine qualitatis corporeæ actione inſtrumentaliter concurrente: ergo per illam conſtituitur anima in determinato gradu vitæ.

§. III.

Fit ſatis pro argumentis.

AD 1. reſpondetur: Quòd, vt patet ex vltima probatione, facultas pulſifica conſtituit viuens in determinato gradu vitæ ſub ſenſitiuo: eſt enim in D illo gradu duplex facultas loco-motiua, alia perfectior, quæ præcedente cognitione exercet ſuam operationem; alia quæ fit ſine præcedente cognitione, operatur tamen pro vſu, & indigentia, qualis eſt pulſatilis; & hæc licèt ſit ſine præcedenti cognitione, eſt ſenſitiua, vt docet D. Thom. *opuſc. de potentiis.*

Ad 2. reſpondetur: Notando, quòd dupliciter poteſt intelligi aliquod agens determinari ab extrinſeco ad operandum, primo modo efficienter actualiter in ordine ad actionem; alio modo efficienter habitualiter in ordine ad finem. Determinatio effectiua eſt illa, qua conſtituitur efficienter, & ab extrinſeco agens potens actualiter operari, quia actualiter recipit ab extrinſeco vltimam actualitatem, qua vltimò completur in genere principij operatiui efficientis, vt poſſit prorumpere in actionem, quam E actualitatem effectiuam actualem omnes Thomiſtæ admittunt in auxilio præuio, aut phyſica prædeterminatione. Altera determinatio effectiua habitualis in ordine ad finem eſt illa determinatio, quam accipiunt potentiæ operatiuæ à ſuo generante, ratione cuius exeunt cum naturali quadam coaptatione in ordine ad proprium finem, & ad ſpecificatiuum actionis, quæ determinatio dicitur inclinatio, ſeu propenſio naturalis, aut inſtinctus naturalis, quo potentiæ veluti inſita doctrina feruntur proprio pondere in ſuum obiectum, & ſpecificam operationem; quæ determinatio radicatur in eſſe ſpecifico cuiuſlibet A potentiæ, inter quas determinationes effectiuas hæc eſt differentia, quòd in prima, omne agens creatum reſpectu cuiuſlibet indiuiduæ actionis recipit actualiter dictum auxilium præuium, quo completur vltimò in genere actualitatis operatiuæ, vt ſic poſſit prorumpere in actionem præſuppoſito auxilio concomitante. Secunda determinatio dicitur effectiua: quia ſe tenet ex parte potentiæ, & quia à productione ſui eſſe licèt ab extrinſeco communicatur: quod requiritur in ipſa, vt ſine determinatione tendat in finem naturali inſtinctu, & in ſpecificum actionis, quæ dicitur etiam habitualis, quia veluti in radice à ſua prima generatione habet inſitam determinationem, & doctrinam ad omnia illa à ſuo generante ſine eo, quòd ab illo recipiat B actuale aliquod: ſed ſolùm, à prima generatione habet habitualiter talem inſitam doctrinam, qua ducitur in finem proprium, & in ſpecificum actionis: ex quo patet ad argumentum, quòd pulſifica facultas eſt à generante quoad determinationem finis tantùm.

Ad confirmationem reſpondetur: Quòd cùm ſit intrinſeca ratio actionis vitalis immanentia, concurrit potentia, quælibet noſtri corporis ad ſuam vitalem actionem, vt quo; pars verò inſtrumentalis, in qua inhæret, vt quod; nec dependet quantum ad hoc pars aliqua noſtri corporis à corde, licèt dependeat quantum ad aliquem influxum, ſeu caloris communicationem; ſicut nec ipſum cor à generante niſi modo dicto, quoad determinationem finis ſiue effectiuam, C ſiue habitualem.

Ad 3. reſpondetur: Quòd motus cordis, ſeu facultatis vitalis non eſt neceſſarius, vt tribuat viuenti eſſe vitalitatis, nec quoad eſſe ſubſtantificum, cùm hoc tribuatur ab anima, nec quoad eſſe conſeruatiuum, quia conſeruatio eſt à propria temperie, & hæc oritur ab eadem anima, vt forma eſt mixta, & quatenus determinatur à partibus materialibus; eſt igitur neceſſarius; quia poteſt natiuus calor, propriáque temperies ab extrinſecis oppugnari, in eius ſubſidium, & ideò non debitus in inſtanti generationis, ſed tractu temporis, quo propria qualitas à contrariis oppugnetur.

D

SECTIO IV.

De facultate animali loco-motiua.

ANIMALES facultates dicuntur, quæ ad actiones ſenſitiui gradus deſeruiunt: has diuidit Auic. *fen.* 1. *c. doctr.* 6. in comprehenſiuam, & motiuam, ſeu in cognoſcitiuas, & loco-motiuas. Loco-motiua facultas ex D. Thom. *opuſc.* 35. & 42. alia fit ſine præcedenti cognitione, qualis eſt pulſifica; alia perfectior eſt, quæ præcedenti cognitione, & appetitus actu elicitur, & de hac ſub iſta diſp. agimus.

E

Resolvtio I.

Vtrùm detur potentia localiter motiua, à qua efficienter fiat motus?

§. I.

Negatiuæ partis fundamenta ponuntur.

POtentiam localiter motiuam in animali eſſe appetitum directum ab imaginatione; membra verò

verò, à quibus exercetur, ſolùm concurrere paſſiuè ad motum; quatenus habent diſpoſitionem paſſiuam ad illum, contendunt aliqui, Ferrarę, & Caietano hanc tribuentes opinionem.

Primò: quia Ariſt. *lib. 3. de anima, & lib. de animali motu*, motum localem animalem docet fieri à phantaſia, & appetitu: ergo ſuperadditur facultas alia localiter motiua.

Secundò: D. Thom. *lib. 1. de anima lect. 1.* potentiam cognoſcitiuam affirmat tanquam dirigentem concurrere ad motum, appetitum verò elicere motum: quod idem affirmat *1. part. q. 75. art. 3. ad 3. & lib. 2. contra Gentes*: Ergo ſine ſuperaddita potentia localiter motiua fit motus.

Tertiò: ſic ſe habet pars localiter mouenda in animali reſpectu appetitus, ſicut cœlum reſpectu Angeli: ſed ad motum cœli Angelus mouet actiuè, cœlum tantùm paſſiuè ſe habet ad motum: ergo ſimiliter ad motum animalis appetitus concurrit actiuè, pars mouenda ſolùm ſe habet paſſiuè.

Quartò: actio variatur iuxta proportionem potentiæ, à qua elicitur, ita vt fiat perfectior ab illa potentiori, ab illa debiliori, vel debilitatur, vel impeditur: ſed ab appetito vehementi concitatior fit motus, ab illo verò remiſſiori tardior: ergo fit efficienter ab illo.

§. II.

Affirmatiua pars ſancitur.

RESoluendum: Quòd in partibus ad efficiendum localem motum admittenda eſt potentia actiua ab appetitu, & imaginatione diſtincta. Sic tenet Ariſt. *lib. 3. de anima text. 54.* D. Thom. *opuſc. 43. c. 5. & 1. p. q. 78. art. 1. ad 4.* Henriquez *quodlibeto 1. q. 6.* Conimbricenſes, Rubius, & alij ex commentatoribus *lib. 3. de anima.* & eſt communis in ſchola Medicorum.

Probatur 1. Quando duo actus requiruntur ad acquiſitionem alicuius termini, quorum alter ſit potentiæ dirigentis, & imperantis, alter potentiæ exequentis, quod ab altera eſt imperatum, duæ ſunt admittendæ potentiæ diuerſæ: ſed vt ab animali exequatur motus localis ex D. Thom. *opuſc. 43.* requiritur actus potētiæ imperantis, & actus potentiæ exequentis in organo: ergo præter appetitum debemus admittere potentiam effectiuam, à qua effectiuè eliciatur localis motus.

Probatur 2. Si appetitus eliceret motum localem, vel eodem actu, quo appetit, faceret motum, vel per alium diſtinctum; non per actum quo appetit; hic enim diuerſum habet terminum ſpecificatiuum, & aliquando exercemus motus, quos non appetimus, & quos appetimus non ſemper exercemus; non per diuerſum actum, ab appetitu enim nullus actus elicitur, niſi ille, à quo ſpecificatur potentia: ergo alia facultas diſtincta eſt admittenda, quæ exequatur localem motum.

Probatur 3. Actus localiter motiuus animalis eſt vitalis, & conſequenter immanens reſpectu partis, à qua elicitur: ſed motus localis in pede, aut manu non poteſt dici immanens, & vitalis reſpectu appetitus, qui reſidet in corde: ergo talis dicitur reſpectu facultatis localiter mouentis, quæ reſidet in parte quæ mouetur.

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

AD 1. reſpondetur: Quòd ad motum localem perfectum animalis prærequiritur 1. cognitio qua cognoſcatur bonitas finis, ſecundò appetitus conſequendi illum, & tandem potentia localiter mouens ad eius conſequutionem, & ideò Ariſt. dicit phantaſiam, & appetitum concurrere ad motum, non quia efficienter procedat ab illis, ſed quia non poteſt fieri à potentia loco-motiua, quin illatum præcedat actio.

Ad 2. ſimiliter dico D. Thom. tantum docuiſſe: Quòd ad motum concurrit appetitus præſuppoſitiuè imperando, non verò immediatè eliciendo motum.

Ad 3. negatur maior: Quia diuerſo modo mouet Angelus cœlum, ac mouet facultas partem viuentis, facultas enim mouet vitaliter immanenter, cœlum mouetur ab Angelo non vitali modo; ſed tamquàm ab extrinſeco motore.

Ad 4. diſtinguo minorem: Sed ab appetitu vehementi concitatior fit motus, ab illo remiſſiori tardior, quia immediatè fit ab illo, nego: quia præſuppoſitiuè dependet ab illo potentia, à qua fit immediatè, concedo minorem. Dum enim prærequiritur actus appetitus ad hoc, vt facultas localiter motiua exerceat motum, variatur motus iuxta appetitus variationem; non tamen ſemper eſt verum, quòd fiat motus proportionaliter ad appetitum, poteſt enim appetitus debitè operari ſine eo, quòd debitè fiat motus, quia organum ad eius potentiam eſt impeditum.

RESOLVTIO II.

Quod ſit proprium ſubiectum facultatis loco-motiuæ?

§. I.

Ariſtotelis proponitur opinio.

ALiqui cor ſubiectum inhæſionis facultatis loco-motiuæ ſenſitiuæ cuiuſlibet noſtri corporis partis conſtituunt: tùm quia Ariſt. ipſum eſſe principium omnis motus localis in viuente fatetur: tùm quia, cùm reſideat appetitus in corde, ad cuius actum requiritur motus localis in corde, neceſſariò debet etiam inhærere facultas localiter motiua. Ex Galen. ſectatoribus è contra iudicant plures cerebrum eſſe primum ſubiectum facultatis ſenſitiuæ cuiuſlibet, ab ipſo enim in reliquas partes ſenſum, & motum fatetur deſcendere, & cerebro læſo, obſtructiſve partibus per quas ſenſus, & motus deſcendit in partes, perit motus: ergo quia inhæret in illo loco-motiua facultas.

§. II.

Communis ſancitur opinio.

REſoluendum: Quòd facultas localiter motiua gradus ſenſitiui, quæ operatur præcedente cognitione inhæret tamquàm in proprio ſubiecto in muſculis. Sic fatetur Galen. tenetque Medicorum communior conſenſus.

Probatur: Motus animalis eſt vitalis, & conſequenter fit immanenter, & recipitur in organo media facultate elicitiua illius: ergo in illa parte inhæret facultas, in qua recipitur huiuſmodi immanens actio: ſed talis actio fit à muſculis: ergo facultas localiter motiua inhæret in illis. Probatur minor, dùm muſculi contrahuntur, vel tenduntur, motus perficitur; muſculis abſciſſis, læſis, aut impeditis, impeditur motus localis: ergo fit ab illis.

§. III.

Ad obiectiones in principio poſitas reſpondetur.

AD 1. quòd Ariſt. vnam conſtituit partem principem, & principium omnium motuum: ſed minùs benè philoſophatur, vt demonſtrauit Galenus, & agentes de influxu partium principum diximus; neque quòd localis motus ſequatur poſt appetitum in eodem organo, vtramque potentiam inhærere conuincit, anima enim præcedente appetitus actu, inſurgit ad mouendum localiter media facultate inhærente in muſculo propter radicationem potentiarum in anima.

Ad 2. reſpondetur: Quòd Galen. vt diximus, tantùm intendit, quòd cerebrum ſit pars princeps, quia ab illo communicatur diſpoſitio per influxum per neruos ad illas partes, in quibus facultates inhærent, & facultas indiget influxu, quia ſine illo non operatur, & ideò illo impedito, impeditur motus, etiamſi facultas inhæreat in muſculis.

RESOLVTIO III.

Vtrùm omnis facultas localiter motiua operetur præcedente cognitione & actu appetitus.

§. I.

Affirmatiua pars ſuadetur:

PArs affirmatiua ſuaderi videtur ex Ariſt. *lib. 2. de anima.* vbi animalium conſtituit genera, & potentiarum diuerſitatem, ſub ſenſitiuo loco motiuam potentiam, quæ præcedente cognitione, & actu appetitus fit, conſtituit ſemper: ergo quia nullum aliud motus genus reperitur in animali.

Secundò. ſi aliqua potentia poſſet aſſignari gradus ſenſitiui, à qua ſine præcedente cognitione, & appetitu fieret motus localis, maximè pulſatilis in corde, & arteriis: ſed hæc non eſt vitalis: *ergo* omnis loco-motiua animalis fit præcedente cognitione, & appetitu. Probatur minor, pulſus motus fit a generante ex D. Thom, *opuſc 35. de motu cordis*: Ergo non eſt potentia ſenſitiui gradus, cuius actus petunt eſſe immanentes.

§. II.

Verior ſancitur doctrina.

REſoluendum: Quòd duplex facultas localiter motiua reperitur ſub gradu ſenſitiuo, altera naturalis dicta, quia ad modum potentiæ naturalis operatur ſine præcedente cognitione; altera animalis dicta, quia perfectiori modo operatur ſub illo gradu præcedente cognitione. Sic tenet D. Thom *opuſc. 43 c. 5.* tenet Mercatus *tract. de pulſibus*, Petrus Garc. & alij aſſentiuntur huic opinioni.

Probatur 1. Ex D. Thom *opuſc. 43* citato, vbi, cum *in cap. 5.* proponat textum de virtute animali motiua ſenſitiua, dicit: *Viſo de virtute ſenſitiua apprehenſiua, videndum eſt de virtute motiua. Motiua autem ſenſitiua diuiditur, quia quædam eſt naturalis, quædam animalis: naturalis eſt, quæ non mouet per apprehenſionem, nec eſt ſubiecta imperio rationis, & talis eſt virtus vitalis, & pulſifica, quæ mouet arterias, & cor ſecundum dilatationem, &c.*

A Probatur 2. Motus localis partium officialium, qui fit mediis fibris, fit à facultate loco-motiua gradus ſenſitiui: ſed hæc operatur ſine præcedente cognitione, vt omnibus conſtat: ergo ſub gradu ſenſitiuo eſt facultas localiter mouens ſine præcedente cognitione, vltra illam, quæ illa præcedente, fit. Probatur maior, facultas reſidens in fibris ipſas fibras mouet immanenter ſine concurſu actiuo qualitatis corporeæ, ſicut facultas loco-motiua manum mouet ea comprehenſione, & dilatatione: ergo fit à facultate loco-motiua gradus ſenſitiui. Conſequentia patet ex D. Thom. 1. *p q. 78. art. 1 in corpore.*

§. III.

B *Dubitandi rationibus fit ſatis.*

AD 1. reſpondetur: Quòd Ariſt. loquitur de potentiis loco-motiuis ſenſitiui gradus perfectioribus, & exemplum in illis adducit, quia potentiores ſunt.

Ad 2. negatur minor: Et ad probationem negatur antecedens: quia, vt patet in approbatione reſolutionis, vitalem facultatem ſub animalibus loco-motiuis ponit Galen. ſed dicit huius facultatis motus fieri à generante, non quia efficienter fiat ab illo, ſed quia fit ab eo quoad determinationem finis.

SECTIO V.

C *De facultatibus cognoſcitiuis externis.*

SVb ſenſitiuo grado localiter motiuæ facultates perfectæ, vt ſuum perficiant motum, cognitione indigent præcedente internarum facultatum, neque hæ ſine externarum actione obiecta valent percipere, & ideò diſputandum venit de externis cognoſcitiuis facultatibus.

RESOLVTIO I.

Vtrùm ſint neceſſariæ facultates externæ

D cognoſcitiuæ?

§. I.

Omnem externam facultatem exterminare contendit.

NVllam dari externam facultatem cognoſcitiuam, ſed tantum reperiri organa quinque externa diuerſa, mediis quibus diuerſorum obiectorum ſenſibilium deferuntur ſpecies in cerebrum, in quo reſident cognoſcitiuæ facultates, quæ mediis ſpeciebus per organa delatis ſuorum obiectorum cognitionem efficiunt, videtur probabilius iudicari à Manardo *lib. 6. epiſt. vltim.*

E Primò: quia id videtur doceri à Galeno, dicit enim: *lib. 10. de vſu partium c. 14 Nam quod ſenſus omnes cerebrum excipiat, eſt neceſſe confiteri, alioquin neque aurium, aut lingua neruis, neque etiam omnium aliarum animalis partium ad vnum principium videbimus reduci:* & *lib. 8. de vſu partium* c. 6. dicit: *At nihil ipſius alterationis aſſequeremur niſi imaginatio, ratiocinatio, & memoria eius alterationem ſentiat:* Ergo ex Galen. in ſolis potentiis in cerebro exiſtentibus fit obiectorum cognitio.

Probatur 2. Obſtructis neruis, per quos ſpecies viſibiles deferuntur in cerebrum, ſiue reliquorum obiectorum externorum ſpecies, nulla fit viſio, ſeu externi

externi obiecti cognitio: ergo quia in organis exter- A
nis non datur cognoſcitiua facultas.

Dices: Quòd non fit viſio, quia deficit ob obſtru-ctionem in oculo, vel in reliquis organis, debita diſpoſitio, quæ completur per qualitatem illuſtratiuam, quæ deberet à cerebro communicari.

Contrà: poteſt per aliquod tempus ſufficiens influxus permanere, & illa in oculo ab extrinſeco ſuppleri, & ſpiritus animalis in oculo perdurare, & licèt non pertranſeat ſpiritus, ſaltem communicati illuſtratiua qualitas: ergo defectu tantùm facultatis deficit actio ſenſitiua in organo exteriori.

Probatur 3. Facultates cognoſcitiuæ, ex Ariſt. c. 5. B
lib. 2. de anima, ex Auer. 7. *phyſicor.* ex D. Thom. 1. *p. q.* 79. ſunt actiuæ, concurruntque efficienter ad ſenſationem eliciendam: ſed exteriores ſenſus, ſeu organa eorum ſolùm ſe habent paſſiuè reſpectu obiectorum: ergo organa ſenſuum externorum ſolùm paſſiuè recipiendo ſpecies ſe habent, ſine eo quòd reperiatur in illis aliqua facultas cognoſcitiua. Probatur ex Ariſtot. *ſect. 31. problem. q. 12. & 13.* qui agendi vim denegat, dicens, quòd facultas cognoſcitiua non eſt magis actiua, quàm intellectus agens: ergo ſolùm ſe habent paſſiue facultates externæ cognoſcitiuæ.

§. II. C

Facultatum externarum neceſſitatem demonſtrat.

RESoluendum: Admittendas eſſe externas facultates actiuas cognoſcitiuas, quæ obiecta omnium ſenſibilium cognoſcant. Hæc eſt communis doctrina apud Ariſt. *lib. 2. de anima*, & eius Commentatores, apud Auicen. *fen. 1. 1. doct.* 6. quem ſequitur Medicorum conſenſus, præcipuè Vall. *lib. 2. controu. cap.* 28. Petrus Garc. *fen. 1. diſp.* 47.

Probatur 1. Ex Gal. *lib. de cauſis ſymptomat. c.* 8. dicit enim: *Quippe cuicumque ſenſui alteratio ab his, quæ ſentiuntur, perficitur in ſingulis inſtrumentis, ea autem ſentiens fit ipſa, quæ alteratur particula accipiens à cerebro facultatem ad ipſam per neruum venientem &c.* Ergo. D

Probatur 2. Quælibet pars organica noſtri corporis ex Galen. habet aliquas partes vſum præſtantes ad actionem eliciendam, & alteram particulam determinatam, à qua efficienter principaliter actio elicitur: ſed oculus pro viſione, auris pro auditu, lingua pro guſtu, v. g. ſunt partes organicæ perfectiſſimæ conſtructæ ex diuerſis particulis: ergo in illis dantur partes ad vſum conducentes, & particula actionis elicitiua efficienter, in qua inhæret facultas actiua ſuæ ſenſitiuæ actionis elicitiua.

Probatur 3. Oculus, & reliquæ inſtrumentales partes deſeruientes pro cognitione obiecti viſibilis, audibilis, guſtabilis, odorabilis, & tangibilis, ſunt E
conſtructæ ex diuerſis, variiſque particulis, vel vt proprij obiecti ſolùm recipiant ſpecies, & ſint medium, per quod deferantur ad cerebrum; vel vt mediis illis ſui obiecti cognitionem eliciant: ſed non ſolum ad ſpeciei receptionem: ergo, vt in illis inhæreat cognoſcitiua facultas, mediâ quâ eliciatur in organo illo obiecti cognitio. Probatur minor, pro deferendis, & recipiendis ſpeciebus vſque ad cerebrum ſufficit poſt prædicta organa neruus, quo vlteriùs feruntur: ergo non ſunt neceſſaria prædicta organa ad ſolam receptionem ſpecierum.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. negatur conſequentia: Quia Galen. ſolùm intendit, quòd obiecta, quæ percipiuntur à ſenſibus exterioribus, ſeorſim cerebrum recipiat, & vna ſola potentia cognoſcat, & recipiat. In ſecundo verò loco, ſic intelligendus, quòd cùm ſenſibilia obiecta poſſint dupliciter cognoſci, vel ſimplici cognitione, vel per iudicium conferendo, vel diſtinguendo illud obiectum ab alio, hoc ſecundo modo nullius alterationis haberemus cognitionem ſine internis potentiis.

Ad vltimam replicam ſecundi reſpondetur: Quòd obſtructis neruis, breui tempore reſolutis ſpiritibus deficit diſpoſitio in oculo, neque poteſt ratione impedimenti aliqua qualitas communicari, quæ ſit diſpoſitio; ſi autem communicetur aliqualis portio, fiet, licèt diminutè in oculo viſio.

Ad 3. diſtinguo minorem: Solùm ſe habent paſſiuè reſpectu obiectorum, quatenus recipiunt ſpecies ab illis, concedo: quatenus mediis ſpeciebus eliciunt obiectorum cognitionem, nego minorem. Facultates enim externæ cognoſcitiuæ dicuntur actiuæ, quia efficienter ſui obiecti cognitionem eliciunt, & etiam dicuntur paſſiuæ, quia ſpecies ab obiecto recipiunt, & in hac conſideratione paſſiuam potentiam vocauit, viſiuam Ariſtoteles.

Resolvtio II.

Quid ſit facultas externa cognoſcitiua?

§. I.

Statuitur diffinitio.

REſoluendum: Quòd facultas externa cognoſcitiua eſt potentia animæ ſenſitiuæ cognoſcitiua, obiectum ſuum externum ſine præcurrente alia facultate percipiens, & iudicans. Deducitur ex communi Philoſophorum, & Medicorum conſenſu, qui in hunc finem huiuſmodi facultatis neceſſitatem admittunt, ex qua definitione ſequitur, reiiciendam eſſe opinionem aſſerentium huiuſmodi facultates paſſiuas eſſe potentias tantùm; quorum placitum impugnauit D. Thom. *1. part. q. 79. art. 3. & q. 9 de ſpiritualibus creaturis, art.* 10. Caietanus *lib. 2. diſt.* 3. Thienſis, & Nimphus, & communis Philoſophorum numerus, ex Medicis Petrus Garcia *in fen. 1. 1. diſp. 41. tom. 1. part. 5. claſ.* 4. Sennertus *lib. 1. inſt. c.* 12. & alij.

Resolvtio III.

Quotuplex ſit facultas externa cognoſcitiua?

§. I.

Ex aliquibus plures annumerantur externæ facultates.

APollinar. *lib. 2. de anima quæſt.* 13. Ianduuus *eodem lib. q.* 16. decem facultates externas: in quouis organo externo duas, alteram paſſiuam, alteram actiuam admittunt. Tùm quia ſicut intellectus eſt duplex, agens, & patiens, ſimiliter & quæcumque cognoſcitiua facultas. Tum quia vna, & eadem entitas non valet ſimul pati, & agere. Tum quia ex Ariſtot. cuilibet potentiæ paſſiuæ alia actiua correſpondet. Ex alia verò parte ad contractiorem numerum

numerum reduci debere ſuadet, quod facultates, cùm ſpecificentur ab obiecto, penes ſpecificam diuerſitatem illius differunt ſpecie: ſed obiectum externum cognoſcibile à facultate cognoſcitiua externa eſt triplex: ergo facultas cognoſcitiua externa eſt triplex. Probatur minor, ex Ariſtot. *lib. 2. de anima c. 6. text. 63.* vbi ſic ait: *Dicitur autem ſenſibile tripliciter, quorum duo dicimus per ſe ſentire, vnum autem ſecundùm accidens; duorum autem aliud quidem proprium eſt vniuſcuiuſque ſenſus, aliud autem commune omnium*: Ergo triplex tantùm datur ſenſibile proprium aut per accidens commune.

Præterea facultas pro guſtu non differt à tactu: ergo pauciores ſaltem quàm quinque debẽt aſſignari externæ facultates. B Probatur antecedens, ex Ariſt. *lib. 2. de partibus animal. c. 10. & de anima lib. 2. c. 10.* vbi guſtabile non differre iudicat à tangibili.

§. II.

Cum Ariſt. communis amplectitur opinio.

RESoluendum: Quinque dari facultates externas videndi, audiendi, guſtandi, olfaciendi, tangendique principia. Sic tenet Ariſtot. *lib. 3. de anima.* D. Thom. *1. p. q. 78. art. 3.* Galen. *lib. de differ. ſymptomat. c. 3. lib. 7. de placitis c. 5.* Auic. *lib. 6. natural. p. 1. c. 5.* Petrus Garc. *fen. 1. 1. diſp. 41.* C Duncanus *lib. 1. phyſiolog. cap. 16.* Santa-Cruz *in fen. 1. 1. opuſc. 9. c. 32.* Sennertus *tom. 1. inſtit. c. 12.* Vacindæus *lib. phyſiolog. ſect. 6. c. 8.* & eſt communis conſenſus Philoſophorum, & Medicorum.

Probatur 1. Tot debent admitti potentiæ externæ cognoſcitiuæ, quot ſunt organa externa à natura pro illis deſtinata: ſed quinque organa externa oculus, auditus, lingua, nares, & nerui partes ſunt deſtinatæ pro his potentiis tanquàm organa propria: ergo quinque ſunt externæ facultates cognoſcitiuæ. Probatur minor; illud eſt organum propriè deſtinatum pro facultate cognoſcitiua cuiuſlibet obiecti externi cognoſcibilis, in quo fit ſenſatio, ſi ipſum eſt debitè diſpoſitum, & conformatum, obiectum ſenſibile debitè approximatum, & medium benè diſpoſitum: ſed cum his D conditionibus in quouis organo ex quinque dictis proprij obiecti fit ſenſatio: ergo in quouis horum inhæret ſenſitiua externa facultas. Probatur 2. Ratione adducta à D. Thom. *1. p. q. 78. art. 3.* tot ſunt admittendæ facultates externæ, quot ſunt modi diuerſi, quibus obiecta externa cognoſcibilia poſſunt immutare potentias ſecundum realem, vel intentionalem alterationem: ſed huiuſmodi obiecta alia immutant ſolùm intentionaliter, quale obiectum viſibile, alia intentionaliter & reali alteratione immutant, quæ ſi intentionaliter, ex parte obiecti medio motu locali immutant auditum; ſi intentionaliter, & realiter ex parte obiecti, eſt obiectum odorabile; ſi intentionaliter, & realiter immutet ex parte organi ad qualitatis alterantis realiter E perceptionem, fit obiectum tactus; ſi ad perceptionem alterius qualitatis, qualiter alterat humiditas ad perceptionem ſaporis, eſt obiectum guſtus: ergo quinque externæ facultates ſunt admittendæ.

§. III.

Ad dubitandi rationes adducuntur ſolutiones.

AD primum philoſophandi modum reſpondetur intellectum agentem nudare ſpecies à materialitate, non enim niſi ſpirituales eas valet recipere, ſicut poſſunt ſenſitiuæ potentiæ, quæ ideò aliis agentibus non indigent, neque eſt inconueniens quòd reſpectu diuerſorum potentia patiatur recipiendo ſpe- A ciem, & cum illa agat cognoſcendo obiectum. Quòd cuilibet potentiæ paſſiuæ correſpondeat potentia actiua, ſic intelligendum, quòd in eo quod paſſiuam habet potentiam, vt fiat tale, ideò eſt, quia in aliquo eſt potentia actiua, quæ fiat; non verò quòd cum actiua potentia ſemper ſit alia paſſiua coniuncta.

Ad fundamentum imminuens numerum reſpondetur: Quòd ſenſibile eſt triplex, obiecta verò ſenſibilia externa, quæ valent diuerſo modo immutare potentias, vt probauimus, ſunt quinque, quorum quodlibet vno ex tribus modis valet potentiam immutare; vel tanquàm ſenſibile proprium, vel tanquam per accidens, vel tanquam ſenſibile commune.

B Ad vltimum reſpondetur: Quòd guſtabile, & tangibile conueniunt in hoc, quòd prouenit immutatio ex parte organi, requiritur enim in vtroque realis alteratio, modus tamen immutandi per intentionales qualitates eſt diuerſus ab obiecto vt tangibili, vel vt ſaporoſo, ſapor enim non vt calidum, aut frigidum, ſed vt dulce, aut amarum immutat.

RESOLVTIO III.

C Vtrùm cuicumque externæ facultati debeatur organum diuerſum ob exceſſum diuerſarum partium elementalium.

§. I.

Sancitur, & comprobatur Galeni opinio.

RESoluendum: Quòd organa quinque ſenſuum externorum differunt penes diuerſam miſcellam partium materialium elementalium, igneæ in organo pro viſu, aëreæ in organo pro auditu, terreæ pro tactu, aqueæ pro guſtu prædominent, & æqualiter omnes ſe habeant pro odoratu. Sic docuit Plato *in dialogo de natura*, quem ſequutus eſt Galen. *lib. 7. de placitis c. 7.* Vall. *lib. 2. controu. c. 25.* Petrus Garc. *in fen. D 1. 1. diſp. 41.*

Ratio fundamentalis eſt: Quia inſtrumenta, & organa, in quibus reſident ſenſus externi debent eſſe in modo ſubſtantiæ, & in partium materialium commixtione proportionata cum modo ſubſtantiæ, & commixtione ſuorum obiectorum: ſed iuxta hanc proportionem partium materialium ſunt obiecta harum facultatum commixta: ergo ſimiliter, & organa illarum. Probatur minor, obiectum viſus completur per lucem, quæ ex igneis partibus reſultat, obiectum auditus non niſi in aëreo eſt corpore, obiectum guſtus ſine humido non ſentitur, obiectum tactus niſi vt terreſtre non perficitur, obiectum verò olfactus, cùm E à nullo harum partium fiat prædominio, ex partium moderatione, non enim niſi in vapore eſt, & vapor medius eſt inter aquam, & aërem, ideóque in his temperatum.

Huc huius reſolutionis fundamentum deſumpſit ex Gal. Valleſius, qui aliquibus obiectionibus in illum ex Ariſt. deſumptis, ſatisfacit, quas latiùs proſequitur Carreirus loco citato. De his latiſſimè Philoſophi in *lib. de anima* diſputant quæcumque ad medicam ſpeculationem ſpectant, in quos relegandi auditores medici, qui in phyſicis inſtructi ſunt.

SECTIO

A

SECTIO VI.

De facultatibus rectricibus.

RECTRICES dicuntur facultates internæ cognoſcitiuæ, quæ circa ſenſibile obiectum ſeptem eliciunt actiones. Prima tribuitur ſenſui communi, qui omnia obiecta à quinque externis ſenſibus cognita cognoſcit in eorum præſentia ipſa inter ſe diſcernens, viſibile ab odorabili diſtinguens. Secunda actio tribuitur Phantaſiæ, quæ externorum ſenſuum obiecta etiam abſentia cognoſcit, & diſcernit. B Tertia actio tribuitur imaginationi, quæ ex rebus ſimpliciter apprehenſis compoſitam elicit cognitionem, qua aureum cognoſcit montem. Quarta actio tribuitur æſtimatiuæ, ſeu cogitatiuæ, quæ media inſenſata ſpecie obiectorum percipit conuenientias, & diiudicat diſconuenientias, hæc in oue lupi, in pullo milui inimicitiam diſcernit. Quintum munus tribuitur memoriæ, quæ res ſic cognitas retinet cum aliquã differentia temporis, loci, perſonæ. Sexta actio particulari rationi tribuitur, per quam homo excedit bruta, plura cognoſcens ſingularia propter aliorum ſimilitudinem, & cognitionem. Septima actio reminiſcentiæ tribuitur, quæ recordatur rerum præteritarum quodam quaſi diſcurſu, & indagatione, in memoriam reuocando, C quæ aliquantulum exciderant ob nexum connexionis. Quarum actionum inquiremus in hac diſputatione elicitiuas facultates.

RESOLVTIO I.

Vtrùm ſint animali neceſſariæ rectrices potentiæ?

§. I.

Stoïcorum, & Pythagoricorum fulcitur opinio. D

SToici quinque externos ſenſus tantùm admittunt, quos per corpus ſparſos ſufficere pro omnium obiectorum cognitione tenent: Pythagorici verò imaginationem admittunt in ſolo homine, non tamen ab intellectu ipſam diſtinguunt.

Primò ſuaderi poteſt: quia facultates cognoſcitiuæ ſolùm requiruntur pro cognitione obiectorum ſenſibilium: ſed nullum eſt obiectum externum ſenſibile, quod ab aliquo externo ſenſu non cognoſcatur: ergo nullus internus ſenſus requiritur.

Secundò: anima ſine propriis facultatibus non poteſt reperiri, cùm ſint illi propriæ paſſiones: ſed anima ſenſitiua poteſt ſine quacumque interna facultate reperiri; ergo facultates rectrices non ſunt ne- E ceſſariæ animali. Probatur minor, anima ſenſitiua dat eſſe embryoni, Lumbricibus, Vermibus, Conchiliis, & aliis quamplurimis, quæ neque internas exercent aliquas actiones rectrices, neque aptam habent conformationem pro illis: ergo poteſt anima ſenſitiua ſine illis reperiri.

Tertiò: ſi facultates rectrices eſſent animali ex vſu, ideò, vt per illas cognoſcat vtile, quod proſequatur, & inutile, quod fugiat: ſed ſolo inſtinctu naturæ in vtile fertur, & inutile fugit, ſicut & vegetabilia vtilia attrahunt, inutilia reſpuunt: ergo in hunc finem internæ cognoſcitiuæ facultates animali non ſunt neceſſariæ.

A

§. II.

Ariſt. Platonis; communiſque ſtabilitur ſententia.

REſoluendum affirmatiuè. Sic Plato in Thæteto poſt medium, Ariſt. *lib. 3. de anima, text. 31. & 57. lib. 1. metaph. c. 1 lib. 2 de anima, text. 20. lib. de ſomno, & vigilia, ibid.* Auerr. & reliqui Commentatores, & D. Thom. 1. *part. quæſt. 78. & 54.* Gal. *lib. de placitis, & lib. de cauſis ſymptomatum*, hos ſequitur communis Theologorum, Medicorum, & Philoſophorum aſſenſus.

B Probatur 1. Quia in homine fit plurium intellectio, quæ non præceſſerunt in obiectis externis: ergo eorum cognitio præceſſit ſaltem in internis ſenſibus, ex Ariſt. enim nihil eſt in intellectu, quod non præceſſerit in ſenſibus.

Probatur 2. Præter actus ſenſuum externorum reperiuntur aliæ actiones ſenſitiuæ cognoſcitiuæ: ergo præter externas potentias ſunt aliæ potentiæ internæ cognoſcitiuæ. Patet antecedens; tum quia obiecta externa cognoſcimus in eorum abſentia; tum quia illorum conuenientiam, & diſconuenientiam diſcernit animal; tum quia inter obiecta externa diſcernit animal diuerſitatem, aut proportionem, quæ omnia à nullo externo ſenſu perficiuntur: ergo cùm non niſi in præſentia obiecti per ſenſatas ſpecies, & tantùm C circa ſui determinati obiecti ſphæram valeant operari: ergo ad has actiones internæ potentiæ ſunt animali neceſſariæ.

Probatur 3. Animalia plures exercent actiones à nullo externo ſenſu attingibiles: ergo eas exercent mediis internis cognoſcitiuis potentiis. Probatur antecedens ex plurium animalium ſolertia, motum ſagacitate, pro aliquibus artibus aptitudine, & diſciplina, & quia vt notauit Ariſt. *lib. 9. de hiſtoria animalium, cap. 7.* quodammodo videntur intelligentiæ habere rationem: ſed omnes iſtæ actiones differunt ab actionibus externorum ſenſuum: ergo.

D

§. III.

Enodatio argumentorum.

AD 1. diſtinguo minorem: Nullum eſt obiectum, quod non cognoſcatur ab aliqua externa facultate eo modo quo petit cognoſci ab illa, concedo: eo modo, quo vlla eius cognitionem poteſt percipi à facultate interna; nego minorem. Perfectior enim cognoſcendi modus, quo ab interna facultate cognoſcuntur obiecta externa, non niſi ab interiore potentia fit, de quo infrà.

Ad 2. negata minori, diſtinguo antecedens: Anima dat eſſe embryoni, & aliis, quæ nec internam potentiam habent, neque aptam diſpoſitionem pro illa, ita perfectas, ſicut quæ reperiuntur pro perfectioribus animalibus, concedo: cum tali perfectione quali requiritur pro actionibus ita imperfectorum animalium, E nego antecedens. Vt enim docet Ariſtot. *lib. 4. de partibus animal. c. 15.* licèt pars pro capite adaptata in imperfectioribus animalibus non ſit perfectiſſima, eſt tamen apta pro potentiis, & actionibus cognoſcitiuis imperfectorum animalium.

Ad 3. diſtinguo minorem: Sufficit naturæ inſtinctus, ſi ſumatur pro propenſione in obiectum orta ex tali, vel tali diſpoſitione, nego minorem: ſi ſumatur pro propenſione in obiectum cognitum vt conueniens, concedo minorem. Dupliciter enim ſumitur naturæ inſtinctus, vno modo pro propenſione in aliquod obiectum orta ex tali, vel tali diſpoſitione

tione, vel organizatione, quæ non eſt ſpeciei communis, ſed induiduo habenti illam; & huiuſmodi naturæ inſtinctus, ſicut non eſt communis omni animali, ita neque ſufficiens, vt animal cum ſolo illo poſſit ferri in vtile, & vitare inutile; alio modo ſumitur naturæ inſtinctus pro propenſione in rem cognitam, vt conuenientem, ſicut puer fertur in lac, & hoc non datur ſine cognoſcitiuæ internæ facultatis actione.

Resolvtio II.

Quid ſit facultas interna cognoſcitiua?

§. I.

Rectricis facultatis aperitur natura.

RESoluendum: Quòd virtus interna cognoſcitiua eſt facultas corporea, vitalis, cognoſcitiua modo eleuatiori obiectorum ſenſuum externorum. Dicitur potentia, & etiam operationum principium; ea Ariſt. enim *c. de qualitate*, ad ſecundam ſpeciem qualitatis pertinet. Corporea eſt, quia corporeæ ſenſitiuæ animæ eſt inſtrumentum coniunctum, & quia materialia tantùm, ſenſibiliaque obiecta attingit. Vitalis eſt, quia inſtrumentum eſt coniunctum ſolius principij vitalis, & quòd vitale conſtituit Ariſt. *lib. 2. de anima text. 13.* C *Multipliciter*, inquit, *ipſo mouere dicto; ſi vnum tantummodo horum inſit, viuere ipſum dicimus, vt intellectus, & ſenſus, & motus ſecundum locum & alimentum.* Dicitur obiectorum ſenſuum externorum cognoſcitiua, quia interni ſenſus in cognitionem externorum ſenſuum obiectorum ſunt condeſtinati, vt animal, & in præſentia, & in abſentia, conuenientia, & diſconuenientia cognoſceret, proſequeretur, aut fugeret.

Resolvtio III.

Vtrùm vnica virtus internas omnes eliciat operationes?

D

§. I.

Antiquorum patrum teſtimonio, & modernorum aſſenſu fulcitur pars affirmatiua.

VNicam tantùm facultatem internam diuerſa exercere munera, ſeptemque diuerſas efficere internas actiones, iuxta quarum diuerſitatem diuerſas habet denominationes, diuerſiſque ab Authoribus inſignitur nominibus tenet D. Auguſtin. *de libero arbitrio cap. 3. & 4.* D. Gregorius Magnus *lib. 11. moralium cap. 4.* Rubius *lib. 3. de anima cap. 3. q. 2.* Gueuara *lib. 1. tract. 7. cap. 2.* Alenſis 2. *p. q. 70. membro 1.* Plotinus *lib. vltim.* Lyneſius *lib. de inſomniis c. de poteſtate phantaſia.*

E Primò poteſt ſuaderi: quia facultates, cùm ſint accidentia, debent individuari à ſubiecto, in quo inhærent, vt deducitur ex Ariſt. *lib. 5. metaphyſica c. 7. & lib. 7. c. 10.* Sed totum cerebrum, quod eſt ſubiectum inhæſionis facultatis rectricis, eſt vnum: ergo vna ei inhæret facultas.

Dices: quòd ſunt in cerebro plures ventriculi, & partes diuerſæ, in quibus diuerſæ etiam inhærent internæ facultates.

Contra: quacumque parte cerebri læſa, læduntur omnes internæ operationes: ergo quia ſecundùm illud totum inhærent internæ facultates. Probatur

A antecedens in cathoco, & ſopore, in quibus parte anteriori læſa, læduntur omnes internæ operationes; in paralyſi, læſa altera cerebri parte, actiones internæ vitiantur, & vulnere accepto, vt *lib. 8. de vſu partium.* obſeruauit Galen. contigiſſe Smyrnæ in Ionia, omnes internæ actiones læduntur: ergo quacumque parte cerebri læſa, læduntur internæ operationes.

Secundò: facultas interna requiritur pro perfectiori cognitione obiectorum ſenſuum exteriorum: ſed ab vnica interna facultate, ſcilicet ſenſu communi omnia obiecta ſenſuum externorum perfectiori modo cognoſcuntur, quam ab externis potentiis: ergo ſolus is ſenſus ſufficit pro actionibus internis.

B Tertiò; facultates ſpecificantur ab obiecto: ſed vnum eſt obiectum, circa quod fiunt omnes internæ actiones cognoſcitiuæ: ergo vna eſt interna facultas cognoſcitiua. Probatur minor: obiectum circa quod fiunt internæ cognitiones, eſt ſenſibile externum, prout abſtrahit à præſentia, aut abſentia obiecti: ſed hoc vt tale eſt vnum: ergo obiectum pro internis actionibus eſt vnum.

§. II.

Facultatum rectricium multiplicitas ſancitur.

C RESoluendum: Plures internas facultates rectrices eſſe admittendas. Sic tenet Fonſeca *lib. 5. metaphyſica cap. 28. q. 7. ſect. 4.* quem ſequuntur Conimbricenſes *lib. 3. de anima cap. 3. quæſt. 1. artic. 3.* duos admittentes ſenſus, communem, & phantaſiam: tenet Galen. *lib. de differ. ſymptomat. capite 3.* Niſenus *lib. 4. de viribus animæ cap. 6. & 7.* D. Nemeſius *capite 6. de natura hominis*, Valles *lib. 2. controuerſ. capite 22. & 23.* Communiorque Medicorum pars admittentium ſenſum communem, imaginatiuam, & memoriam, tenet D. Thom. *opuſc. 43. cap. 4. & 1. part. q. 78. art. 4.* Caiet. ibidem, Auerr. *in lib. 3. de anima comm. 6.* Ferrarienſis *q. 4.* Et plures in ſchola D. Thomæ, qui quatuor admittunt rectrices facultates ſenſum communem, phantaſiam, imaginationem, æſtimatiuam, ſiue

D cogitatiuam, & memoriam, tenet Auicen. *lib. 6. naturalium p. 4. cap. 1.* Algacelus *lib. de anima tract. 4. cap. 4.* Gandauenſis *lib. 2. de anima q. 57.* Albertus Magnus *lib. 2. de anima tract. 4. cap. 7.* qui ſenſum communem, phantaſiam, imaginatiuam æſtimatiuam, & memoriam admittunt, licèt vires iſtas ordine alio alij, quàm alteri collocent: hos ſequuntur plerique ex Auicennæ Commentatoribus.

Probatur: Si vnica eſſet tantùm interna facultas, læſâ vnâ eius operatione, læderentur & reliquæ, cùm non ſit maior ratio: ſed vnâ læſâ internâ cognoſcitiuâ actione, poſſunt reliquæ non lædi: ergo quia facultates, à quibus fiunt, ſunt diuerſæ. Probatur minor ex Galen. *lib. de ſymptom. differentiis capite 3.* vbi imaginandi vim lædi poſſe, reliquis illæſis, demon-

E ſtrat in Theophilo medico, qui cùm rectè reſponderet ad interrogata, imaginatus eſt tibicines audire in angulo domus, & continuò exclamabat, vt eiicerentur foras; *& lib. 4. de locis affectis c. 4.* demonſtrat æſtimatiuam poſſe lædi, reliquis potentiis rectè ſe habentibus, exemplo cuiuſdam Romani ciuis, qui ſurgens ex lecto ad feneſtram, & oſtendens vitrea vaſa inquirens an proiiceret? proiiciebat; & puerum aſſumens inquirens an proiiceret? proiecit; quia annuebant ei: & memoriam ſine reliquarum actionum læſione lædi demonſtrauit Gal. *lib. de differ. ſymptom. c. 7. & lib. 2. de cauſis ſymptom. c. vltim.* exemplo eorum, qui à Thucidide peſtem enumeratam paſſi ſunt, qui neque

neque alios, neque ſe ipſos cognoſcebant, reliquis A
internis potentiis rectè ſe habentibus: ergo poteſt
lædi vna actio interna, reliquis illæſis, nec minus patebit
hæc veritas ex nuper dicendis.

§. II.

Fit ſatis argumentis.

AD 1. diſtinguo conſequens: Ergo vna ei inhæreat facultas numerica ſub qualibet ſpecie, conncedo: ſub diuerſis ſpeciebus, nego conſequentiam. Quia licèt repugnent plura inhærere accidentia ſolo numero diſtincta in vno ſubiecto, non tamen ſi differant ſpecie.

Ad 2. diſtinguo conſequens: Ergo ſufficit ſenſus communis pro cognoſcendis prædictis obiectis, mo- B
do quo cognoſcuntur ab externis ſenſibus, concedo: eo modo quo cognoſcuntur à reliquis internis potentiis cognoſcitiuis nego conſequentiam. Perfectior cognoſcendi modus patebit ex nuper dicendis.

Ad 3. diſtinguo minorem: Vnum eſt obiectum eodem modo cognoſcibile, nego minorem: diuerſo modo cognoſcibile, concedo minorem: & hæc perfectio, quæ ſuperadditur in modo cognoſcendi, petit diuerſam potentiam, & valet ipſam ſpecificare.

Resolutio IV.

Vtrùm in cerebro ſecundùm omnes illius C
partes ſimul omnes rectrices facultates inhæreant?

§. I.

Negatiua pars proponitur, & ſuadetur.

REctrices facultates in ſpiritibus inhærere contendunt D. Nemeſius *lib. de natura hominis c.6.* & D. Damaſcenus *lib. 2. fidei cap. 19 & 20.* Quaſi non viuentia vitalium facultatum poſſent eſſe ſubiecta, Fernelius *lib. 5. phyſiolog. cap. 10.* In cerebri meningibus rectrices indicat inhærere facultates. Auic. verò
D *fen. 1. 1. doct. 6. cap. 5. fen. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 7. & cap. 11. & cap. 12.* Aëtius *tetrab. 2. ſer. 2. cap. 2.* Auerr. *in canticis. lib. de memoria, & reminiſcentia cap. 22.* in quorum ſententia loquitur D. Thom. *1. p. q. 78. art. 4. & opuſc. 43. cap. 4.* Iudicant, quòd in cerebri medullæ diuerſis ventriculis diuerſo modo inhærent facultates rectrices, ita vt ſenſus communis ſit in anteriori ventriculo, qui humidior eſt, quæ diſpoſitio eſt aptior pro ſpeciebus recipiendis; memoria verò in poſteriori, quæ ſiccior eſt, & aptior eſt pro eis retinendis; imaginatiua verò in medio, quæ temperatior eſt & caliditate aptior pro iudicio efficiendo: hos ſequitur Varandæus *lib. phyſiologiæ ſect. 6. c. 9.* Godofredus *lib. 1. c. 12.* ſequuntur & Auicenniſtæ.

E Suadetur primò: Quia actio vnius internæ potentiæ rectricis læditur, illæſa manente altera: ergo quia reſident in diuerſis partibus, aliàs ex læſione organi pro vna, reliquæ læderentur.

Secundò: quibus ſynciput prominet, & frons, hi imaginatione, & ratiocinatione valent maximè; memoria verò quibus durior eſt poſterior capitis pars: ergo quia diuerſæ in diuerſis partibus inſident vires rectrices.

Tertiò: in cerebro, vt amplectitur communis conſenſus Anatomicorum experientia conuictus, ſunt ſinus diuerſi; ergo vt in illis inhæreant diuerſæ facultates rectrices, nulla enim ſine neceſſitate talis diuerſitas, variaque conformatio ſuperueniret.

§. II.

Affirmatiua pars ſancitur.

REſoluendum: Quòd omnes rectrices facultates inhærent in quacumque cerebri parte. Tribuitur à pleriſque Galeno, ſic tenet Fernelius *lib. 5. phyſiolog. c. 10.* reſpectu meningium, Vall. *lib. 2. controu. cap. 13.* Andreas Laurent. *lib. 19. anatomicæ artis q. 2.* Petrus Garc. *in fen. 1. 1. diſp. 48. cap. 4.* Mercatus *lib. 1. de principiis part. 4. claſ. 5.* Sennertus *tom. 1. phyſiolog. c. 13.* Sancta Cruz *in fen. 1. 1. opuſc. 9. c. 19.* Fontanus *p. 1. vniuerſæ artis medicæ c. 9.* Donatus ab Altomari *lib. quòd functiones cerebri non fiant in ventriculis.* Duneanus *lib. 1. pathologiæ capit. 6.* Fuchſius *lib. 1. ſect. 6. cap. 3.*

Probatur 1. Facultates inhærent in ea parte corporis, quæ commoditatem, ſubſtantiæ modum, & debitam temperiem retinet pro operationibus eliciendis ab illis potentia, ſed in toto cerebro vna eſt temperies, ipſa commoditas pro cognoſcitiuis internis actionibus, & idem ſubſtantiæ modus: ergo eſt eadem aptitudo ad earum receptionem.

Probatur 2. Vno læſo cerebri ventriculo, omnes lædi internas operationes contingit, & quòd omnibus ventriculis læſis vna lædatur actio: ergo quia omnes facultates rectrices in omni inhærent cerebri parte. Probatur antecedens: tùm in epilepſia, in qua omnes internæ actiones cognoſcitiuæ læduntur, licèt non omnes ventriculi lædantur: tum in melancholia hypochondriaca, in qua vna actio interna læditur, licèt totum cerebrum ſit intemperatum: ergo.

Probatur 3. Si deberent eſſe in diuerſis cerebri partibus facultates rectrices, maximè, quia cùm memoria ſiccitatem, communis ſenſus humiditatem, mediámque temperiem imaginatiua pro ſuis requirant operationibus, vt cuique ſit apta temperies, debet pro qualibet diuerſa cerebri pars aſſignari: ſed in eadem cerebri parte poteſt pro his actionibus debitè eliciendis, debita reperiri harum qualitatum temperies: ergo repetiuntur in quauis parte cerebri. Probatur minor, in eiſdem partibus, in quibus reſident rectrices facultates, reſident facultates vegetatiuæ, quarum expultrix petit humiditatem, retentrix ſiccitatem, concoctrix humiditatem & calorem: ergo ſicut mixta cerebri diſpoſitio, apta eſt temperies pro his omnibus operationibus, ſimiliter pro actionibus rectricum facultatum.

§. III.

Fit ſatis pro argumentis.

AD 1. negatur conſequentia: Quia in eadem parte coadiuuat pro actionibus diuerſis diuerſa partis temperies, quæ poteſt intemperari verſùs vnam qualitatem pro actionibus potentiæ, quæ per illam operatur, non verò reliquæ pro actionibus, in quas conducunt.

Ad 2. negatur conſequentia: Quia in diuerſis partibus cerebri poſſunt diuerſæ reperiri qualitates excedentes magis ad hanc, quam illam conducentes actionem, etiam ſi ſint facultates in quacumque parte, quia potius hæc, quàm illa qualitas conducit pro ſuis actionibus.

Ad 3. negatur conſequentia: Sunt enim ventriculi propter ſpirituum animalium generationem, & in quouis illorum poteſt aptior reperiri temperies pro actionibus alicuius facultatis, etiam ſi omnes in omnibus reſideant partibus.

Resolvtio V.

Vtrùm ſenſus communis ſit facultas alia à reliquis ſectricibus?

§. I.

Galen. & aliorum refertur, & ſuadetur opinio.

Pars negatiua docetur à Galen. qui *lib. de differ. ſymptomat. cap. 5. lib. 1. de præſagatione 26. lib. 4. de locis cap. 1. lib. 7. de placitis cap. 8. lib. 8. de vſu partium cap. 6.* tres tantùm admittit internas potentias, imaginatiuam, cogitatiuam, & memoriam, quem ſequuntur. Vall. *lib. 2. contron. cap. 22.* Segarra *in lib. de facultatib.* Peramatus *cap. 13.* Mercatus *p. 5. claſ. 4. art. 1.*

Primò ſuadetur: Tot ſunt potentiæ cognoſcitiuæ internæ, quot ſunt poſſibiles læſæ operationes earum: ſed vt apparet in deliriis, in paralyſi affectis, & in comatoſis ſolùm læduntur actiones alicuius ex annumeratis potentiis: ergo nulla alia admittenda.

Secundò: ſi ſenſus communis eſſet ſuperaddendus, maximè vt ipſe omnium ſenſuum externorum valeret
C percipere obiecta: ſed omnia obiecta ſenſibilia externorum ſenſuum ſufficienter percipiuntur per externos ſenſus, vt poſſint media eorum cognitione percipi ab internis reliquis facultatibus: ergo ſenſus communis non eſt ſuperaddendus.

Dices: quòd ſenſus communis eſt neceſſarius, quia commune eſt omnibus cauſis particularibus, quòd pendeant ab aliqua communi cauſa, & cùm ſenſus externi ſint cauſæ particulares cognoſcitiuæ obiectorum particularium, dependent à ſenſu communi tamquam à cauſa vniuerſali omnium obiectorum externorum cognoſcitiua.

Contra: etiam ſi ſenſus externos deberet ab aliqua communi cauſa dependere, poteſt ſine ſenſu communi ſaluari huiuſmodi dependentia, cùm omnes dependeant ab anima tanquam à prima radice: ergo propter
D hanc dependentiam non eſt neceſſarius.

Tertiò: quælibet potentia cognoſcitiua conſtituitur vt diuerſa ab alia, & in ſe, vna per determinatum ſibi aliquem modum tendendi in obiectum: ſed ſenſus communis non poteſt habere aliquem modum ſibi proprium tendendi in obiecta extrinſeca: ergo non eſt ſenſus diſtinctus ab aliis. Probatur minor, ſenſus communis non poteſt tendere in obiecta ſenſuum externorum, niſi vt ſunt præſentia: ſed vt talia, quodlibet habet diuerſum modum immutandi potentiam ſibi propriam: ergo non poteſt ſenſus communis tendere in eorum omnium cognitionem per aliquem modum ſibi proprium tendendi.

E

§. II.

Pars tenenda reſoluitur.

Reſoluendum: Senſum communem eſſe facultatem ſectricem ſpecie ab aliis internis diſtinctam. Sic tenet Ariſt. *lib. de ſomno, & vigilia cap. 2. lib. 3. de anima c. 2.* D. Thom. *in lib. 3. de anima lect. 3. & 1. p. q. 78. art. 4. & q. 57. art. 2.* tenet Varand. *lib. phyſiolog. ſect. 6. cap 9.* Schnettus *tom. 1. c. 13.* Sancta-Cruz *in ſen. 1. t. epuſc. 9.*

Probatur 1. Ex Ariſtot. *lib. 3. de anima cap. 2.* inquit enim: *Quoniam autem album, & dulce, & vnumquodque ſenſibilium ad vnumquodque comparando diſcernimus, & ſentimus, quòd differunt, neceſſe igitur ſenſu, ſenſibilia enim ſunt, &c.*

A Dices: quòd ſenſus externus eſt neceſſarius, à quo cognoſcuntur, & diſcernuntur.

Contra: requiritur ſenſus, qui diſcernat circa obiecta quinque ſenſuum externorum: ergo requiritur vnus ſenſus, qui omnia illa cognoſcat, impoſſibile enim eſt, vt Ariſtot. docet, ea diſcernere, quæ non cognoſcimus: ſed nullus ex ſenſibus externis vltra ſuum proprium, & determinatum obiectum cognoſcit: ergo ſenſus alter internus communis, à quo omnia illa cognoſcuntur, requiritur.

Probatur 2. In animalibus non ſolùm datur notitia directa obiectorum, quæ à ſenſibus externis cognoſcuntur, ſed alia quaſi reflexâ, per quam cognoſcunt
B ſe talia obiecta percepiſſe: ſed nullus ſenſus externus poteſt ſuam ſenſationem cognoſcere, cùm non detur expreſſa ſpecies illius, nec ſit obiectum illius: viſio enim neque eſt lux, neque color: ergo percipitur ab aliqua interna potentia. Probatur maior, animal fugit à loco, in quo fuit percuſſus, & accedit ad eum in quo aliquid percepit vtile.

§. III.

Diluuntur argumenta.

C Ad 1. negatur minor: Quia in quacumque interna actione triplex genus læſionis poteſt ſuperuenire; ſicut enim poteſt hæc læſio dari in actione imaginatiuæ, quæ in abſentia obiecti ſenſibilis illud cognoſcit, & in actione cogitatiuæ, aut æſtimatiuæ, quæ conuenientiam, aut diſconuenientiam percipit, & memoriæ, & harum rerum ſpecies retinet, datur ſimiliter læſio in cognitione, qua animal percipit, & diſcernit inter obiecta externa præſentia. Galen. verò tantùm egit de læſione trium actionum internarum, quia harum læſio ſenſibilis eſt magis, & quæ ferè ſemper alteras comitatur, & ideò ex harum cognitione morboſa percipitur cerebri diſpoſitio, adæquatáque ſumitur cognitio requiſita ad curationem.

Ad 2. diſtinguo maiorem: Si ſenſus communis eſſet neceſſarius maximè vt valeret percipere obiecta
D ſenſuum externorum eo modo quo percipiuntur ab externis ſenſibus, nego: diuerſo modo ac percipiuntur ab illis, concedo maiorem. Licèt enim tam ſenſus externi, quàm ſenſus communis percipiant obiecta externa ſenſibilia præſentia ſenſus communis, omnia illa percipit, & inter illa diſcernit; quod nulli externo ſenſui datur.

Ad 3. negatur minor, quia, vt patet ex nuper dictis, amplectitur omnes modos tendendi in obiecta externa, quos diuiſiuè habent reliqui externi ſenſus.

Resolvtio VI.

E

Vtrùm phantaſia, ſeu imaginatiua ſit facultas diſtincta à ſenſu communi?

§. I.

Galeni, & aliorum refertur opinio.

Imaginatiuam, phantaſiam, & ſenſum communem eandem eſſe potentiam tenet Galen. *lib. de differ. ſymptomat. cap. 2.* Valles *lib. 2. controuerſ. c. 12. & 23.* Mercatus *tom. 1. claſ. 5.* Peramatus *lib. de facultatib. in præfatione*, Niſſenus *lib. 4. de viribus animæ cap. 6.* Suarez *tom. 2. ſummæ Theologiæ lib. 3. tract. 3. cap. 3.* Rubios *lib. 3. de anima cap. 3.*

Primò ſuaderi poteſt authoritate Ariſt. qui *lib. de memoria*

memoria, & reminiſcentia. ait; Quòd phantaſia eſt paſſio ſenſus communis: & *lib. 2. de anima text.* 162. dicit; Quòd imaginatio eſt motus factus à ſenſu in actu: ſed talis eſt ſenſus communis: ergo phantaſia non differt à ſenſu communi.

Secundò: ſi differret ſenſus communis ab imaginatiua, maximè quia ſenſus communis cognoſcit obiecta præſentia, imaginatio verò obiecta abſentia: ſed eadem potentia quæ valet obiecta abſentia cognoſcere, valet cognoſcere eadem præſentia: ergo ſufficit vna potentia in vtramque cognitionem.

Tertiò: ſenſus communis, & phantaſia habent idem obiectum, cùm omnia obiecta externa ſenſibilia cognoſcant per eaſdem ſpecies, & eodem modo: ergo ſunt eadem facultas.

§. II.

Ariſt. & D. Thomæ ſententia reſoluitur.

Reſoluendum: Phantaſiam, ſeu imaginatiuam eſſe facultatem realiter diſtinctam à ſenſu communi: Sic tenet Ariſt. *lib. 3. de anima c.* 3. D. Thom. ibidem *lect. 5. & 1. part. q. 78. art. 4. & q. de anima art.* 13. *& opuſc.* 43. ſequitur Caietanus, & illius Commentatores. Tenent ex Medicis Sennertus *tom.* 1. *c.* 13. Varand. *lib. phyſiolog. ſect.* 5. *cap.* 9. Duncanus *lib.* 1. *phyſiolog. cap.* 13.

Probatur 1. Authoritate Ariſt. dicit enim *lib. de ſomno.* Dictum eſſe in *lib. de anima*, ſenſum communem, & imaginatiuam eſſe idem ſubiecto, diſtingui tamen eſſentiam *lib. 3. cap.* 14. agit de ſenſu communi, & *cap.* 15. agit de phantaſia: ergo quia ſunt facultates diſtinctæ.

Probatur 2. Ratione deſumpta ex D. Thom. 1. *p. q.* 78. *art.* 4. Cùm animalis actio, & motus ſequatur ad apprehenſionem, non ſolùm debet dari cognitio obiectorum ſenſuum externorum, quæ fiat ab externis ſenſibus; ſed alia cognitio, quæ illa omnia dum præſentia ſunt cognoſcat, diſcernat; & comparet inter ſe: vt ſciat ſeparare vtilia ab inutilibus: ſed vlteriùs requiritur potentia quæ ipſa, & ſi abſentia diſcernat, & cognoſcat, vt ex tali cognitione ad fugam vel proſequutionem eorum poſſit moueri: ergo præter externas facultates cognoſcitiua potentia requiritur cognoſcens obiecta omnia externa præſentia, & diſcernens inter ipſa. quæ dicitur ſenſus communis; & alia diſtincta, quæ illa abſentia percipiat.

Probatur 3. Senſus communis non retinet ſpecies obiectorum in eorum abſentia, phantaſia illas retinet, & mediis illis cognoſcit obiecta abſentia: ſed inter potentiam, quæ valet obiecta abſentia mediis ſpeciebus reſeruatis cognoſcere, & inter eam, quæ non retinet ſpecies, nec abſentia valet cognoſcere obiecta; eſt realis diſtinctio: ergo realiter differt phantaſia à ſenſu communi.

§. III.

Pro argumentis adducuntur ſolutiones.

Ad 1. dicendum: Quòd Ariſt. ait quòd phantaſia eſt paſſio ſenſus communis; quia id, ad quod aliud ſupponitur, videtur eſſe illius paſſio; & ex eo quòd vnum ſit alterius paſſio, potiùs infertur, quòd ſit quid diſtinctum ab illo: dum verò dicit, quòd imaginatio eſt motus à ſenſu in actu factus, intendit diſtinguere phantaſiam à ſenſu communi, & à ſenſibus externis, quia in ſenſu communi, & externis ſenſibus non fit motus niſi præſente obiecto; at verò in phantaſia fit motus à ſenſu in actu, id eſt à ſenſu, qui ſine præſentia obiecti eſt in actu ad operandum per ſpeciem, quam habet in actu.

Ad 2. negatur conſequentia: Potentiæ enim cognoſcitiuæ differunt inter ſe penes hoc, quòd ſe excedant in ſuis actibus; non penes hoc, quòd omnino habeant diuerſos actus, ſunt enim potentiæ ſubordinatæ, quarum ſuperiores cognoſcunt perfectiori modo quidquid cognoſcunt inferiores; cùm enim cognitio fiat ab obiecto, & potentia, obiectum poteſt vniri per immiſſas ſpecies potentiæ imperfectiori, non verò alteri perfectiori, quin ipſæ ſpecies fiant perfectiores, vt ſunt expreſſæ inferioris potentiæ cognoſcitiuæ; & ideò phantaſia, quæ non poſſet cognoſcere per ſpecies immediate receptas ab obiecto; cognoſcit per ſpecies expreſſas ſenſus communis ſibi vnitas.

Ad 3. patet ex dictis: Quòd licèt obiectum ſit idem; ſenſus tamen communis non niſi præſens cognoſcit obiectum, imaginatio, ſeu phantaſia abſens etiam percipit, & modo perfectiori, quàm communis ſenſus.

Resolvtio VII.

Vtrùm facultas æſtimatiua, ſeu cogitatiua admittenda vt diſtincta à phantaſia?

§. I.

Negantium pars proponitur, & ſuadetur.

Vnam tantùm facultatem eſſe phantaſiam, & æſtimatiuam tenet Taotiſanus *lib. 2. in artem paruam, comment.* 17. ſequuntur & alij, præcipuè inter Philoſophos Fonſeca 5. *metaph. c.* 28. *q.* 7. Suarez *tom. 2. ſumma Theologiæ lib.* 3. *c.* 30. Toletus, & alij.

Primò ſuadetur: eadem potentia quæ valet cognoſcere rationes ſenſatas, valet ſimiliter cognoſcere inſenſatas: ergo non debet duplex aſſignari potentia quarum altera cognoſcat ſenſatas, altera inſenſatas rationes. Probatur antecedens, quælibet potentia valet cognoſcere rationes, quæ ab ſpecie, quæ cum illa coniungitur, repræſentantur: ſed ſpecies lupi, quæ coniungitur cum phantaſia non ſolùm repræſentat rationes ſenſatas lupi, ſcilicet albedinem, aut nigredinem, ſed etiam rationes inſenſatas inimicitiæ cum oue: ergo ſicut phantaſia valet media illa ſpecie cognoſcere rationes ſenſatas, valet ſimiliter, & inſenſatas cognoſcere rationes.

Secundò: diſtinctæ potentiæ ſpecie diſtinctum organum, quo inhæreant, petunt, vt patet in externis ſenſibus: ſed vnum eſt organum pro phantaſia, & æſtimatiua: ergo vna eſt potentia. Probatur minor, quodlibet organum diuerſam ab alio temperiem petit: ſed triplex temperies tantùm eſt in cerebro, nimis humida pro ſenſu communi, nimis ſicca pro memoria, alia temperata pro æſtimatiua, & phantaſia: ergo vnum organum pro vtraque tantùm eſt admittendum.

Tertiò: Ariſt. *lib. de anima*, agit de phantaſia, de memoria, & aliis internis facultatibus: ſed de æſtimatiua nihil docet: ergo quia illam non diſtinxit à phantaſia.

§. II.

Affirmatiua pars ſancitur, & fulcitur.

RESoluendum Affirmatiuè. Sic tenet Gal. *lib. 7. de placitis c. 8 l. 8. de vſu partium, c. 6. lib. de differ. ſympt. c. 3.* quem ſequuntur Peramatus *lib. de facultatib.* Vall. *lib. 2. contro. c. 22.* Mercatus *p. 5. claſſ. 4.* Catelcus *in fen. 1. 1. diſp. 48.* Santa-Cruz *in fen. 1. 1. opuſc. 9.* Varand. *lib. phyſiolog. ſect. 6. c. 9.* & communis Medicorum aſſenſus, docet D. Thom. 1. *part. q. 78. art. 4. opuſc. 43. c. 4.* Quem ſequuntur ſui Commentatores.

Ratio fundamentalis deducitur ex D. Thom. Quia admittenda eſt in animali potentia cognoſcens inſenſatas rationes, vt in multis demonſtrat experientia, quæ ideò obiecta proſequuntur conuenientia, & diſconuenientia fugiunt: ſed hæc cognitio non poteſt tribui phantaſiæ: ergo alteri debet tribui potentiæ, quæ æſtimatiua vocatur. Probatur minor; nam phantaſia immutatur per rationes ſenſatas, tantúmque percipit obiecta mediis ſpeciebus repræſentantibus obiecti vt ſenſibilia: ergo hæc cognitio non poteſt tribui phantaſiæ.

Dices: quòd obiectum phantaſiæ eſt obiectum cognoſcibile, ſiue vt ſenſibile per ſpecies ſenſatas, ſiue vt inſenſibile per inſenſatas ſpecies.

Contra: maiorem includit perfectionem in modo cognoſcendi potentia, quæ occultas rationes cognoſcat per ſpecies inſenſatas reſpectu potentiæ, quæ obiecta ſenſibilia cognoſcit per ſpecies ſenſatas, quàm potentia, quæ cognoſcit obiecta abſentia reſpectu alterius cognoſcentis illa vt præſentia: ſed ob perfectiorem modum cognoſcendi potentia, quæ cognoſcit obiecta abſentia, conſtituitur diſtincta ab ea, quæ illa vt præſentia cognoſcit: ergo ſimiliter vt ſpecie diſtincta admittenda eſt potentia cognoſcens rationes inſenſatas, ab ea, quæ rationes percipit ſenſatas.

§. III.

Primò poſitis argumentis traditur ſolutio.

AD 1. negatur antecedens: Et ad illius probationem, diſtinguo maiorem; potentia valet cognoſcere rationes, quæ repræſentantur ab ſpecie, quæ coniungitur, ſi ſit potentia coaptata ad illam repræſentationem, concedo: ſi ſit potentia non coaptata cum potentia ad illam repræſentationem, nego maiorem. Licèt enim ſpecies, quæ ab obiecto mittitur, deferat illius repræſentationem per omnes potentias cognoſcitiuas, vt vnita vnicuique iuxta potentiæ cognoſcitiuæ aptitudinem eliciat diuerſo modo repræſentationem, ſpecies enim lupi viſi ab oue non repræſentat inimicitiam in oculo, nec in ſenſu communi; & ſimiliter nec in phantaſia, quia ad illum modum repræſentationis non ſunt coaptatæ potentiæ; benè tamen cum cogitatiua, quæ in hunc finem, vt perfectior tributa fuit animali; ſimiliter & poſtea perfectiori modo intellectui vnita, perfectiores, vniuerſalioréſque ſui obiecti tantùm rationes repræſentat, quas priores ſenſus non cognouerunt cum illa.

Ad 2. negatur maior: Patet enim ex dictis in hac diſputatione, rectrices facultates cerebro inhærere ſecundùm omnes illius partes.

Ad 3. dicimus: In Ariſtot. doctrina non negari huiuſmodi potentiam, immò plura doceri, ex quibus deducitur illius neceſſitas, quæ ideò à D. Thom. & Commentatoribus admittitur.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm memoria ſit admittenda tanquam potentia alia ab æſtimatiua?

§. I.

Negatiuæ parti fauet, & adhæret modernorum pars.

EX modernioribus Philoſophis Suarez, Rubius, Murcia, & alij memoriam ab æſtimatiua non diſtingui contendunt.

Primò: quia æſtimatiua eſt perfectior, quàm phantaſia: ſed vna tantùm phantaſia ſenſatas ſpecies retinet, & mediis illis ſenſatas cognoſcit rationes obiectis: ergo æſtimatiua valet ſimiliter inſenſatas retinere ſpecies, & mediis illis, obiecti inſenſatas cognoſcere rationes.

Secundò: ſi memoria diſtingueretur ab æſtimatiua, maximè quia memoria inſenſatas rationes cognoſcit, vt abſentes; æſtimatiua verò, vt præſentes: ſed penes hoc non poſſunt hæ potentiæ diſtingui realiter: ergo ſunt eadem potentia. Probatur minor, potentiæ ſpecificantur, & diſtinguuntur penes obiectum: ſed obiectum, vt præſens, & vt abſens idem eſt: ergo per hoc quòd vt præſens altera, vt abſens altera percipiat obiectum, non eſt ſufficiens diſtinctionis ratio.

Tertiò: ſi memoria eſt diſtincta potentia ab æſtimatiua, maximè, vt per ſpecies reſeruatas in ipſa poſſit æſtimatiua operari in abſentia obiecti: ſed implicat hoc: ergo tantùm eſt potentia vna. Probatur minor, nulla potentia poteſt cognoſcere obiectum niſi per ſpecies ſibi inhærentes, & coniunctas, fit enim ex potentia & ſpecie tanquam ex duobus comprincipiis vnicum cognoſcendi principium: ergo ſi ſpecies in illa non inhærent per illas non valet operari.

§. II.

Communior recipitur doctrina.

REſoluendum Affirmatiuè. Sic docuit D. Thom. *q. de anima. art. 3. 1. p. q. 78. art. 4. opuſc. 43. cap. 4.* ſequitur eius ſchola, Gal. *l. 1. de differ ſympt. c. 3. l. 4. de locis affectis, c. 1 l. 8. de vſu partium, c. 6. lib. 7. de placitis, c. 8.* ſequitur Vall. *l. 2. controu. c. 22.* Mercatus *p. 1. claſſ. 4.* Acquieſcit huic doctrinæ communis Medicorũ aſſenſus.

Ratio à priori deſumitur ex D. Thom. Quia neceſſarium fuit animali cognoſcere aliquas rationes inſenſatas in abſentia obiecti, quas priùs cognouit per æſtimatiuam, vt in illius præſentia poſſit vtilia quærere, & inutilia euitare: ſed per cogitatiuam non valet illas cognoſcere: ergo per memoriam, quæ eſt diſtincta potentia ab illis eas cognoſcit. Probatur minor: ſic ſe habet æſtimatiua ad rationes inſenſatas præſentes, ſicut ſenſus communis ad ſenſatas: ſed ſenſus communis, vt patet ex dictis, ita eſt determinatus ad præſentes, vt non poſſit abſentes cognoſcere: ergo ſimiliter æſtimatiua ita eſt determinata ad cognoſcendas rationes inſenſatas præſentes, vt non poſſit abſentes cognoſcere.

Probatur à poſteriori ex Gal. doctrina, qui *l. 4. de locis affectis c. 4.* demonſtrat poſſe lædi æſtimatiuam, non læſâ memoriâ: *Et lib. de differ. ſympt. c. 8. & l. 2. de cauſis. c. vlt.* demonſtrauit poſſe lædi memoriam ſine æſtimatiuæ læſione: ergo æſtimatiua diſtincta potentia eſt à memoria. Probatur conſequentia, aliàs organo intemperato, ipſáq; læſa, omnes ſuas eliceret læſas actiones.

§. III.

§. III.

Reſpondetur ad argumenta.

AD 1. negatur minor: Patet enim ex reſolutione ſexta, quid dicendum.

Ad 2. negatur minor: Ad illius probationem, diſtinguo minorem: obiectum præſens, & abſens ſunt idem obiectum, materialiter, & entitatiuè, concedo; formaliter in eſſe attingibilis à potentia cognoſcitiua, nego minorem. Potentiæ enim externæ, & internæ cognoſcitiuæ, vt diximus, idem obiectum reſpiciunt; ſed diuerſus modus tendendi in illud diuerſificat illas; ad cognoſcendum enim obiectum B A præſens ſufficit ſpecies ab illo emiſſa, mediis potentiis anterioribus, quæ vnita cum potentia ſit comprincipium cognitionis obiecti præſentis; at verò huius cognitionis terminus, cùm ſit perfectior, alteri petit vniri potentiæ, cum qua remanet, vt ſit comprincipium cognitionis in abſentia obiecti.

Ad 3. negatur minor: Patet enim ex nuper dictis, quòd memoria eſt potentia actiua, & quòd ipſa per ſpecies reſeruatas, & inhærentes ſit adæquatum principium, quod valet in abſentia obiecti inſenſatas percipere rationes, quas in eſſe repræſentatiuo in ſe continet ſpecies impreſſa ſibi vnita communicata ab expreſſa ſpecie præcedentis cognitionis æſtimatiuæ.

DISPVTATIO X.

De Generatione hominis, eiuſque principiis.

EX Galen. *lib. 14. de vſu partium*, homini ſicut & cuicumque ſublunari ſpeciei conſeruationem ſub vno indiuiduo denegauit natura; ea tamen machinata eſt ſub plurium ſucceſſione, noua eorum superuenienti generatione: hæc autem in perfectorum animalium productione non niſi ex ſanguine, & ſemine propriia illius principiis ſubſequitur; de horum natura, diuerſitate, efficiendi ratione, ac neceſſitate plura ſummus Hipp. dictauit *lib. de natura hominis, lib. de genitura, lib. de ſeptimeſtri partu, lib. de octimeſtri partu. lib. de ex ſectione fœtus*; ibi illius Commentatores, præcipuè Galen. *in lib. de natura humana, in lib. de vſu partium. lib. de naturalib. facultatib. lib. 1. & 2. de ſemine.* Ariſt. aliqua protulit *lib. de generat. & lib. de hiſtoria animal.* Quem ſequuntur D. Thom. Auerr. reliquique Commentatores, præcipuè tamen ea Medicis in hac re dilucidarunt plura, Fernelius *lib. 6. phyſiolog.* Valleriola *lib. 1. de locis comm. c. 17.* Duncanus *lib. 1. phyſiolog. c. 13.* Petrus Garc. *in fen. 1. 1. diſp. 35. 36. 39. & lib. de locis affectis diſp. 45.* Serna *tom. 1. tract. 1. & 2.* Sennertus *tom. 1. c. 16.* Fontanus *lib. 5. phyſiolog.* Zacutus *tom. 3. & 9.* Ficinus *lib. de viribus imaginationis, & lib. de fœtus formatione, & in apologia aduerſus Santa Cruz.* Leuenius Lemnius *lib. de occultis nat. mirac. c. 4.* Andr. Laurens. *lib. de hiſtoria anatomica.* Rodericus de Caſtr. *lib. de morbis mulierum.* Georgius Bertinus *lib. 4.* Martinez *lib. 1. tract. 5.* Guiotetina *de noua, & veteri medicina dialogo 6.* Heurnius *lib. 5. inſtitutionum medicinalium*, Ioannes Baptiſta Cortes *decad. 4. miſcellaneorum, c. 10.* Similiter, & in hunc finem plura adducunt Ginecciorum Authores Meccatus, Eucharius, Rhodion, Felix Platerius, Ambroſios Pareus, Varandæus, & reliqui Anatomici, qui operam nauarunt humani corporis enarrandæ ſtructuræ, plura etiã huius inſtituti tetigit Zachias *in ſuis quæſtionib. medicolegalibus.* Bonaueotura *de octimeſtri partu.* Capiuatius *de fœtus formatione.* Illuſtrarunt ſimiliter & hanc doctrinam plurimi ca Iuriſconſultis, quos nouiſſimè refert D. D. Antonius de Feloaga, Regius Conſiliarius, genere, & ſapientia illoſtris, doctrina percelebris, ſententiarum pondere diſertus, & grauia, *in declamatione de immani læſæ maieſtatis facinore, quæſt. 5. num. 4.*

SECTIO PRIMA.

De hominis generatione.

HOMINI cum reliquis ſublunaribus commune eſt produci, rerum autem productio iuxta earum diuerſitatem eſt diuerſa; accidentia, quia entis ſubſtantialis entia ſunt, pleraque comproducuntur ad illius productionem, alia à ſimili media alteratione fiunt; ſubſtantiæ verò rerum aut ea nihilo per creationem, aut ex præſuppoſito ſubiecto per generationem, inter quas vnus homo creatione, & generatione ad ſui productionem indiget, & de hac præcipuè diſputationem ſuſcipimus.

Resolvtio I.

Vtrùm aliqua ſubſtantialis generatio ſit poſſibilis?

§. I.

Negatiuæ partis aſſertores, & fundamenta adducuntur.

ANaxagoras, Leucipus, Empedocles, Democritus, & alij antiquioris ſæculi philoſphi, referente Ariſt. *lib. 1. phyſicorum, & 1. Metaphyſica*, & Laertio *lib. 7.* ſubſtantialem rerum generationem ſuſtulerunt, vnum tantùm materiale principium admittentes pro rebus naturalibus, materiam, inquam, ex cuius vnione, aut diſgregatione ob diuerſas illi ſuperuenientes formas accidentales diuerſas rerum accidentales differentias ſolùm poſſe ſuperuenire contendebant. Noſtris temporibus Correjon Doctor Compluteſis materiam primam è rebus exterminato contendens, omnia ſimiliter antiquorum placita euertere viſus eſt, & è medio abſtuliſſe commune ſubſtantialis mutationis ſubiectum.

Fundamentum antiquioris placiti fuit, quòd omnis quæcumque ſubſtantia ſimpliciſſima eſt, & quòd nullum valuit recipere eſſe mutationéme habuiſſe, neque ex nihilo fieri, cùm ex nihilo nihil fiat: neque entitatis eſſe valet de nouo fieri, cùm eſſe eſſentiæ ſit

æternom,& exiſtentiæ eſſe ſit ſubſequutum ad quodlibet eſſe eſſentiæ.

§. II.

Communis aſſenſus admittitur, & fulcitur.

RESoluendum affirmatiuè. Sic ſanciuit Plato: ſic Ariſt. qui ita dilucidè demonſtrauit hanc veritatem, vt in poſterum vnanimi conſenſu fuerit ab omni poſteritate amplexa, ſic patet ex primis rerum principiis ex eorum diuerſitate, & eſſentia, ex noua rerum ſubſtantialium ſucceſſione, ex varia ſubſtantialium rerum mutatione, ex ſuperuenientibus ſub vno eſſe entibus aliis, ex nouis ſubſtantiis: tùm rerum proprietatibus, tùm actionibus aliis ſubſequutis, & non debitis præcedentibus aliis.

§. III.

Antiquorum ſatisfit fundamento.

AD antiquorum placita ſatisfacit Ariſt. *l.1. phyſicorum. l.1. de generat. lib. metaph. & in lib. meteororum*, demonſtrans ens ſubſtantiale componi ex materia, & forma, materiam dari, quæ mutationis eſt ſubiectum, & formæ receptaculum, formam verò, quæ dat eſſe rei, per eius aduentum ſubſtantiale eſſe acquirit, quæ generatur ſubſtantia, cui ſubſequitur eſſe exiſtentiæ.

RESOLVTIO II.

Quid ſit generatio ſubſtantialis?

§. I.

Generationis dilucidatur natura.

RESoluendum: Quòd generatio ſubſtantialis eſt mutatio à priuatione formæ ſubſtantialis ad formam ſubſtantialem in materia. Sic deducitur ex Ariſt. pluribus in locis, *lib. 3. phyſicorum c. 1. text. 14.* dicit, quòd generatio eſt via ad naturam, *lib. 8. c. 7. text. 62.* ait, quòd generatio eſt mutatio à non ente ad ens, *l. 1. de gener. c. 4. text. 23.* quòd generatio eſt mutatio totius nullo ſenſibili manente; & *c. 5. text. 15.* quòd generatio eſt mutatio à ſubſtantia in potentia ad ſubſtantiam in actu: hoc idem admittit D. Thom. *in commentariis ad nuper adducta loca*, & confirmat ſimiliter *1. part. q. 45. art. 2. q. 3. lib. 2. contra Gentes c. 17. & c. 18.* aliiſque in locis, ex quibus hæc communis deducitur doctrina.

RESOLVTIO III.

Quid ſit ſubſtantialis generatio viuentis.

§. I.

Deciditur dubitatio.

RESoluendum: Quòd perfecta ſublunarium viuentium generatio eſt proceſſio viuentis à principio vitæ coniuncto ſecundùm rationem ſimilitudinis ſaltem in ſpecie infima. Sic deducitur ex Ariſt. *lib. 7. metaph. c. 8. & lib. 8. Ethicorum c. 12. & ſect. 4. problematum 14.* Ex quo hanc deducit doctrinam D. Thom. *1. p. q. 27. art. 2.*

Manifeſta huius doctrinæ ratio deſumitur ex eo, quòd cum triplex ſit acceptio generationis viuentiũ: Alia communiſſima pro productione cuiuſcumque viuentis quocumque modo facta quæ eſt productio rei viuentis ab aliquo, qualiter producuntur ea quæ corruptione fiunt viuentia, de qua non inquirimus, cum non ſit per ſe intenta ab agente particulari. Alia eſt generatio ſumpta pro viuentis productione ab alio viuente operante per cognitionem, eſtque proceſſio viuentis à principio vitæ coniuncto, & per cognitionem, ac amorem operante ſecundùm rationem ſimilitudinis ſaltem in ſpecie infima, de qua agunt Theologi. Nos verò de generatione agimus, quæ ab animali perfecto perficitur media virtute generatiua, quæ eſt vis animæ vegetantis, quâ quodlibet animatum in ſuo genere vnum, & perfectum ex alimento redundante aliud ſibi ſimile generare poteſt, & hæc ſatis ex adducta à nobis diffinitione manet explicata.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm in hominis productione ſit vera ratio generationis?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

VIdetur quòd non, in generatione ſubſtantiali viuentis tantùm reperitur formæ ſubſtantialis productio, vnio illius cum materia, & totius compoſiti productio, in quibus ratio generationis poſſit conſtitui: ſed in hominis productione nulla harum actionum poteſt dici ſubſtantialis generatio illius: ergo in productione hominis non datur vera generationis ſubſtantialis ratio. Probatur minor, animæ generatio, quæ petit, vt diximus, fieri ex præſuppoſito ſubiecto. Totum compoſitum nullam veram actionem terminat, cùm eò ipſo quòd anima ſit producta, & materiæ vnita ſine noua actione terminata ad compoſitum, ipſum remaneat productum. Actio vnitiua animæ rationalis cum materia, cùm ſit eadem met actio, qua producitur, vnita enim producitur, nec ab homine produci poteſt, cui generatio eſſet tribuenda: ergo in hominis productione generationis ratio in nulla ex prædictis actionibus poteſt repetiri.

§. III.

Deciditur, & fulcitur communis ſententia.

RESoluendum: Quòd generatio ſubſtantialis hominis eſt actio ſe habens ex parte hominis generantis intrinſecè terminata ad animam rationalem, non ſecundùm ſe, vt abſolutè recipit eſſe, ſed prout corpori vnibilis. Sic tenet Caietanus *1. part. q. 58. art. 2.* Soncinas *lib. 8. metaph. q. 14.* & inter moderniores eſt communis.

Probatur: Homo per generationem producens hominem, verè, & realiter conſtituitur in eſſe patris: ergo quia ex vi generationis attingit productionem geniti: ſed per generationem non attingit materiæ productionem, quæ priùs fuit neceſſariò concreata: non formæ rationalis productionem, quæ per creationem fuit à Deo; non productionem totius, quæ non eſt alia ab actione vnitiua formæ: ergo generatio conſiſtit in actione terminata ad formam, vt vnibilis eſt materiæ.

§. III.

§. III.

Soluitur dubitandi ratio.

AD primum pro dubitandi ratione dicendũ, quòd, vnio animæ cum materia non tribuitur homini tamquam primæ cauſæ productiuæ animæ vniendæ, ſed tamquam cauſæ ſecundæ ſimul coordinatæ ad eandem actionem, anima enim rationalis, pro ea parte, qua ſpiritualis eſt, petit à Deo fieri: quà anima eſt, petit informare materiam, qua ex parte materiæ eſt viſibilis circa quam agens naturale operatur, & cùm fiat per ipſam homo, qui eos naturale eſt, ideò & per hominis actionem ſimul concurrentis ad vnionem petit fieri.

Contrà: anima eſt entitas ſpiritualis: ergo eius vnio non poteſt attingi per actionem agentis corporalis.

Ad replicam negatur conſequentia. Quia, vt ait Caietanus, licèt hæc actio tendat in animam rationalem, quæ eminet ſupra materiæ conditionem quoad ſubſtãtiam, verſatur tamen circa animam rationalem quatenus quodammodo habet eſſe materiale, & dependens à corpore; licèt enim à corpore non dependeat, quoad eſſe exiſtatis, dependet quoad eſſe informationis.

Resolvtio V.

Vtrùm fœmina requiratur vt ſimpliciter neceſſaria pro generatione animalis?

§. I.

Dubitandi ratio proponitur.

VIdetur quòd non, primò ex Ariſt *lib. 2. de generatione animalium c. 3. & lib. 4. c. 3. & 6.* Vbi docet fœminam non intendi à natura, ſed quaſi ens monſtruoſum prouenire præter naturæ intentum: ſed ſi eſſet fœmina neceſſaria ad generationem ſicut ipſa generatio eſt per ſe intenta à natura, eſſet ſimiliter fœmina, ſine qua non poſſet fieri generatio, ergo non eſt ſimpliciter ad generationem neceſſaria fœmina.

Secundò: animalia imperfecta poſſunt abſque fœmina generari: ergo non eſt ſimpliciter neceſſaria fœmina pro generatione animalis. Probatur antecedens, ex Ariſt. *lib. 1. de generat. animal lib. 5. de hiſtoria animal. c. 5. & lib. 4. meteororum*, vbi docens modum quo poſſunt generari animalia, dicit quòd alia fiunt per coitum, alia per putredinem, alia poſſunt vtroque modo fieri: ergo poſſunt aliqua animalia imperfecta ſine coitu, & fœmina fieri.

Tertiò: ſi fœmina eſſet ex vſu pro animalis generatione, maximè quia media ſeminis productione aliquem poſſet præbere concurſum: ſed fœmina ex communi Peripateticorum doctrina ſemen non emittit: ergo non eſt ex vſu pro generatione.

§. II.

Deciditur pars tenenda.

REſoluendum: Quòd pro perfectiſſimis animalibus generandis eſt per ſe intenta, & neceſſaria fœmina. Patet ex 1. *Geneſ.* vbi mas, & fœmina pro quocumque perfecto animali conſeruando fuerunt creata: ex Hipp. *lib. de genitura, de natura fœtus, de ſeptimeſtri partu*, ex Gal. *in comment.* ex *lib. de ſemine, lib. de vſu partium*, ex Auic. cum communi omnium conſenſu, ſic demonſtrante experientia: Tum quia ſola fœmina accommodatum habet locum pro generatio-

A ne, quæ & ſemen emittit, menſtruum ſanguinem præſtat, aptam ſubſternit materiam pro prolis formatione, lac poſt partum pro eius nutritione, & augmento, huius autem neceſſitatem commendat Zacutus in præfatione ad *lib de morbis mulierum*, Varandæus *lib. phyſiolog. ſect. 7.* & Rodericus a Caſtro, & Mercatus *lib. de morbis mulierum*.

§. III.

Dubitandi rationes ſoluuntur.

AD 1. reſpondetur cum D. Thom. *opuſc. 20. art. 4. opuſc. 18. art. 4. q. 6. de veritate art. 9.* & *in 4. diſtinct.*
B *36. q. 2. art. 1.* Quòd fœmina per reſpectum ad naturam particularem eſt animal deficiens, & occaſionatum: reſpectu tamen naturæ vniuerſalis, eſt per ſe intenta, & ſecundùm illius intenſionem ordinata per ſe ad generationem; ſemen enim maris intendit per ſe producere ſibi ſimile omnino perfectum ſecundùm ſexum maſculinum; dum verò debile eſt, & impotens huiuſmodi finem conſequi, fœminam efficit, quæ licèt in ordine ad generationem ſit neceſſaria, & à natura intenta, non tamen à virili illo ſemine, ſi eſſet omnino validum, & ideò occaſionatum animal vocatur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt aliqua ex imperfectis animalibus putredine fieri poſſunt, nullum tamen ex perfectiſſimis generari poteſt ſine fœmina, & concurrente ad illius generationem, & locum aptum pro
C recipiendo, ſuſtentando, fouendoque ſemine, tribuendo, & vt fœtum alere poſſit.

Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt non poſſet fœmina aptum ſemen pro generatione tribuere, eſſet neceſſaria vt aptum tribueret locum pro generatione, & menſtruum ſanguinem tribueret, per quem aptam ſubſternit materiam, vt generatio & fiat, & perficiatur.

Resolvtio VI.

D Vtrùm fœmina fœcundum ſemen pro generatione emittat?

§. I.

Ariſtot. ſententia affertur, & Auerrois.

FOeminas ſemen non generare, vel ſaltem non ita prolificum, quod poſſit eſſe principium actiuum in generatione, ſicut eſt ſemen virile, determinauit Ariſtot. præcipuè *lib. 1. de generat. animal. cap. 16. & 20.* validiſſimiſque confirmauit rationibus, cui ſubſcribit Auerr *in commentariis, & 2. lib collige cap. 10.* tenet D. Thom. præcipuè *3. p. quæſt. 31. art. 5. ad 3.* Durandus
E *in 3. diſt. 3. q. 1.* Capreolus *diſt. 4. q. vnic. art. 3.* Herueus *tract. de vnitate formarum q. 18.* Marſil. *quæſt. 5. art. 2.* Albertus Magnus *lib. 15 de animalibus cap. 11. lib. 16. c. 14.* Paludanus *quæſt. 2* Soncinas *lib. 8. metaph. q. 16.* Conimbricenſes *lib. 1. de generat. q. 27.* Petrus Garcia *ſen. 1. t. diſp. 26 c. 5.* Qui licet ſemen admittat, non ſimpliciter neceſſarium contendit.

Primum Ariſtot. fundamentum: quo ſimiliter vſus fuit Athenæus referente Gal. *lib. 1. de ſemine*, hoc eſt: ab vna, & eadem actione numero eiuſdem animalis non poteſt tamquam terminus diſtinctus prouenire duplex excrementum, alterum perfectius, imperfectius alterum: ſed ſemen eſt excrementum reſultans ex perfectiori coctione, ſanguis menſtruus eſt excrementum reſultans ex coctione imperfecta: ergo

ergo in fœmina ea vi coctionis hoc duplex excrementum nullo modo poteſt reſultare: ergo cùm reſultet ſanguis menſtruus, ſemen prolificum fieri non poteſt.

Secundum fundamentum eſt: in ſeminis excretione ſequitur voluptas, ſequitur emaciatio, & non ſequitur conceptio ſine his, & excretione ſeminis in eis, in quibus ſemen eſt neceſſarium: ſed in fœmina fit conceptio ſine voluptate, vt apparet in violatis, aut vi coëuntibus, & in aliis, quæ coitu vegetiores redduntur: ergo ſine ſeminis excretione.

Tertio: pro Ariſt. ſententia ſuperaddit Auerroës, ſemen fluidum, & aqueum non eſt pro generatione aptum: ſemen mulierum eſt fluidum, & aqueum: ergo fœmina non reddit aptum ſemen pro generatione.

Quartò: ait Auerroës; mulieres ſimiles ſunt Eunuchis, & pueris voce, pilis, & corporis habitu: ſed Eunuchi, & pueri non generant ſemen aptum pro generatione: ergo nec mulieres.

Quintò: iuramento affirmat Auerroës à fide digna muliere ſciuiſſe, quandam fœminam ex ſemine relicto à viro in balneo concepiſſe ſine voluptatis igniculia: ergo ſine eo quòd ſemen emiſerit, generauit fœmina.

§. II.

Tenendum reſoluit.

Reſoluendum: Prolificum, & perfectum ſemen generari, & emitti à fœmina effectiuè concurrente ad animalis generationem, ſicut & ſemen virile. Sic tenet Hipp. *lib. de genitura, lib. 1 de diæta text.* 71. Galen. *lib. 1. & 2. de ſemine, lib. 14. de vſu partium cap. 11 lib. de locis affectis cap. 5. lib. 2. de facultatibus. naturalibus*, validiſſimiſque confirmat rationibus: adhæret Scotus *in 3. diſt. 4. quæſt. vnic.* D. Bonauentura *q. 1. num.* 31. Maior. *q. 3. art.* 4. Ochamus *q.* 3. Gabriel 41. Et ex antiquioribus referente Mirandula tenebãt Pythagoras, & Democritus. Ex iunioribus verò Medicis ſequuntur Galen. ſui Commentatores, inter quos Siluaticus *lib. controuerſiarum* 79. Sennertus *tom. 1. cap.* 10. Fontanus *vniuerſæ artis Medicæ part. 1. lib. 4. cap* 4. Leuinius Lemnius *lib. de occultis naturæ miraculis cap.* 6. Veſalius *lib. 5. de fabrica corporis humani cap.* 15. Andreas Laurentius *lib. 8. artis anatomicæ q.* 5. Varand. *lib. phyſiolog. ſect. 6. cap. 1.* Auicen. *de natura animal. cap.* 3. Rodericus de Caſtro *lib. 1. de natura mulierum c.* 3. Valles. *lib. 1 de locis commu. c.* 17. Vall. *lib. 2 controu. cap.* 7. Serna *tom. 1. lib. 1. tract. 1. cap.* 10. Fernelius *lib. 6 phyſiolog c.* 6. Martinez *lib. 1. tractat. 5 quæſt.* 5. Capiuaccius *tractat. de fœtus formatione cap.* 3. Georgius Bertinus *lib. 4. cap.* 1. Thomas à Veiga *in lib. 6. de locis affectis*, & alij.

Primum fundamentum, ex Gal. deſumptum aduerſus Ariſt. Herophilum, & Athenæum, huiuſmodi eſt. Natura nihil fruſtra molitur: ſed fœminæ condonauit omnia organa apta pro ſemine conformando, concoquendo, perficiendo, & deferendo, teſtes enim adaptauit illi, & duas arterias, tandemque venas, atque itidem eiaculatoria vaſa: ergo producit ſemen prolificum pro efficientia generationis aptum.

Reſpondet Auerroës *lib. 2. collige cap.* 10. Quòd teſtes ſunt fœminis ad ornatum, ſicut mammæ viris, ſine aliquo vſu, & quòd præparantia, & recipientia vaſa deſeruiunt pro aquoſo, & imperfecto præparando, & recipiendo ſemine generationi inepto.

Contra ſtat: quòd teſtium ſtructura ita eſt perfecta in fœminis, ac in viris, & conſequenter eorum virtus æquè prolifica, & potens: aliter in mammarum

A conformatione apparet, & tamen ſufficiunt, quæ in homine ſunt, lac generare, vt *lib. 5.* obſeruauit Veſalius, nec niſi defectu communicationis cum vtero lac non generant, ob cuius defectum non in fœminis ſemper generatur lac. Stat præterea quòd pro aquoſa, & inutili materia nec vaſa tot gyris contorta eſſent à natura conformata, nec tot implicata anfractibus: ergo ob perfectiſſimum generandum ſemen ſunt fabricata.

Secundum fundamentum. Fœminæ in coïtu voluptatem, & titillationem percipiunt: ergo quia vel ſemen, vel ſanguinem, vel aliquem ſeroſum humorem emittunt: ſed non quia emittunt ſanguinem menſtruum, is enim ſine voluptate emittitur, vt in lochiis,
B & menſtruis purgationibus apparet; non ex ſeroſi humoris euacuatione: ergo quia emittunt prolificum ſemen. Probatur ſecunda pars minoris: Tùm quia pleriſque in excreta ſubſtantia, colore album, craſſitie moderatum, dùm ex inſomniis excernitur, apparet. Tum quia ideo in anatome fœminarum concernitur, quæ à coïtu diu ſe abſtinuerunt: Tùm quia in earum gonorrhœa idem demonſtratur experientiâ: ergo quod in fœmina cum voluptate excernitur aliud eſt à ſeroſa ſubſtantia.

Dices cum Alberto Magno, & Auerroë; non eſſe ſubſtantiam omninò ſeroſam, ſed ſemen; hoc tamen non prolificum: ſed cum virorum ſemine analogum aliquantulum in modo ſubſtantiæ, ſimiliter & quòd
C actiuitatis habet nihil, ſed tantùm elaboratum fuit, vt aptiorem, quàm ſanguis menſtruus, pro generatione ſubſternat materiam.

Contrà ſtant Galeni validiſſimæ rationes: plura in fœtu reſpondent, quæ non niſi à materni ſeminis efficientia poſſent contingere: ergo in fœmina neceſſariò concedendum prolificum ſemen, & effectiuum generationis. Patet antecedens: Tùm quia fœminæ hæreditarij morbi apparent in genito: Tum quia plerique genitorum ſunt fœminæ ſimiles: Tum quia in ſpecificatione, ſi partes differunt, matrem ſequuntur fœtus: ſed non quatenus materiam ſubſternit mater, hæc proueniunt; non enim ſine vi effectiua & actione hæc
D reſultare valent: ergo hæc non ſequuntur niſi ex efficienti vi ſeminis fœminei.

Tertium fundamentum: Fœminæ, quibus abſciſſi ſunt teſtes, æquè ineptæ redduntur pro generatione, ſicut & viri, quibus abſcinduntur, & ita permanent ſine coïtus appetitu: ſed non defectu menſtrui ſanguinis: ergo quia deficit illis prolificum ſemen, quod generare poſſent, ſi haberent teſtes.

Dices, quòd deficit illis ſemen, non actiuum pro generatione, ſed quod paſſiuum eſt principium.

Contra; ſemen, quod teſtium defectu deficit in fœminis, eandem habet efficientem cauſam materialem, formalem, & finalem ac in viris: ergo eandem perfectionem retinet cũ virili. Probatur antecedens, fit à teſtibus,
E quorum ſubſtantia eadem eſt in fœminis, ac in viris, fit ob ſpeciei conſeruationem in ſimilis productione, fit ex perfectiori ſanguine eodem modo ſpiritibus commixto, vt conſtat ex vaſibus, in quibus præparatur, fit cum eodem modo ſubſtantiæ, & idem à fœmina excernitur, vt in ipſa anatome reperitur, cum eiſdem conſpicitur accidentibus: ergo per eaſdemmet fit cauſas, ac ſemen virile.

§. III.

Pro Ariſtot. & Auerr. fundamentis ſatisfit.

Ad 1. reſpondetur: Quòd ſanguis menſtruus, & ſemen fiunt per coctionem per ſe tendentem

dentem ad eorum perfectionem, ſanguis generatur à iecore, ſemen generatur à teſticulis; ſanguis, vt ſit pro omnibus partibus nutrimentum, quòd ſi redundet in vaſis reſeruatur, & in quantum moleſtus, vt talis excernitur, dum ſua quantitate irritat; ſemen ſimiliter à natura detinetur, à qua ſimiliter dum copia irritat, & turget, expellitur, in ſimilis productionem deſeruiens, ab vtroque parente in vterum eiaculatum: nec inconuenit ab eodem animali in diuerſis partibus ex præcedente coctione diuerſas reſultare ſubſtantias, quæ quantitate, ſucceſſione temporis naturam moleſtant in ſui expulſionem, excrementique rationem induunt, vt patet de melancholia, bile, lacte, menſtruo ſanguine, ſemine, & aliis in corpore ſubſtantiis congenitis.

Ad 2. negatur minor: Licèt enim in primo acceſſo B ſine voluntate permanſerint, numquam tamen concipere valent, quin peruenerint in illo ad ſeminis emiſſionem, in qua & voluptatem ſuperuenire eſt neceſſe; & quæ coitui nimis indulgent, macerantur; illæ verò, quæ illo cum moderamine vtuntur, vegetiores redduntur, apta enim eſt illis pro ſalute moderata ſeminis expulſio.

Ad 3. diſtinguo maiorem: Semen omninò fluidum, & aqueum eſt ineptum pro generatione, concedo: ſemen aliqualiter fluidum, & album, nego maiorem. Fatemur enim nec ita perfectum ſemen generari à fœmina, ſicut à viro, eſt enim non ita exquiſitè concoctum, & elaboratum, habet tamen ſufficientem elaborationem, C vt prolificum, & actiuum ſit pro generatione.

Ad 4. negatur conſequentia: Licèt enim aliqua ex parte ſint mulieres ſimiles eunuchis, & pueris; differunt tamen, quia fœminæ & teſtes habent, quibus carent eunuchi pro ſemine generando, & ſufficientem habent ſanguinis copiam, ex qua fiat ſemen, qua pueri carent, quia omnia, quod generant, indigent ad ſui augmentum, & nutricatum.

Ad 5. dicimus: Quòd ſi non Auerroës, potuit ſaltem fœmina balnei ſemini adſcribere culpam, cuius veriorem cauſam ſubticere voluit.

D

Resolvtio VII.

Vtrùm fœmina cùm ſemen emittat, valeat ſe ſolâ generare?

§. I.

Affirmatiua pars ſuadetur.

ARiſtot. *lib. 1. de generatione animal. cap. 4.* hoc proponit dubium, à quo facile ſe expedit, cùm ſemen non niſi in viro admittat; inter admittentes verò prolificum ſimiliter generari, & emitti à fœmina, quòd ſola ſine viri congreſſu valeat generari aliqualiter annuit E Valleſius *lib. 2. controuerſ.*

Probatur 1. Ratione *reſolutione antecedente* adducta; in fœmina reperitur quidquid eſt neceſſarium, vt ſe ſolâ valeat generare: ergo fœmina ſe ſolâ generat. Probatur antecedens, in fœmina reperitur vterus, qui eſt locus aptus pro fœto generando; reperitur menſtruus ſanguis, qui eſt apta materia pro fœtu alendo, augendo, & conformando; reperitur ſemen prolificum, in quo remanet ſuffic[...]ns virtus actiua: ergo reperitur quidquid requiritur pro fœtu generando.

Probatur 2. Fœmina concurrente viri ſemine ad generationem efficiendam, generat fœtum: ergo ſe ſolâ generare valet fœtum. Probatur conſequentia, A ſe ſola poteſt tribuere quidquid cum illa vir tribuit pro generatione, cum poſſit tribuere ſemen eiuſdem ſpeciei, virtutis, & actiuitatis: ſed ſemine viri concurrente, generat fœtum cum illo: ergo ſimiliter ſe ſolâ.

Dices: quòd fœmina non poteſt tribuere tantam ſeminis quantitatem quanta requiritur pro fœtu efficiendo, & quòd à viro tribuitur pars ſeminis, quæ deficit.

Contra: dum in fœmina ob ſeminis retentionem nimia illius ſuperabundat copia, valet maiorem quantitatem emittere, quàm quæ poteſt ſuppleri à viro nimis debili; ſed cum ſemine ſuperaddito viri poteſt fœtum producere: ergo & ſe ſolâ.

Probatur 3. Virtus generatiua in animali eſt eiuſdem B naturæ cum virtute generatiua in plantis, & arboribus, cùm in vtriſque ſit facultas gradus vegetatiui: ſed in plantis, & arboribus ſufficit ab vnica planta, aut arbore ſemen emitti ad fœtum ſimilem generandum: ergo ſimiliter in animali ſufficit vnicum ſemen decidum in locum aptum pro generatione ad ſimilem generandum fœtum.

Probatur 4. Si vtrumque ſemen concurreret actiuè ad fœtus productionem: ergo quodlibet vt agens totale, vel vt agens partiale; non vt agens totale, aliàs à quocumque ſine alio poteſt fieri fœtus, non vt agens partiale, alias in fœtu eſſet vna pars, quæ vni ſemini tanquam ſuo agenti partiali correſponderet, altera ve- C rò alteri correſpondens deberet aſſignari: ergo fœmineum ſemen vel non habet actiuum concurſum in fœtus productionem, vel ſolùm ſufficit vt ſit totalis generationis cauſa.

Probatur 5. Gallina ſe ſolâ ouum generat aliquando ſine maſculi concurſu: ergo & quæuis fœmina.

§. II.

Deciditur reſoluendum.

REſoluendum: Quòd licèt fœmineum ſemen, & prolificum & actiuum ſit ſine viri concurſu, non valet fœmina fœtum concipere. Hanc veritatem vna- D nimi conſenſu admittunt Authores experientiâ conuicti, quæ nunquam ſine maſculi concurſu fœtus formationem poſſe fieri demonſtrauit.

Probatur 1. Si fœmina ſe ſolâ poſſet generare, matrimonij Sacramentum non eſſet neceſſarium in Eccleſia: ergo non valet ſe ſolâ generare. Probatur antecedens, matrimonium eſt coniunctio maris, ac fœminæ in ordine ad filiorum procreationem: ergo ſi poſſent filij à ſola fœmina ſine viro procreari, Sacramentum in hunc finem non eſſet neceſſarium.

Probatur 2. Ratione ex Ariſt. & Auerroë deſumpta; ſi fœmina ſola ſufficeret pro fœtus generatione, imprudens eſſet natura virum producens, cùm poſſet abſque illo ſpecies conſeruare, & fruſtrà eſſet eorum con- E iunctio, cum poſſet ſine illa fieri generatio: ergo fœmina impotens eſt producere fœtum.

Probatur 3. Fœtus aliquando matri, aliquando viro ſit ſimilis: ergo quia vir[...]ſemen aliquando in actiuitate vincit, & aliquando fœmineum: ergo vtriuſque actiuitas eſt neceſſaria pro fœtu.

Probatur 4. Vir, & fœmina differunt perfectione accidentali ſpecifica tam in eſſe entis indiuidualis ſub tali ſpecie, quàm in eſſe principij actiui conſeruatiui ſuæ ſpeciei: ergo ſemen, quo vtuntur vt inſtrumento ad ſpeciei conſeruationem, differt in eſſe talis ſpeciei accidentali: ergo vnum per aliud ſuppleri non valet,

§. III.

Argumentis primò poſitis fit ſatis.

AD 1. negatur antecedens. Et ad illius probationem, diſtinguo antecedens: in fœmina cum aliis requiſitis pro generatione reperitur ſemen prolificum fœmineum, & quod ſaltem ſpecie accidentali differt à virili, concedo: ſemen cum omni virilitatis perfectione, nego antecedens. Sicut enim vir, & fœmina ſpecie ſaltem accidentali differunt, ita & eorum ſemen, medio quo tamquàm inſtrumento eleuato vtuntur, & iuxta hanc diuerſam perfectionem vtrumque eſt requiſitum pro generatione, & vnum alterius non poteſt ſupplere actiuitatem, & neceſſitatem.

Ad 2. negata conſequentia: Ad illius probationem, diſtinguo antecedens, fœmina ſe ſolâ poteſt tribuere ſemen eiuſdem ſpeciei, ac eſt ſemen viri, ſpecie eſſentiali, concedo: ſpecie accidentali, nego antecedens. Ex Gal. enim *lib. 1. de ſemine*, licet influxus teſticulorum in viro, & fœmina ſit idem ſpecie, alter tamen virilitatem, alter fœmineitatem ſuo indiuiduo communicat, ſic & accidentalem differentiam ſpecificam ſemini communicant.

Ad 3. negatur conſequentia: Quò imperfectiora enim ſunt entia paucioribus indigent inſtrumentis, quibus fiant, elementa ſolis primis qualitatibus inſtrumentaliter concurrentibus generantur, vegetabilia vnico ſemine à generante deciſo, animalia duplici indigent ſemine, & virili, & fœmineo, à quorum quolibet ſimul cum alio concurrente, & agente fieri petunt.

Ad 4. dicimus: Quòd à quouis vt partiali agente fit fœtus, non tamen in illo aſſignabilis eſt pars quæ vni potius, quàm alteri dicatur correſpondere; in productione enim entis phyſici, licèt diſpoſitio, quæ antecedit, diſponatur à pluribus cauſis agentibus, & circa vnam partem vni, circa aliam alij agenti correſpondeat, corrupta tamen forma antecedenti, in ea, quæ ſubſequitur, non requiritur quòd aſſignetur pars quæ potius fuerit facta ab vno agente, quam ab alio; ſic ſi duo ignes partialiter concurrant ad ignis generationem, antecedit in ligno pars vni potius, quàm alteri correſpondens in alteratione: ſed in igne genito noua forma, & nouum ens productum ſecundùm omnes partes ab omnibus agentibus dicitur fieri, & ſecundùm quamlibet, & idem dicendum de diſpoſitionibus ſubſequutis ad ipſam.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm in naturali generationum ordine maternitatis relatio fundetur in actiuitate aliqua?

§. I.

Negatiuæ partis Auctores, & fundamenta proponit.

NOn fundari maternitatis relationem in actiuitate contendunt plures in fœmina denegantes, vel ſeminis, vel ſaltem ſeminis prolifici productionem, ſolùmque admittentes pro materiali fœminæ principio maternum ſanguinem: ſic philoſophantur iam priùs citati Authores, ex Theologis D. Thom. 3. *p. quæſt.* 32. *art.* 4. Caietanus *ibidem*, & in 2.2. *q.* 154. *art.* 2. Durandus in 3. *diſt.* 3. *q.* 2. Mat ſilius *q.* 5. *art.* 1. Capreol. *diſt.* 4. *quæſt. vnic. art.* 3. Ex Phyſicis Alenſis 5. *methaphyſica text.* 29. Soncinas 8. *metaph. quæſt.* 16. Herueus *tract. de vnitate formarum q.* 18. Albertus magnus *lib.* 15. *de animalibus cap.* 11. *tract.* 2. *lib.* 16. *tract.* 1. *cap.* 1. ex Medicis Auic. *lib.* 9. *de anima cap.* 3. Auerr. 5. *collect. cap.* 10. Et ex moderníoribus Manuel Martinez, qui licèt ſemen prolificum à fœmina admittat generari, non in eius actiuitate poſſe fundari relationem maternitatis contendit, ſed in ſanguinis materiali principio, quod ſubſternit fœmina pro fœtus generatione.

Primò: quia D. Thom. fauet illi 3. *p. q.* 32. *art.* 4. dicens: *Etenim & in ipſa conceptione Chriſti Domini Beata Virgo nihil actiuè operata eſt, ſed ſolùm materiam miniſtrauit*: ſed in Beata Virgine fuit vera ratio maternitatis: ergo ſolum in materiæ miniſtratione, & non in actiuitate fundata eſt maternitas.

Secundò: actiuitas potius videtur fundare rationem paternitatis, quàm maternitatis: ergo non eſt dicendum ipſam requiri in fœmina, vt ſit vera mater. Probatur antecedens, quia vir totum peculiare, quod habet, eſt, ſecluſo principio ſeu ſemine effectiuo, illa actiuitas, qua videtur aliquid peculiariter facere, quod non facit fœmina: ſed ſi fœmina haberet aliquam actiuitatem in fœtum, potius deberet actiua dici, quàm vir: ergo non eſt actiuitas admittenda in fœmina.

Tertiò: præter actiuitates vteri, aut ſanguinis menſtrui, quæ non ſunt admittendæ, ſolum reſtat, quod in fœmina admittatur actiuitas in ſemine qua præparet materiam: ſed hæc non ſufficit: ergo non fundatur in aliqua actiuitate. Probatur minor, nam hæc eadem actiuitas etiam reperitur in ſemine viri; ſed hæc non fundat relationem maternitatis: ergo nec actiuitas, qua fœminæ ſemen materiam præparet.

§. II.

In actiuitate maternitatis relationem fundari contendit.

REſoluendum: Quod in communi generationum ordine, maternitatis relatio fundatur in actiuitate. Huic fauet opinioni eorum cohors, qui fœminæ adſcribunt prolificum ſemen, ex Medicis Hipp. *lib de genitura*. & Galen *lib.* 6. *de locis affectis cap.* 5. *lib.* 2. *de ſemine cap.* 4. Feruelius *cap.* 6. *lib.* 7. *philologia*. Valles *lib.* 2. *controuer.* Valleriola *lib.* 1. *de locis communibus c.* 17. Leuinius Lemnius *l.* 1. *de occult. naturæ miraculis cap.* 1. Veſalius *lib.* 5. *de fabrica corporis humani cap.* 15. Thomas de Vega *in* 6. *lib. Galen. de locis affectis*. Ex Theologis Scotus *in* 3. *d. q. vnic.* Bonauentura *quæſt.* 1. Maior. *quæſt.* 3. *art.* 4. Gabriel, & alij, Conimbricenſes *lib.* 1. *de generatione. & corruptione. cap.* 4. Differunt tamen in hac aſſignanda actiuitate; alij enim in vtero effectricem vim collocant; alij eius attrahentem, & commiſcentem actionem ſufficere conantur, alij ſanguini menſtruo agendi vim tribuunt; in conformatrice ſeminis fœminei actiuitate ponimus eum Doctore Serna *lib.* 1. *tract.* 1. *de principiis generationis*, actiuitatem.

Probatur 1. Eodem modo concurrit effectiuè ad fœtus productionem fœmineum ſemen, ac ſemen virile cum aliqua accidentali differentia tantùm: ſed in virilis ſeminis actiuitate ex communi conſenſu fundatur paternitatis relatio: ergo in fœminei ſeminis concurſu ad fœtum debet ſimiliter fundari maternitatis relatio. Probatur minor ex Galen. *lib.* 14. *de vſu partium. cap.* 7. ait enim: *Si ſemen fœmina motus habet principium omnino eiuſdem*

cum mare motus habet principium, ipſúmque oportet cum ſemine maris miſceri, & dum demum veluti vnum poſtea augeri: & ſuperaddit, *quod ſi ita eſt, miſcetur cum eo eſt neceſſe, atque ita vtrunque ſemen in vnum motum conſpiret, &c.* A

Probatur 2. Ratione ex Conimbricenſibus deducta. Mater refertur ad filium relatione reali, quæ fundatur, vel in paſſione, vel in actione: non in paſſione, nam filius eſt qui generatur, non verò ipſa mater: ſed qui generatur fundat relationem in paſſione: ergo mater fundat ſuam relationem in actione.

Dices cum Scoto 3. *p. diſt.* 4. *quæſt. vnic.* Quòd actiuitas, à qua prouenit actio, quæ maternitatis eſt fundamentum, non eſt in fœmineo ſemine, ſed in matris vtero, cuius anima concurrit ad fœtus productionem. B

Sed præterquam quòd Scotus impugnari ſolet, quia inſtrumenti actionem exterminato contendit, diſplicet tamen, quia in viro ad effectiuum concurſum ſufficit actio ſeminis media qua ponitur vltima diſpoſitio pro fœtus forma: ſed matris ſemen, vt probauimus, eſt eiuſdem naturæ: ergo eiuſdem actiuitatis, & ſuperflua conſequenter vteri actio in hunc finem.

Dices 2. Quòd actiuitas vteri, qua ſemen attrahit, coniungit, aut commiſcet, ſufficit, vt in eius actione fundetur maternitatis relatio.

Contra ſtat: Tum quia per illam non ponitur vltima diſpoſitio pro forma fœtus, quod requiritur, vt mater verè dicatur illius cauſa: Tùm quia ſemine vtroque attracto, & commixto, poteſt impediri introductio formæ fœtus: ergo non fundatur in illa relatio maternitatis. C

Dices 3. In ſanguine menſtruo eſſe actiuitatem, media qua, fœmina concurrat effectiuè ad fœtus formationem, & in qua fundetur relatio maternitatis.

Contra, ſanguis menſtruus, ſi haberet effectiuum concurſum ad fœtus formationem, fruſtra in viro, ac fœmina eſſet ſeminis generatio: ſed ſeminis vtriuſque neceſſitas demonſtratur à Galen. *lib. de ſemine*, quia vtriuſque effectiuus concurſus requiritur pro efformando fœtu: ergo in ſanguine non datur huiuſmodi actiuitas. Probatur antecedens, quia cum vtriuſque ſanguis ſit eiuſdem rationis, in vtroque eſſet eadem virtus, & ſuperflua eſſet ſeminis productio in hunc finem. D

Dices 4. cū Emmanuele Martinez, quòd maternitatis relatio nec fundatur in actione, nec in paſſione, ſed in dependentia vnius in ſui productione ab aliis.

Contrà: relatio maternitatis eſt relatio realis prædicamentalis: ergo debet habere aliquod ex fundamentis, in quibus debent fundari relationes reales prædicamentales: ſed dependentia vnius in ſua productione ab aliis non eſt fundamentum pro prædicamentali relatione: ergo in actione, aut paſſione fundari petit. Probatur minor, ex Ariſt. doctrina *lib.* 5. *metaph. c.* 15. In vnitate, aut numero, in menſura, aut in actione, aut paſſione relationes fundari prædicamentales docet, & in actione, & paſſione filiationis, & paternitatis, aut maternitatis relationes fundari eſt communis doctrina. E

Probatur 3. Omnibus rationibus, quibus antecedenter probauimus fœmineum ſemen eſſe neceſſarium pro fœtus formatione, & præcipuè contra Martinez, qui *lib.* 1. *tract.* 5. 4. *q.* 6. admittit ſemen fœmineum ita effectiuè concurrere ſicut ſemen virile: ergo actio generatiua, qua fœmina, medio ſemine, attingit fœtus formationem, erit æquè apta fundare maternitatis relationem, ſicut actio qua vir, medio ſemine, attingit fœtus formationem, apta eſt fundare paternitatis relationem.

§. III.

Complutenſis Doctoris diluuntur fundamenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd D. Thomas intendit quòd Beata Virgo nihil actiuè fuerit operata, ſemen emittendo, non tamen quòd ipſum non generauerit, & poſtea fuerit ab Spiritu ſancto adductum in vterum, vt enim dicit Doctor Serna *lib.* 1. *de principiis gener. c.* 27. In Verbi Domini conceptione Spiritus ſanctus tanquam cauſa efficiens ex puriſſimo matris ſanguine fecit portionem illam materiæ virilis, quæ erat neceſſaria ad omnium perfectiſſimum corpus efformandum, ad veram igitur maternitatem Sanctiſſimæ Virginis, inquit, neceſſariū fuit præbere omne id, quod naturaliter omnes reliquæ matres præbent: ſed non aliter potuit Maria Virgo præbere portionem ſanguinis tranſmutatam ab inſtrumentis ſeminalibus, ac ſanguinem genitum ab hepate, & ſanguinem, & ſpiritum, genitum à corde: non igitur negandum eſt in Virgine iſtud naturalis maternitatis complementum. Quemadmodum enim Spiritus ſanctus abſque aliqua immutationis tactus ſuſpicione congregauit in vtero ſanguinem genitum ab hepate, ſic potuit etiam congregare ſanguinem immutatum à dictis inſtrumentis.

Ad 2. diſtinguo antecedens: Actiuitas potius videtur fundare relationem paternitatis, quàm maternitatis, ſi ſit actiuitas fœminea, nego: ſi ſit virilis actiuitas, qualis eſt quæ reperitur in virili ſemine, concedo antecedens. Licèt enim in vtroque ſemine ſit actiuitas, in ſemine viri virilior eſt actiuitas, quod apparet in fœtu; ideò enim viragines aliquæ euadunt mulieres, quia licet virile ſemen fœmineum euincere non potuit pro viri generatione, bene tamen, vt aliqualis in fœmina reluceat virilitas, & è contra in effœminatis viris contingit.

Ad 3. negatur minor: Et ad probationē, diſtinguo maiorem: hæc eadem actiuitas etiam reperitur in ſemine viri, eadem ſecundùm ſpeciem ſubſtantialem, concedo: eadem ſecundùm ſpeciem accidentalem, nego maiorem. Sicut enim teſticuli viri illi virilitatem tribuunt; & fœminæ teſticuli fœmineitatem, vt docet Galen. *lib. de ſemine c.* 4. Sic in viro generatur ſemen cum tali modo virilitatis, & in fœmina fœmineitatis, per quos differunt ſpecifica accidentali differentia, quæ ſufficit modificare diuerſo modo actionem concurrendi ad fœtum, vt poſſent fundari in illa diuerſæ relationes maternitatis, & paternitatis; & iſte diuerſitatis modus à poſteriori cognoſcitur in fœtu, ideò enim licèt non diuerſæ in ſpecie aliquæ mulieres fiunt viragines, & aliqui viri effœminati, aliquando verò medio modo contemperati homines fiunt.

SECTIO II.

De ſanguine menſtruo.

FRigidiorem verò fœminam conformauit Summus Opifex, vt qui gignitur ſanguis calore non conſumptus redundaret, & ſuperfluus ſuppeditaret in vtero materiam pro partium fœtus conformatione, & augmento; qui verò in hunc non deſeruit finem, ne nimis retentus noxior redderetur, ſuperfluúsve aberraret per corpus, deſtinatum ſuæ receptionis adaptauit pro loco vterum, pro expulſione periodicum temporis ſpatium, de quo, & illius natura, ſub hac diſputatione agemus.

RESOLVTIO I.

Vtrùm menſtruus ſanguis ſit neceſſarius pro fœtu?

§. I.

Suadetur pars negatiua.

VIdetur quòd non, primò: Sanguis menſtruus ſi eſſet neceſſarius pro fœtu, vel pro eius generatione, vel pro eius nutricatu: ſed pro nullo ex his eſt vtilis: ergo non eſt neceſſarius. Probatur minor, ſanguis menſtruus ex Hipp. radit terram velut acetum, & mordet vbicumque mulierẽ contigerit, & vteros exulcerat, & ex Plinio ſi menſtruo ſanguine tenella vitis tãgatur, in perpetuum læditur. ſteriles fiunt tactu fruges, moriuntur inſecta, exuruntur hortorum germina, hebeteſcit ſpeculi candor, eboriſque nitor, canes in rabiem aguntur, ferrum rubigine obducitur: ergo nullo modo pro formatione, aut nutricatu fœtus vtilis eſſe poteſt.

Probatur 2. Si ſanguis menſtruus eſſet neceſſarius pro fœtus formatione, vel vt efficiens, vel vt materialis illius cauſa: ſed neutro modo: ergo non eſt neceſſarius. Probatur minor, pro conformatione ex Galen. *lib. de ſemine*, efficiens adæquatum eſt vtrumque ſemen virile, & fœmineum, & vtrumque ſecundum craſſiores partes materiam pro fœtu ſubſteruit: ergo ſanguis menſtruus non eſt neceſſarius.

Probatur 3. Si ſanguis menſtruus eſſet neceſſarius pro fœtus formatione, non poſſet ſine illo fieri conceptio: ſed ſine illo fieri poteſt: ergo quia non eſt neceſſarius. Probatur minor ex Ariſt. *lib. 3. de hiſtoria animal. c. 2.* inquit enim, *Conceptus mulieribus à profluuio menſtruorum ſua natura contingit, & quæ his carent, ſteriles magna ex parte exiſtunt, verùm fieri poteſt, vt aliquæ etiam ſine eorum effluuio concipiant,* &c. Ergo ſine menſtruo ſanguine, qui ſi adeſſet, cùm ſuperfluus ſit, non poſſet non effluere.

§. II.

Tenenda pars ſancitur.

REſoluendum: Menſtruum ſanguinem ſimpliciter eſſe neceſſarium pro fœtus formatione, & nutricatu. Sic docet Hipp. *lib. de genitura de morbis virginum, de morbis mulierum*. Galen. *lib. de ſemine, de natura fœtus, lib. 2. de ſanitate tuenda. lib. 3. & 14. de vſu partium, lib. 8. de placitis. lib. de naturalibus facultatibus. lib. 5. aphoriſm. lib. de vena ſectione*, Ariſt. *de hiſtoria animal.* & communis Philoſophorum, & Medicorum aſſenſus idem tenet.

Probatur 1. Deſtinatum generandi tempus in fœminis eſt vt in plurimum ab anno decimoquarto, vſque ad quinquageſimum: ſed idem eſt tempus deſignatum pro menſtruo effluuio in mulieribus: ergo quia ad fœtus formationem, & nutricatũ requiritur ſanguis menſtruus, aliàs in alio quocumque tempore poſſet generari.

Probatur 2. In viro menſtruus non redundat ſanguis, redundat tamen in fœmina: ergo quia in illo eſſet inutilis, vtilis verò in ipſa; natura enim nihil redundans molitur: ſed non ob aliam rationem poteſt in fœmina redundare, niſi quia eſt neceſſarius pro generatione, & nutricatu fœtus: ergo in hunc finem eſt neceſſarius. Probatur minor, nam in ſolo illo tempore. quo illo indiget pro generatione fœtus, & nutritione redundat in illa.

Probatur 3. Fœtus conformatio, & illius nutricatus, & augmentum, quæ in vtero reperiuntur, petunt fieri ex aliqua materia in hunc finem apta, & ſufficiente: ergo vel ex ſemine, vel ex ſanguine menſtruo: ſed ſemen non ſufficit pro tanta mole, vt conſpicitur: ergo ſanguis menſtruus, qui primo adfuit, & continuò ſubſequitur, in hunc finem materiam ſubſternit.

§. III.

Solutio datur primò propoſitis.

AD 1. diſtinguo minorem: Sanguis menſtruus ad horum nullum eſt neceſſarius, vt omninò noxius, & qualitate peccans, concedo: vt ſola quantitate talis, nego minorem. Omnes enim adductas inducit noxas ſanguis qualitate peccans, vtilis tamen eſt, qui ſola redundat quantitate.

Ad 2. negatur minor: Quia cùm non poſſet ſemen vtrumque requiſitam ſubſternere materiam, nec tractu temporis poſſet ſufficere pro nutritione, & augmento partium, in hunc finem ſanguinem menſtruum ſufficiens principium fœminis condonauit natura.

Ad 3. patet ex Ariſt. adducta authoritate ſanguinem menſtruum eſſe neceſſarium, & ſine illo copioſiore rarò contingere fœtus formationem, & ſi ſine menſtruis erumpentibus fiat quandoque, id contingit, quia ex copia in vtero redundante fit, quæ in fœminæ nutritionem retenta, eſt in ea copia quæ ſolet dum finitur menſtrua purgatio, vt docet Ariſt.

RESOLVTIO II.

Vtrùm rectè diffiniatur ſanguis menſtruus?

§. I.

Aliquorũ diffinitiones adducuntur, & Andreæ Laurentÿ diffinitio examinatur.

ARiſt. *lib. 1. de generat. animal. c. 30. & lib. 4. de partibus animal. c. 10.* Gal. *lib. 14. de vſu partium c. 8.* aſſerunt quòd ſanguis menſtruus eſt profluuium ordinatum ſanguinis excrementitÿ vtilis, ſed crudi: ex quorum doctrina Rodericus à Caſtro *lib. 2. de natura mulierum c. 9.* & Ioannes Bapriſta Cortes *in miſcellaneis decad. 10. q. 4.* Sanguinem menſtruum dicunt eſſe ſanguinem in muliere ſuperuacaneum, crudum, ſed vtilem, ordinatè, & ſecundum naturam profluentem. Sic Carreitus *de locis affectis diſp. 68. c. 1.* ait quòd eſt: Excrementum, quod certis temporibus, & debita periodo per vterum expurgatur ad animalis generationem, & nutritionem. Fonranus *p. 1. artis medicæ c. 7.* dicit quòd eſt, Excrementum ſuperfluum ſingulis menſibus eiectum per vterum, exiſtens alterum generationis fœtus principium. Varandæus *lib. phyſiologiæ ſect. 7. c. 3.* dicit quòd eſt, Portio, ſiue reſiduum alimentariæ materiæ in fœminis, ab eadem materia eiſdem partibus ſimili tempetie & coctrice vi elaboratum, vnde eiſdem qualitatibus, & natura præditum omninò neceſſe eſt. Ex his autem diffinitionibus Andreas Laurentius *lib. 3. de hiſtoria anatomica c. 3.* ſanguinis menſtrui diffinitionem adintegrat ſic: ſanguis menſtruus eſt, *Excrementum alimenti vltimi partium carnoſarum, quod certis temporibus, & ſtatis periodis, moderata quantitate per vterum expurgatur ad animalis generationem, & nutricatum*, & de hac dubitamus an ſit perfecta. Conantur illam abÿcere Moxius *lib. 1. de morborum acutorum curatione per venæ ſectionem*

num. c. 19. cui ſubſcribit Ioannes Baptiſta Cortés, *loco citato*, ſuperfluam iudicantes vltimam particulam.

Primò: ſi ſanguis menſtruus eſſet neceſſarius pro nutritione, & generatione fœtus, neceſſariò ſemper deberet ille ſanguis in hunc finem in vtero ſeruari: ſed non ſemper ſeruatur, nec ſeruari debuit, aliàs ſua qualitate maximas inferret noxas fœminæ: ergo particula illa redundat.

Secundò: ex Gal. 5. *de cauſis ſymptomatum c. 2.* euacuatio menſtrua eſt ſecundum naturam: ſed ſi eſſet ſanguis menſtruus neceſſarius, eſſet præter naturam, cum euacuaretur, quod retineri deberet: ergo particula illa eſt ſuperflua.

Tertiò addit Cortés: in illis fœminis, quæ generant, & nutriunt fœtum, eſt ſecundum naturam, & retinetur: ergo reſpectu reliquarum ſaltem non abſolutè eſt verum, quòd ſit pro nutricatu, & generatione neceſſarius.

§. II.

Laurentij diffinitiò completa iudicatur.

Reſoluendum: Quòd vltima diffinitio, nec diminuta eſt, nec ſuperflua. Amplectitur Zacutus *tom. 9. c. 6.* & conſtat, quia ex eodem Laurentio exprimit materiam, efficientem cauſam, tempus vniuerſale, particulare, quantitatem, vias, & vſum, qui habet finalis cauſæ rationem. Materia ſanguinis menſtrui eſt, quod reſiduũ ex alimento redundat in fœminis, quæ quia frigidior, ipſum abſumere non valet, & ideò in quanto excrementum fit, quod ideò expultriciæ fit obiectum, & expellitur certis temporibus, & ſtatutis periodis, quia tunc aggregatur, vt redondans irritat, vt irritans excernitur per vterum determinatè, vt pro tam neceſſaria euacuatione eſſet locus determinatus, & vt ante expulſionem poſſet retineri, in quibus pro generatione, aut fœtus alimonia eſſet vtilis.

§. III.

Vendicatur diffinitio à calumnijs Moxij.

Ad 1. diſtinguo maiorem: Neceſſariò in hunc finem deberet ſeruari, dum pro illo fiue fœminæ eſt vtilis, concedo: dum non eſt ob illum finem vtilis, nego maiorem: in diffinitione enim non dicitur, quod ſemper, & in omni fœmina deſeruiat pro fœtus generatione, & nutricatu: ſed quod ſemper à natura expellitur per vterum, vt retineatur, dum fuerit vtilis pro generatione, aut nutricatu fœtus.

Ad 2. diſtinguo minorem: Si eſſet ſanguis menſtruus neceſſarius, eius euacuatio eſſet præter naturam, reſpectu eius fœminæ in qua in hunc vſum eſſet vtilis, concedo: reſpectu fœminæ in cuius vtero non eſt vtilis in hunc finem, nego minorem. Vt enim diximus non omnis ſanguis menſtruus eſt neceſſarius pro generatione, aut nutricatu, ſed euacuatio illius per vterum eſt neceſſaria pro generatione, & nutricatu, vt deſeruiat in hunc finem, in quo fœminæ fuerit vtilis.

Ad 3. diſtinguo conſequens: In reliquis ſaltem non eſt verum, quòd ſit pro generatione, & nutricatu neceſſarius eius deſcenſus per vterum, nego: eius materia in illo, concedo conſequentiam; licèt enim non deſeruiat in omni fœmina ſanguis menſtruus pro generatione, aut nutricatu fœtus, in omni fœmina eſt neceſſarius deſcenſus per vterum, vt in illo in hunc finem retineatur, dum fuerit vtilis.

A

RESOLVTIO III.

Vtrùm menſtruus ſanguis peccet in quali, aut quanto?

§. I.

Peccare in Quali, authoribus, & rationibus fulcitur.

B Omnem quemcumque menſtruum ſanguinem peccare in quali, non ſolùm manifeſta, ſed occulta vi patrocinatur Plinius *lib. 28. naturalis hiſtoriæ c. 7. lib. 7. cap. 15.* Ariſt. *lib. 3. de hiſtoria animal. c. 19.* quem Auerroës ſequitur. Columella *de re ruſtica lib. 11. c. 3.* Aelianus *lib. 6. de animal. cap. 36.* Solinus *in Polyſtore, hiſt. 14.* ſubſcribũt moderniores Fernel. *lib. phyſiolog. c. 7.* Baluerde *lib. 3. anatomiæ c. 17.* Zacutus *lib. 1. c. 6.* partim etiam ſubſcribit Gentil. 38. *extrauagantium*, ſanguinem menſtruum, qui pro nutritione, & fœtus formatione deſeruit, quantitate; illum qui periodis, & ſtatutis ſecernitur periodis, ſola qualitate contendens peccare.

Probatur 1. Sanguis menſtruus ex Hip. *lib. de morbis vulgaribus, & lib. de morbis mulierum*, terram radit veluti acetum, & mordet vbicumque mulierum contigerit, & vteros exulcerat, ex Ariſtot. *lib. 4. de natura animal.* C *c. 19.* vitiatus, ægrotanſque eſt, ex Floro, *apud Plutarchũ* vitioſus eſt, ex Plinio ſi menſtruo ſanguine tenella vitis tangatur in perpetuum læditur, ſteriles erunt tactu fruges, moriuntur inſecta, exuruntur hortorum germina, hebeteſcit ſpeculi candor, eboriſque nitor, canes in rabiem aguntur, ferrum rubigine obducitur, à fœminis illius ſentitur mordicatio, fiunt male coloratæ, & imbecilles dum fluit menſtruum, muſtum aceſcit, prægnans mulier menſtruo ſanguine alterius circumlinita abortit, & non gerens vtero ſterilis fit, ex eius potu fiunt homines fatui, ac ſiderati, ex concubitu cum menſtrua ſuperuenit lepra, & ex Hipp. *lib. de virginum* D *morbis*, ex ſanguine menſtruo retento fiunt febres erronæ, horror, inflammatio ſcura, clamor, putredo, inſania, mœror, ſtrangulatio, timor, formido: & ex eodem *lib. 1. de morbis mulierum*, iuxta diuerſas partes, in quas irruit, diuerſos parit effectus, in vtero flegmonas, carcinomata, eryſipelata, ſchirros, in hepate cachexiam, icterum, hydropem, in liene obſtructionem, ſchirros, in ventriculo malaciam, appetentiam deprauatam in corde ſyncopem, in pulmone tabem, & in reliquis partibus alios diuerſos effectus iuxta cuiuſque naturam: ſed hæc omnia non poſſunt prouenire ex ſolo vitio in quantitate: ergo proueniunt quia ſanguis menſtruus peccat in venenoſa qualitate.

Probatur 2. Moyſis edicto interdictum erat, ne mu- E lier mẽſtruata templum ingrederetur. Gal. communem Medicorum aſſenſum eſſe affirmat *lib. de tumoribus*, & huic ſentiendi modo videtur adhærere, & D. Thom. docens *in 4. diſt. 32. art. 2. quæſtiuncula 2.* prohibitum fuiſſe viro ad menſtruatam accedere vxorem; ex legibus Zabrorum hominum ſocietas interdicebatur, quibus fluebant menſes: ex Chirurgicorum experientia filamenta ex induſiis earum, quibus erant menſtrua, incurabilia reddunt vlcera: ex Indis Naires pollutos ſe iudicant ex menſtruatæ contactu: ergo quia in venenoſa menſtruus ſanguis peccat qualitate.

Probatur 3. Si ſanguis menſtruus ſolâ quantitate redundaret, tunc aptius fieret conformatio fœtus, quando maior eius redundaret copia pro materia ſubſternenda ad eius productionem: ſed ex Hipp.

doctrina poſt menſtruam purgationem vt in plurimum A mulieres fiunt grauidæ: ergo quia per illam euacuata fuit non copia ſanguinis pro fœtu requiſita, ſed quæ ob ſuam venenoſam qualitatem erat noxia, & impediens fœtus formationem.

§. II.

Communis amplectitur doctrina.

Reſoluendum: Quòd menſtruus ſanguis in fœminis boni habitus ſola quantitate peccat. Sic tenet communis Medicorum conſenſus, præcipuè inter moderniores Carteius *de locis affectis, diſp.* 58. *cap.* 8. Andreas Laurentius *de re anatomica lib.* 8. *q.* 8. Fontanus *vniuerſæ artis medicæ part.* 2. *cap.* 7. Varand. *lib. phyſiologiæ ſect.* 7. *c.* 3. Duncanus *lib.* 1. *phy-* B *ſiolog. cap* 13. Rodericus de Caſtro *lib.* 2. *de natura mulierum cap.* 10. Ioannes Baptiſta Cortés *miſcellanearum decade* 10. *q.* 4. Mercatus *lib* 1. *de affectionibus mulierum cap.* 4. Georgius Bettinus *lib.* 4. *cap.* 4. Heurnius *inſtitutionum medicinæ lib.* 5. *cap.* 6. Albertus Bonus *de morbis mulierum cap.* 13.

Probatur 1. Summi Dictatoris edicto *lib. de natura pueri, & lib.* 1. *de morbis mulierum, effluit mulieris ſanguis veluti à victima, & citò concreſcit, ſiquidem ſana ſit*: ſed laudabiles ſanguinis ſunt huiuſmodi conditiones: ergo in muliere ſana menſtruus ſanguis ſola quantitate peccat.

Probatur 2. Sanguis menſtruus, qui ſtatis periodis C deberet purgari per vterum, eſt materia, ex qua fit lac pro fœtu alendo: ſed materia, ex qua fit lac laudabile, & vtile pro fœtu alendo, nullo modo poteſt eſſe prædita qualitate venefica, aliàs eadem reluceret in lacte, & eius productionem impediret: ergo menſtruus ſanguis nulla venefica qualitate eſt infectus, ſed ſola quantitate luxurians excernitur. Probatur maior. Tum ex Galen. *lib. de vena ſectione aduerſus Eraſiſtratum cap.* 8. & *lib.* 14. *de vſu partium*: Tum, quia toto tempore lactationis menſtrua deficit purgatio: ergo prouenit, quia ex ſanguine illo menſtruo generatur lac.

Probatur 3. Si ſanguis menſtruus eſſet veneficus, noxas venenoſi humoris perſentiret fœmina, pauciores D dum in minori copia incipit aggregari; plures, dum accreſcit; & maiores, dum in maiori copia per vnum detinetur menſem, aut per plures, vt contingit plerumque: ſed ſine ſenſibili noxa viuunt non cacochymæ mulieres: ergo quia ſola gaudet excedente quantitate.

Dices: quod propter conſuetudinem ſenſibilem non percipiunt noxam.

Contra eſt tunc: quòd à malè humoratis, & in quibus ratione qualitatis malignæ aliquando ſubreſcit maligna qualitas, perſentitur; quod idem contingeret in reliquis: Tùm quòd ſaltem dum primò fluunt menſes in non aſſuetis, deberent ſymptomata venenoſi E humoris ſentiri: Tum quia venenoſis, mortiferíſque qualitatibus à tota ſubſtantia non aſſueſcit natura: ergo nec ſufficeret, vt non perciperent noxam.

Probatur 4. Sanguis menſtruus eiuſdem rationis eſt, ac ſanguis, ex quo fœmina, & vir nutriuntur: ſed fœmina, & vir laudabili nutriuntur ſanguine: ergo menſtruus ſanguis ſecundum ſuas qualitates laudabilis eſt. Probatur maior; menſtruus ſanguis ex eadem fit materia, ab eodem iecoris calore, in eundem finem: ergo eandem nanciſcitur & formam, & temperiem.

Probatur 5. Sanguis menſtruus redundat in fœmina ex naturæ prouidentia, vt ex illo præbeat materiam pro fœtu generatione, pro fœtus alimonia in vtero, & A poſtea in tempore lactationis: ſed ad nullum ex his eſſet vtilis, ſi eſſet naturâ venenoſus: ergo laudabilis eſt, & ſola quantitate peccans.

Probatur 6. Sanguis menſtruus ſtatutis periodis petit expelli: ergo ſanguis menſtruus non peccat ſola venefica qualitate. Probatur conſequentia, ſi ſola qualitate venefica peccaret, media illa fieret obiectum facultatis expellentis, cùm eſſet à tota ſubſtantia noxa, & irritans pro ſui expulſione: ergo ſine ſtatutis periodis toto tempore, quo, vt venenoſus deueniret ad vterum, expelleretur, cùm eſſet obiectum facultatis naturalis expellentis intra ſphæram ſuæ actiuitatis, & ſine impedimento alio ad ſui expulſionem.

§. III.

B

Plinio, Fernelio, & reliquorum experientiis fit ſatis.

Ad opinionem contrariam reſpondemus, quòd nomine ſanguinis menſtrui intelligimus euacuationem quæ ſtatutis periodis fit per vterum, hæc ſecundùm eſſentiam conſiſtit in euacuatione determinatæ ſanguinis portionis, quæ ex inſtituto naturæ reſultat ea ea quantitate, quæ ab ipſa generatur, & ordinatur, vt materiam ſubſternat pro fœtus formatione, alimonia in vtero, aut pro lactis generatione, & hæc ſanguis portio talis, eiuſdem naturæ eſt in C ſubſtantia, & qualitatibus cum ea, quæ à fœmina producitur in ſui alimoniam, & ideò, quæ ſuperfluens in vterum delata ob ſui copiam irritat ad ſui expulſionem, dicitur menſtruus ſanguis, ſoláque quantitate à perfectiori alia ſanguinis parte & ſeparatur, & excernitur; contingit tamen plerumque, vt in fœminis mali habitus indebitámque habentibus diſpoſitionem ſanguinis maſſa fiat à iecore cacochyma, & in eius natura vtitur pro ſui alimonia eis humoribus, qui debitam nanciſcuntur temperiem, pellit tamen ſuperfluam ſanguinariæ maſſæ portionẽ, & cacochymam, ea autem pars ſanguinis à reliquis benè temperatis humoribus ſegregata, & ſine eorum conſortio ſeparata, & ſine debita ventilatione in vtero coaceruata, D in indebitam, & venenoſam abit naturam, & mediis deleteriis, quas adquirit, qualitatibus, prorumpit in omnes noxas, quas contrariæ opinionis aſſertores referunt; ex quibus patet, quid pro illis dicendum.

Vtrùm immediata cauſa periodicationis ſanguinis menſtrui ſit Luna?

§. I.

Laurentij relinquitur opinio; communis refertur.

E Andreas Laurentius *lib.* 8. *de hiſtoria anatomica q.* 10. ad naturæ motus, ad incognitáſque illius leges recurrit, incognitam relinquens huius difficultatis reſolutionem. Rodericus de Caſtro *lib.* 2. *c.* 10. & plerique Authorum ad Lunam huius motus reducunt cauſam.

Primò ſuaderi poteſt ex Ariſt. *lib.* 2. *de generat. animal. c.* 4. *lib.* 7. *de hiſtoria animal. c.* 2. vbi docet, quòd decreſcente luna vt in plurimum mouentur menſtrua, quia luna ob prædominium humiditatis fœmineæ naturæ tribuitur: ergo illi adſcribendus eſt menſtruorum motus.

Secundò: ſi ſanguis menſtruus non euacuaretur à luna, maximè, quia cùm ſit excrementum ſua ſaltem quantita

quantitate valens irritare expellentem noſtri corporis facultatem, ſufficit pro eius expulſione expultrix vteri virtus: ſed hæc ratio non obſtat: ergo expellitur ratione lunæ. Probatur minor, ſi expelleretur à naturali vi expultrice, quotidie expelleretur, ſicut quotidie expelluntur ſerum à renibus, bilis ab hepate, ventris excrementa, & tertiæ regionis ſordes: ſed non niſi per menſium periodos expellitur: ergo non obſtat, quòd ſit excrementum, & vt tale, obiectum expultricis.

Tertiò: menſtruorum periodus regulariter petit vnoquoque menſe fieri, ex Hipp. *lib. de ſeptimeſtri partu* ſed in ipſo menſe nulla poteſt aſſignari cauſa localiter motiua ſanguinis, vt patet: ergo referenda eſt ad aſtra præcipuéque ad lunam; cuius motus regularis, & proportionatus eſt cum quolibet menſe.

§. II.

Efficiens cauſa expulſionis menſtruæ deſignatur.

RESoluendum 1. Quòd cauſa per ſe localiter efficienter menſtruum ſanguinem mouens eſt facultas expultrix vteri, & reliquarum partium, per quas euacuatur.

Probatur 1. Menſtruus ſanguis mouetur localiter ad ſui expulſionem non ab intrinſeco, cùm non ſit viuens; non à luna, aut ab Aſtris, quæ in nos non locali, ſed alterationis motu agunt: ergo ab aliqua facultate C localiter mouente ad extra debet trudi, ergo ab expultrice reliquarum partium, per quas mouetur.

Probatur 2. Sanguis menſtruus eſt obiectum facultatis expultricis vteri, & reliquarum partium, per quas truditur: ergo ab expultrice illarum vi extra mouetur. Conſequentia conſtat, cum non ſit extra ſphæram ſuæ actiuitatis. Probatur antecedens ſanguis menſtruus, vt conſtat ex dictis, eſt excrementum peccans in qualitate, aut ſaltem in quantitate: ergo eſt obiectum facultatis expultricis.

§. III.

Periodicationis menſtruæ purgationis cauſa aperiuntur.

RESoluendum 2. Fit regulariter in vnoquoque menſe menſtrui ſanguinis expulſio, quia non breuiori tempore colligitur copia quæ in quantitate grauet, & quia ea lunæ motu commotus, aut rarefactus ſanguis expultricem irritat.

Probatur 1. pars: In extenuatis, & in eis, quæ aliquam ſanguinis magnam perpeſſæ ſunt euacuationem; in puellis, in quibus non redundat ſanguis, & in ætate grandioribus; in viraginibus, & nimis exercitatis, in quibus ob caloris copiam maior fit reſolutio, in prægnantibus, & lactantibus, & aliis, in quibus E ſanguis non redundat, non fit periodica euacuatio: ergo ille paulatim adauctus donec expultricem irritet, eſt cauſa periodicationis.

Probatur 2. In fœminis, in quibus maior abundat ſanguinis copia, per ſeptimanas ſolet contingere menſtrualis euacuatio: ergo ſanguis ita adauctus, vt irritet in ſui expulſionem, eſt cauſa huius, vel illius periodicationis.

Probatur 3. Tunc fit periodica euacuatio ab expultrice facultate, quando ponitur illius obiectum: ſed ſanguis menſtruus fit obiectum expultricis quando peccat in quantitate: ergo ipſe quatenus paulatim accreſcit in illam, eſt cauſa periodicationis.

Secunda pars reſolutionis patet. Luna, præcipuè

A dum plena eſt, vias latiores reddit, humores commouet, & in ſua humiditate rariores fiunt, aptioréſque, vt irritent quantitate: ergo coadiuuat luna ad menſtruam periodicationem ſe tenens ex parte obiecti locomotiuæ facultatis. Probatur antecedens, ex Macrobio *lib. 7. ſaturnal. c. 1.* qui hanc confirmat doctrinam his verbis: *Ergo non mirum, ſi ratione proprietatis, quæ ſingulis ineſt, calor ſolis areſacit, lunaris humectat. Hinc & nutrices pueros alentes operimentis obtegunt, cùm ſub luna prætereunt, ne plenos per ætatem naturaliter humectatos, amplius lunare lumen humectet. Hoc quoque notum eſt, quia ſi quis diu ſub luna ſomno ſe dederit, ægrè excitatur, & proximus fit inſano pondere preſſus humoris, qui in omne eius corpus diffuſus, atque diſperſus eſt proprietate lunari, quæ vt corpus perfundat, omnes eius aperit, & laxat* B *meatus*; & paulò infrà ait, *ſed neſcio quæ proprietas, & quænam natura ineſt lumini, quæ de ea defluit, quæ humectet corpora, & velut occulto rore madefaciat, cui admixtus calor ipſe lunaris putrefacit carnem, cui diutiùs fuerit infuſus.* Cur verò decreſcente luna, fiant potiſſimum menſtruæ purgationes, cauſa eſt, quia tunc corpora hominum, & animalium ſunt frigidiora, & humidiora, & mulierum præſertim, quæ hoc tempore humiditate externa veluti intumeſcunt, præſertim vteri vaſa quorum ora aperiuntur, & naturæ expellenti diligentiſſimè cedunt.

§. IV.

C *Argumentis adhibetur ſolutio.*

AD 1. reſpondetur: Quòd Ariſt. intendit, quòd luna ſit cauſa periodicæ euacuationis, quatenus ſe tenet ex parte obiecti ob rationes ex Macrobio adductas, ideò enim in plenilunio, & luna decreſcente, periodicatio mēſtruæ euacuationis ſuperuenit, quia ſanguis humiditate rarefactus in ſui expulſionem irritat, & iam expulſus vſque in idem tempus coaceruari non poteſt in ſufficiente quantitate, vt irritet.

Ad 2. negatur minor: Ad illius probationem, diſtinguo maiorem: ſi ſanguis menſtruus expelleretur ab expultrice, expelleretur quotidie, ſi eſſet in quantitate ſufficiente, vt irritet pro ſui expulſione, concedo: ſi in D minori copia ſit, nego maiorem. Sanguis enim menſtruus, cùm ſit reſiduum ex naturali ſanguine, in pauca quotidie redundat quantitate, donec tractu temporis per menſem peruenit ad eam, quæ ſua quantitate irritet, vt trudatur; indecens enim erat talis quotidiana euacuatio, impediretur enim conceptio, aliáque ſubſequerentur incommoda, quæ vitauit natura periudicatione menſtruali.

Ad 3. patet ex dictis in ſecunda reſolutionis parte.

E RESOLVTIO V.

Vtrùm menſtrua purgatio petat fieri per vterum?

§. I.

Negatiua pars ſuadetur.

VIdetur quòd non; ſi peteret fieri per vterum, per illum ſemper expurgaret natura ſanguinem menſtruum, ſicut ſemper per veſicam, lotium, per ventrem excrementa, per lienem melancholiam, per felleam veſiculam bilem expellit: ſed plerumque cum fœminarum ſalutis felicitate per plures alias mittit natura partes menſtruas purgationes: ergò

quia non habent à natura determinatum locum pro A ſui expulſione. Probatur minor, ex pluribus authorum obſeruationibus, Mercatus per digitum manus menſtrui ſanguinis eruptionem vidit: & nos vidimus. Hipp. 5. *aphoriſm.* 32. mulieri ſanguinem euomenti menſibus erumpentibu fit ſolutio: Amatus Luſitanus *centur.* 2. *curat.* 17. per os, & nares fœminam puerperij purgationes habuiſſe refert: Braſabolus per vbera mulieris menſes profluere obſeruauit. Aliæ per hæmorroidales venas expurgantur fœminæ: ergo quia non eſt aſſignatus à natura locus pro menſtrua euacuatione.

Secundò: ſi vterus eſſet deſtinatus locus pro menſtrua purgatione, deſtinatas deberet habere vias à natura ad ſanguinis attractionem, ſicut pro expulſione B cuiuſuis excrementi ſunt deſtinatæ in corpore: ſed in vtero nullæ ſunt viæ in hunc finem deſtinatæ, neq; internæ, neque externæ vtero: ergo non eſt vterus deſtinatus locus pro menſtrua purgatione.

Tertiò: ſi vterus eſſet deſtinatus locus pro menſtruo ſanguine euacuando, etiam deberet eſſe deſtinatus pro ipſo quotidie recipiendo, & reſeruando, donec in maiori copia collectus irritet pro ſui expulſione, ſicut contingit in reliquis vtis deſtinatis pro aliquo expellendo excremento: ſed vterus menſtruum ſanguinem continuò non valet recipere: ergo non eſt ad illius expulſionem à natura determinatus. Probatur minor, ſi quotidie reciperet ex coctionibus redundantem ſanguinem menſtruum, quotidie dum deſcenderet concitaret dolorem, cùm per vias, per quas tranſit, & præ mora extra proprium locum diu permanens ſine C ventilatione concreſceret, venenosámque acquireret naturam, & venenoſa concitaret ſymptomata: ergo vterus menſtruum ſanguinem non valet continuò recipere.

§. II.

Pars amplectitur affirmatiua.

Reſoluendum affirmatiuè. Communis eſt hæc doctrina, amplectiturque ex Ariſt. & Galen. in eorum ſcholis.

Probatur ab Auerroë *in lib.* 4. *de generat. animal. cap.* 4. Primò: ſanguis menſtruus abundat in corpore, D vt excrementum in quanto, & vt tale inutile ſit, & expulſione indiget: ergo debet aſſignari in corpore determinatus locus pro illius expulſione: ſed nulla alia pars ita apta poteſt aſſignari: ergo vterus eſt locus determinatus pro eius expulſione. Probatur minor, illa pars eſt aptior pro eius expulſione, quam natura conſignauit ad eius receptionem: ſed vterum conſignauit natura, cùm reliquæ partes ſint in fœminis, ſicut & in viris in alios vſus conſignatæ: ergo nulla alia pars ita apta poteſt aſſignari.

Probatur 2. Ab Auerroë ratione deſumpta ex parte finis, ſanguinem menſtruum redundantem fœminis condonauit natura, vt ipſe in vterum delapſus in conformatione fœtus deſeruiret pro partium forma- E tione, & ipſo conformato, pro eius alimonia: ergo dum delatus ad vterum in hunc finem non deſeruit commodius per ipſum, quàm per aliam quamcumque partem petit euacuari.

Probatur 3. Illa pars in corpore humano eſt condeſtinata à natura in alicuius ſubſtantiæ excrementitiæ euacuationem, per quam ſanitatis tempore ſine incommodo animalis plerumque, & in pleriſque contingit: ſed menſtruæ purgationis euacuatio talis eſt, dum fit per vterum: ergo ille eſt determinatus locus pro ſui expulſione.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. diſtinguo maiorem: Si menſtrua euacuatio peteret fieri per vterum, ſemper per illum eam euacuaret natura non impedita, concedo: impedita, aut à morboſa aliqua cauſa coacta, nego maiorem. Natura enim tam in ſanguinis menſtrui euacuatione, quàm alterius cuiuſuis excrementi ſemper intendit illorum euacuationem in expulſionem eius deſtinatam: ſed quia contingit aliquando ipſam impeditam eſſe, irritata natura commouet per varias corporis partes, donec aliquam adinuenit, tametſi minus aptam, qua expulſionem conſequatur; ſic per corpus in vtraque ictericia, per lienem, aut veſicam repurgandus humor partitur.

Ad 2. negatur minor: Separat enim natura ſanguinem in vſum propagandæ ſpeciei per venam cauam deſcendentem, & diuaricatam variis ramis, in hunc finem tranſmittit partim ad vteri collum, partim ad illius corpus, in quarum partium venis retinetur vſque ſuâ mole irritet ad ſui expulſionem.

Ad 3. negatur minor: Laxæ enim vteri ſunt partes molle, laxum, & fungoſum mulieris corpus, & ideò aptum ad ſanguinis receptionem, nullamque fœmina ex retento ſanguine percipit noxam, intra venas continetur, coërcetúrque ventilatione calor illius, donec in maiori mole impediens ventilationem, iam in ſui expulſionem moueat facultatem.

Resolvtio VI.

Vtrùm expultricis ſola vi ſanguis menſtruus deferatur ad vterum?

§. I.

Suadetur negatiua pars.

VIdetur quòd non, vterus ex ſanguine menſtruo attracto nutritur: ergo attractrice facultate ad ſe trahit illum. Probatur antecedens, renes, veſicula fellis, lien nutriuntur ex excremento, quod recipiunt, & illud ad ſe attrahunt media attractrice virtute: ergo vterus nutritur ex ſanguine menſtruo quem attrahit.

Secundò: ſanguis menſtruus, qui defertur ad vterum, eſt ſanguis aptus pro eius nutritione, cùm ſit pro generatione, & nutritione fœtûs aptus: ergo non eſt ratio quare non attrahatur ab illo, vt ex eo nutriatur.

Tertiò: in prægnante ſanguis fertur pro fœtus nutritione: ergo in hunc finem vterus debet tractrice vi illum ad ſe mouere.

§. II.

Affirmatiua pars amplectitur.

REſoluendum: Quòd ad vterum fertur ſanguis menſtruus pulſus à ſola vi expultricis inhærentis in partibus, in quibus ante aduentum ad illum luxuriat copia. Tenet Auerr. 3. *collige cap.* 3. & *c.* 29. Mercatus *lib.* 1. *de affectionibus mulierum*, Zacutus *lib.* 9. *c.* 6. Carreirus *de locis affectis diſput.* 66. & eſt communis.

Probatur 1. Sanguis menſtruus eſt portio ſanguinis redundans in fœmina vltra illam copiam, quæ debetur pro indiuidui conſeruatione, & eſt pro fœtus formatione deſtinatus: ergo non debet trahi à fœminæ

vtero,

vtero. Probatur conſequentia, illa portio ſanguinis trahitur à quacumque corporis parte, quæ requiſita eſt pro eius nutritione:ergo quod in illam non eſt neceſſarium non debet trahi ab vtero.

Probatur 2. Ordine naturali prius eſt quòd fœmina ſuo ſe alat ſanguine, quàm quòd tribuat ipſum pro fœtus formatione, ideò puellæ, vetulæ, extenuatæque non generant:ſed ſi virtute attrahente vteri traheretur, etiāſi eſſet vtilis pro reliquis partibus, vterus ſanguine inanitus illum à reliquis traheret partibus, ergo vtilius fuit, quòd à ſola moueatur expultrice, quæ ſolùm illum mittit in vterum ſanguinem, qui quantitate redundat.

Probatur 3. Si menſtruus ſanguis traheretur ab attractrice vteri, maximè quia deſeruit pro illius nutritione: ſed in illam non deſeruit:ergo non trahitur ab vtero. Probatur minor, ſi menſtruo ſanguine deberet nutriri vterus, ſine nutritione eſſet toto tempore, quo in fœmina non deſcendit, & toto vitæ tempore in illis, in quibus menſtrua non ſuperueniunt:ſed in his fit nutritio vteri ſine ſanguine menſtruo: ergo ſanguis menſtruus non deſeruit pro nutritione vteri.

§. III.

Rationibus dubitandi fit ſatis.

AD 1. negatur antecedens: Non enim omnes partes, quæ aliquod recipiunt excrementum, nutriuntur ex illo, veſicula enim fellis, & veſica excrementum recipiunt per manifeſtas vias, & per alias venas, ex quo nutriantur, defertur ad illas.

Dices: quòd licèt nō nutriantur ex excremēto quod recipiunt, ipſum tamen attrahunt ratione voluptuoſæ fruitionis, & hoc idem debet vterus habere ad attrahēdum ſanguinē menſtruum, etiamſi illo non nutriatur.

Reſpondetur: Quòd excrementa, quæ per reliquas vias expurgantur, ſunt quæ reſultant ex coctionibus, & ſunt toto genere præter naturam, & quæ continuò redundant, & ideò vt ſecurior eſſet expulſio, non ſolùm intendit natura quòd expellantur ab expultrice, vt inutilia, ſed quòd trahantur, vt vtilia à partibus, per quas debent repurgari; ſanguis verò menſtruus, cùm vtilis ſit, & ſola copia inutilis, eius expulſio ad vterum ſoli facultati expultrici communicatur, quæ non trudit, niſi quod redundat, non tamen attrahenti, quæ traheret etiam quod reliquis partibus pro nutritione poſſet eſſe vtile.

Ad 2. diſtinguo antecedens: Sanguis, qui defertur ad vterum, eſt vtilis pro eius nutritione, ſi in ipſum deferatur per vias deſtinatas in illam, & in ſola illa quantitate, quæ requiritur pro illa, concedo: ſi feratur per vias pro fœtûs formatione, aut nutritione, aut pro eius expulſione deſtinatas, nego antecedens.

Ad 3. negatur conſequentia: Quia vt docet Galen. *lib. de ſemine c. 4.* à fœtus trahente vi ſanguis trahitur pro eius nutritione, & pro eius formatione ab attrahente vi ſeminis, non verò vteri defertur.

SECTIO III.

De ſemine, ſiue genitura.

L*Ib. 1. de ſemine, & lib. de fœtus formatione,* docet Gal. quòd ſemē intenditur à natura, vt ſimul cū ſanguine menſtruo ſit alterū ex principiis generationis pro ſanguineis animalibus, quod præcipuè de genitura venit intelligendum; ſemen enim in communi modo loquendi latiùs patet quàm genitura; ſignificat enim quamcūque

A aptam materiam pro ſimilis generatione, magis propriè ſumitur pro actiuo principio generationis viuentium, aliquando verò, vt apud Hipp. patet *lib. de genitura*, & apud Galen. 5. *aphoriſm. commem. 62.* pro eodem ſumitur, ac genitura; eſt enim hæc, *Humida & ſpiritnoſa ſubſtantia, profluens ex animalibus ad ſimilis productionem, actiuè ſe habens*, & ſic de ſemine procedit diſputatio.

Resolvtio I.

Vtrùm ſemen ſit neceſſarium pro fœtus formatione?

B §. I.

Partis negatiuæ proponuntur fundamenta.

SEmen nullam ſui inducere neceſſitatem pro fœtus conformatione ſuadet primò Ariſt. doctrina, *lib.* enim *primo de generat. animal. c. 18.* docet: Semen eſſe excrementum: & *l. 2. de gener. animal. c. 4.* docet: Excrementum eſſe, quod incoctum, & tetteum remanet in corpore ex coctionibus: Ergo ſemen ſubſtantia eſt excrementitia, & inutilis pro generatione.

Secundò: ſine ſemine mures, anguillæ, vermes, & alia perfecta viuentia generantur: ergo ſemen non eſt principium neceſſarium pro generatione.

Tertiò: animalis conformatio, partium contextura, varietas, connexus, conſenſus, admirabiliſque
C ſtructura ſine ſolertia, conſilio, & intelligentia perfici non poſſunt, ſed horum ſemen non eſt capax, cum non niſi in perfectiſſimo animali poſſint reperiri: ergo non eſt neceſſarium.

§. II.

Hipp. Ariſt. Galen. & communis præfertur aſſenſus.

REſoluendum: Quòd ſemen eſt principium neceſſarium pro viuentium generatione vniuoca. Aſſentiuntur Hipp. *lib. de genitura.* Galen. *lib. de ſemine de fœtus formatione de vſu partium. de facultatibus naturalibus. de placitis.* Auic. D.Th. & Auerroës, ſubſcribunt
D illis, & horum Commentatores. Seminis opificium illuſtrauit Triſmegiſtus *lib. de poteſtate & ſapientia Dei*, Cicer. *lib. 2. de natura Deorum*, Lactantius *in lib. de opificio Dei.* Diuus Auguſt. *lib. 22. Ciuitatis.* Diuus Gregorius Niſſenus *orat. 3. de Reſurrectione Chriſti*, Albert. Magn. *2. p. ſum. de homine*, illuſtrarunt etiam plura Fernel. *lib. 2. de abditis rerum cauſis.* Fienus *de fœtus formatione, & in apologia aduerſus Sancta-Cruz*, Peramatus *tract. de ſemine.* Catteitus *diſp. 34. & 35. in fen. 1. 1.* Andreas Laurentius *lib. 8. de re anatomica.* Zacutus *lib. 9.* Rodericus de Caſtro, Mercatus, & alij.

Huius reſolutionis veritatem demonſtrant euentus, Eunuchorum impotentia, teſtium pro aliquo fine neceſſaria conformatio, & ſtructura, ex ſeminum in vtero
E commixtione neceſſarius effectus, qui ſubſequitur, & quòd neceſſaria indiuiduorum viciſſitudo pro ſpeciei conſeruatione neceſſarium petit principium pro ſimilis productione.

§. III.

Vendicatur communis aſſenſus ab impugnantium telis.

AD 1. diſtinguo maiorem: Semen eſt excrementum in quanto, concedo: eſt excrementum,

in quali, nego maiorem. De hoc enim dicit Ariſt. quod eſt: *Incoctum, & terreum reſultans ex coctionibus*. Vel potius dicendum, quòd Ariſt. vocauit excrementum ſemen, quia fit ex ſanguine: qui quia in partibus redundat, vt excrementum in quantu, expellitur, & in teſtes delatus fit ſemen.

Ad 1. diſtinguo antecedens; ſine ſemine mures, anguillæ & vermes generantur generatione vniuoca, nego: generatione æquiuoca, concedo antecedens. Ariſt. enim *lib. 5. de hiſtoria animal.* generari *inquit* in vniuerſum duobus competit modis, tam plantis, quàm animalibus. Horum enim duorum generum indiuidua, aut producuntur per generationem vniuocam, quæ medio ſemine ſemper alterius indiuidui fit, aut per fortuitam, aut æquiuocam, quæ non ab indiuiduo eiuſdem B ſpeciei: ſed potius ab vniuerſaliſſima cauſa fit producente varias formas.

Ad 3. negatur minor: Formatrix enim coaptata eſt ab Authore naturæ in fœtus formationem, Dei præſcripto, & lege æterna, ſicut enim nutritiua in oſſe os, in carne carnem temperie, & ſubſtantia ſimili producit, & pulſus pulſuum differentias varias modo, & ordine conueniente ponit, ſic & formatrix virtus conformationem, & connexum, partium vnionem, varietatem, organizationem, organorum compoſitionem compingit, quia ab authore naturæ quoad determinationem finis coaptata, & determinata eſt in hanc operationem prius cognitam ab authore naturæ tamquam in proprium ſubiectum.

———————————————— C

RESOLVTIO II.

Quid ſit ſemen?

§. I.

Aliquorum diffinitiones, & Fontani in Laurentium obiectiones proponuntur.

ARdua hæc, & difficilis doctrina, in primo limine antiquorum, & iuniorum aſſenſos diſcordes reddit in ſeminis præſcribenda natura. Hipp. *lib de genitura*, definit ſemen, quòd ſit: *Portio optima, atque validiſſima vniuerſi illius humoris, qui in toto corpore continetur.* D Epicurus, *Animæ, & corporis fragmentum* vocat; Ariſt. *lib. 2. de generatione animal. cap. 4. Id ex quo primò oriuntur ea, quæ ſecundum naturam conſtituuntur*, aliàs verò, quòd ſit: *Excrementum alimenti vltimi*. contendit; Diogenes, & Alexander *ſanguinis ſpumam*. Author diffinitionum, quòd eſt: *Humor in vaſis, quæ à teſtibus oriuntur, contentus, calidúsque tonſtans ſpiritu, ex quo naſci hominem licet*: Galen. *lib de ſemine*, quòd eſt: *Sanguis in venis, quæ ipſum continent, exquiſite confectus*; Auicen. *fen. 20. lib. 3. cap. 3.* quòd ſperma eſt: *Superfluitas digeſtionis quartæ, quæ fit tunc diſpartitur cibus in membris*, Cælius Rhodiginus *lib. 4. cap. 10.* quòd eſt: *Excrementum coctum alimenti ſanguinei, quod vltimum in membra digeritur*; E Fernelius *lib. 7. de hominis procreatione*, id eſſe dicit, *ex quo primò oriuntur ea, quæ ſecundùm naturam conſtituuntur, non vt materia, ſed vt ex motus efficiente principio*; ſic & alij aliter diffiniunt, neuterque alteri aſſentitur: vnde Andreas Laurentius ex his omnibus vnam completam contendit ſeminis diffinitionem deducere ſic: *Semen eſt corpus humidum, calidum, ſpumoſum, & album ex reliquis vltimi alimenti, & ſpirituum vbique aberrantium permixtione vi teſtium excoctum, & elaboratum ad perfectam animalis generationem*: & de hac inquirimus an ſit adæquata ſeminis diffinitio.

Partem negatiuam tuetur Fontanus *vniuerſa artis* A *medicæ part. 1. lib. 5. cap. 1.* Primò: quia omnis diffinitio petit dari per genus proximum: ſed ſemini eſt humor immediatius genus, quàm corpus: ergo per illud diffiniri petit.

Secundò: particulam *ex reliquiis vltimi alimenti* in qua iudicat Andreas Laurentius, quòd ſemen ſit eſt tertiæ coctionis excrementum, ſicut ſanguis ſecundæ, & chylus primæ, impugnat Fontanus. Quia licèt in parte officiali, qualis eſt ventriculus, & iecur, poſſit ſubſtantia, quæ generatur abundans dici excrementum in quanto, non tamen in parte non officiali, quales tertiæ regionis partes ſunt: ergo illa particula ſuperfluit.

Dices ex Gal. *5. aphoriſm.* ex Ariſt. 2. *de generat. animal.* quòd ſemen eſt tertiæ coctionis excrementum, quia reſultat ex eius coctione, vt tale.

Contra: ſi ſemen eſſet tertiæ regionis excrementum, pueri haberent ſufficientem copiam ſeminis pro generatione, cùm ipſam coctionem perfectiùs exerceant: Tum, non poſſet ſemen trudi ab illa in teſtes ob expultricis in tantam diſtantiam impotentiam: ergo non poteſt eſſe excrementum illius.

Tertiò: ſi ſemen eſſet excrementum vltimi alimenti, cùm refluere deberet per venas, non poſſet ſanguini commixtum non propriam amittere albedinem, fierique rubicundum: ergo non eſt illius excrementum.

Quartò: ſi ſemen decideret vt excrementum vltimi alimenti tertiæ coctionis, non poſſet ſemen non decidere ex omnibus partibus: ſed ipſe negat ſemen decidere ab omnibus partibus: ergo non debet admittere, quòd ſit vltimi alimenti excrementum.

§. II.

Doctoris Laurentij diffinitio præfertur reliquis.

REſoluendum: Quòd diffinitio D. Laurentij aptior eſt reliquis pro explicanda ſeminis natura. Eam amplectitur Duncanus *lib. 1. phyſiolog. c. 33.*

Probatur: Datur per genus, & differentiam; omnia D quatuor genera cauſarum percutit; formalem denotant *Humiditas, caliditas, ſpumoſitas, & albedo*: materialem adimplent, *Vltimi alimenti reſiduum, & ſpiritus*: efficiens deſignatur per hoc quòd, *Vi teſtium excoquatur*: finalis verò particula finalem proponit cauſam, quia intenditur ſemen ad perfectam animalis generationem.

§. III.

Fontani rationes diluuntur.

AD 1. diſtinguo maiorem: Diffinitio debet dari per genus proximum, ſi mediæ interponantur differentiæ, nego, ſi non interponantur, concedo ma- E iorem. Ariſt. enim *lib. 6. topicorum c. 5.* admittit poſſe poni in diffinitione remotum genus, dum per intermedias differentias determinatur, & corpus ex reliquiis alimenti eſt humor; vel potiùs dicendum, quod ſemen licèt fiat ex humore non eſt humor, ſed corpus.

Ad 2. reſpondetur ex doctrina Laurentij: Quòd ſemen fit ex reliquiis alimenti vltimi, quia ſanguine ſaturatæ partes, quod reliquum eſt, relinquunt in venis, ex quibus trahitur ad teſtes, qui ipſum immutant in naturam ſeminis, & hoc excrementum dicitur, non quia in tertia coctione generetur, ſed quia fit ex ſanguine qui excrementum dicitur, & hoc non tale quia in tertia coctione reſultauit, ſed quia in

in venis relinquitur à partibus, vt non neceſſarium pro earum nutritione.

Ad 3. diſtinguo antecedens: Si diceretur excrementum tertiæ regionis, quia generatur in illa, concedo: ſi illius dicitur excrementorum, quia non attrahitur à partibus illius; quia non eſt ad illas neceſſarium, nego antecedens.

Ad 4. diſtinguo maiorem: ſi decideret, vt excrementum genitum in illis, concedo: ſi diceretur decidere, quia materia ex qua fit, ante aduentum ad illas decedit pro eius generatione, nego maiorem: conſtat ex dictis qualiter decidat.

Resolvtio IV.

Vtrùm ſemen ſit corpus calidum, humidum, ſpumoſum, & album?

§. I.

Partis negatiuæ adducuntur fundamenta.

Negatiua pars ſuadetur primò: Semen pro generatione aptum aliquando eſt calidum, aliquando debet eſſe frigidum, aliquando verò ſiccum: ergo malè definitur tantùm per hoc, quòd ſit calidum, & humidum. Probatur antecedens, ex Galen. Tum *comm. 1. ad lib. de natura humana*, inquit enim: Quale ſemen, cui vtero conueniat, nempe frigidum calido, humidum ſicco, frigido calidum, humido ſiccum: *& lib. 5. Aphoriſm. comm. 42.* ait de ſemine: ſi frigidum fuerit, aut vterus mulieris frigidior, concipere facit fœminas; & Ariſt. *lib. 2. de generat. animal. c. 5.* de ſemine dicit: *Aquoſa enim materia eius eſt, calórque aduentitius:* Ergo ſemen aliquando ſiccum, & aliquando etiam frigidum eſt, & tale requiritur pro generatione.

Confirmatur: in viris; melancholici, tùm frigidi, libidinoſi; in fœminis, quæ ex ſeminis redundantia hyſterica laborant affectione, redduntur frigidæ: ergo ſemen frigidum eſt.

Secundò: ſpuma fit, aëre in humido concluſo, & concuſſo: ſed ſemen coctione perficitur, non aëre incluſo, nec concuſſo: ergo non eſt corpus ſpumoſum.

Tertiò: albedo reſultat in mixtis ex permixtione humidi cum ſicco, aqueo humore prædominante: ſed in ſemine non prædominat aqueus humor, aliàs frigidum eſſet natura: ergo ſemen non habet veram albedinem.

Confirmatur: ſemen eſt corpus ſpumoſum: ergo debet habere albedinem ſpumæ ſimilem: ſed albedo ſpumæ non eſt vera albedo, ſed apparens, cùm ſpuma non ſit mixtum, & proueniens ex lucis ſplendeſcentia propter ſimilitudinem: ergo non habet veram albedinem.

§. II.

Affirmatiua pars præfertur.

Reſoluendum Affirmatiuè. Tenet Ariſt. *lib. 2. de partibus animal.* Galen. *lib. de ſemine*, ſubſcribunt Laurentius, Duncanus in diffinitione adducta, Carterius *in fen. 1. t. diſp. 35.* Manuel Martinez *lib. 1. tract. 5. cap. 4.* & alij.

Probatur 1. Ariſt. Galen. & Auicennæ authoritate. Ariſt. *lib. 2. de generatione anim.* pluribus in locis ſemen ſpumoſum eſſe, alias calidum, & humidum vocat: Gal. *lib. 14. de vſu partium, c. 9.* inquit: Semen ſpirituoſum, & ipſum eſt ſpumoſum, illiuſque humiditas craſſa, viſcoſa, & ſpiritu vitali plena, *& lib. 1. de ſemine, c. 5.* ait: Neque enim te latuit plenum ſemen ſpiritu vitali eſſe: tu enim es qui rectè ipſum ſpumæ comparaſti: *& lib. aduerſus Lycum, c. 7.* Semen humidum eſſe fatetur, & Auic. *fen. 20. lib. 3. c. 1.* inquit: *Et teſticulus quidem eſt ſubſtantia alba carnis ſimilis carni mammillæ, & aſſimilat ſanguinem, qui effunditur in ipſo cum calore ſuo, quare albificatur, &c.*

Probatur 2. Conflatur ex magna copia ſpirituum vitalium: ergo ſemen eſt à prædominio calidum. Probatur antecedens, inquit enim Galen. *lib. 1. de ſemine, c. 5.* Semen plenum ſpiritu vitali eſſe.

Confirmatur: Ratione finis, in quem ſemen ordinatur, petit calorem excedentem: ergo ſemen à prædominio calidum eſt. Probatur antecedens, ſemen eſt propter animalis generationem, conformationem, & augmentum in vtero: ſed omnia hæc à calore inſtrumentaliter fieri petunt: ergo ratione finis ſemen petit calidum eſſe.

Probatur 3. Semen, vt patebit infrà, non ſolùm efficientis rationem habet: ſed præſtat materiam pro fœtus formatione: ergo etiam petit eſſe humidum à prædominio. Probatur conſequentia, ſicut calor conducit ad efficiendum, ſic humiditas diſponit pro paſſiua principij ratione, aptior enim redditur craſſior ſeminis pars ſua humiditate, vt partes diuerſæ valeant ex ipſa conformari, imprimique ideæ diuerſæ in actiua vi deriuatæ.

Probatur 4. Semen conflatur ex ſubſtantiis ſimilibus eis, ex quibus fit ſpuma: ergo ſemen in ſubſtantiæ modo debet eſſe ſpumoſum. Probatur antecedens, ſpuma fit ex aëre in humido concluſo, & agitato: ſed ſemen fit ex humida ſubſtantia ſanguinis, & ſpirituum aërea in illa concluſa, & ab huius calore partiumque tractione fit agitatio: ergo conflatur modo ſimili ei quo fit ſpuma.

Probatur 5. Quælibet ſubſtantia genita per coctionem intra noſtrum corpus ſimilis fit colori partis, à qua elaboratur: ſed ſemen ſola vi teſtium gignitur, vt infrà probandum, qui albi ſunt coloris: ergo ſemen album debet eſſe. Probatur minor, ex communi doctrina Galen. *lib. de facult. naturalib. lib. de vſu partium*, & experientia, quæ demonſtrat lac in mammis, chylum in ventriculo per albedinem, ſanguinem in iecore parti generanti aſſimilari; & idem contingit in quibuſcumque aliis partibus, in quibus pars nutritione reponenda fit ſimilis parti conſequenti.

§. III.

Dubitandi rationes diſſoluuntur.

Ad 1. diſtinguo antecedens: Semen pro generatione aliquando calidum, aliquando frigidum, aliquando ſiccum, aliàs humidum requiritur cum prædominio, nego: cum aliquali maiori, aut minori intentenſione intra prædominium calidi, & humidi, concedo antecedens: Galen. enim ſolùm intendit quòd ſemen, quod ſemper humidum, & calidum à prædominio petit eſſe, intra illam intenſionem, aliquando minus calidum ſit, quod vocat frigidum comparatiuè; aliquando minus humidum pro naturis fœmineis in quibus contraria qualitas intenſior eſt aliqualiter contemperanda pro fœtus formatione.

Ad confirmationem negatur conſequentia, melancholici non maiori copia ſeminis abundant, ſed libidinoſi ſolent eſſe ratione flatuum, & hyſtericæ frigidæ, quia venenoſa qualitate ſeminis alterati ſpiritus vitales corrumpuntur.

Ad 2.

Ad 2. diſtinguo conſequens : ergo ſemen non eſt corpus ſpumoſum ſimilitudine, nego : entitate, concedo conſequentiam. Non enim intendimus, quòd ſemen ſit ſpuma, ſed quòd ſit ſpumoſum, & in ſubſtantiæ modo, & calore aliquo modo illi ſimile.

Ad 3. diſtinguo minorem: Non prædominat in ſemine aqueus humor qui talis ſit ratione ſuæ ſubſtantiæ, concedo : qui ratione qualitatis aqueus poſſit dici, nego minorem. Prædominatur enim in ſemine aëtea humiditas, quæ ſupplet aqueam humiditatem, & ſufficit, vt habeat paſſiuam diſpoſitionem aptam, vt à parte concoquente poſſit ſemen album fieri.

Ad confirmationem reſpondetur : Quòd cùm ſemen non ſit ſpuma, ſed ſpumoſum corpus mixtum, ideò non eſt album ſicut ſpuma : ſed albedine illi ſimile, & hæc in ſpuma eſt apparens, in ſemine vera.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm ſemen fiat ex ſanguine?

§. I.

Gorrei, & Varandæi ſententia negatiua probatur.

IOannes Gorreus *in annotationibus ad libros de genitura.* Varand. *lib. 1. phyſiolog. ſect. 3. cap. 2.* contendunt ſanguinem ſub propria forma non eſſe materiam, ex qua immediatè fiat à teſtibus ſemen ; indicant enim ſanguinem priùs deferri ad partes vniuerſas corporis, concoqui in illis, mutari in aliam ſubſtantiam albam, ita vt quælibet pars ſanguinis ſic elaborata recipiat à parte elaborante, quòd ſit pars determinata ad ſimilis partis productionem, & ſic ab omnibus partibus decidens ſanguis elaboratus præſtat in teſtibus materiam, vt fiat ſemen adæquatum pro toto fœtu, quam non poſſet aptam præſtare ſanguis ſub propria forma.

Suadetur 1. Ex Hipp. *qui lib. de genitura,* docet: Semen decidere à toto corpore; & Auic *fen. 2. lib. 3. Generanis Deus*, inquit, *duos teſticulos, in quibus generatur ſperma, & humiditate delata ad eos in venis, quæ eſt quaſi ſuperfluitas cibi quarti ex corpore toto*, & D. Thom. 1. *p.* q. 39 *art.* 1. inquit: *Hoc autem quod eſt in potentia ad totum, eſt illud, quod generatur ex alimento, antequam conuertatur in ſubſtantiam membrorum, & ideò ex hoc ſemen accipitur:* & Ariſt. *lib. 1. de generat. animal.* ſemen diffinit, *Excrementum tertiæ coctionis* : Sed non quia generatur in illa : ergo quia ſaltem elaboratur in ea ſanguis antequam perueniat ad teſtes, vt ſit materia pro ſemine.

Secundò : non eſt inconueniens, quòd ſedimentum reſultet ex coctione in partibus tertiæ regionis, quòd ſeparetur, retrocedat ab illa vt euacuetur per vias illi deſtinatas in ſecunda regione : ergo neque quòd ſanguis ibi elaboratus retrocedat, & deferatur ad teſtes, vt ex illo fiat in illis ſemen.

Tertiò : ſeminis ſubſtantiæ elaboratio eſt præſtantior, quàm elaboratio cuiusvis alterius in corpore: ergo quia ſanguis, ex quo fit, non ſolum elaboratur pro forma ſeminis in teſtibus, ſed in reliquis partibus priùs, vt ſit apta materia, ex qua fiat ſemen.

Quartò : Epididymi alba ſubſtantia pleni apparent in diſſectione, numquàm tamen pleni ſanguine: ſed ex illis deſumitur immediatè materia, ex qua fit ſemen : ergo ſemen non fit immediatè ex ſanguine, ſed ex ipſo vt elaborato, & in aliam ſubſtantiam mutato à partibus tertiæ regionis.

Quintò : filij generantur ſimiles parentibus, ex mancis manci procreantur, in filiis cicatrices apparent in parte ſimili, in qua fuerunt in patre, morbi hæreditarij ſimiles accidunt filiis, ac præſertim in patribus: ſed hæc non contingunt, quia ſemen generetur in partibus, cùm generandi illius virtus ſit in teſtibus: ergo quia ſaltem materia, ex qua fit ſemen, patitur partium elaborationem ante aduentum ad teſtes.

Sextò: facultas conformatrix eſt indifferens in partium formatione, vt potius has, quàm illas conformet, & in modo formationis, vt potiùs cum hac, quàm cum illa figura illas producat : ergo vt determinetur in modo operandi, debet dari ex parte materiæ in ſemine aliqua præcedens elaboratio partium ante aduentum ipſius formæ.

§. II.

Argenterij, Laurentij, Sennerti, Carreiri, & aliorum opinio præfertur.

REſoluendum: Quòd ſanguis ruber, purus, & ſyncerus ſine præcedente elaboratione tranſmutatiua in tertia regione eſt materia apta pro ſeminis craſſiori parte. Sic tenet Argent. *in artem medicinalem*, Fontanus 1. *partis medicæ*, Sennertus *lib.* 1. c. 10. Carreir. *in fen.* 1. 1. *diſp.* 33. Manuel Martinez *l. 1. tract.* 5. *quæſt.* 3. Santa-Crux *lib. de morbo ſacro ad text.* 20. & alij.

Probatur 1. Eadem eſt ſanguinis diſpoſitio vt poſſit ſemen fieri ex illo immediatè à teſtibus in Gal. opinione, ac vt poſſit fieri à partibus tertiæ regionis in opinione antiquorum : ſed in opinione Hipp. adſcripta ſemen generatur à partibus tertiæ regionis immediatè ex ſanguine: ergo à teſtibus generatur immediatè ex ſanguine.

Dices : quòd in teſtibus requiritur præcedens elaboratio in ſanguine à partibus, vt iuxta diuerſæ partis elaborationem determinetur pars ſanguinis, vt fiat ſemen talis partis portio.

Contrà : virtus ſeminis productiua, ſiue inhæreat in teſtibus, ſiue in alia quacumque corporis parte, eſt eiuſdem gradus animæ, eiuſdem ſpeciei, eiuſdem actiuitatis, tendens in idem obiectum petens eandem materiam circa quam : ergo ſi in partibus tertiæ regionis exiſtens eſſet potens operari circa ſanguinem tanquam circa propriam materiam ſine præcedente elaboratione in illo, idem valet prove exiſtens in teſtibus.

Probatur 2. Eadem eſt ratio, vt fiat immediatè ex ſanguine ſemen pro omnibus partibus, quàm vt fiat aliqua portio ſeminis pro aliqua determinata parte, ſed pro parte aliqua determinata poteſt ſemen generari immediatè ex ſanguine, ſine eo quòd præceſſerit in parte ſimilis elaboratio: ergo ſemen poteſt fieri pro omnibus partibus in teſtibus ex ſanguine non elaborato pro illis. Probatur minor, in eo, cui deficit crus, aut brachium ſine elaboratione ſanguinis in parte deficiente fit ſemen ex ſanguine immediatè : ergo pro aliqua parte determinata poteſt fieri pars ſeminis ex ſanguine immediatè.

Dices : quòd cùm vterque parens concurrat tribuendo ſemen, poteſt pars deficiens in vno ſuppleri à ſemine alterius.

Contra : idem contingere poteſt, ſi pars eadem deficiat in vtroque parente. Præterea, ſi matris ſemen ſufficit pro brachio fœtus efformando, ſufficit etiam pro reliquis partibus, & ſe ſolâ generabit ſine viri concurſu : ergo ſolutio eſt nulla.

Probatur 3. In nimio coitu ſanguis ruber qualis generatur à iecore loco ſeminis effunditur: ſed tunc effunditur

fundiłur materia, ex qua fit ſemen, quæ elaborari non potuit defectu moræ in teſtibus: ergo ſemen fit ex illo immediatè.

Probatur 4. Sanguis per elaborationem à partibus nihil recipit per quod determinetur in ſimilium productionem: ergo immediatè ex illo fit ſemen. Probatur antecedens: Tum quia in tranſitu ad formam ſeminis fit reſolutio vſque ad materiam primam, & nihil aſſignatur præcedens à quo valeat ſubſequens forma determinari pro ſimilis productione: Tùm quia conformatrix virtus ad ſimilem partem non tribuitur ab alia parte, ſed ſuperuenit poſt formam ſeminis, cuius eſt propria paſſio: ergo nihil habet quo determinetur.

Probatur 5. Per coctionem tertiæ regionis ſanguis, vel aſſimilatur, vel fit ſecunda humiditas, vel fit illius coctionis excrementum: ſed neutrum horum deſcendit ad teſtes, quod poſſit eſſe materia pro ſemine: ergo immediatè fit ex ſanguine. Probatur minor, ſecundæ humiditates, vt neceſſariæ partibus auidè retinentur; quod aſſimilatur, cùm ſit pars animâ informata effluere non poteſt, excrementum, per cutim, aut alias vias à natura deſtinatas pro eius expulſione vt inutile in quali, fertur: ergo nihil horum deſcendit ad teſtes.

Probatur 6. Materia ſeminis, quæ generatur ex ſanguine, eſt portio illa craſſa, & ſeminalis, quæ deſeruit pro ſpermaticarum partium conformatione: ſed omnes reliquæ partes viuentis carnoſæ generantur immediatè ex ſanguine menſtruo ſine præcedente elaboratione, tranſmutatione, aut ſigillatione determinante pro formatione huius, vel illius partis: ergo nec requiritur in ſanguine, vt fiat pars ſeminis determinata pro hac vel illa parte ſpermatica.

Probatur 7. Si decideret ſanguis elaboratus à ſingulis partibus pro adintegranda ſeminis materia, ex qua omnes partes fœtus conformentur, pars ſeminis ſufficiens pro fœtu debet magnam adimplere molem: ſed materia, quæ ſimul pro fœtus formatione poteſt recipi in teſtibus, eſt quàm paruiſſima: ergo non poteſt coadintegrari ex tot elaborati ſanguinis particulis.

§. III.

Varandæi, & Gorrei ſolutis fundamentis, roboratur reſolutio.

AD 1. reſpondetur: Quòd Hipp. intendit, quòd ſeminis virtus decidit, ſeu communicatur ſemini ad ſimilis productionem à toto, non enim in ſola virtute teſtium, ſed in virtute totius ſemen concurrit, vt inſtrumentum ad ſimilis productionem: Auic. intendit, quòd deſcendit ſanguis ad teſtes, qui ſuperfluus, & non neceſſarius fuit, vt feratur ad tertiam regionem pro partium nutritione, hoc etiam intendit D. Thom. & Ariſt. ſanguinem alimenti ſuperfluum vocat, quia ſuperat ille, ex quo fit ſemen, quantitatem requiſitam pro nutritione partium.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ſi ſedimentum deſcendat à partibus tertiæ regionis, non eſt inconueniens, quia peccat in quali, eſſet tamen, quòd humiditas aliqua ſecunda, aut pars viuens deſcenderet, vt probauimus.

Ad tertium reſpondetur: Quòd pro ſpeciei conſeruatione ſeminis elaboratio in teſtibus præſtat reliquis elaborationibus, quæ præcedunt in materia, ex qua fit ſemen, non tamen eſt præſtantior elaboratione, quæ poſſet ſubſequi pro conſeruatione indiuidui ex illo ſanguine, ex quo poſſet fieri in partibus tertiæ regionis, ſi deferretur ad illas aſſimilatio omnimoda, quæ perfectior eſt elaboratio.

Ad 4. reſpondetur: Quòd in epididymis ſanguis in ſemen tranſmutari incipit vi teſtium peruenięns ad illos, & ideò ſanguis albus apparere incipit ſicut & chylus apparet ruber in venis iecori vicinis, ad quas iecoris peruenit vis.

Ad 5. negatur conſequentia: Ea enim omnia non contingunt, quia materia ſeminis decidit ab omnibus partibus, ſed quia virtus ſeminis decidit ab illis. Eſt enim ſemen inſtrumentum parentis ad ſimilis productionem, & ideò illi vt tali agenti in ſimilis productionem communicatur virtus à toto; ex qua prouenit ſimilium productio, vt infrà patebit.

Ad 6 reſpondetur: Quòd ſicut ex ſanguine poſſunt omnes corporis partes nutriri, quia in ipſo, vt mixtum eſt, ſunt partes materiales proportionatæ, vt poſſit ex illis quælibet pars mixta nutrienda deſumere ſimiles elementales partes; ſic facultas formatrix, quæ ordinata eſt vt valeat diuerſas corporis partes diuersâ figurâ, ſubſtantiæ modo, & temperie conformare, cùm in ſemine, & ſanguine, ex quibus deſumit partes, à quibus conformat fœtum, valet craſſas pro oſſe, calidas pro corde, aqueas pro cerebro ſeparare materiales partes ſine nouo præceſſiſſe elaborationis ipſius ſãguinis; ſed ex illarum partium præceſſiſſ. ſub formis elementorum, ob quod aduenit illis prædicta diuerſitas, iuxta quam determinatur conformatricis, & diuerſas aſſumit partes materiales pro diuerſis organis conformandis.

Resolvtio V.

Vtrùm ſeminis ſpirituoſa pars decidat ab omnibus partibus?

§. I.

Communis opinio, & illius fundamenta referuntur.

HIpp. *lib. de genitura.* Galen. *lib. de ſemine.* Ariſt. *lib. 1. de generatione animal.* Auic. *fen.* 2. 1 *lib.* 3. D. Thom. 1. *part. quæſt.* 118. Albertus Magnus *lib.* 12. *de natura anim.* Thomas de Garbo *lib.* 1. *tract.* 5. q. 56. Gentilis, & Iacobus Foroliuienſis *in Auicennam*, partem ſemini ſpirituoſam admittunt, in qua reſideat conformatrix virtus, & illam fieri ex ſpiritibus, qui ſimul cum ſanguine deferuntur ad teſtes, admittunt communiter Medici: ex quo in dubium trahimus an ſpiritus præſtent materiam pro ſeminis ſpirituoſa parte, vt ſpiritus in ſtatu naturali conſtituti, an verò vt deciſi à corporis partibus, in quibus aliquam paſſi ſunt alterationem? Cartcitus *in fen.* 1. 1. *diſp.* 34. Manuel Martinez *lib.* 1. *tract.* 5. *quæſt.* 3. Andreas Laurentius *lib.* 8. *de re anatomica* q. 4. Sennertus *lib.* 5. *cap.* 10. & alij iudicant, quòd pro parte ſeminis ſpirituoſa non valent præſtare materiam ſpiritus vtcumque; ſed vt deſcendunt à quibuſlibet corporis partibus, à quibus ſigillantur, vt poſtea dum fiunt pars ſeminis, contineant formatricem virtutem, quæ valeat in genito ſimiles conformare partes eis, à quibus & ipſi ſpiritus alterationem aliquam, & ſigillationem receperunt.

Suadere contendunt hanc communem opinionem primò, quia ex Hipp. *lib. de genitura*, ſemen decidit ab omnibus partibus: ergo vel deſcendit ab illis ſub propria forma, vel dicitur deſcendere, quia ab illis deſcendit ſanguis, ex quo fit: vel quia deſcendunt ſpiritus, ex quibus ſeminis ſpirituoſa pars recipitur: ſed ſemen ſub propria forma non deſcendit, quia in ſolis teſtibus generatur, vt ex communi Medicorum aſſenſu probauimus, nec ſanguinem deſcendere vt ſemen ex illo fiat, eſt neceſſarium, vt manet

iam

iam probatum : ergo dicitur ſemen deſcendere ab omnibus partibus, quia fit ex ſpiritibus, qui priùs fuerunt in ipſis partibus.

Secundò : facultas, quæ debet operari, vt virtus totius, debet prouenire, & communicari ab omnibus partibus : ſed facultas formatrix quæ reſidet in parte ſpirituoſa ſeminis operatur, vt facultas totius animalis: ergo neceſſarium eſt, quòd ſpiritus, in quibus reſidet, deſcendant cum illa ex omnibus partibus.

Tertiò : quælibet pars tantùm poteſt præſtare virtutem ſibi ſimilem : ſed ſpirituoſa pars ſeminis, in qua reſidet conformatrix facultas, habet virtutem producendi omnes partes non ſolùm ſimiles teſtibus, ſed & reliquis partibus totius corporis : ergo non ſolum dum fit ſemen, recipit virtutem à teſtibus, ſed à reliquis partibus, à quibus antecedenter fuerunt ſpiritus, ex quibus fit ſemen, alterari.

§. II.

Valleſij, & Fontani præfertur ſententia.

RESoluendum : Quòd ſpiritus naturaliter producti vtcumque ad teſtes delati, ſunt apta materia, ex qua ſpirituoſa ſeminis pars fiet, in qua reſideat conformatrix facultas. Sic poteſt colligi ex Valleſio *lib. 2. controuerſ. cap.* 8. tenet Fontanus *vniuerſæ artis medicæ, part. 1. cap. 2.*

Probatur 1. Spiritus, vt ſit pars ſeminis, deferret à parte virtutem ſui ſimilis producendi ſine ſimili parte in generante, non poſſet ſimilis pars produci in genito : ſed ſine brachio in generante fit brachium in genito : ergo ſine eo, quòd ſeminis ſpirituoſa pars fiat ex ſpiritu ſigillato in ſimili parte.

Probatur 2. Similis ratio eſt de agendi vi in arbore, aut planta, quàm in homine, aut alio animali : ſed in planta, & arbore à ſemine deciſo à determinata parte ſine incluſo ſpiritu (cùm illis non ſit cor, aut cerebrum, à quo fiat) cui ſit communicata virtus productiua reliquarum partium, fit a ſeminis conformatrice earum productio : ergo etiam ſi in animali conformatrix virtus pro ſimili parte non communicetur ſpiritibus virtus conformatrix in illis ſufficit pro ipſa conformanda.

Probatur 3. Id quod à partibus communicatur ipſis ſpiritibus, per quod valeant ſimilem partem conformare, vel eſt eadem virtus principalis conformatiua, quæ tribuitur partibus, vel virtus inſtrumentalis conformandi, quæ tribuitur ſemini : ſed non communicatur illis virtus principalis, nec eadem numero, quæ erat in parte, cùm non poſſit migrare de ſubiecto in ſubiectum, nec eadem ſpecie, cùm ſit propria paſſio viuentis, quæ non poteſt in non viuente, nec in viuente alterius ſpeciei reperiri. Nec communicatur virtus inſtrumentalis, quia hæc eſt propria paſſio formæ ſeminis, & non poteſt reperiri in ſpiritibus antequam ſint ſub eius forma, propriâ iam corrupta : ergo ſpiritus, vt ſint materia, ex qua fit ſemen, non poſſunt aliquam deferre virtutem à partibus.

Probatur 4. Si in ſpiritibus, vt fiant pars ſeminis, requiritur ſigillatio, aut quòd alicuius partis ſit in illis impreſſa figura, aut hæc figura eſt accidens materiale, aut intentionale : ſed non eſt materiale, quia ſpiritus cùm ſit tenuis, igneæ, & fluxilis naturæ, nullam valet materialem retinere figuram, ſicut nec fluxibilia quæcumque, ſi ſit accidens intentionale, qualis eſt ſpecies, quæ ſenſibus offertur, hæc ſub ſeminis forma retineri non poteſt, cùm priùs ſpiritus ſanguini commixtus, & alteratus per coctionem, qua ſemen generatur, etiam ſi formam propriam non amitteret, illam immate-A rialem figuram, ſiue ſpeciem intentionalem retineret, præcipuè cùm huiuſmodi entia dependeant in conſeruari à præſentia obiecti, aut ſubiecti, à quo fiunt : ergo ſpiritus ſine illa eſt materia, ea qua fiat ſemen.

Probatur 5: Si ſpiritus requiruntur, pro ſeminis materia, & vt fiat ex illis pars ſpirituoſa, in qua reſidet virtus conformatrix, quæ propria eſt ſemini, & ſubſequuta ad illius formam, vt eſt inſtrumentum generantis : ergo non poſſunt eſſe ſemini ex vſu, quin corrumpantur : ſed corruptis ſpiritibus nihil remanet in ſemine ex illis, niſi eorum materia : ergo vt hæc deſeruiat pro ſemine, ſufficit quòd ſumatur ex quocumque ſpiritu etiam ſi à partibus non fuerit alteratus.

B Dices cum Manuele Martinez : quòd ſpiritus non fiunt pars materialis ſub forma ſeminis, ſed ſunt pars, quæ ſemen adintegrat, quia illud eſt quoddam aggregatum quod componitur ex ſpiritibus actu manentibus, in quibus eſt virtus conformatiua; & ex craſſa ſeminis parte, quæ eſt materia pro partibus efformandis, & circa quam ſeminis ſpirituoſa pars operatur.

Contra ſtat primò : quòd ſpiritus in teſtibus eamdem patiuntur alterationem, ac ſanguis : ergo ſicut ex vi illius coctionis ſanguis corrumpitur, & tranſit ſub ſeminis forma, multo melius corrumpuntur ſpiritus, qui debilioris ſunt naturæ : Tum quòd ſpiritus, cùm adhuc ſine alteratione tranſmutatiua ſint tam facilis reſolutionis, vt apparet, & non poſſint ſine nouo ſpi-C rituum aduentu in parte retineri, & conſeruari, ſtatim corrumperetur vis ſeminis conformatrix, ſi ſpirituoſa pars eſſet in ſemine ſub forma ſpirituum : Tum quia virtus conformatrix eſt tamquam propria paſſio ſubſequuta ad formam ſeminis, & ſpiritus, dum propriam formam retinent, nec ſunt ſemen, nec poteſt in illis propria ſeminis virtus inhærere. Tum quia ſemen eſt vnum ens per ſe intentum à natura, vt inſtrumentum determinatum pro generatione ſimilis, & conſequenter debet eſſe vnum ens per ſe continens ſub propria forma præcipuè illam partem ſpirituoſam, in qua reſidet virtus, per quam conſtituitur in eſſe talis inſtrumenti : ergo ſeminis ſpirituoſa pars continetur ſub
D forma ſubſtantiali ſeminis.

§. III.

Argumentis pro communi opinione adductis fit ſatis.

AD 1. diſtinguo antecedens : Semen decidit ab omnibus partibus quoad eſſe entitatiuum, nego : quoad eſſe obiectiuum, concedo antecedens. Semen enim ſecundum totam entitatem ſui à teſtibus generatur : ſed conformatrix virtus, quæ in illo reſultat, cùm ad conformandum ſit ordinata, ne vaga perſiſteret in ſuo opere, inditum eſt ab Authore naturæ, vt cuiuſlibet conformatrix tendat tamquam in proprium obiectum in productionem effectus, qui ſit omnino ſimilis ei, in cuius virtute hæc facultas
E operatur, non enim ea Inſtrumentum eſt eius partis, in qua generatur ſemen tantùm : ſed totius indiuidui, à quo prouenit, & ideò in ſui ſimilis productionem determinata, reſpicit enim pro formali in ſubiecto conformando ſimilitudinem parentis, & quia hæc ſimilitudo fundamentalis in eſſe obiectiuo, & ſpecificatiuo potentiæ deſumitur ab omnibus partibus, idcò virtus conformatrix dicitur decidere ab omnibus partibus, & ſimiliter ſemen, in quo ipſa inhæret ratione eius.

Ad 2. negatur minor : Ad hoc enim vt totum operari dicatur, ſufficit quòd facultas totius reperiatur

in

in determinato organo, & quòd in illo, vt virtus illius totius operetur, ſicut homo intelligit, quia intelligit intellectus: & videt, quia videt, oculus.

Ad 5. diſtinguo maiorem: Si operetur actione vniuoca, concedo: ſi operetur actione æquiuoca, nego maiorem: Sol, & homo generant hominem ex Ariſt. & Sol æquiuoca actione plura præſtat, & producit in homine, quæ non ſunt ſibi ſimilia, & ipſe homo reſpectu eorum, quæ vt paſſiones ſubſequuntur in genito, plura producit æquiuoca actione, quæ accidentia ſunt, & non omnino ſimilia illi, vt efficiens eſt.

Resolvtio VI.

Vtrùm ſeminis ſpirituoſa pars ex omni ſpirituum genere fiat?

§. I.

Auicennæ opinio, & fundamenta Gentilis proponuntur.

TRiplicem ſpiritum, vitalem, animalem, & naturalem requiri in ſemine docet Auicenna *fen.* 21. *l.* 3. *tract.* 1. *c.* 2. cuius placito ſubſcribit vniuerſa eius familia, & Fernelius, ac Petamarus *lib. de conformat. fœtus*, præcipuè Gentilis hoc placitum his fulcire contendit.

Primò: ſeminis conformatio fit media virtute conformatrice inhærente in parte ſeminis ſpirituoſa, ſed conformatio fit verſus omnes differentias poſitionis: ergo requiritur triplex ſpiritus, quo moueat versùs omnes illas. Probatur conſequentia, ex Auicen. *loco citato*, inquit enim, quod virtus conformatiua mouet illud quod eſt in ſpermate ex ſpiritu vitali, animali, & naturali.

Secundò: ſemen generatur in teſtibus: ſed in illis inſeruntur venæ, arteriæ, & nerui: ergo quia pro ſeminis generatione deſcendunt in illos ſpiritus animalis, & naturalis.

Tertiò: in quauis parte principe reperitur morboſa diſpoſitio eſt cauſa ſterilitatis, ex eodem Auicen. ergo quia morboſi deſcendunt ab illa ſpiritus pro ſeminis generatione.

§. II.

Modernorum aſſenſus probabilior iudicatur.

REſoluendum: Quòd ſpirituoſa ſubſtantiæ ſeminis pars tantùm fit ex tali ſpiritu. Tenet Andreas Laurentius *lib.* 8. *de re anatomica*, & Zacutus *l.* 9. *c.* 7.

Probatur 1. Authoritate Galen. *lib. de fœtus formatione*, qui ſeminis ſpirituoſam partem conſignat, vt ſubiectum conformatricis: ſed pars ſpirituoſa ex vitali ſpiritu ſufficit vt ſit ſubiectum aptum pro conformatrice facultate: ergo ſolus ſpiritus vitalis ſufficit pro ſemine. Probatur minor, ſubiectum aptum pro facultate conformatrice eſt pars ſeminis, in qua reperitur calor, quo indiget conformatrix vis vt inſtrumento: ſed pars ſpirituoſa ex vitali ſpiritu eſt, quæ habet excedentem calorem aptum, vt ſit formatricis inſtrumentum: ergo eſt aptum ſubiectum illius.

Probatur 2. Spiritus naturalis, vt probauimus, non datur in corpore: ſed ſpiritus animalis ad ſeminis generationem nil conducit: ergo ſolus ſpiritus vitalis eſt eſt vtilis pro illo generando. Probatur minor; ſpiritus animalis tantùm conducit, vt tribuat diſpoſitionem in partibus requiſitam pro actionibus gradus ſenſitiui, ſed in ſeminis productione non reperitur actio aliqua ſenſitiuæ, ſed vegetatiuæ tantùm animæ: ergo ſpiritus animalis nihil conducit.

Probatur 3. Pars ſpirituoſa ſeminis eſt pars, quæ

A conflatur ex aëreis, & igneis partibus materialibus deſumptis ex parte calida eius ſubſtantiæ, ex qua fit: ſed pro miniſtrandis partibus aptior eſt ſpiritus vitalis, in quo redundant maximè: ergo ſolus ille ſufficit pro ſemine.

§. III.

Gentilis fundamenta diluuntur.

AD 1. negatur conſequentia: Sufficit enim conformatrix virtus medio calore inſtrumentaliter concurrente, vt valeat materiam diſponere, partes commouere, craſſas è tenuioribus diſcernere, & conformare iuxta proprium finem, in quem eſt determinata, inditus enim eſt illi hic finis ab Authore naturæ.

B Ad 2. diſtinguo minorem: Inſeruntur præcisè, vt per omnes deferantur ſpiritus, nego: quia in alios vſus ſunt vtiles, concedo minorem. Sicut enim in quacumq; parte inſtrumentali arteriæ pro ſpiritibus communicandis, pro ſanguine venæ, pro diſpoſitione ad motum, vel ſenſum nerui requiruntur, ſic & in teſticulis.

Ad 3. negatur conſequentia: Quia ſterilitas ex qualibet parte principe læſa inducitur diuerſa ratione; ex læſo corde defectu ſpirituum vitalium, læſo iecore defectu ſanguinis; cerebro verò læſo, vel quia reliquæ partes conſentiunt illi, vel quia eius dolor, aut morboſa diſpoſitio impedit ſeminis expulſionem.

C

Resolvtio VII.

Vtrùm ſemen generetur ſola vi teſtium.

§. I.

Negatiua pars Hipp. authoritate, & Ariſtot. fundamentis fulcitur.

CVilibet corporis parti ſeminis generandi vim tribuebant antiqui; alij pro toto fœtu quamlibet ſufficere partem; alij pro ſimili tantùm contendebant: vtriſque fauet Hipp. *lib. de aere, locis, & aquis. lib. de genitura*, *lib. de natura pueri*, *lib.* 4. *de morbis*, aliiſque in locis, in quibus, & ſtatuit, & comprobare nixus eſt ſemen, & ab omni quacumq; parte decidere, & in quacumq; generari poſſe, maiuſque ex parte à cerebro.

D Pro hac opinione antiqua quatuor fundamenta adducit Ariſt. *lib.* 1. *de generat. animal.* c. 17. quæ omnia deſumpſit ab Hipp. Primum, quod deſumpſit *ex lib. de genitura* eſt, vehemens voluptas, quæ tempore coïtus in toto corpore percipitur. Secundum, quod ex eodem deſumitur *lib de morbo ſacro*, eſt, quod ex mancis fiant manci, quia à parte deficiente ſemen non emittitur. Tertium deſumpſit Ariſt. *ex lib. de genitura*. quòd filij ſimiles generentur parentibus. Quartum deſumpſit *ex eodem lib.* quòd in parna ſeminis emiſſione fit omnium corporis partium maxima reſolutio: ergo ſemen ab illis defluit.

E Probat ipſe Hipp. duplici euentu *lib. de locis, aere, & aquis*, in Sinero Cappadociæ parte, Macrocephali oblonga capita ab arte obtinuere primò, at poſtea filiis ſimiles à natura facti ob ſemen à primis deciſum: Scithæ quibus propè aures abſcindebantur venæ coxendicis dolorem vitandi cauſa, quia ſemen à cicatrice impeditum à capite decidere non poterat, ſteriles fiebant: ergo ſemen in capite, & quavis alia corporis parte poteſt generari.

Probat ratio. Seminis productiua facultas vel eſt nutritiua, vel ſaltem facultas gradus vegetatiui, ex Ariſt. *lib.* 2. *de anima*; ſed nutritiua, & omnes facultates gradus vegetatiui ſunt in quacumque corporis parte: ergo facultas ſeminis productiua inhæret in quavis parte, & valet in ea ſemen produci.

§. II.

Galeni, & communis amplectitur opinio.

RESoluendum: Quòd ſemen non poteſt generari in omnibus corporis partibus, ſed fit ſola vi teſtium intra ſphæram actiuitatis eorum: annuit Ariſt. *l.4. de hiſt. animal. c.* 1. *l.* 1. *de generat. animal. c.* 12. Eandem doctrinam ſanciuit Galen. *lib. artis medicinalis c.4. l.* 1. *de ſemine. & lib.* 14. *de vſu partium*, & ſæpe *lib. de natural. facult.* Auic. ſequitur illum *fen.* 20. *lib.* 3. *c.* 10. *fen.* 1. *l.* 1. *doctr.* 1. *c.* 2. *& doct.* 6. ſequuntur eius Commentatores, & ex modernioribus Valles *l.* 2. *contr. c.* 8. Valleriola *l.* 1. *de locis commun. c.* 17. Fontanus *vniuerſæ artis medicæ l.* 5. *c.* 2. Varand. *lib.* 1. *phyſiol. ſect.* 7. *c.* 2. Zacutus *l.* 9. *c.* 7. Sennertus *l.* 1. *c.* 10. Carrerius *in fen.* 1. 1. *diſp.* 35. Manuel Martinez *l.* 1. *tract.* 5. *q.* 3. Serna *l.* 1. *de principiis generationis tract.* 1. Peramatus *tract. de ſemine*, & eſt communis.

Probat Ariſt. *lib.* 1. *de gener. animal. c.* 18. Præcipuè impugnando fundamenta Hipp. Tum quia ſimilitudo filiorum ad parentes nihil conuincit, nam in capillis, vnguibus, voce, & motu fiunt ſimiles, à quibus ſemen non decidit: Tùm quia contingit ſimilitudo in aliquibus partibus vt canitie, aut barba, quæ nondum erat in parte, dum generauit: Tum quia fiunt ſimiles Auis, & Proauis, à quibus ſemen non decidit: Tum quia in plantis à ſemine vnius rami fit procerior arbor: Tum quia ſi decideret ſemen ab omnibus partibus, ſimilitudo eſſet non ſolum in partibus organicis: ſed etiam in ſimilaribus: Tum quia in tam breui tempore moueri ſemen à toto non poſſet, aliiſque rationibus conuincit ſemen non decidere ab omnibus corporis partibus: ergo aliqua debet aſſignari in corpore, in qua generetur inter partes animalis, quarum nulla alia aptior eſt, vt conſtabit, quàm teſtes.

Probatur 2. Fundamentis ex Gal. deſumptis 5. *lib. artis medicinal.* teſtes ſunt pars princeps pro conſeruatione ſpeciei, non alia ratione, niſi quia ſemen producunt, quod eſt inſtrumentum in hunc finem à natura deſignatum: Tum quia ideò inepti pro ſemine emittendo fiunt Eunuchi, non niſi defectu teſtium à quibus generetur: Tum quia modus ſubſtantiæ rei productæ atteſtatur partem, à qua fit, & nulli ſemen ſimilius, quàm teſtibus: Tum quia in anatomicis diſſectionibus intra ſphæram actiuitatis teſticulorum reperitur ſemen: Tum quia teſtes ſunt pars organica, propriâ ſtructurâ, ſubſtantiæ modo, figurâ, ac conformatione gaudentes ob aliquem finem, nec alius apparet niſi pro ſemine generando: ergo ſemen ſola vi teſtium, & intra ſphæram actiuitatis eorum poteſt generari.

Probatur 3. Semen non decidit ab omnibus partibus, vt demonſtrat Ariſt. non à ſolis partibus ſpermaticis, vt intendebat Fernelius, nam generarent Eunuchi, nec à tribus principibus partibus, vt falsò imponunt Auicennæ; nam neque ſunt viæ, quibus ad teſtes traheretur, nec habent vniformem ſubſtantiam ad productionem ſimilis ſubſtantiæ, nec in illis, ac aliis partibus, vt in teſtibus, & intra eorum ſphæram ſemen vnquam fit: ergo ſola eorum vi producitur.

§. III.

Argumentis pro antiquorum opinione adductis fit ſatis.

AD 1. reſpondetur: Quòd voluptatis eſt cauſa prurigo, ſeu titillatio in partibus genitalibus orta à ſemine ſpirituoſo, ac intenſo calore prædicto, quarum ratione in ſympathiam totum trahitur corpus. Quòd manci ex mancis naſcantur, potiùs contrarium ſuadet, cùm plerumque contrarium eueniat. Quòd ſimiles ſint filij parentibus à formatrice vi prouenit, cui inditum eſt ab Authore naturæ, vt intendat productionem fœtus, qui ſit ſimilis ei, cuius ipſa eſt inſtrumentum, tendit enim in productionem ſimilis tanquam in proprium, ac ſpecificatiuum obiectum. Quòd nimia ſeminis emiſſione partes extenuentur, fit deficiente ſanguine, qui dum maiori copia trahitur pro ſeminis materia, deficit pro partium nutritione.

Ad 2. reſpondetur: Quòd cùm facultas conformatrix tendat in productionem geniti ſimilis eius, cuius eſt inſtrumentum, ſicut dum capita erant rotunda, ex proprio munere rotunda conformare debebat; ita dum erant oblonga capita generantium, oblonga etiam debebat illa in genitis conformare, aliàs aberraret à proprio fine non ſimile producens: Macrocephali verò, quia ſine ſtapedibus equitabant, infirmiores facti infirmius emittebant ſemen, minúſque prolificum.

Ad 3. reſpondetur: Quòd etſi ſeminis productiua facultas eſſet aliis partibus communis propter diuerſum ſubſtantiæ modum repertum in teſtibus, poſſet ſemen producere in teſtibus, & non in aliis partibus, ſic coctione chylus in ſolo ventriculo, ſanguis in ſolo iecore fit, & ſi concoctrix ſit in omnibus partibus. vel ſi generatiua eſt alia, poteſt in ſolis teſtibus reperiri, quia reliquæ potentiæ vegetatiuæ ſunt propter indiuidui conſeruationem: & ideò in quavis parte neceſſaria ſeminis generatiua eſt propter ſpeciei conſeruationem, & ſufficit in hunc finem ſemen in determinata parte genitum.

RESOLVTIO VIII.

Verùm ſemen decidat ab omnibus partibus ſecundùm aliquid ſui?

§. I.

Pars negatiua proponitur, & fulcitur.

SEmen ſola vi teſtium generari, & nullo modo poſſe ab omnibus partibus decidere, nec in aliquo ſenſu antiquorum opinionem poſſe defendi ſuadetur.

Primò: ſi ſemen decideret ab omnibus corporis partibus, vel quia decidit ſub propria forma, vel quia decidit ſanguis, ex quo fit in teſtibus, vel quia decidit ſpiritus, ex quo ſpirituoſa pars illius generatur, vel quia decidit conformatrix facultas, cum qua operatur: ſed nec decidit ſemen ſub propria forma, vt *reſolutione* 7. probauimus; nec ſpiritus, vt *reſolutione* 5. oſtendimus; nec decidit ſanguis, vt patet *reſolutione* 4. nec conformatrix facultas, quia cum ſit accidens non poteſt migrare de ſubiecto in ſubiectum, & cum ſit propria potentia ſeminis non poteſt niſi ab eius forma pullulare: ergo ſemen non poteſt decidere ab omnibus partibus ſecundùm aliquid ſui.

Secundò: ſemen nec quoad ſuum eſſe entitatiuum, nec quoad ſuum eſſe obiectiuum, ſeu ſpecificatiuum non poteſt ab omnibus partibus decidere: ergo antiqua opinio omninò eſt improbabilis. Probatur minor, de eſſe entitatiuo ex dictis, de eſſe obiectiuo, quia conformatrix virtus cuius eſt reſpicere eſſe obiectiuum, ſeu ſpecificatiuum, non reſpicit generans, ſed ipſum genitum tanquam obiectum conformabile ab illa: ſed genitum ratione ſui non dicitur deciduum à partibus, ſed ab ipſis factum media conformatrice vi; ergo nec ſecundùm eſſe obiectiuum poteſt ſemen eſſe deciduum ab omnibus partibus generantis.

§. II.

§ II.

Semen ab omnibus partibus generantis aliquid ſui deducit.

RESoluendum: Quòd ſemen, vt inſtrumentum fit generantis, per vim conformatricem deriuatur ab omnibus partibus producentis obiectiuam fundamentalem rationem ſui ſpecificatiui formalis habentibus.

Probatur 1. Semen eſt inſtrumentum generantis tendens ad productionem fœtus illi ſimilis, ergo in eſſe principij actiui debet ſpecificari à ſuo effectu ſub illa ratione formali ſimilitudinis: ſed fœtus ſimilitudo fundatur in omnibus partibus eius, à quo decidit ſemen: ergo ab illo deriuatur ſemen ſecundum ſuum eſſe obiectiuum, & ſpecificatiuum.

Probatur 2. Fœtus producitur ſimilis generanti: ergo aliquid reperitur in ſemine deciſum à generante, ratione cuius conſequatur ſimilis productionem: ſed non eſt aliquod ſe habens ex parte ſubſtantiæ ſeminalis: ergo reperitur ex parte eſſentialis ſpecificatiui. Minor patet ex dictis antecedenter.

Probatur 3. Potentiæ non cognoſcitiuæ cuicumque eſt inditum à generante, vt propenſione quadam attingat ſui obiecti productionem: ſed conformatrix ſeminis potentia, quæ conſtituitur in eſſe inſtrumenti ſui generantis, ſimilis generationem attingit: ergo tendit eſſentialiter in productionem deriuatam ab omnibus partibus generantis.

§. III.

Argumentis primò poſitis fit ſatis.

AD 1. diſtinguo conſequens: Ergo ſemen non poteſt decidere ab omnibus partibus ſecundùm ſuum eſſe entitatiuum, concedo: & hoc probat argumentum; ſecundùm ſuum eſſe obiectiuum, nego conſequentiam.

Ad 2. diſtinguo vltimum conſequens: Ergo ſemen nec ſecundùm ſuum eſſe obiectiuum deriuatur ab omnibus partibus, ſecundùm eſſe obiectiuum materiale, tranſeat quoad hoc intentum; ſecundùm eſſe obiectiuum formale, nego conſequentiam. Duplex eſt eſſe obiectiuum ſpecificatiuum ſeminis; Et fœtus ſecundùm ſuum eſſe entitatiuum, & ſic eſt obiectum materiale: Et ipſum in ratione ſimilis ſuo generanti, & vt ſic formaliter attingitur à potentia conformatrice.

Dices: ſi ſimilitudo eſſet ratio formalis obiectiua & ſpecificatiua ſeminis, vt eſt inſtrumentum generantis, numquam poſſet ſemen in fœtus formatione attingere formationem fœtus non ſimilis: ſed plerumque fœtus non ſimilis generanti fit: ergo ſimilitudo generantis non eſt ratio formalis ſpecificatiua ſeminis in eſſe inſtrumenti.

Reſpondetur: Quantum eſt ex ſe, ſi non impediatur, ſemper ſemen attingit ſimilis productionem: ſed contingit plerumque finem ex toto non aſſequi impeditum à ſemine alterius parentis, à ſanguine menſtruo, ab imaginatione, ab aliiſque quamplurimis cauſis.

RESOLVTIO IX.

Vtrùm ſemen præſtet materiam pro fœtus formatione?

§. I.

Ariſt. proponitur; & probatur ſententia, D. Thomæ, & Scoti argumentis fulcitur.

SEmen pro fœtus formatione efficientiam, nullamque pro illo ſubſtinere materiam, nec ma-
A terialis principij aliquam poſſe induere rationem ſanciuit Ariſt *lib. 1. de gener. animal. cap.* 20. idem determinuit *lib. 2. cap.* 3. aliquibuſque contendit probare rationibus, quibus & addunt poſteriores alias.

Suadetur 1. Hæc opinio ab Ariſt. ipſo: Tum quia ex ſemine fœtus non valet conformari, niſi coaguletur, & denſetur, quod iudicat impoſſibile, quia à frigore humeſcit, à calido liqueſit: Tum quia ſemen eſt ens per ſe, & non poteſt coaleſcere ex duplici ente in actu, quale eſt principium actiuum; & paſſiuum: Tum quia ſemen vna eſt forma ſimplex, quæ nõ poteſt fieri ex duabus ſubſtantiis: Tum quia in generatione viri ſemen agit, ſemen fœminæ patitur, vtrumque tamen poteſt remanere vt materia in genito: Tum
B quia ſemen ad fœtum ſe habet ſicut lac ad coagulum, quod lactis coagulati non eſt pars: Tum quia aliqua animalia maribus ſe inſinuant, & ſine ſemine concipiunt: ergo ſemen non poteſt materiam præſtare pro fœtus formatione.

Suadetur 2. Doctrina, & authoritate D. Thomæ, qui 2. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 3. ait: *Hæc autem potentia non eſt paſſiua in ſemine maris, ſicut dicimus ligna, & lapides eſſe in potentia domus, ſic enim eſt potentia in menſtruo mulieris, ſed eſt potentia actiua, ſicut dicimus formam domus in mente artificis eſſe potentia domum, &c.* Ergo ex D. Thom. nullam ſemen præſtat pro fœtu materiam.

Suadetur 3. Ratione deducta ex Scoto *in* 3. *diſt.* 4.
C Non poteſt fieri generatio, quin in inſtanti, in quo fit, adſit generans principale, aut inſtrumentale, à quo generatio procedat: ſed ſi ſemen eſſet principium actiuum, & paſſiuum generationis, in inſtanti in quo fit generatio non adeſt principium actiuum generationis, nec principale, quia poteſt eſſe diſtans, aut non eſſe, dum à ſemine fit generatio, nec inſtrumentale, quia ſi præſtat materiam pro fœtu, dum fœtus fit, ſemen eſt corruptum: ergo non eſſet poſſibilis generatio.

Quartò: ſi ſemen eſſet principium paſſiuum pro generatione viuentis, non poſſet priùs ſui materiam tribuere pro illo, quàm ſe corrumperet, ſed nihil poteſt ſeipſum corrumpere, ex Ariſt *l. 1. de ortu & interi-*
D *tu t.* 7. Ergo ſemen non poteſt materiam præſtare pro fœtus formatione.

Quintò: ex illis nutrimur, ex quibus ſumus conformati: ſed non nutrimur ex ſemine, ſed ex ſolo ſanguine: ergo pro nobis conformandis non præſtat materiam ſemen, ſed ſolus ſanguis.

§. II.

Hipp. & Galeni præfertur aſſenſus.

REſoluendum affirmatiuè, Tenet Hipp. *lib. de genitura, & lib. de diæta*, Galen. *lib.* 1. *de ſemine, c.* 4. *&* 5. Fontanus *part.* 1. *c.* 4. Carreirus *in ſen. t.* 1 *diſp.* 36.
E Sennertus *lib.* 1. *cap.* 10. Doctor Laurentius *lib.* 8. *de re anatomica, c.* 2. Peramatus *tract. de ſemine.* Valleriola *lib.* 1 *de locis communib. cap* 17. Rodericus de Caſtro *lib.* 2. *de natura mulierum, c.* 4. Duncanus *lib.* 1 *phyſiolog. cap.* 3. Ioannes Baptiſta Cortés *decad.* 4. *cap.* 10. Valles *lib.* 2. *controuerſ. cap.* 7. & eſt communior inter Medicos.

Probat *lib.* 1. *de ſemine*, hanc ſuam ſententiam Galenus primò authoritate ſummi Dictatoris, *lib. de genitura, & lib. de natura pueri*, & ex communi aſſenſu omnium Medicorum, qui vſque ad ſua tempora illam amplexi ſunt vnanimiter.

Probatur 2. Si fœtus non conformaretur ex ſeminis materia, ſemen in vtero receptum pro genera-

tione vel affluerer, vel in flatus euaneſceret, vel putreſceret; ſed non putreſcit, aliàs lethalia ex illo ſubſequerentur ſymptomata in grauidis; non conuertitur in flatus, aliàs diſtenderetur vterus ab illis, qui potiùs clauditur, & comprimitur, ita vt ex Hipp. 5. *aphoriſm.* 51. recepto ſemine, nec ſpecillum admittat, non refluit, quia ex fœminarum relatu, dum concipiunt, conſtat ſemen non effundi, & in ouibus & capris deſectis, Gal. expertus fuit ſemen reperiri in eis quæ conceperunt, non verò in aliis: ergo ex ſemine fit fœtus.

Probatur 3. Quælibet pars petit proportionatam materiam, ex qua fiat & quæ parti efformandæ ſit ſimilis in temperie, modo ſubſtantiæ, & aliis accidentibus: ſed in perfecto animali nouem corporis partes, vena, arteria, neruus, os, cartilago, membrana, tendo, ligamentum, & cutis habent cum ſemine proportionem in illis: ergo ſemen præſtat materiam pro earum conformatione.

Probatur 4. Eadem eſt ratio de ſemine in animali ac in plantis, aut arboribus: ſed experientiâ conſtat arbores, & plantas fieri ex ſuo ſemine: ergo & animalis ſemen præſtat materiam pro animali.

Probatur 5. Ex partibus noſtrum corpus componentibus aliæ ſpermaticæ dictæ reſarciri non poſſunt; aliæ ſanguineæ dictæ, etiamſi diſrumpantur, poſſunt coaleſcere: ergo quia illæ ex ſemine, hæ ex ſanguine fiunt, ex quo poſſunt iterum reſarciri.

Probatur 6. Plures noſtri corporis partes in ſui conformatione, petunt perforari, aliæ tractu temporis extendi, comprimi, aut dilatari: ergo petunt fieri ex materia lenta, tenaci, & glutinoſa: ſed ſanguis non eſt huiuſmodi: ergo præſtat materiam pro illis ſemen.

§. III.

Ariſtotelicæ opinionis argumenta ſoluuntur.

AD Ariſt. fundamenta dicendum: Quòd ex ſemine non fiunt partes fœtus, quia coagulantur, ſed quia conformantur; & quòd ratione diuerſarum poteſt ſemen, & eſſe actiuum, & paſſiuum principium, conformatrice agit, ex propria ſubſtantia conſternit materiam, ſicut in mixtione elementa agunt propriis viribus, materiam præbent ex propriis materiebus; & quòd forma vox plures partes valet informare, aut heterogeneas vt animæ, aut elementales, vt mixta: & quòd licèt neutrum agens principale ſit geniti materia, poteſt agens inſtrumentale; & quòd licèt coagulum, quia agens principale, non ſit pars lactis coagulati, poteſt ſemen, quod eſt inſtrumentale pro fœtus formatione, & per ſe intentum vt vtriuſque principij inducat rationem, & quod fœminæ, quæ maribus ſe inſinuant, in imperfectiori animalium genere aliquid ſaltem recipiunt materiæ ex maſculis, quæ concurrat paſſiuè.

Ad 2. reſpondetur: Quòd D. Thomas, vel contra negantes ſemini omnem actiuitatem, illam intendit adſcribendam eſſe illi, quod nos fatemur; vel quòd loquitur de ſemine ſecundum partem ſpirituoſam, in qua formatrix reſidet facultas, non de craſſiori ſeminis parte, quæ pro fœtus formatione deſeruit; vel quòd reſpondet in ſententia Ariſt. cuius opinionem impugnamus.

Ad 3. reſpondetur: Quòd generans non requiritur in inſtanti intrinſeco generationis fetus, ſed toto tempore antecedenti ad illud inſtans. generans enim requiritur toto tempore quo inducendo præuiam diſpoſitionem tendit, donec vltimam ponat, qua poſita tempore immediato ad inſtans generationis in illo formam antecedentem corrumpi eſt neceſſe, quia

A conſeruatiuam diſpoſitionem non habet. & in inſtanti ſubſequenti formam geniti produci ex vi actionis, quæ præcedit vſque ad illud inſtans terminatiuum actionis diſpoſitiuæ antecedentis, ex qua naturali ſequela in inſtanti ſubſequenti fit generatio, vt docet Caietanus 1. *p q* 54.

Ad 4. reſpondetur: Quòd licèt idem non ſit corruptiuum intendens ſui corruptionem, poteſt illam non intendens, ſicut in mixtione admittit Ariſt. *lib.* 1. *de generat. & corrupt. c.* 10. Quòd elementa mutuò inter ſe agendo ponunt mixtam diſpoſitionem, ratione cuius corrumpuntur eorum formæ, & materiæ elementorũ, v.g. ignea materialis pars exigit formam ad productionem excedentis caloris, quod corrumpitur. vt apparet

B in hectico, & in mutatione ætatum anima producit calorem, qui reſoluendo humidum radicale viuens tandem deducit ad interitum; ſic valet & ſpirituoſa ſeminis pars conformatrice vi agendo craſſam pro viuente conformare partem, qua debitè conformata, ſeminis formam corrumpi, & viuentem introduci eſt neceſſe.

Ad 5. diſtinguo maiorem: Ex illis nutrimur ex quibus ſumus facti proximè aut remotè, concedo: ex quibus ſumus proximè, & immediatè facti, nego maiorem. Aliàs enim arbor, & plantæ, quæ fiunt immediatè ex ſemine, vel ex ramo alterius arboris, deberent ex illo ſolo nutriri: petunt enim nutriri ex elementorum commixtorum partibus, ex quibus ſaltem remotè factæ fuerunt.

C

Resolvtio X.

Vtrùm ſeminis pars ſpirituoſa materiam præſtet pro fœtus formatione?

§. I.

Negatiua pars ſuadetur.

DE craſſiori ſeminis parte, quæ fit ex ſanguine præcipuè, rationes pro reſolutione adductæ antecedente probant: ſed de parte ſeminis ſpirituoſa in qua conformatrix inhæret facultas, an etiam materiam pro fœtu præſtet, præcipua eſt difficultas.

D Pars negatiua ſuadetur primò: Partes ſeminis, quæ tranſeunt ſub formam fœtûs, priùs organizationem, & conformationem recipiunt; cùm illa ſit actus corporis phyſici, & organici: ſed virtus conformatrix reſidet in parte ſpirituoſa ſeminis, vt docet Ariſt. *lib.* 2. *de generat. animal. cap.* 3. Galen. *lib.* 14. *methodi cap.* 3. D. Thom. 1. *p. q.* 118. *art.* 4. *ad* 3. *&* *q.* 3. *de potentia art.* 11. *ad* 8. Ergo pars ſpirituoſa non poteſt tranſire ad formam geniti. Probatur conſequentia, nam idem non poteſt eſſe principium conformationis, & organizationis propriæ ſui ipſius.

Suadetur 2. Rationibus adductis pro prima parte reſolutionis antecedentis, quæ præcipuè probant de parte ſpirituoſa ſeminis, quæ cùm ſit principium

E actiuum conformationis non poteſt eſſe principium paſſiuum, aliàs ageret in ſeipſum actione corruptiua, quòd licèt reſpectu diuerſarum partium, reſpectu eiuſdem met ad ſeipſam, non eſt poſſibile: ergo nec quòd pars ſpirituoſa, quæ eſt principium actiuum generationis, ſit geniti materia.

Probatur 3. Virtus conformatrix non ſolùm reperitur in ſemine ſed in ipſo genito, deperditas, vel nondùm conformatas partes plerumque reponit, & perficit: ergo pars ſpirituoſa, in qua reſidet, nondùm corrupta remanet, aliàs non poſſet non corrumpi conformandi virtus.

§. II.

Pars affirmatiua amplectitur.

Reſoluendum: Quòd pro fœtus formatione non ſolùm præſtat materiam pars ſeminis craſſior, quæ fit in illo ſanguine, ſed etiam ſpirituoſa ſeminis pars.

Probatur 1. Spiritus implantatus, quem communiter vocant calidum innatum, reperitur in animalibus perfectioribus, & eò perfectiùs quò propinquiores ſunt generationi. Hipp. enim 1. *aphor.* 14. *Qui creſcunt*, inquit, *plurimùm habent calidi innati*: ſed huiuſmodi calidum innatum fit ex ſeminis ſpirituoſa parte: ergo ſeminis ſpirituoſa pars tranſit in geniti formam. Probatur minor: Tùm, quia calidum innatum in viuente eſt ſubſtantia aërea, calida, humida, & ſpirituoſa, quæ non aliunde poteſt deſumi, quàm ex ſpirituoſa ſeminis ſubſtantia: Tùm, quia non ob aliam cauſam calidum innatum tractu temporis reſarciri non poteſt, quamcumuis ex hac, aut illa ſubſtantia alimentitia intendatur, niſi quia ſubſtantiæ modus, quem calidum innatum recepit ex parte ſpirituoſa, ex nulla alia ſimili ſubſtantia reſarciri valet.

Probatur 2. Spiritus informatur animâ, ſicut & membra reliqua: ſed non ſub forma ſeminis, quod vel non viuit, vel in illo non eſt aliquod membrum actu: ergo dum corrupta ſeminis forma tranſit ad formam viuentis. Probatur maior, ex Gal. qui *lib.* 5. *de ſimplic. facult.* inquit, ſpiritus eſt ſubiectum animæ, & eſt animatus ſcilicet ſimul cum membro.

Probatur 3. Ex Ariſt. qui *lib. de motione animal.* inquit: *Omnia autem videntur animalia tum ſpiritum habere connatum, tum ab illo robur capere*; ſed nullus eſſe ſpiritus connatus poteſt, quo partes diu robur capiant, niſi ille, qui fuit ſpirituoſa ſeminis ſubſtantia: ergo hæc tranſit ad formam viuentis.

Probatur 4. Pars ſeminis ſpirituoſa, in qua reſidet caliditas aërea, præſtatior eſt pro fœtus materia quam quæcumque alia pars ſeminis: ſed pars craſſior, vt probauimus, tranſit ſub formam animalis, quod generatur: ergo potiori iure pars ſeminis ſpirituoſa.

Probatur 5. Ex principiis generationis non ſolùm debet recipere genitum materiam aptam, vt partes conformentur ex illa, ſed etiam, vt retineat calorem, qui debitum inſtrumentum eſt pro coctionibus viuentis: ſed ex craſſiori parte ſeminis recipit materiam aptam pro partibus conformandis: ergo ex ſpirituoſa recipit materiam aptam, ex qua pullulet calor natiuus debitus viuenti pro ſuis actionibus.

Probatur 6. Pars ſeminis ſpirituoſa, dum pars craſſa tranſit ad formam geniti, vel tranſit ſimul, vel corruptâ ſeminis formâ, ipſa in vtero remanet cum genito: ſed remanere non poteſt, quia non aſſignatur ad quam formam pertranſit, nec quæcumque ſit, diu ibi ſine corruptione, & graui incommodo fœminarum, & fœtus, poſſet permanere: ergo tranſit ſub geniti formam.

§. III.

Pro obiectionibus adhibentur ſolutiones.

Ad 1. reſpondetur: Quòd ſeminis ſpirituoſa pars commixta, & inſperſa eſt per totam ſeminis ſubſtantiam craſſam, & circa illam operatur organicam diſpoſitionem præuiam ad formam viuentis, nulli ſe inſinuans parti, ſed vndequaq; commixta, & operans in qualibet iuxta diuerſitatem partium materialium, huc & illuc commouens ipſas, donec commotis partibus, in organizatione viuenti formæ aptatam: totas, quas ſeminis partes informabat forma corrumpit, & ma- [A] teriales ſeminis partes corrumpuntur, quia pro craſſioribus organizatio perfectiórque poſita eſt diſpoſitio, quàm quæ requiritur pro ſeminis forma, & craſſioribus non informatis per illam, & ipſam in ſpirituoſa parte deficere eſt neceſſe: non quia ſe ipſam conformauit pars ſpirituoſa, ſed quia conformauit partem, ſine qua ſeminis formam retinere non poteſt, & hæc eadem manet pars ſpirituoſa, & aſcititia, quæ loco eius reponitur tractu temporis per accidens, & ſui eſt corruptiua, ſuo enim calore agit in humidum; ſine quo viuens conſeruari non poſſit, & defectu illius deficit anima, quæ hanc eandem partem informabat, quia defectu alterius partis materialis ipſa ab anima informari non poteſt.

[B] Ad 2. patet ex dictis quo pacto ſpirituoſa pars ſeminis conformando partes craſſas ipſas reddit ineptas pro forma ſeminis, quâ & ipſa informatur, & cùm ab aliis deſinere ſit neceſſe, ſimul & ab ipſa; & quòd ipſa ad alterum pertranſeat formam, ſub qua & vſus, & neceſſitas tanta eſt, vt ſine illa nec operari, nec conſeruari poſſit, fit enim ſub viuentis forma implantatus ſpiritus, innatúmve calidum viuentis formæ proprium, & receptaculum, & conſeruatiuum.

Ad 3. reſpondetur: Quòd permanentia conformatricis in genito, quam admittunt plerique, de qua infrà dicemus, potiùs arguit ſpirituoſæ ſeminis partis permanentiam, quæ cum corruptâ ſeminis formâ, non poſſit non tranſire ad formam partium reliquarum [C] ſeminis, cui & ipſa erat ex vſu ſub illa neceſſariò admittenda.

RESOLVTIO XI.

Vtrùm ſemen animatum ſit?

§. I.

Semini animam tribuentium aſſenſus, & diſſenſus proponitur.

Semen animâ informari contendit Plato in Timæo; Themiſt. 1. *de anima c.* 22. Fulginienſ. *ſuper* 35. *cap. Auicenna*, Zimara 2. *de anima ad text.* 43. [D] Valleſius *lib.* 3. *controuerſ.* c. 9. Mercatus *lib.* 1. *claſ.* 4. Vega *lib.* 5. *method.* Peramatus *tract. de ſemine*, Gentilis *fen.* 1. *c.* 2. *ſum. vnic. doct.* 6. Cardanus 2. *contradict.* 17. Argenterius *in lib.* 2. *artis med.* Veiga *lib. artis medicinal.* c. 47. Scaligerus *exercit.* 6. *aduerſ. Cardanum*, *& aliis in locis*, Zacutus *lib.* 9. *c.* 6. Rodericus de Caſtro *lib.* 1. *de natura mulierum* c. 7. Sennertus *lib.* 1. c. 10. Fonſeca *lib.* 1. *de arte medic. cap.* 3. & alij: Qui inter ſe diſſentiunt, alij iudicantes ſemen viuere, quia viuunt ſpiritus vitales, qui ſunt pars ſpirituoſa illius; alij licèt ſpiritus non viuere iudicent, ſeminis ſpirituoſam partem tantùm viuere affirmant; alij, quòd vita [E] informatur tota ſeminia ſubſtantia; alij inter hos, quòd ſola vegetatiua; alij quòd habet ſenſitiuam conſopitam, vegetatiuam manifeſtè operantem; alij quòd eadem informatur formâ ac efficiens, à quo fit; alij quòd viuit, non dum generatur; ſed ſtatim ac in vtero complectitur.

Suadetur 1. Quòd ſemen animatum debeat eſſe, authoritate Ariſt. *lib.* 2. *de generat. animal.* c. 4. vbi ait: *Nihil minus ſemina, & conceptus viuunt animalium, quàm ſtirpes*: & *cap.* 7. Sed habeat ſemen animam, necne, eadem ratio ac de partubus eſt reddenda: & authoritate Gal. qui ſemen admittit nutriri: & *lib.* 1. *de maraſmo* c. 2. Tria ſunt viuentium genera, animalia, plantæ, & ſemina, & hæc tria tabe poſſe corripi admittit; & *lib. an ſit anima, quod in vtero eſt*, Ex eo per-

ſpicnum eſt,inquit,quòd anima ſemini vna cum natura ineſt, & aliis in locis id docere videtur:ergo anima ſemini eſt concedenda.

Suadetor 2. ſemen attingit generationem fœtna vioentis : ergo ſemen viuit. Probatur conſequentia: Tum quia cum hæc ſit generatio vniuoca, ſi genitum viuit : generans viuens debet eſſe : Tum quia ſemen non poteſt viuens generare, quin habeat generatiuam facultatem ſibi inhærentem, quæ in non viuente inhærere non poteſt, cùm ſit propria paſſio animæ vegetatiuæ, ſine qua reperiri non poteſt : Tum quia cùm generatio ſit actio vitalis, quæ petit eſſe à principio vitali vitaliter operante, non poſſet eſſe actio vitalis, ſi non haberet vitam ſemen à quo fit : Tum quia, cùm nutritio non diſtinguatur à generatione, ſemen cùm habeat virtutem generandi habet & nutriendi, quæ facultas ſiue anima vegetatiua non eſt: ergo ſemen viuit.

Suadetur 3. Semen arborùm, & plantarum, cùm nutriri, & augeri in plantis videamus, manifeſte viount:ſed animalium ſemen eſt perfectius, quàm ſemina plantarum : ergo vel eadem, vel perfectiori anima debet informari.

Suadetur 4. Anima eſt actus corporis phyſici, & organici : ſed forma ſeminis eſt actus corporis phyſici,& organici:ergo ſeminis forma viuit.Probatur minor,forma ſeminis eſt actus corporis ex parte ſeminis craſſa,& ex parte ſpirituaſa organizati,quatum alia eſt ſubiectum virtutis conformatricis,alia verò materiam præſtat ex qua fit partium conformatio:ergo eſt actus corporis phyſici.

Suadetur 5. Impoſſibile eſt quòd aliquid operetur vbi non eſt:ſed anima vegetatiua operatur generando vbi eſt ſemen:ergo reperitur in illo.

§. II.

Semini denegat quamcumque viuentem formam.

Reſoluendum 1. Quòd ſemen nulla viuenti informator ſubſtantiali forma. Tenet Ariſt. *lib. de anima text.*10. *& lib.*2. *de generat. animal. cap.*1. D. Thom. q.3. *de potentia art.*9. *ad* 9. *&* 2. *contra Gentes cap.*89. Scotus *in* 4. *diſt.*44. q.1. Albertus Magnus 2. *p. ſumma de homine*, Ianduna 7. *metaphyſic. cap.*19. Conciliator *diff.*48. Auerr. *in paraphraſi lib.*2.*de genir. animal.cap.*2.Gentilis *dub.*20. Fernelius *lib.*1.*de abditis rerum cauſis cap.*6. *& lib.*7.*phyſiolog.cap.*13. Thom. de Garbo *lib.*1 *tract.*5.*q.*5.Valleriola *lib.*1.*de locis communibus c.*17.Carreirus *in ſen.*s.1.*diſp.*36. Manuel Martinez *lib.*1 *tract.*5.*q.*2. Serna *lib.*2. *de principiis generationis c.*5. Fontanus *p.*1. *vniuerſa artis medicæ cap.*3. Vatand.*lib.phyſiologia tract.de prima hominis conformatione ſect.*5.*cap.*2.

Probatur 1. Anima eſt actus corporis phyſici, & organici ex Ariſt.2. *de anima*, ſemen non eſt corpus organicum:ergo illius forma non eſt anima.Patet minor, ea eo quòd ſemen homogeneam oſtendit naturam ad ſenſum.

Dices:quòd in illo reperitur pars ſpirituoſa,& pars craſſa,quæ ſunt partes diuerſæ.

Contra:diuerſitas partium aërearum,& aquearum, aut terreſtrium, vt patet *tract. de elementis diſp.*2. non conſtituit organizationem pro anima, cùm in quouis mixto debeat neceſſariò reperiri : ſed diuerſitas partis ſpirituoſæ, & partis craſſæ ſolùm eſt diuerſitas ſubſtantiæ aëreæ in parte ſpirituoſa magis, quàm in parte craſſa, in qua reliquorum elementorum partes materiales magis prædominant : ergo diuerſitas in parte ſpirituoſa,& craſſa non facit organizationem.

Probatur 2. Si ſemen informaretur anima quacumque deberet augeri, nutriri, & reliquas operationes ſaltem vegetatiuas exercere : ſed nullas exercet ſemen, donec in vtero poſt generationem viuentis aliquâ informetur animâ : ergo non viuit. Probatur minor, intra vaſa ſeminalia detentum, nec habet à quo nutriatur, nec reſultant ſuæ nutritionis excrementa, nec augetur niſi per nouam ſimilis accretionem genitam à teſticulis : ergo nullas exercet vegetabiles operationes.

Probatur 3. Semen ratione finis, in quem ordinatur, ſcilicet vt generet, non indiget anima : ergo ſola forma naturali informatur. Probatur antecedens:Tum quia ſemen, cùm non operetur vt agens principale, ſed tantùm vt inſtrumentale, non petit habere animam ſimilem rei generandæ, ſed quòd illam habeat illud, cuius eſt inſtrumentum : Tum quia, licèt haberet animam vegetatiuam, cùm hæc non attingat perfectionem ſenſitiuæ, aut rationalis, propria virtute aliud ſemen, non verò aliud ſenſitiuum poſſet generare ; ergo non indiget informari per animam ratione finis in quem ordinatur.

Probatur 4.Ex D.Thom.2.*contra Gentes cap.*89. inquit enim:*Non igitur ipſamet virtus, quæ cum ſemine deciditur, & dicitur formatiua, eſt anima; neque in proceſſu generationis fit anima. ſed cum ipſa fundituꝛ ſicut in proprio ſubiecto in ſpiritu. cuius eſt ſemen contentiuum, ſicut quoddam ſpumoſum operatur formationem corporis, prout agit ex vi animæ patris.&c.*

§. III.

Aliqualis ſemini vitalitas adſcribitur.

Reſoluendum 2. Quòd ſemen eleuatum in eſſe inſtrumenti aliquid vitalitatis attingit.

Probatur:Semen vt inſtrumentum eſt, generationem viuentis efficit, quæ eſt actio vitalis ; ergo ſemen eſt principium vitale inſtrumentale. Probatur conſequentia,actio vitalis eſt quæ prouenit à principio vitali vitaliter operante:ſed generatio, quæ eſt actio vitalis,fit à ſemine:ergo ſemen aliquid vitalitatis habet,per quod conſtituitur in ratione principij vitalis.

§. IV.

Diluuntur argumenta, quæ ſemini animam aptare conantur.

Ad 1.reſpondetur, Quòd Ariſt.*in cap.*3. *citato* intendit,quòd ſemina arborum, & conceptus iam factus ex ſemine animalium viuunt ſicut ſtirpes, *c.*7. dicit de ſemine plantarum, quòd viuere iudicat, ſicut partes arborum, à quibus decidit : quod nos fatemur. Ad Galeo.dicimus, quòd loquitur de ſeminibus vegetabilium,non verò de omni ſemine, & in *lib. an ſit animal*, intendit, quòd anima ſemini vnà cum natura ineſt,ideſt quòd ſimul cum natura,ideſt cum forma naturali ineſt anima, id eſt virtus animæ in ſemine, qua eleuatur vt eius inſtrumentum, dum verò ſemen nutriri affirmat, de impropria nutritione agit, qualiter & ſpiritus per nouam ſimilium aggregationem nutriri dicuntur, ſic virile ſemen per fœminei ſeminis aggregationem nutritur, ſeu quaſi vna fit ſubſtantia in eſſe inſtrumenti.

Ad 2. diſtinguo antecedens : Semen attingit generationem viuentis virtute propria, nego, in virtute generantis, & tamquam inſtrumentum illius, concedo antecedens : Semen enim dupliciter poteſt conſiderari, vt ens naturale per formam

ſubſtantialem non viuentem conſtitutum,'& ſic nullo A modo poreſt viuentis generationem attingere; alio modo vt eſt inſtumenium generantis, & ſic virtute eſt viuens, quia eleuatur ad operandum per virtutem viuentis, & ſic attingit generationem viuentis, & genitum fit ſimile generanti principali, à quo vniuoca actione producitur, & generationem attingit per virtutem vitalem ſibi iohærentem, per virtutem naturalem eleuatam à principali agente vitaliter operante tanquam principium illius actionis vitalis, & vitalis actionis eſt ſemen principium vitale inſtumentale, & ſicut non habet generatiuam virtutem proptiam, ita neque nutritiuam; præter quam quod, vt probauimus, alia eſt nutritiua à generatiua virtute.

Ad 3. diſtinguo minorem: Animalium ſemen eſt B perfectius, quàm ſemina plantarum, in eſſe inſtrumenti eleuatis concedo: in eſſe entis, nego minorem. Licèt animalis ſemen, quod eleuatum à generante attingit generationem animalis, ſit perfectius quàm ſemen plantarum, quod ſolius plantæ productionem attingit, in eſſe entis ſemen plantæ eſt perfectius, quia informatur animâ vegetabili, ſemen animalis ſola forma naturali, cuius doctrinæ fundamenta tetigit Doctor Serna *lib.2. de principiis c.6.* Fuit enim rationi conſonum, quòd vegetabilium ſemen, quod ſine alterius ſeminis commixtione generat, & nec à viuifico alterius generantis calore poteſt foueri, & ſuſcitari ad agendum, ſui generantis gauderet formâ viuenti, animalium verò ſemina, quæ & fœminei & virilis naturam retinent, & neutrum ſine alio generari valet, vt ſimul C commiſcerentur, & vnici adimplerent principij rationem, ne cuique in ſeparatione illa debita organizatio, & magnitudo deficeret, formâ decuit naturali informari, quæ ſub quauis particula commiſcibili alteri ſeminis parti propriam poſſunt retinere formam.

Ad 4. negatur minor: Semen enim animalium licèt habeat diſtinctionem partium materialium, ſicut & habet quodlibet aliud mixtum, nullam tamen habet organizationem, nec in ſubſtantia fluxilis naturæ, qualis eſt ſemen, poſſet adaptari organizatio, nec in ſui à parte ad partem effuſionem permanere.

Ad 5. diſtinguo maiorem: Impoſſibile eſt, quòd D aliquod operetur, vbi non eſt, actu, vel virtute, concedo: vbi non eſt actu, nego maiorem. Sufficit enim, vt aliquod operetur, virtualiter eſſe in eo, quod operatur, ignis enim in mixto non eſt actu, & producit calorem in illo, quia virtualiter continetur in eius formâ. Sol, & homo generant hominem, & Sol non eſt præſens actu, ſed ſola virtute ad generandum, ſicut & homo exiſtit.

SECTIO IV.

De filiorum ad parentes ſimilitudine. E

NATORVM ad parentes triplex ſimilitudo admittitur à Galen. *lib. 2. de ſemine c. 5.* in ſpecie, in ſexu, & in aliquibus accidentibus indiuidualibus; triplex enim in nato reperitur forma; ſpecifica, forma ſexus, & forma indiuidui, in quarum qualibet valet aſſimilari, & in indiuiduali, nec ſolùm parentibus, ſed Auis, Proauis, immò & aliis extraneis quibuſcumque rebus nimia imaginatione apprehenſis à parentibus, quarum ſimilitudinum inueſtigare cauſas, ſub hac ſectione intendimus.

RESOLVTIO I.

Quid ſit ſimilitudo natorum ad parentes?

§. I.

Deciditur tenendum.

REſoluendum: Quòd ſimilitudo natorum ad parentes eſt repræſentatio, ſeu congruentia eiuſdem ſpeciei, ſexus, aut, effigiei, quæ à parentibus profecta non ſolum proximis, ſed etiam remotis, vt Auis, Proauis, & ſimilibus in prole cernitur: ſic tenet Varand. *in phyſiolog. lib. tract. de prima hominis conformatione c.77.* Eſt amplectenda, deſcribit enim adæquatè quòd reſultat in filiis ex actu conformatricis non impeditæ in delineatione fœtus; & licèt ſimilitudinem ex imaginatione prouenientem non videatur attingere, ipſam tamen ſub effigie comprehendit, vt latiùs patebit infra.

RESOLVTIO I.

Vtrùm ſimilitudo ſpecifica ab actiuo, an à paſſiuo principio proueniat?

§. I.

Fernelij opinio proponitur, & fulcitur.

FErnelius *lib.7. phyſiolog. c.12.* iudicat quòd ſpecifica ſimilitudo prouenit ratione materiæ, quia ſcilicèt conformatrix facultas potiùs circa hanc, quàm circa illam materiam agit; ſi enim agit circa ſeminis materiam, ab homine hominem; ſi à leone deciſam, leonem generat.

Primò: ſuaderi poteſt hæc opinio, dum animalia diuerſi generis coëunt, producitur fœtus potius matri ſimilis in ſpecie, quàm mari, quia mater præſtat maiorem copiam materiæ, quàm pater: ergo ratione materiæ prouenit ſpecifica ſimilitudo: conſequentia patet, aliàs à maiori copia materiæ non proueniret maior ſimilitudo ſpecifica.

Secundò: ſanguis, qui generatur in iecore, ex quo fit ſemen, & ſanguis menſtruus, qui ſubſternit materiam pro fœtu, fit à iecore ſigillatus, & determinatus, vt poſſit nutrire partes huius determinati animalis; à quo fit, & non alias alterius: ſed eadem ſanguinis ſigillatio conducit, vt ex illo poſſint generari partes ſimiles eis, quæ erant nutriendæ ex illo, & non aliæ: ergo ratione materiæ determinatur vt fiat ſimilis in ſpecie.

Tertiò natura communis determinatur, & contrahitur per materiam ſignatam ad determinatum gradum entis, quia quodlibet indifferens debet habere per quid determinetur: ſed formatiua facultas eſt quædam communis natura indifferens pro viuentis formatione: ergo debet à diuerſitate materiæ ſeminis contrahi, & determinari iuxta propriam ſeminis materiam ad ſpecificam ſimilitudinem.

Quartò: ſic ſe habet indifferens formatiua facultas pro hac, vel illa ſpecie animalis producenda, ſicut forma mixta pro diuerſis producendis qualitatibus, vel anima pro diuerſis potentiis vitalibus: ſed forma mixta determinatur iuxta diuerſitatem partium materialium, & anima iuxta diuerſitatem materiæ organizatæ: ergo ſemen ex ſpecifica diuerſitate principij materialis diuerſo modo pro organizatione ſuarum partium ſigillati à iecore debet determinari.

§. II.

Ariſt. D. Thom. & communior præfertur opinio.

RESoluendum, Quòd ſpecifica ſimilitudo filiorum ad parentes prouenit, quia ſemen operatur, vt inſtrumentum eleuatum ad productionem ſimilis in ſpecie eius à quo decidit, & eleuatur: tenet Ariſt. 1. *de partibus animal. c.* 1. *& lib.* 4. c. 3. D. Thom. 1. *p. q.* 118. *art.* 1. *ad* 2. *&* 3 *part. q.* 41. *art.* 5. Gal. *lib.* 1. *de ſemine. cap.* 5. Sancta Cruz *lib. de ſacra philoſophia. in text.* 78. Rodericus de Caſtro *lib.* 3. *de natura mulierum. c.* 9. Carreirus *in ſen.* 1. 1. *diſp.* 37. *c.* 1. Manuel Martinez *lib.* 1. *tract.* 5. *q.* 9 Varandæus *lib. phyſiolog. tract. de hominis conformatione c.* 7. Fontan. *p.* 1. *c.* 17.

Probatur 1. Semen determinatur ab anima, cuius eſt inſtrumentum ad productionem ſimilis in ſpecie: B ergo non à materia circa quam operatur. Probatur antecedens, ex D. Thom. 1. *p. q.* 118. *art.* 1. *ad* 2. dicit enim: *Virtus generatiua in ſemine non operatur propria virtute, ſed virtute animæ cuius eſt potentia. & ideo virtus generatiua plantæ generat plantam, virtus verò generatiua animalis generat animal.*

Probatur 2. Semen non agit virtute propria, ſed vt eleuatum inſtrumentum à generante: ſed generans dirigit per generatiuam virtutem determinatam ad ſimilem in ſpecie producendum: ergo ſine noua determinatione ex parte materiæ ſemen tendit ad productionem ſimilis in ſpecie. Probatur minor, generans, v. g. homo, aut leo dirigit, & eleuat ſemen C per virtutem generatiuam, quæ ab homine, aut leone, quem ſolùm valet generare, ſpecificatur: ergo dirigit illud per virtutem determinatam ad ſimilem in ſpecie, tamquam à proprio ſpecificatiuo.

Probatur 3. Quælibet facultas quæ naturali modo operatur, producitur à ſuo generante, cum naturali quadam coaptatione, naturali inclinatione, naturali propenſione, ſeu inſtinctu in ordine ad ſpecificum ſuæ actionis, propter quæ dicitur determinata ad proprium finem, vt docet D. Thom. 1. *p. quæſt.* 103. *art.* 1. *ad* 3. Sed facultas generatiua cuiuſlibet ſpeciei animalis naturali modo, id eſt, ſine cognitione operatur: ergo à ſuo generante producitur determinata ad productionem ſui ſimilis. D

Probatur 4. Sic ſe habet ſemen, vt inſtrumentum generatiuæ virtutis hominis, ſicut ſe habet calor, vt inſtrumentum nutritiuæ virtutis hominis: ſed calor ſic eleuatus determinatam ſubſtantiam ſimilem ei, quæ nutritur, reponit ſine determinante aliquo, quia eſt inſtrumentum determinatum, & eleuatum in talis ſubſtantiæ nutritionem: ergo ſemen eleuatum à facultate ſpecifica hominis determinata eſt ad ſimile indiuiduum ſpecificum producendum.

§ III.

Argumentis Fernelij ſit ſatis.

AD 1. reſpondetur primò: Quòd, vt intendit Carreirus, ex duobus animalibus diuerſæ ſpeciei non fit fœtus alicui illorum ſimilis: ſed ſicut ex duplici ſemine ſpecie diuerſo fit vnum comprincipium à quolibet illorum medium, & diſtinctum, ita ſemper producitur fœtus mediæ naturæ ſpecificæ diſtinctæ à quolibet ex producentibus, vt conſpicitur in generatione muli.

Vel ſecundò: ſi vt intendit, aliquando fiat ſimilis matri, ideò eſt, quia ipſa & ſemen præſtat, ſuo fouet calore, plàſtice viteri ſuſcitat, proprium ſanguinem pro formatione, & alimento ſubſternit, & ideò ad agendum circa proprium finem præſtat actiuitas fœminei ſeminis.

A Ad 2. diſtinguo maiorem: Sanguis in iecore fit ſigillatus pro partibus, hoc eſt, coaptatus, vt præſtet materiam pro earum nutritione, concedo: ſigillatus, hoc eſt, determinatus, ita vt pro cuiuſlibet partis nutritione ſignata pars ſanguinis ſigilletur, nego maiorem. A iecore enim producuntur quatuor humores cum tali ſubſtantiæ modo, vt poſſint ex illo nutriri omnes partes corporis, ita vt quælibet attrahat ex ſanguinaria maſſa determinatam portionem humoris magis ſibi ſimilem in modo ſubſtantiæ; non quia hanc ſimilitudinem ſigillauerit iecur; ſed quia cum humores ſint diuerſi, & conſtent ex diuerſis partibus materialibus, qualibet pars intendit attrahere illam ſubſtantiam, quæ magis conſtat ex eis partibus materialibus, ex quibus & ipſa abundat, & ſic poſſit ex magis B ſimili nutriri ſubſtantia.

Ad 3. diſtinguo minorem: Natura communis determinatur per materiam determinatam in ordine ad ſuam indiuiduationem, concedo: in ordine ad ſuam ſpecificationem, nego minorem. Natura enim communis. v. g. hominis, aut leonis in ſuo eſſe ſpecifico contrahitur à materia, ſed per proprium ſpecificatiuum conſtituitur in eſſe talis, & intra illud eſſe in differentia illius ad ſui communicationem per indiuidua determinatur per materiam ſignatam quantitate, ſimiliter, & formarum potentiæ quoad ſuum eſſe ſpecificum determinantur per propria obiecta ſpecificatiua: poſtea vero natura cuiuſlibet poten- C tiæ determinatur ad ſui indiuiduationem per materiam determinatam organicam pro illa, & ſuis operationibus aptã; ideò enim ſpecifica determinatio generatiuæ potentiæ hominis non à materia deſumitur, ſed à proprio ſpecificatiuo obiecto, in quod neceſſariò tendit.

Ad 4. negatur maior: Quia facultas formatrix eſt indifferens ad reliquas, tanquam ratio contrahibilis generica ad illas per proprias differentias, anima, & forma mixta ad ſuas potentias, vel qualitates producendas ſunt indifferentes in ratione principij effectiui, & ideò formatrix determinatur ad hominis formatricem, vt reſpicit hominem generandum; ad formatricem equi, vt reſpicit equum in quem tendit, vt in ſpecificatiuum obiectum; anima verò ad productionem D potentiarum determinatur per organum vnicuique potentiæ, & ſuis operationibus aptum; mixta verò forma per materiam proprij elementi ad illius qualitates.

RESOLVTIO III.

Vtrùm ſimilitudo in ſexu proueniat ab actiuo, an paſſiuo ſeminis principio?

§. I.

Proponitur communis opinio.

E A Seminis actiuitate prouenire ſimilitudinem in ſexu tenent Medici, Democritum ſequuntur Cardanus *lib. contradict. tract.* 1. *cap. vlt.* Laurentius *lib.* 8. *de re anatomica, quæſt.* 20. Manuel Martinez *lib.* 1. *tract.* 5. *quæſt.* 9. Aſſerentes à maiori, aut minori vi in conformatrice ſeminis virtute ſexus ſimilitudinem prouenire in vtroque ſemine, & maſculam, & fœmineam vim admittunt; fœmineâ vincente, fœminam; maſculâ, maſculum generari contendunt: Varandæus verò *lib. phyſiolog. ſect.* 7. *cap.* 7. Carreirus *in ſen.* 1. 1. *diſput.* 37. *cap.* 7. & Medicorum plures non tam formatrici, quàm inſtrumentali eius calori vim ſexus diuerſificandi tribuunt, ab intenſiori enim maſculum, à remiſſiori verò fœminam

iudicant

iudicant generari, diuerſitatem ab vno ex actiuis his prouenire.

Probatur 1. Tum ex Hipp. *lib. de diæta text. 72. lib. de genitura*, vbi maſculum, & fœmineum diſtinguit ſemen, *& 4. aphoriſm.* 48. calidiori temperie, & parte, viros; à minùs calidis fœminas dicit generari: Tum ex Gal. qui *lib. 14. de vſu partium c. 7.* à ſeminis intenſiori calore maſculum, à remiſſiori fœminam dicit fieri, *& lib. 2. ſemine c. 5.* ſeminis præſtantiæ, ſeu actiuitati hanc vim concedit: Tum ex Ariſt. qui *lib. 1. de generatione animal. c. 2.* ex remiſſiori calore fœminam, ab intenſiori maſculum contendit produci: Tum ex D. Thom. *2. diſt. 20. q. 2. art. 1.* ait enim ex ſemine vincente, aut non vincente ſuper materiam mulieris prouenire ſexus diuerſitatem, *& 1. p. q. 92. art. 1.* Fœminæ generationem tribuit debili virtuti *lib. 10. metaph. c. 8.* à forti calore maſculum, à debili inquit fœminam generari: ergo actiuæ virtuti principali, aut inſtrumentali debet tribui ratio diuerſitatis in ſexu.

Probatur 2. Virtus actiua ſeminis per ſe tendit ad maſculi generationem, dum valida eſt, dum verò imbecillior illius actiuitas, fœminæ productionem attingit, deuians à proprio fine: ergo ex parte actiua ſeminis deſumitur ratio diuerſitatis in ſexu. Probatur antecedens, ex Ariſtot. *lib. 2. de generat. animal. cap. 3. lib. 4. de generat. animal. c. 3.* vbi maſculi generationem eſſe per ſe intentam; fœminæ verò monſtruoſam præter intentum generantis, & defectu, aut debilitate virtutis prouenire.

Probatur 3. Fœmina à Viro ſolùm differt penes partes generationi dicatas, quas vir extra ſe, fœmina ad intra continet, quia ipſas formatiua facultas, quia debilis, ad extra expandere non valuit: ergo à ſeminis virtute valida valente illas extendere fit maſculus, & ab eadem debili fit fœmina. Probatur maior, quia non alia ratione fœminæ in viros conuerti poſſunt, vt ex Hipp. patet *lib. 6. epidem.* & varia caſuum experientia demonſtrat Marcellus Donatus *de hiſtoria mirabili lib. 5. c. 2.* & tenet Plinius *lib. 7. naturalis hiſtoriæ c. 4.* & demonſtrare contendit Zacutus *lib. 3. de medica hiſtoria*, contra Mercatum, Seuerinum, & Laurentium.

§. II.

Tenendum deciditur.

Reſoluendum: Quòd ſeminis materiali principio ſexus ſimilitudo tribuitur.

Probatur 1. Si ex maiori fœminei, aut maſculei ſeminis virtute variaretur ſexus ſimilitudo, ab eorum mutua pugna in actiuitate impediretur fœtus productio, ergo à paſſiuo principio prouenire debet, cùm vel ab actiuo, aut paſſiuo prouenire ſit neceſſe. Probatur antecedens: Tum ex Gal. *lib. 14. de vſu part. c. 7.* dicente: *Neceſſe eſt vnum cum alio miſceri, & ita vtrumque ſemen in vnum motum conſpirare, fieri enim non poteſt, vt ſi vtrumque motu inter ſe diſcrepante moueretur, in vnius animalis procreationem conſpirarent.*

Probatur 2. Semen virile, & fœmineum, proot conmiſcentur, fiunt vnum numero inſtrumentum determinatum ad vnam numero actionem, & vnica numero virtus conformatiua indifferens ex parte vtriuſque ſeminis ad maſculum aut fœminam generandum: ergo ſimilitudo in ſexu non poteſt à virilis, aut fœminei ſeminis prædominante actiuitate prouenire, antecedens docetur à Galen. loco pro prima probatione adducto, inquit enim: *Noli igitur putare ſemen alia ratione ad marem, alia ad fœminæ procreationem moueri, eo enim modo principium non eſſet animalis ſimplex, ac vnicum, ſi motus haberet omni ratione inter ſe pugnantes, &c.*

Probatur 3. Conformatrix virtus vtriuſque parentis eſt eiuſdem ſpeciei infimæ, & ſpecificè determinata in conſeruationem ſpeciei: ſed tam per maſculi, quàm per fœminæ productionem attingit terminum ſui ſpecificatiuum: ergo ad vtrumque eſt indifferens. Tunc ſic: ſed hæc indifferentia non aliunde poteſt determinari, quàm à materia circa quam: ergo ab hac ſumitur variatio ſimilitudinis inter ſe.

Probatur 4. Maſculus calidior eſt fœminâ, vt probauimus: ergo maſculus petit fieri ex maiori copia calidorum elementorum quàm fœmina; forma enim mixta, vt probauimus *ſect. 2. de elementis*, determinatur ad primarum qualitatum productionem, iuxta maiorem numerum partium materialium elementi, cui illæ qualitates debentur.

Dices: ex hoc probari quòd ſit calidior, aut frigidior fœtus: non verò quòd formatrix facultas in frigida materia fœminam, in calida producat maſculum.

Contrà ſic ſe habet facultas conformatrix in operando circa materiam aptam pro conformatione, ſicut ſe habet nutritiua ad nutriendum circa materiam pro nutritione aptam: ſed nutritiua iuxta partium materialium diuerſitatem diuerſam partium nutritionem efficit: ergo formatrix iuxta earum diuerſitatem diuerſam efficit conformationem.

Dices: quòd ſic ſe habent quantum ad conformationem, aut nutritionem partium eiuſdem indiuidui, & ſicut nutritiua diuerſas fœminæ partes v. g. conformat, ſic conformatrix diuerſas format partes, non tamen ſequitur ſexus differentia ex his.

Contra ſtat communis conſenſus Ariſt. & Gal. qui vnanimiter ſeminis frigiditati fœminæ productionem, calori verò maſculi productionẽ attribuunt: ſed hoc nõ à ſemine inſtrumentaliter, nec principaliter, effectiuè concurrente prouenit: ergo quia materialiter frigidas, aut calidas ſubſternit in maiori numero partes materiales, frigidas ex quibus fiat fœmina, vel calidas in maiori numero ex quibus fit maſculus. Probatur minor, ſi à calore, & nõ à materia ex qua pullulat, proueniret, ſequeretur quòd fœmina vteri calidi ſemper maſculum: fœmina vteri frigidi ſemper fœminam generaret, cùm ſemen actu haberet temperiẽ ab vtero communicatam: ſed in vtero tẽperato maſculus, & in calido fiunt fœminæ: ergo quia ex materia ſeminis frigiditate, aut calore prouenit ſexus differentia:

Probatur 5. Fœmina, & maſculus ſolum differunt differentia accidentali ex actiuo, aut paſſiuo principio deſumpta: ſed non ex differentia accidentali ſecundum magis, & minus ex parte actiuitatis, hæc enim ſolum variat maiorem, aut minorem eiuſdem indiuidui perfectionem, ergo debet deſumi ex varia principij materialis perfectione, ſecundùm quòd valet aptam pro maſculo, aut fœmina ſubſternere materiam.

Probatur 6. Ex Gal. *lib. 2. de ſemine c. 5.* in quo ex dominatarum partium ſeminis præeminentia diuerſitatem in ſexu, & non ex actiua virtute profert his verbis: *Quod verò marẽ putares gigni, cùm viri ſemẽ, fœminã, cùm fœminæ ſemen praualet, ſatis probabile fuit, niſi aduerſaretur, quod fœmina patri, mares matri quã ſimillimi naſcantur, vnde melius erit ſi dicamus nõ abſolutè ex ſeminis prædominio: ſed ex diuerſarum partiũ præeminentia marem & fœminã procreari.* Ergo ex Gal. ex diuerſis partibus materialibus ſeminis aptis pro viro, aut fœmina prouenit quod hæc, aut ille generetur.

§. III.

Communis opinionis fundamentis reſpondetur.

Ad 1. reſpondetur: Quòd Hipp. Galen. Ariſtot. D. Thom. intendunt docere, quòd ex calidiori ſemine

ſemine, quia ſunt plures partes materiales calidæ, fit maſculus; ex frigidiori, quia partes materiales calidæ ſunt pauciores, fit fœmina: ſed quia prædominium harum partium in ſemine cognoſcitur ex prædominante calore; aut fit ex remiſſiori, ratione cuius etiam fortis, aut debilis eſt conformatrix in ſemine, ideò aliquando illis ſexus diuerſitatem tribuunt, quia à poſteriori cognoſcitur diuerſitas materiæ, à qua prouenit diuerſitas in ſexu per calorem remiſſum aut intenſum.

Ad 3. reſpondetur: Quòd virtus actiua ſeminis per ſe tendit ad conſeruationem ſpeciei per ſui ſimilis productionem, quam conſequitur, & fœminam, & maſculum conformando; ſed quia pro vtriuſque generatione requiritur materia apta, ex qua vnicuique proprium temperamentum ſubſtantificum adaptetur, ex tali partium compoſitione cum tali partium materialium proportione vt reſultet qualitatiuum debitum temperamentum; hinc prouenit quòd ex calidiori ſemine materiam pro maſculo, ex frigidiori pro fœmina aptam adinueniat.

Ad 3. reſpondetur: Quòd fœmina à mare differt differentia accidentali, quæ præcipuè deſumitur ex partibus generationi dicatis, habet enim illas mas aptas vt in alio, fœmina vt in ſe generet, & ideò diuerſæ ſunt, nec quæ in fœmina poſſunt in partes maſculo deſtinatas conuerti, quia non niſi à conformatrice facultate valent organizari; figmentum enim eſt fœminas verti in viros, neque in meliorem ſexum tranſeunt fœminæ, quæ in ſimilitudine partium apparent viri, ſed in deteriorem ſanitatis ſtatum, in quem à morbo poſſe tranſire docet Auicen. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *fen.* 21. dum inquit: *Quandoque oritur in ore matricis caro addita, & quando apparet ſuper mulierem res, quæ eſt ſicut virga, commouens ſub coitu, &c.*

Resolutio IV.

Vtrùm ſimilitudo indiuidualis proueniat ab actiua vi?

§. I.

Aſtrologorum, Ariſtot. Galen. & aliorum opiniones referuntur.

ASTrologi cuncta Aſtris tribuentes, filiorum etiam tribuunt ſimilitudines indiuiduales: Sol in centro horoſcopi patri, Luna in diurna genitura matri filios ſimiles facere iudicant, & ſic in ſimiles feruntur impoſturas. Ariſt. formatrici virtuti aſſimilationis indiuidualis vim tribuit, cui adiungit varios quoſdam ſeminis motus *lib.* 4. *de generat. animal.* Galen. *lib.* 2. *de ſemine*, ſoli virtuti huius ſimilitudinis vim tribuit; Mercatus *lib.* 3. *de morbis mulierum cap.* 7. & Veiga *lib. artis medicinal. cap.* 49. à materia hanc prouenire ſimilitudinem iudicant: ſic moderniores alij ſanguini in ſimilia accidentia ſigillato à iecore, alij eidem ſigillato in partibus; alij parti ſpirituoſæ à partibus deſcendenti eam tribuunt aſſimilandi vim.

Primò: facultas formatrix indifferens eſt, vt fœtum patri aut matri ſimilem producat, ſed non ab alio principio poteſt ſimilitudo hæc, niſi ab actiuo, aut paſſiuo principio prouenire: ergo ratione diuerſitatis in materia ſeminis, ex qua fit fœtus, prouenit ſimilitudo in accidentibus.

Secundò: vi iecoris generatur ſanguis ſigillatus, vt poſſit eſſe ex vſu pro nutricatu diuerſarum corporis partium: ſed eadem ſigillatio ſufficit, vt ſit determinatus, vt ſimiliter in generatione ſub forma ſeminis præſtet materiam pro generatione diuerſarum partium in fœtu: ergo à ſigillatione in iecore prouenit, quòd diuerſæ partes diuerſam habeant ſimilitudinem cum partibus generantis.

Tertiò: ſeminis ſanguinea, aut ſpirituoſa materia à ſingulis partibus generantis deciſa aptam habet diſpoſitionem, vt ſimilis illis euadat: ergo ab ipſa ſeminis materia prouenit ſimilitudo.

Quartò: fœtus ſimilis euadit aliquando matri, aliquando patri in figura, effigie, & aliis indiuidualibus accidentibus. ergo materia ſeminis ſuperueniens à matre vincit aliquando, aliàs verò ea, quæ ſuperuenit à patre.

Quintò: ſi à facultate formatrice proueniret ſimilitudo indiuidualis: cùm ipſa facultas non varietur, non poſſet variari ſimilitudo: ſed plerumque Auis, Proauis, extraneis, & rebus ſolùm imaginatis fit ſimilis fœtus: ergo non prouenit ratione formatricis facultatis.

§. II.

Galeni opinio præfertur.

REſoluendum: Quòd per ſe à formatrice vi prouenit ſimilitudo in accidentibus indiuidualibus filiorum ad parentes. Tenet Galen. *lib.* 2. *de ſemine c.* 2.

Probatur 1. Facultas ſeminis conformatrix eſt facultas productiua ſimilis eius à quo decidit: ergo per ſe ſine aliquo determinante eſt determinata, & coaptata tamquam circa proprium ſpecificatiuum in productione fœtus ſimilis in indiuidualibus accidentibus.

Probatur 2. Facultas conformatrix eſt vegetatiui gradus, & communis in animali, ac plantis: ſed facultates non cognoſcitiuæ ſunt determinatæ ad finem à generante: ergo cùm finis generatiuæ ſit ſimilis productio, ſine quocumque alio determinante valet producere fœtum ſimilem in accidentibus indiuidualibus.

Probatur 3. Nihil ex parte materiæ poteſt aſſignari, à quo proueniat indiuidualis ſimilitudo partium, & conformationis, quæ erat in generante, cùm nec ab illis decidat ſemen, nec ſanguis, nec ſpiritus; nec ſanguis valeat in iecore ſigillari, vt manet probatum: ergo ab actiuo ſeminis principio prouenit.

§. III.

Galenica ab impugnationibus defenditur opinio.

AD 1. reſpondetur: Quòd facultas conformatrix ſeminis deciſi à patre eſt determinata ad ſimilia accidentia eis quæ erant in illo; & ſimiliter ſeminis materni conformatrix; ex his fit vnum comprincipium, quod prout magis patri, aut matri correſpondet, vel vtrique æqualiter accidentia patri, aut matri, aut vtrique ſimilia producit.

Ad 2. negatur maior: Vi iecoris ſanguis aptus pro partium nutricatu fit, non tamen pro aliqua determinata ſigillatus, ſed cuilibet aptus, cui in modo ſubſtantiæ correſpondet.

Ad 3. negatur antecedens: Patet enim ex dicta *diſput. antecedenti*, ſemen ſolum quoad eſſe obiectiuum decidere à partibus.

Ad 4. patet ex primi argumenti ſolutione, quòd ſimilis euadit fœtus patri, matri, aut vtrique, prout correſpondet generanti virtuti.

Ad 5. reſpondetur: Quòd facultas non impedita omninò ſimilem conformat fœtum, ſed plerumque impeditur, & fit aliis fœtus ſimilis ob rationes inſrà tradendas.

A

Resolvtio V.

Vtrùm à conformatrice proueniat ſimilitudo ad auos, & conſanguineos?

§. I.

Mercati, Veiga, Carreiri, & aliorum refertur opinio.

VEiga, Mercatus, & alij videntur inſinuare aliquid facultatis conformatricis decidere ab auis, quia fœtus auis, proauis, aut conſanguineis ſimilia plerumque euadit partium conformatione, in actionibus, in moribus, & in alijs accidentibus: ſed huiuſmodi partium conformatio, earum ſimilis organizatio, actionum ſimilitudo ex eis proueniens non niſi à conformatrice fiunt: ergo deſcendit aliqua conformatrix virtus ab auis in patris ſemen deriuata.

§. II.

Tenenda pars eligitur.

REſoluendùm: Quòd Indiuidualis ſimilitudo ad auos, & proauos prouenit à conformatrice vi in ea parte deriuata.

Probatur 1. Indiuidualis ſimilitudo ad auos in partium conformatione, organizatione, & alijs accidentibus non niſi conformatricis actione poteſt fieri: ſed ex ſemine ſolùm eſt conformatrix à parente in ſemine pullulans: ergo à ſola illa prouenit ſimilitudo. Probatur minor, nam ab auis, & proauis non poteſt conformatrix deſcendere, niſi migret de ſubiecto in ſubiectum: ſed hoc in accidentibus non datur: ergo in ſemine ſolùm eſt conformatrix deciſa à parente, à quo generatur ſemen.

Probatur 2. Facultas conformatiua eſt facultas tendens ad conformationem fœtus ſimilis ei à quo decidit: ſed conformatrix immediatè decidit in ſemine à parentibus, cuius eſt proximum, & immediatum inſtrumentum: ergo ab illa prouenit ſimilitudo conformationis

§. III.

Reſpondetur communi dubitandi rationi.

AD rationem dubitandi, diſtinguo conſequens: ergo deſcendit aliquà conformatrix virtus ab auis, aut proauis entitatiuè, nego: obiectiuè, concedo conſequentiam. Implicat enim quòd entitatiuè facultas deſcendat eadem numero à proauis ad auos, & ad parentes: ſed facultas conformatrix, quæ pullulat in ſemine, tendit in conformationem ſimilis eius, à quo decidit, & quia immediatiùs decidit à parentibus, immediatè ſi non impeditur, eorum ſimilitudinem attingit; ſi verò impeditur, attingit ſaltem ſimilitudinem eorum à quibus decidit immediatè, à quibus mediatè ſaltem in eſſe obiectiuo decidit. Conſanguineorum verò ſimilitudinem non attingit, niſi quatenus ob eandem rationem illi euadunt ſimiles parentibus, auis & proauis.

Resolvtio VI.

Vtrùm indiuidualis ſimilitudo poſſit immutari ab intenſo imaginationis actu?

§. I.

Coſtæi, Vayri, Cardani, & Carreiri Placitum deducitur.

B COſtæus *lib. diſquiſit. phyſiologicarum*, Vayrus *lib. de faſcino*. Cardanus *lib. 2. contradict.* Carreirus *in fen. 1. 1. diſp. 37.* contendunt nullam ineſſe vim in imaginatione vtcumque intenſa immutandi indiuidualem ſimilitudinem.

Primò: quia conformatrix eſt potentia vegetatiui gradus: ergo ab imaginatiuæ actu non poteſt illius actio impediri. Patet conſequentia: Tum, quia vegetatiuæ potentiæ non ſubordinantur ſenſitiuis, modo enim naturali operantur: Tum quia actio imaginatiuæ, cùm ſit immanens, & in cognitione obiecti ſiſtens, nullam conformandi vim obtinet, nec immutandi conformatricis actionem: Tum quia cùm formandi munus ſemini ratione ſuæ conformatricis ſit C debitum, nulli alteri potentiæ tribuendum: Tum quia licèt potentiæ vegetatiuæ eſſent ſubditæ imaginatiuæ eiuſdem ſubiecti, non poſſet illi ſubordinari conformatrix, quæ ſemini inhæret: ergo ab imaginatiuæ actu non poteſt impediri conformatricis munus.

Secundò: imaginationis actus non poteſt per ſuas ſpecies immutare aſſimilationem indiuidualem: ergo non impeditur ab illo. Probatur antecedens: Tum, quia ſpecies phantaſticæ, ſiue imaginationes ſunt illi inhærentes, & eius actus immanentes quæ ideò commiſceri cum ſemine non valent: Tum, quia etſi deferri poſſent ad ſemen, conformandi vim non habent, nec aliud munus quàm, vt potentiæ cognoſcitiuæ vnitæ eſſet comprincipium cognitionis, per quam nulla in fœtu fit conformatio: Tum quia cum ſemen D ſit ſubiectum aliud à cognoſcente, non poſſent migrare ad illud: Tum quia in breui ſpatio temporis, quo ſemen emittitur, non poſſunt deferri ſpecies, vt cum illo miſceantur: Tum quia ſpecies ſolum ſunt vicariæ obiecti, à quo immittuntur, non tamen productiuæ nouæ organizationis, qualis reperiri ſolet in eis, qui diſſimiles producuntur à parentibus: ergo non poteſt actus imaginatiuæ fœtus formationem immutare.

Tertiò: imaginatio ſi aliquo modo poſſet fœtus aſſimilationem, & notas rei imaginatæ imprimere in illo maximè per animi paſſiones ſpiritus, & ſanguinem commouendo: ſed huiuſmodi notas non poteſt E ſic imprimere: ergo nec aſſimilationem immutare. Probatur minor: Tum quia per animi paſſiones omnes humores indifferenter, & omnes ſpiritus mouentur; in quibus non eſt ratio aſſimilationis determinatæ imaginatiuæ: Tum quia figura, color, ſitus, quantitas, & alia, quæ in re imaginata reperiuntur, nullo modo poſſunt ex ſpiritu aut humorum motu conformari in effectu: Tum quia ratione commotionis ſpirituum, & ſanguinis, per animi paſſiones imaginatiua licèt impedire poſſit debitam circa materiam conformationem, in quam erat intenta; non ponit: ergo vtcumque intenſa imaginatio non valet impedire indiuidualem aſſimilationem illam immutando.

Quartò: res imaginata nec obiectiuè valet conformatricem determinare ad ſimilis productionem: ergo nullo modo illius valet immutare aſſimilandi vim,

vim. Probatur antecedens: Tum quia res imaginata non eſt pars eius, à quo decidit ſemen: Tum quia plures apparent notæ in fœtu parentibus diſſimilia, quæ non fuerunt in matris imaginatione niſi poſt fœtus conformationem: Tum quia ex vehementi imaginatione, ſubſequuta paſſione animi, non immutatur mater in eſſe obiecti, cui fœtui debet eſſe ſimilis, cùm maneat in eſſe entitatiuo eadem: Tum quia non eſſet maior ratio de imaginatione intenſa, aut vehementi, quàm de quacumque alia, quæ cum nomquam deficiat, numquam patri, aut matri fiet fœtus ſimilis: ergo res imaginata nec obiectiuè valet fœtus aſſimilationem impedire.

§. II.

Communis opinio amplectitur.

RESoluendum 1. Quòd vehemens imaginatio in parentibus eſt valens immittere indiuidualem aſſimilationem in fœtu. Sic in *Geneſ.* 30. communiter Commentatores admittunt; D. Hieron. *in traditionibus Hebraicis in Geneſim*, D. Auguſt. *lib.* 3. *de Trinitate c.* 12. *lib.* 12. *De ciuitate Dei c.* 25. annuit Hipp. *lib. de ſuperfœtatione*, Galen. *lib. de theriaca ad Piſonem c.* 14. Plutarchus *lib.* 5. *de placitis* 13. Plinius *l.* 7. *hiſtoria naturalis c.* 11. Cicer. 1. *Tuſculanarum*; Auic. *fen.* 1. *lib.* 1. *doctr.* 2. *c.* 14. Cœlius Rhodiginius *lib.* 5. *c.* 20. Albertus Magnus *lib.* 12 *tract.* 1. *c.* 3. Marcilius Ficinus *l.* 3. *theologia Platonis c.* 1. Turturetus *lib.* 2. *animæ art.* 1. Michaël Medina *lib.* 2. *de recta in Deum fide c.* 2. Pererius *ſuper Geneſim c.* 30. *diſp.* 3. Toletus 2. *phyſicor. q.* 13. Forliuienſis 3. *ethic q.* 11. Thomas à Veiga *comm. in artem paruam cap.* 49. Christophorus à Veiga 2. *artis paruæ*. Fernel. 7. *phyſicor. c.* 12. Conciliator *differ.* 135. *ad* 1, Scalig. *exercitat.* 59 *ſect.* 1. Valles *lib. ſ. ſacra philoſophia. c.* 13. Peramatus *lib. de hominis procreatione c.* 17. Citadinus *lib.* 4. *cap.* 15. Andr. Laurent. *lib.* 8. *controu. anatom. q.* 10. Picolomineus *annot. prælect.* 1. Hercules Saxonia 4. *Pantheï cap.* 30. Argenterius *comm.* 2. *ſuper artem paruam*. Syluat. *lib. hiſt. medicinal. hiſtoria.* 6. Rodericus a Caſtro, *tom.* 1. *de morbis mulierum lib.* 3. *cap.* 9. Bonacurſius *lib.* 4. *de aliment. cap.* 38. Leuinius Lemnius *lib.* 1. *cap.* 6. Martinus del Rio *in diſquiſit. magicis quæſt.* 3. *cap.* 3. & alij citati à Fieno, *lib. de viribus imaginationis*, qui omnes variis exemplis hanc veritatem comprobant, & illuſtrant.

§. III.

Aſſimilationis imaginatiua aperitur ratio.

RESoluendum ſecundò: Quòd vehementi imaginationi ante ſeminis emiſſionem fit fœtus aſſimilatio, quia ſe habet obiectiuè reſpectu conformatricis ſeminis: annuit Fienus, qui *quæſt.* 15. *concluſ.* 46. *lib. de viribus imaginationis*, dicit: Quòd imaginatio dirigit conformatricem per ſpecies exemplariter, deducitque ex Auic. *fen.* 1. 1. *lib. tract.* 16. dicenti: *Et dixerunt quidam ſapientes, & non ſunt elongati à iudicio poſſibilitatis, quod de cauſis aſſimilationis eſt illud, quod exemplificatur, cùm eſt diſpoſitio conceptionis in mente mulieris, aut viri, ex forma humana exemplificatione firma.*

Probatur: Conformatrix ſeminis eſt facultas in illo orta tendens ad aſſimilationem eius, à quo decidit: ſed firma imaginatio, ſeu vehemens fit eadem entitas cum re in qua inhæret: ex Ariſt. enim *lib.* 3. *de anima* ex intelligente, & re intellecta, ſeu ex cognoſcente fit magis vnum, quam ex materia, & forma: ergo tendit conformatrix ad aſſimilationem rei imaginatæ obiectiuè determinata, ſicut ad aſſimilationem reliquorum accidentium indiuidualium.

Dices: quòd hæc ratio conuinceret ad hoc, vt tenderet ad aſſimilandam quamcumque rem imaginatam.

Contra: conformatrix non tendit ad aſſimilationem accidentium, quæ ſunt per modum paſſionis in generante: ergo ſimiliter, nec tendit ad imaginationem tranſeuntem manentem, ſed ad eam quæ vehementer apprehenſa eſt, & quaſi habitualiter immanet.

Probatur vlterius: Facultas conformatrix, vel aſſimilat fœtum rei imaginatæ, quia imaginatiuæ eſt ſubdita, vel quia ſpecies illius vnitæ ſemini, aut ſanguini ſunt cauſa conformandi ſimilem, vel quia obiectiuè determinatur per imaginationis actum. Non per imperium, vt probat D. Thomas 1. *part. q.* 82. *a.* 4. Nec quia ſpecies delatæ conformandi habeant vim, vt manet probatum in principio: ergo quia obiectiuè determinat intenſa imaginatio.

Dices: quòd aſſimilat conformatrix fœtum imaginatiuæ actui propter ſympathiam quandam, quæ reperitur inter has potentias.

Contrà: licèt ratione ſympathiæ poſſit admitti, quòd potentiæ operantur ex præſuppoſitione actus alterius potentiæ: ſed reſpectu potentiarum in diuerſis ſubiectis non poteſt talis ſympathia admitti, petunt enim radicationem in eadem anima. Præterquam quòd potentia habens ſympathiam cum alia, licèt poſt actum alterius ſequatur eius operatio, non tamen, quòd deviet potentia à proprio obiecto, & hoc vt contingit in formatrice ratione actus imaginatiuæ: ergo non ſequitur huius operatio ratione ſympathiæ.

§. IV.

Obiectionibus reſpondetur.

AD 1. 2. & 3. patet conuincere contra communes dicendi modos, non tamen aliquid obſtare ex eorum fundamentis contra noſtram reſolutionem.

Ad 4. patet ex probationibus qualiter ex intelligente, & re intellecta, fit magis vnum quàm ex materia & forma; quod idem in gradu ſenſitiuo dicendum de re per imaginationem cognita, cùm ſit imaginatio in animali potentia, quæ intellectui magis propinqua eſt in modo cognoſcendi, & perfectione; & quòd nullæ notæ adſcribendæ imaginationi, niſi quæ ante ſeminis emiſſionem præceſſerint in illa repræſentatiuè; reliquæ hiſtoriæ vel ſuperſtitioſæ, vel aliis cauſis ſunt adaptandæ; & quòd licèt mater in eſſe matris poſt imaginationem ſit eadem, non in eſſe obiectiuo ſpecificatiuo conformatricis facultatis ſeminis decidentis ab illis; & quod intenſa imaginatio cùm fiat per modum habitus, fit vnum permanens cum imaginante, quod quia per modum tranſeuntis fit in leui imaginatione, ideò nec ſigillandi vim obtinet.

DOCT.

DOCT. MEDIC. D. GASP. BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ,

Reſolutionum Medicarum PARS SECVNDA

CONTINENS PATHOLOGIAM.

LECTOR.

P*ARACELSVS morborum differentias, ac cauſas ad ſua reducit principia Sal, Sulphur, & Mercurium: Vanhelmonte in diagnoſtica eorum cognitione reſpuit Logicam, quæ per diffinitiones docet morborum eſſentias demonſtrare, per diuiſiones, ſpecies, atque alteritates patefacere, per argumentationem, cauſas, & proprietates, mediáque ſugere cognoſcendi, ac ſanandi, reſpuit & Phyſicam, quæ docet rerum principia, cauſas, & affectiones entis naturalis, ideóque & has ſcientias irridendas iudicat*, in præfatione de morbis, *& ſeipſum irridendum propinat cùm ſine Logica, & ſine ratione contendat hanc progredi tractationem, ideò & huius impugnationem deſeram in hac diſputatione: vanum enim eſſet refellere velle ea, quæ à ratione aliena fatetur & ipſe. Cum Dogmaticis, Rationalibúſque Medicis diſputationem proponam, in examênque adducam diſputationes illorum, quæ homini ſunt præter naturam, progrediar Logicè, proſequárque more philoſophico cauſas, principia, ac affectiones eorum diſquirendo, vt more antiquo inquirendi veritatem à Philoſophis obſeruato, quantum poſſibile fuerit attingam metas veritatis.*

DISPVTATIO PRIMA.

De Sanitate.

CORPVS ſimpliciter ſalubre eſt ex Galeno *lib. 1. de arte medicinal. c. 15. Quod ab ipſo natura ortu bonam habet temperantiam in ſimplicibus, & primis particulis, atque in illis, quæ ex his componuntur inſtrumentis eſt commenſuratum.* De eis, ex quibus componitur, & adintegrarunt egit lariſſimè Galenus *in arte parua*, & nos *tomo primo Reſolut. Medicar. in vniuerſam Phyſiologiam*, diſputauimus de omnibus componentibus, adintegrantibus, & complentibus humanum corpus in ea integra conformatione, temperie, & vnitate ex qua poſſit reſultare ſanitas; de ipſa ſub hac diſputatione agemus, tum vt eius pateſiat natura, tum vt ex eius dignotione pateſiant ea, quæ diſputanda ſubſequuntur de rebus præter naturam, quæ illi opponuntur, & quæ perluſtranda recipimus. De ipſa tamen Hippocrates plura protulit *lib. de natura humana, lib. de veteri medicina. lib. 6. de morbis popularibus, lib. de diæta, lib. de locis, aëre, & aquis.* Galenus *lib. de ſanitate tuenda, lib. introductorio, lib. de diff. morb. lib. de ſympt. diff. & in arte parua*, Valleriola *lib. 3. de locis communibus, cap. 13.* Fontanus *lib. 2. de ſanitate tuenda.* Mercatus *tom. 1. lib. 2. claſſe 1.* Sennertus *tom. 1. lib. 1. c. 5.* Roſellus *in lib. Galeni, de diff. morb.* Saluus Sclanius *in comment. ad artem paruam.* Angelutius *lib. 2. de arte medic. part. 2.* Godofredus *lib. 2. theorica.* Varandæus *pathol. vniuerſ. cap. 3.* Zacutus *de Medicorum Princip Hiſt. lib. 5. quæſt. 32.* Plempius *lib. 4. de fundament. medicinæ cap 1. ſect. 1.* & alij.

SECTIO PRIMA.

De ſanitatis quidditate.

SANITAS, ſicut & ipſe morbus, dupliciter vſurpatur; vno modo fundamentaliter pro eis, quæ in corpore inſunt, ex quibus ipſa reſultat: alio modo pro ea entitate, quæ ex debita corporis cõſtitutione reſultat tanquam diſpoſitio apta pro illius actionibus, quæ ſanitas formaliter dicitur, de qua procedit diſputatio.

RESOLVTIO I.

Vtrùm ſit poſſibilis ſanitas perfecta.

§. I.

Pars negatiua fulcitur Hippocratis auctoritate, & rationibus.

NOn poſſe reperiri in corpore humano integram ſanitatem videtur ſanciri.

Primò, ſi in aliquo poſſet reperiri perfecta ſanitas, maximè in corpore ſalubri ſimpliciter, de quo inquit Galen. *in arte medicinali cap. 5.* quod ab ipſo naturæ ortu bonam habet temperantiam in ſimplicibus & primis particulis, atque in illis, quæ ex his componuntur inſtrumentis eſt commenſuratum: ſed nullum huiuſmodi corpus valet in natura humana reperiri: Ergo nulla perfecta ſanitas. Probatur minor ex Hippocrate, qui *in Epiſt. ad Damagetum*, inquit: *totus homo ex natiuitate morbus eſt*, & ſuperaddit: *ex maternis vteri inquinamentis talis prodit*: Ergo in natura humana nullum valet reperiri tale corpus.

Secundò, ſanitas ex Galeno *lib. de diff. morb. cap. 1.* & ex Auicenna *fen. 2. 1. d. 1. cap. 2.* eſt principium, quo omnes operationes debitè eliciuntur: ſed nullum poſſibile eſt corpus, in quo omnes operationes debitè eliciantur, cùm per totum vitæ decurſum excrementa reſultent per coctiones, quæ facultatis denutant debilitatem non valentis ex toto aſſimilare; ob quod Galenus *lib. de natural. facult.* ex quacumque coctione duo excrementa, tenue, & craſſum debere reſultare contendit: ergo nullum poſſibile eſt corpus in quo ſit perfecta ſanitas.

Tertiò, ſanitas vel conſiſtit in ipſis operationibus, vel in principio radicali, aut proximo illarum: ſed non in principio radicali, quod per totum vitæ decurſum ſemper eſt idem, neque eſſet poſſibilis morbus, neque in proximo, quod non eſt aliud à potentiis, quibus manentibus, permaneret morbus, nec in operationibus, aliàs in ſomno, aut quiete, quæ ſunt actiones debitæ naturaliter, homo amitteret ſanitatem: ergo nulla in illo poſſibilis ſanitas.

Quartò: ſi in quacumque ætate eſſet poſſibilis ſanitas, eſſent operationes perfectiſſimæ omnes ſimul: ſed in nulla ætate omnes ſimul valent fieri perfectiſſimè; inquit enim Hippocrates *in epiſt. ad Damagetum*, de homine; *dum educatur inutilis eſt, & alienum auxilium implorat: dum creſcit, proteruus, & inſipiens, pædagogo opus habens: dum in vigore eſt, audax eſt: dum decreſcit, miſerabilis*: ergo in nulla ætate eſt poſſibilis perfecta ſanitas.

Quintò; ſanitas perfecta petit reſultare ex vnitate, conformatione, & temperie omnino debitis: ſed nullum eſt tempus, in quo partes continua reſolutione, & euaporatione non amittant debitam vnionem, conformationem, & temperiem partium, quæ reſoluuntur: ergo nullum eſt tempus, in quo ſit poſſibilis perfecta ſanitas.

§. II.

Communis amplectitur doctrina.

REſoluendum affirmatiuè. Sic deducitur ex Hippocrate, Galeno, & Auicenna, communique Medicorum doctrina; qui vnanimiter ſanitatem admittunt, illius adducunt diffinitionem, docent contrarium, quo corrumpitur: demonſtrant media, quibus acquiratur, & cauſas ſalubres, conſeruatiuas, & effectrices illius, quos vnanimiter ſequuntur reliqui Medici in hos fines illorum adhærentes doctrinæ.

Probatur ex eiuſdem Hippocratis doctrina, & auctoritate,

auctoritate, qui *in lib. de natura humana*, ea congerit, ex quibus homo debet conſtare intra limites ſanitatis: *in lib. de morbis, de locis, in homine, & epidemiarum*, ea explicat, per quæ ſanitas amittitur: *in lib. de victus ratione, de diæta, de purgantibus medicamentis*, & aliis; ea aperit per quæ amiſſa ſanitas recuperatur: *Aphoriſm.* 36. præcepta tradit in ſanis corporibus purgandis obſeruanda, dicens quòd *qui ſanitate fruuntur &c.* & ſequenti ſententia ait: *Corpora ſana difficulter ferunt purgationes*: ergo ex Hippocratis doctrina admittenda eſt ſanitas.

Probatur 2. ex Galeno, id pro lege ſtatuendum, vt ſanciuit *in comment. ad lib. de natura humana*, quod omnium hominum conſenſu admittitur: ſed omnium hominum conſenſu admittitur ſanitas, ex eodem Galeno, inquit enim *lib. de different. morb. c. 5. Incipiendum videtur ab eo principio, quod nemo non probat, nempe quòd quiuis homo ſanus eſſe arbitratur, cùm partium corporis adminiculo muniis ad vitam neceſſariis citra noxam fungi poteſt*: ergo ex Galeno ſanitas admittenda.

Probatur 3. diſpoſitio naturalis, quæ actionum naturalium cauſa exiſtit, reperitur in benè valentibus, vt docet experientia: ſed in hac conſiſtit ſanitas, vt patebit *reſolutione ſequenti*: ergo ſanitas eſt poſſibilis.

Probatur 4. Morbus, & ſanitas, vt probabimus infra, ſunt contraria: ſed datur in corpore morbus, cuius curatio eſt medici præcipuum munus: ergo debet admitti ſanitas: contraria enim ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & à ſubiecto eodem mutuò ſe expellunt.

§. III.

Dubitandi rationibus adhibetur ſolutio.

AD 1. reſpondetur: Quòd Hippocrates non intendit, quòd homo ſemper ægrotet, ſed quòd ratione principiorum ex quibus fit, & naſcitur, labitur in varias morborum ſortes ad quas eſt in potentia, ſecundùm quam dicitur ægrotare.

Ad 2. reſpondetur: Quòd excrementa reſultant in coctionibus, vel ex impotentia facultatis, & hæc prouenit à morbo; vel ex ineptitudine materiæ, quia ex Ariſt. *Actus actiuorum ſunt circa paſſum bene diſpoſitum*. Et huiuſmodi ineptitudo, & coctionis defectus proueniens ab illa valet ſine morbo reperiri.

Ad 3. reſpondetur: Quòd ſanitas in nullo ex dictis conſiſtit, ſed in ſuperaddita naturali diſpoſitione, qua aptæ redduntur potentiæ ad debitè operandum.

Ad 4. reſpondetur: Quòd in qualibet ætate omnes actiones, quæ debentur in illa, ſunt perfectæ, ſi eſt ſanitas perfecta; non tamen abſolutè omnes, quæ debentur perfectiſſimè per omnem vitæ decurſum.

Ad 5. reſpondetur: Quòd continua reſolutio inſenſibilem adducit noxam intra limites ſanitatis, quæ quia tractu temporis per nouæ ſubſtantiæ repoſitionem ratione nutritionis reſarcitur, intra limites ſanitatis permanet; nec cogit diſpoſitionem oriri à qua vitientur actiones illi ætati debitæ.

Resolvtio II.

Quid ſit Sanitas?

§. I.

Sanitatis deſcriptiones adducuntur.

SAnitatem vocat Ariſt. *corporis perfectionem*: Galenus in ſola temperie ipſam conſtituit 4. *aphoriſm.* 28. ipſam in debita humorum temperie in diffinitionibus medicis ponit: ſymmetriam eſſe tenet *lib. 1. de ſanitate tuenda*: in actionum debito exercitio eam conſtituit, *lib. de ſanitate tuenda*, dicens, quòd ſanitas eſt conſtitutio, in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur. In debita partium vnione, conformatione, & temperie proportionatis, viſus eſt eam ponere: ſæpiùs verò *in diſpoſitione naturali actionum*, ſub qua an eſſentialiter debeat conſtitui ſub examine venit.

Primò: ſanitas ſtat in debita ſimilarium partium temperie, organicarum conformatione, & ambarum vnione, ſed hæc non poſſunt ſub diſpoſitione ſub vnica ratione formali conſtitui, cùm pertineant ad diuerſa prædicamenta: ergo ſanitatis ratio non conſiſtit in diſpoſitione.

Secundò: diſpoſitio eſt qualitas facilè mobilis à ſubiecto, ſed ſanitas eſt difficilè mobilis, cùm ſit in illo per modum habitus: ergo ſanitas non eſt diſpoſitio.

Tertiò: ſanitas eſt id, ratione cuius actiones perfectè eliciuntur: ergo illud, quo poſito, perfectè fiunt, & quo ablato, auferuntur, habet rationem ſanitatis; ſed poſito temperamento naturali actiones perficiuntur, & ipſo ablato, læduntur: ergo temperamentum naturale habet veram ſanitatis rationem.

§. II.

Ex Varandæo diffinitio proponitur, & plurium aſſenſu corroboratur.

REſoluendum: Quòd ſanitas eſt diſpoſitio naturalis partium corporis, quæ per bonam ſimilarium partium temperiem organicarum conuenientem ſymmetriam, & ambarum vnionem reſultat, & functionum laudabilium cauſa exiſtit. Sic deducitur ex Varandæo 1. *p. phyſiol. vniuerſ. c. 3.* deducíque poteſt ex Galeno *lib. 1. de morb. different. c. 1. l. 1. de ſympt. cauſis, c. 4. l. 1. de ſanitate tuenda*, & ex Auicenna *fen. 2. t. 1. d. 1. c. 6.* ex Auerroë *l. 2. collig. c. 5.* ex Conciliatore *different. 72.* ex Mercato *tom. 1. lib. de morb. art. 1. concluſ. 1.* ex Fabio Pacio *in lib. method. digreſſione, de natura morbi.* ex Santa-Cruz *l. 1. de morb. & ſympt. ad c. 2. difficult. 4.* ex Heurnio *l. 1. inſtitut. c. 1.* ex Sennerto *tom. 1. l. 1. c. 3.* ex Gratio. *in Auicen. cap. 1.* & aliis.

Fundamentum huius reſolutionis deducitur, tum ex Hippocrate *lib. de natura humana*, dicente: *Sanus itaque maximè eſt, vbi temperamentum hæc inter ſe habuerint moderatum, tum facultate tum copia*, & vbi maximè fuerint permixta, vbi temperiem, vnionem, & compoſitionem requirit, vt ſanitas reſultet; Tum ex Gal. *l. 1 de morb. diff.* inquit enim: Sanitas eſt omnium corporis partium naturalis conſtitutio, ſiue actionis cauſa; *& lib. de ſympt. different. c. 4.* dicit: Sanitas eſt affectus, ſecundum naturam ad faciendam actionem idoneus: *& l. 3. de ſympt. diff.* ait: Igitur ſanitas eſt affectus ſecundùm naturam; tum ex Auicenna *fen. 2. t. d. 1. c. 2.* dicente: Corporis humani diſpoſitiones ſecundum Galenum tres ſunt, ſanitas, quæ eſt diſpoſitio per quam corpus hominis in ſui complexione, & compoſitione tale exiſtit, vt ex eo operationes omnes proueniant ſanæ, & incolumes. Ex quibus patet adductæ diffinitionis fundamentum.

§. III.

Ab argumentorum oppugnatione liberatur diffinitio.

AD 1. reſpondetur: Quòd licèt ſanitas pro materiali ſtet in temperie, vnitate, & conformatione

matione; ipſa tamen pro formali eſt qualitas, quæ diſpoſitio dicitur, & pullulat ex illis.

Ad 2. reſpondetur: Quòd, vt docet D.Thom.1.2. *quæſt.*50. *art.*1. *in corpore*, habitus dum inchoat, etſi per accidens ſit facilè mobilis, habet ex natura ſua quòd ſit difficilè mobilis. Quod idem poteſt contingere in diſpoſitione, quæ licèt ex natura ſu ſit facilè mobilis, poteſt per accidens fieri difficilè mobilis ratione cauſæ conſeruantis intrinſecè.

Ad 3. reſpondetur: Quòd poſito fundamento ſanitatis fiunt actiones perfectæ; & ipſo ablato, fiunt læſæ; quia ad eius poſitionem, aut ablationem ponitur, aut aufertur ſanitas, aut morbus à quibus proximè ponitur, vel aufertur diſpoſitio pro perfectione, aut læſione operationum.

RESOLVTIO III.

Vtrùm ſanitas ſit vna ſecundùm ſpeciem atomam.

§. I.

Valleſij, Sanctæ-Crucis, Roſelli, & Zacuti proponitur opinio.

SVb ſanitate plures dari ſpecificas differentias contendunt plures: Valles *l.*4.*controuerſ.c.*4. Sãta-Cruz *l.*1.*de morb.& ſympt.* Roſellus *l.*1.*de different.morb.q.*13. Zacutus *l.*5.*de medicorum princip.hiſtor.* pro quibus ſtat Galenus, qui *lib.artis medicinal.c.*15. aliiſque in locis varias adducit ſanitatis differentias in habitum, in diſpoſitionem, in habitudinem, vt nunc, vt ſemper, vt plurimum perfectam, lapſam: ergo ex Galeni decreto plures ſpecies ſanitatis ſunt admittendæ.

Secundò, ſanitas reſultat ex temperamento: ſed temperamentum eſt multiplex ſecundùm ſpeciem, vt docet Galenus *lib. de temperamentis*, vbi nouem illis diuerſas conſtituit ſpecies: ergo ſanitas pro formali multiplex eſt.

Tertiò, ſanitas oritur in viuente bene conſtituto in ſua temperie, vnitate, & conformatione tanquam propria paſſio illius: ſed viuentia ſunt plura ſecundùm ſpeciem vt patet: ergo ſanitas multiplex eſt ſecundùm ſpeciem.

Quartò: vni vnum eſt contrarium, ex Ariſt. ſed ſub morbo formaliter ſumpto ſunt plures ſpecies, vt docet Galenus *lib. de different. morb.* ergo ſub ſanitate plures ſunt ſpecies, quarum vnaquæque morborum alteri contrarietur.

Quintò: ſi ſanitas eſſet vna ſecundùm ſpeciem, maximè quia eſt quoddam medium inter duo extrema, ex quorum quovis reſultat morbus: ſed virtus eſt medium inter duo extrema, ex quorum quovis reſultat vitium: & tamen poteſt eſſe multiplex ſecundùm ſpeciem, vt docet D.Thom. 3.*part.* latiſſimè: ergo ſanitas multiplex eſt ſecundùm ſpeciem.

§. II.

Arabum, & Mercati præfertur aſſenſus.

REſoluendum negatiuè. Sic tenet noſter doctiſſimus Mercatus *tom.*1. *lib.*2.*claſſ.*2. *quæſt.*161. tenétque communis Arabum conſenſus.

Probatur primò, ex Ariſtot. *lib.*4.*topicorum*. *cap.*3. vbi docens modum argumentandi à contrario, ait, Quòd ſi alicu genus eſt contrarium, etiam ſpecies ſub illo genere debent illi contrariari, vt ſi virtuti ſit contrarium vitium, quælibet ſpecies ſub vitio, vt intemperantia, v. g. erit illi contraria: & ſuperaddit huius doctrinæ inſtantiam, dum illud, cui genus eſt contrarium, non habet ſpecies, vt in ſanitate reſpectu morbi, dicit, quæ inſtantia in ſanitate, & ægritudine, ſimpliciter enim ſanitas ægritudini contraria, aliqua enim ægritudo cum ſit ſpecies ægritudinis nulli contrarium, vt febris, & oculi morbus, & vnumquodque aliorum, &c. Ergo ex Ariſt. ſanitas non habet ſpecies.

Dices cum Roſello, quòd Ariſt.. tantùm agit de probabilibus, & quòd loquitur in ſententia vulgi.

Contra ſtat; tum quòd licèt agat de modo argumentandi probabiliter, ponit tamen inſtantiam in doctrina, quam veram ſupponit, quòd ſcilicet ſanitas non habet ſpecies; tùm ſi probabilem iudicaret contrariam, non poneret inſtantiam in eo, quod ſaltem probabile iudicaret aliter ſe habere: ergo vel probabilior habetur apud illum, vel indubitatum ſupponit ſanitatem non habere ſpecies.

Probatur ſecundò: ſanitas eſt diſpoſitio reſultans ex temperie, vnione & conformatione viuenti debitis: ergo eſt vna ſecundùm ſpeciem. Patet conſequentia, nullum enim aliud principium poteſt in corpore noſtro reperiri ab his diſtinctum, à quo diuerſa ſpecie ſanitas pullulet.

Dices; à quovis ex annumeratis principiis vnam ſpecie diuerſam reſultare ſanitatem.

Contra: quocumque ex annumeratis deficiente reſultat morbus, quia cùm ſit ex genere mali; ex quocumque defectu prouenit: ergo non poteſt reliquis deficientibus ex quocumque principio ex dictis reſultare ſanitas.

Probatur tertiò: ſanitas formaliter eſt diſpoſitio modificans ſubiectum, & afficiens illud in ordine ad omnes operationes rectè eliciendas, vt docet Auicenna *fen.*2.1. *d.*1.*c.*2.& manet ex Galeno demonſtratum: ergo vna ſanitate exiſtente, fruſtrà alia quæcumque ſanitas admittitur. Patet conſequentia; vel illa ſanitas de nouo adueniens tribuit eundem effectum, vel diuerſum: ſi eundem, ſequitur quòd ſit eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero differat: ſi diuerſum: ergo cùm ſanitas primò adueniens perfectiſſimè afficiat ſubiectum, & diſponat ad operandum; ſecunda afficiet diuerſo modo, & conſequenter ad indebitè operandum, & non erit ſanitas.

Dices: quòd diuerſæ ſpecies ſanitatis poſſunt ſucceſſiuè reperiri ſecundùm quòd bene operatur corpus; ſed perfectiùs cum vna, quàm cum alia.

Contra: vel ille diuerſus modus operandi differt tantùm ſecundùm magis, & minus; & ſic non variat ſpeciem: vel ita vt vnus diſponat ad perfectè operandũ, alter malè afficiat ad operandum, & tunc erit morbus: ergo numquam diuerſæ ſpecies reperiuntur.

Probatur quartò: ſanitas formaliter vt eſt diſpoſitio, ſi diuideretur in ſpecies, aut diſtinctio inter illas eſt ſecundùm magis & minus, & tunc non variat ſpeciem, aut quia vna ſanitas in manu, alia in pede, & hæc ſolùm eſt diſtinctio numerica partialis ratione ſubiecti in quo inhæret: aut vna diſponit ad alias actiones, & alia ad alias ſecundùm ſpeciem diſtinctas, & hoc non eſt admittendum; aliàs varij ſpecie calores, frigiditatéſve eſſent neceſſariæ, pro diuerſis ſpecie actionibus vitalibus: ergo ſanitas vna eſt ſecundùm ſpeciem.

Dices cum Santa-Cruz, quòd diuerſitas fundamentorum ſanitatis ſufficit, vt ſanitas ſit ſpecie multiplex.

Contra ſtat: Tum quòd fundamenti diuerſitas nulla eſt admittenda, cùm adintegretur ex vnitate

confor

conformatione, & tempetie debitis ſanitatis funda- A
mentum, vltra quod nullum ſit aliud: Tum quia ipſe admittit ſanitatis differentias eſſe accidentales, non tamen determinat, vnde ſumendæ eſſentiales differentiæ, de quibus dubitamus: ergo ex parte diuerſitatis fundamenti non poſſunt multiplicari ſpecies ſanitatis.

Dices cum Roſello, quòd ſanitas diuiditur in ſpecies per propriam eſſentiam, quatenus eſt diſpoſitio orta ex varia componentium mutatione, & compoſitione: quod idem contendit ſuadere Valleſius.

Contra ſtat: Tum quòd ſanitas ex vna componentium proportione tantùm fit: Tum compoſitionis variatio, vel variatur pro maiori, aut minori intenſione ſanitatis intra limites naturales, vel extra B
illos; intra illos magis, & minus, non variat ſpeciem; extra illos eſt morbus: Tum quòd variatio fundamenti eiuſdem relationis v. g. æqualitatis, aut ſimilitudinis non variat ſpeciem relationis, niſi ſuperueniat fundamentum alterius generis, à quo fit diuerſa genere relatio: ergo variatio fundamenti ſanitatis intra debitam latitudinem non mutat diſpoſitionis, quæ eſt ſanitas, ſpeciem, niſi vltra ſuam latitudinem fiat genere diuerſum, à quo reſultet diſpoſitio præternaturalis genere alia.

§. III.

Ex Arabum doctrina ſoluuntur argumenta. C

AD 1. reſpondetur: Quòd Galenus non intendit eſſentiales ſanitatis differentias adducere, ſed tantùm aliquas accidentales, ſecundùm quas penes ordinem ad ſubiectum ex quo dependet ſanitas, ipſam in habitualem, actualem, ſimplicitet talem vt nunc, aut vt ſemper diuidit: quæcumque tamen ex his diſpoſitio eſt naturalis, actionum omnium perfectiua, & vna ſpecie cum aliis.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ſanitas ex vnione reſultat, conformatione, & temperamento, quod in eſſe temperamenti connaturalis, & proportionati eſt vnum ſecundùm ſpeciem, licèt poſſit diuidi in varias ſpecies partiales, ſiue adintegrantes debitas per totum vitæ decurſum, vel iuxta diuerſas corporis partes. D

Ad 3. reſpondetur: Quòd ſicut primæ qualitates, quæ oriuntur in omni mixto, quælibet eſt vna ſecundùm ſpeciem, licèt oriantur in pluribus tamquam proprietates illorum, ſimiliter & ſanitas vna ſecundùm ſpeciem valet in pluribus vt proprietas pullulare.

Ad 4. reſpondetur: Quòd ſub morbo pro formali vna eſt ſpecies, licèt pro materiali ſit multiplex, quatenus ex quolibet variato fundamento reſultat, quæ materialis diſtinctio maximè ad vſum medicum eſt neceſſaria; vel quòd licèt vni extremo vnum eſt E
contrarium: vni medio poſſunt plura contraria eſſe; quia Ariſtot. tantùm loquitur de contrarietate abſoluta.

Ad 5. reſpondetur: Quòd ſanitas eſt vna, quia non habet fundamenta ſpecie diuerſa, à qua fiat multiplex; & quia quæcumque illa ſit, ſemper tribuit eundem effectum formalem, ſcilicet diſponere ſubiectum vt omnes operationes naturales eliciat naturaliter.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm ſanitas ſit vna ſimplex qualitas.

§. I.

Negatiuæ partis adducuntur fundamenta.

SAnitas pro formali ex vnitate, conformatione, & temperie debitè conſtitutis reſultat: huiuſmodi qualitas diſponens pro naturali elicientia operationum quòd ſit quoddam aggregatum ſuadet.

Primò: Primæ qualitates ſunt diſpoſitiones: ſed diſpoſitio moderata pro actionibus eſt ſanitas, vt patet ex diffinitione: ergo primarum qualitatum aggregatum eſt ſanitas. Probatur maior ex Ariſt. *cap. de qualit. & quali*; inquit enim: *diſpoſitiones autem hæ ſunt, quæ faciliter dimoueri poſſunt, vt caliditas, & frigiditas, morbus, & quæ ſunt huiuſmodi.*

Secundò: Sanitas ex Galeno *lib. de elem.* eſt inculpatum temperamentum, quo perfectè eliciuntur operationes: ſed temperamentum eſt aggregatum ex primis qualitatibus: ergo ſanitas non eſt ſimplex qualitas.

Tertiò: conſtat ex Gal. *lib. 1. de morbis vulgaribus, comment.* 46. quòd ſanitas ſit aggregatum, inquit enim: *vnde ipſa etiam ſanitas ſolidorum corporum, vel in horum poſita eſt ſymmetria, vt nihil intereſſe videatur, bonam ſimilarium temperaturam dicas ſanitatem eſſe, an elementorum, ex quibus generati ſumus ſymmetriam.*

Quartò: ſanitas eſt de genere boni; ergo debet adintegrari ex omnibus eis, quæ ad bonam hominis conſtitutionem, & compoſitionem pertinent, (cùm bonum petat fieri ex integra cauſa:) ſed ad debitam hominis conſtitutionem non ſolùm pertinent qualitates, ſed vnitas, & conformatio: ergo ſanitas horum omnium aggregatum eſt.

§. II.

Communis Doctrina præfertur.

REſoluendum: Quòd ſanitas pro formali eſt vna ſimplex qualitas, ſic ex Ariſtot. & D. Thomæ doctrina deducitur, & debent admittere cuncti, qui ſanitatem ſub diſpoſitione ponunt.

Probatur 1. ex Ariſt. doctrina: Entitas quæ ponitur ſub aliquo prædicamento tamquam determinata illius ſpecies, debet eſſe entitas ſimplex vniuoca, & incomplexa, vt docet Ariſt. *in antepradicament.* Sed ſanitas, & morbus ab ipſo Ariſt. ponuntur in prædicamento Qualitatis, tamquam ſpecies determinatæ ſub diſpoſitione: ergo ſanitas ſimplex qualitas eſt.

Probatur 2. Quælibet forma eſt ſimplex entitas diſtincta à ſubiecto, cui inhæret: ſed ſanitas formaliter ſumpta ſuperuenit tamquam illarum forma primis qualitatibus materialiter ſe habentibus ad illam: ergo eſt qualitas ſimplex ab eis alia. Probatur minor ex Ariſt. 4. *phyſicor. text.* 23. vbi explicans modos, quibus vnum poteſt eſſe in alio, ait: *Præterea vt ſanitas in calidis, & omnino in materia forma.* Et ſuperaddit D. Thom. *Quintus modus eſt ſicut ſanitas dicitur eſſe in calidis vel frigidis, quorum contemperantia conſtituit ſanitatem, & vniuerſaliter quæcumque alia forma in materia vel ſubiecto, ſiue ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis.*

Probatur 3. Sic ſe habet ſanitas ad primas qualitates proportionatas, ſicut forma, & figura, ad quantitatem, hoc, vel illo modo terminatam: ſed forma, & figura differunt formaliter à quantitate, & po-

A nuntur ſub diuerſo, ac determinato temperamento tanquam determinata ſpecies illius: ergo ſanitas eſt diuerſa à primis qualitatibus, & vna ſpecie. Probatur maior, & minor ex D. Thom. 7. *phyſic.* dicente: *Sed in qualitatibus prima, & quarta ſpeciei non eſt alteratio primò, & principaliter, ſed ſecundariò; quia huiuſmodi qualitates ſequuntur primas quaſdam alterationes primarum qualitatum: ſicut patet quòd cùm materia ſubiecta denſatur, aut rareſit, ſequitur mutatio ſecundùm figuram; & ſimiliter cum caleſit, aut infrigidatur, ſequitur mutatio ſecundùm ſanitatem, & ægritudinem, quæ pertinet ad primam ſpeciem qualitatis; rarum autem, & denſum, frigidum & calidum ſunt ſenſibiles qualitates; & ſic patet quòd non eſt alteratio in prima, & quarta ſpecie qualitatis primò, & per ſe.*

B Probatur 4. ratione deducta ex verbis D. Thom. nuper adductis: ſanitas formaliter ſumpta, ſicut & ægritudo, non producuntur per ſe primò, ſed per accidens comproducuntur ad poſitionem entitatum, ex quibus reſultat: ergo ſunt entitas diſtincta ſimplex, & vna, ſicut relatio; quæ tamquam entitas diſtincta reſultat ex termino, & fundamento.

Probatur 5. Sanitas ſi eſſet compoſita entitas, maximè quia conſiſteret in aggregato primarum qualitatum: ſed eſt entitas ab illis diſtincta ex earum poſitione reſultans tanquam vna, & ſimplex, pertinens ad diuerſam qualitatis ſpeciem, & primas modificans ad bene operandum tanquam quid ſuperadditum, & illis ſuperuenientes patet ex dictis: ergo formaliter ſum- C pta eſt entitas ſimplex.

§. III.

Argumenta primò adducta ſoluuntur.

AD 1. reſpondetur: Quòd diſpoſitio in communi eſt qualitas modificans ſubiectum ad eſſe vel operari: ſub illa continentur habitus, & diſpoſitio, quæ conueniunt in modificando ſubiectum modo dicto, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 5. *art. 2. in corpore.* Præterea habitus, & diſpoſitio licèt conueniant in hoc; inter ſe differunt, quia habitus eſt difficilè mobilis, diſpoſitio facilè mobilis, ſemper tamen retinent rationem genericam quòd ſcilicèt diſponant ad D eſſe, & operari, ſub diſpoſitione verò, & inter qualitates, quæ ſunt facilè mobiles à ſubiecto ponit Ariſt. primas qualitates, & morbum, & ſanitatem, quæ vlterius per ſuas differentias in eſſe diſpoſitionum contrahuntur. Qualitates primæ magis diſponunt ad eſſe in materia formam, quatenus mixtam diſpoſitionem ponunt in illa pro forma mixta, vel ſimplici; per illas enim determinatur materia ad formæ receptionem, & conſeruationem. ſanitas, & morbus ipſas qualitates non quatenus diſpoſitiones, ſed quatenus ſunt potentiæ reliquáſque formæ potentias E determinant, modificant, & diſponunt ad operari: ſanitas ad bene operandum, morbus ad operandum cum læſione actiones; ideóque ſanitas, & morbus ſunt ſuperaddendæ primis qualitatibus, quæ vt potentiæ ad operandum petunt modificari, licèt ipſæ ſint diſpoſitiones, quatenus modificant materiam pro hac, vel illa forma.

Ad 2. reſpondetur: Quòd Galenus intendit, quòd temperamentum, & primæ qualitates ſunt ſanitas pro materiali.

Ad 3. reſpondetur: Quòd Galenus vocat partium ſymmetriam, & temperiem ſanitatem pro materiali, non autem pro formali.

Ad 4. reſpondetur: Quòd conueniunt ſanitas, & morbus in eo quòd vt diſpoſitiones ſunt, reſul- A tant ex poſitione alterius; ſed cum hac differentia, quòd ſanitas, quia eſt de genere boni non pullulat, niſi ex omnibus requiſitis pro ſanitate debitè ſe habentibus, morbus verò ex defectu in quocumque defectu.

Resolvtio V.

Vtrùm ſanitas, & morbus ſint ſub eodem genere?

§. I.

Argenterij opinio refertur, & fulcitur.

B SAnitatem, & morbum non poſſe ſub vnico genere comprehendi acriter contendit Argenterius in Galenum irruens, *lib. artis paruæ ad cap.* 8. his fultus rationibus.

Primò: Contraria, quæ ſub eodem genere ſunt, debent differre formâ, & ſpecie, vt album, & nigrum: ſed morbus, & ſanitas non differunt formâ, & ſpecie: ergo non ſunt contraria. Probatur minor, morbus, & ſanitas differunt tantùm ſecundùm magis, & minus, vt patet in calore moderato, & immoderato, quorum ille eſt ſanitas, hic eſt morbus febrilis: ſed quæ ſolùm differunt ſecundùm magis, & minus, non differunt formâ, & ſpecie, cùm magis & minus non C varient ſpeciem: ergo morbus, & ſanitas non differunt formâ & ſpecie.

Secundò: Ea quæ ſunt contraria, magis diſtant inter ſe quàm poſſunt diſtare aliqua duo contenta ſub vno contrariorum: ſed ſub morbo magis diſtant morbus calidus, & frigidus, cùm diſtent tanquam duo extrema contraria, quàm ſanitas, & morbus, v.g. calor moderatus, & febrilis, cùm diſtent tanquam medium & extremum eiuſdem qualitatis: ergo ſanitas, & morbus non ſunt ſub vno genere, vt contraria.

Tertiò: Si ſanitas, & morbus ſunt contraria ſub eodem genere, ſequeretur tantum dari vnum morbi genus contrarium, vt contendit Galenus *lib. de differ. morb.* plura morborum genera conſtituens. Probatur ſequela ex Ariſt. *lib. 5. metaph.* dicente, quòd *vni vnum eſt contra-* D *rium*: ergo ſi ſunt ſub vno genere, ſicut vna eſt ſpecie ſanitas, vnus erit ſpecie morbus.

§. I.

Argenterij opinioni aliquid tribuitur.

REſoluendum 1. Quòd ſanitas, & morbus pro materiali non neceſſariò ſunt contraria ſub eodem genere.

Probatur; Tum quia aliquando pertinent pro materiali ad categoriam ſubſtantiæ, cui nihil eſt E contrarium, vt docet Ariſt. *cap. de ſubſtantia*: Tum quia plerumque diuagantur per plura prædicamenta, quæ licèt ſint primò diuerſa, non tamen contraria: Tum quia morbus pro materiali aliquando conſiſtit in priuatione alicuius entitatis, cui non poteſt accidere contrarietas propria, quæ petit ex Ariſtot. fieri inter duo contenta ſub eodem genere: ergo morbus & ſanitas pro materiali non ſunt neceſſariò contraria.

Reſoluendum 2. Quòd ſanitas, & morbus formaliter ſumpti, ſunt contraria. Sic tenet Valles *lib. 4. controuerſ. cap.* 1. Mercatus *lib. 3. de morb. & eorum cauſis art.* 3. Varandæus *p. 2. pathologiæ, c.* 1. Duncanus *lib. 1. pathol. cap.* 1. Valleriola *lib. 3. de locis cap.* 2. Roſellus *lib. de diff. morb.* & alij.

Proba

Probatur 1. tum ex Galeni doctrina *lib. 1. method. c. 7. circa principium*, vbi inquit: *hoc enim vel quiuis deprehendet, non oportere in alio ſanitatem, in altero morbum, ſed in eodem omnino genere ſanitatem & morbum conſtituere, ſiquidem ſunt contraria, quæ in eodem genere plurimum inter ſe diſſident, veluti candidum & nigrum*; tum paulò infra in eodem capite: *nemo tamen adeo fuit ſtupidus vt in alio genere ponat ſanitatem, in alio morbum.* Tum ex Ariſt. *lib. 4. topicor. c. 3. § ſimpliciter enim ſanitas ægritudini contraria. &c.* Tum ex *eodem cap. de oppoſitis*, vbi duo contrariorum admittit genera, vnum eorum quæ non neceſſariò inſunt, vt albedo, & nigredo: aliud eorum, quæ neceſſariò inſunt, vt ægritudo, & ſanitas: ergo ſanitas & morbus ſub vno genere ſunt contraria.

Probatur ratione: Contrariè oppoſita debent ſub eodem genere collocari, ex Ariſt. *in poſtprædicamentis, c. de oppoſitis*, contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maxime diſtant: ſed ſanitas, & morbus ſunt contraria, poſitiuæ enim entitates ſunt ſub diſpoſitione mutuò ſe expellentes ab eodem ſubiecto: ergo debent formaliter ſumpta collocari ſub eodem genere,

§ III.

Diluuntur Argenterij dilemmata.

AD 1. reſpondetur: Quòd variatur appellatio; nam argumentum probat de ſanitate ſumpta materialiter, ſcilicet calore moderato, aut immoderato, prout eſt materialiter morbus; non verò de ſanitate, & morbo formaliter ſumptis, qui ex illis reſultant, & vniuocam conuenientiam habent in eſſe diſpoſitionis.

Ad 2 ſimiliter reſpondetur: Quòd ſi ſanitas & morbus ſumantur materialiter, magis diſtat morbus calidus à frigido; quàm ſanitas, & morbus, v. g. calor moderatus, & intenſus: at verò ſanitas, & morbus, qui reſultant ex his, magis inter ſe differunt, cum aliter ſit naturalis diſpoſitio, aliter diſpoſitio præternaturalis.

Ad 3. reſpondetur: Quòd ex Ariſt. Vni vnum eſt contrarium contrarietate abſoluta, non verò contrarietate reſpectiua; vel quod vnus eſt morbus formaliter ſumptus, ſicut & ipſa ſanitas, vt antecedenter diximus, & dicemus infrà.

RESOLVTIO VI.

Verùm ſanitas in aliquibus gradibus valeat ſimul cum morbo reperiri.

§. I.

Soria Granatenſis communi ſubſcribit doctrina.

COmmuniter admittitur. Quòd morbo ſuperueniente, nihil ſanitatis permaneat in ſubiecto, ſiue parte morboſa. in quam ſententiam fertur Soria Granatenſis, qui primus hanc difficultatem in incudem traxit, *tom. 1. p. 1. diſp. 9. ſect. 29.* his ſolius,

Primò, quia Galenus *lib. artis medicinal.* medium per abnegationem inter ſanitatem, & morbum admittit in corporibus neutris conualeſcentiæ, & decidentiæ, nullum tamen admittit corpus neutrum per participationem morbi, & ſanitatis: Tum quia Ariſt. *cap. de oppoſitis*, inter ſanum, & ægrum non admittit medium: Tum quia Plato *dialogo de iuſto*, de ſanitate & morbo diſputans, medium negat inter vtrumque, dicens: *neceſſe eſt enim hominem, vel ægrotare, vel non ægrotare*; ergo ſanitas, & morbus non poſſunt ſimul reperiri in eodem ſubiecto.

Secundò ſanitas, & morbus non producuntur per ſe, ſed comproducuntur, ſanitas ex debita temperie, vnitate, & conformatione, morbus ex defectu alicuius ex his: ſed eſt impoſſibile quòd ſit eidem ſubiecto ſimul perfectio in vnitate, temperie, & conformatione, & defectus earum: ergo impoſſibile eſt quòd ſit ſimul ſanitas, & morbus.

Tertiò: ſanitas eſt de genere boni: ſed bonum eſt tale ex integra cauſa: ergo dum reperitur ſanitas non poteſt reperiri morbus.

Quartò: Auicenna diffinit ſanitatem *fen. 2. 1. d. 1. c. 2.* quòd ſit diſpoſitio per quam corpus humanum in ſua complexione, & compoſitione tale exiſtit, vt ex eo operationes omnes eius perueniant incolumes: ſed morbo ſuperueniente, cùm ſit diſpoſitio lædens operationes, non poſſunt operationes omnes fieri incolumes repertæ in eodem ſubiecto.

§. II.

Deciditur reſolutio.

REſoluendum: Quòd eſt latitudo, intra quam ſimul in eodem ſubiecto & in eadem parte poſſunt reperiri ſanitas, & morbus.

Probatur 1. Qualitates, quæ ſunt contrariæ, & habent latitudinem ſecundùm magis, & minus in qua poſſunt in maiori, aut minori intenſione reperiri in aliquo ſubiecto, non poſſunt non habere ſimul aliquid de ſuo contrario, quod ad intenſionem aut remiſſionem earum intēdatur, aut remittatur: ſed ſanitas habet latitudinem ſecundùm quam poteſt in homine reperiri; inquit enim Galenus *lib. artis Medicinal. c. 7. Quo fit vt tota ſanitatis latitudo in tres partes, quarum ſingula latitudinem habent non paruam, diuidatur: erit autem prima quidem ſalubrium corporum: Secunda neutrorum: Tertia inſalubrium. Poſt quæ deinceps ſequuntur, quæ iam ægrotant corpora, quæ ſenſibilibus operationum læſionibus diſtinguuntur*: ergo ſanitas ſimul cum morbo reperitur in ſubiecto. Probatur maior, intra latitudinem debitam duabus qualitatibus contrariis non poteſt dari vacuum, alias fieret generatio ſecundùm quid ſine alterius corruptione, & fieret corruptio ſine alterius generatione, contra Ariſt. doctrinam *lib. 1. de generatione*. ſed intra latitudinem ſanitatis, quæ remittitur, ſi non ſimul produceretur morbus, daretur vacuum reſpectu latitudinis ſecundùm quam remittitur, vt patet: ergo latitudine qualitatis, quæ intenditur, aut remittitur, non poteſt non adeſſe aliquid de contraria qualitate.

Probatur 2. Sanitas, & morbus ſunt contraria, vt ex Galeno, & Ariſt. probauimus: ergo ſanitas, & morbus poſſunt ſimul in eodem ſubiecto reperiri. Probatur conſequentia: Contraria, ex Ariſt. *c. de oppoſitis*, ſunt quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt: ſed non poteſt vnum contrarium alterum expellere, quin ſit in ſubiecto à quo expellit illud: ergo ſanitas, & morbus ſimul in eodem ſubiecto reperiuntur.

Probatur 3. Lædere operationes eſt intrinſecum morbo, ſicut perficere illas ſanitati: ſed ſimul & ſemel in eodem ſubiecto & in eadem illius parte fiunt aliquæ operationes naturales, & aliæ læſæ vt in febre, & aliis morbis apparet, in quibus aliquando rectrices actiones perfectiores fiunt, naturalibus læſis, aut è contra: ergo reperiuntur ſimul ſanitas, à qua perficiuntur aliæ, & morbus, à quo læduntur reliquæ.

Probatur 4. Fundamentum, ex quo reſultat

ſanitas, habet latitudinem intra quam, quanto recedit à ſanitatis fundamento, tantum accedit ad fundamentum, ex quo reſultat morbus; ergo antequam ex toto recedat à ſanitate, accedit ad aliquid morbi.

Probatur 5. Reliquæ qualitates contrariæ ſunt compatibiles ſimul, & ſemel in gradibus non excedentibus, latitudinem in eodem ſubiecto, & in eadem parte illius etiam ſi contraria ſint: ergo ſanitas & morbus etiam ſi ſint qualitates contrariæ, ſunt compatibiles in aliquibus gradibus ſimul & ſemel in eodem ſubiecto. Patet conſequentia; ideò reliquæ qualitates poſſunt ſecundùm gradus non excedentes latitudinem ſimul reperiri, quia ſolùm contrariantur ſecundùm gradus incompatibiles: ſed eadem eſt ratio reſpectu ſanitatis, & morbi: ergo etiam poſſunt eſſe ſimul.

§. III.

Argumentis primò adductis pro communi opinione fit ſatis.

AD 1. reſpondetur: Quòd ſanitas, & morbus, dupliciter poſſunt conſiderari, vno modo in gradibus remiſſis, ſecundùm quos non valent corpora denominare ſana, aut ægra: alio modo in gradibus intenſis, ſecundùm quos denominant corpora ſana, aut ægra (quod idem in aliis qualitatibus contingit:) Galenus non negat quòd corpora neutra decidentiæ, ſeu conualeſcentiæ non habeant ſanitatem & morbum ſimul, ſed quòd non denominantur ab C illis ſana, aut ægra, quia non ſunt in illis gradibus intenſis, ſed in mediocritate, & ideò licèt non ſana, & ægra, dicuntur neutra per abnegationem ſanitatis, aut ægritudinis à prædominio exiſtentium in illis. Ariſt. dicit quòd inter ſanum, & ægrum non datur corpus medium, quod poſſit ſanum, aut ægrum denominari abſolutè; ſicut tepidum non eſt ſimpliciter calidum neque frigidum, licèt habeat calorem, & frigiditatem. Plato intendit docere, quòd nullum corpus ſubſiſtere poteſt, quin ſit morbo, aut ſanitate affectum, vel vtroque; quia, vt inquit Galenus *lib. de diff. morb. Neceſſe eſt omne corpus affectum eſſe*, idest diſpoſitum ad operari hoc, vel illo modo.

D Ad 2. reſpondetur: quòd ſanitas oritur ex temperie, vnitate, & conformatione debitis, & totaliter proportionatis, ita vt in illa proportione ſit latitudo: quia; vt docet Galenus *in arte medicinali*, ſanitas exquiſitiſſima per inſtans tantùm durat; habet tamen latitudinem intra quam, licèt non ita exquiſita, ſanitate tamen dicitur corpus frui; & cùm corpus ſicut calidum, & frigidum eſt ſemper, & licèt in calore naturali ſit latitudo, nunquam tamen recedit ab omnimoda caliditate debita, quin recipiat aliquid frigiditatis; ſimiliter intra ſanitatis latitudinem, nunquam recedit à ſanitate perfectiſſima quin recipiat aliquid morbi in illo receſſu: quia cum neceſſe ſit, vt diximus ex Galen. corpus eſſe affectum, E idest diſpoſitum; hinc prouenit quòd tantùm recipiat de vna diſpoſitione, quantum admittitur de alia, ne detur in illa latitudine contrariorum vacuum, ſicut nec in latitudine caloris, aut frigiditatis, reliquorúmve contrariorum.

Ad 3. reſpondetur: Quòd Auicenna definit exquiſitiſſimè perfectam ſanitatem, & adæquatam, ſeu explicat id, quod debetur ſanitati, à qua niſi ratione morbi impediatur, ſemper omnes operationes fiunt incolumes; ad eas enim ſemper eſt homo aptus ratione ſanitatis abſolutæ.

Ad 4. reſpondetur: Quòd ſanitas, licèt ſit de genere boni, habet latitudinem, vt probauimus ex Ga- A len. *lib. artis medicinalis*, in cuius doctrina, vt notauit Varandæus *lib. patholog. cap. 3.* ſanitas præter exquiſitiſſimam, quam per inſtans durare docet Galenus alia eſt bona, & communis, qua vulgariter plerumque fruuntur homines: alia tenuis, & parum conſtans, quam inſalubrem vocamus: alia eſt neutra, in qua neuter excedit, nec morbus, nec ſanitas, ſed partim ſanæ, partim læſæ apparent operationes, & intra iſtam latitudinem, etiamſi ſanitas ſit de genere boni, conſeruatur. Vltra illam verò ex quocumque defectu deficit, non tamen acquiritur ex bonitate in quocumque fundamento, ſicut morbus ex defectu in quocumque oritur, ſed dum omnia, quæ requiruntur pro ſanitate ſunt intra latitudinem, in qua ipſa poteſt B conſeruari.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm ad ſanitatem detur per ſe motus?

§. I.

Fabij Patij, & aliorum refertur opinio.

FAbius Pacius, Feneſius, Ferneliuſ &, alij qui ſanitatem iudicant, & morbum diuagari per plura prædicamenta; ſicut nec ad omnia illa poſſunt admittere, dari motum per ſe, ſimiliter nec ad ſanitatem. Pro illis etiam fauere videtur.

C Primò ex Galeno *lib. de locis patientibus, lib. de different. ſympt. cap. 3. & aliis in locis.* Morbus ex vi alterationis inducitur in ſubiecto: ſed ſanitas eſt illi contraria: ergo debet induci ex vi alterationis per ſe tendentis ad illam.

Secundò: Vnitas partium, & illarum temperies ſunt earum ſanitas; ſed datur motus localis, & alterationis per ſe ad illa tendens: ergo ad ſanitatem datur motus per ſe.

Tertiò: Calor moderatus eſt formaliter ſanitas: ſed ad calorem datur per ſe motus: ergo ad ſanitatem datur per ſe motus.

§. II.

D

Ariſtotelica amplectitur doctrina.

REſoluendum negatiuè, tenet Montanus, & amplectitur Veiga, ac reliqui, qui in relatione ſanitatem conſtituunt.

Probatur ex Ariſt. qui *lib. 5. phyſicor. per plura capita* docet ad tria tantùm prædicamenta dari motum per ſe, quantitatem, qualitatem, & vbi: & de qualitate tenet, quòd ſolùm ad tertiam ſpeciem: ſed ſanitas eſt diſpoſitio pertinens ad primam ſpeciem: ergo non datur motus per ſe ad illam.

Probatur 2. Ea producuntur per accidens, ſeu tanquam terminus ſecundarius, quæ producuntur ex vi actionis producentis alium terminum ex quo ea ſe- E quantur; ſicut producuntur propriè paſſiones ad productionem eſſentiæ: ſed ſanitas, prout diſpoſitio eſt, producitur tamquam quid ſubſequutum ad productionem alterius termini primarij: ergo ſanitas non producitur per ſe primò. Probatur minor ex Ariſt. 7. *phyſicor. text. 15. §. aliorum enim maxime vtique quis exiſtimauit in figuris, & formis, & habitibus, & horum remotionibus & acceptionibus alterationem eſſe: non eſt autem neque in his, ſed fiunt hæc, cum quædam alterantur. Denſata enim, aut rarefacta, aut cum fiat calida, aut frigida materia, alteratio autem non eſt.*

Probatur 3. ex D. Thom. *lib 7. phyſicor. lect. 5.* qui in expoſitione text. 15. citati, inquit: *Dicit ergo primò*

quod

quod propter qualitates ſenſibiles maximè videtur eſſe alteratio in quarta ſpecie qualitatis, circa quantitatem, ſcilicet forma, & figura, & in prima ſpecie qualitatis, quæ continet ſub ſe habitus, & diſpoſitiones: videtur enim quod alteratio quædam ſit per hoc quod huiuſmodi qualitates de nouo remouentur, aut de nouo acquiruntur, non videtur hoc ſine mutatione, ſed in prædictis qualitatibus primæ, & quartæ ſpeciei non eſt alteratio primò, & principaliter, ſed ſecundariò: ſed ſanitas eſt diſpoſitio de prima ſpecie qualitatis: ergo ad ipſam non eſt per ſe primò alteratio; ſeu motus: ſed ſecundariò. A

Probatur 4. Terminus per ſe alicuius motus, eſt ille à quo ſpecificatur talis motus, ſed motus quo producitur ſanitas, non ſpecificatur ab illo: ergo non eſt motus per ſe ad ſanitatem. Probatur minor; motus calefactionis & frigefactionis ſunt productiui ſanitatis, vt in febrientibus, & hydropicis, aut perfrigeratis apparet: ſed non ſpecificantur niſi à frigiditate, & caliditate: ergo non à ſanitate. B

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur: quòd ex Gal. conſtat, quòd ex vi alterationis ſanitas & morbus inducuntur, ſed non per ſe primò, ſed quia reſultat tanquam terminus ſecundarius diſpoſitio, quæ eſt ſanitas pro formali.

Ad 2. reſpondetur: quòd ſunt ſanitas pro materiali, non pro formali, de qua dubitamus. C

Ad 3. Reſpondetur: quòd calor moderatus eſt ſanitas pro materiali, ex quo reſultat, vt dictum eſt, diſpoſitio, in qua ſtat ratio ſanitatis formaliter ſumptæ, de qua procedit dubitatio.

Resolvtio VIII.

Vtrùm ſint plures gradus ſanitatis intra illius latitudinem.

§. I.

Dubitandi ratio, & ſtatus difficultatis proponitur.

SAnitas, quæ non exquiſitiſſima ſemper in corpore requiritur, nec multiplex ſecundùm ſpeciem, vt antecedenter determinauimus; An ſaltem ſecundùm magis, & minus diuerſas habeat latitudines, gradus, dubitatur? & pro parte negatiua ratio dubitandi eſt: Quòd ſanitas eſt diſpoſitio naturalis, quæ oritur ex ſymmetria qualitatum, vnitateque, & conformatione partium: ſed ſymmetria, & proportio qualitatum in quadam mediocritate conſiſtit, quæ, in quodcumque extremum declinet, amittitur, & fit improportio: ergo ſanitas nullos habet intenſionis gradus. D

§. II.

Sancitur communis doctrina.

REſoluendum; Quòd ſanitatis ſunt diuerſi gradus intenſionis, ſecundùm quos alia dicitur exquiſitiſſimè talis, alia bona, alia tenuis, alia neutra, ſiue ex decidentia, ſiue conualeſcentia: ſic Galenus *lib. artis paruæ*, & ibi eius commentatores, Saluus Selanius, Santorius, Vega, Veiga, Argenterius, Commentator, & reliqui. E

A Probatur 1. ex Gal. *lib. artis paruæ, cap. 7.* inquit enim: *Quo fit vt tota ſanitatis latitudo in tres partes, quarum ſingula latitudinem habent non paruam, diuidatur: erit autem prima quidem ſalubrium corporum, ſecunda neutrorum, tertia inſalubrium. Poſtque deinceps ſequuntur quæ iam ægrotant corpora, quæ ſenſibiliter operationum læſionibus diſtinguuntur, &c.* Ergo intra latitudinem ſanitatis ſunt diuerſi intenſionis gradus.

Probatur 2. Si propter aliquam rationem non haberet ſanitas varios intenſionis gradus, maximè quia pullulat ex ſymmetria qualitatum, quæ conſiſtit in quadam proportione: ſed hæc non obſtat, nam habet quàm maximam latitudinem, intra quam, vt docet experientia, ſiue qualitates primæ remittantur, B ſiue intendantur, ſemper tamen homo intra ſanitatem permanet: ergo ſanitas diuerſos habet ſanitatis gradus.

Probatur 3. Qui ſanitate fruuntur, alij actiones perfectiſſimas eliciunt omnes; alij aliquas, alij mediocres, alij debiles, vt Galenus docet *lib. artis paruæ*; ergo quia diuerſos habent ſanitatis gradus.

§. III.

Obtruditur ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur ex dictis; Quòd eſt quædam latitudo in proportione qualitatum, conformatione, & vnitate, intra quam magis, aut minus perfectè ſanitatem attingunt corpora; C ſemper tamen intra illam ab eis reſultat ipſa diſpoſitio pro naturalibus actionibus, quæ dicitur ſanitas.

Resolvtio IX.

Vtrùm aliqua ſigna diuerſos ſanitatis gradus indicent.

§. I.

Reſolutio deciditur & illius redditur ratio.

D REſoluendum: Quòd ſunt plura ſigna quæ à poſteriori denotant gradum ſanitatis. Ratio huius eſt, quia cùm ſanitas oriatur ex vnitate, conformatione, & temperie, & hæc quàm maximè ex actionibus poſſint diſcerni; ſanitas, & eius fundamenta, diuerſique illius gradus iuxta maiorem, aut minorem actionum perfectionem dignoſcuntur.

Partes corporis, & ea quæ accidunt in eis, ſuæ ſanitatis, propriæque temperiei ſubſiſtunt ſigna; Partes aliæ principes cerebrum, cor, iecur, & teſtes; aliæ non principes: iecoris ac cordis temperiem reliquæ ferè partes ſequuntur; corporis magnitudo cordis ac iecoris in calore, & humiditate bene temperatorum ſunt indicia; capitis amplitudo ac pectoris, oculi magni cum ſplendore, reliquarum partium vegetum E indicant calorem, à quo omnia dilatantur. Actiones quoque, ſanitatem, & eius ſimiliter indicant temperiem: Calidi cerebri ſunt, vigilantes, facile inebriantur, & grauantur à calidis cibis & potibus, & opinionibus ſunt mobiles: frigidi, ſomnolenti ſunt, magis conſtantes: ſicci ſunt ſenſibus perſpicaces, vigiles, ſagaces, memoriâ tenaces: Humidi ſomnolenti, dociles, obliuioſi. Qui cor habent temperatum ſunt conſtantes, fortes, animoſi. Cor calidius audaciam auget, & cum maiori caliditate temeritatem: frigidi corde effœminati euadunt, nec animoſi, nec fortes, nec conſtantes: ſiccitas conceptam ſemel

iram,metúmve diu ſeruat: homidi placabiles ſunt, & læti. Similiter & ex ſimilitudine ad alia animalia, & temperies, & propenſio, & mores, & gradus intra ipſam ſanitatis latitudinem dignoſcuntur, vt placet Ariſt. aliiſque phyſionomicis.

SECTIO II.

De ſanitatis cauſis conſeruatricibus:

IN prima hominis conformatione (formatrice non aberrante) reſultat ſanitas, quæ cum viuentis ſit perfectiſſima, ac naturalis conſti- B tutio, eius intenditur conſeruatio. Hanc in homine Medicus aſſequi conatur, & cum medicæ ſpeculationes ſint res naturales, non naturales, & præternaturales, naturalium conſeruationem, & præternaturalium ablationem intendit vſu rerum non naturalium, quæ prout ſanitatem conſeruant, conſeruatrices dicuntur: & de his agendum proponimus ſub hac ſectione.

RESOLVTIO I.

Vtrùm res non naturales ſint cauſæ ſanitatis conſeruatrices?

C

§. I.

Pars negatiua aliquibus fulcitur rationibus.

RES non naturales conſeruatiuas ſanitatis eſucauſas non eſſe aliquibus videtur ſuadere fundamentis.

Primò: Nulla perfecta ſanitas poteſt per aliquod tempus permanere, cùm tantùm per inſtans, quæ talis eſt, poſſit perdurare, vt docet Galenus *lib. artis parua, l.1. de ſanitate tuenda c.4 lib.6. de ſanitate tuenda c.6. §. nec ſanus videri poteſt*, ea ſaltem quæ inculpata, D inoffenſáque eſt ſanitas: ergo res non naturales non valent eſſe cauſæ conſeruatiuæ ſanitatis.

Secundò: Eædem cauſæ non poſſunt eſſe conſeruatrices, & corruptiuæ: ſed res non naturales ſunt cauſæ corruptiuæ, & quæ plerumque ſe habent ex parte cauſarum præternaturalium valentium morbos inducere: ergo non ſunt cauſæ conſeruatrices ſanitatis.

Tertiò: Si res non naturales eſſent admittendæ vt cauſæ conſeruatiuæ ſanitatis, maximè quia ipſæ valerent efficere, quod ineuitabilis ſit mors naturalis: ſed mors naturalis nullis valet cauſis impediri: ergo nullæ ſunt admittendæ cauſæ conſeruatrices impedientes illam.

§. II.

E *Communis doctrina à Galeno communiter recepta amplectitur.*

REſoluendum: Quòd res non naturales ſunt admittendæ vt cauſæ ſalubres, & conſeruatrices ſanitatis. Sic ſanciuit Galenus *lib. artis medicinalis cap.84. & 85.* ibi tenent Argenterius, Vega, Santorius, Saluus Sclanius, Oddus, pluſquam Commentator, & reliqui commentatores: tenet idem *lib. de ſanitate tuenda*, & qui eius illuſtrarunt libros; tenentque Zacutus *lib. de hiſt. medicor. princip.* Valleriola, *lib. de locis communibus*, Fontanus *lib. 1. de ſanitate tuenda*; Varandæus *patholog. vniuerſal. capite 3.* Ioan-A nes Baptiſta Cortés *miſcellaneor. medicin. decad. 5.* Plempius *lib.8. de fundamentis medicinæ.* Mattioez *lib. 3. q. proœmiali.* Godofredus *l.2. medicinæ theoricæ*, & alij.

Probatur 1. Gal. auctoritate, qui *lib. artis medicinalis, c.84.* hanc doctrinam docet his verbis: *Quoniam verò & harum hæ quidem ſalubres, hæ autem inſalubres, hæ neutræ: primum de cauſis ſalubribus erit ſermo; quia verò, & harum nonnullæ quidem conſeruatrices, nonnullæ effectrices ſanitatis, ſunt autem, & tempore, & dignitate priores conſeruatrices, incipiendum eſt à conſeruatricibus.*

Probatur 2. Sanitas, quæ ex fluxili & variabili dependet fundamento, petit ſui conſeruationem, ne citò in naturalem mortem deferatur viuens: ergo aliquæ B conſeruatrices cauſæ debuerunt adaptari pro eius conſeruatione: natura enim non deficit in neceſſariis, nec rerum naturas relinquit nudas ab oppugnatione contrariorum.

Probatur 3. ab experientia, qua conſpicimus ex alimentorum vſu, potus moderamine, excrementorum expulſione, aëris temperie, exercitij debita proportione, nos intra ſanitatis limites reſeruari, & in longam protrahi ſenectutem: ergo res non naturales ſunt conſeruatrices ſanitatis cauſæ.

§. III.

Primò adducta obiectiones ruunt.

C AD 1. reſpondetur: Quòd Galenus intendit quòd ſanitas perfectiſſima, & inculpata durat per inſtans, ſanitas verò licèt non ita inculpata habet latitudinem, intra quam intendimus conſeruare illam per cauſas conſeruatrices.

Ad 2. reſpondetur: Quòd eædem cauſæ eodem modo ſe habentes non poſſunt eſſe conſeruatiuæ, & corruptiuæ: at verò eædem entitates diuerſo modo applicatæ, & iuxta diuerſas ſui intenſiones poſſunt aliquando ſe habere ex parte ſanitatis, & eſſe ſalubres; aliquando ex parte morbi; & eſſe præternaturales.

Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt cauſæ ſalubres non D valeant ex toto impedire mortem naturalem, poſſunt retardare quominus cauſæ illius non ita properanter operentur, in quo ſtat ratio conſeruationis vitæ, & ſanitatis ſaltem in duratione naturaliter poſſibili.

RESOLVTIO II.

Quid ſint res non naturales?

§. I.

Quid nominis, & Quid rei diffinitio adducitur.

E RES non naturales, cauſæ ſalubres, conſeruatrices, & effectrices ſolent vocari eædem entitates: res non naturales eas vocauit Gal. *lib. de pulſibus ad tyrones c.9.* & in ſchola Arabum ſic communiter vocantur, vt tenet Corteſius *decad. 5.* & dicuntur non naturales, quia non inſunt adintegrantes noſtram conſtitutionem, ſicut res naturales, de quibus diſputauimus *part. 1. reſolut. meditar. in vniuerſam phyſiologiam:* & etiam quia indebitè adminiſtratæ hominem à naturali ſtatu cogunt recedere. Dicuntur ſalubres à Galeno *lib. artis parua*, quia ad ſalutis conſeruationem, & acquiſitionem debitè adminiſtratæ conferunt. Dicuntur conſeruatrices, & effectrices ſanitatis, quia ipſam valent conſeruare, & efficere.

Reſoluendum, quòd res non naturales ſunt res non adintegrantes naturalem conſtitutionem, conducentes tamen debitè adminiſtratæ ad eius conſeruationem, & acquiſitionem: non debitè, ad illius euerſionem. Sic deducitur ex Galen. *lib. artis parua c.84. & 85.* & eius Commentatoribus, & ex communi Medicorum aſſenſu; præcipuè ex Valleriola *lib. 2. de locis communib. c. 1.* ex Plempio *lib. 3. de fundamentis medicina c. 1.*

Resolvtio III.

Quot ſint res non naturales?

§. I.

Cauſarum ſalubrium numerus proponitur, & oppugnatur.

GRæcorum, Arabum, & Latinorum communior aſſenſus tenet ſex eſſe res non naturales, aërem, potum & cibum, quæ excernuntur & retinentur, motum & quietem, ſomnum & vigiliam, & animi pathemata: ſic communiter receptum numerum hæc valent oppugnare.

Primò, pauciores eſſe probat, Tum quòd Galen. *lib. ad Traſib. c. 24. & 4 lib. 5. de ſanitate tuenda c. vltimo* tantùm annumerauit quatuor res non naturales; ea quæ aſſumuntur; ea, quæ fiunt animo, & corpore; ea, quæ excernuntur, & retinentur; & ea, quæ foris adhibentur: Tum quòd ſanguis, & reliqui humores annumerantur inter res naturales, & non poſſunt contineri ſub eis, quæ aſſumuntur ſub rebus non naturalibus: Tum quòd ſomnus, & vigilia ſunt actiones quæ etiam debent reponi inter res naturales, ſicut & reliquæ naturales actiones: ergo pauciores ſunt res non naturales, quàm ſex annumeratæ.

Secundò: plures quàm ſex debere annumerari videtur comprobari: Tum quia influxus cœleſtes, ignis, aër, aqua, & terra, ſexus, & regiones, ac ætates conducunt ad ſalutis conſeruationem, & non continentur ſub ſex annumeratis: Tum balnea, lotiones, frictiones, vnctiones, ligaturæ, phlebotomia, cucurbitulæ, & aliæ materiæ medicæ ſunt cauſæ ſalubres valentes ſanitatem conſeruare, & acquirere, quæ etiam debent ſuperaddi: ergo plures ſunt cauſæ non naturales, quàm ſex annumeratæ.

Tertiò: res non naturales ſunt plerumque cauſa morbi, & mortis: ergo non ſunt cauſæ conſeruatrices. Probatur antecedens experientiâ, qua plerique mortui viſi ſunt ex indebito illorum vſu in potu, cibo, animi paſſionibus, gaudio, triſtitia, ira & aliis: ergo ſunt plériſque mortis cauſa.

§. II.

Communem amplectimur doctrinam.

REſoluendum: Quòd cauſæ ſalubres ſeu res non naturales ſunt ſex, aër, motus & quies, ſomnus & vigilia, cibus & potus, quæ excernuntur & retinentur, & animi pathemata. Eſt communis hæc doctrina.

Probatur primò ex Gal. qui *lib. artis parua capite 85.* eam ſanciuit his verbis: *quot igitur numera ſunt, ea quæ ex neceſſitate corpus alterant, diſtinguentes proprium ſingulis eorum cauſarum ſalubrium genus inueniemus, ineſt igitur vnum quidem ex ambientis aëris adhæſu: alterum verò ex motu & quiete, & totius corporis & partium ſingularium: Tertium ex ſomno, & vigilia: Quartum, ex his, quæ aſſumuntur: Quintum* A *ex eis, quæ excernuntur, vel retinentur: Sextum ex animi affectibus.*

Probatur ratione à Santoria deducta: vt ſanitas conſeruetur, requiritur quòd partium principum vſus debitus permaneat, ſed non poteſt permanere ſine debito vſu ſex rerum non naturalium, quæ annumeratæ ſunt: ergo ipſæ ſunt admittendæ. Probatur minor; vitalis facultas non poteſt conſeruari niſi per aëris vſum calor in debita intenſione moderetur. Animalis facultas, quæ deſeruit pro ſenſatione, & motu animali indiget ſomno & vigilia, motu & quiete, & animi paſſionibus. Naturalis, vt ſubſternat materiam indiget cibo & potu, & quæ in eis ſunt ſi vtilia, retineantur, ſi excrementitia, excernantur: ergo ad vſum trium partium B principum requiritur neceſſario vſus ſex rerum non naturalium.

Probatur 3. omnia quæcumque ſpeculatur medicina in vſum ſalutis humanæ, vel ſunt res ſecundùm naturam, ex quibus naturaliter conſtituitur homo, de quibus *part. prima* egimus; vel ſunt res præter naturam, quibus ſanitas oppugnatur, cauſa, ſymptoma, & morbus; vel ſunt aër, cibus, & potus, ſomnus, & vigilia, motus, & quies, retenta, & excreta, & animi affectiones: ſed primò annumeratæ res ſunt omninò naturales, & quæ petunt conſeruari, ſecundæ ſunt præternaturales, & quæ petunt auferri: ergo ſex res annumeratæ ſunt non naturales; & quæ poſſunt aliquando ſe habere ex parte naturalium eas conſeruando: ali- C quando ex parte cauſarum præternaturalium eas coadiuuando.

§. III.

Rationes dubitandi ſoluuntur.

AD 1. reſpondetur: Tum quòd Galenus *lib. de ſanitate tuenda* agit de cauſis; quæ maximè iuuant ad ſanitatem vtcumque conſeruandam: nos verò agimus cum eo *lib. artis parua*, de cauſis, quæ neceſſariò nos alterant; quæ quia aliquando ſe habent ex parte naturæ, aliquando ex parte morbi, naturales dicuntur: D Tum quòd humores vt naturalem conſtitutionem adintegrant, ſunt res ſecundùm naturam; vt ſubſternunt materiam, ſunt res non naturales: Tum quòd ſomnus, & vigilia vt actiones reducuntur ad res naturales, vt ex vſu debito aut indebito harum actionum quam maximè ſanitas perficitur, aut deperditur, ſunt res non naturales, quod non ita in aliis actionibus contingit, quia non ſunt ita ineuitabilia commoda, aut nocumenta illatura.

Ad 2. reſpondetur: Tum quòd influxus cœleſtes, ignis, aër, aqua, & terra, regionéſque agunt in nos mediâ aëris alteratione, & ideò ad ipſum reducuntur: Tum quòd cauſæ nos alterantes, aliæ neceſſariò nos alterant, quales ſunt res non naturales, de quibus agimus, aliæ non neceſſariò, quæ ideò excluduntur à numero rerum non naturalium à Galeno *lib. artis medicinalis cap. 85.* dum inquit: *Alteratur igitur corpus à nonnullis* E *quidem neceſſariò; à quibuſdam verò non neceſſariò:* & ſuperaddit: *Quare circa primum cauſarum genus verſatur ars corporis conſeruatrix, circa ſecundum autem, minime.*

Ad 3. reſpondetur: Quòd omnibus cauſis non naturalibus conuenit, quòd ſint mediæ naturæ inter res omninò naturales, & omninò præternaturales; & ideò prouenit ab illis, quòd moderatè ſe habeant ex parte naturæ, & tunc dicuntur cauſæ ſalubres immoderatè ex parte morbi, & tunc ſunt cauſæ præternaturales, & plerumque dicuntur procatharticæ.

Resolvtio IV.

Verùm vna ſanitas poſſit eſſe cauſa conſeruatiua alterius ſanitatis.

§. I.

Ariſt. authoritate fulcitur pars negatiua.

ARiſt. *lib.7.problem.1.& lib.1.problem.*10. hanc mouet difficultatem, quam ſimiliter diſputat Zacutus *lib.2. de Medicor. princip. hiſtoria, dubio* 40. Zachias contrariam amplectitur: Nos noſtram his proferemus ſententiam.

§. II.

De ſanitate formaliter ſumpta quid ſentiendum.

REſoluendum 1. Quòd ſanitas formaliter ſumpta non eſt cauſa conſeruatiua alterius ſanitatis ſimilis. Probatur ex Ariſt. qui vt certam hanc ſupponit doctrinam *lib.7. problem.* inquirens, Cur à morbis non-ouiti ægrotant, qui appropinquarunt; à ſanitate nemo ſanari poteſt? *& lib.1. problem.*10. inquirit, Quare ex conuerſatione cum iuſto & bono, iuſtus, & bonus homo efficiatur, & cum homine ſano, homo non redditur ſanus: ergo ex Ariſt. doctrina vt certum ſupponendum, quòd à ſanitate non poteſt alia ſanitas cauſari, nec conſeruari.

Probatur 2. Si vna ſanitas formaliter ſumpta poſſet cauſare aut conſeruare aliam, vel actione vniuoca, vel æquiuoca: ſed non actione vniuoca, quia ad ſanitatem daretur per ſe motus; cuius contrarium docet Ariſt. *cap. de qualit.* Non actione æquiuoca, aliàs non produceret ſanitatem, ſed aliam entitatem diuerſæ rationis, & ſpeciei: ergo vna ſanitas formaliter ſumpta non valet producere, nec conſeruare aliam ſimilem.

Probatur 3. Si vna ſanitas conſeruaret, conſeruatione propria, aliam, vel conſeruaret illam formaliter ſumptā per ſe primò, quod probauimus nuper non eſſe poſſibile; vel conſeruaret illam conſeruando eius fundamentum, & hoc etiam eſt impoſſibile, cùm non valeat vnitatem, conformationem, nec temperiem, cauſare in alio ſubiecto: ergo formaliter ſumpta non valet aliam conſeruare ſanitatem.

§ III.

Adducitur modus conſeruandi ſanitatem materialiter ſumptam.

REſoluendum 2. quòd ſanitas pro materiali valet per ſe conſeruare ſimilem ſanitatem in alio. Probatur authoritate Oribarij *lib.14. collect. cap.37.* dicentis: *Nouimus autem nihil aquè iuuare coctionem, quàm ventriculum vulturis, ac corpus humanum ipſum contingens. Quamobrem nonnulli pulles nella in ſinu tenent, & ſummum inde commodum ſentiunt, propius enim ad naturalem calorem accedit, eſtque magis proprius, & connatus hic quàm qui fomentis adhibetur. Quidam bene catulos paruos huiuſmodi causà alunt, qui dum quieſcunt eoſdem ventriculo admouent*: ſed hoc non ob aliud, niſi quia natiua temperies, quæ eſt ſanitas pro materiali, ſimilem fouere & conſeruare quam maximè valet: ergo vna ſanitas pro materiali valet etiam conſeruare.

Probatur 2. ex *lib.3. Regum cap.1. Et Rex Dauid ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies, cúmque operiretur veſtibus, non calefiebat. Dixerunt ergo ei ſerui ſui: Quæramus domino noſtro Regi adoleſcentulam Virginem, & ſtet coram Rege, & foueat eum, dormiatque in ſinu ſuo, & calefaciat dominum noſtrum Regem.*

Probatur 3. Conſeruatio per ſe fit a ſimili: ſed nulla alia temperies, quàm alterius viuentis temperies, eſt viuentis temperiei magis ſimilis: ergo nulla alia aptius poteſt conſeruari, & foueri.

Resolvtio V.

Verùm conſeruatio ſanitatis proueniens à cauſis ſalubribus fiat à ſimili.

§. I.

Argenterij in Galenum proponitur opinio.

ARgenterius *lib. artis paruæ*, in Galenum irruens, vt moris eſt, contendit probare quòd conſeruatio à ſimili fieri non poſſit; cui faue

Primò, Galenus *lib. artis medicinalis cap.23.* vbi hæc profert, loquens de oculis: *A ſimilibus cauſis ſua temperatura facilè offenduntur, iuuantur autem à medico contrariorum vſu*, & ſuperaddit: *Hoc quidem commune in omni temperatura cuiuſque partis oportet meminiſſe.* & *lib. ad Troſibulum*, ait partem conſeruatiuam differre à curatrice in quanto, & non in quali. Ex quo patet vti contrariis pro conſeruatione: & paulò infrà ſuperaddit, pulmonem offendi ab aëre inſpirato ſi ſit ſimilis: ergo conſeruatio à cauſis ſalubribus non eſt a ſimili.

Secundò, cauſæ conſeruatrices pugnant cum temperie, & partibus noſtri corporis, aër ſua frigiditate nos afficiens, vigilia ſpiritus reſoluens, ſomnus torpidas reddens actiones, motus calorem, excedentem inducens, quies cruditatem adaugens, quæ retinentur nos alterantes, quæ euacuantur inanientes, & ſic contingit in reliquis cauſis ſalubribus: ergo nulla nos valet conſeruare ob ſimilitudinem.

Tertiò conſeruatio eſt vera, & realis actio, ſed à ſimili in ſimile nulla poteſt fieri actio realis, ex Ariſt. enim *lib.1. de generatione*, ſimile in ſimile non agit: ergo conſeruatio per res non naturales facta non fit à ſimili.

§. II.

Quibuſdam præſuppoſitis deciditur reſolutio.

PRo reſolutione tenendum cum D.Thoma 1. *p. q.*104. *art.1. in corpore*, quòd conſeruatio alia eſt per ſe, & directa, alia per accidens & indirecta: quod docet his verbis: *Ad cuius euidentiam conſiderandum, quod aliquid conſeruatur ab aliquo dupliciter: vno modo indirectè & per accidens, ſicut ille dicitur rem conſeruare, qui mouet corrumpens; alio modo dicitur aliquid rem aliquam conſeruare per ſe directè quando ſcilicet illud quod conſeruatur dependet à conſeruante, vt ſine eo non poſſit eſſe.*

Reſoluendum, Quòd ſanitatis conſeruatio per cauſas non naturales eſt indirecta & per accidens.

Probatur: ſex res non naturales ſunt conſeruatrices, prout corpus noſtrum, quod ſiccitate, & proprio calore tendit in naturalem interitum, poteſt retardari in ſua duratione actione illarum, quatenus calorem attemperant, & ſuæ ſubſtantiæ reſolutionem reſarciunt: ſed non eorum horum ſimilitudine, ſed variis earum actionibus, vt apparet, conſequitur: ergo conſeruatio per res non naturales non fit à ſimili.

§. III.

§. III.

Soluuntur primò adducta argumenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd ex Galeno probatur quòd conſeruatio indirecta, & per accidens non fiat à ſimili quod nos fatemur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd probat reſolutionem noſtram.

Ad 3. dicimus quòd nihil probat contra noſtram reſolutionem, in qua agimus de conſeruatione indirecta, quæ poteſt fieri à contrario, & quod adhuc A contra directam nihil conuincit, quia dum Ariſt. *lib. de generatione, text.* 48. dicit: *ſimile non agit in ſimile*, loquitur de omnimoda ſimilitudine. Quando verò dicitur, quòd conſeruatio fit à ſimili, intelligitur de ſimilitudine generica, aut ſpecifica; ſed ſecundum diuerſos gradus, quam requirit ad agendum, aut conſeruandum, vt docet ipſe Ariſt. *lib.* 10. *metaph. text.* 11. dicens: *Si ſimilia dicuntur quæ non ſunt ſimpliciter eadem, nec ſecundùm ſubſtantiam ſubiectam differentia, ſed ſecundùm ſpeciem eadem ſunt, & quæ eandem ſpeciem habent qualitatis.*

DISPVTATIO II.

De natura, & differentiis morborum.

CVM totius Medicinæ actio in id maximè B conſpiciat, vt corpus humanum à morbo liberet, morbi cognitio, in cuius ablationem ſemper Medicus incumbit, quàm maximè illi neceſſaria eſt; quam ſub hac diſputatione perluſtrare intendimus: quam materiam tetigit Hippocrates ſparſim in ſuis operibus; præſertim in *lib. aph. in lib. de natura humana, in lib. epid. & in lib. de locis in homine, lib. de coacis prænotionibus, in lib. de morbis virginum, & morbis mulierum*, aliiſque in locis. Gal. *in ſuis commentariis*, ſed exquiſitiſſimè *in lib. de diff. morborum, in lib. methodi.* Valleriola *lib.* 3. *de locis communibus*, Comes Montanus Vincentius *in lib. Gal. de differ. morborum, & in defenſione illorum*, Mercatus *tom.* 1. *lib.* 3. C *part.* 1. Angelucius *de arte medica lib* 1. *p.* 2. Fontanus *in lib. pathologia.* Duncanus *lib.* 2. *de morbis, & morborum different.* Zamora *in repetitione ad* 1. *cap. in* 3. *de differ. morbor.* Varandæus *p.* 2. *pathol. vniuerſalis*, Eurnius *inſtit. medicinæ lib.* 25. Fabius Pacius *digreſſione de natura morbi in comment. ad lib. Galeni de method. medendi.* Martinez *tract.* 1. *de morb. & ſymptom.* Roſellos *in lib. Galeni de differ. morbor.* Santa-Cruz *de morbo, & ſympt.* Argenterius *in lib. de differ. morb.* Leonardus Fuchſius *lib.* 3. *ſect.* 2. *& in medicinæ Compendio.* Fernelius *lib.* 7. *pathologiæ.* Godofredus *de arte medica lib.* 3. luculenter tamen Auicenna *fen.* 1. 1. *d.* 2. vbi eius commentatores Iacobus Forliuienſis, & Iacobus de Partibus, Gentilis, & reliqui. Gratiolus *lib.* 1. *ſect.* 2. Ioannes Baptiſta Cortés D *decad.* 5. *c.* 9. Plempius Fortunatus *lib* 4. *de fundamentis medicinæ ſect.* 2. *c.* 2. & alij. Valles *lib.* 4. *controuerſ.* Montanus *in fen.* 2. 1. & alij.

SECTIO PRIMA.

De natura morbi.

LICET diuiniſſimum in ſcientiis *rectè diuidere* iudicet Plato; antequam ad morbi diuiſionem perueniamus, de illius Quidditate ſub hac Sectione amplectar tractationem, incognitâ enim diuiſi naturâ, fruſtra poſſet diuidentium membrorum dignotio conſequi.

RESOLVTIO I.

Vtrùm morbus ſit ens reale?

§. I.

Santa-Cruz partem negatiuam tuetur.

NOſter prædeceſſor doctiſſimus Santa-Cruz *lib. de morb. & ſympt.* morbum ſub priuatione conſtituit, & conſequenter pro formali ipſum eſſe ens rationis tenetur admittere, forſan D. Thomæ auctoritate potius quàm rationibus in hanc ſententiam adductus pro quo ſtat,

Primò: Morbus eſt malum ſimpliciter: ſed malum ſimpliciter eſt priuatio: ergo morbus formaliter ſumptus eſt priuatio. Diſcurſus videtur legitimus, nam maior, & minor habentur in D. Thoma, 1. *de malo art.* 5. *ad* 1. cuius hæc ſunt verba: *ſimpliciter malum eſt quod eſt ſecundùm ſe malum: hoc autem eſt quod priuat aliquo bono, quod eſt ex debito ſuæ perfectionis, ſicut ægritudo eſt malum animalis: ſed ſecundùm quid dicitur malum, quod non eſt malum ſecundùm ſe, ſed alicuius, quia non priuat aliquo bono debito ſuæ perfectioni, ſed quod ex debito perfectionis alterius, ſicut in calore eſt priuatio perfectionis debitæ aquæ.*

Secundò: Morbus per conſenſum, quando non communicatur parti quod deberet communicari, eſt verè morbus; ſimiliter in ablatione particulæ numeri, aut quantitatis, vera morbi ratio inuenitur, vt docet Galen. *lib.* 3. *de locis c.* 1. *lib.* 1. *de locis c.* 6. *lib. de differ. morb. c.* 8. *lib.* 2. *de locis c. vlt.* ſed tunc morbus conſiſtit in priuatione, & defectu alicuius poſitiuæ entitatis: ergo formalis ratio morbi conſiſtit in priuatione.

Reſpondetur: Quòd ex parte, in qua deficit aliqua entitas reſultat præternaturalis diſpoſitio malè afficiens ad operandum, quæ eſt morbus formaliter ſumptus.

E Contrà: nulla apparet cauſa realis productiua talis effectus: ergo non datur. Probatur antecedens, cauſa abſcindens, vel impediens communicationem eius, quod deberet communicari, non poteſt producere diſpoſitionem: ſed nulla alia datur: ergo nulla eſt cauſa productiua præternaturalis diſpoſitionis.

Reſpondetur: Quòd prædictæ cauſæ per ſe primò producunt morbum pro materiali, ſolutionem

R ſcilicet

ſcilicet continui, numerum diminutum, aut diminutam quantitatem; ſecundariò verò præternaturalem diſpoſitionem reſultantem ex illorum poſitione.

Contra: Cauſa abſcindens, aut obſtruens operatur medio motu locali; ſed per motum localem, qui habet pro termino Vbi, non poteſt produci diſpoſitio, quæ cùm ſit qualitas, petit produci per alterationem, quæ eſt motus ad qualitatem: ergo neque tanquã terminum ſecundarium valent producere morbum.

Reſpondetur cum Ariſt. *lib. 7. phyſicor.* Quòd ſanitas, & morbus non producuntur per ſe primò medio alteratione, ſed tamquam termini ſecundarij reſultantes ex poſitione alterius termini primò producti, à quo ſpecificatur motus, non tamen à termino ſecundario: quod idem contingit etiam in qualitatibus quartæ ſpeciei, & reſpectu reliquarum qualitatum apparet, dum producitur ſubſtantia per generationem, per quam ſecundariò reſultant paſſiones propriæ, & qualitates primæ, & ſecundæ.

Contrà: præternaturalis diſpoſitio, adhuc ſi poſſet poni per reſultantiam, eſt entitas ſuperflua, cũ in parte patiente morbum per conſenſum, numerum diminutum, aut diminutam quantitatem, darentur læſio actionis, quacumque ablata ſuperueniente præternaturali diſpoſitione: ergo non eſt admittenda. Patet minor, quia in parte defectuoſa non poſſet perfecta elici actio, quacumque diſpoſitione præternaturali ablata.

Reſpondetur: Quòd, vt docet Galenus *lib. de diff. morb. cap. 2.* neceſſe eſt omne corpus eſſe diſpoſitum vel per ſanitatem, quæ reſultet ex debita ſymmetria componentium, vel per morbum, qui ex quocumque defectu adintegrantium naturalem conſtitutionem fit, & cum in caſu poſito per ſanitatem diſponi non poſſit, neceſſario ordine reſultat præter naturalis diſpoſitio naturali ſequela; vt quod non valet animal conſeruare naturali diſpoſitione, conſeruaret præternaturali conducente ad eius conſeruationem ſaltem in ſtatu morboſo.

Contra: ſaltem per potentiam Dei abſolutam poteſt impediri productio termini ſecundarij; ſed tunc daretur morbus, cùm actiones fierent læſæ in caſu poſito: ergo morbus tunc in priuatione conſiſteret.

Reſpondetur: Quòd dato quòd Deus impediret pullulationem præternaturalis illius diſpoſitionis; neque fierent actiones ſanæ, cùm deficeret ſanitas, quæ diſponit ad illas; neque morboſæ, cùm deficeret morbus, qui eſt præternaturalis diſpoſitio diſponens ad actiones læſas; & tunc remaneret pars cum impotentia ad actiones vitales defectu diſpoſitionis ad illas.

Contrà: abolitio actionis in parte, in qua eſſet defectus, eſſet ſymptoma in actione abolita: ergo in parte illa eſſet morbus, à quo ſymptoma ſubſequi eſt neceſſe.

Tertiò: priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto nato ad habendam illam: ſed morbus dicit carentiam formæ, ſcilicet ſanitatis in ſubiecto apto nato ad habendam illam, cùm ſit incompoſſibilis cum illa: ergo E morbus eſt priuatio.

§. II.

Valleſij, Mercati, Montani & aliorum præfertur opinio.

Reſoluendum: Quòd morbus formaliter ſumptus eſt entitas realis poſitiua. Sic tenet Valleſius *lib. 4. controuerſ. c. 1.* Mercatus *tom. 1. lib. 3. art. 5. concluſ. 1.* Montanus *in ſen. 2. 1.* Varandæus *2. part.*

A *patholog cap. 2.* Comes Montanus *lib. 1. de morbis.* Roſellus *lib. de diff. morbor.* Fabius Pacius *in lib. methodi digreſſione de natura morbi.* Fontanus *lib. 1. pathol. c. 2.* Zamora *ſuper caput 2. lib. 1. de diff. morb.* & eſt communis.

Probatur fundamentali ratione: Nihil poteſt poni ſub determinato prædicamento tanquam ſpecies illius, quod non ſit entitas realis, cùm omne non ens excludatur à prædicamentis: ſed morbum conſtituit Ariſt. in prædicamento qualitatis, tanquam determinatam ſpeciem ſub diſpoſitione, dicens: *Diſpoſitiones autem hæ ſunt, quæ faciliter dimoueri, mutarique poſſunt, vt caliditas, frigiditas, morbus, & quæ ſunt huiſce ſimilia:* ergo morbus formaliter ſumptus eſt entitas realis

B poſitiua.

Probatur 2. Ex Galen. qui *lib. de diff. morb. cap. 2.* docet omne corpus neceſſariò eſſe diſpoſitum debere: ſed omnis diſpoſitio, qua corpus diſponitur, eſt entitas realis ſub diſpoſitione: ergo omnis morbus eſt entitas realis poſitiua.

Probatur 3. ex Galen. loco nuper adducto dicente: *at ſi hoc eſt ſanitas, eius profectò contrarium erit morbus, vel conſtitutio præter naturam, aut læſæ operationis cauſa:* ergo omnis morbus eſt entitas realis, & vt talis eſt cauſa realis læſionis in operationibus.

Dices cum Santa-Cruz, quòd lædere pro formali non conſiſtit in hoc, quòd fiat aliquid, ſed potiùs in hoc quòd actio non fiat, ad quod non requiritur, quòd aliquid poſitiuum, ſed ſolum quòd ſit priuatio alicuius

C entitatis poſitiuæ.

Contra ſtat, tum Galen. nuper citatus, qui omne corpus diſpoſitum eſſe docet, quod in ſtatu morboſo per præternaturalem diſpoſitionem neceſſe eſt eſſe: tum quia *loco eodem* morbum eſſe cauſam læſionis, & eundem eſſe conſtitutionem præter naturam docet, quæ neceſſariò aliquid poſitiuum petit eſſe: tum quòd læſio operationis eſt inuerſio entitatis realis à naturali ſtatu, quæ à cauſa reali fieri petit: tum quod læſio actionis non ſemper in defectu conſiſtit, ſed aliquando in intenſione vltra id quod debetur naturaliter, quæ intenſio cùm ſit poſitiua entitas proueniens à morbo, poſitiuam eius petit entitatem; qualiter apparet in delirio, & productione ſubſtantiæ

D nidoroſæ, aut bilis æruginoſæ: ergo morbus à quo læſio operationum prouenit, neceſſariò debet eſſe entitas poſitiua.

Probatur 4. Sanitas, & morbus ſunt contraria, ſed ſanitas eſt entitas poſitius: ergo morbus eſt entitas poſitiua, cùm contraria debeant eſſe ſub eodem genere entis.

Reſpondet Santa-Cruz, quòd ſanitas, & morbus ſumpta materialiter ſunt contraria, & entia realia, non verò formaliter ſumpta.

Contrà: ſanitas, & morbus materialiter ſumpta non opponuntur: ergo de ſanitate, & morbo ſumptis formaliter tenendum eſt quòd opponuntur. Probatur antecedens, calor moderatus eſt ſanitas pro materiali, calor immoderatus eſt morbus pro materiali, qui cùm ſolùm differant ſecundùm magis, & minus, nec mutuò ſe valeant expellere, non ſunt contraria: ergo de ſanitate, & morbo formaliter ſumptis tenendum quòd ſunt contraria: tum ſanitas pro materiali aliquando eſt quantitas, aliquando ſubſtantia, quibus non eſt contrarium.

Probſtur 5. Symptoma v. g. color mutatus, vel exiens mutatum ſunt morbi ſymptomata, & entia realia à morbo producta: ergo morbus à quo proueniunt eſt entitas realis.

Reſpondet Santa-Cruz quòd reſpectu ſymptomatum, quæ conſiſtunt in poſitiua entitate, idem dicendum

dicendum ac de morbo, ita vt ſicut de calore febrili dicitur, quod ſit morbus, quia priuat de aliqua debita tempere: ita color vitiatus eſt ſymptoma, priuatque colore debito.

Contrà: Si morbus aut ſymptomata dicerentur priuationes, quia priuant aliquo bono, etiamſi habeant entitates poſitiuas, morbus non eſt malum ſimpliciter, ſed malum alteri, de quo non conuincit auctoritas D.Thomæ, vt dicatur priuatio. Præterea in hoc ſenſu nullum eſſet contrarium, in quo non poſſemus dicere, quòd conſiſtit in priuatione: ergo morbus poſitiua entitas eſt dicendus. Probatur minor, quia quodlibet priuat de aliquo bono.

§. III.

B

Fundamenta pro Santa-Cruz adducta diluuntur.

AD 1. reſpondetur ex D.Thom. 1.2.q.73.art.2. *in corpore*, dicente: *Duplex priuationis genus eſt: eſt enim quedam ſimplex, & pura priuatio, quæ conſiſtit quaſi in corruptum eſſe, ſicut mors eſt priuatio vitæ, & tenebra ſunt priuatio lucis, & tales priuationes non ſuſcipiunt magis & minus, quia nihil reſiduum eſt de habitu oppoſito: eſt autem alia priuatio non ſimplex, ſed aliquid retinens de habitu oppoſito, quæ quidem priuatio magis conſiſtit in corrumpi, quàm in corruptum eſſe, ſicut ægritudo.*

C

Ex quibus deducitur quòd D. Thomas morbum ſumit dupliciter: vno modo pro morbo diſponente ad interitum; alio modo pro ipſo interitu: & loquendo de morbo pro ipſo interitu, ſeu pro corrupto eſſe, ægritudinem dicit eſſe malum ſimpliciter: ſumendo tamen ægritudinem pro præternaturali diſpoſitione læſiua operationum, dicit quòd eſt priuatio non ſimplex, ſed aliquid habens de habitu, & quod magis conſiſtit in corrumpi, quàm in corruptum eſſe, & in hac acceptione loquimur de morbo, & aſſerimus quòd eſt entitas poſitiua, vt ipſe fatetur.

Ad vltimam replicam ſecundi reſpondetur: Quòd abolitio actionis proueniens ob præternaturalem diſpoſitionem eſt ſymptoma, & ſemper ſequitur ad morbum: at verò abolitio actionis proueniens ab impotentia vt actio abolita videndi in lapide non dicitur ſymptoma, nec prouenit ratione morbi, ſed ab impotentia, quæ datur ad illam.

D

Ad 3. reſpondetur: Quòd morbus in recto dicit entitatem poſitiuam, ſcilicet diſpoſitionem præter naturam: in obliquo verò connotat priuationem ſanitatis, ſicut contingit in calore reſpectu frigiditatis, & in aliis quibuſcumque contrariis.

Resolvtio II.

Vtrùm morbus ſit relatio?

§. I.

Chriſtophori à Vega proponitur opinio.

PArtem affirmatiuam probabiliorem contendit reddere Chriſtophorus à Vega *lib.3. artis Medicinalis cap.1.* his fultus fundamentis.

Primò, nam Gal. *lib. 1. de differ. morb. cap.2.* & Ariſt. *lib.7. phyſicor. cap.7.* morbum, & ſanitatem ſub relatione conſtituunt: ergo formalis ratio morbi in relatione debet conſtitui.

Secundò: Si morbus non poſſet per relationem

A conſtitui, maximè quia eſt diſpoſitio ex Gal. ſententia *lib. de diff. ſympt.* ſed etiamſi ſit diſpoſitio, debet per relationem conſtitui ex Ariſt. *cap. de relatione in principio*, vbi præſcribens, quæ ſint relationes, inquit: *Sunt etiam hæc in his quæ cum aliquo conferuntur, vt habitus, vt diſpoſitio, vt ſcientia, vt ſitus:* Ergo morbus formaliter ſumptus eſt relatio, etiamſi ſit diſpoſitio.

Tertiò: Omnis morbus dicit improportionem ad naturalem conſtitutionem: ſed omnis improportio eſt relatio: ergo omnis morbus eſt relatio. Probatur minor ex Galen. doctrina, qui *lib. 1. de different. morb. capit. 2.* morbos conſtituit per improportionem temperiei, vnitatis, aut conformationis debitæ.

§. II.

Communis ſancitur doctrina.

REſoluendum negatiuè: ſic ſanciunt Valleſius *lib.4. controuerſ. cap.1.* Mercatus *lib.3. de morbis, artic. 1. concluſ. 1.* Santa-Cruz *lib. de morb. & ſymptom.* Varandæus *lib. phyſiolog. vniuerſ. ſect. 2. cap. 2.* Roſellus *in lib. Galen. de differ. morb. quæſtion. 6.* Fabius Pacius *in comment. ad lib. method. digreſſione de natura morbi*, Zamora *in 1. parte repetitionis ad cap. 3. de different. ſymptom.* Valleriola *libro de locis commun. cap....* Fontanus *lib. 1. patholog. capit. 2.* Fernelius *libr. 1. patholog. cap. 1.* & eſt communis.

Probatur 1. Ex Galen. *lib. 1. method. cap. 6. per totum, libro de different. morb. cap. 2. lib. 2. de diff. ſympt.* vbi determinat, & probat omnem morbum eſſe diſpoſitionem.

Dices cum Vega, quòd Galenus quando vocauit morbum diſpoſitionem, loquitur de morbo pro materiali, cui ineſt ratio diſpoſitionis, non de morbo pro formali qui eſt relatio reſultans ex eo.

Contrà ſtat Galen. *locis citatis*, & *lib. 1. method. cap. 2.* vbi concludit contra Ieſalum, ſanitatem, & morbum formaliter eſſe diſpoſitionem, *libr. de different. morb. cap. 2.* cùm morbum vocauerit diſpoſitionem, ſuperaddit: *Liquet autem quòd ſi eſſe diſpoſitionem præter naturam dixeris cum eo, quod nomine vteris antiquo, idem quoque ſignificabis*: ergo de morbo pro formali, quod ſub diffinitione intendit explicare loquitur.

Dices pro Vega, quòd Galenus ſtatim ſuperaddit: *Erit igitur ſanitas moderatio quædam; morbus immoderatio*: ex quibus patet conſtituere morbum ſub relatione.

Contrà: ipſe Galenus *in eodem cap.* docet relationes concomitanter eſſe cum morbo, & ſanitate, diſtinguitque ſanitatis, ac morbi rationes, per hoc, quòd ſunt diſpoſitiones ab ipſis relationibus diſtinctæ: ergo quia formalem rationem diuerſam habent.

E

Probatur 2. Si morbus eſſet relatio, non poſſet diffiniri, ſine eo quò includeret in ſua diffinitione eſſentialem ordinem ad terminum ſpecificatiuum: ſed vt ex adducenda diffinitione conſtabit, ſine tali eſſentiali ordine datur morbi diffinitio: ergo non conſtituitur per relationem.

Probatur 3. Morbus lædit operationes: ſed relatio, cum totum ſuum eſſe ſit in ordine ad aliud ſe habere, nullas valet operationes lædere: ergo non poteſt eſſe formalis morbi ratio.

Dices cum Vega, quòd licèt relatio nihil efficiat lædendo operationes, ipſas lædit, quia ratione illius facultas vitalis læſas edit operationes, vt apparet in

calore in cerebro, à quo prouenit delirium, quia eſt immoderatus.

Contrà: Inuariato principio in ordine ad actionem, actio inuariata debet manere: ſed ratione relationis non variatur principium in ordine ad actionem (cum relationis eſſe tantùm ſit ad aliud ſe habere) niſi ſuperueniat læſiua diſpoſitio ipſius principij: ergo nunquam ratione relationis prouenit læſio in potentia.

Dices cum ipſo, quòd relatio malè afficit ſubiectum, & ideò fit læſa operatio.

Contrà: ergo ipſa relatio eſt formaliter diſpoſitio cùm implicet dari effectum formalem ſine forma, & tunc in eſſe diſpoſitionis, & non in eſſe relationis lædit, & eſt morbus.

Probatur 4. Relatiuæ tantùm relatiuè opponuntur, nunquam tamen contrariè: ſed ſanitas, & morbus opponuntur contrariè, vt manet probatum *diſput.1. de ſanitate*: ergo non conſtituuntur per relationes formaliter.

§. III.

Vegæ fundamenta diſſoluuntur.

AD 1. reſpondetur: Quòd Galenus, & Ariſtotel. ſanitatem, & morbum, ametriam, & ſymmetriam vocant; quia morbum concomitantur, & ſanitatem huiuſmodi relationes: ex morbo enim pro materiali reſultat relatio improportionis, & præternaturalis diſpoſitio, & ideo morbus pro materiali dicitur relatio, & dicitur morbus: ratio tamen morbi pro formali conſiſtit in præternaturali diſpoſitione, quæ malè afficit potentiam ad agendum, vt patebit in diffinitione morbi.

Ad 2. reſpondetur: Quòd Ariſtotel. non ſolùm ponit in prædicamento relationis relationes prædicamentales, ſed etiam tranſcendentales, vt habitum, & ſcientiam, diſpoſitiones, & alias huiuſmodi.

Ad 3. reſpondetur: Quòd omnis morbus connotat improportionem, in recto tamen non dicit niſi præternaturalem diſpoſitionem malè afficientem potentiam ad agendum.

Resolvtio III.

Vtrùm morbus diuagetur per omnia prædicamenta?

§. I.

Fabij Pacij & aliorum refertur opinio.

FAbius Pacius adhærens Auerroï, Gentili, Fernelio, & aliis parti adhæret affirmatiuæ.

Primò, quia pertinentia ad diuerſa prædicamenta veram morbi rationem obtinent. Galenus enim *lib. de differ. morb.* ſextum digitum, & vnguem in oculo, quæ ſunt ſubſtantiæ, ponit ſub morbis in compoſitione viriata, morbos in numero adaucto, & diminuto, in quantitate diminuta, & adaucta, qui ſunt ſub quantitate, inter eoſdem refert morbos, ſub morbis in intemperie febres, & reliquarum qualitatum reponit exceſſus, ſub vitiata figura alios ſuperaddit morbos, ſub diſpoſitione *libr. 1. de different. ſymptomatum* conſtituit morbum; & ſimiliter Ariſt. *lib. prædicamentorum cap. de qualitate*: ergo morbus diuagatur per plura prædicamenta.

Reſpondetur: Quòd auctores cum Galen. communiter recipiunt plures res diuagantes per plura prædicamenta ſub morbo contineri, quia morbus abſtrahit à morbo pro formali, & pro materiali: & morbus pro materiali ſaltem diuagatur per plura prædicamenta.

Contra: morbus pro materiali eſt, ex quo reſultat morbus pro formali; ſed quantitates, & ſubſtantiæ, quæ ſub morbo ponuntur à Galen. non poſſunt eſſe cauſa morbi formaliter ſumpti, cùm non ſint entitates ſe ipſis operatiuæ: ergo morbus formaliter ſumptus diuagatur per illa prædicamenta.

Secundò: Probatur ratione deſumpta ex Gentili: lapis in veſica cùm ſeipſo lædat operationes, eſt formaliter morbus: ſed lapis in veſica eſt ſubſtantia: ergo morbus ponitur ſub prædicamento ſubſtantiæ.

Tertiò: Quantitas vt quantitas nunquam poteſt eſſe qualitas, ſicut nec ſitus: ſed huiuſmodi entitates ſunt morbi: ergo præter diſpoſitionem ſunt alij morbi per reliqua prædicamenta.

Quartò: cauſa morbi, & illius ſymptoma diuagantur per plura prædicamenta: ergo cum ſit morbus in eodem genere cum illis, debet per eadem diuagari prædicamenta.

§. II.

Montani, Mercati, & Claſsicorum opinio præfertur.

REſoluendum 1. morbus formaliter ſumptus eſt in prædicamento qualitatis ſub diſpoſitione: ſic tenet Ioannes Baptiſta Montanus *in fen. 1. lib. 1. Auicennæ lect. 1.* Varandæus *part. 2. patholog. cap. 1.* Mercatus *lib. 3. de morbis, artic. 1. concluſ. 1.* Zacutus *in repetitione cap. 1. de differ ſymptomat. dub. 1.* Roſellus *in lib. de diff. morb. q. 8 concluſ. 3.* Duncanus *lib. 2. pathol. cap. 1.* & eſt communis.

Probatur 1. ex Galeni doctrina, loquit enim *libr. de different. morbor. cap. 2. Liquet autem quod ſi diſpoſitionem præter naturam dixeris, cum eo, quod nomine veteris antiquo, idem ſignificabis*: & *lib. 2. method. capit. 3.* dicit, quòd quocumque modo ſe habet, aliquo modo eſt prædictum affectu, id eſt diſpoſitione.

Dices, morbum vocari à Galeno diatheſim, affectum, ſeu diſpoſitionem, non in ea acceptione, qua vtitur Ariſtot. *in cap. de qualitate*, ſcilicet pro qualitate afficiente ſubiectum, hoc, vel illo modo ad operandum: ſed quòd ſumit diſpoſitionem, prout eſt idem, quòd conſtitutio, per quam natura partium, temperamentum, ſtructura immutari poteſt; & in hac acceptione quilibet morbus eſt ſub diſpoſitione, ſiue conſtitutione.

Contra ſtat Gal. *lib. 2. meth. cap. 3.* ex cuius verbis manifeſtè conſtat ſumere affectum pro diſpoſitione de prima ſpecie qualitatis, loquit enim: *ſane alteratur is, qui niger fit; alteratus eſt, qui iam obnigrauit, ſiue, vt ſic dicam, nigrefactus eſt: itaque alteratio generatio eſt qualitatis, aut affectus, aut quomodocumque appellare velis: neque ſi alterationem eſſe diſpoſitionem, vel mutationem eius, quod prius diximus, id pugnat*

cum

nem eo quod dixi alterationem generatiuam eſſe qualitatis, cùm ambo in idem reincidant, &c. Ergo Galenus affectum, ſeu diſpoſitionem pro qualitate ſumit. Probatur 2. Tum ex Ariſt. *lib. de prædicamentis, cap. de qualitate*, vbi ſub diſpoſitione morbum conſtituit; his verbis: *Diſpoſitiones hæ ſunt, quæ faciliter demoueri, aut mutari poſſunt à ſubiecto, vt calor, frigus, morbus*, &c. Tum ex D.Thoma 1.2. *art.* 1. *in corpore*, dicente: *Reſpondeo dicendum quòd ſicut ſupra dictum eſt, duplex eſt habitus, vnus quidem quo inclinatur potentia ad agendum, ſicut ſcientia & virtutes dicuntur habitus, & hoc modo peccatum originale non eſt habitus: alio modo dicitur habitus diſpoſitio alicuius naturæ ex multis compoſitæ ſecundum quam bene ſe habet vel malè ad aliquid, & præcipue cum talis diſpoſitio fuerit quaſi in naturam verſa, vt patet de ægritudine, & ſanitate*: ergo morbus ſicut & ſanitas ſub diſpoſitione ſunt qualitates.

Probatur 3. Morbus formaliter ſumptus non fit motu per ſe, ſed per reſultantiam, tanquam terminus ſecundariò ſubſecutus ad poſitionem aliarum entitatum, *vt diſput.* 1. *de ſanitate*, probauimus, ſed ad plura ex reliquis prædicamentis datur per ſe motus: ergo morbus non poteſt diuagari per illa.

Probatur 4. Intrinſeca, & formalis ratio morbi ſtat in hoc, quòd eſt malè afficere, ſeu modificare ſubiectum pro operationibus, vt ex diffinitione conſtabit: ſed ſic afficere ſubiectum eſt ratio formalis diſpoſitionis, vt conſtabit *reſolutione ſequenti*: Ergo omnis morbus eſt diſpoſitio.

§. III.

Fabij Pacij & aliorum rationes ruunt.

AD primi vltimam partem reſpondetur: Quòd prædictæ entitates dicuntur morbi materialiter, non quia ſunt, à quibus fit morbus formaliter ſumptus, ſed ex quorum entitate reſultat tanquam terminus ſecundarius actionis ad has entitates per ſe primò terminatæ.

Ad 2. reſpondetur: Quòd lapis in veſica eſt cauſa continens occluſionis, & cauſæ continentes ſolent aliquando vocari morbi materiales à Gal. quatenus ex eorum poſitiona, aut ablatione ſubſequitur, aut aufertur neceſſariò morbus: occludit enim, occluſioni ſuperuenit præternaturalis diſpoſitio labefactans operationem in qua ſtat ratio morbi pro formali.

Ad 3. reſpondetur: Quò quantitas vt quantitas, & vt eſt morbus materialiter nunquam poteſt eſſe qualitas; poſſunt tamen ex entitatibus diuerſorum prædicamentorum reſultare præternaturales diſpoſitiones, quæ ſunt formaliter morbus, & ſub diſpoſitione ſemper.

Resolvtio IV.

Vtrùm morbus ſit Affectus præter naturam lædens ſenſibiliter operationes primò & per ſe.

§. I.

Paracelſi, Fernelij, Caſtrenſis, & aliorum notantur diffinitiones.

PAracelſus *lib. Paramiri* morbum conſtituit in diſſolutione ſulfuris, ſalis, & Mercurij à ſeipſis

A rupto fœdere. Fernelius *lib.* 1. *de morb. different. cap.* 1. morbum diffiniuit, Affectum præter naturam corpori inſidentem. Caſtrenſis *lib.* 1 *de meteor. microſ. c.* 9. morbum, Subſtantiam operationum euerſiuam tenet eſſe. Plato, vt Galenus refert *lib.* 5. *de placitis* morbum vocat, Quodcumque vitium naturale, moraléve. Iuriſconſultus morbum contendit eſſe; Habitum cuiuſque corporis contra naturam; quia actionem facit deteriorem ad id, cuius cauſa natura nobis eius corporis ſanitatem dedit.

Sed Paracelſi nouum dogma nullis arridet philoſophiæ principiis, *vt part.* 1. *reſol. diſp.* 1. demonſtrauimus. Fernelius ineptè contendit plura morborum genera complecti ſub hac diffinitione, quàm quæ à B Gal. enumerantur. Caſtrenſis ineptiſſimè omnem ponit morbum, cauſas a morbis non diſtinguens. Plato non vt medicus, ſed vt moralis loquitur philoſophus. Iuriſconſultus magna ex parte Galeno adhæret, à quo deſumpſit doctrinam, non diffiniendi formalitatem; & ideò circa diffinitionem propoſitam in titulo reſolutionis bonitatem contendimus examinare.

Parti negatiuæ fauet Argenterius *lib. de different. morb.* 1. vbi quòd particula *diſpoſitio* dicit qualitatem factam, vt innuit Galen. *lib.* 1. *de differens. morb. cap.* 2. ſed non ſemper conuenit morbo, quòd ſit qualitas facta & permanens; quia vt docet idem Gal. *lib.* 1. *method. cap.* 9. reprehendens Olympicum dicentem morbum eſſe affectum permanentem: etiam C ſi morbus ſit fiens, veram morbi rationem induit: ergo malè diffinitur morbus per hoc quòd ſit Diſpoſitio.

Secundò: omnis diffinitio petit dari per proximum, & immediatum genus: ſed diſpoſitio nullam rem certam deſignat; aliquando enim ſignificat diſpoſitionem de prima ſpecie qualitatis, aliquando Conſtitutionem, quæ ſæpè conuenit omni morbo, ſæpiùs morbo, cauſæ & ſymptomati: ergo non poteſt morbus diffiniri per diſpoſitionem.

Tertiò plerique morbi, vt hectica febris, phthiſis, hydrops, ſunt habitus: ergo non poteſt diffinitio dari per diſpoſitionem, cùm genere differant.

D

§. II.

Morbi diffinitio deducitur ex Galeno.

REſoluendum affirmatiuè. Hanc diffinitionem tenent Auerroës, Fuchſius, Gratiolus, Iulius Alexandrinus; licèt vocem *affectus* aliter interpretentur ac debeant: eam exactiſſimè amplectuntur Valleſius *controuerſ. lib.* 2. Ioannes Baptiſta Montanus *in fen.* 2. 1. *lib.* 1. *Auicennæ, lect.* 1. Duncanus *lib.* 2. *pathologiæ capite* 1. Roſellus, *in lib. de different. morb.* 8. Zamora *in repetit. cap.* 1. *de differ. ſympt.* Mercatus *lib.* 3. *de morbis, art.* 1. Plempius Fontanus *de fundamentis medicinæ*: & tenet communiter Medicorum aſſenſus.

E Probatur ex Gal. *lib. de diff. morb. cap.* 2. vbi intendens docere Conſtitutionem ſumi ab ipſo pro diſpoſitione, inquit: *Liquet autem quòd ſi diſpoſitionem præter naturam cum eo quod nomine veteris antiquo idem ſignificabis.* Et *lib.* 2. *method. c.* 3. ait: *Quidquid aliquo modo ſe habet, aliquo modo eſt præditum affectu, id eſt diſpoſitione*: ex quibus apparet morbum vocare diſpoſitionem.

Admittunt aliqui morbum vocari à Galeno Diatheſim, diſpoſitionem & affectum; ſed dicunt quòd non ſumit diſpoſitionem pro qualitate, quæ afficit ſubiectum; ſicut Ariſt. recepit illam *cap. de quali-*

tate, & contendunt quòd Gal. ſumit Diſpoſitionem pro Conſtitutione, per quam temperies partium ſtructura, aut vnitas valet immutari.

Contra ſtat idem Galen. *lib. 2. methodi, capite 3.* vbi palam conſtat Affectum ſumere pro diſpoſitione, quæ eſt qualitas de prima ſpecie qualitatis, illius hæc ſunt verba: *Sanè alteratur is, qui nigreſit; alteratus eſt qui iam obnigrauit, ſiue vt ſic dicam nigreſactus eſt. Itaque alteratio generatio eſt qualitatis, aut affectus, aut quomodocumque alterare velis; neque ſi alterationem eſſe diſpoſitionem vel mutationem eius quod prius dicas, id pugnet cum eo quod dixi alterationem generationem eſſe qualitatis, cum ambo in idem recidant.* Hæc Galenus. Ex quibus manifeſtè patet ipſum ſumere Affectum pro diſpoſitione quæ eſt qualitas.

Probatur 2. ex Ariſt. *in prædicament. cap. de qualitate,* vbi morbum ponit in prædicamento qualitatis ſub diſpoſitione, dicens: *Diſpoſitiones hæ ſunt, quæ faciliter dimoueri poſſunt à ſubiecto, vt calor, frigus, morbus &c.* ergo morbus eſt qualitas ſub diſpoſitione.

Probatur 3. ex D. Thom. 1. 2. *art. 1. in corpore,* dicente: *Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, duplex eſt habitus: vnus quidem, quo inclinatur potentia ad agendum; ſicut ſcientiæ & virtutes dicuntur habitus, & hoc modo peccatum originale non eſt habitus. Alio modo dicitur habitus, diſpoſitio alicuius naturæ ex multis compoſitæ, ſecundùm quam benè ſe habet vel malè ad aliquid, & præcipue cum talis diſpoſitio fuerit quaſi in naturam verſa, vt patet de ægritudine & ſanitate:* ergo morbus ex D. Thomæ doctrina debet ſub diſpoſitione collocari.

Probatur 4. Contraria debent eſſe ſub eodem genere ex Ariſt. doctrina: ſed, vt ex eodem probauimus, ſanitas eſt ſub prima ſpecie qualitatis, vt patet ex *diſputatione prima de ſanitate:* ergo morbus debet ſub eadem collocari.

Probatur 5. Illud quod eſt de intrinſeca ratione morbi non poteſt in aliquo prædicamento reperiri, præterquam ſub diſpoſitione in prædicamento qualitatis: ergo intrinſeca & eſſentialis ratio morbi debet per diſpoſitionem explicari. Probatur antecedens, de intrinſeca & eſſentiali ratione morbi eſt afficere ſubiectum modificando illud ad malè operandum: ſed ſic afficere ſoli diſpoſitioni conuenit cuius eſt formalis effectus: ergo non poteſt entitas cui hoc competit poni ſub alio prædicamento. Probatur minor, talis modificatio eſt effectus formalis ſolius diſpoſitionis, & non alterius, vt conſtat perſpecta natura reliquorum accidentium: ergo non poteſt niſi ab illa communicari.

Probatur 6. Sanitas & morbus formaliter ſumpta, vt probauimus *diſput. 1. de ſanitate;* non fiunt motu per ſe primò ad illa terminato; ſed comproducuntur ad poſitionem alterius entitatis: ſed habitus figuræ, & diſpoſitionis conuenit ſic fieri: ergo cùm morbus non poſſit eſſe habitus; quia ex natura ſua eſt qualitas facilè mobilis à ſubiecto, nec morbus poſſit conſtitui in figura, reſtat dicendum debere ſub Diſpoſitione poni.

§. III.

Auerroïs, Gentilis, Fernelij, & Fabij Pacij diluuntur fundamenta.

AD 1. reſpondetur; quòd morbus pro formali ſemper eſt qualitas in facto, & permanens: & quòd morbus pro materiali ſemper debet eſſe entitas in facto: ſed dupliciter dicitur qualitas in facto, vno modo prout diſtinguitur contra ſe ipſam prout eſt in fieri; & vt ſic docet Galen. quòd morbus debet eſſe entitas, ſeu qualitas in facto: alio modo in facto dicitur qualitas quæ eſt per modum habitus, & diſtinguitur à ſe ipſa prout eſt in diſpoſitione; & in hoc ſenſu morbum non debere eſſe qualitatem in facto ſemper contendit probare Galen. aduerſus aliquos antiquiores.

Ad 2. patet ex reſolutione ſumi genericam rationem pro prima ſpecie qualitatis, quæ eſt diſpoſitio, prout dicit qualitatem afficientem ſubiectum, & illud modificans ad taliter operandum.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſicut docet D. Thom. 1. 2. *quæſt. 82. art. 1.* agens de peccato originali, quod non eſt verè habitus, id eſt ex natura ſua, ſicut ſcientia; ſed impropriè eſt tantùm ex modo quo inhæret. Similiter dicendum de morbis adductis, quòd non ſunt verè habitus, ſed morbi habituales, quatenus ex modo quo inhærent, ſunt difficilè mobiles, licèt ex natura ſua ſint facilè mobiles à ſubiecto.

Resolvtio V.

Vtrùm particula *præter naturam*, ſit relegandа à morbi diffinitione?

§. I.

Pars affirmatiua fulcitur.

PArs affirmatiua ſuadetur primò ex Ariſtot. *lib. 2. phyſicor. c. 1.* his verbis: *ea ſunt ſecundùm naturam quæ proueniunt à principio intrinſeco paſſo conferente vim:* ſed plures morbi proueniunt à principio intrinſeco, paſſo vim conferente, vt patet de morbis qui producuntur ex præuerſione ſubſtantifici temperamenti, qualis eſt febris hectica: ergo particula *præter naturam* debet relegari à diffinitione morbi.

Secundò: plures morbi ſunt ſecundùm naturam aliquibus naturis: Quartanæ dicuntur melancholicis ſecundùm naturam; Tertianæ bilioſis, & ex Hipp. 5. *aphoriſm.* frigida intemperies eſt naturalis dentibus, neruis, & cerebro: ergo particula *præter naturam* debet relegari à morbi diffinitione.

Tertiò: morbi hæreditarij ſunt naturales ſubiecto, cùm proueniant ex principiis generationis eius: ergo particula *præter naturam* à diffinitione morbi auferenda.

§. II.

Pars præfertur negatiua.

REſoluendum: quòd particula *præter naturam* eſt neceſſariò ponenda in morbi diffinitione. Sic tenet Gal. *lib. de different. morb. in lib. method.* & Auic. *fen. 2. 1. d. 1. c. 1.* & tenet omnium Commentatorum communis aſſenſus.

Probatur 1. Morbus & ſanitas ſunt contraria, vt patet ex *diſp. 1. antecedente;* ſed ſanitas continetur ſub diſpoſitione, ſicut & morbus, tanquam ſub ratione generica: ergo ſicut ſanitas contrahitur per hoc quòd ſit diſpoſitio naturalis, morbus debet contrahi, per hoc quòd ſit diſpoſitio *præter naturam.*

Probatur 2. Omnia ſub genere contenta debent excludi per particulas differentiales: ſed nulla eſt alia differentialis particula, per quam ſanitas, quæ continetur ſub genere, excludatur à morbi ratione niſi particula *præter naturam*, per quam quidquid eſt naturale

naturale vinenti, qualis eſt ſanitas, excluditur: ergo neceſſaria eſt particula *præter naturam*, in morbi diffinitione.

Probatur 3. Intrinſeca morbi ratio completur per hoc quòd ſit diſpoſitio præternaturaliter modificans ſubiectum ad operandum: ſed hoc per nullam aliam particulam, ita commodè poteſt explicari ſicut per particulam *præter naturam*: ergo hæc particula, neceſſariò in morbi diffinitione eſt ponenda.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD 1. reſpondetur: Quòd ex parte principij dicuntur ſecundùm naturam, quæ proueniunt à principio intrinſeco paſſo conferente vim: ea autem ex parte finis poſſunt dici præter naturam, dum ordinantur in aliquem finem præter naturam, vt patet de morbis in argumento adductis.

Ad 2. reſpondetur: Quòd communiter & ab Hipp. aliqui morbi dicuntur ſecundùm naturam aliquibus naturis, non quia ſunt naturales illis, ſed quia ſunt illis naturis proportionati, quatenus propter ſuas intemperies poſſunt faciliter in illos labi.

Ad 3. reſpondetur: Quòd naturale ſumitur tripliciter, Primò, pro eo quòd conſtat natura, de quo Ariſt. *lib. 2. phyſic c. 1.* Secundò, quod in modo quo fit, conuenit cum eis, quæ ſunt nobis ſecundùm naturam; in qua acceptione diximus aliquos morbos eſſe nobis naturales ex parte principij, licèt ex parte finis ſint præternaturales. Tertio modo dicitur naturale illud, quod perficit, vel naturaliter conſtituit corporis conſtitutionem; quam acceptionem adducit Galen. *lib. 6. de placitis Hipp. & Platonis.* Ex his patet, quòd morbi hæreditarij ſunt ſecundùm naturam ex parte principij iuxta ſecundam acceptionem: ſunt tamen præter naturam ex parte finis, deſtruunt enim naturalem corporis conſtitutionem.

Resolutio VI.

Verùm particula, *lædens operationes*, in morbi diffinitione ſit ponenda?

§. I.

Partis negatiuæ proponuntur fundamenta.

PArticulam, *lædens operationes*, in morbi diffinitione non eſſe neceſſariam videtur ſuadere; primò, quòd per particulam, *affectus præter naturam*, ſufficienter explicatur, quòd morbus debeat lædere operationes: ſi enim modificat præternaturaliter ad operandum læſionem inferre operationibus eſt neceſſe: ergo particula, *lædens operationes*, redundat.

Reſpondetur: Quòd diſpoſitio præternaturalis eſt duplex: Alia quæ præternaturaliter diſponit ad eſſe tantum, vt fœdus color, qui non eſt morbus, dum operationes non lædit. Alia eſt quæ diſponit ad eſſe, & operari præter naturam, quæ induit morbi rationem: & ad primam excludendam ponitur particula, *lædens operationes*.

Contrà: operari ſequitur ad eſſe diſpoſitum: ergo præternaturaliter operari ad præternaturaliter eſſe diſpoſitum: ergo eo ipſo quòd corpus ſit præternaturaliter affectum, eſt præternaturaliter diſpoſitũ ad operari.

Secundò: ſi lædere operationes eſſet conſtitutiua morbi ratio, non poſſet dari actio læſa quin daretur diſpoſitio præter naturam læſiua operationum: ſed ſine

A læſiua diſpoſitione operationum datur actio læſa, vt apparet in ventriculo ſi priuetur alimento, vel tribuantur illi lapides, aut acinis repleatur, vbi abolita fit actio ſine præternaturali diſpoſitione læſiua operationum: ergo lædere operationes non eſt ratio formalis morbi.

Tertiò: ſymptomata prouenientia à morbo ſunt exiens mutatum, qualitas mutata, & actio læſa; ſed in morbi diffinitione non ponuntur reliqua accidentia: ergo nec læſio operationum petit poni.

§. II.

Affirmatiua pars ſancitur, & fulcitur auctoritate, & rationibus.

B RESoluendum: quòd lædere operationes eſt ratio formaliter conſtitutiua morbi. Sic ex Galeno & Auicen. deducitur, & tenent omnes Auctores admittentes Galenicam diffinitionem; præcipuè tamen ipſam admittit Galen. *lib. de conſtit. artis medicinæ, lib. de different. morb. lib. 6. method.*

Probatur: diſponere ad actiones eſt genetica ratio ad morbum & ſanitatem; ſed ad ſanitatem contrahitur per hoc, quòd eſt diſponere ad perfectè eliciendas operationes: ergo ad morbum debet contrahi per hoc quòd eſt diſponere ad operationum læſionem: ergo

C particula, *lædens operationes*, debet in morbi diffinitione poni, tanquam ratio differentialis, & conſtitutiua illius.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD primam replicam reſpondetur, quòd operari ſequitur ad eſſe diſpoſitum in ordine ad operari, non tamen ad eſſe diſpoſitum tantùm, & conſequenter operari præternaturaliter, & cum læſione operationum, ſequitur ad eſſe diſpoſitum præternaturaliter ad operandum, non tamen ad eſſe præternaturaliter diſpoſitum.

Ad 2. reſpondetur: Quòd actio duplici de cauſa poteſt aboleri, vno modo ob vitium potentiæ, quæ præ-

D ternaturaliter eſt diſpoſita ad operandum, & tunc actio abolita aut læſa prouenit à morbo. Alio modo propter ineptitudinem paſſi, vt in exemplo in argumento adducto, in quo actio abolita non eſt ſymptoma, hoc enim ſequitur ad morbum; ſed eſt actio abolita ſubſequuta ad impotentiam facultatis circa ſubiectum ineptum pro illius actione.

Ad 3. reſpondetur: Quòd morbus diffinitur per læſam operationem, & non per reliqua accidentia: tum quia reliqua accidentia non ſuperueniunt niſi media operationis læſione; tum quia numquam poteſt dari morbus ſine læſa operatione; benè tamen ſine reliquis ſymptomatibus,

E

Resolutio VII.

Verùm particula, *ſenſibiliter*, ſit neceſſaria in morbi diffinitione.

§. I.

Dubitandi proponuntur fundamenta.

PArs negatiua his valet foueri, primò: Morbus ſub quacumque intentione vtcumque paruus, & inſenſibili morbi rationem induit: ergo particula, *ſenſibiliter*, ſuperflua eſt. Probatur antecedens ex Gal. *lib. 1. de locis affectis*, dicente: *Morbus verò calidus, & frigidus, & ſiccus protinus ab initio cum primum*

corporis temperatura, quæ bonæ valetudini debetur, limites exceſſerit, eandem ſibi naturam habet. Ergo vtcumque paruus & inſenſibilis morbus veram morbi rationem induit.

Reſpondetur, quòd morbus poteſt dupliciter conſiderari, vel phyſicè, vel medicè: phyſicè in quacumque intenſione vtcumque paruus habet veram morbi rationem. Medicè, quia vt inquit Auicen. Medicus eſt Artifex ſenſualis, non dicitur habere morbi rationem, niſi dum ſenſibiliter lædit actiones.

Contrà 1 poſſunt actiones fieri inſenſibiliter læſæ: ergo etiamſi morbus habeat veram morbi rationem, non lædet ſenſibiliter actiones.

Secundò: ſi particula *ſenſibiliter* eſſet neceſſaria, maximè vt excludat à ratione morbi neutram diſpoſitionem, quia inſenſibiliter lædit operationes: ſed neutra diſpoſitio ſenſibiliter medio modo inter naturalem & præternaturalem, diſpoſitionem lædit: ergo neutra diſpoſitio per particulam *ſenſibiliter* non excluditur.

Tertiò: pro ſanitate non eſt neceſſarium, quòd operationes fiant ſenſibiliter ſanæ, ergo pro morbo non eſt neceſſariū, quòd operationes ſint ſenſibiliter læſæ.

§. II.

Communis admittitur & comprobatur doctrina.

Reſoluendum affirmatiuè: ſic ſanciuit Gal. in diffinitione adducta: ſic receperunt quicumque illius admittunt diffinitionem.

Probatur: per particulam *ſenſibiliter* aliquid excluditur à ratione morbi contentum ſub eius genere, quod à nulla alia particula diffinitionis excluditur: ergo particula *ſenſibiliter* ponenda eſt in morbi diffinitione. Probatur antecedens; neutra diſpoſitio continetur ſub ratione generica ſed hæc non excluditur niſi per rationem genericam: ergo aliquid per illam excluditur, quod per nullam aliam excluditur.

§. III.

Soluuntur argumenta.

Ad 1. Reſpondetur pro vltima replica; quòd actiones inſenſibiliter læſæ poſſunt fieri à morbo phyſico; diſpoſitio tamē à qua proueniunt, donec ſenſibiliter fiant læſæ, nondum morbi medicè rationem obtinet.

Ad 2. Reſpondetur: quòd neutra diſpoſitio medio modo elicit actionem inter ſanitatem & morbum; ſcilicet cum aliqua læſione proueniente ab illa, prout morbi phyſici rationem habet; ſed non cum ita ſenſibili læſione, qualis requiritur pro morbo medicè ſumpto.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſanitas eſt diſpoſitio ſenſibiliter ſanas eliciens operationes, ſicut morbus eas elicit ſenſibiliter læſas: dum autem nec ſenſibiliter ſiunt læſæ, nec morboſæ, diſpoſitio, à qua proueniunt, vocatur neutra.

Resolvtio VIII.

Verùm particula *primò & per ſe* ſit neceſſaria in morbi diffinitione.

§. I.

Proponitur & probatur pars negatiua.

Has particulas *primò & per ſe*, quarum altera alteram explicat, nulla neceſſitate fuiſſe in morbi diffinitione à Galen. adductas tenet Argenterius: pro quo ſtat, Primò: Si ad aliquid eſſet neceſſariæ, maximè vt excludant à ratione morbi illius cauſam, quæ eſt diſpoſitio præternaturalis operationes ſenſibiliter lædens: ſed cauſa morbi primò & per ſe valet operationes lædere: ergo non excluditur per has particulas. Probatur minor, ex Gal. qui *lib. 1. de cauſis ſymptom. cap. 5.* docet lædi ventriculi coctionem, vel propter ciborum qualitatem, vel propter ciborum copiam: ſed ciborum copia eſt cauſa morbi: ergo à morbi cauſa prouenit immediatè læſio operationis.

Secundò: ab vno ſymptomate prouenit per ſe primò læſio alterius operationis, vt ex læſa ventriculi chylificatione prouenit læſa iecoris actio humorum productiua: ergo læſio operationum non prouenit à ſolo morbo primò & per ſe.

Tertiò: color viridis in oculo, & linguæ amaritudo ſunt ſymptomata: ſed à colore viridi prouenit immediatè læſio videndi, à linguæ amaritudine prouenit læſio immediatè, ergo lædere primò & per ſe non eſt de eſſentia morbi.

§. II.

Affirmatiua pars præfertur & fulcitur.

Reſoluendum: quòd particula *primò & per ſe*, ponenda eſt in morbi diffinitione. Sic cum Galeno tenent ſui Sectatores.

Probatur 1. ex Gal. *lib. de differen. morb. c. 6.* vbi hanc ſanciuit doctrinam §. *igitur qui non per ſe ipſos, ſed quatenus primo actiones inſtrumento nocent, actionem impediunt, non morbi, ſed morborum cauſæ ſunt &c.*

Probatur 2. Illud quod eſt de eſſentia alicuius rei primò & per ſe illi conuenit: ſed lædere operationes eſt de eſſentia morbi: ergo illi conuenit primò & per ſe.

Probatur 3. Cauſa morbi lædit operationes: ſed per nullam aliam diffinitionis particulam excluditur niſi per iſtam, quia non per ſe primò, ſed medio morbo operationes lædit: ergo ad illam excludendam eſt ponenda particula *primò & per ſe.*

§. III.

Argenterij rationes inualidæ redduntur.

Ad 1. Reſpondetur: quòd læſio coctionis quæ in ventriculo prouenit ex vitio facultatis eſt ſymptoma in actione læſa, & primo & per ſe prouenit à morbo: actio verò abolita coctionis ob copiam materiæ, non dicitur ſymptoma, quia non prouenit à morbo; ſed negatio coctionis quæ prouenit ab ineptitudine illius quantitatis alimenti, reſpectu cuius concoctrix non dicitur habere læſionem, ſed impotentiam.

Ad 2. Reſpondetur: Quod plura ſymptomata mediis aliis poſſunt prouenire à morbo, & ſemper per ſe primò dicunt prouenire ab illo, tum reſpectu cauſæ, tum quia vnum ſymptoma non producitur ab alio, ſed omnia à morbo, licèt vnum medio alio contingat fieri.

Ad 3. Reſpondetur: quòd poſſunt eædem entitates quæ ſunt ſymptomata reſpectu vnius morbi eſſe morborum reſpectu aliorum ſymptomatum: quod idem contingit in caſu argumenti.

SECTIO

SECTIO II.

De morborum differentiis ſecundùm genus.

MORBORVM differentias alias tanquam eſſentiales annumerauit Galenus *lib. de morborum diff.* quatenus indicatiuæ curationes deſumuntur ab illis; alias verò minus communes, quæ his ſuperueniunt, accidentales putauit: huiuſmodi ſunt, ſecundùm quas alij morbi dicuntur ſimplices, alij complicati, dum partes, in quibus inhærent, conſpirant in vnum finem, vt aſthma, & pleuritis, alij ſunt conſequentes, qui momentanea ſucceſſione ſuperueniunt, vt paralyſis ad apoplexiam; alij dicuntur connexi, quorum prior, ſi permanet, cauſa eſt alterius, vt pleuritis febris; alij ſunt diuerſi, qui ſunt in diuerſis partibus, in quibus nec vſus, nec functio eſt eadem. Præterea alij dicuntur legitimi, exquiſiti, ſeu ſynceri, qui ratione ſui, & ratione ſuæ cauſæ vnicam ſeruant naturam, vt tertiana exquiſita; ſic alij ſpurij, qui eam non ſeruant, vt tertiana notha maioris, vel minoris ſuæ; dicuntur alij parui, qui parum diſtant à naturali conſtitutione; alij magni, quibus contrarium accidit, vel à propria eſſentia, vel ratione partis affectæ, vel ob malum morem, aut ſubſequuta accidentia: alij materiales, immateriales alij dicuntur, alij vniuerſales, alij particulares; alij externi, alij interni; alij proportionales, alij improportionales; alij epidemij, qui communem habent cauſam, ratione cuius vniformiter in quaſlibet ætates, ſexus, & temperies graſſantur; alij endemij ſiue regionales, alicui regioni communes ob communem habitantibus cauſam: alij ſporadici, ſiue diſperſi, qui neque ſpeciem eandem ſeruant, nec communem habent cauſam. Dicuntur præterea alij habituales, vt hectica; alij actuales, vt diaria, alij ſalutares, alij lethales, alij ancipites, alij benigni, qui minus ſæuiunt quàm pro ſua natura; alij maligni, qui è contra magis ſæuiunt; alij venenati, alij peſtilentes, qui deleteria agunt vi, communiter vagantur, & contagione ſparguntur; alij contagioſi, quorum ſimiles in alios pertranſeunt; alij acuti ſimpliciter, alij peracuti, alij acuti ex decidentia; alij acuti ex reuerſione, alij remittentes, alij recidiui, alij chronici, alij recentes, de quibus differentiis non diſputabimus, ſed de eis, quibus ſuperueniunt.

RESOLVTIO I.

Vtrùm morbus formaliter ſumptus ſit multiplex ſecundùm ſpeciem?

MEdici omnes vnanimiter fatentur de omni morbo, quòd plures habet ſub ſe generaticas differentias; Nos verò ſeorſim diſputabimus de morbo formaliter ſumpto, ac de ipſo pro materiali; & quòd morbus formaliter ſumptus ſit triplex ſecundùm genus; ſuadet

Primò communiſſima Galeni doctrina, qui *lib. de differentiis morborum* ſanciuit de omni morbo, quòd ſit triplex ſecundùm genus, à quo receperunt omnes ſui Commentatores: ergo morbus pro formali multiplex eſt.

Secundò: morbus formaliter ſumptus reſultat ex morbo pro materiali: ſed de morbo pro materiali omnes admittunt, quod ſaltem eſt triplex ſecundùm genus: ergo triplex debet eſſe morbus pro formali, qui reſultat ex illo.

Tertiò: ſi morbus pro formali eſſet vnus ſecundùm ſpeciem atomam, vnica eſſet indicatio curatiua illius, vnicum remediorum genus, & via: ſed pro ipſo auferendo multiplex ſecundùm genus ſumitur indicatio, multiplex intenditur via, & remediorum multitudo: ergo morbus pro formali eſt multiplex ſecundùm genus.

§. II.

Veriorem ſancimus doctrinam.

REſoluendum: quòd morbus formaliter ſumptus vnus eſt ſecundùm ſpeciem atomam.

Probatur 1. Morbus formaliter ſumptus, & ſanitas formaliter ſumpta ſunt contrariè oppoſita; vt ex Galeno, & Auicenna probauimus *diſputatione prima antecedenti*: ſed ſanitas eſt vna ſecundùm ſpeciem atomam ſumpta formaliter, vt probauimus in *eadem diſputatione*: Ergo morbus pro formali eſt vnus ſecundùm ſpeciem atomam. Conſequentia patet ex Ariſtotele *l. 5. metaph.* docente, quòd *vni vnum eſt contrarium.*

Probatur 2. illa qualitas eſt vna ſecundùm ſpeciem, cuius effectus formalis eſt vnus ſecundùm ſpeciem: ſed effectus formalis morbi formaliter ſumpti, & proue eſt diſpoſitio præternaturalis eſt vnus ſecundùm ſpeciem: ergo morbus formaliter ſumptus eſt vnus ſecundùm ſpeciem. Probatur minor; ſiue præternaturalis diſpoſitio oriatur ex intemperie; ſiue ex mala compoſitione, ſiue ex ſoluta vnitate; ſemper illius formalitas ſtat in hoc, quòd afficiat ſubiectum modificetque potentias ad præternaturaliter operandum: ergo effectus formalis ſemper eſt vnus ſecundùm ſpeciem.

Probatur 3. Nulla eſt differentia aſſignabilis inter morbos formaliter ſumptos, niſi penes hoc, quòd alter altero magis aut minus operationes lædat: ſed magis aut minus intra eundem effectum non variant ſpeciem: ergo morbus formaliter ſumptus non eſt multiplex ſpecie.

§. III.

Rationes pro communi opinione ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur: quòd Galenus *in lib. de different. morb.* tantùm egit de differentiis morborum pro materiali; quia de morbo agit ſecundùm differentias, quæ conducunt ad illius curationem, ad quam conducunt illæ, quæ ſumuntur à morbo pro materiali, ex quarum ablatione aufertur morbus pro formali, qui continenter dependet à morbo pro materiali.

Ad 2. Reſpondetur: quòd licèt morbus pro materiali ſit multiplex, & ex illo reſultet morbus pro formali vnus, quia ex quocumque morbo pro materiali reſultat, ſemper eundem habet communicare effectum formalem; calor enim ſiue ab igne, ſiue à luce, ſiue à forma mixta producatur; ſemper eſt vnus ſecundùm ſpeciem; quia ſemper communicat eundem effectum formalem ſecundùm ſpeciem.

Ad 3. Reſpondetur: quòd à morbo formaliter ſumpto vna eſt curatiua indicatio, ſui ſcilicet ablatio; hæc autem ratione cauſæ à qua dependet, variatur; & fit multiplex; quia in modo tendendi ad cauſarum ablationem multiplex petit eſſe remedium.

Resolvtio II.

Vtrùm morbus pro materiali diuidatur adæquatè in intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem?

§. I.

Fernelij refertur opinio: dubitandi proponuntur rationes.

FErnellus *lib. 2. pathologiæ*, plura contendit ſtabilire morborum genera, quàm quæ à Galeno admittuntur: cuius rationes ſubſequenter examinabimus. Alij verò numerum contendunt imminuere.

B Primò: morbus & ſanitas contrariè opponuntur, vt probauimus, ſunt enim ſub eodem genere, ſcilicet ſub diſpoſitione; mutuò ſe expellunt ab eodem ſubiecto, circa viuens enim idem verſantur; maximè inter ſe diſtant; cùm morbus ſit diſpoſitio præternaturaliter afficiens ſubiectum ad operandum, ſanitas ſit diſpoſitio naturaliter afficiens ſubiectum ad operandum: ſed ſanitas non reſultat niſi ex temperie, compoſitione, & vnitate debitè ſe habentibus: ergo morbus non reſultat niſi ex temperie, mala compoſitione, & ſolutione continuitatis ſimul concurrentibus.

C Secundò: non minùs eſt neceſſaria in noſtro corpore pars, quæ concurrit præſtando vſum, quàm quæ concurrit eliciendo actionem: ſed ex tribus generibus annumeratis morborum reſultat morbus pro formali, à quo læduntur actiones ob vitium partis elicientis actionem: ergo aliud morbi genus debet reſultare ex vitio partis præſtantis vſum.

Tertiò: durities, mollities, & aliæ ſecundæ, tertiæ, aut quartæ qualitates excedentes, ſunt morbi non ſolutæ vnitatis, nec malæ compoſitionis, cùm nec vnitatem, nec compoſitionem inuertant, non intemperiei, cùm ſecunda à primis tantùm proueniat qualitatibus: ergo eſt aliud morbi genus.

D Quartò: ſolutio continuitatis, intemperies, & mala compoſitio ſimul ſumptæ ſunt morbus, & lædunt operationes, licèt quilibet ſeorſim non valeret illas lædere: ergo ſimul ſumptæ conſtituunt quartum genus morbi diſtinctum à tribus enumeratis ſeorſim ſumptis.

Quintò habitus, & diſpoſitio, morbus acutus, & chronicus, & aliæ innumeræ differentiæ ſunt morbi ſub nullo ex annumeratis contentæ: ergo aliæ differentiæ ſunt ſuperaddendæ.

§. II.

Galeni & Auicennæ doctrina Auctorum aſſenſu, & rationibus fulcitur.

REſoluendum affirmatiuè: ſic docet Galenus *lib. de different. morborum*. Auicenna *fen. 2. 1. doctrina 1.* E hos ſequuntur Valles, *lib. 5. controuerſiarum c. 2.* Mercatus *lib. 3. de morbis art. 2. concluſ. 1.* Heurnius *inſtitut. medicinal lib. 6. c. 2.* Santa-Cruz *lib. 1. de morbo & ſymptomate, c. 4.* Roſelius *lib. de different. morborum*, Valleriola *lib. 3. de locis communibus, c. 2.* Iulius Alexandrinus *in annotationibus ad libros de different. morborum*. Leonardus Fuchſius *inſtit. medicinal. lib. 3. ſect. 1. c. 4.* Sennertus *lib. 2. inſtit. p. 1. c. 2.* Varandæus *lib. pathologiæ vniuerſalis c. 6.* Comes Montanus *lib. de differ. morbor.* Gentilis, Iacobus, & reliqui Auicennæ commentatores *fen. 2. 1. diſp. 1.* & eſt communis apud omnes Interpretes agentes de morbo pro materiali.

A Ratio deſumitur à Galeno *lib. de different. morb. c. 2.* Tot ſunt genera morborum pro materiali, quot ſunt in corpore noſtro adintegrantia illius naturalem conſtitutionem, cùm ex cuiuſlibet illorum vitio valeat morbus reſultare formaliter ſumptus; ſed tria adintegrant corporis noſtri naturalem conſtitutionem: ergo triplex morbi genus pro materiali valet reperiri. Probatur minor, naturalis conſtitutio debet adintegrare vnum corpus, vt viuens: ſed corpus vt vnum ſit, continuitatem requirit: vt viuens, petit fieri tum ex partibus organicis pro quibus requiritur debita compoſitio, tum ex ſimilaribus componentibus illas, pro quibus requiritur debita temperies: ergo ad noſtri corporis conſtitutionem debitam tria requiruntur, vnitas, compoſitio, & temperies.

B Probatur 2. Tot ſunt genera morborum, ſeu ſpecies ſubalternæ ſub morbo, quot ſufficiunt vt omnes inferiores ſpecies contineantur ſub illis: ſed ſub tribus annumeratis continentur omnes inferiores differentiæ, vt ex infrà dicendis conſtabit: ergo triplex genus morborum iam annumeratum eſt admittendum.

Probatur 3. Morbus pro materiali eſt entitas ex cuius poſitione reſultat morbus pro formali: ſed morbus formaliter ſumptus reſultat neceſſariò vel ex vitiata intemperie partium ſimilarium, vel ex mala compoſitione organicarum, vel ex ſoluta ambarum vnitate: ergo triplex morbi genus pro materiali debet admitti.

§. III.

C *Ex communi doctrina ſoluuntur rationes dubitandi.*

AD 1. Reſpondetur: quòd ſanitas cùm ſit perfectio viuentis, eſt de genere boni, & cùm bonum proueniat ex integra cauſa, ſanitas non reſultat niſi ex temperie, compoſitione, & vnitate debitis. Morbus verò eſt de genere mali, eſt enim diſpoſitio malè ac præternaturaliter afficiens ſubiectum; & ideò ex quocumque defectu prouenit.

D Ad 2. Reſpondetur; quòd ex doctrina Galeni *lib. 4. de vſu partium, & lib. de different. morborum c. 2.* in parte organica vnica eſt particula, quæ actionem elicit, & plures, quæ præſtant vſum pro tali actione, omnes tamen illæ diſponuntur per ſanitatem, vt debitè; per morbum, vt indebitè ad operationem concurrant: & diſpoſitio præternaturalis reſultat ex vitiata temperie, compoſitione, aut vnitate, in quacumque illarum.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſicut debita temperies adintegratur ex debita proportione primarum, ſecundarum, & reliquarum qualitatum; ſimiliter morbus reſultat ex intemperie cuiuſuis qualitatis primæ, ſecundæ, vel alterius cuiuſuis.

Ad 4. Reſpondetur: Quòd cùm morbus reſultet ex quocumque defectu, ſi quilibet eſt ita paruus vt non poſſit ex illo reſultare, cùm neuter illorum ex vnione cum reliquis fiat maior; nec ab omnibus ſimul reſultabit morbus.

E Ad 5. Reſpondetur: Quòd ſub tribus generibus morborum comprehenduntur omnes differentiæ eſſentiales dictæ; reliquæ verò de quibus in argumento, & aliæ quamplurimæ ſunt accidentales, quæ his accidunt, de quibus non agimus ſub hac diſputatione.

Resolvtio III.

Vtrùm detur morbus formæ alius ab enumeratis genere?

§. I.

Argenterij, & Fernelij refertur opinio.

ARgenterius *in lib. de different. morborum, c. 4.* Fernelius *lib. 1. pathologiæ c. 9. lib. 2. de abditis rerum cauſis,* morbos formæ, quartum morbi genus conſtituere contendunt: quod Fernelius reducere contendit ad morbos in intemperie. Pro quibus ſtat, Primò: Quodlibet morborum genus reſultat ex improportione alicuius entitatis concurrentis ad conſtitutionem noſtri corporis, & ideò ex intemperie, mala compoſitione, aut ſoluta vnitate reſultat morbus: ſed præter tria aſſignata pro viuentis conformatione requiritur etiam forma ſubſtantialis ad eius conſtitutionem: ergo ex poſitione alicuius corrumpentis ipſam, reſultabit morbus, & huiuſmodi fundamentum dicetur morbus formæ, eritque ab aliis aliud.

Secundò: Galenus *lib. artis medicinalis, cap. 85. & lib. 2. de natura humana, comm. 2. & lib. de ſimpl. medicamen. facult.* diſtinguit à qualitatibus manifeſtis, quæ nos alterare valent, alios morbos in intemperie, qui ſine qualitatum alterantium interuentu formam valent corrumpere, quales ſunt deleteriæ, & alexipharmacæ qualitates: ergo huiuſmodi morbi, quatenus reductiuè ſunt ſub morbis partium ſimilarium, genere ab intemperie differunt.

Tertiò: ideò calor præternaturalis eſt morbus in intemperie, quia pugnat cum debita temperie, & illam corrumpit: ſed ſimiliter forma ſubſtantialis venenoſi animalis pugnat cum forma ſubſtantiali hominis, & illam corrumpit, vt experientia comprobat: ergo erit morbus formæ genere diſtinctus à tribus enumeratis.

§. II.

Roſelli, Sanctæ-Crucis, Varandæi, & aliorum præfertur opinio.

REſoluendum: Morbos formæ dictos non reduci ad morbos in intemperie, ſed propriè ſub illis contineri: ſic tenet Roſellus in *lib. Gal. de morb. & ſymptomat. q. 32.* Santa-Cruz *in libros de different. morborum c. 4.* Angelucius *lib. 1. de arte medica c. 2.* Duncanus *lib. 2. pathologiæ c. 1.* Valleriola *lib. 2. de locis comm. c. 2.* Sennertus *inſtit. tom. 1. lib. 2. p. 1. cap. 2.* Plempius Fortunatus *lib. 4. de fundament. Medicinæ c. 3.* Mercatus *tom. 1. lib. 3. claſſ. 1. q. 174.* Varandæus *lib. pathologiæ cap. 6.* Heurnius *inſtit. lib. 6. c. 2.*

Probatur 1. Si morbus formæ eſſet genere alius à tribus receptis ex Galeni doctrina, ipſe actiones læderet, manente debita vnitate, compoſitione, & temperie: ſed his manentibus cum debita proportione reſultat ſanitas perfecta, vt latè *diſp. 1.* probauimus, cum qua debitè eliciuntur operationes: ergo non datur formæ morbus alius ab enumeratis genere.

Probatur 2. Morbo exiſtente, eſt pugna & contrarietas expellens, aut corrumpens debitam conſtitutionem, cui talis morbus opponitur: ſed debita vnitate, compoſitione, & temperie manentibus, nulla eſt pugna nec contrarietas: ergo nullus eſt morbus. Probatur: omnia ſunt ſecundùm debitam partium conſtitutionem: ergo nulla eſt pugna.

A Dices; quòd morbus formæ, licèt non pugnet, nec contrarietur temperiei, vnitati, aut partium compoſitioni; contrariatur tamen formæ ſubſtantiali, & cum illa pugnat, illamque corrumpit, atque expellit.

Contrà: forma viuentis eſt ſubſtantia; ergo nullus eſt morbus illi contrarius, & illius corruptiuus. Probatur conſequentia: huiuſmodi morbus, vel eſſet ſubſtantia, vel eſſet accidens: ſi ſubſtantia, non eſt morbus, quia hic debet eſſe diſpoſitio, & ponitur ſub qualitate in prædicamento: ſi accidens, non poſſet eſſe contrarius formæ ſubſtantiali, cui cum ſubſtantia nullum eſt contrarium: ergo nullum genus morbi, à tribus enumeratis diſtinctum datur.

Probatur 3. Nulla entitas poteſt aſſignari, quæ B dicatur morbus formæ diſtinctus à tribus enumeratis: ergo Fernelij opinio ruit. Probatur antecedens, talis entitas vel eſt præternaturalis diſpoſitio formæ, & tunc erit morbus in intemperie: vel eſt ipſa forma viuentis, & hæc non; aliàs idem eſſet ſibi contrarium, & corruptiuum: vel eſt forma alia ſubſtantialis viuenti contraria, & hoc non; quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, nec ſubſtantia contrariatur alicui; vel eſt qualitas occulta dicta à tota ſubſtantia, & hæc morbum in intemperie proprium conſtituit: ergo nulla eſt entitas conſtituens morbum formæ aliud ab enumeratis.

§. III.

C *Fernelij, & Argenterij fundamenta ſoluuntur.*

AD 1. Reſpondetur: Quòd duplex conſtitutio repetitur in viuente, alia ex materia, & forma coaleſcit, ex quibus conflatur eſſe: alia ex temperie, vnitate, & continuitate concreſcit, ex quibus debitè conſtitutis reſultat ſanitas: ex quolibet eorum improportionatis reſultat morbus: & ſicut ex his debitè, aut indebitè conſtitutis inſurgit ſanitas, aut morbus; ſimiliter ex illis eſſe, aut non eſſe viuentis ſequitur, cui accidit morbus aut ſanitas.

Ad 2. Reſpondetur: quòd qualitates occultæ de- D leteriæ alexipharmacæ, quæ dicuntur à tota ſubſtantia, vel formæ qualitates, ſunt veræ qualitates; & morbi formæ dicuntur à Galeno, non quia morbum diſtinctum conſtituant à morbis in intemperie, ſed quia ſunt qualitates non ortæ ex primarum interuentu, ſed tamquam formæ proprietates.

Ad tertium Reſpondetur, quòd forma ſubſtantialis venenoſi animalis pugnat cum forma ſubſtantiali hominis, & illam corrumpit; non ſicut calor cum frigiditate illam corrumpens vt contrarium: ſed pugnat media occultâ quadam qualitate, quæ oritur à tali forma, & in genere cauſæ æquiuocæ, operando, aliquando corrumpit debitam temperiem, aliquando debitam vnitatem, aliquando compoſitionem, & E inde prouenit præternaturalis diſpoſitio à qua læduntur operationes.

Resolvtio IV.

Vtrùm detur morbus materiæ, diſtinctus genere à tribus enumeratis.

§. I.

Fernelij & Gardinij proponuntur opiniones.

GArdinius ſubſcribens Fernelio morbum materiæ admittit diuerſum conſtituentem morbi genus

genus à tribus enumeratis; eiuſdem fultus ſequentibus fundamentis.

Primò: non minus materia conducit ad viuentis debitam conſtitutionem, quam temperies, vnitas, & compoſitio ergo non minus reſultabit morbus ex eius vitio quàm ex vitio reliquorum.

Secundò: ſunt aliquæ qualitates materiæ debitæ, ex quarum improportionata temperie conſurgit morbus: ergo admittendum eſt morborum materiæ genus ab aliis diſtinctum. Probatur antecedens ex doctrina Galeni *lib. 2. de cauſis ſymptomat. cap. 5. & 7. & lib. 2. ad Glauconem, cap. 2.* vbi docet, quòd ex raritate in ventriculo facilius ſubſequitur ex acribus, & acidis doloroſum ſymptoma: ergo quia ex illa intemperie reſultat morbus.

Dices: quòd ex illis qualitatibus improportionatis reſultat morbus pro formali, tamquam ex morbo in intemperie, qui ſub tribus annumeratis reperitur.

Contrà: morbus in intemperie non dicitur, niſi ille, qui fit ex primis qualitatibus intemperatis: ſed illæ non ſunt primæ qualitates: ergo ex illis non fit morbus in intemperie. Probatur maior ex Galeno *in lib. de different. morb.* vbi morbos in intemperie vocat, Morbos partium ſimilarium: ſed parti ſimilari vt tali cùm ſit ea, quæ ex elementis fit, ſolùm cōpetit primarum qualitatum temperies: ergo morbus ex intemperie ſolùm dicitur ille qui ex primis fit qualitatibus.

Tertiò: mollities, & durities, craſſitudo & tenuitas, dum debitè proportionantur diſponunt pro actionibus rectè eliciendis; dum excedunt, vitiant actiones, quatenus materiei improportionem coadiuuant, ineptámque illius molem pro actionibus reddunt: ergo ſunt materiæ morbi dum improportionatæ redduntur.

Quartò: aſperum, & lene varias materiei diſpoſitiones ponunt, ſecundùm quas improportionata redduntur organa pro ſuis eliciendis operationibus, ex Galen. *lib. de different. morborum, cap. 8.* ergo morbi materiæ ſiunt ex illis ab enumeratis diuerſi.

§. II.

Galeni ſectatorum præfertur opinio.

RESoluendum negatiuè: ſic ſanciuit Galenus *lib. de different. morbor.* Et amplectuntur omnes Auctores *reſolutione antecedenti* citati, reliquique Galeni ſectatores.

Probatur 1. Morbus materiæ deberet ſic dici, quia ex illo reſultat præternaturalis diſpoſitio lædens materiæ operationes: ſed nullæ ſunt materiæ operationes, cùm nuda ſit potentia nullam includens vim agendi, nec actualitatem: ergo nulla eſt entitas, quæ morbus materiæ valeat dici.

Secundò: ſi darentur morbi materiæ, maximè quia eſſent eius corruptiui, ſicut reliqui ſunt corruptiui conſtitutionis debitæ viuentis: ſed materia prima eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo materiæ nulli ſunt morbi.

Probatur 3. Si qualitates ſecundæ aut tertiæ deberent dici morbi materiæ, maximè quia, ſicut primæ qualitates dicuntur morbi formæ, reliquæ debent dici morbi materiæ: ſed hæc ratio non conuincit: ergo non dicuntur materiæ morbi, nec diſpoſitiones. Probatur minor, hæ qualitates ſi eſſent materiæ diſpoſitiones, vel eſſent diſpoſitiones conſeruatiuæ, & hoc non; quia materia conſeruatur per diſpoſitiones conſeruatiuas formæ, & compoſiti: vel eſſent diſpoſitiones ad operandum, & hoc non, quia materia nullam habet propriam operationem diſtinctam ab operationibus compoſiti: ergo nulla eſt ratio quare prædictæ qualitates dicantur materiæ diſpoſitiones.

§. III.

Fernelij & Gardinij ruunt fundamenta: & Galeni doctrina corroboratur.

AD 1. reſpondetur: Quòd non minus conducit materia ad viuentis debitam conſtitutionem entitatiuam, quàm conducunt temperies, compoſitio, & vnitas ad conſtitutionem conſeruatiuam, non tamen ab ea ſequitur morbus, aut ſanitas formaliter; quia hæ diſpoſitiones ſequuntur ex hac vel illa diſpoſitione conſeruatiua, non verò entitatiua.

Ad 2. reſpondetur: Quòd pars mixta mixtam exigit diſpoſitionem primarum qualitatum, interuentu quarum ſecundæ, & tertiæ qualitates ſequuntur ex quibus in ſuo genere mixta etiam ſequitur diſpoſitio, & temperies.

Ad 3. reſpondetur: Quòd durities, mollities, craſſitudo, & tenuitas prout ſunt ſecundæ qualitates ſi excedant, & fiant intemperatæ, ita vt reſultet ex illis præternaturalis diſpoſitio, eſt morbus in intemperie.

Ad 4. reſpondetur: Quòd in aſpero & leni eſt duplex entitas: alia ipſæ qualitates, & iſtæ intemperatæ ſunt morbus in intemperie: alia eſt effectus proueniens ab illis, prout ſunt qualitates loco-motiuæ ponentes diuerſam partium poſitionem in ſuperficie, & tunc ſi ex tali poſitione partium ſequitur præternaturalis diſpoſitio, dicetur morbus in compoſitione, vt cum Galeno infra dicendum.

RESOLVTIO V.

Vtrùm morbus à tota ſubſtantia ſit diuerſi generis.

§. I.

Fernelij placitum proponitur.

FErnelius *lib. 2. de abditis rerum cauſis, cap. 9.* intendit dari morbos à tota ſubſtantia, ipſóſque ſub nullo conſtitui genere ex tribus annumeratis; eóſque iudicat ſic dicendos, quia ſubſtantiam corrumpunt, parum læſo temperamento: & eos eſſe in duplici differentia, vnum genus eſt ſimplex corruptio, ſeu extinctio calidi innati: Aliud eſt putredo ſeu diſſolutio ſubſtantiæ partium, vt Gangrena, Sphacelo, Phthiſique contingit: pro cuius placito ſtat,

Primò: Aër peſtilens, vipera, & quæcumque alia venifica animalia corrumpunt viuens, illius vitiando actiones (quod morbo eſt intrinſecum:) ſed lædunt manente debita compoſitione, vnitate, & temperies ergo conſtituunt diuerſum morbi genus.

Secundò: Curatio, quæ contrariis perficitur, fit plerumque per medicamenta alexipharmaca, quæ nulli morborum generi ex tribus annumeratis opponuntur: ergo datur aliud genus morbi cui opponitur ab eis diſtinctum.

Tertiò: Morbos à tota ſubſtantia, v.g. qualitas peſtilens, deleteria, & venenoſa, non vitiat debitam elementorum temperiem, cùm illi non opponatur; nec continuitatem ſoluit, nec compoſitionem vitiat, cùm ſit qualitas nullam in ea agendi virtutem obtinens: Ergo morbi genus aliud conſtituit ab enumeratis.

§. II.

Communis amplectitur opinio.

RESoluendum: Quòd morbus à tota ſubſtantia dictus ad aliquem ea annumeratis debet reduci: ſic communis Medicorum aſſenſus tenet contra Fernelium.

Probatur 1. morbus à tota ſubſtantia ex Fernello eſt morbus corrumpens naturam & ſubſtantiam partis ſimilaris: ſed partis ſimilaris ſubſtantia non poteſt corrumpi niſi per ſolutionem continui, vel intemperiē: ergo morbus à tota ſubſtantia debet conſtitui ſub aliquo illorum. Probatur minor, ſubſtantia partis ſimilaris ex Galeno tantùm exigit debitam vnionem, & B temperiem ſibi connaturalem: ergo tantùm poteſt corrumpi per ſolutionem continui, aut per intemperiem.

Confirmatur: debita ſanitate exiſtente non poteſt ſubſtantia corrumpi; ſed cum debita vnitate, temperie, & compoſitione ſtat perfecta ſanitas; vt patet *ex diſp.* 5. ergo nullus poteſt ſuperaddi morbus corrumpens ſubſtantiam.

Probatur 2. Si aliquis daretur morbus genere diſtinctus ab eis, qui enumerantur à Galeno, maximè ſpirituum corruptio, vt admittit Fernelius: ſed ſpirituum corruptio non eſt morbus, cùm morbus debeat eſſe paſſio viuentis, & ſpiritus non viuant: ergo huiuſmodi morbus non eſt admittendus.

Dices: quòd Fernelius non loquitur de corruptione C ſpirituum animalium, aut vitalium, hæc enim tantùm eſt cauſa morbi; ſed de corruptione ſpiritus implantati, ſeu calidi innati, quod viuens eſt; & conſequenter eius corruptio, ſeu præternaturalis affectio eſt morbus.

Contrà: vel per corruptionem calidi innati intelligit Fernelius actionem alteratiuam caloris deuincentis; & hæc eſt morbus in intemperie, vel intelligit partium ſeparationem; & hæc eſt morbus in ſoluta vnitate: vel intelligit ſeparationem totalem partium: quæ corrumpuntur, & tunc pars quæ remanet, morbum patitur in mala compoſitione: ergo corruptio calidi innati, quâ viuentis ſubſtantia corrumpitur, D ſub aliquo ea morbis à Galeno enumeratis debet poni.

Dices: Fernelium reſpectu ſpirituum vocare morbum à tota ſubſtantia non illorum corruptionem, ſed extinctionem, quæ poteſt ſine corruptione fieri.

Contrà: extinctio calidi innati vel prouenit ſicut in lucerna ab impediente aut ſuffocante flammam igneam partis alicuius: vel ab aliquo agente frigido ſua nimia frigiditate corrumpente naturalem calorem: ſed non prouenit à cauſa ſuffocante, quia in corpore nec actu eſt ignis, nec flamma: nec pars viuens habet illum motum ſurſum, qui reperitur in igne, ratione cuius poſſit ſuffocari: ſi autem fiat à cauſa frigida corruptio, fit ab intemperie: ergo non ab aliquo morbo ab enumeratis à Galeno diuerſo.

Probatur 3. Si morbus venenoſus v.g. aër peſtilens eſſet genere alius, ab eis, qui enumerantur à Galeno, maximè, vt Fernelius admittit, quia opponitur ſubſtantiæ viuenti: ſed aër peſtilens non poteſt dici morbus, licèt ſit morbi cauſa, nec per ſuam ſubſtantiam poſſet noſtræ ſubſtantiæ opponi, cui nihil eſt contrarium: ergo non datur in aëre peſtilente, per quid dicatur morbus ab enumeratis genere alius.

Dices: quòd aër, quatenus afficitur deleteria qualitate, eſt corruptiuus ſubſtantiæ noſtræ.

Contrà: illa qualitas, qua aër afficitur, eſt accidens illi ſuperueniens, media alteratione viuenti communicabilis: ergo in viuente eſt qualitas in intemperiē ipſum præternaturaliter afficiens.

A

§. III.

Soluuntur argumenta pro Fernelio adducta.

AD 1. diſtinguo minorem: manente debita temperie primarum qualitatum, & earum, quæ ſequuntur ad illam, concedo: manente debita temperiē abſolutè; nego minorem: ſunt enim qualitates ex Galeno *ſimplicium* 11. *cap. de Cancro*; & 5. *ſimplicium cap.* 16. in quadruplici genere. Aliæ dicuntur primæ, B quæ primò ab elementis mixto communicantur, caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas. Aliæ ſecundæ, quæ primarum interuentu oriuntur, vt raritas, & denſitas. Aliæ tertij ſunt generis ad agendum maximè ordinatæ, vt virtus adſtringens, attenuans. Aliæ ſunt quarti generis, quæ dicuntur occultæ, quia non percipiuntur per ſenſum, ſed tantùm relucent per ſuos effectus; & dicuntur à tota ſubſtantia, quia non fiunt interuentu primarum qualitatum, ſed ab ipſa ſubſtantiali forma, vt tali oriuntur tanquam illius proprietates: dicuntur cæleſtes, vel quia creduntur ab aliquibus à cælo produci; vel quia ſunt ſimiles qualitatibus cœleſtibus occultis, mediis quibus influunt aſtra in hæc inferiora; & hæ qualitates, ſi ſunt deleteriæ, etſi viuenti communicatæ nullo ſenſu percipiuntur, illarum C tamen relucent effectus: ideò iudicant aliqui morbum illum communicari à forma ſubſtantiali; cùm reuera fiat ab his occultis qualitatibus, vel quia in genere cauſæ æquiuocæ ſubiectum intemperent, ſoluant continuum, vel vitient compoſitionem, ex quo ab illis prouenit læſio operationum propter reſultantem præternaturalem diſpoſitionem ex vitio ab eis communicato, vel quia modificent primas qualitates; vel quia diſpoſitiuè in ſuo genere malè afficiant: vtcumque tamen remanet vitium; ex quo reſultat præternaturalis diſpoſitio intra aliquod morbi genus ex tribus annumeratis.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd licèt Bezoartica remedia non pugnent cum aliqua intemperie ſenſibili, D pugnant enim intemperie occulta, & ſenſui imperceptibili.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd deleteria qualitas aliquando vitiat debitam temperiem primas qualitates producendo; vt apparet in contagio febris peſtilentis; aliquando modificando, vt apparet in ipſa febre peſtilenti, in qua calor vtcumque appareat temperatus, fit lethalis ob peſtilentis qualitatis occultæ modificationem, qua calorem afficit.

RESOLVTIO VI.

E Vtrùm morbi hæreditarij ſint ſub aliquo genere ex tribus annumeratis?

§. I.

Pars affirmatiua proponitur & fulcitur.

MOrbos hæreditarios dari fatetur Hipp. *lib. de genitura*, *lib. de morbo ſacro*, *lib. de aëre*, & *locis*. Auic. *fen*. 2. 1. *doctrina* 2. c. 18. At verò huiuſmodi morbos diſtinctam habere naturam, ad diuerſumque genus pertinere ab eis, quæ traduntur à Galeno ſuadet,

Primò : morbi hæreditarij diuerſam omninò retinent naturam, ac morbi à Galeno enumerati : ergo ſub diſtincto genere debent collocari. A Probatur antecedens, communicantur à generante in genitum; quod nulli generi morborum ex eis quæ annumerantur à Galeno eſt proprium : ergo habent diſtinctam naturam.

Secundò : morbus hæreditarius eſt qui in genito producitur à parentibus media virtute generatiua per ſe primò intendente ſimilis productionem : ſed nullum genus ex tribus à Galeno enumeratis per ſe primò intentus producitur à generante, aliàs ab omni illo produceremur : ergo morbus hæreditarius genere eſt alius à tribus enumeratis à Galeno.

Tertiò : morbus Gallicus eſt hæreditarius : ſed ſub B nullo ex annumeratis à Galeno poteſt poni : ergo eſt genere alius ab illis.

Dices : quòd eſt ſub intemperie, conſiſtit enim in quadam occulta qualitate iecur primò malè afficiēte.

Contrà : morbus Gallicus eſt hæreditarius genito communicatus media facultate formatrice, ſed facultas formatrix nullam valet producere occultam qualitatem morboſam : ergo illum producit tamquam genus aliud morbi ab intemperie diſtinctum.

§. II.

Sancitur Galenica doctrina.

RESoluendum: quòd morbus hæreditarius dicit accidentalem differentiam superuenientem alicui C generi eorum, quæ à Galeno annumerantur.

Probatur 1. morbus hæreditarius eſt morbus ſimilis alteri, qui ſtetit in progenitoribus, & propter contractum virium in principiis generationis relucet in genito : ergo eiuſdem naturæ debet eſſe in genito, ac in generante; ſed prout in genito, dum non dicitur hæreditarius, eſt ſub aliquo genere ex annumeratis à Galeno : ergo dum genito communicatur, ſub eodem genere eſt.

Probatur 2. morbus hæreditarius ſolùm addit ſupra morbum differentiam accidentalem, per quam denominatur talis, quatenus alius ſimilis præſtitit in parente : ſed differentiæ accidentales, quæ ſuperueniunt D morbis in ſuo eſſe conſtitutis, non extrahunt morbos ab eo genere, ſub quo ex ſua natura petunt conſtitui : ergo morbi hæreditarij non ſunt ſub alio genere ab enumeratis à Galeno.

Probatur 3. morbus hæreditarius, compoſitione, vnitate, & temperie debitè ſe habentibus, reperiri non valet; quia his rectè ſe habentibus reſultat ſanitas : ergo dum ſuperuenit, alicuius ex his naturam retinet.

§. III.

Solutio argumentorum traditur.

AD 1. Reſpondetur : Quòd morbi hæreditarij ſunt eiuſdem ſpeciei cum eis, qui erant in genito, vt in arthritide, phthiſi, lepra, morbo Gallico, & aliis apparet: fiunt autem hæreditarij, dum vitium fit habituale in parentibus, propter quod pars habitualiter debilis, & morboſa ſigillat ſemen ad ſimilem educendam in genito habitualem partium debilitatem, vt in macrocephalis apparet: qui vt Hipp. docet ex faſciarum compreſſione in principio habuerunt capita acuminata, tamen tractu temporis continuata fuit in genitis ſimilis figura.

Ad 2. Reſpondetur : Quòd facultas per ſe intendit perfectam geniti productionem : ſed quia actus actiuorum ſunt circa paſſum bene diſpoſitum; ob A ſemen malè diſpoſitum non attingit finem, quem per ſe intendit.

Ad 3. Reſpondetur : quòd morbi hæreditarij etiam per contagium poſſunt tranſire in genitum, remanet enim in principiis generationis occulta, ac contagioſa qualitas, quæ genito communicata, illius afficit partes, & vitiat actiones.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm in intemperie detur morbus proueniens ab intrinſeco.

§. I.

B *Dubitandi ratio & fundamenta proponuntur.*

MOrbus formaliter ſumptus non habet cauſam per ſe, cùm reſultet ex poſitione alterius; ideò de morbo fundamentaliter ſumpto inquirimus, an poſſit ab aliquo principio intrinſeco prouenire in vno ex tribus generibus morborum; iuxta modum enim productionis morbi pro materiali producitur morbus formaliter ſumptus.

Primò: omnem morbum in intemperie oriri ab intrinſeco probatur : Tum quòd ſine aëre attemperante morboſus eſſet cordis calor in naturali ſtatu reſultans: Tum quod cerebrum à prædominio frigidum natiua temperie indiget influente ſpirituum calore, quo intra C debitam intenſionem coërceatur: ergo quilibet morbus in intemperie ab intrinſeco prouenit.

Secundò : Quòd nec præuerſo temperamento, non poſſit ab intrinſeco reſultare qualitas morboſa videtur conuincere : Quòd anima producit qualitates primas tamquam principium *quo*, generans tamquam principium *quod*, cuius actio per ſe primò tendit in ſubſtantiam geniti, ſecundariò in ea quæ conducunt ad eius conſeruationem.

§. II.

Naturalis temperiei productio qualis ſit, ſancitur.

D RESoluendum : Quòd in prima hominis conformatione producit natura quamlibet partem cum debita temperie pro ſui conſeruatione. Sic ſanciuit Galenus *lib. 11. de vſu partium* c. 2. dicens : *Hippocrates admirans aſſiduè naturam iuſtam nominat, vt quæ, non quod prima ſpecie atque imaginatione apparet : ſed quod viribus, atque imaginatione eſt æquabile, eligat. Quod, vt mihi videtur, diuinæ iuſtitiæ eſt proprium, non modò ſcilicet inuenire, quæ oportet; verum etiam tribuere cuique pro merito, ac dignitate; neque ſuperfluum quidquam; nec mancum efficere, eorum, quæ facere conuenit.*

Probatur 1. natura de poſſibilibus id facit, quod melius eſt : ſed melius eſt vnamquamque partem producere cum ſibi debita & naturali temperie, quàm E quòd illam emendicet à cauſa extrinſeca, & contingenti : ergo naturalis temperies vnicuique tribuitur parti ab intrinſeco.

Probatur 2. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ſed toti compoſito tribuit natura in prima conformatione debitam, & connaturalem temperiem: ergo magis naturalem dedit illam cuilibet parti. Probatur conſequentia, toti tribuit natura connaturalem temperiem propter operationes independenter ab alio extrinſeco: ſed totius operationes ſunt illæ, quæ à partibus fiunt: ergo ipſis partibus tribuit magis proprium, & connaturale principium, quo illā acquirāt in prima

fu

ſui conſeruatione independenter ab alio extrinſeco. A.

Probatur 3. Sua connaturalis temperies eſt cuilibet parti propria paſſio: ergo pars quælibet habet connaturale principium illius productiuum independenter ab extrinſeco. Antecedens patet, cùm ſua conſeruatio ſit illi debita ex vi ſuæ generationis, quia, Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe; præcipue illud, quod eſt ad talis eſſe conſeruationem ſimpliciter neceſſarium.

§. III.

Præternaturalis tēperiei productio diſcernitur.

RESoluendum 2. Quòd præternaturalis temperies poteſt ab intrinſeco produci in partibus noſtri B corporis, ſi præuertatur temperamentum ſubſtantificum earum.

Probatur primò: mixta tota, & cuiuſlibet partis diſpoſitio producitur ab anima, vt forma mixta eſt, quatenus per ſubſtantificum temperamentum connaturale determinatur ad eius productionem: ſed eodem modo determinatur per ſubſtantificum temperamentum præternaturale ad præternaturales diſpoſitiones, ſicut ad naturales per temperamentum ſubſtantificum naturale: ergo ſicut determinata per temperamentum naturale naturales qualitates producit, determinata per præternaturale, & præuerſum ſubſtantificum temperamentum præternaturales qualitates producet C in partibus.

Dices: quòd licèt ex parte ſubſtantifici temperamenti eſſet aptitudo ad determinandam formam pro productione qualitatum, ipſa non valet producere illas niſi in ea intenſione, quæ debetur pro partium conſeruatione.

Contrà: forma mixta in tantum producit qualitates primas, & elementales, in quantum communicat in virtute cum formis elementorum, quas virtualiter eminenter continet: ſed virtualiter eminenter continere aliud eſt continere virtutem ad id producendum, vel ad producendum quidquid illud poſſet producere; aliàs in virtute differrent: ergo forma mixta vt virtualiter continens elementa, ſi determinetur, apta eſt D ad cuiuſlibet qualitatis intenſionem, ſi illam in virtute continet.

Probatur 2. In hectica febre producitur in corde & reliquis partibus à propria forma calor, & ſiccitas, quæ ſunt præternaturales viuenti: ergo ab interno principio. Probatur antecedens, calor hecticus, & ſiccitas ſunt habituales, & quæ ablatā quacumque causā extrinſecā à propria forma conſeruari, & produci valent; & ideo niſi temperamentum præuerſum verſus igneitatem immutetur per alimenta diuerſæ ſubſtantiæ, numquam valet febris curari: ergo quia à forma producitur calor, & ſiccitas habitualis illius.

Probatur 3. In hydrope acquirit iecur frigidam, & humidam temperiem habitualem, quæ nullis valet vinci alterantibus, donec per nouam partium calidarum repoſitionem immutetur modus ſubſtantiæ, ſeu E temperamentum ſubſtantificum frigidum præternaturale: ergo à forma ſubſtantiali fit productio huiuſmodi habitualis temperiei.

Probatur 4. Ita præternaturalis eſt temperies, quæ in vltimo ſenectutis acquiritur, & fit incompatibilis cum vita, ſicut quæcumque alia habitualis, & præternaturalis qualitas: ſed ab anima quatenus ratione ſubſtantifici temperamenti per ætates immutati determinatur, producitur ſiccitas, & frigiditas ætatiua vitæ incompoſſibilis: ergo ſi determinetur anima à præternaturali morboſo temperamento ſubſtantifico, producet præternaturales qualitates, & morboſas.

§. IV.

Dubitandi ſatisfit rationibus.

AD 1. Reſpondetur: Quòd cor connaturale habet ſubſtantificum temperamentum, & ratione illius ab anima pullulat in ſtatu naturali tantùm naturalis calor: indiget tamen cor aëris attemperatione ad remittendum excedentem à ſpiritibus vitalibus calorē communicatum. Cerebrum verò ſimiliter debitam tantùm producit frigiditatem. Spirituum verò calor in eo exiſtentium aëris attracti attemperatur frigiditate, ac excrementorum frigidorum, quibus ſcatet.

Ad 2. Reſpondetur: quòd anima non eſt principium adæquatum productiuum caloris, ſed vt determinata à temperamento ſubſtantifico: & ideò cum illo naturali naturalem calorem, cum illo præternaturali calorem præternaturalem producit; operatur enim ipſa vt mixta, & vt continens virtutem elementorum, quæ cuiuſlibet intenſionis eſt effectiua, & ideo indiget determinante in mixtis, & iuxta illud intenditur, aut remittitur illius actio productiua qualitatum.

Resolutio VIII.

Vtrùm morbus in mala compoſitione ortus ab intrinſeco poſſit dari.

§. I.

Pars negatiua à Santa-Cruz fouetur.

SAnta-Cruz *lib. de morbo & ſymptomate*, morbum in priuatione conſtituit; ipſum tamen pro materiali poſſe ab intrinſeco oriri contendit: de morbo autem in mala compoſitione id tenendum ſuadet.

Probatur: ſi aliqui morbi deberent dici prouenire ab intrinſeco in mala compoſitione, maximè morbi prouenientes ex vi generationis: ſed huiuſmodi morbi D proueniunt ab extrinſeco, fiunt enim à facultate formatrice, quæ eſt virtus generantis: ergo nulli morbi poſſunt ab intrinſeco prouenire in mala cōpoſitione.

§. II.

Præferimus affirmatiuam partem.

REſoluendum: Quòd aliqui morbi in mala compoſitione poſſunt prouenire ab intrinſeco.

Probatur 1. Plures morbi fiunt à facultate formatrice in mala compoſitione: ſed morbi facti, à facultate formatrice ſunt ab intrinſeco: ergo morbi in mala compoſitione poſſunt prouenire ab intrinſeco. Probatur maior ex Galeno *lib. de different. morb. cap. 7.* vbi enumerat plures morbos à facultate formatrice E genitos.

Dices cum Santa-Cruz *lib. 2. de morbo, & ſymptom. controuerſ. 9.* quòd aliud eſt morbos eſſe à natiuitate, id eſt in vtero genitos; aliud quòd proueniant à principio interno: nam producti in vtero à facultate externa ſunt propter vitium in principiis generationis.

Contrà: illud fit ab intrinſeco principio viuentis, quod fit à vitali facultate ipſius viuentis, vt patet in actionibus vitalibus: ſed facultas formatrix exiſtens in genito, corruptis ſanguine, & ſemine, format pterygiū in oculo, ſextum digitum in manu, tuberculum in naribus: ergo ab interno principio fiunt hi morbi.

Dices: quòd illa virtus generatiua eſt generantis, & ſicut viuens non fit à ſe per illam, ita nec morbi.

Contrà: quòd aliqua virtus communicetur à generante alicui, non aufert, quod illud quod fit media tali virtute, ſit ab illo productum, in quo inhæret virtus: ergo cùm hæc virtus ſit in genito, etiam ſi fuerit à generante communicata, erit ab intrinſeco reſpectu geniti. Probatur antecedens, omnes facultates vitales ſunt geniti actiones, etiam ſi virtutes earum elicitiuæ ſint à generante. A

Dices 2. cum Santa-Cruz, quòd vitium illud cauſatur ab extrinſeco, quia ea principiis generationis tribuitur maior copia, aut quantitas materiæ, ea quo prouenit vitium; & quia illa ſunt extrinſeca, ideò dicuntur cauſari ab extrinſeco.

Contrà: actio productiua huius ſubſtantiæ, vtcumque ſit præternaturalis, eſt actio vitalis: ergo fit à B principio vitali, & ab intrinſeco, ſicut quæcumque alia vitalis actio.

Dices: quòd entitas actionis vitiatæ fit à facultate, non verò vitium.

Contrà: terminus ſpecificatiuus actionis vitiatæ, eſt ſubſtantia illa adaucta: ſed tota illa ſubſtantia, vt adaucta, producitur à facultate formatrice, vel augmentatiua: ergo illa actio quoad entitatem, & quoad vitium prouenit ab intrinſeco.

Dices vlterius cum Santa-Cruz, quòd illa facultas non operatur ſecundū debitā diſpoſitionem, ſed vt eſt malè modificata per morbū in parte, in qua inhæret.

Contrà: ex hoc non ſequitur, quòd ille terminus non dicatur prouenire à principio intrinſeco: ergo fit C ab intrinſeco. Probatur antecedens; facultas quintum digitum producens, eadem producit & ſextum v.g. ſed vt producit quintum, ab intrinſeco dicitur actio: ergo ſimiliter vt producens ſextum, ſiue morbus ſuperueniat, ſiue non ſuperueniat.

Probatur 2. reſolutio: ab eodem principio effectiuo prouenit monſtruoſa, aut morboſa partium conformatio, à quo prouenit perfecta: ſed partes dicuntur perfectè productæ ab intrinſeca generantis vi: ergo ſimiliter & reliquæ.

Probatur 3. occluſio meatuum, & excedens eorum dilatatio ſūt morbi ex Gal. *lib. de diff. morb. c. 8.* ſed plerumque à facultate formatrice huiuſmodi proueniūt D morbi ex eodem Gal. ergo fiunt ab intrinſeco.

§. III.

Dubitandi ratio diluitur.

AD argumentum Reſpondetur: Quòd facultas generatiua communicatur ſemini a generante; quod cùm debeat corrumpi in ipſo genito, neceſſe eſt remanere facultatem ipſam formatricem, per quam partes, quæ erant informes & imperfectæ, perficiantur, & deducantur in eam, quæ requiritur, magnitudinem, numerum, & figuram.

E

Resolvtio IX.

Vtrùm morbi in ſoluta vnitate poſſint ab intrinſeco prouenire?

§. I.

Pars affirmatiua ſuadetur.

VIdetur pars affirmatiua probabilior, quia plures ſunt cauitates in noſtro corpore, quæ poſſunt fieri à facultate formatrice maiores, quàm requiruntur pro ſanitate viuentis, vt docet Galenus *lib. de differen. morborum*: ergo ſolutio hæc continuitatis fit ab interno principio.

A

§. II.

Negatiua pars præfertur.

REſoluendum negatiuè: quia morbi in ſoluta vnitate nec reſultant à forma, vt morbi in intemperie; nec fiunt à facultate formatrice, vt contingit in morbis in mala compoſitione: ergo non proueniunt ab intrinſeco.

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

AD argumentum Reſpondetur: quòd morbi in cauitatibus, vt docuit Galen. *lib. de differ. morb.* ſunt morbi in mala compoſitione.

B

Resolvtio X.

Vtrùm morbus petat inhærere ſoli parti viuenti.

§. I.

Rationes dubitandi.

COmplutenſis Garcia *lib. de locis affectis diſp. 37.* partem negatiuam tuetur, contendens quòd ſufficit pro morbo, quòd inſit intra viuens, tametſi nulli viuenti parti inhæreat: pro quo ſtat,

Primò: Si omnis morbus peteret inhærere in parte viuente, maximè quia morbus eſt paſſio viuentis, & C omnis paſſio petit inhærere in ſubiecto, cuius eſt paſſio; ſed morbus non eſt paſſio viuentis, tum quia aliàs cùm paſſio ſequatur ad eſſentiam, non daretur viuens ſine morbo: Tum quia quæcumque paſſio, cùm ſit debita ei, cuius eſt paſſio, ſaltem in ſecundo modo perſeitatis, debet eſſe de illius perfectione; cuius contrarium reperitur in morbo: ergo morbus non petit neceſſariò inhærere in ſubiecto viuente.

Secundò: Lapis in veſica, & vermes, ſunt morbi, vt docet Gal. *lib. de diff. morb. c. 8.* ſed huiuſmodi morbi licèt ſint intra viuens, nulli inhærent parti viuenti, cùm ipſi ſint ſubſtantia, cui debetur eſſe per ſe: ergo aliqui morbi non poſſunt inhærere in parte viuente.

D Dices: quòd Galenus vocat morbos, lapidem in veſica, & alios huiuſmodi; non quia veram morbi obtineant rationem, ſed quia ſunt cauſæ continentes, ex quarum poſitione, aut ablatione ponitur, vel aufertur morbus; & ideò ab illis ſumitur indicatio curatiua, ideóque quoad actum practicum videntur morbi, & ſic tales nominantur à Galeno.

Contrà: Lapis in veſica v.g. veram obtinet rationem morbi: ergo ſunt verè morbi. Probatur antecedens, morbus eſt effectus immediatè, & per ſe primò lædēs operationes: ſed lapis in veſica ſeipſo lædit operationes, impedit enim actionem meiendi, quæcūque morbi formalitate ablata: ergo veram induit morbi rationem.

Tertiò: qualitas deleteria, peſtilens, aut venenoſa eſt E morbus; cùm ratione illius lædantur operationes, & ſuperueniat mors: ſed huiuſmodi qualitates vel inhærent in aëre, vel in venenoſo animali: ergo non omnis morbus inhæret in ſubiecto viuente.

§. II.

Morbi formaliter ſumpti ſancitur ſubiectum.

REſoluendum: Quòd morbus formaliter ſumptus debet neceſſariò inhærere in ſubiecto viuente: ſic Martinez *lib. 2. tr. 1. ſect. 1.*

Probatur 1. morbus formaliter ſumptus eſt diſpoſitio præternaturaliter afficiens, & diſponens ſubiectū

pro

pro elicientia vitalium operationum: ergo io eo ſubiecto debet inhærere, à quo huiuſmodi operationes debent elici: ſed omnes vitales operationes educuntur à viuente: ergo omnis morbus inhæret in vioente.

Probatur 2. Morbus, & ſanitas pro formali ſunt diſpoſitiones contrariè oppoſitæ, & quæ ſe expellunt ab eodem ſubiecto: ſed ſanitas petit inhærere in viuente, de quo tantùm poteſt prædicari, eſt cuius & propria, ac naturalis diſpoſitio: ergo morbus in eodem tantùm valet reperiri.

Probatur 3. morbus ex Galeno eſt paſſio viuentis: ſed paſſio in quocumque modo perſeitatis ſit accidens proprium, debet inhærere in ſubiecto, cui proprium eſt: ergo debet inhærere in viuente ſubiecto.

Probatur 4. Morbus pro formali debet inhærere in ea parte, in qua ſtat morbus pro materiali: ſed morbus pro materiali, vt ſtatim probabimus, eſt ſemper io parte viuente: ergo in ſola illa inhæret morbus pro formali.

§. III.

Morbi pro materiali praſcribit ſubiectum.

RESoluendum 2. Quòd omnis morbus pro materiali debet reperiri in parte viuente.

Probatur 1. Morbus pro materiali eſt vitium quod ſuperuenit naturali conſtitutioni viuentis, vt ex Galeno deduximus: ſed naturalis conſtitutio viuentis in ipſo tantùm viuente reperitur: ergo omnis morbus pro materiali reperitur in ſolo viuente.

Probatur 2. Omnis morbus pro materiali, vel eſt in intemperie, vel in mala compoſitione, vel in ſoluta vnitate: ſed quodlibet ex his petit reperiri io viuente: ergo omnis morbus pro materiali reperitur in ſubiecto viuente. Probatur minor, omnis intemperies ſuperuenit partibus eiſdem viuentis, in quibus corrumpitur naturalis temperies; morbus io ſoluta vnitate prouenit ob deunionem partium ſeruantium in viuente continuitatem, vt omnes partes vnâ informentur animâ; omnis compoſitio eſt debita parti organicæ, quæ viuens pars debet eſſe neceſſariò, & eidem accidit mala compoſitio: ergo omnis morbus pro materiali reperitur in parte, aut ſobiecto vioeore.

§. IV.

Soluuntur argumenta.

AD 1. Reſpondetur: quòd morbus dicitur paſſio viuentis non quarto modo, hæc enim eſſet perfectio ſubiecti proprij; ſed tantùm quatenus eſt accidens proprium quod conuenit in primo modo perſeitatis ſoli homini, ſicut eſſe philoſophum, licèt non omni, & ſemper.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd lapis in veſica eſt cauſa continens, cauſans viæ occluſionem, & lædit actionem meiendi, quatenus ab illa prouenit occluſio viarum, ob quam viæ manent malè conformatæ, & ex hac mala conformatione reſultat præternaturalis diſpoſitio malè afficiens ad operandum, quâ ablatâ pars maneret cum priuatione diſpoſitionis ad operari, & negata ad operari.

Ad 3. Reſpondetur: quòd qualitas deleteria, quæ in animali venenoſo, aut in aëre eſt cauſa morbi venenoſi, aut peſtilentis, communicatur viuenti, & prout in illo inhæret, eſt morbus in intemperie qualitatum à tota ſubſtantia.

A

SECTIO III.

De differentiis morborum partium ſimilarium, ſiue in intemperie.

SIMPLICES ac ſimilares partes, ex quibus & organicæ coaleſcunt, ex elementorum ſiunt miſcella, à quibus propriam nanciſcuntur temperiem cuius corruptioni ſuperuenit intemperies harum partium proprius morbus, quæ in ſimplicem, & compoſitam partitur per ſe primò; & quælibet harum B quatuor nanciſcitur ſpecies, quibus & aliæ ſuperuenient differentiæ accidentales, ſecundum quas aliæ intemperies dicuntur cum affluxu materiæ; aliæ ſine materiæ affluxu; aliæ habituales, aliæ actuales, de quibus procedit tractatio.

RESOLVTIO I.

Verùm detur morbus in intemperie?

§. I.

C *Empedoclis opinio refertur, & fulcitur.*

GAlenus *lib. de different. morb. cap.* 4. in opioione Empedoclis aſſerentis corpora componi ex minimis corpuſculis impartibilibus, docet, & rectè concludit non dari morbos in intemperie; inquit enim Galenus: *At qui ponebant ſimilarium compoſitionem ex minimis corpuſculis ſiue atomis fieri, debuerunt dicere nullum eſſe morbum in intemperie ſimilarium:* ergo probabile eſt non dari morbos in intemperie.

Secundò: ſi daretur intemperies in partibus ſimilaribus morboſa, maximè quia pars ſimilaris ſit ex elementis, ex quorum actione, & reactione ſit morbus in intemperie: ſed ex eodem Empedocle elementa, D cùm non poſſint penetrari, remanent tantùm iuxta poſita, & nullis ſe viribus alterantia, ſed mutua amicitia inter ſe, ne miata diſſoluantur: ergo nulla eſt poſſibilis intemperies.

§. II.

Hipp. Ariſt. Galeni, & communis amplectitur opinio.

REſoloendum, quòd ſont admittendi morbi in intemperie: ſic ſancinit Hipp. *lib. de natura humana à tract.* 9. Ariſt. *lib.* 2. *de ortu & interitu.* Galen. *lib. de different. morb.* & tenet communis Philoſophorum, & Medicorum aſſenſus.

Probant hanc veritatem Hippocrates, Ariſt. & Ga- E lenus, quia ſenſui repugnat Empedoclis opinio, cui apparet corpora alterari, & media qualitatum alteratione, & intemperie corrumpi: ergo non eſt denegandum dari morbos in intemperie.

§. III.

Reſpondetur Empedoclis fundamento.

AD 1. Reſpondetur: Quòd Galenus loquitur in opinione Empedoclis, cuius placitum impugnat.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd corpora ſimplicia coo-ſeruant compoſitionem partium ſimilarium, dum debitam illam temperiem retinent: dum verò ab externis, aut internis cauſis intemperies ſupeeadditur, tunc ab excedeote corruptiua qualitate corrumpuntue.

Resolvtio II.

Vtrùm intemperies partibus ſimilaribus accidat.

§. I.

Pars negatiua aliquibus oppugnatur rationibus.

DVplex eſt quæſiti ſenſus, an ſcilicet iotemperies accidat partibus ſimilaribus, & oon aliee morbus; & ao intemperies accidat pattibus ſimilaribus & non organicis? Vtrumque determinauit Galenus *lib. de different. morb. c. 4. & c. 5.* docens, quòd iotemperies eſt morbus, qui tantùm ſimilaribus partibus poteſt accidere, & proprius, ita vt præter ſolutionem continuitatis non accidat alius eiſdem: ſed hanc doctrinam pro vtraque parte impugnare contendunt plurimi.

Primò: alios etiam morbos illi competere videmt: tum quia morbi in figura, aut forma vitiata, qui a Gal. *lib. de different. morb.* dicuntur morbi in mala compoſitione, cùm ſint qualitates improportionatæ, partium etiam ſimilarium debent dici: tum occluſio pororum impediens ſimilaris partis nutritionem eſt diſtinctus ab intemperie; & morbus partis ſimilaris; tum qualitates ſecundæ, tertiæ, & quartæ ſiuot morbi partium ſimilarium, & tamen non ſunt intemperies, quia hæc tantùm conſiſtit in exceſſu primarum qualitatum; intra quas Galeoos quatuor ſimplices, & quatuor compoſitas differentias intemperiei annumerat tantùm; tum quia ſolutio continuitatis poteſt ſimilaribus accidere partibus, vt docet Galen. *lib. de different. morb. c. 15.* quæ ratio etiam conuincit, vt etiam reliqui morbi ei accidant: ergo intemperies non eſt ita propria partibus ſimilaribus, vt non poſſint ſimul & alij morbi eis accideee.

Secundò: partes ſimilares componunt organicas, non ſolùm præſtando materiam pro illis, ſed vt cum tali modo ſubſtantiæ, vt cum tali temperie, & aliis reqoiſitis pro debita compoſitione: ergo reſultabit io illis temperies ſibi debita, vt componitur ex his, aut illis ſimilaribus, cui poteſt intemperies accidere.

Tertiò: ſi intemperies eſſet morbus proprius partis ſimilaris, vel quia ille taotùm læditeius operationes, vel qoia ille tantùm debitam eius conſtitutionem vitiat: ſed oeque ſimilaris tantùm lædit operationes, cùm à ſola intemperie lædantur cerebri cogooſcitiuæ operationes, quæ ſuot partes organicæ; neque ſolam vitiat ſimilaris partis conſtitutionem, cùm etiam per intemperiem v.g. per tenuitatem, denſitatem, mollitiem, aut raritatem vitietur etiam organi compoſitio: ergo oon minus eſt morbus partium organicarum, quàm partium ſimilarium.

§. II.

Galeni ſancitur doctrina.

REſoluendum: Quòd iotemperies accidit parti ſimilari, ita vt nunquam accidat organicæ, nec morbi partium organicarum poſſint ei accidere. Sic ſanciuit Galeous *lib. de different. morb. cap. 4. & cap. 5.* Auicenna, & reliqui Commentatores, & præcipuè inter moderniores defendunt Roſellus *in lib. de morb. diff.* & Martinez *lib. 2. tract. 1. ſect. 1. q. 9.*

Probatur 1. Pars ſimilaris eſt, quæ homogeneam retinet naturam, ſolámque compoſitiooem retinet ſubſtantiarum elementorum, penes quas mixti rationem obtinet: ſed pars mixta, vt talis, tantùm petit mixtam conſeruare diſpoſitionem: ergo quodcunque vitium illi ſuperueniat, erit morbus in intemperie, qui ſuæ opponitur naturali conſtitutioni.

Probatur 2. Intemperies eius partis eſt morbus, cuius conſtitutionem vitiat: ſed ſolius partis conſtitutionem vitiat ſimilaris: ergo ſolius partis ſimilaris eſt morbus. Probatur minor: illam tantùm conſtitutionem vitiat, quæ eſt cum illa incompoſſibilis: ſed intemperies ſolùm eſt incompoſſibilis cum temperie naturali, quæ tantùm debetur partibus ſimilaribus, & non organicis: ergo tantùm ſimilarium partium conſtitutionem vitiat.

Probatur 3. Morbi partium organicarum ſolum ſuperueniunt propter aliquod vitium, quod ſuperuenit naturali compoſitioni: ſed compoſitio ſoli parti organicæ conuenit, cum ipſa ſola habeat diuerſas partes ſimilares componentes: ergo nullus ex morbis partium organicarum accidit parti ſimilari.

§ III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. Reſpondetur: tum quòd qualitates aliæ ſunt diſpoſitiuæ, quæ afficiunt ſubiectum modificando illud ad eſſe, aut operari: & ex his, quæ ſunt proportionatæ, & connaturales dicuntur temperatæ, ſeu temperamentum; quæ ſunt improportionatæ, ſunt intemperies, ex qua ſequitur morbus, ſeu præternaturalis diſpoſitio partium ſimilarium. Aliæ ſunt qualitates non diſpoſitiuæ, immò quæ potiùs ad conformationem partium deſeruiunt: ex harum exceſſu ſuperuenit morbus in mala compoſitione, vt Gal. docuit *lib. de diff. morb. cap. cit.* Tum quòd caro & reliquæ partes corporis ſimplices poſſunt conſiderari, vel ratione materiæ, vel ratione formæ: ratione materiæ omnes ſunt ſimilares, ideſt noo compoſitæ ex diſſimilaribus, ſicut partes diſſimilares dictæ: alio modo ratione formæ, & ſic licèt non ſint diſſimilares, poſſunt tamen dici organicæ, quatenus, licèt ſint eiuſdem naturæ, petunt pororum apertionem, vt poſſint, prout viuentes ſunt, nutriri, & per aërem ventilari; & ideò occluſio pororum non accidit illis vt ſimilares ſunt, ſed vt organicæ. Tum quòd qualitates diſpoſitiuæ ſeu primæ, ſiue ſecundæ, ſiue tertiæ, ſiue quartæ intemperatæ, ſunt morbus partium ſimilarium tantùm. Tum quòd ſolutio continuitatis vitiat conſtitutionem debitam parti ſimilari, & organicæ, ſcilicet continuitatem: intemperies vitiat conſtitutionem debitam ſoli parti ſimilari, ſcilicet naturalem temperiem.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd temperies ſoli parti mixtæ, vt mixta eſt, conuenit; pars verò organica, vt organica eſt, petit debitam compoſitionem: nulla tamen, vt componatur diſpoſitione indiget, ſed tantùm diſpoſita euadit; quia ſimilares partes, ex quibus componitur, maneot cum debita diſpoſitione.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd ſola intemperies vitiat partis ſimilaris naturalem conſtitutionem, nec vitiat intemperies organi conſtitutionem, ſed temperiem debitam parti ſimilari, à qua debet elici operatio.

Resolvtio III.

An intemperies ſit morbi cauſa, an morbus?

§. I.

Quòd intemperies ſit morbus formaliter, ſuadetur.

INtemperiem eſſe formaliter morbum ſuadet primò: Morbus formaliter eſt diſpoſitio lædens operationes:ſed intemperies,v.g.Calor excedens, eſt diſpoſitio lædens operationes,lædit enim in ventriculo v. g. coctionem alimenti : ergo eſt formaliter morbus.

Dices:quòd calor in genere cauſæ inſtrumentalis, elicit actionem læſam, quia à morbo pro formali reſultante ex illo, modificatur ad male operandum.

Contrà: vſtio alimenti in iecore, aut in ventriculo, illi cauſæ eſt tribuenda, quæ habet vim vrendi: ſed ſolus calor intemperatus habet vim vrendi:ergo calor vt intemperatus eſt, à quo ſolo prouenit vſtio,ſeu læſio operationis circa alimentum.

Secundò : febris eſt formaliter morbus: ſed calor vt intemperatus,eſt febris, vt docet Hipp. *in lib.epidem.* Galenus *lib.meth.medendi. lib.de different. febrium, lib.ad Glauconem.* Auicenna *fen.* 1. 4.& tenent communiter omnes Medici : Ergo intemperies eſt formaliter morbus.

Tertiò:ſi intemperies non eſſet formaliter morbus, maximè quia non eſt diſpoſitio : ſed qualitas quæcumque prima intemperata eſt qualitas diſponens ſubiectum, & præternaturaliter illud afficiens : ergo eſt formaliter morbus.

§. II.

Tenenda pars ſancitur.

REſoluendum: Quòd qualitates intemperatæ ſunt morbus pro materiali, non tamen formaliter; nec cauſa morbi formaliter ſumpti.

Probatur quòd ſint morbus pro materiali. Morbus pro materiali dicitur ille, ex cuius poſitione reſultat morbus formaliter ſumptus : ſed poſita qualitate excedente intemperata, reſultat præternaturalis diſpoſitio læſiua operationum:ergo eſt morbus pro materiali.

Probatur ſecunda pars, quòd non ſit morbus pro formali : Tum quia morbus, vt probauimus ex Ariſt. eſt diſpoſitio;intemperies v.g. calor eſt paſſibilis qualitas. Tum quia ex Ariſt. demonſtrauimus ad morbum formaliter ſumptum non dari per ſe motum; ad intemperatas primas qualitates, v. g.datur motus per ſe : ergo intemperies primarum qualitatum non eſt morbus formaliter.

Probatur 3. quòd intemperies non ſit cauſa morbi formaliter ſumpti. Nihil poteſt eſſe cauſa eius actionis, per quam ipſum producitur : ſed ex vi eiuſdem actionis producitur morbus pro materiali tanquam terminus primarius, ac producitur morbus pro formali tanquam terminus ſecundarius, vt *diſp.* 5. probauimus : ergo intemperies, quæ eſt morbus pro materiali, non poteſt eſſe cauſa morbi pro formali.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD primi replicam reſpondetur, quòd calor,quo vt inſtrumento vtitur facultas concoquens ventriculi,vt calor eſt,eſt potentia, & indifferens ad benè aut malè operandum : modificatur ad benè concoquendum à ſanitate, quæ ex illo vt moderato reſultat : ad indebitè operandum à morbo, qui ex illo intemperato reſultat: & licèt ſolus calor poſſet vrere, quia vſtio eſt actio propria,& præuia illius, vt eſt inſtrumentum concoctricis ; tamen quòd ex alimento producat ſubſtantiam nidoroſam vſtam, hoc non habet vt ſolus calor;ſed vt eſt inſtrumentum concoctricis,à qua prouenit nouæ ſubſtantiæ illius productio, quòd autem actio ſit læſa ,accidit ob præternaturalem diſpoſitionem.

Ad 2. Reſpondetur, quòd calor excedens eſt febris pro materiali : febris verò formaliter eſt præternaturalis diſpoſitio reſultans ex intemperie calida. Auctores diffiniunt febrem pro materiali,à qua deſumitur curatiua indicatio, quatenus ab illa continenter dependet febris formaliter ſumpta.

Ad 3. reſpondetur : quòd quæcumque prima intemperata qualitas eſt potentia,& paſſio,aut paſſibilis qualitas : ex eius tamen poſitione reſultat diſpoſitio afficiens ad operandum : idem enim non poteſt eſſe diſponens, & diſpoſitum. Vel reſpondetur, quòd primæ qualitates ſunt diſpoſitiones ſubiecti ad eſſe, non autem ad operari, ad hoc enim dicuntur diſpoſitiones qualitates reſultantes ex aliarum poſitione, vt deduximus ex Ariſtotele.

Resolvtio IV.

Vtrùm in quavis latitudine contrariorum valeat vna ſimplex intemperies reperiri?

§. I.

Communis proponitur opinio.

COmmunis Medicorum doctrina eſt, quòd ſub qualibet contrarietate datur tantùm vna ſimplex intemperies:pro quorum placito ſtat,tum quòd Galenus *lib. de different. morb.* quatuor ſimplices admittit intemperies ; quod non eſſet poſſibile, ſi in qualibet contrarietate daretur vna in qualitate intenſa, & alia in qualitate remiſſa.Tum quia intenſa exiſtente frigiditate,læſio operationum tantùm prouenit ab illa;non autem à calore remiſſo, quia à proportione maioris inæqualitatis non fit actio. Tum quia cùm quilibet morbus curari petat ſuo contrario, in frigida ventriculi intemperie deberemus vti frigidis remediis pro auferenda remiſſa intemperie, quod eſt contra methodum:ergo admittenda ſimplex intemperies in quavis contrarietate.

§. II.

Intra contrarietatis latitudinem duplicem admittimus intemperiem.

REſoluendum : quòd in latitudine contrariorum, & excedens,& remiſſa qualitas intemperatæ remanent.

Probatur, Morbus in intemperie reſultat ex quacumque improportionata qualitate : ſed ita improportionata eſt qualitas remiſſa,quàm intenſa,cùm proportio conſiſtat in mediocritate:ergo in qualibet cõtrarietate duplex ſimul intemperies prouenire poteſt.

Probatur 2.in ventriculo non minus læditur concoquendi actio à frigiditate intenſa, quàm à calore remiſſo, cùm ab hoc vt tali fiat diminuta actio : ergo poteſt ſub vna qualitatum contrarietate duplex ſimul oriri intemperies.

Probatur 3. ſic ſe habet intemperies pro parte ſimilari, ſicut compoſitio pro organica, cùm adintegrent earum conſtitutionem naturalem: ſed in parte organica prouenit morbus ex diminuta, ſicut ex adaucta quantitate: ergo in ſimilari ex remiſſa ſicut ex intenſa qualitate prouenit intemperies.

§. III.

Reſoluuntur primò adducta fundamenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd cùm intemperies remiſſa ſenſu non percipiatur, non loquitur de illa Galenus, ſed de ea tantùm, quæ ſenſu eſt perceptibilis. Tum quòd, licèt remiſſa qualitas non percipiatur ſenſu, benè tamen percipitur operationum læſio prouueniens ab illa, vt apparet in coctione diminuta, quæ prouenit à remiſſio calore. Tum quòd calor, v.g. eſt contrarius per ſe frigiditati, cui opponitur; per accidens calori remiſſo, vt remiſſus eſt, & ideò per caloris productionem corrumpitur frigiditas, & ratio caloris vt remiſſi aufertur per eius intenſionem: fit enim intenſus à remiſſo calore ad ſeipſum vt intenſum.

Resolvtio V.

Verùm vna ſimplex ſenſibilis intemperies poſſit dari ex affluxu humoris in partem.

§. I.

Ratio dubitandi aperitur ex Auerroë, & Segarra.

NOn loquimur de complicatione intemperiei ſenſibilis cum inſenſibili in eadem contrarietate, de qua *reſolutione antecedenti* egimus; ſed de duplici ſenſibili intemperie in diuerſis contrarietatibus ſuperueniente, an ſemper ſit neceſſaria dum prouenit ex affluxu humoris in partem, & pars negatiua fouetur ab Auerroë *3. colliget 3. cap.* 1. cui adhæret Segarra.

Primò: humor deſcendens in partem ſemper eſt commixtus alteri humori gaudenti contraria temperie: ergo ab eis duplex in parte reſultabit in diuerſis contrarietatibus ſenſibilis intemperies.

Dices: quod licèt plerumque commixti humores ruant in partem, poteſt tamen vnus impermixtus fluere, vt humor bilioſus cernitur in eryſipelate.

Contra: ſi bilis, v.g. deſcendens in partem, cum calore & ſiccitate prædominet, valebit per vtramque excedentem qualitatem partem intemperare: ergo erit duplex intemperies.

Secundò: ſi ex affluxu humoris in partem non fieret neceſſariò duplex intemperies, maximè quia pars verſùs vnam intenditur qualitatem, quia in ſimilem agit; & verſùs aliam attemperatur, quia agit in contrariam: ergo ſi bilis ruat in os, quod intemperet per ſiccitatem, & remittatur ab eius frigiditate calor bilis ac attẽperetur; ita intemperatur frigiditas oſſis per remiſſionem à calore, ſicut ſiccitas per exceſſum: ergo duplex neceſſariò ſuperuenit intemperies.

§. II.

Sancitur pars probabilior ex Roſello, & Comite Montano.

REſoluendum affirmatiuè: ſic Montanus *lib. 2. de morbis, cap.* 15. Roſellus *quæſt.* 28.

Probatur primò ex Galeno, *lib. 7. de method. cap.* 11.

A qui hæc profert: Sæpè igitur in ipſo ſinu ventriculi contentus humor, qui aut calefaciendi, aut humectandi, aut etiam horum aliqua per coniugationem efficiendi naturam obtinet, intemperiem creat: ergo ex Galeno ex humore in partem poteſt aut ſimplex, aut compoſita ſenſibilis intemperies prouenire.

Probatur 2. Humor fluens in partem, etſi duplici gaudeat intemperie, poteſt commixtus alteri deſcendere, à cuius contraria qualitate, illius vna qualitas remittatur, & altera intendatur; vt ſi bilis ſit melancholiæ admixta: ergo ab intenſa qualitate vna fiet ſenſibilis intemperies tantùm.

Probatur 3. Ab vno humore fluente in partem, v.g.

B ſanguine ſi pars ſit humida, & frigida, attemperabitur partis frigiditas, & intendetur humiditas: ergo poteſt vna ſimplex intemperies ſenſibilis fieri tantùm.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD 1. reſpondetur: Quòd bilis poteſt ab excedente aliqua qualitate partis in quam fluit reduci ad mediocritatem; non verò ſecundùm alteram contrarietatem.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ſi pars ſit intemperata per duplicem qualitatem, poterit ab humore fluente

C intendi verſùs vnam, & remanebit cum illa intemperie, & attemperari verſùs aliam intra ſtatum naturalem.

Resolvtio VI.

Verùm aliqua poſſit intemperies cauſari in parte ex humoris affluxu ſine tumore.

§. I.

Pars negatiua à Galeno videtur adſcribenda.

D COmes Montanus *lib. 2. de morb. cap.* 32. plura adducit ex Galeno, ex quibus videtur ipſum negatiuæ adhærere parti: pro qua ſtat

Primò Galenus, *lib. 2. de locis, c.* 3. *de cauſis morb. c. 6. de præſagatione ex pulſibus, cap.* 3. *&* 4. *lib. de different. morb. cap.* 5. vbi hæc profert: *Hic ſecundus modus tumorem in corpore excitat, qui nulli Medicorum latere poteſt, etenim eryſipelata, phlegmone, œdema, phymata*: & ſuperaddit; *quod ſi magnus tumor a quocumque humore proueniat, fiet morbus ex intemperie cum affluxu materiæ.*

Secundò: humor in parte non eſt penetrabilis cum illa: ergo ratione ſuperadditæ quantitatis fiet incrementum in illa: in quo ſtat ratio tumoris.

Tertiò: intemperies cum affluxu materiæ differt à nuda intemperie: ſed hæc differentia non aliunde po-

E teſt deſumi, niſi quia altera eſt cum tumore; alia non: ergo in omni intemperie cum affluxu materiæ eſt tumor.

§. II.

Galeni, & Auicennæ præfertur opinio.

REſoluendum, quòd poteſt ex humoris affluxu in partem oriri intemperies ſine tumore. Sic ſancit Galenus *lib. 6. de ſanit. tuenda, cap.* 10. *lib. 7. methodi, cap.* 11. Auicenna 1. *Canticorum, t.* 2. *n.* 160. Roſellus *quæſt.* 29. & alij.

Probatur: Humor non poteſt eſſe ratio conſtitutiua intemperiei cum affluxu: ergo poteſt ſine tumore reperiri;

teperiei; humor eſt cauſa efficiens intemperiei cum affluxu: ergo non eſt de illius eſſentia.

Dices: quòd intrat eſſentiam intemperiei cum affluxu humor, conſtituitur enim penes ordinem ad fluentem humorem.

Contra: intemperies cum affluxu humoris in eſſe intemperiei non diſtinguitur à nuda intemperie: ergo ſicut nuda in eſſe intemperiei non includit humorem, ſimiliter neque ea, quæ fit cum affluxu materiæ.

Dices: Quòd intemperies vt intemperies ſpecificè non includit tumorem, aut humorem fluentem: at verò intemperies vt cum affluxu materiæ dicit in ſuo conceptu præſentiam humoris in parte, à quo non poteſt non fieri tumor.

Contra: tumor, ex Galeno *lib. de tumoribus præter naturam*, *c. 1.* eſt incrementum naturalem ſtatum excedens: ſed non eſt neceſſarium quòd humor fluens in partem cauſet incrementum; poteſt enim imbibi in poroſitatibus, ſine eo quòd eleuet tumorem, vt docet Galenus *lib. 2. de cauſis ſympt. cap. 5. §. interdum verò vna etiam in ipſis, velut in rete, id quod intemperatum eſt diſpergitur*: Ergo poteſt cum affluxu materiæ reperiri ſine tumore.

Probatur 2. Si tumor eſſet de eſſentia intemperiei cum affluxu materiæ, ſequeretur quòd eidem parti ſuperueniret intemperies, & tumor: ſed intemperies accidit ſoli parti ſimilari: tumor ſoli organicæ: ergo tumor non eſt de eſſentia intemperiei cum affluxu materiæ.

Probatur 3. Idem numero humor, qui in parte efficit tumorem, valet imbibi in parte poroſa intra cauitates ſine tumoris eleuatione: ergò fiet ab illo intemperies ſine tumore.

§. III.

Montani adducta fundamenta ruunt.

AD 1. Reſpondetur: Quòd Galenus intendit probare, quòd detur intemperies cum affluxu materiæ; & ponit exemplum, dum eſt affluxus cum tumore, quia magis ſenſibilis eſt: non tamen negat quòd non poſſit etiam ſine tumore reperiri.

Ad 2. reſpondetur: Quòd non datur penetratio, ſed humoris imbibitio intra poroſitates.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd intemperies dicitur cum affluxu materiæ, quando dependet ab illo in parte ſiue eleuet tumorem, ſiue recipiatur intra poros tumorem non eleuando.

SECTIO IV.

De inæquali intemperie

DE inæquali intemperie librum edidit Galenus, in quo de hac materia lautiſſimè egit: ſed illius doctrina iterum ob diſſentientes ſententias circa illam Claſſicorum authorum in incudem diſputationis petit trahi in hac Sectione, quæ conſequens eſt ad eam, in qua de morbis in intemperie abſolutè agimus.

Resolvtio I.

Vtrùm detur intemperies æqualis aut inæqualis?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

PArs negatiua ſuaderi videtur ex Ariſt. doctrina in *Categoria*, vbi docet quòd relatio æqualitatia, vel inæqualitatis fundatur in quantitate: ſed intemperies, ſi ſubſtantifica eſt, pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ; ſi qualitatiua, ad prædicamentum de Quali: ergo inter intemperies nulla æqualitas nec inæqualitas eſt admittenda.

§. II.

Communis admittitur doctrina.

REſoluendum affirmatiuè. Sic docetur à Galeno *lib. de inæquali intemperie*, vbi hanc profitetur doctrinam; tenet Santa-Cruz *lib. de morb. & ſympt. tr. de inæquali intemperie*; & tenent communiter Auctores & conſtabit ex ſolutione rationis primò poſitæ.

§. III.

Explicatur huius denominationis ratio.

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd communis loquendi modus aliquando admittit, quòd qualitates, & res ipſas incorporeas magnas, aut paruas denominemus, ſic magnam dicimus temporis caliditatem, aut frigiditatem: & iuxta hunc loquendi modum admittimus intemperiem magnam, aut paruam, & conſequenter ſiue ſit qualitas, ſiue ſubſtantia, quòd ſit æqualis, aut inæqualis.

Resolvtio II.

Vtrùm æqualis temperies ſit duarum temperierum in vno corpore proportio?

§. I.

Pars negatiua ſundetur.

PArs negatiua fulcitur primò: Ex temperie qualitatiua, & ſubſtantifica eiuſdem partis fit temperies æqualis, vt ex dicendis conſtabit: ſed inter ſubſtantiam, & qualitatem nulla eſt proportio: ergo intemperies æqualis non eſt duarum intemperierum proportio.

Dices: quòd licèt inter ſubſtantiam, & qualitatem, non ſit proportio in eſſe entis; benè tamen in eſſe temperiei.

Contrà: nec ſimiliter datur proportio in eſſe temperiei: quia temperies eſt proportio qualitatum in elementis repertarum, ex Auicenna *fen. 1. t. ad 3.* ergo ſubſtantia cum intemperie qualitatiua nullam dicit proportionem in eſſe temperiei.

Dices: quòd ſicut qualitatiua temperies, cuius diffinitionem tradidit Auicenna, eſt proportio qualitatum elementalium; ſimiliter intemperies ſubſtantifica, eſt proportio ſubſtantiarum partium elementalium.

Contrà: hæc conuenientia, ſeu proportio non ſufficit, vt intellectus tribuat illis relationem rationis æqualitatis: ergo ſolutio nulla. Probatur antecedens, ſi ſufficeret, maximè quia ſunt ſub vno genere ſcilicet temperiei: ſed eſſe ſub vno genere, non ſufficit vt intellectus tribuat ſimilitudinis relationem, aliàs omnia ſub quovis genere contenta dicerentur ſimilia.

Secundò: Inter duo ſolo numero diſtincta ſolùm poteſt reperiri relatio identitatis, prout conueniunt in vna ſpecifica ratione: ſed duplici calori, vt quatuor, inter quos inhærentes in diuerſis partibus ſubiecti, deberet reperiri æqualitas intemperiei, ſolum eſt talis numerica conuenientia: ergo non adaptatur illi-

illis relatio rationis inæqualitatis, ſed relatio realis identitatis.

Tertiò : per comparationem vnius qualitatis ad aliam eiuſdem ſpeciei in diuerſis partibus fit temperies æqualis:ſed hæc æqualitas non poteſt fundari in proportione, & vnitate graduali inter illas : ergo in diuerſo alio principio per diffinitionem explicando. Patet minor, noſtri corporis partes ſicut diuerſam habent organizationem, habent ſimiliter diſtinctam temperiem:ergo nullam habent proportionem.

§. II.

Sancitur pars affirmatiua.

RESoluendum : quòd temperies æqualis eſt duarum temperierum in vno corpore proportio, in qua fundatur relatio rationis æqualitatis, per quam vtraque alteri æqualis dicitur.

Probatur 1. Temperies dicitur à Galeno, ex communi Medicorum aſſenſu æqualis : ſed non dicitur æqualis ex ſententia Galeni per hoc quòd æqualitas, aut quæcumque proprietas quantitatis poſſit realiter illis conuenire : ergo, quia propter aliquam proportionem quantitatis ad qualitatem ab intellectu tribuatur illi relatio rationis, per quam ſimiles dicantur. Probatur minor ex eodem Galeno, *lib. 6. aphoriſm. comment.* 14. vbi cum loqueretur de qualitatibus, & vteretur aliquibus locutionibus, quæ illis impropriè, quantitati verò propriè conueniunt; dicit: *Nam cum ſubſtantia corporea contrarias qualitates caliditatem, ſiccitatem, frigiditatem, & humiditatem viciſſim recipiat, ſecundum ſubſtantiam recipientem, cum corpus calidum nominamus, multum vel paucum dicimus eſſe calidum; ad quantitatem ſubſtantiam referentes.* Et paulò infrà inquit : *Verùm non in hoc tantùm huiuſmodi fiunt abuſiones, ſed in pluribus aliis, quæ per vitam ſermone occupamus. Quid maximè fit in ipſa arte medicinali: omnes ſiquidem morbos magnos, aut paruos nominant, quamuis ſubſtantia non ſint.*

Probatur 2. ex Ariſt. *cap. de qualitate*, dicente : *Proprium autem quantitatis eſt maximè æqualitas, vt hæc, æquale, vel inæquale vnumquodque eorum. quæ rationem quantitatis ſubeunt, dicantur. Reliquas verò, quæ non ſunt quanta, non omnino æqualia videntur, veluti diſpoſitio æqualis inæqualiſve.* Ergo ex Ariſt. inter temperies non eſt propriè æqualitas, ſed tantùm per relationem rationis ab intellectu illis tributam.

Probatur 3. ita ſe habet ad noſtrum modum intelligendi qualitas vt quinque in manu, ad qualitatem vt quinque in alia parte, ſicut quantitas vnius palmi ad quantitatem alterius in alia parte : ſed ex duabus quantitatibus ex natura rei reſultat æqualitatis relatio:ergo ad proportionem qualitatum ſaltem ex noſtro modo intelligendi tribuitur relatio rationis æqualitatis.

§ III.

Adhibetur ſolutio argumentis.

AD 1. Reſpondetur:Quòd non eſt fundamentum ad relationem rationis, quia ſunt ſub vno genere, ſed quia ſimilem ſuo modo ſeruant proportionem partes materiales inter ſe, ex quibus fit temperies qualitatiua, ſicut ipſæ ſubſtantiales partes materiales, ex quibus fit temperamentum ſubſtantificum.

Ad 2. Reſpondetur : Quòd ſi calores duo conſiderentur ſecundùm conuenientiam in vna ratione ſpecifica, datur in illis relatio identitatis : ſi conſiderentur ſecundùm gradualem intenſionem, fundatur in illis relatio æqualitatis rationis, per quam in eſſe temperamenti vnus calor alteri refertur.

Ad 3. reſpondetur : Quòd licèt non poſſit reperiri inter partes organicas æqualitas, poteſt inter partes ſimilares v.g. inter duo oſſa. Præterquam quòd in corpore ſunt plura organa duplicata, vt manus, inter quas inuenitur proportio, & æqualitas, ſicut inter earum temperies.

RESOLVTIO III.

Verùm intemperies inæqualis ſit duarum intemperierum improportio?

§. I.

Pars negatiua fulcitur aliquibus fundamentis.

NEgatiua pars admittenda videtur primò; quia Galenus *lib. 6. de ſanit. tuenda, cap. 1.* vbi temperiem æqualem vocat *temperiem ſimilem*; ſed eadem eſt ratio de intemperie:ergo per ſimilitudinem, & non per proportionem debet dari diffinitio.

Secundò : Galenus *lib. de inæquali intemperie*, explicans modum quo fit inæqualis intemperies, ponit exemplum, in phlegmone, gangræna, & febribus putridis; excludit tamen hecticas, quia in illis non eſt præſentia humoris : ergo per humorem tamquam per partem ſibi intrinſecam debet diffiniri inæqualis intemperies.

Tertiò : febris hectica ex Galeno *lib. de inæquali intemperie*, eſt intemperies æqualis:ſed in illa in diuerſis partibus ſunt diuerſæ intemperies improportionatæ, quibus poteſt tribui relatio inæqualitatis per intellectum cum fundamento in proportione:ergo male diffinitur intemperies inæqualis.

§. II.

Propria ſancitur opinio.

RESoluendum : Quòd intemperies inæqualis eſt duarum intemperierum in vno corpore improportio, in qua fundatur relatio rationis inæqualitatis, per quam vtraque inæqualis dicitur.

Probatur 1. ex Ariſt. *cap. de qualitate*, vbi de diſpoſitione æquali, & inæquali aſſerit non dici propriè tales, ſed comparatiuè ad quantitates æquales, vel inæquales : ergò ratione relationis rationis inæqualitatis dicuntur intemperies inæquales.

Probatur 2. Contrariorum contrariæ ſunt & oppoſitæ differentiæ : ſed vt patet ex *reſolutione antecedenti* temperies æqualis dicitur per relationem rationis æqualitatis : ergo intemperies inæqualis conſtituitur per relationem rationis improportionis ſuperuenientem, ſeu inæqualitatis.

Probatur 3. Improportionatæ intemperies ab intellectu poſſunt comparari quantitatibus inæqualibus, in quibus reſultat relatio inæqualitatis:ergo cum fundamento in re tribuit intellectus qualitatibus improportionatis relationem inæqualitatis.

§. III.

Rationes dubitandi ſoluuntur.

AD 1. reſpondetur : Quòd locutione propria intemperies debent dici ſimiles, ſed impropria locutione, quæ communior eſt, qua dicitur intemperies magna, aut parua intemperies, alteri dici poteſt improportionata per relationem rationis.

Ad 2.

Ad 2.reſpondetur: Quòd Galenus *in principio primi capitis* adducit exemplum in intemperiebus ortis ex humoribus, quia agit de intemperiebus inæqualibus ex affluxu materiæ; & ideò excludit intemperiem febris hecticæ, & agit de illa *in ſecunda parte capitis*.

Ad 3.reſpondetur: Quòd Galenus vocat febrem hecticam, *intemperiem æqualem*; non comparando intemperies improportionatas diuerſarum partium, ſed comparando in eadem parte intemperiem ſubſtantificam cum qualitatiua.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm intemperies inæqualis poſſit dari inter duas intemperies inæqualiter ſe habentes in diuerſis partibus.

§. I.

Brachelij, & Fuchſij proponitur opinio.

BRachelius, & Fuchſius contendunt, quòd intemperies inæqualis attendenda eſt penes partem eandem, non penes diuerſas: pro quibus ſtat

Primò Galenus *lib. de inæquali intemperie c. 6.* vbi docet, quòd in intemperie inæquali eſt dolor, & quòd non ſentitur dolor in intemperie æquali: ſed ſi intemperies inæqualis fieret per comparationem intemperierum inæqualiter ſe habentium in diuerſis partibus, non fieret dolor in intemperie inæquali: Ergo debet admitti inæqualis intemperies per comparationem intemperierum diuerſarum partium. Probatur minor, ex intemperie ſubſtantifica diuerſa in diuerſis partibus daretur inæqualis intemperies: ſed hæc eſſet ſine dolore, cùm ab æquali quavis non fiat dolor: ergo daretur inæqualis intemperies.

Secundò: in eodem ſubiecto non poteſt vna, & eadem intemperies dici æqualis, & inæqualis: ſed ſi ex comparatione ad diuerſas intemperies improportionatas in diuerſis partibus fieret inæqualis intemperies, eadem qualitas eſſet in eodem ſubiecto æqualis, & inæqualis, v.g. calor hecticus eſſet æqualis reſpectu partis in qua oritur, & inæqualis reſpectu intemperiei alterius partis: ergo non poteſt dari inæqualis intemperies reſpectu intemperierum diuerſarum partium.

Tertiò: ſi ex diuerſa intenſione eiuſdem qualitatis, v.g. caloris in diuerſis partibus fieret inæqualis intemperies ex diuerſa intenſione caloris, & frigiditatis in eadem parte, etiam fieret intemperies inæqualis: ſed hæc non dicitur intemperies inæqualis: ergo nec illa.

§. II.

Verior ſancitur & præfertur opinio.

REſoluendum affirmatiuè, licèt non ita ſtrictè, vt contendit Valleſius *lib. de inæquali intemperie. c. 1.* Veiga *lib. de different. febrium*, & Comes Montanus *lib. 2. de morb. c. 27.* qui iudicant conſiſtere inæqualem intemperiem in proportione intemperierum in diuerſis partibus, ita vt aliam poſſe dari in eademmet parte non admittant, ſicut nos infra admittemus.

Probatur 1. ex Galeno *lib. de inæquali intemperie*, dicente: *Quòd aut huiuſmodi intemperies ab æqualibus differant, quia in omnibus partibus corporis intemperanter affectis haud ſimiliter inſint, omnino manifeſtum eſt.* Ergo ex Galeno ſancitur reſolutio.

Probatur 2. ex *eodem lib. cap. 3.* inquit enim: *De*
A *inæquali verò intemperie nunc dicendum. Tum quænam eius natura ſit: Tum quot eius generandi modi. Quod vtique in omnibus corporis partibus, quod ita laborant particulis, vna temperies non ſit, priùs dictum: verum id omnis intemperiei inæqualis commune eſt.*

Probatur 3. Inæqualis intemperies fit ob diuerſam applicationem cauſæ ad ſubiectum, ex Galeno *lib. de inæquali intemperie, c. 3. & 4.* ergo in diuerſis fiet partibus quibus fuerit cauſa inæqualiter applicata.

Probatur 4. intemperies inæqualis eſt duarum intemperierum in vno corpore improportio, in qua fundatur relatio rationis inæqualitatis, quæ eis tribuitur ab intellectu: ſed in qualitate intemperata diuerſo modo intenſa in diuerſis partibus eiuſdem ſubiecti hæc omnia
B reperiuntur: ergo reperitur inæqualis intemperies.

§. III.

Brachelij ruunt fundamenta.

AD 1.reſpondetur: Quòd Galenus intendit quòd omnis dolor fiat ex inæquali intemperie; non tamen quòd in omni illa reperiatur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd reſpectu diuerſorum nullum eſt inconueniens, quòd vna intemperies dicatur æqualis, & inæqualis.

Ad 3. reſpondetur: Quòd inæqualitas attenditur ſemper penes diuerſos gradus eiuſdem qualitatis, non autem contrariæ, licèt diuerſæ intemperies in eodem
C ſubiecto poſſent dici complicatæ, vt oriuntur à diuerſis qualitatibus.

RESOLVTIO V.

Vtrùm poſſit dari inæqualis intemperies in eademmet parte per comparationem intemperiei ſubſtantificæ & qualitatiuæ.

§. I.

Valleſij probatur opinio.

D VAlleſius negatiuæ parti adhæret, his fultus rationibus.

Primò, intemperies inæqualis non poteſt dari niſi inter plura, quæ eandem menſuram non habent: ſed in eadem parte non poſſunt reperiri illa plura: ergo non poteſt reperiri inæqualis intemperies.

Secundò: Etiamſi poſſet dari inæqualis intemperies in vna parte, eſſet poſſibilis ſine eo quòd daretur per comparationem qualitatiuæ intemperiei cum ſubſtantifica: ergo inter has non debet admitti. Probatur minor, in eadem parte affirmat Galenus *lib. de inæquali intemperie*, dari inæqualem intemperiem qualitatiuam in febre epiala: ergo in eadem parte eſt poſſibi-
E lis ſine comparatione qualitatiuæ ad ſubſtantificam intemperiem.

Tertiò: In eadem parte eſt impoſſibilis æqualis intemperies per comparationem qualitatiuæ ad ſubſtantificam: ergo eſt impoſſibilis inæqualis intemperies. Probatur antecedens, in hydrope eſt intemperies frigida qualitatiua, & ſubſtantifica in eadem parte: ſed hæc non dicitur æqualis: ergo non admittitur æqualis intemperies in eadem parte per comparationem qualitatiuæ ad ſubſtantificam.

§. II.

Fuchſij & Brachelij præfertur opinio.

RESoluendum negatiuè, cum Fuchſio, & Brachelio. Probatur 1. ex Galeno *lib. 2. de temperamen. circa finem*, dicente: *inæqualis quædam ab his quæ laborant phlegmone partibus intemperies eſt, ſimilaribus ſcilicet corporibus à proprio temperamento nondum amotis, ſed aſſiduè adhuc immutatione atque alteratione mutatis.* Ex quibus patet, à phlegmone in eadem parte dari inæqualem intemperiem, quæ non niſi per comparationem intemperiei ab illo cauſatæ cum ſubſtantifico poteſt dari.

Probatur 2. Intemperies inæqualis fit per relationem rationis inæqualitatis, quam tribuit intellectus duabus intemperiebus inæqualiter ſe habentibus: ſed in eadem parte ſubſtantificè intemperata poteſt eſſe intemperies qualitatiua illi improportionata cauſata à cauſa externa: ergo poteſt intellectus tribuere illi relationem rationis inæqualitatis.

Probatur 3. Per totum corpus ſimul & in qualibet parte poteſt dari intemperies æqualis in febre hectica, vt docet Galenus *lib. de inæquali temper. c. 1. & c. 6. §. cum verò omnes corporis particulæ prorſus calefactæ fuerint, eiuſmodi febris hectica vocatur. ſeu quæ non amplius iam in humoribus, & ſpiritu ſolùm, ſed etiam in corporibus habitum iam habentibus comprehenſa ſit, hæc doloris expers eſt*: ſed poteſt huic ſubſtantificæ intemperiei aliæ intenſior qualitatiua ſuperueniente febre humorali, ſuperueniret ergo erit inæqualis intemperies ſubſtantifica ad qualitatiuam.

§. II.

Præfertur pars affirmatiua.

RESoluendum affirmatiuè. Probatur 1. ex Galeno *lib. de inæquali intemperie, c. 1.* vbi modum tradens quo generantur intemperies, quæ cum affluxu humoris fiunt, & ab illo communicantur, ſic loquitur de intemperie ſine affluxu: *circa materiæ verò affluxum inæquales intemperies fiunt ſolis qualitatibus ipſis alteratis, refrigeratis ſcilicet, aut à ſole adustis, aut immoditè exercitatis, aut refrigeratis, aut aliquid id genus perpeſſis, quin etiam ex his quæ foris corpori noſtro occurrunt plurimæ inæquales intemperies gignuntur dum calefit, vel frigeſit.*

Probatur 2. Non poteſt à principio intrinſeco produci intemperies, niſi illa ad quam ratione ſubſtantifici temperamenti determinetur anima: ſed quæ ab anima producitur proportionata cum temperamento ſubſtantifico, eſt æqualis, vt ex dictis patet: ergo inæqualis intemperies reſpectu eiuſdem partis ab extrinſeco interna manet.

Probatur 3. Intemperies inæqualis cauſat dolorem dum eſt in eadem parte: ergo prouenit à principio extrinſeco. Antecedens probatur ex Galeno *lib. de inæquali intemperie, c. 6.* Conſequentia probatur, quia dolor prouenit à qualitatiua intemperie ſubſtantificè improportionata: ſed omnis improportionata qualitas ſubſtantificæ intemperiei eſt ab extrinſeco, aliàs eſſet æqualis: ergo fit ab extrinſeco.

§. III.

Valleſij fundamenta ſoluuntur.

AD 1. reſpondetur: Quòd duplex eſt temperamentum ſubſtantificum, & qualitatiuum in eadem parte, vt demonſtrauimus *p. 1. reſolut. medic.* inter quæ fit comparatio æqualitatis, aut inæqualitatis.

Ad 2. reſpondetur: Quòd in temperie inæquali reſpectu eiuſdem partis diuerſo modo loquimur ac Galenus; ille enim in eadem parte totali ſecundùm diuerſas partes illius, diuerſas conſiderat intemperies qualitatiuas penes intenſum, & remiſſum; nos verò in eadem particula ſubſtantificam, & qualitatiuam comparamus temperiem, & vnius ad alteram proportionem.

Ad 3. reſpondetur: Quòd in anaſarca eſt duplex intemperies, vna æqualis in qualibet parte per comparationem ſubſtantificæ ad qualitatiuam; alia inæqualis quæ ſuperuenit per comparationem diuerſarum partium in quibus intemperies eſt inæqualis.

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd ſolùm loquimur de intemperie inæquali reſpecto eiuſdem partis; non verò de inæquali ob improportionem intemperierum quæ ſunt in diuerſis partibus.

Resolvtio VI.

Vtrùm intemperies inæqualis reſpectu eiuſdem partis cauſetur ab extrinſeco.

§. I.

Ratio adducitur dubitandi.

PArs negatiua verior videtur; nam febris hectica eſt intemperies inæqualis reſpectu diuerſarum partium, in quibus diuerſo modo eſt præuerſum temperamentum ſubſtantificum: ſed febris hectica eſt à principio intrinſeco: ergo intemperies inæqualis fit à principio intrinſeco.

Resolvtio VII.

Vtrùm dolor ſit ſignum inæqualis intemperiei.

§. I.

Negatiuæ partis adducuntur fundamenta.

PArs negatiua ſuadetur primò: Intemperies æqualis reſultat ex æquali intenſione qualitatum in diuerſis partibus cum dolore, cùm in qualibet parte intemperies qualitatiua ſit inæqualis parti cui inhæret: ergo dolor non eſt ſignum inæqualis intemperiei.

Secundò: Dolor ſequitur ex inæquali intemperie, quia per qualitatem excedentem, & improportionatam ſubſtantificæ temperiei natura alteraſcit, & corrumpitur: in intemperie æquali, v.g. in hectica etiam corrumpitur natura: ergo etiam erit dolor in illa.

Tertiò: ſi dolor eſſet ſignum æqualis intemperiei, non poſſet ea dari ſine dolore: ſed dum intemperies eſt iam facta, etſi ſit inæqualis parti, cui inhæret, non fit ab illa dolor, quia ſolùm cauſatur, dum alteraſcit natura, non verò dum alterata eſt: ergo dolor non eſt ſignum talis intemperiei.

Quartò: dolor non poteſt cauſari ab intemperie inæquali: ergo non poteſt eſſe illius ſignum. Probatur antecedens, ſi ratione illius ſentitur dolor, vel in parte vicina, vel in ea quæ alterationem patitur;

in parte vicina n n, ... um ſentitur in parte, quæ alteratur;in eaden parte ... n,q itaqua itas organo inhærens non ſentitur, cum ipſi ... non per ipſum ... ergo dolor non poteſt cauſari ab intempe ... æq ... .

§. II.

Galeni amplectitur doctrina

RESoluendum, quòd dolor eſt ſignum intemperiei inæqualis eiuſdem partis, itaut ab æquali non p ... ſupetueniat. Sic ſanciuit Galenus ... *de inæquali intemperie c.6.*

Ratio huius doctrinæ eſt quia dolor non poteſt dari in parte ... qua non ſentitur intemperies: ſed hæc non ſentitur dum intemperies eſt æqualis: ergo ab inæquali intemperie prouenire tantum valet. Patet maior ex Galeno *loco ... citato.§. cum vero omnes corporis particulæ pror ... fuerint,einſmodi febris hectica vocatur,ſeu quæ non amplius iam in humoribus & ſpiritu ſolum, ſed etiam in corporibus ... iam habentibus comprehenſa ſit,hæc doloris expers eſt,quare.que. qui ita febricitant, febre carere,neque enim eius calorem ſentiunt.*

§. III.

Rationes in Galeni doctrinam ſoluuntur.

AD 1.Reſpondetur: Quòd,vt patet ex Galeni verbis,dolor eſt ſignum intemperiei æqualis, dum fit talis comparatione qualitatiuæ ad ſubſtantificam eiuſdem partis.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd dolor non ſolùm fit, quia corrumpitur natura,hoc enim etiam contingit in febre hectica; ſed quia alteraſcit, & eſt obiectum extrinſecum dolorificum quod ſentitur: dum enim ab anima pullulat intemperies, ipſa non eſt obiectum ſenſibile.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd non intendimus quòd in omni intemperie ſit dolor; ſed quòd dolor ſuperueniens non poſſit dari niſi ex inæquali intemperie cauſata ab extrinſeco obiecto.

Ad 4.Reſpondetur: Quòd pars quæ recipit intemperiem,dum alteraſcit,percipit obiectum dolorificum, ſentitque diſconuenientiam:& inde dolor.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm læſio actionis ſit ſignum æqualis intemperiei, quæ eſt in eadem parte?

§. I.

Ratio adducitur dubitandi.

VIdetur quòd non: Quia tunc læditur facultas eſſentialiter quando debilitas aduenit illi non per aggrauationem,ſed ratione morbi actualis,ſiue venenoſi,ſiue non venenoſi: ... læſio actionis tunc erit vitium facultatis eſſentialiter læſæ,& non erit ſignum æqualis intemperiei.

§. II.

Galeni doctrina amplectitur.

RESoluendum: Quòd læſio actionis, quæ prouenit ex vitio facultatis eſſentialiter læſæ, eſt ſignum intemperiei æqualis reſultantis ex intemperie ſubſtantifica, & qualitatiua eiuſdem partis, prouenit vitium facultatis ex indebita diſpoſitione, ſeu temperie partis à qua elicitur:ea autem eſt duplex, alia ſubſtantifica,alia qualitatiua; qualitatiua reſultat ex qualitatibus, ſubſtantifica ex partibus ſubſtantialibus elementorum in viuente. Dum deficit temperies qualitatiua,accidentaliter vitiatur facultas;à ſubſtantifica autem temperie facultas eſſentialiter vitiatur: quia cùm facultas non operetur niſi vi quadam, ſubiectum verò vt quod,illud eſt eſſentialiter læſum,vitium quod prouenit eſt à principio eſſentialiter læſo.

B Probatur ... reſolutio ex Galeno,qui *lib de inæquali intemperie, cap 6.* eam ſanciuit dicens: *Terminus autem cuiuſcumque particulæ, actionis eius eſt læſio ad quem vſque ad terminum latitudo,via eſt in id quod præter naturam eſt.*

Probatur 2 dolor eſt ſignum inæqualis intemperiei: ergo eſſentialis læſio operationis eſt ſignum æqualis intemperiei. Conſequentia patet, quia intemperies æqualis & inæqualis opponuntur; ergo ſigna quibus cognoſcuntur ſunt oppoſita, ſed dolor eſt actio læſa proueniens ex læſione accidentali intemperiei inæqualis:ergo læſio eſſentialis actionis eſt ſignum æqualis intemperiei eiuſdem partis.

§. III.

C *Diluitur ratio dubitandi.*

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd læſio eſſentialis facultatis eſt duplex: alia ſubſtantiali,ſeu eſſentialis, quatenus idem eſt ſubſtantia rei, ac rei eſſentia; & hæc læſio opponitur læſioni quæ aduenit potentiæ ratione aggrauationis & ponderis, ſeu ſolius mutatæ temperiei qualitatiuæ, quia in hac ſolùm prouenit læſio ex inuerſione alicuius accidentis requiſiti ad operationem: non verò defectu alicuius principij ſubſtantialis concurrentis ad agendum.

D

SECTIO V.

De morbis partium organicarum.

EST pars organica ex ſimilaribus compoſita debitis numero in decentem formam, & iuſtam magnitudinem coëuntibus cum idoneo ſitu,conſenſúque à facultate formatrice ad certam aliquam eliciendam actionem: his quæ ſuperueniunt vitia,dicuntur morbi partium organicarum:de quibus in hac ſectione.

E

RESOLVTIO I.

Vtrùm morbus partium organicarum ſit vere morbus?

§. I.

Negatiua pars aliquibus rationibus fulcitur.

VIdetur quòd non, primò:Morbus propriè talis eſt in prædicamento qualitatis ſub diſpoſitione,

A vt patet ex morbi diffinitione: ſed morbus in mala compoſitione, mala conformatione, morbus in ſitu, morbus in numero, & morbus in quantitate diuagantur per plura prædicamenta: ergo non habent veram morbi rationem.

Secundò: illius partis datur vera morbi ratio, in qua poteſt morbus inhærere: ſed nullus morbus poteſt inhærere in parte organica: ergo nullus morbus partis organicæ habet veram morbi rationem. Probatur minor, omnis morbus eſt diſpoſitio, omnis diſpoſitio eſt qualitas, de qua determinauimus quòd ſi eſt morbus eſt proprius partis ſimilaris: ergo nullus morbus propriè talis inhæret in parte organica.

§. II.

Affirmatiua pars præfertur.

B Reſoluendum: Quòd morbus partium organicarum obtinet veram morbi rationem. Sic Galenus *lib. de different. morborum, per totum* ſi. Auicenna *fen.* 2. *lib.* 1. *t.* c. 3. ſic communis Medicorum aſſenſus.

Probatur: vera morbi ratio conſiſtit in hoc, quòd ſit præternaturalis diſpoſitio lædens operationes, vt diximus: ſed ex indebita compoſitione partium inſtrumentalium reſultat huiuſmodi morbus: ergo illarum morbus veram morbi rationem habet. Patet minor, quia ex diminuta quantitate, numeróve, ex ſitu, aut figura vitiatis, quæ ſunt vitia superuenientia partis or- C ganicæ, reſultat præternaturalis diſpoſitio lædens operationes: ergo ex indebita compoſitione reſultat præternaturalis diſpoſitio.

Probatur 2. Membra morbum diuidentia veram morbi rationem obtinent: ſed ex Galeno *lib. de different. morb.* alterum ex membris diuidentibus morbum eſt morbus in mala compoſitione: ergo habet veram morbi rationem.

Probatur 3. Morbi vera ratio reperitur, vbi debita viuentis conſtitutio immutatur: ſed ex mala compoſitione partium inſtrumentalium immutatur debita viuentis conſtitutio: ergo morbus illarum veram habet morbi rationem. Probatur minor, quia per malam compoſitionem inuertitur naturalis compoſitio, quæ D ſimul cum temperie, & vnitate adintegrat debitam animalis conſtitutionem.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. Reſpondetur: Quòd morbi pro materiali in mala compoſitione diuagantur per plura prædicamenta, at verò morbus pro formali reſultans ex illis eſt diſpoſitio præternaturalis.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd [illegible] tes, quæ adintegrant naturalem temperiem partium ſimilarium, prout ſunt partes mixtæ, ſi immendantur, & impropoitionatæ ſiant, earundem partium proprij morbi dicuntur: at E verò præternaturalis diſpoſitio, figura, forma, & aliæ qualitates ſuperuenientes ex earum poſitione, vel ex poſitione aliorum, quæ conducunt ad noſtram conſtitutionem, ſuperueniunt in eis partibus, quatum naturalis conſtitutio inuertitur, & ſic præternaturalis diſpoſitio reſultans ex intemperie ſubiectatur in parte ſimilari, quæ reſultat ex vitio partis inſtrumentalis, inhæret in illa.

A

Resolvtio II.

Vtrùm morbus partium organicarum ſit illis proprius?

§. I.

Pars negatiua fulcitur ſuis fundamentis.

PArs negatiua validior redditur aliquorum argumentis, qui ipſam ſuadere conantur contra Galeni doctrinam.

B Primò, quia morbus dicitur alicui proprius, qui opponitur perfectioni alicuius illius partis: ſed morbus partium organicarum non poteſt opponi alicui perfectioni, quæ ita ſit propria partibus organicis, vt non conueniat etiam ſimilaribus: ergo erit morbus vtriſque communis. Probatur minor, pars organica non eſt aliud quam partes ſimilares ſimul ſumptæ, ex quibus componitur: ergo nulla poteſt dari perfectio propria parti organicæ, quæ non conueniat ſimul partibus ſimilaribus, ex quibus fit.

Secundò: eius partis eſt morbus, cuius læditur actio: ſed ſolùm actio partis ſimilaris poteſt lædi: ergo ſolius partis ſimilaris datur morbus. Probatur minor, eius partis actio læditur, à qua elicitur: ſed actio C organica à ſola vna particula ſimilari organi elicitur, ex Galeno *lib.* 1. *de locis affect. capite* 2. ergo eius eſt morbus.

Tertiò: Morbus eius partis dicitur morbus, in qua inhæret, ſed præternaturalis diſpoſitio proueniens ex vitio partis organicæ inhæret in ſimilaribus partibus: ergo eſt illarum morbus. Probatur minor, inhæret in partibus organum componentibus; ſed hæ ſunt ſimilares: ergo inhæret in partibus ſimilaribus.

§. II.

Ratione fundamentali comprobatur opinio Galeni.

D REſoluendum affirmatiuè. Sic docuit Galenus *lib. de different. morbor.* Auicenna *fen.* 2. *lib.* 1. *c.* 2. quem ſequuntur ſui Commentatores.

Probatur ratione fundamentali: Illi parti morbus dicitur proprius, cuius perfectioni opponitur: ſed morbus in mala compoſitione opponitur ſolùm perfectioni partis organicæ: ergo eſt morbus proprius ſolius partis organicæ. Probatur minor, morbus in mala compoſitione, qui eſt morbus partium organicarum, opponitur ſolùm compoſitioni, quæ ſolis partibus organicis, quæ ex ſimilaribus peruot componi, competit: ergo morbus in mala compoſitione opponitur ſolùm E perfectioni parti organicæ debitæ.

§. III.

Soluuntur primò adductæ rationes.

AD 1. Reſpondetur: Quòd licèt partes ſimilares ſimul ſumptæ ſint totum ipſum, quod dicitur pars organica: tamen ipſis ſimul ſumptis prout ſunt totum, conueniunt plura, quæ non conueniunt ipſis, vt ſunt partes ſimilares, ſcilicet compoſitio, figura, conformatio, debita quantitas ad ſui conformationem, & debitus ſimilarium numerus, ex quib. omnib. adintegratur debita conſtitutio partis, vt organica eſt, quæ nullo

nullo modo debetur ſimilaribus, & ideò vitium quòd his ſuperuenit, organicæ, & non ſimilarium morbus dicitur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt vna ſit particula determinata, vt Galenus docet, in parte organica, cui tribuitur efficientia actionis, reliquis verò tribuitur vſus ad actionem, ſine quo non poſſet actio perfici à ſimilari, & ideò ex vitio reliquarum etiam læditur actio: quod deducitur ex Galeno, inquit enim, *lib. de differen. morbor. cap. 6. Iam verò aliàs demonſtratum eſt in ipſis eſſe vnam aliquam, quæ ſit actionis cauſa; reliquas vero omnes, vt huic vſum quemdam præſtent, iuſſe creatas. Proinde totius inſtrumenti functio, maximè ac præcipuè tunc abſtur, vbi pars ipſa, quæ eſt functionis cauſa, ægrota venit.*

Ad 3. reſpondetur: Quòd morbus ſuperueniens ex vitio partis organicæ inhæret in partibus ſimilaribus, non vt ſimilares ſunt, ſed vt ſimul ſumptæ, ſunt ipſa pars organica: & ideò male diſponit ad actionem propriam illarum partium, prout ſimul ſumptæ ſunt vna pars organica.

Resolutio III.

Vtrùm morbus in mala compoſitione ſit ille, qui oritur ex vitio naturalis conſtitutionis alicuius partis, quatenus organica eſt.

C

§. I.

Impugnationes adductæ diffinitionis proponuntur.

NOn rectè diffinitum fuiſſe morbum partium organicarum ſuadet primò: Morbus in intemperie oritur ex vitio naturalis conſtitutionis partis organicæ, vt organica eſt, quia pars organica ad debitam ſui conſtitutionem, cùm ſit pars mixta, petit mixtam diſpoſitionem, ac temperiem: ſed morbus in intemperie non eſt morbus in mala compoſitione: ergo non rectè adducitur diffinitio.

Secundò: Morbus in ſoluta vnitate oriri poteſt ex vitio naturalis conſtitutionis partis organicæ, cùm illi accidat; ſed non eſt morbus in mala compoſitione: ergo malè adducitur diffinitio.

Tertiò: Nullus morbus poteſt oriri ex vitio naturalis conſtitutionis partis organicæ: ergo mala eſt diffinitio morbi in mala compoſitione. Probatur antecedens, pars organica nihil aliud eſt, quàm ſimilares ſimul ſumptæ: ergo nullus morbus oritur ex vitio ſuæ conſtitutionis, ſed conſtitutionis partium illam adintegrantium.

§. II.

Sancitur bonitas diffinitionis adductæ.

REſoluendum affirmatiuè: ſic deducitur ex Doctrina Galeni, & Auicennæ: & patet ratione, quia conuertibiliter ſe habet cum diffinito; verè illius explicat naturam, ipſúmque ſpecificat, ac diſtinguit ab aliis morborum generibus.

§. III.

Impugnationes oppugnantur ſolutionibus.

AD 1. reſpondetur: Quòd pars organica ad debitam, conſtitutionem ſuarum partium ſimila-

A rium petit debitam temperiem; ad ſui verò conſtitutionem, petit ex ſimilaribus componi, debito numero, in decentem formam, & iuſtam magnitudinem coëuntibus, cum idoneo ſitu, & conſenſu, & vitia, quæ his ſuperueniunt, morbi ſunt ipſius, vt organica eſt.

Ad 2. reſpondetur: Quòd parti organicæ, vt pars eſt, conuenit, quòd toti cohæreus, illique communi vita coniunctum ſit; & cùm ratio partis ſit communis parti organicæ, & ſimilari, ideò vitium, quod aduenit in ſoluta vnitate; vtrique eſt commune; propria autem illius conſtitutio, vt pars eſt organica, eſt naturalis compoſitio, & ideò ſolùm dicitur proprius illius morbus ille, qui prouenit vt vitium illius propriæ conſtitutionis.

B Ad 3. reſpondetur: Quòd pars organica addit ſupra ſimilares, quòd petat debitum numerum, quantitatem, ſitum, figuram, & conformationem, ex quorum vitio proprij ſuperueniunt illi morbi.

Resolutio IV.

Vtrùm morbus in mala compoſitione adæquatè diuidatur in morbos malæ conformationis, magnitudinis, numeri, & ſitus, ſiue compoſitionis ſpecialiter ſic dictæ.

§. I.

Aliquorum placita, & obiectiones reſeruntur.

PArs negatiua fulcitur primò: Si oculus inficiatur colore alieno, vt dum aqueus humor fuſco tingitur colore, rubro, ſeu pallido, æger iudicat ſe videre fuſcum, pallidum, rubrúve obiectum, ex Galeno *lib. 1. de ſympt. cauſis*: ergo datur actio læſa proueniens ab aliquo morbo huius partis inſtrumentalis: ſed tunc non patitur oculus aliquem morbum ex annumeratis: ergo

D go alius ſub mala compoſitione eſt admittendus morbus. Probatur minor, remanet in oculo debita conformatio, numerus, quantitas, ac ſitus partium: ergo.

Reſpondet Iacobus Forliuienſis *lib. artis. medic.* & Hieronymus Angeſtus *lib. 2. de forma proprietatibus* Vallea *lib. 4. controuerſ. cap. 2.* Roſellus *in lib. Gal. de different. morbor. quæſt. 57.* quòd duo ſunt genera morborum partium inſtrumentalium. Alij ſunt particulares alicui parti, vt mollities oſſibus, vitium diaphaneitatis oculis. Alij ſunt communes pluribus: & quòd Galenus tantùm agit in hac diuiſione de morbis communibus pluribus partibus, ratione quorum diuiſio eſt adæquata, etiamſi non comprehendat morbos particulares, qualis eſt etiam ille, de quo in argu-

E mento.

Contra: diuiſio morborum in mala compoſitione, eſt diuiſio omnium morborum partium inſtrumentalium, vt ex Galeno conſtat *lib. de different. morb. cap. 6.* dicente: *Conſequens eſt vt eos, qui ad inſtrumenta pertinent, percurramus*: ergo diminuta eſt diuiſio, ſi datur aliquis morbus partium inſtrumentalium, qui non comprehendatur ſub ſpeciebus annumeratis.

Præterea ſub membris diuidentibus huius diuiſionis enumerat Galenus aliquos morbos peculiares aliquarum partium, vt in c. 7. *ſequenti.* apparet: ergo de his etiam agit.

Præterea, nullus morbus, nec communis, nec proprius oculis, aut cuicumque corporis parti poteſt

ſuperuenire, qui dicatur morbus in mala compoſitione; ſi pars organica habeat ea, quæ requiruntur pro illius naturali compoſitione: ergo ſi oculus hæc omnia habet, nec morbus communis, nec particularis illi aduenit.

Præterea, particulares illi morbi, etiam ſunt morbi partium inſtrumentalium: ergo diminuta eſt diuiſio horum morborum à Galeno adducta, cùm particularium morborum non meminerit.

Reſpondet Fabius Pacius *in lib. methodi medendi, digreſſione de natura morbi*, & Bruguerius, quòd color pallidus in humore vitreo oculi lædit videndi actionem, & quòd morbi rationem non habet; quia ad rationem morbi requiritur, quòd ſit vitiata conſtitutio, & cùm color non adintegret conſtitutionem oculi, nec eius vitium poteſt morbum cauſare.

Contrà: lædere operationes eſt de intrinſeca & eſſentiali ratione morbi, vt ex eius diffinitione conſtat: ergo ſi ſequitur à colore pallido in oculo, ibi reperitur morbus.

Præterea, actio læſa eſt ſymptoma, ſeu accidens proprium quarto modo morbi; ergo ſi reperitur actio læſa proueniens ex colore vitiato oculi, reperitur vera morbi ratio, à qua proueniat. Probatur antecedens, tum quia ideò diffinitur morbus per ordinem ad actionem læſam: tum ex Galeno, *lib.* 2. *methodi. cap.* 3. dicente: *Actio ſana ſanitatem, læſa verò morbum neceſſariò ſequitur.*

Reſpondet Comes Montanus, ex iecoris intemperie plura ſymptomata oriri, ſcilicet bilis effuſio per totum corpus, color vitiatus in oculo, & læſio operationis videndi; ita vt omnes iſtæ actiones à iecoris morbo in mala compoſitione ſcilicet obſtructione oriantur.

Contrà: ſymptoma ex Galeno *lib. de different. ſymptom.* morbum ſequitur tamquam vmbra corpus, & illo ablato aufertur neceſſariò: ſed contingit lædi actionem videndi à colore flauo oculi, ablata obſtructione: ergo quia ab ipſo colore prouenit morbi ratio.

Prætereà: quocumque alio morbo ablato, ſi color flauus remaneat in oculo læditur actio: ergo quia reſultat præternaturalis diſpoſitio ad eius poſitionem: ergo in eo ſtat ratio morbi pro materiali.

Reſpondet Trincabellus *lib.* 4. *epiſtolarum*. Gauaſetus *lib. de rebus præter naturam cap.* 13. & Segarra coincidit in horum placito altero relicto: Quòd dum reperitur color vitiatus in oculo, prouenit læſio actionum à morbo in intemperie primarum qualitatum in oculo exiſtente.

Contrà: quacumque intemperie primarum qualitatum debitè ſe habente in oculo, ſi ſpecies in organo receptæ modificentur à pallido colore exiſtente in organo, obiectum apparebit pallidum: ergo quia ab ipſo colore modificante ſpecies prouenit læſio actionis.

Prætereà, ablato pallido colore ob oculo, etiamſi remaneat primarum qualitatum intemperies, non fit actio videndi deprauata: ergo non prouenit ab intemperie primarum qualitatum.

Reſpondet Alexandrinus *lib contra Argenterium*, & Saluus Sclanius *lib. artis medicinalis.* Quòd dum ob colorem flauum deprauatur actio videndi, prouenit hæc læſio à morbo in mala conformatione, ſcilicet à morbo in via; quia obſtruuntur partes, per quas recipiuntur ſpecies ab humore in organo oculi recepto.

Contrà: ſi obſtructione læderetur actio, non fieret actio deprauata videndi, ſed diminuta, aut abolita, A cum impediretur receptio ſpecierum: ergo non prouenit deprauata videndi actio ab obſtructione.

Prætereà, ſi deprauatio viſionis ab obſtructione proueniret, ex quocumque humore obſtruente, eodem modo læderetur actio videndi; v.g. in ſuffuſione: ſed tunc tantùm diminutè, aut abolitè læditur; non deprauatè: ergo non prouenit deprauatio à morbo in obſtructione.

Reſpondet Petrus Garcia *lib. de locis affectis, diſp.* 23. *cap.* 1. quòd dum repræſentatur icterico obiectum vt pallidum, non datur morbus in oculo, nec datur actio læſa: ſed quòd vapores eleuantur ab humore oculi, & extra illum mittunt ſpecies, quæ iterum receptæ in oculo repræſentant pallidum colorem il- B lorum corporum, à quibus ſpecies deferuntur ad oculos.

Contrà: cornea tunica, per quam deberent exire prædicti vapores, craſſa eſt. & bilis in ictericis quieta manet, vt docet Hipp. *lib. de internis affectionibus, ſentent.* 37. dicens: *bilis ſub cute quieſcit*: ergo non poſſunt prædicti vapores, qui videntur, emitti extra oculum.

Præterea, qui ſunt appropinquati perciperent illorum vaporum ſpecies, cùm versùs omnem differentiam deberent diffundi: ergo cùm à nullo alio percipiantur vtcumque approximato, non ſunt concedendi.

Reſpondet Santa-Cruz *lib.* 1. *de morb. & ſympt. c.* 4. C quòd color pallidus v.g in oculo, eſt morbus in intemperie ſecundæ qualitatis, ſcilicet coloris, & quòd ab illo prouenit læſio videndi.

Contrà: Morbus in intemperie ita eſt proprius partium ſimilarium, vt non poſſit parti organicæ accidere: ſed à colore in oculo non læditur actio partis ſimilaris, ſed actio videndi, quæ eſt actio organica: ergo non poteſt prouenire à morbo in intemperie.

Reſpondet Sennertus *lib.* 1. *inſtit. p.* 1. *cap.* 6. adhærens Auctori viox anatomes contra Comitem Montanum; Quòd color flauus, ſeu quicumque alius, à quo in oculo videndi actio læditur, morbus D eſt partium inſtrumentalium ſub mala conformatione. Petit enim oculi ſtructura diaphaneitatem, & ſpecierum nudam receptionem, & hanc per colorem vitiari, impedirique liberam ſpecierum receptionem, ad quam diaphaneitas erat neceſſaria.

Dices: reperiri ſub morbis in mala conformatione, ſed debere aſſignari genus morbi in mala conformatione, ſub quo contineatur.

Secundò, ſuadetur pars negatiua: quia calidum influens à corde in ſtatu naturali ita eſt neceſſarium ad debitam hominis conſtitutionem, vt illo deficiente, ſuperueniat læſio operationum, vt in ſyncope, rigore, & tremore, videre eſt: Ergo ex defectu huius in parti- E bus reſultat morbi aliud genus.

Tertiò: Morbi reſultant ex vitio eius, quod debetur pro debita viuentis conſtitutione: ſed ad debitam conſtitutionem non ſolùm requiritur debita partium organicarum ex ſimilaribus compoſitio, ſed debita compoſitio totius viuentis facta ex organicis: ergo in huius vitio erit aliud morbi genus.

Quartò: Morbus in ſoluta vnitate, in compoſitione, & in intemperie poſſunt ita parui ſuperuenire, vt quilibet actionem non lædat ſeorſim ſumptus; ipſam tamen lædant omnes ſimul ſumpti: Ergo conſtituunt aliud morbi genus.

Quintò: ſubſtantia debitam conſtitutionem facit ad eliciendas actiones, itaue ſi immutetur, vitientur actiones: ſi enim manus oſſea tota eſſet, & non

carnea

carnea, actiones eius lædecentut : ergo ab alio morbi A genere ab coumeratis diſtincto.

§. II.

Galeni amplectitur doctrina.

RESoluendum affirmatiuè: ſic Galenos docuit *lib. de differ. morbor.* & *l.1. methodi medendi.* Auicenna *fen. 2.1.d.2.c.3.* Valles *l.4. controuerſiarum* c.2. Varandæus *lib. pathol. vniuerſ. c.10.* Sennertus *l.2. inſtit. p.5.* Doncanus *lib.2. patholog c.1.* Valleriola *locorum commun. l.3.* Mercatus *l.3. de morb. & eorum diff. c.2.* Santa-Cruz *lib. de morb. & ſympt.* & reliqui Commentatores, & præcipuè qui manent citati in hac reſolutione. B

Probatur 1. auctoritate Galeni, qui *lib. de different. morb. c.6.* hæc profert : *Naſcuntur verò, vt iam diximus, vbi vel conformatio à naturali habitu euariat, vel particularum debitus numerus, vel decens ſingularium magnitudo non ſeruatur.*

Probatur 2. Tot poſſunt reperiri differentiæ primæ morborum partium organicarum, quot ſunt requiſita ad eorum compoſitionem; (cùm ea quolibet vitiato reſultet morbus:) ſed quatuor ſunt neceſſaria ad compoſitionem harum partium, debita conformatio, debitus partium numerus, debita quantitas, & compoſitio ſeu ſitus: ergo quatuor adductæ morborum differentiæ C in mala compoſitione.

Probatur 3. Illa diuiſio eſt optima, in qua membra diuidentia adæquant totam rationem diuiſi: ſed membra diuidentia morborum in mala compoſitione adæquant diuiſi rationem, vt conſtabit ea ſolutione argumentorum: ergo eſt adæquata.

§. III.

Argumenta ſoluuntur ad mentem Galeni.

AD vltimum 1. reſpondetur: Quòd actio deprauata viſionis prouenit à morbo in cauitate: ſicut enim cauitates, per quas recipiuntur, aut expelluntur aliquæ ſubſtantiæ, petunt vias ab omni alia ſubſtan- D tia liberas; ſic diaphana pars oculi, quæ eſt via ſpecierum colorum receptiua, petit viam ab omni alio colore immunem; & ideò dum habet colorem, impeditur via ad nudam ſpecierum viſibilium receptionem.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd morbus ſuperueniens ex defectu influentis caloris in partibus organicis, non ſuperuenit ea vitio compoſitionis; ſed temperiei debitæ partibus ſimilaribus.

Ad 3. reſpondetur: Quòd ad quamcumque compoſitionem, ſiue partium organicarum ex ſimilaribus, ſiue totius ex partibus organicis, eadem requiruntur, ſcilicet conformatio, quantitas, numerus, & ſitus; & ideò iidem eis ſuperueniunt morbi.

Ad 4. Reſpondetur: Quòd præternaturalis diſpo- E ſitio reſultat ex intemperie, mala compoſitione, aut ſoluta vnitate, vt in tali gradu aut intenſione; & ideò ſi quilibet peruenit ad illum, reſultabit à quolibet; ſi autem omnes ſimul, & non perueniant ad illum gradum, ea quo à quolibet poteſt reſultare, nec reſultabit ab omnibus.

Ad 5. Reſpondetur: Quòd ſi deficit ſubſtantia, ideò deficit, quia vel numerus, vel quantitas deficit in parte organica; & ideò non ponitur morbus ſuperueniens ſub alio genere ab enumeratis.

A

Resolvtio V.

Vtrùm morbus in mala conformatione adæquatè diuidatur in morbum in figura, in via, & in ſuperficie?

§. I.

Galeni adducta diuiſio impugnatur.

VIdetur quòd non, primò: quia Auicenna *fen. 2.1. d.1.c.1.* ſub morbis malæ conformationis ponit B morbos in figura, in cauitate, in meatu, & in ſuperficie: ergo quatuor differentiæ morborum ſunt admittendæ ſub morbis in mala conformatione.

Secundò, Plurea ſunt morbi malæ conformationis, annumerati à Galeno *lib. de differ. morb. c.7.* & ab Auicenna *fen. 2.1.d.1. cap. 2.* vt patet ea illis: ergo hæc diuiſio eſt diminuta.

Tertiò: morbi qui oriuntur ex intenſione ſecundæ cuiusvis qualitatis, ſunt morbi in intemperie: ſed morbi ſuperficiei oriuntur ea intenſione aſperitatis, aut lenitatis, quæ ſunt ſecundæ qualitates: ergo ſunt morbi in intemperie, & nullo modo poſſunt poni ſub C mala conformatione.

§. II.

Galeni amplectitur doctrina.

RESoluendum affirmatiuè: ſic ſanciuit Galenus *lib. de different. morbor. cap.7.* & tenent eius Commentatores.

Probatur fundamentali ratione: Ad debitam partis organicæ conformationem tria requiruntur, debita figura, viarum apta conformatio, & connaturalis ſuperficies: ſed cuilibet horum poteſt vitium aliquod ſuperuenire: ergo triplex ſuperueniet morbus in figura, in via, & in ſuperficie.

D

§. III.

Ex adducto fundamento ſoluuntur argumenta.

AD 1. Reſpondetur: Quòd Auicennæ citatus locus diſcordes reddidit Moderniores. Comes Montanus *l.3.c.4.* iudicat morbum meatus, & cauitatis idem eſſe: Fernelius, & Sennertus eos diſtinctos iudicant, & hanc diuiſionem per quatuor morborum genera adducendam. Nos verò reſpondemus quòd morbus in via eſt, qui ſuperuenit cuicumque cauitati. Hæc poteſt eſſe duplex, vel quia ita ordinata eſt ad recipiendum, vt ſimul ad immittendum ordinetur, vt E venæ, & arteriæ: vel quia cauitatem habet ad retinendum, licèt poſſit etiam emittere, quod recipit, vt veſica & ventriculus. Morbus in via eſt genus ad vtrumque morbum in meatu, & in cauitate.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ſunt plures differentiæ infimæ morborum in mala conformatione, quæ continentur ſub tribus ſubalternis ſpeciebus in reſolutione adductis, quos ſpecialiter refert Galenus, vt curuitas, gibboſitas, & ſimitas, quæ ſunt ſub figuræ morbis; ſub morbis in via ſunt etiam plures morbi orti ex multitudine, aut paucitate meatus, vel ſunt ſub multitudine diapedeſis, & anaſtomoſis, ſub defectu obſtructio, conſtipatio, coaleſcentia, compreſſio, ſubſidentia. Similiter continentur ſub morbis in ſuperficie morbus in caritate, in mollitie, in duritie, in lenitate, & in aſperitate.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd *ex reſolutione ſequenti* patebit eius ſolutio.

Resolvtio VI.

Vtrùm aſperitas & lenitas ſint morbi partium organicarum ſub mala conformatione?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

PArs negatiua ſuadetur ex ratione antecedenter adducta: nam aſperitas, & lenitas, quæ ponuntur ſub ſuperficie, ſunt qualitates ſecundæ, ex Ariſt. *l. 2. de generatione, l. 4. meteor.* & ex Galeno *l. 3. ſimpl cap. 1. lib artis Medicinalis, c.* 68. Sed ex harum intenſione fit morbus in intemperie, quos Galenus *lib. de different. morbor.* proprios eſſe partium ſimilarium determinat: ergo non poſſunt poni ſub morbis in mala conformatione.

Dices: quòd ex ſecundis qualitatibus aliæ conducunt ad complendam debitam temperiem, & tunc ex illis intemperatis fit morbus in intemperie; aliæ conducunt non tam ad partium temperiem, quàm illius conformationem, vt aſperitas, lenitas, & hæ intemperatæ ſunt morbi malæ conformationis.

Contrà huiuſmodi qualitates vt intemperatæ ſunt morbi in intemperie, ergo etiamſi vt ſic aliqualiter conducant pro conformatione, debent reduci ad ſpeciem morborum in intemperie, qui ſunt proprij partium ſimilarium.

Dices 1. cum Leoniceno, quòd aſperitas, & lenitas poſſunt dupliciter ſuperuenire partibus: vno modo, media alteratione primarum qualitatum, & tunc ſi excedant, ſunt morbi in intemperie: alio modo ita vt aſperitas & lenitas ponatur in ſuperficie per motum localem ad ipſas terminatum, & à facultate formatrice factum, & tunc ſunt morbi in mala conformatione.

Contrà ſtat: tum quòd aſperitas, & lenitas ex ſiccitate, aut humiditate ſuperuenientes in ſuperficie ſunt eiuſdem ſpeciei, ac ſunt illi qui à formatrice fieri poſſunt: ergo in eodem genere morborum ſiue in intemperie, ſiue in mala conformatione debent poni: Tum quod inæqualis poſitio partium in ſuperficie eſt effectus formalis aſperitatis; æqualis poſitio lenitatis: ſed effectus formalis eſt forma vt communicata; ergo etiamſi à formatrice ponantur, ſunt ipſæ ſecundæ qualitates vt intemperatæ.

Dices: quòd ſicut de raritate & denſitate tenent Conimbricenſes, *l. 1. de generat. c. 5. q. 7. art. 4.* Carreitus *ſen. 1. 1. diſp. 3. c. 7.* & docuit Diuus Thomas *lib. 2. cœli, lect. 10. in 2. diſt. 2. q. 2. art. 3. ad 5. & in 2. diſtinct. 14. q. 1. art. 2. ad 4. & in 4. diſt. 12. q. 1. art. 1.* quòd datur duplex raritas, & denſitas: alia qualitatiua, quæ eſt qualitas ſecunda ex primarum alteratione proueniens & alia localis conſiſtens in partium poſitione, quæ per motum localem fieri poteſt, aut ex vi generationis, qualis eſt denſitas cœli; & raritas quæ accidit aëri, à quo diſcedimus; & denſitas quæ accidit aëri, in quem mouemur. Similiter datur aſperitas, ac lenitas, alia qualitatiua à primis qualitatibus orta; alia localis conſiſtens in tali partium poſitione ipſius ſuperficiei; & huiuſmodi raritas & denſitas non ſunt ſecundæ qualitates, nec illius effectus formalis.

Contrà etiamſi à facultate formatrice poſſent poni aſperitas & lenitas localis, ipſæ deberent poni media aſperitate aut lenitate qualitatiuis: ergo in his ſtat ratio morbi in intemperie. Probatur antecedens, quia ex Galeno deberent poni à facultate formatrice media alteratione, vt deducitur ex Galeno, qui *l. 1. de facult. naturalibus c. 5.* agens de actionibus naturæ circa partium productionem in vtero, inquit: *Actiones quæ tribus his operationibus reſpondent, tres ſunt: vna ſcilicet cuique, generatio, auctio, nutritio. Verùm generatio ſimplex quidem actio naturæ non eſt, ſed ex alteratione conformationeque compoſita.* Ergo ſemper fit generatio mediis primis qualitatibus.

§. II.

Galeni Doctrina nobilitate Doctrina ſtabilitur.

REſoluendum: Quòd aſperitas, & lenitas ſunt ſpecies morbi ſub ſuperficie, & contentæ ſub morbis in mala conformatione. Sic ſanciuit Galenus *lib. de different. morbor. c. 7.* & tenent Montanus *l. 5. de morb. cap. 8.* Scenertus *l. 2. inſtit. p. 1. c. 6.* Duncanus *l. 2. pathologiæ c. 10.* & alij ferè omnes. Probatur 1. verbis Galeni ex loco nuper adducto, inquit enim: *At neque lenitatem nec aſperitatem partium opifex natura molitur; quare & in hoc genere per omnes animalis partes morbi contrahuntur è cum id, quod naturâ lene eſſe oportuerat, aſperum fit; aut è diuerſo, quod aſperum lene: euidentiſſima autem in hoc genere medicis ſunt, quæ aut leniatis, aut exaſperatis oſſibus accidunt; quemadmodum etiam & faucium aſperitatis, qua tuſſes committunt, manifeſtiſſimè patent.*

Probatur fundamentali ratione: Morbi qui proueniunt ex vitio eius quod conducit ad partis organicæ conformationem, eſt morbus in mala compoſitione: ſed lenitas aut aſperitas locales, cùm conſiſtant in tali poſitione partium ſuperficiei organi, ſunt vitium eius aſperitatis, aut lenitatis, quæ erant debitæ ad eius naturalem compoſitionem: ergo debent poni ſub morbis in mala compoſitione, præcipuè ſub mala conformatione, cùm vitient illam.

§. III.

Ex hoc fundamento fit ſatis dubitandi rationi.

AD rationem dubitandi Reſpondetur: Quòd, vt patet ex dictis inter reſpondendum, duplex eſt aſperitas, & lenitas: alia qualitatiua, & hæc eſt ſecunda qualitas, non quæ ſit diſpoſitio, ſed potentia à qua localiter partes ſuperficiei mouentur ad æqualitatem illius in lenitate, ad inæqualitatem in aſperitate. Et ratio morbi non conſiſtit in his, ſicut nec in partibus denſis, aut raris, nec in qualitatibus à quibus fiunt, quæ ſunt potentiæ, ſed in earum terminis, tali, inquam, partium poſitione à centro ad circumferentiam, vel è contra. Alia eſt aſperitas, ac lenitas localis, quæ conſiſtit in tali poſitione partium ſuperficiei, æquali in lenitate, inæquali in aſperitate; & in his quæ qualitates non ſunt, ſtat ratio morbi in ſuperficie: & hic eſt morbus malæ conformationis ſub morbis ſuperficiei.

Resolvtio VII.

Vtrùm res omnino præter naturam intra corpus genitæ ſint morbi in numero adaucto.

§. I.

Adducitur ratio dubitandi ex Galeno?

MOrbus in numero duplex conſtituitur à Galeno *lib. de different. morb. cap. 8.* & ab Auicenna

ſen.

*ſen.*1*.t.diſſ.*1*.c.*2. in numero, inquam, adaucto, & in numero diminuto: ſed an ſub morbo in numero adaucto debeant conſtitui tantùm res præter naturam, quæ partes ſunt viuentis, vt ſextus digitus; an verò etiam res omninò præter naturam, quæ viuentis formâ non informantur, licèt generentur in corpore, vt lapis in veſica, cadit ſub dubio.

Pars affirmatiua probabilior aliquibus videtur in Galeni doctrina, quia ipſe *lib. de differem. morb. c.*8. referens morbos in numero adaucto, inter ipſos refert lapidem in veſica, vermes & alias huiuſmodi entitates.

§. II.

Iouberti, Argenterij, Sennerti & aliorum præfertur opinio.

RESoluendum: quòd ea quæ in corpore humano generantur, & res ſunt omninò præter naturam à ſubſtantia viuentis diſtincta, nec formaliter, nec materialiter ſunt morbi, ſed tantùm ſunt cauſa illius. Sic tenet Ioubertus *in lib. de differem. morbor. dictato* 4. Argenterius *de different. morb.* Sennertus *lib.*2 *inſtit. part.*1. *cap.*7. Santa-Cruz *lib. de morbo & ſympt. q. de eſſentia morbi.*

Probatur pars prima: Morbus pro formali eſt præternaturalis diſpoſitio, vt conſtat ex eius diffinitione: ſed res præter naturam omninò, de quibus manet difficultas, ſunt ſubſtantia: ergo non ſunt morbus pro formali.

Probatur pars ſecunda: Morbus in numero adaucto, pro materiali eſt ſubſtantia ſuperaddita vitians naturalem organi compoſitionem: ſed res omninò præter naturam, de quibus dubitamus, non ſunt partes adintegrantes partis organicæ: ergo non ſunt morbi in numero pro materiali.

Probatur pars tertia reſolutionis: poſitis his ſubſtantiis omninò præternaturalibus, læduntur operationes viuentis, vt patet: ſed operationes ſolùm poſſunt lædi à morbo immediatè, à cauſa mediatè: ergo tùm non lædant tanquam morbus, neceſſarium eſt, quòd lædant tanquam morbi cauſa.

§. III.

Galenus explicatur & dubitandi ratio ſoluitur.

AD rationem dubitandi dicimus: Quòd aliquando Galenus morbos vocat aliquas cauſas continentes, quatenus in ordine ad curationem ſumitur ab illis indicatio curatiua pro morbo, & ſymptomate; quatenus continenter dependent ab illis; & ex earum ablatione ſtatim ceſſant: & huius generis ſunt ſubſtantiæ pleræque ex omnino præternaturalibus intra corpus genitis.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm in numero diminuto per partis abſciſſionem morbus pro formali inhæreat in parte abſciſſa?

§. I.

Pars affirmatiua ſuadetur.

PArti inhærere abſciſſæ morbum pro formali ſuadet: quòd ex Galeni doctrina *lib. de locis affectis*, non læditur actio ſine læſione partis, quæ illam elicit: ſed dum pars aliqua numero diuerſa ab aliis abſcinditur, v.g. dum organum oculi euellitur, læditur actio videndi: ergo morbus in numero diminuto recipitur in organo, oculo extracto.

Reſpondetur: quòd ex defectu oculi, in parte remanente reſultat præternaturalis diſpoſitio, per quam pars quæ remanet malè afficitur ad eliciendam actionem videndi.

Contra pars quæ remanet antecedenter non videbat, ſed illa, quæ abſciſſa eſt: ergo nullam patitur læſionem in actione videndi, ſicut nec manus, nec pes.

Reſpondetur: Quòd vt docet Galenus *lib.*4. *de vſu partium*, in qualibet parte organica eſt vna particula determinata, cui non eſt alia ſimilis in toto corpore, à qua efficienter producitur actio; reliquæ verò præſtant vſum ad eandem actionem, ſeu commoditatem: vnde pars quæ remanet; quæ priùs præſtabat vſum ad illam actionem, præternaturaliter afficitur, & læditur in ordine ad ipſum vſum.

Contra: illa pars, quantùm eſt de ſe, remanet cum eadem temperie, & compoſitione ſuarum partium ſimilarium, ac erat antecedenter: ergo in illa nulla eſt læſio actionis pro præſtando vſu ad viſionem.

Reſpondetur: Quòd pars quæ remanet in tantum dicitur præſtare vſum, & commoditatem ad actionem, in quantum pars elicitiua talis actionis eſt illi phyſicè, aut mathematicè vnita, & eadem formâ informata: quod cùm deficiat poſt abſciſſionem, remanet pars morboſa adhuc in ordine ad præſtandum vſum ad illam actionem.

Contra: per defectum vnionis vnius partis cum aliis eius partis læditur actio, quæ deunitur à conſortio viuentium, non verò earum, quæ remanent cum vita, & debita temperie: ergo organi ſeparati erit actio læſa.

Reſpondetur: quòd partes inſtrumentariæ ſunt diuerſæ, aliæ enim ſunt prima inſtrumenta, aliæ ſecunda, aliæ tertia, aliæ quarta: conueniunt tamen inter ſe in hoc, quòd omnia conſpirant inter ſe, & omnia ſe coadiuuant in ſuis actionibus in ordine ad totum, vt patet in brachio, & manu: manus in apprehenſione iuuatur à brachio, brachium à manu, & ambo iuuantur ab humero, & à toto.

Contrà: ablato oculo, ſiue impediatur, ſiue non impediatur actio partis remanentis, actio videndi non fit: ergo fruſtrà admittitur morbus in parte remanente conducens ad læſionem actionis videndi.

§. II.

Communis præfertur opinio.

REſoluendum negatiuè: ſic communis Medicorum tenet aſſenſus.

Probatur ex Galeno, qui *lib. de differem. morbor. c.*8. ſic ſanciuit dicens: *Neque ambigitur quod eius quæ ſupereſt partis erit ægritudo, non autem eius quæ ampliùs non erit.*

Probatur 2. Morbus eſt paſſio viuentis: ſed pars abſciſſa non viuit: ergo non ſubiectatur in illa, ſed in remanente.

§. III.

Vltimò ſoluitur ratio dubitandi.

AD vltimum argumentum Reſpondetur: Tum quòd ablato oculo, duo ibi veniunt conſideranda: alterum eſt ineptitudo videndi propter negationem videndi, quæ accidit oculo abſciſſo, ſicut contingit ſemper in talpa: alterum eſt præternaturalis diſpoſitio, quæ ſuperuenit parti remanenti, quatenus

abſcinditur ab illa ea pars, cui vſum præſtabat, ratione cuius morboſa remanet reſpectu ſui concurſus ad actionem videndi propter defectum connexæ conformationis cum illa: Tum quòd actiones ſunt ſuppoſitorum, vt ſanciuit Ariſtoteles: tribuuntur tamen illis partibus, in quibus inſidet peculiariter facultas elicitiua illarum. Communiter enim dicimus, oculum videre, manum apprehendere: ſed, propriè loquendo, eſſet dicendum, quòd homo videt per oculum, & apprehendit per manum: dum autem morbum habet impedientem tales operationes, etiam dicimus, Oculus non videt; cùm potiùs deberet dici, Homo non videt per oculum: & hoc prouenit illi ratione morbi, qui ſuperuenit illi poſt oculi abſciſſionem. A B

Resolvtio IX.

Vtrùm ex particulæ ablatione fiat morbus in numero diminuto, an in quantitate diminuta?

§. I.

Rationes dubitandi proponuntur.

C NOn fieri morbum in numero diminuto, ſuadet, quòd ex ablatione, v. g. totius linguæ, etſi membrum integrum abſcindatur, ſolùm remanet morbus in diminuta quantitate: ergo non in numero diminuto. Probatur antecedens, ſolùm reſultat morbus, defectu eius per quod læditur actio: ſed ex linguæ ablatione ſolùm fit morbus defectu debitæ quantitatis requiſitæ ad vibrationem aëris pro loquela: ergo ex ablatione totius linguæ non reſultat niſi morbus in magnitudine diminuta.

Dices: quòd prouenit morbus, tum quia deficit quantitas ad vibrationem, tum quia numerus partium non eſt adimpletus.

Contrà: ſi particula integra, v. g. neruus auſecatur ex lingua, prouenit morbus ob diminutam partem D componentem: ergo idem contingit dum deficit lingua. Probatur antecedens, deficiente neruo, ſi loco eius noua pars carnis adimpleatur, fit loquela: ergo ob diminutam quantitatem non fiebat.

§. II.

Quid tenendum, ſancitur.

REſoluendum: Quòd in particula integrè abſciſſa fit morbus in numero, & quantitate diminuta; ſi abſciſſa ſit ſecundùm partem, fit ſolùm in diminuta quantitate.

Probatur: Morbus in numero diminuto eſt, qui reſultat ex particula deficiente diſtincta à reliquis organum componentibus; morbus in diminuta quanti- E tate eſt, qui reſultat ex quantitate diminuta ex ea, quæ requiritur pro organi magnitudine: ſed abſciſſa integrè particula, vtrumque contingit, vt apparet: ergo vterque reperitur morbus.

Probatur 2. pars: ſi ex toto non auferatur particula; non auferetur numerus particularum, quæ requiruntur pro organo, ſed quantitas ſecundùm magnitudinem quæ requiritur pro illo: ergo ſolùm morbus in diminuta quantitate fit.

§. III.

Fit ſatis pro argumento.

AD vltimum argumenti reſpondetur, Quòd numeri defectus non poteſt ſuppleri per alterius ſubſtantiæ repoſitionem, ſicut nec illius vſus, nec neceſſitas.

Resolvtio X.

Vtrùm omne adaugens quantitatem habeat morbi rationem?

§. I.

Leoniceni, & Comitis Montani refertur opinio.

GAlenus *lib. de different. morbor.* Auicenna *fen. 2. t. d.* t. c. 2. morbum in quantitate diuidit in morbos in quantitate diminuta, & morbos in quantitate adaucta. Morbi autem in quantitate adaucta, alij fiunt tales ex incremento ſubſtantiæ viuentis ſecundùm omne incrementum; alij fiunt per partis incrementum ſuperueniens ratione humoris intra poroſitates partis contenti, qualiter in tumoribus præter naturam contingit: & de his præcipuè inquirimus, an humor contentus induat rationem morbi.

Partem affirmatiuam tuetur Leonicenus, *in quæſtione ad Zambecarium*, cui firmiter adhæret Comes Montanus, *lib. 2. de morb. cap.* 57. ſuámque nititur probare ſententiam.

Primò: Galenus diuidit morbos partium ſimilarium in intemperiem ſimplicem, & intemperiem cum affluxu materiæ; quarum hæc differt ab illa, quia eſt de intrinſeca ratione huius præſentia humoris in parte, quam illa non petit: ergo tumor, in quo reperitur intemperies cum affluxu materiæ ipſum humorem continet tanquam partem eſſentialem ſui.

Secundò: illa eſt ratio eſſentialis, ad quam ſequuntur propria accidentia: ſed propria accidentia tumorum præter naturam, quæ ſunt ſigna pathonomica illorum, v.g. in phlegmone rubor, tumor, dolor pulſans, tenſio, renitentia, ſequuntur à præſentia humoris contenti intra tumorem: ergo humor contentus, intrinſeca pars, ac eſſentialis tumoris eſt.

Tertiò: tumores diffiniuntur per humorem intra illos contentum, curantur humore contento euacuato: ergo humor contentus eſt pars illorum.

Quartò: ſi non eſſet morbus humor in tumore, maximè quia eſſet cauſa: ſed nullius cauſæ rationem habet: ergo eſt morbus.

§. II.

Contraria ſancitur opinio.

REſoluendum: Quòd res omninò præternaturaliter aucta, quæ viuentis formâ informatur, eſt morbus pro materiali in magnitudine adaucta quæ non informatur eadem forma viuente, qua pars tumoroſa, cauſæ rationem induit. Secundam reſolutionis partem amplectitur Santa-Cruz *lib. 1. de morb. & ſymptom. c.* 5.

Probatur 1. pars reſolutionis. Morbus pro materiali eſt ex cuius poſitione reſultat morbus pro formali tanquam terminus ſecundarius eius actionis, per quam fit morbus pro materiali: ſed dum viuens ſubſtantia augetur, vt in polypo, & ſupercreſcente carne: ex poſitione talis ſubſtantiæ, & ex vi ſuæ actionis productiuæ ſtatim reſultat præternaturalis diſpoſitio, quæ eſt morbus pro formali: ergo ipſa ſubſtantia viuens adaucta, eſt morbus pro materiali.

Probatur 2. pars reſolutionis. Morbus pro formali reſultat ex vitio ſuperueniente in quantitate adintegrante debitam partis quantitatem: ſed quantitas

requiſita

requiſita ad quantitatem & integritatem partis organicæ debet eſſe ſub aliqua ſubſtantia viuente componente ipſam partem:ergo quæcumque ſubſtantia non viuens cùm illam non componat, nec ſit de eius integritate,non poteſt eſſe morbos pro materiali in quantitate adaucta.

Probatur 3. Morbus pro formali ſuperuenit in ea parte,quæ eſt morbus pro materiali in quantitate adaucta, eum ſequatur,& reſultet ea illa : ſed cùm morbus pro formali ſit paſſio viuentis,non poteſt inhærere parti non viuenti,qualis eſt humor:ergo humor non poteſt eſſe pars intrinſeca morbi in quantitate adaucta.

§. III.

Soluuntur Montani fundamenta.

AD 1.reſpondetur:quòd differentiæ morborũ non ſemper ſumuntur ab eius, quæ ipſos adintegrant; ſed plerumque à ſuis cauſis, ſic videre eſt in febrium differentiis,vt latè proſequitur Sanct. Cruz *loco citato.*

Ad 2.reſpondetur:quòd ſicut differentiæ tumorum ſumuntur ab humorum cauſis, ſimiliter & ſigna quibus diſtinguantur,ab eiſdem deſumuntur cauſis.

Ad 3.reſpondetur : Quòd intenditur tumorum in particulari cognitio per diffinitionem deſcriptiuam traditam per eorum cauſas , quatenus hæc maximè conducit ad eorum curationem, quæ optimè perficitur per humorum ablationem , quatenus ſunt earum cauſæ continentes. C

Ad 3.reſpondetur:Quòd facultates expellentes viuentis ſunt cauſæ remotæ tumorum; humores ab illis compulſi ſunt cauſæ proximæ diſtendentes partes,tum ratione impulſus primò acquiſiti;tum ratione propriæ quantitatis, quæ alterius eſt expulſiua , ſicut quælibet alia , ne detur corporum penetratio , & huius ratione continenter retinent partium extenſionem,donec auferantur.

Resolvtio XI.

Vtrùm morbus in mala compoſitione ſpecialiter dicta,diuidatur adæquatè in morbum in ſitu , & morbum in coalitu ſeu connexione ? D

§. I.

Pars ſuadetur negatiua ex Auicenna doctrina.

VIdetur quòd non:quia Auicenna *fen.*2.1 *d.*1.diuidit morbos in mala compoſitione in quatuor ſpecies:ergo bimembris hæc diuiſio eſt diminuta.

Secundò:ſi per coalitum fiat ex duobus digitis v.g. vnus,fit morbus in numero diminuto, cum per coalitum deficiat debitus numerus digitorum : ergo morbus in coalitu non eſt ſpecies diuerſa morbi ſub mala compoſitione.

§. II.

Galeni amplectitur doctrina.

REſoluendum affirmatiuè : ſic ſanciuit Galenus *lib. de different.morbor. cap.*20. & receperunt illius Commentatores.

Probatur : In compoſitione peculiari requiritur ſi-A tus debitus cuicumque parti , & quod quælibet pars debitam habeat connexionem cum aliis : ſed in qualibet poteſt ſuperuenire vitium in ſitu , vt in luxatione,& ſubluxatione apparet; & in coalitu,vt ſi ſeparentur partes quæ vnitæ deberent eſſe , aut vniantur quæ petunt denniri,vt digitis quandoque accidit : ergo ex duplici hoc vitio duplex ſuperuenit morbus malæ compoſitionis ſic ſpecialiter dictæ.

§. III.

Fulcitur hæc doctrina ſolutione argumentorum.

B AD 1.reſpondetur:quòd Auicenna diuidit morbos in compoſitione genericè ſic dicta;nos verò cum Galeno morbos in mala compoſitione ſpecialiter dicta,quæ primæ eſt ſubalterna ſpecies.

Ad 2.reſpondetur : quòd per coalitum non auſertur numerus pro inſtrumentali parte requiſitus,ſed impeditur vſus partium componentium, & ideò ex coalitu impediente inſurgit morbi ratio.

SECTIO VI.

De morbis vtriſque partibus communibus.

C TErtivm morbi genus,qui continuitatis,ſiue vnitatis ſolutio dicitur, ſimilaribus,& organicis accidit partibus,vtriſque enim communis eſt vnitas;vt vnicâ valeant animâ informari,cuius vitio ſuperuenit morbus in ſoluta vnitate,cuius differentiæ ſumuntur aliquando à cauſa,aliquando à ſubiecto:ratione cauſæ quadruplex eſt.Primò materiâ acri, & erodente fit in parte carnoſa vlcus , in oſſe caries. Secundò à cauſa ſecante,inſcindente,pungente fit vulnus.Tertiò à duro corpore irruente fit contuſio,& illiſio in partibus mollibus , in oſſibus , fit fractura. Quartò à replentibus,diſtrahentibus , contrahentibus fit diſruptio,diſtenſio.Ratiõe ſubiecti tribuitur partibus carnoſis vlcus,& vulnus,carnoſis mollibus ruptio, & contuſio , oſſibus fiſſura , fractura , caries, neruis conuulſio, fibris diuulſio, organicis partibus apoſpaſma,quæ omnes differentiæ morbi ſunt ſub ſoluta vnitate de qua ſub hac Sectione agemus.

Resolvtio I.

Vtrùm ſolutio continuitatis ſit morbus ?

§. I.

Argenterius pro parte negatiua adducitur.

SOlutionem continuitatis non morbi,ſed cauſæ illius habere rationem,tradit Argenterius *lib. de dif-* E *ferent.morbor.* pro cuius opinione facit

Primò : Morbus eſt diſpoſitio præter naturam : ſed morbus in ſoluta vnitate non eſt diſpoſitio, ſed continuitatis priuatio : ergo non habet morbi rationem.

Reſpondetur:Quòd ſolutio continuitatis eſt morbus pro materiali , ex qua ſequitur morbus pro formali , qui eſt diſpoſitio præternaturalis.

Contra : ſolutio continuitatis eſt vnitatis priuatio: ergo non habet entitatem poſitiuam in qua ſter ratio morbi pro materiali.

Secundò : morbus eſt res permanens,vt docet Galenus *lib.*1. *de locis affectis* ,*cap.*3. *lib. de differ. ſymptomat.cap.*1.*lib.*2. *methodi cap.*3. ſed ſolutio continui

eſt

eſt res ſucceſſiua, cùm conſiſtat in motu locali deuniente partes: ergo non poteſt habere morbi rationem.

Tertiò: Morbus eſt affectus lædens operationes ſed ſolutio continuitatis, non eſt affectus lædens operationes: ergo non eſt morbus. Probatur minor, continuitas non elicit operationes: ergo eius ſolutio non eſt vitium lædens operationes.

Quartò: ſoluta vnitate, vt in vulnere apparet, perfectior fit carnis ſupercreſcentia in illo: ergo potiùs perficitur actio quàm læditur.

Quintò: ſoluta vnitate, nulla ponitur poſitiua entitas, cui tribuatur morbi ratio: ergo non habet veram morbi rationem.

§. II.

Communis ex Galeno amplectitur opinio.

RESoluendum affirmatiuè: ſic ſanciuit Galenus *lib. de different. morbor. cap.* 11. recepit Auicenna, & vno dempto Argenterio tenent omnes Commentatores.

Probatur: Morbus pro materiali dicitur quodcumque vitium, quod ſuperuenit naturali conſtitutioni; ex quo præternaturalis diſpoſitio reſultat: ſed ſolutio continuitatis eſt vitium ſuperueniens continuitati, per quam naturalis conſtitutio adimpletur, & ex quo præternaturalis oritur diſpoſitio, a qua patet operationes lædi: ergo morbus in ſoluta vnitate veram morbi rationem habet.

Probatur 2. Morbus propriè talis eſt, à quo ſequitur ſymptoma, cùm ſymptoma ſit effectus neceſſariò ſubſequutus ad morbum: ſed ad ſolutionem continui ſequitur ſymptoma, quammaximè dolor, qui in communiſſima opinione à ſola ſolutione continuitatis ſequitur: ergo ſolutio continuitatis eſt morbus.

§. III.

Argenterij ſententia obruitur ſolutione argumentorum

AD 1. Reſpondetur: Quòd ſolutio continuitatis aliquando ſumitur pro motu ſoluente continuum; aliquando pro ipſa partium deunione; aliquando pro partibus deunitis, & in his ſtat ratio morbi, ex quo reſultat præternaturalis diſpoſitio, quæ inhæret in illis, & male eas diſponit ad agendum.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd, vt diximus, per ſolutionem continui non intelligimus ipſum motum partes deunientem, ſed partem affectam ſolutione, ſeu ipſas partes vt ſunt diuerſæ, diuerſóque modo locatæ, ac debent, quæ entitas ſunt poſitiua ex qua reſultat morbus pro formali.

Ad 3. Reſpondetur: quòd intendimus, quòd ſolutio continui ſit morbus pro materiali; non verò formaliter; & vt ſic vitium eſt vnitatis debitæ naturali conſtitutioni.

Ad 4. Reſpondetur: Quòd ſupercreſcentia carnis prouenit in vlcere per deprauatam actionem, quæ læditur à morbo ſolutæ continuitatis.

Ad 5. Reſpondetur: Quòd ponitur vitium, quod opponitur vnitati debitæ pro naturali conſtitutione, quod remanet in ipſis partibus deunitis, ratione cuius admittunt continuitatem, quam quælibet pars requirit cum ſuo toto.

A

Resolutio II.

Verùm vnio continuitatis ſit morbus communis partibus ſimilaribus & organicis.

§. I.

Martinez fundamenta pro parte affirmatiua traduntur.

PRimus omnium Complutenſis Martinez *lib. 2. tract. 1. ſect. 1. quæſt.* 15. hanc tetigit difficultatem, his fundamentis fulciens partem affirmatiuam.

B Primò: datur morbus in ſoluta vnitate communis parti ſimilari, & organicæ: ergo debet dari alter morbus vtrique parti communis conſiſtẽs in vnione partis, quæ debet eſſe deunita. Patet conſequentia, nam non minus vitiatur pars & fit morboſa, ſi partes, quæ petunt eſſe deunitæ, ſiue ſint ſimilares, ſiue organicæ, vniantur; quam ſi deuniantur, quæ deberent eſſe vnitæ.

Secundò: vena quæ eſt pars ſimilaris, ex Galeno *lib. de different. morb. cap.* 3. petit cauitatem, & caro, quæ ſimiliter pars ſimilaris, more v.g. petit deunionem: ſimiliter partes organicæ; quæ petunt eſſe cauæ, ſi vniantur, morbum patiuntur ratione vnionis ſuperuenientis partibus, quæ petunt eſſe deunitæ: ergo continuitas non debita partibus eſt morbus communis
C ſimilaribus & organicis.

Tertiò: Morbus in cauitate eſt communis partibus organicis, & etiam partibus ſimilaribus: ergo præter continuitatis ſolutionem, alter morbus eſt vtriſque communis. Probatur antecedens ex Galeno, qui *lib. de different. morbor. cap.* 4. docet morbum in cauitate competere partibus organicis, & *lib. eodem cap.* 4. 5. & 7. docet morbos in cauitate reperiri in partibus ſimilaribus, quatenus pori in eis comprimuntur, aut dilatantur: ergo vtriſque partibus eſt communis.

§. II.

D

Galeni defenditur doctrina.

REſoluendum quòd ſola continuitatis ſolutio eſt morbus communis partibus ſimilaribus, & organicis: ſic ſanciuit Galenus, *lib. de different. morbor. cap.* 4. & 11. Auicenna *fen.* 1 *lib.* 1. *c.* 2. Emmanuel Martinez *loco citato*, & admittunt communiter omnes ſine controuerſia.

Probatur: Morbus pro materiali eſt vitium eius entitatis, quæ adintegrat naturalem conſtitutionem: ſed ex eis quæ naturalem viuentis conſtitutionem adintegrant, ſolùm continuitas eſt perfectio vtriſque partibus communis: ergo ſolùm illius vitium poteſt eſſe morbus vtriſque communis. Probatur minor ex Galeno, *lib. de different. morbor.* naturalis viuentis conſtitutio adintegratur per naturalem temperiem parE tium ſimilarium, compoſitionem organicarum, & ambarum vnionem: ergo ſola vnitas eſt perfectio vtriſque communis.

§. III.

Soluuntur fundamenta primò adducta.

AD 1. Reſpondetur: Quòd partes ſimilares noſtri corporis, vt ex illis fiat vnum, petunt ſemper continuitatem; & ideò nulla continuitas obſtat huic perfectioni, quia per quamcumque fiant, magis vnitæ, fiunt magis continuæ; ſi verò deuniantur ſuperuenit

... morbus quia ex ... patitur ſimilaris vt ta-lis accidere ... pars hic organica, vt talis, aliqua petit cauitatem, quæ ſi occludantur ſuperuenit vitium quod dicitur morbus in via, qui eſt proprius partium organicarum.

Ad 2. reſpondetur ex dictis, quòd vena, & caro dicuntur partes ſimilares ratione materiæ, quia non componuntur ex aliis ſimilaribus: at vero ratione formæ ſunt partes organicæ, & vt tales petunt cauitates, ex quibus obſtructis, aut coarctatis fit morbus in via propriis partibus ſimilaribus.

Ad 3. Reſpondetur, relicta Complutenſis longa digreſſione Quòd caro, prout ratione formæ poteſt dici pars organica petens cauitates ad actis receptionem, & excrementorum expurgationem, ſi poroſitates, ſeu meatus, quos non ſolum in antiquorum ſententia, ſed ex Galeni doctrina *lib. de vſu partium*, debemus admittere, ſi ... fit, vt diximus, morbus in via ſuperueniens cauis, vt organicæ, non vt ſimilari parti.

RESOLVTIO III.

Vtrùm ſolutio continuitatis valeat accidere parti ſimilari ſine eo quòd ſimul accidat organicæ?

§. I.

Argenterij proponitur, & probatur opinio.

NVllam poſſe ſolutionem continui accidere parti ſimilari, niſi quatenus organi ... ipſam patitur, contendit Argenterius: cuius placito fauet,

Primò: non datur morbus in parte, quin vitietur naturalis conſtitutio illius: ſed per ſolutionem continuitatis non poteſt vitiari naturalis conſtitutio partis ſimilaris, quia hæc in ſola naturali illius temperie conſiſtit; vt docet Gal. *lib. . ſimplicium. c. 3. §. neque enim* ... ergo ſolutio continuitatis non eſt morbus ſolius partis ſimilaris, niſi ſimul vitietur organi...

Secundò: Morbus prouenions in ſolutione continui ... morbos in ſitu, cùm neceſſariò per diuiſionem partes nouum ſitum, & nouam vbicationem acquirant ... morbus in ſitu eſt proprius organicarum; ergo non poteſt ſimilaribus accidere niſi ratione ... rum.

Tertio: ſi pars ſimilaris ſolutionem patitur, per ſeparationem ... dicuntur, fit morbus in quantitate diminuta: ſed hic eſt ... partium organicarum: ergo non poteſt ſuperuenire parti ſimilari.

§. II.

Valleſij, Mercati, Comitis Montani & reliquorum amplectitur opinio.

REſoluendum affirmatiuè: ſic ſanciuit Galenus *lib. de differen. morbor. lib. method. lib. de co... artis medicæ cap. 6.* Auicenna *fen. 2. ... cap. 4.* quos ſequuntur Valles *lib. 4. controu. ... cap. ...* Fontanus *lib. 1. patholog. cap. 9.* Santa-Cruz *lib. de morb. & ſymptom. cap. 11.* Varandæus *phyſiologia vniuerſ. cap. 2.* Sennertus *lib. 2. inſtitut. cap. 10.* Comes Montanus *lib. 3. de morb.* Roſellus *de different. morb. q. 61.* & eſt communis.

Probatur 1. ex Galeno, qui *lib. de differen. morbor. cap. 11.* inquit *Reliquum eſt quantum genus agritudinis continuitatis ſolutio, ſiue hæc ſuperueniat alicui*

A *ex particulis principalibus, quæ ſimilares appellantur ſiue compoſita ...*

Probatur 2. Cutis & caro ſunt partes ſimilares: ſed cutis ſubeſt ex his poteſt accidere ſoli: ergo ſoli valet accidere parti ſimilari.

Probatur 3. Solutio continuitatis eſt vitium, quod accidit parti; quatenus habet vnitatem, ſeu communitatem: ſed quælibet pars ſimilaris propriam habet continuitatem, ac vnitatem: ergo poteſt pati ſolutionem illius.

Probatur 4. Pars ſimilaris eſt quanta independenter ab organi quantitate alta: ſed quantitas eſt diuiſibilis: ergo quælibet ſimilaris pars eſt de ſe diuiſibilis.

B

§. III.

Ex ſolutione argumentorum ſancitur vlterius Galenica Doctrina.

AD 1. reſpondetur: Quòd pars ſimilaris habet duo, & quòd ſit ſimilaris, & quòd ſit pars; prout ſimilaris, debitè conſtituitur per naturalem temperiem; prout pars, petit continuitatem: qua ſoluta, fit morboſa.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd morbus in ſitu abſtrahit ab hoc, quòd partes patiantur ſolutionem continuitatis, aut non, vt apparet in luxatione; quæ ſine ſolutione continui aduenit. Morbus verò in ſoluta vnitate ad ſitus mutationem ſuperaddit ſolutionem illius continuitatis, quæ eſt debita ad conſtitutionem viuentis, & ideò ex illa ſola, excluſo quocumque alio, reſultat morbi ratio.

C

Ad 3. reſpondetur: Quòd ſuperuenit morbus parti ſimilari, etiamſi ſub forma viuentis vtraque pars remaneat, & cum eadem quantitate, quæ fuit priùs, dummodò partes ſeparentur: ſi verò partis aliquid auferatur, præter ſolutionem continuitatis, à qua ſuperuenit morbus parti ſimilari, reſpectu organi accidit alter morbus in diminuta quantitate.

RESOLVTIO IV.

D

Vtrùm morbus in ſoluta vnitate poſſit ſoli parti organicæ accidere, non patiente ſimilari aliqua?

§. I.

Auerroïs, & Conciliatoris opinio profertur.

OPpoſitam ſatentur opinionem Auerroës *lib. 3. collig. c. 14.* & Conciliator *differen. 75.* qui vnilitér ſuadere contendunt, quòd ſolutio continuitatis ſolius partis ſimilaris eſt morbus, ita vt organicæ non accidat niſi ratione ſimilarium, quæ ſolutionem patiuntur, ſicque nituntur ſuadere opinionem.

E

Primò: Non poteſt dari ſolutio continuitatis in parte organica, niſi accidat ratione partis ſimilaris: ergo in ſola parte organica non poteſt reperiri. Probatur antecedens, ſolutio continui, ſeu diuiſibilitas, eſt paſſio quantitatis: ſed non poteſt reperiri quantitas in parte organica, quæ non ſit quantitas partium ſimilarium componentium illam: ergo non poteſt in illa reperiri ſolutio, ſeu diuiſibilitas, niſi ratione partium ſimilarium.

Secundò: ei aduenit ſolutio continuitatis, cui eſt propria continuitas: ſed in corpore humano ſolis partibus ſimilaribus conuenit continuitas: ergo illis primò, & ratione illarum organicis adaptanda eſt diuiſibilitas. Probatur minor, ſic ſe habent in noſtro

A corpore partes ſimilares, ex quibus componuntur organicæ, ſicut ſe habent in ente artificiato, v. g. in domo partes componentes: ſed in domo ſolum reperitur continuitas partium ſimilarium: ergo ſimiliter in partibus noſtri corporis ſimilaribus ſolis reperitur.

Tertiò: ſi aliqua eſſet ſolutio continuitatis propria partibus ſimilaribus, maximè illa quæ fit in apoſpaſmate: ſed in apoſpaſmate non datur ſolutio continui: ergo nulla ſolutio continui aduenit partibus organicis, niſi ratione partium ſimilarium. Probatur minor, non datur ſolutio vnitatis vbi non erat vnitas: ſed inter partes, quæ diuiduntur in apoſpaſmate, non datur vnitas, cutus non deeſt aliquod medium commune, per quod vniantur illæ partes: ergo non poteſt dari in illis ſolutio continuitatis.

B

§. II.

Galeni, & Claſſicorum opinio præfertur.

Reſoluendum affirmatiuè: ſic ſancit Galenus *lib. de differ. morb cap.* 11. Auicenna *en* 1. 2. *d.* 1. quos ſequuntur Authores citati *re*... *lente*.

Probatur 1. Solutio continui partibus poteſt ſuperuenire, quæ ſunt vnitæ: ſed pars organica componitur ex ſimilaribus vnitis: ergo in earum deunione poteſt pati ſolutionem continuitatis.

Dices: partes organicas poſſe pati ſolutionem continuitatis, ſed pati ipſam ratione ſimilarium componentium, quarum vnitas ſoluitur.

C Contra: ex partibus diuerſis ſimilaribus fit organum, continuitatis partibus, medio nexu vniente illas: ergo in deunione illius nexus erit ſolutio continuitatis tantùm reſpectu partis organicæ, & non ſimilarium. Probatur minor ex Ariſt. *lib.* 5 *Phyſicor. cap.* 3. dicente: *Continuum* ... *proprie loquendo* ... *eſt quod vno termino communi copulatur, taliter quod eius vnus ſit motus, &* ... *tempore.* Et ſuperaddit: *illa enim, quæ habent articulationem, vt crus, continua naturalia ſunt, quia copulantur naturaliter media articulatione, & vinculo naturali: & ſunt tamen veriſſimè continua naturalia: quia præterquam quod copulantur vno termino naturali, ab vna met forma ſpecifica gubernantur & continentur.*

D Probatur 2. Organica pars reſpectu partium ſimilarium, ex quibus componitur, eſt quoddam totum: ſed quodlibet totum eſt diuiſibile in illas partes ex quibus fit totum: ergo pars organica, vt talis, eſt diuiſibilis propria diuiſibilitate.

Probatur 3. Apoſpaſma ſeu diuiſio eſt poſſibilis; poteſt enim integrum ligamentum ab oſſe diuelli, ſeu arteria à parte carnoſa: ergo poteſt dari ſolutio in parte organica per ſimilarium partium ſeparationem, ſine ſolutione propria ſimilarium.

§. III.

Auerroïs fundamenta ſoluuntur.

E Ad 1. negato antecedente, diſtinguo maiorem; diuiſibilitas eſt paſſio quantitatis, ſi ſit diuiſibilitas mathematica, concedo: ſi ſit diuiſibilitas phyſica, nego maiorem. Vt enim docet Ariſt. *lib.* 5. *phyſicor. capite* 3. Continuum eſt, cuius partes copulantur aliquo termino communi: ſed continuitas eſt duplex, vna rigoroſa, & mathematica, quæ fit medio aliquo indiuiſibili, vtrique extremo communi, & quod vtriuſque rationem participat, & talis eſt continuitas mathematica, quæ inter partes ſimilares reperitur. Alia eſt continuitas phyſica, quæ reperitur

A inter diuerſas partes ſimilares, organicas componentes heterogeneo modo; & fit non per medium indiuiſibile vtrique termino omnino idem, ſed per quemdam coalitum, vel nexum diuerſæ rationis ab extremis, quæ continuitas ſufficit in viuente, vt omnes eius partes, etſi heterogeneæ, vita animâ informentur; quæ vnio non potuit eſſe mathematica in viuente, quia cùm deberent vniri partes diuerſæ rationis, & heterogeneæ naturæ, & vna entitas non poterat identificari cùm extremis diuerſis, fuit neceſſe vniri per medium nexum, ſeu coalitum diuerſæ rationis.

Ad 2. reſpondetur. Quòd vnitas reperta inter partes heterogeneas viuentis, eſt media inter vnionem mathematicam, & inter contiguitatem, qua B vniuntur partes artificiatorum: vnio enim mathematica, cùm ſit inter partes eiuſdem rationis, debet fieri per indiuiſibile eiuſdem rationis cum vtraque parte vnita. Partes verò, ex quibus fit artificiatum, cùm non debeant informari per vnam formam ſubſtantialem, ſed ſolum per formam accidentalem, illis vt contiguis ſuperuenientem, ſufficit eis contiguitas: viuens verò quod ex vna parte fieri petit ex partibus organicis, & heterogeneis, & ex alia quod omnes illæ partes informentur vnicâ formâ ſubſtantiali viuente, licet non potuerint vniri mathematicè, debuerunt tamen ſaltem vniri phyſicè, ita vt ſaltem heterogenea vnione partes vnitatem, & continuitatem ſeruent, ita vt fiant vnum, vnaque valeant animâ conformari, vt ex Ariſt. 5. *phyſicor.* diximus.

C Ad 3. reſpondetur ex D. Thom. 5. *phyſicor. lect.* 8. *& lect.* 5. Quòd illud, quod vnit partes diuerſas ſimilares, eſt eiuſdem naturæ cum partibus; non vt fiat vnio mathematica, ſed vt fiat vnio phyſica, ad quam ſufficit; quod licet in eſſe talis partis non dicat omnimodam conuenientiam cum partibus vniendis & in modo ſubſtantiæ, illam tamen dicat in eſſe viuentis, quod ſufficit vt per illam vnionem partes heterogeneæ fiant vnum viuens, quod omnes valet exercere actiones vitales illius animæ.

Resolvtio V.

D Verùm ſolutio continuitatis valeat ſim accidere tam parti ſimilari, quàm organicæ.

§. I.

Pars proponitur negatiua, & eius fundamenta.

Videtur negatiua pars probabilior: tum quia ſi ſimul poſſent pati ſolutionem pars ſimilaris, & organica, maximè in apoſpaſmate: ſed in hoc in ſola organica fit ſolutio continuitatis, tum quia diuerſum principium ſolutionis continuitatis eſt in parte ſimilari, in qua ſola vnitas mathematica reperitur, ac in E organica in qua eſt vnitas phyſica: tum quia ſi apoſpaſmate ſu parte deunita aduenit morbus ratione diuulſionis, non poterit etiamſi ſanetur, alterum morbum recipere, quia diſpoſitio præter naturam intus exiſtens prohibet inhæſionem alterius: ergo non poteſt ſolutio continuitatis ſimul aduenire parti ſimilari, & organicæ.

§. II.

Præfertur opinio affirmatiua.

Reſoluendum affirmatiuè: ſic ſancit Galenus, & Auicenna locis antecedenter adducti, & eas

tenent communiter omnes Authores citati pro *reſolut.4. & 5.*

Probatur ex verbis Galeni *lib de differen. morbor. cap.* 11. dicit enim: *Cum enim diuellitur ligamentum, & arteria, communis eſt, totius inſtrumenti, & diuulſæ particulæ ægritudo; nam vtriuſque ſoluta eſt continuitas, totius quidem inſtrumenti, cùm partes non ampliùs cohæreant, neque vniuntur; ipſius verò particula diuulſa, quoniam non ampliùs eſt vna, ſed in duas partes diuiſa*: hæc Galenus, in quibus docet hanc doctrinam, demonſtrátque modum poſſibilitatis illius.

Probatur 2. Datur vnum principium commune partibus ſimilaribus, & organicis, ex quo reſultat ſanitas vtriſque ſimul, ſcilicet vnitas: ergo poteſt dari vitium illius vtriſque commune, ex quo ſimul vtriſque accidat morbus.

Probatur 3. Parti ſimilari abſque organica, parti B A organicæ abſque ſimilari, vt probauimus, accidit ſolutio continuitatis: ergo ſi vtrique applicetur cauſa ſolutiua continuitatis, vtrique ſimul adueniet ſolutio continuitatis.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur, tum quòd dum fit apoſpaſma, vel poteſt fieri per diuulſionem vnius partis ab alia ſolùm, & fiet ſolutio in parte organica tantum; vel, vt ait Galenus, ita vt ſimul aliqua pars illarum rumpatur, & erit etiam ſolutio in ſimilari: tũ quòd in qualibet illarum eſt ſua vnitas, cui poteſt ſuperuenire ſolutio continuitatis: tum quòd datur duplex ſubiectum; pars ſimilaris diuulſa, & pars remanens in parte diuulſa poſt alterius comparis abſciſſionem.

DISPVTATIO III.

De temporibus morborum.

METHODO Auicennæ adhærentes, poſt tractationem de morborum differentiis, de illorum diſputabimus temporibus; ſiue quia illorum ſunt partes, vt ipſe admittit *fen.* 2.1.*d.*1.*c.*7. ſeu potiùs quia ſunt menſuræ morborum iuxta diuerſas durationes ſuarum partium, quas maximè cognoſci à Medico expedit pro prognoſi, & curatione. De his egerunt Galenus *lib. de morborum temp. & lib. ad Traſibul.* Auicenna *fen.* 1. 4.*c.*4.*fen.* 2.1.*doctrina* 1.*c.*4.& *ibi*, Gentilis, Iacobus, & reliqui Arabes Commentatores. Varandæus *lib. pathol. cap.* 16. Sennertus *lib.* 2. *inſtit. part.* 1 *cap.* 12. Carreirus *tom. de febribus, diſp. de morb. temporib.* Maſaria *lib.* 5. *de febribus, cap.* 3. Matamoros *lib. de febribus, diſp.* 1. *tract.* 2. Argenterius *lib. de temp. morb.* Valles *lib.* 10. *controuerſiarum.* Mercurial *lib.* 5. *prælect.* Martinez *lib.* 2. *de febribus, tract.* 2. Vega *lib.* 2. *de differentiis febrium.* Fuchſius *lib.* 4. *ſect.* 5.

SECTIO VNICA.

De quidditate, multiplicitate, & ſignis temporum morborum.

HVc vnica ſectione amplectar quidquid conducit ad cognitionem temporum morborum; ne in eis, quæ ſubnectuntur, diſtrahatur propriæ tractationis intentio.

RESOLVTIO I.

Vtrùm dentur tempora morborum.

§. I.

Gentilis abiectio fauet parti negatiuæ.

ACutiſſimus Auicennæ interpres Gentilis *in fen.* 2. 1. *d.* 1. *cap.* 7. in partem affirmatiuam hanc obiicit doctrinam: Galenus *lib.* 1. *de locis affectis, c.* 2. C docet, quòd morbus debet eſſe entitas, quæ totum ſuum eſſe habet ſimul: ſed in ſimultate temporis non poſſunt dari durationes pro pluribus temporibus: ergo non dantur tempora in morbis.

Reſpondet Petrus Garcia: quòd licèt eſſentia morbi conſiſtat in indiuiſibili, poteſt eius entitas habere partes intenſionis, aut extenſionis, ſecundùm quas menſuretur tempore.

Contrà: ſi morbus menſuratur tempore ſecundùm intenſionem, aut extenſionem: ſequeretur quòd in febre ardẽte eſſent tempora maioris durationis, quàm in quotidiana aut quartana, cùm ſit intenſior, & in ſolutione continui vnius palmi, quàm in vlcere mali moris ſub minori quantitate: ergo non poſſunt attendi tempora morbi penes maiorem, aut minorem eius D intenſionem, aut extenſionem.

§. II.

Galeni, Auicennæ, Gentilis, & reliquorum Commentatorum opinio recipitur.

REſoluendum affirmatiuè: ſic docet Galenus *lib. de optima ſecta ad Traſibulum. lib de morb. temporib.* Auicenna *fen.* 2. 1 *d.* 1. *c.* 7. & *ibi* Gentilis, Iacobus, & reliqui Commentatores. Valles *l.* 10. *controuerſ. cap.* 7. Sennertus *lib.* 2. *inſtit. part.* 1 *c.* 12. Argenter. *lib. de temp. morb.* Matamoros *lib. de febrib. tract.* 1. *diſp.* 1. Maſaria *l.* 5. *de febribus, c.* 3. & alij.

E Probatur 1. Tempora morbi ſunt menſuræ durationis morborum: ſed durationis morborum datur menſura: ergo dantur tempora morborum. Probatur minor, cuiuſcumque rei durationis datur menſura per quam ipſæ durationes differunt inter ſe, vt æternitas durationis Dei; æuum durationis Angeli, tempus durationis ſublunarium: ergo ſimiliter debet dari menſura durationis morborum.

Probatur 2. Hominis, anni, & cuiuſcumque entis ſublunaris duratio diuerſas habet menſuras ſuarum partium: quæ in anno tempora illius dicuntur Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems; in homine, Pueritia, Adoleſcentia, Iuuentus, Conſiſtentia, Senectus, dicuntur illius ætates: ergo ſimiliter debent admitti in morbo ſuæ durationis tempora.

Probatus 3. Omne ens ſublunare mutationi eſt ſubditum, ſecundùm quam, poſtquam recepit eſſe, in illo augetur, ad ſtatum peruenit, & tandem ſubit declinationem: ergo idem in morbis neceſſe eſt contingere: ſed menſura durationis ſub quovis horum tempus morbi dicitur: ergo morbi tempura debent admitti.

§. III.

Soluitur ratio primò adducta.

AD primum reſpondetur: Quòd Galenus tantùm intendit quòd morbus debet eſſe entitas permanens, quæ habeat totum ſuum eſſe ſimol: at verò in duratione ſub illo eſſe, ſunt diuerſæ mutationes, & harum menſuræ ſunt morbi tempora.

Resolvtio II.

Vtrùm morborum tempus ſit menſura durationis mutationum, quæ ſuperueniunt in morbo viciſſitudine naturali iuxta propriam eius conſtitutionem.

§. I.

Valleriola, & aliorum diffinitiones ponuntur, & aliqua adducuntur obiectiones.

VAlleriola *lib. 3. de locis communibus* tempora morborum dicit eſſe *mutationes quaſdam in ipſis, ſeu progreſſus, quibus ab initio ſeu vſque ad finem variè ægrotum afficiunt*. Matamoros *lib. de febribus, tract. 2. diſp. 1.* morborum tempora dicit eſſe *mutationes, quæ contingunt circa materiam morborum, proportionanturque in ætatibus viuentium.* Alij verò morborum tempora dicunt eſſe ipſorum morborum diuerſas partes. Nos verò, an potiùs ratio horum ſit ponenda in menſura harum durationum, vertimus in dubium; & parti negatiuæ fauet,

Primò Galenus, *lib. de totius morbi temp c. 1.* vbi tempus morbi definit per durationem: & Auicenna *fen. 2. 1. d. 1. c. 7.* morborum tempora vocat eorū partes: ergo non benè diffinitur morbi tempus per menſuram.

Secondò: in morbo ſunt plures, ac diuerſæ mutationes, quales ſunt, quæ ratione criſium ſuperueniunt, vel ab aliqua cauſa interna, aut externa ex procatarcticis: ſed menſuræ durationum in his mutationibus non ſunt tempora morbi: ergo non rectè traditur diffinitio.

Tertiò: ſi tempora morbi eſſent menſuræ mutationum ſuperuenientium viciſſitudine naturali, ſequeretur neceſſariò omnem morbum omnia percurrere tempora; cùm neceſſitate naturæ id deberetur: illi ſed non ſic contingit: ergo non ſunt in morbo mutationes viciſſitudine naturali debitæ.

§. II.

Sancitur diffinitio, & explicatione corroboratur illius doctrina.

REſoluendum affirmatiuè. Particula *menſura*, ratio eſt generica, ſub qua tempora morborum continentur, vt deducitur ex Galen. *lib. de temp. morb.* inquit enim: *Qualis res ætatum differentia in animalibus eſt, talis morborum tempora.* Et eodem *lib.* ait: *tempus in morbis non ſimpliciter hoc vocabulo ſignificatur; neque conueniens illud, in quo præſidia etiam conſideramus, ſed tantùm morborum ætas, &c.* ſed ætas eſt menſura durationis vitæ humanæ, vt *part. 1. Reſolut.* diximus: ergo tempo-

A ra morborum menſura ſunt durationis eorum.

Particula *durationis*, excludit menſuras rerum permanentium ſecundum ſuas quantitates. Particula *mutationum, quæ viciſſitudine naturali ſuperueniunt in morbo*, excludit æternitatem, æuum, tempus, ætates: quæ menſuræ ſunt durationum diuerſarum à duratione temporum morborum.

§. III.

Diluuntur argumenta.

AD 1. Reſpondetur: Quòd durationes morbi ſecundùm diuerſas rationes ſuarum partium ſunt menſuræ paſſiuæ in morbo, quarum cognitionem intendit Galenus, ac diuerſitatem oſtendere; non verò B formaliter de tempore quo menſurantur tales durationes agimus, in quo ſtat ratio temporis morborum.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd non quælibet menſura durationis mutationum in morbo eſt illius tempus; ſed tantùm illa, quæ menſurat mutationes viciſſitudine naturali ſuperuenientes iuxta propriam morbi conſtitutionem.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd quivis morbus, quantùm eſt de ſe, ſemper percurrit quatuor tempora vniuerſalia, & habet ſuas mutationes viciſſitudine naturali, niſi impediatur ab aliqua cauſa violenta, ſiue deficiat ſubiectum; ſicut conuenit homini percurrere ſuas ætates, niſi impediatur ab ipſo morbo.

C

Resolvtio III.

Vtrùm morborum tempora adæquatè diuidantur in vniuerſalia, & particularia?

§. I.

Vnica deciditur reſolutio.

REſoluendum: quòd tempora morborum alia ſunt vniuerſalia, quæ ſunt menſuræ durationis mutationum, quæ viciſſitudine naturali ſuperueniunt in toto morbo: alia ſunt tempora particularia, quæ ſunt D menſuræ durationis mutationum, quæ naturali viciſſitudine ſuperueniunt in quovis circuitu, ſiue periodo morbi. Hanc diuiſionem tradidit Gal. *lib. de temporibus morb. lib. ad Traſibulum.* Auic. *fen. 14. c. 4. fen. 2. 1. d. 1. c. 7.* Varandæus *lib. pathologia, c. 16.* Sennertus *l. 2. inſtit. p. 1. c. 1. 2.* Carreirus *tom. de febribus, diſp. de morb. temp.* Maſſaria *l. 5. de febribus c. 3.* Matamoros *lib. de febribus diſp. 1. tract. 2.* & eſt communis.

Probatus 1. Tot ſunt morborum tempora, quot ſunt menſuræ durationis mutationum ſuperuenientium in morbis viciſſitudine naturali: ſed huiuſmodi menſuræ, aliæ ſunt mutationum vniuerſo morbo ſuperuenientium; aliæ mutationum particularium periodorum in morbis ſuperuenientium: ergo tempora mor-E borum alia ſunt vniuerſalia, alia particularia.

Probatus 2. Medicus conſiderat in morbis illa tempora, quæ varias mutationes menſurant in illis, ſecundùm quas poteſt variari occaſio adhibendi remedia: ſed hæc non ſolùm variatur ex diuerſitate temporum vniuerſalium, ſed etiam temporum particularium ex Hippocrate; cùm non ſolùm, *in principiis morborum, ſi quid videtur mouendum, mouerè* doceat; *ſed in acceſſionibus abſtinere*: ergo tempora morborum in vniuerſalia, & particularia adæquatè diuiduntur.

Resolvtio IV.

Verùm tempora vniuerſalia morbi ſint quatuor?

§. I.

Pars negatiua fulcitur.

VIdetur quòd non: Quia dum morbus per alterationem producitur à primo morbi inſultu vſque ad ſummum vigorem, continuò fit productio: ergo non datur aliqua ſenſibilis mutatio, cuius duratio poſſit per principium morbi menſurari.

§. II.

Communis amplectitur Doctrina.

REſoluendum: Quòd tempora vniuerſalia morborum ſunt quatuor: Principium, quod eſt illud tempus, quamdiu morbus propinquus generationi ſuæ parum deuiat ab eo ſtatu, in quo productus fuit: Augmentum, quod eſt illud tempus in quo morbus accreſcit ſenſibiliter, donec vltimum attingit accretionis gradum: Status, qui eſt illud tempus, in quo morbus perſeuerat in ſummo gradu accretionis, quam poteſt attingere: Declinatio, quæ eſt illud tempus, in quo morbus ab ſtatu ad ſanitatem decidit. Hanc temporum vniuerſalium morbi diuiſionem tradidit Galenus, & Auicenna locis *in reſolutione antecedenti* adductis, quos ſequuntur Auctores citati cum Auerroë 3. *lib. collectaneorum cap.*9.

Probatur ratione deducta ex Galeno: Omnis mutatio, quæ incipit, & ad idem redit, à quo incepit, debet habere principium talis mutationis, in quo eſſe incepit, augmentum in quo creſcit, ſtatum in quem peruenit, & declinationem per quam deſcendit ad id, à quo receſſit: ſed per morbum fit viuentia mutatio à ſanitate vſque ad morbi poſſibilem accretionem, & iterum fit regreſſus ad ſanitatem: ergo debent in illo reperiri quatuor vniuerſales mutationes menſurabiles per quatuor vniuerſalia tempora.

§. III.

Soluitur ratio primò adducta.

AD rationem primò adductam reſpondetur: Quòd principium in morbis tripliciter ſumitur, vt docet Galenus *lib.* 1. *de Criſibus*. Primò, pro primo morbi inſultu, cuius duratio ferè imperceptibilis eſt. Secundò, pro ſpatio trium dierum, quæ acceptio impropria eſt, cùm ſint aliqui morbi, qui vnico finiantur die. Tertiò, pro illa duratione, quam morbus habet à primo inſultu vſque dum ſenſibilis accretio ſuperuenit, quæ non habet determinatam durationem, ſed in quocumque morbo reperitur proportionata illius conſtitutioni, in morbis verò à materia pendentibus ſolet regulari per illam durationem, in qua in morbo nondum apparent coctionis ſigna in lotio.

Resolvtio V.

Verùm tempora particularia morborum ſint ſex?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

INterturbat hanc communem doctrinam, quòd in tempore intermiſſionis à febre nihil eſt de periodo, quæ per infebricitationem deſinit: ergo tempus integritatis non eſt tempus particulare morbi,

A Reſpondetur: Quòd periodus eſt totum illud tempus, quod durat à primo inſultu vnius acceſſionis, vſque ad inſultum alterius.

Contrà: tempus morbi menſurat morbi durationem: ſed tempore integritatis non datur pars morbi præſens, cùm non ſit læſio operationum: ergo nec eſt menſura partis morbi, nec partis periodi, cui etiam morbi ratio debet conuenire.

§. II.

Communis doctrina amplectitur & explicatur.

REſoluendum: Quòd particularia morborum tempora, quæ in quauis periodo morbi intermittentis reperiri poſſunt, ſunt ſex; principium, quod
B eſt illud tempus, in quo rigor, horror, aut frigus durat: Tempus inæqualitatis, quod eſt illud tempus, in quo percipitur calor, & frigiditas inæqualiter: Augmentum, quod eſt illud tempus, quo acceſſio accreſcit in ſummum vigorem: Status, qui eſt illud tempus, quo durat in ſummo vigore acceſſio: Declinatio, quæ eſt illud tempus, quo decreſcit acceſſio vſque ad infebricitationem: Tempus integritatis, quod eſt illud tempus, quo immunis ab acceſſione manet æger. Hanc doctrinam docent Auicenna, & Galenus citati; & amplectuntur Auctores iam adducti.

Probatur: Tot debent annumerari tempora particularia, quot ſunt menſuræ durationis particularium mutationum, quæ iuxta morbi conſtitutionem viciſſi-
C tudine naturali debent reperiri in quauis periodo: ſed, vt experientia docet, omnes ſex annumeratæ mutationes poſſunt reperiri in quauis periodo: ergo ſex tempora particularia morborum ſunt admittenda.

§. III.

Soluitur obiectio primò adducta.

AD vltimum obiectionis reſpondetur: Quòd tempus integritatis eſt pars adintegrans morbi periodum; ſi non qua parte lædit operationes, ſaltem qua parte morbus eſt intermittens; ad cuius integritatem ita requiritur illa morbi intermiſſio, ſicut re-
D quiritur ad integritatem morbi continui, quòd ſemper ſine intermiſſione lædat operationes.

Resolvtio VI.

Verùm tẽpora vniuerſalia morborum, alterationis materiæ, & accidentium coincidãt.

§: I.

Status reſolutionis aperitur: & Pars negatiua fulcitur.

DE morbis in intemperie pendentibus ex alteratione materiæ, quæ ſatuatur à natura ad vnam criticam expulſionem; & de accidentibus pathogno-
E micis, non verò de ſuperuenientibus, ratione materiæ ob febris vehementiam, aut ob criticam perturbationem, procedit dubitatio: ſupponendo contra aliquos Modernos, quòd ſicut ſunt ſua tempora morbis, quibus menſurantur ſuæ durationes; ſimiliter & materiæ ac accidentibus pathognomicis ſicut ſunt propriæ durationes ſuarum mutationum, ſunt & propriæ earum menſuræ, quæ dicuntur Tempora: de quibus quòd non coincidant cum morbi temporibus, ſuadetur:

Primò ex Hipp. *lib.* 1. *acutor. commen.* 27. vbi dicit: *Dolores pleuriticorum confeſtim ceſſant: cùm aliquid effatu dignum expui cœperit* & 2. *aphoriſm.* 47. ait: *Dum pus conficitur, dolores & febres accidunt magis, quam dum iam eſt confectũ:* ſed pleuritici in principio, & augmẽto

incipiunt plerumque expuere, & pus incipit fieri in A principio: ergo accidentia poſſunt eſſe in augmento, aut in ſtatu, ſeu declinatione, dum morbus eſt in principio.

Secundò: In principio, aut in augmento morbi contingit ſymptomata eſſe in ſummo vigore, ita vt ratione illorum pereat æger: ergo non coincidit vigor, ſeu ſtatus ſymptomatum cum ſtatu morbi, qui tunc eſt in principio.

Tertiò: In ſtatu morbi ſalubris materia adeſt concocta, & accidentia ſunt remiſſiora: ergo putredinis, ſeu alterationis materiæ, & accidentium tempora non coincidunt.

Quartò: contingit quòd per morbi decurſum aliqua portio materiæ euacuetur, vel quòd ea, quæ pu- B treſcebat circa aliquam partem principem per decubitum in aliam ignobiliorem poſtea putrefiat; quorum ratione accidentia ſunt in ſtatu remiſſiora: ergo non coincidunt tempora illorum cum temporibus morborum.

§. II.

Arabum præfertur opinio.

Reſoluendum affirmatiuè: ſic Arabes receperunt; & ex Moderníoribus Carteirus, & Matamoros *lib.2.de febribus, diſp.4.*

Probatur ex Hippocrate 2. *aphor.*30. Circa principia, & fines omnia ſunt imbecilliora: ergo quia commenſurantur iuxta intenſionem, aut remiſſionẽ morbi.

Probatur 2. febris oritur ex putredine materiæ morbificæ, ſymptomata pathonnomica ex morbo: ergo C dum incipit putredo, incipit febris; & dum augetur, aut ad ſtatum peruenit, augentur, aut ad ſtatum perueniunt accidentia.

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

Ad 1. reſpondetur: Tum quòd in pleuritide, & reliquis inflammationibus ſunt duo morbi: alter eſt tumor, qui eſt morbus in mala conformatione, alter eſt febris: quilibet habet ſua pathonnomica accidentia, quæ eandem temporum durationem ha- D bent cum morbo, à quo dependent. Contingit tamen, quòd dolor & accidentia primi morbi ceſſent, quando incipiunt ſecundi morbi accidentia. Tum quòd dum pus conficitur, inflammatio eſt in declinatione, & accidentia eius; incipit febris, & accidentia pathonnomica inflammationis quæ proportionantur vſque ad declinationem, & in ſuis mutationibus, & in ſuis temporibus.

Ad 2. reſpondetur: Quòd in principio, aut in augmento, ſymptomata pathonnomica ſunt in principio, aut in augmento; perit tamen æger, quia eius vires ſunt improportionatæ ad ferendam intenſionem ſymptomatum adhuc prout in illis temporibus.

Ad 3. reſpondetur: Quòd in ſtatu, materia ſecundùm aliquas partes eſt in ſummo ſtatu putredinis, ſe- E cundùm alias habet ſummam putredinem debitam illi materiæ in ſumma febris intenſione debita pro illa putredine, & in ſumma accidentium intenſione debita prout dependent ab illo morbo.

Ad 4. reſpondetur: Quòd loquimur de morbis in quibus tota materia ſeruatur ſimul in eadem parte, non verò de ea, quæ vel paulatim euacuatur, vel ab vna in aliam defertur partem: in qua ratione maioris, aut minoris euacuationis, aut acceſſus, maiora, aut minora apparent accidentia. Vel reſpondetur: Quòd loquimur de accidentibus pathonnomicis tantùm, non verò de eis, quæ ratione materiæ superue- A niunt; quia hæc propter maiorem aut minorem copiam, propter maiorem aut minorem eiuſdem copiæ materiæ applicationem, fiunt intẽſiora, aut remiſſiora.

Resolutio VII.

Vtrùm morbi lethales poſſint peruenire ad declinationem?

§. I.

Aperitur ſtatus difficultatis ex Auerroe: Pars affirmatiua fauetur; aliquibus fundamentis fulcitur.

B Morbi dicuntur lethales, qui vires valent deuincere, & ſuperare; alij ea ſua natura lethales ſunt, & nullo artis adiuuamine valent ſolui: alij à natura poſſunt deuinci, & ſolutione finiri. Contingit illis, quod valeant naturam ſuperare, vel quia fiunt vehementiores, vel quia vires fiunt ab alia cauſa debiliores, vel propter vtrumque, & ideò fiunt lethales vt docet Gal. *lib.1.de temp.morb.c.5.* his verbis: *His igitur à nobis abundè demonſtratis, de morbis, qui non ſoluuntur, conſiderabimus. Duplex autem eorum natura eſt. nonnulli enim ipſorum præparationem habent; vbi exactè illam abſolutè ſint conſequuti: alij ex genere ſunt illorum, qui ſoluuntur; ſed cùm accedere feſtinant, hoc eis fieri contingit. Triplex quoque horum modus eſt, vel enim propter ægrotantium imbecillitatem, vel propter morborum fortitudinem, C vel propter vtrumque priùs occidunt, quam ſoluti ſunt. Alia ratione communis vnus omnium huiuſmodi modus eſt, cum ſupra vires exiſtunt.*

De morbis quibus accidit quòd ſint lethales, Auerroës videtur aſſentire parti affirmatiuæ *lib.3.collig.c.9.* vbi poſſibile iudicat poſſe mori ægrum in declinatione; & pro hac opinione validiſſima ſunt fundamenta.

Primò, ex Hipp. *lib.1.prognoſt.t.* in febribus idem eſt terminus ſalutis, ac mortis: ſed febres à materiæ alteratione pendentes in declinatione acquirunt ſanitatem, ſi ſint ſalubres: ergo ſi ſunt lethales in declinatione perueniunt ad interitum.

Secundò, ſtat Auic. *fen.1.4. tract.1.c.98.§. & multoties moritur aliquis ex variolis in declinatione: & fen.* D *2.4.tract.1.c.98.§. mors etiam fit in declinatione, ſed eſt pauca, & rara, & plurimum, illius eſt in declinatione particulari, non generali.*

Tertiò: in eo tempore contingit mors, quo natura valet ſuperari à morbo, ex Hipp. *4.acutor.22.§. vbi autem corpus imbecille fit, morbus præualet; vbi autem morbus corpori præualuerit, remedium non habet*: ſed in declinatione corpus imbecille eſt redditum: ergo æger in illa poteſt mori.

Quartò: In declinatione particulari poteſt æger mori: ergo multò melius in vniuerſali, in qua maior eſt morbi vigor. Probatur antecedens ex Gal. *lib.3.de Criſibus c.9.§. Tres igitur ſunt omnis mortis modi iis qui ſine criſi moriuntur: Primus quidem in principiis acceſſio-* E *num, qui in magnis inflammationibus plurimum contingit quæ membra occupant principalia*: & paulò infra ſuperaddit, quòd in declinationibus particularibus mors contingit ob debilitatem: ergo mors poteſt accidere in declinatione particulari.

§. II.

Pro morbis ex ſua natura lethalibus Reſpondetur.

Reſoluendum primò: quòd morbi ex ſua natura lethales, non poſſunt peruenire ad declinationem vniuerſalem. Ratio huius eſt, quia morbus ideò

ex

ex natura ſua dicitur lethalis, quia nunquam poteſt propter ſuam vehementiam à natura deuinci; & ideò neque poteſt per reſolutionem finiri: ſed ſi ad declinationem perueniret, poſſet in illa ſolui, & à natura deuinci, cùm iam decideret à ſua vehementia: ergo non poteſt ad illam peruenire.

Confirmatur ex Hippocrate 2. *aphor.* 42. dicente: *Apoplexiam fortem ſoluere eſt impoſſibile, debilem verò non facile*: vbi nomine Apoplexiæ fortis, quæ ex ſua natura lethalis eſt, de omni morbo ex ſua natura lethali affirmat, quod non poteſt ad ſolutionem deduci: ergo nec ad declinationem, cùm non poſſit ſolui ſine declinatione.

§. III.

De morbis, quibus accidit quòd ſint lethales, deciditur reſolutio.

Reſoluendum 2. Quòd morbi orti ab humorum putredine intra venas, qui ſolubiles ſunt; ſi accidat eis quòd ſint lethales, nunquam poſſunt peruenire ad declinationem fidam & debitam ex vi materiæ à qua dependet. Sic ſancit Galen. *lib.* 1. *de Criſibus*, *c.* 2. & *l.* 3. *de Criſibus* c. 5. & c. 9. tenet Auicenna *fen* 1. 4. *tract.* 1. *c.* 3. Rhaſis *ad Almanſorem* 23. Haly Abbas 10. *Theorica c.* 4. Gentilis *in fen.* 2. 1. *d.* 1 c. 7. Maſſaria *l.* 5. *de febrib. c.* 3. Matamoros *l.* 2. *de febrib. tr.* 2 *diſp.* 5. Carteirus *lib. de febribus diſp. de morb. temp.* Varandæus *lib. pathologia vniuerſalis* c. 17. Vega *l.* 2. *de differ. febrium.* Zacutus *tom.* 2. *l.* 4. *q.* 48. & alij.

Probatur 1. ex Galeno *l.* 3. *de Criſibus, cap.* 9. §. *Morbus autem ad declinationis tempus pertingere minimè poteſt*: & paulo infra: *vbi autem morbi ſtatus praterierit, natura quidem iam ſuperior euadit, neque enim aliter morbus declinaſſet; nullus autem modus mortis tunc deuenientis excogitari poteſt praterquam ex errore; ſed haud quaquam conſiderare poſſumus, an morbi ratione mori contingat: Neque igitur hoc vidi vnquam contingere, neque id inuenit ratio.* Idem docet c. 5. *einſdem libri*, §. *nullum eſt mortis periculum tempore ſtatus elapſo.* & annuit Auicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 1. c. 3. §. *& timor eſt à principio vſque ad ſtatum: apud declinationem verè non moritur ager.*

Probatur ratione: Morbi qui perueniunt ad declinationem legitimam ex alteratione materiæ debitam, perueniunt poſtquam materia eſt cocta, & regulata, vt docet Galenus *lib. de morb. temporib. c.* 3. ſed materiâ iam coctâ, morbus non poteſt eſſe lethalis, cùm maneat iam natura victrix: ergo morbi quibus accidit, quòd ſint lethales, non perueniunt ad declinationem vniuerſalem veram, & fidam.

§. VI.

Soluuntur primò poſita fundamenta.

Ad 1. reſpondetur: Quòd Hippocrates intendit, quòd in febribus idem eſt terminus, ſeu iidem ſunt dies iudicatorij dum per criſim terminantur, vt terminentur ad ſalutem vel ad mortem.

Ad 2. reſpondetur: Quòd in variolis dicit Auicenna *fen.* 1. 4. *tr.* 4 c. 6. *Variola non occidunt in cute ſolum, & in eo quod ſequitur illud, quod apparet; immò occidunt in omnibus membris ſimilium partium apparentibus, occultis velaminibus, & neruis.* Ex quo patet quòd licèt in eis, quæ apparent ſit declinatio, eſt ſtatus in eis, quæ non apparent, a quibus lethalia ſuperueniunt ſymptomata, ex quibus prouenit mors; & hæc eſt mors de qua in ſecunda auctoritate dicit, quòd eſt rara reſpectu eius, quæ in declinatione vniuerſali prouenit, quæ pluries accidit.

Ad 3. reſpondetur: Quòd ex Hippocrate, contingit mors, dum vires ſunt imbecilliores ad morbum: hoc contingit in temporibus antecedentibus, non in declinatione, in qua licèt vires ſint debilitatæ, ſemper tamen ſunt ſuperiores ad morbum, qui ideò declinauit, quia deuictus eſt in temporibus antecedentibus ab illis; & ideò etſi debiles, manent ſuperiores ad illum.

Ad 4. reſpondetur: Quòd æger poteſt mori in declinatione particulari, quæ accidit in morbi vigore, quia tunc morbus eſt ſuperior ad vires; in declinatione verò vniuerſali vires ſunt ſuperiores ad morbum, vt diximus. Contingit autem declinatione particulari plerumque mors, quia cum ratione acceſſionis, quia calor diſtenditur ad partes exteriores, expanduntur ſpiritus, & vires reſoluuntur.

Resolvtio VIII.

Vtrùm morbi, quibus accidit quòd ſint lethales, poſſint ad imperfectam, ſaltem aut infidam peruenire declinationem?

§. I.

Declinationis morbi aperitur diuerſitas: & ratio dubitandi proponitur.

Morbi declinatio alia legitima, vera, & fida, ad quam morbus lethales non peruenire, diximus, fit hæc in morbis à materia pendentibus, dum tranſactis reliquis temporibus, & materia coctione regulata magnitudo & morbi, & accidentium, & moris morbi remittitur, morbúſque fouetur à minori copia, quæ tunc regulari petit, vt docet Galenus *lib. de temp. morb.* c. 3. Alia eſt declinatio infida, quæ ſuperuenit in morbo, non quia ſua tempora antecedenter debita quoad alterationem materiæ tranſit, ad declinationem tamen peruenit, quia per aliquam euacuationem ſymptomaticam, cauſa, à qua dependebat, aliqua ex parte fuit euacuata, de hac Galenus *l.* 2. *aphor. comm.* 27. Alia eſt declinatio falſa, & pernicioſa, quæ apparet in morbis, causâ nec regulatâ, nec euacuatâ, de qua agit Hippocrates *l.* 2. *aphor.* 47. dicens: *Eis, quæ non ex ratione leuant, non oportet fidere*: Et *in coacis* ait: *Quæ ſine ſignis leuant, mortem indicant.* & de his declinationibus procedit reſolutio.

Videtur quòd non; quia non poteſt morbus pendens à materiæ alteratione declinare, quin materia, à qua dependet, ſit concocta, aut euacuata: ſed in pernicioſa declinatione neutrum horum admittitur: ergo non eſt poſſibilis.

Secundò: dum concocta materia iterum putreſcit, ſi morbus ſuperueniat lethalis, à quo pereat æger, mors dicitur ſuperuenire in ſtatu, aut augmento ſecundi morbi, & non in declinatione primi: ſed recidiua ſuperueniens etiam eſt ſecundus morbus: ergo non accidit mors in declinatione infida, aut imperfecta.

§ II.

Pernicioſa declinationis deciditur poſſibilitas.

Reſoluendum: Quòd poſſibile eſt morbos lethales peruenire ad pernicioſam declinationem.

Probatur ex Hippocrate *lib.* 2. *aphor.* 47. §. *his, quæ non*

non ex ratione leuant, non eſt fidendum. & ex *lib.2. prorr.ſextu 17.9. Pernicioſa, quæ ſine ſignis leuant, mortem indicant*, & *lib.coacar. Qui in ſignis prauis melius ſe habent difficili morbo laborant.* & *lib.3. epidem.ſect.3.ægrot.* 2. dicit de Hermocrate, *vndecima die omnia viſa ſunt remiſſa*: & Galenus *comm.24.lib.2. aphor.* ait: *cùm morbus inuadit vehemens, deinde ſubitò quieſcit, neque per ſudorem, nec vomitum, nec excretionem, aut fluxum ſanguinis corpore vacuato, ac non apparente quidem vllo ſigno coctionis, ſignum infidum exiſtima eſſe talem morbi remiſſionem*: & Auicenna *fen.1.4. tract.1.cap.4.* dicit: *& multoties quidem accidit, quòd mortis diſpoſitio, quæ eſt ſicut declinatio, & eſt quaſi æger.cumſerit.& non oportet, vt tu occuperis in hoc: immo ignoſcas diſpoſitionem pulſus, & tum magnificetur, & fortis fiat.* Ergo poſt pernicioſam declinationem pereunt ægri. A

Probatur 2. ex Galeno *lib.3. de criſibus cap.9.* vbi expreſsè hanc ſanciuit doctrinam his verbis: *Neque enim paruo interſtitio differunt, qui mortis ratione cuiuſquam ſperabitur ad quandam falſam declinationem perueniunt ab his, qui vere declinant: in vtriſque enim ſubito febrilis calor diſſoluitur: ſic verò hoc ex cauſis maximè contrarijs, ſiquidem natura robori, maximè contrarium eſt imbecillitas vehementior: igitur fit continuè magis pulſus, & æqualiter, ac ordinatior in bona declinatione. Expellit enim natura fortius omnem calorem febrilem, deáltor verò, atque inordinatior, & inæqualis eſt pulſus in mortalibus declinationibus.* B

§. III.

Imperfectæ declinationis ſancitur poſſibilitas.

RESoluendum 2. Quòd morbi lethales poſſunt peruenire ad infidam, & imperfectam declinationem. C

Probatur: Infida aut imperfecta declinatio eſt, in quam peruenit morbus cauſa alicuius imperfectæ euacuationis criticæ: ſed poteſt morbus hac ratione declinans iterum recidiuare, ex Hippocrate 2. *aphoriſm.12.* ergo ſi priùs erat lethalis periculoſior redibit in recidiua: ex Auicenna 5. *& ſcias quod morbus eſt prior poſt recidiuam, quàm in ſua radice.* D

§. IV.

Soluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd morbus exitialis poteſt remitti nondum coctâ, neque euacuatâ materiâ, quia natura ſe accingit ad pugnandum cum morbo, materiam à partibus principibus ſeparat, morbúmque aliquantulùm remittit; ſed cum tanto ſpirituum diſpendio, viriúmque debilitate, vt vigore ſoluto, licèt morbus remittat, ipſi ſuccumbat natura: & vt Galenus *lib.2. ad Glauc. cap.2.* dicit: *Morbus curatus eſt: ſed æger periit.* Præterea declinat morbus ob materiæ heterogeneitatem, licèt ſit lethalis, quia partibus humoris tenuioris, ac calidioris reſolutis, morbus remiſſus apparet, ſed perſeuerans cum illa intenſione in materia craſſiori diu durans ægrum interficit. Præterea in febribus, quibus complicatur maligna qualitas, declinat, aut extinguitur calor, forſan, vt docet Galenus *lib.3. de criſibus, cap.9.* quia vna cum aliis tam calor febrilis expirat, atque hinc ſpecies melioris exoritur; conſumptis enim ſpiritibus, à quibus calor communicatur per totum corpus, remiſſio febrilis aduenit. Quod quotidie in anginoſis vlceribus manifeſtè videtur. Præterea in tranſmutatione materiæ ab vna parte ad aliam, contingit re- E

A miſſo priori morbo, ab ipſa materia decumbente in partem principem ſubſequi mortem, vt docuit Galenus *lib.de conſt.art.medicæ cap.18.*

Ad 2. reſpondetur: Quòd ſi concoctâ materiâ alter ſuperueniat morbus, fit morbus diſtinctus ex vi nouæ alterationis cauſæ morbificæ, & non perit æger in aliquo tempore primi morbi: at verò dum aduenit infida declinatio, aduenit, dum nondum eſt cocta materia, primi inſultus morbi: & ideò perit æger vi illius morbi, declinatione infida ipſius tranſacta.

Resolvtio IX.

B Vtrùm morbi ſalubres percurrant quatuor tempora vniuerſalia?

§. I.

Argenterij, & Sennerti proponitur opinio.

LIcèt plures morbos ſalubres poſſe percurrere quatuor tempora fateatur Argenterius; aliquos tamen dari contendit tam in mala compoſitione, quàm in ſoluta vnitate *lib. de morb. temporib. cap.6.* & præcipuè hoc conuincere conatur in febribus, quæ criſi finiuntur, in quibus ſolùm iudicat percurrere vſquè ad tempus in quo fit criſis, ſimul cum declinatione, & aſſentitur Sennertus *lib.2.part.2.cap.12.* Qui- C bus fauent

Primo: Morbi ſalubres finiuntur in principio, augmento, aut ſtatu: ergo non ſemper percurrunt quatuor tempora vniuerſalia. Probatur antecedens, Tum ex Galeno 9.*methodi. cap.4.* vbi ſanguine miſſo, febrem iugulaſſe gloriatur in morbi principio: Tum quia ex Hippocratis decreto, pharmaco exhibito, poteſt iugulari morbus pendens ex materia turgente: Tum quia, ſi criſis perfecta accidat in augmento, aut principio, tunc ceſſat morbus: tum quia Galenus *lib. de optima ſecta ad Traſibulum cap.47.* ait, quòd acuti morbi, qualis apoplexia, ſimul ac inuadunt, perueniunt ad extremam magnitudinem: Tum quia D remediis debitè appoſitis poteſt inter initia morbus deleri: ergo poſſunt morbi ſalubres finiri in principio, aut augmento.

Reſpondetur probari ex dictis, quòd ſunt aliqui morbi ſalubres, qui non percurrunt quatuor tempora vniuerſalia quoad alterationem materiæ, non verò quod illa non percurrant quoad ſuam eſſentiam ratione propriæ intenſionis, in quam perueniunt: quod inſinuatur à Galeno loco citato, *lib.de opt.ſecta ad Traſib. cap.47.* inquit enim: *Poteſt enim inter initia remedijs adhibitis morbus deleri: atque ita cætera morbi tempora præuerti:* non enim dicit, quòd non percurrit omnia tempora, ſed quòd non poſſunt præuerti, ita vt celeriori tempore fiant.

Contrà: Morbus ille debet habere tempora, quæ proportionantur ſuæ conſtitutioni: ſed ſuæ conſtitutioni debita ſunt, quæ ratione alterationis materiæ E proueniunt: ergo ſi hæc non percurrit, non omnia percurrit tempora.

Secundò: Plures ſunt febres ſemper decreſcentes, vt paracmaſtica, aliæ creſcentes, aliæ verò eundem ſeruantes tenorem, vt de ſynochis docet Gal. *lib.1.de criſib.c.17.* ſed hæ ſunt plerumque ſalubres: ergo non omnes ſalubres percurrunt quatuor tempora vniuerſalia.

Tertiò: Status ſolùm debet admitti ad diſcontinuandos motus augmenti, & declinationis: ſed ad id ſuperfluè ponitur, cùm poſſit morbus ab vltima parte augmenti iterum decreſcere: ergo ſufficit tria percurrere tempora morbos ſalubres.

Reſpon

Reſpondetur: Quòd ſtatus morbi requiritur ex neceſſitate naturæ: quia cùm morbus accreſcat, debet neceſſariò ad aliquem terminum ſuæ accretionis peruenire.

Contrà: Morbi tempus debet eſſe menſura durationis determinatæ phyſicæ, & extenſæ pro cauſæ alteratione: ſed ad determinandum motum ſufficit breuis duratio: ergo ſiue eo quòd detur tempus modicum terminabit motum.

Quartò: Galenus *lib. de totius morb. temp.* adducit ſigna quibus cognoſcuntur tria tantum tempora morborum: ergo morbus illa valet ſolùm percurrere.

Quintò: Morbus totam poſſibilem putredinem, & coctionem habet in ſtatu: ergo nihil habet putredinis, aut coctionis, ratione cuius ſit neceſſaria declinatio.

§ II.

Galeni Doctrinam amplectimur.

Reſoluendum: Quòd omnes morbi ſalubres, quocumque modo finiantur, ſecundum ſuam eſſentiam percurrunt quatuor tempora vniuerſalia, ſiue ſolutione, ſiue criſi, ſiue remediis properetur eorum conſtitutio. Sic ſanciuit Galenus *lib. de morbi temporib. cap. 1. lib. 3. de criſibus cap. 6. lib. de totius morb. temporib. cap. 3.* Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 1.* Auicenna *fen. 1. 4. tract. 1. cap. 7.* Gentilis *ibi*, Iacobus, Hugo Senenſis, & reliqui Arabes Commentatores; Auerroës *lib. 3. collectan. cap. 9.* Valles *lib. 20. controuerſ. c. 6. & 7.* Carreiros *de febribus diſp. de temp. morb.* Vega *lib. 2. de different. febrium* Martinez *lib. 2. de febribus tract. 1. diſp. 2.* Mercurialis *lib. 3. prælectionum c. 4.* Mercatus *lib. 3. p. 2. claſ. 4.* Maſſaria *in praxi lib. 7. cap. 3.* & eſt communis.

Probatur 1. Galeni authoritatibus citatis, inquit enim: *lib. 3. de criſibus, cap. 9. Qui liberantur omnia quatuor tempora pertranſeunt*: & *lib. 2. de temporib. morb. c. 1. Itaque totius morbi tempora ſimiliter ac animantium ætates conſiderantur. Vnum primum & quidem generationi eorum attribuitur. Alterum aſcenſui, ſeu incremento. Tertium vigori. Quartum declinationi, cum ægri ſalui futuri ſunt.* & *cap. 3.* ſequenti: *Nullus morborum, qui ſoluuntur, eſt qui non currat quatuor tempora.* & *cap. 4. Verùm ſermo primum inſtitutus opportune modo repetatur: morbi vniuſcuiuſque proprium eſt generationis tempus interim ſenſui manifeſtum, interim ſecus: poſt quod rurſus augmenti tempus eſt non æquè manifeſtum.*

Probatur 2. Principium eſt illud tempus, in quo res ponitur producta ſub determinato eſſe: Augmentum, in quo intenditur, aut augetur; Status eſt perſeuerantia in ſummo gradu, in quem peruenit; Declinatio eſt per quam decreſcens ad non eſſe ſui tendit: ſed in morbo qui ad ſanitatem redit, quocumque modo finiatur, inuenitur primum eſſe ſuæ productionis, accretio ad totum eſſe quod acquirit, permanentia in eius acquiſitione, & ab illo ſtatu ad ſanitatem declinatio: ergo neceſſariò quatuor vniuerſalia tempora percurrit quicumque morbus ad ſanitatem redit.

Probatur 3. Ratione deſumpta à Galeno: Omnis mutatio, quæ incipit ab aliquo eſſe, & iterum redit ad ipſum, debet habere principium ſub quo incipit, augmentum per quod creſcit, ſtatum in quem vltimò peruenit, & declinationem per quam deſcendit ab illo ſtatu ad illud eſſe in quo incepit: ſed per morbum ſalubrem, quomodolibet finiatur, homo à ſanitate mutatur ad morbum, & vltimò redit ad illam: ergo debet neceſſariò percurrere omnia quatuor tempora vniuerſalia.

§. III.

Morbi pendentis ab alteratione materiæ tempora explicantur.

Reſoluendum 2. Quòd febres pendentes ab alteratione materiæ, ſi ſalubres, percurrunt quatuor tempora vniuerſalia, & quoad ſuam eſſentiam, & quoad alterationem materiæ: ſic fatetur Galenus, & reliqui Authores primò citati: illudque fatetur Argenterius.

Probatur 1. ex Galeno *lib. 2. de temporib. morb. cap. 3. § ſic quidem inflammatione tempora diuiduntur. In febre, quæ ex illa prouenit eadem tempora conſiſtunt. Quæ ex humore citra inflammationem proficiſcuntur, humorum moleſtiam, cruditatis tempus principium ponendum eſt, vbi concoqui cœperit principium finiri: Secundum autem tempus, quod aſcenſum nominant accedere. At cùm ipſa coctio maximè perficitur vigor, inde rurſus declinatio. qua quidem & ſymptomatum magnitudo, & humorum copia ceſſauit: reſtat vero modicum in ea humorum adhuc qui coctionem requirant.*

Probatur 2. Per totum morbi decurſum vſquedum ſoluatur morbus, remanet febris orta à putredine humoris: ergo per totum morbi decurſum remanet materia, à qua morbus dependet, ergo ſicut febris pendens ab illa pertranſit quatuor tempora; eadem ſimiliter pertranſit materia à cuius alteratione oritur.

Probatur 3. adhuc in ipſa declinatione nondum ex toto ceſſauit putredo, à qua febris dependet, vt nuper ex Galeno deduximus: ergo in omni tempore mutantur febris tempora iuxta mutationem temporum cauſæ à qua dependet.

§. IV.

Argenterij ſoluuntur fundamenta.

Ad vltimum primi reſpondetur, Quòd euacuata materia morbus fit alterius conſtitutionis illegitimæ; legitima enim erit illa quæ iuxta cauſæ durationem, illi erat debita, & quoad eſſentiam percurrit tempora omnia iuxta illegitimam conſtitutionem debita, & ideò illa tempora ſunt breuiora, & ideò Valleſius, & Carreirus dicunt, quòd coarctantur tempora morborum, mutatur enim conſtitutio.

Ad 2. reſpondet Galenus *lib. 1. de temp. morb. cap. 4.* dicens: *Neque enim ſynochus febris protinus à vigore quemquam inuaſit, verum à primo inſultu vſque ad perfectiſſimum vigorem horis vel quatuor, vel tribus quod minimum eſt, prouenit; inde prorſus æqualis ſibi permanens continuo ad iudicium properat.* Ex quibus patet, febres continentes omnes ſuo modo, licèt breuiſſimo tempore, illorum aliqua omnia tamen percurrere tempora.

Ad 3. reſpondetur: Quòd duratio in temporibus morborum debet proportionari propriæ morbi conſtitutioni, vt deducitur ex Galeno *lib. 2. de temp. morb.* inquit enim: *Sed neque repente adeo inuadentem apoplexiam dixeris, quantum tale adamuſſim non eſt, ſed breui tempore & principium, & aſcenſum percurrit, non tamen caret principio neque augmento, neque ſtatim perfectiſſimè inuadit, quemadmodum Comitialis acceſſio, nullus ſiquidem tam ſubito ſymptomate corripitur, quamquam horum quoque ſectio primum aliquod tempus habet, & ſecundum, & tertium & quartum.* Ea qualiter non qualibet duratio, ſed requiſita iuxta propriam morbi conſtitutionem debet tribui cuilibet morbi tempori.

A Ad 4. reſpondetur: Quòd Galenus, vt patet ex dictis inter probandam reſolutionem, de declinatione, dicit, *Inde rurſus declinatio, qua quidem, & ſymptomatum magnitudo, & humorum copia ceſſauit.*

Ad 5. reſpondetur: Quòd vſque ad augmentum in morbo ſalubri maior copia materiæ morbificæ coquitur, & regulatur, remanet tamen aliqua portio nondum regulata à qua febris adhuc fouetur, donec reſoluatur, aut euacuetur, declinétque ex toto febris.

Resolvtio X.

B

Vtrùm tempora vniuerſalia in omni morbo ſint inæqualis durationis.

§. I.

Pars affirmatiua fulcitur.

VIdetur: quòd proportionalis ſit duratio omnium temporum vniuerſalium morbi cuiuſlibet.

Primo, quia vt docet Galenus *lib. de temp. morb.* tempora pro morbis ſe habent ſicut ætates pro viuentibus: ſed ætates proportionem ſeruant in duratione: ergo ſimiliter tempora morbi.

C Secundò: Cui apparet nebula in die decimoquarto, poteſt iudicari in vigeſimo, ex Galeno 4. *Aphor. comment.* 71. Ergo proportionalis præcedit duratio per tres ſeptenarios pro tribus temporibus morbi.

Tertiò: Dum nebula apparet in quarto, perfecta apparet in ſeptimo: ergo principium fit in primo quaternario, augmentum in ſecundo: & ſic proportionalis ſit duratio reliquorum temporum.

§. II.

Morborum explicantur conſtitutiones, & aliqua ex parte aperitur tenenda doctrina.

MOrborum conſtitutio, eſt *determinata morbi duratio, ſecundùm ſua tempora vniuerſalia:* Et ratione illius, morbi vel ſunt tardi, ſeu Chronici, D qui tardo motu ſua percurrunt tempora: vel acuti, qui breui tempore ſua tempora percurrunt. Præterea morbus acutus; alter eſt acutus ex decidentia, qui ex acuto decidit, & ad quadrageſimum diem poteſt extendi: alter acutus ſimpliciter, qui in die decimoquarto decidit, & ſi ad vigeſimum porrigatur, ideo eſt, quia acuriem in ſecundo, aut tertio quaternario aſſumit: alter eſt morbus peracutus, qui terminatur in die ſeptimo: alter exactè peracutus, qui terminatur in die quarto: quorum omnium inquirimus temporum durationes.

Reſoluendum: Quòd in morbis non pendentibus à materia nulla eſt proportionalis duratio temporum; E in febribus ab eius alteratione pendentibus, tanta eſt principij duratio, quanta augmenti, & ſtatus.

Patet prima pars: tum quia duratio debet eſſe in tempore cuiuſlibet morbi iuxta propriam conſtitutionem; & hæc diuerſa eſt in omnibus morbis non pendentibus à materia: tum quia, vt docet Galenus *lib. de totius morb. temporib. cap.* 4. in morbis ob cauſæ diuerſitatem contingit aliquando tempora ſenſibiliter, aut inſenſibiliter pertranſire: tum quia morbi non pendentes à materia, aliquando cauſas habent imbecilles, à quibus paulatim induci eſt neceſſe, aliquando cauſas habent vehementiſſimas: ergo non poſſunt æquari mensi proportione horum morborum mutationes.

Probatur 2. pars: tum Hippocratis doctrina *lib.* 4.

A *Aphor. text.* 71. inquit enim: *Quibus ſeptima die futura eſt criſis, his nebula rubra quarto die apparet:* tum ex Galeno, qui in Commentario dicit: *Ego verò rarò tale ſignum aliis diebus vidi, præter quartum; cùm verò in ſeptimo apparet hic quarta decimo fuit indicatus:* Ergo æqualis eſt duratio principij vſque apparet coctio, ac augmenti, & ſtatus, in quibus perficitur.

§. III.

Soluuntur primò adducta rationes.

B AD 1. reſpondetur: Quòd in ratione menſuræ ſic ſe habent tempora morborum ad ipſos, ſicut ætates ad durationes vitæ humanæ: at verò, quæ ab his menſuranda ſunt, habent diuerſas proportiones durationum.

Ad 2. reſpondetur: Quòd, cui apparet nebola in die decimoquarto, incepit acuties in die ſeptimo, & ideò durat principium ad diem decimumquartum, & fit iudicium poſt principium, & ſtatum in vigeſimo.

Ad 3. reſpondetur: Quòd ſi apparet nebola in primo quaternario, fuit in illo principium, & augmentorum in quo augetur, coctio, & ſtatus in quo perficitur, ſuperueniunt in ſecundo quaternario vſque ad ſeptimum.

C

Vtrùm aliquibus ſignis valeant cognoſci tempora vniuerſalia morborum.

§. I.

Status difficultatis proponitur, & pars negatiua fulcitur.

HIppocrates *lib.* 1. *Aphor.* 12. & Galenus *in eius Comment. lib.* 1. *& lib.* 3. *de criſibus*, conantur adducere ſigna, quibus tempora morborum cognoſcantur, ſcilicet conſtitutiones morbi, anni tempora, acceſſiones, ſucceſſiua incrementa, &c. ſed hæc D non ſufficere pro eorum cognitione contendit Argenterius *lib. de temp. morb. cap.* 9. cui annuit Zacutus *tom.* 1 *lib.* 4. *q.* 48. Galenum reprehendit vt moris habet Argenterius, quia proponit agere de ſignis cognoſcitiuis omnium morborum ſecundum ſua tempora vniuerſalia, & hoc non proſequitur niſi in aliquibus determinatis, præcipuè de eis, qui pendent ex materiæ alteratione.

Sed quòd nulla ſint ſigna communia pro cognoſcendis temporibus vniuerſalibus morborum; ſuadet,

Primò: quòd Galenus, vt Argenterius notanit, proponit agere de illis, & impoſſibilitate coactus ſolùm proſequitur tractationem de eis ſignis, quibus aliqui E determinati morbi cognoſcuntur: tum quòd variantur tempora iuxta varias morborum conſtitutiones; & diuerſi morbi ſicut diuerſas habent conſtitutiones, diuerſa habent tempora vniuerſalia, & ſigna quibus cognoſcuntur: tum quia ſub eadem idea morbi, & conſtitutione, ſunt diuerſæ durationes, vt in tertianis apparet; quarum aliæ ex Hippocrate ſeptem circuitibus terminantur, & æſtiuæ aut autumnales ſunt longiſſimæ: ergo nulla ſunt ſigna communia pro cognoſcendis temporibus morborum.

Secundò: nec in morbis materialibus poteſt ex coctionis ſignis deſumi aliquod ſignum pro cognoſcendis temporibus vniuerſalibus morborum pendentium ex alteratione materiæ: tum quia natura perfectiùs debet concoquere in principio dum eſt minus debilitata; & tamen tunc non apparent ſigna coctionis

coctionis: Tum quia nec in reliquis temporibus deſcendit materia cocta cum lotio, quia retinetur à natura poſtquam iam eſt cocta, vt deſeruiat pro nutritione: Tum quia per totum morbi decurſum, plerumque deſcendit ſedimentum album, leue, & æquale in morbis lethalibus: Tum quia in declinatione potens eſt natura, vt ita perfectè concoquat, ſicut in augmento, in quo fuit ſumma coctio: & erunt æqualia ſigna in coctione: ergo nec in morbis pendentibus ex materiæ alteratione eſt, vnde ſumantur ſigna, quibus tempora vniuerſalia poſſint dignoſci. A

Tertiò: morborum eiuſdem conſtitutionis deberent eſſe ſigna demonſtrantia tempora eadem: ſed in eadem conſtitutione, alij ſunt morbi ſalubres, alij lethales, in quorum temporibus ſigna eſſe contraria B in eorum temporibus eſt neceſſe: ergo nulla poſſunt dari ſigna communia pro cognoſcendis temporibus morborum.

Quartò: acceſſionum anticipatio aut propoſitio ſolet ſuperuenire ob nimiam patientis ſenſibilitatem, ob copiam, aut acrimoniam humoris: ergo ex acceſſionibus non ſumitur indicatio temporum morborum.

Reſpondetur cum Galeno *l. 3. de criſibus, c. 3.* quòd ab acceſſionibus ſumitur indicatio temporum morbi non ex ſola anticipatione; ſed ex his, quæ docet Hippocrates 2. *epidem. ſect. 1. Si citiùs aut non ſi longius aut non, ſi magis aut non.*

Contra: ſi propter has cauſas per totum in principio fiat eadem anticipatio, coincidet cum augmento, C & ſtatu: ergo licèt duratio, anticipatio, & intenſio ſint ſimul, non coincidit anticipatio ad temporum morbi dignotionem.

Quintò, ſub quolibet anni tempore ſunt morbi diſperſi, & morbi communiter graſſantes ſolent fieri maligni: ergo duratio temporum in his erit diuerſa, ſicut & conſtitutio.

§. II.

Omnium morborum tempora à quo indicentur.

RESoluendum 1. Quòd conſtitutio morbi eſt ſignum omni morbo commune, vt coniecturaliter D poſſint ſua tempora vniuerſalia cognoſci.

Probatur: Omnis morbus habet propriam conſtitutionem, ſiue legitimam, ſiue illegitimam: ſed omnis conſtitutio eſt determinata morbi duratio: ergo in omni morbo ex cognitione ſuæ conſtitutionis indicatur ſuorum temporum vniuerſalium duratio.

Dices cum Zacuto *tomo 1. lib. 4. quæſt. 48.* quòd licèt poſſent tempora morborum indicari à ſua conſtitutione, ſi ſit cognoſcibilis, quia tamen non omnis conſtitutio morbi poteſt cognoſci, ideò nec omnium morborum tempora indicari. E

Contrà ſtat tunc, quòd ex hoc quòd Medicus ignoret morbi cuiuſlibet conſtitutionem, non ſequitur quòd ipſa conſtitutio non ſit commune principium, ex quo poſſent omnium morborum tempora indicari: Tum quòd omnes morborum conſtitutiones poſſe cognoſci docet Galenus *l. 1. aphoriſm. comm. 12. §. ſed morbi conſtitutio, qualiſnam ſit, & particulares acceſſiones multi medici exiſtimarunt non poſſe dignoſci:* non tamen idem ſentit Hippocrates, ſed & in hac parte ſicuti & in aliis, ſæpe quidem exquiſitè, & vt quiſpiam dixerit, peritè, ac ſcienter; ſæpè verò coniecturaliter quidem, non tamen inartificiosè, neque longè à veritate: ſed prope, ac proximè peruenimus ad cognoſcendum futurum conſiſtendi tempus, & acceſſionum ſucceſſiuas reciprocationes.

§. III.

Ex Hippocrate deducitur; vnde cognoſcenda vniuerſalia tempora morborum materialium.

RESoluendum 2. Quòd tempora morborum vniuerſalia indicant conſtitutio morbi, acceſſiones, anni tempora, & quammaximè ſigna coctionis, aut cruditatis, quæ in excrementis apparent; ſic ſanciuit Hippocrates *lib. 1. aph. 12.* & amplectuntur *ibi* illius Commentatores, præcipuè Galen. *in comm. & lib. 1. de criſibus, & lib. de morbi temporibus, c. 3.* Auicenna *fen.* B *1. 4. tract. 1. cap. 3.*

Probatur 1. de conſtitutione: Quia, vt diximus, eſt determinata duratio, quæ ſecundùm ſua tempora vniuerſalia vnicuique morbo debetur iuxta propriam illius ideam; ſed intra durationem morbi pendentis ex materiæ alteratione, patet ex *reſolutione* 10. *antecedent.* qualis duratio vnicuique adaptetur: ergo ex morbi conſtitutione poſſunt indicari quammaximè tempora morborum pendentium ex materiæ alteratione.

Probatur 2. Quòd ex temporibus anni indicentur hæc tempora: Quia iuxta anni tempora prædominant humores, iuxta quorum naturam diuerſæ ſunt morborum conſtitutiones: ergo ex illis poſſunt coindicari C tempora vniuerſalia pro morbis.

Probatur 3. Quòd acceſſiones indicent tempora morborum, ex Hippocrate 2. *epidem ſect. 1. Quia citius aut non; longius aut non; magis aut non:* ideſt, vt docet Gal. *l. 1. de criſibus c.* 8. quia anticipantur acceſſiones, aut poſtponuntur; aut quia fiunt longiores, aut breuiores, intenſiores, aut remiſſiores, indicantur tempora morborum; in principio ſunt breuiores, longiores in augmento, aut ſtatu, anticipantur in principio & augmento, in ſtatu, & declinatione poſtponuntur: ergo ab his indicantur tempora morborum pendentium ex materiæ alteratione.

Probatur 4. Quòd etiam ex ſignis coctionis, aut cruditatis in excrementis: Tum ex Hippocrate *ſententia* D *12. lib. 1. citata, §. Sed ex eis, quæ apparent, indicia ſumuntur, quemadmodum in morbo lethali, ſi circa initia ſtatim appareat, morbum breuiat; ſi verò poſtea producit.* Tum ex Galeno, *lib. de totius morb. temporib. cap. 3. §. quapropter nullus morborum, qui ſoluuntur eſt, qui non quatuor hæc tempora percurrit.* non tamen ex quodam alio, quam cruditatis, & concoctionis ſignis, quæ excrementis deprehenduntur, cognitio ipſorum conſtat. Tum quia tempora morborum ſunt menſuræ ſuarum mutationum; ſed morborum mutationes contingunt in morbis pendentibus ex materiæ alteratione; & ex eius alteratione ſecundùm coctio- E nem aut putredinem; quas patitur: ex eorum ſignis apparentibus in excrementis cognoſcuntur tempora horum morborum.

§. IV.

Dubitandi propoſita rationes ſoluuntur.

AD 1. reſpondetur: Tum quòd Galenus ex morbi conſtitutione docuit ex Hippocrate omnium morborum durationem cognoſcere: ſed quia morbi materiales ex ipſo Hippocrate habent alia plura, ex quibus poſſunt indicari; ipſa Galenus latè proſequitur. Tum quòd non variantur tempore, niſi varietur conſtitutio, & cognita conſtitutione, cognoſcitur temporum duratio in morbis. Tum quòd ſub eadem

A eadem idea generica morbi ſunt diuerſæ conſtitutiones, non tamen ſub eadem idea morbi ſpecifica.

Ad 2. reſpondetur: Tum quòd in principio natura debilior eſt per aggrauationem ratione humoris, qui in maiori copia tum luxuriat, & eſt impotens reſpectu maioris cruditatis repertæ in humore in principio morbi, dum natura aggreditur primò coctionem: tum quia materia cocta in iuuatiuo retinetur pro partium nutricatu, non verò ea, quæ ſolùm in iuuatiuo eſt cocta: tum quòd coctio poteſt apparere in lotio ratione ſedimenti albi, leuis, & æqualis per totum morbi decurſum, vt admittunt Mercatus *tract. 3. de febre maligna*, Ioan. Franciſcus Vlmus *lib. 4. de vrinis, cap.6*. Ambroſius Nuñex *lib. 1. aphor. comm. 12*. Angelucius *lib. 1. de febre maligna*. Thomas Iordanus B *tract. 1. partis phænomenum. c. 24*. Fernelius *tract de vrinis*. Scaliger *exercit. 32. de ſubtilit*. Conciliator *differentia 94*. & plures alij ex modernis, qui ipſam receperunt, ex Hipp. *lib. 2. prorit. text. 24. §. vrina cocta mala*, & ex Auicenna *fen. 1. 4. tract. 4. cap. 2. & fen. 1. 4. tract. 1. c. 80. §. & quandoque eſt vrina in ægritudinibus peſtilentibus bona; naturalis in ſubſtantia ſua, in colore, & ſedimine, & ille cuius eſt tendit ad mortem*. Arabes ſequuntur Thadæus Florentinus, Hugo Senenſis, Gentilis Iacobus, & alij quamplurimi; ſed diuagantes in quærenda cauſa pleriqne hæſitant, & cæcutiunt.

Nos verò cum Nuñeſio aſſerimus, quòd vt ſidimos ſignis coctionis in lotio apparentibus, & poſſimus, quæ ſunt ſecura, diſtinguere ab inſidis, requiC ritur in ſedimento cocto, quòd ſit humoris peccantis; pleromque enim natura relictâ cauſâ morbificâ concoquit alimentum, & tale dum apparet, æger deteriùs ſe habet. Præterea coctio debet eſſe continua, ex Hipp. 2 *prognoſt.* 26. Præterea debet eſſe vniuerſalis, ex Hipp. *lib. 1. epid. comm. 2. text. 81. in Chriſtonate, & pictoris ancilla*. Præterea poſt coctionem ad ſecuritatem requiritur euacuatio, quia ex Hippocrate, *Quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere conſueuere: & 3. aphor. 15. Pleuritici ſi in quadraginta diebus non repurgantur, tabidi fiunt*: & ex Galeno *lib. 5. de locis affectis: ſuppurati pereunt dum debiles ſunt vires pro expurgatione puris*. Præterea requiritur quòd ad D coctionem nulla ſequatur interimens euacuatio, ſicut ipſis inſuppuratis, & ex immodica euacuatione viribus reſolutis, pereunt ægri: ex Galeno 6. *aphoriſm. 27*. His manentibus conditionibus, inquit Galenus *lib. 3. de criſibus, cap. 5. neque animo concipi poſſe cum perfecta coctione ægrum periiſſe*: tum præterea vltimò ad vltimum argumenti dicimus: Quòd cum in declinatione ſit minor copia materiæ concoquendæ, minor deſcendit copia ſedimenti cum lotio.

Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt morbi lethales, & ſalubres, eiuſdem ſint conſtitutionis, & durationis; in eiſdem enim finiri contingit diebus morbos lethales, quibus & ſalubres; tamen lethales fiunt ob E cruditatem; ſalubres ob coctionem, & ex diuerſis his ſignis diuerſitas terminationum cognoſcitur; per hæc tamen temporum duratio attenditur: vt ſanciuit Galenus *lib. de temp. morb. cap. 6. §. at morbi tempora partim ſumuntur ſimili modo cum prædictis, partim diſſimili; ſiquidem initium ſimiliter in morbi generatione conſtituitur aſcenſus non in coquendo, ſicut in his, qui ſuperſtites futuri ſunt, ſed in cruditatis lethalibus ſignis conſiſtit*.

Ad 4. reſpondetur: Quòd vt Rhaſis notauit *lib. 1. §. continentis, cap. 8.* duplex eſt acceſſionum anticipatio: alia abſoluta, quæ aduenit ex morbi proprietate quatenus dependet à materia acri, groſſa ſubtilizata cum fortitudine partis mandantis, & debilitate partis recipientis in ægrotante exquiſiti ſenſus, & tunc continuò anticipant acceſſiones, vel propter contrarias cauſas continuò poſtponuntur. Alia eſt anticipatio dicta à Galeno improportionata, & ab Auicenna ſuperfluens, quæ addit ſupra abſolutam aliam maiorem anticipationem, & improportionatam, quia anticipat vno die per duas horas, in alia per duas, aut tres iuxta multum, aut modicum humorem: & licèt prima acceſſionum anticipatio non valeat tempora indicare, bene tamen ſecunda.

Resolvtio XII.

Vtrùm in augmento morbi ſalubres pendentes ex materiæ alteratione ſint intenſiores.

§. I.

Turriſani refertur opinio.

TVrriſanus *lib. 3. artis medicinalis comm. 32.* indicat, quòd morbi ſalubres pendentes ex materiæ alteratione in augmento ſunt parui ſecundùm ſuam eſſentiam, & intenſionem, magni tamen apparent ratione ſuorum accidentium, quæ tunc temporis magis ſurgent. Huic opinioni adhæret Veiga *lib. 1. de different. febrium c. 5.* reſpectu morborum ſalubrium, quos in principio eſſe intenſiores, quàm in reliquis temporibus fatetur: adhæret etiam Trincabellus *lib. 1. epiſt.*

Ratio, quæ eos conuincit, eſt: Morbus in eo tempore eſt ſecurior, in quo eſt remiſſior: ſed morbus ſalubris in ſtatu eſt ſecurior dum ſunt perfecta ſigna coctionis: ergo in ſtatu eſt remiſſior.

§. II.

Gentilis, Valleſij, Cardani, Carreiri, & aliorum præfertur opinio.

REſoluendum: Quòd ſalubres morbi pendentes ex materiæ alteratione in ſtatu ſunt intenſiores ratione maioris putredinis, quæ tunc viget: ſic docuit Gentilis *in extrauagantibus, q. 33*. Valles *lib. 10 controuerſ. c. 7*. Cardanus 2. *aphor.* 30. & *ibi*, Olerius, & Valleſius, reliqui Commentatores; Carreirus *fen. 1. 4. tr. 1. c. 4*. Varandæus *phyſiologia vniuerſalis, c. 17*. Sennertus *lib. 2. inſtitutionum, p. 1. c. 10*. & alij.

Probatur ex Hippocrate 1. *aphor. 30. §. 3. Circa initia, & fines omnia ſunt imbecilliora, circa ſtatum verò fortiora.*

Probatur 2. In eo morbi tempore, morbi pendentes ex alteratione materiæ debent eſſe intenſiores, in quo perueniunt in eam intenſionem, vltra quam, cùm non poſſint progredi, neceſſe eſt, vt remittant: ſed ſtatus eſt huiuſmodi tempus, vt patet ex eius diffinitione: ergo in ſtatu, morbi ſalubres ſunt in maiori intenſione, quàm in quolibet alio morbi tempore.

Probatur 3. Febris putrida ſalubris, vt iterum ad ſanitatem terminetur, debet percurrere quatuor tempora vniuerſalia, ita vt in aliquo illorum tam putredo quàm ipſa febris, quæ ex putredine oritur, perueniant ad ſummam intenſionem: ſed illam non poteſt habere in principio, in quo materia incipit putreſieri, & febris incipit eſſe; neque in augmento, in quo febris, & putredo augentur; nec in declinatione, in qua iam remiſſio eorum fit: ergo debet eſſe intenſior

ſior in ſtatu, in quo ad ſummum intenſionis, & vi- A
goris, quæ debentur illi morbo, perueniunt.

§. III.

Ad argumentum reſpondetur,

QVòd morbus non eſt ſecurior, quia remiſſior, ex Hippocrate enim febres paruæ, & malignæ quarto die, aut citius valent interimere, & febres ardentes intenſiſſimæ cum ſecuritate perdorant: ſed ex eo, quòd coctione perficiatur materia morbifica: qood ſanciuit Hippocrates *lib. epidem. comment.* 2. *text.* 41. *§. coctiones indicium, celeritatem, & ſecuram portendunt ſanitatem.* B

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm ſit morbus ſecurior ſimul, & intenſior in ſtatu ratione coctionis?

§. I.

Thadæi Florentini refertur opinio, & aliquæ pro illo ponuntur rationes.

THadæus Florentinus *l. 1. aphoriſm. comment. in ſententiam* 30. contendit, quòd morbi ſecuritas non C compatitur cum eo, quod ſimul morbus pro illo tunc ſit benignior, & minus periculoſus, ratione ſui; ſed tantùm quatenus propinquior eſt declinationi, in qua ſit benignior: & ideò non ſimpliciter, ſed reſpectiuè ad tempora antecedentia iudicat, quòd dicitur benignior: ſic ſuadet,

Primò Galeni auctoritas, qui *lib. 2. de criſibus c.* 3. docet, quòd febris ſtatus cognoſcitur, quia febris intenſior eſt in illo, & ſimul malus mos, ſeu malignitas: ſed cum intenſiori malignitate non poteſt benignior eſſe morbus: ergo ſolùm dicetur talis, quia minùs diſtat à declinatione.

Reſpondetur: Quòd hæc omnia ſunt intenſiora; D ſed quia pendent ab humoribus, in quibus præualet coctio, morbus cum illa intenſione accidentium, & mali moris eſt benignior, quia eſt ſecurior.

Contrà: Febris, & malignitas, quæ illam concomitatur, oriuntur ex homorum putredine: ſed in ſtatu putredo eſt maior: ergo febris ratione putredinis eſt periculoſior.

Reſpondetur, quòd in ſtatu morbi ſalubris eſt maior numerus partium, quæ coquuntur, quàm earum quæ putredinem patiuntur; & ideò licèt putredo ſit intenſior in putridis, febris eſt benignior.

Contrà: Coctio, quæ reperitur in partibus, quæ coquuntur, non impedit putredinem partis vicinæ, in qua non inhæret: ergo licèt plures partes coquan- E tur, poteſt in partibus putridis ita intendi putredo, vt fiat febris ratione illius periculoſa.

Secundò: dum facultates ſunt debiliores, maius periculum eſt: ſed in ſtatu ſunt debiliores facultates ergo ſtatus eſt periculoſior in febribus ſalubribus, quàm reliqua tempora.

Tertiò: ſemel putrida non poſſunt iterum concoqui, quia per putredinem formam amittunt: ergo ratione partium, quæ patiuntur putredinem in maiori intenſione in augmento, quàm in reliquis temporibus, ſit morbus periculoſior.

§. IV.

Brauus Salmanticenſis, Valleſius, & alij admittuntur.

REſoluendum: Quòd morbi ſalubres pendentes ex humorum putredine, in ſtatu in quo ſunt intenſiores, ſunt ſecuriores; ſic fatetur Brauo Salmanticenſis *l. 1. progноſt. comm. vltimo.* Valles *l.* 10 *controu. c.* 7. Carterius *lib de febribus q.* 10. & reliqui *antecedente reſolutione* citati.

Probatur 1. ex Galeno *l. 2. aphor. comm.* 30. vbi poſtquam cum Hippocrate aſſerit quòd febres, & accidentia ſunt remiſſiora in principio, & fine; in ſtatu verò fortiora, addit: *Sicut ipſas diſpoſitiones in, quibus hæc ſiunt, vbi morbi conſiſtunt, neceſſe eſt eſſe meliores, in his quæ debent ſanitati reſtitui*: & *l. 3. de ratione victus in acutis, comm. vltima*, dicit: *Nam ſæpiùs affectio ipſa, qua laborant, mitior exiſtit; licèt accidentia ſint vehementiora.*

Probatur 2. Securitas in morbo ſalubri cognoſcitur penes ſigna coctionis, quæ apparent in vrinis per morbi decurſum: ergo in illo tempore ſecurior erit morbus in quo ſigna perfectiorem coctionem demonſtrant: ſed in principio ſunt ſigna cruditatis communia morbo ſalubri, & lethali: in ſtatu ſigna obſcuræ coctionis, in augmento verò perfectæ coctionis & elaborationis apparent ſigna: ergo in illo tempore quantumvis febris ſit intenſior, erit ſecurior, & benignior.

C Probatur 3. Morbus pendens ab humorum putredine tunc eſt ſecurior, & benignior, quando maior numerus partium humoris, à quo dependet, eſt coctus, & à natura regulatus: ſed in morbo ſalubri ex putredine humorum pendente in ſtatu eſt maior portio humoris cocta, & perfectiori modo, quàm in antecedentibus temporibus, vt docet Galenus *lib. 1. de criſibus* & demonſtrat experientia, ergo eſt morbus benignior, & ſecurior.

§. III.

Fulcitur reſolutio argumentorum ſolutionibus.

D AD vltimum primi reſpondetur: Quòd dum maior numerus partium regulatur à natura; calor naturalis ſuperat præternaturalem; ex quo ſumitur indicium ſalubritatis, vt Larianus *commentaria in textu* 2. *l. 1. de vict. acut.* doctiſſimè dedocit, & licèt intendatur in aliquibus partibus putredo in maiori numero, perficitur ſubſtantiæ modo, & putridis partibus reſolutis, in benigniorem ex toto abit calor, reliquáſque, quæ in humoribus ſuccedunt, partes concoquit, ac perficit.

Ad 2. reſpondetur: Quòd humor eſt magis elaboratus, & ideò poteſt minori virium vi perfici: quia, vt inquit Auicenna *in ſua Metaph. Potentius agit agens debitè in ſubiectum benè diſpoſitum, quàm agens potens in* E *minus diſpoſitum.*

Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt non poſſent emendari, quæ putrida ſunt in termino; in prima morbi parte emendantur plures partes, quæ inceperunt putreſieri per coctionem: quia, vt inquit Galenus, coctio facit ceſſare putredinem: & quæ non emendantur, cùm ſint in minori numero, non impediunt quominus perficiatur calor, ſuperet vt naturalis, & valeat vlteriùs reliquas humorum partes rectè elaborare.

DISPVTATIO IV.

De cauſis morborum.

PERENNIS omnium rerum fons, Cauſa dicitur, à qua vt tenet Plato in Theæteto initium duxit Philuſophia, & vt docet Ariſt. *lib. poſterior.* dependet rerum omnium ſcientifica cognitio, ſicut ab eius cognitione dependet morborum curatio, vt ſanciuit Galenus *lib. 1. & 2. methodi*, & ideò illius cognitionem intendunt Phyſici cum Ariſt. *lib. 1. phyſicor. & in lib. metaphyſ.* Præcipuè tamen de morborum cauſis plura tetigit Hippocrates *lib. de alimento, lib. de morb. mulier. lib. de flatibus.* Galenus pertractanit *lib. de cauſis morb. lib. de differentiis morbi medicis, lib. de cauſis procatharticis. lib. de cauſis ſympt.* Auic. *fen. 2. 1. d. 2.* & *ibi* Gentilis, Iacobus, Gratiolus, & reliqui illius Commentatores; Valleriola, *lib. 3. de locis comm. c. 3.* Duncanus *l. 1. pathologiæ c. 2.* Mercatus *l. 3. de morb. claſſe 1. q. 175.* Varandæus *Patholog. vniuerſ. part. 3.* Fontanus *l. 2. pathol. c. 2.* Sennertus *tom. 1. l. 2. p. 1.* Heurnius *l. 7. inſtit.* Angelucius *l. 1. artis medicæ. cap. 3.* Martin. *l. 2. tract. 1. ſect. 1.* Valles *l. 4. controuerſ. c. 3.* Roſellus *in commento ad lib. Galeni de cauſ. morb.* Plempius *l. 4. de fundam. medicinæ.* Argenterius *lib. de cauſis morb.* Godofredus *lib. 5. vniuerſæ artis medicæ.* Fernelius *lib. 5. c. 11.* Matamoros, Cattcirus, & Maſſarias *tract. de cauſis febrium*, & plerique alij.

SECTIO PRIMA.

De morborum cauſis in genere.

CAVSÆ acceptio multiplex eſt: pro Principio eam recipit Ariſtoteles *l. 12. metaph. c. 2.* minus latè prout quatuor genera cauſarum concurrentium ad eſſe entis naturalis amplectitur, & ſic de illa diſputat Ariſtoteles *l. 2. phyſicorum* Strictiùs pro ſola efficiente deſumit Cauſam Plato *in Hippia maiore*, & Diuus Auguſtinus *lib. 38. q. 28.* & in hac acceptione Galenus & Auicenna de morborum cauſis egerunt, & nos cum illis ſub hac ſectione, & in tota diſputatione.

RESOLVTIO I.

Vtrùm morbus formaliter ſumptus habeat cauſam materialem ex qua fiat?

§. I.

Roſelli, & Gardinij, & Montani fulcitur opinio.

QVòd morbus habeat materialem cauſam ex qua fiat, ſanciuit Roſellus *lib. Galen. de cauſ. morb. c. 1. q. 3.* ex quo eam opinionem deſumpſit Gardinius; licèt illi tantum eam contendat adſcribere Plempius; & reſpectu morborum pendentium ex materia coniuncta, priùs eam amplexus eſt Comes Montanus: poteſt tamen ſuaderi,

A Primò: Tum quia Ariſtoteles pro cuiusvis entis generatione quatuor cauſas requirit *lib. 1. phyſicor.* Tum quia morbus, cùm ſit forma accidentalis, habet pro materia *ex qua*, ens ſubſtantiale viuens, cuius eſt proprium: Tum quia, vt contendit Comes Montanus, ſaltem morbi qui oriuntur ex præſentia materiæ fiunt ex illa: ergo morbus pro formali requirit materiam ex qua fiat.

Secundò: ſicut quærenti à quo fit morbus; reſpondere tenemur, quòd à cauſa efficienti: ſimili modò quærenti ex quo fit morbus; tenemur reſpondere, quòd fit ex materia; ſcilicet ſi eſt morbus partium ſimilarium, fit tanquam ex materia ex illarum intem-
B perie; ſi eſt morbus partiũ organicarum, ex vitiata illarũ compoſitione; ſi eſt morbus communis vtriſque partibus, ex ſolutione continuitatis: ergo morbus formaliter ſumptus habet cauſam materialem, ex qua fiat. Patet antecedens, nam materia *ex qua* morbi, eſt illa ex cuius potentia educitur morbus: ſed morbus partium ſimilarium educitur de potentia, frigidi, humidi, & ſicci prædominantibus: & morbus partium organicarum educitur ex mala compoſitione; & ex ambarum partium ſolutione tanquam ex materia educitur morbus vtriſque communis: ergo fit ex illis tamquam ex materia.

C Tertiò: rerum omnium formæ latent in efficientis, & materiæ potentiis, in quibus veluti in ſeminibus continentur: ſed morbus eſt forma accidentalis; ergo habet materiam ex qua fit, in qua priùs latebat, & continebatur.

§. II.

Valleſij, Sennerti, Varandæi, & aliorum præfertur opinio.

REſoluendum: Quòd morbus formaliter ſumptus non habet cauſam materialem ex qua fiat: ſic te-
D net Valleſius *l. 4. controuerſ. c. 3. l. 2. p. 1.* Mercatus *lib. de morb. cauſis claſſe 1. art. 1.* Martinez *lib. 2. tract. 1. ſect. 1.* Santa-Cruz *l. 2. de morb. & ſymptom. c. 1.* Cattcirus, Matamoros, & Maſſarias *tract. de cauſis febrium.*

Probatur 1. Morbus eſt accidens: ſed accidens non petit ad ſui fieri materiam ex qua: ergo morbus non fit ex materia ex qua. Probatur minor, ex D. Thom. *opuſculo de principiis naturæ §. illud quod eſt in potentia ad eſſe ſubſtantiale, dicitur materia ex qua; quod autem eſt in potentia ad eſſe accidentale, dicitur ſubiectum: ſubiectũ enim dat eſſe accidenti, ſcilicet exiſtendi, quia accidens non habet eſſe niſi per ſubiectum; vnde dicitur quòd accidentia*
E *ſunt in ſubiecto, non tamen dicitur quòd forma ſubſtantialis eſt in ſubiecto.*

Probatur 2. Solùm fit ex materia ex qua ens naturale, quod naturæ conſtat: ſed morbus pro formali non eſt ens naturale, ſed ens ſecundùm naturam, ſeu accidens ad ipſum conſequutum: ergo morbus non habet cauſam materialem ex qua.

Probatur 3. Si morbus formaliter ſumptus haberet aliud accidens pro cauſa materiali ex qua fieret tanquam ex materia, maximè quia vnum accidens

petit

petit ex alio fieri;ſed vnum accidens ex alio non petit fieri; tum quia cum de quolibet accidente ſit eadem ratio, daretur proceſſus in infinitum, tum quia nec accidentali, nec ſubſtantiali formæ conuenit, quòd ſit entitas compoſita; tum quia ſolius entis naturalia ſunt principia in facto eſſe, & in fieri materia, & forma: ergo morbus formaliter ſumptus non habet cauſam materialem ex qua fiat.

§. III.

Roſelli argumenta diluuntur.

AD 1. reſpondetur: Tum quòd Ariſt. agit de cauſis entis naturalis; tum quòd accidens reſpicit ens naturale tanquam ſubiectum in quo inhæret, non verò tanquam materiam ex qua fiat: tum quòd morbi, qui dependent à materiali cauſa, ab illa dependent tanquam ab efficienti vt quo; non autem tanquam à materia ex qua.

Ad 2. reſpondetur: Quòd quærenti ex quo fiat ens naturale tanquam ex materia? Reſpondetur, quòd fit ex materia prima: quærenti verò ex quo fiat forma ſubſtantialis, aut accidentalis? reſpondetur, quòd fit ex ſui priuatione tanquam ex termino à quo: ex morbo verò pro materiali non dicitur fieri morbus formaliter ſumptus tanquam ex materia, aliàs eſſet pars eſſentialis illius, quod implicat; cùm morbus pro materiali aliquando ſit ſubſtantia, aliquando quantitas, aut ſitus, quæ non poſſunt eſſe partes eſſentialiter componentes morbi formaliter ſumpti, qui eſt qualitas: dicitur tamen morbus formaliter ſumptus fieri à morbo pro materiali; quia ex eius poſitione reſultat: ſic ex intemperie, mala compoſitione, aut ſoluta vnitate reſultat præternaturalis diſpoſitio, quæ eſt morbus tanquam terminus ſecundarius eiuſdem actionis, per quam producuntur, ſicut reſultant paſſiones propriæ ad poſitionem eius entitatis, cuius ſunt propriæ paſſiones.

Ad 3. reſpondetur: quòd omnes rerum entitates latent in cauſa efficienti, dum in illius virtute continentur, & formæ ſubſtantiales materiales dicuntur contineri in potentia materiæ, quatenus ipſa eſt in potentia ad earum receptionem; formæ verò accidentales tantum dicuntur dependere à ſubiecto tanquam ab eo, in quo petunt inhærere.

Resolutio II.

Verùm morbus formaliter ſumptus habeat cauſam formalem per quam fiat.

§. I.

Pars affirmatiua fouetur.

SIcut variant Auctores in conſignanda morbi natura; ſimiliter in determinando qualis forma ipſi ſit. Alij analogam eſſe formam contendunt; alij eſſe relationem: alij habitum: alij priuationem: Nos decernimus eſſe diſpoſitionem. Sed an habeat cauſam formalem per quam in ſuo eſſe fiat talis? ſub hac reſolutione diſputandum.

Pars affirmatiua ſuadetur 1. Quia morbus, vt patet ex eius diffinitione, diffinitur per genus, & differentiam: ſed, vt Logici, & Metaphyſici admittunt, genus à materia, & differentia à forma ſumitur: ergo morbus habet cauſam materialem.

Secundò: Morbus eſt qualitas, ſed qualitas eſt forma phyſica accidentalis: ergo morbus formaliter ſumptus habet cauſam formalem.

A Tertiò: Forma eſt quæ dat eſſe rei: ſed morbus habet eſſe: ergo habet formam, quæ det tale eſſe.

§. II.

Pars negatiua communi aſſenſu fulcitur.

REſoluendum: Quòd morbus non habet cauſam formalem phyſicam per quam fiat: ſic fatetur Valles *lib. 4. controuerſ. c. 3.* Mercatus *tom. 1. lib. 3. part. 1. claſſe* 1. Matamoros, Sennertus, & alij.

Probatur: tum quia morbus non habet cauſam materialem ex qua fiat: nec ideò poteſt habere cauſam formalem per quam fiat. Tum quia ſi formæ fierent tales per aliam ſuperadditam formam, eadem ratio
B eſſet de altera forma, & ſic daretur proceſſus in infinitum: tum quia ſi morbus fieret talis per formam ſuperuenientem ſuæ entitati, vel ea eſſet eiuſdem rationis, & ideò eſſet ſuperflua; vel diuerſæ rationis, & ſic non poſſet per illam in ſuo eſſe conſtitui: ergo morbus formaliter ſumptus non poteſt habere cauſam formalem per quam fiat talis.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd non intendunt Metaphyſici, quod genus ſumatur à ſola materia, & differentia à ſola forma; aliàs ſola entia naturalia poſ-
C ſent diffiniri per genus, & differentiam: ſed quod genus ſumitur ab eo quod in entitate eſt contrahens, & determinans, quod ſe habet per modum formæ.

Ad 2. reſpondetur: Quòd morbus eſt forma accidentalis, ex qua ſimul cum ſubiecto inhæſionis fit ens accidentale: de ipſa tamen inquirimus an fiat talis per aliam formam? & hoc negamus.

Ad 3. reſpondetur: Quòd formæ ſeipſis habent eſſe tale, aliàs daretur proceſſus in infinitum.

Resolutio III.

D Verùm morbus formaliter ſumptus induat rationem finalis cauſæ?

§. I.

Status difficultatis aperitur. Sennertus & Plempius notantur. Roſelli opinio fulcitur.

FInis dicitur id, cuius gratia aliquid fit, & finalis cauſa, ea propter quam operatur aliquod agens: an in morbi productione propter ipſum operetur efficiens, à quo producitur, inquirimus. Sennertus ait cum Valleſio, quod morbus non poteſt eſſe cauſa finalis, quia non conſiſtit in aliqua perfectione: ſed inepte,
E cùm morbus licet ſit malum alteri, ſimpliciter eſt entitas poſitiua, & bona. Plempius, finis rationem tribuit morbo, quia conatur corpus deſtruere: ſed neque difficultatem attingit; non enim inquirimus in quem finem, ſeu ad quam actionem ordinetur morbus, ſed an in ſua productione induat rationem finalis cauſæ reſpectu producentis. Roſellus *lib. de cauſ. morb. c. 14. 3.* partem affirmatiuam admittit; cui fauet,

Primò: bonum, ens, & finis, conuertuntur: ſed morbus eſt ens reale, & poſitiuum: ergo & habet eſſe bonum, & induit rationem finis pro ſui productione.

Secundò: Morbus habet cauſam efficientem, à qua

per realem illius productiuā actionem producitur: ergo habet rationem finis reſpectu cauſæ illius effectiuæ.

Tertiò: Plerumque morbi per ſe intenduntur produci à Medico, v.g. febris, pro curatione frigidorum affectuum: ſolutio continuitatis pro tumorum curatione: ergo morbus induit rationem cauſæ finalis.

§ II.

Mercati, Valleſij, & aliorum opinio præfertur.

REſoluendum negatiuè. Sic tenet Mercatus *tom.* 1. *lib.* 3. *claſſe* 1. Valles *lib.* 4. *contr. cap.* 5. Matamoros *lib.* 2. *de febrib.* Varandæus *lib. pathol. p.* 3. & alij.

B Probatur 1. Ille affectus habet rationem finis, qui per ſe intenditur à producente, & propter quem per ſe primò agens operatur: ſed in morbi productione non eſt morbus formaliter ſumptus, qui per ſe primò intenditur à producente, ſed morbus pro materiali, ad cuius poſitionem morbus pro formali reſultat tanquam terminus ſecundarius ſuæ productionis; ſicut reſultat relatio ex poſitione ſui fundamenti; vel propriæ paſſiones ex hominis generatione: ergo ſicut nec in hominis generatione propriæ paſſiones non habent rationem finis, nec relatio in productione ſui fundamenti; ſimiliter nec morbus formaliter ſumptus reſpectu eius actionis, per quam reſultat ex poſitione morbi pro materiali. C

Probatur 2. Si morbus formaliter vt talis, eſſet cauſa finalis, maximè quia eſſet ratio propter quam agens operatur: ſed ratio, propter quam agens operatur, eſt morbus pro materiali: ergo morbus pro materiali, & non morbus pro formali, eſt cauſa finalis reſpectu agentis à quo fit.

Probatur 3. Cauſa calida applicata homini per frigiditatem morboſo, & homini temperato in eſſe cauſæ, in vtroque operatur propter eundem finem: ſed in vno cauſatur ſanitas, in altero morbus: ergo neutra ex his ſunt cauſa finalis, ſed alia entitas a qua ſequuntur, ſcilicet calor.

§. III.

Adhibetur ſolutio argumentis.

D AD 1. reſpondetur. Quòd non ſufficit vt aliqua entitas ſit bona, vt dicatur habere rationem finis: ſed requiritur quod agens operetur propter eius acquiſitionem, & quòd per ſe primò intendat illius productionem; quòd non contingit in morbi productione: intenditur enim per ſe productio morbi pro materiali, & ex eius poſitione ſuperuenit morbus pro formali.

Ad 2. reſpondetur: Quòd morbus habet cauſam efficientem non per ſe primò intendentē eius productionem: & ideò non eſt morbus pro formali finalis cauſa, ſed entitas, quam per ſe primò intendunt producere.

Ad 3. reſpondetur: Tum quòd per ſe primò intendit Medicus producere morbum pro materiali, non verò morbum pro formali. E Tum quòd non intenduntur produci vt morbi, ſed vt dicunt rationem remedij: Tū quòd ille finis eſt finis artificis, non verò agentis naturalis, reſpectu cuius deberet conſtitui in eſſe cauſæ finalis.

Resolvtio IV.

Vtrùm morbus formaliter ſumptus habeat cauſam efficientem?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

VIdetur quòd non: quia ex Ariſt. *lib.* 2. *phyſicorum. c. vlt.* omnis cauſa efficiens operatur propter

A finem: ſed morbus non poteſt habere rationem finis: ergo reſpectu illius non poteſt dari cauſa efficiens.

§. II.

Communi omnium aſſenſu deciditur reſolutio.

REſoluendum affirmatiuè: ſic vnanimi conſenſu admittunt omnes. Et de hac, vt diximus, diſputant omnes Auctores citati in principio diſputationis: Patétque manifeſtè; quia morbus habet eſſe, non à ſe: ergo ab aliqua cauſa efficienti illud recipit.

§. III.

B *Ratio dubitandi ſoluitur.*

AD rationem dubitandi reſpondetur, quòd omnis cauſa operatur propter finem, ſed non omne quod producitur, eſt finis propter quem cauſa operatur, ſed ſolus terminus per ſe primò intentus; morbus verò formaliter ſumptus producitur tanquam terminus ſecundarius: & ideò licèt habeat cauſam efficientem, non induit rationem cauſæ finalis.

Resolvtio V.

Quid ſit cauſa efficiens morborum?

C §. vnic.

Præmiſſis alijs, propria adducitur cauſæ diffinitio.

PLerique morbi cauſam docet eſſe *rem præter naturam à qua morbus efficienter, vel quaſi efficienter natus eſt reſultare.* Varandæus ait, quòd eſt, *quæ quocumque modo aliquid ad generationem morbi confert.* ex Valleriola eſt, *quæ in corpore quidquam facit, effectumque quempiam, qui actionibus officiat, creat.* Santa-Cruz cauſam in communi dicit eſſe, *id ad quod aliud ſequitur:* & hanc cauſæ morbi conatus etiam aſcribere, minus aptè ſuam tradens diffinitionem pro morborum cauſa: reliqui enim ſuo modo acquieſcunt Galeno, qui varijs in locis his, & illis videtur fauere: inquit enim *in diffinitionibus medicis,* D quòd eſt, *quæ in corpore quidquam facit, expérſque ipſa eſt corporis:* & *lib. de ſymptomat. cauſis cap.* 1. & *lib. de cauſis procatharticis* ait quòd eſt, *id, quod ei, quod fit, aliquam generationis partem confert:* Et *lib. artis medicinalis*, quòd eſt, *quæ aut morbum efficit, aut factum conſeruat.*

Reſoluendum, quòd morbi cauſa eſt illa, quæ naturalem valet corporis conſtitutionem euertere.

Patet huius reſolutionis veritas: quia, vt docet Gal. *lib. de differentiis morb.* ſicut ſanitas reſultat ex integra, & naturali corporis conſtitutione; ita morbus reſultat ex quocumque vitio, quod accidat illi: ergo cauſa, quæ naturalem valet euertere conſtitutionem, morbi cauſa eſt conſtituenda, quocūque modo conferat ad id, vt ex Gal. deducitur *lib. de cauſis procatharticis*, ſiue per ſe, ſiue E per accidens, poſitiuè, priuatiuè, mediatè, vel immediatè, ſiue quomodolibet coadiuuando, aut concurrendo.

Resolvtio VI.

Vtrùm inter cauſas morbi debeant, vltra communes cauſarum differentias, aliæ annumerari?

§. I.

Argenterij aperitur placitum.

COntendit Argenter. *lib. de morb. cauſ. c.* 2. plures ſuperaddendas cauſarum morbi differentias præter

A præter eas, quæ communiter ex Galeno, & Auicenna deducuntur: pro quo ſtat,

Primò illius ratio: Quoniam octo quærimus de morbo, quid faciat morbum, ſiue quid ipſe ſit, vel à quo ſit, vel ex quo fiat, vel in quo, vel cuius gratiâ, vel per quod, vel ſine quo nullo modo, aut cum quo meliùs fiat: ſed ex Ariſt. pro quolibet quæſtio vna aſſignari debet ratio cauſæ diuerſa: ergo pro morbo diuerſæ cauſæ debent aſſignari, & plures quàm communiter annumeratæ.

Secundò: Pro morbis admittendæ ſunt cauſæ inſtrumentales, ex Galeni, & Platonis ſententia, quæ diuerſum genus cauſarum conſtituunt: ergo ſunt admittendæ.

Tertiò: Locus, & tempus, & cauſa ſine qua non, ſunt ſine quibus morbus fieri non poteſt: ergo inter illius cauſas debent annumerari.

§. II.

Communior præfertur opinio.

Reſoluendum, quòd nullæ ſunt cauſæ admittendæ, quæ non reducantur ad efficientem. Patet ex antecedenter dictis: ſic fatentur communiter reliqui Authores, & præcipuè Sennertus *lib. 2. p. 2. cap. 1.* Santa-Cruz *lib. 2. de morb. & ſympt. cap. 1.* dilucidabitúrque ſolutione argumentorum.

§. III.

Soluuntur Argenterij obiectiones.

Ad 1. reſpondetur: Quòd non quælibet interrogationes, ſed illæ, quæ denotant tendentiam cauſæ in effectum; petunt cauſæ aſſignationem. Ariſtot. enim, quatuor interrogationes adduxit huiuſmodi, quæ exigunt cauſas quatuor, à quibus poſſunt dependere in ſuo eſſe entia naturalia; non tamen omnia ſunt neceſſaria pro quolibet ente; nec pro morbo formaliter ſumpto requiritur alia, quàm efficiens, vt probauimus: ex quo patet ad in- D terrogationem quid ſit morbus, quod per ſe & non per formam ſuperadditam eſt, quod dicit eius diffinitio: ad id ex quo conficiatur, dicimus quòd non ex materia ex qua: ad id in quo, dicimus, quòd quatenus tale accidens dependet à viuente tanquam à ſubiecto inhæſionis: ad id cuius gratia fit, dicimus, quòd ille non eſt cuius gratia fit actio ſui productiua, ipſe tamen reſpicit lædere: ad id à quo, dicimus, quòd petit cauſam efficientem, de qua diſputamus: ad id quod; quòd petit cauſam inſtrumentalem, quæ ſub efficiente eſt: ad id, ſine qua non, vel cum qua meliùs, dicimus quòd petit cauſam ſine qua non, quæ non eſt verè cauſa; ſed tale quid, ſine quo non poteſt vnum ab altero fieri; & cauſam per ſe; quæ eſt efficiens: ex quo patet nullam cauſam ſuperaddi ex tot interrogationibus Argenterij, ad eas, de quibus diſputamus ex Galeni, & Auicennæ decretis.

Ad 2. reſpondetur: Quòd, vt patet ex dictis, cauſa inſtrumentalis ad efficientem debet reduci.

Ad 3. reſpondetur: Quòd locus, tempus, & cauſa ſine qua non, ſunt conditiones pro efficientis operari requiſitæ, non verò genus cauſæ aliud.

Resolvtio VII.

Vtrùm cauſa morbi, alia ſit cauſa per ſe, alia cauſa per accidens.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

Auicenna ratione modi operandi cauſam diuidit in Cauſam per ſe, cuius eſſentiæ effectus correſpondent; & in Cauſam per accidens, quæ virtute aliena operationem conſequitur: ſed quod hæc diuiſio B non rectè aſſignetur ſuadet,

Primò; Cauſa per accidens non valet morbum pro materiali, nec pro formali producere, v.g. frigiditas calorem, vt intendit Auicenna: ergo cauſa per accidens non valet eſſe morbi cauſa. Probatur antecedens, quia nulla cauſa valet producere effectum, quem nec virtualiter, nec formaliter continet: ſed frigiditas, nec formaliter, nec virtualiter continet calorem: ergo non poteſt illum cauſare.

Secundò: Reſpectu morbi pro formali nulla poteſt dari cauſa per ſe: ergo nec reſpectu morbi pro materiali, quia vtrius actio eſt vna, & eadem.

Tertiò: Membra diuidentia æqualiter debent participare rationem diuiſi: ſed cauſa per accidens non C poteſt rationem diuiſi æqualiter participare, cùm non habeat veram rationem cauſæ efficientis, cùm nec propria virtute agat ſicut cauſa per ſe: ergo non eſt admittenda hæc diuiſio.

§. II.

Auicennæ præfertur opinio.

Reſoluendum. Quòd optima eſt cauſæ diuiſio in Cauſam per ſe, & Cauſam per accidens. Hæc doctrina deducitur ex Ariſt. *lib. 2. phyſicor.* & reſpectu cauſæ morborum ſancitur ab Auicenna *fen. 2. 1. tract. 2.* ibi eam amplectuntur ſui Commentatores, & admittunt Iuniores.

Probatur 1. ex Auicenna loco nuper citato, inquit enim: *Omnes autem cauſæ, aut ſunt cauſa ſecundum eſſentiam, ſicut piper cùm calefacit, & apium cùm infrigidat: aut ſunt cauſæ ſecundum accidens, vt aqua frigida dum calefacit propterea quòd ſpiſſat cutim.*

Probatur 2. Cauſa per ſe eſt illa, à qua vt tali prouenit effectus: Cauſa per accidens eſt, à qua, ſed non vt tali prouenit effectus: ſed vtraque earum poteſt morbum, ſicut & alias quaſcumque res cauſare: ergo vtraque harum debet admitti.

§. III.

Argumentorum tela franguntur.

Ad 1. reſpondetur: Quòd licèt cauſa per accidens, v.g. frigiditas non contineat per ſe vir- E tualiter calorem, continet illum virtualiter per accidens.

Ad 2. reſpondetur: Quòd vna & eadem eſt actio morbi materialiter ſumpti, & morbi ſumpti formaliter; & licèt hunc ſecundariò, illum primariò producat, vtrumque producit per ſe, aut vtrumque per accidens.

Ad 3. reſpondetur: Tum quòd eſt diuiſio analoga: tum quòd medica cauſarum acceptio ſumitur, vt diximus, pro eo quod quocumque modo coadiuuat ad morbi productionem.

A

Resolutio VIII.

Vtrùm cauſa procathartica differat à cauſa interna.

§. I.

Cauſarum morbi differentiæ plures, procatharticæ aliquæ diuiſiones proponuntur, & rationes dubitandi.

CAuſarum morbi aliæ dicuntur totales, quæ in ſuo ordine, & genere integrum cauſalitatis principium ſunt. Partialis dicitur, quæ ſe ſola in ſuo ordine non valet effectum producere. Proxima dicitur, quæ B
proximè attingit morbi productionem. Remota, quæ mediante altera. Præcipua tamen diuiſio cauſæ morbificæ, quoad vſum medicum, eſt, in internam, & externam. Interna ſolet etiam vocari cauſa abdita, & diuiditur in antecedentem, & coniunctam. Cauſa externa ſolet vocari primitiua, prægreſſa, præincipiens, manifeſta, euidens, & procathartica. Procathartica verò aliquando vſurpatur à Galeno rigoroſè pro cauſa externa; aliquando non ſolum pro cauſa quæ extra nos eſt, ſed pro manifeſta intra nos. Et in hac acceptione variis ſolet explicari diffinitionibus, vt notauit Plēpius. Gal. *lib. de cauſ. morb c.* 2. ait eſſe, Quæ extrinſecus aduenit, alterat corpus, & naturam vehementer transmutat. Fernelius *lib. de morb. differ. c.* 11. Quæ extrinſecus, aut corpori, aut contentis vim infert. Sennertus *lib.* 2. *p.* 2. *c.* 1. C
Quæ manifeſtè corpus noſtrum afficit, latentéſque cauſas mouet ad morbum producendum. Gardinius; à qua omnium prima ducitur principium illius motus, quo fit morbus. Plempius *lib.* 4. *de fundament. Medicin.* Cauſa extrinſecùs aduenient, vel ſaltē cuiuis euidens, cui morbi principium etiam à vulgo tribuitur. Martinez *lib.* 5. *tr.* 1. *ſect.* 2. *q.* 1. Quidquid extrinſecum valet nos alterare, vltra ea, quæ complent noſtram compoſitionem.

Nos verò cauſam procatharticam proferimus *eſſe cauſam morbi ita euidentem, vt nulla indigeat coniectura ad ſui cognitionem*: de qua, an ſit vera cauſa diſtincta ab interna, eſt difficultas.

Medici Antiquiores Galeno, vt ipſe refert *lib. de cauſ. procathar.* iudicabant non dari aliam cauſam ab D
interna diuerſam: pro quibus ſtat,

Primò: Si cauſæ procatharticæ, v. g. ſol, vinum, exercitatio, aut quæcumque alia cauſa externa, veram cauſæ inducerent rationem, ſi applicarentur pluribus hominibus, in omnibus cauſarēt febrem diariam: ſed contingit quòd applicentur, & quod in vno, aut altero, vel in nullo illam valeant cauſare: ergo non habent veram cauſæ rationem.

Secundò: Bubo dicitur cauſa procathartica quatenus febrem cauſat: ſed bubo eſt cauſa corpori interna, ergo cauſa procathartica non differt à cauſa interna. E

Reſpondetur: Quòd eſt cauſa euidens, & cognoſcibilis ſine coniectura; & ideò dicitur procathartica, etiam ſi ſit intra corpus.

Contrà: animi paſſiones ex Galeno ſunt cauſæ procatharticæ: ſed iſtæ ſunt intra corpus, & non ſunt cognoſcibiles euidenter: ergo poſſunt dici cauſæ procatharticæ etiamſi ſint cauſæ internæ.

Reſpondetur: Quòd animi paſſiones ſunt euidentes, & manifeſtæ obiectiuè, quatenus cauſæ obiectiuæ illarum manifeſtæ ſunt, per quas & ipſæ paſſiones fiunt euidentes.

Contrà: aliquæ illarum petunt cognoſci per coniecturam, vt patet ex Galeno *lib. de præcognitione ad Poſthumum*, in quo docet Eraſiſtratum cognouiſſe amari nouercam à priuigno quibuſdam coniecturis: ergo.

Tertiò: Obſtructio eſt cauſa procathartica, quia ab illa poteſt cauſari febris diaria, quam à cauſa procathartica ſemper cauſari docuit Gal. ſed obſtructio non eſt euidens: ergo non eſt diſtincta à cauſa interna.

§. II.

Deciditur reſolutio, & comprobatur.

REſoluendū affirmatiuè: ſic ſanciuit Gal. *lib. de cauſ. procathart. & lib. de cauſis morb. lib. de diff. febriū c.* 7. *lib.* 3. *prog. text.* 29. *lib.* 1. *ad Glauconem c.* 14. & recipiunt Auctores nuper citati. & Roſellus *in lib. Gal. de cauſ. morb.* Mercatus *lib.* 3. *de morb. cauſis claſſe* 1. Valles *lib.* 4. *controuerſ.* & communiter reliqui Authores. Ratio huius eſt euidens, tum quia membra diuidentia debent eſſe oppoſita, & Galenus ſub cauſa morbi ponit has cauſas tamquam membra diuidentia: tum quia habent diuerſas diffinitiones, quia procathartica conſtituitur per hoc, quòd ſit euidens, vt ex Gal. deducitur, *lib. de arte curatiua ad Glauconem c.* 14. *lib.* 1. *de different. febrium, lib.* 2. *prog. text.* 29. Interna verò conſtituitur ex hoc, quòd ſit abdita, & ſola coniecturâ cognoſcibilis: tum quia procathartica cauſa antecedit ad internam, pro diaria febre ſemper requiritur, & aliæ inſunt ei proprietates, quæ internæ cauſæ non adaptantur: ergo differunt inter ſe.

§. III.

Solutione argumentorum fulcitur doctrina.

AD 1. reſpondetur: Quòd cùm actus actiuorum, vt docet Ariſt. debeant eſſe circa paſſum benè diſpoſitum, etiamſi cauſæ externæ & procatharticæ veram habeant cauſæ rationem, in diſpoſitis ſubiectis, & præparatis ad morbum illum cauſant, non verò in reliquis.

Ad 2. reſpondetur: Quòd paſſio animi dicta etiā eſt manifeſta patiēti, & à quo ſine coniectura poſſet percipi à Medico, quòd ſufficit vt ex ſe dicatur euidens.

Ad 3. reſpondetur; Quòd febris diaria, quæ natura, & conſtitutione eſt talis fit à cauſa procathartica; ſed nunquam ab obſtructione, quia obſtructio eſt cauſa interna: poteſt tamen ab illa diaria natura tantùm, de qua non eſt dubium ab interna poſſe oriri cauſa.

Resolutio IX.

Vtrùm cauſa antecedens ſit tantùm cauſa in actu primo.

§. I.

Status reſolutionis aperitur, & rationes dubitandi proponuntur.

DE cauſa interna docet Gal. *lib.* 11. *methodi. c.* 9. quòd aut eſt antecedens, aut coniuncta: harum tamen differentiam ponēs hoc conſtituunt aliqui, quòd cauſa antecedens ſit cauſa interna in actu primo, & quòd eadem dicatur cauſa coniuncta, dum ſit cauſa in actu ſecundo, ita vt humor in venis dicatur cauſa antecedens reſpectu tumoris, quem cauſare poteſt, dum autem eſt in actu ſecundo, cauſa illius dicatur cauſa coniuncta: nunquam tamen poſſe cauſare in actu ſecundo iudicant, dum eſt cauſa antecedens: quibus fauet,

Primò: Illa dicitur cauſa in actu ſecundo, quæ actu influit in effectum, ſed cauſa antecedens, vt talis, nunquam influit in effectum, quia actu influit cauſa coniuncta, quæ immediatè attingit productionem; ergo cauſa antecedens conſtituitur per hoc, quòd ſit cauſa in actu primo.

Secundò:

Secundò: Humor in venis eſt cauſa antecedens tumoris, qui ex illo humore poteſt tractu temporis cauſari in partibus, dum humor eſt intra earum poroſitates cauſa in actu: ſed humor, dum eſt intra venas, numquam poteſt eſſe cauſa in actu ſecundo, donec intra poroſitates fiat cauſa in actu ſecundo: ergo eſt de intrinſeca ratione cauſæ antecedentis, quòd ſit tantùm cauſa in actu primo.

Tertiò: Cauſa antecedens ex Fernel. *lib.* 1. *de morb. cauſ.* eſt, quæ in corpore prior continente hanc efficit, ac mouet: ergo ipſa numquam apta nata eſt morbum, vt talis eſt, attingere.

§. II.

Pars negatiua præfertur.

RESoluendum: Quòd non eſt intrinſecum cauſæ antecedenti, quòd ſit tantùm cauſa in actu primo, ſic deducitur ex G l. & tenent communiter Authores.

Probatur 1. ex Galeno *lib. de locis cap.* 9. cauſa antecedens veram cauſæ induit rationem: ſed quæ veram cauſæ rationem induit, poteſt vt talis productionem effectus attingere in actu ſecundo, potentia enim, quæ non poteſt reduci ad actum, inutilis eſt: ergo cauſa antecedens morbi poteſt eſſe cauſa in actu ſecundo.

Probatur 2. Aliqua poteſt aſſignari cauſa antecedens, quæ numquam ſit cauſa coniuncta, vt obſtructio: aliqua eſt cauſa coniuncta, vt putredo, quæ numquam poteſt fieri cauſa antecedens: ergo non conſtituitur cauſa antecedens per hoc, quòd ſit cauſa in actu primo reſpectu ſui, dum fit coniuncta, & redditur cauſa in actu ſecundo; nec cauſa coniuncta dicitur talis, quia eſt quæ cauſat in actu ſecundo, poſtquam fuit in actu primo cauſa antecedens.

Probatur 3. Sic ſe habere poſſunt intra corpus cauſa antecedens, & coniuncta, ſicut ſe habent extra corpus: ſed extra corpus tam antecedens, quàm coniuncta ſimul influunt in effectum in actu ſecundo: ergo etiam intra corpus. Probatur minor ex Galeno *lib.* 5. *method. cap.* 9. adducente exemplum de homine mouente, à quo ſecundus mouetur, ſicut tertius à ſecundo.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur; Quòd quælibet influit in ſuo ordine ſimul in actu ſecundo, vt ſi iecur ſua intemperie communicet calorem humoribus, & vlterius putreſiant ipſi ab vtraque cauſa tam coniuncta, quam antecedente vt operante in actu ſecundo communicatur calor.

Ad 2. reſpondetur: Quòd cauſa dupliciter poteſt dici antecedens: vno modo reſpectu ſui, & hoc modo eademmet cauſa, quæ nunc eſt cauſa in actu primo, poteſt dici antecedens reſpectu ſui, prout poſtea fit cauſa in actu ſecundo, & ſic ſemper eſt neceſſarium, quod ipſa antecedat ſe ipſam: alio modo vna cauſa dicitur antecedens reſpectu alterius cauſæ, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſi ordinis quæ dicitur coniuncta, quia proximius attingit morbi productionem: ſed vtraque harum, cum habeat veram cauſæ rationem, poteſt eſſe cauſa in actu primo, & reduci in actum ſecundum in ſuo ordine, itaut quælibet alia proximè, alia remotè attingat morbi productionem.

Ad 3. reſpondetur: Quòd cauſa antecedens variis diffinitionibus diffiniri ſolet. Galen. *lib. de cauſ. morb. cap.* 2. inquit: quod eſt diſpoſitio, vel motus præter naturam in animali morbum præcedens. *lib. introductionis c.* 8. Quòd eſt cauſa interna, quæ ab euidenti, vel præparatur, vel coadiuuatur. *in arte medicinali c.* 88. Quòd eſt diſpoſitio in corpore, quam morbus ſequi aptus natus eſt. Sic Sennertus ait: quòd eſt diſpoſitio in corpore latens & abdita ex qua morbus valet oriri. Gardinius ait: quòd eſt, quæ in corpore ortum ex alia ducens morbum ita producit, vt ea deſinente, morbus valeat perſeuerare. Hos reprehendit Plempius, quia vel omni cauſæ diffinitio quælibet adaptatur, vel non neceſſariò diffinito adaptatur. Ipſe autem dicit; Quòd eſt cauſa interna non procatarctica nata morbum producere, ſic vt ipſa ſublata, non confeſtim tollatur morbus: ſed omni ex parte conuenit etiam eius diffinitio cauſæ coniunctæ, non continenti, vt apparet: eſt ergo cauſa antecedens Fernelio, & aliis relictis, *cauſa interna morbi productionem attingens cum mediatione coniunctæ alterius, vel ſui in actum reductione.*

SECTIO II.

De cauſa continente.

CAVSA continens apud Philoſophos fuit in Stoicorum ſchola recepta; apud Medicos in morborum productione, & conſeruatione, apud Galenum admiſſa; non tamen ita conſequenter apud Iuniores recepta; & ideò pro dilucidanda hac controuerſâ doctrinâ, in aliquas reſolutiones diuagabimur ſub hac ſectione.

RESOLVTIO I.

Vtrùm ſit admittenda cauſa continens?

§. I.

Status difficultatis proponitur: & Fuchſij, ac Leoniceni refertur opinio.

MArcus Antonius Montiſignianus maximam huic difficultati lucem dedit q. 5. à quo Zacutus, & Santa-Cruz deduxêre doctrinam: quibus & nos adhæremus. Cauſa continens primò apud Zenonem, & Stoicos nomen obtinuit, qui cauſam continentem omnium rerum admittebant, tum materiam, tum Deum: licèt non eodem modo Deum intelligentes; nam alij Cœlum; alij Spiritum ſiue Aërem; alij ex igne, & ſère, quoddam mixtum; alij ipſa Æthera nominabant Deum. His videtur aſſentire Hippocrates *lib. de carnibus.* Illis verò Valleſius *lib. de ſacra philoſophia*, ignem in cunctis admittens ſicut & ipſi cauſam continentem in omnibus penetratam admittebant, non ſine iniuria naturæ, quæ corporum penetrationem naturaliter tenuit, & philoſophiæ, quæ nullam penetrationẽ corporũ naturaliter factam admittit. Athenæus medicus in morbificas cauſas tranſtulit cauſæ continentis nomen, ipſúmque adaptauit Galenus cauſis particularibus, à quibus morbi valent continenter dependere, inualuitque inter noſtrates opinio, donec Fuchſius, Leonicenus, & Matthæus Curtius ipſam deſeruêre conantes, nullam neque in Galeni doctrina admittendam morbi continentem cauſam, quibus fauet,

Primò Galenus *lib. aduerſus Iulianum*, vbi reprehẽdit Stoicos, qui cauſam continentem admittebant, & ipſâ admiſſâ, conuincit debere admitti proceſſum in infinitum; Quod abſurdum non admittendum: ergo nec cauſa continens.

Secundò : Si daretur cauſa continens, talis eſſet conſeruatiua effectus : ſed nulla talis poteſt dari: ergo non eſt admittenda cauſa continens. Probatur minor, illa actio conſeruatiua, vel eſt eadem, quæ produxit effectum : vel diuerſa : eadem non ; quia cùm actio ſit motus ad terminum, illo acquiſito, ceſſat actio : nec diuerſa ; quia cùm deberet eſſet eiuſdem rationis cum antecedenti, deberet terminari ad eundem terminum, quem cùm habeat productum, non poteſt in ipſum terminari : ergo nulla talis actio poteſt dari.

Tertiò: illa entitas tantùm petit cauſam à qua continenter dependeat, quæ in motu, & quodam fluxu conſiſtit : ſed morbus, vt docet Galenus *lib. meth.* res eſt permanent, & in facto eſſe producta : ergo non poteſt habere cauſam continentem. Probatur maior ex Galeno *in Compendio de pulſibus, c.9.* vbi dicit cauſas à ſe continenter vocatas eſſe cauſas generationis, non ſubſtantiæ.

§ II.

Cauſa particularis continens admittitur in rebus.

RESoluendum : Quòd dantur in rebus cauſæ particulares continentes.

Probatur ratione fundamentali : Cauſa continens particularis eſt, à qua continenter dependet effectus, ita vt ipſâ ablatâ, non poſſit permanere : ſed entitates ſucceſſiuæ quæ conſiſtunt in quodam motu, & plures entitates quamminimæ entitatis, vt ſpecies, quæ immittuntur ab obiecto, lux, propriæ paſſiones, & alia huiuſmodi, vt demonſtrat ipſa experientia, ita dependent continenter à ſua cauſa, vt ipſâ ablatâ, non poſſint permanere in aliquo inſtanti : ergo habent cauſam continentem.

§. III.

Galeni & communior Medicorum præfertur opinio.

RESoluendum 2. Quòd admittenda eſt cauſa particularis continens morborum : ſic Galenus *lib. de natura humana, lib. de cauſ. pulſuum, cap.1. lib.7. aphor.30 lib.6. epidem part.3. text. 20. lib.1. de locis affect. cap.2. lib. de diffinit. medicis, lib. aduerſus Iulianum* : ſequitur Marcus Antonius *quæſt. 5.6. & 7.* Valleriola *lib. 6. enarrat. 2. lib. 3. de loc. comm. c.3.* Fernelius *lib.1. pathologia, cap.11.* Argenterius *lib.1. de cauſ. morb. c.9.* Muſa *lib.7. aphor. 30.* Zacutus *tom.2. lib.3. quæſt.37.* Langius *lib.1. epiſt.15.* Santa-Crux *lib.2. de morb. & ſympt. cap.1.* Cardanus *lib.1. contradict. tract.4. contradict.14.* Roſellus *lib. de cauſis morb. q.7.* Martinez *lib.2. tract.3. ſect.2. q.1.* Plempius *de fundam. medicinæ, lib.4. cap.4.* Sennertus *lib.2. p.1. cap.1.* Varandæus *pathol. vniuerſ. cap. 4.* & h j.

Probatur ; Tum in morbis ex conſenſu, quando communicatur, quod non deberet communicari, qui ceſſant ſtatim ablato morbo in parte primò affecta: tum in humoribus pendentibus ex materia, quâ ablatâ, ſtatim aufertur tumor : Tum in morbis in numero adaucto, qui continenter dependent ab illo : tum ex dicendis *infra*, dum aſſignabimus morbos, qui dependent à cauſa continenti : ergo cauſa continens morborum particularis eſt admittenda.

§. IV.

Soluuntur argumenta pro Fuchſio, & alijs propoſita.

AD 1. reſpondetur : Quòd Galenus conuellere intendit opinionem Stoicorum, qui cauſam

A continentem vniuerſalem admittebant : de cauſa verò particulari continente potiùs demonſtrat, quòd ſit admittenda.

Ad 2. reſpondetur : Quòd actio conſeruatiua, & productiua aliquando eſt eadem ſecundùm rem, dum non variatur ſubiectum ; aut ſit diſcontinuum tempus : ſi verò hæc contingant, ſunt prædictæ actiones entitatiuè diuerſæ. Dum verò actio productiua, & conſeruatiua ſunt eadem entitatiuè, diſtinguuntur formaliter, quatenus illa actio, vt productiua eſt, denotat negationem eſſe in effectu ; dum verò eſt conſeruatiua, denotat eſſe in ſubiecto, quòd conſeruat : ex quo patet, quòd licèt ceſſet actio quoad primum reſpectum, incipit quoad ſecundum, & actio entitatiuè poteſt eſſe eadem. Si autem diſcontinuatur actio,
B etiam poteſt effectus conſeruari a ſimili cauſa continente, vt lux, quæ producta ab vno lumine, ab alio ſolet conſeruari : & tum actio conſeruatiua non terminatur ad entitatem, ſecundùm quòd de nouo recipit eſſe ; ſed ſecundùm quòd ſub eſſe acquiſito terminat actionem conſeruatiuam ipſius.

Ad 3. reſpondetur : Quòd petunt cauſam continentem, & ſui eſſe conſeruatiuam non ſolùm res ſucceſſiuæ, quarum eſſe conſiſtit in quodam fluxu ; ſed etiam res aliquæ permanentes, quarum eſſe eſt tam minimæ entitatis, vt ſine continuato influxu alterius cauſæ ſtatim deſinant eſſe, vt patet in luce ; in ſpeciebus ſenſitiuis, in relatione, in figura, in diſpoſitione, quæ vel ab efficiente, vel à fundamento
C dependent continenter, ſicut & propriæ paſſiones ab eſſentia, à qua diminant.

RESOLVTIO II.

Verùm cauſa continens ſit cauſa conſeruatiua effectus quoad eſſe exiſtentiæ?

§. I.

Communis proponitur controuerſia, & ratio dubitandi.

EX Galeno *varijs in locis* deducunt Auctores cau-
D ſæ continentis diffinitionem, communiter ex *lib. diffinit. medicar.* quòd ſit, *cauſa morbo ita cohærens, vt eâ poſitâ, ponatur morbus, & eâ ablatâ auferatur.* Valleſius *lib. 4. controuerſ. cap.3.* ex Galeno *lib. aduerſus Iulianum*, deducit quòd eſt, *cauſa, quâ ablatâ ſtatim aufertur morbus.* Qualis autem ex his diffinitionibus debeat admitti, concertant moderniores, Santa-Crux, Plempius, Roſellus, Zacutus, Sennertus, & alij. Nos tamen iudicamus Galenum non tradidiſſe eſſentialem cauſæ continentis diffinitionem, ſed ipſum intendere à poſteriori deſcriptiones aliquas tradere, quibus eius poſſit eſſentia indagari : ideóque ipſam diffi-
E nimus, quòd ſit, *cauſa conſeruatiua effectus, quoad eſſe exiſtentia.* Cui obſtare videtur

Primo, Galenus, *in ſynopſi de pulſibus c.9. in fine. lib. contra Iulianum, lib. de plenit. lib. de natura humana, lib.* qui *Medicus* inſcribitur, *lib. de diffinit. medic. lib. de hiſtoria Philoſoph. lib. introduct.* quibus in locis diffinit cauſam continentem quòd ſit, *quâ poſitâ ponitur effectus, & quâ ablatâ aufertur* : ergo non eſt adſcribenda noua diffinitio.

Secundò : Morbus eſt accidens: ſed accidens quoad eſſe exiſtentiæ à nullo alio pendet, quàm à ſubiecto inhæſionis : ergo ſi hæc diffinitio eſſet bona, nulli cauſæ efficienti morbificæ poſſet adaptari.

Tertiò : exiſtentia eſt modus rei exiſtentis : ſed modus rei ſolùm dependet ab ipſa re, cuius eſt modus

dus: ergo cauſa continens non poteſt eſſentialiter diffiniri per hoc quòd ſit conſeruatius illius.

§. II.

Sancitur Pars affirmatiua.

PArticula *cauſa* dicit genericam cauſæ continentis conuenientiam cum aliis cauſis. Particula *conſeruatiua effectus quoad eſſe exiſtentiæ* dicit rationem differentialem huius cauſæ ab aliis, non continentibus, à quibus non dependet conſeruatio effectuum, & ſimul dicit rationem eſſentialem conſtitutiuam cauſæ continentis, conſtitutam in illo eſſentiali ordine ad ſpecialem illum effectum ſui ſpecificatiuum.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd Galenus intendit explicare cauſam continentem à poſteriori, per id quod nobis notius eſt, & ſenſibus magis perceptibile, ſcilicet quòd effectus ponatur ex eius poſitione, & auferatur ex eius ablatione: ex quibus conſtat eſſentialis dependentia, quam effectus habet ab illa quantum ad ſuæ exiſtentiæ conſeruationem.

Ad 2. reſpondetur: Quòd exiſtentia rei creatæ, ſiue naturaliter productæ, non poteſt non pendere in genere cauſæ efficientis ab aliqua cauſa efficiente: res verò producta, ſi ſit entitas incompleta, aut quàm minimæ entitatis, neceſſariò tota entitas actualis, & ipſa exiſtentia talis rei pendet ab alio, vel tanquam à ſuſtentante, vel tanquam ab vniente, vel tanquam ab vltimo termino completæ entitatis: formæ accidentales ſecum ferunt ſuam exiſtentiam, & aliquæ ita perfectam, vt poſſent per illam exiſtere in ſubiecto ſine aliquo influxu cauſæ conſeruantis. Aliis verò ita eſt fluxilis ſua exiſtentia, vt non poſſit ſine continuo influxu cauſæ nec per minimum tempus perdurare, vt apparet in luce, in motu, in ſpeciebus ſenſitiuis, & aliis huiuſmodi entitatibus; & huiuſmodi cauſæ dicuntur continentes: & iſta accidentia dependent quoad ſuum eſſe à ſubiecto quoad conſeruationem ſuæ exiſtentiæ, à cauſa continente.

Ad 3. reſpondetur: Quòd modus rei in eſſe entis pendet à re cuius eſt modus, ſed ratione ſuæ exiſtentiæ poteſt pendere à cauſa productiua ſui.

RESOLVTIO III.

Verùm cauſa continens differat à cauſa coniuncta.

§. I.

Marci Antonij, Zacuti, Roſelli, & aliorum proponitur opinio.

COmmuniter Authores, qui de cauſa continente agunt, cauſam coniunctam confundunt cum cauſa continente. Sic Marcus Antonius *in ſuis quæſtionibus*, Zacutus *tom. 1. lib. 3. q. 37.* Sennertus *lib. 2. p. 2. c. 1.* Roſellus aliqualiter diſcedit in duabus concluſionibus, in tertia verò adhæret huic opinioni: his fauet,

Primò: nam apud Grammaticos, Continuum, Continuatum, Cohærens, Coniunctum, Proximum, & Continens idem ſignificant: vt patet apud Ciceronem *lib. epiſt. 15.* inquit: *Cappadociæ pars, quæ cum Sicilia continens eſt*, ideſt coniuncta: & *lib. 2. de na-* A *tura Deor. Mari aër continens eſt*, & pro Antonio Cecinna: *Hic fundus, qui fundo eius antiquo continens eſt*, ideſt coniunctus: ergo cauſa coniuncta non differt à continente.

Secundò: ex Gal. *lib. 1. de cauſ. ſympt. c. 5.* conſtat cauſam continentem non differre à cauſa coniuncta: inquit enim: *igitur continua cauſa, aut continens, aut coniuncta, aut quomodocumque quiſpiam nominare velit.*

Tertiò: poſita quacumque cauſa coniuncta, & propinquiſſima, protinus ponitur effectus; & ipſa ablata, auferetur: ergo cauſa proxima, ſiue coniuncta, & continens idem ſunt. Probatur antecedens: ita dependet effectus à cauſa coniuncta, vt licèt reliquæ ponantur, ipſe non ponatur, donec ipſa operetur; & licèt reliquæ auferantur, ſi permaneat proxima, effectus non poteſt B tolli: ergo poſita, aut ablata cauſa coniuncta, effectus ponitur, aut aufertur.

§. II.

Valleſij & Martinez præfertur opinio.

REſoluendum: Quòd cauſa continens differt vel realiter entitatiue, vel ſaltem realiter formaliter à cauſa coniuncta: tenet Valleſius *lib. 4. controuerſ. c. 3.* Emmanuel Martinez *lib. 2. tract. 1. ſect. 2. q. 5.*

Probatur ex fundamentis Valleſij primò: Quæ differunt diffinitionibus, differunt eſſentialiter, cùm diffinitio C ſit oratio naturam rei explicans: ſed cauſa coniuncta, eſt cauſa interna morbi productionem attingens proximè: cauſa continens, eſt cauſa conſeruatiua illius quoad eſſe exiſtentiæ: ergo differunt eſſentialiter.

Probatur 2. Omnis morbus pendens à cauſa neceſſariò habet cauſam coniunctam: ſed non omnis morbus pendens à cauſa coniuncta habet cauſam continentem: ergo non omnis cauſa coniuncta eſt continens: ergo differunt realiter. Probatur minor, quia, vt *infra* patebit, non omnes morbi habent cauſam continentem.

Reſpondet Roſellus, quòd ſi detur cauſa coniuncta eadem eſt cauſa continens.

D Contra: putredo eſt cauſa coniuncta, & tamen ipſa ablata manet febris, donec corrumpatur à contrario: ergo ablata cauſa coniuncta non tollitur neceſſariò effectus.

Probatur 3. Poteſt aliqua cauſa eſſe externa & continens, ſi effectus dependeat ab illa quoad eſſe exiſtentiæ, ſicut nos dependemus à Deo, & cuiuſlibet cauſæ influxus, & poteſt cauſa eſſe coniuncta, & non continens, vt humor corrodens partem: à quo non dependet corroſio quoad eſſe exiſtentiæ cùm diu poſſit permanere humore ablato: ergo cauſa continens realiter entitatiuè poteſt differre à cauſa coniuncta.

Probatur 4. Tametſi in eadem cauſa coincidat quòd ſit coniuncta, & continens; ratio cauſandi eſt realiter E diuerſa prout coniuncta eſt, aut prout eſt continens: ergo ſaltem differunt realiter formaliter. Probatur antecedens: Cauſa coniuncta conſtituitur per hoc quòd ſit proxima & cauſatiua morbi quoad ſuum eſſe; Cauſa continens, per hoc quòd ſit conſeruatiua etiam morbi quoad eſſe exiſtentiæ: ergo ratio cauſandi ſaltem eſt realiter formaliter diuerſa.

§. III.

Ex dictis ſoluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd apud Grammaticos attenduntur ſignificationes vocum: apud

Philoſophos eſſentiarum differentiæ, quæ ex ſuis diſ-finitionibus conſtant: vndè cùm diuerſæ ſint diffinitiones Cauſæ continentis, & Cauſæ coniunctæ: ſimiliter & earum eſſentiæ ſunt diuerſæ.

Ad 2. reſpondetur cum Valleſio, quòd loquitur Galenus de cauſa determinati ſymptomatis, quæ debet eſſe morbus, à quo cùm ſymptoma dependeat tanquam à cauſa coniuncta, & continenti, nihil intereſt, ſiue hoc, vel illo modo vocetur, cùm habeat vtrumque.

Ad 3. reſpondetur: Quòd cauſa coniuncta morbi, aut concurrit ſolum ad eſſe illius, aut ſimul ad ſuæ exiſtentiæ conſeruationem: ſi ſolum ad ſuum eſſe; etiamſi ipſa auferatur, permanebit morbus: ſi ad conſeruationem ſuæ exiſtentiæ, morbus dependet ab illa, non vt eſt coniuncta, ſed vt eſt continens.

Resolvtio IV.

Vtrùm omnis morbus formaliter ſumptus habeat cauſam continentem?

§. I.

Pars negatiua verior apparet.

MOrbos formaliter ſumptos non ita diſtinguunt Authores à morbis pro materiali, vt de illis ſpecialem hanc proponant difficultatem; in qua pars negatiua ſuaderi poteſt.

Primò: Cauſa continens debet eſſe cauſa efficiens: ſed nullam habet morbus pro formali cauſam efficientem, à qua per ſe producatur, ergo nullam habet cauſam continentem, Probatur minor ex Ariſt. *lib. 7. phyſicor.* c. 3. & ex D. Thom. *ibidem*, qui nec ſanitatem, nec morbum produci per ſe docent; ſed ex conſequutione ad alterius entitatis poſitionem.

Secundò: Eadem numero actione producuntur morbus pro materiali, & morbus pro formali, & ab eadem cauſa: Sed hæc non ſemper eſt cauſa continens, vt probauimus reſpectu cuiuſlibet morbi pro materiali: ergo nec reſpectu morbi pro formali: eadem enim eſt ratio vt vtrumque conſeruet.

Tertiò: Illæ entitates dependent ab aliqua cauſa continente, quæ ita ſunt minimæ entitatis, vt ſine continuo influxu efficientis non ſubſiſtant, vt ſpecies; vel quæ cùm non habeant contrarium, à quo corrumpantur, remanent pendentes à ſua cauſa, vt ſaltem defectu illius valeant corrumpi: ſed morbus habet contrarium, à quo poteſt corrumpi, ſcilicet ſanitatem; nec ita minimæ entitatis eſt, cum ſit diſpoſitio valens ſubiectum afficere, & alterare, ac immutare: ergo non petit habere cauſam continentem.

§. II.

Sancitur Pars affirmatiua.

REſoluendum: Quòd omnis morbus formaliter ſumptus dependet tanquam à cauſa continente à morbo pro materiali, ex quo reſultat.

Pro cuius intelligentia eſt notandum: quòd licèt diſputatio de cauſa continente, quàm maximè ſit controuerſa, reſpectu cauſæ efficientis, admittendum eſt eam dari in omni genere cauſæ, in quo effectus poteſt dependere ab illa in ſua conſeruatione, quantum ad eſſe exiſtentiæ: ſic materia prima dependet à forma ſubſtantiali, & forma ſubſtantialis corruptibilis à materia prima: Accidens dependet à ſubiecto inhæſionis: modus rei ab ea re, cuius eſt modus: propriæ paſſiones dependent ab eſſentia, cuius paſſiones ſunt: relatio, à ſuo fundamento: diſpoſitio, quæ eſt ſanitas, à naturali corporis conſtitutione; quæ eſt morbus, à conſtitutione præternaturali viuentis: figura à tali quantitatis terminatione: pulchritudo à tali partium poſitione; & in genere cauſæ efficientis pendemus omnes à prima cauſa, Lux à Sole, motus à mouente: & pendent actiones à cauſa finali, quâ ablatâ ceſſant omnes efficientium cauſarum operationes.

Probatur reſolutio fundamentali ratione. Morbus pro formali non producitur per ſe ex vi alicuius actionis terminatæ ad ipſum tanquam ad terminum primarium, vt manet demonſtratum *diſp. 1. & 2. antecedent.* ſed id quod comproducitur tanquam terminus ſecundarius, & reſultat ex alterius primarij termini poſitione, dependet continenter in conſeruatione ſuæ exiſtentiæ ab eius exiſtentia, ita vt ſine illo permanere non poſſit, vt patet in paſſionibus propriis, quæ comproducuntur cum eſſentia; in relatione, quæ reſultat ex poſitione ſui fundamenti; in figura, quæ reſultat ex tali quantitatis terminatione, & pulchritudine, quæ reſultat ex tali partium poſitione: ergo morbus pro formali, qui reſultat ex poſitione morbi pro materiali, tanquam terminus ſecundarius ab illo dependet tanquam à cauſa continente.

§. III.

Soluuntur rationes primò adducta.

AD 1. reſpondetur: Quòd, vt diximus, in omni genere cauſarum ea dicitur cauſa efficiens, à qua effectus conſeruatio quoad eſſe exiſtentiæ dependet: & quia omnis morbus formaliter ſumptus, dependet à morbo pro materiali tanquam ab eo, ex cuius poſitione reſultat; ideò dicimus, quòd omnis morbus formaliter ſumptus habet cauſam continentem: reſpectu verò cauſæ efficientis, habet cauſam continentem illius morbi formaliter ſumpti, qui reſultat ex morbis pro materiali; quos dicemus *infrà* habere cauſam continentem.

Ad 2. reſpondetur: Quòd tantùm probat quòd non habeant cauſam continentem efficientem morbi formaliter ſumpti, qui reſultant ex morbis materialiter ſumptis, qui non dependent ab illis; non tamen quòd ipſi morbi materialiter ſumpti non ſint cauſa continens eorum.

Ad 3. reſpondetur: Quòd non ſolùm petunt cauſam continentem entitates propter rationes in argumento propoſitas, ſed propter alias multas, quarum plures explicuimus, & rationem quare morbus formaliter ſumptus pendeat à morbo pro materiali; quia ſcilicet reſultat ab illo: tanta enim eſt connexio earum entitatum, quæ reſultant ex aliarum poſitione, vt licèt aliæ ſint entitates, quæ poſſent exiſtere, & conſeruari, propter hanc connexionem, ſi reſultent dependent ab eo, ex quo reſultant continenter; vt apparet in accidentibus, quæ reſultant tanquam propriæ paſſiones alicuius ſubiecti.

Resolvtio V.

Vtrùm morbus in intemperie habeat cauſam continentem?

§. I.

Pars negatiua proponitur.

DE morbis pro materiali Zacutus *tom. 1. lib. 3. quæſt.* 37. adhærens Langio *lib. 1. epiſtol.* 15.

Cardano

Cardano *lib.* 1. *contradict.* 14. Muſæ *lib.* 7. *aphor.* 30. & Veigæ *lib.* 1. *de locis comm. in cap.* 3. duas adinuenit claſſes: alia eſt eorum, qui ſunt permanentes entitates: alia eorum, qui ſunt ſubſiſtentes. Pro permanentibus nullam cauſam continentem admittunt, bene tamen pro ſubſiſtentibus; ſed determinandum reſtat ab illis, quos morbos vocent ſucceſſiuas entitates, ſeorſim, nos de quolibet morborum genere diſputabimus; & primò de morbis in intemperie, quos hi permanentes vocant, & nullam in eis admittendam cauſam continentem conſtanter affirmant.

Primò: Quia, vt Galenus determinauit, priùs vnaquæque cauſa abſcindenda eſt, & poſtea ad intemperiem curandam perueniendum eſt: ergo quia intemperies non dependet à ſua cauſa continenter.

Secundò: Quælibet intemperies petit auferri per ſuum contrarium: Sed quæ habent cauſam continentem, per illius ablationem, & non per contrarium auferuntur, vt patet in loco: & ex morbis in tumore pendente ab humore contento tamquam à cauſa continente, ergo non datur morbus in intemperie qui dependet à cauſa continente.

Tertiò: Intemperies morboſæ plerumque ſunt habituales, vt febris hecties, & frigiditas ac humiditas hydropicorum: ſed temperies habitualis eſt difficilè mobilis, & quæ nullis valeat ferè contrariis auferri: ergo non pendet ab aliqua cauſa continente.

§. II.

Sancitur pars affirmatiua.

Reſoluendum: Quòd quælibet intemperies habitualis habet cauſam continentem.

Probatur 1. Intemperies habitualis, v.g. calor febrilis hecticus, aut frigida intemperies hydropicorum reſultat ab anima vt determinatá per temperamentũ ſubſtantificum, & dependet ab illa quoad conſeruationem ſui eſſe exiſtentiæ, ita vt nec poſſet conſeruari nec exiſtere ſine illo: ergo habet cauſam continentem.

Probatur 2. Sic reſultat intemperies à forma vt determinata per ſubſtantificum temperamentum præuerſum, ſicut reliquæ paſſiones, quæ oriuntur ab illa: ſed reliquæ paſſiones dependent ab eſſentia tamquam à cauſa continente: ergo ſimili modo dependet intemperies habitualis. Probatur maior, nam ſuppoſita præuerſione temperiei ſubſtantificæ dimanant ab anima tamquam proprietas illius prout virtualiter eminenter continet elementa, vt latiùs *part.* 1. *reſol. diſp.* 3. *de element.* traditur: ergo eodem modo reſultat.

Probatur 3. Si intemperies habitualis non haberet cauſam continentẽ poſſet curari per ſuum cõtrarium: ſed non curatur per illud, ſed per mutationem temperiei ſubſtantificæ: ergo quia dependet continenter ab anima, vt determinata per illam.

§. III.

Soluuntur argumenta.

Ad 1. reſpondetur: Quòd Galenus loquitur de temperie actuali; non verò de habituali; illa enim producitur non per reſultantiam, ſed motu ſucceſſiuo vincendo contrarium, & poſtea aufertur victa ab illo: hæc verò pullulat à forma vt determinata per ſubſtantificum temperamentum in partibus igneis, aut aëreis; & ipſis ablatis ſtatim ceſſat, ſicut ceſſacet caliditas in igne formâ corruptâ, à qua fouetur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ea, quæ habent contra-

A rium, ſi non producantur vt propriæ paſſiones alicuius eſſentiæ, non corrumpuntur niſi per contrarium; vt ſi caliditas communicetur aquæ, aut corpori mixto; etſi deferatur cauſa à qua fuit producta, permanet, donec à contrario vincatur; ſi verò producatur tamquam proprietas, aut paſſio formæ, vt caliditas proportionata pro formæ mixti conſeruatione, hæc poteſt vinci à contrario, ſed fouetur à forma, & iterum producitur ab illa, & ſi à forma non foueatur, ſtatim deficit.

Ad 3. reſpondetur: Quòd intemperies morboſæ habituales ſunt, quæ habent cauſam continentem, ita enim dependent ab anima, vt determinata per temperiẽ ſubſtantificam præuerſam determinantem pro ipſa; vt quantumcumque auferatur à contrario, iterũ redeat,
B ac foueatur, donec intemperies ſubſtantifica reducatur naturalis: & idcò non intendimus febris hecticæ curationem per ſuum contrarium; ſed per repoſitionem nouæ ſubſtantiæ, qua immutetur intemperies ſubſtantifica, & à naturali naturalis reſultet calor.

Resolutio VI.

Vtrùm morbi in mala compoſitione habeant cauſam continentem.

§. I.

C *De morbis in mala compoſitione quid dicendum.*

Contendunt plures; Quòd morbi in numero, & magnitudine, habeant cauſam continentem, quia numero, aut magnitudine ablata, aufertur morbus: ſed hi, ſi loquantur de morbo pro formali, philoſophantur nobiſcum: ſi de morbo pro materiali, non ita bene, nam numero ablato, aut quantitate; ipſe morbus pro materiali aufertur: non verò cauſa, à qua foueri deberet, ſi eſſet continens, & de qua eſt difficultas.

Reſoluendum: Quòd morbi in mala compoſitione materialiter ſumpti, ſi ſint morbi in figura; in obſtructione, aut tumores orti ex contento humore, habent
D cauſam continentem.

Probatur: morbus in figura pendet ex tali, vel tali terminatione quantitatis, ita vt non poſſet ſine ipſa permanere; morbi in obſtructione à contenta materia ita dependent, vt ex illa dependeat morbi exiſtentia: quod idem contingit in tumore orto ex humore contento: ergo ab his cauſis dependent continenter.

Probatur 2. ex Galeno *lib. de different. morborum*, vbi lapides in figura, & alias ſubſtantias, cauitatea replentes, morbos appellauit; non niſi quia morbi pro materiali ita continenter pendebant ab illis, vt ſine illorum ablatione non poſſent morbi auferri: ergo his concedenda eſt cauſa continens.

E

Resolutio VII.

Vtrùm morbi in ſoluta vnitate materialiter ſumpti habeant cauſam continentem?

§. I.

Varandai proponitur opinio.

Contendit Varandæus *lib. pathol. cap.* 4. quòd licet magna ſolutio continuitatis non habeat cauſam

cauſam continentem; ea tamen, quæ leuis eſt, valet eam habere.

Primò: quia id apparet in dolore coli, qui ſtatim ceſſat, ac flatus diſtendens ſeparatur: ſed dolor oritur à ſolutione: ergo ablata cauſa ceſſabit ſtatim ſolutio continuitatis.

Secundò: in tumore, in quo fit dolor ratione humoris contenti diſtendentis, ſtatim ablato humore ceſſat dolor: ergo ceſſat ſolutio continuitatis, quæ dependebat ab illo tamquam à cauſa continente.

§. II.
Deciditur reſolutio.

RESoluendum: Quòd nulla ſolutio continuitatis habet cauſam continentem.

Probatur: Nulla ſolutio continuitatis ex ablatione cauſæ ſtatim aufertur: ergo nulla ſolutio continuitatis dependet ab illa quoad eſſe exiſtentiæ. Probatur antecedens, ablata cauſa ſoluente, vt auferatur ſolutio continuitatis requiritur nouus motus localis partium vnitiuus, ſiue à natura factus, ſiue ab arte: ſed motus localis cùm ſit ſucceſſiuus debet fieri in tempore: ergo nulla ſolutio continuitatis ſtatim aufertur ex cauſæ ablatione, nec poſſet non ſtatim auferri ſi penderet ab illa, quoad ſuum eſſe exiſtentiæ.

§. III.
Soluuntur fundamenta Varandæi.

AD 1. & ad 2. reſpondetur: Quòd ex Hippocratis doctrina dolores fiunt, dum alteraſcit actu, & corrumpitur natura: fit enim dolor à cauſa ſoluente continuum, dum autem aufertur cauſa, ceſſat dolor, quia ceſſat motus ſoluens continuum: non tamen ſtatim ceſſat ſolutio continui, quæ eſt morbus, & conſiſtit in partium deunione, hæc enim adhuc ſeparatâ cauſâ, non ceſſat, donec poſtea fiat partium vnio locali ac ſucceſſiuo motu.

SECTIO III.
De cauſis morbi calidi.

DE morborum cauſis in communi diſputauimus proſequemur inſuper cuiuſlibet generis morborum cauſas inueſtigare: agentes primò de morbis in intemperie, quæ cùm quadruplex ſit, calida, frigida, humida, & ſicca, ordine ex Galeno deſumpto, calidæ intemperiei inueſtigabimus cauſas primò, quas ipſe recenſet *lib. de cauſis morb. c. 2. lib. 1. de different. febrium c.* 4. quinque admittens, Motum, Viciniam rei calidæ, Putredinem, Obſtructionem ſeu adſtrictionem, & Alimentum calidum.

RESOLVTIO I.
Vtrùm cauſæ morbi calidi ſint tantùm quinque annumeratæ à Galeno?

§. I.
Argenterij refertur opinio, & illius fundamenta.

ARgenterius *lib. 2. de cauſ. morb. c. 2.* reprehendit Galeni doctrinam, ordinem in ea tradenda, & nu-

A merum cauſarum morbi calidi ab ipſo traditum: conaturque tum adaugere, tum imminuere, inſufficientemque adductam diuiſionem reddere, his ſparſim fundamentis propoſitis.

Primò: Pauciores eſſe morbi calidi cauſas ſuadet, tum doctrina ipſius Galeni, qui *lib. de praeſagatione ex pulſibus cap. 2. lib. ad Traſibulum cap.* 27. quatuor admittit cauſas morbi calidi, in corpore occurſantia, intus aſſumpta, quæ euacuantur, aut retinentur, & quæ à nobis fiunt: Tum quia obſtructio, ſeu adſtrictio, & putredo eadem ratione communicant calorem: ergo pauciores cauſæ morbi calidi debent annomerari.

Secundò: Ex mœrore fit febris, vt docet Galenus
B *lib. 1. de different. febrium*: ex timore calefiunt interiora, ex eodem *lib. 2. de cauſ. ſympt.* Cura, & ſolicitudo calorem intendunt ex eodem, *libro* 1. *ad Glauconem* vigilia & cruditas, ſunt febrium cauſæ, vt ipſe docet *lib. 1. de different. febrium*. ex inedia intenditur calor, vt idem teſtatur *lib. 8. methodi*: ſed iſtæ cauſæ non annumerantur inter cauſas morbi calidi à Galeno: ergo plures, quàm quinque, debebent ab illo annumerari.

Tertiò. Vna tantum eſt cauſa morbi calidi: ergo fruſtra annumerantur plures. Probatur antecedens: cauſa ſpecificatur ab effectu, ſed vnus ſpecie eſt effectus, ſcilicet calor: ergo vna eſt cauſa calidi morbi.

§. II.
C
Communis amplectitur Galeni Doctrina.

REſoluendum: Quòd quinque morbi calidi annumeratæ cauſæ ſunt admittendæ: ſic docet Galenus *lib. de cauſ. morb c. 2. lib. 1. de different. febrium c.* 4. tenet Carrerius *lib. de febribus diſp. de cauſ. febrium q.* 1. Martinez *lib 2. tr. 1. ſect. 2. q.* 2. Maramoros *lib. 2. de febrib. tr. diſp.* 5. & ab ipſo citati: Vega *lib. 3. artis Medicin. p.* 2. *c. 2. lib. 1. de different. febrium cap.* 5. Valles *lib. 4. controuerſ. c. 3. & 1. de differ febr. c.* 4. ibi Brauus Salmanticenſis & Mercurialis *lib. 5. de febribus c.* 3. Euſtachius Rudius *lib 3. de humani corporis affectibus cap.* 2. Mercatus *tomo 2. lib. 3. claſſe 1. tom. 2. lib. 3. de feb. cauſis*: & eſt communis.

D Probatur primò verbis ipſius Galeni, *lib. de cauſ. morb. c. 2. §. Apparet autem & in aliis corporibus omnibus, quæ plus ſatis incaleſcunt, vel ex motu quodam augeri caliditatem, vel ex putredine, vel ex vicinia alterius corporis calidioris, vel ex anguſtatione, vel ex alimento ad calefaciendum apto*: & per totum caput explicat modum cauſandi cuiuſlibet ex his cauſis.

Probatur 2. Tot debent annomerari cauſæ morbi calidi; quot ſunt cauſæ diuerſæ calorem producere valentes, ex quarum qualibet diuerſa indicatio curatiua poteſt deſumi pro morbi ablatione: ſed vt patebit ex dicendis ex qualibet ex his valet diuerſa indicatio ſumi: ergo quinque cauſæ dictæ ſunt admittendæ.

E Probatur 3. Cauſæ morbi calidi, cùm omnes conueniant in hoc quòd eſt morbum calidum producere, in tantum inter ſe differunt, in quantum in modo producendi calorem ſunt diuerſæ: ſed in modo producendi excedentem calorem in corpore humano quintuplicitèr differunt cauſæ calidæ, vt ipſe demonſtrat *cap. citato*: ergo quinque ab ipſo annumeratæ debent admitti.

§. III.

Soluuntur Argenterij fundamenta.

AD 1. reſpondetur: Tum quòd per occurſantia intelligit Galenus adhæſom rei calidæ: per intus aſſumpta abſumptionem calidi alimenti: per agenda in nobis, intelligit motum: quæ euacuantur, & retinentur, comprehendunt putredinem, & prohibitum effluuium. Tum quòd ab obſtructione non ſemper fit putredo, ſed poteſt etiam cauſari vſtio; & ideò non coincidit cum putredine, vel quòd ratio cauſandi, vel diuerſa indicatio ab eis deſumpta pro ratione diuerſas reddit eas in eſſe cauſæ calidi morbi.

Ad 2. reſpondetur: Quòd omnes cauſæ annumeratæ comprehenduntur ſub motu, ſiue animæ paſſionibus, niſi cruditas, quæ ad prohibitum effluuium reducitur.

Ad 3. reſpondetur: Quòd in rigore phyſico, vna eſt cauſa morbi calidi: quoad vſum medicum, tot diuerſas admittimus, quot ſunt cauſæ, à quibus diuerſa ſumitur indicatio curatiua.

Resolvtio II.

Vtrùm localis motus ſit cauſa morbi calidi.

§. I.

Proponuntur modi quibus indicatur calor produci motu locali.

SI ſtandum Platonis, Ariſtotelis, Galeni doctrinæ, ſi experientiæ eſt acquieſcendum, non cadit ſub diſputatione, quòd per motum localem valeat cauſari calor; ſed quomodò illum producat motus, difficultatem inuoluit, nondum à lite abſolutam: ex primæ partis dubitatione lites adducemus in medium.

Ratio dubitandi inde ſumitur: Calor eſt qualitas; ergo debet produci motu alterationis, qui eſt motus ad qualitatem: ſed motus localis nunquam poteſt eſſe motus alterationis, cùm ſpecificetur ab Vbi: ergo nunquam poteſt per illum produci calor.

Reſpondent aliqui 1. iuxta doctrinam D. Thomæ, quòd motus localis eſt cauſa caloris, non quia ſit via ad illum tanquam ad terminum; ſed quia cùm motus localis ſit primus, & primum in vnoquoque genere ſit cauſa reliquorum; hinc prouenit, quòd calor à motu locali fiat.

Sed diſplicet: quia D. Thomas intendit, quòd motus localis cœlorum eſt cauſa caloris, quatenus per illum approximantur aſtra, quæ illum valent communicare; non tamen quòd quilibet motus localis producat calorem tanquam illius cauſa: ſic colligitur ex D. Thoma *lib. 2. de cælo, lect.* 10. Et demonſtrat experientia, quòd reſpectu caloris requiritur cœlorum motus, licèt reliquæ aliæ qualitates poſſent communicari ſine illo: vt contendunt Durandus *in 2. distinct.* 15. *quæst. vltim.* Scotus *diſt.* 14. *quæſt.* 13. Richardus *diſt.* 2. *circa* 3. *princ. q.* 3.

Reſpondet 2. Durandus *diſt.* 15. *quæſt.* 3. motum localem producere calorem, non vt via, nec tanquam cauſa efficiens per ſe; ſed occaſionaliter, quia per motum localem excitatur in ſubiecto calor virtualis, à quo producitur calor actualis.

Contrà: Calor ille virtualis, vel eſt qualitas ſuperioris ordinis, vt lux; vel ipſa forma ſubſtantialis rei,
A quæ mouetur: non prima, quia qualitas quæcumque cæleſtis vt approximata ſubiecto operatur. Durandus verò illam virtutem admittit in ſubiecto inhærentem. Nec forma producit calorem ratione motus, quia per motum localem non aufertur frigiditas, à qua impeditur productio caloris ab ipſa, adhuc ſi ipſa valeat illum producere, cùm accidens non valeat corrumpi niſi à contrario, defecto ſubiecti, aut cauſæ conſeruantis, quorum neutrum competit motui.

Reſpondet 3. Thomas de Garbo *lib. 1. tract. 2. q. 6.* quòd motus localis dicitur cauſa caloris, quia partes calidæ aëreæ, & igneæ, propter motum feruntur à centro ad circumferentiam.

Contrà: partium entis ſubſtantialis motus à cen-
B tro ad circumferentiam non poteſt fieri ſine mixti diſſolutione. Nec in aëre aut igne, cùm partes ſint homogeneæ, non eſt cur aliæ & non omnes moueantur. Nec ex eo, quòd totum mouetur, mouentur partes niſi per accidens. Nec ratione localis motus totius imprimitur impulſus ſeorſim partibus. Nec ſi comprimatur, eſt ratio, quare non etiam partibus frigidis id accidat. Nec in mixto ſunt aliquæ partes ignis, aut aëris formaliter manentis. Nec materiales ignis aut aëris partes informatæ vnicâ viuentis formâ, aut mixti, valent moueri ſub illa: Nec abſque illa, niſi inducta in illis raritate per calorem, qui nondum ſupponitur productus ante illarum motum, cùm cauſetur ab illis motis, vt intendit Garbus: ergo non
C poteſt illius ſuſtineri ratio.

Reſpondet 4. Vega *lib. 1. de different. febrium, cap.* 4. Brauus Salmanticenſis *ibi*, quòd per motum localem producitur calor, quia dilatantur partes in corpore mediâ confricatione, ob dilatationem ingreditur aër, ob aëris ingreſſum fit ventilatio, & ignea ſubſtantia calida ventilatione perfectior facta calorem intenſiorem producit.

Contrà: ignea ſubſtantia, aut eſt ignis formaliter, de quo *part. 1. reſolut. medicarum diſp.* 2. demonſtrauimus ex D. Thoma non permanere ſub forma mixta: vel eſt pars materialis illius, & hæc non admittit ventilationem, cùm hæc in igne, qui continuò foue-
D tur ex pabulo, requiritur tantum ad fuliginum ſeparationem. Nec motus, quo mixtum fertur à loco in locum, diſlocat illius partes ad integrantes. Nec ab aëre aufertur frigiditas impediens pullulationem caloris: imò ab eius frigiditate continuò remittitur calor ſpirituum, cùm eius attractio in hunc finem tantùm intendatur in viuente per pulſum, & reſpirationem: ergo ſufficiens eſt ratio ab his adducta.

Reſpondet 5. Matamoros *lib. 2. de febrib. diſp.* 5. quem ſequitur Doctiſſimus noſter Cyprianus de Maroz *lib. 3. de febrib. q.* 2. & ipſi ſubſcribunt Alberto Magno *lib. 1. meteor. tract. 1. cap.* 15. Zimaræ *in ſuis theoremat. propoſit.* 45. Conimbricenſibus *lib. 2. de cælo, cap. 7. quæſt. 6. artic.* 2. Veigæ 1. *de diff. febr.* Mercato *tomo* 2. *lib. 3. de febribus.* Quòd localis motus dicitur cauſa caloris, quia producit raritatem, quæ eſt diſpoſitio, ratione cuius producitur calor in corpore
E rarefacto.

Contrà: calor eſt qualitas prima, & harum nulla petit aliam qualitatem diſponentem pro illa, quia ſunt primæ in genere generabilium, ſunt reliquarum cauſæ, ſunt priores reliquis: Tum adhuc ſi admittatur, quòd raritas diſponat pro calore, non aſſignatur ab his Auctoribus, à quo producatur. Alij enim dicunt, quod à cauſa cæleſti; alij, ab ipſa forma rei, quæ rareſcit: neutra tamen valet calorem producere in aëre frigido in hyeme moto, quo tempore lignum accenditur, quia cùm raritas non remittat illius frigiditatem, nec in præſentia frigiditatis excedentia

p oſſit

poſſit produci calor, nec pullulando à propria forma vt ante raritatem apparebat, nec ab intrinſeca cauſa, quæ non valeat ſuo calore priùs corrumpere frigiditatem: ergo à nulla ex his cauſis eſt producibilis calor.

Præterea, aër frigidus non poteſt raritatem recipere, quia hæc, cùm ſit qualitas ſecunda, non poteſt produci niſi per calorem, qui eſt qualitas prima, à qua oritur raritas.

Reſpondet Matamoros, quòd eſt alia raritas largo modo ſumpta, quæ poteſt produci per motum.

Contrà: ſi non eſt propriè raritas, non debet dici diſpoſitio pro calore, pro quo admittunt, quòd raritas propriè dicta diſponit: Tum raritas, quæ non eſt qualitas ſecunda, conſiſtit in quadam partium poſitione, qua mutantur partes à centro ad circumferentiam: ſed corpora dura ſine tali mutatione partium calefiunt, vt apparet in duobus lignis duris inter ſe confricatis: ergo non prouenit à raritate ſola hæc caliditas.

Præterea: raritas localis, quæ admittitur vt diſpoſitio pro calore, non poteſt ſubiectum diſponere: ergo nec poteſt diſponere ad calorem. Probatur antecedens, ſubiectum diſponitur per qualitatem afficientem, & modificantem illud ad eſſe, & operari: ſed raritas localis non eſt qualitas valens modificare, aut afficere ſubiectum, ſed conſiſtit in quadam partium vbicatione, quæ ad diſponendum nihil conducit: ergo non eſt diſpoſitio ad calorem.

Præterea: ſi raritas diſponeret pro calore, ideò quia denſitas impedit caloris productionem: ſed calor valet recipi in ſubiecto denſo, immò potiùs, perfectiùs, & intenſiùs operatur, dum in denſiori inhæret ſubiecto: ergo ſine adueniente raritate poteſt calor recipi in ſubiectu.

Præterea: aër frigidus ante raritatem non producit totum calorem ſibi debitum, quia habet frigiditatem impedientem caloris productionem: ſed inducta raritate, manet eadem frigiditas impediens: ergo ab ea impeditur caloris productio, ſiue à propria forma, ſiue ab alia quacumque extrinſeca, quæ non valeat priùs calorem corrumpere propria caliditate actuali.

Reſpondet 6. Emmanoel Martinez *lib.* 2. *tract.* 1. *ſect.* 8. *quæſt.* 2. Quòd motus localis per ſe & immediatè valet calorem producere in genere cauſæ æquiuocæ, ſicut ipſe calor producit leuitatem, raritatem, & tenuitatem.

Contra ſtat, tum quòd hæc opinio coincidit cū prima, quam aliqui ex D. Thoma contendunt deducere, & eiſdem fundamentis inualidatur: Tum obiectio ab ipſo recognita, quòd ſemper motus localis produceret calorem, cuius contrarium experimur, dum aqua aut vinum moto locali refrigidantur.

Reſpondet: quòd ſi motus fiat apud agens frigidum, conducit ad refrigidandum; quia agens frigidum magis applicatur.

Contrà: Si ipſe valeret calorem producere, ipſa applicatio conduceret ad receptionem caloris ab ipſo communicati.

Præterea, ſi eſſet cauſa æquiuoca productiua caloris, ſicut lux, valeret illum producere ſine alio adiuuamine ſuperaddito: ſed non niſi ratione aëris inter duo corpora colliſi cauſat calorem: ergo non producit illum tanquam cauſa per ſe.

Præterea, cauſa æquiuoca debet eſſe perfectior ſuo effectu; & quælibet cauſa ſaltem æquè perfecta: ſed motus localis eſt entitas imperfectior calore: ergo non valet illum producere.

Reſpondet Martinez quòd forſan eſt motus localis perfectior calore, ſicut & raritate, quam valet producere.

A Contrà ſtat: Tum quòd calor eſt entitas permanens, motus entitas ſucceſſiua: quæ perſonaliter eſt imperfectior in eſſe entis: Tum quòd raritatem producit localem non tanquam cauſa, ſed tanquam via, & motus ad illam, & ſic omnis terminus eſt perfectior quàm motus, qui eſt via ad illum; non autem reſpectu eius quod deberet eſſe illius cauſa.

§. II.

Galenica doctrina præfertur.

Reſoluendum affirmatiuè Tenet Plato *in Theæteto,* quem ſequuntur Academici. Ariſt. *lib.* 1. *de* B *meteor. c.* 3. *lib.* 5. *problem. q.* 13. *&* 14. *lib.* 2. *de cælo cap.* 7. D. Thomas *ibidem:* eos ſequuntur omnes Commentatores: tenet Galenus *lib.* 1. *de diff. lib. de cauſ. morb. cap.* 2. & ibi ſui Commentatores: Vega *lib.* 3. *artis medicinal. cap.* 2. *lib.* 1. *de diff febr. cap.* 4. Thomas de Garbo *lib.* 2. *tract.* 2. *q.* 6. Brauo Salmanticenſis *de diff febrium.* Valles *lib.* 4. *controuerſ. cap.* 4. Santa-Crux *lib.* 2. *de morb. & ſymptomat. cap.* 2. *q.* 1. Matamoros *lib.* 2. *de febrib. diſp.* 4. Mercatus *lib.* 3. *de morb. cauſ.* Maroxa *lib.* 3. *de cauſis febrium. q.* 2. Alexander Aphrodiſeus *ſect.* 4. *problem. quæſt.* 60. Albertus Magnus *lib.* 1. *meteor. tract.* 1. *cap.* 15. Zimara *in theorematib. propoſit.* 45. Conimbricenſes *lib.* 2. *de cælo, c.* 7.

C Probatur irrefragabili experientia, qua euidenter demonſtrat Ariſt. *lib.* 2. *de hiſtor. animal. cap.* 6. quòd ex confricatione oſſium leonis accenditur ignis; & ex motu locali ſagittæ liquefit plombum: & pleniùs *lib. de hiſt. natural. c.* 13. ex mutua confricatione lignorum lauri, & hederæ, ignem produci obſeruauit; & manifeſtabitur latiùs ex §. 3. *ſequenti.*

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

Ad rationem dubitandi reſpondetur: Quòd per motum localem producitur calor, non quia ſit motus, & via ad illum tanquam ad terminum, nec cauſa per ſe illius; ſed in viuentibus, quia propter loca- D lem motum commouentur ſpiritus, agitantur, & applicantur ad partes, in quibus nouum calorem communicant. In non viuentibus verò, quia, vt tenet Alexander Aphrodiſeus *ſect.* 4. *problem. quæſt.* 60. Valleſius *lib.* 4. *controuerſ. medicar. cap.* 3. Mercurialis *lib.* 3. *de febribus cap.* 3. ex vi motus localis aër colliſionem patitur, ratione cuius partes eius localiter mouentur à centro ad circumferentiam, nonnumquam acquirunt raritatem, non qualitatiuam; quia hæc ſemper à calore petit fieri, aut humiditate; ſed localem, quæ conſiſtit in tali partium poſitione, cum qua quia non poteſt forma aëris conſeruari, quia eſt maior quàm ea, cum qua illa eſt compatibilis, eius forma E corrumpitur; & cum vlteriùs materia non poſſit eſſe ſine forma, & maior raritas, quàm ea quæ debetur aëri, ſolùm debeatur igni; hinc prouenit quòd à cauſa vniuerſali in illa materia ſuccedat ignis forma: à qua de nouo ſuperueniente pullulat maior calor, & communicatur corporibus denſis, quibus approximatur. Hinc prouenit, quòd accendantur oſſa leonis confricata; ligna hederæ, & lauri; aër concuſſus ſilice, & chalybe; quòd liquefit plombum ſagittæ per aërem motæ, ratione aëris conuerſi in ignem, ſiue ſit ille, qui intra poroſitates continetur; ſiue ille qui intra corpora duo colliditur: cùm enim formâ aëris corruptâ illius corrumpantur accidentia, à forma ignis potentiori ad calefaciendum calor pullulat in ſummo, vt apparet dum aër frigidus in flammam accenditur; vel ſaltem colliſus inter duo corpora amittit

amittit commiatos aliquos vapores, vel ventos frigidos, à quibus propriæ caliditatis pullulatio impediebatur, cuius cauſa calidior factus, calefacit aliqua corpora; vt docet experientia contingere aliquando, dum nondum ignis producitur.

Dices: quòd raritas eſt qualitas ſecunda, quæ petit fieri à primis qualitatibus, ex Ariſt. *lib.* 1. *de ortu, & interitu*, & ideò dicendum poſſe produci motu locali.

Reſpondetur: Quòd eſt duplex raritas: alia qualitatiua, quæ oritur ea primis, & eſt qualitas ſecũda localiter motiua à centro ad circumferentiam, quæ nunquam poteſt fieri à facultate localiter motiua. Alia eſt raritas localis, quæ non eſt qualitas ſecunda, ſed conſiſtit in quadam partium poſitione; & hæc poteſt fieri tum à raritate qualitatiua, vt apparet dum rareſit cera; Tum per aliam quamcumque cauſam localiter motiuam valentem mouere partes à centro ad circumferentiam; ſic rarefatur aër, qui poſt nos eſt, dum mouemur aër inter corpora dura colliſus.

RESOLVTIO III.

Vtrùm paſſiones animæ ſint cauſæ morbi calidi?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur: & diſſentientes Auctorum opiniones in eius ſolutione.

ANimæ paſſiones ſub motu comprehenduntur tanquam cauſæ morbi calidi, quia in illis ſanguis, & ſpiritus vitales commoti, & in partes delati, ſunt cauſæ calefacientes, & morbum calidum valentes producere.

Ratio dubitandi eſt, quia animæ paſſiones ſunt actus immanentes appetitus ſenſitiui, aut rationalis: vt docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 22. ſed per actum appetitus ſenſitiui, aut rationalis, non poteſt calor cauſari; quia actus appetitus vtriuſque eſt propenſio, tendentia, aut coaptatio cum obiecto, vt cognito; à quibus non poteſt cauſari calor: ergo paſſiones animæ non poſſunt cauſare morbum calidum.

Reſpondetur: Quòd animæ paſſiones poſſunt dupliciter conſiderari, vt docet D. Thomas *loco citato*, vno modo pro formali, & ſic dicunt actus appetitus, ſeu tendentiam in obiectum, vt priùs cognitum; proſequendo illud vt conueniens, vel fugiendo vt diſconueniens. Alio modo poſſunt conſiderari pro materiali, quatenus ſcilicet habent adiunctam tranſmutationem corporalem, ſanguinis, inquam, aut ſpirituum, qui intrò, aut ad extra mouentur poſitâ animæ paſſione pro formali: vt in ira, mouentur ad cor; in gaudio, à corde ad partes exteriores: inde patet quòd licet animæ paſſiones non cauſant per ſe calorem formaliter ſumptæ, tamen prout habent adiunctam tranſmutationem corporalem ſanguinis, & ſpirituum, per horum applicationem valent illum cauſare.

Contrà: animæ paſſiones, eo ipſo quòd ſint actus immanentes, non poſſunt ſpiritus, nec ſanguinem mouere ad partes diuerſas corporis, cùm non habeant virtutem loco-motiuam, qua moueant: ergo nec tanquam cauſa per accidens poſſunt eſſe cauſa morbi calidi

Reſpondent 1. Aliqui inſequentes Auicennæ placitum; quòd imaginatio habet vim mouendi localiter, non ſolùm corporis, quod informat, partes, vt docet Ariſt. *lib.* 8. *phyſicor. cap.* 4. *tex.* 19. *lib.* 1. *de anima c.* 2. *text.* 19. *lib.* 2 *de anima c.* 2. *text.* 13. Plato *lib.* 10. *de legibus, & in Phædro*: ſed etiam valet mouere corpora

A externa, vt tenet Auicenna 4. 6 *natural cap.* 6. Paracelſus, Algacel, Albertus Magnus, Marſilius Ficinus, Alhindus *lib. de imaginatione*. Pomponatius *lib. de incantamentis, c.* 3. *&* 4. Andreas Caſtaneus *lib. de mirab. effectib. cauſarum.*

Contrà ſtat, Tum D. Thomas *lib.* 3. *contra Gentes, cap.* 103. cui adhærent Theologi, & reliqui Scriptores, qui de viribus imaginationis ſcripſerunt, inter quos aliqua tetigit noſter Santa-Cruz; plura verò doctiſſimè ac erudirtiſſimè Fienus *lib. de viribus imaginationis, & lib. de fœtus formatione, & in Apologia aduerſus Santa-Cruz*, Toſtatus *in Geneſim c.* 4. Medina *lib.* 2. *de recta in Deum fide c.* 7. Pererius *in Ge-* B *neſim. c.* 3. Delr. *diſquiſit. magic. lib.* 1. *c.* 3. *q.* 3. Vacerus *lib.* 2. *de faſcinat.* Valles *de ſacra Philoſophia cap.* 11. Picus Mirandulanus *lib. de imaginat.* Marſilius Ficinus *lib.* 13. *de Theologia Platonis.* Antonius Mirandolanus *lib.* 2. 9. *de ſing. certam.* Valent. 2. 2. *tom.* 3. *quæſt.* 12. *punct.* 3: Tum quia non ſolùm in animæ paſſionibus, ſed pro nutu moueret imaginatio ſanguinem, & ſpiritus; & mouerentur alimentorum & reliqua excrementa, aut vitiati humores, qui redundant in corpore ſine alia facultate, aut medicamentu operante. Tum Doctrina D. Thomæ 1. *p. q.* 117. *art.* 4. vbi demonſtrat, quòd nequit anima mouere corpus, quod non informat. Tum quia debet poni C in imaginatione virtus loco-motiua, qua moueat: licèt enim intra corpus, quod informat anima, cuius eſt potentia, moueantur partes aliquæ ad eius nutum, non tamen niſi quæ habent facultatem loco motiuam: quæ nec reperitur in ſpiritibus: ergo non valet eos mouere.

Reſpondet 2. Argenterius *lib.* 1. *de ſomno, & vigilia, c.* 9. quòd ſpiritus, & ſanguis, quos ipſe vocat Calidum innatum, mouentur à ſe ipſis, quia cùm ſint partes viuentis, habent ſympathiam, ratione cuius mouentur iuxta viuentis, in quo ſunt, exigentiam.

Contrà: Tum ſpiritus non poſſunt moueri, cùm non viuant, vt probauimus *part.* 1. *reſol. medicar. diſput.* 8. *reſolut.* 3. & tenent à nobis citati, Scotus *in* 4. *diſt.* 10 *q.* 1. Gabriel. *ibi, q.* 1. Abulenſis *paradox.* 1. Ga- D lenus *lib.* 4. *de vſu partium.* Valles *lib.* 2. *controuerſ. cap.* 4. Carterius *fen.* 1. 1. *diſp.* 27. *cap.* 3. Peramatus *lib. de hominis procreat.* Segatta *lib.* 2. *de temperamentis*, Fernelius *lib* 2. *part. natural.* Argenterius *lib. artis medicin.* Vatandæus *lib. Phiſiologia ſect.* 5. *cap.* 1. Tum quia adhuc ſi viuant, cùm non habeant organizationem pro forma ſenſitiua, non poſſunt cognoſcere paſſiones animæ, in quibus deberent moueri. Tum quia adhuc ſi perfectiſſima ſenſitiua informentur anima, cùm ſit diuerſa ab ea, qua corpus, in quo ſunt, informatur; non poſſunt cognoſcere actus appetitus eiuſdem. Tum quia adhuc ſi cognoſcant illam, non habent organa apta pro motu voluntario; ergo non ſit eo- E rum motus à ſe ipſis.

Reſpondet 3. Fracaſtorius *lib. de antipathia, & ſympathia rerum*, ſpiritus vitales moueri à facultate pulſifica ad partes; quia poſitâ paſſione animæ, ipſa anima inſurgit ad operandum cum illa potentia, quia ipſa eſt potens operari cum ſuis potentiis pro nutu propter radicationem potentiarum in ipſa.

Contrà. Tum ſi propter radicationem potentiarum in anima poſſet inſurgere ad operandum cum facultate pulſifica; cùm vegetatiuæ ſint etiam radicatæ in illa, etiam poſſet inſurgere ad operandum cum illis, cuius contrarium apparet; cùm ipſæ ſint naturales in modo operandi: Tum quia nulla differentia pulſus variatur ſine variatione alicuius ex cauſis continentibus ex Galeno *lib. de cauſ. pulſuum cap.* 1. cuius contrarium contingeret, ſi moueretur pulſus pro

nutu cogitatiuæ: Tum quia cùm potentia non poſſit. extrahi à proprio fine & obiecto,& pulſifica opeterut pro vſu,eattaheretur à fine proprio,ſi nutu cogitatiuæ cogeretur operari:ergo non mouentur ſpiritus ob rationem ab Argenterio adductam.

Reſpondet 4. Fracaſtorius *lib. de locis affect. diſp.4. cap.5.* & Matamoros *lib.2.de febrib. tract.1. diſput.7.* quòd in paſſioonibus animæ mooentur ſaoguis, & ſpiritus vitales ad partes,mediis facultatibus natoralibus ipſius cordis,attractrice, & capoltrice; ſicut & to reliquis patribus eædem facultates pelluot inutile, & attrabont vtile.

Contra: Tom Quòd attrahens, & expellens cordis habent in illo, vel iuxta illud determinatam ſphæram ſuæ actiuitatis; & ideò hæ facultates reſident io qualibet corporis parte: cùm igitur ſpiritus ferantur per vniuerſas corporis partes vtcumque diſtantes, vt apparet in gaudio; & ab omnibus attrahantur, vt apparet in metu; non poteſt fieri eorum motus à cordis attractrice, & expultrice: Tum quia cùm hæ facultates ſiot gradus naturalis, & opeteotur ſemper ſecundum vltimum potentiæ, non apparet per quid poteſt immotari hic modus operandi, qoando ſuperuenit paſſio animæ: Tum quia poſita paſſione non ſuperueoit bonitas, aut inutilitas ſpiritibus, aut ſanguini, vt fiat obiectum attrahentis, aut expellentis; uec poſſunt ab his potentiis moueri, niſi induant rationem obiecti ſpecificatiui harum potentiarum: Tum in eadem animi paſſione intrà, & extra mouentur iidem ſpiritus, & idem ſanguis, nec ita breoi tempore poſſuot eſſe ſimul obiectum conueniens, & diſconuenieos:ergo oec moueri ab his facultatibus.

Reſpondet 4. Iacobus de Forliuio *in lib.3. artis medicinal. q.11.* facultatem pulſificam eſſe ſubordinatam appetitui, ſicut loco-motiua animalis; & ideò propter imperium appetitus moueri facultatem pulſificam, per cuius motum ſpiritos deferuntur ad partes,in quibus poſſunt calidum morbum cauſare. Adhæret hoic philoſophandi modo noſter doctiſſimus Cyprianos de Maroja *lib.3.de cauſis febr.q.3.*

Contrà: ſi facultas pulſifica eſſet ſubordinata appetitui, aut voluntati, deberet operari, aut detineri, pro nutu illius, ſicut contingit in reſpiratione; ex eo quòd eſt potentia illis ſubordinata: cuius contrarium experientiâ patet,& ex doctrina Galeni conuincitur.

Reſpondet Doctor Maroja, quòd duplex eſt voluntarium:aliud quoad applicationem obiecti, vt capere alimentum ad outritionem, & applicatio obiecti ad viſionem; aliud non ſolùm quoad applicationem,ſed etiam quoad actiooem, vt motus reſpirationis: & quòd pulſifica eſt ſubdita quoad applicationem obiecti, oon verò poſtquam ponitur paſſio animæ, quia tunc qooad operationem fit naturali modo.

Contrà: illa potentia dicitur libera,& ſubdita imperio appetitus, aut voluntatis, ſaltem quoad applicationem obiecti, quæ reſpectu applicationis obiecti operatur pro nutu, ſicut in exemplis ab ipſo adductis eſt facultas loco-motiua, pro applicando, aut non,alimento; & eadem pro mouendis palpebris vt recipiantur, aut non recipiantur ſpecies obiecti viſibilis,non autem viſiua facultas, aut nutritiua, quæ poſtea neceſſariò operantur, dicuntur liberæ potentiæ, nec quoad applicationem,nec quoad actionem: ergo ſimiliter licèt aliæ potentiæ ſuperioris ordinis ſint liberæ, numqoam tamen pulſifica facultas, quæ non attingit productionem actus appetitus, nec eius applicationes in eſſe ſui obiecti. Vlterius ponere paſ-

A ſionem animæ ob quam poſtea neceſſariò moueretur pulſus,non eſt actio libera, vt intendit Maroja, cùm poſito obiecto traſcibili, triſti, aut delectabili, neceſſariò ſequatur actus appetitus circa illum; oec poſitio obiecti eſt libera,ſed pendens ab extrinſeco;nec paſſio poteſt vitari, cum ad mortem plures deducat: ergo nec quoad actionem aotecedentem pulſos actio eſt libera.

Vlteriùs facultas nutritiua ex eo, quòd io ſua actione non poteſt pro nutu operari, aut non operari, eſt facultas naturalis dicta:ſed eademmet etiam non poteſt ſuum obiectum applicare pro nutu: ergo nec quoad actionem, nec quoad applicationem eſt libera; ſed ea,quæ deſeruit ad talem applicationem alimenti:
B ergo idem dicendum eſt de pulſifica,in qua idem contingit.

Præterea,cor indifferens eſt,vt ponat hanc,vel illam differentiam,donec ponantur cauſæ continentes illius: ſed per ſubordinationem appetitus nulla pooitur cauſa cootinens,quæ ex Galeno ſunt facultas,vſus,& inſtrumentum: ergo oon poteſt ſpiritus mouere propter illam.

Præterea,facultas pulſifica,etiam ſi eſſet ſubordinata appetitui, non poſſet operari vltra proprium obiectum, quia hoc eſt proprium vnicuique potentiæ, vt docet D.Thomas 1.2. q.9. *art.*1. appetitus non poteſt facere quòd operetur pro eius nutu, cum non valeat pro nutu ponere obiectum illius.

C Reſpondet 5. Auerroës, in noſtro corpore eſſe quaodam regitiuam potentiam, quæ regit pulſificam, vt moueat ſpiritus in hanc, vel illam partem, prout requiritur pro exequenda paſſione animæ, & ab ipſa deferri ſpiritus ad partes, ab ipſiſque cauſari calidum morbom.

Cootrà: Tum quòd regitiua eſſet inutilis, quia ſi proponatur obiectum potentiis, ipſæ ſine regitiua operantur; ſi oon proponatur, oon poteſt regitiua cogere illas ad agendum vltra illud: Tum quia gratis ſuperadditur potentia, quæ nec ab Ariſtotele, nec ab alio antiquiore ex Philoſophis, nec iuniore, cognoſcitur neceſſaria: Tum quia vel eſſet ſub eodem gradu
D vitæ cum aliis,vel altiuris ordinis; & ſemper peteret ab aliis regi: vel eſſet ſuperior intellectu, & ſic deberet eſſe alterios gradus animæ perfectioris: vel inferior, & ſic minus apta quam ille ad cognoſcendum quid agendum eſſet in viuente.

Tom quia numquam in emittendis ſpiritibus in partes erraret facultas pulſifica,cuius contrarium videmus in doloribus,& paſſionibus animæ, io quibus contrahit, ipſóſve ſpargit,donec pereat animal: ergo non admittenda facoltas regitiua,ad cuius nutum ſpiritus deferantur in partes.

Reſpondent 6. alij; cauſari morbum calidum ab ſpiritibus, & ſanguine, qui in paſſionibus animæ feruntur ad partes à facultate pulſifica, quæ operatur tamquam circa proprium finem pro booo animalis, & attemperatione caloris: & licèt non moueat in paſſionibus animæ pro attemperatione ſpiri-
E tus, mouet pro bono animalis, quatenus illa actio tendit in finem illius paſſionis, quod in booum animalis ordinatur.

Contra: Tum quòd, cùm bonum ſit vnom, vna eſſet differentia pulſus pro mouendis ſpiritibus in omoibus animæ paſſionibus, in quibus quammultæ aſſignantur iuxta paſſionum diuerſitatem: Tom quia ſi propter bonum aoimalis mouerentur, ſemper mouerentur prout illi conueniret: at verò plures mouentur vſque ad eius interitum, vt nuper diximus: Tum bonum animalis eſt finis communis, propter quem omnes facultates operantur

operatur, & reſpectu pulſificæ debet determinatum aſſignari bonum, ratione cuius moueat ſpiritus :. Tum quodlibet agens (vt deducitur ex Galeno *lib.3. de facult. natural. cap.6.* vbi docet, *quod vnumquodque attrahit, non propter attrahere, ſed propter ſuum potiri.*) priùs operatur propter bonum particulare, quàm propter bonum commune: ergo præter bonum commune debet aſſignari aliquod particulare bonum, ob quod facultas deferat ſpiritus ad partes.

§. II.

Præfertur Pars affirmatiua.

B Eſoluendum affirmatiuè: ſic intelligendus venit Gal. *lib. de cauſ. morb. c.2. lib.1. de diff. febrium c.4.* ex communi Interpretum aſſenſu; qui nomine motûs paſſiones animæ comprehendunt. Ex ira *calorem augeri* docet Gal. *lib.1. ſanitatis tuendæ c.9.& lib.4. de cauſ. pulſ. lib.1. de diff. feb. c.3.* Ariſtoteles *ſect.8. problem.q.17. lib.2. de partib. animal. c.4. lib. phyſiognomiæ c.70.* D. Thomas iram diffinit efferueſcentiam ſanguinis circa cor, & ob inductum calorem ab ira pleriqne inſani fiunt, vt Seneca refert *lib. de ira c.4.& 5.* Horatius *lib.1. epiſtol.2.* Apollonius *ad Macedoa ſerm.20.* Cicero *lib.4. Tuſculanar.* Lucretius *lib.5.* & in tantum intendi contingit calorem ab ira petcitum, vt plurimos in mortem irruat, vt refert Plinius *lib.7.c.32.& 57.* Aulus Gellius *lib.3. noctium Atticarum c.15.* Valerius Maximus *lib.9.tr.2. de morte non vulgari.* Triſtitiam febrem cauſare docet Gal. *lib.2. de diff. febr.* & illius præſcribit pulſus differentias *lib.4. de cauſ. pulſuum c.4.* & *lib. de pulſibus ad Tyrones.* Auicenna *fen.1.4. tract.1.c.22.* & febrem ex Gaudio *fen.1.4. tract.1.c.22.* & ſic patet de reliquis animæ paſſionibus.

C

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

AD replicam pro ratione dubitandi reſpondetur: Quòd in paſſionibus animæ cauſatur morbus calidus per accidens, quatenus ſpiritus mouentur ad partes internas, aut externas per motum compreſſionis aut dilatationis iuxta diuerſas pulsûs differentias, ſecundùm diuerſitatem paſſionum animæ, quæ ponuntur à pulſifica facultate, poſitâ paſſione animæ pro formali, iuxta illam ſanguis, & ſpiritus ferantur ad partes, & tribuatur illis temperies debita ad operandum, prout requiritur iuxta exigentiam talis paſſionis. Ratio autem immutationis in pulſu, & ponendi has differentias, quibus ſpiritus, & ſanguis deferantur in partes, prouenit, quia finis pulſus, eſt tribuere vnicuique parti temperiem aptam, non ſolùm ad ſui conſeruationem, ſed ad ſui operari; & poſitâ paſſione animæ, licèt ſit debitus calor pro conſeruatione ſui in parte, non eſt qui requiritur pro operari iuxta exigentiam paſſionis: ideò facultas, ponit eam pulſus differentiam, cum qua ferantur ſpiritus, & ſanguis, à quibus intenſior calor communicatur, & quia contingit quòd perſeueret paſſio, & pulſus continuò ponat eandem differentiam pro illo fine, & deferantur ſpiritus in maiori quantitate; tum ob multitudinem, tum ob raritatem motu acquiſitam, tum ob impeditum aërem ex eorum occurſu morbum valent calidum communicare.

A

Resolutio IV.

Verùm vicinia rei calidæ ſit cauſa morbi calidi?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

SAnciuit Galenus: Quòd vicinia rei calidæ debet inter cauſas morbi calidi annumerari. Sed qualiter habeat rationem cauſæ? ſub diſputatione cadit; quia B cauſa continet effectum virtualiter: ſed vicinia rei calidæ non continet virtualiter calorem: ergo non eſt cauſa illius. Reſpondetur: Quòd licèt non contineat calorem tanquam cauſa per ſe illius, continet illum tanquam cauſa per accidens.

Contra: vicinia, & approximatio idem ſunt: ſed approximatio non eſt cauſa, nec per accidens: ergo vicinia rei calidæ ſolùm vt conditio, & non vt cauſa, debet admitti.

Reſpondetur: Quòd in rigore phyſico eſt conditio neceſſaria ad agendum: ſed medicus illam tanquam cauſam recipit, quia in ordine ad morbi curationem peculiaris ratio indicationis ſumitur ab illa.

Contra: adhuc in iſto ſenſu non poteſt eſſe cauſa C particularis morbi calidi, cùm eodem modo poſſit eſſe cauſa morbi frigidi, aut humidi, approximatio ſuæ cauſæ: ergo non debet annumerari inter cauſas morbi calidi.

§. II.

Amplectitur Galeni doctrina.

REſoluendum: quòd rectè annumeratur inter cauſas morbi calidi vicinia rei calidæ, licèt in rigore phyſico ſolùm ſit conditio ſine qua non: ſic deducitur ex Doctrina Galeni, & admiſerunt illius Commentatu-D res, Valleſius *lib.4. controuerſ.* Varandæus *de cauſ. morb. c.5.* Santa-Cruz. *in lib. Galeni de cauſ. morb. c.2.* & reliqui.

Probatur, Tum ex Galeno *lib. de cauſ. morb. c.2. §. vel quia calidiori cuipiam corpori vicina ſunt:* Tum ex eodem *lib.1. de diff. febr. c.3.* vbi probat omnia agentia calida, ſiue formaliter talia, vt ignis; ſiue virtualiter, vt lux; ſiue potentialiter, vt piper; poſſe approximata calorem communicare: Tum quia à cauſæ calidæ vicinitate peculiaris ſumitur indicatio curatiua pro morbo calido: ergo in ordine ad curationem rectè annumeratur inter cauſas morbi calidi.

§. III.

E *Soluitur rationis dubitandi vltima Pars.*

AD vltimam partem rationis dubitandi reſpondetur: Quòd vicinitas ad agendum, ſiue contactus ſuppoſiti, ſiue virtutis communis conditio eſt pro omni cauſa, non ſolum morboſa, ſed pro quacumque alia: at verò vicinitas rei calidæ, quam pro cauſa morbi calidi proponit Galenus, hæc determinata cauſa eſt ſolius morbi calidi.

A

Resolvtio V.

Vtrùm alimentum calidum ſit cauſa morbi calidi?

§. I.

Aperitur difficultatis ratio.

ARgenterius *lib. de cauſ. morb. cap.* 2. ſub calido alimento omnes ferè recenſet modos cauſandi morbum calidum; ſed nullo modo poſſe ex alimento fieri febrem ſuadet: quòd non eſt ratio, quare à calido alimento cauſetur calidus morbus, niſi quia ex re-
B poſitione partium calidarum poteſt calor morboſus oriri ab anima: ſed huius caloris pullulatio implicat, cùm ab anima id tantùm reſultet, quod eſt conſeruatiuum, non verò quod corruptiuum: ergo alimentum non eſt cauſa morbi calidi.

Reſpondetur: Quòd alimẽtum calidum morbi calidi ſit cauſa, quia aſſumptum valet communicare calorem, quem actu, aut virtute continet: & quia calidi humores generantur ex illo, vnde calidus morbus oriatur: & quia à partibus calidis ex illo deſumptis per nutritionem cogitur forma ad productionem maioris caliditatis, vt contingit in febre hectica orta ex calido ſubſtantifico temperamento præuerſo & adaucto ob
C vſum calidorum alimentorum.

Contrà: adhuc præuerſo temperamento ſubſtantifico, ille calor non poteſt pullulare ab anima: ergo non cauſatur morbus calidus. Probatur antecedens, quia pullulatio eſt actio, quæ tribuitur generanti, & ſolùm poteſt fieri reſpectu eius, quod in ſecundo modo perſeitatis conuenit genito: ergo calor morboſus non poteſt pullulare.

§. II.

Deciditur reſolutio.

D RElouendum: Quòd alimentum calidum alteratione, conuerſione ſui in calidos humores, & quatenus fit pars calida nutriri, cauſat morbos calidos: ſic deducitur ex Galeno *lib. de cauſis morbor. lib.* 1. *de diff. febr.* & longa oratione admittunt ſui Commentatores; & præcipuè reſpectu vltimæ partis, in qua eſt maior difficultas.

Probatur: ex alimento calido, repoſitis per nutritionem partibus calidis in maiori numero, neceſſariò fit temperamentum ſubſtantificum intemperatum versùs illas: ſed à temperamento ſubſtantifico improportionato versùs partes calidas neceſſariò debet pullulare excedens, ac morboſa caliditas, vt demonſtrauimus *part.* 1. *reſolut. medicarum diſputatione* 1. *ſection.* 2. ergo calidum alimentum eſt cauſa morbi calidi.
E

§. III.

Soluitur vltima pars rationis dubitandi.

AD vltimum argumenti reſpondetur: Quòd calor pullulat ab anima, non vt forma mixta; ſed vt continet virtualiter eminenter formam ignis, aut aëris, de quarum perfectione eſt calor vtcumque intenſus: videatur doctrina nuper citata à nobis *part.* 1. *reſol. noſtrarum.*

A

Resolvtio VI.

Vtrùm putredo ſit cauſa morbi calidi ob partium deunionem.

§. I.

Valleſij, Mercati, & aliorum proponitur opinio.

COmmuniter Moderniores iudicant, quòd putredo eſt cauſa morbi calidi, quia ea fit à ſubiecto à cauſa externa calefacto, & à calore communicato, ab illa communicatur morboſus calor in partibus,
B qui eſt calidus morbus: ſic philoſophatur Valles *lib.* 4. *controuerſ. cap.* 3. Mercatus *lib.* 2. *de cauſis febr.* Vega *lib.* 3. *de arte medendi*; Doctor Maroza *lib.* 3. *de febribus, quæſt.* 4. Brauus Salmanticenſis *lib. de different. febrium cap.* 5. Santa-Cruz *lib.* 2. *de morb. & ſymptomat. cap.* 2. *dub* 1. Nullus tamen à forma ratione deunionis partis oriri admittit: immò obſtare videtur,

Primò: Si à forma humoris, qui putreſcit, propter deunionem partiũ, reſultaret morboſus calor; quantò maior eſſet putredo, intenſior calor reſultaret: ſed præcedente putredine, remittitur calor: ergo quia communicatur à cauſa extrinſeca calefaciente, non verò à
C forma humoris, qui putrefit.

Reſpondetur: Quòd calor reſultat intenſior quantò putredo maior fit; ſed tractu temporis reſoluuntur partes aëreæ, & igneæ, ratione quarum reſultabat calor à forma humoris, & ipſis reſolutis, non vlteriùs pullulat calor, peruenitque ad declinationem.

Contra: partes calidæ igneæ, & aëreæ, nunquam poſſunt reſolui; quia reſolutio fit præcedente raritate, & leuitate; partes autem igneæ non poſſunt rarefieri, nec à calore partis vicinæ, quæ eſt frigidior; nec à calore proprio, qui non habet vim agendi in proprium ſubiectum: ergo non poſſunt reſolui.

Secundò: forma humoris frigidi v. g. pituitæ, eſt frigida, & cui frigidæ diſpoſitiones conſeruatiuæ con-
D ueniunt: ergo non valet calidum morbum producere, etiamſi putrefiat.

Reſpondetur: Quòd quantùm eſt de ſe; cùm ſit forma mixta, valet quaſcumque diſpoſitiones producere; producit tamen frigiditatem, quæ illi eſt debita, & habet temperamentum ſubſtantificum cum maiori numero partium frigidarum determinantium pro frigiditate in ſtatu naturali: at verò dum putreſcit, quia frigidæ ſeparantur partes ab igneis, in his non impeditis ab illis fit intenſioris caloris productio.

Contrà: ſeparatis partibus calidis à frigidis, maior ratio eſt vt in frigidis non impeditis à calidis, & remanentibus in maiori numero pullulet intenſior calor, quàm in calidis, quæ in minori numero ſunt:
E ergo potiùs frigiditas excedens, quàm intenſior calor producitur.

Tertiò: Putredo fit à calore præternaturali rei, quæ putreſcit, communicato à cauſa externa: ergo medio illo calore præternaturali ab extrinſeco recepto, valet humor, qui putreſcit, calorem intenſiorem, & morboſum communicare partibus viuentis, ſine eo quòd pullulet ab eius forma.

§. II.

Affirmatiuam ſancimus partem.

REſoluendum: Quòd putredo eſt cauſa morbi calidi, quatenus partes igneæ, & aëreæ ſeparatæ &

& deuniæ per putredinem à frigidis, determinant formam rei putreſcentis ad eius productionem.

Probatur ex Galeni doctrina *lib. de diff. febr.* qui febrem diuidit in hecticam, diariam, & humoralem, penes tria ſubiecta, in quibus poteſt reperiri calor præternaturalis, à quo febris fouetur per modum habitus: ſed ſi calor, qui communicatur ab humoribus putridis pro febre cauſanda, ſolum eſſet ille, qui communicatus fuit à cauſa externa cauſante putredinem, non eſſet per modum habitus in contentis, ſeu humoribus: ergo debet ab eius oriri forma vt habitualis dicatur.

Probatur 2. putredo aliquando prouenit à cauſa frigida externa, vt conſtipatione cutis: ergo ab ipſa non cauſatur febris.

Dices: calorem illum fieri occaſionaliter, & per accidens à frigiditate obſtruente, per ſe verò ab ſpiritibus, vel fuliginibus, à quibus excedens calor communicatur in humoribus, non verò ab illorum forma.

Contrà: per putredinem intenſior calor communicatur viuentis, vt apparet in febre ardente, quam poteſt ab ſpiritibus, aut fuliginibus cauſari, cùm ceſſante putredine à ſolis illis non fieret febris: ergo fit calor à ſola forma humoris, qui putreſcit.

Dices: quòd fuligines quæ eliciuntur per putredinem, dum ſunt in maiori copia, cauſant morbum calidum; non verò dum ceſſante putredine, remanent in minori copia.

Contrà ſtat: Tum quòd fuligines, vt probabimus, ſunt frigidæ: Tum quòd priùs eſt humores eſſe putridos per calorem excedentem in illis, quàm quòd eleuentur fuligines: Tum quòd dum eſt maior copia fuliginum, vt contingit in principio acceſſionum, eſt remiſſior calor ortus ab humore putrido, quàm in ſtatu, in quo ſunt in minori copia: ergo non prouenit ab illis.

Probatur 3. Putredo cauſata à cauſa externa v. g. ab inſolatione, vel alia cauſa externa, quæ ſtatim diſcedit, ſi ratione caloris ab illa recepta eſſet cauſa morbi calidi, communicati ab humore ad partes viuentis, intenſior eſſet morbus in principio quando intenſior calor communicatur à cauſa externa, quàm tractu temporis, quando calor ab ipſa communicatus, ipſa ſeparata fit remiſſior: ſed calor ortus ex putredine quantò magis diſtat à prima inuaſione, vt in augmento, & ſtatu, fit magis intenſus: ergo ab humoris putreſcentis forma, & non à calore ab extrinſeca cauſa communicato illi cauſatur calidus morbus, ortus ratione putredinis.

§. III.

Soluuntur fundamenta pro communi opinione.

AD 1. reſpondetur: Tum quòd pars aërea poteſt reſolui à parte ignea, & pars ignea per accidens, quia reſoluuntur, & euaporantur reliquæ partes, quibus eſt commixta, ſicut terra aquæ commixta reſolui, & cum vapore ſurſum ferri contingit, quia non potuit ab illo ex toto ſeparari: Tum quòd licèt calor in ignea, aut aërea parte non valet operari in genere cauſæ vniuocæ ſimilem producendo, valet in genere cauſæ æquiuocæ producendo raritatem, & leuitatem.

Ad vltimum 2. reſpondetur: Quòd in partibus frigidis reſultaret maior frigiditas, ſi non eſſet impedimentum ratione caloris, qui illis communicatur à cauſa calefaciente, & à calore ſpirituum; qui quidem calor iuuat in calidis partibus pro reſultantia caloris ex illis.

A Ad 3. reſpondetur: Quòd putredo prouenit à remiſſiore calore, quàm eſt ille, qui communicatur humori, vt putreſiat, vt apparet in humore putrido, qui plerumque leui calefactione fit, & poſtea ab humore putrido cauſatur febris ardens intenſior, quàm erat calor cauſæ externæ; & in externis apparet plura putreſieri ab ambiente calido moderatè, quæ poſtea ex intenſione caloris, putredine acquiſita, perueniunt vſque ad ignis productionem; ſeu ad tantam caliditatem, vt adurant: & ſub ambiente frigido plura putreſcunt, à quibus fumoſi, & calidiſſimi eleuantur vapores, qui niſi à calore à forma rei putrefactæ calefieri nequeunt.

B

Resolutio VII.

Vtrùm adſtrictio, ſeu obſtructio ſint cauſa morbi calidi.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

ADſtrictio conſiſtit in pororum coarctatione; obſtructio in occluſione pororum ob præſentiam ſubſtantiæ craſſæ intra poroſitates contentæ: ſed neutra harum continet calorem formaliter, virtualiter, nec in potentia: ergo à neutra poteſt calidus morbus cauſari.

C Reſpondetur cum Galeno *lib. de locis affect. cap. 4.* Quòd ſicut dum clauditur cubiculum, ſi permaneant carbones igniti, intenſiùs calefit aër, qui intra cubiculum eſt, & totum cubiculum: ſimiliter occluſis poris intenſiùs calefit corpus ob calidas ſubſtantias intùs occluſas.

Contrà: ignis ſiue occluſus ſit, ſiue non occluſus, eandem habet virtutem calefaciendi: ergo æquè intenſè calefacit dum occluditur cubiculum, aut corpus, dum occluduntur pori, ac dum non occluduntur.

Reſpondent aliqui, quòd cùm virtus calefactiua habeat determinatam ſphæram actiuitatis, & intra illam circa propinquius perfectiùs operetur, quod occluditur, impedit, quominus ad totam ſe extendat D ſphæram actio, & ideò intra breuiorem ſphæram potentiùs agit.

Contrà: intra ſphæram ſuæ actiuitatis cauſa calida operatur naturaliter, & ſecundum vltimum potentiæ: ergo ratione ſuæ actiuitatis æquè intenſiùs operatur intra ſuæ actiuitatis ſphæram, ſiue fiat occluſio, ſiue non: Tum quia corpus, nec cubiculum non coarctantur per occluſionem pororum, aut cubiculi: ergo intra ea, æquè intensè ante, aut poſt occluſionem agit quantùm eſt ex ſe.

Reſpondent alij: quòd occluſo cubiculo, aut corporis poris occluſis remanet virtus agentis calidi, & ſuperadditur calor corpori, aut parietibus communicatus, à quibus coadiuuatus ignis, aut cauſa calida E potentiùs operatur.

Contrà: eædem manent corporis partes poſt pororum occluſionem, & iidem cubiculi parietes ac erant antecedenter: ergo eodem modo poſſunt coadiuuare ante occluſionem, quàm poſt illam.

Reſpondet Matamoros *lib. 2. de febr. tract. 1. diſp. 9.* & communiter reliqui Auctores, quòd iuuat multitudo agentium ad intenſiùs calefaciendum, dum fit adſtrictio aut obturatio pororum: quia intra corpus generantur calidæ fuligines, quæ per poros debent expelli, & ipſis occluſis detinentur, & multiplicatæ intenſiorem calorem producunt.

Contrà ſtat opinio cuiuſdam Medici relati à Matamoros, contendentis nullas dari in corpore fuligines: Tum quia fuligines mordacitatem habent, vt aperiuntur oculi in eis, quæ ex igne eleuantur, hæc autem continuò in ſanitate & in morbis ex putredine ortis ſentiretur à nobis, & eſſet continuò irritans corporis partes: Tum quia ſoli igni datur generare fuligines, nec ab alio quocúque calido agente, vtcumque agit eas videmus fieri: Tum quia cum ſint viſu perceptibiles, vt in fumoſis appatet, perciperentur itidem, quæ è corporibus expelluntur: Tum quia medio calore innato eleuari non poſſunt, quia ſanguini ex quo per coctionem in corde, & aliis partibus deberent eleuari, inſunt ſimiles ſpiritus, qui etiam poſſunt in nos agere eleuando fuligines, tum quia fuligines petunt fieri per vſtionem, calor noſtri corporis intra ſanitatem concoquit, & non vrit: ergo nullæ dantur fuligines intra corpus, à quibus abſtructis, aut adſtrictis poris, valeat intendi calor.

B

Reſpondet Matamoros *lib. 2. de febribus tract. 1. diſp. 10. & 11.* Quòd bene verum eſt quod intra noſtrum corpus non generantur fuligines, quæ verè tales dici debeant, quales ſunt hæ, quæ eleuantur ab igne vrente: at verò eleuantur fuliginoſa excrementa ſimilia illis, vt docet Galenus *2. epidem. comm. 2. §. ab inſito calido fuliginoſum excrementum ex ſanguine creari diximus, ac potiſſimum quando eſt calidior.* Et quòd huiuſmodi fuliginoſæ ſubſtantiæ, quæ eleuantur, ſunt ſiccæ, & calidæ, & ab his retentis poris adſtrictis, aut occluſis calor prouenit morboſus.

C

Contrà: fuligines quæ intra corpus eleuantur, ſiue per coctiones intra ſtatum naturalem, ſiue per putredinem, aut vſtionem humorum in ſtatu morboſo, ſunt frigidæ: Tum quia à Galeno ponuntur inter cauſas morbi frigidi fuligines, *lib. de cauſ. morb. cap. 3. & lib. 10. methodi cap. 3.* fuligines docet calorem ſuffocare: ergo non ſunt calidæ.

Reſpondet Matamoros: quòd cauſatur febris dum copia fuliginum non eſt magna: dum maiorem cauſant frigiditatem fuligines.

D

Contra: Multitudo agentium iuuat ad perfectiorem effectum producendum: ergo ſi eſſent calidæ, perfectiùs calefacerent, quando eſſent in maiori copia.

Reſpondet Idem: Quòd dum ſunt in maiori copia ſuffocant, ſicut in externis ſuffocatur ignis ex maiori copia combuſtibilium.

Contrà: ſuffocatio ignis prouenit, quia impeditur motus ſurſum, qui illi ſuæve flammæ debetur: ſed in corpore nec eſt ignis nec flamma: Tum ignis ignem non ſuffocat: ergo nec fuligines valent alias ſuffocare, & impedire quominus calefaciant.

Reſpondet Carreirus *lib. de febribus tract. 5. cap. 1. quæſt. 4.* quòd calor innatus ſuffocatur, non calor fuliginum.

Contrà ſtat ratio nuper adducta; ſcilicet pullulatio qualitatum debita vnicuique parti non impeditur niſi à præſentia contrarij in illa: & fuligines, ſi eſſent calidæ, non poſſent ponere calorem impedientem caloris pullulationem. Tum quia ſicut in externis non impeditur calor in igne per ſuffocationem, niſi ignis corrumpatur; ſimiliter non poſſet remitti calidi innati calor, quin calidum innatum ſuffocatione interiret, quod eſt impoſſibile, cùm ſit pars animâ informata, vt *part. 1. reſolut. diſp. 7. ſect. 1.* demonſtrauimus: Tum quia calor febrilis, qui etiam poteſt remitti à fuliginibus, non cauſatur à calido innato; & ideò nec ſuffocatione illius à fuliginibus poteſt remitti: ergo propria frigiditate remittunt calorem.

E

Præterea frigiditatem fuliginum ſuadet; tum quòd

A

dum eleuantur in maiori copia in principio acceſſionum, remiſſior eſt febris, quam in ſtatu dum deficiunt: Tum quòd fuligines in corpore eleuatæ maiori ea parte conſtant ex aqueo vapore eleuato, vt in plurimùm cum terreo commixto, & ratione materiæ frigidorum elementorum, quæ abundant, debet frigiditas reſultare ab earum forma: Tum quia licèt in externis fuliginibus ſit aliqua mordacitas, quæ videtur atteſtari caloris intenſionem, hoc non obſtat frigiditati earum quæ abundant in corpore; quia in externis prouenit ob empyreumata ab ignis vſtione relicta, quæ in fuliginibus intra corpus genitis non valent reperiri: ergo fuligines non habent calorem, quo valeant calidum morbum cauſare.

B

§. II.

Galeni doctrina amplectitur.

Reſoluendum affirmatiuè: ſic ſancinit Galenus *lib. de cauſ. morb. cap. 2. lib. 1. de differen. feb. cap. 3.* & ibi tenent communiter omnes Auctores, patebitque ex §. *3. ſequenti.*

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

C

Ad rationem dubitandi reſpondetur: Quòd obſtructio, & adſtrictio annumerantur inter cauſas morbi calidi, quia ratione illarum ſpiritus vitales retinentur, & quia impediunt aëris tranſpirationem; qui continuò per poroſitates à facultate pulſifica, vt ab illo attemperetur calor ſpirituum vitalium, qui ſunt corde, & reliquis partibus noſtri corporis calidiores, vt *part. 1. reſol. medic. diſp. 8. ſect. 3. reſol. 2.* decreuimus cum Veiga *lib. artis medicinal. cap. 28.* cum Peramato *lib. de temperament. cap. 6.* cum Santa-Cruz *fen. 1. 1. opuſc. 3. cap. 20. & opuſc. 2. de cauſ. pulſ. cap. 12.* cum Carreiro *in fen 1. 1. diſp. 15. cap. 1.* cum Andrea Laurentio *lib. 9. anatom. q. 13.*

D

Contra: Spiritus, etſi retineantur, non acquirunt intenſiorem calorem, quàm prius habebant; cùm calor illis debitus pullulet à forma pro eorum conſeruatione in quouis tempore: ergo ſicut priùs non erant cauſa morbi calidi, nec ſimiliter poſt adſtrictionem.

Reſpondetur: Quòd ſunt in maiori numero, & ideò aptiores ad agendum perfectiori modo, & quòd licet quantum eſt ex ſe ſemper calor debitus illis poſſet pullulare à forma, actu non pullulat dum aër ingreditur per poroſitates, quia ſua frigiditate ſpiritus infrigidat, & pullulationem caloris impedit.

SECTIO IV.

E

De cauſis reliquarum intemperierum.

De Cavsis intemperierum, quæ ex primis qualitatibus oriuntur, acturi: de calida intemperie latiori ſerie proſequuti ſumus tractationem, quia difficiliorem ſe exhibet; de reliquis proſequemur ſub hac ſectione diſputare; conſtant enim, quæ circa has ſunt difficiliora, ex nuper dictis.

Resolvtio I.

Vtrùm ſex cauſæ morborum frigidorum ſint admittendæ.

§. I.

Argenterij proponitur opinio & aliorum differentes opiniones.

SEx cauſæ morbi frigidi admittuntur, ſcilicet, vicinitas rerum refrigerantium; ciborum, & potuum quantitas, & qualitas; conſtipatio; raritas; quies; nimius motus. Has admittit Valleſius, licèt ad numerum quaternarium poſſe reduci contendat: eaſdem etiam admittendas eſſe fatentur Duncanus, Roſellus, & alij moderniores, licèt ſub quinario numero amplecti iudicent, quietem, & nimium motum pro vna referentes: Argenterius verò *lib. 2. de cauſ. morb. comm. ad cap. 3.* nec numerum, nec cauſas admittendas cenſuit.

Primò: Si retineatur frigida ſubſtantia intra corpus: vel ſi euacuetur calida ſubſtantia à corpore, prouenit morbus frigidus: ergo hæ ſuperaddendæ ſunt cauſæ.

Secundò; à Galeno annumerantur cauſæ, à quibus ſolùm valet cauſari frigidus morbus: ſed raritas, & nimius motus poſſunt cauſare ſiccitatem: ergo non debent annumerari inter cauſas ſolius morbi frigidi.

Tertiò: nimia conſtipatio potiùs eſt cauſa caloris, quia ſuffocatio proueniens ex conſtipatione, interitum cauſat ratione excedentis caloris communicari à ſubſtantia per illam retenta: ergo non debet annumerari inter cauſas morbi frigidi.

Quartò: Ex defectu ciborum ſuperuenit febris propter inediam: ergo non eſt cauſa morbi frigidi, ſed morbi calidi.

Quintò opponit Valles: Alteratio, ſuffocatio, Tabes, & raritas comprehendunt omnes ſex cauſas à Galeno adductas, ita vt nulla ſit, quæ in rigore phyſico non reducatur ad aliquam ex illis: ergo ſuperfluè plures ſuperadduntur.

Sextò: conſtipatio extinguit calorem in igne, quatenus impedit motum flammæ ſurſum tendentis; raritas & nimius motus, quatenus flamma accenſa non impedita deſerit pabulum, ſine quo non valet perdurare, quia deficit materia, ex qua noua generetur flamma, quæ continuò effluit: ſed iſta omnia non reperiuntur intra noſtrum corpus, cùm debeantur igni actuali; qui intra illud dari non poteſt: ergo ab his calor intra illud non valet cauſari.

§. II.

Pars affirmatiua præfertur.

REſoluendum: Quòd ſex ſunt cauſæ morborum frigidorum, quas nuper propoſuimus. Sic ſancinit Galenus *lib de cauſ. morb. cap. 3.* ſequitur Varandæus *lib. pathol. vniuerſ. cap. 5.* Santa-Cruz *lib. de morb. & ſympt. c. 3.* Roſellus *in lib. de cauſ. morb.* Fontanus, Martinus, & Duncanus, & reliquorum plerique, qui has omnes amplectuntur cauſas, licèt aliquas poſſe ſub illis annumerari contendant.

Probatur 1. ex Galeno loco nuper adducto, §. *Calidæ quidem ægritudinis in vniuerſum diximus cauſas, nunc ad frigidam veniamus: ſunt vero & huius plures numero cauſæ, veluti refrigerantium propinquitas, & ciborum potuúmque quantitas, & qualitas; ſtipatióque & rarefactio, atque præterea otium, & immodicus motus.* Huic ſententiæ ſubſcribit Auicenna *fen. 1. lib. 1. d. 2. cap. 2. 5. Galenus vero medicorum primus, eas in ſex ſolet comprehendere cauſis, ſcilicet in motu ſuperfluo, &c.* Et licèt ipſe Auicenna annumeret claritatis gratia decem & nouem: annumerat internas & externas cauſas, quæ quia in has ſex reducuntur, fatetur veram Galeni doctrinam.

Probatur 2. ratione fundamentali à Galeno propoſita *lib. de cauſ. morb. cap. 3.* Ab eiſdem cauſis poteſt remitti caliditas noſtri corporis, & loco illius induci frigiditas, à quibus poteſt remitti calor in igne: ſed ignis calor remittitur per vicinitatem corporis frigidi, quod triplicıter contingit, vel ſi exiguæ prunæ niuis, aut aquæ frigidæ imponatur; vel ſi infundatur: vel ſi ambiens aër ſummè ſit frigidus, à quo lucerna ſolet extingui, præcipuè apud Iſtrum hyberno tempore. Remittitur etiam per ſubſtantiam frigidam, vel quia multa, ſic enim contingit paucum ignem extingui à multis lignis, & à multo oleo lucernam; vel quia pauca, ſic defectu pabuli deficit lucerna; vel quia contraria vincitur qualitate, vt ſi lucernæ oleum aquæ immixtum adhibeamus. Remittitur calor ignis ſuffocatione, vt in cucurbitulis apparet, quia flamma duplici motu indiget, altero quo ex ſua natura ſurſum; altero quo propter quærendum pabulum deorſum tendit; & inde illo deficiente ſuffocatione: hoc verò extinctione perit. Remittitur calor ignis raritate, vt ſi nimio ſole parua alteratur lucerna, leuitate enim acquiſita ſurſum tendit, & pabulum deſerens perit. Remittitur ignis calor per otium ſiue quietem, niſi deflectur ignis à ſui pabuli excrementis langueſcit. Tandémque per motum immodicum adaucta flamma, & reſoluto pabulo ignis deſiccatione perit: ergo à ſimili per ſimiles ſex cauſas valet noſter calor remitti, & ſuperuenire frigiditas intra nos morboſa.

§. III.

Soluuntur primò poſita argumenta.

AD 1. reſpondetur: Excrementa frigida contineri ſub eis, quæ frigida ſumuntur, cùm ex illis fiat reſolutio ſub raritate, ſine partium enim apertione non fieret euacuatio.

Ad 2. reſpondet Santa-Cruz, Quòd licèt Galenus ſolùm intendat morbi frigidi cauſas annumerare: alias ſuperaddit, quas, ſi iterum reperit agendo de morbis aliis, eſt vt extendatur doctrina.

Sed diſplicet: quia ideo Galenus carpitur ab Argenterio: quia cùm poſtea has referat eaſdem cauſas pro cauſis aliorum morborum, ſuperfluè hic afferuntur ab illo, vbi ſolùm agit de cauſis morbi frigidi ſimplicis: ideo dicendum cum Roſello, quòd à nimio motu, & raritate per ſe primò ſequitur caloris reſolutio, & diſſipatio; quia per ſe primò cauſa calida euacuatur, ad cuius defectum ſuperuenit frigiditas: ſiccitas verò ſequitur per accidens; & ideo iſtæ non dicuntur cauſæ per ſe illius.

Ad 3. reſpondetur: Quòd nimia conſtipatio poteſt eſſe cauſa morbi frigidi, quia ſpiritus defectu ventilationis nimis attracti reſoluuntur, & ex defectu eorum accidit frigiditas.

Ad quartum reſpondetur: Quòd licèt aliquandiu humores inedia areſcant, & caleſiant; tandem calidis etiam reſolutis partibus, frigeſcit corpus.

Ad quintum reſpondetur: Quòd licèt in rigore phyſico omnes cauſæ poſſent reduci ad quatuor enumeratas, tamen Galenus diſtinguit illas, prout earum diuiſio magis conducit ad curationem morbi frigidi.

Ad 6. reſpondetur: Quòd licèt non ſit intra corpus flamma: nec ideò requiratur pabulum; ſunt ſpiritus, à quibus continuò conſeruatur calor, qui fluxilis naturæ ſunt & paucæ durationis, & ideò indigent continua ſui generatione, & quòd continuò fератur materia ea qua generentur. A

Resolvtio II.

Vtrùm cauſæ morbi ſicci ſint Quatuor?

§. I.

Opinio negatiua proponitur.

OMnes cauſas morbi ſicci reducendas duxi ad alimenti defectum, ad ſiccam materiam, ad immodicum motum, & viciniam rei calidæ: Santa-Cruz *lib. de morb. & ſympt.* quinque annumerat cauſas: ſimiliter & alij plures ſuperaddere, & adductas contrahere contendunt; quammaximè Argenterius pro more in Galenum inuehens, plures ſimiliter refert: pro quibus pars negatiua ſuadetur, B

Primò: quia defectus ſubſtantiæ humidæ non eſt cauſa poſitiua: ergo nec debet inter poſitiuas cauſas morbi calidi annumerari.

Secundò: materia ſicca & vicinia rei calidæ coincidunt: ergo pauciores quàm annumeratæ ſunt cauſæ morbi ſicci. C

Tertiò: motus, & animæ paſſiones nec formaliter nec virtualiter continent calorem: ergo non ſunt illius cauſæ.

Quartò: calor naturalis continuò agens ſenectutem inducit ratione ſiccitatis ſuperuenientis ab illo: ergo calor naturalis eſt altera cauſa ſuperaddenda morbi ſicci.

Quintò: ex Galeno *lib. artis medicinal. cap.* 86. motus, indigentia, vigilia, euacuatio, & animæ paſſiones poſſunt exſiccare corpus: ergo euacuatio ſuperaddenda eſt.

§. II.

Pars affirmatiua ſancitur.

REſoluendum affirmatiuè. Probatur 1. ex Galen. *lib. de cauſ. morb. cap. 4. §. de ſiccis deinde deſideramus: igitur ſi aliquis plurimùm quidem tranſpiret, ſed parcè nutriatur, idque alimentis, quibus facultas ſiccandi eſt; is facilè ad ſiccum morbum perducetur: idque maximè, ſi ſollicitudine, vigiliiſque torqueatur. Iiſdem aeris ambientis nos ſiccæ conſtitutiones animantium corpora aridiora reddere ſolent; ſit etiam aqua, vel nitri, vel ſulphuris, vel aluminis.* D

Probatur 2. Siccitas in noſtro corpore debet prouenire vel à cauſa inducente ſiccitatem ſimilem ei, quam in ſe habet; vel à cauſa coadiuuante reſolutionem humidæ ſubſtantiæ, qua deficiente reſultat ſiccitas; ſed huiuſmodi cauſæ debent ſub aliqua ex quatuor annumeratis poni: ergo ſufficienter earum præſcribitur numerus. Probatur minor. Cauſa valens ſiccitatem inducere; vel qualitatiuè tantùm, & hæc eſt ſub vicinia rei calidæ; vel ſubſtantificè ſimul, & hæc eſt ſub materia calida, quæ materiam tribuit viuenti pro generatione ſiccæ ſubſtantiæ. Cauſa coadiuuans reſolutionem humidæ ſubſtantiæ, vel eſt defectus alimenti, qui per reſolutionem deperditur; vel motus localis, aut animæ paſſiones, per quas ſpiritus calorem augentes mouentur, à quibus fit ſubſtantiæ humidæ reſolutio; & comprehenduntur ſub motu: ergo omnes ſicci morbi debent ſub quatuor ex annumeratis poni. E

§. III.

Soluuntur primò adducta argumenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd Galenus annumerauit cauſas ſiccitatem inducentes, ſiue per ſe, ſiue per accidens.

Ad 2. reſpondetur: Quòd vicinia rei calidæ dicit cauſam extrinſecam exiccantem; materia ſicca dicit alimentum ſiccum, ex cuius repoſitione pullulat ſiccitas ab anima.

Ad 3. reſpondetur: Quòd contineat calorem modo dicto, dum egimus de cauſis morbi calidi; & medio calore reſoluente humidum, inducunt ſiccitatem.

Ad Quartum reſpondetur: quòd Galenus intendit inducere cauſas inducentes ſiccitatem morboſam; non verò ſiccitatem ætatiuam.

Ad Quintum reſpondetur: Quòd euacuatio reducitur ad alimenti defectum, ſiue humidæ ſubſtantiæ noſtri corporis.

Resolvtio III.

Vtrùm cauſæ morborum humidorum ſint Quatuor?

§. I.

Proponitur pars negatiua.

COpia alimenti humidi, plurimus potus, mollis educatio, quies, vita ſedentaria, vſus balnei aquæ dulcis, præcipuè poſt cibum, pluuia multa, conſtitutio humida, medicamenta humida, & aliæ ſimiles cauſæ, quæ pro morbo humido recenſentur, an ſub quatuor differentias cauſarum humidi morbi ponantur, quæ ſunt, Copia alimentorum; materia humida; quies, vel otium, & vicinia rei humidæ? Cadit ſub dubio. Pars negatiua fulcitur,

Primò: ſomnus, & retentio alicuius euacuationis conſuetæ humectant: ergo debent ſuperaddi ad quatuor cauſas enumeratas.

Secundò: Copia alimentorum, & materia humida in idem coincidunt: ergo tres ſunt cauſæ morbi calidi.

Tertiò: materia humida, ſeu alimentum humidum non poteſt cauſare humiditatem, ex conuerſione ſui in ſubſtantiam nutriti, vt intendit Galenus: ergo non eſt reponendum inter cauſas morbi calidi.

§. II.

Sancitur pars affirmatiua.

REſoluendum affirmatiuè. Probatur ex Gal. *lib. de cauſ. morb. c. 5. 6. Hæ quidem ſiccorum morborum cauſæ, quibus humidorum morborum cauſæ omnes è contrario opponuntur, vt ſunt alimentorum, quibus humectandi vis eſt, copia; potus plurimus, mollis educatio, animi tranquillitas, crebra in balneis dulcium aquarum conuerſatio, vita otioſa & ignaua, imbres plurimi, humida conſtitutio:* ſed omnes hæ cauſæ reducuntur ad quatuor dictas: ergo ſunt admittendæ. Probatur minor, quia ex eodem Galeno, cùm ſiccitas & humiditas opponantur, eaſdem oppoſitas debent habere cauſas: ſed vt probauimus reſpectu ſanitatis quatuor ſunt cauſæ, ſcilicet defectus alimenti, materia ſicca, motus immodicus, & vicinia rei ſiccæ: ergo reſpectu morbi humidi quatuor ſunt cauſæ, copia alimentorum, materia humida, otium ſeu quies, & vicinia rei humidæ.

§. III.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur: Tum quòd ſomnus comprehenditur ſub quiete: tum quòd retentio conſuetæ euacuationis comprehenditur ſub copia alimenti humidi.

Ad 2. reſpondetur: Quòd copia alimentorum dicit exuperantia alimenta, etiamſi ſicca ſint; materia humida, dicit ſolùm alimentum humidum per ſuas qualitates.

Ad 3. reſpondetur: Quòd alimentorum humidum valet cauſare humiditatem, quatenus nutriens partes, reponit partes materiales humidas in maiori numero, à quibus reſultat prædominans humiditas, vt apparet in hydropicis.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm compoſita intemperies petat ſemper fieri à diuerſis complicatis cauſis.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

GAlenus *lib. de cauſ. morb. c. 6.* intemperiem omnem compoſitam ex compoſitis cauſis ſimplicium intemperierum, quas iam retulimus, oriri decreuit: quod quantum habeat veritatis, ex his conſtabit.

Primò: quia Galenus admittit in hoc capite poſſe cauſas vniformes producere compoſitam intemperiem: ſed cauſæ vniformes ſunt cauſæ ſimiles, & eiuſdem ſpeciei: ergo ab vna cauſa ſecundùm ſpeciem poteſt cauſari intemperies compoſita.

Secundò: Compoſitam intemperiem valet cauſare vnica ſimplex cauſa, ex Galeni decretis, ipſe enim immodicum motum docet poſſe cauſare morbum ſiccum, & morbum frigidum, & raritatem ſimiliter: ergo ab vnica cauſa ſimplici morborum poteſt compoſita intemperies cauſari.

Tertiò: ipſe Gal *in hoc c. 6.* docet, quòd ſi cauſæ compoſitæ ita ſe habeant, vt alia ſit potentior, aut diuturnior, præualebit in producendo effectu: ergo nec compoſitæ cauſæ ſufficiunt pro producenda compoſita intemperie.

§. II.

Galeni amplectitur opinio.

REſoluendum affirmatiuè, ſic ſanciuit Galen. *lib. de cauſ. morb c. 6.* & *ibi* alij defendunt. Roſellus, Santa-Crux, & tenent communiter reliqui Commentatores.

Ratio huius eſt: quia cùm effectus debeant proportionari ſuis cauſis, morbi in intemperie compoſita à compoſitis cauſis valentibus diuerſas cauſare intemperies debent oriri.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD 1. reſpondent alij: Quòd non dantur cauſæ vniformes, ſed quòd hoc verbum additur literæ ob errorem verſionis. Alij quòd dicuntur cauſæ vniformes, quæ eandem ſimplicem cauſant intemperiem, non autem compoſitam. Roſellus ex Leoniceno admittit, quòd dicuntur cauſæ vniformes, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Sed hos conuincit argumentum: nec Galenus de cauſis eiuſdem ſpeciei loquitur: ſed de diuerſis, & à quibus compoſita intemperies prouenit. Nos verò dicimus cum Segarra, quòd cauſæ vniformes non ſunt cauſæ ſimiles, valentes eandem ſpecie intenſionem producere; ſed cauſæ ſimul compaſſibiles valentes compaſſibiles intemperies cauſare, & non contrarias, vt calor, & ſiccitas; vel humiditas & frigiditas.

Ad 2. reſpondetur: Quòd motus, & raritas, licèt ſint eædem in eſſe entis, non tamen in eſſe cauſæ; diuerſo enim modo ſe habent, vt ſunt cauſa morbi frigidi, ac vt ſunt cauſa morbi ſicci, vt patet ex earum operandi modo pro his effectibus.

Ad 3. reſpondetur: Quòd cauſæ compoſitæ non impeditæ ſunt, à quibus compoſitæ cauſantur intemperies: cùm autem à contrariis temperantur, vna ſimplex ſupereſt cauſa, quia actio prouenit à proportione maioris inæqualitatis: ſi complicatæ autem ſint cauſæ, complicata etiam prouenit intemperies.

RESOLVTIO V.

Vtrùm cauſa intemperiei cum affluxu materiæ rectè à Galeno tradatur.

§. I.

Ratio dubitandi aperitur.

GAlenus *lib. de cauſ. morb. c. 6.* morbos ex intemperie cum affluxu materiæ docet prouenire à facultate partis mandantis robuſta, partis recipientis debilitate, & humore, & qualitate, aut quantitate irritante: ſed Argenterius *in Comment. ad prædictum caput*, vt moris eſt, inuehitur in Galenum.

Primò: quia ipſe eodem *lib. 2. de facult. natur lib. 2. de diff. febr. & lib. 2. ad Glauconem*, fatetur, quòd non ſolùm poſſunt tumores prouenire per defluxum humoris in partem: ſed ſoperaddit, quòd etiam poſſunt fieri per paulatinam congeſtionem: ſed ſolùm adducit cauſas intemperiei cum affluxu materiæ, quæ fit per decubitum: ergo aliæ deberent ſuperaddi ab illo per quas fiat tumor ortus per paulatinam congeſtionem.

Secundò: non ſolùm fit obiectum facultatis expellentis, humor qualitate, aut quantitate peccans; ſed etiam, qui corruptelam ſuæ ſubſtantiæ patitur ex parte obiecti debet ſuperaddi.

Tertiò: pars princeps, aut nobilis ſemper eſt robuſtior, quam partes ignobiles, ſed plerumque ab ignobili ad nobiles partes fit retroceſſus: ergo non eſt conditio, vt humor recipiatur in parte, illius debilitas.

§. II.

Galeni amplectitur doctrina.

REſoluendum: Quòd Galenus aptiſſimè procedit in tradendis cauſis intemperiei cum affluxu materiæ: ſic confirmat illius auctoritas qui illam tradidit loco citato. *lib. de natur. facult. c. 13 lib. 13. methodi, c. 5. lib. de curandi rat. per ſanguinis miſſ. c. 8. lib. 6. de ſanitate tuenda cap. 11.* amplectitur Santa-Crux, *in lib. de cauſ. morb c. 6. q. 1.* & Roſellus *ibidem q. 21.*

Ratio huius eſt; quia vt patet ex contextu §. *omnes quidem huiuſcemodi morbi fiunt*: cum agat de cauſis intemperiei cum affluxu materiæ, & hæc ex materia cum affluxu deſcendente ſemper fiat; adduxit à quibus

bus humoribus poſſit fieri defluxus, & qui tumores ſuperueniant ex humorum defluxu; & conſequenter horum cauſas inquirens: ergo conſequenter agit, ſi intemperierum, quæ fiunt ex tumoribus per defluxum factis, adducat cauſas.

Dices: quòd tradidit conſequenter doctrinam, ſed non adæquatam; cùm deberet etiam tradere cauſas intemperiei, quæ fit per paulatinam congeſtionem: quod petit primum argumentum.

§. III.

Nuper adductæ rationi, & argumentis adhibetur ſolutio.

AD 1. Et pro replica contra probationem reſolutionis reſpondet Santa-Cruz, quòd Galenus alibi egit de cauſis tumoris facti per congeſtionem: ſed etiam egerat aliis in locis, vt patet *ex reſolut.* 5. 2. de cauſis decubitus humorum in partem. Reſpondet Roſellus, cui magis aſſentior, quòd intemperies orta ex affluxu, cuius cauſas intendit tradere, non poteſt ex ſola paulatina congeſtione relucere morboſa, quin ſimul fit decubitus humoris in partem; & quia hic eſt, qui præcipuè efficit ſenſibilem intemperiem, ideò huius tradit cauſas.

Ad 2. reſpondetur: Quòd non poteſt corrumpi ſubſtantia, quin qualitate ſaltem peccet: & quia hoc eſt obiectum ſenſibile, hoc irritat pro ſui expulſione.

Ad 3. reſpondetur ex Gal. *lib. de cauſ. morb. c. 6.* Pars tripliciter fit debilis: vel ob vitium ex principiis generationis contractum; vel ob virium contractum tractu temporis à morbo; vel quia naturaliter pars debilis fit à natura. Propter vltimam cauſam partes nobiles poſſunt eſſe robuſtiores, quàm ignobiles; ſed propter alias cauſas poſſunt debiliores eſſe, vel quòd ob pororum obſtructionem, aut obturationem contingit quòd humor non poſſit in debiliori parte recipi, & ideò retrocedit; reciperetur tamen naturaliter abſente impedimento.

RESOLVTIO VI.

Verùm calor ſit cauſa intemperiei cum affluxu?

§. I.

Aperitur ratio dubitandi.

GAlenus calorem coadiuuare in parte ad humoris attractionem in illam, ratione cuius fit intemperies cum affluxu materiæ, tradidit *loco citato*: ſed non minùs diſplicet Argenterio, qui hanc doctrinam etiam contrariam eſſe veritati iudicat,

Primò: quia quod attrahit, attrahit propter ipſum potiri, ex Galeno; non autem propter ipſum attrahere: ſed calor non potitur humoribus: ergo illos non attrahit.

Secundò: Calori id eſt proprium, & intrinſecum, quòd congreget homogenea, & diſgreget heterogenea: ſed propter hæc non poteſt fieri humorum attractio: ergo calor non eſt cauſa tractionis humorum.

Tertiò: ſi calor haberet vim trahendi, non ſolùm in corpore traheret corpora liquida, ſed extra illud etiam corpora dura, & ſicca: ſed extra corpus dura, & ſicca corpora non attrahit: ergo nec intra corpus attrahit liquidos humores.

Reſpondet Valleſius *lib. 7. controuerſ. cap. 3.* calorem per ſe attrahere; quatenus ipſi calori non ſolùm eſt indita ratio calefaciendi; ſed etiam trahendi ad ſe.

Contrà: Tum quòd calor eſſentialiter habet quòd congreget homogenea, & diſgreget heterogenea, in quarum nulla actione reperitur attractio ad ſe: tum quia vt moueat à centro ad circumferentiam, aut ſurſum moueat, & vt quemcumque alium efficiat motum localem, producit loco-motiuam facultatem, leuitatem, raritatémve: ergo ſimiliter vt ad ſe attrahat ſuperaddenda eſt virtus localiter motiua: tum quia in magnete, & in viuente præter calorem pro tractione admittitur attrahens qualitas diuerſa ab illo: ergo in viuente vt attrahat humores: tum catharticа medicamenta licèt calore indigeant, vt ſopita illarum virtus trahendi ſuſcitetur, calor non ſufficit pro tractione, ſed ſuperaddita virtus attrahens ab illo admittitur: ergo idem de quacumque alia attractione ope caloris facta tenendum.

Reſpondet Fabius Pacius *lib. 4. method. c. 4.* quòd parti in qua in viuente eſt calor, ineſt virtus trahendi humidam ſubſtantiam in vicinis partibus confluentem, & hanc non tam dicendum ipſam moueri, & confluere ad partem, quàm trahi à partis facultate, quam à calore aliam non aſſignat.

Contra ſtant rationes, quæ in Valleſium opponuntur: tum verò quòd nullam aſſignat facultatem attrahentem, ſed ſolùm ratione caloris fieri tractionem contendit; non tamen qua vi trahentis facultatis munus exerceat calor, determinauit.

Reſpondent alij cum Aſclepiade, quòd calor eſt cauſa non actiua tractionis, ſed tantùm diſpoſitiua; quatenus pars per calorem redditur aptior ad humoris receptionem, rareſit, laxat partes, aptioréſque reddit ad motum humores.

Sed licèt, vt admittit Carreitus *in fen. 1. 1. diſp. 39. cap. 2.* huiuſmodi conditiones aptiores reddant humores ad motum, viaſque patentiores; tamen non ſufficit mobilis aptitudo, nec medij per quod debet moueri, ſi non aſſignetur facultas localiter mouens ipſos humores.

Reſpondent alij, quòd cum à calore attarentur partes, humores mouentur ad illas ne detur vacuum: ſic Roſelius *lib. de cauſ. morb. cap. 6. quæſt. 22.* ex Auicenna *fen. 1. 1. d. 6. cap. 3.* Zacutus *tom. 1. lib. 4.* Contra ſtat: Tum quia ratione vacui non poteſt fieri attractio in principio, nec in augmento, quia humor affluit ad ipſas poroſitates replendas, nec reſoluitur pars aliqua ſenſibilis illius, nec in augmento, in quo licèt attenuetur humor; partem non deſerit, immò potiùs replet, vt extenſione percipitur, nec in declinatione, quia licèt pars humoris reſoluatur, partes in naturalem poſitionem, & proprium tenorem feruntur: tum quia ſolùm traherentur humores neceſſarij pro replendo vacuo, non autem alij ſuperabundantes vltra naturalem partium tenorem, & magnitudinem: tum quia quæ mouentur ad replendum vacuum, ab alio mouentur; non autem ipſa à ſeipſis, aliàs eſſent violentia: tum quia ad replendum vacuum, corpus tenuius trahitur, & ideò potiùs aër per poroſitates reciperetur, quàm humores intra corpus manentes, qui craſſioris ſunt ſubſtantiæ, & tardioris motus: tum quia vana eſt opinio eorum, qui iudicant aquam per fiſtulam aſcendere ad vitandum vacuum, carnem in cucurbitulis, & alia huiuſmodi: mouentur enim hæc omnia impulſa à vicino corpore imprimente impulſum, vt ad ſe trahat vicinum corpus, cum quo ſeruet contiguitatem; quia, vt docet Ariſt. *lib. meteor. oportet mundum hunc contiguum eſſe lationibus ſuperioribus*: ergo non admittenda humorum tractio ratione motus.

§. II.

§. II.

Præfertur pars affirmatiua.

RESoluendum: Quòd calor cauſa eſt tractionis humorum in partes. Sic ſanciuit Galenus *lib. de cauſ. morb. cap. 6.* & experientia conuicti fatentur reliqui.

Probatur: Tum ex Hippocrate *lib. de indicationibus, ſent. 3. §. neceſſe eſt febri contingere indicationem, vbi calor febris diſceſſit, & humores in ſeipſum traxit.* Tum ex Gal. *lib. 5. ſimpl. medicam. facult. cap. 17. §. attrahentium medicamentorum eſſentiam calidam eſſe, repercutientium frigidam; quoniam calidum perpetuò trahit, repellit verò frigidum; atque inter ea, quæ eſſentiis ſimilia ſunt, quod calidius eſt, id potentius trahet, vt pote quod ſimilitudini auxiliorum adiunxerit calorem.* Tum 2. *de diff. febr. cap. 11. §. nam ſi cui iniunxeris thapſiam, hunc haud ita multo poſt partem illam calidiorem, atque in ampliorem tumorem elatam conſpicies: ſic etſi membrum aliquod iuxta ignem calefeceris, aut vehementiorem frictionem adhibueris, vel reſina perungens, vel pice mediocriter calida, deinde vniuerſum paulo poſt auferas, ſiue quodcumque calidum medicamentum parti cuique applicaueris, in hiſce omnibus membrum in tumorem videbis attolli; quoniam caliditas natura apta eſt fluxiones attrahere, aut eaſdem recipere.* Tum 7. *aphoriſm. comm. 1. §. cum inflammationis calor vehemens fuerit ad ſe trahere per modum cucurbitulæ ex toto corpore ſanguinem.* Tum ex Auicenna *fen. 1. lib. 1. d. 7. ſumma 1. cap. 2.* qui inter cauſas tractionis calorem ponit. Tum ex Ariſt. 22. *ſect. problem q. 13. §. An quia pallida calida, & attrahens eſt, ſuo igitur calore concoquit, & per vim illam trahendi ſaniem omnem ſeuocat.* Tum patet ex communi conſenſu Medicorum qui experientia conuicti à calore fieri tractionem contendunt, contra Argenterium, licèt diſcordes ſint in explicando modo, quo fit tractio à calore.

§. III.

Sancitur cauſa trahendi in calore, & Argenterij ſatisfit obiectionibus.

PRo ſolutione ſtatuendum: Quòd dupliciter poteſt admitti, quòd calor ſit cauſa trahendi. Primo modo diſpoſitiuè, quia ipſæ primæ qualitates diſpoſitiones ſunt organi in quo inhærent facultates; & non æquè omnes qualitates primæ diſponunt pro actione cuiuſlibet facultatis, ſed aliæ magis pro aliis; ſic pro retentione aptius diſponit ſiccitas; pro expulſione, humiditas; pro attractione verò, calor; qui ſi intra limites naturales ſit, diſponit ad attrahendum naturali modo; ſi verò ſit excedens, & morboſus, morboſè diſponit; & licèt facultas attrahens partis cum naturali diſpoſitione ipſius caloris operetur ſecundùm rotam, quod poteſt naturaliter, cum calore morboſo excedente attrahit morboſè & illius actio redditur deprauata: & in hoc ſenſu dixit Galenus, quòd calor attrahit; & ob hanc rationem requiritur in ſuccino vt attrahat paleas, quòd calefiat fricatione; & in medicamentis catharticis, quòd calore noſtro alterentur, & per illum actuentur, id eſt, diſponantur vt poſſint operari, & reduci ad actum ſecundum.

Secundo modo non improbabiliter poſſet dici, quòd, vt docet Galenus *lib. 1. de elementis, cap. 5.* ſanè naturalis quædam vis rei vnicuique ineſt attrahendi quæ ſibi conueniunt: Igni verò conuenit ad ſe trahere pabulum, ſine quo conſeruari nec perdurare valet:

A licèt enim nec ſit viuens, nec nutriatur propriè, per ſui ſimilis generationem, largo modo videtur nutriri: & ideo ſicut indita eſt facultas attrahens cuicumque enti vt attrahat quod ſibi conuenit, ſimiliter & igni: hanc producit medio calore, ſicut raritatem, & leuitatem, quæ ſunt qualitates loco-motiuæ ſibi neceſſariæ pro conſeruatione, & eò perfectius, quò caliditas magis in intenſione accedit ad hoc vt ſit ignis diſpoſitiu, & ratione huius qualitatis attrahentis à calore productæ coadiuuatur actio attractrix partium, pro humorum attractione in illas.

Ex his patet ad Argenterij fundamenta. Ad 1. reſpondetur: Quòd attractio naturalis eſt propter nutriri, non verò morboſa, qualis eſt, quæ fit inſtrumen-

B taliter à calore præternaturali.

Ad 2. reſpondetur: Quòd calor vt inſtrumentum mediis facultatibus naturalibus eleuatum, plura operatur vltra id quod poſſet, vt calor eſt; concoquit enim, nutrit, auget, & alia exercet, quæ excedunt vires caloris.

Ad 3. reſpondetur: Quòd calor extra corpus viuentis attrahit corpora liquida, vt à lucernis videmus oleum & oleaginoſas ſubſtantias ferri ad ſe; non tamen omne corpus durum attrahit, quia aut inualida pro illis, aut illa ſunt extra ſuum obiectum, ideóque, & ſimiliter nec à magnete, nec à catharticis trahuntur.

C

RESOLVTIO VII.

Vtrùm dolor ſit cauſa tractionis humorum in partes?

§. I.

Argenterij opinio & fundamenta proponuntur.

ARgenterius ſemper in Galenum contumelioſus, vt dolorem, quem Galenus inter cauſas

D morborum in intemperie cum affluxu materiæ coadiuuantes admittit, ab earum numero repellat, hæc adducit fundamenta.

Primò; dolor eſt de genere eorum, quæ irritant corporis facultates: ſed quæ irritant, ſunt obiectum facultatis expultricis, non verò facultatis attrahentis: ergo dolor inter cauſas attrahentes humores ad partes non debet annumerari.

Secundò: quod attrahit, vt retineat attrahit: ſed quod retinetur, nutritionis causâ retinetur: ergo cùm humores fluxione attracti ab partes non ſint vtiles pro nutritione, ſimiliter nec poſſunt attrahi à dolore.

Tertiò: poteſt in Argenterij fauorem adduci Galenus *lib. 3. methodi medendi cap. 3. §. inſtigat membra*

E *quæ circumiacent, ad immittendum; ipſe nequaquam trahens:* ergo nulla eſt dolori vis trahendi.

Quartò fulcitur opinio: quia ſi eſſet dolori vis trahendi, non poſſet dari vehemens dolor non trahens humores in partem doloroſam: ſed in vehementiſſimis doloribus Gallicis, & aliis quamplurimis, nulla fit attractio: ergo nulla ineſt dolori vis trahendi humores.

Quintò, ſuperaddo rationem dubitandi: dolor rauiùm includit, quòd ſit triſtis ſenſatio orta ex ſolutione continuitatis inducta ab obiecto ſubitò, & affatim corrumpente naturam: ſed nec triſtis ſenſatio, nec ſolutio continuitatis, nec obiectum ſoluens continuum valent attrahere humores in partem: ergo nulla ex parte dolor eſt cauſa tractionis.

Reſpon

Reſpondent aliqui, quòd facultas expultrix ratione doloris irritatur ad expellendum: & quòd ex Galeni doctrina 5. *aphor. comm.* 3. omnes facultates petunt ſpiritus, vt eliciant ſuas operationes, & cùm pro operatione expellentis ſint trahendi, ſimul cum illis trahitur ſanguis, qui ſua quantitate impedit, quominus poſſit expelli, & ideò fiunt tumores ab illo attracto in partem.

Contrà ſtat; tum quòd propter hanc rationem in omni dolore deberet fieri attractio: ſed plures ſunt vehementiſſimi dolores, vt in Gallicis, & aliis apparet, in quibus nulla eſt attractio: ergo non ſatisfacit ratio adducta.

Reſpondent alij, quòd iuxta Galeni doctrinam natura eſt docta ſine doctore; & ideò dum adeſt dolor mittit ſanguinem, & ſpiritus in partes, vt ſubueniat illis: quod ipſe Galenus videtur ſancire 5. *aphor* 53. §. *hæc enim eſt quadam ratio communis in iis, quæ natura violenter excernit, vt ſanguis, & ſpiritus impetu eo feruntur, quibus duobus velut instrumentis natura vtens, ea, quæ infeſtant, per vim expellit; & cùm in hunc finem in maiori copia trahantur, quàm ſit ex vſu, fiunt tumores in partibus dolore affectis.*

Contrà ſtat; Tum quòd eſſet par ratio vt in omni dolore contingeret attractio, &, vt nuper dicebamus, id non ſemper contingit: tum quia natura docta non mitteret, niſi quod parti eſſet ex vſu: tum quòd non deberet impediri à principio actio illa naturæ, vt communiter impeditur repercuſſione, reuulſione, & deriuatione humoris fluentis: tum quia natura non agit ſine facultate; & hæc debuit ab his opinantibus determinari, nam in hoc eſt difficultas: tum quia natura operatur mouendo ſanguinem, & ſpiritus vel præcedente cognitione, & tunc mitteret quantitatem, quam neceſſariam cognouit, & ceſſaret quando vellet: vel pro vſu mouens, & moueret in omni dolore, cum poneretur finis agendi; vel naturaliter, & tunc ſemper, & in omni dolore mitteret, & ſine dolore, cùm potentia naturalis operetur ſecundùm vltimum potentiæ: tum quia Galenus *loco adducto* intendit, quòd natura media facultate pulſifica mittat ſanguinem, & ſpiritus, prout requiritur in partibus pro earum operati; & vt expellant quod noxium; non autem vt attrahant quod inutile, & noxium: ergo inſufficiens eſt ratio.

Reſpondet Mercatus, quòd ſit defluxio humoris ad partem, quia partes propter ſympathiam, quam inter ſe habent, ſimul condolent, vna dolente, & ideò dolorem præſentientes omnes in partem affectam mittunt ſanguinem, & ſpiritus.

Contrà ſtat; Tum quòd in omni dolore deberet eſſe condolentia, & attractio: tum quòd non poſſunt condolere partes, quin ſit omnibus obiectum doloroſum corrumpens illarum naturam, quod non eſt admittendum, ex eo quòd vni determinatæ applicetur: tum quia ſunt aliqui dolores proprij aliquibus partibus, quibus aliæ condolere non poſſunt: tum quia ſi omnes condolerent, aut ſimul dolerent, in omnes fluerent ſanguis, & ſpiritus; tum quia non ſufficeret quòd condolerent, ſi non aſſignatur facultas, quia poſſent in partem primò dolentem mittere ſpiritus, & ſanguinem: ergo inſufficiens eſt ratio.

Reſpondet Vega 2. *artis medicinal.* quòd in dolore fit attractio humoris in partem à facultate animali pellente humores mediis muſculis, quia facultas irritata à dolore, ſpiritus, & ſanguinem mittit, vt ei auxilietur.

Contra ſtat; Tum quòd in omni dolore mitteret ad auxiliandum ſanguinem, & ſpiritus, cuius contrarium experimur: tum quòd peteret operari præcedente cognitione, & poſſet ſiſti ab operatione, quod non contingit; alias tantùm mitteret, quod parti eſſet ex vſu: tum quia plerumque fluit humor a parte, in qua non ſunt inſtrumenta pro operationibus motiuæ facultatis ſenſitiuæ, vt in aliquibus carnoſis partibus eſt videre: ergo motus ſanguinis ad partem in dolore non poteſt tribui facultati loco motiuæ gradus ſenſitiui.

Reſpondet Valleſius *lib.* 7. *controuerſ.* & Iouertus *decad.* 2. *paradox.* 8. Roſellus *in lib. de cauſ. morb. cap.* 6. *q.* 23. quòd poſito dolore in parte, ſanguis, & ſpiritus mouentur ad illam, quia partes vicinæ propter irritationem comprimuntur, & media expultrice facultate commouent ſanguinem, & ſpiritus, quos in ſe habebant, ad partem doloroſam media naturali expultrice vi: quod videtur palam doceri à Galeno *lib.* 13. *methodi c.* 5. §. *Docuimus in eo opere. &c.*

Contra ſtat; Tum quòd in omni dolore eſſet attractio propter rationem adductam, cuius contrarium experimur: tum quòd fibræ, mediis quibus partium fit compreſſio, operantur pro vſu, media loco-motiua facultate gradus ſenſitiui; quæ ſicut pulſifica, ſunt gradus ſenſitiui, licèt ſine præcedente cognitione operentur, vt latiùs alibi demonſtrauimus: tum quia ſi eſſet actio facultatis naturalis, cùm operetur ſecundùm vltimum potentiæ, ſemper mitteret in partem: tum quia obiectum expultricis eſt, quod moleſtat; & ideò dolor eſſet obiectum expellendum ab illa, qui moleſtat; non autem humores partium vicinarum qui ſunt neceſſarij ad partium nutritionem, & ideò retenti, & attracti naturaliter: tum quia fluit humor in partem dolentem à diſtantioribus etiam partibus, non autem à ſolis vicinis: tum quia Galenus intendit docere, quòd pars doloroſa, & vicinæ in quas fluit humor, intendunt pellere humores, à quibus irritantur, & deponunt illos in doloroſam partem, non tamen intendit aſſignare cauſam: quia primò humores mouentur in illas partes: ergo non prouenit humorum fluxus ab expultrice vegetatiui gradus.

Reſpondet Carteirus *in fen.* 1. 1. *diſp.* 39. *c.* 11. Quòd humores feruntur ad partem patientem dolorem à facultate attrahente eiuſdem partis, quæ attrahit ratione doloris illos humores, ſicut attrahebat antea ratione defectus alimenti in illa.

Contrà ſtat communis illius obiectio; quòd data facultate in parte, & ratione trahendi, quæ eſt dolor, in omni dolore fieret attractio, ipſe tamen fatetur eſſe plures dolores vehementiſſimos, in quibus nulla fit attractio in partem aliquorum humorum: tum quia conditio trahendi, quæ eſt doloris perceptio, non poteſt fieri à facultate naturali attractrice, nec ipſa mouetur ex eo quod præcedat talis ſenſatio: tum quia nec ſufficit, vt ipſe intendit, quòd aliquando facultas loco-motiua ſenſitiua coadiuuat ad actionem vegetatiuæ, quia cùm nihil ponatur per dolorem vt vegetatiua operetur, ſoli ſenſitiuæ, & nullomodo vegetatiuæ tribuenda eſt attractio: tum quia dolor, cùm ſit quid moleſtum, potiùs ad expultricem excitandam iuuat, quàm ad attractricem, quæ obiectum attrahit ſub ratione diſconuenientis: tum quia non ſatisfacit Carteirus dicens, quòd dolor & conducit ad expulſionem, & eſt conditio ad attractionem, quia eo ipſo quod eſt quid moleſtum, eſt ratio formalis conſtitutiua obiecti facultatis expellentis, & conſequenter nec poteſt eſſe ratio formalis attrahentis, nec conditio, nec adhuc ſi ſit conditio, ſufficeret, quia non aſſignatur, à quo ponatur ratio formalis obiecti attractricis facultatis in humoribus qui

ceſſante

ceſſante dolore non habent hanc formalem rationem, & ideò non attrahuntur. Tū quia ex Gal. *lib. 2. de facult.* attractio triplex eſt, aut propter poritè ab attractrice, aut à calore, aut ratione impulſus communicati à corpore vicino, vt euitetur vacuum; ſed nullum eſt poritè in humore attracto in dolore, cùm potiùs per illum pars corrumpatur: ergo non poteſt fieri à facultate attractrice partis tantum.

§. II.

Statuitur pars affirmatiua.

Reſoluendum: Quòd dolor poteſt eſſe cauſa attractionis humorum, & ſpirituum in partem doloroſam: ſic deducitur ex Galeno *lib. 2. aphoriſm. 66. lib. 5. aphor. 23. lib. de ſang. miſſ. cap. 8. lib. 2. de diff. fib. cap. vlt. lib. artis medecin. cap. 95. lib. 5. methodi cap 4. lib. 1. de ſimpl. medicam. facult. cap. 24* lib. 1. *de comp. medicam. cap. 4.* tenent Auicenna *fen. 1. lib. 3. tract. 2. cap. 7.* & ibi illius Commentatores, Auerroës *lib. 7. collig. cap. 29.* Roſellus *in lib. de cauſ. morb c. 6. q. 24.* Syluaticus *in controu. medicis c. 22.* Carreirus *fen. 1. 1 d. 6. diſp. 39. c. 11.* Zacutus *tom. 1. lib. 4. q. 16.* Vega *lib. 2. artis medicinal. c. 3. comm. 53.* Valles *lib. 7. controuerſ. c. 3.* Ioubertus *decad. 2. paradox. 8.* Mercatus, & alij: confirmauitque hanc veritatem tam aſſidua experientia, vt in ore Medicorum ſit commune axioma; quòd dolor attrahit, licèr paucis ſit cognita tractionis ratio.

§. III.

Soluuntur argumenta.

Ad 1. reſpondetur: Quòd dolor non eſt cauſa attractionis humorum in partem doloroſam, tan-
A quam ratio formaliter conſtitutiua obiecti attrahendi; ſed modo dicendo in reſponſione ad vltimum.

Ad 2. reſpondetur: Quòd id, quòd attrahitur, ex Galeno *lib. 2. de facult. natural.* vel attrahitur à calore; vel attrahitur ratione corporis contigui impellentis impulſum, ne detur vacuum; vel attrahitur à facultate attractrice, & de eo quod hoc vltimo modo attrahitur Galenus loquitur, non de eo, quod aliis duobus modis attrahitur.

Ad 3. reſpondetur: quòd Galenus intendit docere, quòd dolor non eſt cauſa per ſe mouens humores, ſed occaſio, vt ponatur cauſa attrahens illos, ratione cuius
B trahuntur in partem doloroſam; & ſimiliter occaſio, vt partes vicinæ tuendant expulſione eius humoris, qui redundat in illis; quia non potuit omni ex parte colligi in parte doloroſa.

Ad 4. reſpondetur: Quòd ſi dolor formaliter vt talis eſſet cauſa attractionis, non poſſet dari intenſus dolor, qui non attraheret: at verò quia contingit quòd ſit cauſa intemperiei calidæ dolor, à qua fit humorum attractio in partem, vt diximus, ideò benè poteſt dari caſus ortus à cauſa frigida, aut occulta qualitate, & quòd non attrahat.

Ad vltimum reſpondetur: Quòd dolor non eſt cauſa per ſe attractionis humorum, aut ſpirituum in partem doloroſam; ſed occaſionaliter, quatenus con-
C iungitur calori, à quo fit attractio, modo dicto *reſolutione antecedente*: & ideò dolor intenſiſſimus poteſt non attrahere, ſi ſit ab aliis cauſis, vt à qualitate occulta, vt in febre maligna, & morbo Gallico: aut frigidis affectibus, in quibus ſi aliquando accidat dolor, eſt quia calidus alter humor eſt ſimul frigidis commixtus, & à parte calido humore alterata fit attractio: in contuſionibus verò, & in vulneribus ſanguis extrauaſatur; & ille, ac ſpiritus communicant calorem, à quo noua fit fluxio in partem.

DISPVTATIO V.

De Symptomate, & eius differentiis.

Symptomatis acceptio multiplex eſt apud Galenum: Primò, pro omni eo, quod corpori accidit, illud ſumit *lib. artis parua c. 8.* Secundò, pro eo quod præter naturam corpori accidit, ſic idem accipit *lib. de different. ſympt. c. 1.* Tertiò accipit pro eo, quod eſt præter naturam, quod nec cauſa, nec morbus ſit, *lib. de diff. ſympt c. 2.* in qua acceptione ſuſcipimus eius diſputationem: de qua Gal. *lib. diffinit. medicarum. lib. de ſympt. diff. lib. 1. methodi,* Auicenna *fen. 2. 1.* Valleriola *lib. 3. c. 4.* Valles *lib. 4. controuerſ. c. 4.* Godofredus lib. 7. Santa Cruz *lib. 3 de morbo, & ſympt.* Martinez lib. 2. *tr. 1. ſect. 2. ſect. 3.* Roſellus *in lib. Galeni de diff. ſympt.* Plempius *lib. 4. de fundam. medicinæ, ſect. 3.* Heurnius *lib. 8 inſt.* Duncanus *lib. 2 patholog. c. 4.* Varandæus *patholog. vniuerſ. c. 4.* Angelucius *lib. 1. de arte medica c. 11.*

SECTIO PRIMA.

De Symptomate.

Sicut de morbo, & eius differentiis egimus iuxta Galeni doctrinam, diſputabimus & de ſymptoma-
D te, & eius proſequemur poſtea differentias in ſubſequenti ſectione.

Resolvtio I.

Vtrùm detur morbi ſymptoma?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

E Pars negatiua probari poteſt: Quia ſi daretur in corpore ſymptoma, vel eſſet quid adintegrans naturalem conſtitutionem, vel quid illam corrumpens, & præternaturaliter afficiens, cùm omne corpori ſuperueniens debeat eſſe naturale, vel præter naturam: ſed color vitiatus, ſubſtantia præternaturaliter adaucta, retenta, & excreta, & alia communiter dicta ſymptomata, nec naturaliter; nec præternaturaliter corpus afficiunt, cùm neque eius conſtitutionem adintegrent, nec inuertant: ergo non ſunt corpori ſymptomata.

§. II.

Pars affirmatiua præfertur.

REſoluendum affirmatiuè: ſic ſanciuit Gal. *lib. de diff. ſympt.* & nullus non Medicorum admittit.

Probatur: eo ipſo quòd detur morbus, datur affectus præter naturam lædens operationes: ſed omnis læſa operatio, & vitium ex ipſa cùm ſit affectus neceſſariò ſubſequutus ex morbo, eſt ſymptoma: ergo ſymptoma admittendum eſt.

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd ſymptoma eſt id, quod præternaturale accidit homini, vt ſubſequutum à morbo; & licèt non inuertat naturalem conſtitutionem, præternaturale eſt, quia eſt quid ſubſequutum ad id, quod illam inuertit.

Resolvtio II.

Quid ſit Symptoma?

§. I.

Argenterij opinio proponitur.

QVòd non ſequatur à morbo quodvis ſymptoma, contendit probare Argenter. *lib. de diff. ſympt.* his fultus rationibus.

C

Primò; Tuſſis, ſingultus, & ſternutamentum ſunt ſymptomata ex Gal. *lib. 2. de cauſ. ſympt.* ſed ex eiuſdem doctrina *lib. 7. aphor. comm.* 5 1. huiuſmodi ſymptomata fiunt à natura: ergo non ſequitur ad morbum omne ſymptoma.

Secundò: Euacuationes criticæ ſunt effectus à morbo ſubſequuti: ſed huiuſmodi euacuationes non ſunt ſymptomata: ergo non eſt de eſſentia ſymptomatis, ſubſequi ad morbum.

Tertiò: vnus morbus ſubſequitur ad alium, vt febris ad pleuritidem: ergo non eſt ſymptomati intrinſecum & eſſentiale, quòd ſit id, quod ad morbum ſequitur. D

Quartò morbus eſt diſpoſitio afficiens præternaturaliter ſubiectum & illius facultates, in ordine ad operandum: ergo actio læſa, & reliqua ſymptomata ſunt effectus facultatum, & non præternaturalis diſpoſitio, ſeu morbi.

§. II.

Symptomatis aperitur natura.

REſoluendum: Quòd ſymptoma eſt ſolius morbi effectus.

Probatur primò, ex Gal. *lib. de diff. ſymptomatis, c. 1.* §. *Morbus eſt affectus corporis actionem aliquam impediens primò: affectus verò, qui hunc præcedunt, non appellantur morbi; quod ſi alij quidam affectus ſuperueniant, ſequentes velut vmbra, ne hos quidem morbos vocabimus, ſed ſymptomata: itaque non quidquid in corpore præter naturam fuit, id protinus morbus nominari debet; ſed quod primò lædit: id verò, quod præcedit morbi cauſa, non morbus appellatur; ſi verò alius quiſpiam affectus in corpore morbum ſequatur, ipſe ſymptoma dumtaxat nominandus eſt.* E

Probatur 2. Ex eodem Galeno loco nuper adducto, *& ſeq.* inquit enim, quòd *ſymptoma ſequatur ad morbũ, ſicut vmbra corpus*: ſed vmbra eſt effectus, qui ita neceſſariò

A debet ſubſequi è corpore opaco, vt à nullo alio poſſit ſubſequi: ergo ſymptoma eſt effectus ſolius morbi.

§. III.

Soluuntur Argenterij rationes.

AD 1. reſpondetur: Quòd huiuſmodi actiones aliquando fiunt à natura leuiter irritata, & ſolent dici ſymptomata largo modo, prout omnia accidentia dicuntur ſymptomata à Gal. *lib. de differ. ſympt.* Alio modo ſunt ſymptomata à morbo prouenientia, dum morbi ſunt effectus.

Ad 2. reſpondetur: Quòd perfectæ euacuationes criticæ licèt fiant in morbo, non fiunt à morbo, ſed à B natura vincente, quod patet ex Gal. loco adducto, §. *quamuis enim aliqua toto genere præter naturam ſint, velut ſanguinis per nares profuſio, vel aliud huiuſmodi; tamen præter naturam adhuc non ſunt, ſi modo tempeſtiuè fiant.*

Ad 3. reſpondetur: Quòd morbus ab alio ſubſequutus reſpectu morbi à quo prouenit, eſt ſymptoma; reſpectu actionum, quas lædit, eſt morbus.

Ad 4. reſpondetur: Quòd facultates eliciunt efficienter operationes, morbus verò diſpoſitiuè concurrit ad illas malè afficiendo facultates ad earum elicientiam.

Resolvtio III.

Verùm omne ſymptoma ſit ſolius morbi effectus?

§. I.

Pars affirmatiua proponitur.

ARgenterius *lib. de diff. ſympt. c. 4.* Galenum Galeno obiiciens pluribus conatur adſtruere à non morbo poſſe ſymptoma prouenire. Sennertus eiſdem conuictus, tria ſymptomatum genera admittit: alia prouenientia à cauſa, alia à morbo, alia ab aliis ſymptomatibus; adhærens in hoc Mercato *lib. 3. de morb. p. 1. art. 5.* eis fauet

D

Primò Galenus; cum *lib. de optima ſecta ad Traſibulum, c. 18.* vbi docet plura ſymptomata oriri à cauſis morborum: alia verò ratione partis affectæ, & alia ab ipſa natura, vt niger Æthiopis color: tum *lib. de cauſ. ſympt.* dicit ſymptomata oriri ab intemperie, à vitio inſtrumentorum, & à materiæ quantitate: tum *lib. 1. method.* ait, ſymptoma eſſe alterationem, quæ accidit ſecundum, vel præter naturam: ergo ſymptoma adhuc ex ſententia Galeni non eſt ſolius morbi effectus.

Secundò: Cruditas quæ in ventriculo generatur ſine morbo ob materiæ quantitatem, eſt ſymptoma: ſed non ſequitur ab aliquo morbo: ergo non eſt ſolius morbi effectus, ſymptoma.

E Tertiò: plura fiunt ſymptomata, morbo abſente, vt pandiculatio, oſcitatio, rigores, qui ſine febre oriuntur, fœtidus ex putredine odor, & amantium animi pathemata: ergo ſymptoma non eſt ſolius morbi effectus.

§. II.

Galeni præfertur opinio.

REſoluendum affirmatiuè: ſic ſanciuit Galenus *lib. de diff. ſymptom. cap. 1. 5. 6. 7.* quem ſequuntur Varandæus *pathol. p. 4. cap. 1.* Roſellus *lib. de diff. ſympt.*

Martinez *lib.2. tract. 1. ſect. 2.* Santa-Cruz *lib. de diff. ſympt.c.1.* Fontanus *l.5.pathol.* Angelucius *l. 2. de arte Medica.* Duncanus *lib.2.pathologiæ c.4.* Valleriola *l. 3.de locis comm.c.4.* & alij.

Probatur 1. ex Galeno *locis nuper adductis*, in quibus ſymptoma neceſſariò debere ſubſequi à ſolo morbo determinat : *lib.*enim *de diff ſymptom. cap.4.* ait. *Iam quod eorum, quæ præter naturam excernuntur & colores, & odores morbos neceſſariò ſequantur, nihil opus eſt oſtendamus*, & *lib.1.methodi c.9.* ait, *ſed ſunt ſymptomata, quæ diuerſas corporis alterationes neceſſariò ſequuntur*. Et ſuper addit : *Quæ verò conſtitutionem, vnde actio naſcitur, neceſſariò ſequuntur; ſanis quidem nobis, accidentia; ægrotantibus, ſymptomata nuncupantur.* Et lib. *de diff.ſymptom.*ait : *Quod verò morbos veluti vmbra corpus ſequuntur, non morbi, ſed ſymptomata vocantur* : ergo omne ſymptoma ſequitur à morbo.

Probatur 2. ſymptoma vel eſt actio læſa, vel terminus vt ab illa productus : ſed omnis actio vt læſa prouenit neceſſariò à ſolo morbo, & omnis terminus ab illa vt læſa productus, cùm ſit morbo eſſentiale quòd huiuſmodi læſio proueniat ab illo : ergo a ſolo morbo ſequitur.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD 1. reſpondetur : Quòd Galeous aliquando ſumit ſymptoma pro omni accidente ; & ideò dicit quòd color niger, eſt ſymptoma Indis ; de veris ſymptomatibus ait prouenire aliquando à cauſis, aliquando à parte affecta, aliqoando ab aliis principiis, non quoad ſuas entitates, ſed qooad aliquas denominationes, vel differeotias accidentales.

Ad 2. reſpondetur : Quòd cruditas poteſt prouenire in coctionibus ; vel ratione morbi lædentis actionem concoquendi,& tunc eſt ſymptoma ; vel propter impotentiam facultatis, & tunc non dicitur ſymptoma ; niſi impropriè:quia, vt dicit Galeous *l.1.de locis, c.4. ſymptomatica enim dicuntur illa, quibus accedit vitium aliquod à morbo proueniens : quibus ab impotentia, vel defectu facultatis, non itidem.*

Ad 3. reſpoodetur : Quòd illæ actiones largo modo dicuntur ſymptomata,qoia fiunt à facultate irritante ; & quatenus datur morbus phyſicè, poſſunt ſimiliter dici ſymptomata ; non tamen in rigore medico, quia hæc à morbo ſenſibiliter lædeote debent oriri.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm quodlibet ſymptoma petat immediatè ſubſequi à morbo ?

§. I.

Pars affirmatiua Galeni fulcitur auctoritate.

VIdetur quòd non ; quia Galeoos *lib. de diff. ſymptom. c.4.* ioqoit : Fortaſsè igitur præſtiterit omnia,quæ circa outritoriam actionem ſymptomata incidunt percurrere, & quæ ventris corpori,& quæ cæteris partibus omnibus ioſunt commooia;quippe clarior ita legeotibus diſputatio fiet, illuſtriúſque patebit quod paulò ſuprà dictum : *Symptoma ſymptomatis cauſam eſſe* : ergo non à ſolo morbo ſymptoma immediatè prouenit.

Secundò : ab vna actione læſa concoqoendi in ventriculo, ſequitur alia actio læſa ſimiliter concoA quendi eandem materiam in iecore : ergo ſecuodum ſymptoma noo prouenit immediatè à morbo.

§. II.

Pars tenenda ſancitur.

REſoluendum : Quòd omne ſymptoma petit fieri à morbo immediate immediatiuue cauſæ, non immediatiooe alterius ſymptomatis.

Probatur ex Galeno *lib de diff.ſymptom.c.5. §. Igitur ex his, quæ iam dicta ſunt haud obſcure colligitur, totum hoc ſymptomatum genus à morbis naſci* : & paulò inſrà. *Præterea quidquid reliquorum ſymptomatum eſt, ſiue voces, ſiue ſtrepitus in animante ſint ; atque ea, quæ à corpore ex-*
B *cernuntur, & quæ detinentur in ipſo : omnia perinde quaſi ſoboles à morbis originem trahunt, idque vel planè à morbis, vel interuenientibus quibuſdam ſymptomatibus:* & cap.6. ait : *Patet enim, & quod propoſitum à nobis eſt, clarè eſſe demonſtratum, omnem ſymptomatum naturam morbos præcedere, fieríque nonnunquam ſymptomatum, quæ deinceps ſibi ſuccedunt, veluti ſeriem quandam: à morbo quidem ipſo primum, ab hoc verò ſecundum : rurſus poſt hoc, tertium ; ab iſto deinde quartum.*

Probatur 2. Symptomata in qoalitate mutata,& in Eaeunte mutato vera ſunt ſymptomata, ex Galeno *lib.de diff.ſympt.cap.3.* ſed noo ſeqouotur immediatè à morbo, ſed media actione læſa:ergo ſymptomata immediatiooe ſymptomatum à morbo poſſunt prouenire.
C Probatur 3. In leucophlegmatia color albus cutis non prouenit immediatè à frigiditate, cuius eſt ſymptoma; ſed media læſa actione ſanguificatioois:& fœdus vteri color non fit immediatè ab obſtructione,cuius eſt ſymptoma; ſed media læſa actione expellendi : ergo vnum ſymptoma fit medio alio.

§. III.

Soluuntur primò adducta fundamenta.

AD 1. reſpondetur : Quòd omne ſymptoma fit tanquam à cauſa à morbo ; ſed fit medio alio
D ſymptomate, vt diximus : & hoc ſymptoma, medio quo fit,ſolet dici cauſa impropriè ſumpta pro occaſione,vt ipſam ſumit Hippocrates *3.epidem tex.15.ſect.1. & 6. epidem ſect.3. text. 18.*

Ad 2. reſpondetor:Tom quòd vna coctio ſymptomatica poteſt eſſe ſymptoma, media qua alia ſimilis ſequatur ab eodem morbo. Tum:Quòd propter ineptitudinem acquiſitam io chylo in prima coctione quæ fuit ſymptoma,redditur materia ioepta vt fiat ſanguis ex illo ; & tunc io iecore noo datur actio læſa reſpectu ſanguificationis ex illo, ſed impotentia agendi circa ſobiectum ineptum; ſicut defectus coocoquendi lapides non eſt ſymptoma ventriculi, ſed impotentia ad paſſum ineptum.

E SECTIO II.

De ſymptomatum differentiis.

ARGENTERIVS ſuis argutiis, & nimia oppugnandi Galenum cupiditate, ita doctrinam de ſymptomatum differentiis difficilem reddidit,vt plores coëgerit ab ipſo recedere Magiſtro,quam ideò eurâ proſequemor maiori dilucidare.

A

Resolvtio I.

Quotuplex ſit ſymptoma.

§. I.

Iouberti, & Argenterij refertur opinio.

TRiplex ſymptomatum genus communi aſſenſu apud Galeni Sectatores receptum, contendit interturbare Argenterius & Ioubertus *in ſuis annotationibus ad libros Galeni de diſſ. ſympt.* his fulti fundamẽtis.

Primò : in diuiſione vniuoca, membra diuidentia æqualiter debent participare rationem diuiſi: ſed actio B læſa eſt ſymptoma, quod per ſe immediatè ſequitur ad morbum; quod eſt ſymptomatis vera ratio, reliqua non niſi media læſa actione ſequuntur ad morbum : ergo hæc diuiſio non eſt perfecta.

Secundò : Gal. *lib.* 1. *methodi medendi, cap.* 8. *&* 9. duas tantùm differentias ſymptomatum admittit, ſcilicet actionem læſam, & corporis affectum : ergo non debet triplex ſymptomatum differentia admitti.

Tertiò : actio læſa non eſt ſymptoma : ergo non debet poni inter membra diuidentia ſymptomatum. Probatur antecedens ex Galeno *lib.* 2. *methodi*, qui quatuor annumerat præter naturam in corpore ſuperuenientia : cauſam morbi ; morbum ; actionem læſam, & ſymptoma : ergo actio læſa aliud eſt à ſymptomate. C

Quartò : plura ſymptomata non poſſunt poni ſub aliquo ex tribus membris communiter annumeratis : ergo diminuta eſt. Probatur antecedens, cibus malè in ventriculo coctus, ſanguis in iecore vſtus, caro excreſcens in vlcere, ſitus in conuulſione acquiſitus, cordis palpitatio, qui cùm ſint morbi effectus, ſymptomata ſunt ; ſed ſub nullo continentur ex membris ſymptomatum communiter annumeratis : ergo.

§. II.

Galeni, & communiori aſſenſu Medicorum deciditur reſolutio.

D

REſoluendum : Quòd ſymptoma eſt triplex: aliud in actione læſa, aliud in qualitate mutata, aliud in exeunte mutato. Sic tenet Galenus *lib. de diff. ſympt. capite* 1. *& lib.* 12. *methodi cap.* 1. *lib.* 2. *methodi, cap.* 3. cui adhærent Roſellus *lib. de diff. ſympt. cap.* 1. Santa-Cruz *ibidem*, Martinez *lib.* 2. *ſect.* 3. *quæſt.* 2. Angelucius *lib.* 1. *de arte Medica cap.* 11. Duncanus *lib.* 2. *pathol. cap.* 4. Fontanus *de ſympt. diff. lib.* 5. *cap.* 1. Valles *lib.* 4. *controuerſ. cap.* 4. Varandæus *lib. pathol. p.* 4. *c.* 2. Mercatus *lib.* 3. *de morb. art.* 6. Valleriola *lib.* 3. *de locis communibus cap.* 4. Fernelius *lib.* 2. *pathol. cap.* 2.

E Probatur : Symptoma eſt affectus morbum ſubſequutus neceſſariò : ergo tot eius differentiæ, quot ſunt effectus ad morbum ſubſequuti inter ſe diuerſi : ſed à morbo, qui eſt præternaturalis diſpoſitio actionum læſiua ſequitur tanquam effectus ipſa actio læſa, & terminus illius ; qui ſi ſit accidens, dicitur qualitas mutata ; ſi ſit ſubſtantia, dicitur exiens mutatum : ergo triplex ſymptoma, actio læſa, qualitas mutata, & exiens mutatum reperitur.

§. III.

Soluuntur Argenterij obiectiones.

AD 1. reſpondetur : Quòd licèt ſymptomata, alia mediatè, alia immediatè oriantur à morbo, conueniunt vniuocè in eo, quòd ſint morbi effectus.

Ad 2. reſpondetur : Quòd ſub corporis affecto, amplectitur Galenus qualitatem mutatam, & exiens mutatum.

Ad 3. reſpondetur : Quòd Galenus inter res præter naturam nominatim ponit ſymptoma, quia eam relegare contendebant antiqui, & pluries ſub ſymptomate eam collocauit.

B Ad 4. reſpondetur : Quòd cibus malè coctus & ſanguis vſtus, ſunt ſub retentis ; caro excreſcens, ſub morbis in magnitudine ; ſitus in conuulſione, eſt actio deprauata loco-motiuæ potentiæ ; palpitatio eſt deprauatus motus potentiæ pulſificæ.

Resolvtio II.

Verùm adæquatè diuidatur actio læſa in Diminutam, Abolitam, & Deprauatam?

§. I.

C

Proponuntur Argenterij obiectiones.

ARgenterius *in comment. ad lib. de diff. ſymptom.* irruens in Galeni doctrinam, hanc intendit euertere.

Primò : quia ſopor, & peruigilium ſunt ſymptomata in actione læſa, ſed non in actione ablata, aut diminuta, cùm fiant & non fiant diminutè, nec in actione deprauata, cùm non deuient à termino debito naturaliter : ergo ſub alio genere ſymptomatis ab enumeratis diuerſo debent collocari.

Secundò : quodlibet membrum diuidens ſub actione læſa debet eſſe actio, ſed actio abolita non eſt actio: ergo non eſt actio læſa.

D Tertiò : actio diminuta non differt ſpecie ab actione naturali ſed tantùm ſecundùm magis, & minus ; quod non ſufficit, vt variet ſpeciem : ergo nec vt conſtituat diſtinctum membrum diuidens ſub actione læſa.

§ II.

Galeni præfertur Doctrina.

REſoluendum affirmatiuè : ſic docet Galenus *lib. de diff. ſymptom. c.* 3. quem ſequuntur Santa Cruz *lib. de diff. ſymptom. c.* 3. *q.* 1. Varandæus *pathologia vniuerſalis, part.* 4. *c.* 2. Angelucius *l.* 1. *de arte Medica cap.* 11. E Martinez *l.* 2. *ſect.* 3. *q.* 3. Duncanus *l.* 1. *pathol. c.* 4. Fontanus *de ſymptomatum diff. l.* 5. *c.* 2. Valles *l.* 4. *controuerſ.* Roſelius *lib. de diff. ſymptom. c.* 3. *q.* 11. Valleriola *l.* 3. *de locis communibus c* 4. Fernelius *l.* 2. *pathologia c.* 2. Mercatus *lib.* 3. *de morb. part.* 2. *claſſe* 1. *art.* 6. & alij.

Ratio fundamentalis eſt : Tot differentiæ ſymptomatum in actione læſa ſunt admittendæ, quot ſunt vitia impedientia quominus terminus naturaliter eliciatur ab aliqua actione : ſed facultas poteſt impediri à morbo tripliciter in elicentia ſuæ actionis, vel ex toto, vt nihil termini attingat ; vel non in tota perfectione debita ; vel ita vt ſit alius ſecundùm modum, aut ſubſtantiam, ergo triplex eſt actio læſa ; aut abolita, vt diminuta, aut deprauata.

§. III.

A

§. III.

Soluuntur Argenterij obiectiones.

AD 1. reſpondetur : Quòd apud Galenum Deprauatio eſt actio, quæ aberrat à naturali ſtatu; vel ſecundùm ſubſtantiam, vt contingit in productione nidoroſæ ſubſtantiæ; vel ſecundùm durationem, aut modum, vt contingit in ſomno profundo, aut in peruigilio.

Ad 2. reſpondetur : Quòd facultas ob morboſam diſpoſitionem impeditur à naturali actione tripliciter: aut abolitè, vt nihil eius eliciat; aut diminutè, aut deprauatè : & quia triplex huiuſmodi defectus in actione prouenit à morbo, & illius effectus ſunt ſymptomata; ideò actio abolita, ſymptoma dicitur: & licèt non ſit actio, vacatur actio læſa, quia non poteſt per alium terminum aptiùs explicari, quàm per Actionem; quam abolet, quæ in obliquo eſt de intrinſeca ratione huius effectus, cùm ſit abolitio Actionis.

Ad 3. reſpondetur : Quòd licèt actio diminuta in eſſe actionis non differat ſpecie ab actione naturali; tamen in eſſe actionis læſæ differt: quia, vt talis, includit de connotato vitium illud ſupetueniens à morbo, quod non includit naturalis actio.

Resolvtio III.

Quid ſit actio deprauata.

§. I.

Calumnia Argenterij; & Authorum diffinitiones proponuntur.

ARgeoterius, vt moris habet, obiicit Galeno, quòd non diffinierit actionem deprauatam: Modernorum pars maior inſudauit in tradenda diffinitione; Santa Cruz ait, quòd eſt *Actio qua tollit omne illud, quod natura intendit ponere* : ſed non aptè, cùm aliquando ponat quod naturaliter deberet ponere, & ſuperaddit aliud aliquid, apparet in vigilia, appetentia
D immodica, & dolore : Senuertius, Fontanus, & alij actionem deprauatam vocant illam, *qua terminum producit aliter quàm deberet fieri* : ſed diminutæ actioni hæc etiam diffinitio poteſt adaptari, aliàs eſſet actio ſecundùm naturam. Varandæus ait, quòd eſt actio deprauata, *Omnis actio vitiata præter vitium actionis abolita, aut diminuta* : ſed reſtat explicandum in eius diffinitione quod ſit vitium, propter quod dicitur deprauata. Santarellus dicit quòd eſt actio deprauata, *qua aliter fit, quàm deberet fieri pro ſalute animalis per hoc quod fit* : diſtinguit eam ab actione diminuta, ſed coincidit cum ſuperioribus, & diminutam comprehendit actionem, quæ fit aliter, quàm deberet pro ſalute animalis. Roſellus dicit eſſe, *actionem læſam propter aliquod*
E *addit amentum inhærens principio agendi, quod immutat eius actiones, terminum, vel modum agendi* : ſed ſimiliter actio diminuta eſt actio læſa propter aliquod additamentum inhæreos in principio agendi; ideò enim terminum producit diminutum.

§. II.

Noſtra proponitur diffinitio.

REſoluendum : Quòd actio deprauata eſt, *Actio quæ terminum producit, nec prout in fieri, nec prout in facto eſſe omnino debitum* : Per hoc quòd producat terminum, differt ab actione abolita : per hoc quòd terminus non ſit debitus prout in fieri, differt ab actione diminuta, cuius terminus ſimilis eſt ei, qui debetur in fieri : per hoc quòd producat terminum non omnino debitum in facto eſſe, differt ab actione naturali. Ex quo patet actiones adauctas deprauatas eſſe, cum terminum produeant non debitum, nec prout in fieri, nec
B prout in facto eſſe.

Resolvtio IV.

Quotuplex ſit ſymptoma in qualitate mutata.

§. I.

Symptomatis in qualitate mutata ratione ſubiecti, proponitur diuiſio.

REſoluendum 1. Quòd ſymptoma in qualitate mutata ratione ſubiecti, in quo poteſt intra corpus
C reperiri, eſt triplex : vel vniuerſalis in omnibus partibus, vel particularis in aliqua determinata parte viuentis, vel in ſolis excrementis reperitur.

Probatur : vel prouenit ob vitium alicuius partis mandantis, & communicantis humorem in omnes partes, vt contingit in leucophlegmatiea, vel propter decubitum humoris in determinatam partem, vt in eryſipelata, vel humor non defertur niſi ad excrementa, vt in nigro humore lotium tingente : ergo triplex ſymptoma in qualitate mutata poteſt reperiri ratione ſubiecti.

§. II.

Quintuplex ſymptoma in qualitate mutata decernitur ratione ſenſus externi.

D

REſoluendum 2. Quòd ratione ſenſus externi quintuplex poteſt dari ſymptoma in qualitate mutata: ſic tenet Galenus *lib. de differ. ſymptomat. c. 5.*

Probatur : omnes ſenſibiles qualitates poſſunt in nobis immutari, vt patet de colore in icterico; de ſapore, in amarore oris; de odorabili, in putridis vlceribus; de audibili, in aurium tinnitu; de tangibili in aſpero, & duro: ergo ratione ſenſus externi valentis percipere qualitatem mutatam, hæc quintuplex debet eſſe.

Resolvtio. V.

E

Quotuplex ſit ſymptoma in Exeunte mutato.

§. I.

Nullum reperiri ſuadetur.

VIdetur, quòd ſub exeunte mutato, nulla veniant ſymptomata admittenda: quia lienteria, vomitus, diatthœa, alui ſuppreſſio, & alia huiuſmodi, quæ deberent referri, ſub *exeunte mutato*, ſunt ſub *actione læſa*: ergo non debent ſub ſymptomate alio poni.

§. II.

Generica proponitur diuiſio.

REſoluendum 1. Quòd in eis, quæ retinentur, aut excernuntur, duplex ſymptoma reperitur: aliud cùm retinetur quod deberet excerni; aliud, cùm excernitur, quod deberet retineri.

Probatur: non minora ſequuntur incommoda ex retentis excrementis, quæ deberent excerni, quàm ex euacuatione indebita eorum quæ deberent retineri: ergo hoc duplex in Exeunte mutato debet admitti ſymptoma.

§. III.

Exeuntis mutati adducuntur differentiæ.

REſoluendum 2. Quòd Exeuntia mutata aliæ ſunt talia, quia per locum non naturalem exeunt; alia, quia quæ deberent retineri, euacuantur; aliæ, quia licèt euacuentur, quæ deberent euacuari, mutata exeunt qualitate, tempore, quantitate, modo, aut ſubſtantia.

Probatur: illa euacuatio vt bona cenſetur per quam talia euacuantur, qualia euacuari conuenit, & quæ fit per loca conferentia, & tolerantia, & quò natura vergit, ex Hippocrate *lib.* 1. *aphor.* ſed omnibus modis euacuationum nuper adductatum de-

A ficit aliqua ex his conditionibus: ergo ſubſtantiæ modo aliquo ex his euacuatæ ſuperuenit ratio ſymptomatis in Mutato Exeunte.

§. IV.

Symptomatis in retentis traditur diuiſio.

REſoluendum 3. Quòd ſymptoma in retentis eſt triplex: aut eorum quæ peccant in quali, aut in quanto, aut in tota ſubſtantia.

Probatur: Symptoma in retentis eſt, quod petit expelli: ſed quod petit expelli, debet eſſe obiectum facultatis expellentis prout in quanto, quali, aut in tota ſubſtantia, & fit præter naturam, & illam irritat

B pro ſui expulſione: ergo in retentis triplex ſymptoma admittendum.

§. V.

Soluitur ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd in eis, quæ retinentur, vel excernuntur, aut conſideramus actionem, aut ſubſtantiam per illam excretam: ſi actionem, hæc ſub aliqua ex tribus ex annumeratis ſub læſa actione debet annumerari; ſi ſubſtantiam, hæc aut ſub retentis, aut ſub excretis reponitur.

DOCT. MED.

D. GASP. BRAVO

DE SOBREMONTE

RAMIREZ,

Reſolutionum Medicarum

PARS TERTIA.

DE FEBRIBVS, ET EARVM CVRATIONE.

AD LECTOREM.

QVADRVPLEX Secta, ſiue hæreſis viſa eſt interturbare Dogmaticæ, ac Rationalis Medicinæ ſplendorem. Ante Galenum Empirica, ac Methodica: quas ipſe ſua facundia relegauit ab Scholis. Noſtris ferè temporibus Paracelſiſtica, de qua Part. 1. Reſol. Medicar. diſput. 1. *aliqua tetigimus. Et tandem Imaginaria, quam in hac noſtra ætate edidit Vanhelmont, aliàs Paracelſiſticæ hæreſis alumnus, à qua recedit; in imaginatione collocans eas vires & principia, quæ ad Sal, Sulphur, & Mercurium reduxit Paracelſus. Ad ipſam enim cunctos reduxit morbos; omnem antiquam Philoſophiam, atque Medicinam à Veteribus excultas irridet; Dogmaticos ac Rationales Medicos deſerit; in eorum ſcholas inuehitur, & Galenicæ doctrinæ irriſor illius ſectatores conuitiis opprobrat: Humoriſtas vocat, & quam maximè ſiſtit in humoribus, & febribus ex illis ortis oppugnandis, improbandiſque remediis pro earum curationibus vſitatis; in qua hæſitatione intentus, dum imaginationis vires fingere contendit, ſuæ oſtendit imaginationis deprauationem; & delirus, ac amens gloriatur à Deo ſe ſolum meruiſſe Philoſophiam, & Medicinam recipere, ipsámque in inſomniis didiciſſe. Nec tamen deſunt ſtolidi, qui ſuæ ſubſcribunt inſaniæ, deprauatæque imaginationi adhærent. Quos*

 ideò

ideò Imaginarios vocabimus, illiúſque ineptias retundemus (licèt potiùs eſſent irridendæ) ne aliis vlteriùs ſint delirandi occaſio, & quia ex Prouerbiorum 26. *docemur* : Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. *Non nouam de Febribus profero doctrinam, ſed antiquam nouiter illuſtratam, & à delirijs* Vanhelmont *vendicatam. Plura proponam Theoremata, antiquæ cohærentia doctrinæ, quæ à Dogmaticis, etiam nondum fuêre intellecta : plerique enim illorum pro fide receperunt plura, quaſi à Galeno recepta, in illius verba iurantes : quæ quia à primis Commentatoribus malè intellecta, à reliquis malè digeſta, nunquam perfici valuerunt.*

DISPVTATIO I.

DE FEBRIS NATVRA.

COMMVNISSIMVS inter omnes morbos eſt Febris, & cuius perluſtrare naturam contendunt plures, alij ex aliis propalantes doctrinam, quam noſtris temporibus Paracelſus, & Vanhelmont contendunt interturbare, & quam nos intendimus perluſtrare.

SECTIO PRIMA.

Deſcribitur quidditas Febris.

FEBRIS à *feritate* vel *feruore* duxit etymologiam, ſiſtit enim in calore : quidquid glaucitent in Scholas impios Paracelſus, & eius alumnus, inſanus Vanhelmont; eſt Febris pro formali. *præternaturalis diſpoſitio orta ex calore præternaturali, ſiue intenſione, ſiue modificatione fiat talis.* Febris verò pro materiali dicitur, *quicumque præternaturalis calor quomodolibet vel in quacunque corporis parte ſic redditus.* Febris verò quæ morbus eſt vniuerſalis, *eſt calor extraneus accenſus in corde, à quo medio ſanguine & ſpiritu per venas & arterias diſtribuitur, & inflammatur inflammatione, qua nocet operationibus naturalibus, non ſicut caliditas iræ, & laboris, dum non vltimatur.*

RESOLVTIO I.

Quid ſit Febris.

§. I.

Omnium Sectarum proponitur definiendi modus.

EMpirici omnium primi nullas rerum quærentes definitiones, ſed ſimiles pro ſimilibus confundentes morbos, ægros quoſlibet æſtuantes Febres pati admittebant, quia à Dogmaticis eos febrire audierunt, nullis tamen aliis inſiſtentes principiis. Methodici tamen tria morborum admittentes genera, Adſtrictos, Laxos, & inter hos Medios. Ad morbos ſub adſtrictione Febres reducuns; nec dedignantur fateri, Febrem eſſe caliditatem præter naturam in totum

A animal ſparſam, vel ſaltem per plures partes. Paracelſus qui ſal, ſulphur, & mercurium omnium mixtorum conſtituit principia; febres reducit ad morbos ortos ex ſulphure; Febremque contendit conſtituere in ſulphuris ardore; iudicat enim eſſe morbum nitri ſulphuris accenſi, & in hac accenſa ſubſtantia conſiſtere, non tamen in calore. Vanhelmont qui infirmus mente, in imaginationis actu morbos conſtituit; contendit ſuadere, quòd febris non ſit accidens, ſed ſubſtantia à qua deturbatur Archæus; inquit enim, quòd febris non eſt nixus expulſiuus, ſiue motus alteratiuus, ſed eſt ipſa pars materialis indignatione

B deturpati Archæi : ſic nugantur extra Scholas.

Inter Rationales Dogmaticóſque Medicos, Hippocrates febrem ſtatuit eſſe præternaturalem calorem : ipſámque vocat Ignem. Galen. *lib.* 8. & 9. *Methodi*, febrem docet, eſſe Intemperiem calidam per totum corpus diffuſam *lib. de differ. morb.* quòd eſt, Calor præter naturam totum corpus occupans *lib.* 1. *Aphor. comm.* 14. *lib.* 1. *de morb. acut. comm.* 18. quòd eſt, Conuerſio natiuæ caliditatis in igneam naturam. Auicenna *fen.* 1. 4. *doctrina* 1. *cap.* 1. dicit quòd eſt, Calor extraneus accenſus in corde à quo, medio ſanguine, & ſpiritu communicatur reliquis partibus. Fernelius febrem iudicat eſſe, calorem ſpecie alium à naturali. Trincabellus ipſam ponit in Calido innato

C to in igneum mutato. Santa-Cruz ſub priuatione eam conſtituit. Vega ſub relatione. Alij in calore, & ſiccitate ſimul eam debere conſtitui intendunt. Communis tamen Modernorum conſenſus febrem cum Auicenna definit, eamque ſtatuit conſiſtere in calore præternaturali facto ratione intenſionis, & à corde in vniuerſum corpus communicato.

§. II.

Febris formaliter ſumpta definitur.

D RESoluendum. Quòd febris pro formali eſt *diſpoſitio præter naturam reſultans ex poſitione caloris præternaturalis in corpore humano.* Hæc diffinitio deducitur ex Galeno *lib. de differ. morbor. lib.* 1. *meth c.* 7. *lib.* x. *method. cap.* 7. ex Auicenna *fen* 21 *doctrina* 1. *cap.* x. ex Ariſt. *lib de prædicam. cap. de qualitate, lib* 5. *phyſicor. cap.* 7. *lib.* 7. *phyſicor. cap.* 3. Quibus in locis conſtanter affirmant morbum eſſe diſpoſitionem : ſed

febris

febris formaliter ſumpta eſt morbus pro formali:ergo eſt diſpoſitio non naturalis. Quia hæc eſt ſanitas:ergo eſt diſpoſitio præternaturalis : & cùm hæc ſit ratio communis pro omni morbo formaliter ſumpto, à reliquis differt, quatenus hæc habet pro fundamento, ex quo pullulat, calorem præternaturalem.

§. III.

Febris pro materiali definitio proponitur.

RESoluendum 2. quòd febris pro materiali, eſt *Calor ex cuius poſitione reſultat in viuente præternaturalis diſpoſitio læſiua operationum, ſiue ratione intenſionis, ſiue modificationis.*

Patefit reſolutio. Quocumque modo ex dictis calor ſit præternaturalis : ſed ex quocumque præternaturali calore reſultat præternaturalis diſpoſitio febrilis : ergo febris pro materiali eſt calor intenſione, aut modificatione præternaturalis redditus. Probatur maior. Calor fit præternaturalis dum fit indebitus pro naturalibus actionibus : ſed per intenſionem, vt patet in febre ardenti ; & per modificationem, vt contingit in peſtilente, & maligna febre, fit calor indebitus pro actionibus naturalibus : ergo quocumque modo ex dictis fit præternaturalis.

§. IV.

Febris pro materiali prout eſt morbus vniuerſalis definitur.

RESoluendum 3. Quòd febris pro materiali, quæ eſt morbus vniuerſalis, rectè definitur ab Auicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 1. *c.* 1. Quòd ſit *calor extraneus accenſus in corde, à quo, medio ſanguine & ſpiritu per venas & arterias diſtribuitur, & inflammatur inflammatione quæ nocet operationibus naturalibus, non ſicut caliditas iræ, & caloris, dum non vltimatur.*

Satis patet ex dictis Febris natura. Sed quia vniuerſalis febris, de qua maximè agendum eſt, prout ab Auicenna definitur, aliquas inuoluit difficultates, conducentes ad febris maiorem dignotionem; in earum enodatione patefiet huiuſmodi reſolutionis veritas.

RESOLVTIO II.

Vtrùm ſit febri intrinſecum quòd ſit Calor?

§. I.

Authorum variæ ſententiæ ponuntur.

DE febre iuxta vltimam acceptionem, & definitionem, progrediemur inſuper. Circa cuius rationem genericam, an ſit Calor? diſceptant Dogmatici, & Nouatores omninò diſſentiunt. Leonardus Fauentinus *Febrem eſſe temperamentum vergens ad caliditatem*, contendit. Donatus Antonius ab Altomari *eam conſiſtere in actione calefaciente & deſiccante corpus.* Vega *eſſe relationem.* Santa-Cruz *eſſe priuationem*, & de quocumque morbo idem ſentit. Trincabellus *eſſe calidam ſubſtantiam.* Inter Innouatores Vanhelmont, *ſubſtantiam eſſe intra corpus à qua deturpatur Archæus.* Numquam tamen in calore poſſe conſiſtere ſomniauit, pro quo hæc ſtant fundamenta.

Primum deſumitur ex aliquibus rationibus deſumptis ex Iacobo de Partibus, & Conciliatore ; qui febrem eſſe affectum frigidum contendunt ſuadere. Tum ex Auicenna *fen.* 1. 4. vbi aliquas febres frigi-

A das vocat. Tum quia in febre intermittente, pars prima acceſſionis eſt frigus. Tum quia ſunt aliquæ febres, in quibus frigida eſt reſpiratio, ex Hippocrate *in prædictionibus*, quæ non poſſunt in calore conſiſtere. Tum quia febris lipyria dicta includit frigiditatem eſſentialiter.

Secundò ſuperaddit Vanhelmont : ſi calor eſſet intrinſecus febri, non poſſet illa concipi ſine calore, neque in rebus reperiri, ſed febres caſtrenſes, malignæ, aut peſtilentes ſunt ſine excedenti, & præternaturali calore, cùm neque ipſe percipiatur ſenſu, neque ſitis, quæ illius indicium eſt : ergo calor non eſt intrinſecus febri.

Tertiò : quicumque in acceſſione frigus patitur, B fateri tenetur quòd morbum habet : ſed talis morbus eſt pars febris, & habens quidquid eſt febri intrinſecum : ergo cùm non habeat calorem, calor non eſt intrinſecus febri.

§. II.

Communis Dogmaticorum doctrina præfertur.

RESoluendum : quòd calor eſt ratio generica, & eſſentialis febris. Sic ſanciuit ſummus Dictator *lib.* 3. *de fracturis tex.* 8. *in lib. vulg.* præcipuè *lib.* 1. *epidem. p.* 3. *text.* 16. *in hiſtor. Sileni. & text.* 21. *in hiſtor. vxoris Philini, & text.* 23. *Cleanactis, & in* 24. *in hiſtoria Metonis, & tex.* 25. *in hiſtoria Eraſini.* Tenent Academici cum ſuo Platone *in Timæo ad finem* : Peripatetici C cum Ariſtot. *ſect.* 1. *Problem. q.* 3. & docet Galenus, cuius doctrinam ſomniator Vanhelmont irridet *l.* 6 *Epidem. p.* 1. *comm.* 29. *lib de differ. feb. c.* 1. *& per totum, lib.* 1. *Aphor comm.* 14. *lib. de cauſis morborum c.* 2. *lib.* 4 *de cauſis pulſ. c.* 7 *lib.* 2. *method c.* 7 *l.* 8. *meth. c.* 1. *l.* 9. *method. cap.* 14. *lib. de different. morb. c.* 5. Sequitur Auicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 1. *c.* 1. Tenent illius Commentatores, Iacobus de Partibus, Iacobus de Forliuio, Gentilis, Herculanus, Grariolus, & inter Principes Medicinæ Ætius *tetrabili* 2. *ſerm.* 1. *c.* 58. Trallianus *l.* 12. *c.* 1. Rhaſis inter Arabes primus *l.* 10 *ad Almanzorem, & l.* 30. *continentis.* Auenzor *l.* 3. & inter moderniores Fernelius *l.* 4. *cap.* 1. Carrerius *in fen* 1. *lib.* 4. Matamoros *lib. de febrib.* Manelphus *lib. de feb.* Valleſius *lib. Controuer-* D *ſiar. & in compendio.* Mercatus *lib. de febr.* & ducenti Authores, à quibus Vanhelmont gloriatur diſceſſiſſe, vt accederet ad ſua deliramenta quæ edidit de febribus.

Probatur 1. Signa ſiue accidentia ſubſequuta à morbo atteſtantur illius naturam : ſed ſigna & accidentia ſubſequuta à febre atteſtantur, quòd febris ſit calor: ergo eius natura in calore conſtitui debet. Probatur minor, ſigna, & accidentia ſubſequentia à febre, vt demonſtrat experientia, ſunt calor tactui intenſior naturali, aut mordax ſenſibilis pulſus, & reſpiratio requiſita pro eius attemperatione ; lotium ab eius ardore vſtum, aut agitatum, ſitis, faſtidium, inſolita vigilia, ſomnus perturbatus, inquietudo, & E alia ſimilia ; ſed iſta accidentia nullus non fatetur prouenire à calore: ergo atteſtantur febrem eſſe calorem.

Probatur 2. ſi Febris non eſt calor, maximè quia vt Vanhelmont ſomniauit, febris eſt ipſa pars materialis, cuius indignatione deturpatur Archæus, ſiue ſpiritus: ſed hanc indignationem, ſiue Chymæram ab eo ſomniatam poteſt recipere Archæus à quacumque alia cauſa, ſine morbo corpori ſuperueniente : ergo vel omnis febris eſt morbus, vel febris non conſiſtit in eo quod præternaturale eſt, & valens ſpiritum deturpare.

Proba-

Probatur 3. Febris, cùm ſit morbus, formaliter ſumpta eſt diſpoſitio præternaturalis proueniens ex viciata corporis conſtitutione: ergo febris pro materiali in eo conſiſtit, quod illam viciare valet: ſed non conſiſtit in mala compoſitione, nec in ſoluta vnitate, cum ſine his detur febris; & eadem ratione, nec in temperie ſicca, frigida, aut humida: ergo in calida.

Dices cum Vanhelmont *tract. de febrib.* quòd febris eſt ſubſtantia, quæ intra corpus humanum remanet, à qua deturbatur Archæus, quatenus concipit ideam noxæ.

Contrà ſtat; Tum quòd omnis morbus eſt accidens ex communi Antiquorum Philoſophiæ, & Medicinæ Patrum conſenſu, à quibus parum firmo cerebro diſcedit Vanhelmont. Tum quia ſi, vt intendit Vanhelmont, per febrem deturpatur Archæus, in deturpatione Archæi deberet conſtitui, qua præternaturaliter afficitur, non autem in ſubſtantia deturpante, quæ cauſæ rationem habet, cùm ab ea proueniat illud nocumentum in ſpiritu. Tum quia deliramentum, quo intendit deturpari ſpiritum, ridiculum eſt; ſi enim ſpiritus non viuit, vt *part. 1. reſolut.* demonſtrauimus; & adhuc ſi viuat, vt intendunt alij, ſolùm viuit vita vegetatiua: quomodo poteſt ideam noxæ percipere, hoc enim ſolum ſenſitiuis potentiis datur: ergo febris non eſt ſubſtantia, ſed accidens ab ipſa proueniens.

§. III.

Soluuntur fundamenta Vanhelmont.

AD 1. Reſpondetur: Quòd febris ſolet vocari frigida, quia prouenit a materia, quæ ante putredinem fuit frigida, ſicut alba ſolet dici, quia ab eadem materia alba & cruda fit; & quod in frigore febris intermittentis reperitur in partibus internis calor febrilis; & quòd poſſunt aliquæ partes pati calorem febrilem, etiamſi frigidæ ſint partes pulmonis aërem reſpirantis: & quòd ratione cauſæ indicari poteſt remedium non calidum, etiamſi effectus ſit calidus qui prouenit à cauſa; & quòd febris lipyria, licèt habeat adiunctam frigiditatem, ipſa tamen conſiſtit in calore præternaturali ſimul exiſtente cum frigiditate in diuerſis partibus corporis.

Ad 2. Reſpondetur: quòd calor febrilis ſit præternaturalis dupliciter; vno modo ratione intenſionis, propter quam fit calor improportionatus, & operationum læſiuus; alio modo ſolum ratione modificationis ab aliqua deleteria qualitate, qualiter in febre maligna contingit, & peſtilente, in quibus à contagioſa ſubſtantia deleteria vi afficitur, & modificatur calor, vt ſine noua intenſione eliciat operationes ad quas vt inſtrumentum deſeruit: quarum febrium meminit Hippocrates, dum has febres vocat paruas, & malignas, & cum infidis ſignis concomitatas in prognoſticis.

Ad 3. Reſpondetur: quòd qui patitur frigus in acceſſione, habet ſimul calorem febrilem in partibus internis, qui donec augeatur febris non extenditur ad externas, & habet principium tanquam accidens coniunctum frigus quod patitur in partibus externis, & præcipuè in extremitatibus, & in toto tempore frigiditatis excedentis dicitur eſſe in principio acceſſionis febrilis; non quia febris conſtat in illa frigiditate, ſed interna caliditate cum illa complicata, quæ prout compreſſa dicitur eſſe in principio, prout ad reliquas partes ſe extendit dicitur eſſe in augmento, aut ſtatu.

Resolvtio III.

Vtrùm calor fiat extraneus, & febrilis abſque maiori intenſione?

§. I.

Valleſij, Carreiri, & Modernorum ponetur opinio.

INter moderniores Valles *lib. 1. de different. febr. cap. 1.* Vriga *pag.* 410. Brauos Salmanticenſis *l. 1. de differ. febr. c. 1.* Mercatus *l. 1. de eſſentia febris*, Carreirus *in ſen. 1. 4. tract. 1. c. 1. q. 6.* Matamoros *l. 1. de febribus tract. 1. diſp. 9.* & omnes moderniores nullam poſſe dari febrem, quin calor excedat in gradibus naturali ſtatui debitis, contendunt; his fulti fundamentis.

Primò ex Galeno, Tum *l. 6 de morb. vulgar p. 1. comm.* 29. Tum *l. 8 methodi c. 1.* Tum *l. 6. de cauſ. morb c. 2.* Tum *lib. de Maraſmo c. 1.* Tum *1. Prorit. tex. 7.* Tum alijs in locis, in quibus in intenſiori calore febrem conſtituit.

Secundò Probatur Ratione: Tum quia ſignum Febris eſt, quod tactu percipiatur calor naturali intenſior: Tum quia pulſus ac reſpiratio indicium caloris excedentis præſtant: Tum quia omnes cauſæ Febris ſunt quæ valent intendere caloren: Tum quia omnis Febris indicat curari frigidis remediis, quæ illi contraria debent eſſe: ergo conſiſtit in calore naturali intenſiore.

Tertiò; Febris, vt probauimus *reſolutione antecedenti*, conſiſtit in calore; ſed non conſiſtit in calore naturali & proportionato pro actionibus viuentis: ergo in calore intenſiori.

§. II.

Gentilis, Hugonis, & Barbarorum opinio præfertur.

REſoluendum: quòd calor fit extraneus, & febrilis; non ſolùm acquiſita intenſione intra intenſionem naturaliter viuenti debitam, ſed ratione modificationis, qua operationes lædat, etiamſi ab illa non diſcedat. Sic tenet Hugo: & ſanciuit Gentilis *in Extrauag. q. 4. §. Ad huius declarationem præmitto duas propoſitiones. Prima eſt: Calorem naturalem poſſe diſtemperari per calorem extraneum dupliciter: primo modo, per calorem extraneum ſecundum gradum, alio modo per proprietatem malam quamvis in gradu non excedat.* vbi per qualitatem malam intelligit qualitatem deleteriam modificantem illam.

Probatur 1. Ratione ab eo deſumpta: Calor redditur febrilis, dum redditur præternaturalis & læſiuus operationum: ſed redditur febrilis, & læſiuus operationum, non ſolùm noua adquiſita intenſione, ſed noua acquiſita modificatione: ergo ſine noua intenſione ſola modificatione fiet febrilis. Probatur minor. Tot modis redditur febrilis & læſiuus operationum, quot modis amittit naturalitatem: ſed amittit naturalitatem vel quia intenſione recedit à proportione debita, vel quia modificatione recedit à ratione inſtrumenti viuentis coaptati pro ſuis operationibus: ergo ſola modificatione acquiſita fit febrilis, & læſiuus operationum.

Probatur 2. Non poteſt reperiri calor febrilis intenſior naturali, quin intenſior calor percipiatur naturali, pulſus immutetur ob vſum adauctum, & vrina, ſi oriatur ex putredine humoris: ſed in febre maligna

maligna aut peſtilente plerumque contingit calorem ſecundùm naturalem intenſionem, pulſum, & vrinam, non recedere à ſtatu naturali: ergo quia calor non fit febrilis ratione putredinis aut caloris noua intenſione adaucti, ſed ſola modificatione deleteriæ & peſtilentis qualitatis. Probatur Minor. Tum ex Galeno 9. Meth. c. 4. §. *quia autem nec in hoc, nec in lotio, nec in ipſa caloris qualitate, iudicium aliquod humorum putreſcentium apparet.* Tum lib. de præſagat. ex pulſibus, cap. 3. §. *Quidam enim ab initio ad finem vſque; alij per totum morbum probum pulſum habebant, qui per parùm deflexiſſet à natura.* Tum lib. 3. de præſagat. ex pulſibus cap. 4. §. *Sanè videtur quibuſdam perplexa, & incognita via, ſi quando nec differentia vlla pulſuum à naturali deficiat, & ſe ipſe ægrotus febrem non dicat percipere.* Et ſuperaddit, *Nec ex vrina quidem petere in huiuſmodi affectibus firmam notitiam ſemper licet, ſed ferè eſt anceps colore, & compage ſimilis naturali. Sexcentos tales in diurna peſtilentia conſpeximus.* Tum ex Auicenna fen. 1. 4. tract. 4. cap. 2. de ſignis Febris peſtilentis. §. *Et quandoque eſt de febribus peſtilentibus, in qua non percipit æger, nec tangens propinquus multitudinem caloris, & non alteratur pulſus aliqua magna alteratione, & cum hoc ipſa eſt interficiens velociter, & haſitant medici in eſſe eius.* Tum fen. 2. 4. tract. 1. c. 80. §. *Et quandoque eſt vrina in ægritudinibus peſtilentibus bona naturalis in ſubſtantia ſua; colore, & ſedimine, & ille cuius eſt tendit ad mortem.* Ergo in febre peſtilenti plerumque contingit pulſum & vrinam non diſcedere à ſtatu naturali, nec calorem ſecundum intenſionem.

Probatur 3. Febres peſtilentes aliquæ ſunt paruæ, & malignæ, vt docet Hippocrates: ergo cum caloris paruitate datur in illis ratio febris; ergo non ratione intenſionis, ſed ratione modificationis veneficæ ac peſtilentis qualitatis.

§. III.

Soluuntur communia fundamenta.

AD 1. Reſpondetur: quòd ex omnibus authoritatibus ex Galeno adductis 1 ſolùm conuincitur quod febres non peſtilentes fiant per caloris maiorem intenſionem; non tamen negat Galenus, quòd peſtilentes febres non poſſent fieri modificatione qualitatis venenoſæ, ſine noua intenſione, cùm aliis locis id doceat.

Ad Secundum Reſpondetur: quòd calor intenſior apparet in eis tantùm febribus, quæ fiunt per maiorem intenſionem; non autem in reliquis, vt conſtat ex Galeno, & Auicenna. Tum quòd ex eiſdem conſtat, quòd non mutatur pulſus, reſpiratio, nec lotium in eis quæ modificatione fiunt tantùm. Tum quòd omnes cauſæ earum febrium, quæ fiunt per gradus additionem, valent calorem cauſare; non verò quæ valent febrilem eum reddere modificatione: Tum quòd frigidis remediis curantur Febres additione caloris factæ; non illæ quæ fiunt modificatione peſtilentis qualitatis; hæ enim curantur alexipharmacis.

Ad 3. Reſpondetur: quòd Febris fit pro actionibus improportionata dupliciter; vno modo ratione intenſionis, qua diſcedit à proportione debita: alio modo ratione modificationis, qua diſcedit ab eſſe inſtrumenti vitalis potentiæ: calor enim, qui aſſumebatur pro inſtrumento facultatis vitalis, vt modificatur à peſtilente qualitate, fit illius inſtrumentum, & læſas elicit operationes ad quas deſeruiebat; quia præualet vis venenoſa: & ideò febris dicitur, quia quocunque modo calor fiat læſiuus operationum, fit febrilis.

Resolvtio IV.

Vtrùm calor Febrilis noua intenſione, valeat fieri extraneus à principio intrinſeco?

§. II.

Opinantium placita & fundamenta adducuntur.

DVpliciter poſſe calorem extraneum & febrilem eſſe decreuimus, intenſione, & modificatione; ſed qui noua adquiſita intenſione fit febrilis, an fiat talis ab interno principio reſoluendum reſtat. Concertant Moderniores. Pereira *lib. de noua medicina cap. 7.* intendit calorem febrilem fieri à motu locali cordis ſe mouentis ad expulſionem fuliginum, alteriúſve noxæ: & conuincitur, quia illi qui ſunt propè mortem, etſi putredo tunc vigeat, febrem remiſſam habent, quia cor paruum edit motum ob ſui debilitatem, & etiam ex communi doctrina inter Philoſophos, & Medicos admiſſa, quòd motus eſt cauſa caloris, quam fatentur Plato & Ariſtot. 5. *ſect. Problem. q.* 13. & 24. & *lib. 2. de cælo cap.* 1. Galen. *lib. de cauſis morbor.* Diuus Th. *in lib. de cælo, aliiſque in locis* Durandus *in 2. diſtinct.* 15. q. 3. Thomas de Garbo *lib. 2 tract.* 2. q. 6. Veiga *lib. 1. de differentiis febrium, c.* 4. Brauus Salmanticenſis *lib. 1. de febrib.* Matamoros *lib. 2. de febrib. diſput.* 3. Albertus Magnus *lib. 5. Metcor.* Conimb. *lib. 2. de cælo cap. 7. q.* 6. Veiga *lib. de different. febrium.* Mercatus *tom. 2. lib. 3. de febrib.* Martinez *lib. 2. de morbo & ſymptom.* Zimara *in Theorem.* Et alij quamplurimi à nobis citati ſupra: ergo fit febrilis & extraneus, quia intenditur à locali cordis motu. Carretus *in fen.* 1. & 4. & maior modernorum pars ab externa cauſa contendit extraneari, & cordi communicari omnem febrilem calorem.

Quod probatur 1. Quia intra corpus poteſt dari cauſa corde calidior; ſiue in ſtatu naturali, quales ſunt ſpiritus vitales; ſiue in ſtatu præternaturali, quando humores aut ſpiritus vitales putredine, aut vſtione alterati, acquirunt præternaturalem calorem: ergo ab his recipiet extraneum & febrilem calorem cor.

Secundò, Calor febrilis non poteſt prouenire à forma cordis: ergo prouenit ab extrinſeco. Probatur antecedens, nam ſi calor oriretur à corde, eſſet illi naturalis, & non indigeret curatione, & eſſet diſpoſitio conſeruatiua eius: ſed calor febrilis eſt corruptiuus; ergo non oritur ab ipſo.

Tertiò: Si febris eſſet calor ortus ab ipſo corde, eſſet intenſior in declinatione vniuerſali: ſed tunc eſt remiſſior: ergo prouenit à cauſa externa. Probatur maior. Eſt intenſior quando minor copia aëris attrahitur pro eius attemperatione; ſed in declinatione minor copia aëris attrahitur quàm in aliis temporibus: ergo intenſior maneret in corde.

Quartò: Omnis calor, qui pullulat à corde, eſt conſeruatiuus illius: ſed omnis calor febrilis eſt corruptiuus: ergo nullus calor febrilis pullulat à corde. Probatur maior. Omnis entitas quæ pullulat ab aliqua forma, fit à generante tanquam terminus ſecundarius actionis generantis productiuæ ipſius geniti: ſed quidquid producitur per actionem generantis, eſt debitum genito in primo, aut in ſecundo modo perfectionis: ergo omnis calor qui pullulat à corde eſt conſeruatiuus.

Alij

Alij verò quos ſequitur Mercatus *lib. 1. de feb. tract. 1. diſput. 8.* iudicant quòd cordi tribuit natura calorem non ſolùm ſui conſeruatiuum, ſed intenſiorem, quàm qui requiritur pro ſui conſeruatione; & quòd in ſtatu naturali iſte calor remittitur ab aëre, pulſu, & reſpiratione attracto: dum autem ab aliqua cauſa præternaturali calida calefit aër attemperans cor, ab eius forma pullulat febrilis, extraneus calor. Quibus fauet

Primò Hippocr. *lib. de corde.* Galen. *lib. de vſu pulſuum. lib. de fœtus formatione cap. 5. lib. 1. de tempor. cap.* . aliiſque in locis, in quibus cor calidiſſimum reliquarum partium vocant.

Secundò: quia cor communicat calorem reliquis partibus: ergo debet in ſe habere principium productiuum caloris intenſioris, quàm qui debetur illi.
B Probatur conſequentia; aliàs non poſſet omnibus aliis partibus communicare calorem.

Tertiò: calor qui communicatur à corde, eſt vitalis: ergo debet oriri ab ipſo corde, quod eſt principium vitale.

Quartò: cor mediis ſpiritibus vitalibus, omnibus partibus communicat calorem: ſed intenſius calor, quem valet communicare, non pullulat in ſpiritibus: ergo pullulat in corde. Probatur minor, ſecurius eſt viuenti quòd calor excedens oriatur ab ipſo, quàm ab ſpiritibus, vt ab illo ſemper poſſet communicari: ergo non pullulat ab ſpiritibus, ſed ab ipſo corde.

C

§. II.

Fundamenta aliqua reſolutionis ponuntur.

PRo reſolutione notandum: Quòd quælibet forma perfecta mixta valet producere quaſcumque primas qualitates, & in quacumque intenſione, ſicut ſi actu formaliter eſſent cum illa formæ elementorum: ad has tamen producendas, aut illas, in hac aut illa intenſione, determinatur per temperamentum ſubſtantificum, quatenus habet has, vel illas partes materiales, huius vel illius elementi: & ideò ſi temperamentum ſubſtantificum eſt naturale, determinat ad productionem primarum qualitatum in debita proportione, & intenſione: ſi autem eſt peruerſum, pro-
D ducit qualitates intenſas, ad quas determinatur per exceſſum partium materialium eius elementi, per cuius exceſſum peruertitur, vt demonſtrauimus *part. 1. reſolutionum medicarum diſput. 2 ſect. 2.*

Secundò notandum, quòd animal à primo ortu conformatur cum naturali temperamento ſubſtantifico cordis, & reliquarum partium: ex quo tantùm valet reſultare temperamentum qualitatiuum naturale toti, & cuilibet parti eius. Ratio huius eſt; Quia cùm generans debeat tribuere genito non ſolùm ſuum eſſe entitatiuum, ſed debitam diſpoſitionem conſeruatiuam, tribuit vnicuique parti & eſſe entitatiuum naturale, & eſſe conſeruatiuum naturale, & temperamentum ſubſtantificum ſibi debitum, vt ex illo re-
E ſultet qualitatiuum naturale; & hoc conſeruat per totum vitæ decurſum, niſi ab aliqua præternaturali cauſa peruertatur ſubſtantificum, aut ab aliqua externa cauſa contraria corrumpatur qualitatiuum.

Tertiò notandum: Quòd cùm calor ſit maximè neceſſarius in iuuentute pro ſuis actionibus, & continuò poſſet remitti à contrariis cauſis alterantibus, prouida natura cor conſtruxit calidiſſimum, proportionatúmque organum, vt continuò generaret ſpiritus vitales ipſo calidiores, mediis quibus ſubueniret reliquis partibus, eiſque impartiret calorem, quo ſe tuerentur ab externis infrigidantibus. Et quia proprius ſpirituum calor intenſior eſt, quàm qui requi-
A ritur pro illorum conſeruatione; pulſum & reſpirationem condonauit natura viuenti, à quibus aër attrahitur pro vſu, & indigentia, vt requiritur pro attemperatione. Dum verò ab aliqua cauſa ſiue interna, ſiue externa calida, vlteriùs calefit corpus, cùm ab aëre attemperari non poſſit, calor fit febrilis.

§. III.

Ab externo calore extraneari humoralem & diariam fatemur febrem.

REſoluendum primò. Quòd in febre diaria, & humorali, ab externo principio extraneatur calor.

Probatur Primò: ſi febris humoralis, & diaria non poſſent ab extrinſeco communicari cordi, maximè
B quia cor non poſſet alterari ab ſpiritibus & ab humoribus: ſed cor adhuc ſi ſpiritibus, & humoribus in ſtatu naturali eſſet calidus, poſſet ab illis calefieri; ſi vſtionem aut putredinem patiantur: ergo febrem diariam, & humoralem recipit ab extrinſeco. Probatur minor; vſtione aut putredine calidiores euadunt, ſicut docet experientia in ipſis, & in rebus extrinſecis, quæ putreſiunt, & docuit Ariſtotel. *lib. 4. meteor.* ergo ſi vrantur, aut putreſcant, poteſt ab illis febrilem recipere calorem.

Probatur ſecundò: Cor, vt ex præſuppoſitis patet, in ſtatu naturali producitur cum temperie ſubſtantifica, & qualitatiua ſibi connaturali, nec illam amittit
C donec temperamentum ſubſtantificum peruertatur: ſed febris diaria, & humoralis fiunt ſine aliqua peruerſione temperiei ſubſtantificæ, aliàs æquè difficulter curarentur ac febris hectica: ergo ab extrinſeco recipit febrilem calorem in illis cor.

Probatur tertiò: ſpiritus vitales ſunt in ſtatu naturali corde calidiores: ſed vſtione, aut putredine ſpiritus, & humores fiunt calidiores: ergo multò intenſius valebunt cor calefacere. Probatur maior, tum authoritate; Tenet enim Gentilis *fen. 1. 1. d. 5.* Iacobus *ibi q. 21.* Andreas Laurentius *lib. 9. de re anatomica q. 5.* Vriga *lib. artis medicinalis* c. 28. Peramatus *lib. de temperament. c. 6.* Santa Cruz *fen. 1. 1. opuſculo 5. cap. 20. & 2. de cauſis pulſuum cap. 12.* Carreirus *in fen 1. 1. diſput. 12.*
D *cap. 1.* & nos probauimus *part. 1. reſolut. Medicarum diſp. 6. ſect. 1. reſol. 2.* Tum patet, quia in animæ paſſionibus calefit cor ex receſſu ſpirituum vitalium ad ipſum: Tum apparet in cadauere, in quo cor frigeſit defectu illorum: ergo ſunt corde calidiores in ſtatu naturali.

§. IV.

Febris hectica docetur productio.

REſoluendum ſecundò: Quòd in febre hectica extraneatur calor ab intrinſeca cordis forma, & reliquarum partium, in quibus temperamentum ſubſtantificum eſt peruerſum, verſus maiorem copiam
E partium calidorum elementorum.

Probatur Primò: Calor febrilis hecticæ eſt habitualis, calor diariæ & humoralis eſt tantùm per modum diſpoſitionis: ſed hoc non aliunde prouenit, niſi quia in hectica fit & conſeruatur à forma; in reliquis dependet à cauſa externa, quâ ablatâ facilè dimouetur à corde febrilis calor: ergo oritur ab eius forma in hectica.

Probatur 2. Forma mixta de ſe eſt indifferens ad productionem caloris, & aliarum qualitatum, & eas producit, prout determinatur à temperamento ſubſtantifico: ſed à temperamento ſubſtantifico naturali determinata naturalem temperiem producit: ergo ſi peruertatur temperamentum ſubſtantificum per

exceſſum

tam exceſſum partium ignearum, produeet intemperiem calidam febrilem. Patet diſcurſus euidenter, ex dictis *part. 1. Reſol. Medicar. ſectione* 2.

Probatur 3. à poſteriori: Febris hectica non curatur ſola attemperatione, aut ablatione cauſæ externæ, vt contingit in diaria, & humorali; ſed per repoſitionem partium frigidarum factam ex exhibitione lactis, vel alterius cuiuſuis alimenti frigidi & humidi: ergo quia ratione partium materialium frigidarum, & humidarum elementorum fit temperamentum contrarium, quo determinetur ad contrarias qualitates producendas eis, quas producebat antecedenter, dum aderat febris hectica.

§. III.

Soluuntur reliquorum opinantium rationes.

AD primam fortem opinantium reſpondetur: Quòd illi qui ſunt prope mortem, aliquando percunt vi caloris, & in maiori intenſione illius; aliquando ratione modificationis, & tunc licèt in eiſe caloris videatur remiſſa, in eſſe febris eſt intenſior; quia viget vis deleteria, quæ ipſum modificat: & quòd localis motus eſt cauſa caloris in viuentibus ex acceſſu ſpirituum, in non viuentibus occaſionaliter producendo raritatem, ad quam ſequitur forma ignis caloris productiua; nunquam tamen illum per ſe formaliter, aut virtualiter continens, de quo alibi.

Ad Primum pro Mercato Reſpondetur: quod intra corpus ſpiritus naturales ſunt calidiores corde, dum cor eſt in ſtatu naturali: at verò ſi peruertatur temperamentum ſubſtantificum per exceſſum partium ignearum, vt contingit in hectica, pullulat à corde calor præternaturalis, qui eſt intenſior, quàm calor ſpirituum, aut humorum manentium intra limites naturalitatis.

Ad 2. reſpondetur. Quòd ſi calor oriatur à cordis forma determinata per temperamentum ſubſtantificum naturale, tunc eſt naturalis, & non indiget curatione: bene tamen ſi oriatur ratione temperamenti peruerſi, tunc enim curatione indiget.

Ad 3. reſpondetur: Quòd in hectica calor febrilis eſt remiſſior in declinatione ob defectum, & reſolutionem partium ignearum, vt dicemus agendo de hectica: de humorali & diaria non currit argumentum.

Ad 4. reſpondetur: Quòd omnis calor pullulans eſt conſectarius eius, à quo pullulat, ſcilicet formæ mixtæ prout continet ignem, non autem eius in quo adeſt, non totius ſubiecti, vel formæ, prout eſt adæquata mixta, vt latiùs patet ex dictis *part. 1. Reſol. medic. diſp. 1. ſect. 2. reſol. 5. ad* 2.

Ad 1. Opinantium fortis rationem reſpondetur: Quòd cor calidiſſimum eſt reliquis partibus; ſed non in ea intenſione, vt in ſtatu naturali valeat communicare illis febrilem calorem.

Ad 2. reſpondetur: Quòd cùm cor debeat calorem communicare mediis ſpiritibus vitalibus, in illis debuit intenſior calor reperiri in ſtatu naturali, quàm in ipſo corde, quod etiam eis indiget ad ſui caloris conſeruationem.

Ad 3. reſpondetur: Quòd calor, qui à corde communicatur, non dicitur vitalis, quia oritur a principio; ſed quia communicatur ſpiritibus; vt coadiuuet tanquam inſtrumentum pro actionibus vitalibus.

Ad 4. reſpondetur: Quòd ſecurius fuit, quòd oriatur ab ſpiritibus, per quorum applicationem ad partes debet communicari illis, quam à corde, à quo communicatus ſpiritibus faciliùs corrumperetur,

A quam qui producitur ab eorum forma, à qua ſimul conſeruatur.

Resolutio V.

Verùm febris quæ fit per nouam caloris adquiſitionem conſiſtat in ſolo addito calore.

§. I.

B *Aperitur Difficultas: adducitur Auerrois opinio.*

DE febre pro materiali, quæ in calore conſiſtit, & fit per omni gradus caloris adueutum; inquirimus an id ſolo gradu naturali ſuperueniente conſiſtat ſebris? Negatiuam partem ſuſtinuit Auerroës *lib. 3. Collectan. cap.* 3. quem ſequuntur Conciliator *diff.* 87. Vega *1. de differ. febr. cap.* 1. Brauus Salmanticenſis *enarratione* 3. Mercatus *lib. 1. de febr. eſſent. concept.* 9. aſſerentes febrem conſiſtere in calore addito, & ſimul in præexiſtente calore, Hugo Senenſis Auerroëm ſequitur *ſen. 1. 4. tract. 1. c. 1. quaſt.* 2. Herculanus *ſuper Auicennam ſen. 1. 4. tract. 1. capit.* 5. Veiga *lib. 1. de differ. febr.* Aliter philoſophantes, & aſſerentes quòd omnes gradus

C caloris præexiſtentis, & ſuperadditi, ſunt eiuſdem perfectionis; & ideò omnes ſunt febris, quatenus quilibet illorum poteſt dici ſuperadditus. Pro Auerroë tamen hæc ſunt fundamenta.

Primò: Totus calor præexiſtens, & additus, eſt vnus numero calor, vnum numero agens, & vnam numero afficiens actionem læſam, cùm ſimul concurrant ad illam eliciendam: ſed actio fit læſa à calore febrili: Ergo totus ille calor eſt febrilis.

Secundò: ſi calor additus ſolus eſſet febrilis, calor præexiſtens deberet eſſe ſanitas: ſed ſanitas & morbus non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto: ergo non ſolus calor additus eſt febrilis, ſed etiam calor

D præexiſtens.

Dices: Quòd ſanitas & morbus poſſunt ſimul reperiri in eodem ſubiecto. Sed contra ſtat Soria Granatenſiſtam. *1. p. 1. diſp. 6. ſect.* 19. qui cum communi omnium Medicorum aſſenſu tenet morbum & ſanitatem non poſſe ſimul reperiri in eodem ſubiecto. Tum 1. quia Galenus *lib. artis medicinal.* medium per abnegationem inter ſanitatem & morbum admittit in corporibus neutrit conualeſcentiæ, & decidentiæ; nullum tamen admittit corpus neutrum per participationem morbi, & ſanitatis. Tum 2. quia Ariſtotel. *cap. de appoſitis*, inter ſanum & ægrum non admittit medium. Tum 3. quia Plato *Dialogo de iuſto*, diſputans de ſanitate & morbo, medium negat inter vtrumque, dicens: *Neceſſe eſt enim hominem vel ægrotare, vel non ægrotare.* Tum quia ſanitas & morbus comproducuntur; ſanitas ea compoſitione,

E vnitate, & temperie debitis; morbus ex alterius ea his defectu, & ſimul in his perfectio, & imperfectio in parte non poteſt dari: Tum quia ſanitas eſt de genere boni, & bonum fit ex integra cauſa: Tum quia ſanitas ea Auicenna *fen. 1. 1. diſput. 1. cap. 1.* eſt *diſpoſitio per quam corpus humanum in ſua complexione, & compoſitione tale exiſtit, vt ex eo operationes omnes eius perueniant incolumes*: ergo ſimul cum ſanitate non poteſt morbus reperiri.

§. II.

Compatibilitas morbi cum ſanitate proponitur.

REſoluendum 1. Quòd eſt latitudo intra quam ſimul in eodem ſubiecto, & in eadem parte poſ-

ſunt reperiri ſanitas, & morbus. Sic probauimus *ſect. de ſanitate diſput. de morbo, & ſympt.* Sic rationibus.

Probatur 1. Qualitates quæ ſunt contrariæ, & habent latitudinem ſecundùm magis & minus, in qua poſſunt in maiori aut minori intenſione reperiri in aliquo ſubiecto, non poſſunt non habere ſimul aliquid de ſuo contrario, quod ad intenſionem aut remiſſionem earum intendatur, aut remittatur; ſed ſanitas habet latitudinem, ſecundùm quam poteſt in homine reperiri, inquit enim Galenus *lib. artis medicinalis c.7. Quo fit vt tota ſanitatis latitudo inter partes, quarum ſingulæ latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit autem prima quidem ſalubrium corporum, ſecunda neutrorum, tertia inſalubrium. Poſt quæ deinceps ſequuntur quæ iam ægrotant corpora; quæ ſenſibilibus operationum læſionibus diſtinguuntur.* Ergo ſanitas ſimul cum morbo reperitur in ſubiecto. Probatur maior: intra latitudinem debitam duabus qualitatibus contrariis, non poteſt dari vacuum, alias fieret generatio ſecundùm quid ſine alterius corruptione, & fieret corruptio ſine alterius generatione, contra Ariſtotelis doctrinam *lib. 1. de generatione.* Sed intra latitudinem ſanitatis quæ remittitur, ſi non ſimul produceretur morbus, daretur vacuum reſpectu latitudinis, ſecundùm quam remittitur, vt de ſe patet: ergo in latitudine qualitatis, quæ intenditur aut remittitur, non poteſt non eſſe aliquid de contraria qualitate.

Probatur 2. Sanitas & morbus ſunt contraria: vt ex Galeno, & Ariſtotele omnes admittunt; ergo poſſunt ſimul in eodem ſubiecto reperiri. Probatur conſequentia. Contraria ex Ariſtotele *cap. de oppoſitis,* ſunt quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt: ſed non poteſt vnum contrarium alterum expellere, quin ſit in eodem ſubiecto, in quo eſt quod illud expellit: ergo ſanitas & morbus ſimul in eodem ſubiecto reperiuntur.

Probatur 3. Lædere operationes eſt intrinſecum morbo; ſicut illas perficere, ſanitati: ſed ſimul & ſemel in eodem ſubiecto, & in eadem illius parte ſiunt aliquæ operationes naturales, & aliæ læſæ, vt in febre, & aliis morbis apparet, in quibus aliquando rectrices actiones perfectiores ſiunt in cerebro & ſimul coctiones, & reliquæ naturales actiones vitiantur, aut è contra: ergo reperiuntur ſimul ſanitas à qua perficiuntur aliæ, & morbus à quo aliæ læduntur.

Probatur 4. fundamentum ex quo reſultat ſanitas, habet latitudinem intra quam, quantò recedit à ſanitatis fundamento, tantùm accedit ad fundamentum, ex quo reſultat morbus: ergo antequam ex toto recedat à ſanitate, accedit ad aliquid morbi.

Probatur 5. Reliquæ qualitates contrariæ ſunt compatibiles ſimul & ſemel, in gradibus non excedentibus latitudinem in eodem ſubiecto, & in eadem parte illius, etiamſi contrariæ ſint: ergo ſanitas & morbus, etiamſi ſint qualitates contrariæ, ſunt compatibiles in aliquibus gradibus ſimul & ſemel in eodem obiecto. Patet conſequentia. Ideò reliquæ qualitates poſſunt ſecundùm gradus non excedentes latitudinem ſimul reperiri, quia ſolùm contrariantur ſecundùm gradus incompatibiles: ſed eadem eſt ratio reſpectu ſanitatis & morbi: ergo etiam poſſunt eſſe ſimul.

§. III.

Contraria ſententia nouis fulcitur fundamentis.

RESoluendum 2. Quòd ſolus calor additus cenſendus eſt febrilis: ſic tenet Gentilis. Sequitur

A Garcia *in ſen. 1. 4. quæſt. 7.* Matamoros *lib. 1. de febribus, diſputatione 11.*

Probatur 1. ex horum fundamentis; Tum ex Galeno *lib. 1. ad Glauconem cap. 1. 5. Nam quantum vnumquodque à naturali ſtatu recedit, ad tantam morbus magnitudinem peruenit:* Tum quia febrilis calor eſt cenſendus ille, qui petit curari contrariis remediis, quibus ſolus excedens petit vti: Tum quia ſolus excedens gradus eſt præter naturam: Tum quia eſt à quo ſolo prouenit læſio, quæ ab aliis prouenire non poteſt: ergo ſolus excedens gradus caloris dicendus eſt febrilis.

Probatur 2. A nobis calor febrilis ille tantum eſt
B dicendus ad cuius poſitionem reſultat præternaturalis diſpoſitio lædens operationes: ſed ea ſola poſitione gradus excedentis reſultat, & ex ſola eius ablatione aufertur: ergo ſolus ille gradus ſuperadditus debet dici febrilis pro materiali.

Probatur 3. vt patet ex nuper dictis: Sanitas & morbus ſimul reperiuntur in eodem ſubiecto: ſed ſanitas reſultat ex calore proportionato pro actionibus: Ergo morbus ſeu præternaturalis diſpoſitio reſultat ex ſolo ſuperaddito calore.

§. IV.

C
Soluuntur Auerroïs fundamenta.

AD 1. reſpondetur: Quod calor præexiſtens, & calor additus, licet in eſſe caloris ſint idem, in eſſe fundamenti ſanitatis, aut morbi, ſeu præternaturalis diſpoſitionis, differunt ſpecie: quia à calore moderato reſultat ſanitas, qua ipſe modificatur, vt perfectas eliciat operationes; à calore addito, prout præternaturalis reſultat morbus, ſeu præternaturalis diſpoſitio, qua afficitur ad morboſe operandum: & ideò actiones quæ proueniunt ab illo calore, vt præternaturali, ſunt læſæ.

Contra: calor remiſſus ſimul exiſtens cum calore intenſo non poteſt operari, quin ſimul operetur calor intenſus: ergo quæcumque actio prouenit à calore, dum ſimul adeſt calor additus, erit læſa.

D Reſpondetur negando conſequentiam. Pro quo nota, quòd in probabili opinione gradus ſunt inæqualis perfectionis, & quòd gradus perfectiores valent producere omnes gradus inferiores, quia illos virtute continent, ita vt octauus gradus caloris; primum, ſecundum, ac reliquos inferiores valeat producere: & ideò quando primus gradus caloris producit alium, ſecundus, tertius, & reliqui gradus concurrunt cum illo ſimul ad primi gradus productionem; ſed non operantes, vt ſunt ſecundus, tertius, aut quartus gradus, ſed tantùm vt continent virtutem producendi primum gradum; quia effectus debet correſpondere virtuti producenti, & terminus productus ſicut
E eſt gradus vt vnus; fit à gradu vt vno, non à reliquis perfectioribus, niſi ſecundùm quòd virtualiter continent illum in virtute vt vnum.

Ex quo patet ad argumentum. Quòd ratione ſanitatis modificantur ad benè operandum omnes gradus caloris, tam præexiſtentes quàm ſuperadditi, ſecundùm quòd habent virtutem moderatam agendi; & omnes, ſi eliciant actionem debitam calori moderato & naturali, naturalem eam eliciunt, quia per ſanitatem modificantur ad bene operandum. At verò gradus additi dum operantur per virtutem intenſiorem excedentem moderationem debitam virtuti, tunc actio eſt læſa, quia elicitur à gradu caloris qui modificatur per morbum ad operandum, dum operatur per virtutem excedentem moderationem debitam

debitam calori. Et ideò licèt non poſſent inferiores gradus caloris operari, quin operentur ſimul additi intenſiores gradus, tamen actio non fit læſa, quia operantur perfectiores gradus ſecundùm gradus remiſſos. & ad operandum cum illis in proportionata moderatione ſunt modificati per ſanitatem; ad vlteriores verò, per morbum.

Ad 2. reſpondetur: Quòd calor ſuperadditus eſt febrilis, & morbus; calor remiſſior eſt ſanitas pro materiali, quæ ſimul petunt eſſe, vt ſimul reſultent ſanitas & morbus pro formali. Ad probationem maioris reſpondetur: Tum 1. quòd ſanitas & morbus poſſunt dupliciter conſiderari: vno modo in gradibus remiſſis, ſecundùm quos non valent denominare corpora ſana, aut ægra: ſicut in tepido, nec calor, nec frigiditas denominant ſubiectum calidum, aut frigidum: alio modo in gradibus intenſis, ſecundùm quos denominant ſubiectum ſanum, aut ægrum. Galenus non negat quòd corpora neutra non habeant ſanitatem & morbum ſimul, ſed quòd non denominantur ab illis ſana, aut ægra, quia non ſunt intenſa vt poſſint denominare; & dicuntur neutra, per abnegationem ſanitatis, & morbi, valentium denominare illa ſana, aut ægra. Tum 2. quòd Ariſtoteles docet, quòd inter ſanum & ægrum non datur corpus medium, quod poſſit abſolutè ſanum, aut ægrum nominari, ob rationes dictas. Tum 3. quòd Plato intendit, quòd nullum corpus poteſt ſubſiſtere, quin ſit morbo, aut ſanitate affectum, vel vtroque: quod docuit Galenus *lib. de different. morborum.* Tum 4. quòd ſanitas oritur ex temperie, compoſitione, & vnitate, debitis, & totaliter proportionatis intra debitam latitudinem; ideò docuit Galenus quòd exquiſitiſſima ſanitas durat per inſtans, permanet tamen diu in determinata latitudine, intra quam tanto homo accedit ad morbum, quanto recedit ab illis; & è contra. Tum 5. quòd Auicenna definit exquiſitiſſimam ſanitatem, ſeu explicat id quod illi debetur. Tum 6. quòd ſanitas licèt ſit de genere boni, habet latitudinem, in qua ſunt plures gradus latitudinis; nam alia eſt exquiſitiſſima, alia tenuis & parum conſtans, quæ dicitur inſalubris; alia eſt neutra, in qua nec morbus excedit, nec ſanitas: & intra iſtam latitudinem, etiamſi ſanitas ſit de genere boni, conſeruatur, vltra illam ex quocumque defectu deficit.

Resolvtio IV.

Vtrùm ſit intrinſecum febrili calori quòd ſit accenſus in corde?

§. I.

Proponitur opinio vulgaris.

OMnes Arabes Commentatores communi aſſenſu defendunt, quòd omnis calor, vt ſit febrilis, debet eſſe in corde accenſus, & ab ipſo communicari. His fulti,

Primò ex Auicenna. Tum 1. quia intendens agere de morbis omnibus corporis partibus communibus, febris tractationem proſequitur, nec ipſa communis morbus poteſt eſſe, niſi cordi communicata, ab ipſo in omnes partes communicaretur. Tum 2. quia *fen.* 1.4. c.1. febrem definiens, inquit quòd eſt calor extraneus accenſus in corde. Tum quia *cap.* 38. *ſequenti* agens de febre Ephemera, inquit, *Calefit enim aer eius, & perueniens ad cor, & fit febris* Ergo ex Auicenna debet calor accendi in corde, vt ſit febris.

Secundò Probatur ex doctrina Galeni, Tum 1. lib. de different. febrium, cap. 3. §. *ex quarum numero febris eſt vna, quando in corde quædam præternaturalis caliditas generatur.* Tum 2. paucis interpoſitis §. *Eſt quidem ſanè, & hoc ipſum calor præter naturam, nondum tamen febris, niſi cor vnà calefiat.* Tum 3. lib. de fractur. comment. 2 3. 6. *Conſequens eſt, vt à corde febris oriatur.* Tum, 4. lib. 7. methodi cap. 8. §. *Illud nobis perſuadentes huiuſmodi affectum febris proportione reſpondere, quippe quòd illa vel in toto animalis, vel in corde eſt.* Tum 5. colligitur ex libro *de cauſis morbor. cap. 2. lib. de cauſ. pulſuum cap. 7. lib. 8. Methodi cap. 1 lib. de different. morbor. cap. 5.* aliiſque in locis.

Tertiò ſuadet ratio: Tum 1. Quia pulſus magnus, celer, & creber, ex quo ſumitur febris cognitio, non niſi à cordis calore poſſunt prouenire. Tum 2. Quia in febre omnium operationum fit læſio, quod non niſi à morbo communi communicato à corde poteſt prouenire. Tum 3. Quia febris petit communicari medio ſanguine & ſpiritu; & ideò à principio, à quo ſpiritus fiunt, & mouentur, debet communicari: ergo non poteſt eſſe calor febrilis niſi à corde ſic communicatus.

§. V.

Calor independenter à corde fit febrilis.

REſoluendum: quod calida intemperies, in quacumque corporis parte ſit læſiua operationum, fit febrilis, ſine dependentia à corde. Tenet Guertetus *in diſputatione de natura febris.*

Probatur 1. ex Galen. *lib. 1. Aphoriſm. comment.* 16. *& lib. 1. de morbis acutis comm.* 18. in quibus docet, quòd febris *eſt conuerſio naturæ caliditatis in igneam naturam:* ſed in qualibet parte independenter à corde id valet contingere: ergo poteſt fieri febris in qualibet parte independenter à corde.

Probatur 2. Calor communicatus à corde in partem, & calor repertus in illa independenter à corde eiuſdem intenſionis, ſunt eiuſdem naturæ, & valent eaſdem numero lædere operationes: ergo ſi dicitur febris prout communicatus à corde, etſi non communicetur ab illo, febris erit.

Probatur 3. Nullum accidentale alicui poteſt eſſe de intrinſeca ratione eius cui accidentale eſt: ſed oriri à corde eſt accidentale febri; ergo non eſt de intrinſeca illius ratione. Probatur minor. Oriri à corde eſt cauſari à corde: ſed cauſari ab alio eſt rei productæ extrinſecum & accidentale, cùm cauſari ab alio dicat ordinem ad illud, cui ordo eſt quid extrinſecum: ergo oriri à corde eſt accidentale febri.

Probatur 4. Morbus non conſtituitur in eſſe morbi ratione ſubiecti in quo inhæret, ſed ex modo afficiendi illud: ſed calor qui inhæret in corde à modo afficiendi illud præternaturaliter induit febris rationem: ergo calor ſimili modo afficiens quamlibet aliam corporis partem, ſine dependentia à corde erit febrilis. Patet Conſequentia; quia cùm præternaturalis ille calor, in quacunque corporis parte inhæreat, ſit vnus ſecundùm ſpeciem, tribuet eundem effectum formalem, eandémque retinebit naturam, ac eſſentiam.

Probatur 5. Quòd conuenit alicui in quantum tale, conuenit omnibus, quibus conuenit illud tale: ſed cordi habenti calorem præter naturam conuenit quòd habeat febrem: ergo cuicumque parti independenter à corde habenti calorem præter naturam, conuenit habere febrem independenter à corde.

Probator 6. Galeni authoritate: Tum *lib.* 10. *Methodi c.* 3. §. *Qui præcipuè quidem eſt vtilis, cùm quod primò afficitur, ipſum eſt cor, quamuis confert & in reliquis febribus non parum.* Ecce ex Galeno alias febres diſtinctas à calore cordis. Tum *lib.* 6. *de morb popularibus p.* 1. *tex.* 29. §. *Primæ autem differentiæ ſunt, & præcipuæ, & ex propria, vt dixi, febrium eſſentia acceptæ, quæ per calorem traduntur.* vbi Galenus ex ſolo calore eſſentiam, & differentias febris deſumit. Tum *in comm.* 19. § *Eſſentia verò febrium eſt, non ſecundùm Hippocratem modò, ac præclariſſimos Medicos, ſed etiam ſecundùm omnium hominum conſenſum, præter naturam caliditas, maximè quidem in totum animal diffuſa, ſiue minus vel plurimis in partibus, vel in nobiliſſimis accenſa*: Ergo ex Galeno in qualibet parte alia à corde ſit caliditas præter naturam, eſſentiam febris obtinet.

§. III.

Soluuntur fundamenta vulgaris opinionis.

AD. 1. Reſpondetur, quòd duplex eſt febris: alia quæ eſt morbus particularis; alia quæ morbus vniuerſalis dicitur: de hac tantum loquitur Auicenna, & hanc tantum definit; quia ex huius cognitione, quæ communior & periculoſior eſt, altera faciliter ex ea cognoſcitur, & quia iuxta huius curationem altera faciliùs curari poteſt.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd vtramque febrem cognouit Galenus, & de vtraque loquitur; de febre particulari, *locis adductis* in vltima probatione reſolutionis: de febre quæ eſt morbus communis, *locis adductis* in hoc argumento.

Ad 3. Reſpondetur: Tum 1. Quòd pulſus differentiæ adductæ ſunt ſigna febris, prout eſt morbus communis, non cuiuſuis febris, vt docuit Galen. 6. *Epid. comment.* 29. §. *Primæ autem ſunt, & præcipuæ differentiæ, & ex propria, vt dixi, febrium eſſentia acceptæ, quæ per calorem traduntur, neque enim in arteriarum motu febrium eſſentia continetur*: Tum 2. quòd in febre, quæ eſt morbus communis ſit læſio omnium operationum; ſi in aliqua, non in febre particulari: Tum 3. quòd febris, vt ſit morbus communis, debet medio ſanguine, & ſpiritu communicari, non vt ſit febris particularis.

Resolutio VII.

Vtrùm medio ſanguine, & ſpiritu petat communicari calor febrilis?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & eius fundamenta.

DE febre, quæ eſt morbus vniuerſalis, quam definiuit Auicenna; inquirimus an vt ſit morbus communis omnibus particularibus, debeat illis communicari medio ſanguine, & ſpiritibus vitalibus? Carceit. *in ſum.* 1. 4. *d ſp.* 2. *c.* 1. *q* 2. iudicat quòd non requiritur ad rationem febris vniuerſalis, quòd actu communicetur à corde in omnes corporis partes: ſed ſufficit quòd poſſit communicari, licèt actu tantùm ſit in corde: Quòd autem febris non ſit communicabilis à corde in reliquas partes medio ſanguine & ſpiritibus, communiter probant Authores. Tum 1. quia per continui alterationem poſſet calor præternaturalis communicari ſine ſanguine & ſpiritibus: Tum 2. quia ſanguis, & ſpiritus calefacti à corde valent deferre calorem in partes, ſimiliter fuligines, & alia quæuis ſubſtantia calefacta communicare febrilem calorem valent: Tum 3. quia ſoli ſpiritus ſine ſanguine ſufficiunt communicare calorem: ergo non eſt intrinſecum febri, quòd communicetur medio ſanguine & ſpiritu.

Secundò: Febris hectica eſt morbus vniuerſalis: ſed non communicatur medio ſanguine, & ſpiritibus: ergo non eſt intrinſecum febri vniuerſali, quòd eius calor communicetur medio ſanguine & ſpiritibus. Probatur minor. Calor hecticus eſt calor habitualis pullulans ab anima vt determinata per temperamentum ſubſtantificum peruerſum versùs igneitatem: ſed calor medio ſanguine & ſpiritu communicatus eſt calor actualis à cauſa extrinſeca communicatus, & independenter ab anima, dependens ab illis: ergo non communicatur medio ſanguine & ſpiritu.

Tertiò: Si mediis ſpiritibus communicaretur calor febrilis, omnis febris eſſet diaria, cùm penderet à calore præternaturali ab ſpiritibus communicabili partibus: ergo non poteſt communicari omnis febris mediis ſpiritibus.

§. II.

Explicatur modus quo febrilis calor petit communicari.

REſoluendū: Quòd ſpiritus vitales, prout à corde per arterias, & venas communicantur partibus, ſunt cauſa vt febrilis calor communicetur illis.

Pro cuius intelligentia eſt notandum. Quòd omnis calor febrilis impartitur omnibus partibus non ab humoribus, quia iſti, aut ſolis venis maioribus, aut ſimul in minoribus, aut, vt alij volunt, in pancreis, & partibus primæ regionis putreſiunt, nec in corde ſunt, nec ab illo in partes poſſunt deferri, ſed ab ſpiritibus vitalibus, qui, vt *part.* 1. *Reſol. Medic.* probauimus, ſunt in corde, & reliquis partibus calidiores, ipſi tamen nec cor, nec reliquas partes calefaciunt in ſtatu naturali, quia eorum calor moderatur ab aëre pulſu, & reſpiratione attracto, prout requiritur pro conſeruatione animalis, & pro ſuis operationibus. At verò dum ab aliqua præternaturali cauſa calefit corpus, vt ab humore aliquo putrido, aut calore habitualiter ab anima orto, aut ſi ipſi vſtione, aut putredine calidiores reddantur, quàm deberent eſſe in ſtatu naturali; tunc, cùm calefiat aër attractus, nec ſpirituum calorem valeat attemperare, in ipſis præternaturalis oritur calor, & cùm ipſi ſpiritus continuò deferantur à corde in omnes partes, maiori ex parte per arterias, aliqua ex parte per venas, quatenus ſunt commixti ſanguini; hinc prouenit, vt ab illorum calore alteratæ omnes partes febrilem, & præternaturalem recipiant calorem, qui licèt ſemper communicetur à ſpiritibus, Medici triplicem diſtinguunt febrem, quia triplex eſt ſubſtantia, in qua oritur calor, à quo impeditur attemperatio caloris ſpirituum: & quia ad curationem requiritur ablatio eius ſubſtantiæ, quæ ſuo calore impedit attemperationem, ideò triplicem per ordinem ad illam diſtinguunt febrem: non quia à qualibet in omnes partes immediatè ſit communicabilis calor; ſed quia quælibet illarum in cauſa eſt, vt ſit communicabilis ab ſpiritibus.

Probatur 1. Reſolutio ex dictis. Mediâ eâ ſubſtantiâ debet impartiri febrilis calor in omnes partes, quæ & ſit calidior illis, & apta vt deferatur ad omnes: ſed ſpiritus vitales ſunt calidiores reliquis partibus, & ſoli illi ſunt apti, & deſtinati, vt pro earum calefactione deferantur in omnes: ergo mediis ſpiritibus repertis in arteriis, aut ſanguine communicatis debet impartiri.

Probatur 2. ex Auicenna, qui in definitione febris vniuerſalis ſic ſancivit: & ex illo adnotarunt omnes Commentatores.

Probatur 1. Deficientibus ſpiritibus vitalibus, etiam ſi remaneant partes hecticæ cum temperamento peruerſo, ſi ne maneant intra corpus humores qui putreſcunt, aut vruntur, ſtatim deſinunt partes febricitare; & frigidæ apparent, vt in ſyncope ſuperuenicore in febriente apparet; vel conſpicitur in cadauere, in quo putridi humores adhuc remanent: ergo mediis ſpiritibus communicatur febrilis calor omnibus partibus.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd per continuam alterationem à corde in patuam diſtantiam tantùm poſſet præternaturalis calor communicari. Tum 2. Quòd fuligines ſunt frigidæ; & licèt fierent calidæ, aut alia quæuis ſubſtantia, non ſunt pro eis viæ deſtinatæ ſicut pro ſpiritibus, nec poſſet ita eſſe calidæ ſicut ipſi, licèt per arterias illis commixtæ poſſent deferri. Tum 3. Quòd ſpiritus ſoli ſunt qui communicant calorem, ſed ponit Auicen. *medio ſanguine*, vt denotet quòd non ſolùm ſpiritus parati à ſanguine communicant calorem febrilem delati per arterias, ſed etiam qui per venas deferuntur commixti ſanguini.

Ad 2. Reſpondetur: quòd licèt calor hecticus pullulet ab anima medio temperamento ſubſtantifico peruerſo communicatur medio ſanguine, & ſpiritu à corde calor coadiuuans, vt non impediatur pullulatio caloris hectici in partibus ab aëre ambiente; & hoc ſufficit quòd ſalvetur hecticæ communicatio, quia communicatur id, ſine cuius adiuuamine ipſa non pullularet.

C Ad 3. reſpondetur, Quòd licèt ab ſpirituum calore fiat febrilis caloris communicatio in partes, non omnes febres dicuntur diariæ, quia febris ratio in vſu medico deſinitur à calore illius ſubſtantiæ, quæ impedit quominus ſpirituum calor poſſet attemperari, & ideò ſi iſte calor habitualis ortus ab anima, tota febris dicitur hectica; ſi ab humoribus, humoralis; ſi ob ſpirituum putredinem, aut vſtionem intendatur ſpirituum calor, & ideò non valeat attemperari, dicitur febris diaria; & in curatione intenditur ſemper ablatio eius cauſæ, à qua oritur calor impediens attemperationem, quo ablato, febris curatur.

D

Resolvtio VIII.

Vtrùm febris lædat omnes operationes naturales?

§. I.

Aperitur difficultas: proponitur pars affirmatiua.

NAturales dicuntur actiones dupliciter, vno modo, quæ ſunt gradus vegetatiui, ſolet enim anima vegetatiua naturalis dici, vt conſtat ex Galeno *l. 1. de facult. naturalib. c. 1.* Alio modo dicuntur actiones E naturales, quia naturaliter ſunt debitæ in ſtatu naturali, ſeu quia fiunt naturali modo a facultatibus animali naturaliter debitis, vt patet ex G l. *l. 1. de cauſis ſymptom. cap. 1. 6. Naturæ nomen in hac diſceptatione pro omni facultate, qua animal ſine voluntatis motu, ſine citra hunc regat, intelligas velim.* In hac acceptione inquirimus, An ſit vera Auicennæ particula, in qua dicit quod *lædit operationes naturales?* Auerroës *l. 3. Collectaneorum c. 31.* iudicat omnes naturales operationes lædi a febre Illum ſequuntur Gentilis, inter modernoires Euſtachius Rhudius *l. 3 c 4.* Mercurialis *lib. 4. Practicæ c. 1* Pereda

A *in Paſchalium l. 2.* & alij. Pro quibus ſtant rationes ab Auerroë adductæ.

Primò: Vitiato inſtrumento, quo eliciuntur aliquæ actiones, neceſſariò debent lædi omnes operationes, quæ per illud fiebant: ſed calor influens, qui eſt inſtrumentum, quo omnes actiones fiunt, læditur per febre: ergo in febre omnes actiones naturales læduntur.

Secundò: In aliqua natura calida à naturali calore fiunt omnes actiones naturaliter: ergo ſuperueniente febrili calore, ac præternaturali, omnes fiunt læſæ.

§. II.

Pars ſuſtinenda eligitur.

REſoluendum: Quòd non eſt neceſſarium omnes B operationes lædi in febre: ſic Mercatus *lib. 1. de febrib.* Maſſarias, *in praxi* Carreirus *in fen. 1. 4.*

Probatur; Cùm ſit latitudo in temperie debita vnicuique facultati pro ſuis operationibus: ſed aliæ habent maiorem latitudinem, intra quam facultas naturaliter operatur, quàm aliæ: ergo in febrili calore poteſt poni vel in eodem ſubiecto in diuerſis partibus, vel in diuerſis ſubiectis in eadem parte calida temperies, quæ pro aliis actionibus ſit proportionata, pro aliis improportionata. Probatur minor, nam in parte frigidiori, vel in ſubiecto frigido diuerſo latitudo eſt, intra quam calor lædat, quàm in bilioſo ſubiecto, aut in parte bilioſa; ideò enim bilioſi facilius delirabunt, & melancholici, quàm pituitoſi: ergo datur latitudo intra quam poteſt magis, aut minus lædere febris.

C

§. III.

Soluuntur Auerroïs fundamenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd calor influens eſt inſtrumentum omnium operationum: ſed medio illo fiunt, vt cum tali latitudine, ita vt aliæ potentiæ petant naturaliter calorís maiorem quàm aliæ, ſic rectrices potentiæ, & loco-motiuæ cum intenſiori calore fiunt perfectiones, quàm pulſifica ac vegetatiua, & in bilioſis minor intenſio febris ſufficit pro delirio, quàm in melancholicis: quod idem contingit in artificialibus, in læſione ſerræ pro aliis actionibus potius quàm pro aliis ſit impedimentum, ſi vitiatur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd, calore febrili ſuperue- D niente, fient omnes præternaturales, ſi febrilis calor exuperet latitudinem, quæ debetur pro illis; non verò reſpectu earum pro quibus manet intra latitudinem, in qua vicem gerit naturalis inſtrumenti.

Ex quo patet 1 quòd propoſitio Auicennæ eſt indefinita; docens, quòd febris valet omnes lædere operationes, non in quauis intenſione, ſed in ea in qua exuperet latitudinem requiſitam iuxta naturam facultatis, aut propriæ illius temperiei.

Resolvtio IX.

Vtrùm caliditas iræ, & laboris poſſit eſſe febris?

E

§. I.

Fulcitur pars affirmatiua.

VIdetur quòd ſic. Primò: Quia calor eſt febrilis, quia præternaturalis: ſed calor ab ira, aut labore communicatus eſt præternaturalis, & improportionatus: ergo eſt febrilis.

Secundò: Ira eſt animæ paſſio: ſed excedens calor ortus ab animæ paſſione eſt febrilis: ergo caliditas Iræ eſt febrilis. Patet minor. Quia animi pathemata ponit Galenus & Auicenna inter febrium cauſas.

§. II.

Sancitur doctrina Auicennæ.

RESoluendum: Quòd calor excedens ab ira & labore proueniens, ſi non fiat in humoribus, ſpiritibus, aut partibus ſolidis habitualis, non eſt dicendus febris.

Probatur 1. Quia quoad vſum medicum ille calor dicendus febrilis, qui cauſam habet permanentem intra corpus, & per cuius ablationem petit auferri: ſed calditas iræ, & laboris dum non vltimatur, & fit per modum facti in ſpiritibus, humoribus, aut partibus ſolidis, non poteſt conſeruari intra corpus, nec illius ablatio indiget ablatione alterius cauſæ: ergo non eſt dicendus febrilis.

§. III.

Soluuntur Rationes dubitandi.

AD 1. reſpondetur: quòd licèt calor ille ſit improportionatus, non habet cauſam conſeruatiuam, nec indiget auxilio medico, quo auferatur; & ideò licèt habeat phyſicam entitatem febrilem, non tamen quæ ſpeculatur à Medico, qui ſolum agit de diſpoſitionibus præternaturalibus, quæ dum superueniunt, indicant ſui ablationem per auxilium medicum; non autem præternaturales diſpoſitiones, quæ ſine illo poſſunt auferri, quales ſunt illæ quæ pendent à cauſa quæ ex ſe aufertur, & ex cuius ablatione aufertur ſimiliter talis diſpoſitio.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ira cauſat calorem dupliciter: vno modo quatenus in illa ſanguis, & ſpiritus mouentur ad cor, de qua inquit Diuus Thomas, quòd eſt efferueſcentia ſanguinis circa cor, & hic calor, ceſſante paſſione, remittitur ſine medico auxilio; alio modo cauſat calorem, quatenus occaſio eſt, vt ſpiritus & ſanguis commoti putredinem, aut vſtionem patiantur, & tunc fit febris diaria, aut humoralis, quæ quia pendet à calore habituali in ſpiritibus aut humoribus petit remedium medicum, quo auferatur cauſa, & febris.

RESOLVTIO X.

Vtrùm febris ſubiectum ſit aliud à Subſtantia viuente?

§. I.

Schegkij & Saluſtij Siluiani referuntur opiniones.

SChegkius triplex febrium adinuenit ſubiectum in noſtro corpore: pro diaria ſpiritus; pro humorali humores; pro hectica ſubſtantiam viuentem. Sed cùm ſpiritus & humores non viuant, & morbus ſit paſſio viuentis; Siluianus *l. 1. de re medica*, hoc triplex ſubiectum contendit adinuenire diuerſum in ipſo corde, in quo triplicem diſtinguit ſubſtantiam; fibroſam, ac ſeminalem, in qua inhæret hectica; ſpirituoſam, in qua inhæret diaria; carnoſam, in qua inhæret humoralis febris; ita vt cor vnicum ſecundum diuerſas ſui partes omnium febrium ſit dicendum proprium ſubiectum.

Prima opinio in eo fulcitur, quòd datur triplex differentia febrium, humoralis, diaria, ac hectica; quæ omnes ſolùm differunt penes diuerſum ſubiectum inhæſionis, in quo per modum habitus quælibet exiſtit: ſed hectica ſola exiſtit in ſubſtantia viuentis per modum habitus: ergo diaria in ſpiritibus, humoralis in humoribus, per modum habitus petunt inhærere: nulla enim alia eſt ſubſtantia intra noſtrum corpus quæ poſſit eſſe ſubiectum inhæſionis.

Secundæ opinionis fundamentum, eſt quod morbus cùm ſit paſſio viuentis, debet inhærere viuenti, & cùm febris ſit morbus vniuerſalis reſpiciens cor per ſe primò, debet in ipſo aſſignari ſubſtantia in qua inhæreat; & cùm triplex febris detur, diuiſione deſumpta ab ipſo ſubiecto, triplex ſubſtantia in ipſo corde, quæ pro triplici febre habeat rationem ſubiecti debet aſſignari: ergo in corde admittenda eſt fibroſa ſubſtantia pro febre hectica, ſpirituoſa pro diaria, carnoſa pro humorali febre tanquam illius determinatum ſubiectum.

§. II.

Deciditur ſubiectum inhæſionis febris vt ſic.

RESoluendum 1. Quòd quælibet pars viuens, in qua poteſt inhærere calor præternaturalis lædens operationes, eſt proprium ſubiectum inhæſionis Febris.

Probatur: Proprium febris ſubiectum eſt quæcumque viuens ſubſtantia, in qua poteſt inhærere præternaturalis calor lædens operationes, cùm hic ſit febris: Sed nulla eſt pars viuens, in qua non poſſit inhærere calor præter naturam lædens operationes: ergo quælibet pars viuens noſtri corporis eſt aptum ſubiectum in quo poſſit inhærere febris.

§. III.

Traditur ſubiectum febris qua eſt morbus communis.

RESoluendum 2. Quòd febris, quæ eſt morbus communis toti corpori, habet pro ſubiecto cor, & reliquas noſtri corporis partes.

Probatur: Illa febris dicitur morbus communis, à qua læditur cor, & ab illo medio ſanguine & ſpiritibus calor diffunditur per omnes corporis partes: ergo in illa ipſum cor, & reliquæ corporis viuentes partes ſunt proprium ſubiectum.

§. IV.

Explicantur ſubiecta inhæſionis caloris febrilis prout eſt habitualis.

RESoluendum 3. Quòd calor febrilis habitualis, prout abſtrahit ab hoc quòd dicatur febrilis, propriè, aut cauſaliter habet pro ſubiecto inhæſionis ſpiritus, humores, & ſolidas corporis partes.

Probatur: Calor habitualis dicitur, qui ortus à forma ab ipſa valet foueri, ac conſeruari: ſed febrilis calor qui ortus à forma, valet ab illa conſeruari, & vt præternaturalis toti corpori communicari, non poteſt non oriri in ſpiritibus, humoribus, aut partibus viuentibus: ergo febrilis calor habitualis in ſpiritibus, humoribus, aut partibus viuentibus debet neceſſariò, vt habitualis eſt, inhærere. Patet minor, quia ſolùm ſpiritus, humores, & viuentes partes adintegrant animal, tanquam ſubſtantiæ, ex quibus valet pullulare calor à forma.

§. V.

Soluuntur fundamenta Schegkij, & Saluſtij.

AD Schegkij fundamentum dicimus: Quòd triplex genus datur diſtinctum penes ſubiecta, in quibus calor, qui eſt febris, aut cauſa febris, intra

corpus

corpus inhæret. Vnde licèt febris tantum dicatur, prout viuenti inhæret, ipſe tamen calor, qui eſt febris, & viuenti inhæret; prout pullulat ab anima, & eſt per modum habitus in partibus viuentibus, dicitur hectica febris. Prout pullulat in ſpiritibus, & ab illis communicatur partibus viuentibus; in ſpiritibus dicitur febrilis cauſaliter; in viuentibus partibus, dicitur febris. Sic ſimiliter qui pullulat ab humoribus, in illis eſt habitualis & febrilis, viuenti communicatus, eſt febris, quia ſolum prout viuenti inhærens eſt morbus.

Ex his patet ad fundamentum Siluiani: quòd quilibet calor viuenti inhærens, ſi præternaturalis, eſt febris; diſtinguitur tamen penes tria ſubiecta, in quibus vt febrilis oritur, & à quibus fouetur, aut communicatur viuenti.

SECTIO II.

De differentiis febrium.

Tametsi febris pro formali vna ſit diſpoſitio præternaturalis, & febris pro materiali vnus ſit præternaturalis calor; variæ tamen penes illum attenduntur differentiæ accidentales, deſumptæ ex eis, ex quibus pro ipſa febre curanda variæ poſſunt deſumi indicatiuæ curationes. Et ideò febris ratione ſubiecti inhæſionis alia dicitur particularis, alia toti corpori vniuerſalis. Ratione modi quo fit præternaturalis calor; alia fit ſola acquiſita noua intenſione, quæ febris ſimpliciter dicitur; alia ratione modificationis ſolius, aut modificationis, & ſimul intenſionis caloris, & talis dicitur maligna aut peſtilens. Ratione diuerſi caloris, alia febris dicitur mordax, alia mitis, alia vehemens, alia remiſſa. Ratione temporis, alia dicitur nocturna, alia diurna, alia dicitur continua, alia intermittens. Ratione accidentium febres concomitantium, alia febris dicitur colliquans, alia horrifica, alia Aſodes, alia Helodes, alia ſyncopalis, alia Epiala, alia Lipyria. Ratione verò cauſæ, à qua febrilis calor oritur, & à qua fouetur, & conſeruatur habitualiter; alia febris dicitur diaria, alia humoralis, alia hectica. Et hæc eſt præcipua, ac prima diuiſio, à qua primo indicatio curatiua deſumitur, & cui reliquæ ſuperueniunt differentiæ febrium accidentales; & iuxta illam proſequemur infra reliquarum febrium diuiſiones, indicationes, & curationes.

Resolvtio I.

Vtrùm ſub febre ſint aliquæ eſſentiales differentiæ?

§. I.

Valleſij, Mercati, Mercurialis, & aliorum opinio proponitur.

Communiter recipiunt Medici aliquas eſſentiales differentias eſſe admittendas; ſed non communi aſſenſu hanc profitentur opinionem. Mercurialis *lib. 5. de febribus cap. 2.* iudicat, quod differentiæ, quæ vt eſſentiales admittuntur à Medicis, metaphorice debent dici tales, quia febris eſt accidens, & omne accidens eſt ens metaphoricum. Sed cur accidentia, ſi non ſunt eſſentia, ponantur in prædicamentis; non explicat vir iſte aliàs Philoſophus. Mercatus *lib. de febribus* diuiſionem febris, in febrem habitum, & febrem diſpoſitionem iudicat eſſentialem: & ſimul admittit, quod febris calor, prout in ſpiritibus, etiam poteſt dici habitualis. Valleſius *lib. 4. Controuerſiarum, c. 2. & in compendio de febribus*, nullam aliam differentiam febrium iudicat eſſentialem, niſi qua diuiditur in habitum, & diſpoſitionem. Paſchaſius *in ſcholiis lib. 5.* differentias febris deſumptas à materia tenet dicendas eſſe eſſentiales. Idem tenet Rhodius *lib. 3. de febribus c. 5.* quos ſequuntur & alij.

Quibus fauet Primò, Galenus, qui *lib. de differentiis febrium.* antiquiores reprehendit, quia nullas eſſentiales febrium differentias adduxerunt. Hippocratem verò laudat, qui *lib. 6. Epidemiorum, p. 1. text. 19.* quatuor adducit Febrium differentias. Prima: *Febrium hæ quidem manui ſunt mordaces, hæ verò mites, hæ autem non mordaces, ſed poſt inſurgentes, aliæ verò acutæ, ſed quæ manui ſuccumbunt.* Secunda: *Febres quædam ſunt ſtatim exardentes, quædam ſemper puſillæ, & ſiccæ.* Tertia: *Febres aliæ ſunt ſalſuginoſæ, quædam ſtatibus plenæ, aſpectui graues, nonnullæ tactui humectæ.* Quarta: *Febres aliæ vehementer rubidæ, pallidæ aliæ, & aliæ huiuſmodi.* Sed ex his Galenus loco citato tres priores eſſentiales iudicat: ergo plures differentiæ eſſentiales febrium ſunt admittendæ.

Secundò: febris eſt calor: ſed ſub calore ſunt plures differentiæ eſſentiales: ergo febris poteſt habere plures differentias eſſentiales. Probatur minor. Tum quia Conciliator *diff. 59. & 87.* & Fernelius *lib. 2. de abditis rerum cauſis c. 7. & l. 4 Phyſiologiæ, c. 1.* reſpectu caloris elementalis, cœleſtis, & viuentis; id conſtanter defendunt. Tum 2. Quia caloris diuiſio in calorem febrilem, ſeu præter naturam; & calorem naturalem, eſt diuiſio eſſentialis caloris in proprias ſpecies: ſicut enim effectus illorum differunt ſpecie, ſimiliter debent & ipſi calores ſpecie differre. Tum 3. Quia calor præternaturalis corrumpit naturalem, vt apparet in putredine, quæ eſt corruptio caloris natiui à calore extraneo: ex quo apparet quòd non ſint eiuſdem ſpeciei, nihil enim ſibi eſt contrarium. Tum 4. Quia morbus & ſanitas differunt: & conſequenter debent differre calor naturalis, in quo conſiſtit ſanitas, & calor præternaturalis qui eſt morbus: ergo ſub calore ſunt plures differentiæ eſſentiales.

Tertiò; Habitus & diſpoſitio ſunt ſpecies qualitatis: ſed febris diuiditur in hecticam, quæ eſt habitus, & in humoralem, & diariam, quæ ſunt diſpoſitiones: ergo febris diuiſibilis eſt per differentias eſſentiales.

§. II.

Modernorum amplector opinionem.

Reſoluendum: Quòd nullæ dantur febris eſſentiales differentiæ. Sic tenet Carrerius *ſen. 1. 4. diſp. 3. q. 5.* & Matamoros *lib. 1. de febrib. tract. 2. diſp. 6.*

Probatur 1. Omnis febris eſt calor, vt demonſtrauimus: ſed omnis calor eſt vnus ſecundum ſpeciem: ergo omnis febris eſt vna ſecundum ſpeciem. Probatur minor. Tum 1. Authoritate Auerroïs *5. Collectan. cap. 5.* vbi hanc defendit doctrinam, quem ſequuntur Valleſius *lib. de Sacra Philoſophia*, Veiga, *lib. 1. de different. febrium c. 1.* Carrerius *ſen. 1. 5. diſp. 34.* & alij citati à nobis *Part. 1. reſolut. Medicar.* Tum 2. quia calor cœleſtis eſt diſpoſitio ad ignem, vt demonſtrant radij in ſpeculo recepti à Sole, & reflexione calorem ſtupæ communicantes, ad cuius intenſionem ſequitur forma ignis, quæ non niſi ab elementali calore, vel ab illo eiuſdem ſpeciei poteſt produci. Tum 3. Quia calor

A viuentis prouenit ab eius forma mixta, vt virtualiter eminenter contineat ignem; & ideò eiuſdem ſpeciei debet eſſe cum ignis calore, vt demonſtrauimus *part. 1. Reſolutionum Medicarum. Diſput. 2. ſect. 2.* Tum 4. quia intenſio fit à ſimili qualitate in ſpecie, & calor viuentis intenditur, & à calore cœleſti, & elementali calore. Tum 5. quia cum vni vnum ſit contrarium ex Ariſtot. *lib. metaph.* & in *lib. de cœlo* ſi differrent ſpecie, non poſſet eſſe frigus contrarium calori cœleſti, elementali, & viuentis, quod demonſtrat experientia, niſi eſſent vnius ſpeciei calor: ergo omnis calor eſt vnus ſecundum ſpeciem.

Probatur 2. Differentiæ, quæ dantur per aliqua accidentia diuiſi, ſunt accidentales: ſed differentiæ ab B Hippocrate adductæ omnes dantur per aliquod accidentale calori febrili, vt diſcurrenti patebit; ergo omnes ſunt differentiæ accidentales.

Probatur 3. Si aliquæ eſſent differentiæ eſſentiales febris, maxime ea, qua febris diuiditur in febrem habitum, & febrem diſpoſitionem: ſed hæc diuiſio tantum poteſt dici modalis; ergo nulla diuiſio febris eſt eſſentialis. Probatur minor. Tum quia in probabiliori opinione habitus, & diſpoſitio, & aliæ ſpecies qualitatis non ſunt eſſentiales, ſed maiori ex parte modales. Tum quia ſecundum rem febris diaria, humoralis, & hectica ſunt diſpoſitio: & hectica tantum poteſt dici habitus ſecundum modum quo inhæret, non autem ſecundùm rem; quia in re omnis calor eſt facile mobilis à ſubiecto: ergo hæc diuiſio tantum poteſt dici C modalis.

§. III.

Soluuntur primò adducta propter propoſita fundamenta.

AD 1. reſpondetur: quòd febrium differentiæ, licèt non ſint eſſentiales, quia non dantur per differentias eſſentiales diuidentes febrem; vocantur à Galeno eſſentiales, quia reſpectu curationis, quam maxime intendit medicus, ſunt quammaxime neceſſariæ.

Ad 2. Reſpondetur Tum 1. Quòd deuiant à veritate Conciliator & Fernelius. Tum 2. Quòd calor naturalis, & præter naturam non differunt in eſſe caloD ris, niſi tantùm modaliter; quia à calore vt moderato reſultat ſanitas, qua modificatur ad bene operandum: à calore vt immoderato reſultat morbus, quo modificatur ad malè operandum. Tum 3. Quòd calor natiuus non corrumpitur à præternaturali in eſſe caloris; cùm potius intendatur: ſed ſolùm variatur modificatio, ratione cuius mutatur operatio. Tum 4. Quòd quia morbus, & ſanitas ſunt modi inter ſe ſpecie diuerſi; & calor modificatur per illos ad operandum naturaliter, aut præternaturaliter; inde prouenit, quòd calor naturalis, & præternaturalis non differant eſſentialiter, ſed tantum modaliter.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd habitus, & diſpoſitio ſunt in duplici differentia: alter eſt habitus, ſeu diſpoſitio ſecundùm rem, & ſecundum modum; alter E eſt habitus ſecundum rem, qui ſecundùm modum poteſt eſſe diſpoſitio, qualis eſt ſcientia dum inchoat, vt docet Diuus Thomas: altera eſt diſpoſitio ſecundum rem, quæ dicitur habitus ſecundùm modum, quo inhæret ſubiecto, qualis eſt febris hectica, quæ quia calor eſt, eſt diſpoſitio, & qualitas facilè mobilis à ſubiecto; at verò ex modo quo inhæret, quia fouetur ab anima in partibus viuentis, licet ex natura ſua ſit facile mobilis, ſit difficile mobilis ſecundum modum.

Resolvtio II.

Vtrùm diuiſio febris, in febrem morbum, & febrem accidens ſit admittenda?

§. I.

Donati ab Altomari, Mercati, & aliorum refertur opinio.

FEbrem morbum nullus non admittit Medicorum: Sed quòd aliqua febris poſſit dici accidens, contradicit Auicenna *fen. 1. 4. tract. 1. c. 1.* ſequuntur Donatus ab Altomari *lib de medendis febribus p. 1. c. 10.* Ludouicus Mercatus *tom. 2 l. 2.* Mallarias *l. 7. Praxeos:* quorum hæc ſunt fundamenta.

Primò: ſi febris eſſet accidens ſeu ſymptoma, vel eſſet ſymptoma in exeunte mutato, vel in qualitate mutata, vel in actione læſa: ſed non eſt exiens mutatus nec actio læſa, cùm nec conſiſtat in ſubſtantia, nec in actione; nec eſt qualitas mutata, cùm qualitas mutata, quæ eſt ſymptoma, non lædat operationes, ſicut lædit omnis febris: ergo nulla eſt febris quæ non ſit morbus.

Secundò: Omnis febris eſt entitas permanens; ſed accidens conſiſtit in motu aut actione: ergo Febris non eſt accidens.

Tertiò: Si aliqua Febris eſſet accidens, maximè illa quæ oritur ex inflammatione: ſed Febris orta ex inflammatione non poteſt dici accidens: ergo nulla Febris poteſt dici accidens. Probatur minor. Tum 1. Quia omnis Febris lædit operationes; & quidquid lædit per ſe primò operationes eſt morbus. Tum 2. Quia inflammatio non eſt cauſa febris, niſi ratione putreſcentis humoris manentis in illo; ratione cuius non poteſt accidens dici, aliàs febris orta ex putredine humoris intra venas etiam eſſet Febris accidens: & nulla febris humoralis eſſet Febris morbus. Tum 3. Quia ſi Febris orta ex inflammatione, quia oritur ab illa, dicitur accidens; ſimiliter febris quæ à triſtitia, aut alia paſſione animæ, quia oritur ab illa eſſet accidens; & omnis quæcumque febris, quæ ab alia quacumque cauſa oritur. Tum 4. Quia ſub nullo genere febrium poteſt admitti: ergo febris orta ex inflammatione non eſt accidens.

§. II.

Amplectitur pars affirmatiua.

REſoluendum affirmatiuè. Sic tenet Matamoros *lib. 1. de febribus tract. 2. diſp. 8.* & citati ab ipſo. Vega, Gentilis, & alij Auicenniſtæ. Rhaſis *lib. 17. continentis, c. 2.* Fernelius *lib 8. Patholog. cap. 8.* Euſtachius Rhudius *lib. 3. c. 7.* Valleſius *l. 5 Controuerſiarum c. 23. & l. 1. de differentiis febrium* Mercurialis *l. 5. practic c. 2.* Brauus Salmanticenſis *lib. de different. febrium* quos eoſdem Authores citat, & ſequitur Doctor Cyprianus de Maroja *l. 1. de different. febrium, q. 6.* Probatur 1. ex Galeno *l. 1. artis curatiuæ ad Glauconem cap. 3. §. Reliquæ verò febres nonnullæ ex humoribus accenduntur, & quæ ex inflammationibus fiunt, ſunt veluti quædam accidentia partium phlegmone laborantium:* Ergo aliquæ febres ſunt accidens.

Probatur 2. Si aliquid obſtaret quo minus febris poſſet dici accidens, maxime quia omnis febris eſt morbus: ſed non eſt inconueniens; quòd morbus poſſit eſſe ſymptoma, ſeu accidens: ergo non eſt inconueniens, quod detur aliqua febris, quæ ſit ſym-

toma,aut accidens Probatur minor:non eſt inconueniens,quòd aliqua entitas,quæ eſt accidens ſubſequutum à morbo, ratione cuius dicitur ſymptoma, valeat lædere operationes,& reſpectu huius dicatur morbus, vt appatet in febre ex bubone orta: ergo non eſt inconueniens,quòd id,quod eſt morbus,poſſit eſſe ſymptoma ſeu accidens.

Probatur 3.Si ab intemperie reperta in aliqua parte trahatur humor,fit tumor præter naturam: ſed huiuſmodi tumor reſpectu intemperiei à qua fit,eſt ſymptoma,ſeu accidens;reſpectu actionum quas lædit, eſt morbus: ergo ſicut in morbis in mala compoſitione tumor poteſt dici morbus accidens;in morbis in intemperie febris orta à tumore poterit dici febris accidens.

§. III.

Soluuntur primò adducta fundamenta.

AD 1. reſpondetur:Quòd febris eſt ſymptoma in qualitate mutata, & quòd qualitas mutata, vt ſymptoma non lædit operationes, quia ſymptoma, vt ſymptoma eſt, solùm habet quòd ſit effectus neceſſariò ſubſequutus à morbo; at verò ſi illud quod eſt ſymptoma,vlterius habeat rationem morbi,prout talis habebit lædere operationes.

Ad 2.Reſpondetur: Quòd accidens,ſeu ſymptoma in actione læſa conſiſtit in actione; reliqua verò vel ſunt ſubſtantia,quale eſt exiens mutatum;vel qualitas, quale eſt qualitas mutata.

Ad 3.Reſpóndetur:Tum 1. Quòd febris lædit operationes,prout eſt morbus,non verò prout dicitur accidens,ſeu ſymptoma;quia vt ſic ſolùm dicit,quòd ſit id,quod neceſſariò ſequitur ad morbum.Tum 2.Quòd febris orta à putredine inflammationis dicitur accidens, ſeu ſymptoma,quia ſequitur ab eo, quod morbum conſtituit;& quod ad morbum ſequitur,eſt ſymptoma;febris verò orta ab humorum putredine, cùm non ſequatur à morbo,non dicitur morbi effectus,ſeu ſymptoma.Tum 3.Quòd febres ortæ ab animæ paſſionibus,vel ab aliis cauſis, quæ non ſunt morbi,non dicuntur febris accidens, quia ſolum intendimus illam febrem denominare accidens,quæ eſt ſymptoma ſubſequutum à morbo. Tum 4. Quòd febris accidens orta ex putredine humoris contenti in phlegmone eſt febris humoralis, cùm oriatur ex calore communicato ab humore putreſcente, licèt poſſet diaria cum illa complicari, & ideò vocatur diaria à Galeno, vel quia in illa non apparent ſigna febris putridæ,quæ eſt morbus communis.

Ad 4.Reſpondetur:Quòd quælibet febris accidens reducitur ad genus cauſæ materialis,à quo fouetur.

Resolvtio III.

Vtrùm febris Lipyria ſit febris morbus, aut accidens?

§. I.

Valleſij, & Matamoros opiniones proponuntur.

MAtamoros *lib.1.de febribus tract.2.diſp.10.* cum Lipyria febris ſit, in qua interiora vruntur, & exteriora algent, duplicem eam admittit cum Galeno *lib.de inæquali intemperie c.7.* quem ſequitur Auicenna *fen.1.4.tr.2.c.50* Alia quæ fit ex bile putrida partes internas vrente, & ex imputri, & frigida pituita reperta in externis partibus, & ipſas infrigidante. Alia fit ab interni alicuius visceris inflammatione, ſeu phlogoſi ad ſe trahente ſpiritus vitales,& ſanguinem extranearum partium,quorum defectu ipſæ frigent;interiora verò eorum præſentia calidiora redduntur. De hac aſſerit eſſe febrem accidens ſubſequutum ab inflammatione, vt intendit Gal.4.*Aphoriſm.com.*48. & ſubſcribit Aëtius *tetrabili 1.ſermone* 2.c.88. Alteram verò lipyriam non eſſe accidens,ſed tantùm morbum; quod doceri contendit à Gal.7.*Aphor.comm.*73.Valleſius verò *lib.5. controuerſ.c.9.*nullam lipyriam eſſe accidens,ſed morbũ aſſerebat, quia non procedit ab inflammatione tanquã à cauſa conſeruante,ſed tanquam à cauſa remota.

Quòd autem febris lipyria proueniens ab inflammatione ſit accidens,probatur: Quia febris illa dependet continenter ab inflammatione,quæ eſt morbus,ab eius poſitione ponitur, ad eius ablationem auferiur: ergo eſt accidens,ſeu ſymptoma ſubſequutum ab illo.

§. II.

Lipyria ex putredine orta, admittitur quòd ſit morbus.

REſoluendum: Quòd febris lipyria,quæ non pendet ab inflammatione,prout febris eſt,non eſt febris accidens.Probatur:febris lipyria, prout febris eſt, non pendet ab alio morbo,ſed tantum ab humore bilioſo putreſcente in partibus internis:ſed omnis febris, quæ vt febris eſt accidens,eſt ſymptoma ſubſequutum ab alio morbo,ſeu inflammatione: ergo febris lipyria ex bile putrida orta non eſt febris accidens.

§. III.

Lipyria orta ex inflammatione quid ſit?

REſoluendum 2.Quòd febris lipyria orta ex interni viſceris inflammatione,eſt febris accidens, prout febris eſt. Probatur: febris accidens dicitur quæ vt ſymptoma ſequitur ad morbum:ſed febris lipyria orta ex inflammatione ad inflammationem ſequitur tanquam illius ſymptoma: ergo eſt febris accidens.

§. IV.

Vtriuſque febris deciditur ratio ſymptomatis.

REſoluendum 3. Quòd ratio conſtitutiua febris lipyriæ in eſſe talis, vtrique febri eſt accidens. Probatur:Ratio conſtitutiua febris lipyriæ in eſſe talis eſt frigiditas concomitans illam:ſed concomitans frigiditas reſpectu cuiuſuis febris eſt accidens, quod poteſt adeſſe,& abeſſe à febre,ſine illius corruptione:ergo reſpectu rationis conſtitutiuæ febris lipyriæ in eſſe talis rectè dicitur,quòd vtraque lipyria eſt accidens.

§. V.

Soluuntur dubitandi rationes.

EX dictis patet quid dicendum ſit pro rationibus dubitandi.

A

Resolvtio IV.

Vtrùm ſint differentiæ accidentales febris in communi?

§. I.

Partitur febris in Factam, & Fientem.

Reſoluendum 1. Quòd febris alia eſt fiens, alia febris facta. Sic deducitur ex Hippocrat. *lib. 3. Epidemiun. p. 1. text. 29.* & ex Galeno *lib. 8. Methodi. c. febris fiens eſt febris, quæ ſecundum eſſe & ſecundum modum quo inhæret in viuentibus partibus eſt diſpoſitio.* Vt apparet in febre Diaria, & humorali, quæ licet ex modo quo inhæret in ſpiritibus & humoribus calor ſit habitualis, prout ſit febrilis communicatus partibus viuentibus, eſt diſpoſitio ſecundum modum, & ſecundùm rem. Febris facta, eſt quæ licèt ſit *diſpoſitio ſecundùm eſſe, ſecundùm modum eſt habitus.* & ideò dicitur febris habitualis: huiuſmodi eſt febris hectica, quæ eſt calor per modum habitus inhærens viuenti, a cuius forma oritur. B

§. II. C

Partitur febris i. Simplicem, & Compoſitam.

Reſoluendum 2. Quòd febris alia eſt ſimplex alia eſt compoſita: ſic tenet Galenus *lib. 1. de differ febrium*, quem ſequitur Auicenna *fen. 1. 4. tr. 1. c. 1.* Febris ſimplex eſt. *quæ alteri non eſt complicata*, vt ſi ſola ſuperueniat Tertiana. Febris compoſita eſt, *quæ alteri complicatur*, vt ſi ſimul Diaria cum humorali; aut humoralis cum hectica reperiatur.

§. III.

Partitur febris in Continuam, & Intermittentē.

Reſoluendum 3. Quòd febris alia eſt Continua, alia Intermittens, ſeu interpolata: ſic ducet Galenus *lib. 2. de differentiis febrium. c. 1.* & Auicenna *fen. 1. 4. tr. 1. c. 1.* Febris continua eſt, *quæ continuò affligit ſine eo quòd perueniat ad infebricitationem*: ſic contingit in Diaria, & hectica; in continente, & aliquibus aliis humoralibus. Febris intermittens eſt, *quæ peruenit ad infebricitationem*. D

§. IV.

Partitur febris in Acutam, & non Acutam.

Reſoluendum 4. Quòd febris alia eſt acuta, alia non acuta: ſic deducitur ea doctrina Hippocratis *lib. 5. Aphoriſm. a 3.* & ex Gal. *lib. 3. de diebus decretoriis c. 12.* Febris acuta eſt, *quæ intrà quatuordecim dies terminatur non ſine periculo.* Febris non acuta eſt, *quæ terminatur vltrà quatuordecim dies non ſine periculo.* E

§. V.

Partitur febris in Chronicam, & non Chronicam.

Reſoluendum 5. Quòd febris alia eſt chronica, alia non chronica: ſic tenet Auicenna *fen. 1. 4. tract. 1. c. 1.* Febris chronica eſt, *cuius duratio in longum tempus protrahitur.* Febris non chronica eſt, *cuius duratio non protrahitur.*

§. VI.

Febris diuiditur in Nocturnam, & Diurnam.

Reſoluendum 6. Quòd febris alia eſt diurna, alia nocturna: ſic tenet Auicenna *fen. 1. 4. tr. 1. c. 1.* Febris diurna eſt, *quæ maiori ex parte per diem affligit.* Febris nocturna eſt, *quæ maiori ex parte affligit per noctem.*

§. VII.

Partitur febris in Putridam, & non Putridam.

Reſoluendum 7. Quòd febris alia eſt putrida, alia non putrida. Sic tenet Gal. *lib. 1. de differem. febr.* & Auicenna *fen. 1. 4. tr. 1. c. 1* Febris putrida eſt, *quæ ex putredine alicuius ſubſtantia corpus adintegrantis oritur.* Sic communiter contingit fieri febres humorales, & rarò febres Diarias; rariſſimè verò febres hecticas. Febris non putrida eſt, *quæ ſine putredine in aliqua parte corpus adintegrante fit.* Sic communiter fit hectica, & Diaria, & hunt febres ſynochi ſine putredine.

c. VIII.

Partitur febris in Diariam, Humoralem, & Hecticam.

Reſoluendum 8. Quòd febris alia eſt diaria; alia humoralis; alia hectica. Celebratiſſima hæc diuiſio deſumitur ex Hippocrate *lib. 6 Epidem. p. 8 sex. 13.* Eam docuit Gal. *lib de different. febrium, c. 1. & c. 2.* Sequitur omnis Dogmaticorum conſenſus. Febris diaria eſt *calor febrilis ortus ab ſpirituum vitalium præternaturali calore.* Febris humoralis, eſt *calor febrilis ortus ob humorum præternaturalem calorem.* Febris hectica eſt, *calor febrilis ortus ab anima determinata per ſubſtantificum temperamentum per exceſſum calidorum elementorum præuerſum.*

Resolvtio V.

Vtrùm calor, vt febris eſt, ſit diuiſibilis diuiſione accidentis in ſubiecta per ordinem ad ſpiritus, humores, & partes viuentes?

§. I.

Suadetur pars affirmatiua.

Videtur quòd ſic. Primò: Quia calor vt febris diuiſione accidentis in ſubiecta eſt diuiſibilis per ordinem ad ſubiecta, in quibus febris poteſt inhærere: Sed febris poteſt inhærere in ſpiritibus, humoribus, & partibus viuentibus: ergo poteſt diuidi per ordinem ad illa. Probatur minor. Poteſt inhærere in partibus noſtrum corpus adintegrantibus: Sed ex Hippocrate *lib. de alimento*, partes noſtrum corpus adintegrantes, ſunt *continentia*, id eſt partes viuentes: *contenta*. id eſt humores; *& impetum facientia*, ideſt ſpiritus: ergo febris poteſt inhærere in illis.

Secundò: Galenus *lib. de differem. febr.* diuidit febrem in humoralem, diariam, & hecticam: ſed febris Diaria eſt calor præternaturalis ortus in ſpiritibus: febris humoralis eſt calor præter naturam

ortus

ortos in humoribus: febris bectica, eſt calor præter naturam ortus ex partibus viuentibus: ergo diuiſio febris per ordinem ad hæc ſubiecta, eſt diuiſio accidentis in ſubiecta.

Tertiò: Auicenna *fen. 1. 4. doct. 1. c. 1.* definiens febrem docet, quòd ad eius eſſentiam requiritur, quòd ſit calor habitualiter inhærens in aliqua parte corporis: ſed in febre Diaria in ſolis ſpiritibus eſt per modum habitus; in Humorali in ſolis humoribus; in Hectica in ſolis partibus viuentibus: ergo per ordinem ad hæc ſubiecta poteſt diuidi diuiſione accidentis in ſubiecta.

§. II.

Pars præfertur negatiua.

Reſoluendum: quòd calor, qui eſt febris entitatiuè, non poteſt diuidi diuiſione accidentis in ſubiecta per ordinem ad ſpiritus, humores, & partes viuentes.

Probatur: Calor, qui eſt febris, eſt morbus pro materiali, ex cuius poſitione reſultat in parte, in qua inhæret, morbus pro formali, ſed morbus formaliter ſumptus non poteſt in hærere in parte non viuente: ergo calor qui pro materiali eſt febris, non poteſt inhærere in ſpiritibus, nec in humoribus: ergo nec diuidi diuiſio. ne accidentibus in ſubiecta per ordinem ad illa. Probatur minor: Morbus formaliter ſumptus, ſicut & ſanitas, ſunt diſpoſitiones ad benè vel malè eliciendas actiones vitales, & ideò dicuntur paſſiones viuentis: ſed diſpoſitiones ad benè, vel malè eliciendas vitales operationes non poſſunt recipi niſi in partibus viuentibus: ergo non poſſunt inhærere in parte non viuente.

§. III.

Præſcribitur diuiſum ad propoſita ſubiecta.

Reſoluendum 2. Quòd calor febrilis, prout abſtrahit à calore, qui entitatiuè eſt febris, aut ſolùm cauſaliter, diuiditur diuiſione accidentis in ſubiecta per ordinem ad ſpiritus, humores, aut partes viuentes.

Probatur: Calor præternaturalis, qui inhæret in partibus viuentibus, & febris entitatiuè inhærens in ipſo viuente; calor præternaturalis qui in ſpiritibus, aut humoribus inhæret eſt febrilis, in quantum communicatur ipſis partibus viuentibus: ergo calor febrilis, prout abſtrahit ab hoc quòd ſit febrilis cauſaliter, aut entitatiuè, eſt diuiſibilis diuiſione accidentis in ſubiecta per ordinem ad ſpiritus, humores, & partes viuentes.

§. IV.

Soluuntur rationes dubitandi.

Ad 1. reſpondetur: Quòd calor, qui eſt febrilis, petit inhærere non in quibuſlibet partibus adintegrantibus noſtrum corpus, ſed in illis tantùm, quæ illud adintegrant vt viuentes, quatum modificat vitales operationes.

Ad 2. reſpondetur: Quòd Galenus diuidit febrilem calorem per ordinem ad prædicta tria ſubiecta, & febrem humoralem vocat, eum, qui ab humoribus communicatus inhæret partibus viuentibus; Diariam verò eum qui communicatus ab ſpiritibus partibus inhæret viuentibus.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd Auicenna petit ad rationem febris, quòd ſit per modum habitus calor à quo fouetur febris: non tamen omnis calor qui eſt febris.

A

Resolvtio VI.

Quænam ſit magis adæquata febris diuiſio?

§. I.

Variæ omnium Medicinæ Sectatorum opiniones proponuntur.

Omnium Medicorum Sectæ diuerſis inſiſtendo principiis laborant in tradenda febrium adæquata diuiſione; ex quarum differentiis valeant diuerſas etiam acquirere vias curandi. Empirici minus laborioſi perſiſtunt; Morborum enim nec definitiones, nec cauſas perluſtrant; inſiſtunt in curatione ſimilia remedia pro ſimilibus morbis proponentes; & ideò apud iſtos nulla memorabilis differentiarum febrium ſubſiſtit notitia.

B

Methodici, qui tria genera morborum admittebant, ſcilicet in Laxitudine, in adſtrictione, & medio inter hos morbos; ad morbos in aſtrictione reducunt febres, & eas diuidunt ratione cauſarum in duo genera, quorum alterum deſumunt à cauſa efficiente, alterum à materia. Ratione materiæ, triplex genus admittunt cum Dogmaticis: alterum à ſpiritibus; alterum ab humoribus; alterum à partibus viuentibus deſumptum. Ratione efficientis cauſæ Aſclepiades duo conſtituit febrium genera: Alterum quod ſit ab atomorum ſtatione in corpore: & huiuſmodi febres vocat Mites: alterum quod ſit ab eorum corpuſculorum obſtructione, & febres huius generis vocat vehementiſſima.

C

Archiatri, ſiue Spagirici ſectatores, aliis inſiſtentes principiis, cùm tria admittant morborum genera; Alia quæ ex mercurio, alia quæ ex ſulphure, alia quæ ex ſale, ſeu tartaro fiunt; ſub morbis tartari febres conſtituunt: & Paracelſus *lib. de morbis tartari* tria conſtituit febrium genera, non deſumpta à materia, ex qua fiunt, quia hæc ſub tartaro eſt vna; ſed à parte in qua generantur: alia enim febris ſit in ſtomacho; alia in hepate; alia in renibus. Et hinc alia febris eſt ſtomachalis, & alia hepatica, alia renalis; & has curare contendit.

D

Ex Spagiricis delirus Vanhelmont nouam in medicina hæreſim intendens adſtruere, & Paracelſiſtis diuerſam, mente infirma procedens in mente ipſa febrem intimare conrehdens, qui cùm febrem conſtituat in Archæi indignatione *tract. de febrib. c. 11.* iuxta diuerſas cauſas Archæum indignantes, febrium conſtituere differentias intendit. Et has tres eſſe admittit, vel admixtionem rei extraneæ; vel impreſſionem peregrinam; vel Indignationem ab errore; à quibus ſi Archæus indignatur, triplex febrium genus prouenire poſſe delirauit.

Dogmaticorum plerique, tam antiqui, quàm moderniores adæquatam febrium diuiſionem, deſumendam eſſe penes ordinem ad Continentia, Contenta, & Impetum facientia, decernunt. Sed diſcordes ſunt in determinando, an ſecunda hæc diuiſio coincidat cum Humorali, Diaria, & Hectica febre.

E

Plures non coincidere ex Iunioribus tenent: Quia plures ſunt febres, quæ nec ſunt Diariæ, humorales, nec Hecticæ; ſed continentur ſub febre, prout diuiditur per continentia, contenta, & impetum facientia; ergo amplior eſt diuiſio febris in continentia, contenta, & imperum facientia, quàm quæ datur per febrem diariam, humoralem, & hecticam. Probatur minor. Tum 1. quia ex Galeno *lib. 1. de febrib. cap. 7.* ex bubone oritur febris, quæ neq

nec eſt diaria, quia non fit à ſpiritibus; nec hectica, A quia non oritur à partibus viuentibus; nec humoralis, quia nulla apparent illius ſigna. Tum 2. Quia ſynochus ſine putredine admittenda ex Galeno *lib. 9. methodi c. 2.* &, vt apparet, nec eſt diaria, nec hectica, nec humoralis, quia nulla in illa apparent ſigna febris humoralis. Tum 3. Quia ex Galeno *lib. 8. methodi cap. 4.* febris poteſt oriri à chylo putrefacto, quæ à nulla ſubſtantia ex dictis poteſt denominari diaria, humoralis, aut hectica. Tum 4. Quia febris orta ex parte viuente, quæ putreſit, non poteſt ad aliquam illarum reduci. Tum 5. Quia febris quæ ablatis ſpiritibus, aut humoribus remanet, cùm ab illis non dependeat, à nullo illorum valet denominari. Tum 6. Quia ex excrementis tertiæ regionis fit febris, quæ B neque eſt diaria, neque humoralis, nec hectica, continetur tamen ſub febre ex contentis orta: ergo diuiſio febris per ordinem ad continentia, contenta, & impetum facientia, amplior eſt, quàm qua diuiditur in diariam, humoralem & hecticam.

Secundò: Febris humoralis, & diaria non ſunt veræ febris differentiæ: ergo febris non valet diuidi in illas. Probatur antecedens. Quia, vt probauimus, calor in ſpiritibus, aut humoribus non eſt febris entitatiuè; ſed tantùm cauſaliter.

Tertiò: Febris diaria, humoralis, & hectica ſunt vna febris, à qua vnum indicatur remedium attemperandi per frigiditatem: ergo diuiſio febris in illas non eſt generis in ſpecies, ſicut diuiſio per ordinem ad continentia, contenta, & impetum facientis. C

§. II.

Ex Dogmaticorum doctrina ſancitur diuiſio adæquata febris.

RESoluendum 1. Quòd adæquata eſt febris diuiſio, qua diuiditur per ordinem ad continentia, contenta, & impetum facientis. Sic ſanciuit Galenus *lib. de different. febrium.*

Probatur: de intrinſeca ratione febris, prout attinet ad Medici ſpeculationem; & conſtat ex Auicenna, eſt, quod vltimetur per hoc, quòd habeat in noſtro D corpore eſſe per modum habitus in aliquo ſubiecto, à quo foueatur, & conſeruetur: Sed triplex tantùm poteſt reperiri ſubiectum intra corpus, in quo febrilis calor valeat reperiri per modum habitus, à quo poſſit foueri, & conſeruari in partibus viuentibus: Ergo triplex genus febris per ordinem ad illud tantùm poteſt admitti. Probatur minor, ex Hippocrate *lib. de alimento*, vbi docet *redintegrari corpus ex continentibus, contentis, & impetum facientibus.*

§. III.

Febris diuiſio in diariam, humoralem, & hecticam non diuerſa indicatur ab ea, qua diuiditur per ordinem ad continentia, contenta, & E *impetum facientia.*

RESoluendum: Quòd febris diuiſio in diariam humoralem, & hecticam coincidit cum diuiſione febris per ordinem ad continentia, contenta, & impetum facientia.

Probatur 1. ex Galeno, qui per *impetum facientia* intelligit ſpiritus, per *contenta* intelligit humores, per *continentia* intelligit partes viuentes, *in commen. ad Hippocratis literam*: Sed febris diaria eſt quæ oritur à ſpiritibus; humoralis, quæ ab humoribus; A hectica, quæ à partibus viuentibus: Ergo diuiſio qua diuiditur per ordinem ad continentia, contenta, & impetum facientia, eadem eſt, ac diuiſio qua diuiditur in diariam, humoralem, & hecticam.

Probatur 2. Nulla eſt febris, quæ non ſit diaria, humoralis, aut hectica; aut quæ non ſit reducibilis ad illas, vt conſtabit ex ſolutionibus argumentorum: ergo nulla eſt febris ex continentibus, contentis, aut impetum facientibus, quæ non ſit diaria, humoralis, aut hectica.

§. IV.

Soluuntur dubitandi rationes.

B AD primi arg. probationes reſpondetur: Tum 1. Quòd febris orta ex bubone plerumque habet adiunctam diariam, & ideò ſolet diaria dici à Galeno, & etiam quia non ſunt in illa ſigna febris humoralis; propriè tamen dicenda eſt humoralis, prout pendet ab humore contento in bubone. Tum 2. Quòd ſynochus licèt ob rationes nuper dictas dici ſolet diaria, eſt humoralis, quia oritur & pendet à calore in facto humoribus. Tum 3. Quòd ad humores reducuntur omnes ſubſtantiæ: quæ vel ordinantur ad eorum generationem, vt chylus; vel ſuperſunt, vt eorum excrementa; vel ex excrementis eorum generantur: & ideò febres ex his ortæ dicuntur humorales. Tum 4. quòd febris orta ex partibus viuentibus, cùm pullulet ab anima, ſiue fiat ratione putredinis, ſiue ratione peruerſionis temperamenti ſubſtantifici, eſt he- C ctica. Tum 5. Quòd febris permanens ablatis ſpiritibus, aut humoribus, reducitur ad diariam, aut humoralem; prout ab his, aut illis fuit producta. Tum 6. Quòd febris orta ex excrementis tertiæ regionis reducitur ad humorem cuius ſunt excrementa.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd licèt calor qui inhæret in humoribus, aut ſpiritibus, prout inhæret in illis ſit ſolùm cauſaliter febris, prout ab illis fuit communicatus partibus viuentibus, eſt entitatiuè humoralis, aut diaria.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd febris diaria, humoralis, & hectica ſunt vna tantùm febris eſſentialiter; differunt tamen inter ſe diuiſione accidentali penes D reſpectus ad diuerſas, cauſas, quarum ablationem intendimus in curatione.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm ab humoribus non alteratis poſſit febris humoralis ſuperuenire?

§. I.

Fernelij refertur opinio.

E CVm tria ſint ſubiecta in corpore, ſpiritus, humores, & partes viuentes, in quibus valet febrilis habitualis calor per modum facti permanere, in dubium venit, quid in his ſuperueniat ſubſtantiis, ratione cuius febrilis foueatur ab illis calor: & primò de humoribus inquirimus; an ab aliquo intra ſtatum naturalem manente valeat oriri febris, & reſpectu eius febris, quam ſola modificatione fieri diximus, non diſputamus ſub hac reſolutione, ſed tantùm de febre noua incenſione adquiſita. Fernelius *lib. 4. de febrib. cap. 4. de bile*, fatetur quòd in ſtatu naturali poteſt febrem cauſare.

Cui fauet Primò Galenus, qui *lib. de morb. vulg.*

ſtil. 2.

*ſect.1.comm.*20. ea bile aduſta videtur docere fieri febrem, §. *Tertiana fit ex bile multò magis quàm inflammata, cauſus ex inflammata non multo.*

Secundò. Bilis in ſtatu naturali permanet, nec febrem valet accendere, dum ab alus humoribus frigidis eius caliditas attemperatur: Ergo ſi deficiant reliqui humores attemperantes, vel ipſa in maiori quantitate producatur, illius calor fiet intenſior, & febrilis, manente ipſa in ſtatu naturali.

Tertiò: dum bilis naturalis ſuperabundans expellitur ad partes exteriores noſtri corporis, quia ſeparatur ab aliis humoribus frigidis, à quibus attemperatur, calor ortus ab illa cauſat febrem: Ergo nulla adquiſita alteratione poteſt intra ſtatum naturalem manens, febrem cauſare.

§. II.

Negatiua pars præfertur.

Reſoluendum: Quòd nullus humorum, niſi extrahatur vſtione, aut putredine ab ſtatu naturali valet febrem cauſare. Sic communiter admittit ſchola Rationalium; & de reliquis humoribus communiſſima eſt omnium opinio, de bile.

Probatur 1. Tum ex Galeno *libro 2. de different. feb. capite* 2. vbi probat quòd à naturali bile non fiat febris, quia non prouenit ab hac, adhuc dum in vtero aggregatur magna bilis copia ab aliis humoribus ſeparata. Tum *libro 2. de different. febr. cap. vlt.* §. *At cum iam ad ſummum ſ[illegible] peruenerunt humores accenſi, &c.* Tum ex Aëtio *tetrab 2. ſerm.*1. *capite* 79. §. *Cùm igitur gignatur tertiana ex flaua bile putrefacta, ac mota, & extrauaſata*: Ergo non poteſt a bile febris cauſari, niſi ut alteratione à naturali ſtatu deuians.

Probatur 2. Intenſior calor eſt, qui oritur ab ſpiritibus vitalibus, cùm ſit calidior pars, quæ naturaliter poteſt in corpore reperiri, vt *part.*3. *Reſolut. medicar.* probauimus, quàm calor ortus à bile in naturali ſtatu: ſed à ſpiritibus non poteſt, ſi permaneant in naturali ſtatu; etiamſi augeantur, accendi febris diaria (vt patebit in reſolutione ſequenti) Ergo non poteſt febris à bile oriri manente intra naturalem ſtatum.

Probatur 3. Nullus finis eſt ob quem bilis in ſtatu naturali valeat producere calorem febrilem: ergo non debuit ab eius forma produci, præcipuè cùm ipſa, vt humor conſeruatiuus, & non vt corruptiuus producatur in corpore. Probatur antecedens: calor in bile ad nullum alium finem ordinatur, niſi ad illius conſeruationem: ſed continuò conſeruatur abſque febrili calore: Ergo intenſior ob nullum finem debuit in illa produci.

§. III.

Soluuntur rationes pro Fernelio adducta.

Ad 1. reſpondetur: Quòd Galenus admittit bilem inflammatam fuiſſe, antequam valeret tertianam cauſare.

Ad 2. reſpondetur: Quòd aliqualis calor remittitur in bile à frigidis humoribus; & aliqualis frigiditas in eis ab illa, ſed non tantus, vt licèt perueniret ad illum, febrem cauſare valeret.

Ad 3. reſpondetur: quòd humor efficiens Eryſipelatem eſt in ſtatu præternaturali; ideò enim à partibus pellitur, quia præternaturalis factus; maiori ad-

A quiſita acrimonia, & caliditate, partes irritat ad ſui expulſionem; & ideò febrem valet cauſare.

Resolvtio VIII.

Vtrùm ſpiritus ratione putredinis valeant febrem cauſare?

§. I.

B

Pereda opinio refertur.

Quòd ſpiritus vitales numquam ratione putredinis valeant cauſare diariam, contendit Pereda *lib. 1. Scholio* 1. Tum 1. Quia ſpiritus ſunt ſubſtantiæ tenuis, quia non valent obſtruere, nec abſque obſtructione poteſt fieri putredo. Tum 2. Quia ſpiritus continuò mouentur, & nunquam acquirunt quietem requiſitam, vt poſſint putrefieri. Tum 3. Quia non habent excrementitiam humiditatem, ſine qua non datur putredo. Tum 4. Quia ſi poſſent putrefieri, eſſet duplex diaria; alia à putredine, alia ab vſtione orta; quæ cùm non admittatur, non eſt di-
C cendum, quòd ratione putredinis fiat febris à ſpiritibus.

Secundò: ſpiritus vitales ſunt corde calidiores: ergo ſine putredine aut vſtione valent febrem communicare partibus.

Tertiò: Spiritus vitales aëre frigido inſpirato attemperati non valent febrem cauſare: ſed à calido aëre attemperari non poſſunt: ergo ſine putredine, dum aër eſt calidus, valent efficere febrem diariam.

§. II.

D

Sancitur communior opinio.

Reſoluendum: Quòd communiter ſpiritus ratione vſtionis febrem diariam cauſant: poſſunt tamen ratione putredinis cauſare illam.

Probatur ex Ariſtot. *lib.4. meteoror.* Omnia putreſcunt præter ignem. Et ex eodem, coctio, & putredo ſunt paſſiones mixtorum, ſed ſpiritus vitales ſunt mixta perfecta: ergo poſſunt putrefieri. Probatur minor; fiunt ex aëre, & ex ſanguine, qui mixtum perfectum eſt, valens animal, quod perfectiſſimum mixtum eſt, nutrire, vt *part.* 1. *Reſolut. medicar.* probauimus, ſed quod ex mixto recipit ad ſui eſſe mixtas materias, ſit mixtum: ergo ſpiritus vitales ſunt mixta perfecta.

Probatur 2. Humores in corpore putreſiunt, &
E ratione putredinis cauſant febrem; ergo ſimiliter ſpiritus vitales. Probatur conſequentia; nam ſimilis cauſa poteſt ſuperuenire pro putredine ſpirituum, ac pro putredine humorum in corpore: ergo eodem modo erit illis poſſibilis putredo.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

Ad 1. reſpondetur; Tum 1. Quòd licèt ſpiritus non obſtruant, poſſunt aliæ ſubſtantiæ obſtruere, & eſſe cauſa vt ſpiritus putreſiant.

Tum 2. Quòd motus non omninò impedit putredinem. Tum 3. Quòd ratione putredinis ſeparatur humidum à ſicco, & fit excrementitium. Tum 4. Quòd eſt vna diaria genericè, & non ſolet communiter partiri in ſpecies, quia rarò contingit quæ ſit ratione putredinis, & quia non petit diuerſam curationem omninò, in ordine ad quam maximè eſſet attendenda diuiſio.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt ſpiritus vitales ſint corde calidiores ſtatu naturali, non communicant febrilem calorem; quia ab aëre attracto attemperantur; niſi à partibus, ab humoribus, aut ab ipſis putrefactis, aut vſtis intenſior calor producatur in corpore impediens aëris attracti attemperationem.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd licèt aër ſit calidior, valet attemperare ſpirituum calorem; quia dum eſt calidus, trahitur in maiori copia, & nulla eſt tanta caliditas in aëre, vt non remaneat ſufficiens frigiditas ad attemperandum naturalem calorem ſpirituum, niſi impediatur ab illa cauſa calida intra corpus, vel ſpirituum calor fiat naturali intenſior.

SECTIO III.

De cauſis Febrium.

FEBRIVM cauſas annumerat Galenus *libro 1. de differ. febrium cap. 4. lib de cauſis morborum, cap. 2.* & ad quinque reducit genera, ad vlcinam rei calidæ: ad putredinem: ad obſtructionem, ſeu adſtrictionem; ad alimentum calidum; & ad motum. Quarum operandi modum tradidimus *part. 2. reſolut. medicar. in vniuerſam pathologiam*, diſputantes de cauſis morbi calidi. Proſequemur tamen huius doctrinæ elucidationem in examen adducentes aliquarum Sectarum opiniones.

Resolvtio I.

Vtrùm omnia genera cauſarum requirantur pro febrium generatione?

§. I.

Vanhelmont refertur inuentum; Paracelſi aſſenſus; Dogmaticorum dicendi modus.

EMpirici potiùs Operarij, quàm Philoſophi reſpuunt cauſas febrium inquirere. Methodici ad cauſas putredinis reducunt febrium cauſas. Dogmatici, qui febrem ponunt in priuatiuo pro formali, non eſſe illius ſpeculantur tantum, qui eſſe poſitiuum admittunt, cauſam finalem denegant; Quia febris, quatenus morbus eſt malum quid, quod finis rationem induere non valet: negant materialem, & formalem; cùm febris non ſit ens phyſicum ſubſtantiale: efficientem libenter admittunt, & de illa inſtituunt diſputationem. Paracelſus *lib. de morbis tartari*, materialem cauſam febrilis caloris iudicat eſſe tartarum, efficientem ponit putredinem; & ex his omnem febrem oriri contendit. Vanhelmont, qui febrem ponit in Archæi deturpatione, deturpans admittit obiectum, & imaginationem deturpantem pro febris cauſis.

§. II.

De febre pro formali deciſio.

REſoluendum: Quòd febris pro formali, prout eſt diſpoſitio præternaturalis, licèt habeat cauſam efficientem, non induit rationem finis.

Probatur: Cauſa finalis cuiuſlibet actionis eſt terminus illius primarius, & ſpecificatiuus; ſed febris pro formali, quæ eſt præternaturalis diſpoſitio, non eſt terminus primarius ſpecificatiuus actionis, per quam producitur: Ergo febris pro formali non induit rationem finis. Probatur minor; febris pro formali eſt diſpoſitio præternaturalis: quæ reſultat ex poſitione præternaturalis caloris in corpore humano, vt patet ex dictis: Ergo non eſt terminus primarius actionis, per quam producitur.

§. III.

De febre pro materiali deciſio.

REſoluendum: Quòd febris pro materiali induit rationem finis, & habet cauſam efficientem.

Probatur de cauſa efficiente: Quia impoſſibile eſt aliquid de nouo poni in rerum natura, quod ab aliquo non receperit eſſe, aliàs eſſet à ſe, & eſſet prima cauſa. De cauſa finali patet; Quia præternaturalis calor, qui eſt febris pro materiali, eſt terminus primarius & ſpecificatiuus actionis calefactiuæ, per quam producitur, & eſt propter quem agens ſeu cauſa efficiens operatur: ergo reſpectu illius induit rationem cauſæ efficientis.

§. IV.

Materialis cauſa denegatur febri pro materiali.

REſoluendum: Quòd Febris pro materiali non petit cauſam materialem ex qua fiat. Probatur; febris pro materiali eſt calor præter naturam, vt probauimus; ſed calor præter naturam non habet cauſam materialem: Ergo febris pro materiali non habet cauſam materialem. Probatur minor; per hoc differunt in modo ſuæ productionis ens ſubſtantiale, & accidentia: Quòd ens ſubſtantiale petit materiam ex qua fiat, & formam per quam fiat; accidens verò cum ſit entis ens, ſolum petit ſubiectum, in quo ſit: ſed calor eſt accidens; ergo non petit materiam ex qua fiat.

Resolvtio II.

Quid ſit cauſa efficiens febris?

§. I.

Varia Authorum referuntur opinione.

EMpirici febrem ſupponebant productam, ſolùm agentes de illius curatione. Methodici intendebant

calorem

calorem putrefactiuum cauſam cuiuſuis febris eſſe. Archiatri cum ſuo Paracelſo tenent quòd cauſa febris eſt calor in ſtomacho, iecore, aut renibus, putrefaciens tartarum. Vanhelmont febris cauſam docet eſſe obiectum indignans Archæum.

§. II.

Quid apud Dogmaticos ſit febris cauſa efficiens?

RESoluendum: Quòd cauſa efficiens Febris dicitur, quæ per ſe, vel per accidens febrem valet cauſare.

Probatur ex Galeni doctrina, qui *lib. de cauſis febrium*, eas enumerat cauſas efficientes febrium, quæ vel per ſe in corporis partibus calorem præternaturalem valent producere, vel quæ per accidens cauſa ſunt, vt ille producatur, vt obſtructio, adſtrictio, putredo, vicinia rei calidæ, & alia huiuſmodi: Ergo cauſa efficiens febris dici poteſt, quæcumque per ſe, aut per accidens valet febrem cauſare.

§. III.

Febrilis caloris immediata deſcribitur cauſa.

RESoluendum: Quòd cauſa caloris febrilis, prout abſtrahit ab hoc, quòd ſit febris entitatiuè, aut cauſaliter, eſt forma ſubſtantialis mixta, prout virtualiter eminenter continet elementorum calidorum formas.

Probatur: calor febrilis eſt calor præternaturalis qui in corpore inhæret habitualiter in continentibus, contentis, & impetum facientibus, vt ſuprà demonſtrauimus; ſed calor præternaturalis habitualis, qui inhæret in continentibus, contentis, aut impetum facientibus, prouenit ab eorum forma mixta, prout virtualiter eminenter continet formas elementorum calidorum: Ergo cauſa efficiens cuiuſuis febrilis caloris eſt forma mixta ſubſtantialis, prout virtualiter eminenter continet formas calidorum elementorum. Probatur minor. Calor Habitualis differt ab eo qui eſt per modum diſpoſitionis, quia hic communicatur, & fouetur ab extrinſeco; ille pullulat à forma mixta ſubſtantiali, vt determinata per ſubſtantificum temperamentum, peruerſum vſtione, putredine, reſolutione, aut inepta nutritione: Sed ille calor febrilis eſt habitualis, & per modum facti in continentibus, contentis, aut impetum facientibus: ergo prouenit ab eorum forma.

RESOLVTIO III.

Quotuplex ſit efficiens febrium cauſa?

§. I.

Auctorum referuntur opinationes.

CAuſa febris communiter ſic dicta, prout abſtrahit ab hoc, quòd per ſe, aut per accidens febrem cauſet, non communi aſſenſu ſub determinato numero clauditur ab Authoribus. Apud Empiricos reperio aliquas febrium differentias a Dogmaticis propalari, & recipi. Pro quibus ſua exhibent amu-

A leta, applicant herbas, aut ſuſurrant verba, vt pro Tertianis, aut Quartanis, quas ſic nominant, quia ſic nominari audierunt, ſed nullas inuenio inueſtigare cauſas. Methodici, qui laxos & adſtrictos admittebant morbus, & ſub adſtrictis collocabant febres, adſtrictionis cauſas pro febre tenentur admittere. Ex Dogmaticis antiquiores non nimis ſibi ſunt cohærentes. Hippocrates videtur aliquando aſſentiri: quòd febres omnes oriantur à bile, & pituita ſimul plerumque; alias verò quòd oriantur à flatibus. Diocles, vt refert Galenus *lib. de hiſtor. Philoſophorum*, inflammationem, tuberculum, aut vulnus in corde pro omni febre cauſas admittit. Eraſiſtratus, vt Galenus refert *lib. de natur. hum. c. 2.* omnium febrium

B indicat eſſe cauſam ſpiritus ſubintrantes miſtionem ſine febrientis aſſenſu factam. Aſclepiades corpuſculorum intra corpus inuicem occurrentium occurſum, omnium febrium determinat eſſe cauſam; vt meminit Galen. *lib. de tremor. & palpit.* & vt idem tenet *lib. 2. de different. febr. capit. 1.* Plato elementa in corpore omnium febrium eſſe cauſas conſtituit; ignis pro Tertianis, aër pro Quotidianis, terra pro Quartanis. Athenæus, vt Galenus docet *lib. 5. de different. febr.* vnam omnium febrium cauſam admittit putredinem. Apollophanes omnes febres iudicat fieri à tumore magno in corde orto. Cœlius Aurelianus ſolam raritatem conſtituit febrium cauſam. Theophraſtus Paracelſus *lib. de morb. tartari.* putre-

C dinem tartari cauſatam à ventriculi, iecoris, aut renum cacoptagia teſtatur eſſe cauſam omnium febrium: Vanhelmont *tract. de febrib. capite 11.* duas admittit febrium cauſas: alteram imaginationem cognoſcentem Archæi deturpationem; alteram obiectum deturpans, quod negat eſſe aliquem humorum, iudicatque eſſe degener alimentum, quod non potuit conuerti in ſubſtantiam, non vt putrefit, ſed vt inter aſſimilandum degenerat; & ſuperaddit, quod degenerat tripliciter admixtione rei extraneæ, vel impreſſione peregrina, vel errore indignati vel auocati Archæi. Has nugas, deliramentaque typis mandauit inſanus iſte ſcriptor.

§. II.

D

Galeni proponitur placitum.

GAlenus *lib. de cauſ. morbor. capite 2. libro 1 de differ. febr. cap. 4.* quinque adducit cauſas febrium, calidiue morbi motum, viciniam rei calidæ, putredinem, obſtructionem, ſiue adſtrictionem, & alimentum calidum; ſed an adæquatus fuerit cauſarum numerus, adhuc ſub lite manet.

Primò: Quia Argenterius *libro 2. de cauſ. morbor. capite 2.* contrarium intendit ſuadere. Tum 1. Quia ipſe Galenus *lib. de præſag. ex pulſibus capite 2. lib. ad*

E *Traſibulum capite 27.* quatuor tantum admittit cauſas, quæ in nos valent agere, *in corpore occurſantia; intus aſſumpta; quæ euacuantur, & retinentur; & quæ à nobis fiunt.* Tum 2. Quia ira, triſtitia, & reliquæ animi paſſiones valent cauſare febrem, & debent ſuperaddi ad quinque cauſas annumeratas. Tum 3. Quia febris eſt vna, & vna illius debet eſſe cauſa, non plures: Ergo numerus cauſarum febris adductus à Galeno non eſt adæquatus.

Secundò poteſt obiici: Nulla ex annumeratis valent efficere calorem: ergo non ſunt cauſa febris. Probatur Antecedens. Tum 1. Quia cùm motus, nec formaliter, nec virtualiter contineat calorem, non valet illum producere. Tum 2. Quia vicinia rei calidæ

cùm ſolùm dicat approximationem, non poteſt eſſe A cauſa caloris, ſed tantùm conditio ſine qua non. Tum 3. Quia putredo, cum ex Ariſtotele *lib. 4. meteoror.* ſit corruptio natiui caloris, non poteſt eſſe cauſa intendendi illum. Tum 4. Quia obſtructio, ſiue adſtrictio cum ſolùm conſiſtant in pororum occluſione non valent cauſare calorem. Tum 5. Quia alimentum calidum cùm calefiat, & coocoquatur à noſtro calore, non valet nouum calorem cauſare: Ergo quinque cauſæ annumeratæ à Galeno non valent febrem cauſare.

Tertiò obiicio: Anima, vt forma mixta eſt continens virtualiter eminenter formas elementorum, ſi peruertatur temperamentum ſubſtantificum verſus partes igneas, aut aëreas, producit febrem hecticam Ergo debet ſuperaddi ad quinque cauſas à Galeno B enumeratas.

Quartò obiicio: Febris, quæ non fit nouâ acquiſitâ caloris intenſione; ſed ſolùm modificatione caloris, à nulla harum cauſarum fit: Ergo debet ſuperaddi qualitas deleteria; à cuius modificatione prouenit tanquam à cauſa ab enumeratis à Galeno diuerſa.

§. III.

Cauſarum febrium prima diuiſio proponitur.

RESoluendum: Quòd cauſa febrilis caloris alia C eſt procatharctica ſiue externa; alia eſt interna, ſiue coniuncta, ſiue antecedens: ſic ſanciuit Galenus *lib. de cauſis procatharcticis. lib. de cauſis morborum. lib. de differ. febrium, cap. 7 lib. 3. de Prognoſt. text. 29. lib. 1. ad Glauconem cap. 14.* & Nos latiùs pro omni morbo admittendas probauimus *par. 1. Reſolutionum medicarum.*

§. IV.

Febrilis caloris cauſarum proſequitur diuiſio.

D RESoluendum: Quòd febrium cauſa alia eſt per ſe, alia per accidens: ſic docet Auicenna *fen. 2. 1. tr. 2. §. Omnes autem cauſæ*, Et patet ex cauſis à Galeno adductis, quarum aliæ ſunt cauſæ per ſe; aliæ cauſæ per accidens.

§. V.

Galeni amplectitur doctrina.

RESoluendum: Quòd cauſæ prout abſtrahunt ab hoc, quòd ſint cauſæ procatharcticæ, aut internæ, vel cauſæ per ſe, aut per accidens, reſpectu febris, quæ fit noua caloris intenſione, ſiue additione adæquatè continentur ſub quinque à Galeno adductis: ſic admittunt Mercatus *tom. 1. libro 3. claſſ. 1. tom. 2. lib. 3. de febr. cauſ.* Carteirus *in fen. 1. 4. diſput. de* E *cauſis febr. quæſt. 1.* Martinez *lib. 2. tract. 1. ſectio. 2. q. 2.* Valles *lib. 4. Controuerſ. c. 3. lib. 1. de differ. febrium cap. 4.* Mercurialis *lib. 5. de febr. c. 3.* Brauus Salmanticenſis *lib. de different. febrium*, Maramoros *lib. 2. de febr. tract. 3. diſput. 3.* & omnes Dogmatici dempto Argenterio, & patebit manifeſtiùs ex ſolutionibus argumentorum.

§. VI.

Argenterij, & noſtræ obiectiones ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd Galenus locis adductis refert cauſas noſtræ corruptionis, non tamen cauſas morbi calidi: Tum 2. Quòd animæ paſſiones comprehenduntur ſub motu: Tum 3. Quòd vna entitas poteſt produci à pluribus, ac diuerſis cauſis diuerſo modo tendentibus ad eius productionem.

Ad 2. reſpondetur. Tum 1. Quòd motus eſt cauſa per accidens febris, quatenus ſpiritus moti, & agitati incaleſcunt, & deferuntur in partes, in quibus communicant excedentem calorem: & hoc ſimiliter contingit in paſſionibus animæ, quæ idcò ad motum reducuntur, quia in illis commoti ſpiritus à facultate pulſifica iuxta exigentiam paſſionis animæ, delati ad partes, valent eas calefacere. Tum 2. Quòd per viciniam rei calidæ, non intelligit Galenus approximationem, prout dicit conditionem ſine qua non, ſed exiſtentiam cauſæ calidæ extrinſecæ approximatæ. Tum 3. Quòd putredo occaſionaliter eſt cauſa caloris; quatenus deuniuntur partes rei, quæ putreſcit, & in partibus igneis, & aëreis, ſeparatis ab aqueis, & terreis impedientibus pullulationem caloris in illis, poſt ſeparationem fit pullulatio febrilis caloris. Tum 4. Quòd adſtrictio, & obſtructio ſunt cauſa per accidens caloris, quatenus impeditur ab illis ingreſſus aëris ſpiritus attemperantis; in quibus cùm pullulet intenſior calor, aut vruntur, & cauſant febrem, aut calefacti ab eis humor putreſcit, & febris humoralis fit cauſa. Tum 5. Quòd alimenta calida poſſunt eſſe cauſa caloris, vel quia licèt actualem habeant frigiditatem, & poſſint alterarià noſtro calore, caliditatem virtualiter continent, quæ ab eis actuatis reſultat, & apparet in pipere, aqua vitæ, & aliis: vel quia ex illis fieri poſſunt calidi humores apti putrefieri, & vt ſint febris cauſa: vel quia ex illis quia calida, reponuntur in temperamento ſubſtantifico partes igneæ in maiori numero, determinantes formam ad productionem caloris hectici.

Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt ab anima poſſet produci febrilis calor hecticus, non prouenit hoc, donec ipſa determinetur per temperamenti ſubſtantifici peruerſionem cum maiori numero partium ignearum; & quia hoc prouenit pleruṁque ex vſu calidi alimenti, ad eam cauſam reducitur productio caloris per pullulationem à forma; quia à partibus igneis, ex alimento receptis in temperamento ſubſtantifico prædominantibus determinatur.

Ad 4. reſpondetur: Quòd Galenus ſolùm intendit proponere cauſas febris, quæ talis fit noua caloris additione, quæ communior eſt; nam quæ fit talis ſola modificatione, à qualitate deleteria venefica, qualiter contingit in Caſtrenſibus febrilibus, aut peſtilentibus, infra tradetur illius cauſa. Dum in particulari agemus de illis.

RESOLVTIO IV.

Quæ ſint cauſæ productiuæ habitualis caloris?

§. I.

Aperitur ratio difficultatis.

AD hoc vt calor dicatur febrilis in corpore, requiritur, vt diximus, quòd per modū habitus inſit in

contineu

continentibus, contentis, & impetum facientibus. Medici enim contemplatio tendit ad cognitionem eius febrilis caloris, qui quia habitualis, habet cauſam in qua per modum habitus reſidet, & à qua fouetur, & impedit ab occurſantibus contrariis auferri. Et ideò curatio tendit ad ablationem eius cauſæ à qua fouetur; ideò enim inquirimus, quænam ſint cauſæ, à quibus huiuſmodi calor in eſſe habitualis producitur.

A

§. II.

Pro omnibus aperitur cauſa.

B RESoluendum: Quòd in continentibus, contentis, & impetum facientibus duæ ſunt cauſæ, vt calor febrilis habitualis ſit: forma, vt efficiens; temperamentum ſubſtantificum, vt peruerſum: ſic patet ex doctrina à nobis demonſtrata *p. 1. Reſolut medicarum diſput, 2. ſectione 2.*

Probatur: Calor ille dicitur in quolibet ſubiecto habitualis, qui à forma productus, ab illa valet conſeruari, vt ex loco nuper adducto patet: ſed calor præternaturalis qui producitur, & conſeruatur ab illa, ab ipſa vt efficiente; ſic quatenus virtualiter continet elementa calida, & à temperamento ſubſtantifico, quatenus ratione peruerſionis per maiorem numerum partium calidarum cogit formam, vt producat intenſiorem calorem: ergo reſpectu caloris febrilis habi- C tualis, forma mixta, & temperamentum peruerſum ſunt cauſæ.

§. III.

Continentium, contentorum, & impetum facientium diuerſa cauſa inuertunt temperamentum.

RESoluendum 1. Quòd ſubſtantificum temperamentum humorum, & ſpirituum, præuertunt putredo, aut vſtio.

Probatur. Illæ cauſæ præuertunt in continenti- D bus, contentis, & impetum facientibus ſubſtantificum temperamentum, vt valeat cogere formam ad febrilem calorem producendum, quæ ſeparant partes frigidas à calidis, à quibus excedentibus determinatur forma ad caloris productionem: ſed putredo partes deuniendo, vt docet Ariſt. *lib. 4. meteor.* & vſtio partes frigidas reſoluendo id valet efficere: Ergo vſtio & putredo ſunt cauſa peruerſionis temperamenti ſubſtantifici in illis.

§. IV.

Cauſæ prauertentes in continentibus temperamentum ſubſtantificum.

E RESoluendum: Quòd in continentibus præuertitur ſubſtantificum temperamentum, vt cogat formam ad febris productionem, per reſolutionem, per alimentum, per putredinem.

Probatur: Tot modis præuertitur partium viuentium temperamentum, vt valeat determinare formam ad calorem febrilem producendum, quot poſſunt partes calidorum elementorum remanere in maiori numero: ſed hoc fit, vel quia reſoluuntur frigidæ, vt contingit in febre ardente, à qua fit hectica; vel propter vſum calidorum alimentorum; vt in eis quæ ex vſu mellis fiunt hectici: vel quia putredine ſeparantur igneæ partes à frigidis, vt in febre orta

A à membro putrido: Ergo putredo, reſolutio, & vſus calidi alimenti, poſſunt in continentibus præuertere ſubſtantificum temperamentum.

RESOLVTIO V.

Vtrùm ex parte paſſi aptior temperies ad febrem recipiendam in viuente ſit calida, & ſicca?

§. I.

Authorum referuntur opiniones.

CVm actus actiuorum ſint circa paſſum bene diſpoſitum; & vt docet Gal. *l. 1. de different. feb. cap. 4.* nulla cauſarum ſine patientis aptitudine poſſit agere; ideò inter cauſas febrium ſubnectemus diſputationem de corporibus ad ipſas præparatis. Quæ an corpora calida & humida ſint? an calida & ſicca? ex antiquioribus non ſatis apertè conſtat.

Auicenna *fen. 1. 4. tr. 1. c. 2.* calidam, & humidam naturam parationem eſſe pro febre recipienda contendit, cui fauere videtur Gal. *lib. 8 methodi c. 7. lib. 1. de differem. febr. c. 3. lib. artis medicin. c. 57. lib 1. de temperamen-* C *tis c. 4 lib. 9. methodi c. 4 lib. 11. methodi cap. 4. lib. 3. Epidem. ſect. 3 comment. 20.*

Ex oppoſito *lib. 1. de different. febr. c. 7.* Valleſius ſupponit dari nouem temperamenta; vnum temperamentum temperatum, quatuor ſimplicia, quatuor compoſita, calidum & ſiccum promptius eſſe reliquis vt incidat in febrem: quia febris eſt calor, & illi concomitatur ſiccitas. Poſtea ſecundo loco corpora calida, & humida. Tertiò, calida tantùm. Quartò, ſicca tantum; poſtea temperata corpora. Sextò, frigida & ſicca. Septimò, frigida tantùm. Octauò humida tantùm. Nonò, humida & frigida corpora aptiora eſſe pro febre recipienda cenſuit. Cui maiori ex parte adhæret Maſſarias *in pra-* D *xi lib. 7.* Vega *lib. 1. de different. febr. c. 6.* Mercurialis *lib. 5. de febribus c. 3.*

§. II.

Deciditur, quid tenendum ex Carreiro.

RESoluendum: Quòd corpora calida & ſicca ſunt magis diſpoſita ad hecticam, & ad diarias, & humorales vſtione producendas; corpora calida, & humida ad febres putredine cauſandas: ſic tenet Carreriua *fen, 2. 4. tr. 1. c. 2.*

Probatur 1. ex Auicenna qui indeciſam reliquit reſolutionem huius doctrinæ, vt conſtat ex eius Commentatoribus, nulli adhærens (ex propria ſententia) parti; & ex Galeno, qui locis citatis, & paratiora eſſe E corpora calida, & ſicca fatetur, & pluribus aliis corpora ſicca, & calida.

Probatur 2. Ratione: Illa corpora ſunt paratiora ad recipiendum calorem, quæ ſunt paratiora ad recipiendam actionem, ratione cuius ſubſequitur talis calor in aliquo ſubiecto; ſed putredo ad quam ſequitur calor, faciliùs recipitur in corporibus calidis, & humidis; & vſtio ad quam ſequitur calor, facilius recipitur in corporibus calidis, & ſiccis, vt patet ex Ariſtotele *lib. 4. meteor*, ſimiliter temperamentum per partium ignearum maiorem numerum, à quo ſequitur hectica in naturis calidis, & ſiccis faciliùs acquiritur: ergo pro febre hectica,

 Bb 3 &

A & febre orta ex vſtione corpora ſicca & calida, pro febre putrida corpora humida, & calida ſunt magis parata.

§. III.

Oppoſitio, quæ apparet in Galeno, & Auicenna, detegitur.

EX his patet: Quòd Auicenna, & Galenus, licet dubij videantur, vtramque doctrinam Reſolutionis amplectuntur.

Resolvtio VI.

Vtrùm corpora denſiora rarioribus ſint aptiora ad febres recipiendas? B

§. I.

Ratio aperitur dubitandi.

COrpora, quia à ſecundis qualitatibus fiunt rariora, aut denſiora, craſſiora, aut tenuiora, poſſunt diſpoſitionem acquirere ad febrilem recipiendum calorem: de qua diſpoſitione qualis ſit aptior pro febre, nondum ſatis conſtat.

Pro vtraque parte ſubſtant dubitandi rationes. Corpora craſſa eſſe aptiora ad febrem recipiendam, ſuadet: Tum quia, denſitas & craſſities iuuant ex parte paſſi ad perfectiùs patiendum, quia multitudo materiæ ad agendum, & reſiſtendum potentiùs coadiuuant: Tum quia ratione denſitatis, cùm pori occludantur; impeditur communicatio caloris per illos ad partes internas.

C At verò, quòd faciliùs febrem recipiant corpora rariora, & tenuiora ſuadet, Tum Galenus, qui *lib. 1. de differ. feb. cap. 4.* docet poros mundare ab excrementis, vt pateant pori pro febrium reſiſtentia: Tum quia, cùm pori ſint aperti, calor per illos faciliùs communicatur partibus internis: Tum quia in febribus peſtilentibus, magis illis obnoxij iudicantur, qui poros habent patentes: Ergo quia rariora & tenuiora corpora magis diſpoſita ſunt pro febre.

D Matamoros *lib. 2. de facultatibus, tract. 1. diſput. 16.* maximè inſudat in combinandis poroſitatibus: & dicit, quòd corpora, quæ præternaturali & adquiſititia conſtant pororum anguſtia, paratiora ſunt ad febrem peſtilentem, quàm ſi præternaturaliter habeant pororum latitudinem, ſi illa duo ſe habent ſecundùm naturam, magis diſpoſita ſunt, vt inducant febrem peſtilentem corpora pororum amplitudine conſtantia: ſed miror in tot trahi anguſtias in facili doctrina; & quòd vir aliàs acutus, in poris naturalibus, ac in adſcititiis, quia naturales, ac adſcititij ſunt, (vt ille inquit) inueniat maiorem, aut minorem reſiſtentiam, aut aptitudinem.

§. II.

Deciditur, quæ tenenda doctrina.

REſoluendum: Quòd ſi febris diaria, aut humoralis inducenda ſit à cauſis internis, reſiſtunt magis corpora rara, aut tenuia; ſi ab externis, corpora dura, & craſſiora.

Probatur Prima pars: Tum quia, vt patet ex dictis, ſic deducitur ex Galeno: Tum quia, cauſæ internæ eò intenſiùs calefaciunt, quò minus impediuntur ab aëre per poroſitates attracto: ſed dum corpora ſunt tenuia, & poroſa, maior copia aëris valentis calorem remittere, attrahitur: Tum quia, maior copia putridarum fuliginum, quæ à cauſis calidis internis eleuari ſolent, expelluntur: ergo magis reſiſtunt corpora rara cauſis internis febrem inducentibus.

Secunda pars poteſt ex dictis ſuaderi ſimiliter: & quia cauſæ externæ calefacientes, aut corpora alterantes, ratione denſitatis impediuntur, aut retardantur in effectiua productione, & ratione occluſionis pororum occluditur via, per quam, aut cauſa poſſet approximari, aut calor faciliùs communicari: ergo ratione denſitatis faciliùs impediuntur cauſæ externæ, valentes febrem communicare.

§. III.

Ex rationibus dubitandi confirmatur reſolutio.

EX his patet, qualiter rationes primò adductæ confirmant vtramque partem Reſolutionis.

DISPVTATIO II.

De Febre Ephemera.

FEbrium diuiſio in humoralem, diariam, & hecticam, inter Dogmaticos celeberrima ſemper ſtetit: & pro earum curatione apprimè neceſſaria. Earum verè ſimplicior, & curatu facilior eſt diaria; cuius ſub hac Diſputatione perpendam naturam, cauſas, ſigna, prognoſim, curationem: de quibus varia in locis loquutus fuit Hippocrates: magis propensè Galenus *lib. de Method. lib. de arte curatiua ad Glauconem*: Auicenna *fen. 1. 4. tr. 1.* à quibus omnes Practici hanc receperunt doctrinam, quam proſequuntur in Schola Dogmaticorum cuncti Practici; ea antiquis medicinæ parentibus deducentes Doctrinam: quam tutiori modo, calamoque proſequutus fuit Auicenna, & illius Commentatores. E

SECTIO PRIMA.

De quidditate, differentiis, & cauſis Diariæ.

DIARIA hæc dicitur Febris, quia viginti quatuor horarū ſpatio illius clauditur duratio: ſolet etiam vocari Ephemera ab Ephemero animali, vel quia eius vita vno terminatur die, vt docet Ariſtoteles *lib. 5. animal. c. 19.* Vel quia, vt intendit Dioſcorides, vna die terminat vitam eius, à quo abſumitur. Eſt duplex: alia legitima, quæ natura

&

& conſtitutione eſt talis : alia illegitima, quæ conſtitutione, & non naturâ diaria dicitur. Multiplices vlterius à cauſis ſumit diuiſiones: duas à proxima cauſa, quæ eſt ſpirituum forma; plures à cauſis externis ipſius formæ, quarum aliæ ſunt externæ, & procatharticæ, aliæ intra corpus manent.

Resolvtio I.

Quid ſit febris Diaria?

§. I.

Aliquorum proponuntur definitiones.

EMpirici hanc febrem non definiunt: Methodici qui febrem in abſtracto ponunt, hanc non diſtinguunt: Archiatri, qui omnem febrem ex tartari putredine contendunt oriri, hanc non recipiunt: Vanhelmont qui in ſpiritus, ſiue Archæi deturpatione omnem febrem conſtituit, vel omnem admittit Diariam eſſe febrem, vel nullam, cùm ab ſpiritus calore non prouenire defendit. Inter Dogmaticos Duncanus *l. 1. de feb. c. 6.* definit Diariam ſic: *Eſt calor præter naturam accenſus in ſpiritibus, aliquando ſimul cum ſanguine, ſed ſine putredine; & à corde per arterias, & venas per totum corpus diffuſus.* Matamoros *l. 3. de febr. tract. 1. diſp. 5.* definit Diariam ſic: *Eſt calor extraneus accenſus in corde productus à ſpiritibus præter naturam calefactis.*

§. II.

Diaria illuſtratur quidditas.

REſoluendum: Quòd Diaria *eſt febris Viuenti communicata ab ſpiritibus vſtis, aut putrefactis.*

Particula *Febris*, ſt ratio generica includens quidquid eſt eſſentiale febri: Particula, *Viuenti communicata*, excludit à ratione Diariæ calorem proui in ſpiritibus, qui licèt ſit febrilis cauſaliter, non eſt febris Diaria entitatiuè, donec communicatus ab ſpiritibus inhæret parti viuenti. Particula, *Vſtis aut putrefactis*, denotat quòd non quilibet calor à ſpiritibus cõmunicatus eſt Diaria, ſed tantùm ille qui communicatur à calore, qui eſt præternaturalis, & per modum ſactitii ſpiritibus; quod non contingit, niſi ratione vſtionis, aut putredinis, intenſior pullulet in illis; hic enim eſt qui à Medico exigit auxiliari, & de quo vt Medici agimus.

Resolvtio II.

Quotuplex ſit Diaria, ratione ſpirituum, à quibus fieri poteſt?

§. I.

Variæ opiniones proponuntur.

FEbris genericè ſumpta partita fuit per ordinem ad ſubiectum, in quo habitualis inhæret calor intra corpus, ratione eiuſdem in febre diaria, huius proſequemur diuiſionem. Qui triplicem admittunt ſpirituum ſpecie diuerſum, triplicem debent admittere Diariam, ab illis diuerſitate deſumptâ. Inter Authores qui vitalem, & animalem admittunt ſpiritus ſpecie diuerſos, non ita vniformiter admittitur, quòd duplex ſit febris Diaria; alia à ſpiritu vitali orta, alia ab ani-

A mali. Nam Vega *lib. 1. de differ. febr.* Mercatus *lib. 4. de febr.* Maſſarias *in praxi lib. 7. c. 5.* admittunt ſpiritum vitalem, & animalem ſpecie diuerſos, ſed vnicam ab illis Diariæ ſpeciem poſſe prouenire contendunt. Mercurialis *lib. 5. de febribus c. 5.* tres admittit ſpiritus, naturalem, vitalem, & animalem; ſed ſolos vitales accendi indicat, vt febrem efficiant, licet aliquando ſimul cum aliis aſſentiatur, poſſe accendi naturales. Pro quibus ſtat

Primò: Quia quicumque agunt pro febre diaria, de ipſa diſputant quatenus dependet ab ſpiritibus vitalibus: ergo illa ſpecies Diariæ tantùm debet admitti.

Secundò: Spiritus vitales ſunt calidiores, quàm reliqui ſpiritus: ergo non poſſunt reliqui accendi, quin ſimul ab ipſis fiat Diaria.

B Tertiò: ſpiritus animales non poſſunt pati alterationem pro febre Diaria efficienda: ergo non poteſt dari febris, niſi ab ſpiritu vitali orta. Probatur antecedens: ſpiritus animales deſeruiunt pro actionibus animalibus, & alteratis ipſis, animales actiones neceſſe eſt perturbari; ſed in nulla febre Diaria, perturbantur actiones animales: ergo non poſſunt perpeti alterationem, ratione cuius valeant Diariam cauſare.

§. II.

Carreiri, & Modernorum præfertur opinio.

C REſoluendum: Quòd duplex eſt febris Diaria, ratione ſpiritus duplicis à quo poteſt oriri. Sic tenet Carreirus *ſen. 1. 4. tract. 1. cap. 5.* Matamoros *lib. 3. tract. 1. cap. 3.*

Probatur: Tam ſpiritus animalis, quàm vitalis eſt aptus pati vſtionem, & putredinem, cùm vterque ſit mixtum, cuius ſunt proprietates vſtio, & putredo, ex Ariſtotele *lib. 4. Meteoror.* Ergo febris Diaria, tam ab ſpiritu animali, quam à vitali poteſt oriri.

Probatur 2. ſi non poſſit dari vtraque febris Diaria, maximè quia non poteſt pati ſpiritus animalis putredinem aut vſtionem, quin ſimul eam patiatur ſpiritus vitalis, cui præcipua ratio febris eſſet tribuenda: ſed ſuppoſitio eſt falſa: ergo ab vtroque ſpiritu ſeorſum

D valet Diaria oriri. Probatur minor: ſi accenſo animali, deberet vitalis accendi, maximè quia hic eſt calidior; vel ſi è contra, maximè quia ille eſt tenuior: ſed neutra ratio conuincit, vt alter ſine altero non poſſit accendi; cùm eadem ratio curreret inter ſpiritus, & humores: & tamen poſſunt ſeorſim quilibet horum accendi: ergo ſuppoſitio eſt falſa.

Probatur 3. Diuerſa diſpoſitio ſufficit, vt inter ea, quæ reperiuntur ſimul, alterum patiatur putredinem, aut vſtionem; aliud verò non: ſed nihil poteſt impedire, quo minus alter ſpirituum ſit altero paratior pro vſtione, aut putredine; ergo nihil poteſt impedire, quominus ab altero illorum fiat Diaria, & non ab alio.

E

§. III.

Soluuntur primò adductæ rationes.

AD 1. reſpondetur: Quod communiter Authores agunt de febre diaria orta ab ſpiritibus vitalibus, quia eſt communior, & ex eius curatione, & cognitione cognoſcitur natura, & curatio eius, quæ ab ſpiritibus animalibus fit.

Ad 2. reſpondetur: Quòd cùm actus actiuorum ſint circa paſſum magis diſpoſitum, poteſt contingere, quòd licèt ratione caloris ſint paratiores vitales ſpiritus pro vſtione, ratione modi ſubſtantiæ magis

reſiſtant,& animales habeant apriorem diſpoſitionem pro vſtione,aut puttedine patienda; ſicut ſolet contiogere in frigidtoribus humotibus, etiam ſi bilis ſit calidior,

Ad 3. reſpondetur: Quòd ſicut licèt ſpiritus,vitales qui deſetuiunt pro motu pulſus, etiam ſi patiantur vſtionem, aut puttedinem, vt perturbentur cotdis, & attetiatum motus, non ſunt cauſa: ſimiliter nec quod patiantur animales ſpititus alterationem,ratione cuius ſequatur Diaria, erit cauſa vt actiones animales interturbentur, ab eis enim qui permanent, vel via cortuprionis, vel de nouo geniti, naturalis deſcendit apta illuſtratio pro his actionibus.

RESOLVTIO III.

Vtrùm diuiſio Diariæ, in legicimam,& non legitimam ſit vniuoca?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

COmmuniter omnes Medici Dogmatici admittunt ex doctrina Galent 1 Quòd dantur duæ ſpecies Diatiæ, quarum altera dicitur Diatia legitima, ſiue Diatia naturâ & conſtitutione;naturâ quia oritur ab ſpiritibus, quod eſt Diatiæ eſſentia,(ſeu natura & conſtitutione) quia durat per ſpatium viginti quatuor hotarum,quæ eſt veræ Diariæ legitima conſtitutio. Altera verò eſt non legitima, ſeu Diaria naturâ tantùm, & non conſtitutione, quia durat per plures dies, & vltra viginti quatuor horas, quæ duratio eſt Diariæ conſtitutio. Quòd verò vtraque harum verè ſit Diatia, & in illas diuiſione vniuoca diuidatur febris Diatia in communi ſumpta, iudicant communiter Medici· quia hanc diuiſionem deſumpſerunt à Galeno, qui in has duas ſpecies diuiſit Diariam.

Secundò: vtraque æqualiter participat rationem diuiſi:ergo diuiſio eſt vniuoca. Probatur Antecedens, vtraque eſt Diatia naturâ ſaltem: ſed Diaria naturâ eſt talis, quia oritur ab ſpiritibus, quod eſt de natura,& eſſentia Diariæ: ergo vtraque æqualiter participat rationem diuiſi.

Tertiò: ſi de aliqua Diatia dicendum, quòd non eſſet verè talis, maximè de ſynucho ſine putredine, de febre orta ex bubone, de febre ex leui obſtructione orta:ſed illæ ſunt veræ Diatiæ ex Galeno,qui *lib.1. de febr.c.7.* febrẽ ex bubone vocat Diariam: & *l.9. method. c.1.* ſynochum ſine putredine inter Diarias annumerat: & aliis in locis à leui obſtructione Diariam poſſe oriri fatetur: ergo veram Diariæ rationem obtinent.

§. II.

Qualis adducta diuiſio ſit profertur.

REſoluendum: Quòd adducta Diariæ diuiſio eſt analoga.

Probatur Primò: Diuiſio, in qua alterum membrum participat inæqualiter rationem diuiſi, eſt analoga: ſed Diaria naturâ & conſtitutione, veram obtinet Diariæ eſſentiam, & naturam, cùm oriatur ab ſpiritibus, quod eſt intrinſecum diariæ: Febris natura tantùm ſic dicta, qualis eſt ſynochus ſine putredine;febris orta ex bubone, vel inflammatione; febris

A orta ex nauſea aloa ſatietate; & aliæ huiuſmodi non participant rationem diuiſi, cum non oriantur ex ſpiritibus,quod eſt naturâ Diariæ;ſed tantùm dicantur tales, quia in aliquibus ſignis illi aſſimilantur: ergo diuiſio in has febres eſt analoga.

Probatur 2. Quælibet febris,quæ oritur à ſpiritibus vſtis,aut putrefactis, non poteſt durare vltra viginti quatuor horas: quia ſpirituum ſubſtantia ratione ſuæ tenuitatis, ſi vratur, aut putrefiat, petit reſolui, aut corrumpi:ſed diaria illegitima durat per plures horas: ergo nec oritur à ſpiritibus, nec participat Diariæ naturam; ſed tantùm analogicè valet talis dici.

Dicunt aliqui: Quòd ſi ſpiritus à debiliori cauſa alterentur, tardiùs reſoluuntur: & ideò poſſunt du-

B rare vltra viginti quatuor horas febres ab illis ortæ, etiamſi ſint Diariæ.

Contra ſtat; Tum quòd ſemel accenſis ſpiritibus etiamſi à lenta cauſa, poſtea ſiue deficiat, ſiue non, eadem erit in illis duratio. Tum quòd licèt, quod cauſa lentè operetur, ſufficiat, vt lente incipiant vri, aut putreſieri: ſemel vſtio, aut putrefactio inducta non pendet à cauſa externa in ſui duratione,ſed à modo mixtionis, & materietum rei, quæ illas patitur. Tum quia conſeruatio caloris in ſubiecto, in quo inhæret per modum habitus,non perdurat ratione cauſæ procatharticæ, quia ipſa prætergreſſa; permanet iuxta modum mixtionis, vt apparet in calore, qui permanet in humoribus; qui in Melancholia per plures

C menſes; in Tertiana per paucos dies perdurat, ratione modi mixtionis: ergo eo ipſo, quòd febris oriatur ab ſpiritibus, non poteſt vltra viginti quatuor horas perdurare.

Confirmatur: Diaria orta ex inflammatione, quæ eſt maioris durationis, à vehementiori fit cauſa,quàm Diaria legitima orta ab animæ paſſionibus: ſed hæc durat per viginti quatuor horas, illa per plures dies: ergo non dependet ab hoc, quòd ſit lenta cauſa procathartica maior duratio Diariæ; ſed quia non dependet ab ſpiritibus.

Reſpondet Mercatus *lib.4.de febr.* quòd febris Diaria ex bubone durat viginti quatuor horas,& per plures dies, quia cauſa productiua caloris in ſpiritibus durat longiori tempore.

D Contra ſtat; Tum quòd febris orta ex bubone oritur ex humore putrido contento in ipſo bubone, intenditur quando ipſe putrefit, & remittitur ex eius coctione, aut euacuatione; ex quo demonſtratur, quòd non oritur à ſpiritibus. Tum quia, vt apparet in externis, quantumuis cauſa externa perduret; ſi materia quæ ex eius alteratione incaleſcit, non poteſt cum illa alteratione permanere;quantumuis cauſa externa duret, non durabit calor productus; quia dependet à duratione ſubiecti, quod patitur alterationem; vt apparet in igne, & calore producto in puluere ſulphureo;qui etſi ignis alterans permaneat, ſta-

E tim deficit, quia ſubiectum, ex cuius alteratione prouenit, diu perdurare non poteſt: ergo ſi cauſa procathartica perduret, cùm ſpiritus, qui patiuntur vſtionem, aut putredinem perdurare non poſſint vltra viginti quatuor horas, febris orta ex illis non poteſt vltra progredi.

Reſpondet Matamoros *l.3 de febribus tract. 1. diſp. 5.* quòd in febre Diaria, quæ durat plures dies, noui generantur ſpiritus; qui de nouo accenduntur: & ideò ſicut noua ſubſequitur febris Diaria, noua etiam eſt febris permanentis: in febre verò Diaria legitima non ſic contingit; quia licèt noui generentur ſpiritus, non permanet cauſa, à qua accendantur.

Contra ſtat; Tum quòd in ſynocho ſine putredine: in febre orta ex bubone: in febre orta ex nauſea ex ſatietate,

ſatietate, quas febres Diarias naturâ ponunt Contrarij, conſtat ab alia cauſa, quàm à ſpiritibus oriri febres iſtas. Tum quòd in febre Diaria legitima, calor febrilis ortus à ſpiritibus, valet ſpiritus de nouo genitos accendere, ſicut valeret alia permanens cauſa calida. Tum quia hæc ratio conuinceret, vt in omni febre humorali ſemper permaneret Diaria, quia ſpiritus accenderentur ab illa proxi geniti de nouo.

Dices: Quòd non eſt diſpoſitio in illis vt alterentur à calore humorali.

Contra. Tum quòd non eſt maior ratio, vt ſint diſpoſiti pro recipiendo calore à cauſa procatharctica calida, quàm ab ipſa febre humorali. Tum quia potiùs in ſpiritibus genitis, dum adeſt febris humoralis, debet eſſe diſpoſitio pro febrili calore recipiendo, vel pro vſtione, aut putredine recipienda, cùm fiant ab intenſiori calore, & ex materia humorum qui putreſcunt: Ergo maior eſt diſpoſitio in illis in febre humorali, vt ſpiritus accendantur.

Reſpondet Carreirus *fen.* 1.4. *tract.* 1. *cap.* 5. Quòd Diaria, quæ durat per plures dies, non accenditur in ſpiritibus, ſed communicatur per continui alterationem cordi v.g à bubone, ſine aliqua alteratione à ſpiritibus communicata.

Contra ſtat Galeni doctrina: Nam febris Diaria eſt, quæ à ſpiritibus communicatur cordi, & reliquis partibus: ergo ſi ab illis non communicatur, non habet quod eſt intrinſecum, & eſſentiale Diariæ: ergo tantùm analogicè Diaria poteſt dici.

Probatur 3. Reſolutio. In febribus Diariis illegitimis, qualis eſt ſynochus ſine putredine; febris orta ex bubone; ex nauſeatiua ſatietate, & aliis, ſanguinem mittimus, aut purgamus: ſed in febre pendente à ſpiritibus, nec ſanguinem mittimus, nec purgamus, nec ſpirituum euacuationem intendimus. Tum quia ſubſtantia ſunt pro vita neceſſaria; & cuius conſeruationem ſemper intendimus. Tum quia cùm ab illis non fiat vitium ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu; non datur indicans mittendi ſanguinis: & cùm non detur cacochymia. non datur purgationis indicans. Tum quia febris Diaria non eſt morbus magnus, à quo magnum valeat indicari remedium: ergo non indicatur purgatio, nec ſanguinis miſſio à febre Diaria propriè dicta; de cuius eſſentia eſt oriri à ſpiritibus.

§. III.

Soluuntur argumenta pro communi opinione.

AD 1. reſpondetur: Quòd Galenus vocauit ſynochum ſine putredine febrem etiam ex bubone, aut inflammatione, & ex nauſeatiua ſatietate Diarias: Non quia ex natura tales ſint, cùm non oriantur ex ſpiritibus; ſed quia aliam habent analogicam conuenientiam cum Diariis, cum quibus licèt in eſſentia non conueniant; eis tamen ſimiles ſunt in aliquibus ſignis, in quibus ſicut & Diariæ differunt ab humoralibus putridis, & ideò eas Diarias vocauit.

Ad 2. reſpondetur: Quòd illegitima ſolum eſt Diaria analogicè: & hoc docuit Galenus, vt doceret conuenientiam; quam in aliquibus ſignis habet cum legitima Diaria. Commentatores verò ignoranter loquuntur, quando vt diſtinguant illam à verè Diaria, illegitimam vocant naturâ Diariam; ſi enim eſſet naturâ Diaria, haberet oriri a ſpiritibus, quod eſt de natura & eſſentia Diariæ; quod illi nullo modo conuenit, vt patet ex dictis.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd Galenus Diarias analogicè vocat has febres, propterea quòd cum Diariis in aliquibus ſignis conueniunt, non autem quia conueniunt in natura & ratione cuius ſpecie differunt, cum ſemper oriantur ex contentis, & non ex impetum facientibus.

Resolvtio IV.

Vtrùm Diaria ſit diuiſibilis reſpectu cauſæ procatharcticæ, à qua fit.

§. I.

Aperitur ratio dubitandi.

COmmuniter febres Diariæ oriuntur à cauſis procatharcticis, ſiue externis, & quam maximè in ordine ad illas Diarias diuidunt Authores; præcipuè Auicenna, qui omnes Diarias febres penes ſuas cauſas procatharcticas diuidit. Et cuiuſlibet differentiæ febris ab illis deſumptæ curationem proſequitur.

Videtur tamen: Quòd nulla ſit ab eis deſumenda diariæ differentia. Tum quia ipſe Auicenna in febris definitione excludit à febris eſſentia calorem à cauſa procatharctica ortum: §. *Non ſicut caliditas ira, aut laboris.* Tum 2. quia cauſæ procatharcticæ prætergreſſæ dicuntur, à quibus cùm non ſint, nulla indicatiua curatio deſumitur: nec ideò aliqua febris differentia vtilis. Tum 3. Quia cùm Diaria ſolùm dependeat ab ſpirituum calore, cognitio, aut ablatio cauſæ externæ, aut procatharcticæ, nihil conducit pro curatione eius: Ergo nulla ex eis ſumitur vtilis differentia pro Diariæ curatione.

§. II.

Generica Diariæ differentiæ ex ſuis cauſis deducuntur.

REſoluendum: Quòd diaria reſpectu cauſarum, à quibus fit, eſt duplex: alia proueniens à cauſis intra corpus; alia à cauſis extra illud. Sic ſanciuit Auicenna *fen.* 1.4. *tract.* 1. *c.* 10. Et patet, nam omnis cauſa morbi in communi aut eſt interna, aut externa: ſed febrium cauſæ, ſunt morbi cauſæ: ergo debent eſſe aut internæ, aut externæ.

§. III.

Cauſæ internæ diuiduntur.

REſoluendum: Quòd cauſæ procatharcticæ intra corpus quæ valent cauſare Diariam; aliæ ſunt inter animalis actiones ſenſitiuas, aliæ inter loco-motiuas; aliæ inter ſubſtantias in corpore redundantes. Deducitur hæc doctrina ex eodem Auicenna *fen.* 1.4. *tract.* 1. *cap.* 10. *curato.* 6. *Et de comparatis ad diſpoſitiones animales eſt illa quæ fit ex anguſtia, & illa quæ fit ex triſtitia, & illa quæ fit ex exiſtimatione, & ex cogitatione, & ira, & vigiliis, & ſomno, & tranquillitate, & timore, & gaudio. Et de proportionatis ad diſpoſitiones corporeas, ſunt illæ quæ comparantur ad res, quæ ſunt actiones, & motus, & de eis ſunt quæ comparantur ad non actiones, & motus; & contraria eorum: & comparatæ ad res, quæ ſunt motus, & contraria eorum, eſt illa quæ fit ex labore, & illa quæ fit ex tranquillitate, & illa quæ fit ex euacuatione, & de eis eſt febris Ephemera ex dolore; & de eis eſt febris Ephemera quæ fit cum ſyncope, & quæ fit ex fame, & quæ fit ex ſiti; & de comparatis ad ea, quæ non ſunt actiones, eſt illa quæ fit ex opilatione, quæ fit ex nauſeatiua ſatietate, quæ fit ex apoſtemate; quæ fit ex aſperitate, vel ſiccitate*

cutis

cutis. Pacet ergo ex Auicenna, quòd cauſæ intra corpus cauſantes Diariam, aliæ inter actiones ſenſitiuas, aliæ inter loco-motiuas; aliæ inter ſuperadditas ſubſtantias locum habent; & quæ ſint febres ſub qualibet ex dictis cauſis.

§. IV.

Sub cauſis à foris quæ febres Diariæ ſint?

RESoluendum: Quòd cauſæ procatharticæ extra corpus valentes Diariam cauſare, aliæ calidæ, aliæ frigidæ: aliæ ſiccæ: ſic ſanciuit Auic. loco nuper citato, §. *Comparata autem ad res quæ accidunt de foris ſunt, ſicut illa quæ fit ex aduſtione ſolis, & ſicut quæ fit ex condenſatione cutis facta ex frigore. & facta ex ablutione cum aquis ſtypticis, &c.*

§. V.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD rationes dubitandi Reſpondetur: Tum 1. quòd Auicenna in febris definitione, non docet quòd non dentur cauſæ procatharticæ febrium, ſed quòd nondum dicuntur febrium cauſæ etſi corpus alterent, donec ſint cauſa, vt calor præternaturalis fiat habitualis in alià diuerſa cauſa intra corpus permanens Tum 2. quòd licèt Diaria dependeat à ſpirituum calore tanquam à cauſa immediata, poteſt tanquam à cauſa mediata ſimul dependere à calore alterius cauſæ procatharticæ. Et licèt ſi ſit prætergreſſa, nihil indicet pro ſui ablatione; bene tamen ſi nondum prætergreſſa fuerit, vt ſi fiat à Solis feruore, indicabitur ſeparari ab eius præſentia.

RESOLVTIO V.

Quot ſint Ephemerarum cauſæ.

§. I.

Cauſæ externæ proponuntur.

RESoluendum 1. ex dictis: Quòd febrium Ephemerarum cauſæ, aliæ ſunt externæ, inter quas ſunt corpus adurentes, vt in ſolario; cutem denſantes vt frigus, aut poros conſtipantes, vt aqua aluminoſa.

§. II.

Cauſæ ab animæ paſſionibus annumerantur.

RESoluendum 2. Quòd inter cauſas internas aliæ ſunt paſſiones animæ, vt ira, timor, triſtitia, gaudium: aliæ reducuntur ad illas, vt vehemens cogitatio, vigilia, ſomnus.

§. III.

Cauſæ à corporis actionibus recenſentur.

RESoluendum 3. Quòd cauſæ ex corporis paſſionibus valentes Diariam cauſare, aliæ pertinent ad motum, vt labor; aliæ ad eum reducuntur, vt tranquillitas; aliæ ſunt ſub laborioſa actione ſenſitiua, vt fames, ſitis, dolor, nimia euacuatio; ſyncopis; aliæ ſunt ſub defectu harum actionum, vt opilatio; nauſeatiua. ſatietas, apoſtema.

Probatur 1. Tum quia hanc doctrinam ſanciuit Auicenna *fen.* 1.4.*tract.* 1.*cap.* 10. Tum quia ex modo quo valent Diariam cauſare, id conuincitur. Nam inter

A duas cauſas calidas procatharticas motus, & animæ pathemata; ira, cura, labor, dolor, vigilia, medi[illegible], valent ſpiritus inflammare, calefaciendo, agitando mouendo, & in partes coadunando; ſomnus, mœror, valent ſpiritus, humores, & vapores, & fuligines intus retinere: vbi incaleſcunt, & ſpiritus vruntur. Calefactio à ſole, igne, aërem feruidum reddit, qui inſpiratus, & a pulſu attractus per corporis poroſitates ſpiritus inflammat; inter ſubſtantias calida retenta quæcumque excrementa calefaciunt partes; & ſi cutis obturatione, frigore, aut ſiccitate corpus denſantibus, aut coarctantibus coadiuuet, impeditur aëris ingreſſus, & attemperatio ſpirituum, inflammatúrque crapula, ex cibo, potúve calidiori ingeſta, vt nimio vſu generoſi vini, aromatúmque,
B vapores commouet calidos, aëremque pulſu, & reſpiratione attractum calefacientes. & impedita attemperatione ſpirituum, vruntur: & inde Diaria propter talis originem ducit.

Febris, quæ analogicè dicitur diaria, vt bubo, inflammatio in pleura, aut quavis alia corporis parte, dum in illis humor putreſcit, aut ſuppuratur, aut quæ ex vſtione ſanguinis orta dicitur ſynochus, & orta ex obſtructione, à qua retenti humorum vapores incaleſcunt, & putrefacti cauſant febrem. Talis inquam licut reuera humoralis eſt, illius cauſæ internæ ſunt; & inter cauſas febris humoralis locum habent.

C

SECTIO II.

De ſignis Febris Ephemeræ.

GALENVS *lib.* 1.*de differ.febr.c.*7. Auicenna *fen.* 1.4.*tr.* 1. pro cognoſcenda febre Diaria hæc proponunt ſigna: Quòd ab aliqua procatharticа cauſa ex annumeratis fiat, quod pulſus ſit frequens, creber, & magnus, vehemens, æqualis, reſpiratio frequens, & magnus capitis dolor, quòd abſit inappetentia, frigus, horror, laſſitudo ſpontanea, niſi ab ardore ſolis, aut frigore incipiant, quæ à
D cauſis recipiunt, quòd rigor, aut horror perſentiatur; quòd calor ſit tactu blandus, lotium ſimile naturali, niſi ab obſtructione, vel cruditate immutetur; quòd fiat Diariæ terminatio ſpatio viginti quatuor horarum: Quæ analogicè Diaria dicitur, in quantum & per plures dies porrigitur.

RESOLVTIO I.

Vtrùm his ſignis ſit facilè cognoſcibilis Diaria?

§. I.

E

Adducitur ratio dubitandi.

VIdetur quòd non: Quia Gal. *lib. de arte curatiua ad Glauconem.* Febrem Diariam facile curabilem eſſe ſtatuit, ſed difficulter cognoſcibilem: ergo ex adductis ſignis non apparet manifeſta Diariæ cognitio.

§. II.

Communis doctrina præfertur.

RESoluendum affirmatiuè: ſic ſanciuit Galenus *lib.* 1. *de diff. febr c.*7. Auicenna *fen.* 4.1.*tr.* 1.*c.*6. quem ſequuntur Arabes Commentatores, & ex nouitiоus

Valleſius *lib.1.de different.cap* 10.Veyga *lib.1. de differ. febr.* Mercurialis *lib.5.de febr.cap.5.*Duncanus *lib.1.de different.c.6.*Matamoros *lib.3.de febr.tra.1.diſp.3.* Mercatus *tom.2.lib.4.* Et communiter omnis practica.

Patet ea tot Virorum communi aſſenſu, & ex dicendis in hac ſectione manifeſtabitur.

§. III.

Satisfacimus pro dubitandi ratione.

AD Galenum Reſpondet Valleſius. Quòd Diaria eſt facile cognoſcibilis ex ſignis adductis, vt Gal.tradidit *lib.1.de differ.febrium*, nec *lib. de arte curatiua, ad Glauconem*, illud docet; ſed modo Rethorico intendit pro cognitione Diariæ attentum reddere Le- B ctorem. Donatus dicit, Quòd Galenus *lib.1. de different.febr.* intendit; quod genus Diariæ ſit facile cognoſcibile per ſigna adducta: *lib. de art.curatiua*, docet, Quòd cognito genere, differentiæ Diariæ difficulter cognoſcantur. Mercatus dicit: Quòd Gal.*lib.de differ. febr.* loquitur de Diaria legitima, quæ facilè his ſignis valet cognoſci: *lib.de art.curatiua*, loquitur de Diariis illegitimis, quarum cognitio eſt difficilis. Mercurialis, Veyga, & Matamoros dicunt: Quòd Gal. *de differ.febr.* ſanciuit præceptum de Diariæ cognitione abſolutè ſumpta; & determinauit, quòd eſt facilis: *lib.de arte curatiua ad Glauconem*, agit de curatione, & cognitione Diariæ: & comparando dignotionem eius ad ſuam curationem, docet quòd difficilior eſt eius cognitio, quàm curatio.

Ego verò exiſtimo: Quòd per omnia ſigna, quæ adduximus collectiuè ſumpta, eſt facilè cognoſcibilis, ſi ſimul cohæreant; & hoc docet Gal.*lib de differ.febrium c.7.* Et nos idem ſanciuimus in Reſolutione. Per ea verò ſigna diuiſiuè ſumpta, eſt difficilè cognoſcibilis: quia pleraque illorum ſeorſim in aliis febribus valent reperiri. Et hoc reſpiciens Gal. *lib de arte curatiua ad Glauconem, c.2.* docet quòd eſt difficilè cognoſcibilis.

Resolvtio II.

Vtrùm febri Diariæ ſit proprium, quòd fiat à cauſa procatharctica?

§. I.

Zacuti refertur opinio.

LIcèt admittat Zacutus *tom.1. lib.4. q.6.* Quòd communiter Diaria oriatur à cauſa procatharctica: coniungitur tamen ad dicendum, quòd febris diaria orta ex obſtructione, ſit verè febris Diaria: & quòd hæc non prouenit à cauſa procatharctica: nec omni Diariæ eſt inſeparabile ſignum oriri à cauſa procathar- E ctica: cuius opinio fulciri poteſt,

Primò: Quia obſtructio non eſt cauſa procatharctica, aut externa, vt de ſe patet; ſed interna, vt *p.2.Reſolut. Medicorum*, probauimus ex Galeni doctrina: ſed obſtructio ſine alia externa cauſa, poteſt eſſe cauſa Diariæ, vt docet Gal. *lib.8. Methodi c.4.lib.9. Methodi c.1.* Et Auicenna *fen.1.4. tr.1.c.51.* Ergo non eſt proprium Diariæ oriri à cauſa procatharctica.

Secundò: febris Diaria, oritur à bubone, ex Galeno 4.*Aphor.*55. à catharro, ab inedia, vigiliis, aut dolore, ſed iſtæ ſunt cauſæ internæ: ergo oriri à cauſa externa, aut procatharctica, non eſt ſignum proprium Diariæ:

A Reſpondent Herculanus, Carrerius, Matamoros, & maior Claſſicorum pars: Quòd quando Galenus docet, quòd incipere à cauſa procatharctica eſt ſignum proprium Diariæ, eſt intelligendus de legitima diaria; non vero de ea, quæ non dicitur talis naturâ, & conſtitutione.

Contrà: febris orta ex bubone, poteſt eſſe natura & conſtitutione Diaria. Quia, vt docet Galenus *lib.9. Method.cap.4.* ipſe vidit febrem ortam ex bubone, quæ durauit tantùm per 24.horas. Et ſimiliter docet, quòd febris Diaria orta ex obſtructione poteſt durare tantùm per 24. horas: ergo non ſolùm Diaria naturâ tantùm ab his dicta; ſed Diaria naturâ & conſtitutione talis, poteſt fieri à cauſa interna, independenter à cauſa procatharctica.

B Tertiò: Diaria propriè talis poteſt produci ab eiſdem cauſis internis, à quibus fit humoralis: ergo non prouenit à cauſa procatharctica ſemper. Probatur antecedens. Poteſt dari in ſpiritibus diſpoſitio, vt accendantur, dum aduenit cauſa interna: ergo ſi tunc poſſent accendi à cauſa procatharctica: ſi accideret, poterit produci à cauſa interna, à qua & ipſi humores valent alterari pro cauſanda febre humorali.

§. II.

Proponitur Galeni, & Auicennæ doctrina.

C REſoluendum: Quòd vt plurimum incipere à cauſa procatharctica eſt proprium Diariæ. Sic tenendus Galenus *lib.de different.febr.cap.7.lib.1.de Glauconem.* Auicenna *fen.1.4.tract.1.c.6.& ibi* omnes Commentatores Arabes, Argenterius *lib. de cauſ.morborum c.2.* Valleſius Brauo Salmanticenſis, & Veyga *lib.de differ.febr.* Carrerius in *fen.1.4.* Matamoros *lib.3. de febr.* Duncanus *lib.1.de febr.c.6.* Mercurialis *lib.5.de febribus*; & eſt communis.

Probatur ex Galeno *lib.1. de differ.febrium cap.7.* §. *vnum vero hoc eſt febrium Ephemerarum indicium præcipuum, ab aliqua incipere cauſa euidente ac manifeſta, quæ antea præceſſit; quas omnes Medici Iuniores vſitato vocabulo Procatharcticas, ſeu præincipientes appellant: ſed etſi hoc* D *inſeparabile ſit talium febrium indicium; tamen earum proprium non eſt: nam aliquarum quædam ex cauſa manifeſta ſunt, quæ antea præceſſit, &c.* Ex quibus apparet, quòd licèt hoc ſignum non ponat vt proprium ſoli Diariæ, illud tamen adducit vt inſeparabile, ſaltem vt in plurimum.

§. III.

Soluuntur primò adducta argumenta.

AD 1. reſpondetur: Quòd oriri à cauſa procatharctica, non eſt ſignum proprium Diariæ ſoli, vt ex Galeno deduximus; nec ſemper conueniens; ſed vt in plurimum eſt illi proprium incipere à cauſa E procatharctica.

Vel 2. reſpondetur: Quòd dupliciter contingit, quòd fiat Diaria propriè talis. Vno modo ſola ſine complicatione cum altera; & de hac loquitur Galenus, quando dicit, quòd eſt proprium Diariæ incipere à cauſa procatharctica. Alio modo complicata cum alia febre; & tunc contingit, quòd fiat à cauſa interna. Quando verò Diaria oritur ab obſtructione, neceſſe eſt ſimul, quòd vapores, ſeu fuligines retentæ accendantur, & fiat febris orta ex contentis, cum qua complicatur Diaria.

Ad 2. patet ex dictis. Ad replicam dicimus, Quòd febris ex bubone, vel obſtructione duplex poteſt eſſe, alia

in ſpiritibus; alia in contentis: de ea, quæ oritur ex ſpiritibus, & verè diaria eſt, ait Galenus; quod per viginti quatuor horas vidit durare: & ea, quæ propriè diaria eſt, orta ex obſtructione, & complicata cum ea, quæ ſimul oritur ex contentis; etiam docet Galenus, quòd poteſt durare per viginti quatuor horas. A

Ad 3. reſpondetur: Quòd cauſæ internæ plerumque ſint potentiores, ſi ſpiritus ſunt diſpoſiti, putredioi ve, aut vſtioni apti, non eſt dubium, quin ab illis valeant putrefieri, aut vri, ſicut & ipſi humores: nec hoc negauit Galenus; ſed intendit quòd febris, quæ eſt diaria, & non complicata cum alia febre, ferè ſemper fit à cauſa externa; quæ etſi debilior, & impotens plerumque pro alterandis humoribus, ſufficit pro ſpiritibus alterandis vſtione, aut putredine, quia aptiores ſunt, & ideò ſubſequi ad cauſam procatarcticam maximoni indicium præbet Diariæ, & ſic contingit vt in plurimum; doctrinalis enim hæc propoſitio, non autem neceſſaria. B

Resolvtio III.

Vtrùm ſit proprium Diariæ, quòd in illa appareant à primo inſultu ſigna coctionis in lotio?

§. I.

Status difficultatis & dubitandi rationes adducuntur. C

COmmunis doctrina eſt apud Dogmaticos, quòd lotium apparens à primo inſultu febris cum ſignis coctionis, eſt ſignum quòd talis febris ſit Diaria. Sic receperunt à Galeno; cui ſubſcribit Auicenna: & vtrique ſui Commentatores. Sed huic communi doctrinæ obſtat,

Primò: Pluries apparent in lotio ſigna coctionis ſine eo quod reperiatur febris Diaria: ergo hoc ſignum non eſt Diariæ proprium. Probatur antecedens. Tum 1. Quia in ſanis apparent in lotio ſemper ſigna coctionis. Tum 2. Quia plures morbi in prima D die perueniunt ad ſtatum, in quo incipiunt apparere ſigna coctionis, vt patet ex Galeno *lib. 1. de criſibus cap. 17.* ex Auic *fen. 1. 4. tra. 1. cap. 3.* & tamen non ſunt febres Diariæ. Tum 3. Quia Anaxionem aggreſſa fuit recidiua febris humoralis; & in prima die recidiuæ apparuerunt in lotio ſigna coctionis, ex Hippocrate *lib. 3. Epidemion, ſect. 3, text. 79.* & refert Galenus *lib. 1. de criſibus cap. 18.* Tum 4. In hectica, cùm fiat ſine humorum putredine, prima die debent ſigna coctionis apparere in lotio: Ergo non eſt proprium Diariæ incipere cum ſignis coctionis in lotio.

Secundò: Synochus ſine putredine eò m fiat vſtione, ſine eo, quòd patiatur putredinem humor, à quo dependet, incipit cum ſignis coctionis in lotio, & E febris orta ex inflammatione, aut bubone, cum humor à quo dependet, ſit extra venas; & in partibus, à quibus non refluunt in lotio ſigna putredinis, quam patitur humor, apparent ſigna coctionis: ſed hæ febres ſunt humorales: Ergo hoc ſignum non eſt proprium Diariæ.

Tertiò: In febre Diaria à ventriculi cruditate orta fit lotium aquoſum, & crudum in principio, vt docet Auicenna *fen. 1. 4. tract. 1. cap. 34.* in febre orta ex triſtitia, & vigilia non apparet coctum lotium, ex Auicenna *fen. 1. 4. tra. 1. c. 17.* Ergo, quod lotium appareat in principio coctum; non eſt Diariæ ſignum.

A Quartò: Lotium poteſt apparere cum ſignis perfectæ coctionis in febre maligna, & peſtilente à primo morbi ingreſſu, vt manet decantatum ex Auicenna: ergo hoc ſignum eſt commune febri humorali.

Quintò: In quacumque febre Diaria debet immutari lotium in modo ſubſtantiæ, & colore, cùm ab ipſa febre patiatur alterationem, & in ſedimento: quia illud, dum naturale eſt, perficitur à calore naturali, qui cum non remaneat in febre Diaria, non eſt à quo perficiatur: Ergo non poſſunt in Diaria à primo inſultu in lotio apparere ſigna coctionis.

§. II.

B *Sancitur communis opinio.*

REſoluendum: Quòd ratione cauſæ, à qua proxime ſequitur Diaria, non eſt vnde lotium appareat cum ſignis coctionis à primo inſultu febris.

Probatur. Tum ex Galeno *lib. 1. artis curatiuæ ad Glauconem cap. 2.* §. *Maxime quidem in omnibus febricitantibus ſigno.* Et vbi hanc ſancivit doctrinam. Tum *lib. 1 de differ febr. cap. 7.* §. *Inſeparabile verò & proprium eſt coctio in vrina ſtatim die prima, conuenit enim omni & ſoli:* & §. *Vrinæ autem omnino ſimiles his, quæ ſecundum naturam ſe habent, aut non multum à naturali ſtatu receſſerunt.* Tum ex Auicenna *fen. 1. 4. tract. 1. c. 6.* §. *Et cum eſt vrina in primo die digeſta.* Tum Ratione: Quia ſigna coctionis ideò apparent in lotio, quia deſcendit lotium ab humoribus patientibus putredinem: C ſed in diaria febre humores nullam patiuntur putredinem; cùm Diaria ab ſpirituum vſtione, aut putredine fiat: ergo in febre diaria, ratione cauſæ, à qua proximè prouenit, non eſt vnde lotium non appareat cum ſignis coctionis.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD 1. reſpondetur: Tum 1. Quòd non admittimus opinionem Rhaſis *lib. 1. continentis, cap. 1.* D vbi negat ſedimentum in ſanis: quia indicat quod à ſola materia morbifica debet prouenire; ſufficit enim pars inepta coctioni intra ſtatum naturalem, vt ex illa fiat ſedimentum, quia ex toto aſſimilari non potuit; ſed apparens ſedimentum in ſanis, non dicitur apparere in primo morbi inſultu; quod eſt ſignum Diariæ. Tum 2. Quòd morbi qui vno die propetant ad ſtatum, licèt in illo habeant ſigna coctionis; non tamen à primo inſultu morbi. Tum 3. Quòd Anaxion reincidit in ſtatu, quando ratione illius debeantur ſigna coctionis apparere. Tum 4. Quòd idem ſignum reperitur in hectica; & hæc, ac diaria per hoc ſignum differunt ab humorali putrida, non autem ipſa inter ſe: Galenus enim ſolum intendit, quòd hoc ſignum ſit proprium inſeparabile Diariæ, E non autem ſoli.

Ad 2. reſpondetur: Quòd Synochus ſine putredine; febris orta ex bubone, vel inflammatione, aut ex vaporibus, ſeu fuliginibus retentis, pororum occluſione, ſunt febres reuera humorales, quia oriuntur ex contentis: vocantur tamen à Galeno Diariæ; quia cùm non putreſciant in illis humores, in venis maioribus, non impeditur quominus in illis appareant ſigna coctionis in lotio: & quia in hoc ſigno cum Diariis conueniunt, analogicè dicuntur Diariæ, & has ſub diariis comprehendimus, quando dicimus, quòd eſt ſignum Diariæ incipere cum ſignis coctionis.

Ad 3

Ad 3. reſpondetur: Quòd diariæ ortæ ex cruditate ventriculi, ex vigilia, ex triſtitia, cùm nullæ proueniant ab humorum putredine intra venas, non eſt cur nō appareant ratione cauſæ, à qua dependent, ſigna coctionis ſtatim à primo inſultu febris. At verò complicantur ſimul cum cauſa, à qua dependet febris alia cauſa, quæ valet lotium crudum reddere, & coctionis obſcurare ſigna, quod non eſt contra traditam doctrinam, ſicut nec eſſet contra illam, ſi ratione complicatæ febris humoralis putridæ, eſſent in Diaria ſigna putredinis.

Ad 4. Reſpondetur: Quòd duplex eſt febris maligna, aut peſtilens: alia quæ ſimul eſt putrida, & maligna, aut peſtilens in qua calor fit febrilis, ratione intenſionis, & modificationis qualitatis deleteriæ, & hæc non poteſt incipere cum ſignis coctionis, cum dependeat etiam ab humorum putredine. Alia fit febris ſine putredine, & ſine noua caloris intenſione, ſolùm quia modificatur calor deleteria ac peſtilente qualitate, & in hac febre apparent ſigna coctionis, ſed hæc reducibilis eſt ad Diariam, quia cùm calor naturalis modificatus, & fit febrilis, & hic fit actuatus, qui completur per calorem ſpirituum, idcò febris reducitur ad febrem ex illis ortam.

Ad 5. reſpondetur: Quòd licèt in fine Diariæ ratione alterationis à calore, calor ſubſtantiæ, & modus liquoris aliqualiter immutetur, non mutatione qua interuertantur ſigna coctionis; nec hæc impedit, quòd ea non permanſerint à primo inſultu febris, nec impeditur ſedimentum: quia, vt diximus, cùm ſimul cum febre poſſit ſanitas permanere, à calore vt modificato, per illum poteſt ſedimentum generari.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm ex pulſu valeat Diaria cognoſci?

§. I.

Aperitur dubitandi ratio.

AVicenna *fen. 1.4 tract. 1.* tradit, Quòd Diariæ pulſus debetur magnus, celer, creber, æqualis, ac vehemens; & qui ipſa ceſſante, fit omninò naturalis, & quod dilatatio maior ſit compreſſione, quæ differentiæ videntur non eſſe propriæ Diariæ.

Primò: Quia pulſus magnus, celer, & creber reperiuntur ex quocumque viu adaucto, ſine ratione exercitij, inſolationis, aut febris cuiuſlibet alterius generis orto: Ergo non ſunt propriæ differentiæ Diariæ.

Secundò: ex Galeno *lib. de different. febr.* in omni febre apparet in pulſu inæqualitas febrilis: ergo in Diaria pulſus non poteſt eſſe æqualis.

Tertiò: In febre hectica pulſus in dilatatione eſt celerior, quam in compreſſione: ergo hæc differentia non eſt Diariæ propria.

Quartò: In febre intermittente, finito paroxiſmo, pulſus redit ad naturalem ſtatum: ergo hoc ſignum aliis febribus eſt commune.

Quintò: In Diaria orta ab ira, vigilia, dolore, deficiunt pulſus differentiæ propoſitæ: ergo non ſunt propriæ Diariæ.

§. II.

Antiquorum defendimus doctrinam.

REſoluendum: Quòd adductæ pulſuum differentiæ debentur Diariæ vt tali. Sic deducitur ex Ga-

A leno *lib. 1. de differ. febr. c. 7. lib. 2. de criſibus cap. 15.* Ex Auicenna *fen. 1.4. tract. 1. c. 10.*

Probatur: In febre Diaria datur vſus adauctus, ratione cuius debentur illi magnitudo, celeritas, & crebritas; nō eſt cauſa valens debilitare facultatem, grauitate aut qualitate vires diſſoluente; non datur fuliginum copia, & vſus variatio, ratione cuius fiat poſt declinationem, impediens reditum ad naturalem ſtatum; eſt in illa maior utilitas in dilatatione attrahente aërem, qui attemperet, quàm in compreſſione, in qua deficiunt fuligines expellendæ: ergo differentiæ adductæ debentur Diariæ.

§. III.

B *Ex argumentorum ſolutione patebit Reſolutio.*

AD 1. reſpondetur: Quòd vſus magis adauctus in Diaria, quàm in ſtatu ſanitatis, petit magnitudinem, celeritatem, crebritatem, excedentes eas, quæ in ſanitate fiunt; & hæ debentur Diariæ; & illi debentur cum aliarum differentiarum complexu, quæ in aliis febribus ſimul dari non poſſunt omnes.

Ad 2. reſpondetur: Quòd duplex pulſus inæqualitatis poteſt in febre humorali reperiri, alia collectiua in pluribus pulſationibus, quæ diuerſæ ſunt in magnitudine, celeritate, & crebritate ob arteriæ obſtructionem, compreſſionem, duritiem, humorum multitudinem, aut arteriarum, & cordis inæqualem temperiem.
C Alia eſt inæqualitas in vna pulſatione, quâ dilatatio in principio, & fine fiat celerior, quàm in medio; quia in principio vrget neceſſitas attemperandi: in medio minuit eſt; quia ob copiam fuliginum impeditur arteria; in fine maior, ob vrgentem neceſſitatem; & vtramque harum inæqualitatum dicit Galenus debere reperiri in omni febre putrida humorali; non autem in omni febre abſolutè.

Ad 3. reſpondetur: Quòd per hoc, quòd magis detineatur in dilatatione, quàm in compreſſione, licèt pulſus diariæ conueniat cum pulſu hecticæ, differt tamen à pulſu humoralis.

D Ad 4. reſpondetur: Quòd in febre intermittente remanent aliquæ fuligines, & neutra diſpoſitio, ratione cuius pulſus non peruenit ad totalem infebricitationem; ſicut in Diaria, poſt cuius declinationem homo permanet in ſtatu ſanitatis.

Ad 5. reſpondetur: Quòd differentiæ adductæ pulſuum debentur febri Diariæ, vt tali; poſſunt tamen immutari ab alia cauſa potentiori ſimul permanente, aut præexiſtente, & valente vel vires proſternere, vel ſinem alio modo immutare; ſicut contingeret, etiamſi aliud febris genus complicaretur cum illa.

RESOLVTIO V.

E

Vtrùm ex modo caloris ſit cognoſcibilis Diaria?

§. I.

Auicennæ doctrina & oppugnantes rationes ponuntur.

AVicenna *fen. 1.4. tract. 1. citato* deducit ex Galeno, quòd caliditas ſuauis ad tactum, & vaporoſa, non acris; & mordax, qualis apparet in exercitatis, & ebriis; eſt legitimæ Diariæ ſignum: quæ doctrina non eſt libera à contradictione.

A Primò: Quia Galenus videtur ei aduerſari. Tum 1. *de Criſib. cap. vltimo. §. Adeſt autem his quidem, qui ob triſtitiam febricitant acritudo potiùs quam multitudo caloris.* Tum 6. *Epidem. ſect. 1. comm. 29. §. Febris igitur calidus ac febricitantia corpora tangentibus, aut acrem, mordacemque, aut mediocriter moleſtam ſe ſe offert: ſuaue autem illud atque familiare, quale calori naturali ineſt, nequaquam habet*: Ergo in nulla febre poteſt eſſe ſuauis calor.

Secundò: Omnes febres conueniunt ſpecificè in eſſe caloris præternaturalis: ergo idem calor ad tactum percipitur in omnibus.

Tertio: Ex Hippocrate, victus humidus febricitantibus omnibus conuenit: ergo nulla eſt febris, quæ non ſit cum ſiccitate, & mordacitate coniuncta.

B

§. II.

Communis opinio præfertur, & explicatur.

RESoluendum: Quòd præfatus caloris modus eſt ſignum febris diariæ. Sic *loc. cit.* ſanciuere Galenus & Auicenna.

Probatur: Vitales ſpiritus fiunt maiori ea parte ex aërea ſubſtantia: ſed aëreus calor ſuauis eſt ad tactum, non acris, aut mordax, ſicut igneus: ſicut in oleaginoſis, ac butyroſis apparet: Ergo talis debet apparere in Diaria.

§. III.

C *Saluuntur Galeni oppugnantes authoritates.*

AD 1. reſpondetur: Tum 1. Quòd Galenus in febre orta ex triſtitia comparat caloris acritudinem ad eius intenſionem; & maiorem eſſe acritudinem, quàm eſt intenſio, docet: non verò quòd in Diaria comparatiuè ad alias febres non ſit minus acris calor. Tum 2. Quòd fatemur, quòd in ſtatu naturali calor eſt ſuauior quàm in Diaria; at vero ipſa ſuauior eſt calor, quam reliquæ febres.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt in eſſe caloris omnes febres conueniant; differunt tamen in modo caloris, qui variatur ratione aliorum accidentium.

D Ad 3. reſpondetur: Quòd Hippocratis doctrina pertinet ad partem curatiuam, & etiam ad prophylacticam, præcauens in omni febre per victum humidum ſiccitatem, quæ à calore ſubſequitur.

Resolvtio VI.

Verùm ſit proprium Diariæ, quòd ſoluatur cum ſudore?

§. I.

Dubitandi ratio & fundamentum proponitur.

E COmmunior ratio cognoſcendi Diariam apud Authores deſumitur à madore, aut ſudore quaſi naturali, ſimiliue ei qui ex exercitio ſubſequitur, dum ſuperuenit in declinatione Diariæ. Videtur tamen nullum tale ſignum eſſe Diariæ proprium; quia materia ſudoris eſt ſubſtantia aquoſa; ſed Diaria febris ex ſpiritibus fit, in quibus nulla redundat ſubſtantia aquoſa: ergo non poteſt reperiri in Diaria tanquam ſignum illius.

A

§. II.

Amplector communem opinionem.

REſoluendum affirmatiuè. Sic ſanciuit Galenus: recepit Auicenna, & patebit ex ſolutione dubitationis.

§. III.

Soluitur dubitandi ratio.

AD rationem dubitandi reſpondet Vega, & Brauus Salmanticenſis *in comm. ad lib. 1. de differ. febr. c. 7.* Thadæus, & Iacobus de Partibus *in comm. ad*
B *fen. 1. 4. tract. 1.* Stephanus Athenienſis *in comm. ad l. 1. de arte Curat. ad Glauconem.* Quòd in declinatione Diariæ fit ſudor ex excrementitia, & vaporoſa ſubſtantia circa cutem permanente, quæ in fine febris Diariæ à calore attenuatur, & expellitur.

Sed diſplicet: Tum quia non eſt ratio cur continuò ſuperſit excrementitia ſubſtantia circa cutem, vt in omni Diaria ſit materia, ex qua fit ſudor: Tum quia: ſi non eſt materia ex qua fit Diaria, non eſt cur Diariæ ſubſequatur terminatio per illum calorem.

Reſpondet Matamoros: Quòd non ſemper intelligendum hanc materiam permanere circa cutem, ſed poſſe etiam reperiri in intimioribus partibus, & exire ſimul cum ſpirituoſa ſubſtantia.

Sed hæ rationes impugnant hanc ſolutionem: Tum
C quia non aſſignat cauſam, quare priùs, quàm declinatio, non fuerit expulſa ad partes exteriores, & in vaporem mutata.

Reſpondetur ad rationem dubitandi: Quòd à calore intenſiori Diariæ reſoluuntur partes calidiores ſpirituum, & maiori ea parte euaneſcunt in ſtatu, poſt quem remanent partes ſpirituum craſſiores, & magis aqueæ, quæ ſunt materia ex qua fit ſudor, ad quem ſubſequitur Diariæ terminatio, qui ſudor non potuit priùs fieri ab intenſiori diariæ calore; quia erat vſtiuus, quando intenſior, & per inſenſibilem halitum partes aëreas & igneas præcipue ſpirituum reſoluebat: poſtea verò quando remiſſior, fit proportionatus vt eleuet vapores ex ſubſtantia craſſa ſpirituoſa, quæ remanet,
D ex quibus fit ſudor.

Resolvtio VII.

Verùm per aliqua ſigna ſit cognoſcibilis permutatio Diariæ in humoralem, & hecticam?

§. I.

Ex Auicenna proponitur examinanda Doctrina.

E PErmutatur Diaria in humoralem, aut hecticam plerumque, dum in humoribus, aut in partibus viventis eſt diſpoſitio ad has cauſandas febres; & tunc cum deſinat Diaria, & permaneat febris, quæ ſubſequitur, Diaria dicitur permutari in eam quæ ſubſequitur. Auicenna *fen. 1. 4. capit.* 8. huius permutationis adducit ſigna, dicens; Quòd ſi permutatur Diaria in aliam febrem, deficit ſudor, qui ſuperuenit in Diariæ ſolutione, & non peruenit ad infebricationem nec pulſus deducitur ad naturalem ſtatum, ſi præceſſerit dolor capitis, permanet; ſi permutatio fit in Hecticam, Hecticæ; ſi in Humoralem, Humorali incipiunt apparere ſigna.

Videtur,

A Videtur, quòd his ſignis non poſſit permutatio cognoſci; quia ſubſtantia ſpirituum craſſior, quæ eſt materia ex qua diximus fieri ſudorem in declinatione Diariæ, non eſt materia ex qua poſſit fieri febris humoralis aut hectica, vt patet; ergo ſiue ſudor ſuperueniat ex illa, ſiue non ſubſequatur, non eſt, cur cognoſcatur permutatio Diariæ in alias febres.

Secundò: Alia ſuperueniente febre non poteſt cognoſci an Diaria ſit ex toto ablata: ergo ex eo quòd non peruenit ad declinationem, non cognoſcimus permutationem eius in aliam.

Tertiò: manente Diaria, cùm illi debeantur ſigna coctionis, non poſſunt ſuperuenire ſigna putredinis in lotio; per quæ ſuperueniens febris putredo deberet B cognoſci: ergo per ſigna ſuperuenientis humoralis non poteſt cognoſci quòd permutetur in illam.

Resolvtio II.

Auicennæ doctrina admittitur.

REſoluendum: Quòd per ſigna ab Auicenna adducta cognoſcitur permutatio Diariæ in alias febres: ſic ſanciuit Auicenna *loc. cit.* receperunt Arabes, admittunt Iuniores: & ex Argumentorum ſolutione manifeſtè patebit.

§. III.

Soluuntur dubitandi adducta rationes.

AD 1. reſpondetur: Quòd ſi ſudor non ſuperueniat in Diariæ declinatione, ſumitur manifeſtum indicium tranſmutationis eius in aliam febrem: quia cùm in Diaria, prout remittitur in declinatione, deberet fieri calor moderatus & proportionatus; vt ex materia craſſiori ſpirituum remanente fieret ſudor, qui non potuit fieri dum calor intenſior erat in temporibus antecedentibus; ſi non fit, indicium eſt, quòd eſt alia febris ſuperueniens illi, cuius cauſa calor manet intenſior, quàm qui deberet facere ſudorem.

Ad 2. reſpondetur: Quòd non ſumitur indicium permutationis Diariæ in aliam per hoc quòd calor eius cognoſcatur remiſſus, dum alia ſuperuenit; ſed quia percipitur calor præternaturalis in eo tempore, in quo non eſt poſſibile quòd ſit calor Diariæ, cùm iuxta propriam conſtitutionem non poſſet extendi in illud tempus.

Ad 3. Quòd quando deficit Diaria, incipiunt ſigna alterius ſuperuenientis febris: & quòd ſi ſimul ſint complicatæ duæ febres, apparent magis ſigna eius febris, quæ potentior; licet alia alterari debeantur.

SECTIO III.

De Diariæ febris curatione.

EPHEMERA in triplici conſideratur ſtatu in ordine ad curationem; vel prout eſt legitima, & ſimplex, ſine alterius cauſæ, aut febris complicatione; vel prout ab altera febre, aut cauſa procatartica fouetur; vel prout eſt febris diaria analogicè ſic dicta, de quarum ſingulis ſeorſim proſequemur curationem.

Resolvtio I.

De diariæ legitimæ ſimplicis curatione.

§. I.

Ex variis Medicorum Sectis variæ referuntur curationes.

EMpirici, Circulatores, & impoſtores artis, & rationis expertes, nullas cognoſcunt febrium diuiſiones: pro omni febre quinque folio aut verbena vtuntur; aliiſve herbis manuum carpo, aut pedum plantis B appoſitis, aliiſque amuletis omni febri communibus ridiculis, ſicut ſunt reliqua eorum remedia. Hoc vel eorum aliquos refert Renodæus *lib. 5. c. 13. Sancti Petre & Paule ſtultum hunc perſanate* Quintus Serenus *Abracadabra* vtitur pro febrium amuleto, cum tali modo inſcriptionis literarum, & ſic alij proponunt inutiles impoſturas, Methodici qui febres affectum eſſe ſub adſtrictione contendunt; Diarias balneis curant, & inunctionibus olei. Paracelſus Circulatorum Princeps & Diuini Numinis deſertor, a Cacodæmone aliqua impia deducit remedia, quæ ſpagiricis immiſcet, licèt non C propriè huic adaptet febri. Vanhelmont delirans inter ſua inſomnia, poſtquam omnia condemnat ſcholarum remedia, irridens, & ſæpè repetens eadem conuitia, inſanus vagatur, & redit ad Paracelſum, à cuius doctrina ſimulat fugere, & febrifugium proponit pro omni febre ita efficax, vt nulla ſit quæ eius vno hauſtu non ſtatim exterminetur, quod tale eſt: *Accipe puluerem Ioannis de Vigo propria manu paratum, quod affuſo elemento ignis de vitriolo veneris extracti cum aqua regis cohobandus eſt quinies ſub finem augendo ignem.* En remedium, ſed poſtquam parturiunt montes, naſcitur ridiculus mus. Nam poſt tot promiſſa non adimplenda, vt ſuas cooperiat impoſturas ſuperaddit *tract. de febr.* D *capit. 14 Pendet eius directio à manu eius cui debetur honos, quia paruulis reuelat huiuſmodi arcana quæ mundus neſcit.* Petit ergo miraculum vt fugiant febres, vel vt fiat febrifugium; ſi per miraculum factum, fateor vtile eſſe pro omni febre, etiamſi ſit lapis, ſilex, aut ferrum. Non negant ſcholæ miracula, nec dubitant de Dei potentia, ſed remedia quærunt naturalia ex rebus naturalibus deſumpta; quibus valeant ſubuenire languoribus ægrotum, quando Deus miraculis non dignatur vti.

§. II.

Dogmaticorum rationalis curatio traditur.

E DIaria legitima & ſimplex, ſimplicem præbet indicationem ſuæ curationis per attemperationem, vt tradidit Galenus *lib. 11. methodi c. 2.* cui Auicenna, & communiter omnes Practici ſubſcribunt. Perficitur attemperatio victu tenui frigido & humido, aëre frigido inſpirato, pro calefacto capite, oxyrrhodino; pro toto corpore balneo aquæ tepidæ, quo communiter vtebantur antiquiores, quibus balnea artificialia fuerunt in deliciis: minus eſt vſitatum noſtra ætate, in qua ab vſu receſſerunt balnea artificialia.

§. III.

Noſtra proponitur deciſio.

NOſtris temporibus rarò pro hac febre Medici vtuntur auxiliis, vel quia non accerſuut pro prima morbi die; vel quia acceſiti iudicant operoſum remediis vti pro ea febre, quæ ſine periculo ſecuriùs curatur à natura per ſpatium viginti quatuor horarum, quàm poſſit ab arte; quibus aſſentior.

RESOLVTIO II.

De Diariæ curatione, cum qua, aut cauſa, aut febris alia complicatur.

§. I.

Refertur communis curatio huius febris.

SI Diaria hecticæ, aut humorali ſit complicata, alterius febris, cui complicatur, quam maximè curatio intenditur, ſi cauſæ complicata ſit fouenri, ne permutetur in aliam, cauſæ cura habenda eſt, cuius indicationes proſequutus fuit lato calamo Auicenna *fen.* 1. 4. *tr.* 1. quas nos ob breuitatem ſubticemus.

§. II.

Diaria proſequor curationem, dum fouetur à cauſa.

REſoluendũ: Quòd ſi permaneat cauſa diariæ ſonẽs illam, tentanda eſt curatio per cauſæ ablationem.

Si æſtus ſolis, alteriúſve cauſæ calidæ ſoueat Diariã, transferatur æger in locum frigidiorem, victu, & aëre frigido vtatur, & oxyrrhodino, ſi ſimul ſit capitis dolor; ſi frigiditas, vt in tranſitu ab exercitio ad locum frigidũ contingit, æger pannis cooperiatur, & prouocetur ſudor, ſi cutis denſitas aut pororum occloſio, ſuperaddatur lotio cutis cum ologiphero vino: ſi labor, quies imperanda, victus facilè concoctibilis in longiori quantitate: ſi laſſitudo, conueniunt frictionea: ſi ira, animi tranquillitas, & hilaritas, & quòd attemperetur bilis, potu, victu, & aëre frigidis: ſi triſtitia recreatio animi, & tenuis vini vſus. Pro fouente vigilia ſomnus conciliandus; pro inedia cibus offerendus paulatim; & ſic de reliquis cauſis exterminandis agendum, ne permanentes cauſæ valeant Diariam in alias permutare febres.

RESOLVTIO III.

De curatione Diariæ illegitimæ.

§. I.

Diaria illegitima curatio quibus locis traditur.

CVm febres diariæ analogicè ſic dictæ ſub alio febrium genere contineantur, ſub illo communiter traditur earum curatio: ſynochus ſine putredine humoralia eſt, & ſub febre à ſanguine orta proprium locum habet, & ibi latè illius trademus curationem. Febris orta ex bubone, ſicut & aliæ diariæ febres, quæ ab externa oriuntur aliqua inflammatione, proprium locum ſuæ diagnoſis, & curationis obtinent, vbi de inflammationibus, à quibus oriuntur, pertractatur. Febrea Diariæ illegitimæ ortæ ex cruditate primæ regionis, quæ licèt ad humoralea reducantur, non ita propriè ſub humoralibus ſunt; magis propriè ſub hac diſputatione petunt curationem, quam in ſubſequentibus proſequar.

A

RESOLVTIO IV.

De diagnoſi, prognoſi, & curatione diariæ ortæ ex ventriculi frigida cruditate aut nidoroſa.

§. I.

Diagnoſis Diaria ex cruditate praſcribitur.

FEbris Diaria ex cruditate eſt, quæ oritur ratione cruditatis, quam materia, ex qua fit, acquiſiuit in ſui generatione, & eſt duplex: alia quæ fit à cruditate permanente in prima regione; alia quæ fit à cruditate permanente in ſecunda regione. Quæ fit in prima regione; alia fit ex materia acida, aut non alterata, alia ex materia nidoroſa, alia ex conſpurcata materia, ex qua lumbrici generantur.
B Cruda dicitur ſubſtantia quæ vel ob diminutum calorem non attingit terminum coctioni debitum; vel quæ ab intenſiori producitur; quæ à diminuto prouenit; alia fit quia immutata manet ob omnimodè diminutum calorem; alia aliqualiter valet immutari, & acida fit ſubſtantia à diminuto calore acquirente medium terminum inter ſubſtantiam nulla ex parte coctam; & inter eam, quæ debitum adquirit terminum quæ ab intenſiori calore vrentéve producitur ſubſtantia cruda, nidoroſa dicitur, & alia tenuis aduſta fit, alia oleaginoſa, & craſſior; ex his febres ex cruditate dictæ ducunt originem.

C

§. II.

Diuiſio, & diagnoſis Diaria ex cruditate acida, & nidoroſa adducitur.

CVm duplex ſit in prima Regione cruditas; alia à diminuto calore, alia ab intenſiori proueniens; duplex etiam inſurgit diaria: alia à cruda ſubſtantia, quam vocat Auicenna ex nauſeatiua ſatietate; alia à ſubſtantia aduſta, quam omnes admittunt oriri ex nidoroſa ſubſtantia. A cruda ſubſtantia fit febris, quia cùm à calore concoqui vlterius non poteſt, nec perfici, neque à partibus trahitur, quia nutritioni inutilis, ab ipſa retenta, & non elaborata vaporea, & fuligines proueniunt calidæ quæ ad partes delatæ aëris
D attemperatam vim coërcent. Spiritus orbari communi aëris refrigerio accenduntur, & præternaturalis calor in partibus ſubcreſcit. Potiori iure dum ſubſtantia generatur nidoroſa ab ipſa ob eaſdem cauſas retenta proueniunt vaporea, & fuligines, qui eleuati ſimili ratione intenſiorem adhuc valent Diariam cauſare.

§. III.

Prognoſis & diuiſio vtriuſque.

HAs diſtinguunt febres: Quòd in omnino cruda, & nulla ex parte alterata materia, vel nulli ſubleuantur vapores, vel inſipidi nauſea apparet, & propenſio ad vomitum; halitus ad alimenta redolent: in
E acida, acidi inſurgunt vapores: in nidoroſa, nidoroſi, ſitis magna, ventriculi corroſiua ſenſus nidoris.

§. IV.

Extra Scholas Dogmaticorum referuntur Diaria ex cruditate curationes.

VAnhelmont *tract. de febrib.* Diariæ ſpecificam differentiam non admittit, ſed pro omni febre febrifugium diaphoreticum, ſeu ſudorificum proponit remedium, quo materia, ſeu ſubſtantia deturpans Archæum, vt ipſe delirat, expellitur.

Sed delirus iſte innouator ſuas patefecit impoſturas, vt vidimus, quia miraculum petit, vt ſuum

febrifugium

febrifugiom exequatur miraculoſa, quæ ipſe promittit. Tum ſi hæ febres pendent ex eruditate contenta in prima regione, per eius euacuationem per veotrem factam, ſecutiùs, quàm per quamcumque aliam regionem curabitur febris. Tum quia hæc craſſa denſaque materia, vapore aut ſudore euacuari non poteſt, cùm potiùs per calorem, partibus humidioribus reſolutis, pars craſſior deberet magis viſcida, & adhærens remanere. Tum quia ſicut natura non aggreditur ſudore eius euacuationem, ſed vomitu, aut per diarrhœam, ſimiliter nec ſudor debet tentari ab arte, ſed eædem euacuationes, cum quibus natura ſecutiùs illius conſequitur euacuationem.

Dices eom Vanhelmont: Quòd non debet tentari euacuatio illius materiæ per aliquod pharmacum, quia quodlibet eſt venenoſum, & generat ex partibus vrentis, & ex cruore ſaniem, quam euacuat.

Contra ſtat: Tum quòd vomitorium fit ſine pharmaco ſolutiuo, quod valeat talé generare ſaniem: Tum quòd per ventrem euacuant clyſteres materiam contétam in prima regione, ſine eo quòd commiſceat aliquod pharmacum ſolutiuum: Tum quia cruditas à nobis dicta, quam ſaniem vocat Vanhelmont, iam eſt genita ante pharmaci exhibitionem, cùm cauſet febrem: Ergo non teſtat generata ab aliquo remedio.

Theophraſtus Paracelſus *lib. de morb. tartari c. 3. de febre ſtamachi.* hanc febrem curat cum purgatione, ſine digeſtione, & cum pillulis de laudano, quas ipſe deſcribit: & ſuperaddit, quòd nec tat adminiſtrandum in principiis harum febrium, cum vino correcto & claro ad cyathum perfectum. Qui licet abeſtet in aliis, non procedit delirus in curatione, ſicut Vanhelmont, nec ſe omninò oſtentat irrationalem.

Methodici, ſicut pro aliis, ſimiliter pro hac curanda febre aliqualiter inhærent Rationalibus; licèt in principiis diagnoſticis differant, febres inter morbos ſub adſtrictione conſtituunt, & ideò hanc febrem laxantibus curandam iudicant olei inunctione, & balneis, numquam tamen purgatione: Quia hanc ſtatuunt eſſe ſolutionem magnam, quod non debet exerceri pro morbo paruo, qualis eſt Diaria.

§. V.

Dogmaticorum præfertur rationalis curatio.

INter Dogmaticos huius febris curationem quam maximè proſequuti ſunt Gal. *lib. 8. meth. c. 6. lib. 4. de ſanitate tuenda & Comm. in ſentent. 31. ſect. 5. lib. 6.* Apud Auicennam *fen. 1. 4. tract. 1. c. 54.* Zacutus *tom. 1. lib. 4. de febr. tract. de feb. diaria.* Hollerius *lib. 2. de morb. internis cap. de febre ex cruditate.* quibus nos adhærentes proſequemur curationem.

Diaria ex cruditate ob diminutam coctionem ſomno, & manus ad ventriculum applicatione perficitur, ſuperaddendo in fine clyſterem pro incoctili euacuanda materia, quæ ob abolitam actionem concoctricis manet, cruditas nullum permittit offerendum cibum, vomitus tentandus, purgatio vitanda, ventriculi calor roborandus olei abſynth. menthæ, Angelicæ, aut ſpicæ ſuper oleum abſint. facti inunctione.

Vacuatio per vomitum fuit apud antiquiores in frequentiori vſu, apud noſtrates non ita communis: inter Archiatros, ſeu Spagiricos nonis adinuentis vomitorii frequentior manet. Vumitoria apud Galenum *lib. 1. de alimentis cap. de Seſamo. & lib. 5. cap. 4. de vſu partium,* ſunt in triplici differentia; alia benigna, vt aqua tepida cum ſacharo, aut cum ſyrupo acetoſo, vel oxymelite ſimplici, vel cum oleo oliuarum, vel amygdalarum dulcium ſumpta in magna quantitate. Alia ſunt mediocria, vt decoctio camomillæ, radicis, & ſeminis raphani, atripliels, erucæ naſturtij, aut capæ, cui ſuperaddi ſolent ſyrupus acetoſus compoſitus, oxymel, ſcilliticum, aut hydromel mel compoſitum, cum radice aſari. Huius ordinis ſunt diaſarum Fernelij, vel Laurentij vſus ſeminis aſari, & aethi aquæ cardui benedicti. Alia ſunt violenta, vt veratrum vtrumque, præcipue album; Thymelea, Chamelea, Peplium. Iuxet Spagiricos Rulandus & Quercetanus, Beguinus, & alij plura dederunt vſui, quæ ſub ſecundo ordine iudico continenda vt ℥j. Seminis radicis aſari addendo aquæ cardui benedicti, Hyſſopi, aut praſſij ℥j. vel Rulandi aqua benedicta, de qua *Centur. 1. curat. 14. Centur. 2 c. 54. 55. 62. &* 63. vel ſpiritus aureus, vel aqua terræ Sanctæ, vel croceus metallorum: quorum vltima ſub tertio ordine vomitoriorum ſunt; vel ſalis vitrioli gr. 7. aut 8. diſſolue in vini iuſculo, de quo Quercetanus *in Dogmatica pharmacopea.* Quæ ex his ſub ſecundo ordine ſunt, magis ſunt ex vſu pro hac febre.

Si permeet cruditas, & à ventriculo deſcendat, indiget purgatione pharmaco ſolutiuo facienda, cuius vires deſcripſimus *diſput. de purgat. ſect. 3.* Cuius forma erit. ℞. *decocti pug. ℥ij ß ſyr. princip. vel Regis. vel ex infuſionibus ℥iij. miſce; addendo aqua floris caſſia lignea 4. miſce. vel decoct. Pug. ℥iij. manna electa ℥j. Syr. princip. ℥j. ß aqua Cinamo. 4. miſce. pharmaco exhibito.* Poſtea ventriculi proſequenda eſt roboratio. Si ex acore, aceſcáve ciu iitate prouenint Diaria, primo acceſſu vomitoriis ſecundi ordinis tentanda eſt curatio, ne inepta laboratiuoe materia diuagetur per corpus; quibus ſi non cedit, aliquo ex propoſitis lenitiuis exterminanda eſt pharmaco; ventriculi vlterius roboratio proſequenda inunctione ex oleis adductis, vel pane bis cocto generoſo vino irrorato, additis puluerib[us] diarrhodonis, aromatici Roſati cinamomi, Garyophyllorum, menthæ, roſarum, aut abſynthij, vel loco eorum ſuperpoſito balſamo, aut oleo abietis.

§. VI.

De curatione Diariæ, ex nidoroſa ſubſtátia ortæ.

DIaria orta ex cruditate nidoroſa temui, & fumoſa, ex Mercati conſilio potu aquæ frigido copioſo compeſces; & vſu frigidi, craſſique alimenti. Quæ à craſſiori ſit nidoroſa materia, ac pinguiori, copioſa aquæ tepidæ potione attemperanda, vomitus ciendus vomitoriis primi ordinis: quæ ſi pro euacuatione non ſubſiſtant, leniua cum perficiet purgatio; non manna, aut caſſia fiſtula ficta, vt conſulit Mercatus; facilè enim inflammantur, & ſubſternunt materiam denuò nidoroſam genitam ex illis; ſed lenitiuis frigidioribus, & potentioribus, in quorum vſu erit *Syrupus Principis, Regis, aut ex violarum infuſionibus paratus cum decocta pugini additis attemperantibus, vel conſerua roſarum perficarum additis puluerib[us] ſena, aut mechoacam, cum frigida aqua potuſumpta:* vel ſi mauis, eadem conſerua magis ex vſu erit, addita *Rhabarb. pulnerizati* ℥j. Peracta purgatione, ventriculus roborandus vſu eorum quorum antea meminimus. Tentanda viſcerum attemperatio vſu frigidi potus, conſeruæ roſarum rubrarum, borraginis, violarum, vel vſu ſyrupi agreſtæ, de ſucco limonum, granatorum, ſeu ſuccorum eorundem. Et his non ſufficientibus vſo lactis inſtillatitiæ, ex præſcripto Cortesij, vel ſeri lactis, in quo quinto, aut ſexto quoque die infundes per noctem Rhabarbari electi ℥j. vel eodem Rhabar. veteris maſticato, ex præſcripto Baptiſtæ Montani.

A

Resolvtio V.

De curatione febris ex cruditate cum lumbricis.

§. I.

De locis vbi generentur vermes, & eorum ſpeciebus.

INter Diarias ex cruditate ortas cenſeo recenſendas B eſſe febres, quæ ſimul cum vermibus fiunt ex cruda pituita in inteſtinis putrida. Vermes in quaque arboris differentia contingit naſci, vt tenet Theophraſtus *lib. 5. de hiſtoria plantarum*. ſub niue plerumque naſcuntur, vt idem Theophraſtus refert ex Ariſtotelis ſententia; ex terra oriri vermes communiſſimum eſt, quos terræ lumbricos vocant: nec aliter qui oriuntur in homine, in quo ex vlceribus oriri docet experientia, & notauit Hippocrates in qualibet corporis parte, abſque vlcere poſſe generari, ex pluribus Authoribus collegit Duretus *in Hollerium lib.* 1. c. 54. & ampliauit Sennertus *lib.* 2. *c.* 3. *ſect.* 1. *c.* 11. *tom.* 1. In capite generari Duretus firmat, qui in diſſecto puellæ capite ver- C mem vidit nigrum in dura meninge. Beniuenius obſeruauit *obſer.* 100. à cerebro per nares vermes eiici. Hollerius confirmat *in lib.* 1. *c.* 54. & Franciſcus Hudesheim, Amatus *centuria ſeptima curation.* 63. ex oculo extractum vidit vermem: Valleſius de Taranta *lib.* 4. *c.* 30. ex aure vermem eiectum obſeruat: Beniuenius *cap.* 77. ex pectore vidit vermem eiectum: Dodoneus in Scholio obſeruat ex veſica vermem eſſe eiectum. Sed communiſſimè vermes generari in inteſtinis omnes experiuntur Medici, quorum cauſa febris ſuberecit Diaria.

Horum duo genera videntur admittere Hippocrates, & Cornelius Celſus *lib.* 4. *c.* 17. Auic. *fen.* 16. 3. *tract.* D 5. *cap.* 2. quatuor admittit genera: ſed tria admittenda; ſcilicet latos, teretes, & aſcarides docet Ariſtot. *lib.* 5. *de natura animalium c.* 19. Galenus 3. *Aphoriſm.* 16. Paulus *lib.* 4. *c.* 56. Quibus ſubſcribunt Moderniores, inter quos Gabucinus *lib. de lumbricis c.* 2. Manardus *lib.* 4. *Epiſtola* 2. Mercurialis *lib.* 3. *de morbis puerorum cap.* 7. Carrerius *lib. de locis affectis*, hanc litem in concordiam reducunt. Generantur lati per omnia inteſtina, teretes in inteſtinis ſuperioribus, aſcarides in inferioribus: fiúntque diuerſi ex materiæ diuerſitate; quæ, vt eruditiſſimè notauit Duretus, generandorum variant formas, & accidentia. Hæc non eſt ſemper excrementorum coaceruatum in pueris, dum ſunt in vtero; nec ſanguis, bilis, aut melancholia; nec omnis pituita ſalſa, acida, glutinoſa, aut viſcida; ſed tantùm quæ dulcis, & ſemicocta dum putreſcit; à cuius parte E potiori, prout in quantitate, aut ſubſtantiæ modo, & alteratione alia, diuerſæ ſuperueniunt lumbricorum formæ, in deteriori verò materiæ parte inde ſerpit putredo, & prout magis, aut minus commouetur ab ipſis lumbricis ſimul exiſtentibus, ex materia magis, aut minus eleuantur calidi vapores, qui in partes delati, aërem calefaciendo in cauſa ſunt, vt ſpiritus febrem accendant, quæ omnino inordinata eſt, nullas ſeruans periodos, nullas continens certas intenſionis, aut remiſſionis metas, nulla communia, aut certa ſeruans concomitantia, aut ſuperuenientia accidentia, quæ improportio maximum huius febris præbet indicium

§. II.

De ſignis & prognoſi huius febris.

SYmptomatum & acceſſionum inconſtantia conſtantius ſignum eſt huius febris, & quod concomitentur illam lumbricorum ſigna, quæ ex Hippocrate, & Ariſtotele, & Aëtio deſumpſerunt Authores, inter quos Gabucinus, & Mercurialis, Marcatus, Paſchalius, Duretus, Donatus ab Altomari plura referunt. Ex his omnibus ſic colligit Zacutus: vermes concomitantur ſingultus cordis, morſus, vomitus, nauſea, iliacus dolor, inteſtinorum tormina, inappetentia, B fames canina, cephalalgia, ſopor, conuulſio, epilepſia, apoplexia, angina, vigilia, febres in certo ordine repetentes, inquietudo, tuſſis exigua cum ſiccitate irritans, inſolitus clamor, ingens mœſtitia, pulſuum inæqualitas, extremorum frigiditas, ſtridor dentium, impedimentum deglutiendi, carnium extenuatio, syncope, animi defectus, oris fœtor, ventris tumor. Ita ægros valent hæc ſymptomata, quæ ex lumbricis ſubſequuntur, premere, vt licèt febris non eſſet de ſe lethalis, ſemper ſit timenda. Præcipuè cùm ab illis plerumque viſcera corrodantur, & ineuitabilem mortem afferant, vt idem Zacutus confirmat ex Hippocrate *l.* 7. *Epidem. n.* 56. ex Paulo *lib.* 4 c. 53. ex Auicenna *fen.* 16. C 3. *tract.* 5. *c.* 2. ex Tralliano *Epiſt. ad Theodoret. de lumbricis*, ex Paræo *l.* 1. 8. *c.* 3. ex Foreſto *l.* 6. *obſeruat.* 35. *in ſcholio* Ex Omnibon *lib.* 4. *cap.* 5. *art. medend. infant.* ex Conciliatore *differentia* 101. ex Nicolo *ſermon.* 3. *tra.* 8. c. 54. Ex Soleuandro *lib.* 5. *Conſil.* ex Balduino Ronſeio, & aliis.

§. III.

De Curatione febris ex cruditate cum vermibus orta.

HAnc febrem, ficut & reliquas, ſudando ſuo diaphoretico lumbricos curari contendit Vanhelmont, Quercetanus, & reliqui Archiatri pro ſecreto D habent pro hac febre curanda, & pro lumbricis exterminandis, quòd ore aſſumatur Mercurius; quibus adhæret Fallopius, vetulæ, & impoſtores attrectare ventre, & quibuſdam ſubſurratis verbis lumbricos ſecare intra corpus ſuadent pluribus. Inter Empiricos Epiphanius pro vermibus hanc commendat confectionem. ℞ *ſenæ Alexandrinæ* ℥ij. *cornu cerui vſti cort. granat. ana* ʒß. *Dictami garyophyllor. Rhabar. ana* ʒj. *Santonici* ʒjß. *cinam.* ʒiiij. *Sacchari in aqua graminis, aut abſynt. diſſolut.* q ß. & in eundem finem tanquam magis expertum laudat ſequentem puluerem. ℞. *cornu cerui vſti, nigellæ præparata, myrrhæ, diptami, ſem. caulium ſem. acetoſæ, coriandri præparati, tormentillæ, ſeminis portulacæ, oſſis de corde cerui* ʒj. *rhab. electi* ℈iij. *ſeminis leniſtici* ℈iiij. *Miſce: fiat puluis.*

E

§. IV.

Cura huius febris ex Dogmatica familia.

CVm febris orta ex cruditate cum lumbricis permanente dependeat à pituita in prima regione ſuperabundante, putrida, & quæ ab eiſdem lumbricis commouetur; vnde inordinatè intenditur febris, remittit, & inopinatè redit, & recedunt ac ſuperueniunt ſymptomata. Huius curatio duplici tentanda eſt remediorum genere: alterum pro necandis & exterminandis lumbricis vtile; alterum pro euacuanda materia putrida, à qua febres ducunt ortum.

Materia

Materia,ex qua pendet hæc febris,per ventrem euacuari petit, cum contineatur in inteſtinis; hoc perficitur clyſteribus iniectis ex decoctione rerum amararum,graminis,aut ſantonicæ, addendo confectionem hieræ, coloeynthidem,ſimiliáve pharmaca,quæ amara cùm ſint, vim habent mouendi craſſos & pituitoſos humores in inteſtinis redundantes. Purgatio ſimiliter eſt tentanda; ad quam dubitat Zacutus *tom.1.lib. vltimo*, an ſit expectanda coctio; & dicit, quòd,licèt vermes non coquantur, oportet concocta eſſe excrementa quæ ſunt cum illis. A

Dicendum iudico: Quòd pro materia purganda, quæ eſt cruditas, à qua lumbricorum ſit febris, nulla eſt expectanda coctio, quia eſt cacochymia, vt *diſp. de purgandi ratione*, demonſtrabimus. Poterit tamen eſſe præcautio, ne propinemus ſolutiuum pharmacum ſelectiuum, ſi ſimul ſit complicata alia febris, pendens ex humoribus in venis, ne ante coctionem moueatur ab illo humor nondum cacochymus, donec præcedat coctio. Erit igitur vtilis ſtatim purgatio leniriua ſumpta, indicatione, à cauſa à qua dependet hæc febris, in qua maximè vtile eſt rhabarbarum, quod licèt ſelectiuum ſit bilis, prodeſt pro materia in prima regione aduſta,ventrem ſoluit leniter, lumbricos necat,& exterminat, ventriculum roborat,& confortat,& omnes adimplet indicationes, quæ ex cauſis huius febris poſſunt deſumi. B

C

§. V.

Pro necandis vermibus in febribus quid agendū.

PRo vermibus necandis in prima regione manentibus, loco calamo remedia propoſuêre; inter Rationales Ioannes Paſchaſius *lib.1. cap.51.* Pereda *in ſcholiis*, Hollerius *lib. 1. de morbis internis capite 54.* Duretus *in eius enarrationem*. Altomarus *lib. de curandis humani corporis morbis capit 81.* Mercatus *libro 2. de morbis puerorum capit.10.* Omnibon. *lib.4.capit.15. artis medend. infant.* Rondeletius, Iachinus,Maſſarias, & alij Practici; inter quos præcelluit Gabucinus *lib. de lumbricis cap. 23.* & plura neceſſaria obſeruanda propoſuerunt Schenckius *lib. 3. obſer.* Foreſtus *libro 7.* Solenander *libro 5. Conſil* Marcellus Donatus *de Hiſtoria mirabili*,Zacutus *tom.* *lib* 2.apud quos vermium curatio proſequitur, quæ non eſt noſtri inſtituti; ſed curatio febris quæ cum illis oritur. Pro hac ſiue ſit humoralis lumbricis complicata; ſiue ſit analogicè Diaria,& orta ex putrida pituita, quæ cum lumbricis remanet, duo proponemus cum Zacuto remedia, & pro exterminandis lumbricis, & pro febre attemperanda vtilia primum: ſit puluis, quo, peracta primæ regionis purgatione, vtetur æger per aliquos dies in aurora,qui talis eſt: ℞. *Corallina.cornu cerui ana* ʒj *Scobis eborea* ℈j *Scordij* ʒj. *Rhabar.* ℈iij. *Rhapontici Veri* ʒij *Aloes ſcicotrina lota cum aqua acetoſ.* ʒß. *coral. rubr.* ʒj.*dictam.*℈ij. *Seminis Portulacæ acetoſ.ana* ℈iß. *Omnia puluerizentur tenuiſſimè, ex hoc ſumas* ʒj. *cum ſyrup. granat.& decocti meſarenici.* Vel ſi lumbricis ſuperueniat febris maligna ex humoribus orta, aut quæ ex putrida ſit pituita in prima regione, fiatque ratione accidentium maligna, ſubſequens potio per interualla aſſumpta, erit vtilis. ℞. *pulpa thamarind. acetoſor.* ℥vj.*Seminis acetoſa,portulacæ, plantagin. ana* ʒß. *Syrup. de Succo limon. Syrup. acetoſa ana* ʒij. *aquæ acetoſa portulaca ana* ℔.1. *Theriaca magna* ʒß. *Conf. alkermes, hyacint. ana* ʒß *Cornu cerui* ℈j *Corallina* ℈jß. *Scobis chorea* ℈jʒ.*Succi limonum* ℥ß *lapidis bezoaris g.xx. coralli rubri preparati* ℈ß.*miſca pro potione.* D E

Resolutio VI.

De febre ex cruditate in ſecunda regione.

§. I.

Huius febris proponitur diagnoſis.

HVius febris materia eſt in ſecunda regione, in qua contenti humores ab intenſiori alterati calore vruntur, aut putreſiunt,& febres humorales cauſant: cuius curationem proſequemur *Diſput. de febribus humoralibus*. Contingit autem aliàs quòd deferantur ad venas humores crudi, à diminuto calore geniti, nutritioni inepti, qui ideò nec in venis perfici valent, nec vt vtiles trahuntur ad partes; vel quòd licèt non ſint omninò incoctiles, omninò ſit calor ſuffocatus, debilis, & ineptus procorum elaboratione, vel quia materiæ multitudine eſt inferior eius actiuitas; vel illius craſſitiei; vel quia ipſa vt talis occludit, & ventilationem impedit; aut intercipit vias, & caloris communicationi obſtat, & ideò vitra modum retenti incaleſcunt, quia alterantur, & inepti ſunt elaborari, & à vaporibus, & fuliginibus elatis cauſatur febris pituæ; quæ licèt humoralis, quia à putridis natura differt, & cum eis quæ ex cruditate primæ regionis oriuntur, ſimilitudinem aliquam habet; ideò eam inter febres ex cruditate ortas conſtituo; in aliis enim vireſcit calor; in hac natiuus,vndique infirmus,& debilis manet. C

§. II.

Signa & prognoſis proferuntur.

VRinæ tenues, aquoſæ, leuiter conturbatæ, aliquando cum ſedimenti aſperitate, color faciei pallidus, liuidus, aut plumbeus, antecedens otium, crapula, intempeſtiua exercitia: immoderata Venus, & quòd febris debilis appareat, ſigna ſunt quæ hanc atteſtantur febrem ex doctiſſimo Hollerio: quibus ſi ſuperueniant pulſuum inæqualitas, & paruitas, totius corporis grauitas, tarditas, hebetudo motus corporis, & ſenſuum, præcipuè ſi complieſentur ventriculi, aut hepatis inflammatio, tota abolerur ſalutis ſpes, ſi tota hæc cohæreant ſimul, & quæ remanent ſigna febris,debiliora videantur,aliqua tamen curatio-nis tentanda eſt via.

Cùm hæc ſit febris ex ſuffocato proueniens calore,vel ex materiæ multitudine,vel ex materiæ craſſitie intercipiente,aut occludente vias,ratione cuius humor à quo ſit febris, nullum recipit beneficium naturæ, aut quàm adiminutum;difficilis eſt ad curationem aditus,quia natura cenuente,omnia irrita ſiunt,cauſa non depoſita,natura ſuccumbit,pro cauſæ depoſitione vites non ſubſiſtunt.

§. III.

De huius febris curatione methodica.

SAnguinis miſſio, dum rubet calor faciei,conſulitur ab aliis, nec indicatam eſſe nego, cum morbus ſit magnus pendens ex vitio ſanguinis, ſeu humoris ſanguini commixti; ſed renuunt vires,& Galenus renuit *lib.de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap.5. & lib.4. de ſanitate tuenda.* quæ umque enim humores commouent, vites deiiciunt, ſyncope acceſſunt, mortem accelerant, frictiones parum proſunt,ſed contur- bans

bant minus, quies procuranda in molli lecto, aër attemperatus, ſomnus moderatus, victus tenuis parum, & ſæpè oblatus. præcipuè ſi obſcurior pulſus, & inæqualis, vinum ſit dilutum, & ſi lotium conturbatur, & pulſus redditur obſcurior & inæqualis, mors eſt in propinquo, nulla veniant infamanda remedia; ſi lotium initio crudum, & aquoſum adquirat ſedimentum, licèt craſſum, & diuulſum, aut aſperum, vel appareat conturbatum, & pulſus æqualior, & validior appareat, ſub ſpe manet æger, coctionem expecta, & viribus conſtantibus naturam adiuua, ſi materia morbum committens, adhuc remanet ſanguini commixta, quod nondum peracta demonſtrat coctio, ſanguinis miſſio tentanda, vegetior enim iam natiuus inualet calor, vires robore vigent, ſi cacochymam denotet materiam peracta coctio, quia non omni ex parte elaborari potuit, nec in noxitiuo, quæ inepta ſtetit, & à calore debili elaborata, purganda venit, ne recrudeſcens iterum in recidiuam abeat.

Resolvtio VII.

De aliquibus euentu comprobatis in febribus ex cruditate ortis.

§. I.

Diaria ex cruditatibus orta, vomitu, clyſteribus, diæta, & ſomno curata.

Diariam ex varietate ciborum ortam, ſola diæta ſecurius, quàm præſtita euacuatione curari expertus fuit Zacutus *lib. 3. de praxi medica admiranda, obſeruatione 2. §. Hanc viuendi legem non obſeruabat Aulicus quidam, qui præpoſtero ordine victitans carnes, & piſces, alimenta craſſa, & lenia, frigida, & calida citra delectum in eadem menſa ingurgitabat, citra offenſam vllam. Quando vno die poſt prandium de dolore capitis, nauſea, vomitu, & gurgulione ventris queri cœpit, quibus omnibus acceſſit febris ardentiſſima, quæ illum biduo macerauit, cum faſtidio coniuncta: vocantur Medici, & in varias diſtribui ſunt claſſes, nam venæ ſectionem plures tenaciter ſuadent; curatus tamen eſt quiete, ſomno, vomitu clyſtere, diæta, &c.*

§. II.

In diaria ex cruditate, ſanguinis miſſionem eſſe lethalem firmat euentus.

Cvm ſanguinis miſſio in febre orta ex cruditate non ſit indicata, eam renuimus, & quia vlterius calor naturalis cruditate ſuffocatus omninò dilitescit, vt euento comprobauit Zacutus *lib. 3. de praxi Medica admirand. obſeruat. 1. §. Diariam inuenio, quieti & ſomno ægrum committo, victu frigido, & roborante eum renutriens. Nocte increbuit febris, citra vllum in venere delictum commiſſum. Diluculo alius ſocius vocatur, qui licèt duodecim horæ tranſacta non eſſent, ſolum ob febrem & ardorem internum ſanguinem emittendum curat, vt monuit Auicenna fen. 1. 4. tract. 2. cap. 42. de febre Ephemera, ex vino. Affines me reuocant ita faciunt, ſed cum vino alimento ſuperfluo & copioſo calor innatus eſſet obrutus, & ex venere multa valde minutus, extracto ſanguine, palpitatione, vertigine, & delirio tentatus (hoc enim ex debilitate quandoque oriri teſtantur Hippocrates 7. Aphor. Fernelius 5. Patholog. 2. Carreirus cap. 7. de locis affectis diſput. 7.) rae ex tempore nuncupat, accurro, inſcula caponis cum ſucco limonis propino, clyſteria reuellentia paro, cucurbitulas ſiccas collis affigo, tremente cordi Epithemata applico. Tandem nihil proficientibus medicamentis ſyncope detentus, ſideratorum more extinctus eſt.*

§. III.

Diaria cum lumbricis quæ ſymptomata lethalia concomitantur.

Inter lethalia ſymptomata, quæ Diariæ ex cruditate cum lumbricis orta ſuperueniunt, lethalius eſt, quod ſolet ventriculum, ventrem, inteſtina, vmbilicum, & hypochondria, atque inguina perforare, & foras erumpere, lumbrici, & dira dolorum ſæuitie pereunt hac febre affecti. Firmant huius miſerrimi ſymptomatis euentum variæ Hiſtoriæ coadunatæ ab Schenckio *lib. 3. obſeruat. Medicinal.* Omnibonus *lib 4. c. 5.* Foreſtus *in ſcholiis obſeruatione 35. lib. 7.* Trallianus *epiſtol. ad Theodorum* Ægineta *lib 4 c. 57.* Auicenna *lib. 3. fen. 16. tract. 5. cap. 1.* Aponenſis *differentia 110.* Nicolus *ſermon. 5. tract. 8. cap. 54.* H[illegible]ius *lib. 1. c 54. de morb. internis,* Vtyga *comm. ad c. 5 lib 1. de locis affectis.* Trincauellus *lib. 9. c 11. de ratione curandi particul. corp. human.* Saleuander *ſect. Centur 15. de cl. v. D.* [illegible] *Laudij à S. Mauricio obſeruation. de cl. v. Ioan. Franciſci Heldenſis Camenicenſi, D. Iacob.* Cneulinus *de ſuis obſeruat.* Bal. Roſcius *epiſtol. 10.* Eſayas M[illegible]ycelſuerus *de obſeruat. propriis.* Alij opiſthotono correpti pereunt adeò conuulſi, vt pene calcanei caput contingerent. Trincauellus *lib. 9. cap. 11. de ratione curand. hum. corp. affectus.* Alij cordis palpitationem ventris fluctuatione corripiuntur, vt firmat Schenckius citatus ex Marcello Donato *hiſtor. mirabil. lib. 4. cap. 61.*

§. IV.

Pleuritis ex lumbricis orta in eorum febre plerumque accidit, & vtriuſque Mercurius eſt remedium.

Pleuritidis ſpeciem veræ pleuritidi in omnibus ſimilem, in febre ex lumbricis ab his cauſari ſanciuit Quercetanus *in Pharmacopæa Dogmatica lib. 1. c. 7.* & hoc euentu confirmat. *§. Sed huius rei veritatem cognoſcunt ij, qui Ferrariæ in Xenodochio aliquandiu degerunt, vbi infinita pleuriticorum cadauera quotidie diſſecantur, in quibus viſcera interiora, ſtomachus videlicet, & inteſtina lumbricis & vermibus tota infarta reperiuntur. Huiuſmodi pleuritides, quæ ab iiſdem, quibus peſtilentes ortus ſui cauſam ducunt, auxilium tale expoſcunt, quod facultatem habeat vermes expellendi, & corruptionum incommoda tollendi, qualis eſt virtus & proprietas Mercurij, verùmque Mercurialium; ſicut id omnibus ſatis conſtat. &c.*

DISPVT

DISPVTATIO III.

De Febre Hectica.

SICVT Diaria Febris, eſt præternaturalis calor viuenti inhærens; ortus tamen à forma ſpirituum: ſic à forma viuentis pullulat hecticus; ideóque habitualis redditur, nec facilè mobilis: peculiarémque exigit dignotionem, ac curationem. De quibus ſub hac diſputatione agemus.

SECTIO PRIMA:

De Febris Hecticæ Diagnoſi.

DICITVR febris Hectica præternaturalis calor inhærens viuentibus partibus, & in illis pullulans ab anima determinata, (vt forma mixti eſt) per ſubſtantificum temperamentum per exceſſum partium calidorum elementorum peruerſum: tres induit differentias accidentales pro curatione proficuas, deſumptas ex diuerſis conſumptis humiditatibus diuerſiſque complicatis ſiccitatibus, exigentibus conſumptæ ſubſtantiæ repoſitionem.

RESOLVTIO I.

Vtrùm ſubiectum Hecticæ, ſit commune cum reliquis febribus?

§. I.

Communis modus philoſophandi proponitur.

COmmuniter omnes Authores tenēt, quòd Hectica in eodem ſubiecto petit inhærere, in quo reliquæ febres humorales, & Diariæ: his fulti fundamētis.

Primò: Febris Hectica eſt morbus vniuerſalis ſicut & reliquæ febres: ergo debet inhærere in eiſdem & in reliquis partibus viuentis ſicut reliquæ febres.

Secundò: Homo eſt ſubiectum febris: ſed in aduentu febris hecticæ homo idem permanet, qui erat ante ipſam: ergo idem permanet ſubiectum, ac erat in reliquis febribus.

Tertiò: Si complicantur Hectica, & humoralis, & diaria, in eodem inhærent ſubiecto: ergo etiamſi non complicentur, Hectica inhæret in eiſdem partibus, in quibus deberent reliquæ inhærere febres.

Quartò: Superueniente Hectica calor præternaturalis ſentitur in omnibus partibus, & actiones læduntur in illis: ergo in omnibus viuentis partibus, in quibus inhærent reliquæ febres, inhæret Hectica.

§. II.

Sancitur ſubiectum emanationis.

REſoluendum: Quòd ſubiectum emanationis Hecticæ eſt ſubſtantificum temperamentum per-
A uerſum per exceſſum partium materialium calidorum elementorum.

Probatur: Subiectum emanationis caloris hectici ſunt illæ partes, quæ determinant animam, vt in illis pullulet ab illa: ſed ſolùm ſubſtantificum temperamentum, prout peruerſum per exceſſum calidorum elementorum, valet animam determinare ad productionem huius caloris, vt demonſtrauimus *diſp. 2. ſect. 2. par. 1. Reſol. Medic.* Ergo illud tantum eſt ſubiectum emanationis.

§. III.

Subiectum aperitur proprium inhæſionis.

B

REſoluendum 2. Quòd ſubiectum proprium inhæſionis febris hecticæ eſt ſubiectum emanationis.

Probatur: ſubiectum proprium inhæſionis febris hecticæ eſt illud, in quo inhæret calor præternaturalis æqualis, & habitualis: ſed calor habitualis, & æqualis ſolùm inhæret propriè in ſubiecto emanationis: ergo ſolum ſubiectum emanationis eſt proprium hecticæ ſubiectum. Probatur minor: Calor habitualis & æqualis eſt, qui eſt coaptatus cum temperamento ſubſtantifico partis in quo inhæret: ſed hecticus præternaturalis calor ſolùm eſt coaptatus cum tempe-
C ramento ſubſtantifico peruerſo, ratione cuius pullulat, non reſpectu reliquarum partium, in quibus eſt per modum diſpoſitionis: ergo calor habitualis & æqualis ſolùm inhæret propriè in ſubiecto emanationis.

§. IV.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD 2. reſpondetur: Quòd nomine febris hecticæ intelligimus calorem febrilem, ortum ab
D anima in partibus, in quibus temperamentum ſubſtantificum eſt peruerſum, & etiam eum calorem febrilem, qui ab illo communicatur reliquis corporis partibus frigidis, aut calidis, non peruerſis ſubſtantificè per exceſſum partium elementorum calidorum, & de calore febrili qui abſtrahit ab vtroque, dicimus, quòd in hectica eſt communis partibus, ſed propriiſſimè eſt æqualis, & habitualis dicitur qui inhæret in partibus medio temperamento peruerſo per exceſſum partium calidarum.

Contra. Si ſolus calor eſſet per modum habitus; qui eſſet in parte medio ſubſtantifico temperamento per-
E uerſo, ſequeretur quòd ſolus ille eſſet febris hectica: ergo qui inhæret in reliquis partibus eſſet febris alterius generis. Patet conſequentia; quia ſolum eſſet in illis, vt communicatus ab extrinſeco & per modum diſpoſitionis.

Reſpondetur: Quòd ſicut febris humoralis dicitur calor quicunque communicatus viuenti, etſi ſit in illo per modum diſpoſitionis, quia eſt per modum habitus humoribus à quibus communicatur; ſimiliter calor febrilis qui communicatur à partibus habentibus ſubſtantificum temperamentum peruerſum

uerſum per exceſſum partium calidorum elementorum in reliquis dicitur hecticus, etſi in his ſit per modum diſpoſitionis, quia communicatur ab illis in quibus eſt per modum habitus, & æqualis.

Contrà: ergo non omnis calor febrilis in hectica eſt difficilè mobilis.

Negatur conſequentia: Quia licèt in aliquibus partibus, ſcilicet in eis in quibus non eſt peruerſum, & in eis quæ ſunt elementi aquei, aut terrei, in quibus non pullulat; ſed communicatur à partibus calidis, ſit per modum diſpoſitionis, conſeruatur tamen, & fouetur ab eodem calore, qui eſt in aliis partibus per modum habitus, & eſt difficilè mobilis, quia in illis eſt peruerſum temperamentum, quæ peruerſio difficulter aufertur; cuius contrarium contingit in Diaria: quia ſpiritus à quibus dependet, reſoluuntur facilè: & in humorali; quia humores, à quibus dependet, & in quibus eſt per modum habitus, faciliùs poſſunt euacuari.

Ad 2. reſpondetur: Quòd homo non eſt idem ſubiectum poſt peruerſionem ſubſtantifici temperamenti, ſaltem ſecundùm modum, cùm fiat ratione peruerſionis ſubiectum febrilis caloris habitualis, & æqualis, quod prius non habebat.

Ad 3. reſpondetur: Quòd ſi complicarentur, hectica eſſet per modum habitus in partibus habentibus temperamentum peruerſum, in aliis per modum diſpoſitionis; Diaria, & humoralis in quacunque corporis parte eſſent per modum diſpoſitionis, & in humoribus, aut ſpiritibus per modum habitus.

Ad 4. reſpondetur: Quòd ſuperueniente hectica, calor febrilis eſt in omnibus partibus, & ab eo læduntur operationes: ſed in habentibus peruerſum temperamentum eſt radicaliter per modum habitus, quia pullulat, & conſeruatur immediatè ab anima. in reliquis eſt per modum diſpoſitionis, vt communicatus à reliquis partibus; licèt mediatè poſſet dici habitualis, quatenus conſeruatur, & fouetur ab eo, qui immediatè dicitur habitualis, quia inhæret in partibus in quibus ab anima pullulat, & fouetur.

Resolvtio II.

Quid ſit febris Hectica?

§. I.

Variæ Authorum definitiones referuntur.

MOderniores à Galeno edocti varias tradunt definitiones parum diſſimiles. Mercatus *tom. 2. libro. 5. tract. de eſſentia hectica*, dicit: quod eſt *Febris quædam facta æqualis fixaque in membris noſtri corporis ſolidis, independens quidem, & ſine ſenſatione doloroſa, cum manifeſta ſiccitate coniuncta.* Duncanna *libro 5. de febribus cap. 10.* inquit quòd eſt *Intemperies calida, ſicca, ſiue calor præter naturam continenter continuus, accenſus & firmatus in ſolida ſubſtantia partium cordis, deinde cæterarum partium ſubſtantialem humiditatem lentè conſumens, & actiones vitales & naturales potiſſimùm lædens.* Doctor Cyprianus de Maroja *lib. 4. de febribus tract. de febre hectica* inquit: *Hectica eſt febris æqualis, habitualis, ſine dolore viuentibus partibus adhærens, & à ſuo immediato generante independens.* Zacutus *tom. 2. lib. 4. cap. 27.* ait, quòd Hectica eſt *Caliditas præter naturam accenſa in partibus ſolidis cordis, & reliquis partibus viuentibus totius corporis habitualis facta, æqualis, & à cauſa independens exacerbationibus carens.* Matamoros ſic definit: *hectica eſt calor extraneus accenſus in corde, factus, & independens in partibus ſolidis ab aliqua cauſa extra cor, & partes ſolidas.* Hi omnes parum inter ſe differunt. Omnes tamen tentant inſequi Galenum, *lib. 1 de febribus c. 7.* ex quo febris Hectica illa eſt, *quæ febrilem calorem habet accenſum & in ſolidis fixum eſſe*: Sed non omninò metam attingunt, circumſcribunt, & in aliquibus aberrant.

§. II.

Vera Hectica adducitur definitio.

REſoluendum: Quòd Hectica eſt *Calor præternaturalis, habitualis, æqualis, pullulans ab anima, vt determinata per ſubſtantificum temperamentum peruerſum per exceſſum partium calidorum elementorum.*

Particula *calor præternaturalis* eſt ratio generica pro omni febre materialiter ſumpta, prout de illa agimus: *habitualis*, eſt ratio differentialis, per quam differt à Diaria, & humorali, quæ licèt ſint calor habitualis in ſpiritibus, & humoribus, non autem in partibus viuentibus, in quibus ſemper ſunt per modum diſpoſitionis: *æqualis*, denotat æqualitatem & proportionem repertam in hectica inter calorem febrilem, & temperamentum ſubſtantificum, à quo pullulat, quæ æqualitas nunquam reperitur in Diaria, nec humorali, quia in his ſemper calor febrilis eſt improportionatus temperamento ſubſtantifico: *pullulans ab anima*, dicit propriiſſimam hecticæ differentiam ab aliis, quia ipſa ab anima pullulat; cum Diaria à ſpiritibus, & Humoralis ab humoribus communicetur: *vt determinata per temperamentum ſubſtantificum peruerſum per exceſſum partium calidorum elementorum*: hæc verba explicant totam rationem cauſalitatis huius febris, & in quo differat à quocumque alio calore in corpore reperto. Quia quicunque alter, vel non oritur ab anima; vel ſi oritur, non ab illa vt determinata per temperamentum peruerſum per exceſſum partium calidorum elementorum; ratione cuius cogitur anima, prout forma mixti eſt, ad producendum non ſolùm calorem ſibi debitum & conſeruatiuum, ſed calorem febrilem, & præternaturalem, potiùs debitum conſeruationi formarum calidorum elementorum, per quorum ſigillatas materias cogitur ad eius productionem, quam propriæ conſeruationi vtilem.

Resolvtio III.

Vtrum febris hectica ſit calor.

§. I.

Vanhelmont mens erronea, & Trincauelli opinio proponitur.

VAnhelmont ex ſuis deliciis deducit: Quòd omnis febris ſit ſubſtantia, quia nullam febrem diſtinguit à ſubſtantia cauſæ, à qua dependet, & quam dicit Archæum deturpare: ſed iſte hecticam ignorat: & Victor Trincauellus *lib. 1. Epiſtolarum ad Ioannem Franciſcanum*, omnem ſimiliter febrem ſubſtantiam eſſe dicendam ſuſtinuit; ſed ſaltem de hectica hoc fatendum eſſe neceſſariò intendit ſuadere.

Primò: Conſtitutiua ratio febris hecticæ eſt ſubſtantia: Ergo hectica febris eſt ſubſtantia. Probatur antecedens: conſtitutiuum, & diſtinctiuum ſunt idem;

idem ſed febris hectica diuiditur penes tres ſubſtantias, ſeu ſubiecta diuerſo modo ſe habeuncia:ergo eius conſtitutiuum ſubſtantia debet eſſe. A

Secundò : Febris hectica opponitur calido innato t ſed calidum innatum eſt ſubſtantia, ex Hippocrate 1. *Aphoriſmor*.14. Ergo febris hectica eſt ſubſtantia. Patet conſequentia ex Ariſtotele, *in poſtprædicamentis*, vbi docet ſub eodem genere debere eſſe contraria.

Tertiò: Febris hectica ; eſt conuerſio natiuæ caliditatis ad igneam naturam, ſicut omnis febris, ex Galeno 1. *Aphoriſmorum comment*.14. Sed natiua caliditas eſt ſubſtantia: Ergo hectica eſt ſubſtantia.

B

§. II.

Communis Dogmaticorum præfertur opinio.

RESoluendum affirmatiuè : ſic deducitur ex Hippocrate *in Epidem lib*.1.*part* 11.*text*.31.32.33.25. & alibi ſæpe ex Galeno *lib*.1.*Aphoriſmorum.comm*.14. *lib*.6. *Epidem.p*.1.*lib*.4. *de cauſ.pulſ.lib*.8.*lib*.9. *&* *l*.10. *method.lib.de differ febr.lib*.1. *de art.curat.ad Glauconem*, Auicenna *fen*. 1. 4 Carreiro *in fen*. 1. 4. Maramoros *lib*.3. *de febr*. Valles *lib*. 5. *Controuerſ*. Mercato *tom*. 2. *lib*.5. *tract.de hectica*, Lazaro Riuerio *lib.de febr. curat*. Duncano *lib*.1.*de febr*. Zacuto *tom*.2. *lib*.4.*cap*.2. Et eſt communis opinio inter Dogmaticos, Græcos, Latinos, & Arabes. C

Probatur 1. Quia vt conſtat ex *diſputat*. 1. *reſol*.1. febris pro materiali in communi ſumpta, eſt calor: ſed febris hectica eſt febris, ergo eſt calor.

Probatur 2. Accidentia quæ ſubſequuntur ad febrem hecticam, ſiccitas inquam, & humiditatis reſolutio, partium conſumptio, & alia huiuſmodi ſunt caloris effectus: ergo ipſa eſt calor.

Probatur 3. Si hectica non eſſet calor, maximè quia conſiſtit in ipſo calido innato, ſeu in temperamento ſubſtantifico, per exceſſum partium ignearum peruerſo, ſed ſubſtantificum temperamentum peruerſum ſolum cauſaliter, & radicaliter eſt febris ; calor verò ortus ex illo, à quo prouenit læſio operationum proximè febris rationem induit : Ergo in calore, D & non in ſubſtantia conſiſtit hectica.

§. III.

Soluuntur Trincauelli fundamenta.

AD 1. reſpondetur : Quòd licèt febris hectica ſit calor, diuiditur differentia accidentali in ſubiecta per ordinem ad tres diuerſos ſubſtantiæ modos; iuxta quos valet diuerſo modo accidentali inhærere in homine.

Ad 2. reſpondetur : Quòd febris hectica quæ eſt præternaturalis calor, opponitur calori naturali orto E ex calido innato, eo modo quo naturale, & præternaturale opponuntur ; non tamen opponitur calido innato, quod eſt ſubſtantia : quia, vt docet Ariſtoteles, in Categoria, ſubſtantiæ nihil ſubſtantiæ eſt contrarium.

Ad 3. reſpondetur: Quod, vt diximus, Galenus non intendit quòd febris conſiſtat in conuerſione natiuæ caliditatis ; ſed quòd febris ſit per talem conuerſionem, præcipuè hectica; quæ quia natiua calidiras ; ſiue ſubſtantia per exceſſum partium calidorum elementorum peruertitur, & ſuperuenit naturale temperamentum igneum ſubſtantificum, pullulat febrilis calor hecticus ex tali peruerſione.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm febris hectica ſit calor præternaturalis.

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

VIdetur quòd calor non dicendus ſit præternaturalis in hectica. Calor febris hecticæ prouenit ab anima:ſed calor ortus ab anima eſt naturalis:Ergo calor hecticæ febris eſt naturalis.

Secundò: Calor febris hecticæ peruerſo ſubſtantifico temperamento pullulat ab anima prout forma mixta eſt : Sed quidquid pullulat ab aliqua forma eſt illi naturale : Ergo calor hecticæ eſt naturalis. Probatur minor : Quidquid pullulat ab aliqua forma eſt illi debitum in inſtanti generationis, & producitur per generationem tanquam terminus ſecundarius ipſius t ſed quod fit per generationem fit à generante, tanquam quid debitum genito, in primo aut ſecundo modo perſeitatis : ergo quicquid pullulat ab aliqua forma, eſt illi naturale.

Tertiò: Eadem eſt actio qua pullulat calor hecticus & calor naturalis viuentis:ſed hæc actio prout producit calorem moderatum eſt naturalis:ergo prout calorem hecticum:ergo calor hecticus per illam productus eſt naturalis.

§. II.

Communior præfertur opinio.

RESoluendum affirmatiuè. Probatur: Calor febrilis hecticæ eſt morbus cum indigeat curatione t Sed omnis morbus eſt præter naturam, vt ex Galeno patet, *lib. de different. morborum* : Ergo calor febris hecticæ eſt præternaturalis.

Probatur 2. Calor naturalis perficit operationes naturales: ſed calor febris hecticæ operationes naturales lædit, & mortem inducit ob carum læſionem t ergo eſt præternaturalis.

Probatur 3. Si calor hecticæ febris non eſſet præternaturalis, maximè quia oritur ab anima : ſed non oritur ab illa, vt determinata per ſubſtantificum temperamentum naturale, ſed vt coacta medio temperamento ſubſtantifico præternaturali : ergo eſt præternaturalis.

§. III.

Soluuntur primò adducta rationes.

AD 1. Reſpondetur diſtinguendo minorem : Calor ortus ab anima eſt naturalis, ſi prouenit ab illa vt determinata per ſubſtantificum temperamentum naturale, concedo : ſi vt determinata per ſubſtantificum temperamentum præternaturale; nego minorem. Anima, prout forma mixta eſt, indifferens eſt ad productionem omnium primarum qualitatum & in omni intenſione, vt demonſtrauimus *part*. 1. *reſolutionum medicarum, diſputat*. 2. *ſect*. 2. Determinatur autem ad hanc aut illam intenſionem per ſubſtantificum temperamentum, per naturale, ad naturalem ; per præternaturale, ad præternaturalem.

Ad 2. Reſpondetur diſtinguendo minorem: Quidquid pullulat ab aliqua forma eſt naturale, ſi principium coadiuuans ad pullulationem ſit naturale, concedo: ſi ſit præternaturale, nego minorem : quæ enim

producun

producuntur ab anima per continentiam alterius formæ producuntur, à qua poſſent in maiori intenſione produci, quia operatur vt forma mixta in virtute elementorum, producit enim calorem prout virtualiter continet ignem, quæ petit coadiuuari aliquo principio determinante, & ſi illud eſt naturale, naturalem producit effectum, ſi præternaturale præternaturalem.

Ad 3. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: Eadem eſt actio, qua pullulat calor hecticus & naturalis entitatiuè concedo; formaliter, nego: licèt enim tendat ad eandem caloris entitatem, altera tendit ad calorem, vt improportionatum; alia ad calorem, vt proportionatum: & ideò ſicut termini ſunt formaliter diuerſi; ſimiliter & actiones.

Resolvtio V.

Vtrùm febris hectica ſit calor habitualis?

§. I.

Pars negatiua ſuadetur.

QVòd febris hectica non ſit calor habitualis, ſuadet primò: Quia quidquid conuenit alicui rei per ſe; eius oppoſitum nec per ſe, nec per accidens poteſt illi conuenire: ſed eſſe diſpoſitionem per ſe conuenit febri Hecticæ: ergo eſſe Habitum, vel habitualem diſpoſitionem nec per ſe nec per accidens poteſt illi conuenire: probatur minor: Quòd conuenit alicui tanquam ratio generica, per ſe conuenit illi: ſed febri cùm ſit morbus, conuenit tanquam ratio generica quòd ſit diſpoſitio, ex Ariſtotele *in prædicamentis, cap. de Qualitate & quali §. Diſpoſitiones autem dicuntur, quæ facilè dimouentur à ſubiecto, vt caliditas, frigiditas, morbus, &c.* Ergo hecticæ, vt morbus eſt, conuenit per ſe quòd ſit diſpoſitio.

Secundò, ſanitas, & morbus opponuntur: ergo debent habere rationes oppoſitas, per quas determinentur ſub eodem genere: ſed ſanitas eſt difficilè mobilis: ergo hectica quæ eſt morbus debet eſſe facilè mobilis, & non habitualis calor.

Tertiò: ſi calor hecticæ eſſet habitualis ex natura ſua eſſet difficilè mobilis: ſed omnis calor ex natura ſua eſt facilè mobilis: ergo nullus morbus ex natura ſua eſt habitualis.

§. II.

Præfertur pars affirmatiua.

REſoluendum affirmatiuè: ſic deducitur ex Galeno *lib. 8. methodi, c. 1. lib. 1. de differentiis febrium, cap. 7.*

Pro reſolutione ſtatuendum cum Ariſtotele *in Cathegoria de Qualitate & quali*; & cum Diuo Thoma: Quòd diſpoſitio eſt facilè mobilis qualitas à ſubiecto. Tam habitus, quàm diſpoſitio poſſunt alterius denominationem ſumere. Itaque Qualitas poteſt eſſe habitus, quia eſt difficilè mobilis à ſubiecto ex natura ſua, vt ſcientia, & hæc eadem poteſt dici diſpoſitio ex modo quo inhæret; vt ſi in ſubiecto ſit parum firma & inchoans ſcientia dicitur ex natura ſua habitus; ex modo quo inhæret, diſpoſitio. Similiter diſpoſitio, v. g. calor, qui ex natura ſua eſt diſpoſitio, poteſt ex modo quo inhæret dici habitus, ſeu potiùs qualitas habitualis, & in hoc ſenſu dicimus, quòd febris hectica eſt calor habitualis, & ſic venit intelligendus Galenus, qui *lib. de differ. morbor.* definit morbum quòd ſit diſpoſitio: & poſtea *lib. 8. method. c. 1.*

A de febre hectica, quam morbum fatetur eſſe, dicit, quòd eſt habitus, & ſimili intelligendus modo.

Probatur Reſolutio: Qualitas Habitualis dicitur illa, quæ cùm ſit diſpoſitio, quia eſt facilè mobilis ex natura ſua, ex modo quo inhæret ſit difficilè mobilis: ſed calor febris hecticæ cùm ſit calor, eſt ex natura ſua facilè mobilis, & diſpoſitio, ex Ariſtotele *cap. de qualitate & quali.* & ex modo quo inhæret eſt difficilè mobilis, quia ratione præternaturalis temperamenti ſubſtantifici, quod eſt difficilè mobile, fouetur, & conſeruatur ab anima: ergo febris hectica eſt calor habitualis.

§. III.

B *Soluuntur contrariæ opinionis fundamenta.*

AD 1. reſpondetur: Quòd febri hecticæ, prout eſt calor, conuenit per ſe quòd ex natura ſua ſit diſpoſitio; & inde non poteſt illi conuenire quòd ſit per ſe habitus, aut qualitas difficilè mobilis; poteſt tamen illi conuenire, quòd ſit difficilè mobilis ex modo quo inhæret, quod non opponitur ad hoc, quòd ſit ex natura ſua facilè mobilis.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd ſanitas & morbus ſunt facilè mobiles à ſubiecto, & ideò ſub diſpoſitione conueniunt genericè; differunt inter ſe per oppoſitas rationes contrahentes diſpoſitionem, quia ſanitas eſt
C diſpoſitio perficiens operationes; morbus eſt diſpoſitio lædens operationes.

Ad 3. Reſpondetur ex dictis: Quòd febris hectica ex natura ſua non eſt habitus, nec difficilè mobilis, ſed tantùm ex modo quo inhæret; & ideo non dicitur habitus, ſed qualitas habitualis.

Resolvtio VI.

Vtrùm febris hectica ſit calor æqualis?

§. I.

D *Status difficultatis aperitur.*

ÆQualitas, & inæqualitas ſunt relationes quæ fundantur in quantitate, vt deducitur ex Ariſtotele *in Cathegoria, ad Aliquid*, licèt metaphoricè dicantur de qualitatibus. Temperies æqualis eſt duarum temperierum æqualitas; & hæc eſt duplex: alia eſt æqualitas duarum temperierum qualitatum aut ſubſtantiarum in diuerſis partibus, vt ſi in manu & pede ſit intemperies æqualis, actualis, aut habitualis: alia eſt æqualitas intemperiei actualis & ſubſtantificæ in eadem parte, de quibus dubium eſt an reperiantur in hectica.

E

§. II.

Communis proponitur opinio.

COmmuniter tenent moderniores quòd febris hectica eſt Intemperies æqualis æqualitate temperiei actualis æqualiter ſe habentis ſecundum diuerſas partes in æquali intenſione, Ita vt ſi in corde, quod eſt calidius, intendatur febrilis calor per vnum gradum, ſecundùm eundem intendatur in manu, & reliquis partibus: ſic philoſophatur Doctor Cyprianus de Maroja *libro 4. de febribus*: Et hoc placitum intendit probare; Tum 1. authoritate

Galeni

Galeni *lib.6. de inæquali intemperie cap.5.* Tom 8. ex communi Medicorum aſſenſu: Tum 3. quia calor hecticus noo ſentitur ab ægrotante: ergo eſt æqualis; aliàs communicatus ab vna parte in aliam ſentiretur: Tum 4. quia ex Diuo Thoma *opuſcula de potentiis.* Qualitas alterans ſenſum tactus, & ſpecies communicatæ ab illis, non poſſunt eſſe ſimul in eadem parte: ergo cùm non ſentiatur calor Hecticus, dicendum quòd eſt æqualis in omnibus partibus. A

Secuodò: Pro ipſo ſtant argumenta ex Galeno. Calor hecticæ eſt æqualis: ſed non per æqualitatem inter duas intemperies in eadem parte, quarum vna ſit ſubſtantifica, alia actualis: ergo eſt æqualis, quia actualis intemperies reperta in diuerſis partibus æqualis eſt. Probatur minor: Tum ſi calor eſſet æqualis temperiei ſubſtantificæ, non eſſet corruptiuus; ſed illi connaturalis. Tum 2. Si calor eſſet æqualis & proportionatus temperiei ſubſtantificæ in eadem parte, non eſſet hectica curabilis: quia ſemper ratione illius proportionis conſeruaretur ab anima: ergo intemperies inæqualia in hectica eſt reſpectu caloris reperti in diuerſis partibus cum æqualitate. B

§. III.

Æqualitas intemperiei in diuerſis partibus negatur Hectica.

REſoluendum: Quòd non poteſt adaptari hecticæ æqualitas reſpectu intemperiei caloris in diuerſis partibus. C

Probatur 1. Siue calor hecticus febrilis communicetur à corde, à quo poteſt habere ortum ob peruerſionem temperamenti ſubſtantifici illius, ſiue pullulet in qualibet parte, quia in qualibet eſt peruerſum temperamentum ſubſtantificum; ſemper neceſſariò debet intenſior calor febrilis oriri à corde, & reperiri in illo, quàm in reliquis partibus. Tum quia ſi communicatur ab illo, intenſior erit in illo, quam in partibus diſtantibus, quæ alterantur ab illo. Tum quia ſi peruertatur temperamentum ſubſtantificum per exceſſum partium calidarum in corde, & reliquis partibus, in maiori exceſſu illatum erit cor, quàm reliquæ partes: ergo erit intenſior calor in illo, quàm D in reliquis partibus: ergo intenſio caloris febrilis non poteſt eſſe æqualis in corde, & in reliquis partibus.

Reſpondent Iuniores coacti veritate, hoc verum eſſe; & quòd intenſior calor eſt io corde in febre hectica quàm in reliquis partibus, ſed quòd dicitur æqualis ſecundùm proportionem modo dicto.

Contra: Hæc eadem proportio modo dicto, ſimili modo, & propter eandem rationem reperitur in febre humorali, & in febre diaria; in quibus ipſi fatentur qoòd à corde communicatur ſimili modo calor febrilis in reliquas partes: ſed in ſola Hectica docet Galenus, quòd calor perit eſſe æqualis: ergo æqualitas caloris modo dicto in diuerſis partibus, non eſt de qua loquitur Galenus, quando dicit eam reperiri in hectica. E

Coofirmatur: æqualitas caloris febrilis in diuerſis partibus corporis reperitur in diaria, & humorali ferè ſemper; cùm eo ipſo quod à corde communicetur febrilis calor, & æquè diſtens brachia, & pedes æqualis debet illis calor impertari: ſed Galeous ponit æqualitatem intemperiei in febre hectica; per quam ab his differat: ergo intemperies in hectica neceſſaria non eſt, quæ ex calore febrili in diuerſis partibus reſultat.

§. IV.

Sancimus, quaenam inæqualitas intemperiei ſit propria Hecticæ febri.

REſoluendum: Quòd æqualitas ſiue proportio inter intemperiem actualem caloris, & ſubſtantificam partium elementorum calidorum in eadem parte eſt, quæ neceſſariò debet reperiri in febre hectica.

Probatur ex Galeno *lib. de inæquali intemperie.* vbi docet, quòd febris hectica eſt ſine dolore, quia eſt æqualis: ſed eſſe ſine dolore non prouenit ab æqualitate intemperiei in diuerſis partibus; nam à duplici intemperie æquali in diuerſis partibus violenter ab æquali cauſa ſubito, & affatim corrumpente naturam, poteſt fieri dolor in vtraque parte: ergo prouenit ab æqualitate intemperiei caloris cum ſubſtantifico temperamento à qua non fit dolor, quia pullulat ab anima calor coaptatus cum ſubſtantifico temperamento, & ideo indolens eſt.

Probatur 2. Intemperies æqualis debet ex Galeno dari in omni febre hectica: ſed, vt probauimus, non datur intemperies æqualis per comparationem caloris febrilis reperti in diuerſis partibus: ergo debet dari per comparationem febrilis caloris cum intemperie ſubſtantifica eius partis à qua pullulat. Patet conſequentia: Quia non eſt alia æqualitas intemperierum, præter dictas, vt diximus *diſput. de inæquali intemperie.*

§. V.

Soluuntur primò adducta argumenta.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quod iam diximus, de qua loquitur Galenus æqualitate. Tum 2. Quòd Medici, qui de æqualitate febrilis caloris in diuerſis partibus intelligunt Galeoum, aberrant à veritate. Tum 3. Quòd calor hecticus non ſentitur, quia eſt æqualis modo dicto, aliàs ſentiretur, vt probauimus. Tum 4. Quòd Diui Thomæ authoritas nihil conuincit contra noſtram ſententiam.

Ad 2. Reſpondetur negando minorem: ad Probationem dicimus; Tum 1. Quòd ſi calor eſſet æqualis temperiei ſubſtantificæ naturali, non eſſet corruptiuus, bene tamen ſi ſit æqualis intemperiei ſubſtantificæ præternaturali. Tum 2. Quòd etiamſi ſit æqualis calor hecticus intemperiei ſubſtantificæ, eſt curabilis, ſi ipſa curetur, quia calor aufertur ad eius ablationem, & ipſa per repoſitionem partium frigidarum.

Resolvtio VII.

Vtrùm febris Hectica pullulet ab anima ob peruerſum temperamentum ſubſtantificum?

§. I.

Sancitur pars affirmatiua.

REſoluendum: Quòd febris Hectica pullulat ab anima vt determinata per temperamentum ſubſtantificum peruerſum, & ideò eſt calor per modum habitus permanens in viuente.

Probatur: Nulla alia eſt cauſa à qoa febris hectica poſſet prouenire, quàm à propria forma animalis: ergo pullulat ab illa. Probatur antecedens: Calor hecticæ, vt ſit febrilis, debet intra corpus oriri per modum habitus, vel in continentibus, vel in contentis, vel in impetum facientibus, vt demonſtratum

manet ex Galeni doctrina: ſed calor hecticæ non oritur ex impetum facientibus, aliàs eſſet febris diaria: nec oritur ex contentis, aliàs eſſet febris humoralis: ergo debet oriri ex partibus viuentibus productus ab anima.

Probatur 2. Calor febris hecticæ, ex modo quo inhæret, eſt habitualis, & difficilè mobilis à ſubiecto, ſicut & ipſe calor naturalis: ſed calor naturalis fit difficilè mobilis, quia producitur & conſeruatur ab anima vt determinata per temperamentum ſubſtantificum naturale, vt demonſtrauimus *par. 1. Reſolutionum medicar.* ergo calor hecticus fit habitualis & difficilè mobilis, quia ab anima producitur, & conſeruatur vt determinata per ſubſtantificum temperamentum præternaturale.

Probatur 3. Si temperamentum ſubſtantificum ſit naturale, naturalis producitur calor, ſi mutetur intra ſtatum naturalem, vt contingit in mutatione ætatum, intenſio caloris naturalis mutatur; ſi permaneat cum maiori numero partium elementorum calidorum, vt contingit, quando reponuntur per vſum calidorum alimentorum, vel quia reſoluuntur partes aqueæ, vt contingit in febribus ardentibus, ſuperuenit febris hectica, ſi idem temperamentum vſu frigidorum alimentorum fiat frigidius, curatur febris hectica: ergo quia iuxta mutationem temperamenti ſubſtantifici, diuerſo modo determinatur anima ad productionem diuerſi caloris naturalis, aut hectici.

Resolvtio VIII.

Vtrùm febris Hectica ſit independens à cauſa?

§. I.

Modernorum referuntur opiniones.

COncertant Moderniores in determinando; An vera ſit Galeni doctrina, qui docet, Quòd hectica febris eſt independens à cauſa. Alij non eſſe vniuerſalem hanc doctrinam iudicant: Tum 1. Quia ipſe Galenus *lib. de different. febr. capite* 10. docet, Febrem hecticam poſſe oriri ab inflammatione iecoris, aut pulmonis, aut ab vlcere. Tum 2. Quia calor non poteſt oriri independens, niſi ratione vſtionis, aut putredinis, quæ cùm in viuente reperiri non poſſint, ab alio extrinſecus debet hectica conſeruari, Tum 3. Quia cùm febris hectica ſit calor violentus viuenti, ſi non haberet cauſam conſeruatiuam, homo reduceretur ad priſtinam naturalem temperiem; ſicut reducitur aqua ad ſuam naturalem frigiditatem. Tum 4. Quia ſi febris hectica non penderet à cauſa extrinſeca violenta non eſſet præter naturam, nec eſſet morbus. Tum 5. Quia ſi hectica eſſet calor independens, & ſuperueniret alia febris, quæ eſſet calor dependens à cauſa extrinſeca, fieret vnus numero calor, qui eſſet dependens; quod non eſt dicendum: ergo febris hectica non eſt independens à cauſa.

Alij verò tenent cum Galeno: Quòd febris hectica non dependet ab aliqua cauſa conſeruante. Sic philoſophatur Matamoros *lib. 3. de febrib. tract. 2. diſputat. 1.* Doctor Cyprianus de Maroja *lib. 4. de febrib. tract. de feb. hectica.* & tenent ferè omnes Iuniores coniuncti authoritate Galeni, & aliqua pro illa fundamenta quærentes; pro ſe habent, Tum 1. Gal. *lib. 1. de differ. febr. cap.* 10. & aliis in locis, in quibus docet, quòd hectica non dependet à cauſa. Tum 2. Quia febris dependens à cauſa duplici indicatione curatur: alia deſumpta à cauſa, alia à morbo, quod non contingit in hectica, in qua ſumitur indicatio refrigerandi à ſola febre. Tum 3. Quia qualitates quæ dependent à cauſa hoc habent, quòd illis ablatis ſubiectum reducitur ad ſuam naturam: cùm ergo ſubiectum, in quo inhæret hectica, non reducatur ad ſuam naturam, etſi illa remittatur; indicium eſt, quòd hectica non dependet à cauſa. Tum 4. Quia in curatione affectuum, qui dependent à cauſa, iubet Galenus cauſam priùs auferre: pro curanda autem hectica nulla auferri cauſa petit; ergo febris hectica non dependet à cauſa.

§. II.

Reſpectu cauſa externa quid dicendum?

REſoluendum: Quòd febris hectica non dependet à cauſa extra partes viuentes fouentes illam, niſi per accidens. Sic venit intelligendus Galenus *lib. 1. de differ. febr. cap. 10. lib. 8. method. cap. vlt. libro 2. prorrhet. comm. 13. lib. de differ. feb. 1. lib. de inæquali intemperie.* Auicenna *fen. 1. 4. tract. 3. cap. 1.* Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 92.* Paulus *lib. 2. cap. 32.* Trallianus *lib. 12. c. 5.* ſic veniunt intelligendi.

Probatur ex eiſdem Authoribus. Omnis calor febrilis debet dependere à calore habituali reperto in humoribus, in ſpiritibus, aut partibus viuentibus: ſed calor hecticus non poteſt dependere à ſpiritibus, aliàs eſſet febris diaria; nec ab humoribus, aliàs eſſet febris putrida: ergo eſt calor à viuente ortus independens à cauſa extrinſeca.

Probatur 2. calor febrilis hecticus eſt calor habitualis & difficilè mobilis ex modo quo inhæret: ſed ſi dependeret à cauſa extrinſeca non poſſet eſſe habitualis, nec difficilè mobilis, cùm ipsâ ablatâ auferretur, ſicut contingit in febre diaria, & humorali: ergo non dependet à cauſa extrinſeca.

Probatur 3. Febris hectica eſt calor præternaturalis ortus ab anima vt determinata per partes materiales calidorum elementorum, vt patet ex dictis: ergo non eſt febris dependens ab aliqua cauſa extrinſeca, niſi per accidens, & remotè, quatenus poteſt ab illa coadiuuari peruerſio ſubſtantifici temperamenti.

§. III.

Aliqua febri hectica tribuitur dependentia.

REſoluendum: Quòd hectica febris dependet continenter ab anima vt determinata per ſubſtantificum temperamentum præternaturale.

Probatur ex Galeno, & ex Auicenna: non poteſt calor eſſe febrilis, niſi ſit permanens, & conſeruetur per modum habitus in continentibus, contentis, & impetum facientibus: ſed febris hectica non poteſt conſeruari ab aliqua cauſa extra partes viuentes exiſtente: ergo ab anima, vt determinata per eas, quæ habent peruerſum ſubſtantificum temperamentum debet conſeruari.

Probatur 2. Febris hecticæ calor licèt ex natura ſua (cùm ſit diſpoſitio) ſit facilè mobilis à ſubiecto; ex modo quo inhæret, fit difficilè mobilis, & habitualis: ergo aliquam habet cauſam, ratione cuius conſeruetur: ſed non externam, vt probauimus: ergo internam viuentem.

Reſpondet Doctor Maroja, Carreirus, Matamoros, Valles & alij, quòd calor hecticus fit difficilè mobilis, quia calor ipſe hecticus producit quandam ſecundam qualitatem, quæ in genere cauſæ materialis diſponit ad permanentiam, & durationem caloris.

Sed

Sed miror tantos viros hac leui, ac futili euaſione ſic placidos permanere: Tum quia nulli datur entitati quòd ſit agens eorum, quæ debentur ad ſuum eſſe, aut conſeruari: Tum quia, quicumque calor febrilis redderetur habitualis, hanc ſimilem ſecundam producendo qualitatem conſeruatiuam: Tum quia ſi ſecunda illa qualitas conſeruatiua producitur ab ipſo calore, ipſa conſeruat calorem, & calor illam conſeruat, & mutuò ſe fricant: Tum quia ſi hæc ſecunda qualitas conſeruatiua fit à prima, conſeruaturque ab illa, ablato calore à quocumque alterante frigido, ipſa auferretur, & ſola ſimplici alteratione aëris curaretur hectica: Tum quia febris hectica non dicitur habitualis, quia calor hecticus non poſſet faciliter à cauſa frigida externa remitti; ſed quia licèt remittatur, ablata frigiditate extrinſeca, reducitur ad priſtinam incenſionem; ſed hæc reductio fit ab eadem cauſa, à qua fit conſeruatio, ergo ſicut caloris hectici productio non fit ab illa ſecunda qualitate, quam vocant conſeruatiuam; ſimiliter nec poteſt ab illa fieri conſeruatiu febris hecticæ.

Probatur 3. Cauſa productiua eſt cauſa conſeruatiua: ſed febris hectica habet intra ipſum viuens cauſam productiuam: ergo habet cauſam conſeruatiuam. Probatur minor. Ablata quacumque cauſa extrinſeca, ſi attemperetur calor hecticus in balneo, aut loco frigido, correpta frigiditate defectu conſeruantis homo redditur ad antiquam febrem hecticam acquirendam: ergo ipſum viuens habet cauſam productiuam illius.

Probatur 4. Vt demonſtrauimus *part. 1. Reſol. medicarum diſpu. 2. ſect. 2.* Sic ſe habet forma quæcunque mixta ad producendum, & conſeruandum calorem præternaturalem, dum determinatur per ſubſtantificum temperamentum præternaturale; ſicut ſe habet ad conſeruandum & producendum naturalem calorem, dum determinatur per temperamentum ſubſtantificum naturale: ſed forma mixta viuentis determinata per ſubſtantificum naturale temperamentum producit & conſeruat naturalem calorem: ergo determinata per præternaturale ſubſtantificum temperamentum producit, & conſeruat calorem hecticum præternaturalem.

Probatur 5. Febris hectica à nulla cauſa extrinſeca frigida poteſt curari, niſi temperamentum ſubſtantificum peruerſum per exceſſum partium calidorum elementorum reducatur ad naturale eſſe vſu alimentorum, in quibus partes frigidæ, & humidæ redundant, quorum vſu reponuntur partes materiales elementi aquei; quibus repoſitis, reducitur ad antiquam partium materialium proportionem: ergo dependet, & conſeruatur ab anima, vt determinata per ſubſtantificum temperamentum peruerſum per exceſſum partium materialium elementorum calidorum.

Probatur 6. Si calor hecticæ non conſeruaretur ab aliquo intra viuens fouente illam, non eſſet febris; ſed omnes admittunt quod eſt febris: ergo fouetur & conſeruatur ab aliquo intrinſeco viuenti. Probatur maior, ex Auicennæ doctrina in febris definitione tradita. Non poteſt calor, etſi ſit præternaturalis, dici febris, niſi vltimetur, & conſeruetur ab aliqua cauſa quæ indicet curationem: ſed hæc cauſa non poteſt eſſe extra ipſam ſubſtantiam viuentis, vt patet ex dictis: ergo debet calor hecticæ conſeruari ab ipſo viuente, vt induit rationem febris.

§. IV.

Soluuntur Modernorum adducta fundamenta.

AD 1. reſpondetur: Tum 1. quòd inflammatio, & vlcus poſſunt eſſe cauſæ remotæ quæ immutent temperamentum ſubſtantificum: ſed ipſo iam peruerſo per exceſſum partium ignearum, ab anima vt determinata per ipſum præternaturale temperamentum hectica conſeruatur independenter ab illis, quæ ſi peruerterent, per accidens ſe habent ratione pro febre hectica. Tum 2. Quòd calor ſine vſtione, aut putredine poteſt pullulare ab anima, ſi ſubſtantificum temperamentum ſit perſum: & ab illa conſeruari independenter ab alia cauſa externa. Tum 3. Quòd non reduceretur hecticus ad priſtinam temperiem naturalem, etſi non habeat cauſam externam conſeruantem, quia ab intrinſeco habens viuens cauſam illius conſeruatiuam exiſtit. Tum 4. Quòd licet calor hecticus non dependeat à cauſa extrinſeca, eſt præternaturalis, quia eſt intenſior naturali, & ideò lædit operationes, & eſt violentus ratione finis. Tum 5. Quòd ſi hecticæ complicetur humoralis; calor qui oritur ab anima vt determinata per temperamentum ſubſtantificum præternaturale, eſt febris hectica; qui intenſior illo communicatur ab humoribus, dicetur humoralis febris.

Ad Moderniores Reſpondetur pro ea parte qua negant abſolutè dependere hecticam ab omni cauſa. Tum 1. Quòd Galenus docet, quòd hectica non dependet à cauſa viuenti extrinſeca, vt diaria, & humoralis febris; non autem quòd non dependeat à cauſa viuenti intrinſeca. Tum 2. Quòd hectica duplici indicatione curatur; alia deſumitur à temperamento ſubſtantifico peruerſo per exceſſum partium materialium calidorum elementorum; quæ perficitur vſu frigidorum alimentorum; quo frigidæ partes reponuntur: alia deſumitur ab ipſo calore, ratione cuius indicatur illius attemperatio. Tum 3. Quòd febris hecticæ calor reducitur ad priſtinum ſtatum naturalem, ablato temperamento ſubſtantifico præternaturali, & reducto ad ſtatum naturalem, etiamſi à nullo extrinſeco agente remittatur calor. Tum 4. Quòd ſequentes Galeni doctrinam in curatione hecticæ febris intendimus auferre temperamentum præternaturale ſubſtantificum, ratione cuius conſeruatur ab anima.

Resolvtio IX.

Vtrùm calor febris hecticæ poſſit intendi?

§. I.

Modernorum opiniones referuntur.

MErcatus *tom. 2. lib. 5. de febr. tract. de Hectica* admittit, Quòd febris hectica poteſt intendi non à cauſa externa, cùm omnis calor hecticus debeat eſſe independens à cauſa; ſed propter ſiccitatem adiunctam, ratione cuius dicit, quòd magis ſe inſinuat calor, & radicatur in ſubiecto, & ratione nouæ radicationis fit intenſior. Matamoros reprehendit hunc dicendi modum, *lib. 3. de febr. tract. 1. diſp. 3.* & meritò quidem, quia in illo parum ſe Philoſophum oſtentat Mercatus; ipſe tamen dicit, Quòd hectica febris non poteſt à principio extrinſeco intendi, bene tamen à principio extrinſeco. Hoc fulcitur fundamento.

Primò: Non poteſt produci calor intenſior in corde, niſi ratione nouæ vſtionis, aut

putredinis in illo: ſed non poteſt ſuperuenire vſtio, A aut putredo niſi ab aliqua cauſa extrinſeca: ergo calor hecticus intenditur à cauſa extrinſeca.

Secundò: Quod calor hecticus nullo modo poſſit intendi, probant alij; Tum 1. Quia febris hectica eſt habitus, ſed ad habitum non datur per ſe motus: neque ergo poteſt dari intenſio. Tum 2. Quia hecticus calor non poteſt intendi ab intrinſeco; quia non habet à quo intendatur, niſi à ſe: quod eſt impoſſibile: neque ab extrinſeco; cùm nullus calor hecticus dependeat à cauſa extrinſeca.

§. II.

Sancimus tenendam doctrinam.

Reſoluendum: Quòd febris hecticæ calor eſt in- B tenſibilis, & remiſſibilis ab intrinſeco.

Probatur 1. Febris hectica producitur & conſeruatur tanquam à principio intrinſeco ab anima producente hecticum calorem, & à temperamento ſubſtantifico præternaturali, facto per exceſſum partium elementorum calidiorum: ergo ſi huiuſmodi temperamentum vſu calidiorum alimentorum fiat maius, febrilis calor hecticus erit intenſior; ſi fiat cum minori numero partium calidarum, ab vſu frigidi & aquei alimenti, calor hecticus fiet remiſſior.

Probatur 2. Calor hecticus producitur & conſeruatur à principio interno independenter à cauſa externa: ergo independenter à cauſa externa debet à principio interno intendi, & non à cauſa externa.

Matamoros qui hanc rationem ſibi obiecit, inquit: C *Reſpondeo (quod ſimul concluſionem probem & explicem) quod cùm ſermo ſit de augmento caloris, quod conſequitur ad augmentum putredinis, aut vſtionis, & hæ mutationes ſolùm à cauſa externa fiant, hinc fit vt ipſis ſolùm augmentatio caloris hectici tribuatur, & non principio intrinſeco formæ, ſcilicet cordis.*

Sed diſplicet: Tum 1. quia, ſi in hectica cor putredinem pateretur nulla hectica eſſet curabilis, cùm nulla poſſent adaptari remedia in illa cohibentia putredinem: Tum 2. quia in aëre inſpirato apparerent putredo, & alia indicia putredinis, quæ apparere ſolent in qualibet parte viuente putrida: Tum 3. Quia in eis qui putredine pereunt, eſſet cor molle, fœtidum, & humidum; quod potiùs apparet durum, conſumptum, & ſiccum: Tum 4. quia dato quòd pateretur putredi- D nem in hectica, potiùs conuinceretur, quòd ab intrinſeco intendatur hectica; quia quæ putreſcunt, calidiora euadunt: Tum 5. quia ſiunt humores putridi dicuntur habere in ſe febrilem calorem habitualem, quo febrem putridam viuenti communicant; ſimiliter in corde intenderetur hecticus febrilis calor habitualis: Tum 6. Quia ſi putredo eſſet in corde, & non in alia cauſa extra illud, nulla eſſet cauſa externa, cui tribuatur illius caloris intenſio: Ergo febris hecticæ calor, ab interno principio, & non ab externo, intenditur.

§. III.

Soluuntur contraria oppoſita rationes.

Ad 1. reſpondetur: Quòd ſine noua vſtione, aut putredine, producitur à cordis forma intenſior hecticus calor, ſi præternaturale ſubſtantificum temperamentum fiat peruerſum per exceſſum partium calidiorum elementorum.

Ad 2. reſpondetur: Tum 1. quòd febris hecticæ calor eſt habitualis, non verò habitus; & adhuc ſi eſſet habitus, eſſet intenſibilis; aliàs æquè medicus eſſet homo per vnam demonſtratam veritatem, ſicut per plures: Tum 2. quòd ab intrinſeco principio producente habet calor hecticus, à quo intendatur.

Resolutio X.

Vtrùm febris hectica ſit ardente intenſior?

§. I.

Mercati proponitur opinio.

Noſter Doctiſſimus Mercatus *tom. 2. l. 5. de febr.* in hac reſoluenda difficultate hallucinatus apparet: dicit enim, quòd in hectica eſt intenſior calor, quàm in alia quauis febre; ſed quòd febris ardens habet plures caloris gradus, quàm hectica. Primum ſuadere intendit: Quia ex febre ardente fit hectica per maiorem radicationem in ſubiecto: ergo ratione radicationis maioris intenſior eſt febris hectica. Secundum, in febre ardente, actiones quæ læduntur à calore intenſiori modo læduntur: ergo eius calor eſt intenſior.

Matamoros *l. 3. de febr.* diſcedit ab illo, incidit tamen in improbabilem doctrinam, dicens; quòd calor febris ardentis eſt intenſior, quàm calor hecticæ, & quòd difficilius poteſt remoueri à ſubiecto, quàm ille; quia cùm gradus antecedentis febris ardentis plures expellendi ſunt, quàm gradus hecticæ, & plures partes inhærentiæ habeant in ſubiecto; maiorem habent permanentiam, & intenſiorem petunt contrariam cauſam.

§. II.

Mercati deſeritur improbabilis opinio.

Reſoluendum: Quòd febris ardens intenſior eſt febre hectica.

Probatur: Siue Intenſio dicatur fieri per maiorem radicationem in ſubiecto, ſiue dicatur fieri per additionem gradus ad gradum, in febre ardente, nullus negare poteſt, quòd intenſior calor ſentitur ad tactum quàm in hectica, cuius calor tactui apparet parum diſcedens à naturali, donec ratione ſiccitatis fiat acrior: ergo ſemper tenendum intenſiorem eſſe.

Probatur 2. Quomodolibet fiat intenſio, ille calor intenſior eſt iudicandus, à quo vt tali intenſiora ſubſequuntur ſymptomata caloti debita: ſed hæc fatetur Mercatus, quòd intenſiora prouenium à febre ardente: ergo illius calor eſt intenſior.

§. III.

Matamoros refutatur opinio.

Reſoluendum: Quòd calor hecticæ febris, licèt remiſſior difficiliùs remouetur à ſubiecto.

Probatur 1. Calor hecticus dependet ab anima, vt determinata per ſubſtantificum temperamentum peruerſum, & non poteſt curari niſi peruerſio temperamenti auferatur. Febris ardens dependet ab humore billioſo putrido conſeruante illam: ſed faciliùs poteſt euacuari humor billioſus, quàm mutari temperamenti peruerſio, vt apparet: ergo licèt remiſſior ſit calor hectici difficiliùs poteſt remoueri à ſubiecto.

E Probatur 2. Ex eis quorum Matamoros oblitus fuit: Tum quia ipſe fatetur, quòd calor hecticus eſt habitualis, non autem calor febris ardentis: ergo difficiliùs poterit remoueri. Tum quia tenet, quòd fit hectica ob cordis putredinem, & ardens à putredine bilis: ergo faciliùs remoueri poterit, quæ ab humore pendet, quàm quæ pendet à putredine cordis.

§. IV.

Soluuntur argumenta Mercati & Matamoros.

Ad 1. reſpondetur: Quòd ex ardente febre fit hectica, non per nouam radicationem, ſed

ſed quia febris ardens reſoluit humidas partes, & aqueas viuentis, quibus reſolutis remauet tempesamentum ſubſtantificum cum maiori numero partium ignis, quæ determinant formam, vt producat calorem intenſiorem præternaturalem hecticum.

Ad 2. reſpondetur: Quòd intenſiori modo læduntur, quod probat noſtram doctrinam.

Ad 3. quod adducit Matamoros, dicimus: Quòd difficultas, vt febrilis calor remoueatur à ſubiecto, non prouenit ex intenſione, qua inhæret, ſed ex modo quo inhæret: ſi enim inhæret in ſubiecto vt productus à cauſa externa, paſſo non conferente vim, etiamſi ſit in maiori intenſione, ablata cauſa extrinſeca conſeruante, facilè remouetur, vt apparet in calore intenſo reperto in aqua feruente: ſi autem paſſum conferat vim, & habeat virtutem fouendi, & conſeruandi illum, tunc calor licèt remiſſus, difficiliùs remouetur; vt apparet in calore noſtro naturali, & in calore hectico, quorum quilibet quia conſeruatur ab anima medio temperamento ſubſtantifico, difficiliùs remouetur, quàm alter quicumque febrilis.

RESOLVTIO XI.

Vtrùm ſiccitas ſit de conceptu febris Hecticæ?

§. I.

Pars affirmatiua proponitur, & ſuadetur.

MErcurialis & Mercatus iudicant: Quòd ſiccitas morboſa eſt de intrinſeca hecticæ ratione, ita vt licèt febris in communi in ſolo præternaturali calore conſiſtat, febris tamen hectica in calore, & ſiccitate præter naturam. Quibus fauet 1. Gal. Tum *lib. de different. febrium c.9.* vbi inter ſigna hecticæ febris ponit ariditatem, quæ non poteſt niſi à ſiccitate oriri: Tum *lib.7. method. c.6.* vbi docet in qualibet febre hectica neceſſariò conſumi aliquid humiditatis, ratione cuius ſiccitas debet accidere. Tum *lib. 10. method. c. vltimo*, conſtituit tres gradus hecticæ febris penes diuerſos conſumptionis, humiditatis, & ſiccitatis acceſſus: ergo ſiccitas eſt de conceptu febris hecticæ.

Secundò: Curatina Indicatio ſumitur a natura morbi: ſed à febre hectica ſumitur indicatio refrigerandi & humectandi, ſiue ad extra, per balnea aquæ dulcis; ſiue ad intra per vſum lactis, & alimenti frigidi & humidi: ergo hectica conſiſtit in caliditate & ſiccitate.

Tertiò: Hæc febris fit vſtione, aut putredine: ſed à qualibet harum inducitur ſiccitas: ergo conſiſtit in calore, & ſiccitate ſimul.

§. II.

Communis opinio amplectitur.

REſoluendum negatiuè. Sic tenent Moderniores, Matamoros *lib. 3. de febribus diſp. 3.* Vega 1. *de different. febrium*, Valleſius *lib. 1. de differ. febrium*, Zacutus *tom. 2. lib. 4. c. 27.* & eſt communior.

Probatur 1. Eo ipſo, quòd concipiamus calorem præter naturam ortum à forma viuentis, concipimus hecticam; cùm non concipiamus Diariam, nec humoralem, quæ concipiuntur per calorem præternaturalem ortum à ſpiritibus, aut humoribus: ſed in hoc conceptu non concipitur ſiccitas: ergo ſiccitas non eſt de conceptu febris hecticæ.

Secundò: Si ex prædominio partium aerei elementi peruertatur temperamentum ſubſtantificum, producetur febris hectica, vt patet ex dictis: ſed erit ſine ſiccitate, donec tractu temporis, conſumptis humidioribus partibus, ſuperſint ſicciores: ergo erit hectica ſine ſiccitate.

Probatur 3. Siccitas in hecticis ab ipſo calore febrili conſumente partes humidas fit: ergo prius eſt quòd ſit febris hectica, quàm quòd ſuperueniat ſiccitas, vt in plurimum.

§. III.

Soluuntur primò adducta argumenta.

AD 1. Reſpondetur: Quòd ex Galeno id colligitur, quòd cùm calor à forma viuentis reſoluat partes humidas, poſita febre hectica, paulo poſt ſubſequitur ſiccitas, non quæ ſit de illius eſſentia, ſed quæ illam concomitatur tanquam alter morbus cum illa complicatus.

Ad 2. reſpondetur: Quòd aliud eſt, quòd à febre hectica ſumatur duplex indicatio; aliud quòd in illa ſumatur: ab illa vna attemperandi ſumitur indicatio, in illa ſumitur duplex indicatio; alia ab illa, alia ab alio morbo, qui cum illa complicatur.

Ad 3. reſpondetur: Quòd hectica fit pullulando à forma viuentis ratione præternaturalis temperamenti ſubſtantifici, non autem vſtione, aut putredine niſi per accidens.

RESOLVTIO XII.

Quotuplex ſit febris Hectica?

§. I.

Variæ Authorum ſententiæ adducuntur.

DEcreuimus: Quòd febris non poteſt diuidi per differentias eſſentiales; quod potius in hectica eſt manifeſtum: ſicut & quòd Authores diuidant ipſam penes diuerſos modos ſe habendi cum ſiccitate cauſata ab illa, quos alij vocant gradus, vt Auicenna *fen. 1. 4. tract. 3. cap. 1.* Auerroës *1. Collig.* Alij ſtatus hos diuerſos vocant hecticæ febris tempora; nos verò dicimus eſſe ipſius differentias accidentales deſumptas ex complicatione illius cum diuerſis ſiccitatibus, quæ ſunt inter ſe diuerſæ diuiſione accidentis in ſubiectis circa quorum numerum explicandum diuiſi ſunt Dogmatici: Galenus *libro 1. de different. febr. cap. 55.* ponit tres differentias. Prima, dum hectica eſt cum roris aliqua alteratione: Secunda, dum eſt cum ipſius roris conſumptione maiori ex parte: Tertia, quando ex toto eſt conſumpta rorida ſubſtantia. Aliter verò differentias hecticæ conſtituit *lib. 10. method. vltimo* dicens: Quòd prima differentia hecticæ eſt, dum conſumpta eſt humiditas ea qua partes nutriuntur: ſecunda, dum carnoſum genus eſt conſumptum inter membranas, & fibras interſitum: Tertia, dum eſt conſumpta ipſa humiditas ſolidarum partium. Auicenna verò *fen. 1. 4. tract. 3. cap. 1.* Tres etiam ponit differentias hecticæ: Primam complicat cum conſumptione roris: ſecundam cum conſumptione cambij: tertiam cum conſumptione glutinis. Qui licèt in modo differant, conueniunt in tribus aſſignandis hecticæ differentiis, gradibus, ſeu ſpeciebus: quæ non ſic eſſe admittenda, ſuadet,

Primò: Quòd hecticæ febris differentiæ attenduntur penes conſumptionem diuerſarum trium humiditatum ea ſecundis, quas Auicenna admittit in tranſitu humorum ad veram nutritionem: ſed prædictæ ſecundæ humiditates ſunt quatuor ea eodem Auicenna: ergo iuxta conſumptionem earum quadruplex differentia febris hecticæ eſt admittenda. A

Secundò: Rorida ſubſtantia poteſt conſumi à febre ardente, quæ potentior eſt ad illam reſoluendam: ergo complicatio febris cum illa non conſtituit determinatam differentiam febris hecticæ.

Tertiò: Febris hectica non inhæret niſi in parte ſolida viuente: ſed rorida ſubſtantia non viuit: ergo in ordine ad illam non poteſt conſtitui aliqua differentia febris hecticæ. B

Quartò: Siccitas, quæ eſt cum febre hectica, cauſatur ab illa reſoluente partes humidas: ſed illa inhæret in omnibus partibus viuentis ſimul: ergo in omnibus ſimul erit ſiccitas æqualis, & non diuerſa, ex qua proueniant diuerſæ hecticæ ſpecies.

§. II.

Referuntur aliquæ differentiæ particulares.

RESoluendum: Quòd ea modo inuaſionis, hectica alia primaria, alia ſecundaria. Primaria dicitur hectica, quæ à primo inſultu, vt talis inuadit. Secundaria dicitur, quæ ſuccedit aliis febribus priùs in eodem ſubiecto exiſtentibus, à quibus fuit producta. C

§. III.

Proſequimur eandem diuiſionem.

RESoluendum: Quòd hectica alia eſt ſimplex, alia complicata. Simplex eſt quæ nulli alterius generis febri complicatur. Complicata quæ cum alterius generis febre eſt ſimul.

§. IV.

A cauſis differentiæ proſequuntur.

RESoluendum: Quòd febris hectica, alia dependet à cauſa per accidens & per ſe ſimul, alia à ſola cauſa per ſe illius. Cauſa per ſe dicitur forma mixta, vel determinata per ſubſtantificum temperamentum præternaturale. Cauſa per accidens conſeruationis illius dicitur cauſa externa permanens, à qua temperamentum ſubſtantificum inuertitur, vt vlcus pulmonis, & iecoris, aut eiuſdem pulmonis inflammatio. D

§. V.

Communior diuiſio hecticæ ſancitur.

RESoluendum: Quòd hectica febris ea diuerſo modo quo complicatur cum ſiccitate, habet tres gradus ſeu differentias accidentales. Prima differentia eſt initium hecticæ, in quo imperceptibilis eſt externa corporis conſumptio, rorida tamen corporis humiditas abſumitur, & exſiccatur. Secunda differentia, ſeu gradus hecticæ eſt augmentum, in quo euidens apparet extenuatio corporis, & ſubſtantia carnoſa exſiccatur, & conſumitur. Tertia differentia, ſeu ſtatus eſt hecticæ, à quo quia incurabilis fit ad declinationem non peruenit, & in quo fibroſa, & membranoſa corporis ſubſtantia exſiccatur, & ea toto conſumitur, vſque dum ad frigidum Maraſmum progreditur æger. Sic deducitur ex Galeni adducta doctrina. Sic tenet Iuniorum Doctior pars. E

§. VI.

Soluuntur argumenta primò adducta.

AD 1. reſpondetur: Quòd ex Galeni doctrina ſunt attendendæ differentiæ accidentales penes ſiccitatem in diuerſis partibus viuentis repertam. Et adhuc in doctrina Auicennæ non poſſet à prima humiditate deſumi aliqua differentia, quia nondum recedit ab humorum forma.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt à febre ardente poteſt conſumi rorida ſubſtantia, nondum datur primus gradus hecticæ, quia non eſt febris hectica; erit autem febris ardens complicata cum tali ſiccitate, quod non repugnat, cùm hoc ſit accidens commune.

Ad 3. reſpondetur: Quòd febris hectica perit inhærere in ſubſtantia viuente: at verò poteſt deſumere differentiam accidentalem ab aliquo accidente quod inhæreat in ſubiecto non viuente, ſicut & reliquæ febres deſumunt differentias ab humoribus, aut ſpiritibus licèt non viuant.

Ad 4. reſpondetur. Quòd licèt febris hectica inhæreat in omnibus partibus, non omnes valet æquè primò reſoluere; ſed primò reſoluit eas partes, quæ aptiores ſunt reſolui; & ideò prius roſ reſoluitur, poſteà partes carnoſæ, demum partes membranoſæ.

SECTIO II.

De cauſis & ſignis febris hecticæ.

QVID & quotuplex ſit febris Hectica, ſub prima ſectione ſumus proſequuti. Proſequemur in iſta de illius cauſis, & ſignis diſputationem, vt ex horum cognitione aptiùs valeamus conſequi illius curationem.

RESOLVTIO I.

Quid, & quotuplex ſit cauſa febris hecticæ?

§. I.

Definitur hecticæ febris cauſa.

RESoluendum: Quòd cauſa febris hecticæ eſt quæ quomodolibet iuuat, vt præternaturalis calor pullulet ab anima.

Cùm omnis calor præternaturalis pullulans ab anima ſit febris hectica, vt patet ex dictis; hecticæ febris cenſenda eſt cauſa, quæcunque iuuat ad illius productionem; & dicimus quomodolibet, quia non intendimus illius quidditatem deſcribere, & modum præcipuum, quo tendit ad eius productionem, vt moris eſt Philoſophorum: ſed more medicorum, quamcumque cauſam quomodolibet illius productionem attingentem quærimus, vt cognoſcamus omne illud, ex cuius ablatione ſui poteſt impediri hecticæ curatio, aut illa producta curari.

§. II.

Proponitur prima diuiſio cauſæ febris hecticæ.

RESoluendum 2. Quòd duplex eſt hecticæ febris cauſa, alia ipſius viuentis ſubſtantia, alia eſt entitas diuerſa à viuentis ſubſtantia.

Probatur

Probatur : Febris hectica eſt calor pullulans à forma vt determinata per ſubſtantificum temperamentum præternaturale redditum ; ſed forma, & ipſum præternaturale ſubſtantificum temperamentum ſunt ſubſtantia viuentia, aliæ verò cauſæ à quibus ipſum peruertitur, poſſunt eſſe cauſæ diuerſæ ab ipſa ſubſtantia viuentis: Ergo duplex febris hecticæ eſt admittenda cauſa, alia ſubſtantia viuens, alia entitas ab illa diuerſa.

§. III.

Cauſa quæ eſt ſubſtantia viuentis partitio.

RESoluendum: Quòd cauſa quæ eſt ſubſtantia viuentis eſt duplex : alia efficiens, quæ eſt forma viuens vt mixta eſt ; alia determinans, quæ eſt ſubſtantificum temperamentum peruerſum per exceſſum materierum calidorum elementorum.

Probatur : Febris hectica producitur : & iam producta, ſi remittatur ab aliquo agente frigido, ipſo ablato, redditur ad priſtinum ſtatum ; & vt probauimus ſuprà, in ſua adquiſita intenſione conſeruatur independenter à cauſa externa : ſed abſque aliqua cauſa efficiente implicat aliquid produci, & efficienter in illo eſſe conſeruari ; nihil enim eſſe & conſeruari poteſt à ſe præter Deum : ergo aſſignanda eſt cauſa intra viuens, cui tribuatur hæc actiuitas, hæc non eſt materia, quæ ſolam habet potentiam paſſiuam : ergo debet eſſe forma. Tum ſic, ſed à forma indifferenter ſumpta, febris hectica non prouenit ; aliàs in omni tempore proueniret ab illa, ergo ſimul cum illa debet aſſignari tanquam cauſa ſubſtantificum præternaturale temperamentum informatum per ipſam, à quo determinetur ad hecticæ productionem.

RESOLVTIO II.

Quotuplex eſt cauſa non viuens, coadiuuans ad hecticæ productionem?

§. I.

Aperitur ſtatus difficultatis.

DVas diximus eſſe cauſas febris hecticæ : alia eſt ſubſtantia viuens, forma inquam & ſubſtantificum temperamentum per materias calidorum elementorum peruerſum ; & huiuſmodi cauſæ ſunt cauſæ per ſe, quæ abſque cauſis non viuentibus valent ſolæ febrem hecticam producere, & conſeruare. Cauſæ verò non viuentes ſunt cauſæ per accidens, neceſſariæ dum temperamentum non eſt peruerſum, ſeu cauſæ coadiuuantes, quatenus valent coadiuuare, vt ſubſtantificum temperamentum peruertatur, & permaneat cum exceſſu partium materialium calidorum elementorum, ſiue reſoluendo partes frigidas, quibus reſolutis calidæ permanent in maiori numero ; ſiue coadiuuando, vt per nutritionem huiuſmodi materiales partes reponantur in maiori numero: & de his reſtat agendum in hac reſolutione.

§. II.

Prima cauſa non viuens hectica diuiditur.

RESoluendum 1. Quòd cauſa extra viuentis ſubſtantiam proximè productiua febris hecticæ eſt duplex: alia calor, alia nutritiua facultas.

Probatur : Præter viuentis ſubſtantiam illæ cauſæ valent concurrere ad hecticæ productionem, quæ
A valent peruertere ſubſtantificum temperamentum, & facere vt redundent in illo partes materiales elementorum calidorum: ſed proximæ cauſæ illud ſic peruertentes ſunt calor, & nutritiua facultas : ergo præter viuentis ſubſtantiam duplex proxima cauſa admittenda eſt febris hecticæ. Probatur minor: proximæ cauſæ ſunt à quibus proximè fit, quod permaneat exceſſus partium materialium calidorum elementorum: ſed huiuſmodi exceſſus permanet, vel reſolutis partibus frigidis, & aqueis, quorum defectus ſunt in maiori numero calidæ, quæ remanent, & hoc fit à calore reſoluente, vel permanet, quia ex vſu calidorum elementorum reponuntur in maiori numero partes elementorum calidorum, & hoc fit per nutritionem: Ergo calor & nu-
B tritiua facultas ſunt proximæ cauſæ peruerſionis temperamenti ſubſtantifici per exceſſum partium calidorum elementorum.

§. III.

Cauſarum has proximas coadiuuantium traditur differentia.

RESoluendum 2. Quòd cauſæ remotiores non viuentes, quæ coadiuuant productionem febris hecticæ, aliæ coadiuuant pro calore diſponendo, aliæ ipſum intendendo. Quæ coadiuuant diſponendo, ſunt euacuationes inſignes, quibus corporis exhauri-
C tur humida, & aquoſa ſubſtantia, animi pathemata, inedia, exercitium, vigiliæ, curæ; quæ calorem augent ſunt regio æſtuoſa, tempus æſtiuum, febres ardentes, febres acutæ, febres productæ, viſcerum inflammationes, ventriculi, iecoris, pleuræ, vlcus, pulmonis, aut internarum partium, & aliæ huiuſmodi, quarum meminit Auicenna & Galen. *libro 1. de febr. cap.* 8. *&* 9. quas Laconicè proſequuntur Riberius, & Zacutus *tractatu de febre hectica.*

RESOLVTIO III.

D Vtrùm hectica poſſit incipere à cauſa procatharctica?

§. I.

Actuarij, Mercurialis, & aliorum proponitur ſententia.

PArtem negatiuam fouet Abenzoar *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 13. Actuarius *lib.* 2. *method. cap.* 2. Vega *lib.* 1. *de different. febr.* Mercurialis *lib.* 6. *de febribus*, his conuicit: Tum 1. quia Galen. *lib.* 2. *de criſibus cap. vltimo*, docet nullam febrem hecticam fieri a principio, id eſt ſine alia præcedente febre : Tum 2. quia cùm ſpiritus, & humores, ſint aptiores ad calorem recipiendum, priùs recipient vſtionem aut putredinem, quàm febris hectica fiat : Tum 3. quia priùs recipitur calor in fieri
E quam in facto eſſe: ſed hectica eſt in facto eſſe, reliquæ febres in fieri : ergo priùs debent reliquæ febres induci à cauſa procatharctica, quàm fiat febris hectica.

§. II.

Galeni, Aëtij, Tralliani, & communior præfertur opinio.

RESoluendum : Quòd hectica febris poteſt induci à cauſa procatharctica, ſine alia præcedente febre. Sic tenet Galenus *lib.* 1. *de different. febrium c.* 9.

& c. 10. *lib.* 10. *method.c.* 5 *lib.* 3. *ex præſag.pulſuum c.* 2. Pauius *lib.* 2.*c.* 33. Aëtius *tetrabili* 2.*ſerm.* 1.*c.* 92. Alex. Trallianus *libro* 12. *capit.* 4. Alexander Aphrodiſæus *libro* 1. *Problem. quæſtion.* 86. Matamoros *libro* 3. *de febri. tract.* 2. Mercatus *tom.* 2. *lib.* 5.. Valleſ. *lib.* 1. *de different .febr. cap.* 11. Veyga *lib.* 1. *differ.febrium.* Brauo Salmanticenſis *lib.* 1 *de different.febrium,* & alij.

Probatur : Febris hectica oritur ex peruerſione ſubſtantifici temperamenti ; ſicut & diaria, & humoralis exuſtione , aut putredine ſpirituum humorum: ſed poteſt ſubſtantificum temperamentum magis diſpoſitum eſſe , vt à cauſa procatharctica peruertatur, quàm ſpiritus, aut humores, vt vrantur, aut putreſiant: ergo à principio ſine aliarum febrium præcedentia producetur febris hectica. Probatur minor : Quia, vt probauimus , illud temperamentum poteſt diſponi, vel vſu calidorum alimentorum , vel actione aliarum diſponentium cauſarum , quarum meminimus *Reſol. antecedenti.*

§. III.

Fit ſatis pro fundamentis oppoſitæ ſententiæ.

AD 1. reſpondetur : Quòd Galenus intendit docere , quòd nulla febris hectica ſit à principio à cauſa procatharctica , niſi progreſſu temporis fuerit ſubſtantificum temperamentum diſpoſitum , vt peruertatur ab illa , ab eis cauſis quas diximus, concurrere diſponendo vt ſubſtantificum temperamentum peruertatur, benè tamen poteſt fieri abſque eo, quòd diſponatur, aut peruertatur per aliam febrem. Tum 2. Quòd licèt ſpiritus , & humores ſunt in ſtatu naturali , & ſimul noſtrum ſubſtantificum temperamentum, ſunt aptiores vt vrantur , aut putreſiant , quàm ipſum, vt peruertatur; tamen ſi ipſi ſunt in ſtatu naturali , & temperamentum à cauſis antecedentibus eſt diſpoſitum, vt peruertatur, priùs ſit hectica, quàm diaria, aut humoralis. Tum 3. Quòd vno modo dicitur calor in fieri, ille qui fit; & in facto eſſe , ille qui iam eſt productus ; alio modo dicitur calor in fieri, qui licèt ſit iam productus , non tamen eſt habitualis , ſed per modum diſpoſitionis tantùm; & in facto eſſe dicitur, qui eſt per modum habitus: ſed nullo modo ex dictis reliquæ febres ſunt in fieri hecticæ , ipſa enim hectica dum fit, differt à reliquis & eſt in fieri, & in facto eſſe reſpectu reliquarum; quæ licèt ſint factæ, nunquam tamen ſunt per modum habitus in ſubiecto.

Resolutio IV.

De ſignis Febris hecticæ.

§. I.

Proponuntur ſigna hecticam diſtinguentia ab aliis febribus.

GAlenus *lib.* 3. *de præſagatione ex pulſibus capite* 3. duobus ſignis hecticam diſtinguit , ſi calor ſit æqualis ſine augmento . & declinatione , & ſi ægrotus calorem febrilem non ſentiat: ſed ex eodem *lib.* 1. *de differentiis febrium capit.* 8. *&* 11. *lib.* 2. *de Criſibus lib.* 2. *de præſagatione ex pulſibus cap.* 9. ex Alexandro Tralliano *lib.* 12. *capit.* 4. ex Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 92. ex Auicenna *fen.* 1.4. *tract.* 3. pro cognoſcenda hectica, & ipſa diſtinguenda ab aliis. hæc mutuantur ſigna. Continua ſit febris ſine acceſſione , ſemper ſibi ſimilis , ſine augmento , neque declinatione niſi vna aut duabus horis ab aſſumpto cibo , quo tempore incaleſcit calor in hypochondriis primo tactu mitis, poſtea acer, mordax, aridus; ægri febrem non percipiunt, deſides ſunt ad motum, & pigri. Arteriæ ſentiuntur calidiores reliquis partibus, lotium naturale, in prægreſſu oleaginoſum ſedimentum furfuraceum , præceſſerunt cauſæ, quas diſpoſitiuas aut inuertentes ſubſtantificum temperamentum recenſuimus.

§. II.

Proponuntur ſigna gradus hecticæ diſtinguentia.

HEctica incipiens in prima die ſigna habet diariæ , ſequenti permanet calor ; incipit ariditas, æqualis ſine repetentia permanet ſubſequentibus etiā diebus, & vna aut duabus horis à cibo incipit caliditas nonnihil aucta ſentiri. Dum ad ſecundum gradum peruenit , æger eam non percipit, ſubcreſcunt alterationes à cibo , ariditas manifeſta apparet , redditur pulſus minor , celerior cum ſatis perceptibili duritia. Póſtque in 3. gradu oculi fiunt concaui, illorum ſordes ſiccæ, ſquallor augetur, oſſium fiunt prominentiæ conſpicuæ , cutis cuncta arida , præcordia contracta, pulſus vndique conſpicuus.

§. III.

Prognoſis ex gradibus hecticæ refertur.

HEcticæ tertius gradus incurabilis eſt ex Galeno *lib.* 10. *Methodi cap.* 10. reliquæ duæ curationem admittunt licèt difficulter , quammaximè ſecunda ex Galeno *lib.* 1. *de differentiis febrium c.* 8. *& lib. de Maraſmo c.* 6. incurabilia tertia.

Resolutio V.

Vtrùm incaleſcentia à cibo , ſit pathognomicum hecticæ ſignum?

§. I.

Auerroës, & aliorum referuntur opiniones.

AVerroës *lib.* 4. *Collectan.* c. 33. non acquieſcit Galeno hoc ſignum vt proprium hecticæ præponenti. Partem etiam negatiuam tenet Brauo Salmanticenſis *lib.* 1. *de different.febrium comm.ad c.* 11. Iudicant enim impoſſibile quòd ratione alimenti de nouo aſſumpti poſſit calor intendi in hectico.

Primò : Si intenſior fieret calor , maximè propter rationem Galeni , qui contendit ; Quòd intenditur calor in hectico ab aſſumpto cibo , ſicut intenditur in calce poſt aquæ perfuſionem : ſed calor non poteſt calefieri ab aqua perfuſa , cùm potiùs ab eius frigiditate, extinguatur calor : ergo nec à cibo aſſumpto propter ſimilem rationem poteſt caliditas intenſior perſentiri.

Secundò : Quia ex Auerroë *loco citato,* alimentum quod offertur, aut calidius eſt corpore , aut æque calidum, aut minus calidum : ſi calidius, calefiet ab illo, qui patitur hecticam, & quicumque alius, qui humoralem aut diariam patitur febrem : ſi ſimile , aut remiſſius in calore , illud à corporis calore calefiet , & non è contra : Ergo nulla caliditas ab aſſumpto alimento perſentiri poteſt in hectico.

Tertiò : ex Galeno *lib.* 2. *de ſimplicium medicamen-*

torum

memorum facultat. cap. 14. Quæ ab alio calorem recipiunt, non poſſunt medio calore recepto illud corpus alterare; ſed alimentum alteratur à corpore, & ab illo calorem recipit: ergo non poteſt iterum corpus calefacere.

Quartò: ſi ab aſſumpto alimento incaleſceret hecticus, maximè quia tribueret materiam poſt ſui coctionem, ea qua reſultaret incaleſcens calor: ſed hoc eſt impoſſibile, quia vſque ad ſextam, aut octauam horam poſt aſſumptum cibum non perficitur coctio. Ergo nec fit cibi mutatio in ſubſtantiam ex qua valet incaleſcere corpus.

§. II.

Galeni doctrina præfertur.

RESoluendum: Quòd incaleſcentia poſt tranſactam vnam, aut duas horas ab aſſumpto cibo, eſt proprium hecticæ febri ſignum. Sic docuit Galenus, firmauit Auicenna, & tenent homo Commentatores maiori ex parte, licèt in reddenda cauſa non cohæreant; quia nullam adæquatam inuenerunt rationem.

Probatur 1. Tum ex Galen. *lib.* 1. *de different. febr. c.* 11. §. *Cuilibet enim hecticæ febri proprium & inſeparabile adeſt, vt ingeſto cibo accendatur calor, pulſuſque in magnitudinem, ac velocitatem increſcat.* Tum *l.* 10. *Method. c.* 6. vbi in diuerſis hecticis affirmat mutaſſe horas cibandi, & iuxta mutationem horarum vna, aut duabus horis ab aſſumpto cibo ſemper magis incaleſcere, & pulſum adauctum eſſe. Tum ex Auicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 3. *cap.* 2. §. *Verum ipſa quando ſuperuenit, & cibus augmentatur velociter, & fit fortis pulſus valde & incipit magnificari*: ergo eſt proprium ſoli hecticæ.

Probatur ratione: Hecticus habet calorem intenſiorem, quando plures habet partes, quæ poſſunt determinare animam ad productionem eius: ſed vna, aut duabus horis ab aſſumpto cibo plures partes habet determinantes ad caloris hectici productionem: ergo debet eſſe intenſior calor in illo. Probatur minor; vna aut duabus horis ab aſſumpto cibo, partes tenuiores, & calidiores, quæ ſunt partibus hecticis magis proportionatæ, & aptiores vt coquantur, trahuntur propter maximam neceſſitatem, quam partes habent reponendi nouam ſubſtantiam: ergo anima determinata ab illis de nouo adauctis cogitur ad intenſiorem producendum calorem toto tempore quo permanent, & ex toto non reſoluuntur.

Dices: Quòd vſque ad ſextam, vel octauam horam non perficitur alteratio, qua debent humores mutari in ſubſtantiam aliti.

Contra ſtat. Tum Galenus *lib* 3. *de naturalibus facultatibus c.* 13. qui licèt coctionem ventriculi perfici ſex, aut octo horis fatetur; tamen abſque ventriculi peracta coctione aliquam alimenti portionem docet attrahi à iecore, dum vehementer appetit, ſicut neceſſarium eſt appetere, dum in hectica partes omnes ſunt exinanitæ, & reſolutæ; his verbis: *Et primùm in vnoquoque noſtrum, alio tempore iecur valentiùs trahere poteſt, alio ventriculus. Quippe vbi in ventriculo copia alimenti eſt; ac iecur vehementer appetit, deſideratque omnino, id valentiùs trahit.* Tum quia experientia docet in defatigatis, aut aliqua euacuatione conſumptis, quod breuiter ab aſſumpto cibo reficiuntur; ergo licèt non ita breuiter poſſit perfici totius alimenti coctio, poteſt tenuior elaborata pars deferri ad iecur, & ad partes pro earum nutritione.

Dices: Quòd hæc ratio conuincet etiam, vt poſtea toto tempore quo fertur ad partes reliquum alimentum, quod non erat concoctum, cùm fiat nutritio ex A illo, fiet etiam intenſior caliditas, quod non contingit vltra duas primas horas.

Reſpondetur: Quòd cum attractio fiat ratione ſimilitudinis, priùs attrahuntur partes igneæ, aëreæ, quæ ſunt ſimiliores temperamento ſubſtantifico peruerſo in hectico, & etiam quia cùm tenuiores, faciliùs coquuntur, & ſunt aptiores vt attrahantur antequam reliquæ craſſiores, & ideò ex his partibus calidorum alimentorum repoſitis reſultat calor, non autem ex aqueis & terreis, quæ poſtea reponuntur.

Dices: Idem contingit, licèt nutriatur hecticus ex partibus frigidi alimenti, vt lacte, cucurbita: ergo non B prouenit ex hac cauſa caliditas poſt aſſumptũ cibum.

Reſpondetur: Quòd cum nutritio animalis fiat ex viuente, quòd mixtum debet eſſe, & habere partes etiã igneas, & aëreas, illas priùs attrahit natura, quia magis ſimiles ſunt parti; & licèt reliquas etiam attrahat poſterius nutrit partes frigidas ex illis, & ideò non valent obſtare, vt præceſſerit caliditas orta ex partibus calidioribus, à quibus fuit priùs nutrita pars mixta, & ignea, aut aërea.

§. III.

Soluuntur primò adducta argumenta.

C AD 1. reſpondetur: Quòd Galenus intendit docere, quòd ex perfuſione aëreæ, & igneæ ſubſtantiæ alimenti in partes quæ nutriuntur ex illo reſultat caliditas, ſicut ex aquæ perfuſione reſultat in calce, cùm exempla non teneant quoad omnia, quoad hoc tenet iſtud, licet in modo producendi calorem differant, quia in hectico pullulat à forma, in calce producitur, quia empyreumata, quæ ſuperabundant in calce, aquam perfuſam valent ſuo calore vincere, & medio calore inducto aquam attarat, donec ipſam conuertat in vaporem, ſi magis attarat, conuertat in aërem; in aliis tantam inducit raritatem, vt ſit ignis diſpoſitio, & tunc inducetur forma ignis; ſicut à ſimili, ob inductam raritatem incompoſſibilem cum aëris forma in ipſo inter ſilicem, & chalybem attarato, à forma vniuerſali introducetur ignis forma. D Dum autem aqua eſt in maiori copia empyreumatis calorem vincit, nec calor igneſcit.

Dices: Cur aërem ſimili modo non accendit calor, & conuertit in ignem ſicut & aquam.

Reſpondetur: Quòd cùm id quod ſiccum, & aridum, terreum & inutile fiat, indidit natura rebus vim vniendi humidum cum ſicco in viuentibus media concoctrice vi; quia ad perfectam maturationem feruntur, quæ eſt actio vnitiua humidi ſubſtantifici cum ſubſtantifico ſicco: in non viuentibus indita vi attractiua, qua humidum ad ſiccas ſubſtantias docet experientia attrahi, imbibi, & quaſi per poroſitates penetrari; & ideò à calcis mixti ſicciſſimi partibus aquea E trahitur ſubſtantia, & per poroſitates cafugitur, ac recipitur: quam ſic tenuem vincit, attarat, in vaporem vertit, in aërem, aut ignem; à magna verò copia vincitur, & extinguitur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt alimentum ſit minus calidum & concoctibile à noſtro calore, partes eius igneæ, dum pertranſeunt ſub formam mixtam, redduntur calidiores; ſicut lignum, licèt frigidum, ſi alteretur ab igne, donec recipiat ignis formam, poſtea in illo fit igneus calor.

Ad 3. reſpondetur: Quòd licèt alimentum non calefaciat corpus medio calore recepto ab illo, poteſt illud alterare medio calore recepto ab anima, dum per illam informatur.

Ad 4. Patet ex ratione fundamentali Reſolutionis.

SECTIO

SECTIO III.

De Febris Hecticæ curatione.

IN febre Hectica duplex ſumitur indicatio, alia à temperamento ſubſtantifico ex cuius peruerſione determinatur ad eius productionem anima, à quo indicatur repoſitio ſubſtantiæ ex alimentis oppoſitis qualitatibus gaudentibus: alia ſumitur à febris calore, vt cum ſiccitate coniuncto, à qua indicatur refrigeratio, & humectatio, quæ tutendnntur aëris vſu, balneis, & inunctionibus, de quibus ſub hac ſectione agendum.

B

RESOLVTIO I.

De Hecticæ curatione extra Dogmaticorum Scholas.

§. I.

Non Rationalium referuntur curationes.

EXtra Dogmaticorum Scholas maiori ex parte hāc febrem ignorarunt Empirici ſuis amuletis vulgarium ſpem adimplent, donec inueterato malo, ſpe adempta, redeunt ad Rationales, dum victa natura cuncta reſpuit remedia; natura enim reluctante, omnia irrita fiunt ex ſummi Dictatoris decreto. C Methodici hanc febrem ponunt ſub morbis in adſtrictione, & in laxātibus, & humectantibus remedia quærunt Dogmaticis adhærentes magna ex parte. Paracelſus irretitus in reducēdis febribus ad ventriculi, iecoris, renúmq; febres, & has omnes referentes ad febres ortas ex ſale, ſulphure, & Mercurio, huius febris naturā penitus ignorat, & illius curationem. Hermetici, ſeu Spagirici, ex ſuis fornacibus pro hac curanda febre aliqua ſubminiſtrant remedia, vt illora forsā quæ huius ſunt farinæ pro debellandis frigidioribus morbis. Vanhelmont huius febris ſicut reliquarum naturam ignorauit, ſuis deliciis à vera philoſophia abalienatus, pro omni tamen curanda D febre vnico vtitur diaphoretico remedio, quod pro hac febre quantum ſit inutile patet. Tum 1. Quia illud reſoluit corporis aquoſas partes; Hectica verò curatur per repoſitionem ſubſtantiæ aquoſæ, frigidæ, & humidæ; Tum 2. Quia Diaphoreticum eſt remedium euacuatorium: ab hectica iudicatur renutritio, & repoſitio partium. Tum 3. Quia ab hectica indicatur attemperatio, & humectatio, per diaphoreticum intenditur calor, & à calore fit exſiccatio. Tum 4. Quia balneis humectantibus, & refrigerantibus, & vſu alimenti frigidi & humidi docet experientia hecticos reſtitui ad primam ſanitatem; Vanhelmont remedio vtitur ſudorifico, deſiccante, calefaciente, & partes nutritione adquiſitas ex frigido, & humido alimento reſoluente. E Inſibilandum ergo venit delirium huius Philoſophi per ignem.

RESOLVTIO II.

De hecticæ febris curatione Dogmatica.

§. I.

Quæ ſint curatiua indicationes huius febris.

CAuſas hecticæ diximus alias eſſe extrinſecas, & coadiuuantes ſimul cum ipſa complicatas, ſiue A ſint febres, aliíve morbi ſubſtantifici temperamenti coefficientes peruerſionem, quarum primo tentanda eſt curatio, quia habent rationem cauſæ ſine qua non, neque ſimul exiſtentis hecticæ negligenda eſt curatio.

Si nuda ab extrinſeca fouente cauſa hectica permaneat, duplex eſt indicatiua curatio: altera deſumitur ab ipſa febre, vt cum ſiccitate coniuncta, quæ cùm calida ſit temperies, ab ipſa vt cum ſiccitate complicata, ſumitur indicatio attemperandi, & humectandi. Altera indicatio ſumitur à temperamento ſubſtantifico peruerſo per exceſſum partium calidorum elementorum, prout ab illo determinatur forma mixta ad hecticæ febris productionem, & conſeruationem, & ab B illo indicatur repoſitio ſubſtantiæ aqueæ, frigidæ, & humidæ deſumptæ ex frigidis & humidis alimentis; ex quorum aqueis partibus per nutritionem fiat harum partium in maiori numero repoſitio, qua ad naturalem partium elementalium proportionem reducatur temperamentum ſubſtantificum.

§. II.

Quibus remediis proſequi valeant indicationes curatiuæ febris hecticæ.

REſoluendum: Quòd curatiuæ indicationes in hectica proſequuntur remediis ad extrà oblatis refrigerantibus, & humectantibus, & alimentis intrò C aſſumptis ſubſtantificè frigidis, & humidis. Remedia ad extra oblata, ſunt aër, balnea, & inunctiones. Alimenta intus aſſumpta ſunt lac, iuſcula ex pullo gallinaceo, herbis frigidis & humidis alterata ex eiſdem, aut ſimilibus deſtillationes factæ, & alimenta, quæ in ſubſtantifico temperamento aqueo abundant elemento. Sic ex dictis ſanciendum patet in Dogmaticorum Schola, & ex dicendis confirmandum reſtat.

RESOLVTIO III.

De aëris vſu in hecticæ curatione.

D

§. I.

Aëris præſcribitur vſus pro Medicis cognoſcendus.

AEr ſimpliciter neceſſarius eſt pro ſanitate conſeruanda, & pro morbis profligandis ex Galen. *l. 9. meth.* eſt enim elementum ex ſua natura calidum, & humidum, ſed magis humidum quàm calidum, ex Ariſtot. *lib. 2. de generat.* Eſt ſimpliciſſimum corpus, diaphanum, & tenuiſſimum, vt docet Galen. *lib. 1. de ſimplic. medicament. facult. cap. 22.* ſitus eſt inter ignem & aquam in prima rerum geneſi, licèt pro vſu animalium E terreſtrium nunc terram & aquam ambiat. Partitur in tres regiones infimam, mediam, & ſupremam, ex Ariſt. *lib. Meteoror.* Suprema eſt calidior, media frigida, infima calida, ſi ab alterantibus cauſis permittitur, extenditur infima per ſphæram, quam radij ſolares valent calefacere per reflexionem, hæc in ſua temperie varia ob varios admixtos vapores, exhalationes, ventorum differentias, & ob ſolares radios; ex Seneca *lib. 2. quæſt. natural. cap. 10.*

Aërem primæ Regionis ſpeculatur Medicus ex Auicenna *fen. 1. 1. doct. 2. cap. 2.* inquit enim eſſe Elementum noſtrum corporum, & ſpirituum. Dupliciter hic aër deſeruit animali, vel vt attractus pulſu,

&

& reſpiratione ſpirituum vitalium attemperet excedentem calorem, ſeu vt pro ſpiritibus animalibus, & vitalibus generandis materiam ex qua ſubſternat, vel vt extra circundans, & communicans qualitates, quibus eſt affectus, ea Gal. 1. *de differentiis febrium c.* 2. iuxta primam conſiderationem, ſemper eſt naturalis; iuxta ſecundam, inter res non naturales debet annumerari.

§. II.

Qualis aër ſit vnicuique debitus ſancitur.

RESoluendum: Quòd purus aër omni ætati eſt vtilis; qui abundat contrariis qualitatibus vtilis eſt vnicuique intemperiem contrariam illis habenti. B Sic ſanciuit Galenus *lib.* 12. *Methodi capite* 5. *libro* 1. *de ſanitate tuenda capite* 11. §. *Optimum autem cenſeo qui prorſus ſit purus: eiuſmodi verò fuerit, qui nec ſtagni, nec paludis halitu ſit perturbatus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram inſpirante infectus: neque qui ex cloacis, quæ magnam aliquam vrbem, aut numeroſum aliquem exercitum purgent, vitium contraxit; neque ex animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur: neque qui ob ſtagnum, vel flumen vicinum nebuloſus eſt; neque qui editis vndique montibus in cauo loco clauſus nullum percipit flatum, ſuffocans enim putriſque eſt, ſimilis ei qui in domibus quibuſdam eſt incluſus. Huiuſmodi enim aër omni ætati planè eſt noxius: ſicut è diuerſo qui purus omninò nulli non ætati eſt vtilis. At verò ex calore, frigore, ſiccitate, humiditate diuerſitas aëris contingit, non perinde ad omnes ſe homines habet, ſed* C *corporibus, quæ optimo temperamento ſunt, etiam optimè temperatus aër ſaluberrimus eſt: in quibus verò aliqua exuperans qualitas dominatur, his vtiliſſimus aër eſt, qui ei qualitati maximè eſt aduerſus, frigidus calida, calidus frigida, humidiori ſiccus, ſicciori quàm par eſt, tanto humidior quantò ſiccitas ipſa modum exceſſerit.*

§. III.

Præſcribitur aër vtilis pro Hectica curatione.

RESoluendum: Quòd pro hecticæ curatione eſt vtilis aër, qui purus cùm ſit, prædominium ha- D bet frigiditatis & humiditatis. Patet ex dictis à Galeno, eo quòd calidiori & ſicciori intemperiei vtilis eſt aër frigidus & humidus: fit autem aër frigidus & humidus à natura, vel ab arte, à natura multipliciter, vel ob anni tempora; & ſic hyems hac maximè gaudet temperie, vel quia à ventis frigidis & humidis hanc recipit temperiem, vel quia illam recipit ratione locorum quæ frigida ſunt & humida, qualia ſunt ea, quæ aquis ſunt propinquiora.

Ab arte verò fit aër frigidus, & humidus, ob aquæ perfuſionem, ob arborum, aut herbarum permixtionem.

RESOLVTIO VI.

De Balneis & eorũ vſu in curatione Hecticæ.

§. I.

Balnei natura & diuerſitas aperitur.

BAlneum eſt lauacrum totius corporis: illius vſus eſt propter delicias, propter ſanitatis tutelam: vel propter morborum curationem. Pro deliciis Romani olim ſuperba pro balneis ædificia conſtruxere, in quæ A tanta aſſuetudine deſcendebant, vt ſepties aliqui balneum intrarent in die. Pro ſanitatis tutela proſunt balnea aquæ dulcis, quammaxime pro iis qui calido ſunt iecore, vel cutem habent ſqualidam. Pro morborum curatione balnea alia ex aqua dulci fiunt; alia ex aqua à mineralibus alterata, & balnea hæc dicuntur Thermæ.

§. II.

Diuerſitas Thermarum Laconicè refertur.

THermæ dicuntur balnea, quæ à mineralibus alterationem recipiunt; ſunt enim aquæ ſponte ſcaturientes, quæ calefaciendi, & ſiccandi, aliterve B alterandi vim habent, iuxta diuerſas mineralium virtutes per quas tranſeunt. Sunt Thermæ in multiplici differentia; quæ ſalſa, ſiccandi, & calefaciendi vim habent, & proſunt frigidis & humidis affectibus, doloribus Podagræ; hydropi, frigidis morborum doloribus, tumoribus laxis, & frigido ventriculo.

Balnea nitroſa eaſdem retinent vires, ſed potentiores. Balnea aluminoſa maiorem habent vim adſtringendi, ſuntque ex vſu pro ſanguinis reiectationibus ortis, & laxitate vaſorum. Balnea ſulphurea calefaciunt, & deſiccant, & ſunt ex vſu pro vitiis cutis, ſcabie, impetigine, antiquis vlceribus, partibúſque tremulis confortandis. Balnea ærea calefaciunt, reſoluunt, deſiccant; mundificant, conſolidant, proſunt pro malignis vlceribus, pro articulorum doloribus, C & podagricis. Balnea aurea deſiccant, & calefaciunt, & ſunt ex vſu colicis, fiſtulis, & podagræ. Balnea ferrea præ reliquis ſunt frigida & humida, & ſi quæ alia ex Thermis eſſent hecticis vtilia: ſed non ita frigida, & humida ſunt, ſicut ex aqua dulci. Balnea gypſea ſicca ſunt, & frigida, agglutinant, & ſunt ex vſu pro fluxu ſanguinis.

§. III.

Balnea propono quæ præferuntur pro hectica febre curanda.

D PRo febre hectica curanda vtilius balneum eſt, quod fit ex aqua dulci, quæ potenter refrigerat & humectat, in cuius vſu Dogmatici antiquiores in tres partes balneum diuidebant, treſve cellulas aquæ habebant; in quarum primo, aqua erat nonnihil calida, in ſecunda calida, in tertia frigida: in prima æger parum detinebatur, magis in ſecunda, minus in tertia; ſed inutilis hic curandi modus reiicitur à Iunioribus. Et pro hecticis curandis vltimum habeo aquæ moderatè calidæ, in qua ingreditur æger manè, excrementis à ventre depoſitis, duobus aut tribus horis tranſactis ab aſſumpto lacte, inſtillatitiáve aqua ex pullo gallinaceo, & herbis frigidis & humidis: permanet in balneo donec aqua ſit tepida, & aliqualiter frigeſiat, quod ſi vires moram tolerare nequeant, properatur E aquæ attemperatio ſuperaddendo aliquam frigidæ aquæ partem.

Apud antiquos pro hecticis curandis dulcis aquæ balneum tantum fuit ex vſu. Moderniores verò maximè laudant balneum quod fit ex aqua dulci alterata decoctione ex herbis, oleribus fructibúſve frigidis & humidis, vt malua, violaria, vitis, ſcariola, lactuca, althea, hordeum, amygdala, & alia ſimilis virtutis. Vtilius iudicatur apud Iuniores balneum, quod fit ex æquis partibus aquæ, & lactis, & iudicant aliqui quòd ex ſolo lacte eſſet vtilius. A Balneo æger linteis tepidis molliter detergitur. Conſulunt alij quòd inungatur oleo violaceo, amygdal. dulc. & butyro recente,

cente, & inſulſo, ponatur in lecto, iuſculo reficiatur, & quieſcat. A

A *nocturno tribus horis ab aſſumpto cibo fiat inunctio per totum corpus.*

Resolvtio V.

De inunctionum vſu pro Hectica curanda.

§. I.

Præſcribitur inunctionis vſus in hecticis.

INunctiooes attemperantes, & humectantes ſunt pro vſu io becticis, vel vt ſuo poſſe coadiuuent baloeorum opus, vel vt loco eotum proſint, dum hecticorum vires renuuot adire balnes. Partium inunctio eſt varia B iuxta diuerſos fines: aliquando iotendimus principes, aut officiales attemperare & humectare partes; aliquande dorſi ſpinam, cuius maximè timenda eſt conſumptio; alias verò vniuerſalis corporis partes, & vias, vt ipſis humectatis, valeat in eas permeare alimentum.

§. II.

Pro partibus principibus quæ vtilia.

SI caput incaleſcit nimis, pro vſu ſunt ex Mereato irrorationes ex dulci aqua, ex lacte, vel ex decocto hordei, papaueris, pſyllij, & violarum. Pro corde hoc epithema paratur à Riuerio ℞. *aquæ roſarum, nymphæ,* C *ana* ℥ij. *ſucci granatorum* ℥j. *puln electuarij diamargaritonis frigidi* ʒ j. *oſſis de corde cerui* ℈j. *Camphoriæ* ℥iij *fiat epithema cordi admouendum.* Pro hepate erit vtile: ℞, *aquarum endiuiæ, lactucæ, ſuccorum cichorij, & roſarum rubrarum ana* ℥iiij. *Santalorum rubrorum* ʒij. *fiat epithema iecori admouendum.* Pro ventriculo, ſi aridus, proderit vſus emplaſtri ex farina hordei cum ſucco lactucæ, & portulacæ.

§. III.

Quæ ſunt ex vſu pro dorſi ſpina.

DOrſi ſpinæ lactis irrotatio ab vbere quammaximè eſt vtilis, ſicut inunctio ex vnguento reſumptiuo, ſimiliter & hoc vnguentum maximè commendator à Pereda; ℞. *olei violarum nenupharis roſarum, & papaueris ana* ℥j. *Mucilagims, ſeminis pſyllij, cydoneorum & altheæ, aqu. roſar. extract.* ʒij. *butyri recentis, axungia gallinæ, medullæ crurum vitulini ana* ℥iij. *puln. electuar. reſumptiui, & diamargaritonis frigidi ana* ℥jß. *ceræ; quod ſufficiat vnguentum.*

§. IV.

Pro omnibus corporis partibus vtile lenimentum

PRo emolliendis viis, partibúſque corporis, quas nimia ariditate adſtrictas nequit alimentum permeare, Zacutus hoc proponit linimentum vſu expertum & vtile; ℞. *pulpa caſſiæ fiſtulæ lib. ß. butyri recentis inſulſi* ℥iij. *axungia gallinæ, medullæ cruris vituli ana* ℥x. *Vngu. reſumptiui Vng. filij Zachar. ana* ℥iij. *olei nenupharis roſar. violar. ana* ℥iij. *olei papaueris* ℥iß. *Mucilag. ſemin. Pſyllij: ſemin. Cydoniorum & altheæ, aqua roſarum extract. ana* ʒiij. *iuris pinguis capitis caſtrati* ℥vj. *lactis mulieris* ℥v. *ſucci ſemperuiui* ℥ij. *aquæ albuminum ouorum agitatorum vncias* 4. *farinæ hordei* ℥ij. *puln. roſar. Santalor. Coriandr. coral. rubr. ana* ℥ij. *miſceantur omnia, & cum ſero lactis caprini, aqua hordei, & roſacea ſecundum artem fiat linimentum, matutino, &*

Resolvtio VI.

De hecticæ curatione ex remediis indicatis à temperiei ſubſtantificæ peruerſione.

§. I.

A ratione victus quæ deſeruiunt remedia.

B SVbſtantificum temperamentum per partes igneas excedentes peruerſum indicat ad proportionem reduci aqueis partibus ſubſtantificè adquiſitis, quod ratione victus frigidis iulepis, deſtillationibus, & lactis vſu conſequitur.

Pro ratione victus, venter conuenit impiger, animi tranquillitas, hilaritas, moderatus ſomnus, quies, potus frigidos, dum vires conſtant, ex diluto vino, vel aqua hordei, aut ſcorcioneræ. Alimenta ſint frigida, & humida ſubſtantificè, & ſi ventriculi ſubſiſtat virtus, ſint viſcoſa, vt limacum, teſtudinum, ranarum carnes, & animalium extremitates: quibus areſcunt viæ, exhibenda nutrientia iuſcula pulli, gallinæ capi, vituli, hœdi, veruecis, vitella ouorum, in quibus ſuot laxiores, farrum, lactuca, portulaca, endiuia, borrago, C acetoſa, melones, cucurbita, & carnes vituli, hœdi, porcelli, phaſiani, lepuſculi, quæ potiùs ſint elixæ, & com ſucco limonum, aut aurantiorum, vtimur in his panatella hordeata auennata, orizata cum ſaccharo, & amygdalis, aut ſeminibus quatuor frigidorum maiorum, piſces ſaxatiles ſont vtiles.

§. II.

Vtilia præſcribuntur aliqua.

IVſculorum, & Iulepotum in eundem finem communis eſt vſus, attemperant enim & humectant, D ſimul ſolatium ſunt, præſtántque materiam humidam & frigidam, ex qua præualeat aqueatum partiom temtirio: amborum formas complet Riuerius ſic:

℞ *hordei integri p.* 1. *foliorum endiuiæ, cichorij, lactucæ, pimpinellæ, anami flor. borrag. bugloſ. violar. & nymphea ana p.* j. *prunorum Damaſcen. p.* iiij. *coquantur in* ℔j. ß. *incolat. diſſolue ſyrup. de cichoria ſimpli. & de nymphea. vel violar. & ſcorcionera ana* ℥ij. *fiat. Iulep. pro* iiij. *doſibus.*

Vel ex aquis deſtillatis: ℞. *aquarum endiuiæ, lactuca, acetoſa, aut ſcorcionera ana* ℥iiij. *Syrup. violar. pomor. redil. aut nymphea ana* ℥j. *Fiat Iulep. pro* iij. *doſibus.*

Vel fiat Iuſculum: ℞. *hordei integri p.* ij. *quatuor ſeminum frigidorum maſ.* ℥ß. *radic. Scorcionera* ℥j. *contundantur, his impleatur venter capi aut pullæ, fiat iuſculum, ſit vſus pro longo tempore.*

E Vtilior huius iuſculi erit vſus, ſi ante exhibitionem ℥iij. illius ſumat æger ℥ß. ex tebellis quas Zacutus ſic præſcribit: ℞. *carnis teſtudinis aquaticæ* ℥iiij. *coque in iure hœdi cum hordeo excorticato ſtrobilorum per horas* iij. *in aqua roſac. prius infuſorum* ℥ij. *amygd. dulcium mundatarum* ℥iij. *Gummi tragaganti infuſi in aqua roſar. ſemin. papauer. albi, lactuca, & ſemin. frigid. maſ. ana* ʒij. *Sacchari albi diſſolusi in aqua bugloſſa. q. ß. electuarium ſecundum artem auro decoratum ad formam tabellarum magnarum.*

§. III.

§. III.

Communior deſtillationum vſus.

DVm craſſiora alimenta ob ariditatem viarumque contractionem nequeunt permeare, tenuea, aqueáſque eorum partes intendimus per deſtillationem extrahere, reliquarum inſtar ſic.

℞. *Pullos gallinaceos* iiij. *recenter occiſos, vnico feruore bulliant, & corium atque pinguedo ab eiſdem ſeparentur, & in fruſta ſecti oſſibuſque confractis ſimul reponantur carnes teſtudinum nemoral. limacum, & ranarum, ana* ℥iiij. *folior. borrag. lactuca ſcariola, & achary ana* m. ij. *carnis cucurbita* ℔ ij. *foliorum & radicum agrimonia* B mj. *hordei mundati* mj. ß. *radicis ſcorçionera* ℥j. *omnia ponantur cum ſufficienti quantitate aqua in balneo Maria addendo ſucci limonum uncias* ij. *fiat deſtillatio & in callatoria pone cryſtallorum acidorum* ℥j. *Seruetur ad vſum, doſis mane ante cibum, & veſperis horis quatuor à cibo* ℥iiij.

Deſtillationes per aſcenſum factas non probant Iuniores, Quia ſolidas partes parum nutriunt, quorum loco inſtaurans ius ſic præſcribunt.

℞. *Caponem bene habitum. deplumetur, exenteretur, & in fruſta diuidatur, pingueda, & pellis detrahantur, adde carnem vituli, aut veruecis in fruſta diuiſam, & ab omni pinguedine liberam: ponantur in olla vitreata, in cuius medio ſit craticula ex ligno, aut ex alia materia, per quam concunentur fruſta, ita vt olla fundum remaneat* C *vacuum. Poſtea olla clauſa ſuo operculo probè lutabo cum farina à qua ſubacta ponatur, in B. M. bulliente per quinque horas ex iure limpido in fundo remanente doſis eſt cochlearia duo aut tria in iuſculis, aut per ſe, ter, aut quater in die.*

Resolvtio IV.

Lactis vſus, & modus vtendi traditur.

CVm lac præ reliquis alimentis optimum ſit ex Galeno *lib. 3. ſimplic...* conſtetque ſubſtancia tenui, craſſa, ac pingui ex Galeno *de bonitate ciborum cap.4.* ſitque frigidum, & humidum, idoneum vt materiam præſtet pro humidis, ac frigidis reponendis in animali partibus, citóque nutriat, ac reſtauret corpora exuſtas, vt luculenter conſtat ex Hippocrate *de ratione* D *victus in morbis acutis* & *lib. de morbor. affectionibus.* Aëtius *tetrab. ſermon. 1. cap. 93.* Paulus *lib. 2. c. 23.* Dioſcorides *lib. 2. cap. 66.* & inter Modernioree luculenter Mercurialis, Mercatus, & reliqui practici latiſſimè proſequuti ſunt.

Inter lactis genera, muliebre præferendum reliquis, ex Galeno *lib. 7. methodi capite 6.* quia magis noſtræ naturæ familiare eſt. Aſininum præfertur poſt muliebre ex Galeno *lib. 5. de ſanitate tuenda capite 7.* ex Auicenna *fen. 1. 4. tract. 3. cap. 6.* ex Tralliano *lib. 12. capite 4.* Aſina debet nutriri foliis plantaginis, rubi, viti, polygoni, gramine, hordeo; lac ſumatur calidum, recenter mulſum ex Aſina cirea cubiculum E inducta; primò offeratur in quantitate ℥iij. vel ℥iiij. ſenſim augeatur vſque ad ℥x. vel l. ℔. j. & ſi aceſcat ſuperaddatur ſaccharí vnc. j. pro lib. j. lactis, cibus offerendus poſtquam in ventriculo non percipiatur lac, caprinum lac poſt aſininum vtile; bouinum nimis eſt craſſum. Ante ingreſſum in balneum aſſumendum lac credunt plerique; ſed cauendum ne ni-

A mia debilis ſit ventriculi calor: vtrique enim refrigeranti ſimul occumbet.

Resolvtio VII.

De obſeruationibus, quæ euentu confirmant Dogmaticam doctrinam.

§. I.

B *Balnei aqua dulcis vtilitatem euentu firmat Schenckius.*

AEris vſum pro hecticæ curatione modo dicto nullus non approbat. Balnei aquæ dulcis vtilitatem firmat Schenckius *lib. 6. obſer.* ex Galeni approbatione, & vſu, *lib. 10. methodi cap. 10. §. Immiſcui abundè ſic carnis æſtatis tempore, atque in febris ſumma vigore, modò nulla viſcerum flegmone ſubſit, ſi in frigidam ſe coniecerit ſudabit. Quod ſi frigida lauationi ſit aſſuetus, ſecurus remedio vtetur. Qui autem ex ſicca, & calida intemperie hectica febricitant, ac potiſſimum qui iam maraſmodes ſiunt; iis vbi calo præſidium petunt, tutum non eſt, totam conici aquè, vt nec gracilibus, nec imbecillis, qui æſtate calida, & ſicca longa via peracta, refrigeratione in-* C *digent, &c.*

§. II.

Balnei aqua dulcis oleo adaugeri vires euentu firmat Zacutus.

AQuæ dulcis balneum viſum non prodeſſe, oleo ſuperaddito potentius reddi expertus eſt Zacutus *lib. 3. de praxi medic. mirab. obſer. 35.* inquit: *Iuuenis quidam gracilis, & excarnis ex ardente febre in hecticam lapſus eſt, qua ſiccitatem morboſam habebat coniunctam. Hic infinita propè præſidia; imò lac caprinum, & dulcis aqua lauacrum, diu tamen citra vllam opem fuerat expertus. Tandem balneo admixta olei quan-* D *titate (hydraſeum dicas) reiterato conualuit. Queris cauſam? promit Galenus libro 2. ſimplic. 24. Aqua enim cum fluida ſit, & liquida, miniméque cuti poſſit adhærere, olei lentore ceu glutina quodam intra cutis poris impingitur, ſicque intra ſe penetrat, & per moram magis humectat.*

§. III.

Balnei vſus in hectica complicata putrida quantum vtilis firmat euentu Zacutus.

E NOn ſolùm in ſimplici hectica, ſed in ea prodeſſe aquæ dulcis balneum, dum complicatur cum putrida, firmauit Zacutus *libro 3. de praxi medicina admir. obſeruat. 37. §. Aceſſimus ad curandum ægrum tertiana notha diu correptum, qui cum curis eſſet correptus & confectus, tranſacta acceſſione cætera corporis partes temperatiores erant. Arteria verò loca calidiora conſpiciebantur. Hic ob fixum, & radicatum, ac independentem in ſolidis partibus calorem ſenſim ac ſine ſenſu extenuabatur magis; calor enim*

becticus de nouó introductus, ob duritiem, & diurnam actionem adeo ſe in ſolida inſinuauerat, vt abſumpta, & depopulata humiditate corpus contabeſceret. His perſpectis, curauimus putridam purgatiunculis reſerantibus, aperientibus, priſana, potionibus frigidis, & epithematis, & hac acceſſione ceſſante, vel remiſſione facta ſemper propinauimus. Pro hectica curatione lac exhibuimus, obfuit multum: nam ex eo in cacochymiam verſo febris adaucta aphtæ in ore gulaque repullularunt. Tandem ab eo abſtinentes balneum conſuluimus, & poſt hoc interpoſitis duabus horis, priſanam obtulimus: Huius ope in totum ſanus euaſit, &c.

§. IV.

Teſtudinum & limacum vſum, & modum vtendi pro hectica firmat Schenckius.

B TEſtudinom & limacum caenes pro hecticorum nutritione commendauimus; ſed ex teſtudinibus ſyrupi pro eius curatione vtilis deſcripeionem notauit Schenckius *libro 6. obſeruationum medicarum*, reperi apud Franciſcum Alexium *in Apolline*. De limacum aqua, cum Ioanne Michaële, Paſchalio *lib. 2. cap. 8. methodi medendi*, §. *Teſtudines nemorales pauca egent preparatione, quamvis earum ius eſt facilius concoctu; limaces montani ſunt meliores, & optimè nutriunt, ſi per aliquot dies non paſcantur, pòſt tamen ſaccharo & farina nutriantur duobus aut tribus diebus, dummodò priùs decoquantur aqua & pauco ſale, poſtremo iure gallinæ, vel arietis Hac ratione preparati refrigerant, humectant, & bonum ſanguinem generant, nec difficiles ſunt concoctu; quamvis aqua ex ipſis ſolis per deſtillationem expreſſa ſit concoctu facilior, & eandem facultatem habeat qua curatus fuit Marchio Zenetanus, &c.*

§. V.

Ranarum vſus, & vtendi modus comprobatus euentu proponitur.

RAnarum vſum euentu confirmatum pro hecticæ curatione expertum proponit Zacutus *libro 3.* A *de praxi medic. admirab. obſer. 36.* §. *Habui becticum in curatione diu, qui ſiccatus, & tabidus, nec balneo nec lactis potu, aliiſque innumeris humidis reficientibus auxiliis vnquam potuit reſtitui. Tandem morbi pertinacitate pertaſus ad ranarum vſum acceſſi, ſtillatitiam aquam ex illis extractam in balneo Mariæ cum ſyrupo violaceo permixtam pro quotidiano potu vtendam obtuli, cas elixas cum oleo, ſale, ſaccharo, & ſalſamentis in cœna, & prandio deguſtabat, interdiu illi erat pro frequenti vſu ius album factum ex illarum contuſa carne, cum amygdalis, lacte, butyro, farina hordei, ſaccharo, vitellis ouorum, quæ omnia reſperſa cinamomo, & roſacea irrorata, ad ignemque percocta conditum faciunt ſuauiſſimum, quod optime nutrit, humectat, impinguat, coquitur facile, cito diſtribuitur, hoc ergo modo gubernatus hic æger trium menſium ſpatio priſtinam recuperauit ſanitatem.*

B

§. VI.

Quòd magnorum auxiliorum vſus ſit lethalis hecticis.

SAnguinis miſſio, & purgatio pro morbis pendentibus ex materia, maxima ſunt remedia; ex toto tamen aduerſa morbis ex inanitione, qualis eſt febris hectica; & ideò horum nullius ſub curatione mentionem egimus; lethalem eſſe eorum vſum firmat euentu Foreſtus *libro 4. obſeruationum, obſeruat. 6.* dicens: *Nobili matronæ apud Diuam Vrſulam, Delphis, ex hectica decumbenti, cùm vena ſecta eſſet per* C *Empiricum, paulò poſt obiit. Ita etiam laicus Carthuſianus, cui venæ ſectionem & purgationem interdixeram, quem cum Chirurgus præter noſtrum conſilium tentaſſet, & ab alio circumforaneo die ſequenti pillulam vnam ex præcipitato ſumpſiſſet, eodem die etiam & hic extinctus eſt. Caueant igitur Tyrones, ne in hecticis venam ſecare iubeant, quamvis fortaſſe alterius affectus ratione in principio conuenire poſſet, licèt in hecticis confirmatis nullo modo tentanda ſit. Multoque minus conuenit hic purgatio, quando caliditas eſt in facto eſſe, & in habitu; ſed ſolùm ſi aluus ſit adſtricta moderata lenitio fiat, &c.*

DISPVTATIO IV.

De Febre Humorali.

FEbrem Humotalem vocamus eam, quæ ortum ab homotibus deducit, quos cùm acriter ex corpore contendat Vaohelmoot extermioare, omnemque febrem ex illis ortam tenuat admittere; ideò aliqua ſub hac Diſpotatione de eorum neceſſitate attingemus; licèt pluea à nobis ſint demooſteata *parc. prima Reſolutionum medicarum, Diſputatione quinta.*

D

SECTIO PRIMA:

De Humorum rationali ac Dogmatica doctrina aduerſus Imaginarios medicos.

E IMPIVS Paracelſus, haud oblitus eorum, quæ à Patre mendacij didicit, primus omnium

omnium humores negauit, quorum nos naturam perluſtrauimus *part. prima Reſol. Medicorum diſput.* 5. Recenter Vanhelmont in ſua paſſiua deceptione Humoriſtarum vaniloquus, & loquax inſanit in Scholas, & paſſiuè deceptus nouam intendit Medicorum Imaginariorum condere ſectam; ſuæ imaginationi ſubrogatur Philoſophiæ & Medicinæ præcepta, irruens in antiqua Philoſophorum, & Dogmaticorum dogmata. Melancholiam, bilem, & pituitam à corpore noſtro exterminare contendit, quas nos in corpore noſtro neceſſarias eſſe, vt ſimul cum ſanguine deſeruiant pro partium nutritione demonſtrabimus, illius ineptias retundendo, non truncatis verbis, interiectionibus, aut interrogationibus, quibus ipſe intendit interturbare Tyrones: ſed manifeſtis, & integrè poſitis demonſtrationibus, ex antiquæ Philoſophiæ, & Medicinæ fundamentis deſumptis, non ex inſomniis deceptis. qui enim obſcurè, & fucatè loquitur, *aut fallere intendit, aut inuidet*, inquit Cingerlus.

Resolvtio I.

Verùm præter Cruorem ſint alij humores in corpore?

§. I.

Vanhelmont proponuntur inſomnia.

VAnhelmont qui in ſomno Medicinam recepit lethargo affectus, doctrinam de humoribus non percepit, ideoque paſſiuè deceptus iudicauit pro partium nutritione, nullum eſſe in corpore admittendum humorem præter Cruorem, quo nomine vocat Sanguinem, ne videatur admittere illum ſub humoris nomine; & pro ſuo delirio hæc maximè proponit fundamenta.

Primò: ſi quatuor eſſent humores admittendi in corpore exiſtentes, maximè quia tot eſſent neceſſarij in corpore, quot ſunt elementa in rebus, vel in compoſitione animalis prove mixtum: ſed ex elementorum quaternario numero non probatur dari quatuor humores in corpore humano: ergo non ſunt admittendi quatuor humores quos Dogmaticorum recepit Schola. Probatur minor. Tum 1. quia Vanhelmont gloriatur demonſtraſſe ignem non dari, ex quo apparet, nec quatuor elementa, nec ſimiles illis quatuor humores eſſe admittendos. Tum 2. quia in mixtis non eſt heterogenea compoſitio, quæ demonſtret componi ex quatuor elementis, nec quæ petat nutriri ex quatuor humoribus: ergo non probatur ex numero elementorum quatuor humores eſſe admittendos.

Secundò: Si vlteriùs ex alio principio eſſet admittendum dari quatuor humores, maximè ſicut in lacte, quod eſt vnum, ſunt diuerſæ ſubſtantiæ ſerum, butyrum, & pars caſeoſa; ſimiliter in maſſa ſanguinaria debent admitti diuerſæ ſubſtantiæ, quarum alia dicatur ſanguis, alia pituita, alia bilis, alia Melancholia: ſed ex lacte non poteſt conuinci dari in maſſa ſanguinaria quatuor humores dictus: ergo non ſunt admittendi. Probatur minor: Tum 1. quia in lacte non ſunt quatuor ſubſtantiæ, ſed tantùm ſerum, butyrum, & caſeus. Tum 2. quia licèt à cruore ſeparetur ſubſtantia pallida, alba, & nigra, fiunt dum cruor corrumpitur, non autem dum erat intra

A venas in ſtatu naturali. Tum 3. Quia cruor plerumque reperitur ſine ſero, & ſine reliquis ſubſtantiis, ruber ſecundum omnes ſuas partes, & nullas alias continens ſubſtantias: ergo ex diuerſitate ſubſtantiarum, quæ ſeparantur in lacte non ſumitur iudicium ad admittendos plures humores in maſſa ſanguinaria. Tertiò: Si in maſſa ſanguinaria deberent quatuor prædicti humores reperiri, maxime quia ex chylo vi iecoris generarentur: ſed non poſſunt quatuor ex chylo generari ſubſtantiæ à iecore: ergo nec reperiri ſimul cum cruore in venis. Probatur minor: Tum 1. quia materia ex qua, eſt vna tantùm, & homogenea, ſcilicet chylus: Tum 2. quia actio ſanguificationis eſt vna tantùm: Tum 3. quia licèt aliæ ſubſtantiæ fiant ſimul cum cruore, ſunt excrementitiæ, vt

B ſerum, & non humores, quibus conuenire debet, quod valeant nutrire: Tum 4. quòd ſi à iecore generarentur plures humores, vel ſimul & eodem tempore, & tunc idem ſerum eſſet omnibus commixtum; vel diuerſis, & hoc non; quia cum ea omnibus deberet fieri vna maſſa ſanguinaria, non poſſent in eam commiſceri; ſi ſucceſſiuè fierent: ergo non ſunt admittendi.

§. II.

Inſomnia Vanhelmont conuelluntur.

C RESoluendum: Quòd ratione & experientia conuincitur Vanhelmont deliraſſe in non admittendis humoribus.

Probatur 1. rationibus à me adductis *part. 1. Reſol. medicarum diſputat. 5. ſect. 1. Reſolut. 4.* Præterea quia ex Philoſopho, debilitas eſt intellectus rationem quærere, vbi ſenſus fidem facit: ſed dari humores intra hominem ad ſenſum demonſtrat experientia; quia in hæmorrhagia, in dyſenteria, in diarrhœa, in ſanguinis miſſione, in vulneribus extrahuntur à corpore humores, & actu diſtincti, & ſeparati cognoſcuntur ad ſenſum, viſuque percipiuntur: ergo admittendum dari in corpore humores.

Reſpondet Vanhelmont, quòd id quod ſenſu per-

D cipitur, eſt cruor, non autem reliqui humores.

Contra: ſubſtantiæ quæ concomitantur cruorem ex venis extractum, ſunt ſubſtantiæ calore, in modo ſubſtantiæ, & in loco ſeparatæ, & diuerſæ ab illo: ergo non ſunt ſanguis quartus humor, ſeu cruor.

Reſpondet Vanhelmont, quòd quæcumque ſubſtantia quæ à cruore differt, eſt ſanies ex ſanguine corrupto facta, non autem humor pro nutritione deſtinatus.

Contra, ſubſtantiæ illæ, quas ſaniem vocat; cùm ſtatim ac ſanguis extrahitur, ſeparentur, nec habeant cauſam extrinſecam generantem illas, fuerunt genitæ in corpore ſimul cum ſanguine ex chylo, ex quo fit ſanguis, ſeu cruor: ſed ſubſtantiæ quæ ge-

E nerantur ex chylo ſimul cum ſanguine, & non deſeruiunt pro humorum vehiculo (quale eſt lotium) vocantur à nobis humores: ergo ſunt admittendi, & admittuntur à Vanhelmont, dum ſaniem illos vocat.

Dices cum Vanhelmont, quòd generantur ex cruore poſito extra corpus, quia tùc recedit à naturali ſtatu, & à proprio loco.

Contra ſtat: Tum quòd ſtatim ab extracto ſanguine ſine cauſa productiua, quàm breuiſſimè apparent humores cum ſanguine: Tum quod etiamſi ſanguis naturalis, & perfectus appareat, ſeparantur?

Tum quòd ſi ſanguis, quia extractus corromperetur, & ideò diceretur conuerti in ſubſtantias diuerſas, quas videmus cum illo, poſtquam ab eius ingreſſu pauco tempore tranſacto cernuntur ſeparatæ cum ſanguine, continuò totus ſanguis, ſeu cruor corrumperetur, & in illam ex toto mutaretur: Sed ſeparatis illis humoribus, poſtea per plures dies perdurat cruor, ſine ſui corruptione, nec permutatione in ſimiles ſubſtantias: ergo fuerunt genitæ cum illo. Confirmatur: Tum quia ſimiles ſubſtantiæ apparent in Dyſenteria, Diarrhœa, & vomitu ſine cruore, qui conuertatur in illas.

Probatur 2. Nutritio in homine fit per repoſitionem ſimilis ſubſtantiæ ei, quæ deperditur per continuam caloris reſolutionem, ſic demonſtrante Philoſopho *lib. 1. de generatione*, demonſtrante experientia, & conuincente ratione, quidquid deliret Vanhelmont: Sed in homine, cum conſtet ſubſtantia heterogenea in diuerſis partibus nutriendis opus eſſe, ſolus cruor qui homogeneam ſeruat naturam non poteſt eſſe ſimilis omnibus cùm ipſæ inter ſe diſſimiles ſint: ergo debent neceſſariò reperiri in corpore alij humores temperie, & ſubſtantiæ modo diuerſi à cruore ex quibus fiat omnium partium nutritio.

Probatur 3. Vanhelmont ſomniauit quòd morbus eſt indignatio Archæi propter cauſam moleſtam irritantem, quam aliquando docet in corpore noſtro generari, & ſaniem vocat: Sed hanc eandem nos vocamus humores præternaturaliter redditos: ergo licèt inſanus intendat fugere à veritate, in eam incidit diſcrepans de nomine.

Probatur 4. Diuerſa materia indiget pro ſui nutritione, qui niger, aut aduſtus, qui magis aqueus, & qui magis terreus, quàm qui magis aëreus eſt: ſed pro aëreo magis cruor ſubſternit materiam maiori ex parte: ergo pro reliquis diuerſi requiruntur humores.

Reſpondet Vanhelmont, Quòd non dantur viuentes diuerſo modo temperati, nec temperies, nec mixtio, nec mixta, nec elementa ex quibus fiat mixtum, quia non eſt ignis; & ſicut entia ex hoc non fiunt, ſimiliter nec ex aliis.

Contra ſtat experientia, à qua Vanhelmont iniectus in ignem deberet conuinci ad illum admittendum, ad actionem caloris cognoſcendam, & ſimul conuinceretur, quòd defectu ignis non conuincitur, non dari mixtionem; actionem, & reactionem, mixta & miſcibilia: Tum Vanhelmont gloriatur quòd ipſe eſt Philoſophus per ignem; ſed ignis oblitus, ignem dari negat, & ſic euadit Philoſophus per nihil.

§. III.

Vanhelmont fucata rationes diluuntur.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. quòd licèt non eſſet ignis poſitus ſupra aërem ſub concauo Lunæ, vt admittunt aliqui Philoſophi, ipſum dari in rebus demonſtrat experientia: Tum 2. Quòd in mixtis viuentibus perfectiſſimis, de quibus loquimur & præcipuè de homine, non videri quòd caro, oſſa, cartilago & reliquæ partes non ſint diuerſæ, ſtupiditas eſt ſenſuum, in reliquis mixtis non admittere ex diuerſis materiebus elementorum diuerſitatem, inſania eſt mentis.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ex eo quòd in lacte ob diuerſum miſcibilium prædominium ſunt diuerſæ ſubſtantiæ, quæ percipiuntur ad ſenſum; ſimiliter in maſſa ſanguinaria idem admittendum conuincitur, quia ſicut in lacte ſunt illi diuerſæ ſubſtantiæ modi, licèt ſit alimentum remotum, vt poſſit eſſe vtile pro nutritione omnium partium infantium, quorum nutritioni deſtinatur; ſimiliter debent reperiri in maſſa ſanguinaria in diuerſis humoribus, cùm ſint proximius alimentum, ex quo omnes partes heterogeneæ viuentis debent nutriri.

Ad probationes dicimus: Tum 1. quòd ex illis diuerſis modis ſubſtantiæ infertur, quòd inſenſibiliter ſit alia ignea maiori ex parte, & quòd ſicut in lacte, quia eſt remota nutritionis, ſunt diuerſæ ſubſtantiæ; ſimiliter in maſſa ſanguinaria id eſt admittendum. Tum 2. Quòd cùm ſine cruore plerumque euacuentur, & cruor diu duret, ſine eo quòd conuertatur in illas ſubſtantias, indicium eſt, quòd ſimul cum illo genitæ euacuantur, & ab illo ſeparantur in propria loca iuxta proprias motiuas qualitates. Tum 3. Quòd cruor reliquos humores attemperat, & commiſcet, coercetque intra maſſam ſanguinariam, vt *diſput. de purgandi ratione* dicemus dum ſunt bene contemperati, & ideò adhuc extra venas ita commiſcet, vt ſolus ille appareat; dum verò non ſic ſunt contemperati, aut ſunt geniti in maiori copia, ſi nimis quantitate aut qualitatibus diſtent, intra ipſas venas ſeparantur ab illo, & fiunt cacochymi; ſin minus, ſaltem non multum poſtquam ſanguis extrahitur, dum reſoluuntur ſpiritus, quo ſanguis debitè attemperatus valebat reliquos humores coercere.

Ad 4. Reſpondetur: Tum 1. Quòd chylus eſt heterogenea materia, ex cuius diuerſis partibus valent diuerſi generari humores iuxta diuerſam diuerſorum elementorum commixtionem ſecundum partes materiales. Tum 2. Quòd *part. 1. Reſol. Medic.* demonſtrauimus quadruplici diuerſa ſubſtantiali actione generari omnes quatuor humores. Tum 3. Quòd reliqui humores, quia ſunt ſubſtantiæ vtiles pro partium nutritione, ſunt ita perfectæ in ſuo genere, ſicut cruor; ſerum verò, cum non ſit vtile pro nutritione partium, ſed tantùm vt ſit vehiculum; quando functum eſt ſuo munere, eſt excrementum. Tum 4. Quòd ſimul generantur omnes quatuor humores à iecore, & quilibet cum ſibi debito ſero generatur, quia ſerum cuiuſlibet eſt pars adintegrans.

Resolutio II.

Verùm Pituita ſit humor vtilis alendo?

§. I.

Aliqua negantis Opinionis ex Vanhelmont referuntur fundamenta.

INſanè Inſaniuit Vanhelmont in ſcholas, quia Pituitam admittunt eſſe humorem in corpore genitum pro partium nutritione neceſſarium: ex cuius ludicra feſtinatione in inculcandis interrogationibus, fucatis rationibus, interiectionibus, & irriſionibus, aliqua euellam ſui delirij fundamenta.

Primò; ſi Pituita eſſet admittenda vt humor corpori alendo vtilis ſimul cum bile & melancholia, ſicut natura deſtinauit receptacula pro bile, deſtinaret receptaculum extra venas pro pituita: ſed nullum receptaculum deſtinauit natura pro pituita: ergo non datur in corpore pituita.

Dices: Quòd pituita eſt ſanguis ſemicoctus, & ideò permanet cum ſanguine intra venas, vt tempore indigentiæ mutetur in ſanguinem.

Contra ſtat: Tum 1. Quia ſi crudus, & imperfectus ſuccus eſt, non eſſet vnus humor, ſicut nec omphacium

phacium eſt vlnum. Tum 2. Si pitulta eſt humor deſtinatus pro partibus aqueis alendis, tam perfectus humor debet eſſe, ſicut eſt cruor pro alendis partibus carnoſis. Tum 3. Quia humor debet habere pro materia chylum, & non alium humorem, ex quo fiat. Tum 4. Quia pituita aquæ aſſimilatur, cruor aëri, & ſicut aqua nōn poteſt mutari in aërem, ſimiliter nec pituita in cruorem. Tum. 5. Quia ſi pituita non fieret ſanguis dum coquitur in iecore; poſtea generaretur à venis & ooo eſſet munus ſolius iecoris generare ſanguinem.

Secundò: Si pituita daretor io venis, vt ex illa fiat ſanguis, ſequeretur quòd non differret ſpecie à ſanguine, cùm ſolum differrent ſecundùm maiorem, aut minorem perfectionem adquiſitam per coctionem, ſicut differuor poma non matura à maturis. Tum 2. ſequeretur qoòd torus chylus eſſet pituita, cùm ex illa vlterioti coctione fiat ſanguis: ergo pituita quæ ſit humor cum cruore nou admittendus.

Tertiò: Pituita ſenio, & defectui tribuitur, & imperfectiori parri vitæ: ex quo apparet quòd debuit cum ſanguine deferri ad partes, alias diceretur Deum produxiſſe aliquid noſtri corruptiuum, & eſſe noſtræ mortis author.

Quartò: ſi pituita generaretur tanquam ſuccus crudus: ſequitur, Tum 1. Quòd nulla ſit actio humorum productiua quæ ſit actio perfecta & naturalis, aliàs non fieret pituita; quod implicat: cùm ſupponatur humor naturalis, & neceſſarius pro notririone. Tum 2. Quòd ſi naturaliter operetur iecur, non fiat pituita, deficiat ea eius naturali actione aliquis humor naturaliter requiſitus pro notritione.

§. II.

Sancitur neceſsitas admittendi pituitam.

Reſoluendum: Pituitam eſſe vnum ex quatuor humoribus neceſſarium pro nutriendis partibus aqueis rationali formâ ioformatis. Communis hæc doctrina eſt in Dogmaticorum Schola, quam demonſtrauimus *part. 1. Reſolut. medicarum Diſputatione quinta.*

Probatur 1. Mixium, vt ex nominis etymologia, & ex mixtioois, ac mixti definitione, conſtat, eſt ens naturale conflatum ex miſcibilibus, quæ ſunt quatuor elementa, ſaltem ſecundùm ſuas materias pro eius compagine materiam tribuentia; vt tenent omnes Philoſophi, quibus dubitare non accidit: ſed homo eſt perfectiſſimum mixtum, & perfectiſſimum animal perfectiori anima informatum, quæ perfectiorem partiom organizationem, & diuerſitatem petit: ergo pro harum partium prima conformatione, & pro earum ſucceſſiua nutritione requiritur heterogenea natura in quatuor humoribus pro conformandis & nutriendis diuerſis partibus proportionatis diuerſis elementis: ſed pro aqueis deſeruit pituita: ergo cùm ſit ſubſtantia maiori ex parte aquea, admittenda eſt tanquam humor neceſſarius pro corpore alendo.

Probatur 2. in Leocophlegmatia. Quia iecur patitur habitualem frigidam, & humidam temperiem, & loco reliquorum humorum generat maiori ex parte pituitam, totum corpus maiori ex parte per illam nutritum in modo ſubſtantiæ, io qualitatibus, & temperie denotat outriri ex illa: ergo quia eſt humor aptus corporis nutrire partes, ſicut dum abundat, præternaturali modo; dum eſt genitus naturaliter, modo naturali.

A Probatur 3. Si non eſſet admittenda pituita, vt humor vtilis pro nutritione diſtinctus à cruore, maximè quia, vt iotendit Vaohelmont non differt ſpecie à cruore; ſed eſt ipſe cruor diminutè coctus: ſed de pituita quarto humore demonſtrauimus *part. 1. Reſolut. medicarum diſputatio. 5. ſectio. 2.* quod non eſt ſanguis ſemicoctus, ſed altera pituitæ ſpecies ab hac diuerſa: ergo admittenda eſt tanquam humor à cruore diuerſus ſpecie, & pro nutritione neceſſarius.

§. III.

Diluitur inanis conatus Vanhelmont.

B Ad 1. Reſpondetur: Quòd vt demonſtrauimus *loco citato* duplex eſt pituita naturalis dicta, quia vtraque nutrire valet: alia eſt ſanguis ſemicoctus, quæ quia ſanguis ſicut & perfectè coctus petit in venis conſeruari. Alia eſt pituita vnus ex quatuor humoribus, quæ forma & ſpecie differt à ſanguioe, & hæc noo habet receptaculum extra venas, ſicut nec ipſe ſanguis; quia natura prouida de animalis conſeruatione, quia humores ſicci tribuunt materiam, ea qua ſiccior reponitur ſubſtantia, ne redundaret in venis, quæ non eſt pro partium outritione neceſſaria, dedit aoimali receptacula in quæ redundantes ſiccos humores reponeret. Sanguis autem & pituita ſunt humores humidi, & qoia humiditas, licet redundet, potiùs retardat, C quàm accelerat mortem naturalem; licet enim præſtent materiam pro nutritione pluſquam debeatur naturaliter partibus quibus deſtinatur, oon tamen ea illa acceleratur naturalis interitus, in quo retardando, auida, & prouida ſtetit natura tribuendu reliquis humoribus receptacula.

Ad replicam dicimus, Tum 1. Quòd pituita, quæ eſt humor à ſangoine diuerſus, eſt perfectè cocta; quæ eſt ſanguis ſemicoctus, eſt ſanguis differens accidentali perfectione, ooo forma ſubſtantiali, ſicut contingit in pomo non maturo reſpectu ſui iam maturi. Tum 2. Quòd idem fateor de pituita, quæ eſt humor à ſanguine diſtinctus. Tum 3. Quòd ſanguis D ſemicoctus fit ea pituita, & eſt ſanguis differens à ſeipſo, dum vlterius, coquitur, ſolum ob maiorem coctionem. Tum 4. Quòd ex oaturali pituita, quæ eſt quartus humor, non admittimus fieri ſanguinem, quia contraria gaudent ſubſtantifica temperie, licèt tranſitum aquæ in aërem admittamus; pro quibus ſufficit mutatio temperiei qualitatiuæ. Tum 5. Quòd ex ſanguine ſemicocto fit ſanguis, non per nouam ſanguiois generationem, cùm iam ſit genitus: ſed noua alteratione, ſicut perficiuntur fructus iam geniti à calore Solis, qui non ideò dicuntur generati à Sole, ſed à prima cauſa, à qua receperunt formam ſubſtantialem.

Ad 2. Reſpondetur: Tum 1. Quòd de pituita quæ dicitur ſanguis ſemicoctus, idem fatemur, non de pituita, quæ eſt humor vnus ex quatuor à ſanguine alius. E Tum 2. Quòd dicitur pituita ſanguis ſemicoctus, noo quia ex illa generetur ſanguis tanquam ex chylô, ſed quia licèt ipſa habeat ſanguinis formam, nondum eſt perfectè cocta; ex quo apparet diſparitas.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd ſenio & defectui tribuitur ſuccus crudus, qui tantùm analogicè dicitur pituita; pituita verò naturalis in omni ætate eſt vtilis, & neceſſaria. Nec inconueniens, quod proponitur, aliquid probat; nam licet Deus non ponat in pituita neceſſariam noſtri interitus cauſam, eam alligauit noſtro naturali calori, quia, vt ſanciuit ſummus Dictator, *calor qui nos viuificat, nos occidit.*

Ad 4. Reſpondetur: Tum. 1. Quòd coctio pituitæ, quæ eſt ſanguis ſemicoctus, eſt imperfecta, pituita quæ eſt humor ab eo diſtinctus perfecta coctione fit. Tum 2. Quòd ſi naturaliter operetur iecur, fiet pituita diſtincta à ſanguine, non ea quæ eſt ſanguis ſemicoctus.

Resolvtio III.

Vtrùm melancholia ſit naturalis humor.

§. I.

Vanhelmont negat omninò.

Ex antecedente delirio coactus Vanhelmont melancholiam contendit non eſſe humorem nutritioni aptum: ſed fœculentam ſubſtantiam ex ſanguinis putredine ortam & ſeparatam: quod platitum contendit.

Primò: Si aliquid demonſtraret dari Melancholiam, quæ vnus ſit ex quatuor humoribus, maximè quia ex illa oritur Quartana, aliique ex ipſa generantur morbi: ſed quartana non fit ex melancholia, nec dependet ab aliquo humore: ergo non datur humor in venis Melancholia dictus. Probatur Minor. Tum 1. Quia ſi ab aliquo humore penderet, illius euacuatione per ſanguinis miſſionem, aut purgationem, eſſet curabilis; at non niſi à ſola vincitur natura, vt patet experientiâ. Tum 2. Quia ſi quartana penderet à malancholia, cùm illius receptaculum ſit lien, non peteret curationem niſi ſolius humoris contenti in illo. Tum 3. Quia ſi Melancholia eſſet cauſa Quartanæ, non poſſet quartana auferri, manente melancholia in liene, at ipſo indurato manente aufertur quartana: ergo quia à melancholico illo ſucco non pendebat. Tum 4. Quia melancholicus ſuccus, à quo inciperet quartana, putridus non poſſet perdurare per totum annum, quo ſolet quartana durare: ergo non pendet à Melancholia, aliòve humore; ſed à ſubſtantia ab humoribus diuerſa.

Secundò: Melancholia non eſt ſubſtantia ſanguinem adintegrans: ergo non eſt humor, ſed ſubſtantia excrementitia nutritioni inepta. Probatur antecedens. Tum 1. Quia non apparet dum ſanguis viuit, ſed dum corrumpitur ſanguis remanet tanquam pars craſſa excrementitia. Tum 2. Quia ſicut ſerum ſeparatum à ſanguine corrupto non eſt humor, ſimiliter nec melancholia. Tum 3. Quia ſicut craſſum excrementum: quod in fundo ſuccorum permanet dum vita priuantur, non dicitur pars plantæ viuentis; ſimiliter nec ſubſtantia atra, quæ ſubſidet, dum vita priuatur ſanguis, debet dici pars eius: ergo Melancholia non eſt humor.

Tertiò: Si Melancholia eſſet humor nutritioni aptus, vbi abundaret, prædominarent mores qui à Melancholia dicuntur prouenire: ſed non contingit: Tum. 1. Quia Æthiops melancholico, ac atro abundans ſucco iracundus cernitur, non autem melancholicorum mores retinet. Tum 2. Quia ſimplices huius nationis homines ſunt, non autem ſapientes, quales deberent eſſe Melancholici. Tum 3. Quia eſſe atrum in aliis reperitur, quæ extra corpus ſunt, & non poſſunt vocari humores, ideóque nec in corpore atrũ eſſe, humoris melancholici eſt indicium. Tum 4. Quia ſanguis non fit ater donec putreſiat; ſed mores ſequuntur à naturalibus humoribus non putridis: ergo Melancholia non debet admitti tanquam naturalis humor cum ſanguine genitus naturaliter.

Quartò: humores naturales generantur in corpore ex chylo pro partium nutritione naturalis iecoris actione: ſed melancholia non petit generari ex chylo, nec à iecore, nec naturali actione: Ergo non eſt humor naturalis pro partium nutritione aptus. Probatur minor: Tum 1. Quia plerumque, vt Dogmatici admittunt, fit ex bile, ſæpiùs ex ſanguine, aliquando, vt aliqui admittunt, ex pituita: Tum 2. Quia ex Galeno per putredinem poteſt generari; quia dum ſanguis putreſcit pars craſſa abit in melancholiam: Tum 3. Quia cum fiat putredine, & à calore febrili, & intenſiori, non generatur vi naturali iecoris: ergo non eſt naturalis humor.

§. II.

Dogmaticorum amplectitur doctrina.

Reſoluendum, Quòd Melancholia naturalis eſt humor ſimul cum reliquis pro partium nutritione neceſſarius. Sic tenet Dogmaticorum ſchola; ſic probauimus *part. 1. Reſol. Medic diſp* 5.

Probatur 1. ab experientia, quæ hunc ſenſibus patefacit humorem in Melancholicorum colore, in eorum actionibus, in metu, & triſtitia ab illo prædominante ſubſequutis, in ſanguine extracto à venis, in vomitibus, & deiectionibus huius redundantis humoris, in morbis ab illo ortis: ergo admittendus neceſſariò.

Probatur 2. In partium heterogeneitate aliæ ſunt craſſiores & terreæ, quæ indigent humore ad ſui nutritionem, in quo terræ abundent, craſſioreſque, ac ſimiles materiæ, & partes ex quibus nutriuntur: ſed ſubſtantia humorum deſtinata in hunc finem eſt quam vocamus Melancholiam: ergo Melancholia eſt humor nutritioni aptus.

Probatur 3. Diuerſæ febres, & diuerſæ earum acceſſiones, ſi tertio aut quarto die repetant, ſunt manifeſtum indicium, quòd humores à quibus oriuntur ſunt diuerſi: ſed dantur quatuor genera febrium pendentium ex materia contenta intra venas: ergo debet admitti Melancholia tanquam vnus ex quatuor humoribus, à quo vnum diuerſarum quatuor febrium oriatur.

§. III.

Soluuntur Vanhelmont fundamenta.

Ad 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd non curatur ex ſola euacuatione, per purgationem, aut ſanguinis miſſionem facta quartana: quia cùm ſit Melancholia ſanguini commixta: ſicut nec totus ſanguis, ita nec tota Melancholia poteſt phlebotomia euacuari: nec purgatione, quia hæc non conuenit vſque ad declinationem dum peracta eſt coctio, & tunc per illam finitur quartana. Tum 2. Quòd quartana pendet à melancholia contenta in venis, non in liene. Tum 3. Quòd manente liene indurato finitur quartana, quia pendebat à Melancholia in venis contenta, quæ tunc finitur. Tum 4. Quòd manente præternaturali diſpoſitione in iecore, prout illa diu durat, diu fouetur cauſa, à qua pendet quartana.

Ad 2. Reſpondetur: Tum. 1. Quòd non viuit ſanguis, vt probauimus *part. 1. Reſolutionum Medicarum* & adhuc ſi viueret, Melancholia eſt ſubſtantia ſpecie ab illo diuerſa, ſed ſanguini commixta modo à nobis dicendo infrà & ideò apparet dum non coërcetur à ſanguine in commixtione naturali, dum coërcetur non percipitur ſenſu. Tum 2. Quòd ſerum nec ſanguini commixtum, nec ſeparatum, non eſt nutritioni vtile, & ideò nec

A nec humor : Melancholia quia nutritioni vtilis, & in eam deſtinata, ideò eſt humor. Tum 3. Quòd partes, quæ à ſucco ſepacantur, & ſuccus ipſe priùs fuerunt planiæ partes integrãntes ſub vna forma ſubſtantiali; Melaucholia verò differt ſpecie & forma ab aliis humoribus, adhuc dum ſanguini eſt commiſta; nec à ſanguine ſeparatur tanquam pars illum adintegrans, nec poſt eius obitum, cùm non viuat; ſed ſeparatur ab eius commixtione, & eum eadem forma, ab eo ſpecie alia.

Ad 3. reſpondetur Tum 1. Quòd Æthiops non abundat Melancholia terreſtri, ſed atra bile, & illius mores retinet, & ideò iracundus. Tum 2. Quòd illorum ſimplicitas, prouenit non ratione temperiei, ſed defectu B doctrinæ. Tum 3. Quòd infertur, quòd ater calor non ſit proprius quartu modo Melancholiæ; non quòd non ſit humor ab aliis diſtinctus, cùm reliqui ſint ſubſtantiæ nutritionis deſtinatæ, quibus alij adaptantur colores. Tum 4. Quòd Melancholia ſemper eſt nigra, non tamen apparet talis dum ſanguini eſt commixta, quia ſolius ſanguinis ruber apparet color, quod idem in aliis humoribus, & in ſero cernitur, qoæ ſanguini commixta subra apparent : dum verò ab eius commiatione, & vnione ſeparantur, apparent diuerſi coloris.

Ad 4. Reſpondetur: Tum 1. Quòd naturalis Melancholia generatur ex chylo naturali iecoris actione, bilis atra; & quæuis præternaturalis ſpecies melancholiæ poſſunt fieri ea aliis humoribus vſtione, aut putredine.

C

Resolvtio IV.

Vtrùm ſola vi iecoris valeat generari Melancholia naturalis?

§. I.

Status difficultatis aperitur ex Antiquorum decretis.

PArte prima Reſolutionum Medicarum diſputatione quinta, ſectione prima, reſolutione ſexta, decreuimus, omnes quatuor humores naturales generari D à iecore, ab ipſóque ad cauam venam deduci, & per eius propagines cum aliis humoribus deferri pro partium noſtris corporis nutricatu. Sed an ſit alia pars in noſtro corpore, à qua humor melaocholicus valeat etiam produci, reuocamus in examen.

Antiqua Dogmaticorum ſententia deſumpta eſt ex Gal. *in lib. de vſu partium, & lib. 2. de locis affectis* c. 1. cui ſubſcribit Auicenna *fen.* 1. 1. *doctr.* 4. c. 1. perſiſtit in hoc quòd ſola vi iecoris Melancholia generetur pro partium nutritione vtilis, à quo portionem ipſius iam genitæ contendunt deduci per vas venoſum ad lienem viſcus deſtinatum à natura pro purgandis craſſis, limoſis, melancholicisque ſuccis in iecore genitis, quibus & nutriri, & mittere in ventriculi fundum, vt famem E excitent, ſuperaddunt.

Pro quibus ſtat Primò Magiſtri doctrina hoc ſanciens placitum. Tum 2. Quòd iecur ex eodem conſtituitur pars princeps, quia omnes humores naturales generat, impartiturque reliquis partibus pro earum nutritione. Tum 3. Quòd ſenſui apparet cum reliquis humoribus ſimul Melancholiam contineri per vniuerſas corporis venas diſtributam, quæ in iecore ſicut reliqui humores generanda venit. Tum 4. Quòd ſcirrhoſi tumores ex melancholia geniti ſunt in quavis corporis parte, à qua humores à iecore geniti peruenire poſſunt. Tum 5. Quòd ſi lien aut alia pars corporis generaret melancholiam, eſſet pars princeps, ſicut & ipſum iecur, & plures deberent partes principes admitti quàm quæ communiter recipiuntur dari in corpore humano : Ergo ſola vi iecoris valet generari Melancholia.

§. II.

Modernorum aſſenſui acquieſcimus.

REſoluendum : Quòd licèt iecori ſit inſita vis generandi ſimul cum aliis humoribus Melancholiam naturalem & proportionatam pro nutritione præcipuarum corporis partium; non eſt deneganda B ſimilis vis lieni quâ melancholiam generet naturalem, & ſaltem aptam pro ſui nutritione, & partium quæ illi contiguitate in naturali regione adhærent : ſic locupletiſſimè probauit Sennertus *libro* 1. *Inſtitutionum capite* 9. *& tom.* 2. *libro* 3. *p.* 4. *cap.* 2. hancque dedocit doctrinam ea plurium ac Doctiſſimorum Iuniorum aſſenſu, validiſſimis rationibus hanc doctrinam comprobantium.

Primò : Quia ſic docemur ab Ariſtotele 3. *de partibus animal. capite* 7. Tum 2. Quia à ventriculo feruntur in lienem vaſa, ſicut in iecur, quæ in eundem finem credendum eſt factum à natura, ſcilicet vt ab vtroque deferatur chylus, ea quo generantur humores. Tum 3. Quia à ſiniſtro ramo venæ portæ fertur ſimiliter pars craſſior chyli ad lienem, non niſi vt maſſa ſanguinaria purior generetur in iecore, & ex attracto C chylo in liene fiat melancholicus ſuccus. Tum 4. Quia lien modum ſubſtantiæ haber, conſtitutionemque iecori ſimilem, vaſiſque irrigatur vaſis, in quibus contenta pars chyli craſſior poſſit mutari in Melancholiam. Tum 5. Quia obſeruarunt Fernelius, Schenkius, & Veſalius lienem ſæpius defectu iecoris illius per vitam ſupplere vices: quod eſſet impoſſibile niſi haberet vim humorum ſaltem craſſiorum prolificam : Ergo non eſt deneganda lieni virtus generatiua melancholici humoris.

Secundò : Quia natura, quæ nihil fruſtra molitur, non confirmauit lienem cum dependentia à iecore ſecundùm aliqua vaſa, per quæ ab eius ſubſtantia D attraheret redundantes ſuccos melancholicos, ſed potiùs ad venam portam pertingit vena, quâ lien attrahit chylum confuſum & ſemicoctum, qui vlterius in liene perficitur pro liene & partibus vicinis alendis. Tum quia lienis ſtructura, ambages vaſorum, ac partitio, ſubſtantia illius ſolida non autem caua, denotant ipſum ad agendum potiùs quàm ſolùm ad recipiendum, quod in alio redundat viſcere, ſit inſtructus. Tum quia naturæ eſt auerſus finis recipiendi Melancholiam, vt à ſe propellat in ventriculum; nam nec fames, quæ actio eſt naturalis, deberet pendere ab aliquo ſuperfluo & excrementitio, neque deberet ſubſtantia, quæ in ventriculo generatur pro partium nutritione, continuò coinquinari excrementitia hac recepta melancholia : Ergo E potiùs in melancholiæ generationem quàm in alios vſus communiter aſſignatos, debet lien eſſe conſtructus.

Tertiò Probatur. Natura quantùm ea ſe eſt, contendit vitæ conſeruationem in animali, & quod illius naturalis terminus poſſit prolongari : ſed hoc faciliùs conſequitur natura lieni tribuens vim attrahendi terreſtrem chyli partem, & generandi ex illa melancholiam : ergo in hunc finem debuit tribui lieni virtus generandi melancholiam Probatur minor : vita conſeruatur in humido radicali toto tempore quo retardatur in viuentibus partibus repoſitio

partium materialium terrei elementi, ex quibus reſultant ſiccitas, & frigiditas, quæ ſunt qualitates per quas properatur interitus naturalis: ſed omnia alimenta, & mixta quæ ſunt prope terram, vt *p. 1. Reſolution. medicar. diſp. 2 ſect.* 2. demonſtrauimus ex Diuo Thoma, habent prædominium terrei elementi: ergo ſi natura ſeparet maiorem illius portionem, antequam feratur ad iecur, & ex illo generet melancholiam pro ſui, & vicinarum partium nutritione, faciliùs conſequitur quòd retardetur interitus naturalis, de reliquis dicemus agentes de ſanguinis circulatione.

§. III.

Soluuntur rationes pro antiqua doctrina adducta.

AD 1. Reſpondetur: Tum. Quòd Galenus docet iecur eſſe partem principem deſtinatam pro quatuor generandis humoribus deſtinatis pro nutriendis præcipuis corporis partibus, quòd nos fatemur; non tamen negat, quòd alia ſimilis ſubſtantia non poſſit generari ab alia parte, qua ipſa nutriatur: ſicut fatentur plures ventriculum generari ex genito chylo, ſic & lien, ac pancreæ poſſunt nutriri ex melancholico ſucco à liene genito. Tum 2. Quòd ob rationem dictam pars princeps dicitur, quia omnes humores generat & diſtribuit per præcipuas corporis partes. Tum 3. Quòd fatemur ſimul à iecore generari melancholiam, & deferri venas cum aliis humoribus. Tum 4. Quòd fiunt ſcirrhoſi humores dum redundat melancholia à iecore genita. Tum 5. Quòd lien licèt generet vnum humorem, non dicitur pars princeps: quia non præſtat communem materiam pro omnibus præcipuis corporis partibus; ſed materiam determinatam pro ſui, & aliarum partium ſibi affinium nutritione.

RESOLVTIO V.

Vtrùm ex flauo vomitu probetur dari bilem in corpore?

§. I.

Paſſiua deceptio Vanhelmont parti adhæret negatiua.

VAnhelmont in ſua *paſſiua deceptione*, ita miſerè deceptus eſt, vt mentis errorem prætulerit ſenſuum euidentiæ: contendit enim *cap.* 3. Quòd bilis vomitus, etiamſi videatur, non ſit videndus; his fultus.

Primò: Vomitus amaræ, & flauæ ſubſtantiæ vel alicuius humoris permanentis in corpore, qui dicatur bilis indicium eſſe non poteſt: ergo vomitu ſubſtantiæ flauæ, & amaræ non probatur dari in corpore humorem vocatum bilem. Probatur antecedens, Tum 1. Quia Dogmatici bilem fingunt, vt quatuor aſſignent humores reſpondentes quatuor elementis, non autem quia iudicent eſſe humorem nutritioni aptum. Tum 2. Quia cùm non poſſent comprobare hoc figmentum, introduxerunt bilem eſſe ſubſtantiam flauam, & amaram, quam videbant excerni vomitu. Tum 3. Quia experientia comprobatur, quòd ſi noctu cibus durior, copioſior, aut non bene maſticatus ſumatur, manè fit vomitus ſubſtantiæ amaræ & flauæ: quod eſt manifeſtum indicium quòd non ſit humor, qui deberet generari in iecore; ſed putrida ſubſtantia genita in ventriculo. Tum 4. Quia in vitulis apparet, quòd lac aſſumptum per inteſtina delatum flauum & viride fit in inteſtinis ſine iecoris actione: quod idem poteſt ex cibo aſſumpto contingere in homine, nec ideò erit humor, ſed excrementum; quod idem contingit ex lacte ab infantibus aſſumpto, & excrementum dicitur, non humor: ergo vomitus flauæ, & amaræ ſubſtantiæ non eſt indicium, quòd datur bilis, quæ ſit humor naturalis in corpore.

A

Secundò: etiamſi amara, ac flaua ſubſtantia pharmaco moueatur per ventrem, aut vomitum, non eſt indicium quòd talis ſubſtantia ſit bilis humor dicta, à iecore pro nutritione genita: ergo ex vomitu flauæ, & amaræ ſubſtantiæ illiuſve deiectione non conuincitur bilem eſſe humorem. Probatur antecedens. Tum 1. Quia hæc ſubſtantia eſt excrementum genitum à præternaturali calore, non à natura intentum. Tum 2. Quia ſi eſſet humor, eſſet pars ſanguinis, & non eſt dicendum quòd ſanguis purgetur, aut ad vomitum pharmaco trahatur. Tum 3. Quia à medicamento generatur, non à natura flaua & amara ſubſtantia, quæ attracta pharmaco pellitur.

B

Tertiò: ſi ex aliquo biliſi humoris vomitu poſſet colligi humorem eſſe bilem à venis attractum, maximè ex vomitu qui superuenit in principio Tertianæ, qui videtur eſſe eiuſdem rationis ac bilis, à qua in venis fit Tertiana, & ab illis detrudi ad ventriculum: ſed hoc non conuincit: Tum 1. Quia illa eſt ſimilis ei, quæ ſuperuenit ex ſuperflua cœna, & ideò ſicut illa generatur in ventriculo: Tum 2. Quia quod in principio Tertianæ vomitu reiicitur, generatur in ventriculo; nam ſi proueniret à venis, non ſubſequeretur acceſſio, illo humore euacuato: Tum 3. Quia ſi reflueret à iecore, potius ad officinam, ciſtámve fellis deferri deberet: Tum 4. Quia ſimul reflueret cruor, ſi bilis eſſet pars illius. Tum 5. Quia ſi non fieret in ventriculo, ſed reflueret à iecore, potiùs in inteſtina proprio pondere deberet ferri. Tum 6. Quia tanta copia, quanta vomitu reiicitur, non poſſet nec in iecore, nec in folliculo fellis contineri.

C

D

§. II.

Sancitur communis Dogmaticorum doctrina.

REſoluendum: Ex vomitu bilis plerumque conuinci humorem dari, qui Bilis dicitur.

Probatur 1. Similis humor plerumque vomitu excernitur in principio acceſſionis, ac ille qui poſt acceſſionem excernitur ex venis per phlebotomiam: ſed qui per phlebotomiam eiicitur, eſt humor à iecore genitus, & non à ventriculo, cùm conſtanter intendat Vanhelmont probare, quòd bilis in ventriculo genita nunquam fertur ad iecur, & quòd ſemper defertur ad inteſtina: ergo ex humore biliſo vomitu euacuato benè infertur quòd ſit humor à iecore genitus.

E

Probatur 2. Febris à flaua & amara bile orta quæ in venis fit, vel in partibus à bile extrauaſata ab illis producitur, ſi bilis pharmaco ſolutiuo trahatur à venis, aut vomitu, aut diarrhœa expellatur, remittitur, & curatur; Sed non poſſet curari, niſi humor biliosſus, à quo dependet, eſſet, qui cernitur expelli per vomitum, aut ventrem: ergo flauæ bilis per vomitum eiectio indicium eſt biliſi humoris.

Vanhelmont reſpondet: Quòd flaua & amara ſubſtantia per vomitum euacuata generatur à ventriculo, & quæ attrahitur à pharmaco generatur ab illo.

Contra

Contra ſtat: Tum quòd licèt æger triduo cibum A non aſſumat, adueniente acceſſione vomitu reiicitur, indicium quòd à iecore è venis regurgitat: Tum quòd pridie ante pharmaci exhibitionem vomitu reiiciebatur eadem bilis, & phlebotomia euacuabatur: non ergo de nouo generatur à pharmaco. Tum quòd bilis genita in ventriculo non eſt cauſa febris quæ fit a bile in venis.

Probatur 3. Sicut planta petit nutriri ex ſubſtantia dulci, aut amara iuxta propriam ſui naturam, ſimiliter & partes ex humore magis aqueo, aut igneo, iuxta partes ex quibus cóponitur: ſed pro aliis partibus ſunt humores in corpore redondantes ex ſimilibus elementis: ergo pro igneis partibus requiritur naturaliter bilis. Tum ſic: ſed quilibet humor naturalis præternaturaliter B affectus irritat naturá ad ſui expulſionem, plerumque per vomitum, aut ventrem: ergo euacuatio per vomitum facta, amaræ, & flauæ bilis præternaturalis, eſt indicium, quo probatur dari in venis bilem, ex quo hæc irritans prouenit ſæpiùs.

Probatur 4. Dum materia turget, à parte in partem defertur bilis ex naturali noua aduſtione torgens facta: ſed hæc pharmaco adducta per ventrem ſæpè per diarrhœam, aut vomitum reiicitur: ergo ex illius vomitu manifeſtum ſumitur indicium quòd bilis à iecore, & venis genita fuerit, & non à ſolo ventriculo: alias non fueret vaga per vniuerſas corporis partes, nec indifferenter decumberet in partes principes noſtri corporis. C

§. III.

Nugæ ex Vanhelmont propoſita patefiunt,

AD 1. Reſpondetur: Quòd ſi Vanhelmont non diſcederet ab ſcholis, non ignoraret, Tum 1. Quòd Dogmatici non fingunt bilem; ſed quia rationales ſunt, eam cognoſcunt, quam, quia delirus, ipſe negat. Tum 2. Quòd ipſam flauam & amaram cognouerunt, quia ſanæ mentis cùm eſſent, eam talem eſſe perceperunt per ſenſus. Tum 3. Quòd bilis præternaturalis poteſt vel à ventriculo generari, vt D de cruditate nidoroſa dicimus: vel in iecore, aut venis poteſt fieri à nimio calore ex bile naturali vlterius vſta: primum, quòd magis ſenſu percipitur, cognouit Vanhelmont: ſecundum, quòd mente indiget, ſubterfugit ab illius deprauata imaginatione. Tum 4. Quòd deprauata actio ventriculi non conuincit, quod non poſſit deprauati iecoris actio, & bilem præternaturalem generare, quod idem dico reſpectu puerorum.

Ad 2. Reſpondetur: Tum 1. Quòd bilis quæ per vomitum reiicitur, licèt aliquando fiat præternaturalis in prima regione, aut fit præternaturalis, & irritans, aut naturalis, & excedens in ſecunda regione, & refluens, præſtat indicium, quòd naturalis E humor ſit, qui niſi quantitate, aut qualitate irritaret, maneret pro nutritione intra venas. Tum 2. Quòd vt dixi *diſputat. 5. part. 1. Reſolutionum medicarum, & in Prælectionibus Valliſolet.* duplex eſt ſanguis; alter vnus ex quatuor humoribus, cuius nullus alter eſt pars; alio modo omnes quatuor humores ſimul in venis dicuntur ſanguis ſeu maſſa ſanguinaria, & ſic quilibet humor poteſt ſeparari à ſanguine, & ſine aliis excerni. Tum 3. Quòd ſi priùs quàm medicamentum exhibeatur ab humore bilioſo turgente tot proueniunt ſymptomata, ſi ab eodem fit febris, ſi ex eodem fit vomitus, aut diarrhœa, vnde infert Vanhelmont, quòd generetur à medicamento, niſi vt omnem Philoſophiam ignores, intendat poſſe ſuos effectus producere priuſquàm habeat eſſe.

Ad 3. Reſpondetur: Tum 1. Quòd etiam ſanguis, ſiue ab ipſo vocatus cruor, qui educitur ex ariete, eſt ſimilis ei qui extrahitur ab homine, & ex hac ſimilitudine non probatur, quòd non generatur ab homine, nec quia lux producta ab oleo accenſo eſt ſimilis luci à lucerna productæ, infertur quòd non fiat ab illis. Tum 2. Quòd ſi tota bilis, quæ erat in venis, expelleretur per vomitum, non ſubſequeretur Tertiana, ſed fit ex ea parte quæ remanet in illis. Tum 3. Quòd quia luxuriat copia per vomitú, & per ventré refluit, & remanet ſufficiens quantitas in venis, ex qua fiat acceſſio. Tum 4. Quòd bilis non eſt cruoris pars, ſed maſſæ ſanguinariæ à qua ſegregatur, & ſola refluit, B quia ſola irritat. Tum 5. Quòd cùm ſint communes viæ per quas refluat, ad vtramque partes ſolet ferri, vel in eam in quam potentiores ſunt viæ. Tum 6. Quòd in iecore, & venis tota illa copia valet contineri, ſicut & continetur in athletis tanta copia ſanguinis, quanta videtur incredibilis.

Resolutio VI.

Vtrùm icteri color demonſtret bilem dari in corpore?

C

§. I.

Imaginariorum Medicorum refertur opinio.

COgnoſcit Vanhelmont, quòd inexpugnabilem aggreditur prouinciam, arcis fundamenta vndique dilacerare intendit. Sed debilibus Tyronum telis oppugnare contendit, impetit, & inani aggreſſu defatigatus deſinit, & nouis adoritur propugnaculis, ſed inoffensè ſemper; contendit iterum oppugnare bilem, & licèt ſui exiſtentia in corpore conuincatur in ictericis, in quibus, quia non recipi- D tur in ciſta fellis, nec ab illa in excrementorum tincturam fertur, deficit in illis color, in lotio cernitur, & per vniuerſam cutem, in quam fertur: ſed diſcedens à Rationalibus, diſcedit à Ratione, & in hanc impetit veritatem ſenſibus obuiam, & ratione conuictam.

Primò: Quia non patet aliquis introitus ſuperius in folliculum fellis, nec infra, aliàs per inteſtinea eſſet ingreſſus, & numquam impeditus eſſet in illa tranſitus. Tum 2. Quia ſi Ictericus bibat libras octo, totidem emittet per lotium flauiſſimum, cuius quatuor eſſent bilis, quæ quantitas cùm non poſſit generari ex bile naturali, manifeſtè conſtat quòd eſt virus excrementorum, ex quo fit ictericia. Tum 3. E Quòd in diſſectis ictericis apparet ſubſtantiam flauam eſſe in venis meſenterij ante iecur, & quod hic humor ante ipſum fuerit genitus. Tum 4. Quia lotium nimis tinctum in ictericio non habet amarorem, indicium quòd non tingitur à bile amara: ergo non colligitur dari humorem bilioſum ex ictericia.

Secundò: à bile genita à iecore, quæ ſit humor, non fieri ictericiam ſuadet, Tum 1. Quia triſtitia quæ oritur in ictericis, potiùs iuxta Dogmaticos deberet à Melancholia ex liene oriri, quàm à bile ex iecore. Tum 2. Quia in excrementis apparet nunc non tingi flauitate, poſteà tingi, quod indicium demonſtrat nunc à ventriculo ex chylo non fieri bilem, poſtea verò fieri. Tum 3. Quia cùm color flauus à ſolo

ſolo ventriculo fiat; tunc ſolùm fiet icterus, cùm errore ſuæ digeſtiuæ fiat flaua ſubſtantia, & vitio diſtributiuæ deſeratur ad venas. Tum 4. Quia ſi icterus penderet à bile, ipſa per rhabarbarum euacuata, curaretur ictericia; quod aliter contingit: ergo ictericia non fit ab humore aliquo, bile dicto.

Tertiò: Si ictericia fieret à bile, quæ eſſet humor à iecore genitus, ſemper deberet ab illo generari, ſed huius contrarium apparet; Tum 1. Quia ex morſu cuiuſdam ſerpentis fit ſine iecoris vitio, aut ſectione. Tum 2. Quia excrementa puerorum maiorem habent flauitiem, quàm reliquæ ætates, & non deberet generari in illis tanta bilis, quanta in iuuenibus, ex quo apparet tingi à ſubſtantia non genita in iecore. Tum B 3. Quia curatur æger ad aliquibus ad extra poſitis, à quibus non impeditur iecoris generandi humores virtus. Tum 4. Quia curatur ictericia per pylorum deobſtruentia, à quibus nihil recipit iecur. Tum 5. Quia nec ab aliquibus ſpecificis remediis vinceretur ictericia, ſi ab obſtructione penderet: ergo ictericia nec à bile, nec ab obſtructione fit.

Quartò: Si à bile vno ex humoribus fieret ictericia, ab eadem fieret lotij tinctura, ſed hæc non fit à bile naturali. Tum 1. Quia non poſſet dari in tanta copia, vt valeret tantam lotij copiam tingere. Tum 2. quia cùm lotium ſit aqueum, minus tinctum appareret quàm bilis, è contra contingit: lotium enim C non ſolùm flauum, ſed ferè nigrum cernitur. Tum 3. Quia pro tanta lotij tinctura, cum magna requiratur quantitas, appareret lotium nimis craſſum. Tum 4. Quia in mortem approximante ictérico, minùs tingeretur, quia iecur minus generaret de bile; cuius contrarium euenit. Tum 5. Quia cùm tanta copia bilis euacuetur per cutem, non eſſet bilis, à qua ita intensè poſſet lotium tingi. Tum 6. Quia non eſſet ratio cur in hectico vbi bilis eſt minus neceſſaria, & illius calor eſt remiſſior, generetur in maiori copia. Tum 7. Quia bilis ſemper eſt excrementum, fel verò eſt viſcus præpotens in natura liquoris primogenij apprimè vitale, & ſummè neceſſarium: cholera autem ſeu bilis, quidquid ſuo attingit fermento virulento inquinat, & in virus tranſmutat ſine ceſſatione: ergo D in ictericorum colore non probatur naturalis humoris, bilis dicti, permanentia in corpore.

§. II.

Imaginariorum conuellitur deſipientia.

RESoluendum: ſenſu & ratione conuinci dari humorem bilioſum, ex ictericis.

Probatur 1. Quia ſenſu percipitur. Tum quòd non tinguntur in icterico excrementa, quæ, dum bilis permeabat ad ventrem, apparebant croceo colore tincta. Tum quia viſu percipitur cutis tincta per colorem bilis, quæ debebat tingere excrementa, ſi viæ E non eſſent impeditæ. Tum quia lotium duplo tinctum apparet; quia maior bilis copia fertur in illud, dum impeditur ferri in excrementa: ergo ſenſu percipitur, humorem bilioſum in corpore generari.

Dices: Quòd apparet dari flauum excrementum, non autem quòd ſit humor pro nutritione genitum in ſtatu naturali.

Contra ſtat: Tum 1. Quòd quiquid præter ſerum complet maſſam ſanguinariam, eſt humor pro nutritione naturaliter genitus, & ſimilis humor apparet complens maſſam ſanguinariam. Tum 2. Quòd idem humor in ſtatu naturali in venis reperitur in omni homine; & nihil in ſtatu naturali, & ſemper generatur, niſi propter aliquem finem. Nec A alius eſt cogitabilis ob continuam huius ſubſtantiæ generationem: ergo experientia quæ demonſtrat bilem dari, demonſtrat eius neceſſitatem pro corpore alendo in ſtatu naturali.

Probatur 2. Quicquid complet maſſam ſanguinariam generatur à iecore: ſed quidquid generatur à iecore eſt propter partium nutritionem: ergo Bilis eſt humor in corpore propter partium nutritionem genitus. Probatur conſequentia: ſimul cum aliis humoribus generatur; alias non eſſet pars adintegrans maſſam ſanguinariam.

Probatur 3. Quo tempore in ictericis apparent ſine colore flauo excrementa, ſi ſanguis extrahatur B phlebotomia, apparet in maſſa ſanguinaria redundans bilis flaua; ſi autem ablata ciſtulæ fellis obſtructione, aliáve quacumque cauſa impediente, bilis ad inteſtina decurſus fiat, Phlebotomia facta, ſolum apparet bilis flaua in quantitate moderata: ergo manifeſtè conſtat quòd ab eadem fit cauſa bilis, quæ non euacuata redundat, ac bilis quæ remanet naturaliter, dum quantitas exuperans cernitur; ſed bilis quæ naturaliter ſemper & in omni ſanitate reperitur, eſt naturalis, cùm naturaliter illius generatio fit continuò à natura intenta: ergo bilis quæ redundans percipitur in ictericis indicium eſt, quòd naturalis bilis continuò generatur in corpore.

§. III.

Imaginariorum fundamenta ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur: Quòd choledochus eſt duplex, vnus in hepar inter venæ portæ, & radices cauæ numeroſis diſtribuitur ſurculis, quibus bilem in ſe allicit; alter, quo ad Duodenum fertur quo bilem detrudit ad inteſtina, quos ductus ſi non ſomniauit Vanhelmont, poſſet diſcere à Dogmaticis. Tum 2. Quòd in ictericis ea bilis excernitur quantitas, quæ deberet ferri ad inteſtina, reliqua quantitas lotij eſſet purulenta ſubſtantia, aut ſerum. Tum 3. Quòd à iecore plerumque refluit bilis ad inteſtina, quæ in ipſo fuit genita. Tum 4. Quòd ſi non tanta ſit aquoſæ ſubſtantiæ quantitas, lotium apparet amarum, ſin minus ſalſum: quia remittitur amaror bilis à nimia humiditate aquæ, quòd idem contingit in amara ſubſtantia aquæ permixta.

Ad 2. Reſpondetur, Tum 1. Quòd ob conſputcatam maſſam ſanguinariam, retentámque bilem, ipſámque alteratam ſpiritus fiunt impuri, ac atri vapores eleuantur, à quibus mœror, córque opprimitur. Tum 2. Quòd excrementa eſſe tincta, aut alba non contingit in eiſdem, ſed in diuerſis, in quibus à diuerſis cauſis fit ictericia: in eis enim in quibus fit obſtructione ciſtulæ fellis, alba ſunt excrementa; in eis verò in quibus prouenit ictericia ea nimia copia bilis ab inflammato iecore prouenientis, flauitie tinguntur excrementa. Tum 3. Quòd delirio affectus Vanhelmont non valuit diſcere à Dogmaticis; quòd licet variæ ſint cauſæ, à quibus fit ictericia, nunquam hæc prouenit à ventriculo, quia illius excrementa non ad cutem, ſed ad inteſtina feruntur. Tum 4. Quòd tota bile attracta à rhabarbaro, remanent aliæ cauſæ, propter quas poſſet iterum generari, vt iecoris inflammatio; aut non repurgari, vt ciſtulæ fellis obſtructio; & ideo remanet ictericia.

Ad 3. Reſpondetur. Tum 1. Quòd ſint plures cauſæ à quibus fit ictericia, inter quas annumeratur ſerpens, cuius venenoſa vi & vſtione humores mutantur in bilem, ex qua redundante fit ictericia. Tum 2. Quòd dum excrementa tinguntur à bile genita in iecore, magis tinguntur excrementa in iuuenibus, quàm

quàm in pueris; at verò reſpectu tincturæ quam poſſunt excrementa recipere ab humoribus adductis in prima regione poſſunt magis tincta eſſe puerorum excrementa: quia infantibus ob lac aptum putrefieri, in reliquis ob indebitum modum in rebus non naturalibus maximè contingit cibos indebitè alterari in ventriculo. Tum 3. Quòd quæ apponuntur ad extra, poſſunt iecur attemperare manifeſtis, aut occultis viribus, & inde ſequetur icteri curatio, ſi pendeat à iecoris intemperie calida. Tum 4. Quòd ſi ictericia pendet ab obſtructione, curabitur deobſtruentibus, non quia pylorum deobſtruat, ſed vias impedientes bilem ferri ad ciſtulam fellis, Tum 5. Quia ſpecifica remedia poſſunt prodeſſe pro iecore attemperando.

B Ad 4. Reſpondetur, Tum 1. Quòd ſi à parua crocei quantitate tingitur magna aquæ copia, quid mirum quòd tingi valeat lotium ex maiori bilis quantitate illi admixta. Tum 3. Quòd cùm copia bilis auferat ſplendeſcentiam aquei ſubſtantiæ ſeri, ob corpulentiam obſcuratur flauities. Tum 3. Quòd apparet lotiũ craſſum, quia deficit illi ſplendeſcentia ob rationem nuper adductam. Tum 4. Quòd cùm icteri mors ſuperueniat, quia cauſæ ſunt intenſiores, intenſior debet eſſe effectus in ictericia. Tum 5. Quia & pro cute tingendis, & lotio, redundat in ictericis bilis in ſufficienti copia, ſufficit enim moderata quantitas, & eſt magna, quæ quotidie, aut à iecore gignitur inflammato, aut non euacuatur ex ea quæ vt neceſſaria pro aliis vſibus producitur. Tum 6. Quòd productio à cauſis naturalibus eſt ob finem viuenti vtilem, non autem quæ à cauſis præternaturalibus accidit. Tum 7. Quòd inſomniis Vanhelmont non percipit bilis, & fellia differentiam, niſi expergefactus incidat in veritatem, & fateatur quòd bilis quæ dum moderata cõmiſcetur ſanguini, vt nutritioni deſeruiat, ſit Viſcus prępotens in natura liquoris primogenij; ea vero pars bilis, quæ redundat, pro aliiſq; expellitur vſibus, ſi retineatur, fiat virus obnoxiũ partibus noſtri corporis.

Resolvtio VII.

Vtrùm ex tinctura lotij, aliiſve ſignis, conſtet dari bilem in venis?

§. I.

Ex Vanhelmont ſuadetur pars negatiua.

MEdici Imaginarij receperunt ex Vanhelmont plures alias rationes quibus valeant ſuadere humorem in corpore non dari, qui bilis dicatur.

Primò: Si ex aliquo indicio bilem dari eſſet probandum, maximè quia lotium continuò flauo colore, aut croceo tingitur ab illa: ſed huius oppoſitum conſtat: Tum 1. Quia ſanguis ſæpè extractus caret ſero, & bile, & tamen tingitur lotium ex quo

E apparet quod ab alia ſubſtantia fiat tinctura. Tum 2. Quia bilis eſt igneæ naturæ, & neceſſariò deberet corrumpi commixta aqueæ ſubſtantiæ lotij. Tum 3. Quia croceus color non denotat humorem bili ſimilem, cum non datur elementum ignis, & inſtrumentalis ignis non ſit ſubſtantia. Tum 4. Quia ſubſtantia croceo ſimilis non eſſet humor, alias non redundaret pro lotio tingendo, ſicut nec redundat cruor. Tum 5. Quia ſi cibus ſit pro ſanguine generando aptus, non produceretur bilis, quia tingi poſſit lotium. Tum 6. Quia ſubſtantia tingens lotium ratione alimenti generatur, vt vſu mellis, aut ſimilis

A ſubſtantiæ; humor quilibet, non niſi vi iecoris: ergo ex lotij tinctura non infertur dari humorem, qui dicatur bilis.

Secundò: Nec ciſta fellis eſt indicium quòd remanet in corpore bilis: Tum 1. Quia ſi bilis eſſet humor, non proiiceretur à venis vt redundans: Tum 2. Quia contentum in veſiculs, eſt viſcus conſeruatiuum vitæ, non autem excrementum venarum: Tum 3. Quia choledochi, & lienis ſtructura demonſtrat, quòd iuuet partes non ad recipienda excrementa, ſed ad ſubſtantiam vitæ conſeruatiuam retinendam: ergo bilem dari non probatur, ex veſicula fellis.

Tertiò: Potior ſubſtantia eſt cruor pro partium nutritione, quàm bilis: ergo bilis non eſt recipienda tanquam humor in corpore vtilis pro nutritione.

§. II.

Dogmaticorum ſancitur opinio.

REſoluendum: Ex indiciis conuinci à poſteriori dari bilem, ratione verò conuincitur à priori.

Probatur 1. Dum permanet eruditas impediens quòd à venis deſcendat bilis ad lotium tingendum, vt in principio coctionis cibi, aut humorum, & dum ex raptu ad aliam partem impeditur deſcenſus, vt in phrenitide, lotium fit decolor, dum in maiori copia luxuriat bilis, & valet deſcendere ad lotium, vt in

C febribus bilioſis, & in iecore inflammato, intenſior bilis color relucet in lotio: ergo ex illo ſumitur manifeſtum indicium quòd continuò generatur bilis cum reliquis humoribus pro partium nutritione, & aliis vſibus.

Probatur 2. Ratione: non minus petunt nutriri partes igneæ, quæ reſoluuntur, quam partes aëreæ: ſed pro aëreis cruorem admittunt Medici Imaginarij: ergo pro igneis humorem, ex quo nutriantur, debent admittere. Sed hunc nos vocamus Bilem: ergo tenentur bilem humorem admittere.

Dicunt cùm Vanhelmont Imaginarij, quòd cruor valet conctas corporis partes nutrire, quia omnes ſunt factæ ex ſolo cruore, non autem ex quatuor hu-

D moribus; quia vel non dantur, vel ſaltem non datur ignis pro quo dicitur bilis neceſſaria.

Contrà: Tum quòd in corpore ſunt aliquæ partes calidæ & ſiccæ, quæ igneæ naturæ correſpondent, quæ ex ſimili humore nutriri debent in qualitatibus & modo ſubſtantiæ, etiamſi non detur ignis elementalis. Tum quia heterogeneitas partium, quæ ſenſibus eſt nota, ſicut non poteſt ex homogenea formari ſubſtantia, ita nec nutriri ex illa, cùm fiat nutritio à ſimili, & vna ſubſtantia non ſit ſimilis pluribus diuerſis: ergo pro partibus ſiccis, & calidis ſubſtantia calida, & ſicca requiritur, quam Bilem vocamus.

§. III.

Imaginariorum argumenta diluuntur.

AD 1. reſpondetur: Tum 1. Quòd nullus eſt ſanguis ſine ſero, & bile, licèt dum non redundant, ſint ita ſanguini commixta, vt non appareant ſenſibus. Tum 2. Quòd licèt ignis corrumpatur ab aqua, non ſic contingit in mixtis igneis, vinum, piper, aqua vitæ, & alia naturæ igneæ non ſtatim ab aquæ mixtione oppugnantur. Tum 3. Quòd probauimus dari ignem elementalem, & in mixtis (etiamſi non daretur) ſimilibus igni materiali in modo ſubſtantiæ, & qualitatibus, reluceret croceus color; negare enim ignem materialem non eſſe ſubſtantiam,

appioba

approbatum delirium Imaginarlutum eſt. Tum 4. Quòd in parua quantitate valet lotium tingere bilis, ſicut croci parui quantitas tingit aquæ copiam. Tum 5. Quòd ex chylu cum heterogeneæ naturæ ſit vslet ſanguis, & reliqui humores fieri. Tum 6. Quòd licèt vi iecoris omnes humores fiant, ex alimenti ſubſtantiæ modo, aut redundantia huius, aut illius elementi prouenit, quod huius aut illius humoris generetur magis; & ideò licèt omnes humoras fiereot ex melle, magis de bile generaretur, quia igneis partibus abundat magis.

Ad 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd licèt bilis ſit humor, generatur pro nutritione, & pro aliis vſibus, & ſic remanet in venis quod pro nutritione eſt neceſſarium: quod autem redundat pro aliis vſibus, ad alias partes trahitur. Tum 2. Quòd potiùs contentum in imaginatione Vanhelmont eſt confirmatum delirium, quàm ſit dicendum viſcus vitale, quod recipitur in veſicula fellis. Tum 3. Quòd ſtructura barum partium demonſtrat, quòd ſint intentæ à natura pro receptaculis illorum excrementorum in determinatos vſus.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd ita pura ſubſtantis eſt bilis pro ignearum partium nutritione, ſicut ſanguis pro nutritione aërearum.

Resolvtio VIII.

Vtrùm ex quatuor elementis dari bilem & mixtionem probetur?

§. I.

Pars nagatiua Authorum, & rationum conſortio proponitur.

ELementorum numerum, naturam, & proprietates proſequuti ſumus ſatis luculenter *part. prima Reſolutionum Medicarum*, niſi deprauata ratiocinatio Vanhelmont nos reuocaret iterum ad pugnam. Contendit *lib. de inaudita Philoſophia*, ignem non dari; *tract. de elementis* admittit aquam, & aërem, & fieri ex aqua terram, & hoc dicit cognouiſſe per ignem, quem negat, §. *Didici ergo per ignem, Quòd Deus ante diem creauit aquam, & aërem, & ex aqua terram.* Et hinc deducit nec mixtum, nec mixtionem ex quatuor elementis dari, nec bilem eſſe admittendam. Sibi adſcribit hanc opinionem, ne aliquod abſurdè dictum alteri adſcribatur: ante ipſum tamen duo tantum elementa receperunt Ægyptij, referente D. Anſelmo *in lib. de imagine Mundi.* Diuo Auguſtino *lib. 3. ad Geneſ.* Seneca *libro tertio naturalium quæſtionum cap. 14.* Pythagorici ignem dari ſub concauo Lunæ tenuunt, vt refert Plutarchus 3. *de placitis Philoſophorum capit. 15.* quos ſequitur Cardanus *lib. 1. de ſubtilitate*, & problematicè adhæret Borreus *lib. de tribus cœlis*, quibus fauet: Tum 1. Quòd nulla ignis fit mentio in Geneſi, vbi reliquorum docetur creatio. Tum 2. Quòd Ariſtoteles *lib. 1. Meteor. capite 4.* inquit: *Supra aërem eſt id quod propter conſuetudinem Ignem vocamus, ignis tamen non eſt.* Tum 3. Quia ſua actiuitate ignis ſub concauo Lunæ aërem in ſe conuerteret, & inferiora combureret. Tum 4. Quia cùm Sol, & Aſtra calefaciant ſublunaria, ſuperfluus eſſet ignis ſub concauo Lunæ: ergo non eſt admittendus.

A

§. II.

Theologorum, Philoſophorum, & communis recipitur doctrina.

REſoluendum 1. Quatuor eſſe admittenda elementa in rebus, quibus ſimiles fiunt humores quatuor in corpore humano. Sic tenent in Theologorum ſchola Damaſcenus *lib. 2. fidei Orthodoxæ c. 6.* Diuus Ambroſius *lib. 3. Hexam. c. 4.* Diuus Nemeſius *in lib. de natura humana.* Clemens Alexandrinus *in Oration. exortat. ad Græcos*, & D. Thom. quem ſequuntur Scholaſtici. Ea Philoſophia docuit Ariſtotel. *lib. 3. de cœlo, lib. 2. de generatione* amplexus eſt Plato, & eruditi Philoſophi Platonici,
B ac Ariſtotelea, Dogmaticique Medici, qui hanc receperunt Doctrinam ex Hippocrate *lib. de natura humana*, vbi primus inter Philoſophos illam demonſtrauit.

Probatur rationibus ex Philoſophorum ſchola eoſdunatis. Tum quia id conſtat ex quatuor primis qualitatibus, quorum cuilibet coaptari debet vnum ſimplex corpus à quo fiat per ſe primò, & in quo inhæreat ſecundùm totam ſuam latitudinem, & quòd fiat per illam primum principium generationum, & corruptionum. Tum 2. patet ex combinationibus quatuor ſimplicium qualitatum, quarum quælibet diſpoſitio eſt conſeruatiua vnius ſimplicis formæ corruptibilis: Tum 3. patet ex quatuor diuerſis ſubſtantiæ modis & temperiebus ortis in heterogenea viuentium natura, ex diuerſa quatuor humorum commis-
C tione, & qualitatum combinatione. Tum 4. ex quatuor diuerſis locis, quæ ſunt terminus motuum localium ſimplicium, ex quorum præſentia fit corporum contiguitas, ratione cuius hic mundus fit contiguus lationibus ſuperioribus.

§. III.

Ignis ſub concauo Lunæ admittitur.

REſoluendum: ignem non ſolùm dari apud nos, ſed in proprio loco ſub concauo Lunæ. Sic receperunt Authores nuper citati, & latiori calamo probant Origenes *Homil. 13. Exod.* Clemens *lib. 1. Strom.* Diuus Auguſtinus *lib. 11. de Ciuitate Dei c. 15.* Diuus
D Hieronymus *epiſt. 128. ad Fab.* Diuus Baſilius *Hom. 3. Hexam.* imo & primum cœlum ex hac ignea conſtare materia profeſſi ſunt Diuus Baſilius *Homil. 3. Hexam.* Diuus Ambroſius *lib. 2. Hexam. c. 3.* Theodoretus *q. 9.* Diuus Auguſtin. 2. *ad Geneſ.* & tenaciter admittebant Heraclitus, & Pythagoras, & Ægyptij, vt refert Albertus Magnus *tract. 1. de cœlo c. 4.* nec diſcedit Plato.

Probatur: Tum quia ſummus calor debetur alicui elemento per ſe primò: non aquæ, & terræ, quibus debetur frigiditas; nec aëri, cui humiditas adaptatur per ſe primò: ergo igni. Tum 2. Quia ſicut terra naturaliter fertur deorſum, quia eſt centrum terræ pro-
E prius illius locus; ſimiliter fertur ſurſum ignis. Tum 3. quia fuit ignis productio æquè poſſibilis, ſicut reliquorum elementorum. Tum 4. quia fuit æquè neceſſaria pro mixtorum generatione. Tum 5. quia exhalationes ſupra aërem delatæ ab ipſo accenduntur. Tum demum quia debuit eſſe purus ignis: ergo debet admitti ſub concauo Lunæ.

§. IV.

Ex quatuor humoribus bilis, & quatuor humores admittuntur.

REſoluendum: Quòd bilis ſimul cum aliis tribus humoribus admittenda ex dictis.

Probatur:

Probatur. Quia hac ratione Vanhelmont intendit; Quòd bilis ſit deneganda corpori, quia nullus datur ignis cui ſit ſimilis: ſed ipſe admittit ignem ſaltem viſualem, & apud nos repertum; quod ſufficeret vt bilis ei ſimilis in qualitatibus eſſet admittenda. Et dictis patet etiam dari ignem elementalem ſub concauo Lunæ cui ſit ſimilis: ergo bilis ſimul cum reliquis humoribus debet admitti.

Probatur 2. Quomodocumque ignis admittatur, ſiue ſolus, quo vtimur, & repertus in ſubterra eis; ſiue ignis elementalis ſub concauo Lunæ; hic aut ille ſubſternit materiam pro mixtis generandis, vt ſatis demonſtrauimus *part. 1. Reſol. medicar. diſp. 2.* ſed quodlibet mixtum viuens petit nutriri ex materia ſimili ei, ex qua fuit factum: ergo in mixto perfectiſſimo, qualis eſt homo, bilis debet reperiri, ex qua ignea ſimilis valeat nutriri materia.

Probatur 3. A mixta forma prouenit caliditas prout determinatur ad eius productionem per partes materiales elementorum quas informat: ſed flaua ac amara ſubſtantia cum ſanguine reperta, quam Bilem vocamus, determinat formam ad intenſiorem calorem producendum, vt patet in Tertiana, & febre ardente, quæ fit ex illa: ergo, quia datur inter humores bilis quæ humor eſt igni ſimilis, & conſtans ea maiori numero partium materialium ignis.

§. V.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd Moyſes ignem non annumerat, nec aërem, quia ſenſibus imperceptibilia; ideò nec annumerat Angelos, ſed res ſenſu perceptibiles, qualis Terra, Aqua, Cœlum. Vel quod ſub nomine Cœli comprehendit aërem, & ignem, de quo latiùs *par. 1. Reſolut. Medicarum.* Tum 2. Quòd Ariſtoteles intendit, quòd licèt detur Ignis elementalis, non propriè debet vocari Ignis; quia ignis propriè dicitur de igne apud nos reperto. Tum 3. Quòd propter ſui tenuitatem ignem non vincit, nec valet in hæc inferiora agere. Tum 4. Quòd ignis elementalis eſt neceſſarius ob Vniuerſi compoſitionem, vt proprium adimpleat locum, & ſeruetur contiguitas, vt præſtet materiam pro mixtorum generatione, vt ſigillata materia per eius formam ſit apta in maris determinare ad ſui qualitates.

SECTIO II.

De Humorum perfectione & vſtione.

HVMORES in venis à naturali recedunt ſtatu in Quali, aut in Quanto: in quanto, dum ſolus ſanguis, aut alij humores ſimul ſanguini commixti, aut alter eorum ſanguini commixtus redundat, & fit plethora: in Quali, dum à naturali temperie diſtant: & hoc, vel quia ſanguini commixti intemperati fiunt, & dicitur ſanguinis vitium; aut à ſanguinis commixtione alter humor ſeparatus remanet, & dicitur hoc vitium cacochymia, quæ, vt dicemus *diſput. de purgandi ratione*, prouenit ratione quantitatis, ſubſtantiæ, modi, aut ſuperueniente alteratione, aut vſtione, aut putredine, ratione quarum humoralis accidit febris; & ideò de his ſub hac ſectione diſputabimus.

RESOLVTIO I.

Vtrùm humorum putredo ſit poſſibilis?

§. I.

Vanhelmont negatiuæ adhæret parti.

HAnc dubitationem ventilabimus *diſp. de purgandi ratione*, ſubſcribemus inde plura, quia maximè ſunt hic neceſſaria. Vanhelmont in Scholaſticoens *tract. de febr. cap. 1.* nullam in humoribus poſſibilem eſſe putredinem, vnde oriantur febres, contendit; pluribus, vt moris habet, inculcatis rationibus, interrogationibus, interiectionibuſve, quas ipſe vocat Demonſtrationes, forſan quia illi demonſtrationes ſunt quæcumque futiles ineptiæ. huiuſcemodi Paracelſiſtæ ſunt fiduciæ, vt quæcumque ex ſuis conuicti ratione; omnes conuinci iudicent: nec mirum, quia ſunt Philoſophi per ignem, nullis firmis rationibus, phyſicisve inſiſtentes fundamentis. Pro hac irridenda opinione, his vtitur imaginarius Vanhelmont.

Primò, Febris calor nullam à putredine ſumere valet differentiam: Tum 1. Quia putredo non eſt febris conſtitutiuum. Tum 2. Quia ſi eſſet conſtitutiuum illius, febris eſſet putredo, & non calor. Tum 3. Quia febris diceretur calor non in corde, ſed in putrido humore. Tum 4. Quia omnes differentiæ febris deſumerentur à putredine Tum 5. Quia aliàs omnis effectus putredinis, vt fœtor, & alij eſſent febres. Tum 6. Quia calidis remedijs curatur febris; at verò ſi oriretur à putredine, non poſſet illis curari. Tum 7. Quia pendere à putredine conſtituit febrem malignam, & ideò aliis conuenire non poteſt: ergo nulla eſt putredo in humoribus, ratione cuius fiat febris.

Secundò: Caliditas ſubſequuta per frigiditatem repertam in principio acceſſionis ſimilis ei quæ ſubſequitur ex fimo equino, ergo non eſt indicium putredinis in humoribus. Tum 1. Quia ſimilis putredo non contingit in fimo vaccino ex eiſdem herbis facto. Tum 2. Quia grana manſa ſunt cauſa ſubſequuti caloris, non putredo. Tum 3. Quia in herbis aceruatis ſine putredine fit calor. Tum 4. Quia, niſi à fimo in facto putrefacto calor non poſſet oriri, dum forma eſſet corrupta. Tum 5. Quia ab humoribus in centro corporis putrefactis non extenderetur calor ad pedes in fine acceſſionis: ergo nullum indicium deſumitur ex calore ſubſequuto ad frigiditatem, nec ex ſimilitudine putredinis fimi equini, quod probet dari putredinem in humoribus.

Tertiò. Tum 1. in non viuentibus à putredine non oritur calor. Tum 2. Febris intermittens non poteſt oriri ratione putredinis: quia ſicut putredo eſſet continuò in humoribus, ſimiliter & febris. Tum 3. Quia putridum ſit frigidum, quia amittit formam. Tum 4. calor febrilis non manet in cadauere, licèt putrido remanente humores eſſet dicendum, ſi putreſcerent antea. Tum 5. Quia inciperet febris à putridis humoribus, & non à corde. Tum 6. Quia intermittens febris habet calorem, & frigus; nec vtriuſque poteſt putredo eſſe cauſa. Tum 7. Quia per putredinem ſanguis abit in bilem, non in febrem: ergo non eſt admittenda putredo humorum, à qua fiat febris.

Quartò: Sanguis intra venas non poteſt putreſcere, nullus ergo humor putreſcit intra venas. Patet antecedens: Tum 1. Quia venæ non ſolùm in viuente, ſed in cadauere ſuum ſeruant cruorem. Tum 2. Quia cùm ſanguis ſit vitæ theſaurus, debet à natura conſeruari, Tum 3. Quia cùm natura

tribuat cuique cauſam cōſeruantem, ſimiliter & ſanguini in venis: Tum 4. Quia ſanguis in febrientibus naturalis extrahitur. Tum 5. Quia adbuc in peſte non putreſit ſanguis, aliàs euacuatio illius in peſte non eſſet lethalis: ergo ſanguis non patitur putredinem extra venas.

§. II.

Putredinem in humoribus dari poſſe ſancitur.

RESoluendum: Quòd putredo valet ſuperuenire humoribus intra venas manentibus, vel extra ipſas exiſtentibus. Sic ſanciuit Hippocrates, recepit Ariſtoteles, domonſtrauit Galenus, ſubſcribit Auicenna, cunctaq; Dogmaticorum Schola; in quam contrarium placitum Imaginarius Vanhelmont ſomniauit.

Probatur Primò: Humores ſunt mixta, cùm non ſint ipſa miſcibilia; ſed putredo eſt paſſio mixtorum, vt communis fert Philoſophorum ac Medicorum Rationalium conſenſus: ergo humores poſſunt & in venis, & extra illas putrefieri.

Probatur 2. Ex humorum putredine fit febris putrida: ergo humores valent putrefieri in corpore. Probatur antecedens: Tum quia non eſt cur, ſi ex rebus ad extra putredinis reſultat præternaturalis calor, ſimiliter non reſultet ab humoribus in corpore putridis. Tum quia dum in parte externa fit tumor ad ſenſum cernitur, quòd ea putredine humoris contenti fiat febris: quod idem contingit in venis. Tum quia ſubſequitur febris ad humoris motionem, ergo indicium eſt, quòd ab ipſis alteratis fit. Tum quia non eſt cur de tertio in tertium, aut quartum diem fiat febris, niſi quia humores patiantur aliquam alterationem in his diebus, quam nos vocamus putredinem. Tum quia impedita putredine, vel criſi, aut pharmaco, euacuato humore; aufertur febris: ergo cauſatur ab humore putrido.

Probatur 3. Etiamſi ſanguis ſit ſedes animæ, poteſt putrefieri: ergo ſimiliter reliqui humores. Probatur antecedens. Tum quia eſt mixtum: Tum quia fit febris ex illo: Tum quia quòd ſit neceſſarius non impedit quòd poſſit putrefieri: nam ipſæ partes animâ informatæ putreſiunt, quæ magis neceſſariæ ſunt: Tum quia ſicut igni poſitus poteſt vri, alteratus à putredinali calore poterit putrefieri: Tum quia excrementa ſanguini commixta poſſe putrefieri admittit Vanhelmont: cùm ergo non minus alterabilis ſit ſanguis, poterit putrefieri: Tum quia non eſt corpus incorruptibile, & omne ens corruptibile vt in plurimum putredine corrumpitur: ergo ſanguis intra venas, & extra illas eſt corruptibilis.

Probatur 4. Coctio & putredo ſunt contraria, humores intra corpus poſſunt à naturali calore concoqui: ergo poſſunt à præternaturali calore corrumpi. Patet conſequentia; Quia contraria ſunt circa idem ſubiectum.

§. III.

Soluuntur fundamenta Vanhelmont.

AD 1. Reſpondetur, Tum 1. Quòd licèt febris nullam ſumat differentiam eſſentialem à putredine, eſt admittenda tanquam actio, ratione cuius febris valet pullulare ex humore. Tum 2. Quòd putredo non eſt febris conſtitutiuum; ſed cauſa. Tum 3: Quòd febris dicatur calor in corde tanquam in ſubiecto inhæſionis, & ab humore putrido tanquam ab eo à quo prouenit. Tum 4. Quòd tanquam ſumitur à putredine differentia accidentalis, quatenus ratione putredinis dicitur oriri. Tum. 5. Quòd reliqui effectus putredinis, non ſunt febris, quia non ſunt calor præternaturalis. Tum 6. Quòd febris à quacumque cauſa oriatur, ſumpta indicatione ab illa, petit curari per frigiditatem, quæ illi contrariatur. Tum 7. Quòd febris ſit maligna, ſiue pendeat à putredine, ſiue non, ratione malignæ qualitatis modificantis illam.

Ad 2. reſpondetur. Quòd ſicut ex fimo equino dum putreſcit fit calor præternaturalis, fit etiam ex putridis humoribus. Et ad probationem dicimus; Tum 1. Quòd non ita citò putreſcit vaccinus fimus, ſi autem putrefiat eodem modo oritur calor ab illo. Tum 2. Quòd grana manſa ſimiliter in fimo vaccino poſſent eſſe putredinis cauſa, & adhuc manſa niſi putrefiant caloris intenſioris cauſa non ſunt. Tum 3. Quòd herbæ coaceruatæ putreſcunt, & ideò oritur ab eis putredinalis calor. Tum 4. Quòd calor oritur à putredine in fieri, non autem in facto eſſe. Tum 5. Quòd cùm in fine acceſſionis ſanguis & ſpiritus expendantur ad partes, non poſſet remitti eorum calor ab aëre attracto, quia impeditur à febre, ideò cunctis partibus extenditur calor.

Ad 3. Reſpondetur: Tum 1. Quòd in non viuentibus ex putredine oritur calor, vt docet experientia in fimo, herbis, fructibus, & ſterquiliniis putridis. Tum 2. Quòd febris non poſſet fieri intermittens, niſi cum intermittentia repetitetur putredo in diuerſis partibus humoris, qui quia cum intermittentia extrauaſatus putreſcit, cum intermittentia febrem efficit. Tum 3. Quòd putridum in facto fit frigidum, & formam amittit, non autem in fieri. Tum 4. Quòd licèt humores ſint putridi in cadauere, & in illis calor præternaturalis, non apparet calidum totum cadauer, quia defectu ſpirituum non communicatur omnibus partibus, ſicut in animali. Tum 5. Quòd à putridis humoribus fit febris, à corde verò mediis ſpiritibus cunctis partibus communicatur. Tum 6. Quòd retroceſſus ſpirituum & ſanguinis ad partes internas eſt cauſa frigoris, putredo eſt cauſa præternaturalis caloris febrilis. Tum 7. Quòd in termino putredinis abit ſanguis in bilem, dum putreſcit oritur ab illo febrilis calor.

Ad 4. Negatur minor, & ad probationem Reſpondetur: Tum 1. Quòd licèt venæ conſeruent cruorem, non poſſunt impedire quòd alteratus à calore putredinali putreſcat, & à calore vſtiuo vratur. Tum 2. quòd ipſæ partes animâ informatæ perfectiores ſunt, & tamen putreſiunt vt apparet ad ſenſum. Tum 3. Quòd licèt natura tribuat cauſam conſeruantem, nulla tamen ita eſt potens, vt naturalia entia incorruptibilia, ſi aduenit cauſa corrumpens aut putrefaciens conſeruet. Tum 4. Quòd licèt extractus ſanguis appareat naturalis, poteſt alter humor putridus permanere in corpore à quo fit febris, vel ſimul commixtus & imperceptibilis ſimul cum ſanguine exire: dum enim benè ſunt humores ſanguini commixti, etiamſi ſimul exeant cum illo, non omnino percipiuntur. Tum 5. Quòd extractio ſanguinis in peſte, etiamſi ſit putridus, poteſt eſſe lethalis, quia deficiunt vires pro ferenda euacuatione, quia nimis debilitantur à lethali, ac venenoſa, ac deleteria vi peſtis.

RESOLVTIO II.

Vtrùm putredo differat ab vſtione eſſentialiter?

§. I.

Opinantium referuntur ſententia.

EVſtachius Rudius diſtinguit vſtionem à putredine. Tum quia, putredo eſt naturalis interitus, vſtio violentus: Tum quia putredo fit à naturali ambiente, vſtio

vſtio à præternaturali : Tum quia putredo fit à mixti (A) frigiditate, vſtio à calore : Tum quia putredo eſt mixtis naturalis, vſtio eſt violenta : Tum quia putredo fit ſecundùm partes determinatas, vſtio ſecundùm omnes. Vallesius *libro 4. meteor.* dicit, quòd putredo eſt interitus caloris natiui in humido proprio viuentis, vſtio verò eſt calefactio, & exiccatio, ad quam ſequitur refrigeratio. Iacobus vſtionem a putredine differre tenet : quia vſtio eſt motus violentus factus à caliditate extrinſeca, putredo fit à caliditate interna naturali facta. Veiga *lib. 1. de differ. febr.* dicit, quòd in putredine non corrumpitur calor in humido, ſed intenditur calor innatus, & abſumitur humidum. Caſtrenſis itritus in omnibus his authoribus impugnandis : vt moris eſt illi, nihil determinat, ſed accedens (B) ad explicandum an phyſica ſpecie, an accidentali differant? Reſoluit difficile eſſe hue determinare, & vtriuſque partis rationes ita interturbat, vt potiùs determinare voluiſſe, nec a ſe, nec ab aliis id determinatum relinqui. Sed non differre ſpecie phyſica videtur.

Primò : Quia putredo, & vſtio fiunt ab vno eodémque præternaturali calore : ergo non differunt ſpecie phyſica.

Secundò : Vtraque contrariatur coctioni : ſed vnum vni eſt contrarium : ergo vſtio & putredo non differunt ſpecie phyſica.

Tertiò : Ab humoribus vſtis aut putrefactis idem ſequitur effectus ſpecie, ſcilicet febrilis calor : ergo (C) vtraque actio eadem eſt ſecundùm ſpeciem phyſicam.

§. II.

Sancimus tenendam doctrinam.

RESoluendum : Quòd vſtio & putredo differunt ſpecie phyſica.

Probatur 1. Putredo & vſtio ſunt motus locales tendentes ad diuerſas ſubſtantias mouendas ſecundùm vbicationes ſpecie phyſica diuerſas : ergo ſunt inter ſe diuerſæ actiones ſpecie phyſica. Probatur antecedens : Putredo eſt determinatus motus quo humidum, (D) quod in mixtis eſt tertio commixtum, mouetur à centro ad circumferentiam manens ſub eadem forma : vſtio eſt motus quo quæcunque corporis partes aptæ in vaporem verti reſoluuntur, ſurſúmque naturali motu feruntur : Sed motus determinatus, determinatæ ſubſtantiæ à centro versùs omnes differentias mixti ſub eadem forma differt ſpecie à motu cuiuſlibet ſubſtantiæ in vaporem mutatæ, proue ſurſum fertur : ergo habent diuerſas vbicationes ſpecie phyſica à quibus phyſicam deſumant & eſſentialem differentiam.

Probatur 2. Putredo eſt contraria coctioni, cum putredo ſit motus localis quo deunitur humidum à ſicco, & coctio ſit actio vnitiua ſicci cum humido : ſed (E) vſtio non contrariatur coctioni cùm non ſit motus quo humidum deuniatur à ſicco ; ſed quo quælibet pars corporis euaporabilis ſeparatur à corpore : ergo vſtio differt à putredine ſpecie phyſica.

Probatur 3. à poſteriori ex effectibus ſubſequutis : A putredine prouenit fœtor, non autem ab vſtione ; ex putredine generantur animalia, non autem ex vſtione ; in putredine humidiores redduntur partes exteriores, in vſtione redduntur ſicciores : ergo differt ſpecie vſtio à putredine.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD primum reſpondetur : Quòd patebit infra à quo fiant calore, & quòd licèt fierent ab eodem calore, diuerſa diſpoſitio ex parte paſſi, aut diuerſa intentio ex parte agentis, valent variare effectus ; vt patet de effectibus a calore Solis productis.

Ad 2. Reſpondetur : Quòd ex dictis patet, quòd putredo contrariatur coctioni, non vſtio : vt latiùs patebit infrà.

Ad 3. Reſpondetur : Quòd idem effectus ſpecie valet produci a diuerſis cauſis, ſicut calor fit à luce, ab igne, ab anima, & ab aliis diuerſo modo producentibus cauſis.

RESOLVTIO III.

Vtrùm vſtio ſit diſſolutio mixti ſecundùm qualcumque partes euaporabiles, proueniens à calore violento?

§. I.

Rationes dubitandi proponuntur.

REcedunt Authores ab explicatione definitionéve vſtionis, quam aliquarum humoralium febrium agnoſcunt cauſam, & forſan ignorant modum : nouam propono examinandam definitionem ; cui opponitur.

Primò : Diſſolutio mixti fit tantùm, dum mixtum in elementa, ex quibus coaleſcit, reducitur, ſed per vſtionem mixtum non poteſt in omnia elementa, ex quibus coaleſcit, reduci, ſed in aquam, aut ignem à quo vri ſolet : ergo vſtio non eſt mixti diſſolutio.

Secundò : Partes euaporabiles ſunt partes aqueæ : ſed vſtione non euaporantur partes aqueæ : ergo particula *ſecundùm partes euaporabiles*, non debet poni in definitione. Probatur minor : vſtione redditur frigidum mixtum, quod vritur : ſed ſi euaporarentur partes aqueæ, non heret frigidum, cùm ipſis reſolutis, potiùs reſultaret caliditas a forma mixta non impedita per illas : ergo vſtione non euaporantur partes aqueæ mixti.

Tertiò : Dum fit febris ab humorum, aut ſpirituum vſtione ; calor febrilis, qui communicatur ab illis, oritur ab eorum forma : ergo non eſt violentus. Probatur antecedens : ille calor, vt ſit febrilis debet eſſe per modum habitus in illis, vt patet ex dictis : ergo oritur ab eorum forma.

§. II.

Sancimus vſtionis definitionem.

REſoluendum affirmatiuè : Patet. Nam *mixti diſſolutio* includit modum quo ſolet deſinere mixtum, ſiue per corruptionem, putredinem, aut vſtionem : *ſecundùm quaſcunque partes euaporabiles*, denotat materiam circa quam fit diſſolutio, quæ eſt totum mixtum in corruptione ; ſubſtantia humida, & ſicca in putredine ; *quæcunque partes euaporabiles in vſtione : à calore violento*, denotat efficientem cauſam quæ debet eſſe calor, non vtcunque præternaturalis, ſed

violentus ; quia ab extrioſeco prouenit, paſſo conferente vim, & quia vſtiuus.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. Reſpondetur : Quòd mixti diſſolutio dicitur quæcunque illius corruptio per deunionem, vel totalem in tota elementa, vel partialem in quaſcunque partes materiales adintegratores mixtum.

Ad 2. Reſpondetur : Quòd partes aqueæ, & aliæ quæcunque euaporabiles à calore violentu reſoluuntur : & quòd mixtum reddirur frigidum in termino reſolutionis, quia igneæ partes ſimul cum aqueis reſolutæ ſunt, non autem in fieri reſolutionis, quia in illa priùs reſoluuntur partes aqueæ, ex quarum defectu in igneis, & aëreis reſoltat caliditas, donec vltimò reſoluuntur.

Ad 3. Reſpondetur : Quòd in fieri vſtionis, dum primò reſolutæ ſunt partes aqueæ, præualent igneæ & aëreæ, à quibus excedens calor habitualis febrilis pullulat, qui licèt ſine violento reſoluente aqueas partes non poſſet oriri ; poſtquam ipſum aqueas reſoluit, calor habitualis pullulat à forma mixti ; quò vritur, donec vlterius reſoluantur partes igneæ, & aëreæ ; quibus reſolutis, mixta aduſta euadunt frigida ob prædominium partium terreſtrium, quæ fuerunt ineptæ reſolutioni, quia non ſunt euaporabiles.

Resolvtio IV.

Vtrùm putredo ſit corrupti mixti per deunionem humidi à ſicco, proueniens à præternaturali calore ſub eadem forma ?

§. I.

Rationes dubitandi proponuntur.

EX Galeno & Auicenna aliæ adducuntur definitiones, quas recipiunt Authores; ſed in eis vendicandis à pluribus obiectionibus, quibus ab eiſdem infeſtantur, quàm maximè laborant ipſi. Propriam tamen videor definitionem tradidiſſe : in quam ſtat

Primò : Tum authoritas Ariſtotelis definientis putredinem *lib. 4. meteoror. c. 1.* Quòd ſit *putredo natiui caloris in humido exiſtentis ab extranea caliditate corruptio.* Tum Galeni *lib. 1 1. methodi*, vbi quod putredo ſit *totius putreſcentis ſubſtantiæ ab extranea caliditate corruptio.* Sed adducta definitio ab his differt : ergo non eſt admittenda.

Secundò : Corruptio eſt actio : ſed per putredinem potiùs intelligimus ſubſtantiæ modum in re producta acquiſitum, præternaturalemque, quàm actionem productiuam illius : ergo putredo non eſt corruptio.

Tertiò : Reſolutio fit per deunionem humidi à ſicco : mutatio ætatum, & Senectutis adquiſitio fit per deunionem humidi, quod reſoluitur, à ſicco : ſed non ſunt putredo : ergo non rectè definitur putredo per deunionem humidi à ſicco.

Quartò : Putredo à naturali fit calore : ergo particula, (a) *calore præternaturali*, auferri debet à definitione. Probatur antecedens : Tum 1. Quia ab eodem calore à quo fit putredo in humore, fit etiam coctio ; ex quo apparet, quòd ſicut coctio fit à naturali calore ; ſimiliter & putredo. Tum 2. Quia à proprio calore humoris, qui putreſcit, in humore intenA ditur putredo cùm non remaneat in partibus externis cauſa humorem putridum calfaciens : ſed humor ortus à forma rei quæ putreſcit, eſt illi naturalis : ergo putredo non fit à præternaturali calore.

Quintò : Res, quæ putreſcunt, mutant formam ſubſtantialem : ergo corruptio non fit à partibus manentibus ſub eadem forma.

§. II.

Sancitam definitionem reliquis præponendam indicamus.

REſoluendum affirmatiuè. Sic patebit : Particula B *corruptio mixti*, includit omnem mixti corruptionem, & ideò ab Ariſtotele, & Galeno locis citatis ponitur loco generis in definitione putredinis. Particula, *per deunionem humidi à ſicco*, ponit propriam rationem putredinis, nam ſicut coctio conſiſtit in vnione humidi cum ſicco, per quam perficitur mixtum ; ſic putredo conſiſtit in deunione humidi à ſicco : & ideò per eam corrumpitur. Per humidum & ſiccum non intelligimus qualitates, ſed ſubſtantiam aqueam cum terrea ; requiritur enim in mixtis ſoliditas, quæ prouenit à terra ; & cùm terra ex ſe ſit arida, petit humido commiſceri ; hanc commixtionem in non viuentibus, quæ ſunt homogeneæ naturæ, in eorum productione conſequitur natura vi generatiuæ actioC nis, in viuentibus, quæ ſunt heterogeneæ naturæ, & habent humidiores partes requiſitas pro organorum conſummatione, non acquiritur in illis commoda vnio humidi cum ſicco in prima generatione, conſequitur tamen hanc vnionem natura tractu temporis per mutationem ; per quam viuens acquirit perfectum ſubſtantiæ modum in partibus proportionatum pro ſuis actionibus, & ſuperuenientem ex debita vnione partium ſiccarum cum humidis. Dum autem mixta ſic perfectè conſtituta ſunt, à proprio naturali calore conſeruantur in hac naturali compoſitione, à præternaturali verò fit deunio harum partium, amittitur debitus ſubſtantiæ modus, & ſi maxima fiat deunio, pars corrumpitur ex toto, & formam amittit ; & cùm hæc corruptio fiat per harum parD tium deunionem, ideò per illam definitur. Particula, *à præternaturali calore*, explicat cauſam efficientem, quæ contraria debet eſſe ei, à qua fit coctio, quæ eſt calor naturalis. Particula *ſub eadem forma* vltimam differentiam conſtituit putredinis, per quam differt à viuentis corruptione per mortem naturalem facta per reſolutionem humidi à calore naturali ; & ab vſtione, in qua licèt etiam à præternaturali calore humidum ſeparetur à ſicco ; ſed in his ſeparatur, vt reſoluatur ; in putredine, & deunio fit manens ſub eadem forma.

E

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD 1. reſpondetur : Tum 1. Quòd ad deunionem humidi à ſicco proueniunt aliqua accidentia : inter quæ vnum eſt, quòd natiuus calor intendatur, & fiat præternaturalis ; & ideò Ariſtoteles definit putredinem, per hoc quòd natiua caliditas mutetur in igneam, quod eſt accidens magis ſenſibile in putredine, quàm partium deunio, licèt ſubſequatur ab hac. Tum 2. Quòd in termino putredinis etiam reperitur corruptela rei, quæ putreſcit, & ideo Galenus per illam definit putredinem tanquam per terminum remotum, & ſubſequutum ab illa. Nos autem

definimus

definimus per terminum primarium, qui eſt vbleatio ſicci, & humidi, dum per putredinem deuniuntur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd putredo vno modo ſumitur pro actione deuniente humidum à ſicco, de qua Galenus loquitur 2. *acutorum* 44. *& in arte medicinali* 89. vbi quod *coctio facit ceſſare putredinem*, & de hac loquimur nos, dum inquirimus quid ſit putredo: alio modo ſumitur pro putredine in termino, ſeu pro eo termino, qui ſubſequitur ad totalem putredinem, qui eſt corruptela rei putridæ, de qua loquitur Galenus *lib.* 11. *methodi c.* 8. dum inquit: quòd putredo *eſt corruptela rei putreſcentis.*

Ad 3. Reſpondetur: Quòd mutatio æſtuum, & vſtio fuerit à calore deuniente humidum à ſicco, ipſúmque ſeparante ſub forma vaporis; putredo verò deunit, relinquendo ſub eadem forma.

B Ad 4. Reſpondetur: Tum 1. Quòd idem calor, qui cordi eſt naturalis, in eadem intenſione eſt præternaturalis cerebro; & ſimiliter idem febrilis calor, qui vni parti humoris eſt præternaturalis, poteſt naturalis eſſe alteri, & ipſum concoquere: Tum 2. Quòd calor non ſit naturalis, quia oritur à forma mixta; ſed dum ab illa oritur vt determinata per ſubſtantificum temperamentum naturale.

Ad 5. Reſpondetur: Quòd res, quæ putreſiunt, manent ſub eadem forma ſubſtantiali ſui mixti; & ideò coctio facit ceſſare putredinem, manente forma: quæ iam ſunt putrida in facto eſſe, propriam amittunt; & ideò dicit Galenus, quòd abeunt in corruptelam, & ideò iam debent dici corrupta; putredo enim opponitur coctioni, & deſtruit partium vnionem per illam acquiſitam: corruptio verò opponitur vnioni animæ, ſeu formæ mixtæ cum materia.

RESOLVTIO V.

Vtrùm formalitas putredinis conſiſtat in deunione humidi à ſicco?

§. I.

Status difficultatis proponitur.

DEfiniuimus putredinem per deunionem humidi à ſicco; ſed inter Moderniores non eſt vniformis hæc opinio, quia cùm in illa reperiatur harum partium deunio, inuerſio caloris naturalis, qui ratione putredinis præternaturalis talis redditur, & tandem putredo in termino, in quo horum ſit reponenda? Diſcordes ſunt Authores. Valleſius *lib.* 4. *meteor.* docet quòd ratio formalis putredinis conſiſtit in corruptione natiui caloris. Carreirus, & Matamoros dicunt putredinem conſiſtere in mutatione ad modum ſubſtantiæ ſeu ſecundam qualitatem coctioni contrariam. Alij in interitu caloris natiui, & ſimul in ſeparatione humidi à ſicco conſtituunt formalem putredinis rationem; & hi omnes non conſiſtere in ſola ſeparatione humidi à ſicco contendunt.

E Primò: Tum quia Ariſtoteles, & Galenus definientes putredinem, non definiunt illam per deunionem humidi à ſicco: Tum 2. quia cùm ſeparatio humidi à ſicco ſit motus localis, non poteſt conſiſtere in eo ratio formalis putredinis: Tum 3. Quia putredo petit fieri à calore præternaturali; ſed humidum à ſicco ſeparatur etiam à naturali calore humidum reſoluente.

Secundò: Non poteſt admitti humidi à ſicco ſeparatio, niſi admittantur partes materiales in mixtis; quæ neceſſariæ non ſunt in ſuppoſitione aliquorum: ergo non debet poni ratio formalis corruptionis in harum partium ſeparatione.

Tertiò: Si ex aliquo poſſet conuinci dari harum partium ſeparationem, maximè, quia, ea quæ putreſcunt redduntur humidiora, ex quo colligitur, quod humidum ſeparetur à ſicco; ſed mollities orta ex putredine prouenit ab excedenti calore liquante, non à ſeparatione humidi à ſicco: ergo non reperitur neceſſariò ſeparatio humidi à ſicco in re quæ putreſcit.

§. II.

Nuñeſij & Veigæ præfertur opinio.

REſoluendum: Quòd ratio formalis putredinis ſtat in deunione humidi à ſicco, dum manent ſub eadem forma: ſic Nuñer *lib. de coctione.* Veiga *lib. de differ. febrium.*

Probatur 1. Ratio formalis putredinis conſiſtit in actione oppoſita coctioni: ſed ratio formalis coctionis conſiſtit in ea perfectione, quæ adquiritur per vnionem humidi cum ſicco: ergo ratio formalis putredinis debet poni in harum partium ſeparatione.

C Probatur 2. Ratio formalis putredinis ſtat in ea actione, ad quam ſequitur naturalis caloris interitus per mutationem eius ad præternaturalem calorem rei, quæ putrida eſt in termino interitus, humiditatis acquiſitio, & fœtor: ſed à ſeparatione humidi à ſicco prouenit, quòd à forma rei quæ putreſcit pullulet præternaturalis calor in partibus calidis, à quibus frigidæ, & humidæ ſeparantur, & quòd res putrida in termino formam amittat ob ſubſtantiæ modum in mixtione acquiſitum, indebitum pro tali forma; & quòd partes externæ appareant humidiores, quia aquea ſubſtantia deunita à ſiccis ad illas defertur, & quòd à luxuriante humiditate deunita fiat fœtor: ergo in deunione humidi à ſicco, dum manent ſub eadem forma, debet conſtitui formalis ratio putredinis.

D Probatur 3. Formalis ratio putredinis non ſtat in præternaturali calore, non ſtat in modo ſubſtantiæ, aut ſecunda qualitate ſubſequuta ex illo, non ſtat in corruptione partis putridæ, non ſtat in fœtore: ergo ſtat in deunione humidi à ſicco; hæc enim tantum reperiuntur in putredine. Probatur antecedens: Tum 1. Quia calor præternaturalis eſt cauſa, & non effectus putredinis; & reperitur ſimilis in vſtione, quam probaui ſpecie differre à putredine; & in hectica, in qua probaui non dari putredinem. Tum 2. Quia ſiue modus ſubſtantiæ, ſiue qualitas ſecunda dicatur, quæ acquiritur per putredinem, acquiritur per deunionem humidi à ſicco, & ideò eſt putredine poſterior. Tum 3. Quia putrida ſubſtantia, quæ remanet in termino putredinis, eſt putredine poſterior, & eius terminus. Tum 4. Quia fœtor etiam eſt effectus poſterior putredine: ergo in deunione humidi à ſicco, dum manent ſub eadem forma, ſtat putredinis ratio formalis.

§. III.

Soluuntur Valleſij, Carreiri, & Matamoros fundamenta.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd Ariſtoteles & Galenus non definiunt definitione eſſentiali putredinem, & per ſuam rationem formalem, ſed

per quoddam accidens ſubſequutum ea illa, quod eſt notius nobis: ſicut ſi nos definiremus hominem per riſibilitatem. Tum 2. Quòd ſicut ratio formalis coctionis conſiſtit in locali motu vnitiuo humidi cum ſicco, ex quo ſequitur mixti perfectio, ſimiliter conſiſtit putredo in motu locali deuniente humidum à ſicco; ex quo ſequitur eius corruptio. Tum 3. Quòd deunitiua actio humidi à ſicco ſub eadem forma fit à ſolo præternaturali calore, ſeparatio & reſolutio fit ab vnitiuo calore, & à calore naturali.

Ad 2. reſpondetur: Quòd *part.1. Reſolutionum medicarum*, demonſtraui neceſſitatem elementorum in mixto contra Iuniores parum philoſophicè partes materiales in mixtis denegantes.

Ad 3. reſpondetur: Quòd mollities prouenit à calore præternaturali, in metallis, & aliis quæ frigore concreſcunt, quia hæc calore liquantur; at verò in eis quæ non fiunt ſicca, aut dura à frigiditate, ſed à partium commixtione, & ab vnione humidi cum ſicco facta per coctionem, in his mollities non prouenit liquatione, ſed deunionè humidi à ſicco, & eius motione ad partes externas.

Resolutio VI.

Vtrùm omnis putredo fiat ab extrinſeco calore?

§. I.

Communis opinio proponitur.

COmmunior ferè omnium Medicorum, & Philoſophorum conſenſus tenet: Quòd cauſa putredinis eſt calor externus, rei quæ putreſcit. Quibus fauet, Tum 1. Ariſtoteles *l.4. meteor. c.1.* vbi putredinem definit per *Interitum caloris natiui*. Tum 2. lib.9. de generat. animal. c.4. §. *fit enim putredo quæque à calore, ſed non ſuo, natiuóque*. Tum 3. ſect. Problem. q.33. §. *Putreſcit enim quodque externo calore; nam vt ſuo proprio coquitur, externo putreſcit*. Tum 4. idem fatetur Galenus 11. *methodi* c.4. *l.1. de differem. febr.* c.11. *lib.3. Epidem. p.3. comm.1.* & Auicenna *fen.2.1. diſp.2. ſum.2. c.1.*

§. II.

Præfertur Argenterij, & Veigæ opinio.

REſoluendum: Quòd putredinis cauſa eſt calor præternaturalis, ſiue ab externo communicatus, ſiue ab interno ortus. Sic Argenterius Veigaque philoſophantur.

Probatur 1. Dum putreſcit humor ablata cauſa extrinſeca calefaciente, intenditur putredo, & febris ab illa orta: ſed non à cauſa externa: ergo à calore præternaturali orto ab humoris forma. Probatur minor: Tum quia plerumque incepta putredine, deficit cauſa externa, à qua inducta fuit, & putredo per plures dies intenditur: Tum quia curaretur febris ex ſola ablatione cauſæ externæ, ſi à ſola illa penderet: Tum quia ex ablatione cauſæ procatarcticæ, febris putrida in humoribus non haberet vnde percurreret quatuor tempora: ergo licèt ſit communicata putredo à cauſa externa, poteſt intendi ab interno calore, quæ putreſcit.

Probatur 2. A proprio calore rei putreſcentis poteſt incipere putredo: ergo non à calore ſemper externo. Probatur antecedens: ex prohibita ventilatione & obſtructione pororum in refrigeratis prouenit putredo humorum, & febris humoralis, vt ex Galeno &

A Auicennæ doctrina patet, qui putredinem, & obſtructionem annumerant inter cauſas febris putridæ: ſed tunc non prouenit à calore externo: ergo prouenit à calore interno.

Dices: Quòd tunc prouenit à calore ſpirituum, qui eſt calor externus humoribus qui putreſcunt.

Contra: Ex prohibita ventilatione non ſolum prouenit putrida febris orta ex humoribus, ſed etiam febris diaria orta ex ſpirituum vſtione, aut putredine: ſed nulla eſt intra corpus interna cauſa, à qua ſpiritus incipiant putreſieri, niſi à proprio calore: ergo ab ipſu prouenire poteſt putredo.

Probatur 3. Corpora plura putreſcunt ſine ambiente præternaturaliter calido: ergo non petit omnis putredo fieri ab externo calore. Probatur antecedens:

B Tum 1. Quia corpora cadauerum ſub niue, aut aqua putreſcere incipiunt: Tum 2. Quia herbæ accumulatæ in frigido ambiente putreſcunt: Tum 3. Quia hyeme carnes putreſcunt: ergo ſine ambiente præternaturaliter calido fit putredo.

Dices: Quòd quia permanent eleuatæ quædam fuligines, quæ non ventilantur ab his, quia calidæ, fit putredo.

Contra ſtat: Tum quòd in probabiliori ſententia fuligenes ſunt frigidæ: Tum quòd fuligines eleuantur à calore, & non eſt à quo eleuentur in corporibus, quæ putreſcũt ſub aqua: Tum quòd cùm fuligines eleuentur per putredinem, dum eleuantur, iam erat putredo, & cauſa putredinis: Tum quòd fuligines potiùs præſeruant à putredine, vt apparet in fuliginibus

C eleuatis ab igne: Tum quòd ex mixtis humidioribus, & recentibus, quæ vt in plurimum putreſiunt, potiùs eleuantur vapores, quàm fuligines: ergo à forma rei putreſcentis ſuperuenit putredo.

§. III.

Soluuntur communis opinionis fundamenta.

AD 1. Reſpondetur Tum 1. Quòd Ariſtoteles docet, quòd per putredinem fit interitus caloris natiui; quia licèt intendatur natiuus calor, in eſſe naturalis interit, & fit præternaturalis, & putrefactiuus. Tum 2. docet, quòd fit putredo à calore, non ſuo, id eſt

D ſibi debito, & naturali, ſed ab eodem reddito præternaturali. Tum 3. quòd Ariſtoteles intendit, vel quòd incipit putredo ab externo calore, licèt poſtea intendatur ab interno; vel vocat externum quemcumque præternaturalem calorem, quia improportionatus eſt, & præternaturalis formæ. Tum 4. quòd Galenus, & Auicenna vocant extraneum quemcumque calorem præternaturalem, ſiue ſit ab extrinſeco communicatus, ſiue ſit à propria forma ortus; non enim minùs febrilis, & extraneus eſt homini calor hecticus, qui ab eius forma pullulat, quàm calor ab externa cauſa communicatus, nec minùs corruptiuus formæ.

E

SECTIO III.

De Febre Humorali.

HVMORALIS febris dicitur quæ prouenit ab humoribus vſtis, aut putrefactis: & fit duplex, alia ab vſtis, alia à putrefactis humoribus; quas ſub febre putrida confundunt authores: Nos eas ſub Humorali complectimur, de qua agemus ſub hac ſectione.

RESOLV

Resolutio I.

Vtrùm detur febris Humoralis?

§. I.

Pars negatiua fulcitur ex Vanhelmont.

VAnhelmont *tract. de febrib. & in earum appendice,* & febrem conſiſtere in calore negat, & calorem febri ſuperuenientem contendit à ſolis ſpiritibus tantùm oriri poſſe: his nixus,

Primò: Non poſſe dari humoralem febrem indicat ſuaderi. Tū 1. quia non dantur humores, a quibus fiat talis: Tum 2. quia licèt darentur, non poſſet ab illis prouenire, quia in naturali ſtatu id non debet admitti, nec ratione putredinis eorum, quia eam non dari latiſſimè probat. Tum 3. quia à frigore in principio acceſſionis non ſumitur indicium, quod ſuadeat febrem eſſe humoralem, cùm frigus potiùs ſit affectus anonymus, ſeu morbus alius febri communicatus: ergo non eſt indicium aliquod ſuadens dari febrem humoralem.

Secundò: Eo ipſo, quòd febris petat eſſe calor accenſus in corde, non poteſt oriri ab humoribus: ergo non datur febris humoralis. Probatur antecedens: eo ipſo quòd ſit calor accenſus in corde, non eſt accenſus in humoribus: ergo non oritur ab illis.

Tertiò: Si febris oriretur ab humoribus, non poſſet curari niſi per eorum ablationem: ſed dicunt Dogmatici quòd febris, quam vocant humoralem, curatur refrigerantibus, vt potione aquæ frigidæ, vel frigidi aëris attemperatione: ergo non eſt humoralis.

Quartò: Calor quicunque præternaturalis debet oriri ab Archæo, ſeu ab ſpiritibus: ergo non ab humoribus. Probatur antecedens: Tum 1. quia ab eodem principio alterato prouenit præternaturalis calor, à quo proueniebat naturalis calor, ante alterationem; hic autem ab Archæo oritur: Tum 2. quia nulla morboſa materia valet per totum corpus ferri, vt communicet præternaturalem calorem, niſi hæc ſit ſpiritus vitalis: Tum 3. quia humores manent intra venas, & ideò non poſſunt cunctis partibus calorem communicare: Tum 4. quia ſi humores intra venas manentes communicarent febrem extremis partibus; dum ad has perueniret præternaturalis calor, torrefierent venæ ob intenſiorem ibi repertum calorem: ergo nulla febris valet ab humoribus cauſari.

Quinto: Si ab humoribus putrefactis proueniret febrilis calor in cadauere, in quo iidem manent humores, eadem maneret febris: ſed ſpiritibus reſolutis, in ægrotantis morte remittitur febris, & frigidum cadauer redditur: ergo quia ab ſpiritibus & non putrefactis humoribus fit febris.

Sextò: Calor febrilis producitur in toto corpore, ſicut in digito in quo ſpina eſt infixa: ſed in digito non cauſatur à ſpina, quæ frigida eſt; ſed ab Archæo qui indignatus occurrit parti: ergo in toto corpore febrilis calor non cauſatur ab humoribus, qui vel non ſunt, vel non habent febrilem calorem, ſed ab indignato Archæo occurrente in partes.

§. II.

Sancitur Dogmaticorum doctrina.

REſoluendum: Quòd febris humoralis communicatur à præternaturali humorum calore, vſtione aut putredine in eis orto. Sic ſancitum eſt in Dogmaticorum ſcholis, in quas inſanos inuehitur Vanhelmont Lunatico percitus furore.

Probatur 1. Quia omnis febris debet foueri ab habituali calore in continentibus, contentis, & impetum facientibus reperto, vt patet ex dictis: ſed humoralis febris non fouetur à ſpiritibus, nec à forma viuentis oritur, vt demonſtrant febrium ſigna: ergo pendet & fouetur ab humoribus vſtione, aut putredine affectis.

Probatur 2. Non oritur omnis febrilis calor à ſpiritibus, vt intendit Vanhelmont: ergo poteſt prouenire ab humoribus vſtis, aut putrefactis. Probatur antecedens: Tum quia ſi ſemper oriretur à ſpiritibus, in omni febre eſſet ſimilis: Tum quia omnis febris eſſet continua, nullaque poſſet dari intermittens: Tum quia repetentia acceſſionum quotidie de tertio in tertium, de quarto in quartum, ab vna ſpirituum natura prouenire non poſſet: Tum quia ſi omnis febris eſſet à ſpiritibus, non eſſet cur alia cum frigore, alia cum rigore, alia cum horrore alia ſine his fieret: Tum quia non poſſet aſſignari cauſa cur in Tertiana eſſet vomitus humoris crocei, in Quotidiana humoris albi, in Quartana humoris nigri: Tum quia ſi penderet omnis febris ab ſpiritu, non poſſet purgatione, aut ſanguinis miſſione, quibus humores euacuantur, curari; quod experientia demonſtrat, cùm per has euacuationes, humores, & non ſpiritus euacuantur: Tum quia non ceſſaret febris à ſpiritibus pendens, euacuatis humoribus ſudore, Diarrhœa, vel alia critica euacuatione, quod contingere eſt euidens: Tum quia ſi non penderet ab humoribus, ſed à ſpiritu, non ſuperueniret recidiua ex humoribus in morbis intra corpus.

Dicent imaginarij Medici cum Vanhelmont, quòd hæc demonſtrant, quòd datur cauſa occaſionalis diſtincta à ſpiritibus, à qua deturpatur ipſe Archæus, ſeu ſpiritus, & iuxta illius præſentiam, aut abſentiam aut accenditur, aut remittitur febrilis calor in Archæo.

Contra ſtat: Tum quòd iam cogitur Vanhelmont admittere humores Archæum irritantes, quod tam procaciter negauerat. Tum quia ſpiritus vel non viuit, vel ſolum vita vegetabili; & ideò non cognoſcit cauſam deturpantem, nec ratione illius poteſt moueri ad efficiendum febrilem calorem. Tum quia eſt agens naturale, & ſecundum totum debet producere calorem, quem in ſe habet. Tum quia licèt irritetur, non eſt cur producat calorem, quem priùs non producebat. Tum quia licèt liberè produceret calorem, non eſt cur ordinatè de tertio in tertium illum produceret in Tertiana. Tum quia cùm ſemper maneant humores intra venas, ſemper enim ſunt apti extrahi ſanguinis miſſione, non eſt cur non ſemper deturpetur Archæus, & fiat febris. Tum quia ſi ab humore deturpante Archæum ſaltem mediatè pendet febris, non eſt cur Vanhelmont nullam admittat huius ſubſtantiæ euacuationem.

Probatur 3. Si non daretur febris humoralis, maximè quia, vt intendit Vanhelmont, non dantur humores in corpore, à quibus dependeat, qui ſint diſtincti à cruore, & valeant putrefieri: ſed hoc præſuppoſitum non impedit, quòd humoralis admittatur febris. Tum quia probauimus dari quatuor humores. Tum quia etiam demonſtrauimus humores poſſe putrefieri. Tum quia de ipſo ſanguine, ſeu cruore, quem admittit, ſimiliter demonſtratum fuit poſſe putrefieri: ergo ex illis omnibus poteſt fieri febris humoralis.

§. III.

Fundamenta ex Vanhelmont deſumpta ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd demonſtrauimus dari humores. Tum 2. Quòd demonſtrauimus humores poſſe pati putredinem. Tum 3. Quòd cùm frigus fiat ratione cauſæ, à qua prouenit febrilis calor, vt probauimus; rectè infertur quòd ſi ab humore fit frigus, eſt humoralis febris, quæ ſubſequitur ex eodem humore poſtea.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt calor qui eſt accenſus in corde, non ſit in humoribus; à calore qui eſt accenſus in humoribus communicatur cordi febrilis calor, qui in illo accenditur, & ideò dicitur humoralis, quia ab humoribus communicatur.

Ad 3. reſpondetur: Quòd in febre humorali duplex ſumitur indicatio; alia à cauſa & completur per illius ablationem, ſanguinis miſſione, aut purgatione, aliiſve remediis euacuantibus illam. Alia eſt indicatio, quæ ab ipſa febre deſumitur, & hanc proſequuntur Dogmatici potu aquæ frigidæ, aliiſve remediis frigidis attemperantibúſque.

Ad 4. reſpondetur: Quòd aliud eſt, quòd febrilis calor communicetur mediu ſanguine, & ſpiritu; aliud eſt, quòd vt præternaturalis eſt, ab eis foueatur: fatemur primum in definitione febris ex Auicenna deducta; negamus ſecundum ex communi Dogmaticorum omnium aſſenſu: Quia in humorali febre à ſolo humore, à quo pullulat præternaturalis habitualis calor, ratione vſtionis, aut putredinis fouetur febris.

Ad Probationem dicimus, Tum 1. Quòd licèt ab eodem principio, à quo naturaliter ſe habente fit naturalis calor, poſſet præternaturalis fieri, ſi præternaturaliter afficiatur; & ideò à ſpiritibus vſtis fatemur fieri Diariam: non tamen inde ſequitur, quòd non ſint intra corpus aliæ ſubſtantiæ in alios fines ordinatæ, à quibus præternaturaliter affectis febrilis proueniat calor. Tum 2. Quòd ſufficit, quòd ſit aliqua morboſa materia, quæ præternaturalem cordi communicet calorem, qui vlterius per ſanguinem, & ſpiritum defertur ad reliquas partes, ſemper tamen febris tribuitur putrido humori, in quo febrilis calor eſt per modum habitus, & à quo fouetur in reliquis corporis partibus. Tum 3. Quòd ab humoribus vſtis, aut putrefactis in venis, communicatur præternaturalis calor cordi, & impeditur ſpirituum attemperatio mediis quibus impartitur reliquis partibus febrilis calor. Tum 4. Quòd licèt maior flogoſis ſit in venis, non tanta, quanta ſufficit ad partium torrefactionem.

Ad 5. reſpondetur: Quòd licèt putridi humores maneant in cadauere, non communicatur febris externis partibus, quia reſoluuntur ſpiritus, & deficit cordis & arteriarum motus, quo ſanguine, & ſpiritibus calor deberet imparriri partibus.

Ad 6. reſpondetur: Quòd dum ſpina affigitur digito, ratione doloris ſanguis & ſpiritus trahuntur ad partem, & ab eorum calore intenditur digiti calor, non autem indignatione Archæi, vt delirat ineptiſſimè Vanhelmont: febris autem fit, quia in ſpiritibus, humoribus, aut partibus viuentibus præternaturalis reſultat calor, qui cordi, & reliquis partibus communicatus fit læſiuus operationum, & eſt febris.

A

Resolvtio II.

Vtrùm ratione putredinis valeat humoralis fieri febris?

§. I.

Iouberti, & aliorum refertur opinio.

COntra Paracelſiſtas & Imaginatios Medicos decreuimus ab humoribus febres cauſari: ſed inter Dogmaticos aliqui iudicant, quod ab humoribus ſo-

B lum ratione vſtionis, non autem putredinis proueniunt humorales febres: horum meminit Trallianus *lib.* 12. *c.* 2. eis ſubſcribit Ioubertus *paradoxa* 2. *decad.* 2. ſaltem reſpectu febrium ſalubrium his fultus,

Primò: non poſſe humores putrefieri conſtat. Tum 1. quia ſi humores putreſierent intra venas, ſicut ab eis putridis in inteſtinis fiunt lumbrici, ſimiliter fierent in venis. Tum 2. Quia omne putridum fit fœtidum: humores autem à quibus febris pendet, non fiunt fœtidi. Tum 3. Quia in tumoribus putrefiunt humores defectu ventilationis; in venis autem ventilari poſſunt: ergo ab humoribus intra venas manentibus non prouenit febris humoralis ratione

C putredinis.

Secundò ſuadet: Intra venas non putrefieri humores; quia vaſa humores conſeruant naturaliter: ergo non poſſunt putrefieri.

Tertiò: A calore præternaturali inflammatur, & aduritur humor, à naturali coquitur, & perficitur: ergo à nullo putrefit.

§. II.

Communis recipitur doctrina.

REſoluendum: Quòd febris humoralis eſt, quæ valet ab humoribus vſtione, aut putredine oriri. Sic communis aſſenſus Dogmaticorum recipit.

D Probatur: Tum ex demonſtrationibus contra Vanhelmont adductis: Tum quia intra venas præternaturalis calor reperiri poteſt, & cùm humores ſint mixta, quorum coctio, & putredo ſunt paſſiones, non eſt cur non putrefiant. Tum quia in ſedimento, quod ſubterfugit aſſimilationem, apparent ſigna coctionis, aut putredinis, quas patiuntur humores intra venas. Tum quia putridi, & fœtidi ſolent apparere humores phlobotomiâ extracti. Tum quia purgatione ſæpè extrahuntur fœtidi, putridique humores, à quibus pendebat febris: ergo febris humoralis non ſolum fit ab humoribus vſtis, ſed etiam putridis.

E

§. III.

Soluuntur Iouberti fundamenta.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd nec ex ſpiritibus, nec ex humoribus intra venas putridis fiunt lumbrici: quia ſuor ſubſtantia fluidior, quàm quæ requiritur pro lumbricorum generatione, & minus glutinoſa, calórque intenſior, quàm ille quo materia pro illis diſponitur; ideò enim nec intra, nec extra corpus fiunt lumbrici ex quacumque putrida materia, ſed ex ea habet modum ſubſtantiæ aptum pro earum conformatione. Vel 2. Quòd intra venas non fiunt lumbrici, quia nec ex amaris fiunt, nec inter amara, aut acerba conſeruantur, qualia ſunt bilis, & melancholia, quibus & reliqui

humores

humores ſunt commixti: Tum præterea quòd ſi magna ſit putredo, apparet fœtor magnus in humoribus ſanguinis miſſione extractis, ſin minus paruus ſit fœtor, & à ſanguine coërcetur, cui commixti ſunt plerumque humores qui putreſcunt. Tum demùm quòd in venis etiam poteſt deficere ventilatio requiſita in humoribus pro impedienda putredine. A

Ad 2. reſpondetur: Quòd vaſa conſeruandi humores vim habent, non autem retinendi illos liberos ab alteratione cauſæ putrefacientis.

Ad 3. reſpondetur: Quòd à naturali calore perficiuntur humores, vruntur ab vſtiuo, & putreſcunt à putredinali.

Resolvtio III.

Vtrùm ab vno humore valeat febris humoralis oriri?

§. I.

Ratio dubitandi adducitur.

Videtur quòd non; Primò: quia omnes humores ſunt ſimul in venis ſanguini commixti, ita vt minimum cuiuſuis ſanguinem attingat: ergo ſimul omnes calefiunt à putredinali calore, & patiuntur putredinem ſimul.

Secundò: Ab eodem iecoris calore fiunt ſimul omnes humores: ergo ſi vnus generatur aptus putredini, ſimiliter & reliqui. C

Tertiò: Ex eodem alimento communis materia tribuitur pro omnibus generandis humoribus: ergo ſi materiam putreſcibilem tribuit pro vnius generatione, ſimiliter & pro reliquis.

§. II.

Sancitur communis opinio.

Reſoluendum: Quòd licèt commixti ſint humores, valet vnus putrefieri, reliquis non putrefactis. D

Probatur 1. Quatuor humores ſunt actu & formaliter diuerſi in venis cum diuerſis formis ſubſtantialibus, diuerſiſque ſubſtantiæ modis: ergo poteſt ſubſtantiæ modus vnius eſſe aptus putredini, non verò reliquorum.

Probatur 2. Diuerſi quatuor humores diuerſis gaudent temperiebus: ergo valet vnius temperies putredini reſiſtere, non autem alterius.

Probatur 3. Materia ex qua fiunt humores, ſæpiùs pro vno magis ex vno alimento illi proportionato ſumitur, quàm pro aliis. Ergo magis aptus putrefieri ille humor, quàm reliqui, ſi alimentú erat putredini aptum.

Probatur 4. Ex ſignis, duratione, & circuitibus propriis vnicuique humori in vnaquaque febre repertis. E

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

Ad 1. Reſpondetur in *lib. Simonis Acampi* quem Ioſeph Galeanus Eraſmo Salato adſcribit, licèt ſub alterius nomine ſit editus; quòd cùm ex Ariſtotele *l. 2. de anima*, Actus actiuorum ſunt circa paſſum bene diſpoſitum, poteſt eſſe diſpoſitio in vno humore, & non in aliis, vt putrefiat, & ideò ab vno fit febris, non à reliquis.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt omnes humores fiant ab eodem iecoris calore, poteſt alter illorum aptior remanere, vt putrefiat, quàm reliqui, qui imperfectiorem modum ſubſtantiæ valet recipere.

Ad 3. reſpondetur: Quòd plerumque vtimur pluribus alimentis, ex quibus maior pars ſumitur de his, quàm de illis pro hoc, vel illo humore; & ideò hic, quàm ille humor aptior eſt putrefieri: & licèt ex vno fiant alimento omnes humores, poteſt vnus, quàm alter humor acquirere ex illo perfectiorem ſubſtantiæ modum.

Resolvtio IV.

B Vtrùm calor febrilis ſit in humoribus independens à cauſa extrinſeca?

§. I.

Carreiri & aliorum refertur opinio.

Cvm humoralis febris pendeat ab humoribus, & hæc foueatur ab illis, ablatâ externâ cauſâ, angit Moderniores quærere cauſam; à qua humorum præternaturalis conſeruatur cauſa: præcipuè Complutenſes, qui iurarunt in verba Carreiri negantis materiales partes elementorum in mixtis, qui cogitur recurrere ad quaſdam ſecundas qualitates primarum conſeruatiuas; & licèt hanc opinionem collegerunt ex Carreiro, quæ modò ab ipſis recipitur: eam retractat ipſe *fen. 4. 1 tract. 1. diſp. 2.* & cùm falſitas ſibi non cohæreat, ſæpè in eodem capite Carreirus ad ſe accedit, & recedit à ſe, &, vt moris habet, plura inuoluit, fingit, & impugnat, & tandem ad vomitum redit, & deglutit quod priùs vomuerat.

Videtur tamen ſine cauſa externa non poſſe præternaturalem calorem in humoribus conſeruari: Tum 1. Quia quæ putrida ſunt, redduntur frigida, & ideo putridi humores frigidi debent eſſe. Tum 2. quia nullus apparet modus, quo poſſit calor extraneus conſeruari. Tum 3. quia nec ab ambiente poteſt conſeruari præternaturalis humorum calor, cùm ſit plerumque frigidus aër ambiens. Tum 4. quia per putredinem humor non adquirit ignis formam, à qua excedens conſeruetur calor. Tum 5. quia ſubiectum quod à cauſa externa recipit extraneas qualitates, ipsâ ablatâ illas amittit. Tum 6. quia ſicut elementa, ablatâ causâ extrinſecâ, non valent conſeruare extraneas, quas ab ea receperunt qualitates, ſimiliter nec mixta: ergo qui putreſcit, ablatâ causâ externâ, non valet conſeruare præternaturalem calorem.

Secundò; Si aliqua cauſa valeret febrilem calorem conſeruare, extrinſecâ causâ ablatâ, maximè qualitas ſecunda: ſed ſecundæ qualitates non conſeruant primas. Tum 1. quia accidentia diſpoſitiuè conſeruant ſubſtantiam, ipſa verò efficienter conſeruantur à ſubſtantia. Tum 2. quia primæ qualitates peterent alias diſpoſitiuas qualitates, & quia ſunt primæ in genere generabilium, & corruptibilium, valent quodlibet corruptibile ſubiectum alterare, & corrumpere, & recipi in illo ſine qualitatibus aliis diſpoſitiuis. Tum 3. quia ſi primæ qualitates peterent alias diſpoſitiuas qualitates, illæ alias peterent, & daretur proceſſus in infinitum. Tum 4. Quia ſicut color non videtur per alium colorem, nec lux per aliam lucem; ſimiliter nec qualitates primæ, quæ ſunt diſpoſitiones aliarum formarum ſubſtantialium, petunt ſubiectum diſponi ad ipſas per alias qualitates diſponentes. Tum 5. quia in igne, & aëre, & mixtis oritur conſeruatiua diſpo-

ſitio

ſitio à forma ſine alia diſpoſitione præuia. Tum 6. quia ſufficit forma elementi, aut mixti, quæ primas qualitates producit, vt eas valeat conſeruare. Tum 7. quia qualitates ſecundæ conſeruantur à primis, & ſi primæ conſeruarentur à ſecundis, committeretur vitioſus circulus in horum conſeruatione, cùm adinuicem ſe conſeruarent in eodem genere cauſæ, in quo ſimul eædem qualitates eſſent aliis priores & poſteriores. Tum 8. quia quod eſt poſterius, ſicut ſunt ſecundæ qualitates reſpectu primarum, quatuo ſunt effectus, non poteſt eſſe principium emanationis, nec determinatiuum, nec conſeruatiuum eius, à quo oritur: ergo ablatâ causâ extrinſecâ, non conſeruatur febrilis calor in humoribus.

Tertiò: ſi aliquo modo poſſet conſeruari putredinalis calor in humoribus independenter à cauſa extrinſeca, maximè vt intendit Carreirus citatus, à termino putredinis, cui vnitur calor, & durat dum permanet: ſed à termino putredinis conſeruari non poteſt. Tum quia terminus putredinis, vt diximus, eſt vbertatio ſubſtantiæ ſiccæ & humidæ, quæ non eſt caloris conſeruatiua: Tum quia etiamſi terminus putredinis ponatur, vt alij intendunt in præternaturalitate caloris, idem calor non eſt dicendus ſui ipſius conſeruatiuus: Tum quia calor, vel conſeruatur à ſimili, vel à forma ipſius productiua, & neutrum horum eſt terminus putredinis, cùm potiùs ſit formæ, aut ſubſtantiæ modi corruptela: Tum quia Carreirus dicit terminum putredinis eſſe ſecundam qualitatem, quam probauimus non eſſe conſeruatiuam primarum: Tum quia calor febrilis remanet in humore, dum putreſcit, non autem dum eſt in termino putredinis: quia quæ putrida ſunt in termino redduntur frigida: ergo ablatâ causâ extrinſecâ, non eſt à quo conſeruetur putredinalis calor in humoribus.

§. II.

Sancitur modus quo fit habitualis præternaturalis calor in humoribus ratione putredinis.

REſoluendum: Quòd febrilis calor in humoribus putredine affectis fit independens à cauſa extrinſeca, & conſeruatur ab illorum forma à qua oritur. Sic deducitur ex Auicenna *fen. 2. lib. 1. doctrina 2. c. 1. §. Putrefactio enim ſæpè accidit cùm in corpore remanet, poſtquam ab ea cauſa extranea calefacienti ſeparatur.*

Probatur primò ex communi Dogmaticorum ſententia, qui omnes fatentur cum Hippocrate, & Galeno, quòd vt calor præternaturalis dicatur febris, dum inhæret viuenti, debet per modum habitus permanere in humoribus in febre humorali, & non ſicut caliditas iræ, & laboris, dum non vltimatur: ſed calor habitualis eſt independens à cauſa extrinſeca: ergo in febre humorali præternaturalis calor independenter ab externa cauſa ab humorum forma fit, & conſeruatur.

Probatur 2. Sic ſe habet forma humorum ad producendum præternaturalem calorem, ſi determinetur per ſubſtantificum temperamentum peruerſum ſicut ad producendum naturalem calorem, dum per naturale illorum temperamentum determinatur: ſed ratione putredinis peruertitur ſubſtantificum temperamentum humorum, & ſeparatis partibus frigidis à calidis, ab his determinatur ad producendum præternaturalem calorem: ergo producit & conſeruat illum independenter à cauſa externa.

Dices: Cur non determinatur etiam ad intenſiorem frigiditatem per partes frigidorum elementorum, quæ ſunt ſeparatæ à calidis, & determinant ad frigiditatem producendam.

Reſpondetur: Quòd ideò quia à noſtro calore impeditur frigiditatis productio in partibus frigidis, & coadiuuatur pullulatio caloris in partibus calidis.

Probatur 3. Si putredo incipiat ab aliqua cauſa procathartica, vt ab inſolatione, vel à ſimili, illâ ablatâ, permanet febris, & vlterius percurrit quatuor tempora, in quibus intenditur, permanet in intenſione adquiſita, & declinat ſine eo, quòd calor iorendatur, aut conſeruetur ab externa cauſa: ergo habet internam cauſam, à qua fieri, & conſeruari valet ſine cauſa extrinſeca.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd quæ ſunt putrida in termino, redduntur frigida, quæ autem in fieri, habent intenſiorem calorem. Tum 2. Quòd conſeruatur extraneus calor ab anima modo dicto inter probandam reſolutionem. Tum 3. Quòd non conſeruatur ab ambiente, ſed à forma humorum. Tum 4. Quòd ſufficit, quòd acquirat humor temperamentum, quod determinet formam eius ad intenſiorem producendum calorem. Tum 5. quòd extraneæ qualitates productæ in mixtis à cauſa externa poſſunt conſeruari à forma mixta, ſi temperamentum ſubſtantificum peruertatur. Tum 6. quòd elementa ſolùm continent virtutem productiuam earum qualitatum, quæ illis ſunt naturales: quia operantur per virtutes ſibi connaturales; formæ verò mixtæ, quia qualitates primas producunt, prout virtualiter continent elementa, poſſunt illas producere, & prout ſibi ſunt naturales, ſi ſubſtantificum temperamentum eſt naturale; & prout ſunt præternaturales ſi illud præternaturale fuerit.

Ad 2. reſpondetur: Quòd à forma humorum producitur, & conſeruatur modo dicto præternaturalis calor, non autem à ſecundis qualitatibus, vt Moderniores ineptiſſimè admittunt; vt fatetur Carreirus antiquam deſerens ſententiam.

Ad 3. reſpondetur: Quòd ſatis manifeſtè conuincit argumentum, quòd nec ſecunda fuga Carreiri poſſet ſuſtineri, & facilè conuincitur, in quantas trahitur anguſtias, ne deſerat placitum, in quo nutritus partes materiales elementorum in mixtis renuit admittere.

Resolvtio V.

Quotuplex ſit febris humoralis?

§. I.

Aperitur difficultatis ratio.

COmmuniſſima febris humoralis ratio non æquè ab omnibus ſpecificatur Authoribus Sectarum. Empirici ſine illius cognitione particulari cuicumque medentur febri ex curatione cuiuſuis alterius febris, quæ ipſis fuit oblata, ignari an eiuſdem, an alterius ſit generis. Methodici genericis inſiſtunt differentiis, nullas ſubſequuntur ſpecificas. Paracelſus tres admittit differentias putridarum febrium, non autem humoralium: quia *lib. de morb. tartari*, ex tartari putredine febres oriri putridas admittit, & eas diuidit non ratione materiæ ex qua, aut in qua producuntur, ſed ratione loci; quia vel in vaſculo

triculo, in iecore, aut renibus tartarum putreſieri, & poſſe cauſare febrem iudicat Imaginarius Vanhelmont, nec humores, nec putredinem, nec febrem eſſe calorem admittit, & ideò nullas humoralis febris admittit differentias. Dogmatici, qui exquiſitiſſimas quaſcumque inſectantur febrium differentias, ex quolibet peculiari accidente ſuperueniente ex humoribus, vt ex humorum alteratione, ex modo caloris, & ex quocumque accidente maximo concomitante illas partiuntur febres humorales, quorum nos doctrinæ adhæremus.

§. II.

Humoralis febris ratione cauſa partitur.

RESOLUENDUM 1. Quòd ratione cauſæ febris humoralis eſt quadruplex.

Patet: Tot ſunt differentiæ febris humoralis deſumptæ ab humorum differentia, quot ſunt humores, à quibus vſtis, aut putrefactis poteſt prouenire; ſed iam probauimus quatuor eſſe humores huiuſmodi alterabiles: ergo quadruplex differentia febrium deſumitur ab illis.

§. III.

A febris calore diuiſio deſumitur.

RESOLUENDUM 2. Quòd ratione durationis caloris humoralis febris alia eſt continua, alia eſt intermittens.

Patet: nam ſi humor continuò putreſiat, aut vratur intra venas, Continua fit humoralis febris, Synochus ex ſanguine, Quotidiana ex pituita, cauſo ſeu febris ardens ex bile, Quartana continua ex melancholia, ſi autem extrauaſatus humor per interualla putreſiat, fit intermittens febris humoralis, Quotidiana ex pituita, Tertiana ex bile, Quartana ex Melancholia.

§. IV.

A modo alterationis humorum diuiditur Humoralis.

RESOLUENDUM 3. Quòd ex modo alterationis humorum, alia eſt febris humoralis, quæ fit vſtione, alia quæ ratione putredinis fit, & dicitur putrida.

Patet: Ex humoribus prouenit febris dum alteratur illorum temperamentum ſubſtantificum, & peruertitur, vt determinet formam ad productionem febrilis, ac habitualis caloris: ſed hoc prouenit ratione putredinis, aut vſtionis, vt probauimus: ergo ex modo quo alterantur humores duplex hæc febris oritur.

§. V.

Humoralis ab accidentibus differentia ponuntur.

RESOLUENDUM 4. Quòd febris humoralis fit multiplex ab accidentibus, quæ curationem ad ſe trahunt.

Patet: Nam alia eſt colliquans, quæ propter ingentem calorem, pinguidinem, carnem, ſolidarum partium ſubſtantiam ac humores colliquat, per ſudoréſque, aut inſenſibilem halitum reſoluit, per vrinas, aut deiectiones mouet. Alia eſt horrifica, qua horrores fiunt frequenter. Alia eſt Aſſodes, in qua ægri iactantur, & frequenti inquietudine anguntur, grauiter morbum ferunt, & plerumque nauſea, & vomitu anguntur. Alia eſt Elodes, in qua ſudores perpetuò funduntur. Alia eſt Syncopalis, quæ ſyncope, aut animi deliquio ægrum corripit. Alia eſt Epiala,

A in qua eodem tempore per vniuerſas corporis partes minimas calor, & frigus ſentitur. Alia eſt Lipyria, in qua interna vruntur, & externa frigent. Alia eſt Lenta, quæ oritur ex latente obſtructione, & putredine adeò contumaciter adhærente, & impacta, vt viſceris ſubſtantia labefactetur, & plerumque fit ex viſcerum putredine, & aliæ huiuſmodi dantur: ergo plures ſunt huiuſmodi differentiæ.

§. VI.

Ab humorum diuerſitate partitur febris.

B RESOLUENDUM 5. Quòd febris humoralis alia eſt legitima, alia notha, ſeu ſpuria, ſeu illegitima.

Patet: nam alia oritur à ſimplici & vnico humore vt bile: aut pituita, & dicitur legitima; alia dicitur, quæ oritur ab humore alteri commixto, vt Tertiana, dum oritur à bile pituitæ, aut melancholiæ commixta, & hæc dicitur notha, aut ſpuria, quia non à ſola bile, ſed ab alio commixto humore fit.

§. VII.

Diuiditur febris humoralis ex aliarum complicatione.

C RESOLUENDUM 6. Quòd febres aliæ ſunt ſimplices, & aliæ complicatæ.

Patet: Nam humorales aliquando reperiuntur ſine complicatione cum alia febre, aut morbo, vt ſi ſit ſola Tertiana, aut febris ardens; aliquando complicantur cum aliis, vt in Hemitritæo, Tertiana cum Quotidiana, & ſæpè complicantur cum inflammationibus, ex quibus fiunt, vt cum laterali dolore.

RESOLVTIO VI.

D Vtrùm ex quolibet putrefacto humore fiat febris?

§. I.

Antiqua refertur opinio.

DE extrinſecis cauſis, intrinſecíſve, à quibus quæcumque valet oriri febris, & à quibus valent humores alterari, iam egimus; ſed cùm ipſi ſint immediatæ cauſæ humoralium febrium; an ab omnibus valeant prouenire eſt dubitatio? Cui dubitandi anſam dederunt Antiquiores Galeno, quorum ipſe meminit *lib. 2. de differentiis febrium c. 2.* Qui à ſola bile poſſe oriri febrem humoralem crediderunt, quia Sanguis eſt temperatus; Pituita frigida, & humida; Melancholia

E frigida, & ſicca: ergo à ſola bile, quæ eſt calida, valet humoralis febris fieri.

§. II.

Deciditur communis Dogmaticorum opinio.

RESOLUENDUM: Quòd à quolibet humore, vſtione, aut putredine alterato, poteſt fieri humoralis febris: ſic receperunt ex Galeno cuncti Dogmatici.

Probatur à Galeno; Tum ex ſignis, quibus à diuerſis humoribus febres prouenire demonſtratur; Tum ex diuerſitate acceſſionum, ex modo caloris; Tum ex diuerſis excretionibus humorum, à quibus dependent: ergo à diuerſo quolibet humore poteſt oriri febris humoralis.

Probatur

Probatur 2. Febres oriuntur ex humoribus vt vſtis, aut putrefactis: ſed quilibet humor poteſt pati vſtionem aut putredinem: ergo à quolibet humore poteſt febris humoralis prouenire. A

Probatur 3. Eo tempore anni magis graſſantur febres cuilibet humori affinea in accidentibus, & acceſſionibus, in quo plus de illo humore luata illius temperiem ſuperabondat, & in eo ſubiecto, quod ratione propriæ temperiei abundat humoribus proportionaris pro tali bile: ergo quia à quolibet humore valet huiuſmodi febris prouenire.

§. III.

Soluitur ratio Antiquorum. B

REſpondetur: Quòd cùm febris non proueniat ab aliquo humore, vt probaui, niſi vſtioneio, aut putredinem patiatur; & quilibet valeat eas pati, à quolibet poteſt febris fieri; quia qui putreſcunt, aut vruntur, redduntur calidiores, & valent febrem cauſare, etiamſi priùs eſſent temperati, aut frigidi.

Resolutio VII.

Vtrùm omnis febris putrida continua fiat ex humoribus in vaſis maioribus putrefactis? C

§. I.

Communis refertur opinio.

COmmunis Dogmaticorum opinio tenet: Quòd non poteſt putrida continua humoralis fieri niſi ab humorum putredine intra vaſa maiora. Ratio eorum eſt, quia per hoc ſolùm differt Continua ab Intermittente, quia in Continua putredo eſt in humoribus, qui continuò intra vaſa permanent putrefacti; Intermittens fit in humorum aliqua parte, quæ à reliquorum humorum conſortio ſeceernitur, & ſeparata ad alias fertur partes: ergo Continua humoralis non poteſt fieri niſi ab humore intra vaſa putredinem patiente.

§. II.

Suſtinenda opinio ſancitur.

REſoluendum: Quòd humoralis Continua fit à putrido humore in quacunque parte, diu valet cum putredine permanere. Sic tenet Bellonius *l. 2 conſ.* 31.

Probatur 1. Cauſus eſt febris continua: ſed patet fieri extra vaſa maiora; Tum ex Hippoc. *lib. 4. epidem. p. 17 lib. 2. epidem & ibi* Galen. de febribus continuis, quibus hæmorrhagia conuenit: ait: *Hæmorrhagia maximè in febrib. cauſonibus conuenit, quarum ſedes in pulmone:* & diſtinguit, Ao ſit ſoeur putredinis in pulmone ex difficultate reſpirationis. Tum fieri in ventre docet Galenus lib. 4. acut. *Quibus venter afficitur, & ſocus febris eſt.* Tum lib. 4. acutor. p. 2. ait Galen. *Interdum cauſus in vna parte; interdum in toto corpore gignitur, cùm in vna parte non neceſſariò, &c.* E

Probatur 2. Febris in Eryſipelate orta ex bile extrauaſata, quæ in ambitu corporis putreſcit, diu permanet, & fit continua ratione bilis putridæ extrauaſatæ, etiamſi ex ſignis coctionis appareat intra venas nullam patitur putredinem: ergo poteſt fieri continua febris ab humore putrido extra vaſa.

Probatur 3. Ex continua febre orta ex bubone, pleuritide, ex obſtructionibus, & ex putredine, orta in humoribus reliquos tumores efficientibus, quæ continua cùm ſit ſine aliqua intermiſſione; non dependet ab humore intra venas putrido.

Probatur 4. Ex memorabili caſo relato à Lazaro Riuerio *lib. de febribus, cap. de putrida continua*, quem refert Zechium obſeruaſſe *conſil.* 46. de infante continua febre laborante cum grauiſſimis accidentibus, quæ orta fuit ex ſanguine contento, & putrefacto in ventriculo, quæ vomitu concreti, & purulenti ſanguinis fuit eiecta: ergo continua febris putrida non petit in ſolis vaſis maioribus humorem putrefieri.

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd putrida Continua differt ab Intermittente: quia Continua continuò lædit per totum morbi decurſum, Intermittens verò non niſi per interualla, non autem differunt à loco putredinis, licèt vt in plurimum contingat quòd febris continua intra vaſa; intermittens extra illa habeat locum putredinis: & ideò Galenus & Auicenna penes hoc illas diuidunt, quia ſolet eſſe communiſſima cauſa; at verò quòd altera ſit Continua, altera Intermittens, potiùs dependet ab hoc, quòd portio humoris, à qua dependet febris, diù poſſit cum putredine ſubſiſtere, aut parum; ſi enim diu perdurat, continua fit febris, in quocunque loco ſubſiſtat putridus humor.

Resolutio VIII.

De ſignis putridæ humoralis febris?

§. I.

Explicantur communes febrium humoralium differentiæ ſignis.

REſoluendum: Quòd ſigna humoralium febrium, alia diſtinguunt Continuam ab Intermittentes; alia putridam à non putrida; alia ipſas humorales febres inter ſe, Reſolutio ex dicendis dilucidatur.

Continua ab Intermittenti diſtinguitur febris: quia hæc certis periodis perueoit ad infebricitationem: illa aſſiduò affligit, ſiue ex propria natura fiat talis, ſiue ex acceſſionum ſubingreſſu. D

Humoralem putridam diſtinguit ab aliis generibus: quòd in ea eſt calor acrior, & mordacior; pulſus magnus, frequens, & plerumque inæqualis, ſed ſemper ſyſtole fit velocior, quàm diaſtole. Lotium initio parù coctum, aut crudum apparet, rigore incipit, & certis periodis ſeruat exacerbationes, quibus ſuperueniunt plerumque nauſea, vomitus, grauitas corporis, & capitis dolor, delirium, vertigo, ſingultus, anxietas, morſus oris ventriculi, ſitis, linguæ aſperitas, nigredo, hypochondriorum tenſio, & plerumque etiam, vt Riuerio adhærentes, præcedunt illi ſpontanea laſſitudo, motus grauis, ſomnus turbulentus, vigiliæ, reſpiratio difficilis, capitis grauitas, & pulſatio, inappetentia, excrementa fœtida, & copioſa, crebra pandiculatio, aut oſcitatio.

Humorales inter ſe diſtinguũt propria vniuſcuiuſq; ſigna, quæ, agentes de ſpecifica earũ natura, trademus.

SECTIO IV.

De Febre humorali Intermittente.

EX febribus humoralibus ſanguinea ſemper eſt Continua; reliquæ aut continuæ, aut intermittenter poſſunt eſſe: Continuæ & Intermittentes

ab eodem humore prouenientes, licèt ratione cauſæ conueniant; in Intermittentibus tamen plura ſuperadduntur, quæ peculiarem exigunt diſputationem, quam proſequemur ſub hac ſectione.

Resolvtio I.

Vtrùm febris Intermittens perueniat ad omnimodam infebricitationem?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

VIdetur, quòd non ſit neceſſarium illi peruenire ad infebricitationem.

Primò: quia ex Hipp. 4. *Aphoriſm.* 36. quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur; ſed hæc ſolutio non exigit omnimodam infebricitationem: quia hæc Aphoriſtica ſententia etiam ſaluatur reſpectu febrium ſubintrantium: ergo non eſt neceſſarium Intermittentibus, quod perueniant ad infebricitationem.

Secundò: Febres ſubintrantes, quæ per ſubingreſſum perdurant vſque alterius acceſſionis principium, dicuntur Intermittentes; ſed iſtæ non perueniunt ad infebricitationem: ergo non eſt proprium febri Intermittenti, quòd perueniat ad infebricitationem.

C Tertiò: In Quotidiana plerumque perdurat acceſſio per viginti quatuor horas: ergo nunquam habet poſſe peruenire ad infebricitationem.

§. II.

Sancitur tenenda pars.

REſoluendum: Quòd omni febri Intermittenti debetur ratione cauſæ, à qua dependet, quòd perueniat ad infebricitationem. Sic Carreiros *lib.* 4. *de febr. tr.* 2. *diſp.* 2. *c.* 1.

Probatur 1. ex Galeno *lib.* 2. *de differ. febr. cap.* 1. §. *Vbi etiam einſdem generis febrium diximus differentiam, quod ex ipſis, quæ quidem ſunt intermittentes, eas enim ſic appello quæ ad ſenſibilem infebricitationem perueniunt, &c.*

D Probatur 2. Intermittens febris differt à Continua: quia Intermittens non dependet à tota materia morbifica ſimul aggreſſa putredine, ſed à determinata illius portione; febris verò Continua dependet à tota materia morbifica ſimul aggreſſa putredine, vel ſucceſſiuè in eodem loco aggredienda ſine interuallis: ergo febri Intermittenti ſaltem ex modo, quo petit illius materia putrefieri ſcilicet per interualla, petit ad infebricitationem peruenire.

E Probatur 3. Illa febris ex ſe petit non peruenire ad infebricitationem, quæ petit ex modo, quo dependet à cauſa, omnia ſua tempora percurrere ſine intermiſſione: ſed ex modo quo dependet à ſua cauſa febris Intermittens non petit non peruenire ad infebricitationem: ergo ex ſe petit Intermittens peruenire ad infebricitationem. Probatur minor: febris intermittens ex modo quo pendet à cauſa non petit, quòd illa putrefiat continuò, ſed per partes & interualla: ergo non petit non peruenire ad infebricitationem.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. Reſpondetur: Quòd Hippocrates vocat Intermittentes eas febres, quibus ex ſua natura debetur, quòd perueniant ad infebricitationem,

A licèt hoc impediatur illis per accidens ratione ſuperuenientis acceſſionis.

Ad 2. Reſpondetur: quòd febres ſubintrantes dicuntur intermittentes, & dicuntur continuæ diuerſo modo: nam intermittentes dicuntur, quia ratione modi, quo dependent à cauſa, debetur illis intermittentia; dicuntur continuæ per ſubingreſſum, quia per accidens contingit illis non peruenire ad infebricitationem, quia dum actu peruenirent, alia accidit acceſſio.

Vel 2. Reſpondetur: quòd per ſe ſunt intermittentes: quia prout acceſſio pendebat à tali determinata parte humoris, ceſſat febris; quoad ſenſum verò videtur continua, quia continuò percipitur febris, licèt quæ ſubſequitur, pendeat à diuerſa cauſa.

B Vel 3. Reſpondetur: quòd ſicut dum febris putrida ſuperuenit diariæ, licèt continuetur calor, diaria dicitur peruenire ad infebricitationem, dum vlterius calor non pendet ab ſpiritibus; ſimiliter intermittentis acceſſio peruenit ad infebricitationem, dum non iam pendet ab humore extrauaſato, à quo priùs conſeruabatur.

Ad 3. Reſpondetur: quòd Quotidiana adhuc peruenit ad infebricitationem reſpectu caloris, qui pendebat ab ea parte humoris, quæ fuit primò alterata, licèt ſubſequatur febris ex alia humoris parte ſuperueniens.

C

Resolvtio II.

Vtrùm intermiſſio febris ſit morbi tempus?

§. I.

Valleſij, Gentilis, & aliorum opiniones referuntur.

GEntilis *fen.* 1. *libro* 4. *tract.* 2. *cap.* 6. Valleſius *lib.* 2. *de different. febrium capite* 4. Carreirus *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *capite* 1. judicant febrem Intermittentem non ita peruenire ad omnimodam infebricitationem, vt non permaneat aliqua calida intemperies; in quo dicendi modo facilè ſaluatur, quòd febris intermittentis interuallum ſit febris tempus. Alij licèt admittant febrem intermittentem peruenire poſſe ad omnimodam infebricitationem, quia cauſa eſt vna, à qua per interualla fouetur febris, ipſam vnam eſſe adhuc in interuallis admittunt. Alij verò dicunt, quòd tempus interualli non eſt tempus febris. Quibus fauet,

Primò: Tempus morbi eſt illud in quo datur læſio operationum, ſine qua morbus reperiri non poteſt, vt patet ex eius definitione: ſed in febris intermittentis interuallo non datur læſio operationum: ergo non eſt tempus febris.

E Secundò: Non poſſunt dici vnum, quæ non ſunt continua, præcipuè in ſucceſſiuis: ſed in febre intermittente ratio febris diſcontinuatur in interuallo: ergo interuallum definit eſſe febris tempus.

Tertiò: In interuallo non manet febris, ergo non eſt febris tempus. Probatur antecedens, peruenit homo ad infebricitationem, vt ſupponimus: ergo non manet febris.

§. II.

In interuallo non eſt integra ratio morbi.

REſoluendum 1. Quòd interuallum non eſt tempus febris prout hæc eſt formaliter morbus,

Probatur: Febris, vt eſt morbus, eſt calor præter naturam lædens operationes: ſed in interuallo febris intermittentis non datur calor præter naturam lædens operationes, quia in hac ſuppoſitione loquimur: ergo interuallum non eſt tempus febris, vt morbus.

§. III.

Sancitur modus quo dicitur febris tempus interuallum.

RESoluendum 2. Quòd licèt interuallum non ſit tempus febris, prout morbus, eſt illius pars prout intermittens: ſic deducitur ex Galeno 5. *de Criſibus cap. 3. & 4. Aphoriſm. 43. & 4. Aphoriſm. 63.* aliiſque in locis, in quibus tempus intermiſſionis febris tempus eſſe affirmat.

Probatur 1. Illud ſine quo res concipi non poteſt, pars eſt illius: ſed febris intermittens non poteſt concipi ſine temporis interuallo in quo detur intermiſſio acceſſionum: ergo interuallum eſt illius tempus.

Probatur 2. Ita eſt de eſſentia intermittentis, quòd non detur calor præternaturalis in interuallo, ſicut de continuis quòd detur: ergo ſicut eſt tempus continuæ febris totum tempus, quo datur præternaturalis calor, ita eſt tempus intermittentis interuallum in quo non datur.

Probatur 3. Partes adintegrantes quamlibet entitatem, etiamſi diuerſæ naturæ, ſunt illius partes: ſed tempus interualli cum intermittentia febrilis caloris eſt pars adintegrans febrem intermittentem, vt intermittens eſt: ergo tempus interualli eſt tempus febris intermittentis. Probatur minor: quia febris ſi non haberet interuallum, cui deberetur intermiſſio febris; non eſſet febris intermittens, ſed continua.

§. IV.

Soluuntur adducta dubitandi rationes.

AD 1. reſpondetur diſtinguendo maiorem: Tempus morbi eſt in quo datur læſio operationum, ſi ſit tempus morbi vt morbus eſt, concedo: ſi ſit tempus morbi vt intermittens eſt, nego maiorem: Sicut enim motus interruptus, ſeu motus compoſitus ex compreſſione, & dilatatione, non petit quòd ſemper ſit actus entis in potentia, ſed prærequirit diſcontinuas quietes adintegrantes illum; ſimiliter morbus intermittens non ſemper petit lædere, ſed adintegratur interuallis, in quibus quieſcit à læſione.

Ad 2. reſpondetur: Quòd non poſſunt habere vnitatem continui, quæ non ſunt continua, poſſunt tamen eſſe vnum vnitate diſcreta; ſicut & plures entitates in eſſe continui ſunt vnum vnitate diſcreta.

Vel 2. reſpondetur: Quòd febris prout in acceſſione lædit, & prout in interuallo quieſcit, licèt non ſit quid continuum ſecundùm eſſe homogeneum; ſecundùm tamen eſſe heterogeneum ſunt vnum continuum, vtraque enim illarum eſt pars febris intermittentis, vt intermittens eſt.

Ad 3. reſpondetur: Diſtinguo antecedens, in interuallo non manet febris ſecundùm rationem qua lædit operationes concedo: ſecundùm rationem intermittentiæ, nego antecedens. Cùm enim intermittentia ſit pars adintegrans febrem intermittentem, licèt dum intermittit non remaneat ſecundùm rationem præternaturalis caloris, manet ſecundùm intermittentiæ rationem.

RESOLVTIO III.

Quínam ſit focus putredinis in febribus intermittentibus?

§. I.

Variæ Authorum ſententiæ proponuntur.

PAracelſus *lib. de morb. tartari*, ventriculum, iecur, & renes omnium putridarum febrium conſtituit focum. Vanhelmont *libr. de febrib. capite* 10. plura delirat, focum pro continuis, & intermittentibus febribus non differre affirmat, quia eas iudicat differre ratione cauſæ, nec in hac admittit putredinem, ſed præſentiam in loco quo Archæum deturpens, & hunc eſſe dicit pilorum, inteſtina, venas meſenterij, lienem, hepar, os ventriculi, & eius cauitatem. Inter Dogmaticos Donatus ab Altomari *libro 2. de curandis febrib. part. 1. cap. 3.* Trincauellus *lib. 1. Epiſtolarum cap. 11.* Galeno adſcribunt, quòd partes quæ ſunt propè cutem, ſint focus putredinis. Catreirus *ſen. 1. 4. tract. 2. cap. 4. diſput. 2.* Matamoros *lib. de febrib.* tenent, quòd Galenus docet, partes prope cutem eſſe focum putredinis in febribus intermittentibus, ſed non negare poſſe etiam eſſe putredinis focum partes primæ Regionis, in quas truditur humor. Ioubertus *Paradoxa 4. decad. 2.* reſpectu humoris à quo continua febris, & à quo intermittens dependet, intendit cor eſſe putredinis focum. Fernelius *lib. 4. part. natural. cap. 9.* nunquam in ambitu corporis focum putredinis eſſe in febribus intermittentibus aſſerebat, ſed ventriculum, & partes primæ regionis, cui ſubſcribit Platerius, & ſequitur Euſtachius Rudius *lib. 3. de febrib.* ipsique ſubſcribunt Stephano Atheníenſi *in libro primo artis Medicinalis*, Hercules de Saxonia *lib. 8. practica capite 6.* tenet in febre intermittente materiam morbificam moueri in principio à ſentientibus ad venas, ad partes internas, & ad viſcera ſecundùm aliquam ſui partem, & quòd ſecundùm maiorem partem putreſcit in vaſis maioribus, in principio, augmento, & ſtatu particularibus. Mercatus *lib. 6. de febrib.* intendit: quòd pars tenuis humoris fertur ad ambitum corporis, & quòd ibi non putreſcit ſed reſoluitur; & quòd pars committens acceſſionem, quæ eſt pars craſſior relinquitur in extremitatibus vaſorum, in quibus eſt focus putredinis omnium febrium intermittentium.

Pro Trincauello ſtat; Quòd ibi eſt focus putredinis in febribus intermittentibus, vbi fertur humor extrauaſatus à venis: ſed vt oſtendit rigor ſubſequutus ab humoribus ſparſis per partes ſentientes, ad illas defertur humor: ergo in illis eſt focus putredinis.

Secundò: Stat pro Ioubetto: Quòd ibi eſt focus putredinis, vbi primò communicatur febris: ſed tam in continuis, quàm in intermittentibus febribus febris primò communicatur cordi: ergo in eis cor eſt focus putredinis.

Tertiò: Stat pro Fernelio, Tum 1. quia impoſſibile eſt in tam breui tempore, quale eſt principium acceſſionis, poſſe humores deferri per totum ambitum corporis, præcipuè ſi ſit humor craſſus, vt in Quotidiana; vel terreſtris in quartana: Tum 2. quia non eſt cur ſimiliter in continuis febribus humor extrauaſatus, ad partéſque delatus non efficeret rigorem: Tum 3. quia in acceſſione intermittentium febrium apparet tuſſis, ſitis, anxietas, oſcitatio, nauſea, vomitus, & alia ſymptomata, quæ demonſtrant oriri ex humore in prima regione contento: Tum 4. quia

lotium

lotium redditur album in principio acceſſionum, quod potius ad internas, quam ad exteroas partes deferri humores demonſtrat: Tum 5. Quia contingit, quòd in tota febre intermittente lotium appareat cum ſignis coctionis in ſedimento, quod non appareret, ſi deferretur humor ad tertiam regionem: Tum 6. quia contingit Tertianam ſubſequi ad leuem partium perfrigerationem, quæ magna deberet eſſe ſi totus humor truderetur ad partes externas: Tum 7. quia extrauaſatione humoris in partes externas non poſſet ſubſequi duplex Tertiana. Tum 8. quia raro daretur Tertiana, quæ non eſſet continua, cùm leuis humor facilè truderetur, cuius contrarium contingit: Tum 9. quia ab humore putrido in partibus partes exulcerarentur, aut fieret eryſipelas: Tum 10. quia iuxta doctrinam Galeni *libro 2. de different. febrium cap. vltimo.* ſpiritus & ſanguis ferretur ad corporis partes externas attractus à calore, aut dolore illarum, qui potius refluit ad internas partes: ergo humor in prima regione, & non in tertia putreſcit in febre intermittente.

Quartò: pro Saxonia ſtat; Tum quòd febres intermittentes fiunt cum rigore. vt docet Galenus *lib. 4. de ſanitate tuenda capit. 6. lib. de cauſis ſymptomatum capit. 5. lib. 10. Methodi capit. 4.* vbi naturam rigoris conſiſtere in eo, quòd humores moueantur à corporis circumferentia ad centrum: Tum quia idem Galenus *libro 2. de differentiis febrium, cap. vltimo lib. 1. acutorum 46. & 3. de præſagatione ex pulſibus, 47.* docet: Quòd in principio acceſſionum humor mouetur ad viſcera: ergo à tertia regione trahitur pars humoris, à qua fit intermittentis acceſſio, ad primam regionem.

Quintò: pro Mercato ſtat, Tum 1. Quòd craſſi humores non ita citò moueri poſſunt ad ambitum corporis. Tum 2. Quòd maculæ quæ ante acceſſionem apparere ſolent in cute, denotant humorem tantùm tenuem deferri ad cutem, qui non putredine ſed reſolutione finitur ibi. Tum 3. Quòd cinericium, quod relinquitur, & eſt cauſa circuitus; non poteſt conſeruari in tertia regione. Tum 4. quia fit ſudor in declinatione, qui ab humida ſubſtantia in prima, aut ſecunda regione manente fit. Tum 5. quia ſedimentum, quod deſcendit ex cauſa morbifica, non deſcendit à tertia regione, ſed à ſecunda. Tum 6. quia ſi rigor penderet à cauſa, quæ efficit acceſſionem; eſſet intenſior in augmento illius, ſi eſſet humor putreſcens in tertia regione. Tum 7. quia ſi extra venas putreſceret humor in acceſſione, quælibet intermittens deberet reduci ad Diariam illegitimam, ſicut quæ oriuntur ex bubone, aut inflammatione. Tum 8. quia ſine partium exulceratione, non poſſet in illis putrefieri humor. Tum 9. quia humor extra venas non poſſet citò putrefieri, & reſolui, vt appareret de humore contento in paruis tumoribus. Tum 10. quia plerumque in fine acceſſionis pars materiæ committentis morbum deſcendit cum lotio, quod non contingeret ſi eſſet in tertia regione. Tum 11. quia in oppoſita ſententia non fieret pulſus inæqualitas febrilis, cùm humor, à quo deberet grauari arteria pro ipſo efficiendo, eſſet extra vaſa: ergo focus putredinis non eſt in partibus ſentientibus, ſiue in ambitu corporis.

§. II.

Tenenda pars ſancitur.

RESoluendum; Quòd focus putredinis in febribus intermittentibus, eſt quæcumque corporis pars, in quam periodicè à vaſis maioribus truditur pars humoris putredini apta, tenuis, & pauca. Sic aſſentitur Carreirus, & Matamoros.

Probatur 1. quia ſic venit intelligenda Galeni doctrina, qui in diuerſis locis pluries docet in tertia regione eſſe focum putredinis: vt *lib. 1. de different. febr. c. 1. & lib. 2. de Criſibus cap. 3. & 6.* aliàs verò morbificam materiam docet ad tertiam regionem deferri ante acceſſionem, aliàs verò in ventriculum, inteſtina, & vias primæ regioni deſtinatas: ergo ex eius doctrina, quæcunque pars ad quam truditur periodicè pars humoris apti putreſieri; erit focus putredinis.

Dices: quòd quomodocumque feratur humor, ſi ibi putreſcat, erit focus putredinis, ſine eo quod periodice, aut in parua quantitate feratur.

Reſpondetur: Quòd erit focus putredinis febris putridæ continuæ, ſi feratur in magna quantitate, & ſimul, & non periodicè, vt contingit in humore extrauaſato in pleuritide, bubone, ventriculo, vt probauimus *antecedenti reſolutione:* dum autem fertur periodicè, & in parua quantitate fit periodus, cui, ratione cauſæ, à qua pendet febris, debetur remiſſio requiſita pro febre intermittente, de qua loquimur.

Probatur 2. Humoris pars, quæ periodicè truditur à venis, ſeu vaſis maioribus, ideò truditur, quia ob incipientem putredinem in illo acquirit irritantem diſpoſitionem, propter quam cogit ad ſui expulſionem: ergo putrefiet in quacunque parte, ad quam feratur; ſed plerumque fertur ad tertiam regionem, vt demonſtrat rigor ortus ex doloroſa actione orta ab ipſo in partibus, & plerumque fertur ad ventriculum, vt patet ex eius vomitu; aliàs ad inteſtina, vt patet ex illius deiectionibus; ſæpè permanet in viſceribus putreſcens, vt ingens ardor, ſitis, inquietudo, anxietas, cordialgici dolores, & alia ſymptomata demonſtrant: plerumque verò in extremitatibus vaſorum ſeparatur, cùm nullum accidens ex dictis demonſtret trudi ex toto à venis, & conſtet ſeparari ab humoribus relictis in vaſis maioribus, aliàs non eſſet intermittens febris: ergo quælibet corporis pars, in quam modo dicto truditur pars humoris, eſt focus putredinis in febribus intermittentibus.

Probatur 3. Vt febris fiat intermittens, ſolùm requiritur, quòd periodicè ſeparetur à conſortio totius materiæ morbificæ pars ſufficiens pro acceſſione, quæ ſit apta putrefieri, ſed hæc indifferenter in hanc aut illam partem truditur à vaſis maioribus, cùm ſolum intendant illam ducere portionem, in quamcunque aliam debiliorem partem, quæ nequeat reſiſtere eius receptioni: ergo quæcunque pars debilis, in quam pars mandans valeat trudere illam, erit focus putredinis.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. Pro communi explicatione Galeni reſpondetur: Quòd Galenus non intendit, quòd ſemper ambitus corporis, & partes ſentientes tertiæ regionis, ſint focus putredinis in febribus intermittentibus: quia nec ſemper eſt in principio acceſſionis rigor, qui hoc demonſtret, ſed plerumque reperitur; & tunc docet Galenus, quòd ibi eſt focus putredinis eius humoris, qui in has partes mouetur.

Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt humor non putreſcat in corde, poteſt ſuum calorem illi communi-

care, vel per continui alterationem, vel qola per fuligines eleuatas cor calefacie, vt aliqui iudicant; vel quia aliquid aërem per reſpirationem attractum impedit attemperationem caloris ſpirituum vitalium à quibus calor calefit conſequi.

Ad 3. reſpondetur Fernelio: Tum 1. Quòd ſunt poroſitates per quas quilibet humor poteſt trudi ad partes carnoſas, vt patet in tumoribus, qui à quolibet fiunt humore; & breui tempore pulſi à facultate irritata poſſunt ferri ad partes externas, & ad internas, vt ipſe fatetur. Tum 2. Quòd in febribus continuis, quia putreſcens materia non fertur ad partes ſentientes, non fit dolor, qui prærequirit doloroſam actionem, quæ ab humore in venis non fit. Tum 3. Quòd proueniunt illa ſymptomata ex humore delato ad primam regionem: ex quo non probatur, quòd poſſit ferri in aliam partem, & ibi putrefieri. Tum 4. Quòd ex eo, quòd retineatur bilioſus humor, aut trudatur in aliam partem, crudum apparet lotium. Tum 5. Quòd ex cauſa antecedente permanente intra venas poteſt lotium apparere, etiamſi feratur in alium locum humor committés acceſſionem. Tum 6. Quòd ex parua materia bilioſa, ſi ſit commixta alteri humori, fiet ex leui rigore longior acceſſio, vel ſi parua bilis copia feratur ad tertiam regionem, & magna ad aliam, in qua ſimul putreſcat bilis. Tum 7. Quòd fiet duplex Tertiana ſemper, quòd ſit duplex pars mandans, vel duplex focus putredinis, ſiue in has, ſiue in alias feratur partes. Tum 8. Quòd rarò ſit continua Quartana: quia minor eſt melancholiæ copia, quàm bilis, & ideò eſt potens natura ad ipſam expellendam, non autem bilem, quæ quia in maiori copia, non ita poteſt ab expellente naturali trudi; & ideò putreſcens intra venas Continuam efficit. Tum 9. Quòd humor parum detinetur in partibus: quia putredine reſoluitur, & eſt per modum tranſitus, & ideò illas non exulcerat, ſicut dum maiori mora permanet in tumoribus. Tum 10. Quòd Galenus loquitur de motu ſpirituum & ſanguinis, qui moti ab arteriis intra, & extra feruntur in principio acceſſionum, nos verò de materia morbifica, quæ à venis truditur per facultatem expultricem naturalem.

Ad 4. Pro Saxonia reſpondetur: Tum 1. Quòd rigor fit per motum bilioſi humoris per partes ſentientes; cum quo docet Galenus quòd reperitur motus ad intra non ipſius humoris, ſed ſpirituum, & ſanguinis, qui per arterias trahuntur intrò & extra. Tum 2. Quòd hoc idem intendit Galenus, non autem quòd humor refluat qui erat in tertia regione.

Ad 5. Pro Mercato reſpondetur: Tum 1. Quòd diximus pro Fernelij argumentis, quid dicendum ad hanc rationem quam deſumpſit ex illo. Tum 2. Quòd maculæ denotant ferri quandoque humorem bilioſum ad cutem; non tamen ſequitur, quòd non poſſint etiam alij humores ferri. Tum 3. Quòd non eſt cur cineritium non poſſit permanere poſt reſolutionem in partibus, in quibus totus prius continebatur humor committens acceſſionem. Tum 4. Quòd ſudor fit ex vaporibus eleuatis ex humida ſubſtantia in quacumque corporis parte reperta. Tum 5. Quòd ſedimentum deſcendit ex materia, quæ in venis eſt cauſa antecedens. Tum 6. Quòd cùm rigor pendeat ab humore, qui mouetur, eſt minor in augmento: quia quieſcit humor, & maiori ex parte eſt reſolutus. Tum 7. Quòd non reducitur ad diætiam, quia permanet intra venas cauſa, à qua fouetur, vel quia non eſt febris accidens, ſicut quæ ſolet diaria dici. Tum 8. Quòd cùm humor parum retineatur, & permaneat, non exulcerat. Tum 9. Quòd ratione putredinis humorem totum aggredientis ſimul reſoluitur, & pa-

A rum durat humor. Tum 10. Quòd pars refluens ad primam regionem deſcendit cum lotio, non autem ea, quæ truditur ad tertiam regionem. Tum 11. Quòd ab humoribus in venis manentibus, poteſt inæqualitas febris pulſus prouenire.

Resolvtio IV.

Verùm rigor ſit inſeparabilis à febre intermittente.

§. I.

B *Aliqua prænotantur; Hippocratis authoritate fulcitur pars affirmatiua.*

HOrripilatio, fractio, frigus, & rigor cõmunia ſunt ſigna reperta in principio acceſſionum febrium intermittentium, & maximè inter ſe cohærentia: Horripilatio enim eſt diſpoſitio, in qua inuenit corpus diuerſitatem in frigore, percipit enim frigoris delationem cum inæquali punctione in cute, & lacertis, ſine muſculis: Fractio eſt laſſitudo vlceroſa, quæ quaſi via ad horripilationem: Frigus eſt diſpoſitio putæ frigiditatis in externis partibus, & in carnoſis muſculorum partibus: Rigor eſt diſpoſitio in qua laborantes non C poſſunt continere membra, quæ à facultate loco motiua muſculorum concutiuntur, & tremunt. Agimus enim de rigore, non prout apud aliquos denotat quandam conuulſionis ſpeciem, ſed de eo qui ſolet intermittentes aliquas anteire febres, de quo inquirimus, an ſemper ad eum ſubſequatur acceſſio.

Pars negatiua videtur fulciri Hippocratis authoritate, qui vt docet Gal *lib. 2. de cauſis ſympt. c. 5. lib. 2. de differ. febr. c. 6. lib. de inæquali intemperie c. 8. lib. de tremore c. 7.* fatetur *lib. 1. de morb. text. 19. & text. 22.* nunquam vidiſſe rigorem, ad quem non ſequatur febris.

Secundò: Rigor fit ab humore per partes delato putredini apto, & tandem in aliqua earum quieſcente: ſed talis humor dum quieſcit, non poteſt non putrefieri: ergo neceſſariò ratione putredinis debet ſubſequi ad rigorem febris.

D Tertiò: In omni rigore, vt docet Gal. *lib. de rigore,* reperitur motus influentis caloris intrò & extra: ſed à ſpiritibus & ſanguine motis accenditur febris: ergo in omni rigore debet febris ſubſequi.

§. II.

Galeni, Auicennæ, & Claſsicorum præſertim opinio.

REſoluendum: Quòd poteſt dari rigor abſque eo, quòd ſubſequatur acceſſio ad illum: ſic tenet Galenus *lib. de tremore, palpitatione, & rigore, lib. 2. de cauſis ſymptom. c. 5.* Auicenna *fen. 1. 4. tra. 2.* Rhaſis *30. continentis tract. 1. c. 1.* E Gentilis, & Iacobus de Partibus *in Auicennam iam citatum.* Valleſius *lib. 5. Contr.* Schenkius *lib. 6. de febribus.* Carterus *in fen. 1. 4. tract. 2. c. 6.* Zacutus *tom. 1. lib. 4. hiſtoria 22.*

Ratio huius deducitur ex Galeno, & Auicenna: Quia rigor prouenit ab humore cacochymo delato per partes ſentientes: ſed huiuſmodi humor fit cacochymus, vno modo dum aptus putredini ſuis qualitatibus irritat ad ſui expulſionem, ex quo in partes delato, cùm putreſcat, ſemper ſubſequitur febris acceſſio: alio modo dum generatur copia humoris cacochymi non ita putredini apti: ergo ab iſto per partes ſentientes delato fiet rigor, ſine eo quòd ſequatur febris, quia putredini ineptius eſt.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. ex Hippocrate reſpondet Galenus *lib.2. de cauſis ſymptomatum c.7.§. Nihil igitur miri eſt antiquos Medicos nullum huiuſmodi rigorem vidiſſe in hominibus, qui tunc viuebant . nihil perinde ac qui nunc viuunt in ſalubri victu peccantibus, &c.*

Ad 2. Reſpondetur : Quòd vt docet Auicenna citatus, rigor alter eſt periodicus ex humore apto putredinem pati ortus, ad quem ſequitur acceſſio; alter ex humore cacochymo non apto citò putreſieri, ex quo nec acceſſio, nec febris fit.

Ad 3. reſpondetur : Quòd quæ ſubſequitur febris acceſſionalis , non fit ab ſpiritibus motis. licèt eorum motus intro & extra concomitetur rigorem; ſed ab humore, qui aptus putreſieri rigorem efficit, & paulò pòſt quieſcens putreſcit.

Resolvtio V.

In quo conſiſtat natura rigoris ?

§. I.

Vanhelmont referuntur anilia; & dubitandi occaſio ex Dogmaticis deducitur.

SVis ineptiis inſiſtens Vanhelmont rigorem iudicat conſiſtere *lib. de febr. c.9.* in hoc, quòd Archæus intendit per tremulos rigores excutere adhærens parti ſimilari excrementum , ſicut dum aranea ſuos quatit caſſes, vt excutiat peregrinum, quod in illos incidit, & ſuperaddit, quod aduertens ſe per rigores parum proficere Blas alteratiuum excitat, quaſi Archæus, ſiue ſpiritus viuat; & licèt viueret, quaſi poſſet aduertere; & licèt aduerteret, quaſi haberet appetitum, quo ſe determinaret ad mouendum aliud; & quaſi, licèt ſe determinaret , haberet inſtrumenta quibus moueret reliquas viuentis partes.

Dogmatici in rigore admittunt duri motum, calidi innati, tremorem, motum humoris irritantis, ſenſationem huius moleſtantis obiecti, & partium concuſſionem conantium illum humorem trudere. Fatenturque maiori ex parte non conſiſtere in motu calidi innati, quia in aliquibus paſſionibus animæ reperitur ſine rigore, nec in tremore , quia licèt hic fiat defectu calidi influentis, dum retrocedunt ſpiritus , quia ab aëre infrigidantur partes orbatæ influente calore , ſatis conuincit Galenus *lib. de tremore c. 6.* in ipſo non conſiſtere rigorem ; aliàs qui à nimia frigiditate ab extrinſeco communicata habent tremorem , haberent rigorem. Tum quia rigor eſt motus localis, & non alterationis, qualis eſt refrigeratio, à qua fit tremor. Tum quia rigor, & tremor diuerſarum febrium ſunt ſymptomata. Motus , quo à facultate naturali noxius humor truditur, nec etiam eſt rigor; omnis enim illius actio tremor eſſet : nec ſimiliter ſenſatio doloroſi obiecti , aliàs in omni dolore eſſet rigor, qui nec ſine partium concuſſione admittitur , in quo dubitamus , An ſit conſtituenda ratio rigoris. Tum 1. quia Gal. *lib. de rigore* videtur rigoris naturam adſcribere motui calidi influentis. Tum 2. quia non neceſſariò ſequitur muſculorum motus, dum fertur per partes ſentientes , vt apparet in ictericia, & in dolore orto ab humore bilioſo in partibus, ſine eo quòd præceſſerit partium concuſſio : ergo ſimiliter poterit humor, ex quo fit acceſſio, periodicè deferri per partes, & facere rigorem ſine partium concuſſione.

§. II.

Claſſicorum præfertur opinio.

REſoluendum : Quòd rigor conſiſtit in concuſſione partium, quia muſculi mouentur ad expellendam cauſam irritantem. Sic colligitur ex Galeno *lib. de tremore, rigore, & palpitatione c.6. & 7.* & *lib. 2. de cauſis ſympt. c.5.* & *lib. 10. Methodi c.4.* & ex Auicenna *fen. 1. 4. tract. 2. c.6.* præcipuè tamen Galenus adhæret huic opinioni *lib. 1. de cauſis ſympt. cap. vltimo, lib. 2. de cauſis ſympt. c.1. & 5.* Illi verò adhærent Vega *lib. 2. de different. febr. c. 1. lib. 4. Aphoriſm. comm. 39. 46. 63.* Salmanticenſis Brauus *lib. 1. de different. febr. c.9.* Matamoros *lib. 4. de febrib. tr. 2. diſp. 5.* Cartetus *in fen. 1. 4. tr. 2. diſp. 5.* Zacutus *de Medic. Princip. hiſtor. 22.*

Probatur. Tum ex Galeno *lib. 2. de cauſis ſymptomatum c. 1. §. Conuulſio, tremor, palpitatio, & rigor qui totius corporis eſt concuſſio.* Tum *lib. de temporib. morborum c.3. §. Poſtea verò huius concuſſionis, quæ vocatur igitur.*

Probatur 2. Quia relicto delirio Vanhelmont, rigor debet conſiſtere in aliquo ex quatuor enumeratis, quæ in illo ſolent reperiri : ſed non conſiſtit in motu facultatis expultricis, nec in motu calidi influentis , nec in ſenſatione, vt probauimus : ergo reſtat; quòd conſiſtat in partium concuſſione.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD rationem dubitandi reſpondetur. Tum 1. Quòd Galenus ibi tantum intendit docere, quòd motus calidi influentis intrò & extrà concomitatur rigorem, cùm enim detur doloroſa actio, excitatur ita, & natura intrò ſpiritus mouet; & quia imminet ſuffocationis periculum, iterum foras trudit; non tamen in hoc ſpirituum motu ponit rigoris eſſentiam. Tum 2. Quòd ab humore delato per partes ſentientes ſemper ſequitur partium concuſſio, & etiam in ictericia dum humor bilioſus truditur per partes , aliquando enim per venas fertur ad cutem , & ideo non fit concuſſio partium, nec fit in omni dolore, quia tantùm fit à dolore cauſato ab humore dum mouetur per partes ſentientes, non autem dum quieſcit; concuſſio enim non intenditur à facultate cognoſcitiua pro expellenda re moleſta parti affixa, ſed pro ea quæ mobilis eſt in illa.

Resolvtio VI.

Vtrùm rigor ſit motus expultricis facultatis naturalis ?

§. I.

Valleſij, Mercati, & aliorum refertur opinio.

COmmunior opinio tenet : Quòd rigor eſt motus expultricis facultatis , contra quam decreuimus conſiſtere rigorem in motu loco-motiuæ liberæ facultatis ; ipſi tamen adhærent Valleſius *lib. 4. Contr. cap. 4. lib. 5. Controuerſiar. cap. 17.* Mercatus *tom. 1. lib. 3. p. 1. claſſe 1. art. 8.* Veiga *lib. 2. de different. febr. cap. 1.* & alij fulti , Tum 1. Galeni authoritate *libro 2. de cauſis ſymptomatum capite 6. §. Tuſſis quidem , ſternutatio, & ſingultus , & rigores , expultricis virtutis validi motus ſunt.* Tum 2. eodem capite paucis interpoſitis,

§. Eſt autem motus hic, non vtique ſicuti palpitatio, aut conuulſio, totus præter naturam, ſed alio modo, nempe quo tremor eſt. igitur ipſe quoque mixtus quodam modo ex cauſa, quæ præter naturam ſit, & animalis virtute, habetúrque in hoc virtutis plus, quam in tremore. Imo verò (ſi fateri verum oportet) motus omnis inſita eſt illius virtutis, quam nos Excretricem & Expultricem appellamus. Tum 3. quia actio facultatis loco-motiuæ ſenſitiuæ eſt libera, rigor verò non poteſt liberè ſiſti: ergo facultatis expultricis naturalis, & non ſenſitiuæ eſt.

§. II.

Carreiri, & Matamoros præfertur opinio.

Reſoluendum: Quòd rigor eſt motus facultatis loco-motiuæ ſenſitiui gradus. Sic Carreirus, Matamoros, & alij ex recentioribus.

Probatur: Tum quia ex dictis conſtat; quòd formaliter rigor conſiſtit in motu locali muſculorum, qui fit à facultate loco-motiua ſenſitiui gradus: Tum quia eſt motus, qui fit à facultate inhærente in muſculis, qui ſunt inſtrumentum, & organum facultatis loco-motiuæ gradus ſenſitiui: Tum quia fit ad expellendum humorem cognitum, & noxium, ratione cuius ipſa facultas concitatur ad expellendum ipſum humorem: ergo fit rigor à facultate ſenſitiui gradus loco-motiua.

§. III.

Soluuntur Valleſij & aliorum fundamenta.

Ad 1. reſpondetur: Tum 1. Quòd per expultricem facultatem intelligit Galenus, non eam quæ eſt gradus vegetatiui, ſed loco-motiuam ſenſitiui gradus, cuius motu expellitur humor à partibus. Tum 2. Quòd idem ſimiliter in aliis locis citatis ex Galeno ſentiendum. Tum 3. Quòd licèt actio loco-motiuæ facultatis ſit libera in ſtatu naturali, & pro nutu appetitus fiat, dum læditur, & fit ſymptoma in actione læſa, ratione morbi impeditur, quòd appetitui obediat, ideò enim dicitur læſa, alias enim ſi pro illius nutu poſſet operari, ſana eſſet, & ideò dum fit abolita, nulla ex parte operatur pro nutu appetitus; non quia non ſit ex ſua natura ſubdita illi, ſed quia læditur, & fit impotens ad operandum, ſic diminuta, diminutè obtemperatur illi, & quæ deprauata eſt, tantùm eo modo quo permittitur illi prout deprauata eſt, ita in moralibus homo alteri obedire dicitur, ſi dum poteſt obediens eſt, licèt dum impeditus eſt, non obediat.

Dices; Rigor eſt actio deprauata: ſed motus facultatis loco-motiuæ ſenſitiuæ non eſt actio deprauata: non ergo pertinet ad illam. Probatur minor. Motus facultatis loco-motiuæ ſenſitiuæ tendit ad excluſionem obiecti cogniti, vt moleſtantis: ſed excluſio obiecti moleſtantis non eſt actio deprauata illius: ergo eſt naturalis.

Reſpondetur: Quòd eſt actio deprauata, non quia expellit noxium, ſed quia cùm ſit potentia ſubdita imperio voluntatis, deprauatur, vt non poſſit liberè ei obedire, cogitur enim operari potiùs, vt coacta à morboſa cauſa, quàm vt obediens appetitui, & in hoc ſtat deprauatio illius in motúſque nimietate.

Resolvtio VII.

Vtrùm à debili facultate intenſior fiat rigor?

§. I.

Ratio dubitandi ex apparente oppoſitione inter Galenum, & Auicennam proponitur.

Auicenna *fen.* 1.4.*tr.*2.*c.*6. à vehementiori virtute fortiorem prouenire rigorem tenet §. *Et de cauſa vehementis rigoris eſt vehementia virtutis expulſiue in lacertis.* Galenus oppoſitæ videtur adhærere doctrinæ *lib.* 1. *Methodi c.* 4. §. *At concuſſio quidem iſta ſuccedit propter eorum, quæ feruntur, excrementorum, tum multitudinem, tum acrimoniam, tum impetus celeritatem, tum laborantis imbecillitatem:* & lib. 2. de cauſis ſymptomat. c. 5. §. *Et quod corpus laborantis, &c.* Tum 2. fauet Galeno, quòd rigor, cùm ſymptoma ſit, potius à debili, quam à fortiori & naturali facultate loco-motiua debet fieri. Tum 3. quòd à fortiori loco-motiua facultate potentius expellitur humor, defectu cuius deficit rigor: ergo rigor maior fiet à debili facultate loco-motiua.

§. II.

Valleſij, Mercurialis, & Iuniorum opinio præfertur.

Reſoluendum: Quòd à potentiori facultate loco-motiua ſenſitiua, fit intenſior, ac fortior rigor. Sic tenet Valles *lib.* 5. *Controu. c.* 17. Mercurialis *lib.* 5. *de febr. c.* 8. Mercatus *tom.* 2. *lib.* 6. *de febrib. cap.* 2. *diff.* 8. Doctor Cyprianus de Maroja *lib. de febr.* Zacutus, & alij; licèt differant in modo explicandi Galenum; à quibus & nos diſcedemus.

Probatur ex dictis: Rigor conſiſtit in motu locali facultatis ſenſitiuæ: ſed ille motus fit perfectior, ac potentior, qui elicitur à facultate robuſta: ergo quò robuſtior fuerit facultas loco-motiua ſenſitiui gradus, intenſior fiet rigor.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

Ad rationem dubitandi deſumptam ex apparenti contradictione in Auicennæ & Galeni doctrina, reſpondent Authores variè: Nos dicimus, Quòd Auicenna loquitur de facultate loco-motiua ſenſitiui gradus, à qua fortiori intenſiorem ſequi rigorem fatetur. Galenus verò intendit, quòd ab eadem facultate debili fiat maior rigor non ſecundùm intenſionem, ſed ſecundum durationem: quia cùm non poſſit trudi humor à facultate debili breuiter per motum intenſum, expellitur paulatim per motum maiorem in extenſione. Tum 2. Quòd licèt actio diminuta, aut deprauata à facultate potentiori non fiant, actio tamen deprauata fit intenſior à facultate magis robuſta, vt irritata, vel malè diſpoſita per morbum; vt apparet in delirio, quod fit intenſius, & cum maiori duratione, dum facultas eſt robuſta, & ſolet remitti propè mortem, dum facultas decidit. Tum 3. Quòd probat, quòd à potentiori facultate fit rigor minor in duratione, non autem in intenſione in eo tempore, quo truditur.

RESOLVTIO VIII.

Quænam ſit rigoris cauſa?

§. I.

Varia Authorum referuntur opiniones.

PAra celſus ad ſuum Microcoſmom tecutrit, vt tremotis adinueniat cauſam. Vanhelmont ſuæ deprauatæ imaginatioois prodit fœtum in rigoris ioquireoda caoſa: ſuppooit enim *tractatu de febr. capite* 9. quòd nihil naturalitet mouetur à ſeipſo, (B) excepto Archæo, qui primus motot aoimantis eſt, & intendit per tremulos tigoris motus excutere moleſtam cauſam, in quem finen, ſicut atanea ſuos qoatit caſſes, partes ipſe quatit corporis, & ſicni qui luctâ ſuſpitioſus ſuccoboit, aliquantiſper quiſcit, & aohelitum tecuperat, perque moras vires reſarcit; ſic natura ſi ductu vniuoco Archæus ln febtibus ſibi quietes per interualla imperat, ac demum reſumptis viribus, & victo hoſte, febrem nititut eacutere, & tunc pats, coi inſidet materia febcilis, ptimum ſe contra hit in togas, quod ſentitur facilè in præcotdiis, & conſenſu labotat venoſum genus, & ſtrictim ſe coarctat, contractis fibris obliquis: hæc fuit eius inſania, quem alibi ſibilandi tatiooem propoſui: (C) Spititum enim admittit viuentem, intelligentem, impetantem, mouentem; & reliquas partes, io quibus rationalis anima inhætet, illi obſequentes, pro illius nutu ſentientes, operantes, & intelligentes, & illius notui omninò obedientes, ſine aliqua ſui libera actione.

Dogmatici verò, vt patet ex dictis, inter caoſas rigoris efficientes præſupponunt actionem Expultricis, & pro rigoris cauſa adſcribunt facultatis locomotiuæ ſenſitiuæ gradus operationem, ſed cùm hæc opetetur vt irritata ab humore, diſſeotiunt in determinando, an potentiùs à craſſiori, an à tenuiori homore irritetur. Iotet Ioniores Mercurialis *libro 5. de febr. cap.* 8. (D) Matamotos *lib.* 4. *de febribus diſput.* 8. Veiga *lib.* 1. *de differ. febrium*, & Vega *lib* 1. *de febrium differentiis c.* 3. Brauus Salmanticenſis *lib.* 1. *de different. febrium cap.* 9. Mercatus *tom.* 1. *lib.* 5. *de febribus.* dicunt quòd licèt ab humotibus viſcidis, craſſiſque & à tenuiotibus cõtingit excitari facultatem loco-motiuam ad efficiendum rigorem, potantius tamen excitari à calidiori, ac tenoiori humore. Ratio huius eſt: Quia quò materia eſt tenuior, & calidior, magis itritat, & velocius mooetur per partes ſentientes, ſed concuſſio membrotum eſt maior, quò magis mouetur materia, & irritatur natura ad eius expulſionem: ergo ab illa intenſior excitatut rigor.

§. II.

Auicenna, & Auerroës eligitur opinio.

(E) REſoluendum: Quòd rigot fit efficientar à locomotiua facultate ſenſitiui gradus, & fit intenſior, dum à craſſiori fit cauſa. Sic ſanciuit Auicenna, & tenent Auerroës.

Probatur Tum ex Auiceona *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 6. §. *Et de cauſis vehementis rigoris eſt vehementia virtutis expulſiua, & propter illud quantò eſt cauſa rigoris viſcoſior, eſt rigor vehementior.* Tum ex Auerroë *libro* 3. *collect. capite* 2. 5. *Et medici dicunt, quòd ille qui fit ab humoribus calidis, eſt fortior. quia humor eſt magis mordicatiuus, & nos vidimus, quod fit contrarium huius.*

(A) Tum quia agens denſius, potentiùs agit adhuc cum remiſſiore qualitate, quàm tenuius cum intenſiore, vt patet in flamma, aqua vitæ, & remiſſiore calore in ferro exiſtente. Ex quo apparet, quòd facultas irritans minus intanſa in craſſo humore valebit potantiùs irritata, quàm iotenſiot in tenui bile. Tum quia facultas concutit partes, vt expellat materiam irritantem ab illa. Ex quo apparet, quòd potentiùs agere debet, vt expellat materiam, quæ difficiliùs moueri poteſt, vt apparet in reliquis motibus; potentiùs enim agit, dum intendit ponderoſum lapidem pellere, quàm dum intendit teudere à ſe leue lignum: argo intenſior fit rigot, dum à craſſiori cauſa irritatur facultas.

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd facultas irritans licèt ſit inteoſior in bile tenui, qoàm in craſſiori alio humore, poteſt intenſius irritare, quæ remiſſiot eſt in materia craſſa, quia denſitas iuoat ad perfectiorem effectum producendum; vel quòd licèt remiſſior ſit irritatio in humore craſſo; quia grauat & impedit motum, cognoſcitiua facultas deſcernit neceſſitatem maioris conatus ad eius expulſionem, & ideò inſurgit maiori conatu, & ſicut inſurgit dum intendit onus graue à ſe pellere, licèt (C) non cogatur irritatione, vehementiori conatu, ac motu illum pellit, quàm onus laue.

RESOLVTIO IX.

Quænam ſit cauſa reditus febrium per circuitus?

§. I.

Status difficultatis proponitur.

(D) ACceſſio, ſeu circuitus, typus, paroxyſmus, ſeu periodus ſuperuenit intermittentibus febribus, ex eis enim adintegrantur: ſuperuenire quæ receperunt Dogmatici ex Galeno *libro* 1. *de different. febrium capit. vlt.* ax triplici cauſa; mandante ſiquam parta, recipiente, & peccante humore. Pats mandans mittit dum robuſta eſt, & ab humore irritatur. Pars recipiens recipit partem humoris, à qua fit acceſſio, quia debilis, & ipſum à ſe tranſmittere nequit. Humor irritat, quia quantitate, aut qualitate moleſtans eſt; & tranſmiſſus in partem debilem à qua reiici oon poteſt, cauſat acceſſionem. Quam doctrinam videntur interturbare aliquæ Dogmaticorum obiectiones, quibus ſuperuenit Paracelſi deliramentum de Microcoſmo à ſe ficto, iuxta quod opinatur, quòd fit febris io humore; quia ſulphur & nitrum accenduntur, & io eorum accenſio(E)ne fit terræ motus, & tremor in homine, & ſubſequitur interpolata febris, qoia interpolata fit accenſio, interpolationis tameo cauſas non refert, ſicut nec eas à quibus fit acceuſio. Recenter verò inani conato ſuis ineptiis contendit Vanhelmont hanc interturbare doctrioam *tract. de febribus capit.* 5. vbi poſtquam, vt moris habet, impudicè fertur in Galeoum, inoerecundè in Scholas, & inordinato obiectionum impetu adimplet caput, cùm nihil ſomniatum habuerit, nullum proponit modum, nullúmque inuenit deliramentum vt ſolet, & ideò ſubterfugit difficultatem ſoluere, quam inaniter impugnat.

Primò, Inter Dogmaticos oppugnat Argenterius Galeni doctrinam: Tum 1. Quòd robur virtutis, cùm ſit ſecundùm naturam, non poteſt poni inter cauſas acceſſionis febrilis: Tum 2. Quòd humor non ſolùm valet quantitate, & qualitate, ſed etiam malignitate irritare: Tum 3. Quòd debet fieri acceſſio ex cauſis, à quibus fiunt tumores, hi autem ſine adductis cauſis fiunt, vt apparet in flatulentis, & ſcyrrhoſis: Tum 4. Quòd aliqui morbi v.g. epileptica acceſſio, & colicus dolor periodicè repetunt ſine motione humoris à parte in partem, ſolùm per paulatinam congeſtionem: Tum 5. Quòd ſi particula inflammatur, reperit febris orta ex humore ibi contento, ſine eo quòd ab alia parte mittatur.

B Secundò: opponit Vanhelmont, quòd ex humoribus nulla eſt admittenda ratio, vt fiant circuitus: Tum 1. Quia ſupponit non dari: Tum 2. Quia ſaltem non datur humor ab aliis diſtinctus, à quo fiat Quintana, Septimana, & aliæ erraticæ febres, nec dimidiatus humor pro Semitertiana, nec duplex bilis pro duplici tertiana: Tum 3. Quia Cauſus ex putredine ſanguinis deberet repetere de tertio in tertium, cùm per putredinem ſanguinis fiat bilis: Tum 4. Quia deberet eſſe ductor, à quo putridus humor moueretur ad focum putredinis: Tum 5. Quia non poſſet ſeparari ab aliis humoribus, vt putreſceret ab illis ſeparatus, ab eo enim per totum vitæ decurſum fieret eiuſdem humoris ſeparatio & febris: Tum
C 6. Quia ſi putreſceret ſeparatus humor pro acceſſione, putreſcerent exiles venæ, in quibus eſt: ergo ex parte humorum nulla ſumitur ratio, quare fiant circuitus.

Tertiò: Eidem deliramento inſiſtit Vanhelmont; Tum 1. Quia ſi bilis v.g. præſtaret pro circuitu materiam, quatenus putreſcit in parte, vel à parte, ſiue venis extremis in quibus putreſcit, fit putredo, & ſic poterit ab eiſdem putreſieri contentus ſanguis; vel putreſcit, quæ à propinquo ſanguine trahitur ab illis venis & tunc non eſt ratio, cur non attrahatur vnaquoque die; vel humor ille trahitur, dum cum ſanguine putreſcit, & ex hoc ſequitur, quòd Intermittens habeat eundem focum putredinis cum continua: Tum 2. Quia ſi humores deferri deberent ad
D partes pro efficiendo circuitu, deberent putridi ſemel à meſenterio per iecur, & cor; quod non eſt admittendum: Tum 3. Quia in tranſitu per venas ad extremitates totum ſanguinem coinquinaret: Tum 4. Quia vel fertur humor ſimul & totus pro acceſſione, & tunc febris continua; vel fertur per partes, & tunc dum mouetur acceſſio, & dum putreſcit ſimul; cùm ſit maior labor dum mouetur, & fit pus, quàm ipſo facto: ergo ex parte humorum non datur circuituum cauſa.

§. II.

E *Acceſsionum proponuntur cauſa.*

RESoluendum: Quòd communes cauſæ à quibus acceſſiones fiunt, ſunt humor irritans, facultas robuſta mittens, pars debilis recipiens. Sic tenet communis aſſenſus Dogmaticorum.

Probatur: Fit acceſſio ex aliqua humorum portione, quæ accenditur de nouo, diſtincta ab aliis, quæ non putreſiunt, aliàs continua & æqualis eſſet febrilis caloris intenſio: ergo ſeparatur ab illis in aliquem focum, in quo ſeparata putreſiat: ſed ad ſeparationem hanc requiritur facultas robuſta mouens, diſpoſitio in humore quia irritet, quam prius non irritabat facultatem, & pars in qua, quia debilis, recipiatur, non mittatur in aliam: ergo communes
A cauſæ acceſſionis ſunt irritans humor, facultas robuſta mittens, & debilis pars in qua recipitur, & putreſit ac alteratur.

§. III.

Cur acceſſiones redeant profertur?

REſoluendum: Quòd ab eiſdem cauſis reditus acceſſionum fit, dum altera eiuſdem humoris pars acquirit irritantes qualitates.

Probatur: Similes cauſæ ſimiles valent acceſſiones efficere: ſed quoties altera eiuſdem humoris pars ſimilis acquirit irritantes qualitates, remanent eædem cauſæ ad efficiendam nouam acceſſionem ſimilem ei,
B quæ præceſſit, ſcilicet pars robuſta mandans, & pars debilis recipiens: ergo ab eis proueniet acceſſionis ſimilis reditus.

§. IV.

Soluuntur Vanhelmont, & Argenterij obiectiones.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd facultas robuſta licèt naturaliter operetur, reſpectu partis in qua inhæret, à qua noxium humorem pellit, poteſt humorem pellere in partem, in qua humor præternaturalem producat effectum; ſicut locomotiua facultas
C ſenſitiua robuſta proiiciens lapidem, licèt perfecta ſit ad imprimendum impulſum in lapide, valet medio illo, morbum in alio, vel in alia parte cauſare: ſiſtit enim naturalitas actionis in termino primario, non autem ſpecificatur ab eis, quæ ſequuntur ex eo. Tum 2. Quòd maligna qualitas comprehenditur ſub qualitate. Tum 3. Quòd fit acceſſio à cauſis, à quibus fiunt tumores prouenientes ex humorum defluxu, & in his ponit paritatem Galenus. Tum 4. Quòd ſicut humores aliquando fiunt ex defluxu humoris in partem, ſic & plerumque fiunt acceſſiones, & hæ fiunt à cauſis dictis, & de eis loquimur in Reſolutione; aliàs verò fiunt ab humoribus per paulatinam congeſtionem aggregatis; & etiam, licèt rarò, aliquæ erraticæ ſic contingunt acceſſionales febres, non autem quæ de-
D terminatum tempus habent pro acceſſionibus, de quibus diſputauimus. Tum 5. Quòd in particula inflammata, aut fit ſebris continua; aut ſi repetit, eaſdem habet cauſas.

Ad 2. Reſpondetur: Tum 1. Quòd demonſtrauimus dari humores. Tum 2. Quòd datur melancholia, ex cuius maiori, aut minori quantitate prolongantur acceſſiones, ſicut multiplicantur in tertiana ex duplicata bilis quantitate. Tum 3. Quòd ſanguis eſſi putridus ſemper retinetur intra vaſa maiora, & ideò fit continua febris; nec fit bilis donec ſit in termino putridus; & tunc ſi bilis putreſcat, fit tertiana.
E Tum 4. Quòd facultas expellens dum eſt robuſta pellit humorem, & ducit in partes debiles. Tum 5. Quòd facultas expultrix ſeparat humorem, qui moleſtat, quia fit tunc illius obiectum; dum autem qualitate, aut quantitate non irritat, non eſt obiectum illius; & ideò non expellit illum ſemper. Tum 6. Quòd putreſcit humor, & non venæ, nec reliqui humores illi commixti, quia ille ſolus habet diſpoſitionem, vt putreſiat.

Ad 3. Reſpondetur: Tum 1. Quòd bilis v.g. poteſt ſimul cum ſanguine permanens putreſieri, ſine eo quòd putreſiat ſanguis, dum apta eſt putreſieri non autem ſanguis; vel poteſt ferri ad aliam partem ſine ſanguine, quia ipſa ſola irritat ad ſui expulſionem, & non ſemper trahitur; quia non ſemper irri-

tantes habet qualitates. Tum 2. Quòd eſt multiplex putredinis focus, vt diximus, & quòd ſi iſte ſit in prima regione, refluunt humores per iecur, ſicut contingit & in naturali ſtatu, quòd deferantur à iecore propter aliquos vſus. Tum 3. potiùs repurgantur venæ, dum vitioſi humores ab ipſis ad alias deferuntur partes. Tum 4. Quòd fertur pars, quæ committere debet acceſſionem, & fit febris ab illa, dum putreſcit, & ratione putredinis oritur ab ea præternaturalis calor.

Resolvtio X.

A quo proueniat circuituum determinata repetitio?

§. I.

Authorum examinantur placita.

DEmonſtrat experientia, vnicuique febri humorali ab alio humore à ſanguine pendenti, ſuos eſſe determinatos circuitus: vnoquoque die febri pituitoſæ, tertioquoque bilioſæ, & quartoquoque melancholicæ: ſed vnde hæc proueniat determinata acceſſionum periodicatio, adhuc ſub lite manet.

Aſtrologi partim Lunæ humiditati, & viribus partim occultis; manifeſtiſve aliquorum Aſtrorum viribus vim periodicè mouendi humores tribuunt; quos ſequitur Conciliator *diff.* 88. Eos ſatis apertè conuellit Mercatus *tom. 2. lib. 3.* Mercurialis *lib. 3. de febribus* & latiùs Ioannes Picus Mirandulanus *lib. 3. in Aſtrologos.* Inter Arabes, Gentilis *in extrauaganti*, Iacobus, Hugo, & Herculanus formæ ſpecificæ humorum periodicas tribuunt acceſſiones. Auerroës *lib. 4. collig. c. 27.* eis ſubſcribit; Alexander Aphrodiſæus *lib. 2. Problem. q. 3.* cui Montanus adhæret, humoris quantitati irritandi in determinatis periodis tribuunt cauſalitatem. Veiga *lib. 2. de differ. febr.* naturæ doctæ ſine doctore iudicat tribuendam eſſe efficientiam determinatas efficiendi periodos.

§. II.

Communis ex Galeno ſancitur doctrina.

REſoluendum: Quòd determinatus periodorum recurſus in febribus fit à naturali vi expultrice, irritata ad humorum expulſionem à putredinali humorum qualitate periodicè ſuperueniente illi ratione mixtionis vnicuique propriæ. Sic deducitur ex Galeno *lib. 2. de differ. febr. cap. vltima:* tenent Carterius *in fen. 1. 4. tract. 2. cap. 1. diſp. 3.* Maramoros *lib. 4. de febr. tract. 2. diſp. 8.* Salmanticenſis Brauo *lib. 2. de febr. cap. vlt.* Vega *lib. 2. de differ. febr.* Vallea *lib. 5. controuerſ. c. 25.* Maroja *libr. 3. de febr. q. 7.*

Probatur: effectus determinato tempore prouenientes petunt aliquid, quod in illo tempore determinet cauſam efficientem ad operandum: ſed cauſa mouens humores periodicè in determinato tempore operatur: ergo debet habere per quid determinetur. Sed id per quod determinatur, debet ſe habere ex parte obiecti tanquam quid ſuperueniens in illo, eo tempore quo mouet illud: ergo ſuperueniens putredinalis qualitas quæ irritat, eſt cauſa ex parte obiecti periodicè determinans motionem.

A

SECTIO V.

De vſitatis febrium humoralium remediis.

VIctvs ratio, Chirurgia, & Pharmacia ſunt communia inſtrumenta, quibus debellamus febres. Victus ratio, ſeu diæta plerumque ſine aliis valet id conſequi, ex Galeno *lib. de attenuante victu*; accipiturque ex eodem Galeno *lib. de humoribus, comm. 2. & lib. 3. de Epidem. text. 9.* non ſolum pro cibi, aut potus exhibitione, ſed pro vſu ſex rerum non naturalium, quorum vſum, ne-
B ceſſitatémve pro curandis febribus putridis laconicè dilucidabimus.

Resolvtio I.

Verùm pro febribus curandis, victus ratio, Pharmacia, & Chirurgia ſint ex vſu?

§. I.

Practicorum varia placita referuntur.

C

FEbribus putridis nullus morbus communior alter; curandi tamen ratio varia inter diuerſarum ſectarum Profeſſores ſtetit. Prodicus, & Erodicus, vt notauit Hippocrates *6. Epidem. comm. 3. text. 31.* ex eodemque obſeruauit Celſus *libro 3. capite 3.* multa fame, curſibus, & frictionibus tantùm eſſe vtendum pro febribus putridis curandis contendebant. Petronius verò referente Celſo *lib. 3. cap. 9.* febre putrida laborantes cooperiebat pannis, intendens primò calorem, ſitimque excitare, remittente acceſſione, potumque aquæ frigidæ propinabat, intendens ſudorem & vomitum promouere, ſuillam offerebat poſtea cum vino, & iterum aquam cum ſale decoquendo vomitum tentabat. Poſtea verò Aſclepiades, Eraſiſtratus, Themiſon & alij Methodici & Empirici, varias in præſcribendis remediis febrium putridarum ſuſcitarunt ſectas, Empirici amuletis herbis, & quibuſdam ſubſuſurratis verbis non febres, ſed pecunias auferebant ab ægrotis. Methodici febres has ſub morbis in adſtrictione conſtituentes, multiplici laxantium vtebantur forte. Inter Moderniores, Archiatri, ſiue noui Impoſtores: nouos enim adinuenerunt modos curandi putridas febres: Paracelſus qui eas ſub morbis tartari conſtituit, tartari contendit purgationem, relictiſque aliis Dogmaticorum vſitatis remediis præſcribit ſuum Febrifugium characteribus de verbis nil profitentibus conſcriptum, quibus ſimulat aliquid adinueniſſe quo
E vulgum deludat. Eius aſſecla Vanhelmont febrem conſtituens in ſubſtantia Archæum deturpante, omnia irridet Dogmaticorum remedia, Paracelſumque relinquit, nihil continens Febrifugium aliud offert, quod ne ſuas pendeat nugas, dicit requiri quòd Deus concurrat, vt illud perficiatur vtile. Dogmatici aliqui, qui ex Commentatio ſapiunt, ex Commentatio etiam contendunt febrium humoralium perficere curationem; & vt Manciphus notauit, prima die purgant leniente pharmaco, diè altera & ſequentibus ſanguinem mittunt, poſtea ſyrupos exhibent, clyſteres, cucurbitulas, ſcarificationes poſt vndecimam, vel decimamquartam diem exhibent

bent ſelectiuum pharmacum; ſi febris perdurat, iterum ſyrupos exhibent attemperantes, vt iterum pharmacum exhibeant, nullam deſumentes indicationem à victum mutatione, ſuperuenientium accidentium, & temporis varietate, ætatum, regionum, temperierúmve, aut conſuetudinis diuerſitate.

§. II.

Dogmaticorum praſcribitur curatio.

RESoluendum: Quòd victus ratio, Pharmacia, & Chirurgia ſunt communiſſima genera, fonteſque omnium remediorum, quibus febres humorales exterminãtur, ſic tenet Dictator, admittit Magiſter, tenet Princeps Arabum, omneſque admittunt horum Commentatores: docuit experientia; dictauit ratio.

Probatur: Febris humoralis eſt intemperies calida pendens ab humorum præſentia, & indicans ſui ablationem per ea remedia, quibus tum cauſa, tum febris poſſunt auferri: ſed cauſa aufertur per ſanguinis miſſionem, dum pendet ab humore ſanguini commixto, quæ deſumitur à Chirurgia; vel per purgationem, dum pendet ab humore à ſanguine ſeparato, quæ deſumitur à Pharmacia, & febris ipſa indicat ſui ablationem per attemperantia remedia, quæ etiam à Pharmacia ſumuntur; & ad naturæ conſeruationem, quæ eſt morborum curatrix, requiritur victus ratio, ſine qua nec vires valent ſubſiſtere, nec morbus diuinci; ergo in harum febrium curatione remedia deſumuntur ex Chirurgia, Pharmacia, & victus ratione.

Secundò: conuincitur reſolutionis doctrina ex eis quæ in ſubſequentibus tradentur.

§. III.

Quid dicendum ad oppoſita ſentientes?

AD Innouatores, euſque qui diſcedunt à Dogmaticorum doctrina, Reſpondetur: quòd conatus inanis gloriæ adipiſcendæ ſtetit principium aliquibus, nec ſolùm errandi, ſed deteſtabiles proponendi doctrinas, humano generi pernicioſſimas, & exitiales, quas Dogmatici ratione, & doctrina conati ſunt euertere, licèt non ſint ea toto conſecuti; ſunt enim ſæcula feracia diuerſorum ingeniorum, quæ ſuis contendunt ſeducere plebem ineptiis, idque conſequuntur, quia & ipſi omnia quæcunque placent, licèt ineptiſſima, & vitæ infeſtiſſima, dum noua appareant, & ſub prætextu occultorum remediorum ſint propoſita.

RESOLVTIO VI.

Verùm aërem immutare liceat febrientibus?

§. I.

Proponitur difficultatis ratio, & ſtatus.

VIctus ratio comprehendit aërem, motum & quietem, ſomnum & vigiliam, excreta & retenta, horum affectiones, cibum & potum, de quorum vſu aliqua proponemus: de aëre plura diximus *part.* 1. *Reſolut. medicar. diſputat.* 3. & ſupra agentes de Hecticæ curatione, vbi eius adduximus conditiones pro conſeruanda ſanitate, ex mente Galeni 12. *meth. capite* 15. cui ſubſcribit Paulus *libro primo capite* 49. à quo deduximus quòd pro corrigendis intemperiebus aër eligendus pollens contrariis qualitatibus eis, quibus ſumus intemperati, quas plerumque habemus in locis in quibus febrientes ægrotant: ſæpè nonniſi in diuerſa regione; inquam an debeant mutari putrida febre correpti? ſub dubio manet.

Negant plerique, Primò: quia febres humorales plæreque ſunt morbi acuti; ſed in acutis, & periculoſis morbis non eſt mutandum ſolum: motus enim cauſâ vires ruerent, periretque æger.

Secundò: Pro febribus putridis curandis deſideratur coctio, cùm per illam humor reguletur; coctio enim eſt quæ facit ceſſare putredinem: Sed ex Ariſtotele *lib.* 4. *meteororum*, coctio quietem deſiderat: ergo febre putrida laborantibus non conuenit motus.

Tertiò: Febrientem mutare à domo in domum, & in eadem domo à cubiculo in cubiculum, & in eodem cubiculo in diuerſam illius partem, & in eadem parte, ab vna lecti parte in aliam ſæpè timemus: ergo non ſunt mutandi febre putrida laborantes ab vno in alium locum.

§. II.

Communis doctrina tenenda proponitur.

RESoluendum: Quòd aliquando conuenit in putridis febribus chronicis mutare ſolum, aëremque quærere contrariis qualitatibus præditum. Sic ſanciuit Galenus, receperunt Valeriola, Zacutus, Manelphus, Ioannes Baptiſta Cortes, communis Dogmaticorum aſſenſus.

Probatur: Pro febribus curandis putridis, ac chronicis patrium ſolum cunctis ſalubre eſt ob naturalem in illud propenſionem, natiuamque blanditiem, commodam temperiem, ac lætitiam, quæ vnicuique ea eo ineſt: ergo in his ſaltem ſolum mutandum pro febrium curatione. Patet antecedens: Tum ex eis quæ diximus *part.* 1. *Reſolut. medicar. Reſolut.* 6. Tum quia, vt ait Cicero lib. de Orator. & 2. de legibus: *Nos patria delectat, cuius tanta eſt vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam in aſperrimis ſaxis tanquam nidulum affixam ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret.* Tum inquit Idem in Catilinam 4. *Patria ſolum cùm omnibus eſt carum, tum verò dulce, atque iucundum.*

Probatur Secundò, ſummi Dictatoris doctrina & authoritate libro 6. Epidemion ſectio. 5. text. 20. §. *Solum vertere in morbis longis conuenit:* & Galenus in commentario inquit: *Siue nauigans, ſiue terreſtre iter faciens quiſpiam in alteram regionem migrauerit, vel motus in itinere, aut nauigatione, aut aëris mutatione proderit; & maximè cùm in aërem contraria temperatura diſceſſeris. Contrariam autem dico non ſolùm aëris propria ægrotantis regionis temperamento, ſed etiam ipſi morbo: Nam ſi humidus morbus ſit, in ſicciorem aërem migrandum erit; ſi ſiccus, in humidiorem; ſi frigidus, in calidiorem; ſimiliter ſi calidus ſit morbus & ſiccus, ad humidiorem, & frigidiorem abeundum eſt.*

Dices: Quod ex Galeno non tam colligitur, quòd ſit æger mutandus in patrium ſolum, quàm ab illo in aliud.

Reſpondetur: Quòd fatemur, quòd quandoque à patrio ſolo in aliud, frigidius, & humidius erunt mutandi febrientes, ſi nimia ſit qualitatum contrarietas; ſin minus patrius quærendus aër. Quia, vt inquit Cicero lib. Epiſtolarum familiarium epiſtula 27. *Chari ſunt parentes, chari liberi, familiares, propinqui*

pinqui : ſed omnes hos vincit Patria. Et ideò Auicenna *fen. 4. t. c. 1.* inquit: *Et ex iis prӕterea quӕ huic morbo medicationis ſunt propinqua, eſt mutatio de terra in terram, & de aëre ad aërem. Mutatio enim de ciuitate in ciuitatem, de regione in regionem recreat, delectat, vires reficit, &c.* Quos effectus cùm maximè præſtet patria, maximè venit optanda, dum aliquo modo ſua viuet temperie.

§. III.

Soluuntur quӕ primò opponuntur rationes.

AD 1. reſpondetur: Quòd probat de acutis febribus, in quibus vires ſunt debiles; non autem de chronicis, & in quibus ſubſiſtunt vires.

Ad 2. reſpondetur: Quòd ſi maior ſit impedimentum ad humores concoquendos in contraria temperie ſoli, in quo habitamus, quàm in motu quo acquirimus oppoſitam, mutandus locus in eius acquiſitionem.

Ad 3. reſpondetur: Quòd ne interturbetur coctio, & omninò labantur vires, tenuimus ægros à loco in locum mutare in acutis febribus, in quibus præ nimia debilitate animo delinquant; non autem in chronicis, in quibus ſubſiſtunt vires.

RESOLVTIO III.

Vtrùm localis motus ſit exercitium vtile febre putrida laborantibus?

§. I.

Pars affirmatiua Antiquorum authoritate videtur fulciri.

LOcalem motum febrientibus vtilem videtur ſuaderi, Tum ex Oribaſio, qui localem deſcribit motum, & illius ſic refert vtilitates, *lib. 1. ſynopſ. cap. 8. Exercitatio eſt vehemens motus, terminus vehementiӕ eſt anhelitus ad frequentiorem alteratio. Porrò laborioſӕ exercitationes membra organica prӕparant, & robuſtiora ad actiones, & ad validiſſimam alimenti attractionem, promptiſſimamque alterationem, & meliorem appetitum, propter calorem excitatum reddunt, meatus purgant; & vehementi ſpiritus impetu excrementa pellunt:* Sed his commodis indigent maximè laborantes humorali Febre; ergo localis motus vtilis eſt illis.

Secundò: In omni febre putrida patitur ventriculus, & redditur debilis pro chylo generando, ſed exercitium locale motu factum conducit ad perficiendam coctionem, vt docet Celſus *lib. 3. de re medica cap. 2. §. Prima eius curatio exercitatio eſt:* Ergo localis motus eſt vtilis in febre putrida laborantibus.

Tertiò: Quies torporem membrorum inducit; ignauiam fouet, incordiam parit, memoriam aufert, iudicium obtundit, corpus diſcolorat, humores crudos reddit, pororum meatus obſtruit, defluxiones innat, vnde Poëta cecinit:

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus;
Vt capiant vitium, ni moueantur, aquӕ.

Ergo localis motus exercitium non eſt interdicendum febre putrida laborantibus.

§. II.

Prӕfertur communis Dogmaticorum doctrina.

REſoluendum: Quòd in laborantibus febre putrida, præcipuè acuta, cohibendus eſt localis

A motus. Sic ſanciuit Hippocrates aduerſus Prodicum & receperunt omnes eius diſcipoli.

Probatur: Ad coctionem deſideratur quies, ex Ariſtotele *lib. 4. meteor.* ſed putridæ cuiuſuis febris curatio perficitur coctione, quæ facit ceſſare putredinem, ex Galeno *lib. artis parue.* Ergo in omni febre putrida cohiberi debet localis nimius motus.

Probatur 2. in febre putrida acuta vires ſunt debiles, & earum defectu coctiones perfici non poſſunt: ſed eædem locali motu reſoluuntur: ergo localis motus interdicendus eſt.

Dices: Quòd in Chronicis febribus ſaltem vtilem eſſe localem motum conceſſimus reſolutione antecedente.

B Reſpondetur: Quòd aëris mutationem diximus eſſe vtilem, quæ ſi poſſet conſequi ſine locali motu, abſque eo tentaremus illam. Sin minus localem intendimus motum, non propter ſe ipſum, ſed propter termini adquiſitionem: niſi moderatus quandoque eſſet vtilis in harum febrium declinatione.

§. III.

Soluuntur rationes primò poſitӕ.

AD 1. reſpondetur: Quòd traduntur vtilitates localis motus tempore ſanitatis, in quo ſubſiſtunt pro illo vires, & non impeditur putridorum humorum coctio.

C Ad 2. reſpondetur: Quòd licèt poſſit ventriculi ſubſequi corroboratio, renuunt exercitium vires, & interturbatur humorum coctio.

Ad 3. reſpondetur: Quòd propoſita incommoda ſubſequuntur ex nimia quiete, tempore ſanitatis; non verò ex ea quæ neceſſaria eſt tempore febris, in quo ratione motus localis putridi incaleſcerent humores.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm ſanguinis miſſio ſit vtile remedium

D pro febribus humoralibus?

§. I.

Pars negatiua ſuadetur ex inſomniis Vanhelmont.

VAnhelmont ſuis deliriis adhærens *tractat. de febribus cap. 4.* exterminare contendit ſanguinis miſſionis remedium, à febrium humoralium medela. His fultus,

Primò: Remedium, quod non eſt indicatum, non debet exerceri, quia eſt medium, quod non debet poni, dum ex illo non ſperatur finis conſequutio: ſed ſanguinis miſſio pro curatione febris humoralis non eſt indicata: ergo non debet exerceri. Probatur

E minor: Tum 1. ſanguinis miſſio non indicatur niſi à ſanguinis plenitudine, at febris putrida non pendet à ſanguinis plethora, ſed ab humorum vitio acquiſito vitione, aut putredine. Tum 2. Quia ex deiectionibus, & vomitibus apparet febres non pendere ex plethora, ſed ex aliis humoribus à ſanguine. Tum 3. Quia ſanguis, qui generatur, continuò abſumitur, & vertitur in ſubſtantiam viuentis, & multò magis abſumitur, dum adeſt febris, à qua reſoluitur. Tum 4. Quia in febre parum cibi abſumitur, & ideò nec ſanguis redundare poteſt, præcipuè cùm hæc fiat plerumque ob inediam. Tum 5. Quia ſicut apparet in febribus exſiccari vlcera, eſt concedendum

concedendum plethoram poſſe abſumi. Tum 6. Quia ſanguis nimietate nunquam poteſt nocere, cùm ſit animæ ſedes, & virium, & nunquam noceat vires validas habete: ergo ſanguinis miſſio pro curatione febris humoralis nunquam eſt indicata.

Secundò: ſanguis intra venas nunquam eſt corruptus: ergo nunquam fit febris à ſanguine, quæ indicet ſanguinis miſſionem. Probatur antecedens. Tum 1. Quia febris ſi fieret à ſanguine, vel dum eſt in ſtatu naturali, & tunc non; cùm bonum ſit ex integra cauſa, ſi febris ex ſanguine fieret, non eſſet naturalis: vel dum incipit putreſieri, & tunc iam deſinit eſſe ſanguis, cùm diſcedat à ſtatu naturali. Tum 2. Quia ſi putreſceret, peteret purgationem, à qua ſelectiuè putridum trahitur; non autem ſanguinis miſſionem, à qua euacuatur vtile, & pro nutritione neceſſarium. Tum 3. Quia cùm fieri deberet febris à ſanguine exiſtente circa cor, extraheretur ſanguis non corruptus exiſtens in partibus externis, & relinqueretur ſanguis corruptus, à quo febris penderet: ergo non eſt ſanguis pro febribus curandis mittendus.

Si autem reſpondeas pro Dogmaticis: Quòd licèt ratione putredinis non ſit indicata ſanguinis miſſio, ea deberet exerceri attemperationis gratia.

Contra inſurgit Vanhelmont contra hoſtem quem fingit, & contra fugam hanc, cui aliqui Medicinæ ignari adhærent: Tum 1. Quia nec ad refrigerandum inuenta eſt venæ ſectio, ſed ad euacuandum. Tum 2. Quia venæ ſectio non poteſt refrigerare, niſi euacuando calidum innatum, quod nunquam eſt tentandum. Tum 3. Quia deberet ſanguinis miſſione curari hectica, ſi eſſet remedium refrigerans, cùm in hectica ſit indicata refrigeratio. Tum 4. Quia venæ ſectione non fit refrigeratio, donec exuſtus ſit ſanguis, & exemplis apparet ex ſanguine ſic exhauſto potius ægrum perire, quàm refrigerari. Tum 5. Quia refrigeratio citiùs conſequeretur, ægrum alterando niue, aut aëre frigido, quàm mittendo ſanguinem: ergo nec ratione attemperationis indicata eſt ſanguinis miſſio.

Tertiò: Si in febre humorali eſſet mittendus ſanguis, maximè quia id videtur deduci ex doctrina Hippocratis, qui in Athletis docet ſanguinem eſſe mittendum: ſed hoc non conuincit; Tum 1. Quia in Athletis Hippocrates mittit ſanguinem non propter plenitudinem, ſed ne vires ſuffocentur, aut venæ dehiſcant, & reddantur pro luctis impotentes. Tum 2. Quia Hippocrates decernit naturam eſſe curatricem morborum; non autem ſanguinis miſſionem. Tum 3. Quia licèt in plethoricis mittendus eſſet ſanguis, hoc non conuincit in patientibus humoralem febrem non pendentem à plethora, ergo ſanguinis miſſio non deberet exerceri in febribus putridis.

Quartò: Abſque ſanguinis miſſione natura humoralium febrium curationem aggreditur, vt apparet. Tum 1. in pluribus morbis: Tum 2. in criſibus, in quibus plerumque ſudore ſoluuntur febres, cui opponitur ſanguinis miſſio, in contrariam regionem mouendo humores: Tum 3. Quia natura ſuis viribus vincit morbos: eas autem debilitat ſanguinis miſſio: ergo nunquam ab arte exerceri debet ſanguinis miſſio.

Quintò: Non eſt ſanguis mittendus in principio, nec in augmento; quia febrilis calor debilis eſt: nec in ſtatu, quia impeditur natura, & impediuntur Criſes: nec in declinatione, quia iam morbus eſt victus: nec conuenit ſanguinis miſſio in his omnibus temporibus, quia aut eſt naturalis ſanguis; & debet retineri: aut eſt præternaturalis, & putridus;

A & tunc non debet commoueri ſanguinis miſſione, ne halitus putridi eleuentur ad cor: ergo nullo morbi tempore eſt mittendus ſanguis in febribus.

Confirmatur: Si in aliqua febre eſſet vtilis ſanguinis miſſio, maximè in ea, quæ oritur ex inflammatione pleuræ, in pleuritide: ſed adhoc in hac non eſt vtilis; Tum 1. quia gloriatur Vanhelmont ſe ſine miſſione ſanguinis omnes pleuriticos curaſſe. Tum 2. Quia dicitur à ruſtico pleuritidem curare, in vitis, ſtercore iumenti; & in mulieribus, ſtercore Caballi diluto in Ceruiſia, cum ſecuritate in omnibus, & ſine miſſione ſanguinis: ergo hæc in febribus non admittenda.

B

§. II.

Sanguinis miſsionem vtilem eſſe pro febribus curandis à nullo ſanæ mentis denegandum.

RESoluendum: Quòd infirmi cerebri eſt euidens indicium denegare miſſionem ſanguinis non poſſe in febribus humoralibus eſſe vtilem. Sic fatetur Dogmaticorum ſchola aduerſus Chryſippum Gnidium, & aliquos eius ſectatores, quorum deliramentum ſuſcitauit Vanhelmont.

Probat euidenti euentu experientia, qua vulgares adhuc edocti ſunt, tot hominum millia à morte
C liberatos fuiſſe, à grauiſſimiſque febribus, & earum accidentibus ſola ſanguinis miſſione debitè exercita.

Probatur ratione: Febris putrida quæ eſt morbus magnus pendens à ſanguinis vitio intra venas manentis, indicat ſui curationem per remedium magnū, quod euacuet cauſam à qua fouetur febris: ſed hoc debet eſſe neceſſariò ſanguinis miſſio: ergo eſt exercenda. Probatur minor. Remedium magnum, aut eſt ſanguinis miſſio; aut purgatio: ſed vitium quod non eſt cacochymia in humoribus, non indicat purgationem, vt demonſtrauimus *diſp. de purgandi ratione*: ergo debet exerceri ſanguinis miſſio, quæ eſt remedium magnum, & eſt indicatum.

Reſpondet Vanhelmont: Quod euacuabitur febris
D cauſa per ſudorem.

Contra ſtat: Tum quòd non conuenit ſudor, nec alia critica euacuatio in principiis, dum exercetur ſanguinis miſſio: Tum quòd ſudor non eſt apta euacuatio pro omnium febrium materia eradicanda: Tum quòd ſudorifica non ſunt exhibenda, cùm ſint calida, in vigore febris, quando potius indicatur illius attemperatio: Tum quòd ſudor non eſt remedium magnum, nec deſtinatum pro ſuccis ſecundæ regionis: Tum quia ex febrium curatione per ſudorem Criticum, non conuincitur quo minus non deberent etiam exhiberi ſolutiua pharmaca, cùm etiam ſoleant curari per criticas diarrhœas, vel alias diuerſas euacuationes: ergo ineptè contendit Vanhelmont,
E quòd ſolis ſudorificis deberet curari humoralis febris.

Probatur 3. Vanhelmont admittit, quòd fit febris ex indignatione Archæi cauſa moleſtante: ergo ſi ſanguis ſua quantitate, aut mala diſpoſitione irritet, indignabitur Archæus, & fiet febris ab illo: ſed tali, febris ſeu indignatio Archæi curabitur per ablationem ſanguinis indignantis Archæum: ergo ad ſanguinis Archæum indignantis ablationem exercenda eſt ſanguinis miſſio.

§. III.

Soluuntur delirantis Vanhelmont futiles rationes.

AD 1. Reſpondetur: Quòd, vt à nobis demonſtrabitur, ſanguinis miſſio indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, quantitate, qualitate, aut motu. Tum 2. Quòd febres pendent ex ſanguine, aut ex aliis humoribus ſanguini commixtis, dum ab eis indicatur ſanguinis miſſio: ſi autem pendeant ab aliis humoribus à ſanguine, & ſeparatis ab eius commixtione, indicatur purgatio, vt diximus *diſputatione de purgandi ratione*. Tum 3. Quòd licèt ſanguis deſeruiat pro nutritione, & ſimul reliqui humores poſſunt ratione quantitatis, aut qualitatis permanere in ea copia, qua valeant alterati febrem committere. Tum 4. Quòd licèt paruo cibo vtantur in febre, febris fouetur, vel ea humoribus priùs genitis, vel ea eis quæ indebitè fiunt ex illis. Tum 5. Quòd exſiccantur vlcera, in quibus redundat parum humorum; non autem humores qui affluunt in venis maiori copia. Tum 6. Quòd licèt ſanguis moderatus eſt ſedes animæ, omne tamen nimium vertitur in vitium, & eſt naturæ inimicum.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd poteſt ſanguis corrumpi intra venas: & licèt non poſſet corrumpi, corrumperentur reliqui humores illi commixti, & ab illis indicaretur ſanguinis miſſio. Et ad probationes dicimus, Tum 1. Quòd dum febris fit à ſanguine, non fit ab illo naturaliter ſe habente, nec dum eſt putridus in termino, ſed dum manet in via corruptionis, & putreſcit. Tum 2. Quòd ſanguis nunquam petit purgatione euacuari, ſed reliqui humores: quia hæc indicatur ab humore cacochymo, qui eſt humor à ſanguinis commixtione ſeparatus. Tum 3. Quòd fit febris non ſolum à ſanguine circa cor putreſcente in quacumque corporis parte.

Ad 3. Reſpondetur: Tum 1. Quòd Hippocrates mittit ſanguinem in Athletis, non quia inepti redderentur ſua multitudine ad luctam, cuius nulla eſt Medico cura; ſed, vt ipſe ſanciuit, quia habitus Athletarum periculoſus, quia cùm in melius progredi non poſſint, neceſſe eſt in deterius labi; & ne venæ rumpantur. Tum 2. Quòd Hippocrates docet naturam eſſe morborum medicatricem, & etiam quòd indiget artis auxiliis. Tum 3. Quòd cùm ſanguinis miſſio indicetur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu ſine plethora eſt indicata in febribus.

Ad 4. reſpondetur: Tum 1. Quòd licèt aliqui morbi leues non indigeant ſanguinis miſſione; non probatur, quòd non debeat exerceri, dum à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis indicatur. Tum 2. Quòd licèt per criſes terminantur plures febres, ante ipſas debet exerceri ſanguinis miſſio, vt leuata natura ex Gal. 9. *Methodi* quod concoqui eſt habile, concoquat, & excernat, quod petit excerni; nec nocet earum motui, cùm priùs tempore fiat. Tum 3. Quòd cum ſarcina humorum debiles fiant vires, ſanguinis miſſione depoſitâ ſarcinâ, roborantur.

Ad 5. reſpondetur: Quòd in principio, & augmento, in quibus ob humorum copiam debiles ſunt vires, exercetur ſanguinis miſſio, antequam intenſior fiat febris ex illis oriunda; & etiam in ſtatu, dum nimia eſt copia humorum valens criſes impedire, quia vires debilitat.

Ad Confirmationem reſpondetur: Tum 1. Quòd omnes impoſtores ſimiliter gloriantur de ſuis inſomniis, vt ruſticam plebem ad ſe trahant, quam ſuis fefellere technis. Tum 2. Quòd licèt Vanhelmont probauit experientia vſum ſtercoris aſini, & equi, & concedis ſudore prodeſſe in pleuriticis, ipſe impoſtor, & ruſtici diſcipulus parum habet fidei, vt conuincat tam abſurdum remedium & à ratione alienum ſufficere ad morbum, & morbi cauſam auferendam in pleuritide, quæ ab humorum fluxione in pleuram dependet, vt euidenti opinione omnium Authorum, & experientia comprobatur.

Resolvtio V.

Verùm in omni putrida conueniat ſanguinis miſſio?

§. I.

Galeni, ac communis Dogmaticorum refertur opinio.

INter Dogmaticos Galenus *lib. 11. Methodi cap. 15. Saluberrimum*, Inquit, *autem, vt prædiximus, in febribus venam incidere, non continentibus modo, verùm etiam in aliis omnibus quas putreſcens humor concitat, vbi præſertim neque ætas, neque vires prohibent.* Quam doctrinam ità ſtrictè amplectitur Dominicus Monteſis n. *quæſt. 17.* Veigs 2. *Methodi*, Lemos, Syluaticus, & alij, vt in omni febre quæ ex putreſcente fit ſucco, vbi nec ætas, nec vires prohibent, ſanguinem eſſe mittendum, ſiue pendeat à ſanguine, ſiue ab aliis humoribus, etiamſi non ſint commixti ſanguini. Matthæus Curtius in omni febre putrida ſanguinem eſſe mittendum iudicat ex Galeni Decreto, ſi ſimul adſit plenitudo quoad vaſa. Turinus Galenum tenet intelligendum de febribus putridis, quæ pendent à ſanguine, vel ab aliis humoribus reductis per coctionem ad ſanguinis formam. Antonius Conturgius, & Bernardinus Criſpolitus, mittendum eſſe ſanguinem in febre quacunque putrida contendunt, ſi pendeat ab humoribus ſanguini commixtis forma, & ſpecie. Lupeius vir ſanè doctus, vt refert Mogius *lib. de curandis febribus capit. 11.* in ea ſiſtit opinione vt in febribus continentibus, ſanguineis, & in bilioſis continuis ſit ſanguis ſemper mittendus, & de illis veniat intelligendus Galen. 11. *Method. cap. 15.* ſed quam improbabiliter loquatur iuxta mentem Galeni, patet ex contextu, qui ſuperaddit: *Non continuis modo, verùm & aliis omnibus quas putreſcens concitat humor.*

Eraſiſtratus Ariſtotelis nepos, & vnus è pronepotibus Hippocratis indicauit ipſum Hippocratem in ea ſteriſſe ſententia; Quòd in nulla febre humorali eſſet vtilis ſanguinis miſſio, etiamſi humores, & humorales febres dari in corpore demonſtrauerit; & hanc opinionem, vt refert Cardanus *de cura morbi Regij cap. 12. lib. 4.* his fultam reliquit. Tum 1. quia per venæ ſectionem mouetur materia de loco in locum, & vnde mouetur, relinquuntur ſemina putredinis, & quò deducitur materia, etiam relinquitur putredo, & in tranſitu quidquid tangitur à putrido putreſcit; vnde augetur putredo, & febris fit intenſior. Tum 2. quia non conuenit febri intermittenti, quia ratione ſanguinis miſſionis humor traheretur in venas, & faceret febrem continuam, nec conuenit febri, continuæ peſtilenti: nam motus humor peſtilens, & intus ad cor delatus ſpiritus extingueret ratione deleteriæ qualitatis, nec in febribus continuis, quia aliquæ ſunt lentæ, pendẽtes ab humoribus in venis diſtantibus corde contentis, quæ

A fierent magnæ, & ardéntes attractis humoribus, & commotis ad vaſa maiora. Tum 3. quia natura debet ſufficere pro coctione, vt vincatur febris, & ideò Hippocrates 2. *Aphoriſm.* 13. inquit, *vbi fames, laborandum non eſt*: cùm igitur febris omnis exigat inediam, ne augeatur cauſa morbifica, non debet ſuperaddi ſanguinis miſſio, cum qua ex toto vires debilitentur; nec ſufficit, quòd natura euacuationis ratione redditur potentior ſupra reſiduum: quia ſi æqualiter detrahitur de materia peccante, quantum ſuperadditur de viribus, æqualitas remanet; & cùm vlteriùs morbus, & ſymptomata vires deiiciant, iſtæ inferiores debent remanere ad morbum, & cum in ſequentibus phlebotomiis, cùm vires iam ſint debi- **B** liores, magis amittitur de virtute, quàm euacuatur de cauſa, & ſic in reliquis, & perit virtus. Tum 4. quia ſanguis mittitur in febre, quia maligna, vel ratione putredinis, non quia maligna, quia conſumptæ vires non valebunt reſiſtere malignitati, nec ratione putredinis, quia putredo emendatur coctione, & cùm coctio quietem deſideret, ſi materia mouetur per phlebotomiam, non poteſt concoqui: ergo ſanguinis miſſio nunquam debet exerceri pro curatione febris humoralis.

Secundò: Sanguinem non eſſe mittendum in febre putrida ſuaderi videtur, Tum 1. quia ſi eſſet in omni febre putrida mittendus ſanguis, vel quia ab illa vt mali, cùm in calore conſiſtat, ex *Gal.* 1. *Methodi*, **C** febrium omnium, quà febres ſunt, proprium remedium eſt refrigeratio, & eadem ratione hectica, & diaria peterent ſanguinis miſſionem; nec ratione putredinis, aliàs in putridis diariis, & hecticis eſſet mittendus ſanguis. Tum 2. febres ſyncopales, & aliæ ortæ ex crudis humoribus, vel in venis, vel in ventriculo putridis non ferunt ſanguinis miſſionem, ſine ægri pernicie. Tum 3. febres putridæ oriuntur ratione multitudinis, craſſitudinis, lentoris, obſtructionis, retentionis prohibitæ, aut putredinis, quæ excepta multitudine potiùs prohibent, quàm indicant miſſionem ſanguinis. Tum 4. quia Gal. *lib. conſtitut. artis medicæ*, docet plenitudinem deponendam ſanguinis miſſione; reliquos humores purgatione: ergo non debet in omni **D** febre putrida ſanguinis miſſio exerceri.

Tertiò: Febres ortæ ex bile turgente ſunt putridæ: ſed in his docet Hippocrates medicari eadem die: ergo non eſt ſanguis mittendus in omni febre putrida.

Quartò: In febribus putridis ortis ex pituita hydropicorum putrida non mittimus ſanguinem; imò ſtatim nulla expectata coctione purgamus: ergo non eſt ſanguis mittendus in omni febre putrida.

§. II.

Monteſiani, Veigæ, Sylvatici & Lemoſij opinio conuellitur.

REſoluendum: Quòd licèt non ſit plenitudo in febribus putridis, conuenit ſanguinis miſſio, **E** Sic tenet Carreirus, Marcus Antonius Monteſianus, & Cerdanus.

Probatur, tum ex Galeno *lib.* 4. *Methodi capite* 6. §. *Quod & ſi redundantis ſucci concurſus non adſit, ad ipſam ſanguinis miſſionem interdum eſt confugiendum.* Tum *libro* 8. *Methodi*, vbi ſanguinem eſſe mittendum docet, etſi plenitudinis ſigna non adſint. Tum ex Cornelio Celſo lib. 2. cap. 10. §. *At ſi vel copia ſui male habet, vel corrupta eſt, nullo modo melius ſuccurritur quam ſcilicet ſanguinis miſſione.* Tum ex Auicenna *fen.* 2. 4. *c. de Phlebotomia.* §. *& vna duarũ debet phlebotomari.*

A Probatur 2. Dum humor committens febrem eſt ſanguini commixtus, indicat ſui euacuationem quatenus dependet ab eo morbus magnus, ſed non per purgationem. Tum ex Auicenna *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 7. §. *Quod ſi fuerit fortis, & fuerit illud quod vincit ſanguis, aut cum humore quem vincit ſanguis tunc flebotomia eſt magis conueniens.* Tum quia indicatus euacuatio, & non per purgationem, cùm humor ſanguini commixtus non ſit cacochymus, ſed pars ſanguinis illum vitians, ab illo indicatur ſanguinis miſſio.

Probatur 3. Sanguinis miſſio indicatur à morbo magno pẽdente ex vitio ſanguinis, per cuius ablationem aufertur morbus qui ab eo pendebat: ſed morbus magnus ortus ex ſanguine non ſolùm poteſt pen- **B** dere ab eius plenitudine, ſed ab eius motu in aliquam partem, vel ab eius vitio ob humorem peccantem in quali, qui ſit ſanguini commixtus: ergo non ſolùm indicatur ſanguinis miſſio in febribus ratione plenitudinis, ſed ratione humorum à quibus dependet febris, prout ſunt ſanguini commixti.

§. III.

Aperitur Galeni doctrina.

REſoluendum: Quòd in quacunque febre putrida pendente ex humoribus non cacochymis, eſt indicata ſanguinis miſſio. Sic tenet Ioannes Mogius Raphaei *lib. de curand. febr. put. à per ſanguin. miſſion. c.* 11.

C Probatur: In quolibet morbo magno pendente ex humoribus, ſumpta indicatione à cauſa, indicatur remedium magnum, ſcilicet ſanguinis miſſio, aut purgatio, per quod euacuentur humores: ſed febris humoralis eſt morbus magnus pendens ex humoribus: ergo ſumpta indicatione à cauſa, indicatur remedium magnum quod ſit ſanguinis miſſio, aut purgatio: ſed in febre pendente ex humore cacochymo ſola purgatio indicatur, vt demonſtrauimus *diſp. de purgandi ratione*: Ergo à quacunque febre humorali pendente ab humore non cacochymo indicatur ſanguinis miſſio.

Probatur 2. Sicut ab humore cacochymo ſepa- **D** rato à ſanguinis commixtione indicatur purgatio; ita à ſanguine vitiato in quanto, aut quali indicatur ſanguinis miſſio: ſed febris pendens ab humore non cacochymo pendet vel ab ipſo ſanguine, vel ab alio humore illi commixto, ipſúmque vitiante: ergo in omni febre pendente ab humore non cacochymo indicata eſt ſanguinis miſſio.

Probatur 3. Si ab humore quocumque ſiue commixto ſanguini, ſiue non commixto, à quo dependet febris, indicaretur ſanguinis miſſio, vt intendunt Monteſianus, & plerique; nulla eſſet ratio in febribus, cur potiùs eſſet ſanguis mittendus, quàm purgandus: ſed in eiſdem febribus pendentibus ab eodem humore diuerſo modo ſe habente, ſanguinis mittendi, & purgandi indicationem ſumimus: ergo propter diuerſum modum ſe habendi ita vt ab illo, commix- **E** to ſanguini, quia pars eſt ſanguinariæ maſſæ, indicatur ſanguinis miſſio; ab eodem verò ſeparato à ſanguinis commixtione, quia ſit cacochymus, & obiectum facultatis expellentis, indicatur purgatio.

§. IV.

Soluuntur Eraſiſtrati, & aliorum oppugnantes rationes.

AD 1. Reſpondetur: Aſclepiadem non potuiſſe ex Hipp. ſententia ſuam deducere opinionem; cùm noſtram doctrinam deducamus ex illo *lib.* 4. *de vict.*

victu in acutis text. 19. & ex communi illius praxi in *lib. Epidem.* Vnde ob rationes pro eius opinione dicimus, Tum 1. Quòd per venæ ſectionem non mouetur materia niſi per venas, in quibus reliqui humores licèt ſint commixti humori putreſcenti, nec ante motionem, nec poſt illam putreſcunt; quia habent ſubſtantiæ modum perfectum, & non ſunt diſpoſiti ad putredinem; Actus verò actiuorum, ex Ariſtotele non ſiunt niſi circa ſubiectum bene diſpoſitum. Tum 2. Quòd conuenit ſanguinis miſſio ratione cauſæ antecedentis, quæ eſt ſanguini commixta, & antequam ſeparetur portio humoris peccantis à qua futura eſt acceſſio, & conuenit febri continuæ, etiamſi ſit maligna, aut peſtilens, quatenus per venæ ſectionem euacuatur pars materiæ, à qua dependet malignitas, & per ventilationem impeditur putredo, ratione cuius pullulat, nec humores malignitatem recipiunt per motum ob rationes nuper dictas. Tum 3. Quòd, vt inquit Galenus, natura leuata per ſanguinis miſſionem redditur potentior, vt concoquat, quod concoqui eſt habile, & excernat quod petit excerni: & licèt vires aliquo modo debilitentur, comparatiuè ad minorem portionem cauſæ, quæ remanet vincenda, ſuperiores redduntur. Præterquam quòd licèt calor naturalis pēdens à ſpiritibus, ratione euacuationis minuatur calor natiuus partium, qui grauatus humore erat remiſſus, exoneratus ab eo, quo veluti ſarcina opprimebatur, vt inquit Galenus, intenſior redditur, & potens, quod reliquum eſt vincere, ſine eo quòd remittatur; vt ſua cauillatione intendit Cardanus ſuadere. Tum 4. Quòd ſanguis mittitur in febre, non quia maligna, nec ratione putredinis, à malignitate enim indicantur alexipharmaca; propter putredinem intendimus coctionem quæ facit illam ceſſare; ſed indicatur à cauſa febris, quatenus ab illa pendet morbus magnus, & ideò indicat ſui euacuationem per magnum remedium.

Ad 2. Reſpondetur: Tum 1. Quòd mittimus ſanguinem in febre putrida, quia eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in Quali, quatenus pendet ab humore peccante in Quali, commixto ſanguini. Tum 2. In febribus, in quibus humores ſunt cacochymi, non eſt indicata ſanguinis miſſio, & in aliis febribus, in quibus eſt indicata, poteſt ratione accidentium contrà indicantium non exerceri. Tum 3. Quòd non indicatur ſanguinis miſſio à cauſis, à quibus prouenit putredo; ſed ab humoribus, in quibus fit, prout ſunt ſanguini commixti. Tum 4. Quòd Galenus docet reliquos humores à ſanguine purgandos eſſe, dum ſeparantur ab eius commixtione, & fiunt cacochymi.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd in febribus pendentibus ab humoribus turgentibus eſt purgandum, quia ſunt cacochymi, & ſeparati à commixtione ſanguinis.

Ad 4. Reſpondetur: Quòd in hydrope generatur pituita cacochyma, & ſeparata à ſanguinis mixtione, & ideò ſiue adſit febris, ſiue non adſit, purgamus in illa, dum pituitæ redundat magna copia: dum verò parua eſt eius copia, & ſanguini commixta, ſanguinem mittimus.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm purgatio ſit vtilis pro febrium curatione?

§. I.

Vanhelmont tuetur partem negatiuam.

SVâ deductus inſaniâ Vanhelmont *tract. de febr. cap.* 5. contendit, vt in *libro de purgandi ratione*

A teſtimonis, purgationem nulla ex parte eſſe vtile remedium, nec pro febribus humoralibus, nec pro aliis curandis morbis: quod inſomnium variis irretitus ineptiis, vt ſolet, intendit ſuadere.

Primò: Tum quia omnia pharmaca purgantia ſunt violentiſſimæ naturæ; & quæ ideò à Dogmaticis dicuntur indigere correctione. Tum 2. quia licèt dicantur corrigi, venenoſas non amittunt vires, violentámque naturam quá pollebant; quod conantur celare Dogmatici, imponendo illis diuerſa nomina: ideò Scamoneam vocant Diagridium. Tum 3. Quia veritate coacti fatentur ipſi quòd omnia quæ exhibito pharmaco eueniunt, ſunt potiùs opus fortunæ, quam pharmaci. Tum 4. quia fatentur ſimili-
B ter, quod omnia ſolutiua pharmaca habent incluſum virus, ſolámque Aloëm inculpatam remanere fatentur: ergo vſus horum purgantium medicamentorum pro febribus curandis non poteſt eſſe vtilis.

Secundò: Medicamenta ex quibus poteſt ſubſequi mors, non ſunt exhibenda pro dubia ſalute: ſed ex exhibitione pharmaci purgantis poteſt mors ſubſequi: ergo nunquam ſunt exhibenda. Probatur minor à Vanhelmont, quibuſdam relatis experientiis. Tum 1. quia vir iudicioſus Senatus Brabantici, qui ob cuſtodiendum ſanitatem pillulam ex aloë aſſumpſerat, cui cùm non reſponderet affectus, conſilio alterius Medici ſumpſit pillulas maiales, quibus pe-
C riit, qui priùs eſſet ſanus. Tum 2. quia ipſe Vanhelmont ſcabie affectus, apozemate & pillulis ſæpiùs acceptis non ſentiens morbi leuamen ob nimiam ſubſequutam euacuationem, cum prius ſanus, alacer, integris viribus, leuis in ſaltu, & curſu eſſet, reductus fuit in maciem, tremebant genua, genæ collapſæ, vox rauca fuit, quæ omnia ex purgatione ſubſequuta ſunt. Tum 3. quia ipſa materia euacuata ſuo fœtore demonſtrat, quòd vi pharmaci exhibiti in putrilaginem vertitur viuentis ſubſtantia: ergo ratione illius poteſt ſubſequi mors.

Tertiò: Si eſſet vtilis purgatio pro curandis febribus, ideò quia per illam euacuatur materia, ex
D qua dependent febres, vt fatentur Dogmatici: ſed ſuppoſitio eſt falſa; Tum 1. quia eſt alienum à ratione admittere humores intra corpus, à quibus dependeat febris, & ex quorum ablatione poſſet auferri. Tum 2. quia à pharmacis non attrahuntur humores, quia quod attrahitur, eſt fœtidum, at humores à Dogmaticis admittuntur tanquam ſubſtantia perfecta, & vtilis pro partium nutritione. Tum 3. quia vt curaretur febris v. g. bilioſa, ſolùm deberet purgatione attrahi bilis, à qua dependet; at verò per pharmacum tanta copia attrahitur, vt nec pro ea ſufficerent omnes humores, nec plerumque maior pars ſubſtantiæ totius corporis. Tum 4. quia ſi humor peccans pharmaco educeretur, ceſſaret fe-
E bris, quam poſt plures purgationes permanere, & vino intendi videmus. Tum 5. quia pharmaca quibus perficitur curatio non operantur vi trahente educendo determinatum humorem, aliàs vnum determinatum attraherent, & non poſſet ſubſequi ſuperpurgatio. Tum 6. quia non purgant trahendo humores; ſed vi deleteria aliquando cruorem, & corporis partes, aliàs non obtunderetur earum actio exhibitione theriacæ, & medicamenti alexipharmaci: ergo purgatio non eſt vtilis pro febribus curandis.

§. II.

Dogmaticorum doctrina ſancitur.

REſoluendum: Quòd purgatio eſt vtile remedium pro febribus humoralibus curandis. Sic tenet vniuerſa ſchola Dogmaticorum, admittebant Methodici, nec omninò diſcedit Paracelſus, qui licèt humores non admittat, purgatione vtitur pro ſebribus, quas dicit pendere à tartaro.

Probatam, ac demonſtratam reliquimus hanc doctrinam *diſp. de purgandi ratione, ſect. 3. reſol. 1. §. 2.* ratione, & experientia, & communi aſſenſu Philoſophorum, & Medicorum omnium. Ratione; Quia Vanhelmont non poteſt negare, quòd Medicus qui rationalis, ratione vtens debet imitari naturam rectè operantem, ſed natura dum potens eſt, & apta rectè operari, ſæpè in criſi per ventrem euacuat ſubſtantiam, à qua dependet febris, & cuius euacuatione ſtatim ceſſat febris, & ſubſequitur ſanitas: ergo dum ipſa impotens eſt operari debet à Medico iuuari ad ſimilem euacuationem vi pharmaci ſolutiui.

Dices: Quòd Vanhelmont non admittit dari humorem, à quo pendeat febris, & qui poſſit pharmaco euacuari.

Contra: Vanhelmont admittit, quòd datur intra corpus, & in prima regione ſanies, à qua deturpatur Archæus, in quo ponit febris rationem: ſed ablata ſanie, ceſſat Archæi deturpatio: ergo vt hæc euacuetur, & curetur Archæi deturpatio, debet admittere purgationem eſſe vtilem.

Probatur 2. Si eſſet inutilis purgatio, maximè quia præterquam quòd nulli ſunt humores euacuandi vi pharmaci ex viuentis ſubſtantia, putrilagine diſſoluta, generatur materia, quæ expellitur per purgationem: ſed ante pharmaci exhibitionem remanet hæc ſubſtantia intra corpus, cum eadem extrahatur per ſanguinis miſſionem, vomitibus, per ſeceſſum, aut in principiis acceſſionum; & in euacuationibus criſi factis viſu percipitur: ergo ad hanc euacuandam ſubſtantiam redundantem in corpore ante pharmaci exhibitionem, à qua dum redundat fouetur febris, & dum euacuatur, remittitur, neceſſaria eſt purgatio.

Probatur 3. experientia ex tot millibus hominum, quos nullus non expertus eſt per tot ſæcula à morbis, & vehementiſſimis accidentibus, & ab imminente morte liberatos eſſe purgatione.

Probatur 4. ex communi aſſenſu tot Philoſophorum, & Medicorum, qui per tot annorum curricula hanc veritatem experti ſunt, & tot ſanctorum Patrum, ac Pontificum, qui cùm Dogmaticæ fuerint Medicinæ profeſſores, hoc etiam remedium in eius vſu admiſerunt, quibus, ſi inutile, & noxium foret hominum ſaluti, eſſet potius rebellandum, quàm deliranti Vanhelmont, qui vnus omnibus Philoſophis, Medicis ſanctiſque Medicinæ Profeſſoribus anteponi impia inuerecundia conatur.

§. III.

Diluuntur deliramenta Vanhelmont.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. Quòd ſolutiua pharmaca correcta, & in moderata quantitate exhibita proſint pro humorum euacuatione ſine ſenſibili noxa. Tum 2. Quòd correcta fiunt apta, vt exhibeantur ſine ſenſibili noxa; & ideò inſigniuntur diuerſis nominibus, vt diſtinguantur à ſe ipſis non correctis, & quando ſunt inutilia. Tum 3. quòd ſi ſemel exhibeatur pharmacum, cùm nee detineri, nec vlterius corrigi poſſit à Medico, quæ ab illo fiunt, dicuntur opus fortunæ, quia operantur iuxta fortunam, quam habuit æger in eligendo Medico, qui calluit occaſionem, virtutem, quantitatem, & modum vtendi illo. Tum 4. quòd fatentur Dogmatici quòd omnia pharmaca ſolutiua ſunt venenoſa, vel deleteria vi prædita, quam docent corrigere; vel ſua quantitate, quam docent determinare.

Ad 2. reſpondetur: Quòd pharmaci exhibitione non poteſt ſubſequi mors, niſi ob inſcitiam exhibentis, quam Hippocrates turpem vocat calamitatem *lib. de purgantibus medicam.* & ad exempla adducta dicimus, Tum 1. quòd iudicioſus vir non petit ob exhibitum pharmacum, ſed ob indebitum vſum illius; vel quia ſanus, quia Hippocrates prohibet ſolutiua pharmaca exhibere corporibus ſanis, vel ratione nimiæ quantitatis, nec Medici ignorantiâ debent infamari remedia, quæ aliis fuere præſidio. Tum 2. quòd potuit etiam Vanhelmont aſſumere maiorem pharmaci ſolutiui quantitatem, quam quæ illi erat præſcripta: licèt miror, ſi Deus illi reuelauit pro aliis curandis Medicinam, vt inuerecundè ipſe ſcribit, cur non ſimul reuelauit abſque purgatione remedium, quo ſe libaratet à ſcabie: Tum 3. quòd euacuata materia demonſtrat, quòd cùm pertranſeat per inteſtina, in quibus ſunt putrida excrementa, ipſáque conturbet, & ſecum attrahat; ipſa etiam debet fieri fœtida: quod non contingit dum eadem euacuatur ſanguinis miſſione, aut vomitu.

Ad 3. Reſpondetur, non inualidari rationem Dogmaticorum ob deliramenta Vanhelmont, quæ nihil ſuadent: ad quæ dicimus, Tum 1. quòd iam demonſtrauimus, in quot feratur deliria Vanhelmont, dum contendit ſuadere non dari in corpore humores: Tum 2. quòd licèt humores naturales ſint abſque fœtore, humores præternaturales ſimul cum excrementis commixti per ventrem debent eſſe fœtidi: Tum 3. quòd ſi pharmacum in debita quantitate exhibetur, ſolus humor peccans, quem ſelectione reſpicit, attrahitur: ſi verò nimia copia detur, ſubſequitur ſuperpurgatio, carniúmque, ac humiditatum, quæ ſunt in toto corpore, colliquatio, & attractio, & ideò magna ſubſequitur euacuatæ materiæ copia: Tum 4. quòd ſi humor eſt coctus, & à conſortio ſanguinis ſeparatus, totus ſimul attrahitur & ceſſat febris; ſin minus pars illius attrahitur, & ab eo qui relinquitur fouetur febris poſt purgationem: Tum 5. quòd ſi pharmacum in debita quantitate exhibitum, vnum attrahit determinatum humorem; ſi autem quantitate excedat, ſimul reliquos conturbat, eis immiſcetur, & naturam irritat ad eorum expulſionem, quæ tandem ſubſequitur, potiùs, rectrice vi debilitata, perficitur, quàm ope alterius mouentis: Tum 6. quòd theriaca poteſt impedire vim ſolutiui pharmaci, quod quia in nimia quantitate exhibitum ſolet vi deleteria, & trahente operari, quatenus alexiteria vi deleteriam reprimit, & vi reſtringente retinet attrahentem, debitè tamen exhibitum, neutra ex his luxuriat, nec nocet.

Resolvtio VII.

Vtrùm clyſterium vſus ſit vtilis pro febrium curatione?

§. I.

Pars negatiua ex Vanhelmont ſuadetur.

COntendit Vanhelmont *tract. de febrib. cap. 7.* ſuadere clyſteres non poſſe eſſe vtiles pro febribus curandis, his deliramentis correptus.

Primò:

Primò: Tum quia hoc remedium non eſt ratione inueutum, ſed belluinum, &, vt fatentur Dogmatici, ab aue Ibis edoctum. Tum 2. quia clyſteris materia, cùm ſit peregrina inteſtino magis eſt illi moleſta & fugiata, quàm excrementa, quibus fruitur voluptuoſa fruitione, & ideò non moleſtatur ab illis, ſed à materia incocta, quæ hoſtilis. Tum 3. quia materia incocta per clyſterem non poteſt prodeſſe, niſi feratur per inteſtina: ſed non fertur ad Ileon, quia licèt intendantur iniici 18. vnciæ, pars relinquitur in tubo, pars foris elabitur, pars relinquitur in principio recti inteſtini: ergo non poſſunt clyſteres eſſe vtiles pro febrium curatione.

Secundò: Tum quia ſi laxans ſit clyſter, debet ſuperaddi ſolutiuum pharmacum, quod cùm ſit venenoſum, nunquam poteſt eſſe vtile; imò ſemper odioſum eſt in corpus venenum intromittere. Tum 2. qui laxatiua medicamenta reſoluunt meſenterij cruorem, qui maximè in illo eſt vtilis. Tum 3. quia nihil attrahunt clyſteres de materia, à qua fouetur febris, cùm non perueniant ad loca, in quibus manet materia, ex qua fit febris. Tum 4. quia ſolutiua per clyſterem iniecta fugant cruorem repertum in venis manentibus in inteſtinis. Tum 5. quia eſt conſilium veterum abſtinere à quibuſcumque ſolutiuis pharmacis: ergo clyſterum vſus nullo modo pro febribus curandis poteſt eſſe vtilis.

Tertiò: Si vtilis eſſet clyſter in febribus, maximè quia tarda redditur aluus: & debet concitari: ſed hæc ratio non conuincit: Tum 1. quià cùm retentio proueniat à febre, non protitanda aluos, ſed febris, à qua fit tardior, eſt emanda: Tum 2. quia docet experientia faciliùs morbos curari, & vitam protrahi ſine clyſteriorum vſu in Campimenſibus, Aducoenſibus, Aſutranis, & aliis quibus incognitus fuit clyſteriorum vſus, quibus ideò vita maximè prolongatur: ergo clyſteres pro febribus non poſſunt eſſe vtiles.

Quartò: Si aliqui in febribus deberent admitti clyſteres, maximè illi qui iniiciuntur ex nutriente ſubſtantia pro reparandis viribus, quæ ab ipſa febre debilitantur: ſed iſti etiam clyſteres ſunt inutiles & noxij, Tum 1. quia iuſcula iniecta, vel alia quæcuoque ſubſtantia immiſcetur excrementis, ab eiſque conſpurcatur, & redditur nutritioni inutilis: Tum 2. quia cùm ſine eo quòd à ventriculo coquatur chylus, nihil nutriat; nec poteſt quòd clyſtere iniicitur nutrire, cùm non feratur ad ventriculum: Tum 3. quia clyſteres non iniiciuntur ob aliquem vſum, ſed quia in ſcholis didicerunt clyſteres iniiciendos, & vt oues Medici ſequantur antecedentium gregem: ergo clyſteres nutrientes pro febribus curandis etiam non ſunt vtiles.

§. II.

Clyſterium vſum neceſſarium ſancimus pro febribus curandis, & aliis morbis.

E

RESoluendum: Quòd Parabolanus Vanhelmont, dum negat clyſterium vſum vtilem pro febribus, quam maximè patefacit ſua deliria: ſic deducitur ex omnibus Medicinæ ſectatoribus. Empyrici enim, Methodici, & Dogmatici vnanimi aſſenſu clyſterium vſum approbant, nec in hoc remedio diſceſſit ab his ſcholis Paracelſus, cuius fuit alumnus Vanhelmont, licèt diſcedens ſæpè dum ſuis cogitur deliriis magis à vera deuiare Philoſophia, quàm diſceſſit eius Præceptor.

Clyſteres, enema, ſeu infuſiones, & immiſſiones, vt inquit Celſus *libro* 2. *capite* 22. pro eodem vſurpantur; ſed clyſteres in latiori ſignificatione

A

ſumitur pro iniectione ſubſtantiæ liquidæ in aliquam corporis partem; à qua ſolet diuerſam accipere nomenclaturam; & ideò alij clyſteres dicuntur Auriculares, ſeu otenchytæ, qui in aures iniiciuntur; alij in veſicam, & dicuntur Siphones, ſiue catheres; alij in vterum, & dicuntur Metrenchytæ; alij in inteſtina, & propriè dicuntur Clyſteres, quorum ſunt etiam variæ differentiæ; nam alij ſunt emollientes, qui emolliunt excrementa; alij anodyni; quibus infunditur materia ad dolorem demulcendum; alij carminatiui, quibus iniicitur materia apta ad flatus reſoluendos; alij dicuntur ſolutiui, in quibus ſuperaddimus pharmaca ſolutiua ſelectiua; alij ſunt nutrientes per quos iniicimus iura, nuorum vitel-

B

los, & alia ex quibus valeat corpus nutriri, & de his vltimis procedit Reſolutio contra Vanhelmont.

Probatur 1. Ex communi aſſenſu omnium Medicorum, quorum cerebrum non euertit delirium, & continua experientia, non ſolùm Medicis, & Philoſophis viris, ſed & ruſticis nota, quæ cunctis demonſtrauit ſecuritatem, vtilitatémque huius remedij, & in febribus, & in aliis morbis curandis: ergo vnius Vanhelmontis, inter tot Viros & tantos ſingularis, & fundamentis vacua opinio quam maximè demonſtrat & patefacit ſua deliria.

C

Probatur 2. Ea negare vtilia eſſe remedia, quæ naturali inſtinctu ſunt alicui animali indita pro vitæ conſeruatione, amentem demonſtrat negantis capacitatem: ſed clyſteres referente Plinio, & annuente Vanhelmont, aui Ibis ſunt naturali inſtinctu cogniti tanquam neceſſarij ad vitæ conſeruationem, & ab illa in ſimilem vſum ad hominum ſalutem adquirendam ſunt tranſlati: ergo eorum negare vtilitatem ſatis demonſtrat cerebri vacuitatem.

Probatur 3. Vanhelmont fatetur, quòd febris, quam ipſe vocat Archæi deturpationem, prouenit à ſanie redundante in ventriculo, inteſtinis, & tota prima regione: ſed clyſteres emollientes & ſolutiui

D

hanc ſaniem euacuant, cuius experientiam ipſe, vtcunque delitet, negare non poteſt: ergo vtilitatem clyſterium negare pro febribus curandis ſatis demonſtrat ſui cerebri debilitatem.

Probatur 4. Medicus debet eſſe imitator naturæ, in eis quæ rectè operatur, vt tenetur fateri quicumque ebrius, aut delirans à ratione non recedit: ſed natura intra ſtatum naturalem, & dum ex proprio inſtituto operatur, contendit ab inteſtinis pellere excrementa bilem commouendo per illa, vt ſopitam excitet facultatem ad eorum expulſionem: ergo Medicus dum natura non ſufficit, debet naturam irritare ad ſimilem expulſionem, iniiciendo per clyſteres materiam, per quam excitetur facultas.

§. III.

Inanes Vanhelmont conatus diluuntur.

AD primum reſpondetur: Tum 1. Quòd hoc remedium fuit naturæ inſtinctu, vt vtile, ab animalibus cognitum, & ab hominibus ratione vſurpatum, & in ſimiles vſus pro eorum vſu tranſlatum. Tum 2. Quòd non iniiciuntur ſolutiui clyſteres, vt iniecti non ſentiantur, ſed vt irritent, dum non ſufficit natura bilem, quæ irritet, in ſufficiente quantitate mittere ad inteſtina. Tum 3. Quòd vt conſtans

eſt Claſſicorum Dogmaticorum opinio, peruenientibus clyſterea quandoque ad ventriculum, vel ſaltem tranſcendunt craſſiora inteſtina, quod ſufficit vt excrementa eorum attrahant, & reliquorum etiam ſucceſſione ad id quod euacuatur.

Ad 1. reſpondetur: Tum 1. Quòd vt diximus Pharmaca ſolutiua, quibus vtimur, non ſunt venenoſa, quia correcta, & in proportionata quantitate illis vtimur. Tum 2. Quòd iam fatetur quod ouper negabat, clyſterea inquam progredi vltra primum inteſtinum, nec ſi progrediuntur, habent vim attrahendi cruorem, qui non in inteſtinis, ſed in venis debet contineri. Tum 3. Quòd Clyſteres attrahunt de febrium materia, dum minera putredinis eſt in prima regione, & licèt non ſit ſucceſſione ad id quod euacuatur attrahunt à iecore, & licèt illam non attraherent, proſunt quatenus euacuant excrementa, quæ retenta maximam noxam inferunt. Tum 4. Quòd cruor cùm ſit intra venas, inteſtinorum pro eorum nutritione, non trahitur, nec ſunt aliquæ viæ per quas trahatur ad inteſtina, nec poſſet ſugi. Tum 5. Quòd eſt conſilium veterum & prodens, abſtinere à quibuſcumque pharmacis, ſi non vrget neceſſitas: quia, vt inquit Galenus, nullum medicamentum eſt ita tutum, quòd aliqua ex parte non noceat; ſed dum adeſt neceſſitas, noceret magis illo non vti.

Ad 3. reſpondetur: Quòd aliquando ob propoſitam rationem eſt vtilis, nec contrarium probat Vanhelmont, ad cuius inſtantias dicimus, Tum 1. Quòd cùm non poſſit febris curari ea ſecuritate, ac breuitate, nec poteſt clyſter iniici, licèt pendeat retentio ex illo, iniicitur clyſter. Tum 2. Quòd experientia docet, quòd illi qui habitant in regionibus, in quibus non patiuntur morbos, propter quos indigeant clyſteribus, vita magis prolongatur morbis non oppugnata.

Ad 4. reſpondetur: Quòd licèt non ſint præcipui pro curandis febribus clyſterea nutrientes, admittuntur tamen neceſſitati; & ad fundamenta dicimus, Tum 1. Quòd ſubſtantia iniecta licèt commiſceatur cum excrementis, ſeparari poteſt vt vtilis ab attrahentes ſicut ab eiſdem fuit ſeparata vtilis ſubſtantia ſeu chylus, qui ab illis fuit defœcatus per facultatem attrahentem. Tum 2. Quòd cùm ſphæra actiuitatis ventriculi perueniat ad venas meſaraicas, ſufficit quòd perueniant clyſterea nutrientes ad illas, à quibus valide attrahuntur dum eſt neceſſitas. Tum 3. Quòd iniiciuntur clyſteres ob plures vſus, quos quia delirans non potuit Vanhelmont percipere, præcepa ſe factauit in tot abſurda delitamenta.

Resolvtio VIII.

Vtrùm cucurbitulæ, ſcarificationes, ſanguiſugæ, veſicatoria ſint vtilia pro febrium curatione?

§. I.

Partem negatiuam contendit ſuadere Vanhelmont.

VAnhelmont, vt moris habet, inuerecunda audacia irruens in Medicos Rationales, hæc omnia remedia contendit exterminare ab vſu Medicinæ.

Primò: Quia omnia iſta remedia ordinantur in cruoris, virium, & corporis diminutionem. Tum 2. quia ſtulti hominis eſt exercere remedia circa corporis ſuperficiem pro curando illo morbo, qui pendet à cauſa exiſtente in partibus centralibus corporis.

A Tum 3. quia ſub falſaci prætextu; quod ſucceſſione ad id quod euacuatur aliquod internum poteſt auelli de cauſa febris, euacuatur de certo cruor, qui in externis partibus eſt vtilis pro earum nutritione, quo exhauſto per hæc remedia perit æger, vt inquit Vanhelmont, confirmauit luctuoſus euentus in Principe Infante Cardinali: ergo hæc remedia exterminanda ſunt ab vſu in febrium curatione.

Secundò: Veſicatoria ab ſpiritu nequam Moloch excogitata, continuò faciunt aquam inſtillari, quæ nihil aliud eſt quàm ſanguis ſeu cruor in ipſam vi medicamenti tranſmotatus, nulla enim eſt in veſicatoriis vis aquæ tractiua, ſed commutatiua ſanguinis in ipſam.

Tum 2. quia venæ ſectio, vt multis ſupponit probatú,
B inutilis iudicanda, quia euacuat cruorem; & multò magis debent vitari veſicatoria, quæ cùm ipſum euacuent, etiam non poſſunt ſiſti pro libito ſicut ſanguinis miſſio: ergo pro febribus curandis veſicatoria non ſunt ex vſu.

§. II.

Sancitur antiqua Dogmaticorum doctrina.

REſoluendum affirmatiuè: ſic fatentur rationales Medici, & ſuadet ratio; quia in varios vſus & fines remedia proſunt, vt iſtiùs proſequemur infrà: Tum 1. quia repellunt à partibus principibus humores, ſiue halitus venenoſos, ruentes ad illas: Tum 2. quia dum vires non ſubſiſtunt pro altis remediis magnis, loco eorum his vtimur, quia leuiora, & quæ minus valent
C vires inualidate: Tum 3. quia aliquid de cauſa morbifica euacuatur per hæc remedia: Tum 4. quia dum ſymptomata cauſæ rationem induunt, plerumque his valent oppugnari remediis: ergo rationi conſonum eſt illa exercere.

§. III.

Vanhelmont diluuntur fundamenta.

AD 1. reſpondetur: Tum 1. Quòd, vt patet ex dictis ordinantur hæc remedia in plures fines pro ſanitate conſequenda vtiles. Tum 2. Quòd exercentur hæc remedia non pro curanda ſemper cauſa in centro corporis exiſtente, ſed pro vſibus quos ſuprà retulimus.
D Tum 3. Quòd licèt aliquando aliquid de cruore per hæc remedia euacuetur, proſunt propter alias vtilitates, quas afferunt, & quia ſimul maiorem copiam euacuát aliorum humorum, à quibus fouetur febris. Nec luctuoſus euentus propoſitus aliud probat, niſi quod plerumque hæc remedia non ſufficiunt contra vim morbi, & quòd Vanhelmont fuit rabie infectus aduerſus noſtri Principia Medicos, quia cognoſcentes ipſum Vanhelmont inſanire, obſtiterunt illi conanti ſuam in Principem exercere inſaniam.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd an Veſicatoria ſint vtilia pro febribus curandis, ſub lite manet inter paucos iuniores Dogmaticos, nec eorum vſus petit defendi ab omnibus.
E

Resolvtio IX.

Vtrùm vinum competat febricitantibus?

§. I.

Dubitandi ratio aperitur; ſtatus difficultatis proponitur.

VInum dicitur communiter, quicunque ſuccus pro potu ex frugibus extractus, pytia, malis, palmulis

palmulis, aut vuis. Nos vinum ſomimus pro vuarum ſucco ex muſto extracto, & per coctionem elaborato, quod multiplex ſit viribus, calore, ſubſtantiæ modo, vetuſtate, craſſitie, aut tenoitate differens, eſt ſemper calidum, & ſaltem poteſtate ſiccum, aptumq; alimentum pro celeri ſpirituum aggeneratione, parcîúmque nutritione. De hoc Vanhelmont *tract. de febribus cap.* 12. vt moris habet inſaniens, & io Dogmaticos irruens, ſupponit ſanciri ab ipſis vioum vllum non eſſe offerendum in febribos. Ipſéque, vt illos aliquid adinueniſſe dicatur, determinat, vinom ſemper, & in omni febrē eſſe offerendum, ſic bibens, vt nullis indicationibus, rationibúſve procedat, ſed his ductns ineptiis.

Primò: quia licèt vinum ſit calidum, febrem adaugere non poteſt: quia ipſa non eſt calor, ſed quædam ſubſtantia, ad quam ſubſequitur calor. Tum 2. quia vini exhibendi neceſſitatem demonſtrat experientia, qua docemur febrientes omnes, quibus vinum offertur, faciliùs vires acquirere, in ſanitatem perduci citius, & eos qui illo non vtuntur ſeriùs, aut nunquam ſanitatem adquirere. Tum 3. Quia id magis conuincitur in febre peſtilente, quæ nullis aliis oppugnatur remediis, quam vini potu, & diaphoreticis auxiliis. Tum 4. quia vinom vires auget, quibus maximè indigemus in febribus, ipſumque eſt omnium medicaminum plauſtrum. Tum 5. quia nihil obſtat vini exhibitioni niſi, quod calorem adauget, quod minus periculum minatur quàm virium lapſus, qui ex illius defectu ſubſequitur. Tum 6. quia ſemper natiui caloris intendimus augmentum, quod ſit vini exhibitione. Tum 7. quia vinum febrem curat, quia adauget conſtitutionem, & eſt medium ſimile vitæ, quo Archæus vtitur pro omni febre, ac morbo exterminando: ergo viuum ſemper & in omni febre debet offerri.

§. II.

Sumpta indicatione à febre, aut illius cauſa, quid præſtandum.

RESoluendum: Quod ſumpta indicatione à febre quæ ſit noua acquiſita qualitate, vel à cauſa in febribus bilioſis, & ſynochis, vinum non debet exhiberi febrientibus. Sic venit intelligenda communis doctrina Dogmaticorum renuentium vinum offerre febricitantibus.

Pro febrium curatione ſiue pro humore calido fouente febrem, cùm ſint reapte præter naturam; quæ petunt per contrarium auferri, illud indicatur, quod illis eſt contrarium: ſed febri, de qua demonſtrauimus eſſe calorem, & calidam illius cauſam; calor non poteſt eſſe contrarius, cùm ſit eiuſdem ſpeciei: ergo ſumpta indicatione à febre, aut calido humore illam fouente, vinum, quod in omni opinione calidum eſt, patienti illam non debet offerri.

§. III.

Plures indicationes proponuntur, quibus vrgentibus offertur vinum febrientibus.

RESoluendum: quod vinum offerre febrientibus cogimur plerumque, cogente indicatione ſumpta à cauſa frigida fouente febrem, ab accidentibus, à viribus, vel à conſuetudine. Sic veniunt intelligendi Syluaticus, Zacutus, Amatus, & alij qui vinum offerunt in febribus.

Probatur de indicatione à cauſa; Tum quia craſſi, ac frigidi humoris fouentis febrem, vinum coctionem inuat, vt deducitur ex Galeno 11. *methodi, cap.* 9. ex Auerroë *lib.* 7. *collig. cap. de Tertiana*, ex Auicenna *lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 2. & alij ex Abbate *lib.* 3. *practicæ* 13. Tum 2. quia vinum, quia calidum eſt alimentum & medicamentum, frigidos calefacit humores, aptoſq; reddit pro coctione, præſtatque materiam, ex qua calidiores alij generentur. Tum 3. quia vinum vt medicamentom ſomnum conciliat, lotium protitat, ſudorem mouet, humores attenuat, quibus conſequitur elaboratio craſſi ac frigidi humoris: ergo vrgente indicatione ſumpta ab humore frigido fouente febrem, vinum debet exhiberi.

Probatur 2. de indicatione ab accidentibus ſumpta: conducit enim in vigilia vinum pro ſomno conciliando; in Diarrhœa febre ſuperueniente, ſi vinum eſt rubrum & auſterum, pro ventre ſiſtendo; in febre ſyncopali, pro ſpiritibus generandis; in ventriculi debilitata vi concoctrice pro ipſo roborando, adiuuandaq; concoctione: ergo ſi vrgeat indicatio ſumpta ab accidentibus, febrienti eſt offerendum vinom.

Probatur 3. de iodicatione ſumpta à viribus: qua ex Galeni decreto, indicatio, quæ ab illis deſumitur, reliquis eſt præſtantior, quia natura reluctante, ex Hippocrate, omnia irrita fiunt. Tum quia in febre peſtilente, in qua vires deleteria vi dilabuntur, alexipharmacia vim deleteriam oppugnantibus, & vino vires roborante curationem intendimus, quantumuis ardentiſſima ſit, ac intenſa febris; vt Zacutus *lib.* 4. *de medicor. Principum hiſtoria*, confirmat: aſſenſu Carherij *lib.* 1. *de admirandis vini qualitatibus*; Laurentij *lib.* 1. *de ſapore dulci & amaro*, Fracaſtorij *de vini temperatura*, Andreæ Bachij *lib.* 3. *de natura vini*. Tum quia indicatione ſumpta à viribus lapſis, aut deficientibus, illud alimentum eſt offerendum, quo celeriùs valeant refici: ſed nullum eſt aliud alimentum, quo id valeat effici ex Galeni, & omnium Medicorum, imò & omnium hominum communi aſſenſu: ergo ſi præualeat indicatio à viribus deſumpta, febrientibus vinum eſt offerendum.

Probatur 4. quod à conſuetudine indicetur. Tum quia ex Hippocratis doctrina *lib. de ratione victus in morbis acutis, ſect.* 2. *&* 2. *Aphoriſm.* 38. *&* 6. *Epidemion, ſect.* 4. *particula* 8. indicationem ſumptam à conſuetudine deducitur poſſe præualere reliquis. Tum quia idem ſanciuit Galenus *in Comment. ad Hippocratem*, & *lib.* 8. *methodi capit.* 9. Tum quia experientia docet in frigidis regionibus in quibus incolæ nimis ſunt aſſueti vino, abſque illo raro poſſe febres deuinci. Tum quia ex Hippocratis decreto aſſueta, etſi deteriora, minus nocent. Tum quia in aſſuetis, debilitato calore; vini defectu, neceſſariò impedirentur coctiones, nec poſſet ex toto concoqui materia morbifica, niſi aliquis vini vſus eſſet adhuc in febribus: ergo ratione conſuetudinis vinom ſæpè offerendum febrientibus.

§. IV.

Vinum vtile in febribus præſcribitur.

RESoluendum: quòd ſi indicatio offerendi vinum in febribus præualeat, illud eſt offerendum, quod tenue, aquoſum, album que fuerit; & hoc audacius in declinatione, vel ſaltem apparente coctione eſt offerendum. Sic deducitur ex Galeno 3. *de ratione victus text.* 8. Tenent communi aſſenſu Practici, quibus ſubſcribunt Syluaticus *Contr.* 12. Sennertus *tom.* 2. *lib.* 4. 9. Zacutus *tom.* 1. *de hiſtoria Princip.*

Probatur. Tum ex Galeno *lib. de ration. victus in*

acut. ſect. 3. comm. 8. vbi proponit vinum pro febribus vtile, quod pauciferum, tenue, aqueum, inodorúmque fuerit. Tum quia illud vinum petit offerri in febribus, quod minus valeat calorem intendere, ipſiúſve cauſam adaugere: ſed tale eſt quod album, aquoſum, inodorificum, ac tenue eſt: ergo hoc præcipuè eſt offerendum febrientibus.

§. V.

Vanhelmont conatus diluitur.

AD oppoſitas rationes Reſpondetur: Tum quòd delirium conſtituendi febrem, in hoc quòd ſit ſubſtantia, manet iam conuinctum; & quòd eo ipſo, quòd calor præternaturalis ſubſequeretur ex febre, ab eodem eſſet contra indicatus vſus vini in febribus. Tum 2. quod non negamus poſſe aliquando præualere indicationem deſumptam a viribus; non tamen inde ſequitur, quòd ſemper, & in omni febre debeat vinum offerri. Tum 3. quod in febre peſtilente ratione febris eſt contra indicatum vinum, niſi præualeat indicatio, quæ deſumitur à viribus. Tum 4. quod licèt vires adaugeat vinum, dum non eſt in corpore calditas intenſa; ipſa autem exiſtente, ſi vinum, quod illam valeat adaugere, offeratur, à nimia dyſcraſia vires labuntur. Tum 5. quod in febre nimis intenſa, vſu vini potius vires reſoluuntur, quàm recuperantur. Tum 6. quòd calor natiuus vſu vini augetur in ſanis; ſed in febrientibus poteſt reſolui præternaturali calore nimis intenſo. Tum 7. quod vinum febrem intendens conſtitutionem vitiat, & præternaturale inſtrumentum redditur, quo Archæus vitiet actiones.

Resolvtio X.

Vtrum iuſcula carnis ſola, aut alterata, carnes ipſæ, aut piſces, ſint cibus vtilis pro febribus?

§. I.

Negatiuam profitetur partem Vanhelmont.

COntendens Vanhelmont omninò diſcedere à ratione, rationalibuſque Medicis, qui & carnium iuſcula ſola, aut refrigerantibus herbis alterata, piſces ſaxatiles, ipſaſque carnes, præcipue pullorum gallinæ, arietis, & alias, quæ ſunt facilis coctionis, & optimi nutrimenti, pro victu febrientibus exhibent; in eos inuehitur *tract. de febribus c.* 15. horum intendens vſum interturbare: Tum 1. quia natura abhorret horum vſum, vt ex inappetentia conuincitur. Tum 2. Quia febrientes corpora habent impura, in quibus nihil offerendum. Nam ex Hippocrate impura corpora, quantò magis nutries, tantò magis lædes. Tum 3. Quia caro, oua, piſces, & iuſcula facilè cadauerantur, ſeu putreſcunt, & ideò pro nutritione redduntur inepta. Tum 4. quia veſaniæ ſimile eſt, ſæpè venas replere his cibis, & intendere eos nutrire, qui ratione redundantis alimenti venas habent cùm plenitudine, viréſque ſuffocatas, & ideò ineptas, vt poſſint cauſam concoquere, ac deuincere. Tum 5. quia febris fit, quia intus manet cauſa morbifica, quæ eſt hoſtis vitæ, cui non addendus nouus hoſtis, dum potiùs tentandum, naturam confortare, vt illum vincat: ergo nullus victus ex annumeratis eſt offerendus.

§. II.

Communis Dogmaticorum doctrina præfertur.

REſoluendum affirmatiuè: ſic ſanciuit communis Dogmaticorum aſſenſus, firmauit experientia communi vtilitate, & neceſſitate omnium febrientium confirmata & conuincit ratio: Quia in febrientibus ille cibus eſt vtilis, & offerendus, qui à viribus indicatur, vt nutrimentoſus, & à morbo, vt medicamentoſus: ſed in febre indicatur à viribus cibus, qui ſit facilis nutritionis, & optimi ſucci, ne diſtrahatur natiuus calor, & à febre indicatur cibus medicamentoſus, qui illi opponatur per contrarias qualitates frigidas & humectantes: ergo iuſcula carnium ſola, aut frigidis herbis alterata, ipſæ carnes in temperie frigidæ, in modo ſubſtantiæ facilis coctionis, piſces ſaxatiles, & ſimilis quicumque cibus eſt victus vtilis pro febrientium nutritione.

Probatur 2. Sanos, & febrientes ad mortem deduci eſt neceſſe, niſi victu vtantur, quo valeant renutriri, & ſimul morbo per oppoſitas qualitates opponi: ſed propoſitis his cibis id conſequimur in febrientibus: ergo ob vitæ neceſſitatem propoſita alimenta, aut alia ſimilia ex neceſſitate naturæ debent offerri, vt valeat vita protrahi.

Dices cum Vanhelmont: Quòd in febribus ſine victu poteſt protrahi vita, quia ineptus Medicus eſt, qui febrem non curauit ante quartum diem.

Sed quis non mirabitur huius ſcurræ ineptias vulgo proponentis contra Omnipotentis Dei, & naturæ decreta, quibus vnicuique enti, morbo, aut febri innata cauſas, à quibus pendet eius duratio, ſuas propoſuit durationes, & tempora, quas licèt detur aliquando abbreuiare, non tamen vltra propriam vniuſcuiuſque naturam; ſunt morbi exactè peracuti, qui quarto die terminantur; alij peracuti qui ſeptimo; alij acuti ſimpliciter, alij acuti ex decidentia, alij chronici, & longiores, adhuc inter febres quibus annua duratio debetur. Cur ergo ſic contendit iſte inſanus cuiuſlibet harum febrium curationem poſſe perfici ante quartum diem.

Dices, ipſum exhibere ceruiſias tenues vino nuptas, quibus panem admiſcet prius in aqua coctum vſque in mucilaginem: ſed maiorem oſtendit ſuum contradicendi conatum, ſuique delirij vehementiam; ſi enim cibus offerendus, cur non ille qui indicatus, qualis ille qui à nobis manet præſcriptus; & non ille, qui guſtui ingratus, viribus minus aptus, morbo vincendo minus vtilis eſt.

§. III.

Inſanientis Vanhelmont ſoluuntur fundamenta.

AD Vanhelmont reſpondetur, Tum 1. quòd natura cum debita temperie appetit cibum vtilem: dum verò febrilem habet intemperiem, deprauatur appetitus, & potiùs appetit, quod noxium eſt, quàm vtile alimentum. Tum 2. quod licèt in eis, qui impura corpora habent, ſit offerendus paruus cibus; optimus tamen, & moderatus debet offerri, ne vires omninò ſine illo labantur. Tum 3. quòd caro, oua, piſces, & alia alimenta quæ ſunt optimi ſucci, difficiliùs corrumpuntur, quàm alia quæ apta ſunt, vt corrumpantur; & ideò his potiùs vtendum iudicamus, quàm reliquis. Tum 4. quod ſi venæ ſint repletæ optimo ſanguine, vtimur diæta,

donec

donec appareat plenitudo remiſſa; dum verò repletæ ſunt humoribus nutritioni ineptis, vtimur cibis boni ſucci, vt poſſit corpus nutriri ex eis, qui de nullo generi aptiores ſunt pro partium nutritione. Tum 5. quòd ad vincendam cauſam intus exiſtentem indiget natura nouo alimento, quo roborata, potentior redditur ad vincendam cauſam morbificam.

Resolvtio XI.

Verùm aquæ inſtillatitiæ à ſolis carnibus aut ſimul cum herbis refrigerantibus factæ, ſint vtiles febrientibus?

§. I.

Ratio adducitur dubitandi.

AQuas inſtillatitias nulla ex parte vtiles eſſe febricitantibus contendit Vanhelmont *tract. de febribus cap.* 12. vt moris habet, tantùm conuictus ea ratione; Quia eis Rationales vtuntur, hic enim conatu ſcripſit, vt omnia Dogmaticorum remedia conuellat, nullumque ſubſidium in ſalutem humanam ab eis inuentum in vſu practico relinquat. Hoc autem impugnare contendit; quia aquæ inſtillatitiæ nullam rei ex qua diſtillantur ſecum ſubſtantiam afferunt, ſed tantùm ſunt herbarum ſudores non autem ſanguis illarum; ſed ſudores ex carne, aut herbis ſeparati, ſunt excrementitiæ ſubſtantiæ: ergo non ſunt ex vſu pro nutritione febrientium.

§. II.

Ex antiquorum decretis Dogmaticorum ſancitur Doctrina.

REſoluendum: Inſtillationum herbarum, ac carnium non ſolùm apud Dogmaticos vſum permanſiſſe, ſed & ab Hermeticis originem duxiſſe.

Probatur: Antiqua huius remedij origo apud Dogmaticos: ratióque adducitur, quare inſtillationum forma fuerit ab arte inuenta, in ægrotantium vſu, ex Hippocrate *lib. de veteri medicina, § Pauca ex fortibus multa aqua permiſcentes, & robur ipſum temperatura, atque coctura detrahentes, quod ſi qui neque ſorbitiones ſuperare poſſent, his detraxerunt etiam ipſas, & ad potiones peruenerunt, obſeruarúmque, vt hæc tum vſu, tum copia moderate haberent:* Sed in inſtillatitiis aquis hæc omnia faciliùs conſequuntur: ergo iuxta decreta Senis ſunt ex vſu in febricitantibus, in quibus ſolidiora alimenta virtus ferre non poteſt.

Confirmatur ex eodem, qui Laconicè idem concludit 2. *Aphor.* 11. *§ facilius eſt repleri potu, quàm cibo,* id eſt humidiori ac tenuiori, quam craſſiori ſubſtantia, quia humidior faciliùs repouitur, vt ipſe docuit *lib. de alimento § Et quicumque celeri appoſitione opus habet, humidum alimentum ad reſumendas vires optimum.* Ergo dum debiles ſunt vires in febrientibus, æger febre reſolutus ſitibundus, cibos abhorrens, vtilis eſt vſus inſtillationum ex herbis & carnibus quæ pro his omnibus ſunt ſubſidium.

Probatur 2. Herbarum, & carnium deſtillationes, quæ fiunt per ſublimationem, in Medicinæ vſum ſunt inuentæ, & ab antiquis Hermeticorum Proceribus: ergo in ſuos inſaniit Vanhelmont, dum ipſas exterminare contendit ab vſu Medicinæ. Probatur antecedens, quia licèt, vt refert Vanutius Berin-

A gutios *lib. 9. de Alchymia,* aliqui ex Chymicis Inſtillationes nouum eſſe inuentum contendant. Conſtat ex communi Archiatrorum aſſenſu emanaſſe ab Hermete, de quo legitur primum intraſſe in vallem Ebron poſt diluuium, tabuláſque inueniſſe lapideas, ex quibus dedoxit ſcientias, & præcipuè inſtillandi artem, quam in poſteros cognoſcendam dedit in libro, quem inſcripſit *Tabulam Smaragdinam*, ex quo & ars demandata fuit in plures Arabum Reges, inter quos annumerantur Calib. Alco, Saturnus, Lucambur, Nephad, quos ſunt ſecuti Morienus, Haly, Geber, Auicenna, Albucaſis, Actuarius, Serapio, & Meſues, quorum doctrina imbuti Arnaldus Villanouanus, Ray-

B mundus Lullius, & Ioſephus Quercetanus, hoc idem inuentum nobilitarunt, diſtillationúmque modum, vtilitatéſque in Medicinæ vſum demonſtrarunt: ergo inſanè irruens in Dogmaticos Vanhelmont, ſuorum Hermeticorum doctrinam incautus conturbat.

§. III.

Rationem dubitandi confrangimus.

AD fundamentum Vanhelmont dicimus: Quòd ſatis paret ex deſtillationum ſubſtantia, ſapore, odore, ſubſequutíſque vtilitatibus, & ex remanentia

C rei deſtillatæ, quòd non ſolùm extracta fuit pars excrementitia, ac ſudorifica ſubſtantia, ſed propria Centralis alimentitia, ac attemperans carnis ac herbarum.

Resolvtio XII.

Verùm profundus ſomnus ſit vtilis febrientibus,

§. I.

Inſania ſomniantis Vanhelmont de ſomno profertur.

D VAnhelmont, qui gloriatur in ſomno Medicinam didiciſſe *tractat. de febribus c.* 7. tantam de ſomno fiduciam oſtentat, vt nunquam in febribus poſſe obeſſe aſſeueret; etiamſi profundus, & licèt per totam febrem ſit continuus; his fultus,

Tum 1. Quia carnificum eſt ſoporoſos febrientes à ſomno excitare, non enim ſoporoſus quia dormit, malè ſe habet, ſed quia malè ſe habet, dormit, & ideò non debet ſomnus impediri, ſed auferri radix, ſeu cauſa, à qua dependet. Tum 2. quia qui excitant ægrum à ſomno, excitando dolores, hoc faciunt vt blandiantur populo, ægrum tamen in mortem præ-

E cipitant commutando pro ſomno laborem, & dolorem. Tum 3. Quia ſi ſoporoſus febriens dormiat, licèt vellicatus excitetur, & cruciatus à ſomno, nihil à febre aufertur. Tum 4. Quia Vanhelmont gloriatur ſui eſſe moris proponere remedia, & cibum præſcribere horis aſſuetis, nec reſpicere vtrum dormiat, an vigilet, dicens cum Apoſtolis illud antiquum: *Si Lazarus dormit, ergo ſanabitur.* Torturam enim febrienti illatam nemini proficere vnquam: ergo omnis ſomnus, vtcunque ſit profundus & continuus ſemper eſt vtilis febrientibus.

§. II.

§. II.

Non inſanientium communis doctrina prafertur.

REſoluendum negatiuè. Nullus hanc deneganit doctrinam, præter inſanum Vanhelmont, cuius ineptias typis mandatas, & vadi vulgo propalatas ſæpè erubeſco referre. Ea eſt experientia nota, quæ ſoporoſo ſomno affectos ſæpè occumbi demonſtrat; ipſa edoctus Hippocrates inquit: *Somnus, & vigilia, vtraque ſi modum exceſſerint, malum.* Conſtá:que ratione: Quia cùm ſomnus inter res non naturales conſtituatur, illarum naturam retinet, quòd ſcilicet moderatæ proſint, excedentes ſe habeant ea parte morbi.

§. III.

Vanhelmont manifeſtantur ineptiæ.

VAnhelmont fundamenta, ſeu deliria potiùs mouent ad miſerationem, quàm ad reſponſionem, niſi cum Ennodio dicamus, *Superuacaneum eſt* B

A *talibus reſpondere propoſitionibus: ſed ne, ſi quid contemptum tranſieris, putetur validum non tetigiſſe formido.*

Vnde dicimus: Tum 1. quòd cauthicom eſſe ſoporoſos febrientes à ſomno non excitare; cùm ſit manifeſtum, febrem in principio, & augmento per ſomnum intendi ob retroceſſum humorum ad partes internas, quibus & vires grauari, & quandoque ſuccumbi contingit: & licèt dormiat ſoporoſus, quia malè ſe habet peius ſe habet, ſi dormit; quia ſomnus, qui morbi eſt ſymptoma, ſit etiam morbi cauſa. Tum 2. Quòd Vanhelmont blanditur populo, non excitando a ſomno febrientem, qui licèt ſomnum appetat, ſomno occumbit. Tum 3. quòd ſi vellicatus febriens excitetur, impeditur febris intenſio, quæ prouenit ob ſpirituum, & humorum retroceſſum, & ſomni profunditas quæ ea frigidis eleuatis in caput vaporibus ſolet cauſari, dum intus retrocedens calor frigidos admouenit humores, ex quibus eleuet vapores. Tum 4. Quòd inferre ea illa propoſitione Euangelij, *ſi Lazarus dormit, ergo ſanabitur*, quòd omnis ſomnus morboſus, aut ſymptomaticus ſit vtilis, & ſanitatis cauſa, præbet euidens indicium inſanæ mentis Vanhelmont.

DISPVTATIO V.

De Humoralium Febrium curatione in particulari.

HVMORALIVM Febrium differentiæ, C aliæ deſumuntur ab humoribus ea quibus cauſantur; aliæ ab aliis accidentibus concomitantibus, ratione quorum contingit communem rationem variari. Horum omnium proſequatur curationem, licet ſatis trita ſit, hæc tractatio à prima Medicinæ origine.

SECTIO PRIMA,

De Febre Synocho.

IN Synochos, billioſas, pituitoſas, & quartanas febres diuiduntur humorales, ſumpta diuiſione à cauſa, ex qua ratione vſtionis, aut putredinis ortum ducunt. Inter quas priùs de ſynocho diſputabimus; quia ſimplicior, & propinquior eſt in modo caloris febri diariæ, de qua nuper egimus. D

RESOLVTIO I.

De diagnoſi, prognoſi & curatione ſynochi imputris?

§. I.

Adducitur definitio, & diuiſio; cauſa referuntur, & quid pradicendum de illa.

SYnochus eſt febris ex ſanguine, vſtione, aut putredine alterato orta; & duplex, alia imputris, alia putrida. Synochus imputris eſt febris continua continens orta ea ſanguinis efferueſcentia. Eſt febris; quia calor præter naturam, & dicitur ſynochus à E continuo feruore, ea Galeni decreto *libro. 2. febr. cap.* 11. Eſt continua; quia continuò affligit, ex Galeno *lib. 2. Criſium cap. 6.* Continua febris eſt; quia non peruenit ad infebricitationem, antequam ex toto ſoluatur, licèt aliquam obtineat ſenſibilem remiſſionem. Eſt continens; quia vna clauditur acceſſione à principio ad finem, ex Galeno *libro 9. methodi cap. 2.* Eſt acuta; quia citò terminatur, & plerumque per criſim, & cum vehementia ratione accidentium, ex Auicenna *fen. 1. 4. tract. 2. cap.* 43. Differt à quacumque non ſanguinea febre, quia ſit ea ſanguine; & à Synocho putrida, quia hæc ſit ratione putredinis, illa ratione vſtionis, ſeu efferueſcentiæ, ex Paulo *lib. 2. cap.* 27.

Diuiditur in Epacmaſticam, quæ ſemper creſcit: Paracmaſticam, quæ ſemper decreſcit: & Acmaſticam, ſeu Homotonam, quæ ſeruat ſemper eundem tenorem, ea Galeno *lib. 1. febr. c. 9. lib. 9. methodi c. 3. & l. 6. Epidem. ſect. 1. comm.* 29.

Cauſatur hæc febris ex ſanguine, prout leuem patitur ebullitionem, & ſit in ſanguine ob cutis conſtipationem, ſeu obſtructionem, redundantia ſanguinis ſuppreſſionem, nimiamve alimoniæ copiam, vini vſum, quorum cauſa redundantes ſucci non ventilati inflammantur, & ob eleuatos vapores feruent.

Prædicendum in hac febre, quòd eſt & mitis, ac breuis; in quartum, aut quintum diem porrigitur, frequenter inuadit adoleſcentes & iuuenes habitu denſo præditos, ſanguineos, rubicundos, & carnoſos.

§. II.

Quid de curatione ſentiunt reliqui, quid praſtant Dogmatici.

EMpirici hanc febrem amuletis plerumque curate contendunt, ſumpta ſimilitudine ab aliarum febrium

febrium curatione, quæ amuletis plerumque intenditur ab illis. Methodici hanc febrem contendunt eſſe in adſtrictione, & ideò laxantibus medicamentis iudicant eam eſſe curandam, quæ tranſcribunt ex Cornelio Celſo *lib.3. cap.6.* dicente: *Nam ſi adſtrictum eſt, ducenda eſt aluus, mouenda vrina, eliciendus ſudor, ſanguinem miſiſſe, concuſſiſſe vehementibus geſtationibus corpus in lumine habuiſſe, imperaſſe famem, vigiliam, ſitim, prodeſt, &c.* Paracelſus *lib. de morbis Tartari*, ex tartaro in ventriculo, in hepate, & renibus, triplex genus admittit febrium: omnem humoralem negat, ſicut & humores in corpore reperiri; & ideò pro febrium curatione ſiſtit in Tartari euacuatione, quam commendat faciendam ſuis arcanis ſolutiuis, inter quæ anteponit præcipue pro febribus renum *de liquoribus laudani ſcrupulum, croci, & aloe epatici ana* ℥iij, & vlteriùs pro omni febre vincenda proponit ſuum Febrifugium quod ſub cognatibus, & nihil ad rem ſignificantibus verbis oſtentat proferre; vt illudat his figmentis, quos ſuis promiſſis habuit credentes. Vanhelmont reliquos humores negat, ſanguinem admittit ſub Cruoris nomine, ipſum tamen poſſe alterari, vt febrem cauſet, irridet, & conſtanter negat. Pro omni tamen febre *tract. de febr.* ſuum proponit Febrifugium, quod licèt non ita obuelauit verbis, ſicut ſuus Paracelſus, cùm promiſſis non reſpondeat, dicit quòd non contingit prodeſſe, niſi fiat ab eis, quibus Deus adſit peculiari auxilio, ſeu miraculo, vt iam ſupra retulimus.

Dogmaticorum diſertiſſimus Galenus *lib.9. methodi c.4. & 5.* huius febris curationem exequitur (præſuppoſita victus ratione) tribus his remediis; ſanguinis miſſione vſque ad animi deliquium, exhibitione aquæ frigidæ vſq; ad ſatietatem, & balneo aquæ dulcis. Quorum remediorum balnei vſus pro febrium humoralium curatione inualuit. Potus aquæ frigidæ (ſeruatis conditionibus alibi à Galeno præſcriptis) felicem ſæpiùs præſtitit euentum. Sanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium à nullo vidi experiri, benè tamen plurimùm prodeſſe ſanguinem mittere partitis vicibus in magna quantitate.

Quammaximè huius febris curatio præſcribitur ab Authoribus iuxta eam, quæ adducitur pro febre ſynocho putrida, à qua diſcedit quia benignior, & benignioribus petit, licèt ſimilibus, curari remediis.

§. III.

Pro huius febris curatione quid obſeruent Iuniores?

VAlleriola *lib.4. obſeruationum Medicarum 8.* hæc præſcribit: *Planca Nobilis Iuuencula Iacobi Ronieti Patricij Arelatenſis filia, vt moribus ſic virtute inſignis, febre continente graui corripitur, ſequitur decimoquarto decretorium, largo ſanguinis fluore è naribus manante tanto, vt domus vaſa vix excipiendo ſanguini ſatisfacerent: plusquam enim lib. 12. diebus ſex emiſit, vt nullis remediis ſiſti poſſet: indè reſtincto ſanguine alui fluor ingens ægram corripuit, dies viginti perſtat ſomno graui, ſed non tamen veterno appreſſa, liberatur integrè præter omnium ſpem nutu Dei.*

Hiſtoria ſimili Zacutus *lib.4. praxis hiſtoriarum, cap.19.* præſtat ornamentum huic tractationi. *Iuuencula erat gracilis & ſanguinea, quæ poſt vehemens exercitium aëri frigido ſe expoſuit, & ex cutis conſtipatione in febrem incidit continentem ſine putredine, incaleſcente ſolùm ſanguine in venis, & inflammata valde, quam comitabatur totius corporis habitus tumor, rubor, pruritus, ardor vehemens, ſitis ingens, cephalalgia, & plura alia quæ ſanguinis efferueſcentiam in venis apertè demonſtrant. Hinc copiosè vena ſecta eſt in gibbero, alterantia oblataque internum æſtum compeſcunt, & ſanguinis incendium attemperant: ecce poſt ſeptimum nullis proficientibus auxiliis, de dolore ventriculi queritur, poſt quem in vomitū incidit cruentum, ſanguinem merum affatim ex interuallis excernens, qui cum ad quatuor libras ferè perſeueraret, biduò ipſam veluti exanimem reddidit, vt ægra potiùs viuens cadauer, quàm vitali aura ſpirare dici poſſet, ita extenuata ſine pulſu, voce, & motu, decolor, ſqualida iacebat cauis oculis, rugata fronte, pendulis genis liuentibus buccis, vt mortis imaginem referret: ſed cùm pro nimio vomitu compeſcendo auxilia parare incipio, natura ſuas ipſa partes agens vacuationem repreſſit, & miteſcente febre vires refici cœpit, & illa ab omnibus ſymptomatibus facta eſt immunis.*

Obſeruatio noſtra.

ANno 1647. menſe Maij vocatus ad Antonium de Fonſeca, Iuuenem bene carnoſum, ſanguineum, adſtricto habitu præditum, quem inueni febre ſynocho imputri correptum: erat ſanguine repletus ob copiam alimentorum, & generoſi vini, quibus erat vſus; lotium à naturali ſtatu parum deuians, calor mitis, pulſus magnus, celer, vehemens, & vt in plurimum æqualis, tempora pulſabant, facies erat quaſi inflammatione ſuffuſa, dolebat capite, erat quaſi turgens moles corporis, adſtricta ac dura, ſomno afficiebatur; ſanguinem miſimus partitis vicibus in magna quantitate, quarto die exhibuimus potum aquæ frigidæ ad ſatietatem, roborata natura ſe accinxit ad criſim; æger perturbationis impatiens, ſolam aqua frigida irrorari iubet, proiicit ſe in illam, & eadem ſimul aqua incipientem iam ſudorem impedit: natura impedita commotam materiam immittit in cor, ſyncope correptus breuiter ſuccubuit æger.

RESOLVTIO II.

Vtrùm in Synocho imputri pulſus ſit æqualis?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

DIſcordes videntur Galenus, & Auicenna: inquit enim Galenus *lib.1. ad Glauconem c.5.* commune eſſe omni febri humorali habere pulſum inæqualem; quem ſequutus Auicenna *fen.1.4. tract.c.45.* protulit, & pulſus eſt magnus, leuis, fortis, plenus, velox, frequens, valde diuerſus, non plurimæ diuerſitatis. Sed ſibi & Auicennæ aduerſari videtur Galenus *lib.9. methodi c.3.* docens huius febris eſſe pulſum æqualem, vehementem, & medium inter mollem, & durum.

§. II.

Concordes redduntur Galenus & Auicenna.

REſoluendum: Quòd ſynochi imputris pulſus aliqualem habet inæqualitatem, ſed ita exiguam, vt ſit parum perceptibilis. Probant Galenus & Auicenna: ille, docens pulſum eſſe inæqualem in omni febre humorali; iſte, admittens in hac febre eſſe diuerſum cum minima diuerſitate.

A

Resolvtio III.

Vtrùm Synochi pulſus ſit vehemens?

§. I.

Proponitur dubitandi ratio.

PArti fauet negatiuæ, quòd morbus magnus, qualis eſt ſynochus imputris, debilitat vires: ſed à virtute debili non poteſt poni pulſus vehemens: ergo huius febris pulſus debet eſſe debilis.

§. II.

B

Deducitur tenendũ, & ſoluitur dubitandi ratio.

REſoluendum affirmatiuè: ſic ſanciuit Auicenna *fen.* 1. 4. *tr.* 1. *c.* 45. Et confirmat ratio, quia ex hac febre ſolùm ſuperadditur actualis intemperies, à qua non neceſſariò debilitantur facultates; aliàs in nulla febre poſſet dari vehemens, ſicut contingit, dum ſuperuenit habitualis intemperies, à qua facultates debiles reddi eſt neceſſe, vt docuit Gal. *lib.* 3. *de præſagatione ex pulſibus c.* 14.

Resolvtio IV.

Vtrùm Synochi imputris pulſus ſit velocior quàm in Cauſonide? C

§. I.

Ex Auicenna deducitur ratio dubitandi.

PRæſtitit huic dubio rationem dubitandi Auicenna nuper citatus; qui huius febris pulſum docet eſſe *minoris velocitatis, & diuerſitatis, quàm in Cauſonide*: Sed in Cauſonide docet pulſum eſſe magis velocem, quia pulſus fit magnus, & velox propter eundem finem, ſcilicet attemperandi.

D

§. II.

Deciditur dubium, & ſoluitur ratio dubitandi.

REſoluendum: Quòd pulſus maior eſt in Synocho, quàm in Cauſo; ſed velocior in Cauſo, quàm in Synocho.

Ratio huius eſt: Quia in Synocho ratione maioris humiditatis minus impeditur arteria, vt ponat magnitudinem, quam in cauſo, in quo intenſior ſiccitas arteriæ obſtat, vt magnitudinem ponat; & ideò ratione attemperationis fit velocior pulſus, ex quo patet ad rationem dubitandi.

E

Resolvtio V.

Vtrùm Synochus imputris percurrat quatuor tempora?

§. I.

Adducitur ratio dubitandi.

HÆc dubitatio pro aliis morbis longiorem exigit diſputationem. Pro hac, hæc eſt præcipua dubitandi ratio; quia, vt diximus, omnis ſynochus aut ſemper creſcit, aut decreſcit, aut ſeruat eundem tenorem: ſed in diuerſis temporibus diuerſam habent intenſionem febres, cùm in principio ſint remiſſæ, in augmento intendantur, in ſtatu permaneant in acquiſita intenſione, in declinatione remittantur: ergo nulla Synochus percurrit quatuor tempora.

§. II.

Pars præfertur affirmatiua.

REſoluendum: Quòd omnis Synochus imputris ſalubris quatuor percurrit tempora. Probatur: Quidquid recedit ab aliquo gradu, & poſtquam intenditur iterum redit ad illum, debet habere principium in quo incipit intendi; augmentum per quod aſcendit ad totam, quam adquiſiuit, intenſionem; ſtatum, dum illam conſeruat; & declinationem, per quam iterum redit ad gradum, à quo incepit intendi: ſed in ſynocho ſalubri calor recedit ab ſtatu naturali, & intenditur in maiorem intenſionem, à qua iterum ad naturalem ſtatum redit: ergo neceſſariò habet principium ſuæ intenſionis, augmentum in illa, ſtatum in quem peruenit, & declinationem, per quam ad naturalem ſtatum redit iterum.

Probatur 2. Galeni authoritate *lib. de totius morbi temporibus cap.* 4. §. *Nullus quidem iam ſubito ſymptomate corripitur atque hi, quibus ceruix detruncatur, quanquam horum ſectio ſecundum aliquod tempus habetur, & ſecundum & tertium, & quartum.*

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd ſynochus dicitur creſcens, decreſcens, aut homotona; non quia ſemper creſcat, aut decreſcat, ſed quia hæc tempora habent longinqua, & reliqua habent inconſpicua licet contractiora.

Resolvtio VI.

D Vtrùm potus aquæ frigidæ ad ſatietatem poſſit exhiberi ante coctionem.

§. I.

Proponitur ratio dubitandi.

GAlenus *lib.* 9. *methodi cap.* 5. conſulit pro Synocho curanda potum aquæ frigidæ ad ſatietatem, & *lib.* 10. *methodi cap.* 9. & *lib.* 11. *capit.* 9. & *lib.* 4. *acutorum* 12. fatetur plures febres ſynochos, & bilioſas deuictas eſſe ab illo ſolo potu aquæ frigidæ. Auicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. in his febribus potum gelidæ aquæ conſulit, eo vſque æger appareat
E viridis, mutetur color, & tremat. Paulus *libro* 2. *cap.* 18. Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *capit.* 72. eidem decreto ſubſcribunt; dum tamen vires valeant, nullum internum viſcus ſit debile, nulla ſit interna inflammatio, nulla ſit obſtructio, & appareant ſigna coctionis; quibus non obſtantibus in febribus bilioſis, & ſynochis omnes legitimi Medici gelidæ aquæ potum exhibent ad ſatietatem, ſumpta indicatione ab ipſa febre, & ab illius cauſa; licèt inter ſpurios medicos Vanhelmont *tract. de febribus capit.* 12. nihil inquit referre remedium calidum, aut frigidum offerri pro febribus curandis: ſed hoc vaniloquo impoſtore relicto, ex communi Dogmaticorum conſenſu

apparente

apparente coctione, & reliquis conditionibus ſeruatis, de exhibitione gelidæ aquæ non eſt dubitatio. Sed an poſſit aliquando offerri antequam appareant ſigna coctionis?

Videtur quòd non. Primò: quia ex antiquorum Medicinæ Parentum decreto, hæc præcipuè exigitur conditio, vt appareant ſigna coctionis. Tum 2. quia ex potu gelidæ aquæ crudi redduntur humores, obturantur pori, debilitatur calor concoquens, intenduntur obſtructiones, quarum ratione fit incurabilis febris. Tum 3. quia Hippocrates videtur loqui de potu exhibito aquæ gelidæ ante coctionem. *lib. 3. acut. 40.* dum illius refert noxas, §. *Nam tuſſim non ſedat, ſpiritum non mouet, ſitim non placat, aluum non mouet, vrinam non ciet, facile deindè bileſcit, hypochondriis aduerſatur, lienem, & iecur, maximè lædit, ſupernatat etiam, &c.* Ergo antequam appareant ſigna coctionis non conuenit exhibere potum aquæ frigidæ in his febribus.

§. II.

Auerrois præfertur opinio

RESoluendum: Quòd potus gelidæ aquæ ad ſatietatem poteſt etiam conuenire ante ſigna coctionis, dum ratione vſtionis apparent ſigna exitialia: ſic tenet Auerroes *lib. 7. Collig.* Probatur 1. ex Galen. *l. 10. Meth. c. 6. §. Tutius eſſe ratus phlegmonas in præſens augere, quam ſinere hominem in hecticam febrem incurrere.* Tum ex Auicenna *fen. 1. 4. tract. 2. c. 3. §. Febris quandoque eſt tanta vehementia, & acuitatis, vt non liceat vti regimine cauſa, imò neceſſe eſt vti refrigeratione multa:* Ergo dum ratione vſtionis apparent ſigna exitialia, non attenta coctione, aut aliis conditionibus, ratione vrgentiæ tranſeundum eſt ad gelidæ aquæ exhibitionem ad ſatietatem.

Probatur 2. Auerroës *lib. 7. Collig.* ſequentibus rationibus: Tum 1. quia dum nimis ardens eſt febris, ſi expectaretur coctio, prius periret æger, quàm poſſet exhiberi potus gelidæ aquæ. Tum 2. quia compertum habuit experientia, ante coctionem exhibitum potum aquæ frigidæ profuiſſe. Tum 3. quia bilis cùm ſit cruda non quia craſſa, ſed quia feruida, potu aquæ aufertur eius cruditas. Tum 4. quia ex potus frigidæ aquæ exhibitione hoc vnum timetur nocumentum, vt cauſa crudior fiat, & morbus longior, ex defectu exhibitionis timetur mors: ergo dum ſaltem apparent ſigna exitialia, ob quæ non videtur expectanda coctio, ante illam debet exhiberi potus aquæ frigidæ ad ſatietatem.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD primò poſitas rationes dubitandi reſpondetur: Tum 1. Quòd Authores loquuntur de cura regulari, dum conſulunt coctionem ante exhibitionem aquæ frigidæ in febribus, ipſam tamen admittunt ſine illa de cura coacta: Tum 2. quòd dum accidentia indicant febrem exitialem eſſe, & non expectatur coctio, minùs eſſent timenda incommoda propoſita quam mors, quæ poſſet euitari exhibitione aquæ frigidæ, vt docet Auerroës. Tum 3. Quòd Hippocrates loquitur de exhibitione aquæ in parua quantitate, à qua quia bileſcit, reliqua ſequuntur incommoda, non de exhibitione aquæ frigidæ ad ſatietatem, ex qua non timetur, quòd bileſcat: vel quod loquitur de incommodis quæ poſſent ſubſequi ex potu aquæ, quæ de cura regulari debent vitari, dum in eis vitandis non timetur maius incommodum:

Non autem de cura coacta, dum ſi expectaremus pro illis vitandis incommodis, ſequeretur mors.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm balneum aquæ dulcis pro humoralibus, putridiſve febribus ſit vtile?

§. I.

Ambigua proponitur doctrina, & aliqua rationes negatiuæ parti adhærentes.

BAlneorum vſus non multum inualuit tempore Hippocratis, vt colligitur ex eodem *3. acutor 44.* & ex Galen. *2. de cauſis ſymptomatum c. 5.* Sed tempore Galeni celebratiſſimus fuit eorum vſus pro ſanitate conſeruanda, & pro morbis curandis, imò & pro deliciis, in quem vſum, & finem magnifica publica, & priuata conſtructa ſunt ædificia, pro quibus ex eodem Galeno *lib. 10. methodi c. 10.* plures erant partes; Abditerium, in quo denudabantur: Hypocauſtum, in quo aër erat calidiſſimus; Tepidarium in quo erat piſcina plena aqua tepida: Frigidarium, in quo erat vas aquæ frigidæ: Vnctuarium, in quo tandem vngebantur. In hæc balnea pro deliciis conſtructa ferebantur quandoque ægri, & febricitantes, præcipuè Hectici, & quandoque diaria febre correpti; ſed an æquè balnea hæc eſſent vtilia correptis humorali febre; non ita conſtanter aſſeruit Galenus; *lib.* enim *11. methodi*, in ſynochis non putridis hoc proponit remedium. At vero *lib. 10. methodi c. 10.* Balneum in hecticis febribus admittit, niſi obſtet complicata febris humoralis, ex quo ambiguus apparet in hac ſancienda doctrina.

Zacutus *l. 4. de medicor. princ. hiſtoria*, in febre putrida balneum conuenire tenet, ſi febris ſit mediocris, & in declinatione, ſi appareant ſigna coctionis, ſi fiat non ſuperueniente horrore, ſi non adſit alicuius viſceris imbecillitas, & ſi cruditas non adſit in prima regione.

§. II.

Pars negatiua ſancitur.

REſoluendum: Quòd pars negatiua vt ſecurior, eſt tenenda: ſic deducitur ex communi vſu Dogmaticorum, apud quos in praxi nullus eſt Balneorum pro curandis febribus putridis vſus, & à nullo Iuniorum, quem ego viderim, conſulitur hoc remedium, vno excepto Zacuto, qui pro antiquorum doctrina in concluſionibus, potiùs quàm in exercitio hoc admittit remedium.

Probatur: Si in putridis febribus ob earum curationem eſſet exercendum hoc remedium, maximè in declinatione, dum febris eſt mitis, cum ſignis coctionis perfectæ, dum non timetur horror, nec eſt cruditas, nec viſceris imbecillitas: ſed tunc ſine balneo febris curari poteſt, vel à natura ex toto vincente cauſam morbificam; vel ab arte purgante pharmaco ex toto euacuante cauſam morbificam & ſecuriùs, cùm hoc fiat curatio cum minori virium diſpendio. ergo ſecurior eſt pars negatiua.

§. III.

Ad dubiam Galeni mentem reſpondetur.

QVòd in declinatione febris humoralis aliquando æger reperitur ſine metu, quod incidat in febrem hecticam, aliquando verò cum aliquibus ſignis, ex quibus videtur in ipſam iam coincidere;

ſi ſit æger ſine metu hecticæ, ſemper timet Galenus balnei vſum, nec illud eſt neceſſarium, cùm ſine illo totò poſſit, & cum minori periculo curari febris humoralis. Si autem ſit metus, quòd iam incidit in hecticam; tunc balneum vtile admittit, timet tamen illius vſum *lib.* 10. *Methodi*, ſi complicatur humoralis; quia ipſa exiſtente, non poteſt adhuc in becticis eſſe vtile, niſi maxima cum præmeditatione, eo vtantur Medici, & cum cautionibus obſeruatis à Zacuto.

Resolvtio VIII.

Vtrùm in ſynocho conueniat ſanguinis miſſio vſque ad animi deliquium?

§. I.

Antiquorum communis refertur doctrina.

Zacutus *lib.* 1. *de Medicor. Principum hiſtoria* q. 7. adhærens Antiquorum authoritatibus totis viribus nititur ſuadere, quòd ſit in ſynocho, & aliis vehementiſſimis febribus mittendus ſanguis vſque ad animi deliquium. Primò ex Hippocratis decreto *lib.* 1. *Aphoriſm.* 23. §. *Atque vbi vſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare:* cui adhæret Galenus *in commentario*, §. *Nam in ardentiſſimis febribus ſi vſque ad animi defectionem ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus excitatur, & ſudores emanant. & quidam eorum ex his ſanitati ſunt prorſus reſtituti. aliis adiuit plurimùm vehementiam ægritudinis abſciderunt. In maximis verò doloribus nullum maius inueni remedium, quam vſque ad animi defectionem euacuare, &c.* & lib. 9 Meth. cap. 4. in curatione ſynochi imputris, inquit. *Aegero itaque ab homine eo, vſque de induſtria ſanguinem, quoad animo linqueretur, maximum planè, vbi valentes vires ſunt continuæ febris remedium: id quod tum ratione, tum experientia didici.* Quod idem confirmat *lib.* 4. *de ſanitate tuenda* c. 4. & *lib de curandi ratione per ſanguinis miſſionem* c. 11. §. *Caterum vbi feruentius ineſt ſanguinis plenitudo, acutiſſimam accendens febrem, ſubito, ac ſimul euacuari expedit, eamque inanire tentandum, vel ad animi deliquium vſque, virium modo inſpecto robore, &c.* Ergo ex Hippocratis & Galeni doctrina, in ſynocho, & aliis febribus ardentibus, poterit aliquando fieri ſanguinis miſſio, vſque ad animi deliquium.

Secundò: Ex phlebotomia vſque ad ſyncopen feruentis ſanguinis plenitudo deponitur, refrigeratur habitus corporis, corpus reducitur ad naturalem temperiem, leuata natura copiam redundantis humoris trudit per vomitum, aluum, aut ſudorem; doloris febris, ac inflammationis vehementia remittitur: ergo in ſynocho, & aliis ardentibus febribus conuenit exerceri ſi vires ſubſiſtant.

Tertiò ſuperaddo: In extremis morbis, & in quibus periculum imminet in mora, extrema ſtatim debent exerceri remedia, ex Hippocrate, ſi ſubſiſtant vires: ſed Synochus, & Cauſo, præcipuè ſi adſit magna plenitudo, ſunt morbi magni ex quorum præſentia imminet vitæ periculum, niſi ſtatim deponatur cauſa: ergo ſtatim viribus conſtantibus ipſa debet deponi per ſanguinis miſſionem vſque ad ſyncopen factam.

§. III.

Auerrois, Lemoſij, & Perdulcis præfertur opinio.

Reſoluendum: Quòd his temporibus nunquam ad ſyncopen mittendus ſanguis in ſynocho, aut aliis febribus ardentibus: ſic tenet Auerroës *lib.* 7. *Collig. cap.* 8. Lemoſius *in lib.* 9. *Methodi. comm. ad c.* 4. Perdulcis *lib.* 9 *de febrib capit.* 9. *in curatione ſynochi imputris.*

Probatur: Curatio debet exerceri per media quæ ſunt tuta, & ſecura; vt docet Cornelius Celſus *lib.* 3. c. 4. & Hippocrate in epidem. & confirmat Galen *l.* 1x. *Methodi*, c. 1. §. *Eſto autem terminus, quem non tranſgredietur is, qui ex arte morbos generosè oppugnat, vt cito medicetur: qui autem vltra progreditur, crudelis hominis officium facit, qui ſimul cum morbo vitam hominis aufert:* ſed curatio facta per phlebotomiam vſque ad ſyncopen non poteſt eſſe tuta: ergo nunquam debet exerceri. Probatur minor: Tum quia cognoſcere, an vires ſufficiant pro ipſa ferenda, eſt coniecturale, & poteſt deficere, & deficiet vita cum coniectura. Tum ex Galeno *lib.* 9. *Methodi c.* 10. qui hoc experientia comprobauit, §. *Siquidem in ſanguinis miſſione vſque ad animi defectum, faciendam eſſe, vt paulo ante diximus, quo flamma in continentibus ex meatuum clauſura febris extingueretur, non paruum meritò ſubſequitur incommodum, niſi opportuno tempore, aut debita menſura fiat: duos namq; in ipſis Medicorum manibus perire vidi, qui poſtquam animo linquerentur, nunquam reuixerunt. Multi verò, & ſi non protinus, poſtea propter virium infirmitatem perierunt.* Tum *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, idem confirmat, §. *Vtile eſt autem pulſuum dimi nutionibus animum aduertere, tangendo eos, ſanguine etiam nunc fluente, ſicut in aliis omnibus, dum ſanguis mittitur, facere conſului, ne videlicet nobis nec opinantibus pro animi deliquio mors occupet. Quod ſanè tribus Medicis eueniſſe noui: venam ſecabat eorum vnus mulieri febricitanti, aliorum vterque viro, ſed ad tantum animi duxere deliquium, vt vires recuperari non poſſent. Proinde ſatius eſt à tam copioſis euacuationibus abſtinere, niſi magna incumbat neceſſitas.* Ergo curatio facta per phlebotomiam ad ſyncopen, non poteſt eſſe tuta, vt ipſe Galenus, qui illam conſulit, fatetur.

Probatur 2. Remedium periculoſum, & ex quo poteſt mors ſubſequi, tantùm eſt exercendum, dum ipſum eſt vnica ſalutis via, & alia ſecurior non datur: ſed ſanguinis miſſio vſque ad ſyncopen pro febribus Synocho, & Cauſone, curandis, periculoſum eſt remedium, & ex quo ſolet mors ſubſequi, vt comprobatum manet ex Galen. & vlterius ſecurior via ad vincendas has febres, eſt ſanguinis miſſio partitis vicibus facta, vt docet Galen. *locis iam citatis*; & priùs docuit Hippoc. *lib.* 2. *Aphoriſm.* dicens: *Plurimum atque repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere; periculoſum: Omne enim nimium, naturæ inimicum: ſed quod paulatim fit, tutum.* Ergo nunquam eſt exercenda ſanguinis miſſio vſque ad animi deliquium.

Probatur 3. rationibus ex Lemoſio ſumptis: Tum quia ſicut ſanguinis miſſio vſque ad ſyncopen corpus refrigerat; & in contrarium ſtatum deducit, cauſam febris auferendo; eodem modo contingit ſi partitis vicibus eadem deponatur cauſa, & hoc fiet ſine metu periculi. Tum quia omnis nimia euacuatio tanquam periculoſa eſt vitanda ex Hippocrate 1. *Aphoriſm.* 3. & 2. *Aphoriſm.* 51. Tum quia in his febribus, in quibus deberet exerceri, ob earum vehementiam languent

vires

vires. Tum quia ſuperuenientes ſudores ex hac nimia euacuatione potius ſyncoptici, quàm critici deberent eſſe, cùm ipſa potiùs auertat à ſudore, remittendo vires, quàm iuuet. Tum viribus reſolutis ex hac euacuatione, redditur natura impotens ad vincendam cauſam ſiue coctione, ſiue criſi. Tum quia vt docet Celſus *l.* 2. *c.* 10. in euacuationibus prius eſt ſubſiſtendum, quàm deficiat anima, quæ plerumque vt probauimus, deficit ob ſanguinis miſſionem vſque ad ſyncopem: ergo nunquam hæc debet exerceri pro his curandis febribus.

§. III.

Quid dicendum pro authoritate Hippocratis & Galeni.

AD 1. Reſpondetur: Quòd tempore Hippocratis & Galeni naturæ hominum robuſtiores erant, & aptæ ferre plura remedia, quæ noſtri æui homines ferre non poſſent, vt patet in pharmacis fortioribus, & in nimia quantitate exhibitis, quæ ſufferebant homines illius ſæculi, cum quibus noſtri temporis ægri ſuccumberent; & viteriùs in robuſtioribus illis hominibus erant plures plethorici, & Athletæ, quibus imminebat venarum ruptio, & ne certa mors ſuperueniret in his rarefactis humoribus ratione febris, ideò illico mittebant ſanguinem vſque ad syncopen, Noſtris tamen temporibus, in quibus nec vires ſufficiunt pro ferenda tanta euacuatione, nec tanta eſt neceſſitas propter plethoram, non eſt exercenda ſanguinis miſſio ad vſque ſyncopen.

Vel 2. reſpondetur: Quòd in Medicinæ infantia; plura remedia tentabantur, quæ quia periculoſa erant, & alia ſecuriora ſunt inuenta, ab vſu receſſerunt; vt in pharmacorum vſu apparet: & plura alia ab antiquis medicinæ Parentibus timebantur, quæ vſus docuit eſſe ſecura, & vtilia vt mittere ſanguinem in prægnantibus, & in pueris ante decimum quartum annum, imò poſt quintum aut ſextum menſem.

Ad 2. Reſpondetur, quòd omnia ea conſequuntur maiori cum ſecuritate, partitis vicibus eadem ſanguinis quantitate euacuata.

Ad 3. reſpondetur, Quòd cùm febres ortæ ex ſanguine, aut bile, habeant durationem, in qua partitis vicibus, eadem quantitas ſanguinis cum ſecuritate poteſt euacuari; licèt ſi extremi ſint morbi, extrema applicentur remedia pro illis, & ſecuriora.

SECTIO II.

De Febre Synochi putrida.

LIcet vtraq; Synochus ſit febris orta ex ſanguine, differunt quammaximè ratione diuerſæ alterationis, quam ſanguis patitur pro vtraque; & ideò in eſſentia, & ſignis diuerſificantur.

RESOLVTIO I.

De febris Synochi putridæ curatione.

§. I.

Dignotio, diuiſio, cauſa, ſigna, & prognoſis proponuntur.

SYnochus putrida eſt febris orta ex ſanguine putreſcente, carens paroxiſmis, ſua tempora vna ve-

A luti acceſſione percurrens, & eſt triplex: alia Acmaſtica, alia Paramaſtica, & alia Epacmaſtica, ex Galeno *lib.* 1. *Methodi c.* 1. *& l.* 9. *Methodi c.* 4. *&* 5.

Cauſa huius febris proxima eſt putredo, quam ſanguis patitur; ratione cuius præternaturalis calor pullulat ab illo: remotæ ſunt, quæcunque valent tribuere materiam pro eius generatione, vel occaſionem pro eius putredine, inter quas annumerantur, quæ ſynochum imputrem cauſant intenſiores ſectæ, præcipuæ ſunt cutis conſtipatio, vaſorum obſtructio orta à multo ſanguine, ab aliiſve humoribus craſſioribus impactis, quorum cauſa impeditur fuliginum effuſio, & aëris attractio, ex Galeno *lib.* 8. *Methodi c.* 7. *lib.* 11. *Methodi c.* 8. *lib.* 2. *de different. febrium cap.* 4. Superuenit ſæ-

B piùs hæc febris in parum exercitatis, bene nutritis, ſanguine plenis, & denſo habitu præditis.

Indicant hanc febrem ſigna redundantis ſanguinis, laſſitudo tenſiua, rubor faciei, tenſio venarum, temperamentum calidum & humidum, ætas iuuenilis, vernum tempus, liberalior victus, præcedens conſuetæ euacuationis ſanguinis retentio. In ea calor tangenti eſt multus, valde vaporoſus, parum acris & moleſtus; pulſus eſt magnus, ac vehemens, celer ac frequens; in quibus licèt ſit ſimilis imputri Synocho, ab ea differt, quia in hac pulſus non ita æqualis, lotium rubrum, aut ſubrubrum, craſſius, nec ab initio apparet ſedimentum, ſicut in illa. Accidentia ſunt grauiora, capitis dolor, inquietudo, vigiliæ, inappetentia, nauſea.

C Prædicendum de hac febre; Quòd ſæpè periculoſa euenit, terminatur ſeptimo, vndecimo, aut decimoquarto die: ſi in ſeptimo, quarto die lotium appareat coctum: decimoquarto, ſi in ſeptimo appareant ſigna coctionis. Lotium rubrum in ea iudicium eſt ſecuritatis, & ſi citò appareat, breuioris terminationis: quod album mortem denunciat; ſi coctionis ſigna diu non apparent, & ægri facies ſit turgida, morbi denotant longitudinem.

§. II.

Empiricorum, Methodicorum, & Spagiricorum proponitur curandi ratio; ſequuntur Dogmatici.

D EMpirici communibus amuletis communiter omnem febrem curant, inter Pſeudo-medicos, ſeu Spagiricos Paracelſus has febres ponit ſub morbis tartari; ſanguinem ex quo fiat in corpore non admittens, ex tartari euacuatione illius intendit curationem.

Vanhelmont ſanguinem admittit, ſed hanc febris ſpeciem negat: quia ſanguinem iudicat eſſe quid Diuinum, & incorruptibile iudicat, & hanc ſicut & reliquas ſecuriſſimè curari ſuo Febrifugio contendit, ſi miraculo contingat ab aliquo tale fieri febrifugium. Methodici ſub morbis in Adſtrictione hanc febrem ponebant, & pro eius curatione laxandi ſemper ſu-

E mebant indicationem; vtile contendebant eſſe ægros ferri in balneum, ſanguinis miſſionem, quia vires laxat. Admittebant purgationem, vomitionem, lotij euacuationem, ſudoris prouocationem, & rationem victus, etiam laxatoriam, potum aquæ frigidæ exhibere recuſabant plures, quia denſat, & ipſi remedia laxantia indicata eſſe à morbo iſto; quam in Adſtrictione conſtituebant, contendebant eſſe indicata, & ideò aquæ calidæ potum exhibebant plures; alij verò à febris igneitate conuicti ſunt potum frigidæ aquæ concedere, inter quos Petronas Medicus pro nutu ægri exhibeat potum aquæ frigidæ. Apollonius, & Dexippus frigidum denſare

meatus probabant, & ideò ab eius exhibitione in febribus receſſerunt omnino, quantumuis ab Hippocrate veriori ſunt nutriti doctrina. Purgatoriis medicamentis, licèt admitterent laxatiuis eſſe, vtebantur rarò Methodici in febribus, quia ventriculum ſubuertere, coctionem interturbare, appetitum deſtruere dicebant, & forſan nec nimis recedentes ab Hippocrate, loco enim purgantium laxantibus vtebantur clyſteribus.

Dogmatici pro ſynochi putridæ curatione indicationem deſumunt ab ipſa febre, ab illius cauſa, & plerumque ab accidentibus ſubſequutis, dum cauſæ aut morbi induunt rationem: à febre, quæ in calida conſiſtit intemperie, ſumitur indicatio attemperandi illam per refrigerantia: à cauſa, quatenus ab ipſa fouetur febris, ſumitur indicatio euacuandi illam: ab accidentibus verò, & eorum ablatione ſumitur indicatio per ea quibus poſſunt deuinci.

Victus pro hac febre ſit frigidus & humidus; talis enim ex Hippocrate omni febricitanti eſt vtilis: debet eſſe tenuis, quia peracutus eſt morbus, niſi in bilioſas degeneret febres; pro potu deſeruit aqua communis hordeata, vel aliqua ex præſcribendis in curatione febris ardentis.

Indicatio deſumpta à cauſa completur per ſanguinis miſſionem, & purgationem; ſanguinis miſſio manet indicata in principio morbi, quia tunc datur morbus magnus, pendens ex vitio ſanguinis, quod eſt indicans ſanguinis miſſionis, vt conſtat ex dictis in noſtris Prælectionibus *de Purgandi ratione*, & proſequimur latiùs agentes de ſanguinis miſſione. Purgatio non indicatur ab hac febre, ſed ab humore bilioſo, in quem mutatur ſanguis præcautionis gratia; ne relictus ſit cauſa ſuperuenientis bilioſæ febris; Indicatio attemperandi deſumpta à febre per accidens perficitur ſanguinis miſſione, quatenus ex ablatione cauſæ aufertur febris, quæ fouetur ab illa: Per ſe completur refrigerantibus intus & extra oblatis, de quibus latiùs in curatione febris ardentis. Perficitur præcipuè potu aquæ frigidæ. Indicatio quæ à ſymptomatibus deſumitur, dabitur latiùs, dum diſputabimus de eorum correctione in aliis febribus.

§. III.

Plura ex dictis firmantur euentu.

Galenus *lib. 9. Methodi cap. 4.* huius febris confirmat curationem per ſanguinis miſſionem, ſic: *Is cum toto die multum laboraſſet, deinde lauatus paucula comediſſet, cœpit nocte febricitare, tatum etiam continuans ſequentem diem. Hunc nos poſt ſecundam noctem vidimus, in cæteris quidem omnibus inueni ſimiliter affectum; verum putreſcentium humorum euidentes præbentem notas. Itaque vena quoque huic protinus inciſa vſque ad animi deliquium vacuauimus.*

Zacutus hanc febrem ſæpè eſſe periculoſam firmat euentu *lib. 4. praxis capite 20.* ſic: *Non eſt adeo mitis ſynochus, præſertim ſi cum putredine ſit coniuncta, grauibus quidem ſtipatur ſymptomatis; vt plures ab ea correpti immunes euadant. Ad manus noſtras acceſſerunt quamplurimi; qui præcedente rigore in febrem ſynochum lapſi ſunt, quos rubor, tumor, & ſenſatus calor in tota corporis ambitu comitabantur, vehemens cephalalgia, faſtidium, ingens inquietudo, anxietas, iactatio, cordis ſpaſmus, & cardialgia, quæ omnia malignitatem adeſſe ſignificabant internam. Omnibus copioſè ſectâ venâ, cardiaca & refrigerantia oblata; adminiſtrata purgatio, & celebrata cordiqua auxilia, quæ refrigerarent corpus, veneni malitiam retunderent, vires roborarent, & ſanguinis ardorem compeſcerent. His omnibus non proficientibus puſtulæ ampulloſæ ichoroſo ſanguine plenæ, in vniuerſa corporis ſuperficie, die tertio, vel propè quartum enatæ, quæ poſt paucas horas rupta cute in vlcus degenerarunt cauum, ſordidum, & doloroſum, ita vt in ambitu lineſcerent carnes emanante ſorditie multa ægri cum agone cita peribant, mente conſtantes, animi deliquia oppreſſi, veternoſi, implacidi, immorigeri: ſynochus ergo putrida contemnenda non eſt, cum aliquando immiſericordes ægros è medio tollat.*

Potum aquæ frigidæ ad ſatietatem hanc febrem extinguere firmant Schenkius *lib. 6.* & Foreſtus *lib. 1. obſeru. 3.* ex mente Amati, his verbis: *Noui me* (inquit Galenus, & citatur ab Aetio) *formidoloſum ſe ad frigidam exhibendam reddere. Vidiſſe me tamen ſæpenumero in arte exercenda ſua tempore, & vt oportebat hoc vſum præſidio, ægris prorſus abſque vlla nocumento profuiſſe. Sic Ruſticus quidam à me ſynocho laborans citra inflammationem viſcerum, aqua potui aſſuetus, gelida aſſumpta poſt venæ ſectionem, & ſigna coctionis apparentia, fuit curatus. Quemadmodum æger ipſius Amati Blanchinus, vt ipſe narrat curat. 54. Centuria 4. etiam ſanus factus eſt, cui aqua à Medico abnegata eſt, ad quem ipſe Amatus cùm perueniſſet, & in vrina coctionis notas contemplaretur, & aquæ appetentiam inexpugnabilem, cum linguæ nigredine & ariditate notaret, illi gelidam ad ſatietatem conceſſit, quam illicò vomuit, & poſtea copiosè ſudauit, poſt quem ſudorem febris ex integra deleuit.*

Raram terminationem ſynochi putridæ obſeruauimus anno Domini 1652. Domina Maria del Valle Domini Gedeonis de Inojoſa Patricij vxor in iuuentute poſita, cùm eſſet ex natiua temperie calida & humida, & per plures annos vnoquoque fœtum ederet, & in vltimo grauida non fieret, menſtruis retentis, leui angina affecta fuit; tenuit ſanguinis miſſionem, frictionibus, & dixta fuit leuata; ſed paucis interpoſitis diebus, vocatus ipſam inueni ſynocho putrida laborantem; præceſſerat enim laſſitudo tenſiua, menſtrua ſunt retenta, vſa fuit pleniori cibo, nimióque vſa fuit potu de chocolate, erat illi rubor faciei, venarum tenſio, pulſus vehemens, celer creber, & magnus; febris homotona, calor mitis & vaporoſus, parum acris, lotium rubeum, craſſum, & in primis diebus ſine ſedimento, capitis dolor grauis vigiliæ, inquietudo, inappetentia & nauſea; ſanguinem copioſè miſimus, licèt partitis vicibus, potum aquæ frigidæ exhibuimus copioſum, & alia attemperantia: ſeptima die ſuperuenit rigor cutis per totum corpus, nimis rubra apparuit, poſt tres dies aſpera reddita fuit, & tandem cutis ex toto corpore præterquam ex facie diſceſſit, & paulatim ſeparata fuit, poſt quæ ad ſanitatem reſtituta fuit nutu Dei.

Resolvtio II.

Vtrùm ſanguis putreſcere poſſit?

§. I.

Vanhelmont adhæret parti negatiuæ.

Paracelſus nec ſolum ſanguinē putreſieri, ſed & ipſū ſanguinem dari negat. Vanhel. qui ſanguinem ſub cruoris nomine admittit, illam nunquā poſſe putredinem

dinem pati conſtanter defendit, quia ita ipſum iudicat neceſſarium naturæque aptum, vt non poſſit nec per minimum temporis momentum ſine ipſo conſeruari animal. Ex quo infert quòd ſubſtantia ita neceſſaria pro viuentis conſeruatione, debuit à putredine præſeruari.

§. II.

Communis Peripateticorum & Dogmaticorum ſancitur opinio.

RESoluendum: Quòd ſanguis eſt aptus putredinem pati, ex qua oriatur febris: ſic fatentur omnes Philoſophi. & docetur ab Ariſtotele *lib. 4. Meteor.* & tenet vnanimi aſſenſu Dogmaticorum Schola, vt antea diximus.

Probatur 1. ex Ariſtotele: Conſtat omnia putrefieri præter ignem, & experientia conuincitur, omnia entia ſublunaria ſubdita eſſe corruptioni: ergo ſanguis aptus eſt pati putredinem.

Probatur 2. Coctio, & putredo ſunt paſſiones mixtorum: ſed ſanguis eſt mixtum, quod petit fieri à iecore per coctionem: ergo eſt aptus pati putredinem.

Probatur 3. Inter febres prouenientes ex humorum putredine, ſunt aliquæ quæ non fiunt ex pituita, bile, aut melancholia, vt ex ſignis concomitantibus, & ex modo caloris conuincitur: ergo fatendum eſt à ſanguine prouenire; nullus enim alius ſupereſt humor, ex quo poſſint oriri.

Probatur 4. Si ſanguis non poſſet putredinem pati, maximè quia eſt humor naturæ aptus, ab illa adaptatus pro nutritione, & ſine quo partes corporis non poſſent diù conſeruari: ſed hæc ratio non obſtat; nam ipſæmet partes viuentis, quæ informantur anima rationali, ſunt perfectioris ſubſtantiæ, & in quibus ſtat ſubſtantia animalis, & tamen patiuntur putredinem: ergo ſanguis quantumuis naturæ vtilis, valet pati putredinem.

§. III.

Fundamentum Vanhelmont diluitur.

AD fundamentum contrariæ opinionis reſpondetur: Quòd licèt natura ſanguinem pro nutritione vtilem condonauerit viuenti; non tamen extrahit ipſum à ratione mixti, cuius eſt paſſio putredo: ſicut nec immunes reddit ipſas viuentis partes, quas ſæpe ſæpiùs putrefieri cernimus.

RESOLVTIO III.

Vtrùm ſanguis poſſit manens ſub propria forma putridam cauſare Synochum?

§. I.

Ratio controuerſia aperitur; & Galeni ac Auicenna aperiuntur fundamenta.

IN hac determinanda difficultate Auicenna à Galeno recedere videtur: inde orta eſt controuerſia inter Iuniores, Valleſius enim *lib. 5. Controuerſiarum* iudicat nullam poſſe oriri febrem à ſanguine putreſcente manente ſub propria forma, contendit hanc eſſe Galeni opinionem. Auicenna fatetur eam fuiſſe Galeni mentē, ſed ipsā reliquit & oppugnat, ſuæque doctrinæ habet adhærentes Mercatum, Carreirum, Zacutum, & alios. Valleſio fauet Galenus; Tum, *lib. 2. de Criſibus cap. 6.*

A vbi enumerans genera febrium putridarum, aliam docet oriri à pituita, aliam à melancholia, aliam à bile; nullam tamen annumerat febrem ex ſanguine ortam. Tum in eodem *lib. capit. 12.* docet: *Quæ enim ex ſanguinis putredine fit, quodammodo bilioſa eſt.* vbi ad bilioſas ſynochum reducit. Tum *eodem cap.* ſuperaddit: *Quidquid igitur tenue, & pingue in ſanguine eſt, fit flaua bilis: craſſum verò, ac veluti fæx, quando immodicè calefactum extiterit, atra:* nunquam tamen ſub ſanguinis forma admittit febrem. Tum *lib. 2. de differen. febrium capit. 2.* inquit: *Continuarum autem, quæ ex flaua bile proueniunt, duplex eſt ſpecies: altera earum quæ à continuo feruore ſynochi appellantur, quarum*
B *vniuerſum tempus vna conſumitur acceſſione.* En quælibet ſynochus fit à bilis feruore, & non à ſanguine: ergo iuxta Galeni doctrinam, non poteſt oriri ſynochus à ſanguine manente ſub propria forma.

Auicenna fatetur ex dictis locis conuinci, Galenum iudicaſſe ſynochum non oriri ex ſanguine ſub propria forma putreſcente; ipſúmque conatur conuincere *fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 44. 45. Opinatus eſt Galenus, quòd non ſit febris ſanguinis à putredine.* Tum quia in principio putredinis non poteſt dici, quòd ſanguis amittit formam. hæc enim non amittitur niſi in termino putredinis; nec poteſt dici quòd ſolùm in ter-
C mino putredinis cauſat ſynochum, quia tunc cùm pars tenuis abeat in bilem, & craſſa in melancholiam, non deberet potiùs in bilioſas, quàm in melancholicas febres reduci. Tum quia ſicut febres ortæ ex bile, melancholia, aut pituita putreſcentibus, non reducuntur in aliud genus febris; ſimiliter nec febris orta ex ſanguine: Tum quia putreſcens ſanguis plerumque tranſit in pus, & non bilem; non ergo febris ex illo tunc orta reducenda eſt in bilioſas.

§. II.

Sancitur noſtra opinio.

RESoluendum 1. Quòd febris ſynochus putrida
D oritur à ſanguine manente ſub propria forma. Primò, deducitur hæc doctrina ex Galeno *lib. 9. methodi capit. 4.* vbi docens huius febris naturam, ipſam docet prouenire ex ſanguine putreſcente.

Probatur 2. Sanguis aptus eſt pati putredinem, vt probauimus contra Vanhelmont, imò magis aptus, cùm ſit calidior & humidior, cuius cauſa prouenit putredo, quàm reliqui humores; ſed ex reliquis putreſcentibus, & manentibus ſub propria forma, reliquæ febres fiunt: ergo ex ſanguine ſub propria forma putreſcente fit febris ſanguinea.

Probatur 3. Reſpectu ſynochi putridæ adducit Galenus propria & pathognomica ſigna, quibus cog-
E noſcitur, & diſtinguitur ab aliis febribus ortis ex bile, melancholia, & pituita: ſed huiuſmodi ſigna deſumuntur ex parte humoris, à quo oritur talis febrilis calor: ergo ſynochus oritur à diuerſo humore putreſcente quàm reliquæ febres.

Probatur 4. Sanguinem quandoque putrefieri eſt neceſſe: ſed ab illo dum putreſcit eſt neceſſarium febrem oriri: ergo à ſanguine manente ſub propria forma oritur ſynochus. Probatur minor ex Galeno *lib. 2. de differen. febrium c. 9. §. Nam & ſanguinem quandoque putreſcere eſt neceſſarium.*

§. III.

Aperitur mens Galeni.

AD Galeni intelligendam mentem, notandum, quòd duplex febris dicitur ſynochus putrida: alia proptia,& eſt quæ oritur ex ſanguine,dũ putreſcit, & manet ſub propria forma, licet via corruptionis,& dicitur putteſcens in via. Alia dicitur ſynochus impropriè, quæ oritur ex ſanguine in termino putredinis, & dum abit in bilem: quos ſtatus diſtinguit Galenus 2. *Aphor*. 17. dicens: *Quod ſi in ſanguine magna ſit facta corruptio,non redit amplius ad habitum naturalem, ſi vero pauca contigerit,ad ſuam naturam reſtituitur*: licèt vtraq; hæc febris poſſit vocari ſynochus; prima, quia fit manente forma ſanguinis: ſecunda, quia prouenit ratione alterationis, quam habuit priùs ſanguis, & prouenit ex materiebus,in quibus præceſſit forma ſanguinis,ſed quæ fit manente forma rigoroſè eſt talis,& diuerſam ſpeciem conſtituit a reliquis humoribus: altera verò quæ oritur ex ſanguinis materia, quæ iam manet ſub propria forma bilis, impropriè dicitur ſynochus, & potiùs eſt biliosa febris, dicitur tamen ſynochus,vt diſtinguatur ab alia bilioſa,quæ fit ex bile putrefacta,quæ non fuit facta ex ſanguinis putredine,ſed immediatè,ex chylo fuit à iecore genita, vel alio modo,ſine eo quòd fiat ex ſanguine.

Ex his patet: Quòd Galenus quando loquitur de febre *in libris Methodi*, & cum docet oriri ex ſanguine, loquitur de ſynocho propriè, tali: dum *in loc. cit.* vocat febrem ſynochum bilioſum, & eam ponit ſub febribus bilioſis, loquitur de ſynocho dicta impropriè. Ratio autem,quare non annumerat inter putridas humorales ſynochum propriè dictam, ea fuit,quia ibi agit de febribus humoralibus,in quibus ſunt incrementa; non de eis, quæ vnica acceſſione clauduntur: ſeu potiùs, quia licèt ratione cauſæ iudicet ſynochos ponendas inter humorales, ratione modi caloris, & reliquorum ſignorum ipſas conſtituebat ſub febribus diariis; & ideò non annumerat eas inter febres humorales.

Infero inde, Auicennam potiùs induxiſſe animum ad contradicendum Galeno,quàm ad eius mentem explicandam.

Resolutio IV.

Vtrùm fieri poſſit febris intermittens ex ſanguine putreſcente?

§. I.

Carreiri aſſenſu pars affirmatiua proponitur.

COmplutenſis Garcia *fen*. 1. *lib*. 4. *tract*. 2. *capit*. 1. contra communem conſenſum Medicorum intendit ſuadere poſſe ex ſanguine putreſcente oriri febrem intermittentem. Primò,quia ſanguis dum putreſcit, manente forma, cauſat febrem: ergo in principio poterit ſanguis irritare ad ſui expulſionem, & expulſus extra venas cauſare periodum. Patet conſequentia: quia hoc contingit in aliis humoribus; ſed nulla eſt ratio,cur non ſimiliter contingat in ſanguine: ergo fiet periodus in illa.

Valleſius ante Carreirum reddiderat hanc rationem diſparitatis, quia ſanguis eſt magis familiaris naturæ, quàm reliqui humores;& ideò illum retinet, non autem reliquos.

Sed hanc rationem impugnat Carreirus 1 quia licèt ſanguis in ſtatu naturali ſit familiaris naturæ, dum putreſcit,fit præternaturalis,& non eſt familiaris, nec vtilis naturæ,aut ab ipſa retinetur: ergo expellitur ab illa,ſicut & reliqui præternaturales humores.

Secundò: Febris intermittens fit ab aliis humoribus, quia portio humoris trahitur ad focum putredinis: ſed ſanguinis portio ſimiliter poteſt trahi ad focum putredinis: ergo poteſt fieri ab illo febris intermittens.

Tertiò: Ex eo,quod non detur quartum genus febrium intermittentium, concludit Turriſanus *lib. artis Medicinalis*, quòd non datur ſanguis quartus humor, aliàs ex illo ſicut ex reliquis humoribus fieret febris intermittens; ſed fatemur dari ſanguinem quartum humorem: ergo fatendum ex illo poſſe oriri febrem intermittentem.

§. II.

Communis Medicorum opinio præfertur.

REſoluendum negatiuè. Sic tenet Communis Dogmaticorum conſenſus,vno dempto Carreiro.

Probatur 1. ex Galeno,tum *lib*. 2. *de differem. febr. c*. 2. vbi ſolùm docet dari tres ſpecies febrium intermittentium, Tertianam, Quotidianam,& Quartanam: tum *lib*. 8. *Methodi*, vbi docet ſynochum eſſe febrem continentem. Tum quia *eodem lib*. docet tres eſſe ſpecies ſynochi, Creſcentem, Decreſcentem,& Homotonam, vltra quas nullam admittit. Tum quia Auicenna *fen*. 1. 4. probat ſanguinem ſolùm putreſcere in vaſis maioribus,& ideò non efficere circuitus. Tum quia Auerroës *Collig*. 4. idem probat.

Probatur à Valleſio hac ratione: Non fit febris intermittens, niſi humor,à quo cauſatur,mutetur à vaſis maioribus ad focum putredinis: ſed ſanguis, cùm ſit naturæ familiaris,retinetur intra venas: ergo non poteſt ab illo cauſari febris intermittens.

Probatur 3. Si ſanguis cauſaret febrem intermittentem,hæc ſicut differt natura ab aliis, deberet differre in intermiſſionis tempore: ſed non eſt tempus, quo poſſet intermittere,quod ſit diſtinctum à tempore, in quo intermittunt reliquæ: ergo non poteſt eſſe febris intermittens. Probatur minor: non poteſt intermittere quotidie, quia hoc conuenit Quotidianæ; non tertio quoque die,quia competit Tertianæ; non quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octauo,quia hoc competit febribus ortis ex Melancholia; nec vltra hoc tempus ſolet perdurare: ergo non habet aliquod tempus in quo poſſit efficere acceſſiones.

Probatur 4. Sanguis eſt humor reliquis commixtus, & per quàm minimas partes coniunctus,ipſos intra ſe continens,& coërcens,ne ſeparati cacochymi fiant, vt docuimus *in lib de purgandi ratione*: ergo ſemper cum illis debet intra venas reperiri commixtus: quantumvis putreſcens,aliàs diſſolueretur commixtio, & omnes redderentur cacochymi.

§. III.

Soluuntur Carreiri fundamenta.

AD 1. Ex dictis à nobis *in prælectionibus, de purgandi ratione*, conſtat quòd ſanguis commiſcetur reliquis humoribus, vt ipſos contemperet, coërceat, & ſecum commixtos habeat, & toto tempore quo intra maſſam ſanguinariam commiſcentur, pars ſanguinis, ſeu maſſæ ſanguinariæ ſunt; at verò ſi ſeparentur, fiunt cacochymi, & nutritioni inepti; ideò natura ſemper conatur ſanguinem retinere toto tem

pore, quo ſeruat formam, etiamſi ſit in via corruptionis; quia dum illam retinet, vtcumque alteratus ſuum coërcendi, & commiſcendi ſecum reliquos humores munus retinet.

Vel 2. Reſpondetur: Quòd tanta eſt ſanguinis familiaritas cum natura, vt putreſcens adhuc, & via corruptionis, à natura ab ipſa retineatur, donec formam amittat; eſt enim ſanguis forma maſſæ ſanguinariæ, quæ ex parte vtilis eſt ſemper.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd ex eo quòd fiat ſynochus putrida continens, quæ ab aliis febribus putridis differt ſpecie, ſaltem conuincitur, quòd detur ſanguis quartus humor, ex quo oriatur, licèt non detur febris intermittens orta ex illo. In aliis enim contingit fieri febrem intermittentem, quia febres ortæ ex illis pendent ex humoribus non ita naturæ familiaribus, & ideò qui expelluntur in focum putredinis, dum irritant naturam: ſanguis verò manente forma, numquam peruenit in eum ſtatum, vt ſit obiectum facultatis expellentis, ſemper enim eſt quaſi forma, & complementum maſſæ ſanguinariæ, quæ eſt neceſſaria pro nutritione.

Resolutio V.

Verùm febris continens fiat à ſolo ſanguine?

§. I.

Lemoſij & Ambroſij Nuñez refertur opinio.

VOcant medici febrem Continentem, eam quæ continenter affligit, vel quæ toto tempore quo perdurat, ſeruat eundem tenorem, & talem febrem eſſe ſynochum admittunt; quia talis aut ſemper creſcit, aut decreſcit, aut eſt homotona, ſed ſimiles febres poſſe oriri ex aliis humoribus contendunt aliqui, inter quos Lemoſius *lib. 9. methodi* Nuñez *l. 2. Aphoriſm.* tenent, quòd febris orta ex ſalſa pituita, & febris ardens orta ex bile poſſunt eſſe continens, nunquam tamen febres ortæ ex pituita altera, aut melancholia. Quibus fauet,

Primò Hippocrates *lib. de morbis, text. 79.* vbi de febre ardente dicit: *Si verò hac febris nec noctu, nec die intermittat &c.* Sed febris quæ nunquam intermittit eſt continens, ergo febris biliosa poteſt eſſe continens.

Secundò: Stat Galenus *libro 2. de differ. febr. cap. 2.* vbi docet, quòd duplex eſt genus febrium continuatum: aliud earum, quæ propriam ſeruant naturam; aliud earum, quæ licet ex flaua bile proueniant, continentes nominantur, quia ſeruant ſemper eundem tenorem.

Tertiò: Fauet Auicenna, *fen. 1. l. 4. tract. 2. c. 2. §. Et quando putredo eſt intrinſeca dominans ſuper venas omnes, aut ſuper plurimum eius, quod ſequitur ex eis, non ſunt forſan additiones aut diminutiones apparentes, &c.* Sed febres quæ non habent additiones ſunt continentes: ergo bilioſæ febres ſunt continentes.

§. II.

Communior opinio præfertur.

REſoluendum: Quòd febris continens ex ſolo ſanguine poteſt fieri. Probatur 1. Febris continens eſt, quæ ſemper ſeruat eundem tenorem. Sed ſola ſynochus ſemper ſeruat eundem tenorem: ergo ſola ſynochus eſt continens. Probatur minor: ſola febris orta ex ſanguine diuiditur à Galeno in Acmaſticam, Peramaſticam, & homotonam, quibus contingit ſeruare eundem tenorem, ergo ſola ſynochus ſeruat eundem tenorem.

Probatur 2. Febris orta ex bile, ex propria natura habet, quòd repetat tertioquoque die; febris orta ex pituita, quòd repetat quotidie; febris orta ex melancholia, quòd repetat quartoquoque die, & ſuas habeant exacerbationes in illis: ſed febris quæ repetit, & habet exacerbationes in diebus determinatis, non poteſt dici continens: ergo nulla febris præter ſanguineam, poteſt dici continens.

Probatur 3. Si poſſet fieri ex pituita ſalſa, aut bile febris continens, maximè quia poſſunt putreſcere circa cor, vt tenent contrariè opinantes: ſed ex hoc non ſequitur; tum quia hæc ratio conuinceret, vt ex melancholia, & quacumque pituita putreſcentibus circa cor, fieret ſimiliter febris continens, quod ipſi negant; tum quia etiamſi bilis, aut pituita putreſcant circa cor, habebunt circuitus & exacerbationes, quia hæ proueniunt, quia bilis tertioquoque die, & pituita vnoquoque adquirunt diſpoſitiones præternaturales, quibus irritant ad ſui expulſionem, quas in quacumque parte putreſcant, neceſſariò adquirent: ergo febres ex his ortæ non poſſunt eſſe continentes.

§. III.

Ex antiquis fundamenta deſumpta explicantur.

AD 1. Reſpondetur: Quòd ex Hippocrate non infertur, quòd febris orta ex bile, ſi non intermittat, ſit continens, ſed quòd ſit continua.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd Galenus febres ortas ex bile, quæ ortum ducunt ex ſanguine putrefacto, vocat continentes, quia ex continentibus fiunt, non autem quia ipſæ tales verè ſunt. Vel 2. dicimus, quòd illas vocat continentes, quia earum acceſſiones non ita ſenſibiles ſunt, ſicut in reliquis bilioſis, & ideò ab illis eas diſtinguit: quia aliquo modo ſunt ſimiles continentibus, & ideò vt eas diſtinguat, continentes vocat, licèt propriè tales non ſint.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd Auicenna non intendit, quòd bilioſæ febres non habeant acceſſiones; ſed docet quòd in aliquibus ſunt ferè non apparentes, hæ ſunt quas impropriè vocat Galenus Synochos, licèt reuera tales non ſint, quia reuera habent acceſſiones.

SECTIO III.

De febre ardente, continuáque Tertiana.

AD continentes, febres continuæ proximè ſequuntur; licèt enim non ſemper eundem tenorem ſeruent, ſeruant tamen ſemper aliquam febris intenſionem; & licèt ex bile, & pituita, continuæ etiam fiant febres, eis adſcribitur curatio partim deſumpta à febribus intermittentibus ſui generis, partim verò ea deſumitur ex curatione febris ardentis & Tertianæ continuæ; & ideò harum tantùm continuarum proponemus curationem,

Resolvtio I.

De Febris ardentis, & continuæ Tertianæ curatione.

§. I.

Harum febrium quidditas, differentia, cauſa, ſigna, & prognoſis proponuntur.

ORitur ex bile triplex genus febrium; febris ardens, ſeu cauſus, Tertiana continua, & Tertiana intermittens, quæ licèt oriantur ab eodem humore, differunt, quia focus putredinis eſt diuerſus; Tertiana enim intermittens fit ex bile putreſcente extra vaſa; Tertiana continua fit ex bile putreſcente in venis à corde remotis; febris ardens fit à bile putreſcente in venis omnibus, aut maioribus cordi propinquis. Febris ardens, quæ Cauſus dicitur à nimio incendio, quo flagrat, Ignis plerumque vocatur ab Hippocrate. Quæcunque ex his febribus dicitur exquiſita; dum à ſyncera bile fit putreſcente: dicitur notha, dum fit à bile mixta cum pituita, aut melancholia. Nomine bilis ipſam bilem, vt ichoroſam, ac bilioſam ſubſtantiam intelligimus; inde cauſus alia eſt, quæ fit ab ipſa bile putreſcente in vaſis maioribus, & cordi propinquis, de qua Galenus *l. 1 de Criſibus cap. 6.* Alia eſt quæ fit ex ichoribus attractis à venulis reſiccatis, cuius meminit Hippocrates *lib. 4. acutorum text. 1.* dicens: *febris ardens fit, cùm venulæ exſiccatæ tempore æſtiuo acres ac bilioſos humores ad ſe attrahunt.*

Febris ardentis, & Tertianæ nothæ cauſæ eædem ſunt, intenſiores pro febre ardente, minus intenſæ pro Cauſo; & aliæ ſunt internæ, & aliæ externæ: internæ, & proximæ pro febre ardente ſunt ichores attracti à venulis reſiccatis, & in ipſis putreſcentes, vel bilis putreſcens in vaſis totius cordis, vel quàm maximè in eis, quæ ſunt cordi proximiora, vt vaſa pulmonis, ventriculi, aut iecoris. Externæ, cibus aut potus, ex quibus valet bilis generari, calidus aër ac ſiccus, immodicus labor, vigiliæ ſuperfluæ, immoderatum exercitium, & omnia quæcunque valent intenſum calorem communicare bili.

Signa pathognomica huius febris ſunt ingens ardor & ſitis inextinguibilis ex Hippocrate *l. 4. acutorum ſent. 17. & lib. 1. Epidem. comm. 1.* Concomitantur hæc ſigna lingua arida, aſpera, & nigra, ventriculi eroſio, capitis dolor, vigiliæ, delirium, pulſus celerrimus, lotium flauum, agitatio frequens, & hæc in Tertiana continua remiſſiora apparent. Febres hæ periculoſæ ſunt. ſanitatem promittunt coctionis ſigna: & ſi poſt illa, viribus conſtantibus, ſudor, aut hæmorrhagia ſuperueniat, ex Hippocrate *4. Acutorum 20. & 1. Epidem. ſect. 2. text. 63. & 4. Aphoriſm. 58.* hunc euentum promittit, quòd æger facilè toleret morbum, non multùm angi, facilè reſpirare, parum faſtidire, ſomno iuuari, corpus æqualiter calidum eſſe, & ad ea quæ offeruntur benè ſe habere. Peſſimum verò oſtendunt harum febrium euentum, quòd lingua aſpera, ſicca, & nigra, ſitim non ſentiat, quòd incipiat febris cum rigore, quòd in fronte, aut clauiculis ſuperueniat ſudor, extrema refrigerari, quòd acceſſiones vigeant magis in diebus paribus, quod lotium nigrum fiat, cibos faſtidire nimis, corpus vehementer iactare, quòd vox fiat clangoſa, & corporis inſolita grauitas perſeueret, ſuperuenientéſve appareant tremores.

§. II.

Quid quauis Secta praſtet pro huius febris curatione?

PAracelſus & Vanhelmont, cùm bilem non admittant; ſimiliter nec febrem ex illa ortam. Empirici has febres ex ſimilitudine, ab aliis quibuſdam amuletis plerumque, ſæpè verò vſu eorum remediorum, quæ ſunt experti in quauis febre. Methodici, qui hanc febrem ſicut aliquos morbos eſſe in Adſtrictione contendunt, ipſam laxantibus conantur curare, inter quæ auxilia ponunt ſanguinis miſſionem, deobſtruentia, frictiones, & ſudorifica, tandémque, & diuretica medicamenta, & balnea, dum apparent ſigna coctionis, calida; quibus vnoquoque die vtendum eſſe conſulunt.

Dogmatici in harum febrium curatione indicationem deſumunt à viribus, quæ ſui conſeruationem indicant; à cauſa, quæ indicat ſui ablationem; à febre, quæ caloris indicat attemperationem; & à ſymptomatibus, quæ ſi leuiora, ablato morbo auferuntur per eius curationem; ſi intenſiora, & vires debilitant, morbíve cauſæ rationem habent, ſui ablationem & curationem exigunt, & indicant.

Indicatio à viribus deſumpta completur remediis deſumptis ex parte diæthetica ipſius medicinæ, qualis eſt victus, qui licèt in ſanis & ægris ſemper ſit neceſſarius, in morbis pendentibus ab humoribus, ne natura diſtrahatur à coctione cauſæ morbificæ, eo maiori cum meditatione vtimur, intendens quòd ſit medicamentoſus, & pro his febribus ſit frigidus & humidus, tenuis ſubſtantiæ, parum nutriens, rarius, & certo tempore exhibitus, ptiſana ſeu Cremor hordei antiquis vſitatus, noſtris temporibus iuſcula gallinæ, & pulli vſitantur magis, & horum carnes, ouáve ſorbilia tremula, pyra, poma præcipuè acria, pruna, melones, & olera, ac fructus frigidos ac humidos concedimus, ſomnum etiam pro viribus roborandis ſuademus moderatum, & horis aſſuetis; nè ſi in illis contingant acceſſiones, in quibus vſque ad declinationem ſaltem ab eo abſtinendum, frictionibus vtimur loco exercitij, etiam vt roborentur vires, animi paſſiones auertimus, alacrémque animum conſeruare contendimus; in quem finem alexipharmacis vtimur extrà oblinitis, vel intus aſſumptis. Potu vtimur ex aliqua communi, vel decocta cum aliquo refrigerante, aut hordeo, radice cichoreæ, aut ſcorzoneræ. Sumpta indicatione à cauſa, ex qua fouetur febris, illius euacuatio intenditur, pro qua id videndum, an bilis, ſeu quilibet alius humor, à quo fouetur humoralis continua, ſit intra venas ſanguini commixtus; an verò ab eius commixtione ſeparatus, vt apparet dum bilis turget, aut quilibet humor concoctus ſeparatur à ſanguine, ſi ſanguini ſit commixtus, cùm detur morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis (ex viciato enim quocumque humore ſanguini commixto vitiatur ſanguis, ſeu ſanguinaria maſſa, quæ ex omnibus humoribus commixtis ſanguini coaleſcit) indicatur ſanguinis miſſio, quæ ex quacunque brachij vena fiat, nihil intereſt, ſi æqualiter omnes ſint plenæ, quandoque etiam reuulſionis cauſa ex pede, vel euacuationis cauſa ex capite, ratione accidentium ſuperuenientium exercetur; ſi autem humor, ex quo dependet febris, ſit ſeparatus, à ſanguinis commixtione, ſit cacochymus, & indicat purgationem; & ideo turgentem purgamus humorem ſtatim in principio, & iam ſeparatum & cacochymum in declinatione. Coadiuuat hanc euacuationem purgantium

clyſterium

clyſterium vſus, quatenus euacuant excrementa; à quibus retentis incaleſcit corpus, & quatenus euacuant portionem humorum, quæ à natura ſolent trudi in primam regionem, quibus tertio quoque die plerumque in hac febre vtimur, dum non reſpondet venter, factis ex decoctione, aliiſque attemperantibus, & ſolutiuis pharmacis excrementa redundantia in prima regione purgantibus.

Indicatio attemperandi quæ à febre ſumitur, per accidens, conſequitur ex ablatione cauſæ per ſe, vſu eorum, quæ valent ſua frigiditate caliditatem extinguere, inter quæ aër frigidus, vtpote qui intus, & extrà applicitus valet quammaximè attemperare, præcipuè intenditur; vtimur etiam potu aquæ frigidæ vſque ad ſatietatem, dum ſigna coctionis apparent, ſi vires ſunt robuſtæ, & non ſuperſint in prima regione cruditates aut obſtructiones.

Pro attemperatione etiam coadiuuant plura medicamenta refrigerantia, quæ deſumimus ex Pharmaceutica Medicinæ parte. Quorum alia intùs ſumpta, alia extrà appoſita refrigerandi vim conſequuntur; vtimur pro corde refrigerando, & roborando inunctione facta ex butyro naphæ, & vnguento roſaceo, additis puluerbus diarhudonis. Pro iecore inungendo vnguento refrigerante roſaceo cucurbitæ vel ſuccis cichorij, & roſarum rubrarum, additis pulueribus ſantalorum rubrorum, & aceti roſati aliqua portione, vel aquis roſarum rubrarum Nymphea, aut aliis frigidis, quibus renes ſæpè refrigerare intendimus: ſumuntur verò in eundem finem Conſeruæ florum boraginis, bugloſſæ, Roſarum rubrarum cum confectione Alchermes, aut pulueribus Electuarij diamargaritonis frigidi, cum quibus fit conditum: vel horum loco vtimur Conſeruis cichorij, acetoſæ, lactucæ, cum confectione Alchermes, Hyacinthorum, aut diamargaritionis frigidi, vel Iulepia vtimur ex aquis bugloſſæ, acetoſæ, ſcorzoneræ, cum ſyrupo limonum, granatorum, aut aliorum frigidorum, ſimul cum prædictis alexipharmacis.

Indicationes ab accidentibus deſumptæ qualiter debeant proſequi, dicemus infrà.

§. III.

Obſeruationes aliquæ proferuntur.

POtum aquæ frigidæ vtilem eſſe pro ardente febre, firmat euentu Eraſtus *quæſt. 2. de purgant. medicament.* dicens: *Apud Galenum legimus, & in Italia quotidie æſtatis tempore vidimus plurimos ardentibus febribus laborantes, ex liberaliſſimo frigidæ aquæ potu à febre hoc modo liberari, non modo vidi, ſed etiam author nonnullis fui vt hoc facerent; ex omnibus quos iuſſi, ne vnus quidem non eſt per vomitum larga bilis flauæ & putrida, vel per copioſum ſudorem, vel per vtramque euacuationem liberatus: oportet autem tunc iubere dum apparet in vrina coctio, & natura viciſſe aliquo modo cauſam cernitur, non ſuccedit tamen res niſi multam omninò bibant, tantam ſcilicet, quæ ameri & moleſtia eſſe queat.*

In vehementiſſimis febribus continuis ſanguinem mitti nodum euentu docet natura, & obſeruauit Antonius Muſa Braſabulus *comm. ad aphoriſm. 37. libro 7.* dicens: *Nos Magnificum & Illuſtrem Iulium Boiardum Scandiani comitem curauimus, qui cum vehementiſſima febre bis, terque in die ſanguinem copioſiſſimè euomebat, tamen egregiè euaſit.*

Rara bilioſæ continuæ febris terminatio à nobis obſeruata. Anno 1643. Vocatus ad Dominum Petrum Sarmiento de Mendoza Comitem de Ribada-

A uia, inueni febre correptum continua, quæ erat Tertiana notha, non enim perueniebat ad infebricitationem, tertio quouis die maiora habebat incrementa, ſitis non erat intenſa, nec calor, ſanguinem pluries miſimus, materiæ concoctionem coadiuuimus ſyrupis, & iulepis, bilem, ac pituitam ex qua morbus pendebat, ſolectiuis pharmacis purgauimus, ſed febris protrahitur per tres ferè menſes, ſuperuenerat enim tempore hyemis, & iecur erat intensè calidum, debilis ventriculi calor imperfectas cibi perficiebat coctiones, & continuò ab his fouebatur febris materia. Paulò ante febris remiſſionem brachia, & manus licèt cum ſenſu per-
B manſerint, motum ex toto amiſerunt. Alij Medici accerſiti ſunt ex noſtra vniuerſitate, Regis Medici conſulti, ſed inter ſe diſcordes conſulunt alij ſudores ex ſparta parilia, & ligno ſancto; alij ex ſola radice chinæ, ducti Horatij Eugenij conſilio; alij Mercurij vnguentum proponebant: ſudoribus repugnabat febris, & calida ac ſicca iecoris intemperies: Mercurio repugnabat ratio, & quòd terminatio febris erat quædam ſemiparalyſis. Conſulimus inunctiones oleorum leniter reſoluentium, & quod reliqua relinquerentur calido tempori, quod expectabatur, ab eo enim tantum perfici, cuius affectus curationem nos docuit experientia, in Domino, Domino Fernando de la Baſtida noſtro Cancellario,
C qui poſt ſimilem febrem chronicam, cùm eſſet octogenarius ſimilem habuit terminationem, quam vidimus calido tempore ſuperueniente curatam, quod idem, licèt poſt longum tempus, euenit ſimiliter & in hoc ægro.

Quòd facta in febre continua, aut ardente, terminatione ad partes extremas, timenda ſit venæ ſectio, firmat euentu Rhaſius *lib. de mirabilibus curationibus.* dicens: *Alchaſum Octiarius incidit vna die ſubito in morbum vehementem calidum & in continenti fluxit ſuperfluitas ad eius manus, & pedes, & putrefacta eſt. & hac de cauſa ceſſauit febris, & aliquis Medicorum fecit phlebotomari eum. & recidiuauit in morbum alicuius caliditatis, & acuitatis, & fuit diſſoluta virtus eius. & poſt tertium diem mortuus eſt.*

D

RESOLVTIO I.

Verùm febris ardens exquiſita ſit duplex;

§. II.

Ratio dubitandi proponitur & eius fundamenta.

DVplicem eſſe febrem ardentem; aliam ex ſyncera bile putreſcente in vaſis maioribus ortam, aliam ex ichoribus à venulis exuſtis attractis
E ex corporis partibus, tenent communiter authores, ſed huius generationem non eſſe poſſibilem ſuadet,

Primò: Quia partes carnoſæ trahunt humores à venis: ergo venæ non poſſunt ipſos attrahere à partibus carnoſis.

Secundò: Ichores extrauaſati; aut geniti in partibus carnoſis nullas habent vias, per quas poſſint attrahi ad ipſas venas, alias per eaſdem vias omnes humores iterum redirent ad ipſas: ergo nulli ichores poſſunt attrahi ab ipſis venis.

Tertiò: Humores & quidquid trahitur ab aliqua corporis parte, attrahitur propter nutritionem, aut aliam voluptuoſam fruitionem: ſed venulæ exſiccatæ,

cataæ nec poſſunt nutriti ex ichoribus, nec habent A alium voluptuoſam fruitionem, ob quam ipſos attrahunt: ergo numquam ipſos attrahent.

§. II.

Antiquorum doctrina ſancitur.

RESoluendum: Quòd debet admitti ardentis febris propoſita diuiſio.

Probatur 1. ex Hippocrate, qui vtramque febrem ardentem admittendam docet *lib. 4. acutorum*, vbi in *text. 13.* docet modum quo fit ea bile putreſcente in venis internis, & circa cor: & in *text. 1.* de altera ſpecie inquit: *Cauſus fit cum venulæ exſiccatæ tempore æſtiuo acres, ac bilioſas ichores ad ſe traxerunt,* Quod confirmat B *l. 2. de morbo text. 27. § Corripit autem hoc modo cum bilis commota fuerit per corpus, & contigerit vt venæ & ſanguis attrahunt bilem, eamque plurimam ex carnibus, & ventriculo.*

§. III.

Doctrina Hippocratis immunis fit ab argumentorum oppugnatione.

AD 1. Reſpondetur: Quòd nutritionis cauſa partes attrahunt humores à venis. At verò dum tempore æſtiuo exſiccantur venulæ attrahunt à partibus ichores, & humiditates, quæ in illis, quia partes carnoſæ humidæ ſunt, remanent, & conſeruantur, & C quia ab ipſis attraxerunt humores, & humidam ſubſtantiam ob caliditatem, & ſiccitatem.

Ad 2. Reſpondetur, quòd per eaſdem potoſitates, per quas humores feruntur à venis ad partes carnoſas, poſſunt attrahi à partibus carnoſis ad venas ichores.

Ad 3. Reſpondetur: quòd licèt ichores non ſint apti pro venarum nutritione, ſunt vtiles pro aliis vſibus, ſua enim humiditate reſiccatas illas vias valent humectare.

RESOLVTIO III.

Vtrùm Cauſus poſſit fieri ex bile ratione putredinis?

§. I.

Proponuntur dubitandi ratio & fundamenta.

CVm exurentiſſima ſit febris ardens, plerumque ea bile ratione vſtionis oriri fatentur eam Authores: ſed an ſimul valeat ratione putredinis oriri, ipſos reddit diſcordes: plures enim ſola vſtione poſſe fieri contendunt ſuadere.

Primò: Quia ſic videtur colligi ex Auerroë *lib. 4. Collect. c. 4. § Propterea ergo non eſt ex neceſſitate vt omnis calor extraneus, aut omnis febris ſit putredinis, & maximè cauſus, &c.* Ergo cauſus ſola vſtione fit ex bile.

Secundò: Cauſus ex Galeno *4. acutorum 1. & lib. 3. Epidemion, ſect. 3.* fit cum ingentiſſimo calore, à quo ſitis inextinguibilis prouenit: ſed ſi calor ille ingens prouenitet ratione putredinis, non poſſet eſſe ſimul tanta ſiccitas, à qua prouenitet inextinguibilis ſitis: ergo cauſus prouenit ratione vſtionis tantùm. Probatur minor, ex Ariſtotele enim *lib. 4. meteor.* Quæ putreſcunt, humidiora euadunt: ergo ratione putredinis non poſſet ſiccitas oriri, à qua proueniat inextinguibilis ſitis.

Tertiò: ex alteratione ſuperuenit cauſus ex bile, ratione cuius intenſior ſiccitas, & intenſior calor poteſt cauſari: ſed hæc fiunt intenſiora ratione vſtionis; quàm ratione putredinis, cùm per vſtionem reſoluantur partes humidæ & frigidæ, & remaneant calidiores & ſicciores: ergo ratione vſtionis ſolius prouenit a bile cauſus.

§. II.

Communior præfertur opinio.

RESoluendum: Quòd non tantùm ratione vſtionis, ſed etiam ratione putredinis poteſt cauſari Cauſus ex bile.

Probatur 1. ex Aëtij authoritate, qui hanc ſanciuit doctrinam *tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 7. §. Cauſus eſt febris* B *ardentiſſima continua ex bile putrefacta, quæ nec medicis, nec ægris bonum ordinem exhibet:* ergo poteſt fieri ex putredine.

Probatur 2. Cauſus quæ non fit per venarum exſiccationem, ſolùm differt à Tertiana continua, quia hæc fit in vaſis diſtantibus; illa in vaſis cordi propinquioribus: ſed Tertiana cauſatur ex bile vſta, aut putrefacta in vaſis diſtantioribus à corde: ergo febris ardens fit ab eadem bile vſta, aut putrefacta in vaſis cordi proximioribus.

Probatur 3. Ex eo colligitur, quòd febris Tertiana fit ex bilis putredine: quia apparent in lotio ſigna putredinis: ſed eadem contingit etiam apparere in lotio in febre ardente, per hæc etiam diſtinguimus harum febrium tempora, & lethalem à non lethali: ergo C poteſt fieri ratione putredinis.

§. III.

Adhibetur ſolutio argumentis.

AD 1. Reſpondetur: quòd vt in plurimum colligitur ex Auerroë, quòd non fiat ſemper Cauſos ratione putredinis; non autem quòd non poſſet fieri ratione illius.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd licèt ea quæ putreſcunt humidiora reddantur in principio, non tamen inde ſequitur, quòd à calido & ſicco humore, qualis eſt bilis, non pullulent ratione putredinis intenſiſſimus calor & ſiccitas, ob igneas plurimas partes quæ redundant in ea.

D Ad 3. Reſpondetur: quòd probat argumentum, quòd erit intenſior calor, ſiccitas, & ſitis in febre ardente orta ratione vſtionis; non autem quòd ob rationem nuper dictam non erit ingentiſſima ſitis orta ratione putredinis.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm bilis putrefacta in quibuſlibet venis cauſet febrem ardentem?

§. I.

E *Ex Galeno, & Auicenna fouetur pars affirmatiua.*

FEbrem ardentem diſtinximus à Tertiana continua ob diuerſitatem venarum, in quibus bilis patitur vſtionem, aut putredinem: in internis enim, cauſum; in reliquis externis Tertianam continuam cauſari diximus: ſed quod ardens febris fiat ex bile in quibuſlibet venis putreſcente, videtur probari,

Primò: ex Galeno *lib. 1. de Criſibus cap. 5. §. Namque ob ſolam bilem flauam febris accenditur ſine aliquo viſceris affectu, ſiquidem manente adhuc intra*

vaſa

vaſa bile, accendantur, exquiſita febris ardens eſt; Si verò per totum corpus deferatur, Tertiana: ergo in quibuſuis venis accendatur bilis, fit febris ardens. A

Secundò: idem ſuadere videtur Auicenna *fen.1.l.4. tract.2.cap.de Cauſonide*, vbi docet febrem ardentem cauſari in venis totius corporis, cordis, ventriculi, & iecoris: ergo in quibuſcunque corporis venis putreſcat bilis, fit febris ardens.

Tertiò, ſuadet ratio: Ab eodem humore putreſcente eadem febris ſpecie fit: ſed a bile putreſcente in venis circa cor fit febris ardens: ergo ab eadem putreſcente in aliis venis fit febris ardens.

§. II.

B

Antiquam defendimus doctrinam.

RESolnendum: Quòd febris ardens fit à bile vſta aut putrefacta in vaſis cordi propinquioribus; Tertiana continua ab eadem in vaſis diſtantioribus à corde.

Probatur 1. ex Galeno 2. *de Criſib.c.6.* & Auicenna *nuper citato*, qui diſtinguunt Cauſum à Tertiana continua, quia Cauſus videtur ſeruare eundem tenorem, nō verò Tertiana: ſed illa æqualitas in modo caloris prouenit, dum concluſa putreſcit bilis in venis internis: ergo à bile in illis vſta, aut putrefacta tantùm fit Cauſus.

Probatur 2. 2. *Epidemion comm. 9. §. Neque enim in quibuſlibet corporis partibus humorē hic poteſt febr excitare* C *ardentem, verùm circa ventriculum, & eius præcipuè os, circáque iecoris partes ſimul*, & *ſect.2.comm.*20. confirmat dicens: *Etenim ſi ardentes febres ſunt in venis, abundat* (ſcilicet bilis) *iecoris, & ventris.* Docet idem *l. 3. Epidemion ſect. 3.comm.* 11 dicens, *ardentes febres fiunt inuadentibus in iecur & ventrem biliosis excrementis, & commento* 33. ſuperaddit: *Nam quibus in iecoris & ventris regionem, maximéque in eius os prauus humor decubuit, has febres ardentes ſollicitauerunt*: Ergo ex mente Galeni in ſolis vaſis cordi proximioribus fit cauſus.

Probatur 3. Ratione: Febris ardens cauſus ab incendio dicitur, quatenus valet ingentiſſimum calorem, & & inextinguibilem ſitim cauſare, ſed ab humoribus bilioſis delatis ad partes externas, cum diſtent à corde, D nec ingens valet communicari calor, nec ipſo deficiente poteſt cauſari inextinguibilis ſitis, ratione enim ventilationis maioris, calor remittitur: ergo à ſola bile alterationem patiente in vaſis maioribus poteſt fieri cauſus.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. Reſpondetur: quòd febris ardens dupliciter ſumitur: Vno modo in lata ſignificatione, prout comprehendit quaſcunque febres bilioſas continuas; & in hac impropria acceptione loquitur de febre ardente Gal. *loc cit.* pro argumento. Alio modo pro ea febre ardente, quæ cauſus dicitur à Græcis, ob nimium incendium, & inextinguibilem ſitim; & de hac loquitur Galen. dum eam diſtinguit à Tertiana continua. E

Ad 2. Reſpondetur: Quòd ſimili modo dicendum ad Auicennæ authoritatem, qui tanquam Galeni Commentator, illius ſequitur modum loquendi.

Ad 3. Reſpondetur: quòd in rigore Phyſico omnes febres ſunt eiuſdem ſpeciei; differunt tamen prout conſiderantur à Medico ſecundùm differentias ſpecificas accidentales, ſecundùm quas valent variare curationem.

A

RESOLVTIO V.

Vtrùm ingens calor, & inextinguibilis ſitis ſint ſigna, per quæ diſtinguuntur Cauſus, & Tertiana continua?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

B INter febres ſui generis differt Cauſus à Tertiana Intermittente exquiſita: quia, vt inquit Galenus 2. *de Criſibus cap.3. In ardentibus autem febribus acceſſiones ad infebricitationem non perueniunt* & vlterius *cap.6.* addit: *Nam exquiſita febris ardens cum omnia alia ſeruet exquiſitæ tertianæ indicia, eo ſolo differt, quod neque cum rigore incipit, nec ad infebricitationem deſinit*: ſed cùm in his omnibus conueniant etiam Tertianæ continuæ cum Cauſo; An inter ſe differant per ſitim, & caliditatem intenſiores debitas cauſonidi, quæ ſint illi tanquam pathognomica ſigna, vertimus in dubium; & videtur quod non.

Primò, ex Hippocrate *lib.1. Epid.ſect.* 2. *text.9.* & *lib.3 Epidem ſect.3 text.34.* in quibus refert hiſtoriam ægrotum, qui cùm laborarent febre ardente, non C fuerunt ſiticuloſi: ergo ſitis inextinguibilis eſt ſignum pathognomicum Cauſi, per quod differt à Tertiana continua.

Secundò: ex Hippocrate 4. *Aphor.*54. ex Galen. 6. *Epid.ſectione* 2. *text.*25. ex Auicenna *cap. de Cauſonide*, ſi cauſo ſuperueniat tuſſis, ſitis obtunditur: ergo non eſt ſignum pathognomicum quod à Tertiana continua diſtinguatur.

Tertiò: Tertiana continua oritur ab eodem humore, & ex vi alterationis eiuſdem, ac febris ardens: ergo eadem debent eſſe vtriuſque accidentia.

§. II.

D

Sancitur communis doctrina.

REſoluendum: Quòd licèt cauſus, & Tertiana continua dignoſcantur per hoc, quòd in Cauſo ſint accidentia intenſiora, in Tertiana remiſſiora appareant; præcipuè diſtinguuntur ex inextinguibili ſiti, & ardentiſſimo calore quæ ſunt ſigna pathognomica febris ardentis: ſic docuit Galenus *lib.3. Epid. ſect.3.comm.34. lib.4. acutorum, comm.1.* & Auicenna *fen.24. cap. 4.*

Probatur: Illi febri debent eſſe propria, ſitis inextinguibilis, & ardentiſſimus calor, in qua bilis, à qua proueniunt, putreſcit, aut aduritur in vaſis, in quibus intenſiora poſſunt hæc accidentia prouenire: ſed in ſola febre ardente, fit bilis putredo, aut vſtio in vaſis pulmonum, iecoris, aut ventriculi, & cordi propin- E quioribus, ergo in hac febre debent reperiri tanquam pathognomica ſigna diſtinguentia illam ab aliis febribus.

§. III.

Soluuntur dubitandi fundamenta.

AD 1. Reſpondetur: quòd loquitur Hippocrates de febribus ardentibus ſpuriis ortis ex ſalſa pituita: in quibus licèt ſint ſitis inextinguibilis, & ardens calor; non ſunt tantæ intenſionis, vt in Cauſo

Cauſo orto ex bile, & comparatiuè ad ea quæ oriun- A tur ex hac febre, dixit, non multùm eſſe periculoſos ægros.

Ad 2. Reſpondetur: quòd licèt iſta ſint ſigna pathognomica, quæ debentur huic febri ratione cauſæ, & loci in quo putreſcit bilis; poſſunt tamen non percipi propter aliquam cauſam impedientem, vt contingit ſi adſit affectio catharroſa, quæ obſcurat ea; ideò Auicenna dixit: *Et vehementia ſitis, niſi accedat tuſſis pauca, quæ ſedat illam tuſſim, ſeu ſitim, ſicut dixit Hippocrates.* Nec ſimiliter ſentiunt in eis quibus iam virtus extinguitur defectu illius: inquit enim Gal. *lib.* 3. *Epidem. ſect.* 1. *comm.* 11. *Perpetuò à cibo abhorrebat, non ſentiebat, ſed cum periculoſiſſima eſſet affectio, facultas tamen eam moriens non ſentiebat.* B

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſi in vtraque febre eſſet idem locus putredinis ab humore, eodem modo intenſa ſiccitas & calor apparerent: ſed in Cauſo relucent magis, quia in vaſis circa cor & ventriculum fit putredo; ideò enim inquit Auicenna, *& caliditas in cauſonide non eſt ita fortis in exterioribus, ſicut fortitudo eius in interioribus.*

Resolvtio VI.

Vtrùm bilioſa febris continua per fluxum ſanguinis narium poſſit terminari?

§. I.

Fernelij opinio, & fundamenta traduntur.

FErnelius *lib.* 2. *meth. cap.* 8. ſuadere intendit, quòd febris ardens, nec continua Tertiana non poſſunt per ſanguinis fluxum tanquam per criſim perfectam terminari.

Primò: quia vtcunque copioſa fiat euacuatio per ſanguinis narium fluxum, nihil euacuatur de cauſa morbifica; apparet enim, quòd per ſanguinis miſſionem euacuatur bilis putrida, per hæmorrhagiam ſanguis optimus nutrimentalis: ergo non poterit hæmorrhagica curari criſi hæc febris, ſed ſolùm ſanguinis miſſione.

Secundò: fluxus ſanguinis hæmorrhoidalis, nec menſtruus non proficiunt pro bilioſis terminandis febribus: ergo nec fluxus ſanguinis narium. Probatur antecedens, quia illis ſuperuenientibus, ſæpè cogimur venam ſcindere, non alia ratione niſi quia reliqui ſanguinis fluxus non ſufficiunt.

Tertiò: Harum febrium curatio debet perfici per euacuationem humorum à quibus fouentur: ſed ipſæ febres fouentur à bile intra venas: ergo non poſſunt curari per euacuationem humorum, à quibus fouentur; ſed iſtæ febres fouentur à bile intra venas: ergo E non poſſunt curari per euacuationem factam per particulares venas narium. Patet conſequentia, ex Gal. *lib. de ſanguinis miſſione cap.* 14. vbi docet, ſanguinis miſſionem ex venis particularibus non conferre pro curatione febrium humoralium.

§. II.

Pars affirmatiua præfertur.

REſoluendum, Quod critica euacuatio per ſanguinem narium facta valet ardentes, & quaſcumque continentes terminare febres.

Probatur 1. ex Hippocrate *libro* 1. *Epid. ſect.* 2. A *text.* 63. dicente: *febribus autem ardentibus hæc accidebant quibus ritè & largiter ſanguis per nares erupit, ea de cauſa maximè ſeruabantur, nec vllum noui, ſi rectè ei erupiſſet ſanguis, in hoc ſtatu mortuum. Nam Philiſcus quidam, Spamenon, & Silenus, quibus parum quarto die è naribus ſtillauit, mortem obierunt.* Ergo ſi critica fiat, ac copioſa ſanguinis euacuatio per nares, rectè terminabitur febris ardens.

Probatur 2. Materia concocta per quamcunque criticam euacuationem copioſè factam, per quam euacuatur cauſa morbifica, terminatur morbus, qui pendet ab illa: ſed euacuatio ſanguinis per nares eſt euacuatio, per quam poteſt bilis ſimul cum ſanguine euacuari à quo pendebat febris: ergo rectè terminari poteſt B per illam.

Probatur 3. Si eadem materia, quæ euacuatur per ſanguinis narium euacuationem, per ventrem, vel ſudorem moueretur iam concocta, & inſufficiente quantitate permaneret, & curaretur febris pendens ex illa: ergo ſimiliter dum euacuatur per fluxum ſanguinis narium.

§. III.

Soluuntur rationes pro Fernelio adductæ.

AD 1. Reſpondetur: quod fluxus ſanguinis narium euacuat bilem, ipſa tamen commixta eſt ſanguini, & ſanguis apparet, dum fluit, ſicut ſimili- C ter contingit in bile euacuata per phlebotomiam: at verò ſi retineatur diù, vtraque vitioſa apparet, vt monſtrat experientia.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd fluxus ſanguinis hæmorrhoidalis, aut menſtruus proficiunt, ſi ſint in debita quantitate, & præcedente humorum coctione; ſin minus idem contingit in fluxu ſanguinis narium.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd narium venæ communicant cum reliquis vaſis maioribus, & poſſunt ab illis recipere totam ſanguinis & reliquorum humorum quantitatem in eis repertam.

D

Resolvtio VII.

Vtrùm ex venis brachij aliqua peculiariter eligenda pro phlebotomia in his febribus?

§. I.

Vulgaris proponitur opinio.

VVlgus Medicorum vnanimi aſſenſu fatetur: Quòd in his febribus primò eſt incipienda ſanguinis miſſio ex brachio dextro, & ex vena interna E illius.

Primò: Quia ſic Medici antiqui, & Iuniores, communi aſſenſu receperunt ex Galeno, Auicenna, & reliquis Medicinæ principibus: ergo authoritate ſuis hæc doctrina conuincitur.

Secundò: Ex eo brachio & vena ſanguis mittendus pro his curandis febribus, è quibus proximiùs euacuantur humores fouentes febrem: ſed ex brachio dextro & vena interna, ſiue iecoraria proximiùs euacuatur cauſa, ex qua fouetur febris: ergo ex illis primò exercenda ſanguinis miſſio. Probatur minor: febris Cauſus, & continua, fouentur ab humoribus, qui producuntur in iecore; & in illo cauſo plerumque, eſt minera putredinis: ſed vena interna iecoraria dicitur, quia proximiùs iecur, & venas illi proximas

reſpicit,

reſpicit, ab eóque humores proximè recipit: ergo per illam proximiùs euacuantur humores febres has fouentes.

Tertiò: Si pro his febribus curandis non eſſet eligendum brachium, nec vena ſimiliter; nec pro aliis morbis ſuperuenientibus in aliis corporis partibus: ſed in aliis morbis brachium eiuſdem lateris, & venam iecorariam, aut cephalicam eligimus: ergo ſimiliter pro his curandis febribus.

§. II.

Santorij & Plateri præfertur opinio.

Reſoluendum: Quòd in Cauſo & aliis continuis febribus humoralibus ſanguinis miſſio ex quocumque brachio, aut vena poteſt fieri: Quòd non maiori fiat vtilitate ex vno brachio, quàm ex alio probat Santorius *libro 3. Methodi, de vitandis erroribus cap. 16.* Quòd nec ex vena interna, quàm aliis, protulit Platerius *tom. 2. tract. de febribus capite 2.* agens de euratione febrium continuarum: §. *Cauſum minuet ſi vena aliqua patens generalis in brachio aperiatur, ſanguiſque inde extrahatur.* Et paulò infrà: *Quod & cum talem materiam mox primo ictu effluere videremus, occaſionem mihi præbuit talem potius venam, quæ hac materia turgeret, eligere, quàm diſcrimen aliquod inter brachij venas; cùm in vno loco omnis à caua vena iuxta iugulum prodeant, facere; & vulgi, & Chirurgorum non ita magni in hiſce, & in ſignis caeleſtibus, obſeruationes facere, ſed & per vena ſectionem ſi calor euentilatur, & refrigerij nomine conuenit febriſque calorem minuit.*

Probatur ratione fundamentali, ac euidenti ex anatome deſumpta, ea qua conſtat, quòd vena caua aſcendit à iecore, & ad communem cauitatem aſcendit per vertebras ad iugulum, & à iugulo æqualiter fertur ad vtrumque brachium, vſque ad flexuram, & ibi eundem ramum partiri in venam internam, externam, & communem: ergo ta quocunque brachio, & io illo ex quacunque vena fiat ſanguinis miſſio, trahet æquali diſtantia a vena, quæ in iugulo diuaricatur, in vtrumque brachium, & per illam à iecore.

§. III.

Soluuntur fundamenta antiquæ opinionis.

Ad 1. Reſpondetur: quòd in prima Medicinæ infantia, anatome nondum culta, & indicarunt aliqui proximiùs venam iocernam recipere humores à iecore, quàm reliquas; & cum maiori rectitudine brachium dextrum, cùm ſit in eadem parte dextra cum iecore: & hæc doctrina à primis in poſteriores ſine examine deriuata, eunctos dedoxit in opinionem communem, quam maiori anatomes cognitione adepta, aliqui ex modernioribus conuicerunt manifeſta demonſtratione facta ad ſenſum.

Ad 2. Reſpondetur: quòd vt patet ex ratione noſtræ doctrinæ ex vtroque brachio, & ea qualibet vena cuioſlibet, eum æquali diſtantia attrahitur ſanguis.

Ad tertium reſpondetur: quòd reſpectu curationis febrium, quæ dependent ab humore contento io iecore, aut venis circa illud, probatur manifeſtè ex dictis; non verò de aliis morbis, qui poſſunt pendere ea humoribus, qui fouentur ab aliis venis, eum quibus vnum brachium potiùs quàm aliud habet proxi- A mitatem, aut rectitudinem, quarum ratione citiùs valeat ſanguis euacuari.

Resolutio VIII.

Verùm Oua ſint vtilis victus pro febribus biliosis?

§. I.

Status difficultatis proponitur, & ex Conciliatore fulcitur pars negatiua.

B Dogmaticorum antiquitas pro his febribus curandis ptiſana loco victus vtebantur tutiùs; hæc enim refrigerat, humectat, attenuat, aperit; duplexque apud ipſos erat viſitata: vna integra non colata, quæ erat hordeum à corticibus mundatum coctum in aqua ſimplici: & conglobatum in maſſam; altera erat ptiſana colata, ſeu cremor hordei, & erat integra ptiſana cum expreſſione colata: noſtris iam temporibus iuſculos ea decocto carnium, pullis gallinaceis, gallinis, carne arietina & ouis vtuntur Medici, de quibus an pro biliosis febribus ſint vtilis victus; proponimus examinandum, & loquimur de ouis gallinarum, quæ reliquis præferuntur, præcipuè quæ ſunt recentiora, quia habent ma- C iorem copiam humidi natiui, & magis nutriunt; vt ex Galeno deducitur *lib. 3. de alimentorum facultatibus*, Auicenna *lib. 2. tr. 2.* Oribaſio *lib. 2. collect.* Paulo *lib. 1. de re medica.* Actuario *lib. de ſpiritus animalis nutritione*, Auerroë *lib. 5. Collig.*

Conciliator *differentia* 110. partem negatiuam his fouet fundamentis. Primò, pro febribus acutis debet exhiberi victus tenuis, ex Galeno 1. *Aphoriſm. 7.* ſed febres bilioſæ ſunt acutæ, cùm breuiter terminentur ob tenuitatem humoris, à quo dependent; ergo oua non debent exhiberi pro earum victu. Probatur conſequentia, quia oua ſunt victus craſſus; & multi nutrimenti, vt docet Galenus *lib. de alimentor. facultatibus, & de boni & mali ſucci cib.*

D Secundò: Si ex ouis aliquid conueniret, pro victu febrientium in febribus biliosis, maximè vitella, quæ ſunt præſtantiora io febribus biliosis, facilè mutantur io bilem: ergo non debent exhiberi pro victu in febribus bilioſis.

Tertiò: In febribus ea refrigeratione ortis, io febribus ſynochis, & in febribus ortis ea inflammatione inguinum, aliiſque ex plenitudine ortis, non conueoit vorum vſus, ne materiæ copiam præſtent, ex qua fouetur febris: ergo ſimili ratione nec in febribus bilioſis.

§. II.

E *Sumpta à febre indicatione, oua in febribus vtilia ſunt.*

Reſoluendum 1. Quòd ſumpta indicatione à febre, oua integra, ac recentia, tremula ſemper ſunt vtilia.

Probatur: ſumpta indicatione à febre victus frigidus, & humidus febricitantibus omnibus conuenit, ea Hippocrate 1. *Aphoriſm. 16.* & ex Galeno *in comm.* ſed oua recentia, ac tremula ſumpta ſunt frigida, aut ſaltem temperata ſunt, ex Galeno *lib. de cibis boni & mali ſucci, capit. 2. & 4.* & in lib. Hippocratis, *de ration. victus in morb. acutis comm. 1. 53. lib. de facilè parabilib. in cura doloris capitis*

capitis à vino. l. 2. de compoſit. medicam. ſecundum locos cap. 1. lib. 11. de compoſit. medicament. ſecundum locos capit. de ouo. Et ſimiliter ſunt humida, ex Galeno *libr. de ptiſana capit. 6.* ex Auicenna *lib. & tract. 2. cap. de ouis, lib. de viribus cordis.* ex Rhaſi *l. 3. diuiſion. cap. 4.* ergo ſumpta indicatione ab ipſa febre, ſemper ſunt indicata oua recentia & tremula tanquam vtilis cibus.

§. III.

De indicatione à febris cauſa quid ſentiendum.

RESoluendum 2. Quòd ſumpta indicatione à febris cauſa, oua recentia non ſemper & in omni febre ſunt indicata.

Probatur: Tum in febribus humoralibus ortis ratione plenitudinis, in quibus oua, quia multi ſunt nutrimenti, poſſent multum nutrimenti exhibendo cauſam augere, & febrem fouere. Tum in febribus ortis ex pituita, in quibus ſua valent humiditate nocere, ſaltem ſecundùm partem albuminis, ſine quo vtilia ſunt pro his febribus: ergo ſumpta indicatione à cauſa, non ſemper in omni febre ſunt oua vtilia.

§. IV.

Oua plerumque conueniunt virium cauſa.

RESoluendum 3. Quòd in omni febre ſumpta indicatione à viribus, oua poſſunt eſſe vtilia.

Probatur: Oua vires reficere maximè valent inter reliqua alimenta, ex Galeno *libro 8. de compoſitione medicam. ſecundum locos capite 4. in fine*, & ob vires reſarciendas ipſe oua refert *libro 12. methodi capite 6.* & hac eadem ratione eis vtuntur in febribus peſtilentibus, & putridis, in quibus nimis obruuntur vires Alexander Trallianus, Serapio, & Rhaſis; ſed ſumpta indicatione à viribus deficientibus ſunt offerenda alimenta, quæ maximè eas valeant reficere, & hæc indicatio reliquis eſt præferenda, ex Galeno *in Hippocratem, de ratione victus comm. 14. & libro 9. methodi capite 13.* ergo indicatione ſumpta à viribus in omni febre debent offerri oua.

§. V.

Conciliatoris conciliantur fundamenta.

AD 1. Reſpondetur: quòd licèt dum vires ſunt robuſtæ, aut pendent ex plenitudine febres, vel poſſunt febres terminari, aut ad ſtatum peruenire cum tenuiori victu, oua non eſſent offerenda, præualet plerumque indicatio vires reparandi, dum nimis debiles ſunt, vel conſeruandi vſque ad ſtatum; dum ſunt morbi chronici; & ideò plerumque ratione huius indicationis præualentis oua offerimus in febribus.

Ad 2. Reſpondetur: quòd integra oua ſunt vtiliora in febribus bilioſis, ſumpta indicatione ab ipſa febre, quia ſicut diximus frigida ſunt, & humida; at vero quia plerumque ouis vtimur, ſumpta indicatione à viribus, & ipſas vberius reſarcire valent vitella; ideò plerumque ſolis vitellis vti cogimur.

Ad 3. Reſpondetur: quòd in febribus pendentibus à redundante ſanguine, licèt ratione febris oua ſint indicata, quia victus ſunt humidus, & frigidus, aut temperatos, in acutis ipſis tamen non vtimur,

A quia ſumpta indicatione à cauſa, præualet indicatio attenuandi, & non offerendi victum, quo ipſa valeat augeri.

SECTIO IV.

De Tertiana exquiſita.

FEbris ardens, & exquiſita Tertiana affiofitate ſunt proximæ; ab eodem pendent humore, ſyncera, inquam, bile, vſtione, ſeu potiùs putredine alterata: differunt tamen ratione loci
B in quo bilis alterationem patitur, ideò & ſubſequenter ad illam reſtat huius illuſtrare naturam.

RESOLVTIO I.

Tertianæ exquiſitæ quidditas, cauſæ, ſigna, prognoſis, & curatio.

§. I.

Aperitur quidditas, manifeſtantur cauſa, ſigna, & prognoſis.

C TErtiana exquiſita eſt febris de tertio in tertium ſuas faciens acceſſiones, generata ex bile ſyncera, & pura, ſine alterius humoris admixtione: & eſt multiplex; alia ſimplex tertio vnoquoque die repetens; alia duplex, quæ repetit quotidie: alia triplex, ſeu quadruplex, quæ bis in vno die, vel in vnoquoque die repetit.

Cauſa proxima eſt ſyncera bilis vſtione, aut putredine alterata: remota ſunt omnia, quæ valent adaugere calorem, iecoriſque ſiccitatem, & caliditatem intendere: quarum aliæ mouent, aliæ materiam præſtant, aliæ augent & morbum & materiam morbificam, inter quas annumerantur internæ, aut externæ quæcunque cauſæ valentes corpus calefacere, calidorum vſus, labor, inedia,
D vigilia, cura, mœror, ira, natura ſqualida, & exuſta, æſtiuum tempus, ſicca, & calida regio, intempeſtiuus ad ignem acceſſus, fructus horarij, & aquoſi, & cauſæ quæ in bilioſo corpore cohibent effluuium fuliginum aduſtarum. Signis his cognoſcitur, cum rigore vehementi corpus apprehendit, calor intenſior fit in illa, breui accenditur, mordax percipitur, pulſus in initio eſt paruus & debilis, vigente acceſſione fit celer, frequens, magnus, & minimùm inæqualis; lotium tenue eſt, & igneum in principio, & ſine contento, & interdum fit flauum, & mediocre in ſubſtantia, in principiis acceſſionum per ventrem vomitu bilis truditur; eſt
E æſtus ingens, reſpiratio magna, frequens & difficilis in acceſſione, iactatio corporis irrequieta, inexhauſta ſitis, linguæ ſcabrities, oris amaror, inappetentia, vigilia, iracundia, ingens capitis dolor; acceſſio vltra duodecim horas non porrigitur; ſi ſimplex, tertio tantùm die; ſi duplex, quotidie repetit; à febre æger fit immunis in interuallo.

Prognoſis; accidit hæc febris æſtate, naturis bilioſis, iuuenibus, cura, & labore confectis; vacat periculo, niſi illud ſuperueniat alicuius viſceris affectione, deſtillatione, virium infirmitate, aut quia perniciosa redditur, ſeptenis circuitib. terminatur, in ea

nox

nox grauis ante acceſſionem, ſoluitur plerumque A vomitu, deiectionibus bilioſis, aut ſudoribus.

§. II.

Tertianæ exquiſitæ curatio in omni Secta proponitur.

EMpirici à ſimilitudine in morbis curandis procedentes cum Impoſtoribus vtuntur pro hac febre curanda, verbena, & aliis herbis, carpo manuum, aut pedum affixis, ſeu ligatis; deſumunt vlteriùs ex Paracelſiſtis quamplura alia remedia, quibus nulla indicatione attenta, vtuntur; inter quæ, pro vſu habent Acidum Tartari, & crocum Metallorum, Abſynthiacum cum aqua benedicta B ſerpilli vel Hypericon tincturam, vel ſal Armoniacum, & nitrum præparatum cum aqua Card. Bened. vel catharticum roſatum, vel aquam febrifugam.

Methodici qui hanc febrem conſtituunt ſub morbis in Adſtrictione, pro laxando vtuntur præſidiis laxantibus, aluum laxatorio medicamento, vel Clyſteribus mouent; ſanguinem vacuant pro laxandis viis, lotium, & ſudorem mouent, inunctiones & balnea conſulunt, à vino omninò abſtinent, cibum exhibent ſemel in die acceſſionis, bis in die quietis, & hic eſt cremor priſanæ cum lacte ſeminis melonum, & aliquando carnes pulli pro laxando ventre exhibent, manæ decoctæ quod ſufficit diſſolutæ in C ſero lactis ad ℥iiij. & poſtea ſuperbibere permittitur, quantum voluerit æger, mittitur poſteà ſanguis, ſyrupi conceduntur, & apparente coctione ſudor intenditur; tandemque ſeligente pharmaco inſtituitur purgatio. Ægyptij magna ex parte vtuntur balneis, & loco ſyrupi granatorum, exhibent ſummo mane granatorum acidorum, & dulcium ana ℥ij. aquæ endiuiæ ℥iiij. vel aquam ſtillatitiam ex acido limonum cum ſacchato ad ℥iiij. quas potiones exhibent calidas.

Paracelſus, qui *lib. de morbis tartari*, febres ſub morbis Tartari conſtituit, hanc febris ſpeciem non annumerat; omnes tamen febres oriri in ſtomacho, iecore, aut renibus iudicat ex tartari putredine; ipſáſque aut vomitu, aut purgatione D tartari, aut ſuo ſpecifico diaphoretico, nec ab ipſo, nec ab alio intellecto, febres contendit exterminare.

Van Helmont Paracelſi alumnus, & ſolùm ab eo differens; quia minùs impius, & magis inſanus ſe oſtendit in ſuis ſcriptis; ſimiliter & hanc febris ſpeciem non admittit, febres tamen omnes conſtituit in ſubſtantia, à qua indignatur Archæus; & cùm nullum admittat auxilium Dogmaticorum pro febribus curandis, pro hac & aliis febribus curandis ſuo vtitur tantùm Febrifugio à ſe in inſomniis excogitato, & inuento, & quod ſtatim febres exterminat, ſi Deus miraculosè concurrat ad tribuendam illi virtutem. E

Dogmatici duplicem pro eius curatione deſumunt indicationem: alteram ab intemperie, quæ cùm ſit calida ſimul cum ſiccitate, indicat refrigerationem, & humectationem: alteram ab illius cauſa, quæ illius indicat euacuationem per vomitum, per aluum, per lotiúmve, quas latè proſequuntur Galenus *de arte curat. ad Glauconem libro* 2. *capite* 9. *& in libr. methodi.* Auicenna *fen.* 1.4. *tract.* 2. *capite* 39. *&* 42. Aëtius *tetrabili* 4. *Sermon.* 4. *capite* 9. Paulus *libro* 2. *capite* 30. victus inſtituitur refrigerans, & humectans vt priſana; & inter olera, A lactuca, blitum, atriplex; inter carnes, arietina, pulli gallinacei, gallina, & ex his iura alterata herbis refrigerantibus; vinum aut nullum, aut paucum, & aquoſum; aqua refrigerata, & apparente coctione, ſæpè ad ſatietatem exhibita venit pro vſu: refrigerantia auxilia intùs, & exteà aſſumpta proſunt, maximè ea quæ pro continuis, & ardentibus febribus ſunt propoſita, ſanguinis miſſio, præcedente cruditatum primæ regionis euacuatione, vtilis, & neceſſaria eſt; quia ſufficienter celebrata, & apparente coctione requiſita pro pharmaci exhibitione, eo etiam vtimur, quod ſit bilioſæ materiæ eradicatiuum, quod clemens ſeligi debet, cùm bilioſi humores tenues cùm ſint, faciliùs cedant, quia paratiſſimi, vt ſancioit Galenus 3. *Progn. & libro* 14. B *meth.* obſtat ſæpè recidiuæ iecoris attemperatio, quæ Galeni refrigerante vnguento roſaceo, aut cucurbitæ, ſucciſve cichorij, roſarum rubrarum, & aceto roſato remitti valet.

§. III.

Dogmaticorum doctrinam firmat euentus, aut confirmat obſeruatio.

NOn omnem Tertianam quantumuis febris intermittens ſit, de qua ſanciuit Hippocrates vacare periculo, immunem eſſe ab illo, ſi accidat, quòd fiat pernicioſa, euentu firmauit Hollerius C *lib. proprio obſeruat.* 25. *Brito*, (inquit) *quidam nobilis correptus febre tertiana, in prima acceſſione ſumma virium imbecillitate laborauit, vt videretur mori. Tertio die in ſecunda acceſſione eodem modo habuit, ſomnolentus in vtraque, vt vix à ſomno poſſet prohiberi; aliis acceſſionibus vigil, neque ad ſomnum verti potuit: ſexta mortuus eſt. Adhibita etiam fuerant remedia initio, quæ vim vitalem ſuſtinerent.*

Quantum vrgeat attemperandi neceſſitas in Tertiana exquiſita per frigidum aërem, & per potum aquæ frigidæ, euentu firmat Fernelius *in Methodo curandarum febrium generali.* §. *Non pauci iuuenes; atque robuſti in tertiana ſimplici, atque exquiſita* D *acceſſione trium horarum ſpatio, ab iis qui cauſam ſolam inuenerentur, æſtibus multis extincti, & ſiti, & ſudoribus exhauſti fuère.* Non nimis ſiſtendum in exquiſita Tertiana in vſu calidorum pharmacorum, Galeno adhærens perdoctè obſeruat Zacutus *tom.* 1. *libro* 4. *cap.* 21. dicens: *Bilioſæ febres leuiter ſunt tractandæ, quoniam bilis natura ſua calidiſſima, acrioribus pharmacis exhibitis exaſperatur, efferatur, & excandeſcit. Tractaui plures Tertiana exquiſita prehenſos, qui pluribus tentatis conualeſcere non potuerunt. Hi hoc Electuario oblato per aliquot dies in die intermiſſionis, & in continua Tertiana, in die remiſſionis in aurora quantitate vncia, ſuperadditis vnciis quinque aquæ endiuiæ, ex toto ſanati ſunt.* ℞. *Tamar-* E *rind.* ℥j. *flor. omnium cordial. ana* ʒiij. *hordei mundi p.* ij. *fol. lact. acetoſ. cichor. borrag. ana* mj. ß. *prun. acet. ſine nucleis*, N°. x. *ſemin. acet. endiuiæ, lactucæ, melon. citruli, cucurbitæ, ana* ʒij. ß *Conſerua violar. roſar. borrag. ana* ℥j. *coque in ſufficiente quantitate ſeri lactis caprini bene depurati, quouſque remaneat libr.* j. *colatura infunde rhabar. elect.* ʒ.ij. *rhapontici optimi* ʒ. ij. ß. *colatura adde pulpæ caſſiæ* ℥j. ß. *pulpæ thamarin*, ʒiiij. *pulp. prun. acet.* ʒiij. *pulu. roſ.* ʒij. *puluer. Santal.* ʒj. ß. *pulu. coral. rubr. & margarit. ana* ʒj. *excipiantur cum ſyrup. de ribes, & ſecundum artem fiat Conſerua.*

Quòd exquiſita Tertiana ſimplex, quantumvis ſecuriſſima appareat, ideam valeat immutare, obſeruauimus anno 1648. in quo in æſtate vocati ad Eugenium Lopez, inuenimus in ſecunda acceſſione Tertianæ exquiſitæ: Acceſſio ad octo horas ſe porrexit, ſanguine miſſo die intermiſſionis, tota die bene ſe habuit ſequenti die anteuertitur acceſſio per tres horas, in illius augmento æger vini generoſi frigidi quatuor ferè bibit libras, febris exacerbata, non remiſit: ardens reddita, ſuperuenit delirium, peruigilium nimium, vires viſum fuit imminuere: vſu baloei lactis, caput perfrigeratum nimis, in lethargum abiit, delirium, & die 11. æger vitam cum morte commutauit.

B

RESOLVTIO II.

Vtrùm ſola Tertiana exquiſita oriatur à ſyncera bile?

§. I.

Pars affirmatiua ſuſtineri quibus valeat?

DE hac dubitatione ſuprà aliqua teigimus: eam in examen traxit Iulius Cæſar Benedictus *lib.* 3. *epiſtol.* 4. plures Authorum congerit authoritates, pro quæſito præſtat patum; Ioubertus Paradoxus dedit plura. Hippocrates affirmatiuæ parti videtur adhærere piuries; ibidem febrium communem materiam eſſe admittens. Fundamentalis ratio eſſe poteſt, quia bilis calidus eſt humor, & aptior à cauſa calida, & putreſcente alterari; ideò quę vel cum aliis humoribus ſemper, vel plerumque ſola debet putreſieri.

C

§. II.

Communis Dogmaticorum traditur doctrina.

REſoluendum: Quòd ex quovis humore poteſt febris putrida humoralis oriri ſeorſim, aut ſimul cū bile putreſcente. Patet experientia, ex febribus ab aliis humoribus ortis, ex propriis ſignis cognitis, diuerſis ab eis quæ ſubſequuntur à bile putreſcente. Tum quia Quartanā, & Quotidianam, ac Synochos ſine Tertiana dari fatentur omnes. Tum quia poteſt dari in quovis alio humore diſpoſitio vt putreſcat, bile bene ſe habente: ergo ſimul cum bile; aut ipſa nō putreſcente, poſſunt aliæ febres oriri ab aliis humoribus putreſcentibus.

D

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi reſpondetur: quod Hippocrates communem materiam febrium iudicat bilem; quia febres acutæ de quibus communiter loquitur, ex hac ſæpè dependent. Tum præterea, quòd poſſunt diſpoſitionem pro putredine habere reliqui humores, quin bilis illam habeat, ſicut nec ſpiritus.

RESOLVTIO III.

Vtrùm ſiccitas ſit de eſſentia Tertianæ exquiſitæ?

§. I.

Affirmatiuæ partis proponuntur fundamenta.

CArreirus parti adhæret affirmatiuæ: Tum 1. quia oritur ex bile, cuius naturalis temperies eſt caliditas, & ſiccitas excedens. Tum 2. quia victus humidus, & frigidus debet exhiberi pro huius febris curatione. Tum 3. quia id indicatur de eſſentia alicuius, ſine quo res eſſe non poteſt; ſed ſine ſiccitate Tertiana exquiſita non poteſt reperiri: ergo ſiccitas eſt de eſſentia Tertianæ exquiſitæ.

§. II.

Communis amplectitur doctrina.

REſoluendum negatiuè: ſic tenet communis Dogmaticorum aſſenſus.

Probatur. Tum 1. quia, id eſt de eſſentia rei, ſine quo res concipi non poteſt: ſed Tertiana exquiſita concipitur ſine ſiccitate, per hoc quòd ſit præternaturalis calor ortus ex bile de tertio in tertium repetens. Tum 2. quia Tertiana eſt febris: febris autem conſiſtit in calore, vt patet ex eius definitione. Tum 3. quia ſi a calore orto ex bile putreſcente auferatur à quavis cauſa externa ſiccitas, ſemper manebit Tertiana febris, & exigens ablationem, & indicans ſui curationem: ergo ſiccitas non eſt de conceptu Tertianæ exquiſitæ.

§. III.

Soluuntur Carreiri fundamenta.

AD fundamenta Carreiri reſpondetur: Tum 1. quòd ex eo quòd oriatur ex bile Tertiana, infertur, quòd ſiccitas illam concomitatur, non autem quòd eſt de eius eſſentia. Tum 2. quòd victus frigidus & humidus ab Hippocrate eſt indicatus in omni febre, vt frigidus, ab ipſa febre; vt humidus, à ſiccitate, vel concomitante, vel quæ paulo pòſt cauſatur à febre. Tum 3. quòd non indicatur de eſſentia rei, id, ſine quo res non reperitur, ſed id ſine quo res non poteſt concipi, aliàs propriæ paſſiones eſſent de eſſentia rei.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm exquiſita Tertiana generari petat à ſyncera bile?

§. I.

Pars negatiua proponitur.

NVllo poſſe pacto exquiſitam Tertianam ex ſyncera generari bile ſuadetur. Quòd bilis eſt pars maſſæ ſanguinariæ, quæ cùm redintegretur ex omnibus quatuor humoribus commixtis, ipſa ſine reliquorum commixtione reperiri non valet.

Secundò: Bilis impermixta tantùm reperitur in folliculo fellis; à quo ipſa ſola attrahitur, vt deducitur ex Galeno *lib. de vſu partium*: ſed non fit generatio Tertianæ in folliculo fellis: ergo non fit ex bile ſyncera.

Tertiò; Quia bilis non habet in minera putredinis maiorem ſynceritatem, ac habet dum truditur in ambitum corporis, & facit Eryſipelatem: ſed nulla eſt pura bilis in Eryſipelate, ſed ſemper ſanguini, aut alteri humori commixta: ergo nulla Tertiana fit ex ſyncera bile.

§. II.

Traditur bilis ſynceritas pro Tertiana exquiſita.

REſoluendū, quòd licèt Tertiana exquiſita nō poſſit generari à bile ſyncera, ſynceritate permixtionis; ſic

ſit tamen à bile pura, ſynceritate qualitatis: quia vbi putreſcit, ita vincit permixti humoris qualitates, vt ſolùm teluceant qualitates ipſius bilis.

Probatur ex Gal. *l. 2. Prognoſt. text.* 38. vbi hanc tradidit doctrinam, poſito exemplo in vino, cui aliquid aquæ fuerit permixtum quòd licèt tum non dicatur ſyncerum, ſynceritate permixtionis, dicitur ſyncerum ſynceritate qualitatis: quia ſolùm relucent vini qualitates in colore, odore, & ſapore: vnde cum in Tertiana ſolùm accidentia bilis reluceant, & non alterius humoris commixti; ideò ſyncera bilis dicitur quoad ſuas qualitates.

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

AD 1. Reſpondetur, quòd vt fiat Tertiana exquiſita, ſeparatur bilis, quæ erat pars maſſæ ſanguinariæ, & fertur in focum putredinis ſeparata maiori ex parte à conſortio reliquorum humorum.

Ad 2. Reſpondetur: quòd in ſolo folliculo fellis reperitur bilis ſyncera ſynceritate permixtionis; at verò ſynceritate qualitatis poteſt reperiri in folliculo fellis impermixta.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſimili modo aliquando apparet in eryſipelate bilis ſyncera ſynceritate qualitatis; licèt non ſit nunquã ſyncera ſynceritate permixtionis.

RESOLVTIO V.

Verùm Tertiana exquiſita ſit morbus acutus?

§. I.

Aperitur dubitandi ratio; & partis affirmatiuæ proponuntur fundamenta.

HIppocrates & Galenus videntur pro vtraque parte militare: fauet enim affirmatiuæ, tum. 1. Hippocr. *l. 3. Prognoſt. text.* 32. vbi inſtituens tractationem de morbis acutis, ad Tertianam deueniens modum ſuæ ſolutionis tradit. Tum 2. Galenus illius quaſi adhærens doctrinæ 3. *Aphoriſm.* 6. Tertianam ponit inter morbos acutos. Tum 3. quia morbus acutus ex Hippocrate 2. *Aphoriſm.* 23. eſt qui quatuordecim diebus terminatur, at verò Tertiana exquiſita terminatur quatuordecim diebus ex eiuſdem decreto 4. *Aphoriſm.* 59. Tum 4. quia morbus acutus eſt qui celeriter properat ad ſtatum, cum ſymptomatum vehementia: ſed Tertiana exquiſita properat ad ſtatum, & illius ſymptomata, rigor, ſitis, cardialgia, anxietudo, delirium, vomitus, & alia ſunt vehementia: ergo eſt morbus acutus.

§. II.

Probabilior proponitur pars.

REſoluendum: quòd Tertiana exquiſita non eſt morbus acutus rigoroſè loquendo.

Probatur 1. Ex Galeno *lib. de diebus decretoriis c.* 12. vbi tradit morbi acuti conſtitutiuum, per hoc quòd ſit periculoſus: ſed Tertiana exquiſita non eſt morbus periculoſus, vt ex prognoſi patet: ergo non eſt morbus acutus.

Probatur 2. morbus non eſt acutus, quin ſit morbus magnus: ſed Tertiana exquiſita non eſt morbus magnus: ergo nec morbus acutus.

Probatur 3. Vt morbus acutus ſit febris ex Galeno 1. *Acutorũ* 8. debet eſſe continua: ſed Tertiana exquiſita eſt febris intermittens, ergo non eſt morbus acutus,

D. Brauo Reſol. Medic. Pars III.

A §. III.

Soluuntur primò adductæ authoritates.

AD 1. Reſpondetur: quòd dupliciter dicitur morbus acutus: vno modo, quia citò terminatur; & hoc pacto ſolet dici Tertiana morbus acutus, alio modo propriè, quia ſimul ſit cum periculo, & in hoc rigore dicimus, quòd non eſt dicenda Tertiana morbus acutus.

Ad 2. Reſpondetur ex dictis, vocari Tertianam morbum acutum ratione terminationis; non autem ratione propriæ conſtitutionis.

Ad 3. Reſpondetur ſimili modo, quòd ratione terminationis acutus eſt morbus, non autem ratione periculi, & propriæ conſtitutionis, licèt habeat ſymptomata magna, ex Hippocrate ratione intermiſſionis vacátque periculo.

RESOLVTIO VI.

Verùm Tertiana exquiſita ſit morbus periculoſus?

§. I.

C *Proponitur dubitandi ratio, & partis negatiuæ fundamentum.*

HIppocrates in omni intermittente febre periculum denegans, & experientia in Tertianis perniciofis illud demonſtrans; huius dubij pro vtraque parte proponunt fundamenta, leuiter à Zacuto, & Sennetio tacta, ex profeſſo tractata à Iulio Cæſare, qui *libr. 2. Epiſtol.* 6. in hanc incidit difficultatem.

Pro parte negatiua ſtat communis Dogmaticorum doctrina ex Hippocrate recepta: *quocunque modo intermiſerit febris periculum abeſſe ſignificatur*: Sed Tertiana eſt morbus intermittens: ergo non eſt periculoſa.

Secundò: Tertiana ideò ex dictis *Reſolutione antecedente*, non eſt propriè morbus acutus; quia periculo vacat: ergo non eſt conſtituendum, quòd poſſit eſſe morbus periculoſus.

D Tertiò: Galenus *in Hippocratem citatum* reddens rationem, quare abſit periculum in febribus intermittentibus, inquit: Quòd tempore intermiſſionis roboratur natura, viréſque adquirit, quibus poſſit morbum deuincere: ſed Tertiana exquiſita, in qua breuiſſimæ ſunt acceſſiones ferè præ reliquis febribus, magis gaudet de intermiſſione: ergo debet eſſe ſecura à periculo.

§. II.

Sancitur tenenda Doctrina.

E REſoluendum: Quòd exquiſita Tertiana intermittens, ſi non fiat pernicioſa periculo vacat ratione ſui: periculoſa efficitur, quomodocumque pernicioſa fiat ratione accidentium.

Primam partem Reſolutionis ſancivit Hippocrates 4. *Aphoriſm.* 43. inquiens: *Quomodocunque intermiſerit febris periculum abeſſe ſignificatur.* Secundam verò *lib. 7. Epidem.* 5. *Febres intermittentes, quandoque malignæ fiunt, & ad acutos morbos perueniunt.* Hanc Doctrinam firmauit experientia in continua ſecuritate, qua videmus exquiſitam Tertianam terminari, dum error non committitur; aut ab alicuius viſceris inflammatione non fouetur, & quã paucis abhinc annis infelici plurium euentu conuicti ſumus Tertianas fieri pernicioſas, & cum periculo

ægrotantium, ac morte terminari ob lethalia ſubſequuta ſymptomata, de quibus infra.

§. III.

Hippocrates explicatur: Argumenta ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur: quòd febres humorales dupliciter poſſunt conſiderari: vno modo, prout pendent ab humoribus, & prout ab illis diuerſas participant naturas humores: alio modo, ſecundùm quòd ratione accidentium, ſuperuenientium, aut coniunctæ qualitatis, quæ humorales ſunt, mutantur in diuerſas ſpecies accidentales, ſecundùm quas diuerſas petunt etiam curationes: ſic lipyria, licèt humoralis, variat curationem ab eo, ſub cuius genere conſtituitur, & ſimiliter febris maligna, ac peſtilens: idem contingit in Tertianis, quæ dum ratione alicuius accidentis ſuperuenientis, aut malignæ qualitatis perniciosæ fiunt, periculoſæ efficiuntur, & differunt ſpecie accidentali à ſe ipſis, dum ſine his accidentibus ſuperueniunt. De febribus intermittentibus, prout pendent à ſuis humoribus, & ſpecificantur ab illis, loquitur Hippocrates *lib. 4. Aphoriſm.* 43. De eiſdem febribus, prout ratione accidentium, aut malignæ qualitatis fiunt alterius ſpeciei accidentalis, loquitur Hippocrates *libro 7. Epidemion.*

SECTIO V.

De Tertiana notha.

SVb genere febrium humoralium, quæ vnoquoque tertio die repetunt, ſunt Tertianæ ſpuriæ, aut nothæ, in quibus licèt redundet bilis, non ſine alterius humoris commixtione febrem efficit, & ideò curationem aliam quodammodo exigit; & diuerſam ab alia diſputationem.

Resolutio I.

De diagnoſi & curatione Tertianæ nothæ.

§. I.

Tertianæ nothæ Diagnoſis, cauſæ, ſigna, & prognoſis proponuntur.

TErtiana notha eſt febris intermittens de tertio in tertium, orta ex bile, vſtione aut alterius humoris commixtione deuians à debita ſynceritate: fit ex bile vitellina, ſiue aſſatione ſic reddita, ſiue alterius humoris commixtione: hæc, ſi fiat ex pituita bili commixta, dicitur à Barbaris, Maioris famæ, ſi autem fiat à bile melancholiæ commixta, Minoris famæ nominatur: Et ex his, vtriuſque ſunt manifeſtæ cauſæ. Ex Galeni, & Auicennæ decreto, hanc febrem demonſtrant, quòd ſi ſimplex, alternis diebus; ſi duplex, ſingulis inuadit, ſicut Tertiana exquiſita: ſed non ita certo ordine, inuadit cum rigore, ſed mitiori, ac diuturniore: calor eſt mitius acris, quàm in exquiſita, & minus vehemens, pulſus tardior, & inæqualior, lotium craſſius, citrinum; paroxyſmus pauco ſudore ſoluitur, porrigitur vltra viginti horas plerumque, & tota febris per plures menſes; concomitantur ſæpè

A hanc febrem corporis grauitas, faciei moles, crurum tumor, ventriculi inflatio, hypochondriorum diſtenſio.

Quoad Prognoſim, hæc febris ex ſe periculum non minatur, niſi quia faciliter accidit cum aliis complicari, quorum cauſa lethalis redditur quocunque plerumque leui commiſſo errore, ſuperadditis enim crudis humoribus, copia ſuccorum, viribus oppreſſis, vires in dies conciduot, febris aſſidua, tabes, & mors ſubſequuntur.

§. II.

In omni Secta curatio præſcribitur.

B EMpirici in hac curanda febre magis ſe exercent, quia cum ſit chronica, ægri vndique pertæſi efflagitant remedia pluráque ab Empiricis proponuntur.

Inter recentiores Adrianus Amynſicht. *ſect.* 19. ad hanc febrem fugandam hoc præſcribit febrifugium, ſpecierum febrifugarum ſuarum vncias quatuor, herbarum Centaur. min. Card. Bened. quinque fol. abſynt. ana vncias quatuor, macerentur in ſero caprino, & in arena diſtillentur ad tertium cohobium, *ſect.* 37. alterum duobus linteolis ſuper pulſus vtriuſque manus ponendum ſic præſcribit *puluer. pyry puluerizat. ſal. comm. fuſi ana vnciam* 1. *tela aranearum, Nuc. moſchat. oliban. electi ana dragm.* 2. *herb. abſynth. burſæ Paſtoris, vrtica mi. ruta, ana.* m. j. *therebint. alb. quod ſufficiat, fiat cataplaſma pro pulſibus.* Bouius ſua

C vtitur Gratiola, prima die dragm. exhibet cum cinnamomo & ſacchato in iure pulli, & quotidie vſque ad quartam diem idem exhibet. Leonardus, & alij per tres horas ante acceſſionem exhibent *puluer. radicis hellebori nigri drach. vnam, mellis roſacei vnciam* j. ſequentibus diebus propinant *ſyrup. vict. vnic.* j. *aquæ vitæ vncias* 5. *Olei ſulphur. gut.* 4. Alij hanc potionem laudant *abſynt. Pom drag. vnam. infunde in aquam per horas* x. *poſteà extrahatur abſynthium, & obiciatur, deinde aqua illa bulliat ad medietatis conſumptionem, ſumat æger calidam per duas horas ante acceſſionem.* Alter Empiricus referente Fonſeca aquam vitæ ſolutiuam ad dragm. j. manè cum iure pulli exhibebat, & deinde propinabat carnem, & vinum, & ſtatim cucurbitulas applicabat; ex Dogmaticis plerique mutuant aliqua remedia; ex

D Empiricis Riuerius proponit plura; Platerus collegit plurima, inter quæ *auricula muris contuſa cum ſale, & aceto, & carpis admota laudatur ab aliis ante acceſſionem:* ab aliis, *ſempernium minimum, ſeu verbena eodem modo applicata, ſeu burſa paſtoris:* alij applicant veſicantia, vt allia & cæpas; alij amuletis vtuntur, de quibus ſuprà diximus.

Methodici hanc febrem dicunt eſſe morbum in Adſtricto, & pro eius curatione inſtituunt remedia laxantia, victum præſcribunt qui humectet, exterouet, & detergat; alternis diebus plerique tantùm victum exhibebant, laxatoriis pharmacis vtebantur in principio, in viris ſanguinem mittebant ex vena iecoraria, in delicatioribus ex cruribus ſcarificatis;

E ſyrupis vtebantur extenuantibus, & detergentibus, ſudorifica exhibebant, totum corpus inungebant oleis laxantibus, ſuccum hyperici calidum cum vino albo propinabant, vt diſcuſſorium chamæmelum præcipuum febrifugium tenebant, quia Soli conſecratum; maximè pro vſu habebant ſuccum exhibere ſaxifragiæ cum vino albo potum, decoctumque chamædrys, ſuccumque Polygoni: ſimiliter violarum puluerem ad ſemiunciam cum aqua ſtillatitia epotam ex Conſtantino Africano maximè laudari fatetur Proſperus Alphious, Nicolus Alexandrinus rubeam febrilem vocatam commendat maximè. Ra-

nocea Antonij Muſæ à Galeno approbata 7. *de compoſitione medicament. loc. capit.* 5. amplectitur ab his ex Arnaldo de Villanoua *lib.* 4. *de morb. cap.* 19. deſumunt alij rubeam trochiſcatam, & in vino pro fabæ magnitudine propinant: apud Scholtzium pro ſudore reſoluendis his febribus reperitur ſudorificum, quod vocatur ſancti Ambroſij, factum ex vnciis ij. millij decorticati, quod bulliat ad granorum apertionem, & ex decoctione vnci. 5. exhibent calidas ante acceſſionem. Nicephorus pro laxando corpore in his febribus à capite ad pedes corpus inungebat calido oleo, in quo ferbuerit flos chamæmeli, ſed pro ſudore in eis mouendo, reliquis relictis, Alpinus longa experientia & vſu confirmatum experimentum proponit, *decoctum paras ex foliis calaminthæ montanæ, pulegij ligni Indici raſpati, radic. arundinis, chinæ minutiſsim inciſæ ana ſcrup. iiij. iridis radic. albæ ſiccæ tenuiſſimè tritæ drach. j. omnia macerata per diem in lib. x1. aquæ communis bulliant ad conſumptionem medietatis, & de colatura doſis ad vnc. iiij. cum vini albi arom. vnc. ij.*

Paracelſus, qui febres non ex humoribus ortas, ſed ex ſulphure accenſo in ventriculo, iecore, aut renibus ponit materiæ ex qua euacuationem non tennit ſolutiuis pharmacis; præcipuè tamen ſuo vtitur febrifugio, vt diximus ininfelligibilibus conſcripto verbis vt à nullo poſſet detegi ſuum figmentum; ideò illius ſectatores pro febribus vincendis ſuis ſpagiricis remediis vtuntur, ſiue ad materiæ ex qua euacuationem arte chymica extractis, ſiue ad caloris attemperationem accommodatis.

Van Helmont alter Democritus factus cuncta irridens Dogmaticorum remedia, & à Paracelſo diſcedens, hac febrem ſicut & reliquos morbos ad læſam imaginationem decurpantémque Archæum reducens, nullis vtitur remediis ſolutiuis, humorumve, quos non admittit, euacuatoriis, ſed ſuum miraculo faciendum febrifugium cunctis adaptat febribus, illo vnico vtitur, illud vnum omnium eſſe totale remedium proponit, & ita efficax, vt nulla ſit febris, quæ ſtatim ab illo vinci non poſſit: ſed hoc febrifugium ſicut chimæricum, ſic nunquam & viſum, nunquam & eius apparuere dotes.

Dogmatici, Rationaléſque Medici in hac curanda febre modum ſeruant curationis exquiſitæ Tertianæ, tantùm ab ea diſcedentes, quantùm ratione admixti alterius humoris, hæc ab illa differt. Primò primæ regionis conantur cruditates euertere; poſtea à cauſa deſumunt indicationem illius præparandæ & euacuandæ: à febre, eius attemperandæ. Prout febris pendet à bile vitellina ſanguini commixta indicat ſanguinis miſſionem; hæc fit iuxta cauſæ multitudinem, morbive permanentiam, & tum temporis diſponitur humor ſyrupis attemperantibus pro bile, ſcindentibus pro commixtis craſſis humoribus, ſignis coctionis apparentibus, ſelectiua pharmaca propinantur ex agarico, & rhabarbaro, catholico, aliiſve ſelectiuis eorum humorum, qui redundare cognoſcuntur. Contingit plerumque his non vinci febrem, quia fouetur concomitantibus obſtructionibus, viſcerúmve habitualibus vitiis, & tunc iterum omnium humorum febrem fouentium, ac obſtructionum conscendimus præparationem validioribus ſyrupis & euacuationem eorum, in quorum vſu ſunt rhodomel, ſyrupus capil. ven. vel fumariæ, oxymel ſimplex, aut compoſitũ, ſyrupum aceroſus de Bizantiis, ſir. de duabus aut quinque radicibus. Proſequimur purgationem medicamentis ſolutiuis datis ſub forma potionis, pillularum, aut apozematum, quæ magis vſitata, & in hunc finem conducit ſyrupus cichorij cum rhabarbaro, vel rhabarbari infuſiones cum aliis ſolutiuis decoctionibus, aut ſyrupis commendantur, dum obſtructiones nimis fouent, aquæ ſtillatitiæ, vinũ, quæ vim ſortiuntur deobſtruendi, roborandi, & expurgandi. & in intermediis diebus tabellæ offeruntur aromati roſati, vel diarrhodonis cum aqua abſynthij, conſulit in hunc finem Zacutus, Foreſtus & Riuerius decoctum, Chamæmeli, & comarum abſynthij facta decoctione, Tandémque fotus, inunctiones & emplaſtra apponuntur ventriculo, lieni, iecori, aut partibus primæ regionis, in quibus durities apparet iuxta partium naturam.

Victus ratio maximè in his febribus præſcribitur, qui ſit modicè refrigerans, & humectans cui aliquid attenuans, & exſiccans gratia pituitæ ſolet admiſceri; aqua Cinnamomi vtilis pro potu cùm radice ſcorcionetæ, vel parum ſeminis hordei, neque denegatur vinum, dummodo à nobis dicto ſit indicatum; ex carnibus, cuniculi, perdices, hœdi, turtures, caro arietis, & gallinæ ſolent præſcribi.

§. III.

Dogmaticorum doctrinam firmat euentus.

TErtianam notham longiſſimæ durationis eſſe confirmat Schenkius *lib.* 5. ex Eraſto ſubſcribens ſic: *Scribis, in Aula Illuſtriſſimi Principis Erici Brunſuicenſium, & Luneburgenſium Ducis, Honeſtam Matronam annos natam ſexaginta, aut paulo minus quæ tertiana febre annos triginta detenta ſit, ita tamen vt cum infebricitationis tempore ſingula munera obire, & exequi poſſit de tertio in tertium, certa atque ſtatuta hora horrere leniter incipiat.*

§. IV.

Obſeruatio Zacuti.

SImilem euentum Zacutus firmauit *lib.* 2. *de praxi medic. admir. obſer.* 29. §. *Eam vidi perdurare tribus annis, quinque, ſeptem. Hominem noui, qui à vigeſimo anno vſque ad* 50. *ea fuit correptus.*

§. V.

Rhabarbari vſum probauimus.

RHabari vſus confirmatur à nobis. Anno 1649. ad ægrum vocatus in 25. an. ætatis conſtitutum per octomenſes notha tertiana laborantem, vires erant delapſæ, partes carnoſæ conſumptæ, hypochondria cum tenſione, inflatus lien, accenſum iecur, ſepties erat phlebotomatus, ter purgatus, à Medicis relictus, aquam agrimoniæ cum rhabarbaro pro potu præſcripſi, conueniente vſus fuit victu, clyſteribus emollientibus ſolutus venter, vnoquoque quarto die vſus fuit ſyrupo cichorij cum rhabarbaro, poſt tres ſeptimanas liber euaſit à febre in qua nullum antea expertus fuerat leuamen.

RESOLVTIO II.

Vtrum bilis vitellina, ex qua fit Terciana notha, poſſit fieri ſola alteratione.

§. I.

Suadetur pars negatiua.

ASſeruimus Tertianam notham fieri ex bile vitellina, & hanc fieri tripliciter, aſſatione, aut admixtione pituitæ, aut melancholiæ; an ſola altera-

tione ſine alterius humoris admixtione fieri poſſit; A inquiritur.

Videtur quòd non, Primò: bilis fit ab intenſiori calore, quàm reliqui humores, & ideò fit tenuior ac calidior: ergo ſi alteretur ab intenſiori calore potiùs rarior, ac ſeuuior debet reddi.

Secundò: Si bilis vitellina fieret per maiorem intenſionem caloris, quàm naturalis bilis; Tertiana ex illa orta eſſet intenſior; cùm oriretur à calidiori bile: ſed quælibet Tertiana notha remiſſior eſt quàm exquiſita, quæ ex bile ſyncera oritur: ergo bilis vitellina non poteſt fieri ſola alteratione caloris.

Tertiò: Bilis per vlteriorem aſſationem fit calidior, & tranſit in bilem atram, quæ vlcera cauſat, & caries, ac oſſa erodit: ſed bilis vitellina eſt frigidior B quàm bilis pura: ergo nunquam poteſt fieri per aſſationem, aut caloris maiorem alterationem.

§. II.

Præfertur doctrina Galeni.

Reſoluendum: Quòd bilis vitellina ſola alteratione poteſt fieri.

Probatur 1. ex Galeno, *lib. 2. de facult. naturalib.* *Quod verò aſſum, vt ſic dicam, vtrumque nutrimenti eſt (fuerit ſane hoc calidiſſimum in eo ac dulciſſimum qualia ſunt tum mel, tum adeps,) id cum flaua bilis factum eſt, per fellis vocata vaſa expurgatur. Eſt autem hoc tenue,* C *humidumque, & fluidum, non quale cum ad vltimum eſt excoctum, flauum, igneum, & craſſum, vitellis ouorum ſimile.*

Probatur ſecundò: Bilis vitellina differt ab exquiſita, craſſitie: ſed per maiorem aſſationem, reſolutis tenuioribus partibus, bilis exquiſita craſſior poteſt reddi: ergo ſola alteratione poteſt mutari in vitellinam.

Probatur 3. Bilis vitellina dicitur, quæ colore, & in ſubſtantiæ modo fit ſimilis vitello oui: ſed eo ipſo quòd fiat maiori aſſatione craſſior, fit ſimilis in modo ſubſtantiæ, & in colore ſemper ſimilis exiſtit: ergo ſola aſſatione poteſt fieri bilis vitellina.

§. III.

Rationes primò adductæ ſoluuntur.

Ad 1. Reſpondetur: quòd bilis fit tenuior, non tam quia fit ab intenſiori calore, quàm quia fit ex tenuiori materia, ac magis ignea, cuius cauſa ipſa tenuis eſt; poteſt tamen reddi craſſior, reſolutis ab vlteriori calore tenuioribus illius partibus, & craſſioribus remanentibus.

Ad 2. Reſpondetur: quòd Tertiana notha eſt remiſſior, quia oritur ex craſſiori materia, & pullulat à forma determinata per minorem numerum partium ignearum, quia hæc reſolutæ ſunt per vlteriorem aſſationem.

Ad 3. Reſpondetur: quòd dum bilis ſyncera plus habet admixtum de craſſiori ſubſtantia elementali, aquea & terrea, à calore reſolutis partibus tenuibus, & humidis, redditur craſſior, nec nimis calida, quamvis non gaudet pluribus igneis partibus; dum verò fit ex calidiori materia, magiſque ignea, frigidioribus partibus reſolutis nimia aſſatione in atram vertitur, & tunc fit calidior, acquiritque acrimoniam, ac mordacitatem, mediis quibus exulcerationes valet cauſare.

Resolvtio III.

Vtrum poſſit fieri Tertiana notha ex bile vitellina facta ex bile & pituita?

§. I.

Proponitur pars negatiua.

Auerroës *lib. 3. Collect. c. 3.* contendit, quòd vitellina bilis non poſſit generari ex permixtione bilis cum pituita. Tum 1. quia ratione humiditatis pituitæ deberet habere lentorem, qui fit ex permixtione humidi cum ſicco; lentor autem nunquam reperitur in bile vitellina. Tum 2. quia intenſior eſt flauities in bile vitellina, quàm quæ poteſt reſultare ex commiſtione bilis cum pituita, quæ aquea ac alba eſt. Tum 3. quia bilis vitellina eſſet frigida, cuius contrarium conſtat.

§. II.

Zacuti, Carreiri, ac communior amplectitur doctrina.

Reſoluendum: Quòd ex bile & pituita poteſt fieri altera ſpecies bilis vitellinæ: ſic tenent Gentilis, Valleſius, Zacutus & Carreirus, & eſt communis opinio inter Arabes.

Probatur, Tum ex Hippocrate 7. *Epidem. comm. 6. in Hiſtoria filij Zidis. 5. excrementum prodiit ſubbilioſum, viſcoſum, & veluti ex ouo conquaſſato ſubpallido*: vbi hanc pituitam depingit. Tum ex Gal. *lib. 2. de facult. natur. cap. 2.* Tum *lib. de atra bile cap. 2. 5. Sicut bilis tenuis admixta humiditati, & colore pallidior, & conſiſtentia ſegnior redditur, ita cum diſcuſſa admodum fuerit, vitellis ouorum ſimilis apparet.*

Probatur: Quia bilis vitellina, & Tertiana notha maioris famæ orta ex illa, plerumque generantur in eis, qui ſimul bile & pituita redundant. Tum quia in vomitu eorum, qui hanc patiuntur febrem, apparet D ſimul vterque humor ex his prædominans: Tum quia curatur hæc Tertiana plerumque remediis condocentibus ad bilis, ac pituitæ euacuationem: Tum quia apparent ſigna in Tertiana notha plerumque affinia eis, quæ à febribus bilioſis, & pituitoſis ſuperueniunt: ergo ex pituita, & bile poteſt fieri bilis vitellina, ex qua fiat Tertiana notha.

§. III.

Soluuntur Auerroïs fundamenta.

Ad 1. Reſpondetur: Tum 1. quòd licèt non ſit lentor in bile vitellina facta ſola alteratione, aut E melancholiæ commixtione; reperitur in ea, quæ fit ex commixtione bilis cum pituita, vt patet ex Hippocrate citato, dicente: *Excrementum prodiit viſcoſum*: vbi de hac bile vitellina loquitur. Tum 2. quòd, vt notauit Gentilis, hæc bilis vitellina licèt non ſit ita flaua, vt aſſimiletur vitello oui antiqui, aſſimilatur tamen vitello oui recentis, qui eſt magis albus. Tum 3. quòd eſt frigidior reliquis ſpeciebus bilis vitellinæ, ea quæ fit ex bile, & pituita, præcipuè reſpectu eius, quæ fit per aſſationem, ipſa tamen ratione bilis permanet calida.

Resolvtio IV.

Vtrùm Tertiana notha fieri poſſit ex bile, & melancholia commixtis?

§. I.

Euſtachij Rudij opinio proponitur; aperiuntur fundamenta.

TErtiana notha, vt diximus, differt ab exquiſita, quia non fit ex ſyncera bile, ſicut illa; ſed à bile vſtione, aut alterius humoris commixtione craſſior facta. Communis opinio tenet, quòd fiat bilis vitellina craſſior ratione pituitæ ſibi commixtæ, ſed an valeat ex commixtione cum melancholia fieri talia, ex Antiquis non bene deducitur. Ex modernioribus Euſtachius Rudius *lib. 3. capit. 27.* non poſſe fieri contendit ſuadere his fundamentis. Tum 1. quia Galenus huius bilis, nec Tertianæ nothæ ex illa nunquam meminit. Tum 2. quia cùm bilis trahatur ad veſicam felleam, melancholia ad lienem, nunquam poſſunt commiſceri, vt fiat ex illis vnus humor. Tum 3. quia Auicenna docet, quòd vt vna febris fiat ex pluribus humoribus, ex illis priùs debet fieri mixtio; quæ cùm ſit miſcibilium alteratorum vnio; non poteſt fieri ex bile tenui, & melancholia, quæ craſſa eſt. Tum 4. quia licèt ex bile, & pituita, quæ ſunt paratiſſimæ putrefieri, fiat ſimul putredo pro acceſſionibus; id non poteſt contingere ex melancholia cum bile; quia melancholia tardiùs putreſcit, & ideò eius putredo non poteſt ſimul coincidere cum putredine bilis. Tum 5. quia Tertiana notha longiſſimam habet acceſſionem, quæ licèt talis fiat ob pituitæ lentorem, non poteſt fieri talis ratione melancholiæ, quæ lentorem non habet: ergo Tertiana nothæ non poteſt fieri à bile facta ex permixtione bilis cum melancholia.

§. II.

Gentilis, Herculani, & Altomari præfertur opinio.

REſoluendum: Quòd poſſibilis eſt Tertiana notha facta ex permixtione bilis cum melancholia: ſic tenet Carteirus *fen. 1. 4. tract. 2.* pro ſe adducens Gentilem, Herculanum, Mercatum, Menam, Paſchalium, & Altomarum.

Probatur: Bilis poteſt commiſceri melancholiæ: ergo ſicut ex pituita, ita & ex melancholia, bili commixta fit Tertianæ notha. Patet antecedens; quia nulla poteſt aſſignari cauſa, cur ſicut ex mixtione pituitæ cum bile fit Tertiana notha, non poſſit fieri permixtio melancholiæ cum bile, ex qua fiat Tertiana notha.

Dices: Quòd ſicut non fit Tertiana notha ex permixtione bilis cum ſanguine, ita non poteſt fieri ex permixtione bilis cum melancholia.

Sed contra ſtat, Tum quòd ſanguinis permixtio cum reliquis humoribus eſt ad conſeruationem eorum, non autem vt præternaturales reddantur, vt diximus. Tum quòd ſanguinis permixtio obſtat pro efficiendis acceſſionibus quibuſcunque, cùm ipſe putreſcat ſine acceſſionibus: Tum quòd humores dum ſanguini commiſcentur, efficiunt maſſam ſanguinariam, ſeu ſanguinem naturalem ſpecialiter ſic dictum, quatenus differt à ſanguine quarto humore; reliqui verò humores inter ſe commixti degenerant in naturam eius humoris, qui vincit.

§. III.

Soluuntur argumenta primò adducta.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. cum Gentile & Carteiro quòd huius febris non meminit Galenus, quia rarò accidit: Tum 2. quòd reliqui humores etiam intra venas, in quibus, & in iecore poſſent commiſceri: Tum 3. Non ſolùm humorum commixtio, ſed vera mixtio poteſt fieri inter ſubſtantias craſſas & tenues; fit enim mixtum ex igne & aëre, terræ & aquæ commixtis: Tum 4. Quòd ſicut pituita ex mixtione cum bile trahitur ad ſimilem acceſſionem faciendam, qualis debetur bili; ſimiliter trahitur melancholia ob commixtionem cum bile: Tum 4. quòd per commixtionem cùm degeneret bilis & melancholia ab eo quòd vnicuique ſeorſim debetur, fit acceſſio proportionata mixtis illis humoribus iuxta vtriuſque naturam.

Resolvtio V.

Vtrùm ex permixtione pituitæ, aut melancholiæ cum bile fiat mixtum ſubſtantiale aliud ab illis?

§. I.

Proponitur difficultas, & ratio dubitandi.

DVpliciter poſſunt dici permiſceri bilis, & reliqui humores, qui cum illa faciunt bilem vitellinam cauſantem Tertianam notham, vno modo per veram mixtionem, quæ eſt miſcibilium alteratorum vnio, formis corruptis, & ſubſtantifica alia forma ſuperueniente illis, per quam fit aliud mixtum; vel per commixtionem, ratione cuius non corruptis miſcibilium formis, ſuperuenit aliud eos ex illis, quod accidentaliter commixtis, miſcibilibus ſuperuenit, qualiter diximus fieri ſanguinem, ſeu maſſam ſanguinariam ex quatuor humoribus commixtis, formis manentibus, prædominante tamen ſanguinis commixtione; quæ ideò ſe habet tanquam reliquorum forma, & ideò tota humorum commixtio ſanguis dicitur. Gentilis, Iacobus, & Herculanus videntur admittere, quòd bilis vitellina fit ex duobus illis humoribus, formis corruptis, & noua ſuperueniente forma ſubſtantiali: quibus fauet,

Primò: Si bilis commixta pituitæ, & non verè commixta per ſubſtantificam vnionem diuerſæ formæ ſuperuenientis putrefeat, & etiam putreſcat pituita, fit febris hemitritæus, quæ compoſita eſt ex febre biliosa, & pituitoſa ſimul complicatis: ſed Tertiana notha eſt vna febris ſimplex bilioſa ſub tertiana conſtituta: ergo non fit ex bile & pituita vtcunque permixtis, ſed ſub vna ſubſtantiali forma commixtis.

Secundò: Si non fieret ex his humoribus commixtio vera per formam ſubſtantialem diuerſam ſuperuenientem his humoribus, cùm bilis petat tertio quoque die, pituita vnoquoque, melancholia quarto quoque die repetere; his putreſcentibus, non fieret ſemper repetitio determinata in vnoquoque tertio die: ſed talis fit in Tertiana notha: ergo quia ex his humoribus fit vnus humor ab illis ſubſtantificè diſtinctus, à cuius forma prouenit, quòd repetat febris vnoquoque tertio die.

Tertiò: Bilis vitellina eſt vnus humor ſub bile præternaturali propriam ſpeciem retinens: ergo conſtituitur per formam ſubſtantialem ſibi propriam, per quam ab aliis præternaturalis bilis ſpeciebus differt.

§. II.

§. II.

Carreiri præferendam indico opinionem.

RESoluendum : Quòd ſit bilis vitellina ex permixtione, non ex vera mixtione, & per ſuperuenientem ſubſtantialem formam. Sic admittit Carreirus *fen.* 1.4.*tract.* 2.

Probatur 1. ex Auicennæ *fen.* 1.4.*tr.* 2.*c.* 38. vbi tradens modum quo ſit vitellina bilis, à qua cauſatur Tertiana notha; *fit*, inquit, *propter commixtionem choleræ cum phlegmate, commixtione complexionali vnita* : ergo non per ſubſtantialem formam facta.

Probatur 2. Mixtio ſubſtantialis eſt miſcibilium alteratorum vnio, corruptis formis, per præcedentem alterationem, mutuámque actionem miſcibilium : ſed nulla talis alteratio eſt poſſibilis inter hæc miſcibilia, cùm nec alterari conſtet pro ſuarum formarum corruptione; ergo non fit propter veram mixtionem bilis, ex qua prouenit Tertiana notha.

Probatur 3. Quia ſi in principio Tertianæ nothæ fiat vomitus eius humoris, ex quo fit, refluens in ventriculum; ſimul conſpicitur bilis, & pituita : ergo quia ſine formarum corruptione ſunt permixtæ.

§. III.

Soluuntur fundamenta Gentilis ſententiæ fauentia.

AD 1. Reſpondetur : Quòd aliud eſt quòd ſint ſimul ſanguini commixtæ cum ſanguine, & adintegrantes maſſam ſanguinariam ; aliud quòd inter ſe adinuicem ſint permixtæ, ita vt bilis quaſi ſuperet reliquos. Primo enim modo ſi putreſcant, faciunt hemitritæum : Secundo modo quaſi vnam adquirunt naturam, quatenus bili commixta pituita, aut melancholia, vincitur ab illa exuperante, & quaſi in eius naturam conuerſa ſequitur illius modum.

Ad 2. Reſpondetur : Quòd licet non fiat vera mixtio, ſed tantùm permixtio, eo ipſo quòd ſuperet, & ſe habeat quaſi forma bilis, reliqui humores permixti ſeruant in repetendo illius modum, ſicut ſimiliter contingit, ſi omnes humores communicentur ſanguini, & ſimul putreſcant, licèt vnicuique competat propria repetitio, pituitæ quotidie; bili, tertio quoquedie, melancholiæ quarto: fit tamen febris ſeruans eundem tenorem, quia ſanguis, cum quo commiſcentur, ſe habet in maiori quantitate, & quaſi reliquorum forma.

Ad 3. Reſpondetur : Quòd vt bilis vitellina dicatur vnus humor ſub bile præternaturali, non eſt neceſſarium, quòd ſubſtantificè differat ab aliis, ſed ſufficit, quòd differat differentia accidentali, qua differentia differunt ferè omnes humores præternaturales.

RESOLVTIO VI.

Vtrum Tertiana notha fieret ex bile cum melancholia, aut pituita æqualiter permixtis.

§. I.

Proponitur dubitandi ratio.

SI prædominanti bili permiſceretur pituita, aut melancholia, diximus fieri bilem vitellinam à qua putreſcente prouenit Tertiana notha: ſed non conſtat, an ſimiliter fiat ab his humoribus æquali proportione permixtis.

A Videtur quòd ſic : Quia cùm in illa æquali proportione non eſt, cur vincat alter humor, ex his vnus tertius reſultabit humor, qui ſit vitellina bilis ab vtroque alter, ex quo fiat Tertiana notha.

§. II.

Pars negatiua præfertur.

RESoluendum : Quòd vitellina bilis non poteſt fieri, niſi prædominante bile ſupra reliquos humores, qui illi commiſcentur.

Probatur : bilis vitellina, vt nuper diximus, non fit B vera mixtione, ſed quadam permixtione, in qua bilis, quia commiſcetur reliquis humoribus, & exuperat in quantitate, ſe habet quaſi forma. & ideò in eorum putrefactione illi correſpondet acceſſio : ergo ſi non ſit exuperans, nec fiet bilis vitellina ex illa permixtione, nec bili correſpondere poterit acceſſio.

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

REſpondetur : Quòd ſicut ſi ſanguis non ſuperaret reliquos humores, & ſe haberet quaſi eorum C forma, non fieret ex omnibus illis putreſcentibus Synochus, ſicut nec vna maſſa ſanguinaria : ſimiliter ſi bilis non prædominet, nec fit vnus humor illi correſpondens, nec fit vna febris illi proportionata in acceſſionibus, vincit enim dum humores permiſcentur illi, qui exuperat; & ideò ſi bilis commixta eſſet pituitæ in parua quantitate, nihil immutaret de pituitæ debitis acceſſionibus.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm Tertiana notha ſit longior Quotidiana?

D

§. I.

Ex Gentile dubitandi proponitur ratio.

HAnc difficultatem lato calamo proſequitur Gentilis in *extrauagantibus q.* 22. Quotidianam debere eſſe longiorem his confirmat fundamentis: Tum quia Galenus *lib.* 2. *de differentiis febrium cap.* 8. §. *Sed quantum de hemitritæo*, docet quòd acceſſiones ſunt minus prolixæ ratione bilis admixtæ; quod idem dicendum de Tertianæ notha. Tum 2. Idem Galenus *lib.* 1. *ad Glauconem*, dicit, quòd Quartanæ, aut pituitoſæ febres, in quibus bilis permiſcetur ſuæ cauſæ, ſunt breuiores. Tum 3. quia Auicenna *fen.* 1.4. *cap. de ſignis he-* E *mitritæi*, inquit, *Et ſtatus huius ægritudinis* (hemitritæi) *in horis vniuerſalibus, & particularibus eſt ante ſtatum phlegmatis*, &c. & cap. In quibus febres referunt, *de febre plegmatica*, dicit : *quanto minus purior eſt breuioris paroxyſmi*. Tum 4. Rhaſis *lib.* 8. *continentis cap.* 7. inquit: *Quoniam in Quotidiana eſt cholera, erit Paroxyſmus acutus, & breuis* : ergo Tertiana notha breuior eſt quàm Quotidiana in ſua duratione.

Secundò : inter febres pendentes ex pituita, illa eſt breuior, cuius cauſæ admiſcetur id, ratione cuius, adquirat diſpoſitionem, per quam citiùs reſoluitur, & caleſcit : ſed ratione admixtæ bilis hanc acquirit diſpoſitionem: ergo Tertiana notha, quæ pendet ex bile orta ex commixtione pituitæ cum bile, eſt breuior.

Tertiò : Quò periculoſiora accidentia cauſat morbus

bus fit acutior:ſed Tertiana notha perículoſiora accidentia cauſat, quàm pituitoſa febris ratione admiſtæ bilis, à qua in hemitritæo docet Gal. *lib.de typis c.4.* periculoſiſſima ſuperuenire ſymptomata:ergo Tertiana notha ratione bilis pituitæ admiſtæ debet eſſe acutior morbus, quam Quotidiana. A

§. II.

Rationi conformior præfertur opinio.

RESoluendum 1.Quòd ratione cauſæ, à qua pendet Quotidiana, illius duratio longior debet eſſe, quàm duratio Tertianæ nothæ.Probatur, Tum ex Gal. *lib.2.de differentiis febrium.* vbi hemitritæum fatetur eſſe minoris durationis,quàm Quotidiana, ratione admixtæ bilis. B Tum quia Tertianæ ratione bilis debetur duratio vſque ad quatuordecim dies, Tertiana notha, quæ vltra illos extenditur,ratione pituitæ fit longior, & conſequenter febris ea ſola pituita pendens longior ſimiliter erit ea,quæ pendet à pituita bili admiſta.Tum quia à bile recipit pituita diſpoſitionem, vt citiùs reſoluatur:ergo ratione cauſæ Tertiana notha debet eſſe breuior quàm Quotidiana.

§. III.

Cur quandoque fiat longior Tertiana notha, quàm Quotidiana? C

RESoluendum 2.Quòd ab aliis cauſis poteſt prouenire, quòd tertiana notha ſit longior Quotidiana. Pro cuius intelligentia relictis variis modis philoſophandi à Gentile deductis, & impugnatis; notandum quòd febres fieri diuturniores contingit, vel ratione cauſæ,quæ tenuis,aut craſſior eſt,vt docet Gal.*lib.2.de febr.c.vltimo*;vel ratione virtutis magis, aut minùs robuſtæ ad expellendum;vel ratione corporis:in humoribus craſſities,copia,lentor,acceſſiones,& vniuerſalia febrium tempora longiora facit facultas debilis, difficiliùs expellit,& in minore quantitate,& ideò morbum extendit: corpus obeſum,denſæ cutis, à frigore obturatum,in regione aut loco frigidis conſtitutum, ad longiores acceſſiones iuuat. D

§. IV.

Rationes dubitandi ſoluuntur.

AD rationes,& authoritates primò propoſitas Reſpondetur: Quòd ſolùm ſuadent, quòd ratione cauſæ longior ſit Quotidiana quàm Tertiana notha, non autem quòd non poſſint in Tertiana notha ſuperaddi aliæ cauſæ, quæ illam longiorem reddant, fixioſéſve aliæ intemperies,à quibus diu poſſit prolongari.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm victus debeat eſſe craſſior pro Tertiana notha,quàm pro exquiſita?

§. I.

Pars ſuadetur negatiue.

QVod in Tertiana exquiſita victus debeat craſſior offerri,quàm in Tertiana notha, ſuadet 1. Quia maior copia, craſſiórque victus debet offerri in ea febre, in qua minus eſt de ſanguine requiſito ad nutritionem: ſed in Tertiana exquiſita minus eſt de ſanguine,quàm in Tertiana notha, in qua plus eſt de pituita,quæ cùm poſſit conuerti in ſanguinem, plus de ſanguine debet redundare:ergo victus minus craſſus debet offerri in Tertiana notha,quam in exquiſita. A

Secundò: Quando redundant plures cruditates, cibus minus craſſus debet offerri, vt cruditates faciliùs poſſint vinci à calore: ſed in Tertiana notha redundant plures cruditates, vt demonſtrant vomitus in principio acceſſionum ſuperuenientes: ergo in Tertiana notha debet cibus minùs craſſus offerri.

Tertiò: In Tertiana exquiſita conſulit Galenus, quòd cibus exhibeatur vnoquoque die: In tertiana notha docet Gal. *lib.1.ad Glauconem*, & Auicenna *fen.1.4.tr.1.c.40.* quòd exhibeatur tantùm alternis diebus:ergo in Tertiana notha tenuior victus, & in minori copia,quàm in exquiſita conuenit. B

§. II.

Hippocratis doctrinæ affinior proponitur doctrina.

RESoluendum: quòd in Tertiana notha debet exhiberi craſſior cibus,quàm in exquiſita.

Probatur tum ex Gal.1. *Epidem ſect.3. & in Aphoriſm.comm.7.* vbi victus formam docet eſſe præſcribendam penes ordinem ad ſtatum: ſed,vt conſtat,longior eſt ſtatus Tertianæ nothæ:ergo vt vires perdurent vſque ad ipſum,craſſior victus debet exhiberi.

C

§. III.

Soluuntur rationes in oppoſitum adductæ.

AD 1.Reſpondetur:Quòd,vt diximus *p.1. Reſol.vtionum Medicarum*, duplex eſt pituita naturalis: alia ſanguis ſemicoctus, quæ eſt apta conuerti in ſanguinem;alia eſt humor frigidus humidúſque, & hæc eſt, quæ nunquam valet conuerti in ſanguinem, quæ redundat,& ex qua fit Tertiana notha.

Ad 2. Reſpondetur:Quòd cùm cibi forma præſcribatur, vt æger poſſit cum illa ad ſtatum peruenire, & Tertiana notha ſit longior,ſemper ex ſe petit craſſiorem cibum:poterit autem contingere,quòd copia cruditatum aliquando impediat eius exhibitionem,non autē quòd ratione febris non ſit indicata talis cibi forma. D

Ad 3.Reſpondetur:Quòd cibamus vnoquoque die, & pluries in Tertiana notha, & licèt eſſet cibandum tertio tantùm die,victus deberet eſſe craſſus, & aptus vires conſeruare vſque ad ſtatum illius chronicæ febris.Galenus autem, & Auicenna conſulunt, non cibandum in hac febre,niſi tertio quoque die,non quin exigat craſſiorem victum; ſed quia ex Hippocrate, *in acceſſionibus abſtinere oportet:nam cibum dare nocuum eſt.* Et quia acceſſio extenditur per vnum diem,ideò in altero conſulunt eſſe cibandum. Nos autem ob vires conſeruandas cibamus quotidie;iudicantes melius eſſe vires conſeruare,quàm impedire aliqualem durationē, quæ poteſt timeri ob cibum vnoquoque die aſſumptū. E

SECTIO VI.

De Quotidiana.

QVOTIDIANAM febrem numquam vidi, de ea nunc agendum venit ſub hac ſectione, in qua, quid de illa ſentiant Auctores,proferam.

RESO

RESOLVTIO I.

Quid ſit febris quotidiana, quotuplex; illius cauſa, ſigna, & curatio proponuntur.

§. I.

Diagnoſis Quotidianæ aperitur.

FEbris Quotidiana amphemerina à Græcis dicta eſt, quæ ex pituita putreſcente generatur, & fit intermittens, dum extra vaſa putreſcit pituita; continua, dum putreſcit intra ipſa: fit quævis, aut exquiſita, aut non exquiſita, & quælibet variat iuxta diuerſitatem pituitæ, à qua pendet.

Fit Quotidiana proximè à putreſcente pituita, præcipuè dulci, mediatius ab eis cauſis, à quibus hæc generatur: ab intemperie frigida, & humida; in ætate puerili, ob vitæ intemperantiam, motum inordinatum, & excedentem humiditatem; in ſenili ætate ob frigidam contractam intemperiem: præſtat materiam vſus ciborum frigidorum, & humidorum, aquæ nimius potus, vita iners, aſſidua crapula, frigida coadiuuat regio, hybernum tempus. Signa hanc febrem demonſtrantia ſunt calor febrilis humiditati adiunctus, licèt tandiu admota manus acrimoniam perſentit, inæqualiſque percipitur calor, ex Galeno 2. *de differ. febr.* lotium ex eodem 2. *ad Glauconem* 7. & 2. *de Criſibus* 5. eſt aqueum, album, tenue, & crudum in principio: morbo procedente fit craſſum, turbidum, & tandem rubeum. Pulſus fit paruus, rarus, ex Galen. 1. *ad Glaucon.* 7. Si continua fiat, non diſſimilis apparet ab hectica; ſi intermittens in principio incipit ſine rigore, tractu temporis percipitur refrigeratio, & horror, difficulter accenditur, longum fit incrementum, licèt cùm pauca flamma, declinat ſine ſudore, aliquando cum pauco in ſubſequentibus temporibus. Hæc febris longiſſima eſt ratione cauſæ, periculoſa redditur ratione cachexiæ, lethargi, & aliorum affectuum, cum quibus ſolet coniungi.

§. II.

De Quotidianæ febris curatione.

EMpirici in hac febre curanda laborant maximè, quia cùm chronica ſit, & non poſſit celeriter à Dogmaticis curari, eorum opem implorant ægri, vt ab illa liberi euadant. Superſtitioſè aliqui his vtuntur, vt refert Hucherius *lib. de ſterilitate* 4. *cap. de amuletis*, carpis manuum admouent ſonchum, plantaginem, ſambucum aceto ſubactos: ſimiliter & fuliginem furni, & folia ſaluiæ contuſa, ac mixta cum oui albumine, etiam fuliginem cum aliis cepis, albumine, & germine oui, acetóque ſubactis. Alij amuletis vtuntur & periaptis, quæ occulta proprietate, aut vi iudicant prodeſſe. Adrianus Aminſicht hoc ſolutiuum pro hac febre adaptat: *folior. ſenæ elect.* ℥ ij. *ſemen feniculi acidi tartari ana* ℥. ß. *flor. viol. exſiccatar. rhabarb. elect. ana* ʒ j. ß. *Zingiberis alb. cinamomi ana* ʒ j. *Galangæ minor. caryophyllor. ana* ʒ ß. *Infundantur in aqua fumariæ calida per noctem coquantur parum, poſtea colentur.* ℞. *Colatura clara* ℥ x. *ſyrup. cichorij cum rhab. de ſucco violar. de ſucco acetoſæ, oxyſacchar. ſimpl. ana* ℥ j. *miſce, fiat potus, diluatur in æquales partes pro quatuor doſibus.* Idemque ſuperaddit plura ex ſuis febrifugiis pro hac curanda febre. Ægyptij, referente Alpino *lib. de medicina Ægyptiorum*, pro curandis Quotidianis vtuntur ante acceſſionem *chamædryos puluerizati drachmam cum iure pulli, vel illius decoctam cum ſacchar, vel decoctam flor. viol. bugloſſi, borraginis, roſarum communium ana* ʒ ij. *ſemin. maluæ fenugreci feniculi mei endiuiæ abdedaris, chate ana* ℥ iiij. *liquiritiæ paſſularum, pulpæ tamarindorum ana* ʒ j. *Zingiberis ſpica, carpobalſami, cannellæ, chamædryos. turbit. mirabol. chebul. ana* ʒ ij. *fol. ſenæ* ʒ xv. *agarici optimi* ʒ iij. *rhabar.* ʒ j. *omnia minutim inciſa infundantur in libra* 1. *aquæ endiuiæ, parum bulliant, valide exprimantur, expreſſioni addendum oxymellitis ſympl.* ℥ iij. *diuidantur in tres partes pro tribus doſibus.*

Methodici hanc febrem inter morbos Adſtrictionis ponunt, iudicant indicari ab illa, quòd ſit laxandum, ad quod prius vtuntur ſyrupis diſponentibus, vnde euacuationem intendunt alterius cuiuſuis pituitæ à dulci, quam coctione in ſanguinem verti, & ſic morbum curari iudicant, maximè contendunt exterminandas primæ coctionis ſupermanentes cruditates vomitoriis, aut clyſteribus, ex Gal. Tralliano, & Aëtio, commendant decoctum Chamædryos ex Dioſcoride, vinum meliites exhibent, theriacam, Mitridatum, auream Alexandrinam, pluraque alia calida exhibent cum vino in principio acceſſionum: os ventriculi calidis Inunctionibus continuò fouent, ſimulque hypochondria.

Paracelſus ſuo febrifugio vtitur pro his febribus, & *lib. de morbis tartari*, febres diſtinguit tum è materia, quia hæc vel eſt ſal, ſulphur, aut Mercurius: tum à parte in qua, quia vel in renibus, vel in iecore, vel in ventriculo remanet. Et ita quæ præcipuè in ventriculo fiunt, curari dicit purgatione per vomitum; non per ventrem: & purgationem febrium ſolum per centauram docet fieri: Piluláſque præſcribit, quæ per vomitum, & per ventrem purgant háſque febres ſoluunt ℞. *laudani* ʒ ß. *rutha abſynthij ana* ʒ j. *theriacæ optimæ quantum ſufficit pro incorporatione: doſis grana quinque.*

Vanhelmont Imaginarius imaginatur hanc febrem ſicut reliquas conſiſtere in Archæi deprauatione, & ſolo ſuo febrifugio ſudorifico poſſe curari. Dogmatici in victu præſcribendo, aliiſque exercendis remediis magnis, præparatoriiſque præſcribendis, eaſdem proſequuntur indicationes, quas in febre Tertiana notha curanda propoſuimus, præparantia humores, aperientia adſtrictiones. Maiorem vim habentia pro hac curanda febre ſeliguntur; ventriculi roboratio, à quo maximè fouetur, præcipuè intenditur. Dum apparet pituita ſanguini commixta, ſanguinis miſſio celebratur. Signis coctionis plurimùm manifeſtis, ſelectiua perficitur purgatio: ſemper ferè in principio vtilis erit lenitiua. *Si autem febris porrigitur vltra quadraginta dies*, ex Methodicis, Empiricis, & antiquioribus deſumunt Zacutus, & Riuerius vſum decoct. chamæmeli ſic: *Chamæmeli p.* iij. *comarum abſynthij pontici p.* ij. *coque in libris aquæ ad mediæ partis conſumptionem. Colaturæ adde ſacchari albi* ℥ iiij. *doſis vnoquoque mane vncias quinque.*

§. III.

Quid obſeruatum pro hac febre curanda à Moderniorıbus.

ZAcutus tomo 2. libro 4. capit. 25. Inquit *In febribus longis quotidianis & aliis magis productis, quæ cum typo infeſtant, neceſſaria eſſe auxilia, quæ obſtructiones aperiant, vrinam prouocent, ventriculum & viſcera roborent, flatus diſcutiant, ſudorem moueant, vnanimi Medicorum decreto ſancitum eſt.*

Idem

Idem l. 3. *de praxi Medic. admirab. obſeruat.* 30. cui ſubſcribit Riuerius *in ſua praxi* pro curatione huius febris, inquit: *Timent Medici in febribus diurnis, aliiſque ex craſſiori bile ſoboritis decoctum ebeni ſimilaci aſperæ chynæ propinare, quod in iis productis morbis pro admirabili auxilio conſuluêre, qui de Indicis aromatis peculiares libellos conſcribunt. Ego poſtquam biennio cum Quotidiana luctatus, plura pro roborando ſtomacho, muccoſa pituita vacuanda, celebrans decoctum chinæ & ebeni, 24. dierum ſpatio exhibui. hoc antidoto præter omnium ſpem æger conualuit: horum enim decoctum omnes complet intentiones, quæ in vacuatione humoris crudi petuntur.*

Reſolutio II.

Vtrùm detur febris Amphimerina?

§. I.

Ex Platero refertur & fulcitur pars negatiua.

PLaterus *Tomo* 2. *tractatu de febribus*, tenuit Quotidianam febrem non dari: cui fauet, Tum 1. quia plures ex Doctoribus Medicis eam non vidiſſe fatentur. Tum 2. quia febris intermittens quotidie repetens, vel eſt Tertiana duplex orta ex bile; vel Quartana triplex orta ex melancholia, vt quotidie experiuntur Medici. Tum 3. quia pituita ob nimiam frigiditatem omnino reſiſtit putredini, quæ ſemper prouenit à calore excedente. Tum 4. quia pituita, dum caleſit, concoquitur, & vertitur in ſanguinem antequàm putreſcat: ergo non eſt poſſibilis aliqua febris Quotidiana, quæ oriatur ex pituita.

§. II.

Communis præfertur opinio.

REſoluendum: quòd licèt raro accidit febris Amphimerina: eſt tamen poſſibilis. Eam admittunt Galenus, Auicenna & omnes reliqui Dogmatici.

Probatur; Tum quia ſic refert communis Dogmaticorum aſſenſus. Sic docuit. Gal. *lib. 2. ad Glauconem, & lib. de diff. febrium capite* 7. Et eam experiuntur ægri, cognoſcúntque Medici in frigidis regionibus, vbi eam videri contingit maximè. Tum quia pituita eſt humor aptus putrefieri, ſicut reliqui, & conſequènter aptus, vt ratione putredinis propria ab illa hæc oriatur febris. Tum quia ex bile, & pituita commixtis & putrefactis fatentur omnes fieri febrem putridam: poterit ergo ex ſola pituita putreſcente fieri febris putrida, quam nos Amphimerinam, ſeu Quotidianam vocamus.

§. III.

Soluuntur primæ opinionis fundamenta.

AD fundamenta adducta pro Plateri opinione Reſpondetur, tum primò; quòd Medici non negant Quotidianam dari, ſed eam rarò apparere fatentur. Tum 2. quòd Quotidiana, Tertiana duplex, & Quartana triplex valent vnoquoque die efficere acceſſionem; differunt tamen in modo acceſſionum, & accidentium, & ideò Galenus docuit non diſtinguendas eſſe febres penes dies ſolas acceſſionum. Tum 3. quòd, vt diximus *part.* 1. *reſolut.* *Medicar.* duplex eſt pituita naturalis: alia ſemicoctus ſanguis, quæ in illum valet mutari; alia quæ in illum nunquam mutatur, præterquam quòd licèt poſſet a naturali calore vi iecoris in ſanguinem conuerti; non tamen à calore corruptiuo, & putreſcente.

Reſolutio III.

Vtrùm detur Quotidiana intermittens?

§. I.

Proponitur dubitandi ratio.

CAtreiro & Maſſaria referentibus, aliqui in ea fuerunt opinione, vt nulla intermittens poſſit reperiri Quotidiana, ſed ſemper eam eſſe continuam in quibus fuerit,

Primò; vt febris non ſit continua, ſed intermittens, debet peruenire ad infebricitationem: ſed nulla Quotidiana poteſt ad infebricitationem peruenire, cùm pendeat ab humore craſſo, & frigido, & qui non poteſt reſolui intra viginti quatuor horas, intra quas noua ſuperuenit acceſſio: ergo nunquam poteſt eſſe febris intermittens.

§. II.

Communior præfertur ſententia.

REſoluendum; quòd, licèt paucæ, ſunt aliquæ febres Quotidianæ, quæ poſſunt ad infebricitationem peruenire.

Probatur 1. ex Gal. *libro* 1. *ad Glauconem cap.* 7. §. *non tamen harum febrium declinationes quemadmodum Tertianarum, & Quartanarum ſudoribus terminantur: quare nec ad integram quietem manifeſtè, exceptis paucis, perueniunt, &c.*

Probatur 2. poteſt Quotidiana aliquando pendere ex moderata quantitate pituitæ, rarioréque illius portione: cùm non ſemper cauſa, ex qua fit pituita, & à qua fit, ſit omninò ſimilis: ergo fiet tunc breuioris durationis, quàm reliquæ, quæ quia pendent ex maiori portione, perueniunt ad vigeſimam quartam horam.

Probatur 3. in reliquis febribus intermittentibus, licèt in Tertiana exquiſita aliquæ perueniant, vt docuit Hippocrates, vſque ad duodecimam horam in vnaquaque acceſſione; in aliis conſtat vltra ſex horas non extendi. Similiter in Quartana, cui ratione terreſtreitatis melancholiæ debetur extenſa duratio, contingit tamen in aliquibus, acceſſiones quàm breuiſſimas eſſe: ergo ſimiliter, licet in Quotidiana debeatur plerumque vnicuique acceſſioni duratio extenſa, poteſt aliquando hæc breuis fieri, vt poſſit peruenire ad infebricitationem.

§. III.

Soluitur dubitandi fundamentum.

AD primum reſpondetur; quòd licèt pituita ſit humor craſſus, & frigidus, & à quo plerumque extenduntur vſque ad vigeſimam quartam horam acceſſionis; poteſt, licèt rarò, contingere, quòd pendeat à minore portione, à qua tam diu foueri non poteſt acceſſio;

A

RESOLVTIO IV.

Vtrùm Quotidiana poſſit oriri à pituita naturali?

§. I.

Status difficultatis proponitur; Pereira opinio adducitur.

Fatentur omnes Dogmatici plures eſſe ſpecies pituitæ præternaturalis, quas ex modo ſubſtantiæ, & ſaporibus, aliiſve accidentibus diſtinguunt; admittunt ſimiliter dari pituitam naturalem, quæ ſimul cum ſanguine generatur à iecore pro partium nutricatu. Et nos B vlteriùs admittimus *p. 1. Reſol. Medic.* duplicem eſſe. De pituita naturali, an poſſit putredine alterari, & Quotidianam cauſare adducimus in examen. Gomeſius Pereira *lib. de noua, & veteri Medicina, c. 2.* contendit defendere hoc eſſe impoſſibile.

Primò, quia ſi Quotidiana fieret ex pituita naturali, cùm hæc ſit craſſa & frigida, Quotidiana pendens ex illa eſſet longior quàm Tertiana notha pendens partim ex bile: cuius contrarium cum contingat, manifeſtè demonſtrat, quòd ſit Quotidiana ex alia ſpecie pituitæ præternaturalis, quæ ſit tenuior.

Secundò: Nec fieri poteſt ex pituita naturali, quæ eſt ſanguis ſemicoctus; quia per alterationem conuerteretur in ſanguinem, & nunquam poſſet Quotidiana febris ex illo cauſari. C

Tertiò: Nec ſimiliter poteſt fieri ex pituita in nutritionem partium aquearum ordinata: quia hæc eſt ſanguini commixta, & in nutritionem ſicut ipſe ſanguis ordinata: ergo ex ſola pituita præternaturali debet fieri febris Quotidiana.

§. II.

Communior præfertur opinio.

Reſoluendum, quòd etiam naturalis pituita poteſt adquirere diſpoſitionem præternaturalem, qua putreſcat, & cauſet Quotidianam febrem. Sic colligitur ex Gal. Tralliano, Aëtio, & reliquis Dogmaticis, qui ex pituita hanc febrem cauſari indifferenter docent. D

Probatur: ſanguis, bilis, & melancholia naturalis putreſcunt, & cauſant febres Synochos, Tertianas, & Quartanas, vt ex dictis patet: ergo naturalis pituita putreſcere poteſt, & febrem Quotidianam efficere.

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

Ad primam reſpondetur, quòd antecedenter, agentes de Tertiana notha, manet dictū quid ſentiendum de duratione Tertianæ nothæ. Et argumentum potiùs conuinceret, quòd non debet fieri Quotidiana ex pituita præternaturali et aſſiori quàm eſt naturalis, & E quæ ratione ſui modi ſubſtantiæ maiorem valeret cauſare durationem, qualis eſt pituita gypſea, & aliæ ſimiles.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd, vt diximus, licèt pituita ſit ſanguis ſemicoctus, poteſt putreſieri, ſicut & ipſe ſanguis: nec à quolibet calore fit ſanguis ex pituita, ſed à iecoris calore, & intra ſphæram ſuæ actiuitatis; non verò à calore præternaturali, à quo ſit febris.

Ad tertiam reſpondetur, quòd naturalis pituita, ſicut reliqui naturales humores poſſunt putreſieri à præternaturali calore alterati, vel ratione imperfecti alicuius ſubſtantiæ modi.

RESOLVTIO V.

Vtrùm Quotidiana incipiat cum rigore?

§. I.

Pars affirmatiua fulcitur Galeni auctoritate.

Cum frigore, horripilatione, aut rigore incipiunt febres intermittentes. An quotidianæ accidat, quòd cum rigore inuadat, manet ſub dubio. Pars affirmatiua iis fulciri videtur.

Primò ex Galeno, tum 2. *lib. 2. de Criſibus c. 5. §. Vbi Quotidianam à Tertiana diſcernere facilius eſt, neque enim primo ſtatim die cum rigore inuadit, ſed ex progreſſu temporis, perfrigeratio potius, quam rigor ipſi aduenit.* Tum ad *Glauc. c. 6.* inquit: *ſi vero cum pauco rigore incipit, tum magis, & alius nobis eſt adhibenda mens, quoniam non quotidiana ſolum, ſed & ſemitertiana, & alia quadam ex continuis eſſe poteſt*: ergo cum rigore incipere accidit quotidianæ.

Secundò: Incipere cum rigore, horrore aut horripilatione accidit febribus intermittentibus: ſed quotidiana eſt intermittens: ergo ei poteſt accidere incipere cum rigore.

Tertiò: Dum pituita putreſcit cauſat fuligines, quæ ſunt calidæ & ſiccæ: ſed ratione ſiccitatis & calidıtatis in aliis febribus contingit rigor: ergo ſimiliter poteſt accidere in inuaſione febris quotidianæ intermittentis.

§. II.

Noſtram patefacimus opinionem.

Reſoluendum, quòd frigore, aut horripilatione incipere accidit Quotidianæ intermittenti, non autem rigore proprio. Patet ex locis à Galeno adductis in prima probatione primæ ſententiæ. Ex Rhaſi 17. *continentis.*

Dices, Galenum *lib. de tremore* aſſerere rigorem poſſe cauſari non ſolùm ex bile, ſed etiam ex vitrea pituita, & ideò in Quotidiana ex hac pituita orta ex Galeno potius conſtare, quod incipit cum rigore.

Reſpondetur, quòd aliis in locis ſimiliter idem aſſeruit Galenus ſed nomine *rigoris* potius intelligit horripilationem, abutitur enim vocabulo. Hæc enim febris, de qua Auicenna inquit, quòd incipit in ea frigus ſubitò, imò paulatim in extremitatibus, quæ deinde perueniunt ad hoc, quòd fiant ſicut nix, non poteſt dari rigor, qui ab acrimonia, & mordacitate humoris calidi, & ſicci prouenit.

Probatur 2. concluſio ex Auicenna, qui de hac febre dicit: Et hæc quidem febris non eſt ex materia, quæ facit punctionem, ita vt ſit cauſa rigoris in via expulſionis: putredo enim eius eſt putredo rei lenis: ergo quotidianæ non accidit verus rigor.

Probatur 3. ex Gal. *lib. de tremore c. 6.* vbi ad tremorem duo requirit, cauſæ mordacitatem, & vehementem motum: inquit enim: *Conuenit non modo cauſam in nobis eſſe mordacem; ſed etiam vehementer agitatam, ſi factura eſt rigorem.* Sed à pituita nec mordacitas prouenit, quæ calore & ſiccitate cauſatur; nec motus vehemens eſſe poteſt eùm ſit humor craſſus & lentus: ergo verus rigor nunquam Quotidianæ accidit.

§. III.

Soluuntur rationes primò adducta.

Ad 1. Reſpondetur, quòd Gal. cum rigore Quotidianam aliquando videtur fateri: quia rigorem aliquando

A aliquando ſumit pro quocumque manifeſto extrauaſationis ſigno, ſiue ſit rigor, ſiue horror, frigus, & ideò abutitur termino improprio.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd febribus intermittentibus accidit incipere cum rigore, aut horrore, aut frigore; non collectiuè, ſed diuiſiuè iuxta naturam cauſæ à qua febris pendet.

Ad tertium reſpondetur, quòd frigus, rigor, aut horripilatio non fiunt propter fuligines, ſed propter humores per partes ſentientes delatos; ſi verò aliquando ex putrefactione eleuantur fuligines, quæ delatæ in partes aliquem ſenſum commouent, tunc non propriè fit rigor, ſed apparens quidam ſenſus rigoris: non enim datur vera rigoris cauſa, quæ ex Galeno citato debet eſſe acris humor, vehementer motus; non B autem leuis fumus, ſeu fuligo eleuata.

Resolvtio VI.

Vtrùm Quotidiana nocturna ſit periculoſior quàm diurna?

§. I.

Dubitandi proponitur ratio.

VIdetur, quòd Quotidiana nocturna ſit periculoſior: Primò quia periculoſior eſt, quæ à maiori cauſa pendet: ſed quæ nocturna eſt Quotidiana, pen-
C det à maiori copia pituitæ, quantò enim maior eſt copia frigidæ cauſæ, à qua febris fit, tantò magis accedit acceſſiu ad noctem: ergo, quæ nocturna eſt, periculoſior eſt.

Secundò: Febris, quæ maiora incommoda ſecum fert, ſit periculoſior: ſed febris nocturna cùm ſomnum euertat in hora conſueta & in qua deberent vires refici, maiora adducit incommoda, quàm diurna: ergo eſt magis periculoſa.

Tertiò: Tertiana febris, quæ nocturna ſuperuenit, moleſtior, ac minùs ſecura iudicatur quia noctis quietem interturbat: ergo ſimili modo dicendum de Quotidiana.

§. II.

Communior ex Hippocrate tenetur doctrina.

REſoluendum, quòd Quotidiana diurna periculoſior ſit, quàm nocturna. Probatur, Tum ex Hippocrate *lib. 1. Epidemion ſect. 3. text. 6. §. Nocturna non admodum lethalis, longa tamen eſt, diurna longior: ſunt quibus ad tabem vergat.* Iamque ei aſſentitur Galenus *in commentario:* Tum quia ſubſcribit Auicenna *fen. 1. 4. tract. 2. c. 2 5. 5 diurna eſt, cuius paroxyſmus accidit in die, & eius tepor in nocte; & nocturna eſt è conuerſo, & vtraque ſunt malæ, ſed diurna eſt longior, & deterior, & facit cadere multoties propter longitudinem ſuam, & ſuum euentum in calore dies in hecticam.* Tum quia diurna frigus, & initium habet in die, durationem febris
E per totam noctem: & ideò prupoſita incommoda habet magis, quàm nocturna. Tum quia cùm pituitæ debeatur putrefactio in nocte, quæ incipit in die, arguit maiorem cauſæ copiam, ratione cuius citius irritat ad expulſionem, & ideo ſit periculoſior. Tum quia, vt inquit Hippocrates, diurna quia longior in tabem ægros deducit: ergo periculoſior eſt nocturna.

§. III.

Soluuntur fundamenta primò adducta.

AD primum reſpondetur, quòd Quotidiana diurna ſit à maiori copia pituitæ, quæ ideò licèt noctu deberet ſuperuenire, ratione maioris quantitatis irritat ante noctem, & ideo ſit longior, & periculoſior redditur.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd maiora incommoda fert febris, quæ diu, & noctu affligit, quam quæ in ſola nocte affligit; & cùm hæc febris, licèt incipiat in die, in nocte perdurat, & cùm maiori tunc intenſione affligit: ideò & maiora incommoda ſecum
B fert.

Ad tertium reſpondetur, quòd Tertiana eſt breuis durationis; & ſi diu ſuperuenit, æger quietus maiori ex parte in nocte permanet, quia declinat febris; Quotidiana verò, quæ longior eſt; etiamſi incipiat in die, durat per totam noctem, & in illa augmentum, & vigorem habet, & ideo vires magis debilitat, & periculoſior fit.

Resolvtio VII.

Vtrùm Febris Latica differat à continua Quotidiana?

C

§. I.

Mercati opinio proponitur.

MErcatus *libro de febribus*, Quotidianam febrem diuidit in Intermittentem, & Continuam: rurſus continuam quotidianam partitur in eam, quæ continuò affligit, hoc eo quòd incipiat acceſſio cum aliqua annotatione, horrore, aut horripilatione, & in eam, quæ licèt ſit continua, aliquam licèt paruam horripilationem, paruúmque ſenſibile incrementum ad illam ſubſequutum habet. Et Laticam febrem ſub nulla ex his conſtitui ab Auicenna indicat, licèt ipſam ponat ſub Quotidiana; & ideò diuerſam indicat conſtruere ſpeciem: cui fauet

D Primò quia Auicenna proprium caput facit pro huius febris dignotione: ergo quia eſt ſpecie diuerſa ab aliis Quotidianis.

Secundò: Laticam febrem reducit Auicenna ad hecticam; reliquæ Quotidianæ non ſunt illi ſimiles: ergo Latica differt ab aliis Quotidianis.

Tertiò: quia Auicenna adducens ſigna febris Laticæ, dicit, quòd ſunt ſicut reliqua ſigna febris phlegmaticæ: ergo ipſa diuerſa eſt ab aliis febribus phlegmaticis.

§. II.

Pars tenenda proponitur.

E REſoluendum, quòd Latica febris eſt Quotidiana continua.

Probatur 1. ex Auicenna *fen. 1. 4. tract. 2.* vbi *in c. 46.* agit de febre phlegmatica in communi, & prout abſtrahit à continua, & intermittente. In *c. 47.* proponit ſigna Quotidianæ intermittentis. In *cap. 48.* proponit ſigna phlegmaticæ febris continuæ, ſeu Laticæ: ergo Latica à continua Quotidiana non differt.

Probatur ſecundò, quia tradens ſigna Laticæ, dicit, quòd ſunt ſicut ſigna phlegmaticæ continuæ, ſcilicet de quibus *antecedente cap.* egerat, præter inceptionem cum rigore, & frigore: ſed hæc ſunt ſigna

Quotidianæ continuæ : ergo Latica eadem eſt cum continua Quotidiana.

Probatur 3. Latica eſt febris quotidiana, cùm ponatur inter eas, quæ oriuntur a phlegmatica ; & eſt continua, cùm illius ſigna proponantur poſt ſigna intermittentis : ergo eſt quotidiana continua.

§. III.

Soluuntur primò adducta rationes.

AD 1. Reſpondetur, quòd cùm Auicenna poſt ſigna Quotidianæ intermittentis agat de ſignis Laticæ, & in nullo alio agat de ſignis continuæ ; manifeſtè conſtat, quòd Laticam ſumit pro continua Quotidiana.

Ad 2. Reſpondetur, quòd Auicenna dicit quòd Latica eſt magis ſimilis hecticæ, quàm Quotidiana intermittens : quia vel non incipit cum rigore, frigore, aut horripilatione ſicut intermittens Quotidiana; vel ſi aliquam habeat horripilationem, hæc eſt parua, & incrementum ſubſequutum eſt minus ſenſibile, & magis ſimile incremento, quod habet hectica poſt cibi aſſumptionem, in quo illi etiam poteſt aſſimilari.

Ad tertium reſpondetur, quòd Auicenna non dicit quòd ſigna laticæ ſunt ſicut ſigna Quotidianæ continuæ, ſed ſicut ſigna Quotidianæ intermittentis, de quibus antecedenter egerat : & ideò ſuperaddit præter C inceptionem cum rigore.

SECTIO VII.

De Quartana.

SIcut ex reliquis humoribus putredine affectis diuerſæ ſuperueniunt febres putridæ, ſiue humorales in corpore humano, ſimiliter ex putreſcente melancholia fit Quartana, quæ febris eſt putrida: de qua ſub hac Sectione nobis agendum venit.

Resolutio I.

De Diagnoſi, prognoſi, & curatione Quartanæ.

§. I.

Omnia quæ ad diagnoſim, prognoſimve Quartanæ pertinent, explicantur.

QVartana morbus eſt communis, in omni ſæculo cognitus, ab omni Medicorum Secta animaduerſus : illius dignotionem ſupponunt Empirici. Methodici ipſam ſub morbis in Adſtrictione collocant. Paracelſus inter morbos Tartari ipſam reponit. Van Helmont reponit inter morbos imaginationem deturpantes. Dogmatici inter morbos humorales, apud quos Quartana eſt febris humoralis orta ex melancholia putredinem patiente, de quarto in quartum repetens : & eſt duplex ; alia ex naturali melancholia iam putreſcente genita, alia ex melancholia, quæ atra bilis nominatur, proueniens : hæc illegitima ; legitima illa vocatur : vtraque vel eſt continua, vel intermittens ; & quælibet vel eſt ſimplex, vel duplex, vel triplex. Fit proximè vnaquæque ex melancholia, remotè ex cauſis va-

A lentibus illam producere. Naturalis ex parte materiæ pendet ab elementis craſſioris, ac terreſtrioris ſubſtantiæ frigidæ, ac ſiccæ ; ex parte efficientis a temperamento frigido, & ſicco; & plerumque fouetur ab imbecilli liene, ſic ab adurente calore fit, quæ ab atra bile prouenit.

Diagnoſis deſumitur ex ſignis has cauſas demonſtrantibus ; ex forma paroxyſmi, quia incipit Quartana cum oſcitatione, pandiculatione, corporis grauitate, frigore, & horrore, rigoréve oſſa conſtringente: calor intenditur paulatim, lotium eſt in principio album, tenue, & aquoſum, tractu tingitur temporis, & fit craſſius. Pulſus tardior fit, ac rarior quàm in aliis febribus. Si illegitima eſt Quartana, vehementiora B hæc contingunt, & hæc ab illa differt, quia illa a ſe; hæc poſt alias incipit febres, quibus ſubſequitur : Vtramque ſimplicem, duplicem, aut triplicem, demonſtrant illarum periodi.

In prognoſi Hippoc. 5. *Aphoriſm.* 10. Si Epilepſiæ Quartana ſuperueniat, eam ſoluit ; ſi autem ſuperueniat illi dyſenteria, fit ſalutaris, ex eodem 5. *Aphoriſm.* 48. niſi hæc diuturna fiat, fit enim lethalis, ſicut quæ ab intermittente in continuam abiit, & ea cui hæmorrhagia ſuperuenit, aut ſupra ſexageſimum ætatis annum ſuperueniens. Quæ legitima, longior eſt ſpuria, & pleriſque tuta, dum viſcera non compatiuntur ſimul. Spuria ſecurior fit minus hac de cauſa, licèt quòd breuior ſine illa eſſe ei ac- C cidat.

§. II.

Curatio Quartanæ in omni Secta præſcribitur.

EMpirici ſtatim à principio validis medicamentis Quartanam oppugnare contendunt ; tentant primò vitriolo, antimonium exhibendo ad g. x. in die acceſſionis, vel electuar. policreſtom ad ℈j. in tribus acceſſionibus. Purgant multoties electuario lætificante, exhibendo ℥iij. ſingulis, vel alternis diebus vſque ad dies decem, ventriculum nocte inun- D gunt, & renes balſamica. Alij exhibent aquæ vulnerariæ ʒj. per quindecim dies, electuarium conficiunt ex quo mane, & veſpere vtuntur pro doſi ʒij. quod fit tale: ℞. radicum enulæ lib. 1. abluantur, minutim concidantur, bulliant in decem libris aquæ, addita lib. j. mellis, cinnamomi ℥j. ferueant ad tertiæ partis conſumptionem, colaturæ adde aquæ vitæ ter deſtillatæ ℥iiij. ſeruentur in vaſe.

Adrianus Amynſicht exhibet tincturam Martis, tincturam proprietatis, tincturam Hyperici; vtitur pilulis alæphanginis ex propria deſcriptione ; vtitur rotulis diacymini, ſale ſplenetico, ſale febrile, ac radice caryophyllatæ; exhibetur ad ʒj. Archigenes vetomen iudaicum. Villanouanus rapſi barbari radicem. Hollerius ranatum viridium decoctum. Conſtantinus Africanus vtitur pro linimento vnguento E Marciaton.

Methodici, qui Quartanam ſub Aſtrictione collocant, laxantibus vtendum eſſe contendunt : vtuntur ventris laxatoriis, ventriculi vomitoriis, & plerumque ſanguinis miſſione. Ex Dioſcoride deſumunt radices plantaginis cum vino potas pro diſcuſſoriis vtendas, cimices lectulorum quatuor, aut ſeptem clauſos fabarum cauitatibus, ac deuoratos, Quartanam curare credidit Trallianus. Alij conſulunt ante acceſſionem ingredi balneum. Ægyptij Methodicis ſubſcribentes pro magno auxilio habent clyſterium exhibere ex

decocto

decocto maioranæ lib.j. olei Lauini ℥iij, quod vt in ſe ex aliis expertum laudat Alpinus.

Paracelſus *libro de morb. Tartari*, agit de febrium curatione, non prout pendent ab humoribus, & ideò Quartanam non admittit; ſed prout in ventriculo, iecore, aut renibus fiunt ex Sale, Sulphure, & Mercurio. Vtitur pro iis auferendis purgatione, quam ex ſuis arcanis contendit exercere: præcipuè centauræ ſale, helleboro, aut præcipitato vtitur.

Van Helmont *tractatu de febribus*, condemnat *in cap. proprio. de Quartana.* omne aliud auxilium pro ipſa curanda præter ſuum Febrifugium, irridet omnem aliam curationem, Dogmaticorúmque auxilia ſpernit.

Dogmatici Quartanam legitimam ab ſpuriis diſtinguunt, diuerſas ab vniuſcuiuſque cauſa indicationes ſumentes. Pro legitima curanda ex Galeno *1. ad Glaucon. capit.11.* ab initio benignioribus vtuntur medicamentis, ne fortiorum vſu ex ſimplici duplex, & duplici triplex aut continua fiat. Pro hac, quia cauſa humor eſt frigidus, & ſiccus, craſſus & terreſtris, medicamenta humectantia, & calefacientia, & attenuantia exhibent. Pro victu exhibetur cibus optimus, & boni ſucci, facilis coctionis, tenuis ſubſtantiæ, calefaciens, ac humectans mediocriter. Præſcribuntur oua recentia, piſces ſaxatiles, carnes iuniorum animalium: borago, bugloſſum, capares, pimpinella, ſpinacia, rapæ in aqua coctæ poſtea in iuſculo pingui, paſſulæ, ficus pingues, amygdalæ commendantur etiam. Pro potu vtile vinum album, defæcatum, mediocre, aut aqua corticum tamariſci, aut foliorum agrimonij, cinnamomi. In primo morbi ingreſſu intenditur primæ regionis euacuari cruditates, quæ ferè ſemper in hac febre ſuperabundant, quod vel clyſteribus, vel leuibus ſolutiuis ventrem lenientibus perficitur. Pro ſanguine mittendo aliqui ſpectant coctionem, alij potius ad plethoram humorum attendunt: ſed magis pro arte operantur, qui iuxta indicationes à nobis *diſp. de ſanguinis miſſione*, ſanguinis mittendi indicationes deſumunt. Galenus, ſi ſanguis niger appareat, audaciùs ſanguinem mittit: ex Moderníoribus concedunt aliqui ſanguinem mittendum die acceſſionis ſex horis ante ipſam. Alij, quòd fiat in plenilunio; ſed quando indicata, in die maioris quietis ſecuriùs fit; in quibus lien, ventriſve regio indicia præſtant melancholiæ, in eis ſuperabundantibus à partibus infernis ſecuriùs fiet.

Sanguine iam miſſo, & interim dum mittitur, ſyrupos humores melancholicos præparantes exhibere, ſicut & in aliis febribus, & ſolutiua illius pharmaca concedunt plures, & exhibent poſtea, apozemata, & ſic præparando humores, & paulatim euacuando conſumunt plures dies. Sed fere ſemper Galeni præcepto inſiſtendum, quòd nec nimis interturbetur melancholia, nec intendamus in eius euacuatione: humor eſt craſſus, qui tarde coquitur, difficilè cedit ſoluenti pharmaco, quia à ſanguinis commixtione tardiùs ſeparatur, vt fiat cacochymus, & valeat indicare purgationem; ideóque melancholia à pharmaco ante coctionem agitata, accidit, quòd Quartana ex ſimplici fiat duplex, triplex; & ex duplici, aut triplici, continua.

Pro hac febre extirminanda cùm longiſſima ſit, & quæ Dogmaticorum illudit arti, vt fatur delirus Van Helmont, varias eligunt medicamentorum ſortes adhuc & ipſi Dogmatici, tum ad euacuandum, tum ad lienem repurgandum, ventriculum roborandum, cor corroborandum, & iis relictis, pertranſeunt aliqui ad amuleta, quorum Riuerius meminit. Rondeletius carpis manuum ſuſcipit admouere foliorum ſambuci, ſaluiæ, pedis columbini, rutæ, ana. M. ß. calchæ tertiam partem m.j. ſalis, & & vini parum, omnia ſimul trita admoueantur carpis manuum. Crato apponit radices vrticæ contuſas, & cum aceto maceratas brachiorum, & pedum venis. Alij aliis etiam vtuntur empiricis remediis, vt deduci poteſt ex Schenkij obſeruationibus. Scaliger *exercitat. 55.* ex medulla cardui fullonum oriri vermiculum, quod Quartanæ eſt remedium, B deducit ex Dioſcuride. Alij pro ſecreto habent olei vitrioli guttulas ſeptem exhibere cum ℥j. ſyrupi cichorij, & ℥ij.ß. aquæ abſynth. Kornmanus ſal de oſſibus humanis exhibet. Piſo *lib. de febre Quartana*, cor leporis panno byſſino inuolutum, & collo ſuſpenſum indicat remouere acceſſionem. Tres guttas olei vitrioli in aqua marrubij Vvolpius auferre Quartanam expertus eſt. Araneorum telas plures iudicant conducere ad Quartanæ curationem. Benedictus Victorius *capite vndecima Empirica*, hunc præbet potum, *Vini granatorum, vel ſucci eorum ℥j.* poſt potum immediatè pulſibus in nuum, & temporum hanc appone mixturam: *Vnguenti populeonis ℥j. tela araneorum ʒj. miſce. fiant pilulæ ad quantita-* C *tem ℈j. v aquaque cuilibet pulſui alligetur.* Fernelius *in auditis ex Tornamira*, araneum commendat in loculo ligatum, & appenſum. Idem ex Montuo confirmat, & ex Paracelſo Ioannes Mantanus pilulas ex telis araneorum, & vnguento populeo ante acceſſionem alligatas pulſibus commendat etiam, idem Fumanellus commendat, & confirmat, ac Petrus Vairus, Hieronymus Montuus ex vrticæ, Angelicæ, ſemperuiui, & ſolatrij ana m.j. telæ araneæ, albæ ſatinæ ordei ana ʒj. cum ſale, & aceto perficit compoſitum pulſibus apponendum: ſic & alij in ſimilibus proponendis medicamentis luxuriant.

Quartana verò ſpuria cùm ex Melancholia fiat ſpuria, & quæ vſtione fit ex bile, potius petit ſanguinis miſſionem, & præparantia, quæ licèt ali- D quam attenuandi vim habeant, ſint tamen commixta iis, quæ vim obtinent refrigerandi. Siſtit Riuerius pro hac curanda febre maximè in præſcribendis vomitoriis, Quæ pro legitima Quartana conducunt remedia, huic pleraque ſolent adaptari; ſemper tamen natura humoris attendenda. quæ licèt ad melancholiam referatur, temperie ab illa diſſimilis eſt.

§. III.

Proponuntur aliquorum obſeruationes pro Quartana.

EX Vviero Quartanæ longitudo confirmatur: *Quartana*, inquit, *exquiſita cenſeri non debet, quæ in annos duos excurrit, nec quam vidi annis nouem perdurare.* Vvierus *libro obſeruat.* inquit: *Enim vero quendam agricolam nomine Henricum ad Rhenum Quartana triginta tribus laboraſſe annis.* Saluatellæ ſiniſtræ manus ſectionem pro quartanæ curatione commendat Schenkius, & illius vſum diuerſorum firmat euentibus. Cardanus *libro artis parua*, inquit: *In Quartana ſanguinem ex vena ſiniſtra manus hora coitus Lunæ mittimus,*

A *finiumſque fluere, donec ſponte deſinat : hoc enim generale præceptum eſt in omnibus anguſtiis venis.* Nicolus ait : *Debet iſta phlebotomia eſſe parua, & facta de ſaluatella manus ſiniſtræ, aut de ambabus, vel de ſaphena.* Hieronymus Montuus dicit : *Petenda ratio eſt cur ſaluatellæ ſiniſtræ manus venæ ſectio in hora paroxyſmi facta multos à Quartana liberauit? cuius euentus teſtes ſunt Doctores Galeatius, & Valeſius,* &c. Amatus Luſitanus *in ſcholio ad curatiſn. 49. cent.* pro vſitata hanc firmat ſententiam dicens : *In ſecunda vena inter digitum minimum, & annularem, ſequuti ſumus priſcos omnes Medicos, velut omnes ætate noſtra ſuperiores.*

Potiùs ex ſaphenis venæ ſectionem eſſe celebrandam pro Quartana poſtulat Zacutus *lib. 4. tom. 2. c. 26. Non ceſſant*, inquit : *Medici vnanimiter decantare vtilitatem quæ ex ſectione venarum, quæ ſunt in brachio* B *inter minimum digitum, & vicinum, in morbis venoſi generis productis Tertiana, Quartana, & aliis conſimilibus ſequi ſolet ob cauſas multas, & ideò vocantur ſaluatellæ, quia ægrotantes ſaluant. Verùm cùm conſpicerem ſæpe imò ſemper Medicos in curanda Quartana operam, & oleum perdere, tentaui ad vnum remedij genus accedere, quod rationi non erat contrarium, ac repugnans: nam ſicut ex mente Auicennæ 22. 3. tract. 2. c. 24. ſicut phlebotomia ſaluatellæ vtilior eſt, quàm baſilicæ; eodem modo phlebotomia rami ſciaticæ vtilior eſt, quàm ſectio ſciaticæ in dolore coxendicis, ob cognationem quam minimus digitus habet cum ſcia.*

Quod à nobis obſeruatum fuit, proponimus.

C CVm Quartana morbus ſit ex ſua natura chronicus, & qui nullis cedit remediis, cogit ægros impoſtores, & vetulas conſulere. Per regnum Nauarræ, mihi relatum fuit annis elapſis, hominem externum herbas quaſdem imponere, & purgatiuum, neſcio quod, obtuliſſe; cùm quibus omnes pro tunc à Quartanis euaſerunt liberi, qui illius curationi ſe ſubiecerunt. Sed paucis poſt diebus omnes in graues inciderunt morbos, à quibus nullus liber euaſit : nec poſt quinque menſes aliquis eorum ſuperſtes fuit. Vidimus Monialem, cui Religioſus quidam conſuluit, neſcio quos pulueres, ex corticibus arboris, qui ferebantur ex India: laborabat ſimplici Quartana : poſt pulueres aſ- D ſumptos laborat triplici iam per tres annos, à qua nondum libera euaſit.

R E S O L V T I O II.

Vtrum Dogmaticorum ſchola cognoſcere, & curare valeat Quartanam?

§. I.

Van Helmont negatiuæ adhæret parti.

E SI quando aliàs irridendus venit Van Helmõt, cuius deliria pudet plerumque enarrare : maximè *tr. de febrib. c. 6.* vbi pro more in ſcholas quaſi inebriatus inuehitur, nunquam à Dogmaticis poſſe Quartanam agnoſci, aut curari contendens.

Tum primò, quia ab ipſo iam ſene monet Iuuenes debere diſcere, quòd medicamenta laxantia, & humani corporis humores, non ſunt niſi mera deliria, quibus deluſum eſt Medicis per Ethnicos. Tum 2. quia nec Galeno credendum, qui nunquam anatomiam vidit, vtcumque de ea, & vſu partium triumphet, quia nunquam argentum viuum vidit, nunquam nec aliquam roſicæ mutauit. Tum 3. quia vanum eſt hanc febrem pendere à liene, & fieri ex humore melancholico, cùm nec in illa lien inflammetur, nec dentur humores in corpore. Tum 4. quia Dogmatici lepræ, podagræ, paralyſis, aſthmatis, & Quartanæ non norunt curationem; ex quo apparet ignorare diagnoſim : ergo Dogmatici Quartanæ dignotionem ignorant.

Secundò : Dogmatici in Quartanæ curatione ſiſtunt in remediis Ethnicorum, venæ ſectione, ſcarificationibus, hirudinibus, veſicatoriis, & alui purgationibus; quibus vires minuuntur, & ægri cruciantur. Tum 2. quia Ethnicorum doctrinæ deuiant à vera cauſarum, & remediorum cognitione per naturam. Tum 3. quia ad ſedem Quartanæ non poſſunt peruenire eorum remedia. Tum 4. quia adhuc nunquam fuit viſum à Dogmaticis Quartanam curari. Tum 5. quia illi ſolùm purgant, & mittunt ſanguinem, reliquum naturæ committunt, à qua fit curatio. Tum 6. quia omnium Academiarum poteſtates connexæ non tantùm valent, quantùm natura ad curandam Quartanam. Tum 7. ſcholæ ignorant ſicut curationem, diagnoſim Quartanæ, quia illam contendunt eſſe calorem, nec exponunt qualiter accendatur in liene, ſiue humore putreſcente; aut quæ ſit cauſa putredinis cur Quartana adeò pertinax, ſingulo tamen acceſſu ſibi viam reperit, qua putridam bilem per venas in ambitum diſpergat : ergo à Dogmaticis nunquam eſt curabilis Quartana.

Tertiò : Si Quartana oriretur à melancholia, foueretúrque à liene, eius præſentia indurato illo non poſſet Quartana auferri; cuius contrarium experimur. Tum 2. quia ſemper eſſet febris ab induratione lienis, quod in ſcirrhoſis lienis tumoribus non contingit. Tum 3. quia faciliùs curaretur Quartana pendens à fluxili melancholia in principio, quàm quæ pendet ab indurata melancholia in liene poſt multum tempus. Tum 4. quia cùm lien induretur à melancholia, quia non poteſt perficere nutritionem ea illa curatio nunquam eſſet poſſibilis; cùm in fine eſſet debilior facultas. Tum 5. quia lien intumeſcit propter repletionem arteriarum, quæ ſanguine arteriali, & non melancholia adimpletur, ex qua oritur Quartana : ergo Quartana non pendet ex melancholia, vel liene adurato, nec per curationem eorum poteſt curari.

§. II.

Communis Dogmaticorum ſententia, ac doctrina amplectitur.

REſoluendum quòd amens Van Helmont nullis inſiſtit fundamentis Dogmaticorum doctrinam inuertentibus, ſic patebit ex eorum inuectione : ſic patet ex eis quæ ſupra diſputauimus: ſic conſtat ex demonſtrationibus, quibus patefecimus dari humores, & ab illis febres oriri : ſic experientia conuincit; nec contra irrationalem, ac inſanum eſſet tandem rationibus congrediendum; nec contra principia negantes aliquid diſputandum ſuſcepit Antiquitas.

§. III.

Soluuntur fundamenta inania Van Helmont.

AD 1. Reſpondetur, Tum 1. quòd ſi admittere humores & medicamenta eſſet delirium, benè infert, quòd à ſolo illo eſſet diſcendum: ab Ethnicis enim & Catholicis ſatis demonſtratum eſt medicamenta eſſe ex vſu, & humores dari. Tum 2. quòd

quòd demonſtrat ſuum delirium, dum ignorantiam adſcribit Galeno in eis, quæ cum admiratione docuit ex communi ſapientium conſenſu. Tum 3. quòd demonſtrauimus dari humores in corpore, & illos poſſe putrefieri in venis, indeque oriri febrem independenter à liene. Tum 4. quòd horum morborum præſcribunt curationes, vt in Auctorum ſcriptis conſtat; quibus hos morbos vinci, dum curabiles ſunt, & prout curabiles, experientia docet.

Ad 2. Reſpondetur, quòd Dogmatici inſiſtunt in iis remediis, quibus tutò, citò & ſecurè experiuntur morbos curari. Tum 2. quòd ſcientia medicinæ in Ethnicis, Sanctis, & quibuſlibet aliis callentibus illam demonſtrat, quod docuit Hippocrates, *vehementes morborum impetus tundere, ſanabiles curare, inſanabiles non attingere*, Tum 3. Quòd humores melancholici ſunt ſedes, ſeu cauſa Quartanæ, quam attenuando, præparando, aut euacuando vincunt remedia. Tum 4. quòd ſemper contingit Quartanam vinci, licèt hoc fiat iuxta illius naturam, & prout chronicus eſt morbus. Tum 5. quòd cùm Medicus ſolùm ſit adiutor naturæ, quæ morborum eſt medicatrix, in quouis curando morbo idem facit, aufert illud impedimentum quod erat obſtaculum, vt non poſſet ſanitas à natura peruenire; ſicut & ipſe faceret, ſi quod ſomniauit Febrifugium, eſſet vtile: ab ipſo enim auferretur impedimentum, à natura reſolueret ſanitas, quam homines neſciunt fabrefacere. Tum 6. quòd Academiæ valent docere qualiter auferatur cauſa morbi, natura ſanitatis eſt effectrix. Tum 7. quòd docent ſcholæ qualiter ex putreſcente melancholia fiat febris, & omnia quæ ad illius diagnoſim, & curationem pertinent, & quæ garrulus Van Helmont non calluit.

Ad 3. Reſpondetur, quòd Quartana fit non à liene, ſed à melancholia in venis; lien autem, quia multa melancholia abundat, & totam illam repurgare non poteſt, intumeſcit & durus fit, & dicitur Quartana fieri ab illo occaſionaliter, quia impotens eſt repurgare melancholiam exuperantem, & in venis redundantem, à qua fouetur Quartana. Tum 2. quòd dum abundante melancholia in liene, durus fit, non tamen ſemper febris; quia quæ redundat melancholia, non patitur ſemper putredinem. Tum 3. quòd Quartana modo dicto pendet à liene; non tamen fouetur ab humore cauſante illius duritiem. Tum 4. quòd licèt induretur lien, poteſt in venis è iecore melancholia coqui: quia cum ipſa reſoluatur per acceſſiones, minor copia permanet, & quæ vinci, ac concoqui poteſt, etiam ſi vires ſint remiſſiores quàm in principio. Tum 5. quòd lien intumeſcit ſecundùm ſe totum propter humorem melancholicum, quem attrahit tanquam pars determinata in corpore, vt ipſum exuperantem repurget.

RESOLVTIO III.

Verùm ex omni melancholia, ſi putreſcat, fiat Quartana?

§. I.

Pars negatiua ſuadetur.

Videtur quòd non; Primò melancholia naturalis eſt humor nutritioni adaptatus, in pauca quantitate genitus: ergo ex illa non poteſt fieri Quartana.

Secundò: Melancholia ex bile vſtione facta vlteriori calore alterari non poteſt: ergo nec putrefieri, A nec febrem cauſare, cùm à remiſſiori alio calore alterari non poſſit.

§. II.

De naturali melancholia quid ſentiendum?

Reſoluendum, quòd ex naturali melancholia poteſt fieri Quartana. Sic tenent Galenus *lib. 2 de differentiis febrium cap. 5. §. ſi ex melancholico humore, qui temperamento frigidus & ſiccus eſt, &c.* cui ſubſcribunt Dogmatici.

Probatur: naturalis melancholia eſt humor aptus putrefieri, ſicut & reliqui humores, ſanguis, bilis, B & pituita: ſed à reliquis putreſcentibus proueniunt putridæ febres, vt conſtat ex dictis: ergo ex putreſcente melancholia fit febris, quam nos Quartanam vocamus.

§. III.

De melancholia per vſtionem facta quid ſentiant Auctores?

Reſoluendum 2. quòd ex atra bile putreſcente fieri poteſt etiam Quartana: ſic colligitur ex Galeno *lib. 2 de febribus c. 9 & 3. Epidemion ſect. 3. comm. 30.* ex Auicenna *fen. 1. a. tract. 2.* & tenent communiter C Dogmatici.

Probatur 1. quia per aſſationem ex reliquis humoribus fit melancholia; ex melancholia putreſcente fit Quartana: ergo ex melancholia per aſſationem facta fieri poteſt Quartana.

Probatur 2. quia febri ardenti plerumque ſuccedit Quartana: ſed hoc non ob aliam cauſam, niſi quia bilis per aſſationem fit melancholia, & ab illa putreſcente vlteriùs fouetur, quæ ſuperuenit Quartana: ergo ex melancholia per aſſationem facta, Quartana fieri poteſt.

Probatur 3. Febris humoralis ſumit propriam differentiam ex humore, à quo fit; & ideo Quartana ab aliis differt ex parte cauſæ, quia pendet à melancholia: ſed aſſatione in melancholiam mutantur reliqui D humores: ergo ex melancholia, in quam mutantur per aſſationem, poteſt ſuperuenire Quartana.

§. IV.

Ex pituita vſta fit melancholia, à qua fit Quartana.

Reſoluendum, quòd ex melancholia per vſtionem facta ex pituita, poteſt fieri Quartana.

Probatur ex Auicenna *cap. de mania §. melancholia morbus fit ex melancholia naturali multa, aut aduſta, ſed facta ex phlegmate, aut ſanguine dulci*: Sed à qualibet melancholia putreſcente fit Quartana: ergo ex meE lancholia per vſtionem facta ex pituita poteſt fieri Quartana.

§. V.

Soluuntur primò adducta rationes.

Ad primum Reſpondetur, quòd ab humore naturali, vt naturalis aſt fit nutritio; at verò vt à calore extraneo putreſcit, ab eodem fit Quartana.

Ad 2. Reſpondetur, quòd poſtquam melancholia vſtione fit ex aliis humoribus, remanet cum temperie illi debita iuxta ſuam naturam, & poſtea in ea alterationem poteſt pati à putreſcente humore, à quo vlteriùs putreſcit, & tunc cauſatur Quartana, vt diximus.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm hæc febris pluries eidem poſſit accidere?

§. I.

Pars proponitur negatiua.

QVartanam ſemel tantùm poſſe eidem accidere vulgaris credidit opinio, vt inquit Cartetius *fen.* 1.2. *tract.* 2. *c.* 61. cui aſſenſui præſtat fundamentum, Tum 1. quòd Aëtius *sextu* 2. *ſerm.* 1. *c.* 83. intendit ex Hippocrate hanc deducere ſententiam: inquit enim, *Quartana febre idem homo bis neque capitur, neque vnquam captus eſt, neque de cætero corripietur, ſi ſemel ſanus fiat.* Tum 2. Quartana fit dum in ſummo vigore ſuperabundat melancholia, à qua ipſa generatur: ſed vni homini vnus eſt vigor: neque ergo niſi vna poteſt eſſe Quartana. Tum 3. quia per Quartanam, cùm ſit morbus diù permanens, & in qua tota portio melancholiæ conſumitur, non poteſt iterum ſimilis copia reperiri, nec poteſt Quartana fieri.

§. II.

Experientia affirmatiuæ parti adhæret.

REſoluendum, quòd pluries in pluribus ætatibus poteſt idem homo Quartana febre corripi. Sic docet experientia, quæ in vnaquaque ætate, & eundem hominem in diuerſis ætatibus corripi Quartana docet. Et conuincit ratio: ſicut in vnaquaque ætate, vel ob proportionatam temperiem, vel ob vſum alimenti, quod præſtat aptam materiam, poteſt fieri ſanguis, aut bilis, ea qua fit Terțiana; ſimiliter ob cauſas has, vel ob alias extrinſecas coadiuuantes poteſt generari copia melancholici humoris, qui aptam præſtet materiam pro generanda Quartana: ergo ſicut homo poteſt pluries, & in qualibet ætate corripi aliis morbis humoralibus, poteſt & corripi Quartana.

Probatur 2. Quartana fit à melancholia non ſolùm naturali, ſed præternaturali, & facta per aſſationem ex reliquis humoribus, vt probauimus; ſed in quouis homine, in quauis ætate, vel in aliis anni temporibus ſi corripiatur febre ardente, poteſt homo quiuis habere prædominantem atram bilem: ergo poteſt pati Quartanam ex illa ortam.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi adductæ.

AD 1. Reſpondetur, Tum 1. quòd Aëtius loquitur ex ſententia Hippocratis *in lib.* adſcripto ei *de Septenario*, qui inter eius opera non reperitur; nec ideò illi auctoritas debetur. Tum 2. quòd nec eſt neceſſarium, quòd vnicuique ætati ſuperueniant morbi illi proportionales, nec quòd vnicuique ætati non ſuperueniant plures morbi improportionati propter rationes dictas. Tum 3. quòd in habentibus intemperiem aptam ad generandum melancholicum humorem, vel cauſas valentes coadiuuare illius generationem, etiam ſi portio aliqua ſit conſumpta, poteſt iterum generari alia humoris melancholici quantitas, ex qua fiat Quartana.

RESOLVTIO V.

Vtrùm vomitus ſit vtilis in Quartanæ curatione?

§. I.

Pars ſuadetur negatiua.

VAſquez Salmanticenſis hanc mouet difficultatem *in ſuis quæſtionibus practicis.* Et pro parte negatiua ſtat 1. Hippocrates 4. *Aphoriſm.* dicens: *Melancholicos vero plenius per inferiora, eadem ratione contraria apponentes.* & Gal. *in comment.* reddit rationem, quia ad inferiora declinat hic humor propter grauitatem: ſed Quartana pendet ab humore melancholico: ergo non debet euacuari per vomitum.

Secundò: Melancholia, à qua pendet Quartana non continetur in ventriculo, ſed in liene, aut venis maioribus: ergo potiùs per ſanguinis miſſionem, aut purgationem, quàm per vomitum petit euacuari.

Tertiò; Vomitus non eſt vtilis in acceſſionibus; quia ex Hippocrate, in acceſſionibus abſtinere oportet non ſolùm à medicamentis, ſed ab ipſo cibo: nec eſt vtilis in tempore intermiſſionis, quia Auicenna *fen.* 1. 2. *tr.* 2. *c.* 63. Si vomitus pro Quartana curanda ſit faciendus in die paroxyſmi, ipſum potiùs faciendum docet: & idem conſuluit Trallianus *lib.* 12. *c.* 8. ergo nullo in tempore Quartanæ competit pro illius curatione vomitus.

§. II.

Vomitus pro Quartanæ curatione vtilis proponitur.

REſoluendum quòd in Quartana vtilis eſt vomitus pro illius curatione. Tenent Paulus, & Aëtius, ferèque omnes Dogmatici. Docuit Galenus *lib.* 1. *de arte curatiua ad Glauconem, c. de Quartanæ curatione.* Suadet ratio, quia per vomitum euacuantur humores crudi, & melancholici in prima regione è ventriculo ſuperabundantes. Tum quia viæ ſunt à liene ad ventriculum, & à iecore, & venis, à quibus ſucceſſione ad id quod euacuatur, trahitur redundans melancholia, cuius ablatione minoratur febris: ergo vomitus vtilis eſt pro curatione Quartanæ.

§. III.

Soluuntur fundamenta primò poſita.

AD 1. Reſpondetur, quòd Hippocrates loquitur de indicatione ſumpta ab ipſo humore melancholico, qui cùm terreſtris, & grauis ſit humor, ex ſua natura petit deorſum ferri, dum concoctus eſt, ac cacochymus, à ſanguiniſque commixtione ſeparatus; quod contingit in Quartanæ declinatione. Nos autem loquimur de vtilitate vomitus pro Quartanæ curatione antequam ſit concocta materia, quatenus per vomitum euacuatur cruda materia, aut melancholica, quæ in ventriculo redundat, aut in vicinis partibus, à qua non euacuata poſſet foueri, & augeri cauſa morbifica.

Ad 2. Reſpondetur, quòd vomitus non tendit ad euacuationem melancholiæ contentæ intra venas, aut ſanguini commixtæ; ſed ad euacuationem eius materiæ, quæ in ventriculo continetur, vel in partibus vicinis cum illo communicantibus.

Ad 3. Reſpondetur, quòd, vt dixit Vaſquez, vo-

mitus

mittus, ſi leuibus fiat vomitoriis, in die acceſſionis poteſt fieri, vt conſulunt aliqui. Nec contrariatur Hippocrates, quia non prohibet leuiter tunc iuuantia, ſed coctionem impedientia, vel naturam diuertentia, ſi autem vomitoria ſint fortiora, in quietiori die eis vtendum, quia vires ſunt potentiores ad laborem ferendum, & de iis loquuntur vomitoriis, qui in die ante acceſſionem ipſa conſulunt.

Resolvtio VI.

Vtrùm victus humidus competat laborantibus Quartana?

§. I.

Pars negatiua Galeni auctoritate fulcitur.

CArtetus & Auguſtinus Vaſquez hanc difficultatem diſputant, licèt plures alij in hoc dubium inciderunt. Gal. *de arte curat. cap. proprio de curatione Quartanæ* abſtinendum dicit ab omnibus eduliis, quæ refrigerant, & humectant. Et *lib. de tremore*, idem tenet, vtitur enim alimentis calidis, & ſiccis vt pipere, & aliis: illius auctoritati accedunt Græci.

§. II.

Auicennæ, & Tralliani adhæremus doctrinæ.

REſoluendum affirmatiuè: ſic tenent Moderniores citati, Auicenna, & Trallianus, Oribaſius, Paulus & Aëtius. Probatur tum ex Auicenna *fen. 1.4. tract. 2. c. 63. §. & alienetur omne frigidum & ſiccum.* Tum quia Alexander Trallianus Galenum redarguit. Tum Galeni ratio ſuadet, quia humor melancholicus, à quo Quartana pendet, eſt humor ſiccus: ergo ſumpta indicatione ab illo, victus humidus offerendus. Tum quia febricitantibus victus humidus competit, præcipuè dum non repugnat ex parte cauſæ, vt in phlegmaticis, ſeu quotidianis febribus.

§. III.

Pro Galeno traditur ſolutio.

AD Galeni auctoritatem reſpondet Vaſquez: Galenum intelligendum de Quartanis, quæ prolongantur ad hyemem, in quibus variatur curatio, ſumpta indicatione à tempore. Altomarus indicat Trallianum impoſuiſſe Galeno, quòd non dixit.

Resolvtio VII.

Vtrùm vinum album competat pro potu in Quartana?

E

§. I.

Pars negatiua proponitur.

ANtecedenter de vini vſu in febribus diſputauimus, & à quibus in illis indicetur decreuimus. Sed particularis de Quartana videtur dubitatio: Tum quia ante ſigna coctionis Galenus renuit vinum offerre in febribus, quod magis obſtare videtur Quartanæ, in qua coctio non apparet niſi poſt longiſſimam durationem temporis. Tum 2. quia vinum album, vel quia ſiccum, vel ſua caliditate exſiccat, cùm potiùs de-

A beret humectare, ſumpta indicatione à cauſa Quartanæ. Tum 3. quia vinum album eſt calidum, & ratione caliditatis febrem auget: ergo non debet offerri in febribus Quartanis.

§. II.

Galeni & Auicennæ præfertur opinio.

REſoluendum quòd vinum album pro curanda Quartana eſt quammaximè vtile. Sic tenet Galenus, Auicenna, Cartetus, & Saluaticus.

Probatur tum 1. ex Galeno *lib. 1. de arte curat. ad Glauc. cap. de quartana*, vbi vinum album conſulit pro eius curatione. Tum ex Auicenna *fen 1.4 tract. 2. c. 63.*
B *§. vinum clarum, ſubtile, album, eſt iuuatiuum.* Tum ratione, quia, vt diximus antecedenter, vinum in febribus poteſt indicari à viribus, à cauſa febris, & à conſuetudine, vel ab aliis. Vnde cùm febris Quartana pendeat à frigido humore, vires maximè coquituotur in illa; cùm pendeat à terreſtri humore, qui non poteſt faciliter concoqui, nec niſi poſt multum tempus; cum cauſa, à qua pendet ſit frigida, indiget iuuari natura per vinum album, quod quia tenue, facilius concoquitur, nec ita craſſam præſtat materiam, ſicut vinum rubrum.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

C

AD 1. Reſpondetur, quòd Galenus propter iuuandam coctionem in febribus conſulit vini exhibitionem, dum natura concoquit, vt vires ab illo iuuentur, non tamen prohibet, quod in Quartana, in qua humor magis terreſtris eſt, & difficiliùs curationem admittit, magis in principio debeat vinum album exhiberi, imò hoc conſulit. Tum 2. quòd vinum album, tenue & aquoſum, humidum eſt, ita vt poſſit ſua humiditate coadiuuare ad Quartanæ curationem, præterquam quòd potentior eſt indicatio vires conſeruandi, & coadiuuandi pro perficienda coctione, & ratione eius exhibetur. Tum 3. Quòd vinum album,
D licèt calidum, poteſt in Quartana indicari ratione cauſæ, vt alimentum vlterius indicatur à viribus.

Resolvtio VIII.

Vtrùm purgatio lenitiua ſit exercenda in Quartana?

§. I.

Proponitur dubitandi ratio.

IN diſputatione de purgandi ratione proponemus duplicem purgationem: aliam ſelectiuam, de qua ſtatim agendum; aliam lenitiuam, quæ ventrem interturbat, & quod ſuperfluum in ventriculo, & tota prima regione abundat, per ventrem inferiorem mouet. Dum Quartanarij ſuccis non redundant ſuperfluis in prima regione: nec aliquo medicamento indigent. Si in ventriculo ſuperſedere videantur cruditates, vtilis eſt vomitus: ſi in parua quantitate in inteſtinis redundant, ſufficient clyſteres: ſi ventriculus, & tota prima regio ſit infeſta cruditatibus: an ſit in principiis Quartanæ exercenda lenitiua purgatio: vertimus in dubium.

Videtur quod non: quia Galenus *lib. 1. ad Glauc. cap. 11.* docet, quòd hæc febris inter initia blandè tractatur, ne per fortiora medicamenta, irritatà materià morbificâ,

morbifica, fiat Quartana ex ſimplici duplex, vel ex duplici triplex, aut ex triplici continua: ſed nullum eſt lenitiuum pharmacum, per quod non interturbetur cauſa morbifica; ergo inter initia non debet exhiberi. Minor patet; cùm ſucceſſione ad id quod euacuatur, non poſſit non commoueri cauſa morbifica, quæ eſt in ſecunda regione.

Secundò: Pro curatione Quartanæ eis vtimur medicamentis ſolutiuis, quæ conferunt pro auferenda cauſa morbifica, cum ſolutiua medicamenta ordinentur ad cauſæ euacuationem: ſed melancholia non euacuatur per lenientia, quæ ſolùm euacuant à ſecunda regione: ſed per ſelectiua pharmaca, quæ illam valent ſelectioè attrahere à ſecunda regione: ergo in principio pro Quartanæ curatione non debemus vti lenientibus pharmacis.

Tertiò: Per ſelectiua pharmaca, quæ bilem aut pituitam euacuant, non intendimus curare Quartanam, quia non habent vim trahendi, & euacuandi melancholiam, à qua dependet Quartana: ſed lenitiua pharmaca non habent vim ſelectiuam attractricem Quartanæ: ergo per illam non debet intendi curatio Quartanæ.

§. II.

Communis Dogmaticorum doctrina præfertur.

RESoluendum, quòd in caſu poſito, in Quartana in principio debet exerceri purgatio lenitiua. Sic tenet communis Practicorum conſenſus in ſchola Dogmaticorum, & ſuadet ratio.

Primò, quia, ex Galeno, 9. *meth.* ſi præcedat ciborum cruditas, tantopere venæ ſectio debet differri, donec euacuentur ventris, & totius primæ regionis cruditates: ſed, vt *in diſput. de ſanguinis miſſione*, diximus, conuenit in Quartana ſanguinis miſſio: ergo ſi præcedat cruditas, quæ nec vomitu, nec clyſtere poſſit euacuari, debet euacuari purgatione lenitiua.

Probatur 2. Primæ regionis cruditates impediunt debitam alimenti coctionem, & ipſæ materiam præſtant, ex qua generentur craſſi humores, ex quibus foueatur Quartana: ergo debent lenitiuo pharmaco in caſu poſito euacuari.

Probatur 3. ſiue melancholia generetur in ſolo iecore, ſiue ſimul in liene ab ipſo liene trahitur in ventriculum, & in totam primam regionem luxurians ſimul cum cruditatibus ſuperabundat: ergo ne deferatur in venas, & foueat cauſam morbificam, debet lenitiua purgatione euacuari.

§. III.

Soluuntur à nobis propoſita argumenta.

AD 1. Reſpondetur, quòd Galenus ſelectiua pharmaca, & alia fortia medicamenta prohibet; non autem lenitiua, & blanda, quibus non poteſt interturbari melancholia quæ eſt intra venas.

Ad 2. Reſpondetur, quòd patet ex dictis qualiter per lenitiuam purgationem, licèt non euacuetur cauſa proxima Quartanæ, euacuatur tamen cauſa remota, ex qua poſſet foueri.

Ad 3. Reſpondetur, quòd pharmaca ſelectiua bilis, aut pituitæ non offeruntur, quia nec proximam, nec remotam Quartanæ cauſam euacuant; lenitiua verò purgatio euacuat ſaltem cauſam antecedentem, ex qua modo dicto poſſet foueri Quartanæ proximior cauſa.

RESOLVTIO IX.

Vtrùm ſelectiua purgatio ſit vtilis in Quartana ante ſigna coctionis?

§. I.

Pars affirmatiua ex Auicenna fulcitur, & ex Tralliano fouetur.

DIſputauimus de occaſione offerendi ſelectiuum pharmacum *diſp. de purgandi ratione*. Sed quia aliqualem peculiarem inuoluit difficultatem purgatio ſelectiua in Quartana; ideò aliqua attingemus ſub hac ſolutione, quam tetigit ſtricto calamo Carrerius. Pars affirmatiua fulciri videtur 1. ex Auicenna, qui in Quartanæ curatione *cap. iam citato, reſolutione antecedente*, dicit: Et *ſi oportet euacuatur in principio de humore faciente febrem aliquid ad alleuiandum, & mundificandum*: Sed in principio non apparent ſigna coctionis: ergo in Quartana non apparentibus ſignis coctionis poteſt fieri ſelectiua purgatio.

Secundò: Vt patebit *diſput. de purgandi ratione*, cruda exiſtente materia, ſelectiua purgatio minoratiua aliquando debet exerceri, quando alia via materia non poteſt minorari, vt ſuperetur à natura, & fiat coctio: ſed melancholia, ex qua pendet Quartana, ſæpè ita fit incoctilis, vt per plures annos vinci, & concoqui non poſſit: ergo ſine ſignis coctionis poteſt ſelectiua purgatio exerceri in illa.

Tertiò: Quartana fouetur à melancholia in liene redundante, vel in prima regione, & ſeparata à ſanguinis commiatione, vt communis fert opinio, & docet lienis tumor, qui ſemper ferè datur in patientibus Quartanam: ſed dum febris pendet ab humore cacochymo, & ſeparato à ſanguinis commiatione non eſt ſpectanda vlterior coctio, ſed ſtatim debet fieri ſelectiua purgatio: ergo in Quartana, non ſpectata coctione, poteſt in principio fieri ſelectiua purgatio.

Quartò: Ex Tralliano confirmatur, qui in curatione Quartanæ inquit: *Etenim ſic agendum eſt in craſſioribus, ſicciori buſque humoribus, ac humectare ipſos, ac diſſoluere conuenit, nec diuina diſſolutio eorum ſpectanda, ſed protinus ad purgationem eorum properandum.* ergo ante ſigna coctionis protinus in Quartana conuenit ſelectiua purgatio.

§. II.

Hippocraticæ doctrinæ opinio conformior præfertur.

REſoluendum, quòd ſelectiuum pharmacum non debet exhiberi pro curanda Quartana, niſi concocta materia.

Probatur 1. ex Hipp. *lib. 1. aphoriſm. ſent. 22. Concocta medicari, ac mouere; non cruda: nec in principiis morborum, niſi materia turgeat*. Latiuſque manet hæc doctrina probata ex his, quæ *diſp. de purgandi ratione* diximus circa huius ſententiæ explicationem.

Probatur 2. Purgatio eſt euacuatio ſeligente pharmaco facta humoris cacochymi: ſed ante ſigna coctionis melancholia non eſt humor cacochymus & ſeparatus à ſanguinis commixtione: ergo non petit purgari ſelectiuo pharmaco. Maior ibidem manet demonſtrata.

Probatur 3. Antequam appareant ſigna coctionis,

non

non ſit purgatio ſelectiua niſi ratione turgentiæ, aut vrgentiæ: ſed melancholia, vt demonſtrabimus *diſp. de purgandi ratione*, non poteſt turgere, nec in Quartana datur vrgentia; quia licet ſit morbus chronicus, quia multùm intermittit non minatur periculum vitæ, licet protrahatur coctio: ergo non debet in illa antequam ſint perfecta ſigna coctionis fieri ſelectiua purgatio.

§. III.

Soluuntur rationes pro Auicenna, & Tralliano adducta.

AD 1. Reſpondetur quòd Auicenna *in verbis adductis* potiùs videtur loqui de lenitiua, quàm ſelectiua purgatione; quia illam conſulit ad mundificandum, ſeu leniendum, & licèt aliàs infrà videtur coincidere in eandem opinionem, quam oppugnamus; tunc de augmento potiùs, in quo ſunt ſigna coctionis, videtur loqui, dum nondum eſt integra coctio: quia Quartana, cùm morbus ſit chronicus, maximè admittit purgationes per epicraſim factas, ad quas non ſeparatur omnino integra coctio, licèt ſecura ſemper debet coctio præire.

Ad 2. Reſpondetur, quòd, vt ex dictis manet probatum, ſelectiua purgatio minoratiua non debet exerceri in Quartana, quia nunquam eſt caſus vrgentiæ in illa, cùm ſemper poſſit expectari coctio cum ſecuritate, & ſi non niſi poſt longum ſuperueniat tempus.

Ad 3. Reſpondetur, quòd Quartana ſemper fouetur, & pendet à melancholia genita à iecore, ſimul cum reliquis humoribus, quæ extranaſatur, licèt lien ſoleat pati tumorem, quia attrahit plurimùm de redundante melancholia, quam expurgat. Et dicitur Quartanam fouere, vt diximus, non quia pendeat Quartana à melancholia in illo contenta; ſed quia dum tumet non poteſt repurgare melancholiam exuberantem in venis, à quibus diutius fouetur Quartana.

RESOLVTIO X.

Vtrùm paulò antè acceſſionem debeat exhiberi pharmacum ſolutiuum in Quartana?

§. I.

Arculani, Gentilis, Amati, & aliorum proponitur opinio.

QVI in Quartanæ curatione exhibent pharmacum ſolutiuum variant in determinando die, in quo debeat exhiberi. In die acceſſionis per quatuor horas ante ipſam acceſſionem eſſe exhibendum contendunt inter Arabes Gentilis, & Arculanus, Conciliator *differ.* 163. Quibus adhæret Amatus Luſitanus *lib. 2. centuriar. curatione* 8. quæ opinio tis videtur fulciri.

Primò, tum quia Hippocrates *libro de internis affectionibus*, ſic docuit dicens. *Si verò Quartana apprehenderit, ſiquidem impugnatum fuerit primum caput, purgato, & interpoſitis tribus, aut quatuor diebus pharmacum ſurſum purgans dato in ipſa apprehenſione.* Tum 2. Aetius *ſerm. 3. tetrabili. c.* dicit: *Dandum eſt in interuallis, in aliis quandocumque contigerit; in Quartanis verò, & inteſtinis fluxione vexatis, in ipſis acceſſionibus.* Tum 3. Auicenna *fen. 1. lib. 4. t. 2.* agaricum, & pilulas fœtidas exhibet in ipſa acceſſione pro vitando vehemente rigore: ergo in ipſa acceſſione Quartanæ, vel paulò ante ipſam debet fieri purgatio pro Quartana curanda.

Secundò: quia paulò ante acceſſionem, & in eius principio ſeparatur materia factura acceſſionem, quæ vt ſeparata à commixtione ſanguinis, ab ipſo medicamento ſelectiuo faciliùs, ac ſecuriùs trahitur: ergo tunc debet ſelectiuum pharmacum exhiberi.

Tertiò: Vt perficiatur ſecurè purgatio, debemus habere naturam adminiculantem, vt docuit Galenus *libro 1. aphoriſmor. comment. 22.* Sed dum natura mouet & ſeparat, ac expellit cauſam morbificam, qualiter contingit in principio acceſſionis, illam adminiculantem habemus: ergo in principio acceſſionis debemus purgare.

§. II.

Carreiri, Riuerÿ & communi Dogmaticorum aſſenſui adhæremus.

REſoluendum, quòd in die ante acceſſionem debet in ſimplici Quartana exhiberi ſelectiuum pharmacum: In duplici, in die ab acceſſione libero. Sic Carreirus *ſen. 1. 4. tractatu 2.* Riuerius *cap. de Quartana*, Valleſius, & communior Dogmaticorum aſſenſus.

Probatur tum 1. ex Galeno *lib. de purg. cap. 8. §. Ex paroxyſmis ipſis indicationem ſumes de modo euacuationis, per ſuperiora euacuans in acceſſionis temporey per inferiora, in remiſſionibus.* Tum *lib. de expurgat.* ſimiliter dixit: *per inferiora in die paroxyſmi non eſt mouendus humor; bene tamen per ſuperiora.* Cui ſubſcribens Auicenna dixit: *Et non moueas in die paroxyſmi aliquid, quantum poſſibile eſt, neque cures febrem.* Ergo in die paroxyſmi non debet ſolutiuum pharmacum exhiberi.

Probatur 2. ſi in principio acceſſionis deberet exhiberi ſolutiuum pharmacum in Quartana, vel vt euacuet cauſam antecedentem, vel cauſam proximè facturam acceſſionem: ſed cauſa antecedens, quæ eſt coniuncta ſanguini, non debet euacuari donec ſeparetur, & fiat cacochyma. Pars proximè factura acceſſionem, quæ ſeparatur, etiam non debet trahi per ſelectiuum pharmacum, quia ab illo fieret motus ad ventrem, qui contrarius eſt motui naturæ expellentis illum in ambitum corporis, vt fiat ex illo acceſſio. Ergo nulla ratione in principio vel proximè ante acceſſionem debet fieri purgatio.

Probatur 3. Afflictæ naturæ, & interturbationem patienti, non eſt ſuperaddenda afflictio, nouaque interturbationis cauſa: quia vires dilabuntur: ſed in motu humoris in paroxyſmo natura eſt afflicta, humores interturbati, ipſáque debilitatur: ergo non eſt tenenda noua cauſa, qua ipſa valeat impediri ac debilitari.

§. III.

Soluuntur fundamenta oppoſitæ opinionis.

AD 1. Reſpondetur Tum 1. quòd Hippocrates loquitur de expurgatione per vomitum. Tum 2. quod etiam loquitur de veratro, non prout purgat per

per inferiorem aluum, ſed per vomitum. Tum 3. quòd A idem intendit Auicenna.

Ad 2. Reſpondetur, quòd cùm naturæ motus ſit ad tertiam regionem, potius impeditur motus ſolutiui pharmaci, quàm iuuatur: & etiam ſi aliquam portionem moueat natura ad ventriculum, vt ſolet, hæc potius per vomitum, quàm per pharmacum ſolutiuum per ventrem deberet moueri. Imò natura, quæ in principiis acceſſionum mouet per ventrem ipſum, etiam pharmacum per vomitum moueret.

Ad 3. Reſpondetur, quòd tunc natura dicitur adminiculans, quando iuuat eundem motum, quem & ipſum pharmacum facit: ſed natura poteſt mouere ad ambitum corporis, pharmacum contrarium motum habet; & ideò non habet naturam adminiculantem.

DOCT.

DOCT. MED.

D. GASP. BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ,

Reſolutionum Medicarum PARS QVARTA.

De ſanguinis Miſſione, & Purgandi ratione.

LECTOR.

SANGVINIS miſſionis, & Purgationis remedia, quæ aduerſus Van Helmont, & alios Innouatores, in vſum Medicinæ præ reliquis præſtantiora iudicamus cum Dogmaticis, perluſtranda ſuſcepimus in noſtris Prælectionibus Valliſoletanis; in quibus vtriuſque proprium Indicans conati ſumus dilucidare. Conatus aliquibus non omninò inanis fuit viſus; ideò & nos coëgerunt in lucem edere has Diſputationes ſanguinis Miſſionis, & Purgationis, earúmque doctrinam cunctis patefacere, quam pro tyronibus priùs ſuſcepimus tradendam: fruetur luce vt in adultorum lectione ſuſcipiat incrementum, vt doctiorum fruatur doctrina, & vt inſipientium patiatur calumnias.

PRÆLECTIONES VALLISOLETANÆ, SIVE DISPVTATIO PRIMA.

De Sanguinis miſſione.

SANGVINIS miſſionis perluſtrandom ſuſcipio remedium, quo non præſtantius vllum à Dogmaticis Medicis fuit vnquam vſitatum: ab Empiricis motuatum; à Methodicis receptum. Noſtris tamen temporibus à Paracelſiſtis, & Imaginariis Medicis inani conatu intenditur exploA di ab vſu Medicinæ: horum ineptias refetam: Dogmaticorum ſententias in incudem Diſputationis adducam: quid ab ipſis mutuatum fuerit ab Hippocrate, & Galeno manifeſtabo; & quàm confusè, ac oſcitauter hanc perceperint doctrinam, demonſtrabo. Noua, aut nouiter dicta ſancire contendam; &

Diſcipulorum ſubleuare laborem in eorum percipiendis placitis.

SECTIO PRIMA.

De morbo & eius magnitudine.

SANGVINIS miſſio cùm ſit remedium magnum, non niſi à morbo magno valet indicari, ideò antequam de hoc generoſo remedio tractationem aggrediar, morbi proponam naturá, & qualiter illi accidat magnum fieri, Laconicè explicabo.

RESOLVTIO I.
Quid ſit morbus in omni Medicorum Secta?

§. I.

Morbi natura qualiter in quanis ſecta definitur.

IN omnium ore Morbi perſonat nomen; quidditas pleriſque Medicorum ſtat ignota. Empirici non perſiſtunt in illius indaganda natura; ſed de illius quidditate parum ſolliciti, hoc vno innituntur principio, vt ſimilia proponant remedia pro ſimilibus deuincendis morbis. Methodici in laxitate, & denſitate eorum, quæ corpus adintegrant, ponunt rationem morbi. Teophraſtus Paracelſus Spagiricorum Ductor *lib. Paramiri*, conſtituit morbum in diſſolutione ſulphuris, ſalis, & mercurij à ſe ipſis rupto fœdere. Van Helmoot ab incunabulis Dogmaticis principiis nutritus, deinde Spagiricorum alumnus, tractu temporis noua hæreſi in Medicinam imaginata, *lib. de morbo*, inſaniens, vt moris habet, morbi conſtituit rationem, in deturpatione Archæi depranantis imaginationem. Dogmatici, Rationaléſque Medici inter ſe diſſentientes nullis ſubſiſtunt principiis. Santa-Cruz conſtituit rationem formalem morbi in Priuatiuo: Vega in Relatione: Auerroës, Gentilis, & Fabius Pacius iudicant diuagari per omnia prædicamenta.

§. II.

Ex Ariſtotele & Galeno morbus definitur.

REſoluendum: Quòd morbus eſt diſpoſitio præter naturam, primò & per ſe ſenſibiliter lædens operationes. Sic definitur ex Ariſtotele *in prædicamentis c. de qualitate & quali*, tradidit Gal. *lib. de differentiis morborum*: ſubſcribit Merc. *lib. 3. de morb.* Comes Montanus *lib. de morbo & ſympt.* Valleſius *in Controuerſiis*. Roſellus, & alij, & latius patebit huius definitionis bonitas *part. 2. Reſolutionum noſtrarum, de natur. & diff. morb. diſp. 2. reſol. 4. & ſequent.*

RESOLVTIO II.
Quotuplex ſit morbus cui accidit magnitudo?

§. I.

Diuerſarum ſectarum Medicinæ referuntur diuiſiones.

EMpirici nulli inſiſtentes ſpeculationi, morbos & eorum differentias admittunt iuxta aliorum opiniones. Paracelſus qui morbi rationem conſtituit in rupto fœdere, ſiue Diſſolutione ſalis, ſulphuris, & mer-
A curij, tria morborum admittit genera ex his orta principiis. Van Helmoot qui morbi ideam refert ad Deprauationem imaginationis ortam ex Archæo deprauante; morbum diuidit penes diuerſas ideas morboſas, quas fingit ſigillare imaginationem in Archæo; ideóque has ideas vocat Morbos Archæales, & ſua inſania prolapſus, in varias ineptias trahitur. Dogmatici Galenum ſequentes, qui licèt morbi formale in definitione explicet, ipſo relicto, de ſolo morbo pro materiali diuiſionem docuit, illius doctrinæ cæca ratione adhærentes, diuidunt in intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem, morbum, quem per relationem, priuationem, aut diſpoſitionem definiunt; non attendentes quòd diuiſum debet eſſe in
B definitione generis in ſpecies, ratio generica, & eſſentialis ſpecierum, & neutrum ex his membris eſt priuatio, relatio, nec diſpoſitio, etſi aliqua intemperies ſit diſpoſitio, non autem reliquæ morborum ſpecies.

§. II.

Morbi prima traditur diuiſio.

REſoluendum 1. quòd Morbus vno modo ſumitur pro formali Morbi; alio modo pro eius materiali, ſeu fundamento, ex quo morbus pro formali reſultat. Morbus pro formali eſt qui nuper manet definitus, & ſub ſe nullas habet ſpecies; quicunque enim morbus
C formaliter ſumptus eſt præternaturalis diſpoſitio, quæ præternaturaliter afficit ad operandum: Morbus autem pro materiali eſt illud, ex cuius poſitione reſultat in animali morbus formaliter ſumptus.

§. III.

Morbi materialis diuiſio.

REſoluendum 2. quòd Morbus pro materiali eſt triplex, alius in ſoluta vnitate, alius in intemperie, alius in mala compoſitione.

Probatur ratione Galeni: morbus pro materiali eſt ille, ex cuius poſitione reſultat morbus pro formali; ſed morbus pro formali reſultat ex intemperie, ex ſoluta vnitate, & ex mala compoſitione: ergo morbus pro ma-
D teriali eſt triplex, intemperies, ſoluta vnitas, & mala compoſitio. Probatur minor: morbus pro formali reſultat ex vitio eorum, quæ requiruntur pro naturali conſtitutione hominis, ſed pro naturali illius conſtitutione requiritur debita temperies partium, debita illarum vnitas, & debita earum conformatio: ergo dum ſuperuenit vitium in Intemperie, in ſoluta vnitate, aut mala compoſitione, reſultat morbus pro formali.

§. IV.

Morborum accidentales differentiæ proponuntur.

E REſoluendum 3. Quòd licet plures ſint accidentales differentiæ, quæ ſuperueniunt his nuper adductis, ſcilicet quòd morbi alij ſunt fientes, alij facti; alij ſunt ſimplices, alij complicati; alij ſolitarij, alij multiplices; alij per eſſentiam, alij per conſenſum; alij vniuerſales, alij particulares; alij primarij, alij ſecundarij; alij congrui regioni, ætati, aut anni tempori, alij non congrui; alij æſtiui, alij autumnales, alij vernales, alij hyemales; alij hæreditarij, alij non hæreditarij; alij contagioſi, alij non contagioſi; alij manifeſti; alij à tota ſubſtantia; alij naturaliter ſuperuenientes, alij ope dæmonum inducti; alij nocturni, alij diurni; alij ſporadici; alij communes, alij

endemij,

endemij, alij morbi noui, alij vetuſti; alij continui, alij intermittentes, alij acuti, alij chronici; alij ſalubres, alij lethales, alij periculoſi; alij inconſtantes, alij conſtantes; alij ordinati, alij inordinati. At verò accidentalis differentia, ſecundùm quam morbi dicuntur magni, aut parui; magis conducit pro hac tractatione.

Probatur: Sanguinis miſſio, provt eſt remedium magnum, petit indicari à morbo magno, ſicut à paruis morbis parua indicantur remedia: ergo ea diuiſio morbi, per quam eius magnitudo cognoſcitur, magis vtilis eſt pro hac diſputatione de ſanguinis miſſione, à qua ea indicatur.

Resolvtio III.

Quid ſit morbus magnus?

§. I.

Proponitur dubitandi neceſſitas.

DIfferentiæ primæ morbi pro materiali, in Intemperiem, ſolutam vnitatem, & malam compoſitionem; licèt ſint ſpecies ſubalternæ ipſi morbo pro materiali, ſunt tamen genera ſub quorum quouis variæ reperiuntur ſpecies, quas ad vnguem proſequutus fuit Galenus *lib. de differentiis morborum*. quarum cuiuis C contingit ſuperuenire differentias aliquas accidentales ex eis, quas nuper retulimus: ſed quia inter has magnitudo requiritur ex parte morbi indicantis ſanguinis miſſionem: ideo huius indagamus eſſentiam.

§. II.

Quidditas magnitudinis in morbo aperitur.

REſoluendum: Quòd morbi magnitudo, eſt morbi vehementia ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua, ratione cuius minatur periculum in toto, aut parte.

Patet huius concluſionis veritas ex dignotione cuiuſlibet particulæ: *vehementia* includit id, ratione cuius morbus redditur magnus, per hanc enim differt D à morbo paruo, qui talis iudicatur, dum propter ſui benignitatem nullum minatur periculum, nec vitæ in toto, nec proprij vſus in aliqua parte determinata corporis. Proponitur particula *ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua*, vt non ſolum comprehendatur morbi magnitudo, quæ illi accidit, quia à vehementia cauſarum in ſua eſſentia magnus ſit; ſed ea magnitudo, ſeu vehementia, quæ morbo accidit per reſpectum ad aliud, licèt ipſe ſit in ſua eſſentia paruus, ſiue reſpectiuè ad partem principem, quam afficit, ſiue ad debiles nimis vires, quibus ſuperuenit, ſiue ad ſuperuenientem qualitatem, per quam modificatur.

E

Resolvtio IV.

Verùm *Vehementia* ſit de eſſentia morbi Magni?

§. I.

Pars negatiua ſuis fundamentis fulcitur.

INter Recentiores aliqui hanc mouent difficultatem, & eam Laconicè, & ſine aliquo fructu reſoluunt: dubitandi rationes aliquas tetigit Sennertus *tom. 1. l. 2. par. 1. c. 21.* quæ negatiuam ſuadent partem.

Primò: quia morbus benignus, & clemens, ſi totum occupet corpus, dicetur magnus, quia magnum A ſubiectum occupat: ſed huiuſmodi morbi non habent vehementiam: ergo Vehementia non eſt de ratione morbi magni.

Secundò; Poteſt morbus paruus eſſe vehemens: ergo vehementia non conſtituit morbi magnitudinem. Probatur antecedens: Tum 1. ex Hippocrate, qui *in prognoſticis* agens de febribus quibuſdam malignis, inquit quòd ſunt quædam febres paruæ & malignæ, quæ quarto die, aut citiùs interimunt. Tum 2. quia morbus paruus, qui afficit partem principem, vt ſolutio continuitatis parua in corde; vel cui ſuperuenit malignitas, vt febris parua, & remiſſa, vel qui ſuperuenit viribus nimis debilibus, qui illas, etſi paruus, opprimit, B morbi dicuntur magni: ſed non ſunt vehementes, vt apparent: ergo vehementia non eſt ratio conſtitutiua morbi magni.

Probatur 3. Febris hectica quæ inter reliquas parua iudicatur ſine magnitudine aliqua ſit morbus vehemens, & lethalis: ergo vehementia non eſt conſtitutiua ratio magnitudinis in morbo.

§. II.

Pars affirmatiua præfertur.

REſoluendum: Quò Vehementia eſt ratio conſtitutiua morbi in eſſe Magni.

C Probatur, magnitudo, aut paruitas morbi debet attendi penes illud, in quod morbus ordinatur: ſed morbus eſt diſpoſitio ex ordine naturæ orta, vt lædat operationes: ergo ille erit magnus, qui magnoperè lædit operationes, & ille paruus, qui parùm lædit. Tum ſic: ſed qui magnoperè lædit, eſt vehemens; qui parum lædit, eſt benignus: ergo Vehementia eſt intrinſeca morbo magnitudinem habenti. Probatur minor: quia ſi eſſet morbus benignus, non poſſet magnoperè lædere.

§. III.

Soluuntur fundamenta.

AD 1. Reſpondetur: quòd aliud eſt, quòd morbus dicatur magnus provt accidens, & per acci- D dens ratione ſui ſubiecti inhæſionis, aliud quòd dicatur magnus, provt morbus eſt, & valet magnam inducere læſionem operationum; & de magnitudine hac loquimur nos, quando morbum magnum aſſerimus includere Vehementiam.

Ad 2. Reſpondetur: quòd morbus paruus ſi fiat vehemens, ſecundùm quòd vehemens fit, fit etiam magnus: vnde patet, tum 1. quòd febres, quæ vt febres paruæ ſunt, ſecundùm quòd ſunt malignæ, fiunt magnæ, & adquirunt vehementiam. Tum 2. quòd morbi in ſua eſſentia parui, ſi per reſpectum ad partem principem, vel ad debiles vires, fiunt magni; fiunt etiam vehementes ſecundùm illum reſpectum; quia E vehemens periculum minantur.

Ad 3. Reſpondetur: quòd febris hectica, quæ in ſua intenſione parua eſt, & mitis, fit magna & vehemens; quatenus afficit: & ratione illius partis principis affectæ, afficit etiam reliquas corporis partes.

Resolvtio V.

Verùm triplex ſit morbus magnus?

§. I.

Pars affirmatiua fulcitur.

MOrbus vno modo magnus dicitur, quia in ſua eſſentia ſit talis ob ingentẽ retroceſſum à ſtatu

naturali, & prout ſic habet ſpeciem: alio modo magnus dicitur quicumque morbus qui periculum minatur; ſiue hoc adueniat ex morbi intenſione, ſiue ex alio quouis, quod illi accidat: in hac acceptione morbum magnum diffiniuimus, & huius diuiſionem proſequimur. Et communis opinio tenet quòd morbus magnus eſt triplex.

Probatur 1. ex Galeno *lib. 4. Methodi cap. 6.* vbi poſtquam morbi magni diuiſionem adduxit, prout ab ipſo valet indicari ſanguinis miſſio; dicit fieri magnum propter affectæ partis præſtantiam, vel propter affectus magnitudinem; vel quia ille ſit cacoëtes, ſiue habeat adiunctam malignitatem: ergo ex Galeni doctrina triplex morbi magni genus eſt admitten- B dum.

Secundò morbus fit magnus, dum ſit vehemens ad lædendum operationes vitæ neceſſarias: ſed talis ſit quia in ſua eſſentia magnus eſt; vel quia ratione malignæ qualitatis modificatur ad intenſiùs lædendum; vel quia ob partem principem, quam afficit maximum valet minari periculum: ergo triplex morbi magni genus eſt admittendum.

§. II.

Quadruplex genus morbi magni admittitur.

Reſoluendum: quòd morbus magnus eſt quadru- C plex: ex propria natura; ratione partis principia affectæ; ratione qualitatis malignæ, ſeu mali moris illi ſuperuenientis; vel comparatiuè ad vires nimis debilitatas, eius cui ſuperuenit.

Probatur concluſio quoad primam partem ex doctrina Galeni *lib. 4. Methodi cap. 6.* & rationibus adductis pro communioris ſententiæ comprobatione: quoad vltimam verò partem, docetur ab eodem Galeno *lib. de totius morb. temporibus c. 5.* vbi docet febrem paruam ſuperuenientem ſeni valde debili fieri morbum magnum comparatiuè ad vires illi morbo in ſe paruo ſuccumbentes, reſpectu quarum vehemens eſt cùm illas proſternat, & mortem inducat.

§. III.

Primæ opinionis explicantur fundamenta.

Ad primò adducta fundamenta dicimus, quòd probant primam partem noſtræ reſolutionis; non tamen quòd ſit magnus, & vehemens comparatiuè ad vires debiles morbus: qui illas valet ex toto opprimere.

SECTIO II.

De cauſa materiali ex qua pendere plures morbos magnos contingit. E

De morbis magnis egimus, quorum plures ſunt pendentes à cauſa materiali, ratione cuius indicatur remedium magnum euacuatorium per ſanguinis miſſionem, aut purgationem; & hanc eſſe ſanguinem & reliquos humores fatentur vnanimi aſſenſu omnes Dogmatici: ſed quia inter innouatores, Paracelſus, & illius Sectatores, licèt humores admittant; ſal, ſulphur, & mercurium omnium morborum materialem cauſam conſtituunt; Van Helmont verò nec ſolum hu- A mores morborum eſſe cauſas negat, ſed ipſos in corpore non admittendos contendit, ideò & nos horum omnium examinabimus opiniones, vt antiquam Rationalium manifeſtemus doctrinam, humores plurium morborum cauſas conſtituentem, quâ ſuppoſitâ, de miſſione ſanguinis proſequenda eſt diſputatio.

Resolutio I.

Vtrùm Sal, Sulphur & Mercurius ſint cauſa materialis cuiuſuis morbi magni?

§. I.

Paracelſi ſolum, audacia, impietas, ebrietas, & opinio proponitur.

Theophraſtus Paracelſus ex humili, ſiue ignoto ſolo natus, vt tradidit Eraſtus; audaciſſimus, ac impudentiſſimus fuit; ſicut & alter Theſſalus, vt notauit Sennertus, & ipſe prodidit in *præfatione libri de Tinctura*, vbi gloriatur ſe perueniſſe ad omnium artium Monarchiam: fuit à dæmone inſtructus, ipſe enim *lib. de occulta Philoſophia* dicit ſe didiciſſe Medi- C cinam ex Necromantiſis, & Argitis, ſæpè fatetur ex Diabolo didiciſſe; & *in præfatione Paragrani*, inquit ſe literas à Galeno in inferno didiciſſe, & *in theſauro Alchymiſtarum* narrat ſe cum Auicenna in veſtibulo inferni de ſuo auro potabili, & aliis diſputaſſe: & Oporinus de ipſo ſcripſit ebrium fuiſſe; & cacodæmoni deditum; inquit enim: *Nihil magis metui quoties ebrius erat (erat autem frequenter) quàm vt agmen diabolorum accerſiret, quod ſæpè numero facere voluit, ſpeciem artis ſuæ editurus; ſed à me rogatus omiſit*; fuit ſimiliter impius, ac blaſphemus: Eraſtus enim *diſput. 1. contra illum*, ſeptem abominandas blaſphemias illius retulit; nec hoc mirum de homine, cuius ſtudia fuerunt cum ipſo D dæmone; nec alios ipſe legit libros; ipſe enim fatetur *in fragmentis*, ſuam bibliothecam non continere ſex paginas, & per decem annos ſe nullum librum legiſſe, nec illi ſupererat tempus pro eorum lectione; quia, vt refert Oporinus, qui per biennium cum ipſo cõmoratus eſt, *Adeò erat totis diebus ac noctibus, dum ego ipſi familiariter per biennium ferè conuixi, ebrietati & crapulæ deditus, vt vix vnam, ac alteram horam ſobrium reperire licuerit.* Vir talis à dæmone inſtructus nouam Sectam in Medicina auſus eſt condere, quam Spagiricam nominant plerique; quia ipſe ſpagiricæ arti maximè fuit deditus, vt illius prætextu impia plura præcepta poſſet ea admiſcere: ſal, ſulphur, & mercurium omnium mixtorum conſtituit principia: & omnium morborum conſtituit cauſam materialem, ſeu effectiuam; & ideò morbos alios dicit eſſe Sulphureus, E alios ex ſale, aut mercurio ortos; nullos tamen contendit poſſe prouenire ex humoribus, licèt ipſos humores in corpore reperiri, fateri non dedignetur. Sic philoſophari contendit *in fragmentis Medicinæ tom. 1. & libr. de modo pharmacandi tract. 1. tom. 1. & lib. 1. de morbis tartari.* Iudicat enim eſſe errorem; calidum, aut frigidum, bilem, aut pituitam conſtituere cauſas morborum; quia, inquit, ſicut plantæ fiunt à ſuis ſeminibus, ſic morbi ex ſuis cauſis ſeminalibus, non autem ex humoribus, qui in corpore non ordinantur, vt ſint morborum cauſæ, & vt in plurimùm dicit humores ſolum ſe habere pro morbis generandis, ſicut ſe habet terra quæ ſemina fouet, pro generandis plantis,

plantis, aut arboribus. Adhærent huic doctrinæ Spagirici Paracelſiſtæ, Petrus Seuerinus in *Idea Medica*, Quercetanus in *Conſilio de Artritide*, Alexander Sutheenius, Dornæus, Phædro, Doruiheinſerus, & alij.

Primò, fulcitur hæc opinio fundamentali ratione, Morbi, ſicut plantæ, arbores, & reliqua quæ generantur, fiunt, & producuntur à propriis cauſis ſeminalibus de ſe ordinatis pro eorum generatione: ſed humores non ſunt cauſæ ſeminales morborum; Tum quia ſunt de ſe ordinati pro partium nutritione, & pro aliis finibus conducentibus ad conſeruationem viuentis: Tum quia cauſæ ſeminales morborum ſunt in aſtris valentibus euertere fœdus ſalis, ſulphuris, & mercurij, ex quibus debito fœdere commixtis inſurgit ſanitas: ergo humores non ſunt cauſa quâ fiunt morbi magni.

Secundò: Non fieri ex humorum primis qualitatibus nos alterantibus morbos videtur ſuaderi ex Hippocrate *lib. de priſca Medicina* §. *Neque calido ſimpliciter febricitant homines, neque ipſum ſolùm affectionis cauſa eſt; ſed eſt amarum, & calidum idem & acutum & ſalſum; & frigidum cum aliis qualitatibus coniunctum*: Ergo morbi non fiunt ab humoribus nos alterantibus, ſed ex aliis immotantibus ſalis, ſulphuris, & mercurij fœdus & vnionem: qualiter ea ſecundis, & aliis qualitatibus fieri poteſt.

Tertiò: Sanitas conſiſtit in debita commixtione ſalis, ſulphuris, & mercurij, & morbus quiuis prouenit ex horum rupto fœdere: ſed humores nequeunt hoc rumpere fœdus: ergo humores non ſunt cauſa à qua poſſunt fieri, aut pendere morbi magni.

§. II.

Dogmaticorum, & Spagiricorum traditur opinio.

Reſoluendum: Quòd maiori ex parte morbi magni producuntur & fouentur à ſanguine aut reliquis humoribus. Sic tenet Hippocrates, Galenus, & cuncta Dogmaticorum Schola, communi aſſenſu, fatenturque Spagirici, qui Paracelſi Sectæ non ſunt adſtricti; ſic tenet Heber, Auicenna, Raſis, Arnaldus à Villanoua, Raymundus Lullius, Ioh. de Rupe Seiſſa, Bonus, Ferrarienſis, Hortulanus, Iſaac, Hollandus, Rogerius, Riphæus Lacinius & alij à Libanio annumerari, qui in Dogmatica Secta ſimul etiam, & claruerunt in arte Spagirica.

Probat hanc doctrinam tot magnorum virorum per tot ſæcula communis conſenſus; ipſaque demonſtrat experientia, quæ docet ea manuali artificum exercitio hoc manifeſtari. Tum quia ſicut ab humoribus naturaliter ſe habentibus permanet ſanitas, ab ipſis præternaturaliter ſe habentibus morbus debet ſuperuenire: Tum quia ab ipſis putreſcentibus febres oriri patet ad ſenſum: Tum quia diuerſis humoribus putrefactis diuerſi fiunt morbi ſpecie; Tum quia iuxta humorum diuerſitatem, à quibus pendent morbi, diuerſæ fiunt morborum durationes, diuerſa ſymptomata, diuerſæ febrium intenſiones, euentus, ac terminationes: Tum quia ſi ruant humores in partem; tumores, & viarum fiunt occluſiones, obſtructiones, eryſipelata, œdemata, ſuffocationes; aliique quamplurimi ſubſequuntur morbi: ergo quia humores illorum ſunt cauſa, à qua fiunt, & in quibus fouentur.

Dices: Quòd ſunt aliæ cauſæ ſeminales, à quibus dependent, & fiunt.

Contrà: illæ ſunt cauſæ ſeminales, & productiuæ rerum, ex quibus res fiunt, quibus manentibus res manent, & conſeruantur, & quibus ablatis, tales res neceſſe eſt auferri, ſed omnes morbi annumerati, aliique quamplurimi ponuntur, quibuſdam humoribus poſitis, vitiúmque habentibus in quantitate, qualitate, aut motu, ipſiſque ablatis, ſiue criſi, ſiue reſolutione à natura, ſiue ſanguinis miſſione; ſiue purgatione ab arte, morbi, quicumque dicuntur ab humoribus pendere, auferuntur: ergo humores ſunt illorum cauſæ ſeminales, ſiue effectiuæ, vt loquuntur Rationales.

§. III.

Soluuntur Paracelſiſticorum fundamenta.

Ad primum reſpondetur: quòd ea, quæ fiunt in rerum natura, aut ſunt ſubſtantia, aut accidentia: ſubſtantia alia fit à ſimili medio ſemine, quales ſunt perfectiora animalia, & plantæ: alia fiunt ſine ſemine, ſed plerumque putredine, vt muſcæ, & lumbrici ex terra. Accidentia nunquam ex ſemine fiunt, ſed vel à ſimili, media alteratione, vt calor generatur ab igne; vel ab aliqua virtute principalioris agentis, vt calor fit à luce; vel à formis mixtorum: aut producuntur ad poſitionem alterius, vt quantitas comproducitur cum ſubſtantia; & relationes, figura, forma, habitus, & diſpoſitio producuntur tanquam termini ſecundarij ad poſitionem ſui fundamenti, cum quo eſſentialem habent connexionem; ſicut propriæ paſſiones cum ſuis eſſentiis, à quibus dimanant. Ex quo apparet, quod licèt morbus eſſet ſubſtantia, vt intendit Paracelſus, non deberet neceſſariò fieri ex ſemine, ſicut nec fiunt metalla, nec lapides, & multò minùs cùm ſit accidens: & adhuc ſi Paracelſi opinio eſſet vera, non eſt cur non ſit dicendum humores eſſe ſeminales cauſas morborum, cùm ab eis doceat experientia fieri, pendere, & conſeruari; & ipſis ablatis auferri ſimiliter morbos ab eis ortos. Patet ſimiliter, quòd licèt ſint ordinati humores ad nutritionem, dum ſunt in ſtatu naturali; dum vitium adquirunt in quanto, quali, aut motu, poſſunt inducere rationem cauſæ morbi. Tum etiam patet: Quòd cauſæ ſeminales morborum non ſolùm ſunt Aſtra, ſed plures ſunt cauſæ inferiores, aliàs nec veneno, nec cibis aut potibus, nec ab animi paſſionibus, nec à rebus non naturalibus, nec ab ictu venenoſi animalis, nec enſibus & cultellis, aut bellicis inſtrumentis poſſet morbus nobis cauſari; quam inſaniam nec Diabolus Paracelſi Magiſter auſus eſſet ſuadere.

Ad 1. Reſpondetur: quòd Hippocrates intendit docere non ſolum primas qualitates valere nos alterare, ſed & ſecundas & reliquas; & quòd alimenta non ſolùm poſſunt nocere per primas, ſed per reliquas qualitates; & non ſolùm deducere ea ſolo, in quo ſunt, qualitates primas, ſed amaritudinem, ſalſedinem, & reliquas qualitates diuerſas, modoſque ſubſtantiæ ſecundùm quos diuerſi fiunt humores, qui diuerſo modo nos alterare valent.

Ad tertium reſpondetur: Quòd fœdus ſalis, ſulphuris, & mercurij, ſeu modorum ſubſtantiæ, quos intelligere volunt Spagirici per ſal, ſulphur, & mercurium, conſeruatur, dum conſeruatur debita vnitas, naturalis temperies, & conformatio: diſrumpitur verò his diſruptis; & ideò morbi quibus iſta peruertuntur, ſunt à Medicis attendendi, qui qualiter poſſunt fieri ab humoribus, latè diximus, latiuſque demonſtrant Dogmatici agentes de cauſis morborum.

RESOLVTIO II.

Vtrùm cruor poſſit eſſe cauſa alicuius morbi magni?

§. I.

Van Helmont qui, & quid ſentiat proponitur.

IOannes Baptiſta Van Helmont Germanus Nobilis, ac Catholicus, ſed ab incunabulis, volubilis naturæ vir; ipſe enim *in tract. de propriis ſtudiis* id demonſtrat; ſibi fuit omninò fidus: in *indice enim columna ſecunda*, dicit de ſe, *& viſus ſum mihi nouus medicus, & medicinæ author hactenus duntaxat nomine tenus cognita:* ipſéque in *confeſſione ſua*, & ſæpiſſimè *in reliquis libris* gloriatur ſe ſolùm meruiſſe in inſomniis à Deo recipere Medicinam, veramque Philoſophiam, nulli alteri ante ipſum ab aliquo cognitas, quia de Medicina dicit, quod non poteſt diſci in Scholis, quia à ſolo Deo tribuitur, iuxta illud libri Sapientiæ, *Creauit Deus Medicinam*. Ipſe autem Louanij in dogmatica Medicina nutritus; poſteà ad Paracelſiſticam ſe tranſtulit, vtramque reliquit; & cùm inſanæ eſſet mentis, cerebrique infirmi, cùm delirus, ac inſanus, à mente oriri morbos omnes excogitaſſet, ne videretur cum Paracelſo à Dæmone nouam recepiſſe Medicinam, à Deo gloriatur miraculosè eam recepiſſe in inſomniis, & Deum illius animam ſeparaſſe à corpore, vt hoc illi condonaret donum, ſuâ medicinâ curatum nullum affirmat mori: ipſe tamen ſui ipſius oblitus mortuus eſt. Maximè inſiſtit in Hippocratis & Galeni refellendis dogmatibus, humores reperiri in corpore nullos profitetur; præcipuè *lib. de humorib.* Cruorem tamen admittit, ſic ſanguinem quartum humorem vocat, ne nomine vſitato admiſſo, appareat, hunc ſaltem admittere humorem, illum tamen contendit nullius morbi eſſe cauſam, & conſequenter deducit nullum in ſanguine, aut humoribus dari vitium, ratione cuius ſanguis debeat mitti.

Primò fauet huic opinioni, quòd cruor eſt ſubſtantia incorruptibilis, nectar viuentis, ex quo partes nutriuntur, cum quo conſeruantur, quod eſt ſedes animæ, & ſine quo animal permanere non poteſt: ergo nullius morbi magni poteſt eſſe cauſa, nec vitium acquirere, ob quod indicet ſanguinis miſſionem, aut alia via, aut remedio euacuari petat.

§. II.

Dogmaticorum doctrina præferenda.

REſoluendum: Quòd non poteſt negari dari poſſe plures morbos magnos ex vitio ſanguinis ortos: ſic fatentur omnes Dogmatici. Probatur, tum quia ſanguis, imò ſemen & ſpiritus, qui ſunt perfectior ſubſtantia, cùm ſint mixta, quorum putredo eſt paſſio, poſſunt putreſcere. Tum quia ſynochus ex ſanguine quarto humore, vt docet experientia, oritur, & ipſo enaeuato, ſudore, aut hæmorrhagia, febrem ab illo pendentem ceſſare. Tum quia ſi motu erroneò feratur quò ferri non deberet, fit morbus à quo periclitatur vita: ergo non eſt denegandum cruori, quòd poſſit eſſe cauſa morbi magni.

§. III.

Van Helmont diluitur conatus.

AD conatum Van Helmont reſpondetur: Quòd ſangnis in naturali ſtatu ſedes animæ nuncupatur, deſeruit pro nutritione, & eſt omninò illi neceſſarius; at verò dum vitium contrahit in quanto, in quali, aut motu, cauſa fit diuerſorum morborum, vt latè proſequemur infrà.

RESOLVTIO III.

Vtrùm præter Cruorem dentur in corpore alij humores, qui non poſſint eſſe morborum cauſæ?

§. I.

Van Helmont opinio, & fundamenta ponuntur.

VAn Helmont *tr. de humoribus*; nullum alium humorem præter cruorem in corpore eſſe admittendum contendit totis viribus ſuadere, vt *lib. de febribus*, proſequuti ſumus; ex quo infert ſanguinem numquam eſſe mittendum, cùm reliqui euacuandi humores non ſint in corpore; & cruor ſit ſemper naturalis, & vtilis viuenti.

Primò ſuaderi poteſt: Tum quia Rationales admittunt quatuor humores in corpore, quia ſunt quatuor elementa in vniuerſo; & conſtat, nec ignem dari, nec admiſſis elementis in vniuerſo, cogit ratio humores admittere in corpore; cùm à ſolo cruore poſſit nutriri: Tum 2. quia nec cogit admittere quatuor humores, quòd in lacte appareant quatuor ſubſtantiæ diuerſæ, quia illæ ſunt tantùm tres, ſerum, butyrum, & caſeus: Tum 3. quia nec valet dicere ex chylo quatuor ſubſtantias diuerſas generari, quæ dicantur humores, & vnam adimpleant maſſam ſanguinariam, ex cuius corruptione fit morbus magnus petens ſanguinis miſſionem; quia chylus vna eſt materia homogenea ex qua vnus cruor poteſt fieri, non autem plures humores: ergo præter cruorem nulli ſunt in corpore humores qui poſſint eſſe cauſa morbi magni à quo indicetur ſanguinis miſſio. Pro iis ſolutiones adhibuimus ſuprà contra Van Helmont.

§. II.

Traditur Dogmaticorum doctrina.

REſoluendum non ſolùm reperiri cruorem in corpore; ſed melancholiam, bilem, & pituitam, ex quibus ſanguini commixtis fit maſſa ſanguinaria, & ex quorum vitio in quanto, in quali, aut motu, fiunt morbi magni indicantes ſanguinis miſſionem: ſic dari demonſtrauimus *p.1. Reſolutionum Medicarum diſp.5. ſect.1.* cum Hippocrate *lib. de natura humana*, & cum Gal. *in illius commentariis, & lib. de humoribus*, & hos dari humores demonſtrat experientia in pluribus morbis diuerſis prouenientibus ex his diuerſis humoribus putreſcentibus, aut alio modo vitium contrahentibus; ſimiliter demonſtrat in Diarrhœis diuerſorum humorum, & aliis euacuationibus, ſiue ab arte, ſiue à natura factis, in quibus illi diuerſi humores ſenſui apparent & morbi ab illis pendentes extinguuntur. Tum etiam idem conuincitur: quia huiuſmodi humores cùm ſint neceſſarij pro diuerſarum partium nutritione, diuerſi debuerunt produci, & cùm non poſſint ſemper ſine vitio permanere, neceſſarium eſt vt morbi cauſæ fiant.

Resolvtio IV.

Vtrùm Pituita poſſit eſſe cauſa morbi magni?

§. I.

Van Helmont refertur ſententia.

PItuitam nullam in corpore dari, illamque neè ſanguini comiuixtam, nee ab illo ſeparatam eſſe fatetur Van Helmont; & conſequenter nec morbum ab illa aliquem poſſe cauſari aſſerit: ſuámque conatur ſuadere opinionem *tract. de humoribus.*

Primò: quia ſi in corpore humano daretur pituita, daretor pro illa aliquod receptaculum; ſicot pro bile, & melaucholia propria receptacula fabrefecit natura. Nec ohſtaret quòd eſt ſanguis ſemicoctus, quia ſi humor crudus eſt, non eſt humor natoralis; nec poteſt generari extra iecur, cùm io illo oon valuerit produci.

Secundò: quia dato, quòd pituita daretur in venis, ea eſſet ſangnis ſemicoctus, qui cum ſola maiori, aut minori perfectione accidentaliter differret, non eſſetque eſſentialiter aliud diſtinctom ab ipſo eruote; & ſicut ille non poſſet corrumpi; nec alicuius morbi cauſa dici: ergo adhuc ſi admitteretur pituita in corpore, non poſſet ab illa cauſari morbus.

Tertiò: Pituita cùm ſit ſuccus crudus, & imperfectus, non poteſt generari oiſi læſa actione geoeratiua ſanguinis, aliàs fieret ſanguis perfectus: ergo dum iecur naturaliter generat, pituitam non producit: ergo ſine illa corpus naturaliter ſe habens debet permanere: ergo non eſt neceſſarium dari pituitam in corpore ratione cuius fiat morbus.

§. II.

Communis Dogmaticorum opinio præfertur.

REſoluendum: Quòd ſemper in corpore manet pituita, quæ, ſi putrefiat, aut vitium aliud magnum adquirat, valet morbum magnum efficere, ſic tenet Dogmaticorum Schola.

Probatur: Pituita eſt humor frigidus & humidus aptus pro nutritione partium humidarum; ergo neceſſariò debet reperiri in noſtro corpore, ſicut reperiuntur reliqui humores apti pro nutriendis reliquis partibus: ſed reliqui putredinem & alia acquirunt vitia, propter quæ morbum magnum valent cauſare, vt de ſanguine probauimus, & probabimus de reliquis humoribus: ergo pituita poteſt eſſe morbi magni cauſa.

Probatur 2. Leucophlegmacia, Paralyſis, febris quotidiana, quæ ab aliis febribus differt in acceſſionum repetentia, duratione, tempore, modoque caloris; morbus comitialis, & lethargus fiunt ex humore frigido & humido, vt communis tenet opinio, docent accidentia, demonſtratque eorum modus: ergo datur in corpore pituita quæ poſſit eſſe cauſa morborum magnorum.

Probatur 3. Succum crudum qui licèt humidus ſit ſicut ſanguis, non attingit illius perfectionem; in venis remanere: & hunc quandoque ſupernatare demonſtrat experientia, tum in pituitoſis, ſiue illis qui humidis & frigidis vſi ſunt alimentis; tum in eis qui debilem habent ventriculum: ſed hunc vocamus Pituitam, & ab hoc redundante, non ſolùm febres, obſtructiones; ſed pituitoſos tumores illum conti-

A nentes oculis cernimus: ergo pituita poteſt in corpore dari, & morborum cauſa eſſe.

§. III.

Soluuntur Van Helmont rationes ex ſupradictis.

AD 1. Reſpondetur: Quòd pro ſanguine, & pituita non ſunt receptacula extra venas, ſicut pro bile & Melancholia; quia iſti ſunt ſicci, & ne properent mortem naturalem, quod redondat repurgat natura ad propria receptacula; humores humidi potiùs eam retardant; & ideò etſi redundent, continet intra venas.

Ad 2. Reſpondetur, quòd vt dixi *part. 1. Reſolut. medicarum*, duplex eſt pituita naturalis: alia eſt ſanguis B ſemicoctus, de qua probat argumentum: alia à ſanguine ſpecie diuerſa, quæ eſt humor frigidus & humidus eſſentialiter à ſanguine alius, & qui nunquam fieri ſanguis poteſt.

Ad 3. Reſpondetur: quòd pituita, quæ eſt ſanguis ſemicoctus à diminuta actione concoquendi fit: pituita, quæ eſt humor vnus naturalis inter quatuor annumeratus, fit naturalis dum naturaliter ſe habet homo; non ita perfectus dum imperfectæ ſiunt iecoris coctiones.

C

Resolvtio IV.

Vtrùm Melancholia ſit morbi magni cauſa?

§. I.

Noua Van Helmont opinio proponitur.

VAn Helmont *tractatu de humoribus.* Melancholiam in corpore dari negat, & ea hoc nullo modo poſſe ab illa morbos oriri concludit, ſed ſpecialiter morbos ex illa non fieri probat: Quia ſi aliquis morbus oriri ab illa diceretur, maximè Quartana; ſed hæc non oritur à melancholia; tum quia ſi penderet Quartana à melancholia, euacuatâ melancholiâ ſanguinis miſ- D ſione, aut purgatione, curaretur Quartana, quam videmus poſt has euacuationes per annum vltraque ſe extendere: Tum 2. quia ſi à melancholia Quartana foueretur, cùm lien ſit receptaculum melancholiæ, foueretur ab illo, & duraret, quandiu humor ibi contineretur; liene verò obſtructo & melancholia pleno, ac rumoroſo contingit auferri Quartanam: Tum 3. quia ſolius lienis curatio intenderetur, non autem eſſet reliquarum partium prouidentia: Tum 4. quia cum Quartana per plures annos ſe extendat, non poſſet foueri à melancholia, quia ſic genita non poſſet tandiu perdurare: ſi ab ea quæ quotidiè generatur, mutato alimento, & eo exhibito, quod non habet partes proportionatas, vt melancholia fiat ex illo, ea non poſſet generari: E ergo melaocholia non poteſt eſſe cauſa morbi magni.

§. II.

Communis aſſentimur Dogmaticorum doctrinæ.

REſoluendum: Quòd plures morbi magni ortum ducunt, & fouentur à melancholia.

Probatur 1. Quia melancholia morbus, hypochondriaci plures affectus, diuerſáque ſymptomata ex eis orta nullam aliam in corpore habent cauſam, cui debeant tribui præter melancholiam, nec cuſtus

naturæ ita teſpnndeant:Tum quia ſcitthoſns tumor, ſi aperiatur,manifeſtè demoſtrar foueri ex melancholia. Tum quia Quartana in caloris modo,intenſione, horrore,duratione,& accidentibus demonſtrat à nollo alio humore poſſe oriri,cùm reliquæ febres ab aliis humotibus ortæ differant ab ea omnino:Tum quia ad viſum apparet melancholia craſſa,terreſtris,& nigra, ſanguine miſſo,& ab ipſo ſanguine ſeparata : ergo ſi vitium adquirat,poteſt eſſe cauſa morborum magnurum.

§. III.

Solutio adhibetur rationibus dubitandi.

AD 1. Reſpondetur, Tum 1. quòd ſi rota portio melancholiæ euacuateiur,à qua pender Quartana, ipſa curaretur, ſicut euacuatá bile, ceſſat Tertiana: ſed quia terreſtris tam citò enocoqui non poteſt,ideò nec à ſangoine ſeparari,nec purgatione extrahi:Tum 2. quòd à iecoie ex melanchulia in venis contenta foueri poteſt Quartana,& ablata iecoris intemperie, & conſumpta melancholia venarum,licèt lien ſit obſtructus, curatur : Tum 3. quòd cùm melancholia ſit etiam in venis , non intenditur ſolius lienia curatio : Tum 4. quòd ab intemperie habituali iecotis,aut lienis,poteſt per plutes annos generari melancholia in quantirate, & vitio,cum quibus foueat Quartanam.

Resolvtio IV.

Vtrùm bilis ſit morbi alicuius magni cauſa?

§. I.

Proponitur dicendi modus Van Helmont.

VT reliquoa humores non eſſe admittendos in corpore ; ſimiliter nec Bilem eſſe contendit Van Helmont *tr. de humoribus*; & conſequenter infert nullum à bile poſſe morbum oriri : præcipuè tamen intentum fouere videtur,tum 1.quia Dogmatici bilem non admittunt,niſi quia ſicut ſunt quatuor elementa, quatuor etiam videantur admitti humores, quorum bilis correſpondeat igni ; qui non datur in rebus, vt plures Philoſophi concedunt:ergo non eſt in corpore bilis à qua fiat morbus magnus.

Secundò, humor debet generari io iecore : ſed ſubſtantia amara,pallidáque,quæ apparet in corpore,non fit in iecore,ſed in ventriculo,vt in pueris lactantibus, & eis qui melle vtuntur, apparet; in quibus in veotriculo talis humor generatur : ergo noo geoeratur in iecore bilis à quo fiat morbus.

Tertiò: Si quid demonſtraret morbos magnos poſſe pendere ea bile,maximè vomitus bilioſus,ſiue in priocipiis acceſſionum febrium ſuperueoiens;ſiue ratione iecoris inflammationis,aut alterius cauſæ : ſed ea vomitu etiamſi in illo appareat pallidus, acris, mordax, calidus,ac tenuis humor, nec bilem infertur dari, nec morbum poſſe ea illa generari: ergo ea bile nullus poteſt morbus magnus pendere. Probatur minor,tum 1. quia vomitus in principio Tertianæ exiſtens,ſimilis eſt ſubſtantiæ, quæ ſolet generari ea ſuperflua cœna ; & ideò ſicut illa,generatur in ventriculo,& non eſt bilis: Tum 2. quia ſi eſſet bilis quæ vomitu reiicitur , non ſubſequeretur Tertiana, quia iam eius cauſa eſſet euacuata:Tum 3.qoia tanta copia, quanta reiicitur per vomitum,non poteſt contineri,& ideò nec generari in iecore,ſed in ventriculi cauitate:& ideò nec humor dicitur. Ergo ex vomitu ſubſtantiæ,quæ dicitur bilis,non

A ſumitur aliquod indicium quòd poſſit dari billa , nec quòd poſſit ab illa peodere morbus.

§. II.

Dogmaticorum præfertur opinio.

REſoluendum:quòd Bilis maiori ea parte eſt cauſa morborum magnorum pendentium ex materia; ſic fatentur Dogmatici experientiâ conuicti, quæ demonſtrat cardialgiam , eryſipelatem , choleram morbum,Tertianam,intermittentem,contiouam,& febrem ardentem, aliosque quamplurimos morbos materiales ex bile pendere,quod idem teſtantur accidentia ad has febres ſubſequuta,teſtanturque caoſæ externæ,& con-
B iunctæ,quæ euacuatione, ſiue ab arte, ſiue à natura facta extractæ,ad ſenſum demonſtrant eſſe eam ſubſtantiam,quam Bilem vocamus;qua extracta,morbi, quos ab illa pendere dicimus,ſtatim curantur.

§. III.

Soluuntur fundamenta ex Van Helmont deducta.

AD 1.Reſpondetur;quòd admittimus Bilem; quia eam , inter reliqoos humores ex corpore extractos,cernimus,in ſubſtantiæ modo, colore, temperie-
C que diuerſam;& quia ipſam pro ſimili ſubſtantiæ modo nutriendo in noſtro corpore neceſſariam eſſe conuincimur.Nec diſſentimur ab eis,qui etiam admittunt eam correſpondere igni;ſed iudicamus quòd ſi illi,qui ignem negant, igne plecterentur,eum cogerentur admittere,& fateri.

Ad 2.reſpondetur,qnòd bilis,quæ eſt humor naturalis,alendo vtilis,generatur in iecore;alia verò ſimilis ſubſtantia, biliſve prætetnaturalis, ſubſtantiáve nidoroſa poteſt in ventriculo geuerari,nec ea huius generatione in ventriculo infertur; quòd non poſſit naturalis fieri in iecore, & præternaturalis , & plures eſſe ſpecies bilis,quæ ſint cauſa morbi magni.

Ad 3.reſpondetur,Tum 1.quòd licet bilis,quæ vo-
D mitu reiicitur in principio Tertianæ,ſit ſimilis ei quæ aliquando fit in ventriculo; poteſt tamen,vt diai, generari in iecore : Tum 2.quòd licèt vomitu reiiciatur bilis, ſubſequitur Tertiana , qoia remanet alia portio ea qoa fiat : Tum 3. qoòd tota copia quæ reiicitur, continetur in venis, in iecore , & in primæ regionis vaſis.

SECTIO III.

De vitiis ſanguini ſuperuenientibus.

E EX Hippocrate *lib. 1. de natura humana text.* 18. Sanguis dum intra venas proportionatus manet,nectar eſt viuificum,qno irrigatæ vniuerſi corporis partes continuum alimentum ſuſcipiunt. Dum autem indebito ruit motu,alteratione intemperatur, vel ſuperaddita quantirate à naturali ſtatu recedit,vitium contrahit,ea quo morbos ſuperuenire contingit magnos in ablatione cauſæ, quorum ſanguinis miſſio exercetur. Et ideò ſuſcepimus de his diſputare vitiis ſob hac ſectione.

Resolvtio I.

Vtrùm ſanguis ratione motus localis vitium adquirat?

§. I.

Pars negatiua aliquibus fulcitur fundamentis.

HVmoribus intra corpus propria loca deſtinauit natura, & hæc ſunt venæ & arteriæ, vt alibi dicemus, in quibus retenti conſeruarentur, ac perficerentur, prout requiritur, vt aptiores redditi ferantur in partes pro earum nutritione, & pro diuerſis vſibus in quos B ſunt deſtinati: contingit autem plerumque ferri humores, ac moueri in partes ante deſtinatum tempus, vel in maiori quantitate, aut concitatiori impetu, quàm naturaliter deberent ferri. Inquirimus autem in præſenti, an ratione huiuſmodi motus dicatur ſanguis, aut reliqui humores ſanguini commixti acquirere aliquod vitium, quod maximè in ipſis humoribus ſit attendendum? Et pars negatiua fulcitur.

Primò: quia ſanguis ſemper eſt humor benignus, amicus naturæ, animæ ſedes, viuificum nectar, & ſimpliciter neceſſarium pro partium nutritione, & corporis conſeruatione: ſed ratione motus localis non amittit has dotes: ergo non redditur vitioſum.

C Secundò: Sanguis ante motum localem eſt vtilis viuenti: ſed idemmet manet poſt motum localem: ergo ratione motus localis nullum adquirit vitium.

Tertiò: ſanguis qui eſt naturalis, eſt qui à natura retinetur; ſanguis dum aliquod patitur vitium, eſt, qui irritat ad ſui expulſionem, & motum: ergo ſanguis non adquirit vitium ratione motus localis, ſed antecedenter illud habebat, & ratione illius mouetur.

§. II.

Exponitur vitium quod ſanguis per motum acquirit.

REſoluendum: Quòd cùm ſanguis locali motu ruit à venis, ab ipſiſque prolabitur vltra modum à natura præſcriptum, ratione motus acquirit vitium, quo redditur proxima cauſa diuerſorum morborum.

Probatur: ſanguis extrauaſatus in parteſque indebitè delatus, ipſe corrumpitur, quia extra proprium locũ ſui conſeruatiuum quamcitiſſimè neceſſe eſt corrumpi, & putreſieri, vel in grumos mutari; pars autem quæ illo repletur in tumorem attollitur, dolorem patitur, ac intemperiem, ſiue alterationem ſimilem ei, per quam ſanguis alteratur: ergo acquirit vitium, quo redditur proxima cauſa diuerſorum morborum.

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

AD primum Reſpondetur: quòd ſanguis dum generatur cum debito ſibi ſubſtantiæ modo, qualitatibus, & quantitate debitis, omnes illas dotes habet, quamdiu conſeruatur intra venas, ab illis perficitur, & pro ſuis vſibus conſeruatur: at verò illas omnes amittit, dum indebitè motus ad partes ruit.

Ad 2. Reſpondetur: quòd ſanguis poſt motum localem alius remanet, ac erat intra venas; & ideò cauſa proxima fit, vt apparet ex reſolutione, plurium morborum; præternaturalis enim redditur.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſanguis ſine aliquo vitio in modo ſubſtantiæ, aut in qualitatibus ratione A ſuæ quantitatis poteſt cogere ad ſui expulſionem: etſi aliquando habeat vitium in qualitatibus, per quas cogat ad ſui expulſionem; poſtea verò motus ad partes nouum adquirit vitium ratione illius motus, ratione cuius cauſa eſt plurium morborum, tumorum, inquã, diuerſorum, ſolutionis continuitatis, diuerſæve intemperiei; quorum omnium cauſa proxima redditur ob vitium quod acquiſiuit ratione motus localis.

Resolvtio II.

Vtrùm ſanguis poſſit adquirere vitium in Quali, quod non ſit cacochymia?

§. I.

Proponitur ſtatus difficultatis, & dubitandi ratio.

ANtiquiores parùm ſolliciti in cognoſcenda cacochymia, ipſam ignorantes, ſanguinis miſſionis, & purgationis proprium indicans ignorarũt: confundebant eum quolibet vitio in Quali, quod ſuperuenit humoribus cacochymiam patientibus. Moderniores autem in eorum doctrina nutriti, quodlibet vitium in Quanto humoribus ſuperueniens vocant Plethoram; & ab hoc contendunt indicari ſanguinis C miſſionem; quodlibet autem vitium, quod in Quali ſuperuenit, Cacochymiam vocant, & ab hoc contendunt indicari purgationem, quibus ſubſcribens Horatius Augenius *lib. 2. de ſanguinis miſſione* c. 5. dicit, quòd vitium in Quantitate in humoribus eſt plenitudo: vitium verò in Qualitate eſt Cacochymia; taliter quòd ſi plenitudini ſuperueniat, tunc humores non dicentur efficere plethoram, ſed cacochymiam pati, quia iudicat impoſſibile, quòd ſit aliquod vitium in qualitate in humoribus, quod non ſit Cacochymia. Cui fauet

Primò Galen. 1. *Aphoriſm.* 2. vbi purgationem definit, quòd ſit euacuatio humorum qualitate peccantium: ſed, vt omnes fatentur, indicans purgationis eſt D cacochymia: ergo omnes humores qualitate peccantes ſunt cacochymia.

Secundò: In eodem morbo ſanguinem mittimus in principio, & purgamus in declinatione: ergo quia ratione alterationis mutatur plenitudo, à qua priùs indicatur ſanguinis miſſio, in vitium in Quali, à quo indicatur purgatio, quia eſt cacochymia.

Tertiò: Dum cauſatur morbus ratione plenitudinis, ſi in eius augmento materia turgeat, quia hæc peccat in Quali, ſtatim purgamus: ergo quia propter vitium in Quali humor acquirit cacochymiam, quæ eſt indicans purgationis.

Quartò: Plethora, & Cacochymia ſunt duo vitia ſuperuenientia humoribus, ſpecie inter ſe diuerſa, cùm E plenitudo ſit indicans ſanguinis miſſionis, & cacochymia ſit indicans purgationis, ſed nulla eſt alia ratio diſtinctionis inter illa niſi quia plenitudo eſt vitium in quantitate ſuperueniens; cacochymia in qualitate: ergo quodlibet vitium in Quali ſuperueniens humoribus eſt Cacochymia.

§. II.

Explicatur vitium in Quali, quod dicitur Cacochymia.

REſoluendum: quòd vitium in Quali ſuperueniens cuicumque humori ſeparato à ſanguinis commixtione eſt cacochymia.

Probatur

Probatur hæc reſolutio latiſſimè ex doctrina à nobis tradita, *diſputat. de purgandi ratione, ſect.* 1. *de Cacochymia*; & demonſtrat ratio, quia cacochymia eſt vitium ſuperueniens cuicumque humori ſeparato à ſanguinis commixtione, vt ibi manet demonſtratum.

Probatur 2. Cacochymia eſt vitium, ratione cuius indicatur purgatio: ſed à ſolo humore ſeparato à ſanguinis commixtione indicatur purgatio: ergo ſoli humori peccanti in Quali ſeparato à ſanguinis commixtione accidit, quòd dicatur cacochymus. Probatur minor: à ſolo illo humore indicatur purgatio, qui poteſt attrahi à Pharmaco, natura coadiuuante ad illius expulſionem: ſed natura mediâ ſuâ facultate expellente ſolum coadiuuat ad expulſionem humoris ſeparati à commiſtione ſanguinis; nam qui ſanguini eſt commiſtus, cùm ſit pars ſanguinariæ maſſæ, propter miſtionem cum ſanguine intenditur retineri à natura: ergo à ſolo humore ſeparato à ſanguinis commixtione indicatur purgatio.

Probatur 3. Si aliquis humorum turgeat, aut poſt coctionem ſeparetur à ſanguinis commiſtione, indicatur purgatio ab illo, ex Hippocrate 2. *Aphor.* 21. *§ concocta medicari, ac mouere non cruda, niſi materia turgeat*: ſed purgatio indicatur à cacochymia: ergo humoribus ſeparatis à ſanguinis commixtione ratione vitij in Quali ſuperuenit cacochymia.

§. III.

Propria, ac noua ſancitur opinio.

RESoluendum: Quòd ſi ſanguini, aut reliquis humoribus ſanguini commixtis ſuperueniat vitium in Quali, tale vitium non eſt Cacochymia.

Probatur 1. quia vt probauimus *diſput. de purgandi ratione ſect.* 1. *reſolut.* 1. §. 2. vitium cuiuſvis humoris à ſanguine intra maſſam ſanguinariam contenti donec a ſanguinis commiſtione ſeparetur, non eſt cacochymia; ſed ſanguini, & reliquis humoribus illi commixtis poteſt ſuperuenire vitium in Quali, ſi alterentur, aut putreſcant, vt contingit dum ſunt cauſa febrium: ergo erit vitium in Quali, ſine eo quòd ſit cacochymia.

Probatur 2. Plerumque vitium in Quali, ſi putreſcat Sanguis quartus humor, aut ſanguis prout dicit maſſam ſanguinariam, ſeu omnes humores ſanguini commiſti, ſuperuenit illis: ſed hoc vitium non poteſt dici cacochymia: ergo datur vitium in Quali, quod non ſit cacochymia. Probatur minor, quia cacochymia eſt indicans purgationem, ſanguis autem nunquam petit purgari: ergo illi nunquam accidit vitium in Quali, quod dicatur cacochymia.

Probatur 3. ex Galeno *lib. method.* in omnibus febribus, quas putreſcens concitat humor, conuenit ſanguinis miſſio: ergo licèt humor putreſcens peccet in Quali ratione putredinis, non aduenit illi cacochymia. Patet conſequentia, quia ex Galeni doctrina ab eo vitio quod dicitur cacochymia, ſemper indicatur purgatio: ſed ab humoribus putreſcentibus, qui peccant in Quali docet indicari ſanguinis miſſionem: ergo quia vitium in Quali in humoribus ſanguini commixtis non eſt cacochymia.

Probatur 4. Si quodlibet vitium in Quali eſſet cacochymia, quantò eſſet intenſior, tantò magis indicaret purgationem; ſed in febribus putridis, in quibus putridi humores peccant in Quali, quantò qualitas eſt intenſior, vt in augmento, & ſtatu, ſanguinem mittimus; & purgamus in declinatione, quando vitium in quali eſt remiſſius: ergo humoribus ſanguini A commiſtis poteſt ſuperuenire vitium in Quali, quod non ſit cacochymia.

Probatur 5. in eadem febre pendente ab eodem humore mittimus ſanguinem in principio, & purgamus in declinatione, dum etiam humor putreſcit, & peccat in Quali ſicut in reliquis temporibus: ergo cum eodem vitio in Quali in eodem morbo ſanguinem mittimus, & purgamus: ſed in primis temporibus illud vitium in Quali non eſt cacochymia, ſicut in declinatione; alias purgaremus in reliquis temporibus, ſicut in declinatione: ergo quia vitium in Quali ſuperueniens humori ſanguini commixto, non eſt cacochymia, ſicut in declinatione, in qua ſuperuenit B humori iam per coctionem ſeparato à ſanguinis commiſtione.

§. IV.

Soluuntur argumenta primò adducta.

AD primum Reſpondetur, quòd Galenus non intendit definire purgationem, ſed deſcribit genericum illius, quod eſt eſſe euacuationem humoris qualitate peccantis: hoc etiam commune ſolet eſſe plerumque ſanguinis miſſioni, quæ ſolet indicari etiam ab humore peccante Qualitate; & ideò ſuperaddenda venit altera particula, quæ explicet proprium indicans purgationis, vt perfecta purgationis tradatur C definitio per propriam rationem genericam ſuperadditam, vt patebit infrà.

Ad 2. Reſpondetur, quòd in eodem morbo pendente ab eadem cauſa ſanguinem mittimus in primis temporibus, & purgamus in declinatione; non quia ratione alterationis mutetur plenitudo in cacochymiam, aliàs cùm à principio incipiat humor putreſceri, & alterari febrili calore, ſi ratione huius vitij in Quali fieret cacochymus, ſtatim à principio purgaremus, quia à cacochymia ſemper indicatur purgatio: ſed quia vitium in Quali, quod ſuperuenit humori ſanguini commiſto non eſt cacochymia, ſed vitium ſanguinis, quod indicat ſanguinis miſſionem; in declinatione verò cùm per coctionem humor putridus ſeparetur à ſanguine, tunc vitium, quod dicitur Cacochymia, ſuperuenit; & ideò indicat purgationem.

D Ad 3. Reſpondetur: quòd ſi materia turgeat, ſeparatur à commixtione ſanguinis, & ſupernatat, & fit cacochyma, quia illius vitium in Quali, iam eſt vitium alterius humoris à ſanguine; & ideò licèt priùs ſanguini commiſta, dum erat pars maſſæ ſanguinariæ, indicabat ſanguinis miſſionem, poſtea ratione cacochymiæ indicat purgationem.

Ad 4. Reſpondetur, quòd ratio diſtinctionis ſtat in hoc, quòd plenitudo attenditur penes quantitatem, ſiue comparatiuè ad vaſa, ſiue ad vires, prout hæc attenditur in ſanguine quarto humore, aut in reliquis ſimul illi commixtis: cacochymia verò eſt vitium, E quod nunquam accidit ſanguini, ſed reliquis humoribus, prout ſunt ſeparati à commiſtione ſanguinis, & ſupernatat: & ideò à cacochymia tantùm dicitur indicari purgatio, quia hæc dicitur indicari, dum humor peccans eſt alius à ſanguine & ſupernatans, fit enim tunc obiectum facultatis expellentis, & ideò medicamentum ſolutiuum rectè operatur, quia habet naturam adminiculantem; antecedenter enim dum ille humor erat ſanguini commixtus, erat obiectum facultatis retinentis; & ideò ante ſeparationem, humor licèt habeat vitium in Quali, eſt obiectum facultatis retinentis, & dicitur pars ſanguinis, & illius vitium dicitur vitium ſanguinis, & ideò pro illo euacuando ſanguinem mittimus.

Resolvtio III.

Vtrùm plethora ſit poſſibilis?

§. I.

PLethora, plenitudo, plenitas, multitudo, & redundantia vſurpatur à Galeno pro eo vitio quod ſanguini ſuperuenit ratione ſuæ quantitatis adauctæ, propter quod vitiom redditur proxima cauſa aliquorum morborum qui poſſunt ex illo ſuperuenire. An autem tale vitium ſit poſſibile inter Dogmaticos Medicos, nunquam ſtetit dubitatio; ſed quia noſtris temporibus Paracelſus nullos admittit humores dari in corpore humano, qui ſaltem ſint morborum cauſæ, & Van Helmont ſolùm cruorem admittit; iuxta horum Sectas non eſt admittenda plethora aut plenitudo in opinione Theophraſti Paracelſi, quia nec ſanguinem nec reliquos humores admittit dari in corpore. Ex quibus eſt opinio Van Helmont, qui licèt ſanguinem admittat; negat tamen poſſe illi ſuperuenire aliquod vitium nec in quantitate, nec in qualitate, nec in motu, ſed ſemper & vbique indicat ſanguinem eſſe vitæ Theſaurum, ac Nectar viuificum, ens incorruptibile ac perfectiſſimum, ſemper vtile & neceſſarium, nunquam tamen aptum vt deuiet ab hoc ſtatu. C

Pro his ſtant plures rationes ſeu deliria, quibus innituntur, & ſuadent, humores non dari in corpore humano; aut ſi detur cruor, eſſe incorruptibilem, de quibus aliàs latiùs agemus.

§. II.

Communis Dogmaticorum opinio ſancitur.

REſoluendum: quòd plenitudo eſt vitium, quod accidit plerumque ſanguini, & humoribus illi commixtis.

D Probatur omnibus fundamentis, quibus Hippocrates *lib. de natura humana* demonſtrauit dari humores in corpore humano, & admittuntur à Galeno *in commentariis ad eundem librum*, *lib. de humoribus lib. de plenitudine*, conuinciturque experientia, qua ab arte & natura humores in corpore dari docemur, & in Athletis pluries demonſtrauit ſanguinem eo vſque augeri donec rumpantur vaſa. Confirmabitur ex infrà dicendis, & ex eis quæ à nobis tradita ſunt *par.* 1. *Reſol. Medicar. diſput. de humoribus*, vbi ex Hippocrate demonſtrauimus eorum exiſtentiam & neceſſitatem in corpore. Ex quo patet, quàm inualidum ac ineptum fuerit fundamentum Innouatorum, vt demonſtratur à Galeno *lib. de plenitudine.*

E

Resolvtio IV.

Quid ſit plenitudo?

§. I.

Communis definiendi modus proponitur.

PLethoram definit Galenus *lib. de plenitudine*, quòd ſit humorum in animantis corpore redundantia: *lib.* 13. *methodi cap.* 6. *& lib. de plenitud.* quòd eſt vbi æqualiter ſucci adaucti ſunt: *lib.* 2. *de compoſition. medicamentorum ſecundum locos*, quòd ſit plenitudo omnibus humoribus ex æquo adauctis, aut etiam ſanguine ſolo. Ex his definitionibus ſuas eliciunt Moderniores: Fuchſius *lib.* 2. *inſtitut. ſect.* 5. in-

A quit, plenitudinem ſimpliciter ſumptam eſſe redundantiam omnium humorum ſimul ſecundùm quantitatem excedentium. Plempius *lib.* 5. *de fundamentis Medicinæ cap.* 5. Plethora, inquit, eſt maſſa ſanguinis ſolius non deficientibus reliquis humoribus in ſua quantitate, & proportione ſupra mediocritatem cuique debitam exuberans. Reliquorum pleriquc plenitudinem dicunt eſſe augmentum ſanguinis, aut reliquorum humorum.

Sed omnes iſti Galeni imitatores deficiunt in definienda plenitudine, nec enim proprium illius conſtitutiuum adducunt ac diſtinctiuum à cacochymia, in B qua etiam valet reperiri augmentum cacochymorum humorum ſuprà mediocritatem; nec ſimiliter comprehendunt in definitione plenitudinem ad vires, quam poſteà ponunt, tanquam membrum diuidens ſub hoc definito; licèt plerumque ſine augmento vltra mediocritatem detur.

§. II.

Sancitur & explicatur definitio plenitudinis.

C REſoluendum: quòd Plenitudo eſt redundantia ſanguinis ſolius, aut ſimul reliquorum humorum ſanguini commixtorum, ſupra quantitatem naturaliter corpori debitam, vel vltra virium conſcientiam.

Particula *redundantia* ponitur loco generis, comprehendit redundantiam cibi, quæ dicitur ſatietas: redundantiam cacóchymi humoris, & redundantiam ſanguinis. Particula *ſanguinis* vtrũque comprehendit ſanguinem, hoc eſt, ſanguinem quartum humorem, & maſſam ſanguinariam, vt docet Galenus *lib An ſanguis contineatur in arteriis.* Particula *ſolius aut reliquorum humorum ſanguini commixtorum*, denotat plenitudinem poſſe fieri ex ſanguine iuxta vtramque acceptionem, & excludit humores cacochymos D quantitate excedentes, qui quia ſunt ſeparati à ſanguinis commixtione, non ſunt pars maſſæ ſanguinariæ, nec accidit illis plenitudo, quæ eſt vitium ſanguinis, ſed cacochymiæ vitium quod accidit reliquis humoribus, qui non ſunt pars maſſæ ſanguinariæ; ſed ſeparati à ſanguinis commixtione. Particula *ſupra quantitatem naturaliter corpori debitam* exprimit rationem plenitudinis quoad vaſa. Particula *vel vltra virium conſcientiam*, amplectitur rationem conſtitutiuam plenitudinis quoad vires.

Resolvtio V.

Quotuplex ſit Plenitudo?

E

§. I.

Prima proponitur plethora diuiſio.

REſoluendum 1. Quòd plenitudinum alia eſt quoad vaſa, & eſt redundantia ſanguinis ſolius, vel ſimul cum reliquis humoribus illi commixtis ex æquo adauctis ſupra mediocritatem. Alia eſt plethora quoad vires, quando plus eſt ſanguinis quam natura & vires poſſint ferre, & perfici; ſic deducitur ex Galeno *lib. de natura humana. lib. de ſanguinis miſſione aduerſus Eraſiſtraceos*, *lib. de plenitudine*, *lib.* 10. *Methodi. lib. aduerſus Iulianum.* Subſcribit Paulus *lib.* 6. *cap.* 40. Aëtius 1. *part. ſerm.* 10. *cap.* 11. Auicenna *fen.* 1. *doctrina* 3. *cap.* 6. Serna *lib.* 5. *Methodi medendi*, Eſt doctrina communiter recepta apud

omnes

omnes Dogmaticos præterquam ab Horatio Angenio qui *lib. 4 de ſanguinis miſſione cap. 4.* trimembrem facit hanc diuiſionem, ſcilicet in plenitudinem quoad vaſa, plenitudinem quoad vires, & plenitudinem quoad vaſa, & quoad vires ſimul.

Patet reſolutio ex deſcriptionibus membrorum diuidentium. eſt enim plenitudo quoad vaſa, quando venæ corporis propter nimiam ſanguinis abundantiam adeò tument, vt maximum inuehant ſenſum tenſionis, & immineat periculum vaſorum ruptionis, aut ſuffocationis; ex Galeno *lib. 1. Aphoriſmor. comm. 2. §. Cæterum ſi vaſa cibis & potibus fuerint repleta, periculum eſt ne diſrumpantur, aut calor natalis ſuffocetur, aut extinguatur natura, &c.*

Plenitudo verò quoad vires, eſt in qua licèt humores nec vltra mediocritatem abundent, nec vaſa diſtendant, vires grauant, ſuffocántque, quominus ipſam non valeant ſanguinem perficere.

§. II.

Subſequitur plenitudinum diuiſio.

RESoluendum 2. Quòd plenitudinum alia eſt ſimpliciter & abſolutè talis; alia eſt plenitudo ſecundum quid ſiue cum addito. Plenitudo ſimpliciter talis dicitur, in qua redundat ſanguis, reliquis humoribus illi commixtis debitam proportionem ſeruantibus; vel in qua ſanguis ſimul ac reliqui humores illi commixti ex æquo omnes abundant ſupra mediocritatem. Plenitudo ſecundum quid, ſiue cum addito, eſt in qua redundat ſanguis, & ſimul cum illo alter humorum qui illi ſunt commixti, & dicitur bilioſa plenitudo, ſi alter abundans humor ſit bilis; melancholica, ſi ſit melancholia; pituitoſa, ſi fuerit pituita.

Hanc doctrinam ſanciuit Galenus *lib. 2. de compoſit. per genera. cap. 3. §. fit autem plethora quatuor humoribus ex æquo adauctis, aut etiam ſanguine ſolo: nam cum alius quiſpiam humor redundarit, veluti eſt pituita, flaua bilis, itemque nigra, eiuſmodi auctionem, nec ſimpliciter multitudinem, ſed cum appoſitione pituitæ, aut bilis flauæ, aut nigræ in corpore factam multitudinem dicunt.*

§. III.

Plenitudinum inter ſe & cum cacochymia traditur complexus.

RESoluendum 3. quòd Plenitudinum aliæ ſine aliis reperiri poſſunt, vt plenitudo quoad vires, ſine eo quòd detur plenitudo quoad vaſa, nec ſimul exiſtat cacochymia: aliæ vero cum aliis complicatæ vitiis, vt ſi plenitudo quoad vaſa coincidat cum plenitudine quoad vires; vel vtraque, aut quælibet illarum, cum cacochymia; & hoc vel cum cacochymia, primæ, ſecundæ, aut tertiæ Regionis, vel cum aliquibus aut omnibus ſimul. Hæc doctrina ex ſe manifeſta manet, & maximam illius dignotio vtilitatem affert ad cognoſcendas complicationes vtriuſque indicantis, ſanguinis miſſionis, inquam, & purgationis.

§. IV.

Plenitudinum proponuntur aliæ ſubdiuiſiones.

RESoluendum 4. quòd Plenitudinum alia eſt vniuerſalis, reperta in toto corpore; alia particularis, in determinata corporis parte; alia accidit humoribus repertis in ſecunda regione; alia eſt quæ reperitur in tertia.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm plenitudo ad vires fiat comparatiuè ad vnam determinatam facultatem?

§. I.

Proponuntur Authorum ſententiæ.

TRiplex facultas reperitur in corpore, naturalis, vitalis, & animalis, quænam ex his inquirimus ſit intelligenda, dum dicimus quòd plenitudo ad vires eſt, quando plus eſt ſanguinis, quàm vires poſſint ferre.

Prima opinio tenet per ordinem ad omnes vires poſſe conſtitui huiuſmodi plenitudinem, indeterminate, ita vt ſi facultatem naturalem grauet, ita vt non poſſit concoquere, quia eſt grauata ſanguine, plenitudo quoad vires conſtituatur per ordinem ad illam: ſi opprimat pulſum, & illius inæqualitatem cauſet, per ordinem ad facultatem vitalem: ſi grauet loco-motiuam facultatem, ita vt impediat localem motum; per ordinem ad facultatem animalem poſſit conſtitui.

Secundò, alij opinantur quòd ſolùm per ordinem ad facultatem vitalem debeat conſtitui, quia Galenus ſolùm per ordinem ad pulſus inæqualitatem docet cognoſci.

Tertiò, opinantur alij ſolùm conſtitui per reſpectum ad ſolam animalem facultatem, quia cognoſcitur per ſenſum ponderis, quem ſola facultas ſenſitiua animalis percipit.

Quartò, alij tenent conſtitui hanc plenitudinem ſolùm reſpectiuè ad vires naturales, quia Galenus *lib. de differentiis febrium cap. 3.* aſſerit quòd in plenitudine quoad vires, ſucci citò perueniunt ad corruptionem, quia non poſſunt alterari, nec concoqui propter debilitatem virtutis.

§. II.

Plenitudo ad vires per quid conſtituatur, proponitur.

RESoluendum: Quòd plenitudo quoad vires dicitur per ordinem ad naturalem, vitalem, & animalem, licet propriiſſimè ad naturales.

Probatur Prima pars, 1. quia plenitudo ad vires valet omnes illas opprimere; naturalem reddendo ad coctionem impotentem: vitalem, quia grauata motum arteriæ impeditur elicere; animalem, quia muſculi grauati præ pondere localem illum motum non valent elicere: ergo comparatiuè ad quamlibet poteſt hæc plenitudo conſtitui.

Probatur 2. Quia inter ſigna quæ à Galeno docentur, & ab Authoribus admittuntur pro hac cognoſcenda plenitudine, alia demonſtrant oppreſſionem facultatis vitalis, qualis eſt pulſus inæqualitas, quam proponit Galenus; alia demonſtrant oppreſſionem facultatis animalis loco-motiuæ, qualis eſt ineptitudo ad localem motum; & ſenſus ponderoſus; alia oppreſſionem facultatis naturalis, qualia ſunt ſigna cruditatis, & impotentiæ concoquentis facultatis; ergo comparatiuè ad quamlibet ex his poteſt hæc plenitudo conſtitui.

Probatur 3. Quia inter has omnes facultates vnus eſt conſenſus, & conſpiratio, vnaque neceſſitas, vt per illam conſeruetur vita: ergo comparatiuè ad vnamquamque ex illis oppreſſam, conſtitui poteſt plenitudo ad vires.

Probatur

Probatur vltimò vltima pars: per illum reſpectum debet magis conſtitui plenitudo ad vires per quē magis propriè adquirit vitium, ratione cuius indicet ſanguinis miſſionem, cùm ob vitium plenitudinis illud indicet: ſed quatenus opprimit vires naturales magis indicat ſanguinis miſſionem: ergo per reſpectum ad illas magis propriè conſtituitur. Probatur minor: magis indicat ſanguinis miſſionem, quatenus maius minatur periculum: ſed maius minatur periculum ſanguis cùm naturales vires opprimit, quia ex Galeno *lib. de different. febr. c. 3.* in plenitudine quoad vires naturales ſucci citò perueniunt ad corruptionem, quia non poſſunt alterari, nec concoqui propter debilitatem virtutis: ergo quatenus opprimit vires naturales magis indicat ſanguinis miſſionem.

§. III.

Ad dubitandi rationes ſatisfit.

AD fundamentum opinantium dicimus, quòd illis conuincitur, quòd per plenitudinem quoad vires opprimi poſſunt facultas vitalis, animalis, & naturalis; & quod comparatiuè ad omnes poteſt conſtitui plethora: vltima tamen ratio ſimiliter probat quòd magis propriè ad vires naturales.

C RESOLVTIO VII.

Vtrùm plenitudo ſit vitium pertinens ad res præternaturales?

§. I.

Aperitur ſtatus difficultatis.

MEdici ſpeculatio porrigitur ad vires naturales, non naturales, & præternaturales. Res naturales hominem naturaliter adintegrant, de quibus egimus *part. 1. Reſolutionum Medicarum.* Res non naturales ſunt aër, cibus & potus, inanitio, & repletio, D ſomnus, & vigilia, motus, & quies, & animi pathemata. Res præter naturam ſunt morbus, morbi cauſa, & ſymptoma. De plenitudine inquirimus ſub quo rerum genere ex annumeratis conſtituitur?

Videtur quòd plenitudo ſit morbus, quia à plenitudine proueniunt aliqua ſymptomata, vt laſſitudines, quas Galenus *lib. 4. de tuenda ſanitate*, ſymptomata vocat: ſed omnia ſymptomata oriuntur à morbo: ergo plenitudinis vitium, quod ſanguini accidit, eſt morbus.

§. II.

E *Sub determinato rerum genere plenitudo ponitur.*

REſoluendum: Quòd plenitudinis vitium inter morborum cauſas debet poni. Probatur: Plenitudo eſt vitium ſanguini accidens, ratione cuius vaſa diſtendit, ac diſrumpit, facultates opprimit, & coctiones impedit, & humores facilè in corruptionem deducit: at ex Galeno deduximus *lib. de different. febr. & lib. de plenitudine*, & conſtabit ex ſignis plenitudinis: ergo hoc vitium inter cauſas morbi debet poni.

Dices: quòd ex eo quòd actiones læſæ ſequuntur

A ex hoc vitio, potiùs ſequitur quòd ſit morbus, quàm quòd ſit morbi ſymptoma, vel cauſa.

Reſpondetur: Quòd ſi proximè ſequerentur ad illud, diceretur morbus; ſed ſequuntur ad morbos, quos cauſat, ideò enim Hippocrates *lib. 1. Aphoriſm. 3.* habitum Athletarum, in quo cum magna plenitudine perueniunt ad ſummum bonitatis, periculoſum iudicat, quia ipſa plenitudo proxima eſt morborum cauſa.

§. III.

Soluitur dubitandi ratio.

B AD rationem dubitandi Reſpondetur: quòd ſymptomata alia ſunt propriè, & rigoroſè talia, de quibus *lib. de diff. ſymptom.* inquit Gal. quòd ſequuntur ad morbum, tanquam ad corpus vmbra; alia ſunt impropriè dicta ob reſpectum ad morbum, non tanquam ſubſequuta ad illum, ſed tanquam prænuntia illius, & in hac acceptione laſſitudines ſymptomata dicuntur, ſunt enim morbi prænuncia; inquit enim Hippocrates 2. *Aphor.* 4. quòd laſſitudines ſpontaneæ morbos prænunciant: ex quo infertur, quòd plenitudo, à qua ſequuntur, ſit morbi cauſa.

RESOLVTIO VIII.

C Vtrùm plenitudo quoad vaſa poſſit dari ſine plenitudine quoad vires?

§. I.

Pars negatiua ſuadetur.

VIdetur quòd non: Primò quia plenitudo quoad vaſa eſt in qua replentur vaſa, & per quam plerumque rumpuntur: ſed ratione repletionis humorum neceſſe eſt vires opprimi: ergo neceſſe eſt cum plenitudine quoad vaſa reperiri plenitudinem quoad vires.

D Secundò: Ratione plenitudinis quoad vaſa corrumpuntur humores: ſed humorum corruptio prouenit propter debilitatem virtutis naturalis non valentis concoquere illos: ergo exiſtente plenitudine quoad vaſa, debet exiſtere plenitudo quoad vires.

Tertiò: A minore ſanguinis quantitate ſiue plenitudine quoad vaſa opprimuntur vires, & fit plenitudo quoad illas: ſed plenitudo quoad vaſa ſemper fit ab adaucta ſanguinis quantitate: ergo cum illa ſemper debet eſſe plenitudo quoad vires.

§. II.

Vtraque plenitudo ſimul compatibilis eſt.

E REſoluendum 1. Quòd plenitudo quoad vaſa, & plenitudo quoad vires poſſunt ſimul ſanguini superuenire.

Probatur: Plenitudo quoad vires eſt redundantia ſanguinis vltra id, quod vires poſſunt ferre; plenitudo quoad vaſa eſt redundantia ſanguinis vltra mediocritatem: ſed ab eodem ſanguine poſſunt vaſa repleri, & vires opprimi: ergo poſſunt ſimul reperiri plenitudo quoad vaſa, & plenitudo quoad vires.

§. III.

Plenitudo quoad vires ſola valet ſuperuenire.

RESoluendum 2. Quòd plenitudo quoad vires poteſt reperiri ſine plenitudine quoad vaſa.

Probatur: Plenitudo quoad vires eſt redundantia ſanguinis, qua vires opprimuntur: ſed vires poſſunt opprimi ſine eo, quòd ſanguis redundet vltra mediocritatem: ergo erit plenitudo quoad vires ſine plenitudine quoad vaſa. Probatur minor: vires poſſunt opprimi à quacumque ſanguinis quantitate, quam non poſſunt regulare: ſed dum nimis debiles ſunt, nec paruam valent quantitatem deuincere: ergo poſſunt opprimi ſine eo, quòd ſanguis redundet vltra mediocritatem.

§. IV.

Plenitudo quoad vaſa datur ſola.

RESoluendum 3. Quòd plenitudo quoad vaſa poteſt eſſe ſine plenitudine quoad vires.

Probatur: Athletæ habent plenitudinem quoad vaſa, cùm fiat in illis plerumque venarum ruptio: ſed fit plerumque ſine plenitudine quoad vires, cùm habeant omnes naturales actiones ita perfectas, vt perueniant ad ſummum bonitatis: ergo ſine plenitudine ad vires reperiri poteſt plenitudo quoad vaſa.

Probatur 2. Compreſſio virium accidit, non ſolùm quia grauatur facultas, ſed quia redditur impotens ferendi grauitatem: ſed robuſta facultas, ſine eo quòd impotens reddatur ferendi grauitatem, poteſt diù permanere: ergo cum plenitudine quoad vaſa erit abſque plenitudine ad vires.

Probatur 3. Cum plenitudine quoad vaſa, quæ maxima non ſit, diu ſubſiſtit animal: ſed cum plenitudine quoad vires, vt diximus ex Galeno *lib. de differ. febrium*, citò corrumpuntur humores; & ſuperuenit morbus: ergo non complicantur neceſſariò tunc huiuſmodi plenitudines.

§. V.

Soluuntur fundamenta primò adducta.

AD 1. Reſpondetur: quòd ſi vires ſint robuſtæ, optimè poſſunt perdurare per aliquod tempus ſine eo quòd opprimantur, ita vt ſanguinem regulare non poſſint.

Ad 2. Reſpondetur: quòd in plenitudine quoad vaſa, ſi vires ſunt robuſtæ, permanent diu, ſine eo, quòd corrumpantur: ipſis debilitatis, humores poſſunt corrumpi, & plenitudo quoad vires ſimul ſuperuenire.

Ad 3. Reſpondetur: quòd cùm actus actiuorum ſint iuxta diſpoſitionem, plerumque continget, quòd fiat plenitudo quoad vires, quia debiles ſunt, cum parua ſanguinis quantitate; & ſæpè etiam, quòd non ſint ita robuſtæ; vt non amoueri copia poſſit in plenitudine quoad vaſa, quin ſuperueniat plenitudo quoad vires.

RESOLVTIO IX.

Vtrùm plenitudo quoad vaſa valeat propriis ſignis cognoſci?

§. I.

Partis negatiuæ adducuntur fundamenta.

NVlla eſſe propria ſigna, quibus poſſit cognoſci plenitudo quoad vaſa, ſuaderi videtur aliquibus fundamentis ex Galeno deductis.

A Primò: Si aliquod ſignum demonſtraret plenitudinem quoad vaſa, maximè tenſio venarum, tumorque totius corporis; ſed hæc ſine ſanguine replente poſſunt ſuperuenire à flatibus: ergo non eſt huius plenitudinis ſignum.

Reſpondetur: Quòd plenitudinis ſigna ſunt tenſio venarum cum rubore, & hic non reperitur in tumore orto ea flatu. Contra poteſt rubedo ſuperuenire à cauſa extrinſeca calefaciente, a qua eleuantur flatus: ergo erit tenſio cum rubedine.

Secundò: Ex adipe, vel carne adauctis poteſt ſuperuenire tenſio corporis, & venarum: ergo ex tenſione corporis, & venarum non eſt ſignum plenitudinis.

B Tertiò: Ex nimio labore tenduntur vires, artus & venæ, ſanguis replet ambientes partes, etſi non ſit in venis plenitudo: ergo ſine plenitudine quoad vaſa datur tumor in partibus.

Quartò: exercitatione, balneis, cauſiſque extrinſecis calefacientibus partes, calefactæ partes acquirunt tenſionem, ac tumorem ob ſanguinem calore attractum, etiamſi plenitudo non præfuiſſet: ergo ſine plenitudine quoad vaſa dantur ſigna illius.

§. II.

Propria ſigna plenitudinis quoad vaſa proponuntur.

C RESoluendum: Quòd à procatharticis, & internis cauſis plura deducuntur ſigna plenitudinis quoad vaſa; vt patebit ex earum annumeratione.

Patet de Procatharticis, inter quas huius plenitudinis præſtat indicium antecedens victus ratio, vſúſve alimentorum optimi nutrimenti, & in magna quantitate; vita iners, & otio dedita; immoderatus balnei vſus à cibo, temperamentum humidum, & in actiuis temperatum, anni tempus vernum, & regio temperata, ſanguinis ſuppreſſa euacuatio, & mutilatum aliquod membrum magnum.

Patet etiam quòd inter cauſas internas plenitudinis quoad vaſa indicium dat rubens, ac ſanguineus color à

D procatharticis cauſis non ortus, quem concomitantur tumor ac tenſio venarum non cauſata à procatharctica cauſa, ſimul cum venarum amplitudine, pulſu pleno, celeri, & magno: vt ſanciuit Galenus *lib. de plenitud.* c. 6. & demonſtrat ratio; nam plenitudo quoad vaſa prouenit eum redundante ſanguine vſque ad vaſorum ſæpè diſtenſionem, ex qua neceſſariò ſubſequi debent hæc indicia.

§. III.

Soluuntur negatiuæ partis fundamenta.

AD negatiuæ partis fundamenta Reſpondetur, quòd licèt ſola tenſio poſſit non eſſe pathognomicum ſignum, nec tumor apparens, dum tamen reperiuntur cum reliquis ſignis prædictis, ex quibus poteſt manifeſtum indicium ſumi prædominantis ſanguinis rectè Infertur plenitudinis eſſe ſigna, & ex his omni-

E bus rectè colligitur plethoram reperiri.

RESOLVTIO X.

Vtrùm dentur propria ſigna plenitudinis quoad vires?

§. I.

Pars negatiua ſuis fulcitur fundamentis.

VIdetur quòd non; ſi enim aliquod ſignum plenitudinis quoad vires, maximè vt fatetur Gal.

lib

lib.de plenitud. c.6. quòd in illa æger percipit grauita- A
tem,& pigritiam ad motum:ſed hoc ſignum etiam ſine plenitudine quoad vires poteſt reperiri, vt apparet in nimis obeſis,& in laborantibus paralyſi: ergo nullum eſt illius ſignum proprium.

Reſpondetur:Quòd hoc ſignum abſolutè ſumptum non eſt pathognomicum,benè tamen ſi ſimul cum illo ſit pulſus inæqualitas,præcipuè inter magnitudinem, & paruitatem,ita vt quidam motus ſint maiores,quidam ſint minores.

Contra ſtat Gal. *lib.de multitudine,c.vlt.* vbi docet non ſemper cum plenitudine quoad vires coniungi pulſuum inæqualitatem, quia hæc tantum reperitur, dum humores tranſeunt ex venis ad arterias;& ideò ſi humores,à quibus ſit plenitudo ad vires,ſunt craſſi,ab B
his non poterit fieri pulſuum inæqualitas.

Confirmatur: Plenitudo quoad vires poteſt fieri comparatiuè ad omnes tres facultates, vitalem, naturalem, & animalem: ſed hoc ſignum ſolùm demonſtrat plenitudinem ortam comparatiuè ad actiones animales:ergo non eſt integrum ſignum indicatiuum plenitudinis quoad vaſa.

§. II.

Explicantur ad integrantia cognitionem plenitudinis quoad vires.

RESoluendum, quòd pulſus inæqualitas ſuperueniens ſenſui grauitatis & pigritiæ,manifeſtum adintegrat indicium plenitudinis quoad vires.Probatur C
ex Gal.*lib.de cauſis pulſuum*, vbi re meliùs inſpecta,docet pulſus inæqualitatem poſſe fieri ſine eo,quòd migrent humores à venis in arterias, ſi adſit arteriarum compreſſio;& ideò vel ratione compreſſionis arteriarum, vel ratione tranſitus humorum à venis ad arterias,ſemper quòd ſit ſenſus grauitatis, cum pigritia,& pulſus inæqualitate,erit plenitudo ad vires.

§. III.

Solutio traditur argumentorum.

AD primum patet ex dictis ex Galeno non ſolùm D
deduci pulſus inæqualitatem fieri ex tranſitu humorum à venis in arterias,ſed etiam ſi ſine tranſitu propter compreſſionem.

Ad 2.Reſpondetur:quòd cùm propter facultatum conſpirationem,& conſenſum,faciliter dum vna patitur, reliquæ in conſenſum trahantur: ideò Galenus complicauit omnium illarum ſigna, vel vt ex eorum complicatione cuiuſlibet appareat ſignum peculiare, quod debilitatem vnius propriæ facultatis indicet.

Resolvtio XI.

Vtrùm ſint aliqua ſigna plenitudinum ſecundùm quid?

§. I.

Pars fulcitur negatiua.

VIdetur quòd non,quia nulla eſt plenitudo in qua non ſit prædominium ſanguinis, ſed ſanguine prædominante, debent prædominari ſanguinis ſigna: ergo nullum manifeſtabitur ſignum demonſtrans reliquos humores, à quibus ſit plenitudo ſecundùm quid.

§. II.

Communis proponitur doctrina.

REſoluendum: Quòd plethora ſecundùm quid, cognoſcitur quòd ſit plethora per ſigna plethoræ priùs adducta. Peculiaris verò plethoræ ratio,per quam ſit talis ſecundùm quid, per humoris ſigna concomitantis ſanguinem, præcipuè per colorem determinatum humorem atteſtantem, qualiter color albus atteſtatur Pituitam,niger Melancholiam, pallidus Bilem.

Probatur: Quia talis vnicuique eſt color, qualis eſt humor prædominans in maſſa ſanguinaria: ergo ex colore vnicuique humori correſpondente ſatis colligitur prædominium cuiuſvis humoris ſimul cum B
ſanguine redundantis.

§. III.

Soluitur propoſita ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi Reſpondetur, ſolùm eam probare, quòd in plenitudine ſecundùm quid erunt ſigna ſanguinis redundantis, vel plenitudinem efficientis; non verò quòd non erunt ſimul alia ſigna, quæ redundantem ſimul humorem non demonſtrent, quæ licèt quammaximè attendi poſſunt per colorem, poſſunt etiam attendi per victus rationem anteactam, per anni tempus,per ætatem, per aliáque ſigna, à qui- C
bus cuiuſvis humoris redundantia poteſt cognoſci.

SECTIO IV.

De ſanguinis miſſione.

DE triplici vitio ſuperueniente ſanguini egimus,ratione cuius magni morbi à ſanguine oriri magnum remedium ſanguinis miſſionis indicant:properabimus iam ad agendum D
de ſanguinis miſſione,quæ eſt indicatum remedium.

Resolvtio I.

Vtrùm ſanguinis miſſio ſit vtile remedium in Medicina?

§. I.

Variæ Sectarum opiniones referuntur.

MEdicorum variæ ſectæ in hoc admittendo remedio variant. Empiricorum Secta, cuius Au-
E thor fuit Philenus Cous,morborum cauſas nec noſcendas,nec ſtudio inquirendas tenet, ſed ea in vſum ſumenda, quæ experta ſunt in perſanandis morbis, & huius Sectæ alumni experientia edocti, pro aliquibus vitandis morbis hoc remedium admittebant. Methodica Secta, quam condidit Themiſon Laodiceus, reducens omnes morbos ad quaſdam communitates, Adſtrictum, inquam, & Laxum, & inter hos medium; pro laxitate acquirenda ſanguinis miſſionem admittebat. Dogmaticorum communis aſſenſus hoc recepit remedium, donec in illos indixit bellum Aſclepiades Chryſippus, Straton, Eraſiſtratus, & alij eorum Sectatorum ſequaces;

contendentes hoc remedium ab vſu Medicinæ exterminare, licèt in corpore humores admittere non ſint dedignati. Paracelſus qui nouam condidit Sectam in Medicinam Paracelſiſticam, ſiue Spagiticam; nullum admittit in corpore humorem pro morbi cauſa, & conſequenter nulla ex parte vtile eſſe hoc remedium iudicat. Van Helmont Paracelſi Sectæ alumnus, licèt in aliquibus diſcedat, reliquos humores à ſanguine negat in corpore, ſanguinem admittit, ſed ſanguinis miſſionis remedium nunquam eſſe exercendum conſtanter protulit. Pro Paracelſo hoc fuit fundamentum, quòd nulli ſunt humores in corpore, ſed tantùm ſal, ſulphur, & mercurius, ex quibus corpus coaleſcit, & ex quorum rupto fœdere fiunt morbi. Ergo ſanguinis miſſio nunquam exercenda. Pro Van Helmont hoc eſt fundamentum: Nullus eſt humor euacuandus per ſanguinis miſſionem præter Cruorem: ſed cruor nunquam petit euacuari: ergo nunquam eſt exercenda ſanguinis miſſio. Probatur Minor: Tum primò, quia ſanguis, qui intra corpus generatur, ſicut continuò generatur, ita continuò abſumitur, & nunquam redundat copia quæ petat euacuari. Tum ſecundò, quia ſanguis ſi debet euacuari; vel quando eſt in ſtatu naturali, & tunc non, quia eſt neceſſarius pro nutritione: vel quia ſupponitur putreſcens; & tunc peccat in Quali, & indicat euacuari per purgationem, non autem per ſanguinis miſſionem. Tum 3. quia Hippocrates docet Naturam eſſe morborum medicatricem, ex quo conſtat ſuperfluum eſſe remedium ſanguinis miſſionis. Tum 4. quia nec pro febribus, ſi poſſent fieri ex ſanguine, eſſet vtilis ſanguinis miſſio, quia in principio, augmento, & ſtatu, debilitaret vires requiſitas pro vincendo morbo, & impediret criſes in declinatione, quia morbus eſt iam victus. Tum 5. quia ſanguis ſemper eſt ſedes animæ, viuificum nectar, ex quo reficiuntur partes, & omninò incapax corruptionis, aut alterius cuiuſuis vitij, per quod diſcedat ab eo fine, in quem ordinatur à natura: ergo cruor nunquam petit euacuari per ſanguinis miſſionem.

Pro Chryſippo, & Eraſiſtrato ſtat, Tum 1. quòd non debet exerceri remedium, ex quo maiora ſequantur incommoda, quàm ex morbo, à quo exigitur: ſed ex ſanguinis miſſione maiora ſequuntur damna, quia ſolet pro vena ſcindi arteria, vel neruus, ex quo ſolet mors ſubſequi; accidit etiam animi deliquium; alij pereunt ex irreparabili ſanguinis fluxu; nec remedium neceſſitas poteſt metiri, & ſine neceſſitate exercitum hoc remedium periculum minatur. Tum 2. Remedium quodlibet debet commenſurari cum morbi neceſſitate, nec pro morbo curando eſt poſſibile, quòd poſſit metiri neceſſaria quantitas ſanguinis euacuandi. Tum 3. Sanguis euacuari non poteſt, ſine eo quòd magna copia ſpirituum euacuetur, ex quo neceſſe eſt animi deliquium ſuperuenire, vel ſaltem ipſos deficere pro coctionibus. Tum 4 Pro conſequenda ſanitate euitanda ſunt ſæuiora remedia, dum ſufficiunt alia ſecuriora: ſanguinis miſſio autem poteſt ſuppleri per diætam, ex qua nullum timetur incommodum: ergo ſanguinis miſſio non eſt remedium vtile pro Medicina exercenda.

§. II.

Sancitur communis Dogmaticorum opinio.

Reſoluendum: Quòd ſanguinis miſſio eſt vtile remedium pro curandis morbis magnis pen-A dentibus ex vitio ſanguinis: ſic ſanciuit Galenus; ac demonſtrauit *lib. de ſanguinis miſſione in lib. Methodi medendi, lib. aduerſus Eraſiſtratum, & libro aduerſus Eraſiſtrateos*, ſequuntur omnes eius Sectatores.

Probatur: Medicus eſt imitator naturæ: ſed natura morbos imminentes, ſeu pendentes ex vitio ſanguinis præcauet, & curat euacuatione ſanguinis, vt apparet in critica hæmorrhagia, in menſtruis, ac hæmorrhoidalibus euacuationibus: ergo Medicus, dum ipſa impotens eſt ad ſimiles præcauendos, vel curandos morbos, debet exercere ope artificis ſanguinis miſſionem.

Probatur 2. Id quod natura docet, eſt exercendum B pro liberando animali, à morbis imminentibus ratione plenitudinis: ſed natura docet, quod dum equus aquaticus perſentit morbi imminentiam ratione plenitudinis, ipſe cum foliis arundinis venam ſcindit, & ſanguine ſufficienter depoſito, reliquum retinet luto ſupra venam impoſito, & ope Solis indurato: ergo dum ſimile imminet in homine periculum, idem debet ope artificis exercere Medicus.

Probatur 3. Morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis indiget remedio magno, per quod valeat euacuari cauſa à qua dependet; ſed tale debet eſſe ſanguinis miſſio, aut purgatio, ex Galeno: ergo cùm in principio ante materiæ coctionem non ſit purgatio exer-C cenda, quia non eſt indicata, neceſſariò debet exerceri ſanguinis miſſio.

Probatur 4. Experientia conuincit, quòd ſanguinis miſſione plures morbi lethales, aut periculoſi vincuntur: ergo exercenda eſt ſanguinis miſſio.

Probatur 5. Si quid obſtaret, vt ſanguinis miſſio non debeat exerceri, maximè damna à Chryſippo & Eraſiſtrato propoſita: ſed hæc non ſequuntur ex executione huius remedij, vt experientia per tot ſæcula exerciti ſine aliquo incommodo demonſtrauit: ergo illud eſt exercendum.

Probatur 6. Si non deberet exerceri hoc reme-D dium, maximè quia, vt contendit Paracelſus, nulli ſunt humores in corpore per illud euacuandi: ſed contrarium conuincit experientia, quæ ad viſum demonſtrat illos ſanguinis miſſione extrahi ex corpore, & ipſos reperiri ſimiliter demonſtrauit Hippocrates *lib. de natura*, & nos demonſtrauimus ex ipſo, *part. 1. Reſolutionum Medicarum diſputat. de humoribus.*

Dices cùm Van Helmont, quòd experientia demonſtrat dari Cruorem: ſed quòd ipſe nunquam valet putreſieri, nec pati alterationem, qua morbum cauſet, & ideò nec petit ſanguinis miſſione euacuari.

Contrà ſtat, Tum 1. quod cruor, ſiue ſanguis eſt E mixtum, & vt tale neceſſariò eſt corruptibile; quia, vt docet Ariſtoteles *lib. 4. Meteororum*. corruptio eſt paſſio mixtorum: Tum 2. quia compertum eſt, febres oriri ex putreſcente ſanguine, quas Synochos vocant: Tum 3. quia ſi ſanguis ex quo homo fit, & nutritur, eſſet incorruptibilis, ipſe homo incorruptibilis eſſet, cùm fieret ex materia rei incorruptibilis: Tum 3. quia nec poſſet corrumpi, dum ex illo fit phlegmon, quem ibi in pus mutari videmus. Tum 5. quia ſi incorruptibilis, nec eſſet vtilis pro nutritione, pro qua non deſeruit niſi poſt propriæ formæ corruptionem: ergo eo ipſo quòd admittatur ſanguis cum Van Helmont, debet admitti ſanguinis miſſio, quâ euacuetur, dum ab illius vitio ſuperueniat morbus magnus.

§. III.

§. III.

Chryſippi, Eraſiſtrati, Paracelſi, Van Helmont, & Sectatorum fundamenta ruunt.

AD fundamenta Paracelſi Reſpondetur: quòd Hippocrates *lib. de natura humana*, & nos cum illo *part. 1. Reſolutionum Medicarum* demonſtrauimus dari in corpore humano quatuor humores, actu & formaliter exiſtentes; idemque demonſtrat ad ſenſum experientia quotidie oſtendens ipſos ex corpore fluentes.

Ad Van Helmont Reſpondetur: quòd patet ex dictis, quòd ſunt in corpore quatuor humores, & etiamſi ſolus ſanguis quartus humor, qui ab ipſo Cruor vocatur, remaneret, eſſet ſanguis mittendus. Tum 1. quia licèt dum generatur in quantitate moderata, tantum de illo abſumitur, quantum generatur: ſed ſi plus cibi offeratur, aut ſint aliæ cauſæ coadiuuantes, vt fiat maiori quantitate, tunc redundat, & petit euacuari. Tum 2. quòd ſanguis, dum putreſcit, peccat in Quali, & indicat ſanguinis miſſionem, non autem purgationem, quia hæc indicatur non à quolibet vitio in Quali, ſed ab eo quod eſt cacochymia, quod vitium ſuperuenit reliquis humoribus, non autem ſanguini. Tum 3. quòd natura eſt medicatrix morborum ſola, dum ſunt parui, cum adiuuamine artis dum morbi ſunt magni. Tum 4. Si fiant febres ex ſanguine in primis temporibus fit ſanguinis miſſio, quia, vt inquit Galenus, *Leuata namque quæ corpus noſtrum regit natura, quod concoqui eſt habile, concoquit, & excernit quod petit excerni.* Tum 5. quia licèt ſanguis intra limites naturales ſit ſedes animæ, extra illos vitium adquirit, cuius cauſa petit euacuari.

Ad Eraſiſtraceos Reſpondetur: Tum 1. quòd omnia incommoda dicta poſſent prouenire ex incuria artificis; ſi autem ſit peritus, nullum horum ſequitur, vt quotidie demonſtrat experientia. Tum 2. quòd licèt quantitas ſit coniecturabilis, probabili coniectura menſuramus neceſſitatem, & ſanguinem partitis vicibus mittimus, iudicantes quod melius eſt infra ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſime euacuare, vt docuit Hippocrates. Tum 3. quòd cùm fiat ſanguinis miſſio partitis vicibus, licèt aliqui conſumantur ſpiritus, antequam reiteretur ſanguinis miſſio, alij ſufficientes generantur; & ſi aliquando vſque ad animi deliquium fiat phlebotomia, vt conſtat, & conſulit aliquando Galenus, ſtatim tamen reparantur vires, quæ concidunt. Tum 4. quòd licèt longo tempore poſſit ſanguinis miſſio per diætam suppleri, non tamen tam breui tempore; vt requiritur pro morbis magnis curandis, qui ægrum tollerent è medio, antequam per diætam mouerentur humores.

RESOLVTIO II.

Quid ſit ſanguinis miſſio?

§. I.

Sanguinis miſſionis aliquæ diffinitiones proponuntur.

SEctarum Profeſſores de ſanguinis miſſionis eſſentia parum laborauerunt. Paracelſus & Van Helmont, Chryſippus, & reliqui hoc remedium ab vſu medicinæ relegantes nihil ſanciunt de illius eſſen-

A tia. Empirici, & Methodici illud à Dogmaticis mutuantes, illud exercent ſine examine ſuæ quidditatis. Inter Dogmaticos hoc idem contingit pluriſque. Galenus *lib. 4. Aphoriſm. comment. 1. & 2. Aphoriſm. comment. 17.* ſanguinis miſſionem definit, per hoc quòd ſit euacuatio omnes humores indifferenter euacuans: cui adhærentes Moderniores alias ſimiles tradiderunt definitiones. Serpa *lib. 5. Methodi* inquit, quòd eſt quædam ſenſibilis, vniuerſaliſque totius maſſæ ſanguinariæ artificum ope ex toto corpore facta euacuatio. Franciſcus Sanchez *lib. de phlebotomia*, eſt (inquit) Phlebotomia Sanguinis præcipuè, & eorum quæ cum ſanguine in venis continentur humorum, per ſectionem quandam arte venarum facta euacuatio. B Duncanus *lib. 4. Therapeutica*, Phlebotomia (inquit) eſt euacuatio humorum quantitate nocentium arte facta per apertionem venæ, aut arteriæ, in eum finem vt vaſa multitudine diſtenta, aut vires onere grauatæ leuentur, vel vt materia noxia à parte affecta auertatur. Fontanus *lib. 3. p. 2. c. 2.* docet quòd eſt euacuatio vniuerſalis per venæ ſectionem facta ad varios ſcopos.

§. II.

Tenenda definitio ſancitur.

REſoluendum: Quòd ſanguinis miſſio eſt euacuatio vniuerſalis indicata a morbo magno pen- C dente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, opere artificis facta, in ſubſidium eius in quo fit.

Particula *euacuatio*, denotat rationem genericam communem ſanguinis miſſioni, purgationi, & aliis remediis. Particula, *vniuerſalis*, ponitur ad denotandum, quòd eſt vniuerſalis euacuatio, & totius corporis, & totius maſſæ ſanguinariæ. Particula *indicata à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate qualitate, aut motu*, ponit indicans ſanguinis miſſionis, propriúmque illius conſtitutiuum, & diſtinctiuum à purgatione, cum qua conuenit in hoc, quòd vtraque eſt remedium magnum, & vtraque indicatur D à morbo magno. Particula, *opere artificis facta*, denotat cauſam efficientem; ſicut particula *in ſubſidium eius in quo fit*, denotat finalem. Ex quo patet definitionis bonitas.

RESOLVTIO III.

A quo moueatur ſanguis ſectâ venâ?

§. I.

Authorum ſententiæ referuntur, & impugnantur.

SAnguinem ſectâ venâ fluere percipimus ſenſu; ſed à qua moueatur cauſa, ignorant plerique: à ſe E non moueri pro comperto habetur, quia, vt *part. 1. Reſolution. Medicarum*, probauimus, non viuit. Authorum aliqui moueri indicant ratione contiguitatis cum eo, qui primò educitur; ſed hi neque cauſam à qua fit localis ille motus, aſſignant, nec cur adepta continuitate cum aëre externo, non quieſcit. Fernelius *lib. 2. meth. cap. 3.* & Peramatus *lib. de euacuandi ration. cap. 3.* & Briſſotus indicant hunc motum tribuendum eſſe defectui facultatis Retinentis reſidentis in fibris obliquis ratione ſciſſionis venæ impeditæ; ſed nullam poſitiuam, aſſignant huius poſitiui effectus cauſam, nec cur Retinens

reſidens in partibus ſanis non coerceat motum, nec A cur ſanguis non motus propria grauitate non quieſcit in vena, ſicut quieſcit aqua in dolio: Nec cur ſicut otiante Retinente, valent humores quieſcere intra venas ante ſectionem, non valent ſimiliter poſt illam. Alij contrariè opinantes in eiſdem oblongis fibris Retinentem admittunt, cuius compreſſione pelluntur humores; ſed hi finem mutant, illa enim facultas potiùs tribuitur à natura, vt partes ſanguinem retineant, quàm vt à ſe pellant: Nec rationem reddunt, cur ſi in reliquis partibus comprimantur humores ab externa cauſa comprimente, cur idem non contingat, ſectâ venâ, ob ligaturæ compreſſionem; nec cur ſua compreſſione ante venæ ſectionem non pelluntur humores per venæ cauitatem in alias venas. Vega *lib.2.Method ſect.* 5, c. 2. Sanguinem moueri tenet à facultate B expultrice venarum; ſed ſanguinem pro nutritione neceſſarium, & vtile cur pellat, cùm potiùs ſit obiectum Retinentis, quàm Expellentis, non tradidit rationem: nec cur, ſi ſit motus ab expultrice, ceſſat motus ablata ligatura. Altomarus ob vitandum vacuum fluere ſanguinem dicit; ſed mouentem cauſam non aſſignat: nec cur non vitatur Vacuum per externum aërem, qui eſt corpus magis aptum moueri pro ipſo vitando: nec cur moueat ſanguis vitta ſciſſuram per ſpatium aëre plenum, in quo Vacuum non timetur. Alij grauitati tribuunt motum quo fluit ſanguis ſectâ venâ. Sed immeritò, quia licèt ſanguis poteſt deorſum moueri propria grauitate, tamen dum fluit ſectâ venâ, C non ſolùm deorſum fertur, ſed è directo mouetur: & etiam ſurſum fertur: Ergo ille motus non debet tribui grauitati.

Santorus *lib. artis Medicinal. q.* 108. dicit quòd ſectâ venâ fluit ſanguis ob ſpirituum influxum in omnes partes venarum, & ob arteriarum motum.

Sed diſplicet prima pars, quòd ſcilicet moueatur ab ſpiritibus: Tum quia ſpiritus non habent motum à ſe, ſed mouentur media facultate pulſifica: ergo ab illis ſolis non poſſunt moueri humores: Tum quia ſi mouerentur à ſpiritibus, cùm ſpiritus, etiam permaneant adhuc, dum humores recipiuntur in vaſe, ab ipſo fluentes humores moti à ſpiritibus: Tum quia dum non adeſt plenitudo, ſi auferatur ligatura, ſanguis permanens intra venas non fluit, nec mouetur: ſed tunc D cum ſanguine ſunt ſpiritus: ergo motus non fit à ſpiritibus.

Secundò Probatur; Quòd ſanguis ſectâ venâ non moueatur ab arteriis: Tum quia ab arteriis ſolùm mouetur ſanguis in eis contentus in dilatatione, ne detur Vacuum, in compreſſione ne detur penetratio: qui autem eſt intra venas, non mouetur, ſicut nec ipſæ venæ mouentur: Tum quia ſi ob motum arteriarum moueretur ſanguis exiens à venis, ſine ligatura, & ſine eo quòd aliquid maneret ex illis, ſicut fluit qui continetur in arteriis: Tum quia in quauis venâ ſectâ exit ſanguis, ſi comprimitur per ligaturam, & non qualibet habet arteriam mouentem.

§. II.

Localis motus ſanguinis traditur cauſa.

Reſoluendum 1. Quòd ſectâ venâ ſanguis & reliqui humores fluunt ob impulſum communicatum à partium tenore, & mediâ artificis ligaturâ, præcipuè impulſu à corde, vt agentes de circulatione probabimus.

Probatur à ſimili: Si alter quicumque liquor contineatus intra vas, ſi illud ob partium tenorem valeat comprimere, aut comprimatur ob extrinſecam E ligaturam, ob impulſum ab his communicatum, liquor contentus dato orificio exibit eodem modo, ac exit ſanguis: ergo ab eiſdem cauſis ſanguis valet moueri.

Probatur ſecundò: Quia fluit ſanguis vt docet experientia: ſed non rectè alia aſſignabilis eſt cauſa, vt patet ex dictis: ergo fluit ab iis quæ à nobis traduntur.

Probatur 3. Si deſit tenor partium comprimens, & auferatur ligatura, deſinit fluere ſanguis, qui priùs fluebat: ergo quia illius fluxus fiat ab his cauſis.

§. III.

Præſcribitur cauſa motus humorum ad partem ex qua fluit.

Reſoluendum 2. Quòd à reliquis venis in partem, à qua fluit ſanguis, trahitur ratione doloris, & ab attrahente illius, & ratione contiguitatis, & a corde pellente.

Probatur prima pars, quia non alia ratione fit humorum attractatio in partibus vulnere doloroſo affectis, niſi quia dolor eſt cauſa attractionis: ergo qui ſuperueniat ſciſsâ venâ poteſt eſſe concauſa tractionis ſanguinis ad partem illam.

Probatur ſecunda pars: Cuicumque venarum parti propter naturalem attrahentem facultatem tribuit natura fibras, quibus illius actio coadiuuetur, ne venæ ſint inanitæ: ergo ab his facultatibus trahitur ſanguis ad partem, à qua ſectâ venâ fluit.

Probatur tertia pars à ſimili: In aqua ſupra tabulam planam poſita, ſi moueatur gutta, tota fluit, vt ſeruet continuitatem cum illa; & aer qui prope me eſt, dum moueor, mecum mouetur, & vicinum mouet vt ſeruet continuitatem: ergo ſanguis qui fluit imprimit impulſum in ſanguine vicino, vt cum illo ſeruet continuitatem.

Dices: Quòd ſi aër moueretur, aut aqua, ad ſeruandam contiguitatem, deberet aſſignari aliqua cauſa loco-motiua, à qua imprimeretur ille impulſus quo mouerentur.

Reſpondetur: Quòd in aqua poſita ſupra corpus planum, à cauſa mouente primam guttam imprimitur impulſus, & ab illa reliquis: ſicut ſimiliter imprimitur à me, dum moueor, aëri contiguo mihi; ratione cuius cauſatur denſitas localis in aëre ante me poſito, & in aëre poſt me poſito raritas localis. Probabitur vlterius pars agendo de circulatione ſanguinis.

Resolvtio V.

Quotuplex eſt ſanguinis miſſio?

§. I.

Sanguinis miſſio partitur ratione Indicantis.

Reſoluendum primò: Quòd ſanguinis miſſio per ordinem ad ſuum indicans, eſt triplex; alia, quæ indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in Quanto; alia, ab eo pendente ex vitio ſanguinis in Quali; alia ab eo qui pendet ex vitio ſanguinis in motu.

Probatur ex definitione: Tum ex eis quæ infrà tradendus agentes de ſpecificatiuo ſanguinis miſſionis: Tum, quia cùm triplex ſit vitium in ſangui-ne

ne, ratione citius morbus magnus, à quo indicatur ſanguinis miſſio, poſſit cauſari, comparatiuè ad quodlibet poteſt ſanguinis miſſio diuidi.

§. II.

Ratione loci à quo intenditur ſanguinis euacuatio partitur phlebotomia.

RESoluendum 2. Quòd attenta loci ratione, à quo ſanguis intenditur auferri, triplex eſt ſanguinis miſſio, alia euacuatoria, alia reuulſoria, alia deriuatoria.

Patebit hæc doctrina ex explicatione membrorum diuidentium. Sanguinis miſſio Euacuans dicitur quæ ordinatur ad euacuationem humoris formari ex toto corpore, aut in determinata illius parte: Reuellens dicitur, quæ ordinatur ad euacuationem humorum in contrariam partem impetu fluentium. Deriuans dicitur, quæ ordinatur in euacuationem humorum citra impetum in partem affectam fluentium, ſiue eorum qui defluxerunt, & nondum impacti ſunt. Differtque ab aliis, quia Deriuatio petit fieri à parte vicina, Euacuatio à parte affecta; Reuulſio à parte contraria & diſtantiori cum rectitudine.

§. III.

Ex parte finis aliæ annumerantur differentiæ.

RESoluendum 3. Quòd ex fine operantis, ſanguinis miſſio, alia fit præcautionis gratiâ, alia curationis C cauſa, alia ad reuellendum, alia ad euacuandum, alia ad deriuandum, alia ad attemperandum, alia ad obſtructionum liberationem, alia ad doloris ſedationem.

§. IV.

Ratione partis in qua fit Phlebotomes differentiæ traduntur.

RESoluendum 4. Ratione partis, In qua exercetur ſanguinis miſſio, alia dicitur venæ ſciſſio, quæ propriè ſanguinis miſſio nuncupatur; alia dicitur Arteriotomia, cuius meminit Galenus *lib. de ſanguinis miſſione circa finem*, & Cælius Aurelianus *lib. 1. Chronicon c. 3.* Et eam familiarem eſſe Ægyptiis refert Proſperus Alpinus *lib. 1. de Medicina Ægyptiorum c. 11. & 12.* Sed hæc noſtris temporibus, vt notauit Manelfus *lib. de Febr.* ab vſu Medicinæ reiicitur, quia periculis plena ſemper fuit, & Galenus plures fatetur vidiſſe occiſos ab arteriæ ſciſſione, in vnóque tantùm vidit coaluiſſe arteriam.

RESOLVTIO V.

Verùm in Reuulſione per ſe conueniat quòd fiat auerſio ad partem diſtantiorem?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

VTramque partem dubiam reddunt Galeni teſtimonia, quæ Moderniores diſtrahunt in varios opinandi modos: *lib. enim 5. Meth. cap. 14.* Cerarium è thapſia conſulit applicare ſuturæ Coronali, vt fiat reuulſio ad pericranium, tanquam in propriam originem eorum humorum, qui fluunt ad pectus: & *l. 2. ad Glauconem*, in humoribus fluentibus ad genu reuellit mittendo ſanguinem, non ab oppoſiti pedis venis, ſed ab eis quæ ſunt in brachio eiuſdem lateris: in lateris

A dolore, licèt humor deſcendat à capite, non reuellimus ad illud, ſed ex brachio eiuſdem lateris ſanguinem mittimus. Et Hippocrates *lib. 6. Epidemion text. 31.* inquit: *In oculorum fluxu in fauces reuellere oportet.* Galenus ſuperaddit: *Hoc vnum eſt reuellentium remediorum genus, vt diuturnas fluxiones reuellamus ad fauces*, & Gal. etiam renibus inflammatis in cubito ſecat venam, dum potiùs à pede fieret, ſi a diſtantiore parte peteret fieri. Ex quo apparet Reuulſionem non eſſe faciendam à parte diſtantiori. Alia ex parte plura ſunt teſtimonia Galeni quæ determinant Reuulſionem debere fieri in partem contrariam diſtantiorem, quibus perplexi Authores varij diuagantur. Manardus, Fuchſius, Acachias, & Curtius iudicant, quòd dum B intendimus præſeruationem, dum affectus eſt leuis, vel chronicus, reuulſio debet fieri per diſtantiſſima; dum affectus eſt acutus, aut intendimus curationem, tum debet fieri per proximiora. Briſotus, quod in principio reuulſio debet fieri per proxima; in fine, per remotiora. Ioubertus ſemper iudicat debere per propinqua fieri reuulſionem. Sanctorius in corpore, in quo non ſunt ſuperflui humores, per proximiora; in eo quod ſuperfluos habet per diſtantiora contendit debere fieri reuulſionem, ne cauſam euacuationis circa propinquam partem attrahamus ad illam maiorem copiam humorum.

§. II.

Noſtra proponitur ex Augenio opinio.

RESoluendum: Quòd per ſe petit Reuulſio ſemper, quòd fiat ad diſtantiora, ac oppoſita cum directione. Sic amplectitur Augenius *lib. 6. de ſanguinis miſſione.* Fulcitur Galeni authoritate *lib. artis medic. in fine. §. At attrahendi ex omni loco ad oppoſitas partes communis indicatio eſt, ad quammaximè diſtantia, deriuatio ad vicinas.* In lib. 5. Method. etiam inquit: *Nam hæc quæ Hippocratis inuenta ſunt, omnis ſcilicet communis euacuationis communia remedia, deriuatio ad vicina loca fit, cùm id quod per palatum vacuatur, per nares deriuatur. Reuulſio verò ad contraria, cùm ad infernas reuellitur.* Et ſuperaddit: *Reuulſio verò in iis, quæ ſuprà ſunt omnibus, deor-* D *ſum ſemper agitur. Surſum iis qui ſunt infrà. Præterea à dextris ad ſiniſtra, ſicut rurſus ab his ad illa.* Et in comment. lib. 6. de morb. vulgaribus. *Reuellere (inquit) quædam deorſum ſtatim iubet Hippocrates ad contrarios locos in his quæ ſuperiùs ortum habent: ſurſum verò in his quæ inferiùs. Igitur ſi in pedes & crura fluxionem decumbere ſenſerimus, ex cubiti venis ſanguinem mittimus.* Idémque docet Galenus *lib. 14. & lib. 4. Methods. & in comm. ad Hippocr. lib. de humorib.* & tenet Oribaſius *lib. de hirudinibus.* Paulus Æginæta *l. 6. c. 40.* Aëtius *ſermon. 4. tetrab. 2. cap. 68.*

Probatur 1. Reuulſio eſt per quam intendimus auertere humores, impedire ruentes in partem, & E nondum in illa firmatos: Ergo ad eam partem, debemus illos auertere, ex qua ſecuriores ſimus, ne iterum fluant ad eam: ſed in parte diſtantiori id ſecutiùs conſequitur: ergo ad illam debet fieri reuulſio. Probatur minor: Quia ſecutior eſt reuulſio humoris, quò difficiliùs poteſt reuerti in partem affectam.

Probatur 2. Reuulſio eſt diuerſa ab Euacuatione, & Deriuatione, cùm ſint membra diuiſeoria eiuſdem diuiſi: ſed Euacuatio extrahit humorem ex parte in qua continetur; Deriuatio auertit illum in proximiorem: ergo Reuulſioni ſolùm poteſt conuenire, quod illum auertat ad diſtantiorem.

§. III.

Galeni teſtimoniis interpretationem adducimus.

AD Galeni teſtimonia, ex quibus Opinantium variæ interpretationes ortæ ſunt, Reſpondetur, quòd Galenus & Hippocrates plerumque conſulunt euacuationem fieri per vicinam partem, quia non intendunt reuellere humorem, ſed illum deriuare per partem propinquam.

Dices: Quòd illam euacuationem quandoque vocant Reuulſionem, & quod tunc non poteſt dici, quòd talis euacuatio ſit Reuulſio: Reſpondetur quòd Euacuatio petit fieri à parte, in qua humor continetur, quia intendit euacuare, quod eſt contentum in parte: ex oppoſito verò, Reuulſio tendit ad auerſionem eius, quod fluit, nondum autem impactum eſt in parte; & ideò intendit humores auertere ad partem diſtantiorem. Deriuatio tandem vtriuſque naturam participat, quia reſpicit humores partim impactos, partim fluentes, & ideò eſt media per participationem Euacuationis, & Deriuationis, & ideò petit fieri medio modo, nec auertendo ad partem diſtantiorem, nec euacuando ex parte affecta; ſed fit per partem vicinam, vt ſuo modo aliquid habeat reuulſionis, & aliquid habeat euacuationis: & ideò Hippocrates & Galenus quando intendunt diuerſionem hanc, aliquando vocant Reuulſionem, quia licèt vtrumque fiat per illam, euacuare & reuellere, potiùs tunc intendunt reuellere quàm euacuare. Quando autem Galenus *l. 5. Methodi. c. 14.* chapſiam applicat, vt reuellat, tunc reuulſionem propriam intendit, & in partem diſtantiorem oppoſitam reſpectu eius partis in quam fit fluxio.

Reſolvtio VI.

Vtrùm Reuulſio ſemper debeat fieri per vias communes?

§. I.

Curtij proponitur opinio.

COntendit Curtius *lib. de vena ſectione*, quòd omnis Reuulſio ſemper debeat fieri per vias communes, vt Galen. decreuit *lib. 13. Method. c. 11.* & in hoc omnes conueniunt: ſed ſuperaddit quòd per vias communes ſolùm debemus intelligere venas. Quod intendit ſuadere.

Primò: quia venæ ſunt vaſa omnibus partibus communia, nulla enim eſt pars corporis ſine vena, & nulla eſt vena, quæ non habeat originem à Caua, & per hoc omnes inter ſe etiam communicant: ſed Reuulſio debet fieri in partes diſtantiores: ergo debet fieri per ea vaſa, quæ communicent cum aliis vaſibus reſidentibus per omne corpus.

Secundò: quia ex doctrina Galeni manifeſtè conſtat, quòd omnes corporis partes habent ſibi ipſis conſentire, quia venæ ſunt omnibus communes: ergo per illas Reuulſio tentanda eſt.

§. II.

Sanctorij præfertur opinio.

REſoluendum: Quòd licèt per venas ſæpiùs, ac faciliùs fiat Reuulſio, poteſt etiam fieri per alios Canales, veluti per inteſtina, ventriculū, vreteres, arterias, intercapedinem carnis & cutis, carnis & nerui, per concauitatem muſculorum, per membranam carno- A ſam, & per alios cæcos ductus. Sic tenet Sanctorius *l. 14. de vitandis erroribus.* Probatque ex Hippocrate qui per vias nobis latentes, & incognitas craſſos humores ſæpè docet euacuari: & ex Galeno *7. Aphoriſm. 54.* vbi inquit quòd Hippocrates opinatur naturam validam & fortem ſemper inuenire viam materiebus expellendis, licèt ſint craſſæ & debeant per anguſta foramina permeare: *lib. 1. Methodi cap. 3.* idem confirmat dicens: *Rectè Hippocrates affirmat totum corpus eſſe conſpirabile.* & Hippocrates *in lib. epid.* per oſſa & poros. Ergo per has occultas vias etiam poteſt fieri Reuulſio.

§. III.

Soluuntur Curtij rationes.

B AD rationes Curtij Reſpondetur, quòd probant, quòd Reuulſio fieri poteſt faciliùs & commodiùs per venas; non autem quòd non ſint aliæ viæ per quas poſſit fieri.

Reſolvtio VII.

Quæ rectitudo requiritur in Reuulſione?

§. I.

C *Fernelij, & Briſotti proponitur opinio.*

FErnelius *lib. 5. Methodi c. 5.* Briſottus in *lib. apologetico de pleuritide*, per Rectitudinem intelligunt Longitudinem reſpectu partium, quæ ſunt ſurſum, & deorſum tantùm: quia humores trahuntur pro fibris rectis, quæ in longum ſunt tantùm porrecti: Ergo ſecundùm iſtam longitudinem ſurſum & deorſum poteſt fieri Reuulſio.

§. II.

Præfertur Sanctorij opinio.

D REſoluendum: quòd Reuulſio poteſt fieri ſecundùm longitudinem à partibus ſupernis ad inferiores, & è contrà, & verſus omnes differentias & poſitiones in corpore. Sic tenent Augenius *lib. de ſanguinis miſſione*, & Santorius *lib. artis Medicinalis.* Sanciuit Galenus *lib. 3. de fracturis, c. 10. lib. 4. Methodi. cap. 6. lib. artis paruæ cap. 89.*

Probatur: Reuulſio eſt auerſio, quæ petit fieri in contrariam partem: ſed ita contrariatur vnum latus alteri, ſicut pars ſuperior inferiori: ergo verſùs illas differentias omnes poterunt fieri reuulſiones.

Dices; Quòd non ſunt viæ, per quas fiat reuulſio à dextris ad ſiniſtras partes.

Sed contrà ſtat: Tum quod omnes venæ quatenus ab vno principio ducunt originem, communicant inter ſe: Tum quia, vt probauimus, ſunt ductus cæci per E quos poteſt fieri talis reuulſio. Patebit latius in Appendice de ſanguinis miſſione.

§. III.

Soluitur ratio dubitandi.

AD rationem dubitandi Reſpondetur, quod probat, quòd maior eſt conuenientia ad rectitudinem, dum fit à partibus ſupernis ad infernas, & è contrà; non autem quòd non poſſit etiam fieri reuulſio verſùs omnem differentiam poſitionis.

SECTIO V.

De indicantibus Sanguinis miſſionem, & de permittentibus.

SAnguinis miſſio auxilium eſt magnum, quod ad morbos magnos pendentes ex humoribus curandos maximè confert. Sed cùm hic idem dicendum veniat de Purgatione, non ſufficit cognoſcere, quòd aliquis morbus ſit magnus, & quòd ab humoribus foueatur, vt inde colligamus ſanguinem eſſe mittendum, niſi proprium indicans illius cogat ad eius executionem, & ideò de indicantibus miſſionis ſanguinis diſputabimus in hac ſectione.

Resolvtio I.

A quo deſumatur indicatio mittendi ſanguinem.

§. I.

Variæ Authorum ſententiæ, & fundamenta adducuntur, & refutantur.

NVlla vnquam offert ſe difficultas pro praxi vtilior, cùm maiori ex parte ex huius indicantis cognitione dependeat materialium morborum curatio; ſed tanta ſtetit Authorum plurium proteruia in amplectendis Antiquorum placitis, vtcumque prolatis, vt nullus fuerit ex illis forſan, vt legenti conſtabit, qui in huius indicantis cognitionem deuenerit.

Prima opinio, quæ ſemper celeberrima ſtetit inter Dogmaticos, præcipuè apud eos qui in verba Magiſtri iurarunt, eſt, quòd ſcopi in mittendo ſanguine ſunt tres; morbi magnitudo, virium robur, & ætas florens. Sic vulgus Medicorum dogmaticorum probat in fide parentum, & defendere conatur totis viribus Maſſaria *in lib. de ſcopis mittendi ſanguinem*, adhærens Matthæo Curtio, & Leonardo Iachino, qui ex his tribus ità indicati, ſanguinis miſſionem conſecudunt, vt omnibus his exiſtentibus neceſſariò ſanguinis miſſio debeat exerceri; aliquo verò ex his deficiente, nullo modo ſit exercenda.

Probatur hæc opinio ex ſummo Dictatore Hippocrate *lib. 4. de ration. victus in acut. text. 9.* vbi hæc protulit verba: *In acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur, florueritque ætas, & virium robur adfuerit.* Gal. *in commentario & lib. 7. Methodi cap. 2.* hanc Magiſtri ſententiam his verbis extollit: *Miror quod Hippocrates eam ſententiam de ſcopis ſcilicet mittendi ſanguinem inter Aphoriſmos non ſcripſerit, quia in paucis verbis vis magna continetur, quod Aphoriſmorum eſt proprium:* & idem Galenus *lib. de Miſſione ſanguinis* hæc protulit: *Tria ſunt quæ continent dignotionem mittendi ſanguinem, morbi magnitudo, aut præſens, aut imminens, ætas vigens, & robur virium.* Aſſentimur Hippocrati, ſimiliter Oribaſius *lib. 1. ſynopſeos*, dicens: *ſi morbus magnus expectatur, ſanguis omnino mittendus erit, etſi plenitudinis ſigna non adſint, habita tamen ratione ætatis, anni temporis, & virium.*

Probatur 2. Ratione ex ſummi Dictatoris doctrina: Extremis morbis extrema & exquiſita remedia ſunt adhibenda, ſic paruis parua, magnis magna: ſed magna præſidia niſi vires ſubſiſtant exerceri non

A poſſunt; & ideò vires validæ requiruntur, neque his exiſtentibus in puerili ætate ſanguinis miſſio, quia propter ſubſtantiæ molitionem, multum natura patitur; & ideò conſiſtens requiritur ætas: Ergo pro ſanguine mittendo ſemper requiritur morbus magnus, virium robur, & ætas conſiſtens.

Sed Trincauellius, Augenius, Santorius, & alij hanc opinionem reiiciunt: Tum Primò, Indicans ſanguinis miſſionis, cùm ſit proprium illius ſpecificatiuum, & per quod Medicus determinatur ad eius electionem, debet hoc vnum indicare remedium: ſed morbi magnitudo, virium robur, & ætas florens
B etiam indicant purgationem: Ergo non ſunt proprium indicans ſanguinis miſſionis. Probatur Minor ex Gal. *lib. 4. Methodi*, vbi ex Hippocratis ſententia docet, quòd ſanguinis miſſio, & purgatio indicantur indifferenter à virium robore, morbi magnitudine, & ætate florente.

Reiicitur ſecundò: Quia quorum vna eſt natura vnum valent indicare, ab vno enim vnum indicatur tantùm, quia indicans & indicatum ſunt contraria; & non plura, vt docuit Ariſtoteles, & tenet Galenus 2. *Methodi cap. 13.* Sed virium robur, morbi magnitudo, & ætas florens habent plures naturas & diuerſas, quæ non poſſunt vniuncè ſub vna ratione comprehendi:
C ergo ab illis non poteſt vna ſumi ſimplex indicatio ſanguinis mittendi.

Tertiò; Si ab his ſcopis indicaretur ſanguinis miſſio, quolibet deficiente non eſſet ſanguis mittendus; ſed in pueris, & in ſenibus ſanguinem mittimus, & ex eodem Galeno ſine morbi magnitudine: Tum quia *lib. de ſanguinis miſſione*, ſanguinem docet eſſe mittendum, ſi morbus ſit magnus, & vires non prohibeant. Tum *lib. 4. Methodi cap. 6.* inquit: *Quòd etſi redundantis ſucci concurſus non adſit, ad ipſam ſanguinis miſſionem interdum eſt confugiendum:* Ergo hi non ſunt ſcopi ſanguinis mittendi ſpecifici.

D Quartò: Vires ſolùm indicant ſui conſeruationem: Ergo nunquam ſanguinis miſſionem indicare debent. Antecedens docetur à Galeno *lib. 11. Methodi, & lib. de optima ſecta ad Traſibulum, §. Sed ex his nullum remedium à facultate indicari cognoſcat: nam ſi conſtans vis remedium indicat in ſanis etiam remedium indicaret:* Ergo vires nullum indicant remedium, ſed tantùm ſui conſeruationem per alimenti repoſitionem.

Secunda opinio tenet: Quòd indicans miſſionis ſanguinis eſt plenitudo ſanguinis. Licèt ſic opinantes differant; nam Trincauellius, & Saluus Sclanius à plenitudine dicunt indicari ſanguinis miſſionem, quatenus excitat, vel poteſt excitare morbum magnum; ſed Albertinus Bottinus *lib. 1. de ſanguinis miſſione*, ait quòd plenitudo eſt indicans ſanguinis Miſſionis, ſi-
E ne eo quod morbus magnus aliquid conferre poſſit ad hanc indicationem, ſed ſolùm ſe habere per accidens, & tanquam ſignum huius indicantis, ſic in Gymnaſio Romano per plures annos fuit hæc opinio recepta, & hi conſequenter loquentes ex ſola Cacochymia purgationem indicari tenent.

Probatur Primo, à magnitudine indicari ſanguinis miſſionem: Tum ex Auicenna, qui docet quòd ſanguinis miſſio eſt euacuatio multitudinem euacuans. Tum 2. quia contraria contrariis petunt curari, & cùm plenitudo ſanguinis, & miſſio ſanguinis ſint contraria, miſſio ſanguinis à plenitudine debet indicari. Tum 3. quia Hippocrates 1. *Aphoriſmorum*, morbi qui repletione fiunt, euacuatione curantur, & ideò hoc euacuans remedium debet à repletione ſeu plenitudine indicari. Tum 4. quia Galenus

Galenus *lib. Methodi cap. 6.* docet, quòd ſicut fit purgatio ob alterius ſucci redundantiam, fit ſanguinis miſſio propter plenitudinem; ergo ſanguinis miſſio indiestur à plenitudine.

Probatur autem Albertini opinio, quod à ſola plenitudine; & non à morbo magno: Quia ſi à morbo magno indicaretur, etiam ſanguinis miſſio in omni morbo magno deberet exerceri; cùm autem in hydrope, & paralyſi, qui ſunt morbi magni, non fiat, à ſola plenitudine indicatur. Tum quia vnum non poteſt indicari niſi ab vno ſolo, & à plenitudine indicatur ſanguinis miſſio; non igitur eſt dicendum, quòd ſimul indicetur à morbo. Tum quia ſanguinis miſſio ob plenitudinem fit, non ergo indicatur à morbo: quia ex Galeno, abſurdum eſt aliud curari, & aliud eſſe quod curationem indicat: ergo à ſola plenitudine nullo modo à morbo, niſi vt in plurimum tanquam à ſigno, indicari eſſerit ſanguinis miſſionem.

Sed plenitudinem ſolam non eſſe totale indicans ſanguinis miſſionis, Probatur 1. Quia ſi per ſe à ſola plenitudine indicaretur ſanguinis miſſio, plenitudine exiſtente, ſemper deberet mitti ſanguis, & abſente plenitudine, nunquam ſanguis eſſet mittendus: ſed plenitudine exiſtente, non ſemper ſanguis mittendus, nec ipſa abſente ſemper omittitur: ergo ſanguinis miſſio non indicatur à ſola plenitudine. Probatur maior quoad primam partem ex Hippocrate 4. *de ratione victus*, vbi neque facta ſyndrome plethorica, ſanguinem ſemper debere mitti docet, ſed frictione, balneis, inedia poſſe curari dicit. Quoad ſecundam, ex Gal. *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, vbi inquit: *Perperamque Menodotus Empiricus ſola Plethorica appellata ſyndrome ſanguinis miſſionem obſeruare conſueuerat: Nos autem, & non ea exiſtente, venam ſecamus, cùm dolor vehemens hominem prehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit; vel os ex loco pulſum, vel alius quiſpiam artus confractus ſit, &c.* Ergo nec ſtante plenitudine ſemper mittendus ſanguis, nec ipſa deficiente numquam mittendus.

Tertia opinio eſt aliorum, qui miſſionem ſanguinis tenent indicari à morbo magno, non quolibet, ſed ab eo qui pendet ab humoribus calidis, ſanguine inquam, & bile. Quibus fauet, Tum 1. quia ſanguinis miſſio, cùm ſit remedium magnum, à morbo magno debet indicari; & cùm vlterius ſit remedium conducens ad attemperationem, ab eo debet indicari, à quo petatur vtrumque: hoc autem maximè petit morbus magnus, prout à calidis humoribus pendet.

Sed diſplicet: Quia ſi à morbo magno pendente ex calidis humoribus indicaretur ſanguinis miſſio, in febre ardente ſemper indicaretur; ſed in illa, materia turgente, & concocta, non indicatur, etſi ſit morbus magnus pendens à calidis humoribus. Tum 2. quia in febre cardialgica datur morbus magnus, ortus ex calidis humoribus, cui non competit ſanguinis miſſio. Tum demum quia in morbis magnis ortis ex ſanguine, aut bile, non ſolùm ſanguinem mittimus, ſed purgamus: ergo hoc non eſt ſanguinis miſſionis indicans.

Quarta opinio, quam tenet Valleſius *lib. 5. Controuerſiarum cap. 5.* dicit, ſanguinis miſſionem multipliciter eſſe remedium euacuatorium, reuulſorium, & attemperans: & ideò non habere vnum indicans, ſed plura, & ex his, illud dicitur ſanguinis miſſionem indicare, cui ſanguinis miſſio contraria eſt; non tamen explicat aliquod determinatum indicans.

Sed diſplicet: quia ſi non eſſet aliquod indicans cognitum & determinatum ſanguinis miſſionis, numquam poſſet cognoſci occaſio mittendi ſanguinem, ſed ſemper caſu, & fortuitò mitteretur, prout ſors tulerit: Tum quòd non eſſet cur in morbis magnis, quibus competit pro curatione ſanguinis miſſio, aut purgatio, potiùs hoc quàm illud remedium eſſet eligendum: Tum quia alienum eſt à cordato Medico fateri, nullum habere indicans ſiue principium, quo valeat cognoſcere an præſtantius remedium, quo vtitur in curatione, conueniat, aut non: ergo indignum eſt tanto viro fateri nullum dari determinatum indicans pro ſanguine mittendo.

Quinta ſententia eſſerit: Quòd indicans ſanguinis miſſionis eſt vehemens peccatum ſanguinis triplici modo ſumptum, vel ſecundum formam, vel ſecundùm quantitatem, vel ſecundùm motum: ſi ſecundùm formam indicat, eradicans; ſi ſecundùm quantitatem indicat, minuens; ſi ſecundùm motum indicat, reuellens dicitur.

Sed diſplicet: Tum quia ſanguis peccans ſecundùm formam, abit pars craſſa in melancholiam, & tenuis in bilem, & indicant humores huiuſmodi purgationem, & non ſanguinis miſſionem: Tum quia adhuc dum peccat ſanguis ſecundùm formam, non poteſt eradicari, ſuo enim etſi prauo natura vtitur ſucco, & ſine omni ſanguine periret animal. Tum quia ſecundùm motum deriuans, & euacuans poteſt indicari.

Seata ſententia eſt aliorum, qui iudicant, quòd miſſio ſanguinis à nullo indicatur: quia miſſio ſanguinis eſt materia in partes; ſed ob quodlibet vitium, ſi cauſet morbum magnum, indicatur euacuatio cauſæ, à qua dependet morbus, vt poſſit curari per cauſæ ablationem: ergo non ſolùm indicatur ſanguinis miſſio à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in Quanto, ſed in Quali, & in motu indicato; quia eſt materia ſeu remedium, per quod conſequimur illud, quod eſt indicatum.

Sed futilis eſt hæc cauillatio: quia non dubitatur, à quo indicetur remedium ſanguinis miſſionis, quod ab artifice opere exequitur; hoc enim bene verum eſt, quòd eſt materia indicati, ſed per miſſionem ſanguinis intelligimus id, quod conſequitur ex illo remedio vt vtili viuenti; euacuatio, inquam, reuulſio, refrigeratio, aut deriuatio, aut auerſio cauſæ morbificæ fouentis morbum, à quo hæc dicimus indicari.

Septima ſententia eſt Sanctorij *lib. artis medicinalis. & in lib. methodi*, qui aſſerit indicans ſanguinis miſſionis eſſe quid innominatum, cuius innominati ſunt ſigna morbi magnitudo, virium robur, & ætas florens.

Sed iſte Author fatetur ignorare illud quod inquirit, contendit Magiſtri ſe oſtentare ſectatorem, & nihil decidit: ſi enim innominatum, & incognitum eſt indicans, incognita etiam erit occaſio mittendi ſanguinem, quia hæc debet cognoſci per ſuum indicans, quod incognitum eſſe fatetur Sanctorius: ergo licèt cognoſcamus ſigna indicantis, non cognito indicante, non poteſt ſanguinis miſſio exerceri.

§. II.

Morbus magnus indicans genericum conſtituitur.

Reſoluendum 1. Quòd morbus magnus eſt genericum indicans ſanguinis miſſionis, & purgationis.

Probatur: A morbo magno indicatur remedium magnum; ſicut à morbis extremis extrema, & exquiſita remedia, vt docet Hippocrates: ſed ſanguinis miſſio, & purgatio ex Galeno ſunt remedia magna: ergo vtraque harum indicatur à morbo magno.

Probatu

Probatur 2. ex Galeno, qui *lib. 4. methodi c. 6.* morbum magnum ponit genericum indicans & indifferens ad ſanguinis miſſionem, & purgationem.

Probatur 3. Sanguinis miſſio indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis; Purgatio indicatur à morbo magno pendente ex cacochymia, vt ex dictis patet: ergo morbus magnus antequam contrahatur per reſpectum ad vitium humorum, genericum eſt indicans ad ſanguinis miſſionem, & purgationem.

§. III.

Determinatur indicans per ſe ſanguinis miſſionis.

REſoluendum 2. Quòd morbus magnus pendens à vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, eſt indicans per ſe ſanguinis miſſionis: ſic protulit Mercurialis *in Bononienſibus Prælectionibus*: ſed nulla firmauit ratione hoc placitum. Probatur 1. Quòd à morbo magno debeat indicari, ex Hippocr. *de ratione victus in morbis acutis*, vbi hæc protulit. *In acutis morbis venam ſecabis ſi morbus ſit vehemens.* Vbi *vehemens* ſupponit pro eodem, ac *magnus*; vt deducitur ex Galeno *lib. 4. methodi cap. 6.*

Probatur 2. Morbus magnus pendens ex vitio humorum indicat pro ſui curatione remedium magnum, quod ſub ſe continet ſanguinis miſſionem, & purgationem: ergo aliquod debet habere per quod determinetur ad ſanguinis miſſionem, potiùs quàm ad purgationem: ſed per hoc quòd pendeat à cacochymia, quæ eſt vitium ſuperueniens reliquis humoribus à commixtione ſanguinis ſeparatis, indicatur purgatio: ergo à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, vel reliquorum humorum ſanguini commixtorum indicatur ſanguinis miſſio.

Dices: quòd ſanguis ſolùm poteſt habere vitium in Quanto, ratione cuius petat euacuari per ſanguinis miſſionem.

Contra ſtat; quòd triplex vitium ſuperuenire poteſt ſanguini ratione cuius, poteſt morbum cauſare, vt probauimus *ſection. 2. antecedenti*: in quantitate, dum fit plethora, in Quali, dum putreſcit ſanguis, & reliqui humores illi commixti; in moto, dum fluit, vel irruit in partem: ergo à quolibet indicatur eius euacuatio.

Probatur 3. Quòd à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in Quanto indicatur ſanguinis miſſio. Tum 1. quia Galenus id docet *lib. 4. methodi cap. 6.* dicens, quòd ſicut miſſio ſanguinis fit propter ipſius plenitudinem, vel morbi magnitudinem; ſimiliter fit purgatio propter abundantiam alterius ſucci. Tum *lib. 9. Methodi cap. 11.* & *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, dicit ſectionem venæ competere duobus præcipuis ſcopis, euacuationi videlicet humorum in venis redundantium, vel auerſioni humorum fluentium: Tum quia Contraria contrariis petunt curari; plenitudo autem ſanguinis miſſioni, ſeu euacuationi contrariatur; ideo enim Hippocrates docet, quòd morbi qui ex repletione naſcuntur, euacuatione debent curari. ergo morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in Quanto, indicat ſanguinis miſſionem.

Probatur 4. Quòd etiamſi abſit plenitudo, indicetur ſanguinis miſſio à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in motu; ex Galeno *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, dicente: *Menodotus Empiricus in ſola plethora, appellata ſyndrome, ſanguinis miſſionem obſeruare conſueuerat; Nos autem, ea non exiſtente, etiam venam ſecamus cùm dolor vehemens hominem prehenderit. vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulſum, vel alius quiſquam artus confractus.* En qualiter Galenus ſine plenitudine, vt impediat motum magnum à motu ſanguinis oriundum, ſanguinem mittit. Tum conſtat ex Galeno *lib. de ſanguinis miſſione cap. 9. §. Scopi mittendi ſanguinem in ſe primo per plenitudinem non complectuntur, ſed ſuſpicionem eius, qui adhuc fit maior, quia ſanguis in magno morbo euacuatur, quamuis nulla plenitudine nota ſit.* Tum ſi quis cadat ab alto, ſanguinem mittit Galenus, etiamſi non adſit plenitudo, ratione motus ſanguinis: ergo ſi timetur morbus ex ſanguinis vitio, in motu, aut aliter, ſanguis eſt mittendus.

Probatur 5. Quòd ex vi morbi magni pendentis ex vitio ſanguinis in Quali, ſit ſanguis mittendus ſine plenitudine: Tum ex Galeno, qui *lib. Methodi*, celeberrimum docet eſſe in omnibus febribus ſanguinem mittere: ex quo patet ratione vitij in Quali in adultis indicari ſanguinis miſſionem. Tum quia ipſe Galenus *lib. 9. methodi cap. 11.* vbi docet quòd ſanguis eſt mittendus dum fit inutilis: & poſteà tradens modos quibus fit inutilis, & debeat mitti per ſanguinis miſſionem, hoc dupliciter dicit contingere: *fit*, inquit, *inutilis, vel dum non ſeruat exactè qualitatem, vel ſi nimis creſcit multitudine*: ex quo patet quòd ſine plenitudine, ſi morbus magnus pendet à vitio ſanguinis in Quali, indicat ſanguinis miſſionem. Tum quia ipſe Galenus *lib. 8. Methodi cap. 4.* in diaria ex obſtructione facta ex vitioſis humoribus ſanguinem mittit, ne ob intemperiem tranſeat in putridam, ſumpta indicatione ex ſolo vitio ſanguinis in Quali. Tum quia idem docuit Auicenna *lib. 1. ſen. 4. cap. 10. §. vnuſquiſque phlebotomatur, aut propter ſanguinis multitudinem, aut propter malitiam, aut propter vitium*: ergo conſtanter defendendum eſt ex doctrina Galeni & Auicennæ, quod ſine plenitudine à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in Quali, ſanguinis miſſio indicatur.

§. III.

Qualis morbus magnus valeat indicare miſſionem ſanguinis?

REſoluendum, Quòd morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, non ſolùm indicat ſanguinis miſſionem ratione ſui, dum actu exiſtit pendens à ſanguine, ſcilicet dum eſt imminens in virtute cauſæ.

Probatur ex Auicenna *ſen. 4. 1. cap. 20. §. & non eſt phlebotomandus niſi vnus duorum, aut ille qui debet cadere in ægritudinem ſanguinis & cadit in eas, aut ille qui iam cadet.* Tum ex Gal. *lib. 6. Aphoriſmor. text. 46.* In quo Hippocrates venam ſecandam, aut purgationem faciendam docet; Galenus autem dicit, *liquet quòd de his qui adhuc ſani, ſed ægri futuri ſunt, niſi vacuentur, &c. tunc ſermo habetur ab Hippocrate; hos enim oportet vt anticipemus euacuare vere adueniente, vel per venæ ſectionem. ſi plenitudinis paſſionibus ſubiiciantur. &c.* Tum quia dum cadit aliquis ab alto vena ſecanda ob motum fluxionis in partem, antequam adueniat morbus, ex Galeno *lib. de ſanguinis miſſione*: ergo non ſolùm à morbo magno exiſtente, ſed ab imminente indicatur ſanguinis miſſio.

§. V.

Soluuntur fundamenta variè opinantium.

AD primæ opinionis fundamenta Reſpondetur, Quòd Hippocrates, & Oribaſius ex eius doctrina

ctrina solùm conantur docere, quòd morbus magnus **A** ſit indicans genericum ſanguinis miſſionis, & quòd vt exerceatur hoc remedium, requiruntur vires permittentes, quarum florens ætas ſolet eſſe ſignum: & hoc idem confirmat ratio pro hac ſententia adducta; non tamen negat, quòd hoc indicans genericum debeat vlterius ſpecificari per proprium conſtitutiuum, & diſtinctiuum ſui, per quod differt à purgatione, cum qua genericè conueoit ſanguinis miſſio in eſſe remedij magni; & ideò indicans genericum ad vtraſque eſt morbus magnus.

Ad Trincauellij & Albertini ſententiam dicimus quòd rationes Trincauellij probant, quòd morbus magnus pendens ex plenitudine indicat ſanguinis **B** miſſionem; quod nos etiam admittimus: non tamen probat, quòd morbus magnus pendens à vitio ſanguinis in Quali, aut motu, non etiam indicet; quod non ſuperaddimus.

Ad Albertini rationes dicimus: Quòd in omni morbo magno pendente ex vitio ſanguinis conuenit ſanguinis miſſio; in affectibus magnis adductis ſi non exercetur, eſt, vel quia deficiunt vires, vel quia morbus magnus non pendet ex vitio ſanguinis, ſed alterius humoris cacochymi indicantis purgationem. Pro 2. dicimus: Quòd morbus magnus eſt indicans genericum: quod pendeat ex hoc, aut illo vitio ſanguinis, eſt propria ratio differentialis: & ex vtroque conſtituitur **C** vnum ſpecificum indicans ſanguinis miſſionis. Pro 3. dicimus, quòd morbus magnus, prout pendet ex vitio ſanguinis in Quanto, aut in Quali, aut motu, eſt qui curatur, & qui indicat miſſionem ſanguinis, quæ eſt illius remedium, quatenus aufert cauſam à qua fouetur.

Ad Tertiæ opinionis fundamenta Reſpondetur: quòd cùm ſanguinis miſſio ſit remedium pro morbis magnis pendentibus ex vitio ſanguinis, ex quocumque illius vitio oriatur, ſiue cuiuſcunque humoris ſanguini commixti.

Ad Quartæ opinionis fundamenta dicimus: Quòd indigna eſt Valleſio ſua opinio: aliud enim eſt quòd euacuatio, attemperatio, reuulſio, aut deriuatio ſint effectus ſubſecuti ad ſanguinis miſſionem, qui ſine illa poſteriores; aliud quòd inquiramus, quale ſit indicans, quod debet eſſe prius illâ. **D**

Pro Quinta ſententia nullum eſt fundamentum; ſed loquitur pro placito opinantis, & ſatis manet refutata.

Pro Sexta opinione. Cauillatio manifeſta manet, & dubitationis explicatio explicata eſt.

Pro Septima ſententia, quæ indicans ignorat, & ſolùm ſua ſigna vocat id, quod alij indicantia eſſe volunt, incognitum eſt fundamentum, & nulla ex parte neceſſarium pro ipſo ſatisfacere.

Resolutio II.

Vtrùm vitium ſanguinis ſoli accidat cruori?

§. I.

Dubitandi rationes proponuntur.

PRoponitur dubitandi ratio pro vtraque parte. Cruor eſt ſanguis quartus humor; omnes humores ſanguini commixti etiam dicuntur ſanguis: an vtrique ſanguini, aut ſoli cruori tribuatur vitium in quantitate, qualitate, aut motu, ratione cuius morbus magnus pendens ab illo indicet ſanguinis miſſionem, cadit ſub dubio. Soli ſanguini, prout dicit **A** maſſam ſanguinariam, hoc poſſe accidere poteſt probari,

Primò, ex fundamento Van Helmont, qui cruorem ſemper eſſe vitalem, incorruptibilem, & incapacem pati aliquod vitium, ratione cuius morbus ab illo cauſetur; ergo de ſolo ſanguine, prout dicit maſſam ſanguinariam, debet intelligi quòd valeat indicare ſanguinis miſſionem.

Secundò: Omne vitium ſanguinis, quod indicat ſanguinis miſſionem, debet oriri à ſanguine quarto humore: quia vitium maſſæ ſanguinariæ eſt vitium ſuperueniens propter quantitatem, qualitatem, aut motum alicuius humoris diſtincti à ſanguine, illique **B** commixti: ſed vitium alterius humoris à ſanguine eſt cacochymia indicans purgationem: ergo vitium ſanguinis, à quo indicatur ſanguinis miſſio, ſoli accidit cruori.

§. II.

Traditur tenenda doctrina.

REſoluendum: quòd morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, indicat ſanguinis miſſionem, ſiue huiuſmodi vitium accidat cruori, ſiue ſanguini prout dicit maſſam **C** ſanguinariam.

Probatur Concluſio. Tum quia vterque horum dicitur à Galeno ſanguis. Tum quia vterque ſanguis, ſi morbum cauſet ob aliquod vitium ex dictis, petit euacuari; non per purgationem, cùm non accidat illi cacochymia; ergo per ſanguinis miſſionem. Tum quia vtrumque vitium eſt ſanguinis vitium; quia etiam ſi hoc accidat aliis humoribus ſanguini commixtis; cùm illi ſint pro tunc pars ſanguinis, eorum vitium ſanguinis vitium vocatur. Tum quia cùm ſolùm illud vitium adſcribatur reliquis humoribus, quod prouenit illis à ſanguinis commixtione ſeparatis, dum nondum ſunt ſeparati, illorum vitium ſanguinis vitium debet appellari; reſtat ergo, quod vtriuſque ſanguinis ſit vitium illud, quod valet indicare **D** ſanguinis miſſionem.

§. II.

Aliqua prænotantur ante ſolutionem argumentorum.

PRimò; Quòd, vt diximus *ſectione antecedenti*, ſanguis acquirit vitium in Quanto, efficit plethoram ratione illius: acquirit vitium in motu, dum irruit in partes, in quas naturaliter non debet ferri, vel ſaltem diuerſo modo fertur in illas: acquirit vitium in Quali & hoc accidit cruori, aut quia alteratione, aut vitio-**E**ne accenditur, & febrem Synochum cauſat, ſiue putridam, ſiue non putridam; vel vitium patitur ab alio humore illum alterante, vt dum à pituita, bile, aut melancholia putreſcentibus alteratur: ſanguis autem prout dicit maſſam ſanguinariam, dicit quandam humorum commixtionem, ex omnibus humoribus compoſitam, vt diximus latiùs *diſput. de purgandi ratione*, contemperatam à ſanguine quarto humore, omnibus reliquis manentibus cum ſuis formis, ita vt cruor reliquos humores ſecundùm quaſcumque minimas contingit partes, contemperet, & coërceat; & dum ſic contemperati humores, ſanguinique commixti permanent, omnes ſunt huius ſanguinariæ maſſæ partes, cuius ſuo modo ſe habet ſanguis, tanquam forma & ideò cuiuſlibet humoris ſic temperati interioperis, putradóve ſuperueniens

toti

toti maſſæ ſanguinariæ, ſeu ſanguini quatuor humori, dicitur vitium ſanguinis in Quali, quia vitium eſt humoris, qui eſt pars illius ſanguinariæ maſſæ, & vitia partium coadintegrantia aliquod vitium, dicuntur vitia eiuſdem totius. Dum verò aliquis humor ex his excedit, te inundátque per ſuas qualitates, aut ob ſubſtantiæ modum, aut ratione quantitatis impediens quominus poſſit commiſceri cum ſanguine, ab ipſo contemperari, & coërceri; tunc talis humor, licèt intra venas maneat cum ſanguine, manet tamen ſupernatans, & à ſanguinis commixtione ſeparatus, & non eſt iam pars illius; & idcò vitium illius iam non dicitur ſanguinis vitium, ſed eſt vitium alterius humoris à ſanguine, quod dicitur Cacochymia; & ideò ille humor, qui ſanguini commixtus ratione excedentis qualitatis, dicebatur vitium ſanguinis efficere, etſi morbus magnus pendebat ab illo vitio, indicabat ſanguinis miſſionem; dum ſeparatur, illius vitium eſt cacochymia, & illius humoris ſolius, non autem ſanguinis vitium; & ideò indicat purgationem.

Secundò notandum eſt, quòd reliqui humores ſanguini commixti ſiue in prima productione generentur præternaturales, ſiue ratione alterationis fiant tales, vel putreſiant, non ſtatim ſeparantur à ſanguinis commixtione, ſed diu poſſunt ſanguini commixti permanere alterari, & in via corruptionis, donec aut nimia quantitate impediant, quominus commiſceri, complecti, & coërceri poſſint à ſanguine, vt contingit in Leucophlegmatia; aut nimis irritantibus acribúſque qualitatibus in ſui ſeparationem irritent, vt contingit dum turgens fit humor, qui facile ſupernatat, faciliterque irritat ad ſui expulſionem: contingit etiam huiuſmodi humores, dum ſolùm poſſunt in morbis concoqui in nocitiuo ſeparari vt inutiles pro nutritione, & ideò cacochymos fieri, & tunc deſinere eſſe pars maſſæ ſanguinariæ; & ideò illi, qui priùs ſanguini commixti ob vitium in Quali indicabant ſanguinis miſſionem, iam ſeparati indicant purgationem, de qua loquitur Hippocrates 2. *Aphoriſmorum*, 10. dum inquit; *concocta medicari, ac mouere non cruda.*

§. IV.

Solutio adhibetur fundamentis vtriſque.

AD primum fundamentum dubitationis Reſpondetur, quòd iam alibi probauimus Cruorem poſſe pati vitium in Quanto, ratione cuius facit plenitudinem: in Quali, dum putreſcit, & facit ſynochum: in Motu in quantum peccans irritat ad ſui expulſionem, & fertur in partes.

Ad 2. Reſpondetur ex dictis: quòd licèt vitium maſſæ ſanguinariæ ſit vitium alterius humoris à Cruore, non tamen eſt vitium alterius à maſſà ſanguinaria, dum eſt pars illius; ſed quia eſt vitium partis, ſeu humoris ſanguinariam maſſam complentis, ideò eius vitium ipſius maſſæ ſanguinariæ vitium dicitur: dum autem ſeparatur eius vitium, non ſanguinis vitium, ſed alterius, dicitur cacochymia.

Resolutio III.

Verùm à magnitudine aliqua indicatio ſumatur pro ſanguine mittendo?

§. I.

Dubitandi ratio proponitur.

MAgnitudinem morbi differentiam eſſe accidentalem morbo ſuperuenientem, ratione cuius minatur periculum, diximus, ſed an hoc accidens morbo ſuperueniens valeat indicare ſanguinis miſſionem, nondum conſtat: aliqui enim à ſola magnitudine hoc remedium indicari iudicabant, quibus fauet,

Primò: quia Hippocrates 4. *de ratione victus, text.* 19. huic videtur adhærere ſententiæ; ex morbi enim magnitudine indicari ſanguinis miſſionem fatetur: & eius doctrinæ adhæret Galenus: ergo poteſt ſanguinis miſſio indicari ratione magnitudinis.

Probatur 2. Sanguinis miſſio, vt fatetur Galenus eſt remedium magnum: ergo ſanguinis miſſio non poteſt non indicari ratione magnitudinis à morbo magno.

Probatur 3. Pro paruis morbis, quos natura eſt apta curare, non decet ſanguinem mittere: ergo magnitudo per ſe indicat ſanguinis miſſionem.

§. II.

Modus traditur quo indicet magnitudo.

REſoluendum. Quòd ex morbi magnitudine non indicatur per ſe ſanguinis miſſio ſpecificè, ſed ſolùm indicatur remedium magnum genericè. Quòd indicetur remedium magnum genericè probauimus *Reſolut. 1. huius Sectionis*: quòd verò per ſe non indicet ſanguinis miſſionem,

Probatur. A morbo magno pendente ex cacochymia humorum indicatur purgatio, vt *diſput. de purgand. ratione*, tradidimus: ergo non indicatur per ſe tota ſanguinis miſſio.

Probatur 2. Morbus ratione magnitudinis ſolùm indicat magnum remedium: ſed remedium magnum eſt genus ad ſanguinis miſſionem, & purgationem, & ad alia, ſi quæ dicantur remedia magna, qualis eſt inunctio mercurij, membri amputatio, & alia: ergo à morbi magnitudine non indicatur per ſe, & ſpecificè ſanguinis miſſio.

§. III.

Soluuntur rationes primò adducta.

AD 1. Reſpondetur: quòd Galenus & Hippocrates ſolùm intendunt, quòd magnitudo ſit genericum indicans ſanguinis miſſionis: non autem quòd poſſit eſſe illius ſpecificum indicans.

Ad 2. Reſpondetur: quòd ſanguinis miſſio eſt remedium magnum; &, vt magnum eſt; indicatur à morbo magno: at verò vt remedium magnum, tale indicatur ſpecificè per aliud diſtinctum ab ipſa magnitudine.

Ad 3. Reſpondetur: quòd cùm magnitudo morbi ſit genericum indicans ſanguinis miſſionis, nunquam à morbo paruo poteſt indicari ſanguinis miſſio; ſed tamen ex hoc non infertur, quòd à ſola magnitudine ſpecificè indicetur ſanguinis miſſio.

Resolutio IV.

Verùm virium robur præſtet aliquam indicationem.

§. I.

Proponitur dubitandi ratio & fundamenta.

VIrtus, facultáſve, eſt id quo eliciuntur in nobis actiones neceſſariæ pro eſſe & operari viuentis

uentia, quæ à temperamento ità dependent, & cum ipſo valido validè operentur; ipſo autem inualido, inualidæ reddantur facultates, debiléſque pro ſuis rectè perficiendis operationibus. Temperamentum verò aliud eſt ſubſtantificum conſiſtens, dum naturale eſt, in debita commixtione partium materialium elementorum, & hoc ſit eſſentiale viuenti; dum verò hoc læditur, eſſentialiter dicetur læſa facultas: Aliud verò eſt qualitatiuum, quod ex iſto reſultat, & ſimul completur ex calore influente; & ideò hoc læditur dupliciter: vno modo ex læſione Subſtantifici, a quo dependet; alio modo ex defectu ſpirituum vitalium, à quibus fouetur; & quando horum vitio vitiatur, lædi etiam dicitur Temperamentum eſſentialiter, quia læditur ſubſtantia quæ per ſe ordinatur ad illius productionem: aliàs verò ſolet Temperamentum qualitatiuum lædi, non defectu horum; ſed alteratione inducta à cauſa externa: ſic læditur à cauſis nos alterantibus, calidis, frigidis, humidis, aut ſiccis; ſed plerumque à calidis, vt contingit in omnibus febribus; ſed huiuſmodi læſio non dicitur eſſentialis, quia non fit defectu cauſæ, quæ per ſe ordinatur ad temperamenti qualitatiui compoſitionem; ſed accidentalis, quia fit a cauſa externa accidentaliter alterante, & variante qualitatiuum temperamentum; ſolent etiam facultates impediri ad ſuas actiones per accidens, ratione humorum grauantium illas; & hæc læſio etiam accidentalis eſt. Eſt ergo difficultas, an à facultatum robore, aut debilitate ſumatur aliqua indicatio per ſe ad mittendum ſanguinem?

Videtur quòd ſic: Primò ex Hippocrate *lib. 4. de ratione victus*, vbi docet indicari ſanguinis miſſionem à morbo magno, & robuſta facultate; ſed per ſe indicatur à morbo magno ſaltem genericè: ergo ſimiliter per ſe indicatur à virtute robuſta.

Secundò: Id quo poſito, poteſt exerceri ſanguinis miſſio, & quo ablato non debet fieri, indicat per ſe ſanguinis miſſionem, ſed poſito virium robore, exercetur ſanguinis miſſio; ipſo ablato, exerceri non debet: ergo virium robur indicat per ſe ſanguinis miſſionem.

Tertiò: Ex eo quòd vitalis facultas ſit robuſta, ſanguis ſtatim mittendus, vt docet Galenus *lib. de ſanguinis miſſione, cap. 11. & 12. §. didiciſti autem. &c.* ergo quia à vitali facultate mittendi ſanguinem ſumitur indicatio.

Quartò: Dum facultates noſtri corporis ſunt nimis oppreſſæ onere ſanguinis, ſua plenitudine grauantis illas, per ſe indicant ſubleuari ab illo onere: ſed facta euacuatione per ſanguinis miſſionem per ſe aufertur plenitudo, ergo per ſe indicat ſanguinis miſſionem.

§. II.

A viribus per ſe ſancitur non indicari ſanguinis miſſionem.

RESOLUENDUM 1. Quòd à viribus non ſumitur indicatio per ſe ad mittendum ſanguinem. Probatur 1. Ex Gal. *lib. de optima ſecta capite 13.* vbi ſanciuit à viribus per ſe tantùm indicari ſui cuſtodiam.

Probatur 2. Vires ſeu facultates reponuntur inter ea, quæ noſtrum corpus adintegrant, & ſunt nobis ſecundùm naturam, vt latiùs patet *part. 1. Reſolutionum medicarum*. Sed ea quæ nobis ſunt ſecundùm naturam, ſui per ſe conſeruationem indicant: ergo ſumpta indicatione per ſe à viribus non indicatur ab eis ſanguinis miſſio.

Probatur 3. Si à viribus ſumeretur per ſe indicatio mittendi ſanguinem, ipſis exiſtentibus, ſemper deberet mitti ſanguis, & ipſis deficientibus, nunquam: ſed viribus valentibus, non ſemper ſanguinem mittimus, vt apparet in eis qui naturali fruuntur ſanitate, nec in quauis debilitate omninò tenuimus tentare ſanguinis miſſionem: ergo ſanguinis miſſio non indicatur per ſe à viribus.

§. III.

Præſcribitur modus quo vires indicant ſanguinis miſſionem.

RESOLUENDUM 2. Quòd vires indicando ſui cuſtodiam, ſiue conſeruationem, poſſunt impedire, aut permittere ſanguinis miſſionem: ſic ſanciuit Galenus *lib. 9. methodi cap. 10.* dicens. *Quippe aliqua eiuſmodi prædita ſunt facultate. vt ſi immoderatè aut intempeſtiuè vtare, vitam adimant, ſiquidem in ſanguinis miſſione non paruum meritò ſubſequitur incommodum, niſi opportuno tempore, aut debita menſura fiat: ergo cùm virtus tantoperè neceſſaria ſit, eam autem lædant omnia euacuatoria remedia, ſi quis ſcilicet iis parum moderatè vtatur, vtique aduerſa inter ſe jactendoram indicationes in talibus corporibus ſunt in quibus affectus qui expugnatur, notabilem euacuationem deſiderant; virtus autem hanc ferre non valet. &c.* Ex quibus apparet, quòd licèt ſanguinis miſſionem vires non indicent, ipſam tamen impedire, aut permittere valent.

Probatur 2. Ex eodem Galeno, qui conſulit in morborum curatione, quòd oculus dexter ad vires, ſiniſter ad morbum debet attendere: ergo dum exercetur ſanguinis miſſio, cum qua vires debilitari poſſunt pro ipſa exequenda maximè attendenda eſt indicatio à viribus deſumpta vt illa impediatur, aut exequatur.

Probatur 3. ex eodem Galeno *lib. 9. methodi capite 13. §. Quod ſi quem curare ſtudes, vires autem extrema imbecillitate laborant, toto illo tempore, quo vires reficimus, nihil aduerſus morbum eſt faciendum: cùm autem conieceris, vt nihil, aut parum ex euacuatione ſunt lædendæ, tunc eſt ad effectus curationem accedendum, &c.* ergo, ex Galeno, ſumpta indicatione à viribus ſanguinis miſſio impediri, aut permitti poteſt.

Probatur 4. Indicationes plures ſi ſuperueniant ſimul; quæ præſtantior eſt valet aliquas permittere, aut impedire, cùm hæc præcipuè attendenda ſit: ſed in morborum curatione, in quibus ſanguinis miſſio exerceri debet, ſemper coincidit indicatio à viribus deſumpta, quæ reliquis eſt præſtantior, cùm indicet virtutum, ſeu vitæ cuſtodiam: ergo hæc valet cohibere, aut permittere ſanguinis miſſionem.

Probatur 5. Ex Galeni doctrina, nullum remedium ità eſt tutum, vt aliqua ex parte non noceat, vireſque proſternat, præcipuè ſi illud ſit magnum, qualis eſt ſanguinis miſſio, à quo vt tali magnoperè debet timeri læſio ergo vt poſſit exerceri ab ipſis viribus eſt attendendum, an permittant, an renuant illius executionem.

§. IV.

Soluuntur primò poſita fundamenta.

AD 1. Reſpondetur; quòd dum Hippocrates & Galenus ſanciunt à morbo magno indicari ſanguinis

ſanguinis miſſionem, intendunt docere, quòd ſanguinis miſſio indicatur à morbo magno genericè, vt dictimus, à virium robore permiſſiuè, quatenus ob virium vigorem permittitur euacuatio, non autem quia ab illis per ſe indicetur.

Ad 2. Reſpondetur, quòd id, quo poſito exercetur & quo ablato non exercetur ſanguinis miſſio, non eſt neceſſarium quòd ſit indicans, ſed ſufficit quòd ſit conditio ſine qua non; ſic ſimiliter præſuppoſita approximatione fit actio, & ipſa deficiente non fit, ipſa tamen non eſt actio, nec principium agendi.

Ad 3. Reſpondetur, quòd Galenus non intendit docere, quòd à vitali facultate indicetur ſanguinis miſſio, ſed quòd permittitur, & ſigna proponit quibus illius robur agnoſci poteſt; inquit enim: *Didiciſti autem vehementi pulſui cum æqualitate, tanquam minimè fallaci virium robuſtarum ſigno fidem habere; ex abundante autem & magno. Itaque etſi animales vires ita debiles videantur, vt loco moueri non poſſit æger, naturaleſque minimè appetant, & debiliter concoquant; ſi tamen vitales in eſſentia robuſtæ fuerint, magnos, atque vehementes & æquales pulſus edant ſanguinem extrahere non timebimus, quòd quidem facere minimè audebimus ſi contrario modo exiſtant*, &c. Ex quo apparet, tantùm intendere tradere ſigna, quibus cognoſcamus, an ſufficiant vires pro ferenda ſanguinis miſſione.

Ad 4. Reſpondetur: quòd noſtræ facultates per ſe indicant ſui cuſtodiam, & conſeruationem, ſunt enim nobis ſecundùm naturam, & id quod naturale eſt per ſe indicat ſui conſeruationem: at verò, ſi quid ſuperadditur earum impediens conſeruationem, eùm illud præternaturale ſit, ab illo per ſe indicatur ſui ablatio; & ideò dum eſt plenitudo grauans vires, à morbo magnó prout imminet in plenitudine indicatur ſanguinis miſſio per ſe.

RESOLVTIO V.

Vtrùm ætas florens indicet per ſe ſanguinis miſſionem?

§. I.

Proponuntur dubitandi rationes.

ÆTas non accipitur pro ſpatio centum annorum, nec pro totius vitæ humanæ duratione; ſed pro ve eſt menſura durationis vitæ humanæ ſub temperamento ſubſtantifico, ex præſcripto naturæ ordine homini debito. Nec loquimur de diuerſis eius diuiſionibus, apud Iuriſperitos, Aſtrologos, aut Philoſophos vſitatis: ſed de ea diuerſitate ætatum, quam inuenerunt Medici, in Pueritiam, quæ ad decimumquartum annum ſe extendit; Adoleſcentiam, quæ ad vigeſimum primum peruenit; Iuuentutem, ad trigeſimum quintum annum; Conſiſtentiam, ad quinquageſimum; & Senectutem, per reliquum vitæ extenſam; de quibus dubitamus an per ſe indicent ſanguinis miſſionem.

Pars affirmatiua fulcitur 1. ex Hippocrate *lib. 4. de ratione victus*, docente, à morbo magno cum florente ætate indicari ſanguinis miſſionem: ergo per ſe ab illa debet indicari ſicut à morbo magno.

Secundò: Poſita ætate adoleſcentiæ, conſiſtentiæ, & iuuentutis, conſulit Gal. *lib. de ſanguinis miſſione c. 13.* ſanguinem eſſe mittendum: poſita pueritiæ ætate, aut ſenectutis, decreuit non mittendum ſanguinem: ergo ab aliquibus ætatibus aliqua indicatio ſumitur mittendi ſanguinem.

Tertiò: In ætate florente abundat ſanguis: ſed à ſanguine redundante per ſe indicatur ſanguinis miſſio: ergo ratione ætatis florentis per ſe indicatur ſanguinis miſſio.

§. II.

Proponitur neceſſitas florentis ætatis.

REſoluendum 1. Quòd à nulla ætate per ſe indicetur ſanguinis miſſio. Probatur: ſi ab aliqua ætate indicaretur per ſe ſanguinis miſſio, ſemper per ſe in illa ætate deberet exerceri, nulla alia exiſtente illius neceſſitate: ſed nulla eſt ætas, in qua morbo magno deficiente ſanguinis miſſio debeat exerceri: ergo nulla eſt ætas à qua per ſe indicetur.

§. III.

Qualiter ætas permittat ſanguinis miſſionem, profertur.

REſoluendum 2. Quòd ætas conducit ad prohibendam, vel permittendam ſanguinis miſſionem, quatenus in diuerſis ætatibus aliter ſe habet homo, vt poſſit hoc remedium tolerare: aut non.

Probatur 1. Ex Hippocrate *lib. 4. de ratione victus*, vbi pro ſanguine mittendo exigit ætatem florentem, quod non alia ratione niſi vt in illa poſſint vires faciliùs, ac ſecuriùs illam tolerare: ergo ætas quatenus dicit tolerantiam, aut non, aliquo modo coadiuuat, aut impedit ſanguinis miſſionem.

Probatur 2. ex Gal. qui *lib. de ſanguinis miſſione c. 13.* docet in pueris, & ſenibus ſanguinem non mitti, conſulit autem in reliquis ætatibus mittendum eſſe: ergo quia ratione virium, quæ debentur vnicuique ætati poteſt ſanguinis miſſio permitti, aut cohiberi.

Probatur 3. Sunt aliquæ ætates, in quibus vires poſſunt cum maxima ſecuritate tolerare remedium ſanguinis miſſionis, qualis eſt adoleſcentia, iuuentus, & conſiſtentia: & aliæ in quibus vires ſunt debiliores, minuſque valent illud tolerare: ergo ſanguinis miſſionis aliqua ab ætate ſumitur indicatio.

§. IV.

Soluuntur primò rationes adductæ.

AD 1. Reſpondetur, quòd Hippocrates non intendit per ſe indicari ſanguinis miſſionem ab ætate florente, ſed quòd ratione illius, quatenus vires debent eſſe robuſtæ, meliùs permittitur ſanguinis miſſio quàm in reliquis ætatibus.

Ad 2. Reſpondetur, quòd Galenus inhærens doctrinæ Hippocratis idem intendit docere, quod docuit Hippocrates.

Ad 3. Reſpondetur, quòd ex eo quòd in ætate florente abundet ſanguis, non ſequitur quòd ſit mittendus, quia ex hoc non ſequitur, quòd ſit morbus magnus pendens ab illo, à quo indicetur; ſi autem datur, ab illo indicabitur ſanguinis miſſio, & conducet florens ætas, vt vires potentiores in illa potentiùs valeant eam tolerare.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm pueritiæ ætas contraindicet omninò ſanguinis miſſionem?

§. I.

Variæ opinantium referuntur opiniones.

ANtiqua controuerſia deſcendit iterum ad incudem diſputationis. Vndique opinantium

agmina ſe oppugnantia deſcendunt in arenam; pueritiam omninò contraindicare, & prohibereque ſanguinis miſſionem, adſcribi videtur Hippocrati 4. *de ratione victus textu* 19. vbi florentem ætatem exigit, vt ſanguinis miſſio exerceatur. Galenus ſæuiori decreto omnino ſanciuit ſanguinis miſſionem interdicendam eſſe pueris *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem capite* 9. *& capite* 13. *libro* 9. *Methodi capite* 5. *lib.* 13. *methodi capite* 11. *&* 14. *lib.* 1. *ad Glauconem capite* 14. *in comment. ad lib.* 4. *de ratione victus comm.* 19. Antiquiores iurantes in verba Magiſtri maiori ex parte in eadem omnes perſiſtebant ſententia. Diſceſſerunt Cornelius Celſus & Arabes, & experientiis, ac rationibus conuicti Moderniores coacti ſunt ab antiquo recedere decreto; & ne omninò viderentur diſcedere à Magiſtri decretis, Fernelius *lib.* 12. *methodi capite* 10. Horatius Augenius *lib.* 1. *de ſanguinis miſſione capite* 7. Valleriola *lib.* 5. *enarrat.* 3. & alij conantur Galenum explicare dicendo, interdixiſſe tantùm in pueris ſanguinis miſſionem in magna quantitate ſuo tempore vſitatam, non autem eam quæ cum moderamine fit. Licèt hæc explicatio, quam priùs refutauit Peramatus *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, diſpliceat Zacuto *lib.* 1. *de medicor. Princip. hiſtor. quæſt.* 47. vbi Galeni ſe tutorem exhibet, licet inani conatu contendens probare, quòd Galenus docuit ſanguinem in pueris eſſe mittendum, in cuius fauorem plura eiuſdem coaceruat teſtimonia, quæ teſtimonium præſtant vim defuiſſe in illis pro ſuo conatu. Ex modernioribus autem Fonſeca in *lib. de febribus, quos Iachinus omiſi.. cap. de variolis*, & Syluaticus *lib. Controuerſiarum Medicarum, Controuerſia* 88. totis viribus conantur ſuadere antiquam Galeni doctrinam.

Primò: Quia ipſe locis iam adductis manifeſtiſſimis verbis illam prolatam reliquit, vt omnes fateri videmus, vno dempto Zacuto: ergo ex Galeno à pueritia omninò interdicitur ſanguinis miſſio.

Secundò: ratione deſumpta ex eodem Galeno *lib.* 11. *Methodi capit.* 4. ſic: ſuperuacaneum eſt ſanguinem mittere in illis corporibus, in quibus natura euacuat, quod ſanguinis miſſione poſſet euacuari: ſed in pueris natura per reſolutionem euacuat ſanguinem, quem nos poſſemus euacuare per ſanguinis miſſionem, ſunt enim humidæ ſubſtantiæ facilè reſolubiles, habent magnas poroſitates, & calorem intenſum: ergo fruſtra adhiberetur ſanguinis miſſio.

Tertiò: Sanguis non abundat in pueris, quia copia quæ in illis generatur, deſeruit pro nutritione, quæ maxima petit eſſe ratione reſolutionis maximæ repertæ in pueris: deſeruit ſimiliter pro augmento, augentur enim maxime in ea ætate, & ideò non apparent in illis plenitudinis ſigna: nec hæmorrhagiæ ſanguinis, nec naturales corruptiones: ergo non datur in illis ſcopus mittendi ſanguinem.

Quartò: ſanguinis miſſio poteſt ſuppleri ſcarificationibus in pueris: ergo non exercenda.

§. II.

Cornelij Celſi, & Modernorum præfertur opinio.

Reſoluendum à pueritia non interdici venæ ſectionem: ſic ſanciuit Cornelius Celſus *lib.* 2. *capit.* 10. Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm.* 3. *capit.* 11. Actuarius *lib.* 3. *methodi cap.* 8. Oribaſius 7. *Collectaneorum capite* 4. Raſis *lib.* 7. *ad Almanzorem cap.* 21. quos ſequuntur Arabum familiæ ſectatores; & ex Modernioribus Augenius *lib.* 1. *de vena ſection. capit.* 7. Lemos *lib.* 4. *methodi.* Zacutus *lib.* 1. *de medic. Princip. hiſt. quæſtion.* 47. Mercatus *libr. de morbis puerorum.* Sennertus *tom.* 2. *libr.* 2. *capite* 5. Fernelius *libr.* 2. *methodi capit.* 10. Valleriola *libr.* 5. *enarrat.* 3. Santa-Cruz *lib.* 1. *de impedimentis magnorum auxiliorum capite* 2. Herrera *in Clypeo puerorum*, & maior Iuniorum pars.

Probatur 1. authoritate Celſi *lib.* 2. *cap.* 10. *§. interest enim non quæ ætas, nec quid in corpore intus geratur, ſed quæ ſint vires; ergo ſi iuuenis imbecillis eſt, aut ſi mulier quæ grauida non eſt, parum valet, malè ſanguis emittitur, emoritur enim, (ſi qua eis ſupererat) hoc modo erepta eſt. At firmus puer, & robuſtus ſenex, & grauida mulier valens tutò curantur.*

Tum idem roborat Auicenna *fen.* 4. 1. *cap.* 5. *In ætate quæ minor annis eſt quatuordecim, & in ætate ſenum, quanto magis poteris à vena ſectione cauebis, niſi muſculis bene præditi fuerint, & venis plenis, ac latis tum colore rubeo hos ſolos ex adoleſcentibus minuere poteris*: ergo ſanguinis miſſio ratione pueritiæ non omninò interdicitur in pueritia.

Probatur 2. Illud remedium, quod experientia comprobatum eſt pluribus prodeſſe, ipſóſque à magnis liberaſſe morbis, exercendum eſt: ſed pueris, paruuliſque infantibus plurimùm prodeſſe docuit experientia miſſionem ſanguinis: Tum noſtris temporibus in quibus ex continuo vſu huius remedij in pueris quotidie id experimur: Tum quia pluribus abhinc annis idem expertum refert Auerroës *lib.* 7. *collig. cap.* 7. qui refert hiſtoriam Auimeron Auenzoar, qui filio ſuo trino ſanguinem miſit, ipſúmque ab imminente morte liberauit, quam experientiæ authoritatem admittunt Moderniores, licèt Augenius *lib.* 1. *de ſanguinis miſſione*, & Amatus 1. *Centuria* 10. in Therzie, hanc hiſtoriam non reperiri dicant: ipſam refert Auerroës; & Zacutus *lib.* 1. *q.* 47. eam in codice Arabico legiſſe affirmat. Tum eadem experientia conuictus Valleſius *lib. Methodi*, nullum iam eſſe ſanæ mentis iudicat, qui ipſâ non conuincatur. Tum quia experientia etiam conuictus Raſis 7. *ad Almanzorem cap.* 21. ſanciuit pueros morbo graui oppreſſos, phlebotomandos: quem ſequuntur familiæ Arabicæ Proceres; ergo ſanguinis miſſionem non impedit pueritiæ ætas.

Probatur 3. Morbus magnus in pueris pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu indicat remedium magnum proportionatum pro curatione morbi, & pro euacuatione cauſæ, à qua dependet: ſed hoc non poteſt eſſe purgatio, cùm abſente cacochymia, hæc non ſit indicata: ergo debet eſſe ſanguinis miſſio.

Dices: quòd ſi vires ſufficerent, deberet exerceri; ſed non ſufficiunt in pueris.

Contrà ſtat experientia, quæ pueros docet, ſi validi ſint, melius ferre ſanguinis miſſionem, quàm inualidi iuuenes.

Dices vlteriùs, quòd reſolutione euacuatur ſuperabundans ſanguis in pueris, & ideò eſt fruſtranea ſanguinis miſſio.

Contrà ſtat 1. Quòd reſolutio non poteſt ita celeriter euacuare, & ex mora contingit humores putredine affectos in eam deduci putredinem, vt pueros è medio tollant. Tum quia ita poteſt eſſe magna quantitas humoris, vt non poſſit reſolui toto morbi tempore: ergo ſanguinis miſſione euacuari petit.

Probatur

Probatur 4. Si vires ſint validæ, corporis habitus firmus, venæ amplæ, & plenæ ſanguinis redundantia morbos, ex eius vitio ortus lethalis, inhumanum eſt morbum non curare, & ægrum certæ deſperationi relinquere: ſed id in pueris ſæpè contingit: ergo ſanguinis miſſio ratione ætatis non debet prohiberi.

Probatur 5. in pueris purgatio indicata à morbo magno pendente cacochymo humore debet exerceri, vt diſp. de purgandi ratione, probauimus: ergo ſimili modo in eadem ætate ſanguinis miſſio eſt exercenda, dum ſuperuenit morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate aut motu, à quo indicatur ſanguinis miſſio. Probatur Conſequentia: quia ſicut, non obſtante quòd humor cacochymus poſſet reſolutione euacuari, purgamus, quia non ita citò reſoluitur, ac requirunt pro euentus ſecuritate; ſimili ratione debemus ſanguinis miſſione euacuare ſanguinem, ex cuius vitio in pueris ſuperuenit morbus magnus.

§. III.

Soluuntur ex Galeno deſumpta fundamenta.

AD 1. Reſpondetur, vel quòd Galenus non intendit omninò interdicere ſanguinis miſſionem in pueris, ſed eius vſum attemperare, cùm in illis vires non videantur ita conſtantes; vel quòd intendit docere, quòd illa ætas non æquè permittit, ſicut reliquæ florentes ætates: vel quòd tempore Galeni non docuerat experientia pueros tutò poſſe ferre venæ ſectionem, & cùm potiùs dependeat ab experientia, quàm à ratione cognoſcere, an vires tolerare poſſint remedium: conſulit quod ſecurius videtur in hoc caſu, quod docuit Hippocrates, quòd ſcilicet meliùs eſt infra ſubſiſtere; & cùm, vt inquit Cornelius, ſanguis non debeat mitti niſi in puero valido, in hoc virium robore cognoſcendo conſulere videtur Galenus interdicendo Phlebotomiam, quòd ſubſiſtamus infrà, vel ſi abſolutè interdicere velit miſſionem ſanguinis in pueris, non ſtandum eius doctrinæ.

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſi æquè tutò, citò, & securè reſolutione fieret ſanguinis euacuatio, eſſet ſuperflua ſanguinis miſſio: ſed plerumque in toto morbi tẽpore non poſſet reſolutione humor peccans euacuari, vel antequam reſolueretur periret æger, vel deficiente ſanguinis miſſione in principio non fieret ventilatio, & attemperatio, qua impeditur putredo, & hæc ſerpens in fine cohiberi non poſſe, adhuc ſi reſolueretur humor.

Ad 3. Reſpondetur, quòd, licèt fiat ſanguinis maxima reſolutio in pueris, poteſt ob virtutem generatiuam eius robuſtam ſuperabundare ſanguis, efficere plenitudinem, & morbum, vel viciari alio modo in Quali, aut in Quanto, vt exigat ſanguinis miſſionem.

Ad 4. Reſpondetur, quòd vt inquit Lacuna, crudeliſſimum eſt, lanionumque crudele carnificium. Herodianaque internecio vſus ſcarificationum in pueris, præcipue ſi pro plenitudine exercceretur.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm Senectus contraindicet ſanguinis miſſionem?

§. I.

Aperitur ratio dubitandi ex Hippocrate, & Galeno.

SEnectus eſt ætas, quæ à quinquageſimo anno porrigitur per reliquum vitæ decurſum, in qua

A frigida iam, ac ſicca temperie gaudet homo: & ex Gal. lib. 6. de ſanitate tuenda cap. 9. eſt triplex; alia viridis ſenectus, in qua homo, & propria, & Reipublicæ negotia valet obire: alia media, in qua propriis tantùm rebus valet ſenes aſſiſtere: Decrepitudo eſt vltima, in qua nec pro ſuis attendendis rebus capax homo manet. De omni ætate ſenectutis inquirimus, an contraindicet ſanguinis miſſionem? Et pars affirmatiua fulcitur Hippocratis & Galeni authoritate qui lib. 4. de ratione victus text. 19. floridam ætatem requirunt pro ſanguine mittendo, & lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, iterum idem confirmat Galenus cap. 5.

Secundò: virium debilitas contraindicat ſanguinis B miſſionem; ſed in ſenili ætate vires debiles ſunt, cùm ex earum defectu diminutæ reddantur actiones, & ex earum debilitate oritur, vt inquit Antiphanes Catiſtius, quòd

Mala ad ſenectutem, officinam ſeu ſuam,
Humana tandem congregantur omina.

Ergo defectu roboris virium in ſenectute contraindicata eſt ſanguinis miſſio.

Tertiò: In ſenectute, illa euacuatio eſt contraindicata ratione ætatis, per quam euacuatur illud cum quo homo poteſt diutiùs retardari, ne deferatur in naturalem interitum: ſed ſanguinis miſſio eſt huiuſmodi: ergo eſt contraindicata ratione ſenectutis. Probatur minor: mors naturalis reparatur reponendo ſubſtantiam ſimilem loco humidi radicalis, quod continua reſolutione deperditur: ſed per ſanguinis miſ- C ſionem euacuatur cruor, qui maximè præſtat, pro reponenda ſubſtantia ſimili ei, quæ deperditur in humido radicali, cùm cruor ſit humor calidus & humidus, quale & ipſum humidum radicale eſt: ergo ſanguinis miſſio eſt euacuatio, per quam euacuatur illud, quo conducit, vt poſſit diutiùs retardari interitus naturalis.

§. II.

Suadetur non contraindicari ſanguinis miſſionem.

D REſoluendum: Quòd in viridi ſenectute, nec in ea ſenectutis parte quæ validas retinet vires, ſenectus non contraindicat ſanguinis miſſionem; bene tamen in reliqua illius parte: ſancivit Celſus lib. 2. c. 10. docens quòd *robuſtus ſenex poteſt phlebotomari*: quam doctrinam docuit Rahis lib. 7. ad Almanzorem cap. 11. intelligendam de partibus ſenectutis ante decrepitudinem. Sic ſancivit ſimiliter magiſter lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem c. 13. cui adhæret Auicenna fen. 4. t. c. 20. Aetius tetrabili 1. ſerm. 3. c. 11. Paulus lib. 6. c. 40. Oribaſius 7. Collectaneorum 4. Auerroës 7. Collig. cap. 23. Angenius libr. 1. de ſanguin. miſſione c. 10. Zacutus tom. 1. lib. 2. dub. 2. & eſt communis. Morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, poteſt accidere ſenibus, ſi- E cut & in reliquis ætatibus viribus conſentientibus: ſed in reliquis ætatibus ſanguinem mittimus: ergo in ea parte ſenectutis, in qua vires ſint robuſtæ, ſanguis eſt mittendus.

Probatur 2. Nulla ex parte poteſt ſenectus contraindicare ſanguinis miſſionem, niſi quia in illa vires non poſſunt ob ſui debilitatem ſufficere pro ipſa ferenda: ſed in Senectute viridi, & in ſequente parte illius, eſt virium robur, vt ex citatis Authoribus compertum habetur, & in continuo vſu ſanguinis miſſionis in ſenibus demonſtrat experientia: ergo non eſt contraindicata ſanguinis miſſio.

Dices: Quòd ſaltem vires debent eſſe debiliores, quàm in reliquis ætatibus, Reſpondetur. Quòd ex hoc ſolùm ſequitur, quòd cautiores debemus eſſe pro ſanguine mittendo in his ætatibus, quã in florentibus reliquis, non autem quòd in robuſto ſene ex toto contraindicetur ſanguinis miſſio ratione ſenectutis.

§. III.

Soluuntur argumenta primò adducta.

AD 1. Reſpondetur: quòd Hippocrates, & Galenus non intendunt, quòd a ſenectute contraindicetur ſanguinis miſſio, contrarium enim ſanciuit Galenus iam citatus; ſed quòd indecrepitudine ex toto abſtinendum a ſanguinis miſſione, in reliqua ætatis duratione cum maxima præcautione exerceatur, quia vires iam labantur, humoque naturaliter properat in interitum.

Ad 2. Reſpondetur: quòd cùm ſenectus ſit ætas, per quam homo mutatur à floridis ætatibus, & pertranſit vſque in interitum naturalem, eſt in illa duratio ſub qua ſenex robuſtus eſt, & tunc vires ſunt pro ſanguine mittendò; & viteriùs eſt tempus in quo iam vires ferre non poſſunt miſſionem ſanguinis, & idcò tunc contraindicata eſt.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſi poſſit ſenex ſine ſanguinis miſſione pertranſire vſque ad interitum naturalem, non deberet mitti ſanguis, qui alimentum præſtat pro reponendis partibus, & humido radicali deperditis aliqua ex parte: ſed quia dum ſuperuenit morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis, poteſt homo mori citiùs morte violenta, ideò minus inconueniens eſt, quòd non intendatur retardari mors naturalis, quàm quòd ſinamus ægrum perire citiùs morte violenta; præterquam quòd ſanguis, qui ob aliquod vitium phlebotomatur, non ita aptus eſt, vt præſtet materiam pro humido radicali.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm humorum cacochymia valeat indicare ſanguinis miſſionem?

§. I.

Fernelij, & Botalli proponitur opinio.

VIlij cacochymiæ ſuperuenientis humoribus ignorantia Dogmaticos Medicos diſtraxit in varios errores: quia nec ſanguinis miſſionis, & purgationis indicantia diſtinguere ſine eius cognitione poſſunt; nec vtriuſque exercendi remedij occaſionem percallere: ideóque & vtrumque remedium plerumque cognoſcunt fateri ab eodem indicari indicante: ſic Fernelius *lib. 1. Methodi c. 4.* Botallus *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, licèt aliàs fateantur, quòd ſanguinis miſſio indicatur ab humorum cacochymia, in ea tamen perſiſtunt opinione, vt iudicent, quod ſanguinis miſſio poteſt etiam indicari ab eadem humorum cacochymia. Quibus fauet,

Primò: quia per ſanguinis miſſionem, non ſolùm ſanguis & reliqui humores euacuantur, ſed maiori ex parte humor cacochymus, qui ſimul cum illis eſt intra venas, & in maiori quantitate, quàm reliqui: ergo debet euacuari, vt quod reliquum eſt valeat faciliùs concoqui, per ſanguinis miſſionem.

A Secundò: Euacuatio debet determinari ſecundum locum, in quo euacuandus humor continetur Ita vt ſi humor ſit in ventre, fiat per ſolutiuum pharmacum, vel fiat per Clyſteres: ſi ſit in venis, per ſanguinis miſſionem: ſi ſit in tertia regione, euacuetur ſudore, aut cucurbitulis, ſiue per ſcarificationes: ſed cacochymia ſolet in venis reperiri, à quibus ſanguinis miſſione melius euacuatur; ergo pro cacochymia humorum debet ſanguinis miſſio exerceri.

Tertiò: Per illud remedium debet cacochymus humor euacuari, per quòd commodiùs euacuari poteſt: ſed humor cacochymus, qui intra venas eſt, nec in maiori copia, nec commodius poteſt euacuari per aliam regionem, quàm per ſanguinis miſſio-

B nem, quæ proximè euacuat, quidquid continetur in venis: ergo debet euacuari per ſanguinis miſſionem. Probatur maior ex Hippocrate 1. *Aphoriſmor. 2. §. Vaſorum inanitio, ſi tales fiat, qualis fieri debet; confert, &c.*

Quartò: Galenus *lib. 9. meth. cap. 11.* vbi docet ob ſanguinis vitium in Quali, ſiue cacochymia, ſanguinem eſſe mittendum; inquit enim: *Quoniam vena ſectio ſanguinis euacuandi cauſa adhibetur, ſanguis autem naturæ vtilis, vtique probè hunc adminiſtrare conuenit, ſic vt quod natura inutile ſit, emittat: fit autem ſanguis naturæ inutilis bifariam; vel cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius nutrire, ſicut priùs dum eſſet vtilis, poteſt, &c.*

C Ergo ratione vitioſi ac cacochymi humoris ſanguis mitti debet.

§. II.

Cacochymiæ ſanguinis mittendi indicatio denegatur.

REſoluendum: Quòd nunquam poteſt indicari ſanguinis miſſio ab humore cacochymo, ſed à morbo magno ab illo pendente: ſic ſanciuit Galenus, receptique Claſſicorum Dogmaticorum communis aſſenſus, licèt in modo huius doctrinæ ampleſtendæ

D apertè demonſtrent ipſos cacochymiæ naturam ignoraſſe.

Probatur 1. Sanguinis miſſio, & purgatio, ſunt duo remedia magna, & diuerſa: ergo debent habere duo indicantia etiam diuerſa, ratione quorum Medicus cognoſcat potiùs vnum quàm alterum exercendum eſſe; aliàs non operaretur ſcientificè, & ſecundùm artem in eorum electione; ſed pro libito aut fortuitò. Tum ſic: ſed morbus magnus pendens ex humoris cacochymia indicat purgationem: ergo nunquam poteſt indicare ſanguinis miſſionem. Probatur minor ſubſumpta: Tum ex demonſtratis à nobis *lib. de purgandi ratione.* Tum ex Gal. *lib. 2. Aphoriſm. comm. 8. & lib. 4. methodi cap. 6.* aliiſque in locis, in quibus ſancitur ratione plenitudinis indicari ſanguinis miſſionem; ratione cacochymiæ indicari purgationem.

E Secundò probatur: ſanguinis miſſio, quæ non indicatur, exerceri non debet: ſed ratione humoris cacochymi nunquam indicatur: ergo ratione illius nunquam debet exerceri. Probatur minor: quia, vt probauimus in hac ſectione, ſanguinis miſſio ſolùm indicatur à morbo magno, pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu.

Dices, quòd cacochymia continetur ſub vitio ſanguinis in Quali. Contra ſtat: Tum quòd *diſput. de purgandi ratione* demonſtrauimus, quòd cacochymia non eſt vitium ſanguinis, ſed alterius humoris ſeparati à ſanguinis commixtione. Tum quòd

ſectione

ſectione ante edente, ſimiliter demonſtrauimus, quòd poteſt dari vitium in Quali, non ſolum in ſanguine, ſed in quouis alio humore ſanguini commixto, quia ſit cacochymia: ergo per vitium in Quali, non ſolùm intelligitur humorum cacochymia, ſed aliud vitium ſanguini, & humoribus illi commixtis ſuperueniens.

Probatur 3. humor cacochymus petit ſtatim ſelectiuo Pharmaco euacuari: ergo numquam per ſanguinis miſſionem. Probatur antecedens: Tum ex Hippocrate 1. *Aphoriſm.* 22 *&* 4. *Aphoriſm.* vbi in cochymia turgentium humorum ſtatim in principio purgare docet: Tum quia eâdem ratione in principio purgamus hydropicorum cacochymos humores: Tum quia in humoribus cacochymis, cùm nulla poſſit perfici coctio, nec ſint vtiles nutritioni, cùm iam ſint ſeparati à ſanguinis commixtione, & cum ſtatim à principio ſint obiecta facultatis expellentis, & ſine vlla ſenſibili noxa poſſint a pharmaco ſelectiuo attrahi, non eſt cur ſtatim non purgentur: ergo humor cacochymus ſtatim à principio, non expectata coctione, debet purgari.

§. III.

Botalli fundamenta diluuntur.

AD 1. Reſpondetur: quòd ſi humor eſt cacochymus, eſt ſeparatus à ſanguinis commixtione, & ineptus nutritioni, & eſt obiectum facultatis expellentis; & ideò petit ſtatim purgari: ſimul enim purgatione à medicamento trahente ſelectiuo attrahitur, & adminiculante natura, media expultrice, conſequitur totius cauſæ morbificæ, à qua pendebat morbus euacuatio; quæ non poſſet conſequi per ſanguinis miſſionem, quæ partitis vicibus petit fieri, & C in illa euacuatur ſimul pars humoris cacochymi, & pars reliquorum, qui ſunt vtiles pro nutritione, & cùm vlteriùs cacochymus humor non ſit ſanguini commixtus, nec eſt ſanguis, nec ſanguinis pars, nec ideò illi debetur ſanguinis miſſio.

Ad 2. Reſpondetur, quòd humores qui ſunt intrà venas, poſſunt tam ſanguinis miſſione, quam purgatione euacuari; commodiùs tamen euacuatur cacochymi purgatione, quia omnis ſimul euacuatur, natura coadiuuante, & ſine commixtione vtilis; & ideò indicatur ad eius euacuationem purgatio, quia eſt remedium per quod commodiùs, tutiùs, & cum minore noxa euacuatur. Sicut licèt ſimiliter poſſet euacuari, ſanguis, vel hæmagogo pharmaco; vel per ſuperpurgationem, tamen quia commodiùs euacuatur ſanguinis miſſione, ideò ſemper dicimus indicari ſanguinis miſſionem ab eius vitio, & non purgationem.

Ad 3. Reſpondetur, quòd non ſtat commoditas euacuationis, in eo quòd fiat per partem, in qua ſtat humor; ſed in eo quòd fiat cum minore noxa viuentis, cum maiori ſecuritate vitæ, & periculi, & hoc contingit in humore cacochymo, ſi purgatione euacuetur, quia ſolus ſine vtilis commixtione, totus ſimul, coadiuuante natura, atque illius imitando rectum modum operandi in criſibus, euacuatur.

Ad 4. Reſpondetur: quòd, vt diximus, duplex vitium ſuperuenit humoribus intra venas in Quali: aliud, prout ſunt ſeparati à ſanguinis commixtione, & hoc vocatur Cacochymia: & ab illo docet Galenus indicari purgationem. Aliud vitium in Quali ſuperuenit humoribus, prout ſunt ſanguini commixti, & hoc eſt ipſius ſanguinis vitium in Quali, quatenus ipſi humores ſanguini commixti ſimul cum illo ſunt ſanguis, qui dicitur maſſa ſanguinaria; & A huiuſmodi vitium indicat ſanguinis miſſionem, & de hoc vitio ſanguinis intelligitur Galenus, quando docet in febribus putridis, & in vitio ſanguinis ſanguinem eſſe mittendum.

RESOLVTIO IX.

Verùm materia turgens poſſit indicare ſanguinis miſſionem?

§. I.

Gentilis proponitur opinio.

B MAteria turgens cacochyma eſt, vt demonſtrauimus *in diſput. de purg. ratione*. Sed quia peculiarem habet modum cacochymiæ, ac reliqui humores cacochymi non turgentes; ideò ſeorſim de illa dubitamus, an indicet ſanguinis miſſionem? Gentil. *ſen.* 1. 4. *tract.* 1. *dub.* 48. partem affirmatiuam tuetur. Tum 1. Quia Hippocrates in humoribus dolorem cauſantibus qui mutantur de dorſo in cubitum, conſulit ſanguinis miſſionem, qui humores, cùm dolorem cauſent, & mutentur de loco in locum, turgentes ſunt. Tum quia Galen. *lib.* 4. *Therapeut. c.* 10. conſulit venæ ſectionem in carbunculis, qui, vt apparet, pendent ex humore furioſo. Dum poteſt probari: quia humores turgentes ſunt tales ratione nimiæ caliditatis, quæ per phlebotomiam potius quàm per purgationem petit euacuari, cùm hæc pharmacis caliditatem alterantibus fiat, illa euacuet refrigerando: ergo ab humore turgente indicatur ſanguinis miſſio.

§. II.

Communis Dogmaticorum amplectitur doctrina.

REſoluendum: Quòd ab humore turgente nunquam poteſt indicari ſanguinis miſſio. Sic tenet communis Dogmaticorum aſſenſus, qui ſeligenti pharmaco per purgationem intendunt hunc humorem ſtatim euacuare, vt demonſtrauimus *diſput. de purgandi ratione*.

D Probatur 1. ex Hippocrate & Galeno, Tum *lib.* 1. *Aphoriſmor.* 22. tum *eodem lib. ſentent.* 24. Tum *libr.* 4. *aphoriſm.* 10. vbi materiam turgentem docent ſtatim, eodem die purgandam eſſe.

Probatur 2. morbus magnus pendens ex humorum cacochymia indicat purgationem, vt demonſtrauimus *lib. de purgandi ratione*, & hoc eſt proprium indicans purgationis, per quod purgatio differt à ſanguinis miſſione: ſed ſimiliter ibi latiſſimè demonſtrauimus humorem turgentem eſſe cacochymum: ergo ab humore turgente nunquam poteſt indicari ſanguinis miſſio. E

§. III.

Adducta fundamenta pro Gentili ſoluuntur.

AD fundamenta Gentilis Reſpondetur: Tum 1. quòd Hippocrates non loquitur de decubitu humorum turgentium, quia ſine turgentia poſſunt humores irritare, vt ab vna parte in aliam moueantur. Tum 2. quòd licèt materia, ex qua fiunt carbunculi ſit venenoſa, non ideò turgens, quia ſanguis, vel humor illi commixtus, licèt malignam habeat

A qualitatem, non ideò turgere dicitur. Tum 3. quòd ſicut ſanguinis miſſio per accidens euacuando calidos humores attemperat, ſimiliter purgatio, & hæc magis, licèt fiat calidis pharmacis, quia radicitus poteſt euacuare omnem materiam turgentem ſimul, & eodem die, quod non poteſt fieri ſanguinis miſſione; & ideò Hippocrates docet pharmacum exhiberi ſtatim eodem die.

Resolvtio X.

Vtrùm temperamentum indicet ſanguinis miſſionem?

§. I.

Aperitur difficultatis ratio.

B PRopoſuimus proprium indicans ſanguinis miſſionis, & de viribus & ætatibus, quantum inter indicantia refert Hippocrates, indicandi retulimus modum, nec non de vitio ſanguinis in Quali, quod aliqui ad cacochymiam reducunt: ſed vltra hæc coindicantia, Auicenna *lib. 1. fen. 4. cap. 5.* & Galenus *lib. 2. ad Glauconem,* temperamentum, accidentis ſuperuenientia, habitum corporis, anni tempus, regionem, conſuetudinem, & ætatem ſimiliter coindicare dicunt; de quibus agemus ſeorſim, incipientes à Temperamento, C quod vt diximus *part. 1. Reſolut. Medicarum,* eſt eorum, quæ ex elementis recepit mixtum, proportio: & aliud ſubſtantificum ex materiis elementorum coaleſcens, aliud qualitatiuum ex qualitatibus conſtitutum; & horum quoduis aliud calidum, aliud humidum, aliud frigidum, aliud ſiccum, vel ex his qualitatibus combinatis proueniens calidum & ſiccum, calidum & humidum, frigidum & ſiccum, frigidum & humidum, de quibus præcipuè inquirimus an per ſe indicent ſanguinis miſſionem, id eſt, an aliquod horum magis aptum ſit indicandum vt vires poſſint hoc remedium ferre, Fernelius *lib. 2. Therapeutices c. 2.* Temperamentum calidum, & humidum præ reliquis poſſe contraindicare ſanguinis miſſionem fatetur: cui fauet. D

Primò Galenus *lib. 9. methodi c. 7.* vbi docet corpora calida, & humida difficilè poſſe ferre ſanguinis miſſionem: ergo ratione huius temperamenti contraindicatur magis quàm à reliquis.

Secundò Hippocrates & Galenus *lib. 4. acutorum textu decimonono,* pueros non eſſe phlebotomandos iudicant, quia ob calidam, ac humidam temperiem, quibus gaudent, faciliter reſoluuntur, & vires debiliores factæ ſanguinis miſſionem non valent tolerare: ergo ab hoc temperamento magis impeditur ſanguinis miſſio quàm à reliquis.

Tertiò: Calidum, & humidum temperamentum eſt aptum, vt ſine ſanguinis miſſione euacuetur humor committens morbum, quia ratione humiditatis E eſt ſubſtantia, in qua inhæret, apta reſolui; ratione caliditatis eſt calor excedens principium reſolutionis: ergo præ reliquis temperamentis minus indiget ſanguinis miſſione.

§. II.

Temperiei vt ſic indicandi modus proponitur.

REſoluendum 1. Quòd nullum temperamentum indicat per ſe ſanguinis miſſionem, ſed naturale permittit, præternaturale impedit illam.

Probatur. Ad temperamentum ſequuntur vires ro- A buſtæ, ſi illud ſit naturale, & debiles, ſi illud ſit præternaturale, & indebitum: ſed à viribus impeditur: ergo de primo ad vltimum, licèt temperamentum per ſe non indicet ſanguinis miſſionem, quia vt ſic à ſolo proprio indicante poteſt indicari, poteſt tamen naturale illam permittere; & præternaturale illam impedire.

§. III.

Temperamenti ſubſtantifici profertur indicandi modus.

REſoluendum 2. Quòd temperamentum quoduis ſubſtantificum peruerſum ferè, ſemper impedit venæ ſectionem.

B Probatur; Tum quia peruerſum temperamentum ſubſtantificum indiget repoſitione partium, quæ ex humoribus, qui euacuantur, debet fieri: Tum quia ex peruerſione oritur eſſentialis debilitas, à qua impeditur ſanguinis miſſio: Tum quia experientia id apparet in praxi, in hectica enim, hydrope, & aliis ſubſtantifici temperamentum peruerſionibus non mittimus ſanguinem: ergo quia contraindicatur ob peruerſum ſubſtantificum temperamentum.

§. IV.

C *Modus indicandi temperiei qualitatiuæ, calidæ & ſiccæ proponitur.*

REſoluendum 3. Quòd temperamentum naturale calidum, & ſiccum parum permittit ſanguinis miſſionem.

Probatur; Tum quia ex Galeno *lib. 1. de differentiis, c. 12. & lib. 8. Methodi c. 5.* calida & ſicca temperie gaudentes ſunt parati ad febres hecticas; illi autem qui hectica laborant, vel ad illam ſunt parati, non debent phlebotomari, quia defectu ſanguinis, qui ſua humiditate reſiſtit, in maraſmum properant, aut reliquas hecticæ ſpecies. Tum quia ſi habent ſiccos ſpiritus, tenues igneos, ac faciliter reſolubiles, & ideò vires valdè aptas debilitari. Tum quia calidi & ſicci D ſqualidi ſunt, & ideò indigent maiori ſanguinis copia pro ſui nutritione, quam quæ communiter generatur ab illis: ergo magna ex parte contraindicat venæ ſectionem temperamentum naturale calidum & ſiccum.

§. V.

Quid contraindicet temperies humida & frigida?

REſoluendum 4. Quòd temperamentum frigidum & humidum non plenam permittit ſanguinis miſſionem.

E Probatur; Tum quia in calido & frigido temperamento natiuus calor remiſſus debet eſſe: Tum quia vires, quæ maximè vitali calore indigent, non poſſunt eſſe robuſtæ: Tum quia ideò in ſenibus prohibent Hippocrates, & Galenus ſanguinem mittere, quia præualet frigiditas; Tum quia ſpiritus ex aquæ materia non fiunt, nec ſine illis tolerare poſſunt vires euacuationes magnas: ergo frigidum & humidum temperamentum naturale magna ex parte prohibet ſanguinis miſſionem.

§. VI.

Calidi, & humidi temperamenti modus indicandi proponitur.

Reſoluendum 5. Quòd temperamentum naturale calidum & humidum magis quam reliqua permittere valet ſanguinis miſſionem. Sic tenet Augenius *lib. 3. de ſanguinis miſſione c. 16.*

Probatur; Tum quia plerumque ſanguinis miſſio indicatur à morbo magno ratione plethoræ, quæ eſt ſanguinis redundantia; & hæc prouenit ratione temperiei calidæ, & humidæ: Tum quia eum magis permittitur ſanguinis miſſio, quando vires ſunt magis robuſtæ; & hoc contingit in temperamento calido & humido, cum quo actiones fiunt perfectiores: Tum quia cum temperie calida & humida aptior præſtatur materia pro ſpiritus generatione, cum quo maiori ex parte vires potentiores conſeruantur: Tum quia ex Gal. *lib. 6. de ſanit. c. 3.* conſtat hoc temperamentum aptius eſſe pro vitæ conſeruatione, quod ideò & pro viribus conſeruandis potentius eſt iudicandum: ergo & ad ſecundam ſanguinis miſſionem.

§. VII.

Soluuntur Fernelij fundamenta.

Ad 1. Reſpondetur: quòd Galenus loquitur de temperie calida, ſed cum exceſſu humiditatis; nos autem de temperie in qua excedit caliditas, non ita humiditas.

Ad 2. Reſpondetur: quòd Hippocrates & Galenus loquuntur de pueris tantùm, nos autem de illis, qui comparatiuè ad reliquos calidi & humidi dicuntur per totum vitæ decurſum; & idem ſentimus de temperie puerorum, quæ à primo Infantiæ ingreſſu, in quo calor fit vegetior, aptior redditur pro hoc ferendo remedio, vt probauimus, experientiaque demonſtrat.

Ad 3. Reſpondetur: quòd licèt qui habent temperiem calidam, & humidam habeant diſpoſitionem aptam pro reſolutione, ratione tamen propriæ temperiei ſanguinem generant in maiori copia, faciliùs nutriuntur, & maiori copia generant ſpiritus; & ideò nec ſolùm nutriri, ſed magis augeri, & maiori frui duratione ſunt apti.

RESOLVTIO XI.

Vtrùm accidentia coindicent ſanguinis miſſionem?

§. I.

Horatij Augenij proponitur opinio.

Morbum magnum ex vitio ſanguinis pendentem magna concomitantur accidentia, quorum alia ſunt propria, ac pathognomica; alia mox apparentia, ſiue accidentia; alia ſunt critica; & ex his alia induunt ſolius ſymptomatis rationem, alia ſimul & cauſæ morbi. De omnibus his inquirimus an coindicare, ac contraindicare poſſint ſanguinis miſſionem.

Horatius Augenius, qui hanc tetigit difficultatem *lib. 3. de ſanguinis miſſione c. 18.* leuiter pertranſioit per illam: inquit enim quòd idem ſentiendum de reliquis ſymptomatibus, ac de alui profluuio, & ac de cõuulſio-

A ne; adducitque Galenum aſſerentem ſanguinem non eſſe mittendum in profluuio alui; idémque docere de conuulſione: ex quo infert, *Ergo ratione ſymptomatum ſemper contraindicatur ſanguinis miſſio.*

§. II.

Accidentia pathognomica quid præſtent?

Reſoluendum 1. Quòd accidentia pathognomica nec coindicant, nec contraindicant, ſed tantùm

B atteſtantur morbi naturam, à quo poteſt ſumi, aut non indicatio ſanguinis mittendi.

Probatur 1. Accidentia Pathognomica ſunt propriæ paſſiones cuiuſlibet morbi, per quæ illius dignoſcitur natura: ergo ab illis non ſumitur coindicatio, aut contraindicatio; ſed ab ipſo morbo, quem vt propriæ paſſiones concomitantur.

Probatur 2. Quod coindicat, aut contraindicat remedium; ideo ad id valet, quia illius curatio intenditur per ſe, aut impeditur per tale remedium: ſed ad accidentia pathognomica per ſe primò nullum tendit remedium, cùm ponantur aut auferantur ad poſitionem, aut ablationem morbi: ergo ab illis nec coindicatur, nec contraindicatur ſanguinis miſſionis reme-

C dium.

§. III.

Symptomatum ſuperuenientium ponitur modus coindicandi.

Reſoluendum 2. Quòd ſymptomata ſuperuenientia, ſiue mox apparentia, ſi non induunt cauſæ rationem, non poſſunt coindicare ſanguinis miſſionem; bene tamen ſi cauſæ rationem induant, valent illam coindicare plura ſymptomata.

Probatur prima pars ea ratione, qua probaui de

D ſymptomatibus Pathognomicis. Quia huiuſmodi ſymptomata, prout ſymptomata ſunt, ſequuntur ad morbum ſicut vmbra ad corpus; & ideò ad eorum curationem veniunt remediis à morbo indicatis, ex cuius ablatione auferuntur.

Secunda pars probatur. Plura ſunt ſymptomata, quæ dum induunt rationem cauſæ, adaugent vitium ſanguinis à quo dependet morbus magnus indicans ſanguinis miſſionem: ergo tunc tale ſymptoma coindicabit ſimul ſanguinis miſſionem. Probatur antecedens, Tum in dolore laterali, ratione cuius adaugetur vitium in motu, à quo oritur inflammatio, quæ eſt morbus magnus, à quo indicatur per ſe ſanguinis miſſio: Tum idem contingit in dolore capitis, à quo coadiuuatur cerebri inflammatio cauſans delirium, ab eo enim coadiuuatur indicatio mittendi ſanguinem de-

E ſumpta ab inflammatione cerebri cauſata ex vitio ſanguinis decumbentis in cerebrum: Tum apparet in inflammationibus quibuſlibet doloroſis, in quibus ab hoc accidente coadiuuatur ſanguinis miſſio.

§. IV.

Ab accidentibus qualiter fiat contraindicatio.

Reſoluendum 3. Quòd ſymptomata, à quibus vires debilitantur, magna ex parte contraindicant ſanguinis miſſionem.

Probatur: Pro ſanguine mittendo, cùm ſit remedium magnum, magnæ ac robuſtæ requiruntur vires, vt manet probatum: ergo licèt ſanguinis miſſio ſit indicata à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis,

guinis, ſi ſuperueniat accidens vires debilitans, magna A
ex parte valet ſanguinis miſſionem contraindicare.

§. V.

Quid dicendum de accidentibus criticis.

RESoluendum 4. Quòd accidentia critica contraindicant ſanguinis miſſionem.

Probatur; Accidentia critica indicant criſim venturam; ſed dum ſuperuenit criſis quæcumque, non debet impediri per ſanguinis miſſionem: Tum quia ex Hippocrate, quò natura vergit, eò ducere oportet: Tum quia ex eodem, quæ indicantur, & indicata ſunt integrè, nec mouere, nec nouare conuenit; & dum apparent ſigna critica, non conſtat an à natura indi- B
cabitur integrè: ergo ſi ſigna critica ſuperueniunt, contraindicatur ſanguinis miſſio.

§. VI.

Pro fundamento Augenij ſit ſatis.

AD fundamentum Augenij, miror oſcitantiam: non enim cum Auicenna quærimus de peculiari accidente morbi, an indicet miſſionem ſanguinis; de his enim infra agendum; ſed in communi reſoluendum de illis. Nec ex eo quòd vnum, aut alterum contraindicet, idem dicendum de omnibus, vt patet ex dictis; nec alui profluuium omninò impedit ſanguinis miſ- C
ſionem, vt conſtabit ex dicendis.

RESOLVTIO XII.

Vtrùm corporis habitus coindicet ſanguinis miſſionem?

§. I.

Proponitur ſtatus difficultatis & fundamentum.

HAbitus corporis dicitur illius conſtitutio ſecundùm quam corpus vel dicitur obeſum, aut graci- D
le, vel rarum, aut denſum, vel medio modo ſe habens inter hæc: ob huiuſmodi enim habitum contingit, vel vires eſſe robuſtiores, vel debiliores, ad permittendam ſanguinis miſſionem: virium autem robur, ex Galeno *lib. 11. methodi cap. 1.* in ſpirituum multa copia, & in partium corporis ſubſtantia conſiſtit. Inquirimus ergo, in quo corporis habitu maius ſit robur pro hoc remedio; videtur quòd in gracili,

Primò 1 quia Galenus *lib. de morbis vulgaribus, ſection. 3. comment. 29.* refert ſanguinem copiosè venæ ſectione extraxiſſe à muliere admodum gracili, & gloriatur hoc vnico remedio illam à morte liberaſſe: ergo gracilis habitus corporis coindicat ſanguinis miſſionem.

Secundò: docet ipſe Galenus corpora gracilia ma- E
iorem habere ſanguinis copiam, & docet experientia, quia obeſi habent venas tenues, & ob obeſitatem compreſſas, & non poſſunt multum ſanguinem continere: ſed vbi eſt maior copia ſanguinis, magis coindicatur ſanguinis miſſio: ergo à gracili habitu coindicatur.

§. II.

Qualiter graciles contraindicant phlebotomiam?

REſoluendum 1. quòd Habitus corporis, raræ & gracilis contexturæ, cum venis exilibus, contraindicat ſanguinis miſſionem magna ex parte.

Probatur: Ille corporis habitus contraindicat ſanguinis miſſionem, cum quo vires debiles eſſe contingit: ſed cum habitu raro & gracili vires debiles ſunt: ergo contraindicatur ſanguinis miſſio: Probatur minor: vires ſunt robuſtæ, vt diximus ex Galeno *lib. 11. methodi cap. 1.* dum partes carnoſæ ſunt ſolidæ, & ſpiritus abundant: ſed in corpore gracili, & raræ contexturæ, nec partes ſunt ſolidæ, nec poſſunt ſpiritus abundare: ergo vires ſunt debiles.

§. III.

Obeſum corpus qualiter contraindicet?

REſoluendum 2. Quòd obeſum corpus multa pinguedine abundans, venas habens tenues, difficulter ferre poteſt ſanguinis euacuationem.

Probatur 1. ex Galeno *lib. 1. ad Glauconem cap. 14. §. eodem modo. & qui ſupra modum craſſi ſunt, vel graciles: Nam & iis tum venam ſecare cauendum eſt, tum reliquas euacuationes confertas cauere oportet, &c.* vbi per craſſos non intelligit carnoſos, ſed pinguedine repletos.

Probatur 2. In temperatura frigida ſanguinis miſſio contraindicatur, quia vires debiles debent eſſe cum debili calore, qualis repetitur in obeſis, in quibus adeps generari petit à frigiditate: ergo in his ſanguinis miſſio non ſatis permittitur.

Probatur 3. In huiuſmodi corporibus ſanguinis eſt parum, cùm venas habeant tenues, & illius continendi incapaces; ſed vbi eſt parum ſanguinis, pauci ſunt ſpiritus, qui debent ex illo generari, & ſine quibus, ex Galeno, vires conſtare non poſſunt: ergo contraindicatur ſanguinis miſsio.

§. IV.

Corpora à quibus coindicatur ſanguinis miſſio, proponuntur.

REſoluendum 3. quòd dum corporis habitus eſt carnoſus, & venæ ſunt latæ, coindicat venæ ſectionem: ſic ſanciuit Galenus, & Auicenna.

Probatur ex Galeno iam citato. Vbi corpus eſt carnoſum, & magna copia ſpirituum, vires ſunt robuſtæ; ſed in carnoſis cum venis latis non ſolùm eſt corpus carnoſum, ſed ob copiam ſanguinis contenti in venis generantur ex illo multi ſpiritus: ergo ſunt robuſtæ vires. Tum ſic: ſed viribus valentibus coindicatur ſanguinis miſsio: ergo dum corpus eſt carnoſum, & ſunt latæ venæ, coindicatur ſanguinis miſſio.

§. V.

Soluuntur argumenta.

PRo argumentis Reſpondetur, quòd corpora gracilia ſunt in duplici differentia: alia, quæ habent venas tenues, in quibus cùm ſanguis multus eſſe non poſſit, nec ſine illo multi valeant generari ſpiritus, vires ſunt debiles, & contraindicatur ſanguinis miſſio; vt diximus, magna ex parte: alia habent venas latas, in quibus copioſus ſanguinis humor continetur, ex quo & multi ſpiritus fiunt, & ab his roborantur vires, & ideò tolerare valent venæ ſectionem; & ſic gracilem mulierem phlebotomauit Galenus: & hos dixit Galenus plus de ſanguine habere, quàm illi qui ſunt obeſi ratione pinguedinis; quia ij tenues ac oppreſſas habent venas parum ſanguinis continentes, ipſúmque pituiroſum, quia calor debilis eſt.

RESOLVTIO XIII.

Vtrùm anni tempora valeant coindicare ſanguinis miſſionem?

§. I.

Proponitur ſtatus difficultatis.

ANni tempora ſunt quatuor: Ver temperatum eſt calidum & humidum; Æſtas, calida & ſicca, Autumnus, frigidus & ſiccus; Hyems, humida & frigida: cuilibet horum tres menſes adaptant Aſtrologi penes Solſtitios, hyemalem, & æſtiuum; & penes Æquinoctios. vernalem, & autumnalem diſtinctos. Medici potiùs hæc diuidunt tempora penes diuerſas temperies, quæ in eis relucent, vt *part.* 1. *Reſolutionum medicarum* latiùs proſecuti ſumus *diſput. de temperamentis*, & in hac conſideratione inquirimus vtrùm ratione temperiei vnicuique tempori anni debitæ poſſit deſumi coindicatio, aut contraindicatio pro mittendo ſanguine, ita vt ver ratione propriæ temperiei potiùs coindicet ſanguinis miſſionem, quam reliqua tempora; Et videtur quòd non:

B Primò, quia tempore æſtatis, humores intemperati ſunt præ nimia caliditate ob aeruoſitatem, & diſpoſitionẽ, vt morbi magni cauſentur ex illis; ſed tunc non poſſunt euacuari per purgationem, quia ex Hippocrate *ſub Cane & ante Canem non conuenit purgare*, difficiles enim ſunt purgationes: ergo coindicant ſanguinis miſſionem magis quàm in reliquis temporibus.

C Secundò: Præcautionis cauſa magis coindicatur ſanguinis miſſio in eo tempore anni, in quo magis timentur morbi, ſed in autumno magis timentur morbi ex vitio ſanguinis oriundi, cùm humores ex præcedente æſtate nimis ſint alterati, & ob caloris, & frigoris inæqualitatem faciliùs poſſint putrefieri ob pororum obturationem, & ob vſum potus ac cibi inſalubris illius temporis: ergo magis coindicatur ſanguinis miſſio in Autumno, quam in Vere.

D Tertiò: Dum vires magis robuſtæ ſunt, magis eſt coindicata ſanguinis miſſio; ſed in hyeme vires ſunt magis robuſtæ, quàm in reliquis temporibus: ergo magis coindicatur ſanguinis miſſio ratione hyemis. Probatur minor: vires ſunt magis robuſtæ quando ſpirituum maior copia, & natiui calidi redundat in corpore: ſed in hyeme magis redundat, inquit enim Hippocrates 1. *Aphoriſmorum* 5. Ventres hyeme calidiores eſſe, & ideò plurimo indigere alimento: ergo vires ſunt robuſtiores in hyeme.

E Quartò: Ver eſt tempus calidum & humidum: ſed ob calidam & humidam temperiem, inquit Hippocrates, & Galenus quòd contraindicatur ſanguinis miſſio in pueris: ergo ſimiliter debet contraindicari in Vere.

Quintò: Ratione temperiei in regionibus calidioribus maior eſt neceſſitas ſanguinis mittendi, quàm in temperatis: ergo ſimiliter magis coindicabitur ſanguinis miſſio in temporibus calidioribus, quàm in vere quod eſt temperatum.

§. II.

Sancitur Hippocratis & communis opinio.

REſoluendum: Quòd Ver magis coindicare valet ſanguinis miſſionem quàm reliqua anni tempora ratione temperiei ſibi connaturalis.

A Probatur; Tum ex Hippocrate *lib.* 6. *aphoriſm.* 47. dicente: *Quibus venæ ſectio vel purgatio conuenit, hos Vere purgare, vel venam ſcindere oportet*: Tum quia Galenus *in commens.* eandem ſancium ſententiam: Tum quia idem docet *lib.* 1 *de arte curatiua ad Glauconem.* §. *Ipſa præterea ambientis aeris temperatura loco accidentis cuiuſdam habenda: quando exquiſitè calida ac ſicca fuerit, atque ideò omnes, quibus Medici nihil cogitantes de ſtatu temporis, ſanguinem abſtulerunt, interierunt: ſi & valdè frigidum fuerit, tunc & ſanguinem mittere cauendum eſt, & perpendendum, &c.* ergo ver, quod temperatum eſt, præ reliquis temporibus coindicare debet ſanguinis miſſionem.

B Probatur 2. ratione temperiei debitæ vnicuique tempori anni: Tunc magis coindicatur ſanguinis miſſio, quando vires ſunt magis robuſtæ; ſed ratione temperiei veris, quod præ reliquis temporibus eſt temperatius, facultates optimè valent; abundat ſanguis, humores ſunt magis fluxiles, & apti moueri, tempus pro influxu aſtrorum eſt magis clemens: ergo coindicat miſſionem ſanguinis magis quàm reliqua anni tempora.

Probatur 3. Ratione propriæ temperiei veris, quæ eſt calida & humida, debet ſanguis in maiori copia generari, quia ſimul gaudet temperie: ſed ſanguis præſtat materiam aptiorem pro partium corporis repoſitione, & ſoliditate, & pro maiori copia ſpirituum

C generanda, ex quibus, vt diximus, Galenus vires robuſtas reddi dixit. ergo in Vere ratione propriæ temperiei coindicatur ſanguinis miſſio. Patet conſequentia quia fiunt robuſtæ vires, quæ, vt ſic, ſunt proprium permittens ſanguinis miſſionis.

§. III.

Soluuntur rationes in oppoſitum propoſita.

AD 1. Reſpondetur: quòd in hac reſolutione non inquirimus in quo tempore anni magis contingat indicari ſanguinis miſſionem, ſed ſuppoſito quòd

D ſit indicata, an magis coindicetur ratione propriæ temperiei Veris, an reliquorum temporum; vnde licèt vitium maius poſſit reperiri pro indicanda ſanguinis miſſione in Æſtate, quàm in Vere; ſi tamen ſit indicata in Vere, ratione propriæ illius temperiei, tunc magis coindicatur ab illius temperie ob rationes dictas.

Ad 2. ſimili modo Reſpondetur, quòd argumentum probat, quòd ſanguinis miſſio ratione vitij humorum magis poteſt indicari in Autumno; ſed ſemel indicata, ratione temperiei debitæ veri, magis coindicatur in illo.

E Ad 3. Reſpondetur: quòd licèt in hyeme ventres debeant eſſe calidiores ratione innatæ caliditatis, & caloris influentis, quia non ita reſoluuntur ſicut in reliquis temporibus; ſed tamen quia à cauſis externis nimia frigiditate poteſt extingui caliditas, & ideò generatur maior copia pituitæ, fiunt craſſi ac frigidi humores. & ſic impeditur ſanguinis miſſio: vnde Auicenna *fen.* 4. 1. *capite* 5. docebat, *Quòd tempus anni ſupra modum calidum aut frigidum, impedit purgationem*: & *capite* 5. ſimiliter dixit: *In tempore etiam quo Canis maior exoritur, nec non in eo quo niues in montibus conſident in vehementi ſcilicet calore, aut frigore, non eſt purgationibus vtendum.* Quod ſimili ratione dicendum de ſanguinis miſſione, quæ etiam eſt remedium magnum indigens permittente.

Ad 4. Reſpondetur: quòd ex eo quòd puer ſit calidus

lidius, & humidus, maius inconueniens poſſet eſſe, quia ipſe eſt, à quo ſanguis mittitur, & in quo poſſent vires reſolui, quam in eo quòd ſanguinis miſſio fiat in vere, cuius temperie vires vigorantur in homine.

Ad 5. Reſpondetur: quòd argumentum probat, quòd in regionibus calidioribus maius erit vitium in humoribus, quàm in temperatis, vt indicetur ſanguinis miſſio; ipſa tamen magis ſecurè exercetur in regione temperata: quia in ordine ad coindicandam ſanguinis miſſionem ratione propriæ temperiei, idem dicendum de regionibus, ac dicimus de temporibus anni.

RESOLVTIO XIV.

Vtrùm conſuetudo coindicet ſanguinis miſſionem?

§. I.

Valleſij proponitur opinio & fundamentum.

CONſuetudo altera eſt natura, ſeu natura adſcititia, de qua plura *part. 1. Reſolutionum Medicarum diſp. de temperamentis*, egimus: de qua non ſatis conſtat an valeat coindicare ſanguinis miſſionem. Valleſius *lib. 8. Controuerſiarum cap. 9.* negatiuæ adhæret parti, quia ſanguinis miſſio eſt remedium medicum; ſed quodlibet remedium medicum indicatur ab aliquo, quod ſit præter naturam in corpore: ergo ſanguinis miſſio non poteſt coindicari à conſuetudine.

Secundò: qui aſſueſcunt ſe ſanguinis miſſioni, ob nimiam attemperationem, ſpirituum conſumptionem, & virium acquiſitam debilitatem, frigidiores generant humores: ſed qui frigidis abundant humoribus, difficilius poſſunt ferre ſanguinis miſſionem: ergo aſſueti ſanguinis miſſioni minus aptè ipſam poſſunt ferre. Probatur minor, tum ex Auicenna *fen. 4. 1. c. 20. §. Caue ne ægrum ad vnum duorum deducas, vel ad cholericorum ebullitionem, vel frigidorum cruditatem*: tum idem patet ex Galeno *lib. de ſanguinis miſſione c. 11.* ergo qui frigidis abundant humoribus difficiliùs ferunt ſanguinis miſſionem.

Tertiò: dum multoties ſanguinem mittimus, paucus ſanguis bonus relinquitur in corpore, ratione nimis aſſuetæ euacuationis, & crudi generantur humores ob ſanguinis defectum: ergo contraindicatur ſanguinis miſſio ratione conſuetudinis. Patet conſequentia ex Auicenna *fen. 4. 1. cap. 5. §. Cum ſanguis paucus eſt, & bonus, humores autem craſſi & multi, à phlebotomia tibi cauere debes: nam phlebotomia bonum rapit, malum relinquit.* Ergo contraindicatur ſanguinis miſſio ratione conſuetudinis.

§. II.

Communis Galeni præfertur opinio.

REſoluendum: Quòd conſuetudo in ſanguinis miſſione coindicat magna ex parte ſanguinis miſſionem. Probatur 1. ex Galeno *lib. 1. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 14. §. Et conſuetudo quoque non parui momenti eſt, tum ad omnia alia, tum præcipuè ad euacuationis indicationem: Quidam enim nunquam antea ſunt euacuati, neque vnquam euacuationem integram pertulerunt, & multis cibis vſi ſunt: Nonnulli è contrà, nec multis cibis vſi ſunt, & euacuationibus ſunt aſſueti. Hos igitur intrepidè euacuare oportet, quando & reliqua conſentiunt; cæteros vero inſuetos, neque ſi omnia alia adfuerint, &c.* ergo conſuetudo coindicat ſanguinis miſſionem.

Probatur 2. ex eodem Galeno *lib. 13. Methodi, c. 6.* vbi inter ſcopos quibus metiri poſſunt euacuationes, ponit conſuetudinem. Tum *lib. 13. Methodi c. 11.* vbi inter indicationes ad euacuationem ponit conſuetudinem. Tum ex Auicenna *fen. 4. 1. c. 3.* vbi docet diſſuetudinem euacuandi prohibere euacuationem: ergo ſanguinis miſſionis conſuetudo valet coindicare ad ſanguinis miſſionem.

Probatur 3. à paritate: aſſueti plurimis cibis ferunt faciliùs magnam cibi quantitatem; aſſueti purgationi, illam faciliùs tolerant; aſſueti laboribus, meliùs ſe habent ad ipſos tolerandos, & ſic in aliis quibuſcunque aſſueſcimus: ergo ſimili ratione aſſueti ſanguinis miſſioni, ipſam faciliùs tolerare valent, & conſequenter ratione conſuetudinis coindicatur ſanguinis miſſio in illis.

§. III.

Valleſij, & noſtræ obiectiones ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur: quòd ſanguinis miſſio à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis indicatur tantùm, ſed coindicari, aut permitti magis dicitur ratione conſuetudinis, quia, vt inquit Hippocrates *lib. 2. Aphoriſmorum. 5. Quæ ex longo tempore aſſueta ſunt, & ſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſtare ſolent.*

Ad 2. Reſpondetur: Quòd aliud eſt, quòd ratione conſuetudinis minus moleſtè ferant euacuationem hanc illi qui ei ſunt aſſueti, quod nos aſſerimus; aliud quòd ex nimia conſuetudine, & vſu ſanguinis miſſionis vires debilitentur, aut generentur humores, ratione quorum contraindicetur ſanguinis miſſio; tunc enim licet à conſuetudine coindicetur, contraindicabitur ex aliis.

Ad 3. Reſpondetur ſimili modo, quòd abſolutè ratione conſuetudinis, qui aſſueti ſunt ſanguinis miſſioni, minus moleſtè illam tolerabunt, ſi aliunde permittatur fieri: poteſt tamen ex nimio illius vſu ſuperuenire aliquod, quod illam contraindicet, & ex toto impediat fieri.

SECTIO VI.

De contrindicantibus & impedientibus ſanguinis miſſionem.

IN *Sectione antecedenti* diſputauimus, de ſpecifico indicante ſanguinis miſſionis, & vlteriùs proſequuti ſumus tractationem eorum à quibus coindicari, aut permitti magis videtur huius remedij executio: proſequar in hac explicationem plurium, à quibus valet ſanguinis miſſio indicata impediri, aut ratione quorum ſaltem eius vſus debet reformidari.

Resolvtio I.

Vtrùm crudicas in prima regione valeat impedire ſanguinis miſſionem?

§. I.

Partis negatiuæ proponuntur fundamenta.

CRuditas coctioni opponitur, & in prima regione acceldere poteſt alimento dupliciter, vno modo, quia à calore debili, vel copiam cibi non valente exuperare, crudum illum reliquit, prout aſſumitur; vel diminutè concoquit loco chyli generando ex illo acidam ſubſtantiam. Sæpiùs verò loco chyli fit ex alimēto ab excedenti calore cruditas nidoroſa, per quam cibus aduſtus vltra terminum coctionis calefactus progreditur, & dum aliqua harum cruditatū ſuperabundant in prima regione, inquirimus an impediat ſanguinis miſſionem indicatam exerceri? Videtur quòd non,

Primò, quia Auicenna *fen. 1. 4. tract. 1. c. 35.* admittit ſanguinis miſſionem, dum adeſt cruditas: inquit enim, *& iter quidem ad phlebotomiā eſt, vt nō fiat, ea donec declinet*, (loquitur de febre ex cruditate) *tunc enim fiat &c.* ergo Auicenna præſente ventriculi cruditate admittit ſanguinis miſſionem.

Secundò: Qui ob cruditatem ventriculi patiuntur nauſeam, & vomitum, facta ſanguinis miſſione alleuiantur: ergo ſanguinis miſſio debet in illis exerceri. Probatur antecedens ex Auicenna *fen. 13. lib. 3. tract. 5. cap. 12. §. Et multoties quidem alleuiantur nauſea, & vomitus per phlebotomiam.*

Tertiò: confirmatur à Carrelro idem intentum, authoritate, & exemplo adducto à Mathæo de Gradi *in 4 lib. ad Almanzorem*, vbi ſe expertum affirmat mulierem patientem nauſeam, nullo alio remedio potuiſſe liberari, quàm ſanguinis miſſione: ergo redundante nauſeatiua ſatietate ventriculi debet exerceri ſanguinis miſſio.

Quartò: etiamſi præcedat ciborum cruditas, tamen dum ipſa deſcendat, aut coctione minuatur, ſanguinis miſſio exercetur: ergo ratione cruditatis in prima regione retardari valet ſanguinis miſſio, non tamen impeditur.

§. II.

Galeni amplector communiſſimam ſententiam.

REſoluendum: Quòd cruditas primæ regionis dum ſuperabundet, impedit omninò ſanguinis miſſionem indicatam exerceri: ſic ſtatuo aduerſus Zacutum, qui *l. 4. Praxis hiſtor. c. 25.* dicit cruditatem ventriculi retardare, non autem impedire ex toto ſanguinis miſſionem: ſed omninò impedire toto tempore quo redundat cruditas, tenet Valleſius, *lib. methodi*, Carreir. in *fen. 1. 4. tract. 1.* & tenent omnes Dogmatici.

Probatur 1. Tum ex Gal. *lib. 9. methodi c. 5. §. Attendenda verò cùm vena ſecanda indicationes ſunt, tum quæ eam præcedunt; tum verò quæ omninò excipient: nam ſi præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ ſectionē iubebis quantum ſufficere videbitur, tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa deſcendant, &c.* Tum ex Auicen. *fen. 4. lib. 1. c. 20. §. Caue præterea tibi ne nauſeatiuam ſatietatem habentem phlebotomes, ſed prolonga vſquequo eius nauſeatiua ſatietas digeratur, &c.* Ergo manente ſatietate ſemper prohibetur ſanguinis miſſio.

Dices pro Zacuto: Quòd ex his authoritatibus ſatis infertur non impediri ex toto ſanguinis miſſionem, ſed retardari, donec cōcoquatur, aut deſcēdat cruditas.

Sed contra: Toto tempore quo cruditas non coquitur, aut non deſcendit, ſed remanet in ventriculo, aut primæ regionis partibus iecori vicinis, prohibent Galenus & Auicenna ſanguinem mittere, donec ipſa cruditas auferatur: ergo ipſa exiſtente non ſolùm retardatur, ſed omninò prohibetur, cùm nunquam debeat exerceri donec cruditas ſit ablata.

Probatur 2. Toto tempore quo redundat cruditas in ventriculo, vel in partibus primæ regionis proximis iecori, ſi mittatur ſanguis, loco illius feruntur humores crudi primæ regionis ad ſecundam: ſed ex illis bonos humores neceſſe eſt conſpurcari, cùm ſint ſubſtantia impura & præternaturalis, & obſtructiones augeri, aut cauſari, cùm ſint craſſi & inconcoctiles, & febrem cauſari, cùm ſint inepti vt poſſint à natura in venis ad priorem ſtatum reduci: ergo ſic cruditas in prima regione toto tempore quo permanet prohibet ſanguinis miſſionem. Probatur maior; Tum ex Galeno *lib 4. ſanitatis tuendæ cap. 5. §. At ſi in eodem homine reliqua eadem ſint, &c. in laxo corpore ſanguis cùm bonus exiguus ſit, crudi humores plurimi huic nec ſanguis mittendus, quippè inciſa vena bonum ſanguinem emittit; malum, qui in primis maximè venis circa iecur (& quod meſenterium vocant) colligitur, in totum attrahet corpus, &c.* Tum ex Auicenna *fen 4. lib. 1. c. 20. §. A minutione præterea tibi cauere debes ſupra cibi repletionem ne materiam non digeſtam ad venas trahas loco eius quod ab eis euacuaſti, &c.*

Probatur 3. facta ſanguinis miſſione, non ſolùm incommoda à Galeno & Auicenna propoſita ſubſequuntur, ſed quod ventriculi naturalis calor, cum quo ſpectata coctione deberet crudum alimentum illius concoqui, & regulari remittatur: Tum quia ſanguinis miſſio refrigerat? Tum quia per illam euacuantur ſpiritus vitales, quorum ope coadiuuatur ventriculi calor pro concoctione: ergo ſanguinis miſſio nullo modo debet exerceri copioſa exiſtente in ventriculo cruditate, aut in prima regione circa iecur.

§. III.

Soluuntur rationes primò adducta.

AD 1. Reſpondet Carreltus, quòd non debuit ab Auicenna conſuli ſanguinis miſſio in febre ex cruditare; Iacobus dicit quòd ſi ſimul cum febre ſit plethora, quæ petit ſanguinis miſſionem, fiat hæc in declinatione febris ex cruditate. Gentilis, cui aſſentior, dicit, quòd Auicenna intendit docere, quod ſi fiat febris ex crudicate, euacuentur humores crudi, & poſt eorum euacuationem fiat ſanguinis miſſio, dum euacuata cruda materia, à qua pendebat febris ipſa iam declinat.

Dices: Si febris cruda materia euacuata, iam declinat, vt quid ſanguinem doces mittendum? Dico quòd præcautionis causâ; nè tranſeat in putridam ob concalefactos humores ab illa.

Ad 2. Reſpondetur: quòd cruditas primæ regionis aliquando in ventriculo generatur dum acida eſt à debili calore, vel quia tanta copia eſt alimenti, vt ſuperari non poſſit à calore adhuc valido, vel ſi eſt nidoroſa, fit ab vſtiuo calore; aliam contingit ſæpe reperiri copiam cruditatum præcipuè calidorum humorum, qui generantur à iecore, & ab illo in ventriculum, & primam regionem effluunt; & de iſtis docet Auicenna, quòd poteſt curari ſanguinis miſſione cruditas ventriculi, vel ipſius nauſea, vel vomitus quæ ex his fiunt, non autem ſanguinem mittendo dum ipſi redundant in ventriculo: ſed poſtquam vomitu, aut deiectionibus euacuatur, quod redundabat, tùnc enim ſanguine miſſo reuelluntur, euacuantur, & attemperantur, cohibenturque intra venas, nè retrocedant ad ventriculum.

Ad 3. iuxta nuper dicta Reſpondetur; quòd ab experientia propoſita colligitur, quòd ſi crudi humores redundantes in ventriculo refluunt à iecore, poſſunt

nauſea, aut vomitus, quæ fiunt ab illis cauti ſanguinis miſſione facta cum præcautione dicta.

Ad 4 Reſpond. quòd ex eo, quòd toto tempore, quo permanet ciborum cruditas in ventriculo, prohibetur ſanguinis miſſio, donec deficiat; vel quia coquitur, vel quia euacuatur, aut fertur ad inteſtina, ſatis conuincitur, quòd à cruditate omninò prohibetur ſanguinis miſſio; ita vt illa præſente, numquam debeat exerceri ob incommoda, quæ ex Gal. & Auic. ex illa neceſſariò ſequuntur; hoc autem intelligendum venit de copioſa cruditate, non autem de quacunque ex qua adducta incommoda ſubſequi non poſſunt; nullum enim corpus ab omni cruditate ventriculi, aut primæ regionis omninò immune iudicamus.

Resolvtio II.

Vtrùm crudi humores ſecundæ regionis impediant ſanguinis miſſionem?

§. I.

Aperitur ratio difficultatis.

CRudi humores in ſecunda regione poſſunt dupliciter reperiri: vno modo ſanguini commixti, vt contingit plerumq; in anaxarcha incipiente, & dum bilioſi excedentes humores poſsũt ſanguini cõmiſceri; alio modo ſupernatantes, & ſeparati à ſanguinis commixtione, qualiter contingit ſupernatare ſerum, & ſupernatant calidi humores, cacochymi, aut turgentes, aut frigidi, aut crudi humores, vt in leucophlegmatia, anaxarcha ex multùm redundante pituita orta, quæ ob ſui copiã ſanguini cõmiſceri non poteſt. Prætereà qui ſuperflui humores ſupernatant in 2. regione, alij à iecore sũt geniti, vt exẽplis poſitis apparet; alij à generãtur in vẽtriculo, vel nimia vſtione, ex qua fit cruditas nidoroſa, vel debili calore, ex quo fit cruditas acida; qui ſi ratione ſanguinis miſſionis, aut alia cauſa ferantur ad iecur, elaborari non poſſunt, cùm ſint materia inepta cõcoqui ab illo; & delati cum humoribus ad venas, sãguini nõ cõmiſcentur, ſupernatãt, & putredine affecti plerumque ſyncopales valent febres cauſare; & de his omnibus inquirimus, an impediãt ſanguinis miſſionẽ.

Videtur quòd non: Tum 1. quia crudi humores intra venas cum ſint inutiles, & poſſunt ſanguine miſſo ſimul euacuari, potiùs coindicant ſanguinis miſſionẽm. Tũ 2. quia licèt etiam poſſint euacuari purgatione, facilius, & cum minori incommodo poſſunt ſanguinis miſſione euacuari, quæ alias erat indicata. Tum 3. quia cùm ex his timeatur morbus magnus, quod eſt indicans ſanguinis miſſionis, non ſolùm conſtantibus viribus, coindicant, imò valent ſoli hi humores ſanguinis miſſionem indicare. Tum 4. quia bilis, a qua prouenit febris ardens, etiamſi ſeparata à ſanguine morbum cauſet, ſe ſola indicat ſanguinis miſſionem, prout eſt humor cum ſanguine ſupernatans: ergo ab humoribus crudis, aut ſupernatantibus in ſecunda regione, vel indicatur, vel ſaltem non impeditur ſanguinis miſſio.

§. II.

Quid de crudis humoribus ſit ſentiendum, dum ſanguini ſunt commixti?

REſoluendum, quòd crudi humores, ſanguini commixti, ſi non ſunt cauſa morbi magni, ſanguinis miſſionem non contraindicant: ſi morbus magnus fiat ex eorum vitio, illam indicant.

Probatur 1. pars, quia dum ſunt ſanguini commixti ſunt pars ſanguinis, ſeu maſſæ ſanguinariæ, à qua vt tali nulla ſumitur mittendi ſanguinẽ contraindicatio.

Probatur 2. pars, quia, vt patet ex dictis, ſanguinis miſſio indicatur ex vitio ſanguinis, non ſolùm in quãto, & motu, ſed & in quali; ſed ex eo quod ab aliquo humore ſanguini commixto fiat morbus magnus, ſeu ſuperueniat febris, prouenit, quòd ſanguis, cuius humor ille eſt pars adintegrans, dicatur peccare in quali: ergo ab illo potiùs indicatur ſanguinis miſſio.

Probatur 3. Gal. docet ſanguinem mitti in putrida omni febre ex quolibet humore orta; ſed non quatenus fit ab illis ſeparatis à ſanguinis cõmixtione, quia tunc ſiunt cacochymi, & indicant purgationem: ergo indicant ſanguinis miſſionẽ, prout ſunt ſanguini cõmixti.

§. III.

Supernatantes humores geniti à iecore qualiter impediant phlebotomiam?

REſoluendum 2. Quòd dũ à iecore geniti humores ſupernatant in venis, vel quia copiã ſuperabundant, vel quia alteratione à ſanguinis cõmixtione poſtea ſeparantur, ſi aliunde ſit indicata ſanguinis miſſio, non omninò impedire valent illã; ſi autẽ morbus magnus oriatur ab illis, ſanguinis miſſio contraindicatur.

Probatur 1. pars: Quia ſi in habente huiuſmodi cacochymiam indicetur ſanguinis miſſio ob ſanguinis vitium in motu, vt ſi cadat quis ab alto, vel afficiatur hydropicus, dolore laterali efficiatur, tũ quantũuis cacochymus humor ſuperabundet, ſi vires conſtent, ſanguinem mittimus: ergo etiam ſi ſupernatãtes humores cõtraindicent, & poſſint quantitatẽ moderari, non tamen valent impedire ſanguinis miſſionem ex toto.

Probatur 2. pars: Si morbus magnus pendet ab humorum cacochymia, ſolùm indicatur Purgatio: ergo eo ipſo quòd ab humoribus ſupernatantibus fiat morbus magnus, contraindicatur ſanguinis miſſio.

Probatur 3. In febre ardente, quæ pendet à bile ſanguini commixta, ſanguinem mittimus, & ſi illa ſupernatet, & fiat turgens, ſtatim eadem die docet Hippoc. purgandum eſſe, quia ille morbus magnus, qui pendens prius ex vitio ſanguinis, dum ſeparata bile pendet à ſola illa, ſolum indicat purgationem: ergo à morbo magno pendente à ſupernatante humore contraindicatur ſanguinis miſſio.

§. IV.

Quid dicendum, ſi ſimul indicent crudi, & ſupernatantes humores, & ſanguinis vitium?

REſoluẽdum 3. Quòd ſi ſimul ſint morbus magnus ortus ex vitio ſanguinis, & alter ortus ex ſupernatante humore genito in iecore, præualens indicatio vrgebit ad ſui remedij executionem.

Probatur 1. quia ſi ſimul coindicatur ſanguinis miſſio ab aliquo ſanguine fluente in oculos, & febris orta ex humore cacochymo, ſi turgeat materia, priùs purgandum, ſi febris non vrget, & oculi à mittendo minantur periculum, prius ſanguis mittendus: ergo exequendũ indicatum remediũ cuius præualet indicatio.

Probatur 2. quia in hoc caſu idem exequendũ quod ſanciuit Gal. vt ad id pergamus, quod magis vrget, altero non neglecto: ergo iuxta exigentem indicationem procedendum eſt.

§. V.

Quid agendum ſi ſupernatent crudi humores geniti in ventriculo, & in venis delati?

REſoluendum: quòd impeditur omninò ſanguinis miſſio, etiamſi morbus magnus aliunde quàm ab ipſis humoribus oriatur, dum in venis ſupernatant crudi, ac frigidi humores geniti in ventriculo.

Probatur: Quia ſi humores crudi ex diminuto ventriculi calore geniti ferantur ad venas, cùm ſint nutritioni inepti, nec valeant coctione perfici, neq; quia inutiles in partes trahi, ſuffocant calorem, vel materiæ multitudine, vel craſſitie, ventilationem impediunt, incaleſcunt, & febres ſyncopales efficiunt, vt latiùs patebit ex dictis *part. 3. reſol. Medic. diſp. de febribus diarijs*: ergo omninò impedit ſanguinis miſſionem: conſtat enim ex Galeno *lib. de*

ſang.

ſang. miſſ. c. 5. & lib. 4. de ſanit. tuenda, quòd in his febribus, vitca omnino retinuit ſanguinis miſſionem.

§. IV.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD 1. Reſpondetur: Tum 1. quòd humores, qui intra venas redundant, petunt euacuari ſi ſunt ſanguini commixti, ſanguinis miſſione, ſi cacochymi, purgatione, quæ vtilior eſt euacuatio, dum eſt iodicata, quia tota ſimul per illam euacuatur materia, ſine eo quòd ſimul euacuemus ſanguinem pro nutritione vtilem, & neceſſarium: Tum 2. quòd cacochymi humores faciliùs trahuntur pharmaco ſeligente, quia habemus naturam adminiculantem, & cum minore incommodo, cùm reliqui vtiles humores non euacuentur ſimul: Tum 3. quòd ex humoribus cacochymis non timetur morbus magnus, qui indicet ſanguinis miſſionem, ſed qui indicet purgationem, vt patet ex dictis; Tum 4. quòd bilis ſupernatans non indicat ſanguinis miſſionem, ſed potiùs purgationem, & hoc non ſe ſola, ſed ratione morbi magni pendentis ex illa.

RESOLVTIO III.

Vtrùm cruditas humorum in tertia regione impediat ſanguinis miſſionem?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi.

POſtquàm à regione ſecunda ſucci deferuntur ad tertiam, contingit, ſi boni ſunt, ex illis perfici nutritionem, ſin minus, ipſos retineri, donec paulatim à natura excernuntur; vel ob nimiám ſui quantitatem, aut ſubſtantiæ modum, aut malignam qualitatem, dùm reſiſtunt, aggregantur, & magni ſuperueniunt dolores, aut tumores, vt in affectis morbo gallico contingere cernimus: de huiuſmodi igitur humoribus inquirimus; An impedire valeant ſanguinis miſſionem? Pars affirmatiua ſuaderi poteſt.

Primò: quia illi humores nutritioni inutiles poſſunt ſucceſſione, ad id quod euacuatur, retrotrahi ad venas, & illarum bonos humores conſpurcant; ergo impediunt ſanguinis miſſionem.

Secundò: Humores intra venas redundantes, ſi inutiles ſunt, vtiliter poſſunt per tertiam regionem euacuari, vt docet experientia in continua eorum euacuatione, quæ per inſenſibilem halitum, & per ſudorem fit; ſed hæc impeditur ſanguinis miſſione: ergo ab humoribus crudis qui deferuntur ad tertiam regionem impeditur ſanguinis miſſio.

Tertiò; humores crudi exiſtentes in tertia regione ſunt cacochymi: ſed ab humoribus cacochymis indicatur purgatio, & impeditur ſanguinis miſſio: ergo ratione illorum ſanguinis miſſio non debet exerceri.

§. II.

Quòd ab illis non ſumitur indicatio.

REſoluendum 1. Quòd ab humoribus in tertia regione exiſtentibus non ſumitur indicatio mittendi ſanguinem, aut purgandi. Patet; quia non ſunt in regione, à qua, ſanguinis miſſione, ſectâ venâ; poſſunt euacuari, nec in quâ poteſt peruenire vis pharmaci ſolutiui; & ideò ſudorificis, cucurbitulis, frictionibus, & medicamentis mouentibus adiuuante, & per inſenſibilem halitū euacuantibus conamur ipſos euacuare.

§. III.

Aperitur vnde ſumatur in his humoribus euacuandis indicatio.

REſoluendum 2. Quòd ab humoribus, qui intra venas ſunt, cauſa antecedens eorum, quæ feruntur ad tertiam regionem, ſi cacochymi, ſumimus purgandi rationem, quæ eſt indicatio; ſi ſanguis, aut ſanguini commixti, ſumimus indicationem mittendi ſanguinem.

A Probatur: quia ab illis poteſt morbus oriri magnus, à quo indicetur remedium magnum, prout pendet ab illis tanquam à cauſa; à qua fouetur tertiæ regionis cruditas: ergo ſi pendeat à cacochymia, indicabit purgationem; ſi à vitio ſanguinis, ſanguinis miſſionem.

§. IV.

Nullam contraindicationem admittimus.

REſoluendum 3. Quòd ſanguinis miſſio non contraindicatur à cruditatibus ſolius tertiæ regionis. B Probatur: quia, vt patet, potiùs indicatur ratione cauſæ antecedentis illarum, non ſequuntur incommoda, quòd trahantur ad ſecundam regionem, in quam non refluunt crudi humores tertiæ regionis; non fit ab illis febris ſyncopalis, qua vires omninò ruunt, ſicut à cruditatibus ſecundæ regionis: ergò non eſt cur ſanguinis miſſionem impediant.

§. V.

Soluuntur rationes in oppoſitum poſita.

AD 1. Reſpondetur, quòd humores qui ſunt in tertia regione, præcipuè dum crudi ſunt, non refluunt, imò conatur natura illos per poroſitates euacuare, quæ ſunt viæ ab illa deſtinatæ, vt expurget excrementa, quæ in tertia regione reſultant ex illius coctione. C

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio, auferendo cauſam antecedentem, à qua tertiæ regionis fouentur cruditates, potiùs coadiuuat, vt quæ redundant, poſſint faciliùs à natura per poroſitates ex toto expelli.

Ad 3. Reſpondetur, quòd ab humoribus tertiæ regionis, cùm nec poſſint pharmaco ſeligente trahi, nec ſanguinis miſſione euacuari, neutram habent indicationem, ſed potiùs reſoluentia, aut ſudorifica indicant, à quibus per poroſitates expellantur. D

RESOLVTIO IV.

Vtrùm aëris conſtitutio impediat ſanguinis miſſionem; aut coindicet illam?

§. I.

Proponitur ſtatus difficultatis.

AEr inter res non naturales locū habet, aliquando ſe tenens ex parte morbi, aliquando ex parte naturæ; ipſe enim non ſolùm nos alterat innatis qualitatibus, ſed mediis illis, quib. adſcititiis gaudet ratione temporis anni, ratione ventorum, regioniſue, ſeu ſecundùm quòd diuerſas ab Aſtris alterationes patitur: & ideò an ratione qualitatum, quibus E nos valet alterare, poſſit conducere ad coindicandam aut contraindicandam ſanguinis miſſionem, dubitamus? Et pars negatiua fulcitur, Tum 1. Quia ex Galeno 5. *Methodi cap.* 1. abſurdum eſt aliud eſſe, quod curatur, aliud quod rationem curandi præſcribit; cùm autem aër non curetur, nec indicandi, nec contraindicandi vires habet: Tum 2. quia Gal. *lib. 9. Methodi cap.* 14. aërem annumerat inter præſidia medica, & ideò indicatum, & non indicans debet eſſe. Tum 3. quia non minus potus, & cibus requiruntur pro curatione, quàm aër, & ab illis non ſumitur aliqua coindicatio pro ſanguine mittendo: ergo ab aëre pro ſanguine mittendo nulla coindicatio, nec contraindicatio ſumitur.

§. II.

Galeni doctrinam amplectimur.

RЕſoluendum : Quòd aër coindicandi, aut contraindicandi ſanguinis miſſionem magnam habet vim.

Probatur 1. ex Galeno *lib. 4. de ratione victus text. 19. §. Verum vt nihil deſit, adiiciam & eum, qui ab ambiente nos aere deſumitur, ſcopum, cùm fuerit abundè calidus, & ſiccus, ità vt citò ab eo corpus euaporetur; nempè tunc à ſanguinis miſſione abſtinemus, etiamſi morbus magnus fuerit, vigénſque ætate homo* : ergo ratione aëris poteſt impediri ſanguinis miſſio.

Probatur 2. Ex eodem Galeno *lib. 1. de arte curat. ad Glauc. cap. 14. §. Ipſa prætereà aëris temperatura loco accidentis cuiuſdam habenda, quando exquiſitè calida, ac ſicca fuerit, qualis eſt tempore medio inter Canis ortum, & Arcturi. Atque ideò omnes, quibus Medici nihil omninò de temporum ſtatu cogitantes ſanguinem abſtulerunt, interierunt. Si etiam valde frigida fuerit, tunc quidem ſanguinem mittere eſt formidandum, cum non ignoremus non parua ex ſimilibus ſequi pericula.*

Probatur 3. Tum ex eodem Galeno *lib. 9. methodi cap. 14.* vbi inter ſcopos curatorios aërem reponit. Tum *lib. 2. de compoſitione medicamentorum, 5. loc.* vbi pro auxiliis exercendis, domus, in qua æger decumbit, docet obſeruandam eſſe temperiem. Tum ex Auicenna *fen. 1. 4. cap. 20.* vbi in calida aëris conſtitutione modum venam aperiendi annotauit : ergo ab aëre ſanguinis mittendi, aut non, poteſt indicatio deſumi.

Probatur 4. Aër ex his eſt, quæ ineuitabiliter corpus noſtrum debent alterare, quia ex Ariſtotele hominem viuere, & aerem non reſpirare impoſſibile eſt præterquam quòd ſemper nos ambit, & ſuis qualitatibus alterat : ſed ratione alterationis neceſſariò vel ſe habet ex parte morbi, qui pendet ex vitio ſanguinis, & à quo indicatur ſanguinis miſſio; vel ex parte naturæ oppugnans ipſum morbum, cauſamve vnde ille oritur : ergo neceſſarium eſt, quòd aliquid indicet, aut contraindicet, ratione cuius aut impediat, aut permittat ſanguinis miſſionem.

§. III.

Soluuntur Rationes adductæ in Galenum.

AD rationes in contrarium adductas Reſpondetur, Tum 1. quòd dum aër ſe habet ex parte morbi, coadiuuat illius indicationem; vel quòd prout valet vires debilitare, valet ſanguinis miſſionem impedire; vel quòd Galenus citatus loquitur de morbo, à quo ſumitur indicatio per ſe, non de aëre, à quo ſumitur indicatio per accidens. Tum 2. quòd ſi aër ſe habet ex parte naturæ, vicem gerit remedij : dum verò ſe tenet ex parte morbi, habet vicem coindicantis. Tum 3. Quòd licèt cibus, potus, & aliæ res non naturales nos valeant alterare, non ita ineuitabiliter, ſicut aër, cuius vſus eſt Ineuitabilis; & alteratio ab illo cum pendeat à cauſa ineuitabilibus, etiam ineuitabilis eſt; reliquarum rerum non naturalium vſus non ita ineuitabilis eſt.

RESOLVTIO V.

Verùm animi pathemata impediant ſanguinis miſſionem?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi.

ANimi pathemata ſunt actus appetitus fugæ, aut proſequutionis, in quibus pro formali ſtat ipſe actus appetitus; pro materiali conſequitur ad il-
A lum motus ſanguinis, & ſpirituum iuxta actus diuerſitatem; eſt enim multiplex, vt videre eſt apud Diuum Thomam 1. 2. q. 22. *vſque ad q. 49.* alius eſt actus appetitus concupiſcibilis, alius appetitus iraſcibilis; ex eodem 1. 2. *q. 25. art. 1.* concupiſcibilis tendit in proſequutionem boni, & fugam mali, & illius ſunt ſex actus, amor, deſiderium, voluptas, ſeu gaudium, odium, fuga, triſtitia ſeu dolor. Amor ex Platone eſt appetitus quo bonum quiſque ſibi adeſſe deſiderat, & fertur in rem amatam : deſiderium eſt proſecutio in rem amatam, nondum tamen adeptam : gaudium ſeu voluptas eſt delectatio dum obiectum deſidera-
B tum æſtimatur vt præſens, & conſequutum : odium eſt actus, quo appetitus abhorret obiectum vt inimicum : fuga eſt actus appetitus, ſeu auerſio obiecti diſconuenientis, imminentis, ſed nondum præſentis: triſtitia, ſeu dolor eſt actus appetitus auerſantis obiectum diſconueniens habitum. Sub iraſcibili ſunt etiam ſpes, quæ eſt illius actus circa bonum arduum, difficile adipiſci; deſperatio quæ eſt actus appetitus, quo deſiſtit ab obiecto aliàs appetibili, vt iterum ab eius appetitu deſiſtat : Audacia etiam quæ eſt proſecutio boni ardui, vt arduum; ſimiliter & timor, qui eſt fuga obiecti ardui diſconuenientis, & futuri, cui difficile reſiſtere poſſumus; & hæc fuga ſi ſit corporei
C laboris, quia excedens videtur, dicitur Segnities, ſi actionis detrahentis opinionem, dicitur Turpitudo; & hæc ſi ſit de actione quæ cõmittitur, dicitur Erubeſcentia, ſi de actu commiſſo, dicitur Verecundia. Ita etiam iraſcibilis appetitus eſt actio, & vt ait Ariſtoteles, eſt appetitus vindictæ cum ſpe propter contemptum in ſe, vel in ſuis. De his omnibus inquirimus, an poſſint impedire ſanguinis miſſionem?

Videtur quòd non; Primò, Quia actus appetitus ſunt actus immanentes in illo, & illius perfectiui, ſicut & actus intellectus : ergo ſicut actus intellectus, aut reliquorum ſenſuum, non impediunt ſanguinis miſſionem etiamſi ſint intenſi; ſimiliter nec actus
D appetitus, ſeu animi paſſiones.

Secundò : ſanguinis miſſio ſi impediretur ab animi paſſionibus, vel quia vires permittentes poſſent minuere, vel quia indicans proprium poſſent auferre : ſed animi paſſiones, cùm ſint actus immanentes appetitus, nec vires debilitant, nec aliquid auferunt à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, qui eſt proprium indicans ſanguinis miſſionis : ergo non poſſunt contraindicare ſanguinis miſſionem.

Tertiò : animi paſſiones valent indicare ſanguinis miſſionem : ergo ab illis non contraindicatur ſanguinis miſſio. Probatur antecedens, per animi paſſiones ſpiritus & ſanguis mouetur à parte in partem : ſed, vt patet ex dictis, à vitio ſanguinis in motu indicatur ſanguinis miſſio : ergo ab animi paſſionibus potiùs indicatur, quàm impeditur.

E

§. II.

Pars affirmatiua fulcitur.

RЕſoluendum: Quòd ab animi paſſionibus, à quibus fit magna humorum tranſmutatio, corporiſve conſumptio, ſanguinis miſſio poteſt impediri.

Probatur 1. ex Galeno *lib. 9. methodi cap. 5.* vbi prohibet venæ ſectionem in eis, qui nimis illam timent, ergo à paſſionibus animi poteſt impediri.

Probatur 2. Dum nimia ſuperuenit excandeſcentia, partiúmve conſumptio, viriumque iactura, ſanguinis miſſio impeditur : ſed in animi paſſionibus hæc contingunt, excandeſcunt homines irâ, triſtitiâ aut timore extenuantur, vireſque conſumuntur, ac debilitantur: ergo impeditur ſanguinis miſſio.

Probatur 3. Dum magna fit commotio ſpirituum,

&

& humorum à parte in partem, debemus abſtinere à ſanguinis miſſione, ne vim inferamus naturæ, & in ipſa hora motionis in aliam partem, illius omninò debilitemus vires, ideò enim in acceſſionibus ſanguinem mittere, ægrum eſt iugulare, inquit Celſus, & in criticis perturbationibus illam prohibet Auicenna *fen.* 4. 1. *cap.* 1. §. *Phlebotomia quoque, nec euacuatio ventris eſt facienda in die motus ægritudinis, & cùm ægritudo eſt habens criſim*. ergo dum animi paſſiones habent adiunctam magnam ſpirituum, & humorum commotionem, impediunt ſanguinis miſſionem.

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

AD 1. Reſpondetur, quòd animi paſſiones, ſecundùm quòd dicunt pro formali non immutant; bene ſecundùm coadiunctam tranſmutationem, corporalem ſanguinis, & ſpirituum, quæ ſubſequitur ad ipſam paſſionem: in qua conſideratione Diuus Thomas agens de ira, dicit quòd eſt *efferueſcentia ſanguinis & ſpirituum circa cor.*

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio ab aliquibus animi paſſionibus impeditur, quia & vires debilitantur, & corporis partes extenuantur: inde facta Pagina docet, *quòd ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.* Tum quia ſanguinis, & humorum à parte in partem fit tranſmutatio, ratione cuius, donec humores quieſcant, phlebotomari non poſſunt.

Ad 3. Reſpondetur, quòd à vitio ſanguinis in motu in aliquam partem, ex quo timetur morbus magnus, indicatur ſanguinis miſſio: quòd idem contingit etiam in dolore attrahente humores in partem doloroſam terminatam, ratione cuius motus poteſt magnus fieri morbus, & ideò indicat ſanguinis miſſionem: in reliquis verò, quia non trahuntur humores in partem, in qua timeatur morbus magnus, reliquis quietis manentibus, ſed potiùs omnes commouet humores, nec quietos intra venas relinquit, vt poſſint phlebotomari; ideò potiùs cohibet ſanguinis miſſionem, ſicut ſimili ratione cohibet illam in criſibus, & acceſſionibus.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm dolor valeat impedire ſanguinis miſſionem?

§. I.

Dubitandi proponitur ratio.

DOlor eſt triſtis ſenſatio, ſeu actus appetitus auerſantis obiectum, ſubitò & affatim naturam corrumpentis, & inter animi pathemata locum obtinens, ſed indicandi vt cauſa eſt, maximam vim habet; ideò & peculiariter de illo inquirimus, An ſanguinis miſſionem valeat impedire?

Videtur quod non: 1. Quia illud, à quo per ſe indicatur ſanguinis miſſio, non valet illam, contraindicare aut impedire: ſed vehementiſſimus dolor valet per ſe indicare ſanguinis miſſionem: ergo non valet illam impedire. Probatur minor ex Galeno *lib.* 1. *Aphoriſmorum*, 23. vbi in vehementiſſimis doloribus fatetur ſe nullum vnquam maius inueniſſe remedium, quàm euacuare vſque ad animi deliquium, adhibita diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare conueniat: ergo à vehementiſſimis doloribus indicatur ſanguinis miſſio.

Secundò: ſi indicatio mittendi ſanguinem deſumpta à febre pendente ex vitio ſanguinis coincidat cum dolore ſimul indicante ſui ablationem, indicatio deſumpta à febre præualet indicationi deſumptæ à dolore: ergo dolor non impedit ſanguinis miſſionem. Probatur antecedens ex Auicenna *fen.* 1. 4. *tract. cap.* 7. § *Et quando dolor capitis coniungitur cum febre, dignior eſt curatio febris, & non doloris, &c.*

Tertiò: Indicatio deſumpta à dolore diuerſis perficitur remediis, ac eſt ſanguinis miſſio, cùm dolor indicet anodina, vel partis ſenſum ſtupefacientis, vel mulcebrem illum reddendo: ergo per indicationem deſumptam à dolore non impeditur ſanguinis miſſio.

§. II.

Pars affirmatiua amplectitur.

REſoluendum: Quòd viribus delapſis, ſi ingentiſſimus vigeat dolor, valet impedire ſanguinis miſſionem magna ex parte. Probatur 1. ex Galeno *lib.* 1. *ad Glauconem cap.* 14. §. *Nec ſi quis ſimul diſtenſione membrorum laborantis & ſanguinis egverit miſſione, huic tantùm ſemel mittere oportet, quantum exigit diſpoſitio, ſed aliquid etiam accidenti eſt relinquendum, cuius cauſa ſæpè febres eueniunt, & vigiliæ moleſtant, & vires ægri debilitantur, ità etiamſi vehementiſſima vigiliæ, aut dolor intenſus ægrorum infeſtant, cauendæ ſunt ſubitæ, aut multæ euacuationes*: ergo magna ex parte valet vehemens dolor ſanguinis miſſionem impedire.

Probatur 2. ex Auicenna *fen.* 4. 1. *doct.* 5. *c.* 1. dicente: *Cùmque ad diuerſum retrahere volueris, membri, à quo protrahis, dolorem priùs ſeda.* Et clariùs *fen.* 4. 1. *c.* 20. §. *Tibi quoque cauere debes à phlebotomia in hora fortis doloris*: ergo vehemens dolor impedit ſanguinis miſſionem.

Probatur 3. Pro ſanguine mittendo non ſolùm eſt habenda ratio virium, quæ ſanguinis miſſionem tolerent, ſed cum quibus natura remaneat poſt illam, & valeat tolerare morbi vigorem: ſed à dolore vehementi vires ægri debilitantur, vigiliæ moleſtant, ſudores eueniunt, & plura alia quibus diſſoluuntur vires: ergo ſi vehemens eſt dolor, valet ſanguinis miſſionem impedire, ne ſimul ſuperaddito diſpendio virium, ab illo pereat æger.

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

AD 1. Reſpondetur, quòd viribus conſtantibus, ſanguinis miſſio indicatur à dolore, quatenus ratione doloris natura mittit ſanguinem in partem doloroſam, cuius defluxu dolor augetur; viribus autem delapſis, ob illarum magnum diſpendium, quod cauſatur à dolore, poteſt impediri, aut minui.

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſi dolor cauſetur à febre, à qua indicatur ſanguinis miſſio, rectè docet Auicenna, quòd dignior eſt curatio febris, quàm intendere per aliam viam dolorem curare, quia tunc dolor qua parte ſymptoma eſt, febris ſolùm exigit curationem, ad quam ſequitur, quæ ſanguinis miſſione perficitur.

Ad 3. Reſpondetur; quòd licèt vſus remediorum, quæ exercentur vt indicata à dolore, non impediat ſanguinis miſſionem, ipſam tamen valet vehemens dolor impedire, dum vires ſunt delapſæ, quatenus valet illas omninò debilitare, & ideò non debet coadiuuari illatum lapſus ſanguinis miſſione, quæ etiam ipſas minuit.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm vigilia & ſomnus impediant ſanguinis miſſionem?

§. I.

Dubitandi ratio proponitur.

Vigilia & ſomnus inter res non naturales reponuntur, & cum moderamine pro ſanitate iuuant; ſed ſi modum excedant, nocent. Ideo de vigilia & ſomno inquirimus, an talem noxam inducant, vt valeant cohibere ſanguinis miſſionem. Et videtur quòd non.

Primò, quia vigilia hæc corpori commoda adducit, vt docet Oribaſius *lib.6. Medicinæ collect. c.6. Plenitudinem per habitū digerit, quæ in ventre ſunt minuit, & vt per partes inferius exeat, præparat, languorem diſſoluit, grauitatem diſpenſat, reſoluta corrigit, & robur naturæ, atque animo adiungit*: ergo iuuat vt poſſit exerceri ſanguinis miſſio.

Secundò, dum ſomnus fit profundus, abundantiam indicat, & intendimus per ſanguinis miſſionem acquirere vigiliam: ergo potiùs indicare ſanguinis miſſionem, quàm illam cohibere eſt dicendum.

Tertiò, ſomnus, & vigilia opponuntur: ſed ex nimio ſomno non impeditur ſanguinis miſſio: ergo nec ex nimia vigilia.

Quartò, à morbo orto ex vitio ſanguinis in Quali, vt diximus, indicatur ſanguis mittendus; ſed vigilia vitium cauſat in ſanguine in Quali: ergo potiùs coindicare, quàm contraindicare valet ſanguinis miſſionem. Probatur minor ex Galeno qui *lib. 7. Aphoriſmorum* 58. cùm Hippocrates docet à vigiliis fieri conuulſionem, & deſipientiam, ipſe *in Commentario* cauſam reddens, dicit quòd vigilia nimia bilioſum reddit ſanguinem: & *lib. 6. Epidem. comm. 6.* aſſerit per vigilias ſanguinem corrumpi: ergo cauſare valet vitium ſanguinis in Quali.

§. II.

Proponitur modus, quo contraindicat.

Reſoluendum: Quòd nimiæ vigiliæ valent impedire ſanguinis miſſionem.

Probatur 1. Si diu perſiſtat vigilia, temperamentum hominis mutatur, pallida fit facies, corpus macie contabeſcit, oculi fiunt caui cum auſtero & triſti vultu, frons anilem contrahit rugas, naturales facultates deprauantur, copia crudorum humorum ſubcreſcit, vires vitales, ac animales labefactantur, vt latè proſequitur Querceranus *in ſua Polyhiſtorica*: ergo in nimiis vigiliis ſuperuenientibus, neceſſe eſt impediri ſanguinis miſſionem.

Probatur 2. ex Galeno qui *lib. 1. ad Glauconem c. 14.* impedit euacuationes magnas ex nimiis vigiliis ſic docet: *Ita etiamſi vehementiſſimæ vigiliæ, aut dolor intenſus ægrum vexauerit, cauendæ ſunt ſubitæ & multæ euacuationes.*

Probatur 3. Vigilia opponitur ſomno, & eſt incompatibilis cum illo, impeditque commoditates quas affert corpori humano: ſed mediis ſomni commoditatibus vires reſarciuntur, & fiunt potentiores pro ſanguinis miſſione facienda: ergo ſomno deficiente ob immodicam vigiliam, neceſſariò debent impediri vires requiſitæ pro ſanguine mittendo. Probatur minor ex Aegineta *lib. 1. de re medica cap. de ſomno* 5. *Somnus animalium facultatum quies eſt bona humiditate cerebrum rigante cōtingens. Quod ſi rectè admittatur, multa bona facere poteſt: nam & cibos concoquit, & dolorem mitigat, laſſitudinéſque lenit, & diſtentorum laxitatem efficit, ſed & animalium affectionum obliuionem inducit, & emotam mentis rationem corrigit*: ergo mediis ſomni commoditatibus poſſunt vires reſarciri.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

Ad 1. Reſpondetur, quòd loquitur Oribaſius de vigilia moderata, nos autem de immoderata, à qua vires franguntur; ſicut reficiuntur per illam.

Ad 2. Reſpondetur, quòd poterit aliquando indicari ſanguinis miſſio ratione cauſæ, à qua ſimul fouetur ſomnus, vt ratione ſanguinis miſſionis ſuperueniat vigilia, quæ immoderato ſomno opponitur: ſi tamen ipſa vigilia poſtea fiat nimia, viribus debilitatis, impediet ſanguinis miſſionem.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſomnus & vigilia, ſi modum excedant, vires debilitant; & viribus deficientibus, impeditur, aut magna ex parte ſanguinis miſſio cohibetur.

Ad 4. Reſpondetur, quòd aliud eſt, quòd vigilia & ſomnus ſint cauſa, vt humores adquirant vitium, ratione cuius valeant indicare ſanguinis miſſionem; & aliud quòd ſimul vires debilitent, quominus poſſint tolerare remedium: ſi vtrumque enim contingat propter vigiliam, à morbo magno orto ex vitio ſanguinis, indicabitur ſanguinis miſſio, ſed ob vires deficientes impedietur eius executio, quia ſanguinis miſſio, vt exerceatur, petit præſentiam poſtulantium, à quibus indicetur, & abſentiam impedire valentium.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm venereus vſus impediat ſanguinis miſſionem?

§. I.

Pars negatiua præferenda videtur.

Videtur quòd non 1. Quia veneris abſtinentia capitis grauitatem parit, ciborum faſtidium, febres, & imbecillitatem coctionis, ex Galeno *lib.6. de locis affectis cap. 5.* ergo per illius vſum hæc ceſſant incommoda, viréſque adaugentur permittentes ſanguinis miſſionem.

Secundò: Auicenna *fen. 1. lib. 3. cap. de dolore capitis*, conſulit ſanguinis miſſionis vſum poſt coitum: ergo potiùs coindicare quàm impedire valet ſanguinis miſſionem.

Tertiò: vſus venereus inter res non naturales cenſetur, ſed res non naturales iuuant pro conſeruandis viribus, à quibus permittitur ſanguinis miſſio: ergo ab illo non impeditur ſanguinis miſſio.

§. II.

Quid reſoluendum proponitur.

Reſoluendum 1. quòd nimius venereorum vſus valet impedire, aut magna ex parte cohibere ſanguinis miſſionem. Probatur 1. Tum ex Galeno *lib.6. de morb. popul. comm. 6.* ſuper text. *venus*, vbi à venere imbecilles peruenire docet ad imbecillitatem extremam. Tum *lib. 3. de morb. popul. comm. 3.* text. *Adoleſcens*, vbi docet, quòd venereus vſus

ventric

ventriculum labefactat, neruos, & cerebrum lædit, vires elidit, atque debilitat. Tum *l.* 1. *de ſemine*, vbi venere immodica vteres imbecilliores reddi, quia plurimum effluat natiui calidi, & ſpirituum, ſed ex his omnibus nimio vſu veneris vires debilitari conſtat: ergo ratione illius impediri aut cohiberi poteſt ſanguinis miſſio.

Probatur 2. ex Auicenna *lib.* 3. *fen.* 20. *cap.* 11. §. *Coitus euacuat de ſubſtantia cibi poſtremi, quare debilitatem affert, cuius ſimilem aliæ non afferunt euacuationes, & euacuat de ſubſtantia ſpirituum rem plurimam:* ſed à viribus ſic reſolutis non poteſt ferri ſanguinis miſſio: ergo vel impeditur, vel ſaltem cohibetur magna ex parte.

§. III.

Solutio adhibetur primò adductis.

AD 1. Reſpondetur, quòd moderatus vſus poteſt eſſe vtilis pro ſanitate, immoderatus verò vires reſoluit, & impedire ſanguinis miſſionem valet.

Ad 2. Reſpondetur, quòd imperat poſt moderatum vſum, ex quo vires non potuerunt debilitari.

Ad 3. Reſpondetur, quòd quia ponitur inter res non naturales, ſi excedat, poteſt vires proſternere & ſanguinis miſſionem impedire; quia omnes res non naturales moderatum exigunt vſum, ne lædant.

RESOLVTIO IX.

Vtrùm ſanguinis miſſio poſſit impediri ex menſtruo ſanguine ſuperueniente?

§. I.

Pars negatiua proponitur, & fulcitur.

SAnguis menſtruus inter res non naturales cenſetur, & locum obtinet inter ea, quæ excernuntur, & retinentur, quæ ſi moderamine debito, vtilia ſunt, ſin minus, cauſæ morbificæ rationem habent: an ſuperueniens hæc euacuatio poſſit impedire aliquo modo ſanguinis miſſionem in dubium vertimus.

Et videtur quòd non: Primò, quia ſi menſtrua ſint ſuppreſſa, ne ex ſuppreſſis menſtruis fiant tumores in tibiis, ſanguinem mittere docet Gal. *lib.* 6 *de locis affectis, cap.* 5. §. *Quod ſi longiori tempore ſupprimantur menſtrua, nulla namque Medicus mulieri vacuationem promoueat, tumor aliquis præter naturam in tibiis interdum exoritur:* ergo menſtrua ſi ſuperueniant, non poſſunt impedire ſanguinis miſſionem, præcipuè ſi in pauca quantitate accidant.

Secundò: ſanguis menſtruus venenoſus eſt, naturæque virulentæ, vt docet Plinius *lib.* 2 *cap.* 15. & *lib.* 28. *cap.* 7. & tenet Columel. *lib.* 1 *de re ruſtica*: ergo dum ſuperuenit in morbis, potius valet coindicare ſanguinis miſſionem cum qua coadiuuaretur eius euacuatio, quàm valeat impedire illam.

Tertiò: inter ſanguinis euacuationes ſola menſtrua purgatio eſt ſecundùm naturam, vt docet Galen. *lib.* 2. *de cauſis ſympt. cap.* 1. Sed ea quæ ſunt ſecundùm naturam, ſolùm ſuæ conſeruationis indicationem præſtant: ergo nullam mittendi, aut non mittendi ſanguinem, poteſt præſtare indicationem menſtrua purgatio.

A §. II.

Quid ſentiendum præſtat?

REſoluendum: Quòd ſi menſtrua purgatio accidat pro quantitate cauſæ, nullam præſtat coindicationem prohibendi, vel exercendi ſanguinis miſſionem: ſin minus dum expulerat, impedit; dum diminuta eſt, coindicat ſanguinis miſſionem.

Probatur ex Galeno *lib.* 9. *Method. c.* 5. qui hanc ſanciuit doctrinam, §. *Itaque ſi tempore mittendi ſanguinem menſes mouere contigerit, ſiue etiam humor hoc ſit recluſa, ſi ſuſſicit fluentis impetu ipſe ſatis fore videbuntur,*
B *qui ſolus quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permittes; ſin minus tantum ipſe detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod poſtulas*: ergo ex Galeno ex impetu fluentis menſtrui ſanguinis cognoſcitur an nihil indicet, an coindicet, an contraindicet, ſanguinis miſſionem.

§. II.

Solutio adhibetur propoſitis rationibus.

AD 1. Reſpondetur: quòd ex ſuppreſſis menſtruis, & phlegmones, & varia ac grauiſſima ſymptomata, imò & mors plerumque ſuperueniunt, & tunc indicatur ſanguinis miſſio à vitio ſanguinis, à quo vel
C pendet, vel imminet morbus magnus: ſed ſi à morbo magno orto ex vitio ſanguinis manente intra venas indicatur ſanguinis miſſio, tunc dicimus, quòd ſi ſuperuenit ſanguis menſtruus, quòd modo dicto ſe habet ad prohibendum, aut indicandum ſanguinis miſſionem.

Ad 2. Similiter Reſpondetur, quòd aliud eſt quòd à vitio ſanguinis menſtrui indicetur ſanguinis miſſio, aliud verò quòd menſtrui euacuatio illius ſuperueniens dum ſanguinis miſſio eſt indicata ratione alicuius morbi, hæc poſſit coindicare, aut impedire ſanguinis miſſionem.

Ad 3. Reſpondetur; quòd ſanguinis menſtrui euacuatio
D dum naturalis eſt, indicat ſui conſeruationem, & nè impediatur; dum autem accidit cum morbo indicante ſanguinis miſſionem, permittit illam, aut coindicat modo dicto.

RESOLVTIO X.

Vtrùm refrigeratio impediat ſanguinis miſſionem?

§. I.

Statuitur difficultas: fulcitur pars negatiua.

REfrigerari corpus multipliciter contingit, vno modo in principiis acceſſionum ſine aliqua
E cauſa externa perfrigerante; ſed ſolùm quia ſanguis, & ſpiritus ad cor & viſcera retrahuntur: alio modo à cauſa externa frigefaciente nos, obturantéque ac denſante corporis poroſitates, ratione cuius tranſpiratio aëris, quæ per poroſitates trahitur ad attemperationem caloris influentis impeditur, & ſubſequitur plerumque ex hac perfrigeratione, vel ephemera, dum accenduntur ſpiritus; vel febris putrida humoralis, dum humores apti ſunt pati putredinem. Contingit etiam perfrigeratio à cauſa externa, quæ non ſolùm ſufficit cutem denſare; ſed ipſos humores, ac ſpiritus, vt dum aliquis diu in frigidiſſima aqua, aut in magna niuis copia demo-

ratur, & noſtrum extinguit, ac vincit calorem frigiditas. Vltimò tandem poſſunt dici perfrigerati illi, qui morbos patiuntur pendentes à frigidis humoribus, vt apparet in diſtillationibus, catharroſis affectibus, & aliis huiuſmodi morbis. Quòd autem refrigeratio abſolutè loquendo impediat venæ ſectionem promiſit noſter doctiſſimus Santa-Cruz *lib. de impedimentis magnorum auxiliorum. cap.* 20. Cuius placiti fundamentum videtur poſſe deſumi ex Galeno *lib. 5. methodi cap. 6. §. ſi vero nihil horum ſit; cæterùm hyems fuerit, regiove naturâ frigida, tum natura quoque hominis frigidior is, per ſanguinis miſſionem & totum corpus granter refrigeratur, & accidunt nonnulla, quæ ad grauem perducunt refrigerationem ſymptomata.* Probatur ex Auicenna *fen. 4. 1. cap. 20. §. Tibi quoque cauere debes à minutione in complexione fortis frigidi: &c.*

Secundò: Quia frigidi humores indigent maiori calore, quo coquantur: ſed ſanguinis miſſione cùm ſimul euacuentur ſpiritus, & ſanguis, à quibus fouetur calor, imminuitur, ac remiſſior fit calor concoctiuus: ergo in his non debet exerceri ſanguinis miſſio.

§. II.

Quid dicendum de frigiditate acceſſionum?

RESoluendum 1. quòd ratione frigoris acceſſionum impeditur ſanguinis miſſio: ſic tenet Santa Cruz citatus; & probat, Tum 1. Quia tempore frigoris nimis laborioſus eſt æger, tunc eo quòd ſuperaddatur noua cauſa, qua debilitentur vires. Tum 2. quia calor influens fugit ad interna in ſubſidium viuentis, & non debet ad externa violenter trahi. Tum 3. quia natura ſequeſtrat tunc humores inutiles ab vtilibus; & ideò non debet diuerti ab hac ſequeſtratione: ergò ſanguinis miſſio nullo modo tunc debet exerceri.

Probatur ſecundò ex Cornelio Celſo, qui in acceſſionibus ſanguinem mittere, ægrum eſſe iugulare, docuit: ergo tunc temporis nullomodò ſanguis eſt mittendus.

Probatur 3. quia in tempore frigoris, cùm natura ſit intenta in ſubueniendo cordi, & non coadiuuet ad ſanguinis extractionem, & cùm ſeparet inutile in partes ſentientes, extrahitur perfectior portio ſanguinis, quæ reperitur, ratione cuius natura debilitatur, & morbi cauſa non expellitur: ergo nullo modò ſanguis eſt mittendus.

§. III.

Quid in leui perfrigeratione dicendum?

RESoluendum 2. quòd in cutanea perfrigeratione non impeditur ſanguinis miſſio. Sic tenet E Valleſius *lib. 7. Controuerſiarum cap. 6.* Santa-Cruz *lib. 3 de impedimentis cap. 2. concl.* 1.

Probatur 1. Quia in refrigeratis ſola obturatione pororum nulla remanet frigiditas, cum febre ſuperueniente, iterùm attarentur; ſed cùm accenditur febris humoralis, datur morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis, quod eſt indicans ſanguinis miſſionis, vt diximus: ergo debet exerceri ſanguinis miſſio.

Probatur 2. Etiamſi ſola accendatur febris ephemera ex pororum denſitate, ob impeditam tranſpirationem diſponuntur humores, vt humoralis ſuperueniat febris: ergo adhuc præcautionis cauſa debet ſanguis mitti.

A §. IV.

In interna perfrigeratione quid agendum?

RESoluendum 3. quòd in perfrigeratione interna, quæ & ſpiritus, & humores valuit perfrigerare, lethalis eſt ſanguinis miſſio, ſic Authores citati pro antecedenti concluſione, & patet ex fundamentis pro ratione dubitandi propoſitis.

Ratio enim fundamentalis eſt: quia cùm extinctus ſit partium calor, ſicut & calor ſpirituum, & ſanguinis, à quo calor natiuus deberet foueri, & humorum coadiuuari coctio, eo ipſo, quòd euacuetur ſanguis, & B cum illo ſpiritus, omninò vincitur natiuus calor, & ſuccumbens frigiditati, omninò impeditis coctionibus, neceſſe eſt animal perire.

§. V.

Quid dicendum de morbis ortis ex frigidis humoribus?

RESoluendum 4. quòd in morbis ortis, aut occaſionaliter, aut per ſe ab humoribus frigidis, ſi morbi ſint magni, & pendeant à ſanguine, vel ab his humoribus ſanguini commixtis, non impeditur ſanguinis miſſio: hanc doctrinam ſtabilire contendit Zacutus C *lib. 1. de Medicor. Princip. hiſtor. 8. dub. 3.* licèt ſatis confusè ſe expediat à difficultate; ipſeque pro ſe adducit Paulum *lib. 3. cap.* 31. Aëtium *tetrab. 2. ſermon. 4. cap. 62.* Trallian. *lib. 7. cap. 1.* Lelium *lib. 2. tardarum paſſionum cap.* 12. Raſium *l. 9. continent. tr. 9. cap.* 2. Auicennam *fen.* 10. 3 *tr. 3. c.* 4. & *fen. 4. 1. c.* 20. Dioſcoridem *lib. 6. cap.* 3. Paulum *lib. 5. c.* 66.

Probatur primò, quia ſanguinis miſſio indicatur ex morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, ſiue vitium ſit in ſanguine in quantitate, qualitate, aut motu, vt probauimus; ſiue ſit in humore adintegrante maſſam ſanguinariam, qui ſit ſanguini commixtus; vt patet ex dictis Sect. de indicante ſanguinis miſſionis: ergo ab his poteſt indicari ſanguinis miſſio.

Probatur ſecundò in hydrope, ſeu leucophlegmatia, quæ fit ex redundantia ſuccorum crudorum, ſi ſanguini commixti ſint, ſanguinem mittere conſulunt D doctiores Practici non obſtante crudorum humorum copiâ, ex qua dependet morbus: ergo crudorum humorum copia, à qua fit morbus non impedit ſanguinis miſſionem.

Probatur 3. Si fiat à crudis, ac ſalſuginoſis humoribus fluentibus in partem, vlcus, aut inflammatio, vel hæmoptica paſſio, ſanguinem mitti docet Galenus, & doctiores Practici, etiamſi occaſio morbi ſit crudorum humorum copia: ergo ratione humorum crudorum non impeditur ſanguinis miſſio. Probatur 4. ex Gal. *lib. 4. de ſanitate tuenda.*

§. VI.

Quid dicendum rationibus dubitandi?

AD authoritates, & dubitandi rationem primò adductas Reſpondetur, quòd ex illis ſolùm probatur reſolutio adducta §. 4. in qua ſanciuimus lethale eſſe ſanguinem mittere in refrigeratis, in quibus humores, ſpiritus, viſceraque nimia frigiditate ſunt alterata, & eorum calor eſt deuictus.

Resolvtio XI.

Vtrùm fœtus in vtero impediat ſanguinis miſſionem?

§. I.

Antiquorum opinio proponitur.

VTero gerentes medicandas eſſe à quarto ad ſeptimum, maximéque turgente materia, ſanciuit Hippocrates: ſed quòd in illis ſit ſanguis mittendus, nullibi protulit, imo ex illo, & ex Galeno contrarium videtur ſancitum eſſe: pro negatiua enim parte ſtat Primò Hippocrates *lib. 5. Aphoriſm. 31. Mulier* (inquit) *vtero gerens ſanguine miſſo ex vena abortit, & præcipuè ſi fœtus ſit grandior.* cui doctrinæ aſſentitur Galenus *in commentario*: ergo fœtus in vtero omninò impedit ſanguinis miſſionem.

Secundò, Auicenna agens de cauſis abortus, inter ipſas ponit ſanguinis miſſionem; præcipuè in iouenibus: ergo fœtus in vtero impedit ſanguinis miſſionem.

Tertiò, defectus alimenti pro puero eſt cauſa abortus; ſed per ſanguinis miſſionem extrahitur ſanguis, qui eſt fœtus alimentum: ergo ſanguinis miſſio impeditur ratione fœtus.

§. II.

Cornelij, & Claſſicorum Authorum opinio poſt ipſum ſancitur.

REſoluendum, quòd fœtus in vtero metitur quantitatem, non tamen impedit ſanguinis miſſionem. Sic tenet Cornelius Celſus *lib. 2 c. 10.* Auerroës *lib. 7. collig. c. 4.* tenent Mercurialis Valleſius, Hollerius, & reliqui Commentatores ad *lib. 5. Aphoriſm. ſententia 31.* tenet Rodericus de Caſtro *lib. 3. de morbis mulierum.* Mercatus, Varandæus, & reliqui, qui in *lib. Ginetiorum* de hac materia pertractant; tenet Vaſquez in *quæſtionibus practicis q. vnica de vtero gerentibus*, tenet Horatius Augenius *lib 6. de miſſione ſanguinis c. 2.*

Probatur 1. ex Cornelio Celſo loco iam citato, *§. Antiqui primam, vltimamque ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilij genus iudicabant, perſuaſerantque ſibi mulierem grauidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam. Poſtea vero vſus oſtendit nihil ex his perpetuum, aliaſque potiores obſeruationes eſſe adhibendas, ad quas dirigi curantis conſilium debeat; intereſt enim non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſunt, firmus puer, & robuſtus ſenex, & grauida mulier valens tutò curantur*: ergo fœtus non impedit ſanguinis miſſionem.

Probatur 2. ſanguinis miſſio debet exerceri ex Galeni doctrina, dum adeſt præſentia poſtulantium, & abſentia impedire valentium: ſed in grauida muliere poteſt eſſe morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, & abſentia impedire valentium, quia poteſt accidere cum virium tolerantia, & ſufficiente plenitudine, vt non obſtante ſanguinis miſſione, remaneat ſufficiens copia pro alendis matre, & fœtu: ergo tunc ratione fœtus non impeditur quominus exerceatur ſanguinis miſſio.

Probatur 3. Tum quia Medicus eſt imitator naturæ rectè operantis, ipſa autem rectè operans in grauidis plerumque hæmorrhagia, vel aliis ſanguinis eruptionibus fœtum, & matrem liberat à magnis præſentibus, & imminentibus morbis. Tum quia

A Hippocrates, ſi indicata eſt purgatio in grauidis, ipſam permittit: debet ergo permitti ſanguinis miſſio, quæ ſecurior eſt, cùm minus commoueat fœtum, & humores impellat ad vterum. Tum quia, vt inquit Celſus, & obſeruauerunt Moderniores, euentu eſt comprobatum plures vtero gerentes à lethalibus morbis eſſe liberatas, & eorum fœtus, ſola ſanguinis miſſione; ergò fœtus in vtero non impedit ſanguinis miſſionem, licèt valeat metiri quantitatem, ne deficiat copia pro fœtu neceſſaria.

§. III.

B *Soluuntur fundamenta ex Hippocrate deſumpta.*

AD 1. Reſpondetur. Quòd Hippocrates, neque illius aſſecla Galenus non intendunt docere ſanguinem nunquam eſſe mittendum in grauidis, ſed non eſſe mittendum in tanta quantitate, in quanta permittebant antiqui, ſed moderandam eſſe quantitatem, ne deficiat copia ſanguinis neceſſaria pro fœtu alendo.

Ad 2. Reſpondetur, quòd Auicenna non ponit inter cauſas abortus ſanguinis miſſionem vtcunque, ſed immoderatam, ratione cuius aufertur quantitas, quæ erat neceſſaria pro alendo fœtu.

C Ad 3. Reſpondetur, quòd nos etiam fatemur metiendam eſſe quantitatem, nec tantam eſſe euacuandam, quantam euacuabant antiqui, nec quanta requiritur pro fœtus alimonia: & Rodericus de Caſtro pro mittendo ſanguine in grauidis obſeruandum docet; quòd ſanguinis miſſio ſit parca, quod vmbilico applicentur aliqua roborantia, & nutrientia, quod fiat in Conſulentium conſenſu, & dum timetur matris, & fœtus periculum ex morbo, ratione cuius indicatur; & tandem quòd fiat non ex baſilica, nec ex pede, ſed ex humeraria, aut, ſi vrgeat neceſſitas, ex vena communi.

Resolvtio XII.

D Vtrùm venæ ſectio poſſit in prægnante fieri ex baſilica?

§. I.

Vaſquez & Roderici de Caſtro ponitur opinio.

ROdericus de Caſtro, vt patet ex nuper dictis *lib. 3. de morbis mulierum capite 2.* Vaſquez in *quæſtionibus practicis quæſtione vnica*, de vtero gerentibus, tenent ſanguinem non eſſe mittendum ex vena E baſilica, ne abortus ſubſequatur, ſed vel ex vena humeraria, vel, ſi neceſſitas vrgeat, ex vena communi: quibus fauet,

Primò: Quia ſectâ baſilicâ, citiùs partes vtero gerentes, & fœturæ inaniuntur: ergo baſilica non eſt ſecanda; quia ideò Hippocrates, & Galenus docent prouenire abortum, ſanguine miſſo, in vtero gerentibus. Probatur antecedens, quia per baſilicam à iecore, & à partibus internis magis ſanguis euacuatur.

Secundò, per illam venam magis euacuamus de ſanguine ex quo fœtus debet nutriri, per quam euacuamus ſanguinem, ex quo alimoniam puer aſſumit: ſed puer ſanguinem, aſſumit pro ſui alimonia ex iecore, & ex venis proximè à iecore ortis, cum quibus

bus baſilica magis communicat: ergo hæc non eſt ſecanda. A

Tertiò: vena ſuperior brachij euacuat à capite, & vena communis à capite, & partibus ſuperioribus, baſilica verò à iecore, & à toto trunco corporis, in quo ſanguis pro fœtu alendo continetur: ergo ſanguinis miſſio ex baſilica non eſt facienda.

§. II.

Nuga Roderici de Caſtro, Vaſquez & omnium ferè Dogmaticorum propellitur aſſenſus.

B Reſoluendum: Quòd communis opinio omnium ferè Dogmaticorum, qui tenent venam humerariam, & communem, ab aliis diſtantioribus partibus attrahere, quàm baſilicam, eſſe figmentum ex anatomes ignorantia ortum. Sic *lib. de curandis febribus* decreuimus cum Sanctorio *lib. de vitandis erroribus* 3. c. 16. vbi demonſtrat hanc doctrinam ex anatome, qua conſtat venam cauam aſcendentem egredi à iecore, aſcendere ad communem cauitatem, deinde ad iugulum, & à iugulo ad flexuram brachij deſcendere, ibique partiri in baſilicam & humerariam, & ab vna in alteram mediam, ſeu communem venam ingeri, ex quo apparet quamlibet harum paulò ſupra flexuram brachij candem eſſe venam, & hinc oriri ab humeraria, humerariam C ab aſcendente caua per vertebras à iecore ſanguinem attrahente: ergo ſiue ſanguinem mittimus à vena baſilica, ſiue à communi, ſiue ab humeraria, idem ſanguis à vena vnica à iugulo deſcendente trahitur, & iugularis vena trahit à vena caua aſcendente, & à iecore, cum æquali diſtantia, ſiue ab vno, ſiue ab alio fiat brachio, & ſiue ab vna, ſiue ab alia fiat vena brachij.

§. III.

Soluuntur primò adducta rationes.

Ad 1. Reſpondetur: quòd patet ex fundamentali ratione æquè omnes tres venas diſtare à iecore, & æquè ab illo attrahere.

D Ad 2. Reſpondetur: quòd fœtus per venas tendentes ad vterum alimoniam recipit per venam cauam deſcendentem à iecore ad illas delatam; venæ verò brachij ſunt rami à iugulari orti, & iugularis à vena caua aſcendente, quæ à iecore ad iugularem ſanguinem trahit, & iugularis in brachium tendit, & ſanguinem ſecum ducit.

Ad 3. Reſpondetur: quòd patet ex dictis qualiter tres venæ brachij ſanguinem recipiant à iecore per venam cauam aſcendentem, & ex ſanguinis circulatione conuincitur magis.

E

Resolvtio XIII.

Vtrùm ex pede poſſit in prægnantibus ſanguis mitti?

§. I.

Status difficultatis proponitur, & fulcitur pars negatiua.

Nouam hanc litem nouiter in examen adduxit Zacutus *lib. 1. de hiſtor. Principum medicorum quæſt.* 21. licèt ante ipſum Tamayus Hiſpalenſis Apologiam circa hanc difficultatem ediderit, non agendo de omni morbo petente ſanguinis miſſionem in A prægnantibus, de quo ſupra determinaui ſanguinis miſſionem eſſe exercendam ex brachio, & poſſe ex qualibet illius vena fieri, non autem ex talo, quia aborſus periculum prohibet illam; ſed an ſit aliquis caſus, quo fieri debeat ex talo, vt ſi grauida mulier patiatur epilepſiam ortam ex conſenſu vteri per vapores eleuatos ab illo, ratione ſanguinis putridi, venenosive in illo retenti, vel ratione alicuius inflammationis in eius ore, vel corpore ſuperuenientis.

Pro parte negatiua videntur ſtare Paulus *lib. 3. c.* 15. Iachinus *in lib. 9. ad Almanzorem* 14. Auicenna *fen.* 21. 3. *tract.* 5. *c.* 8. Iacotius *ſent.* 24. *ſect.* 2. *lib.* 4. *Coacarum.* B Mercatus *lib. 1. de morb. mulier. de vteri morbo cap.* 2. ibidem Rodericus de Caſtro, qui pro Epilepſia in prægnantibus ſanguinem nunquam audent mittere: quæ doctrina ſuadetur,

Primò: quia nulli gentium fas eſt corrumpere fœtum, vt docuit Ariſtoteles *l. 7. Politicorum c.* 16. §. *Nam poſtquam concepti ſunt, & ſenſum & viſum acceperunt, nefas eſt attingere eos.* Sed, ſectâ venâ in talo, ſequitur aborſus: ergo nunquam eſt exercenda.

Secundò: ſanguine per talum extracto, aufertur ſanguis, qui in vena caua deſcendente continetur, vt ſit fœtui alimentum, quo deficiente, neceſſe eſt fœtum perire, vt docet Hippocrates, & Galenus *lib.* 5. *Aphoriſmor.* 31. Sed quouis prætextu fœtum interi- C mere, aborſúmve cauſare inuiſum & deteſtandum eſt: ergo ſanguis nullo in morbo ex talo in mulieribus prægnantibus eſt mittendus. Probatur minor, Tum ex Hippocrate in iureiurando, vbi iurauit ſe aborſum nunquam feciſſe: Tum idem decreuit Galenus *lib An fœtus in vtero contineatur*: Tum quia Sixtus V. proprio motu hoc delictum prohibuit: Tum quia Couarruuias, Syluester, Nauarrus, Iacobus de Graſſis tanquam homicidas plectendos iudicant eos, qui aborſum cauſant: ergo nullo prætextu aborſus eſt cauſandus.

Tertiò: Sectâ venâ ex talo, non ſolùm euacuatur ſanguis, qui in vena caua deſcendente continetur pro alimento fœtus: ſed qui in vtero clauditur, commouetur, vt apparet dum in menſtruis, aut lotiis retentis in vtero ſanguinem mittimus; tunc enim ſanguine D miſſo ex talo euacuantur, ſed ſimul commouetur, & euocatur quidquid continetur in vtero, ſiue fœtus, ſiue ea, in quibus fœtus continetur: ergo nunquam ſanguinis miſſio ex talo in grauidis poteſt eſſe vtilis.

§. II.

Zacuti amplector doctrinam.

Reſoluendum, quòd ſi lethalis epilepſia, morbúſve alius periculoſus ex conſenſu vteri ſuperueniat, ſanguis ex talo eſt mittendus in grauidis: ſic tenet Zacutus *loco citato*.

E Probatur 1. Dum morbus in aliqua corporis parte pendet, & fouetur ab vteri inflammatione, vel fouetur ab humoribus corruptis in vtero, conuenit pro eius curatione ſanguinis miſſio ex talo; ergo ſi ſuperueniat Epilepſia in prægnante, ob vapores commotos ex humoribus redundantibus in vtero, vel eius inflammatione, ſanguinis miſſio ex talo debet fieri. Probatur Antecedens ex Hippocrate 2. *epidem. ſect.* 4. dicente ſic: *Eſtimargi famula Idumææ vbi peperiſſet filiam, vteri oſculum contortum eſt, & inter coxendicem, & crus dolor deſcendit, hac talo vena ſecta liberata eſt, quamuis tremores vniuerſum corpus detinerent.*

Dices: Quòd ex Hippocrate ſolùm infertur, quòd non

non grauidæ debeant ex talo phlebotomari, dum patitur vterus, non autem quòd vtero gerentes ſimiliter curari debeant.

Contra: Ratio, quare in non grauidis debet fieri ſanguinis miſſio ex talo, eſt, quia morbi pendentes ab vtero petunt curari deueniendo ad euacuationem cauſæ, & reuellendo ad ſuum principium proximam cauſam morbi; ſuperaddit enim hanc cauſam Hippocrates, dicens: *Sed ad cauſam deueniendum, & cauſa principium:* ſed in vtero gerentibus pro morbi curatione eadem currit ratio: ergo ſanguinis miſſio ſimili modo eſt exercenda.

Probatur 2. ſi epilepſia, lethaliſve morbus ex infernis partibus, vel ex vtero originem habeat, ex infernis partibus petit reuulſionem: ergo ſic indicata ſanguinis miſſione, ex infernis partibus adhuc in prægnantibus eſt facienda. Probatur antecedens, Tum ex Galeno *lib. 3. de locis affectis cap. 7.* qui curari docuit puerum epilepticum per auram à partibus infernis aſcendentem, cum ſynapi, & tapſiæ applicatione, & ligatura ſupra crus. Tum ex Alexandro Tralliano *lib. 1. cap. 15. Si autem neque ſtomachus, neque caput morbi habeat originem, conſidera, num ex alia quadam particula ſumat initium. Nam alij à ſuperiore pedis parte, qua Tarſos Græcè dicitur; alij a tibia; alij ex alia particula morbi acceſſionem ſentire viſa ſunt, & ſi tale conſpectum fuerit, etiam illi potiſſimum parti proſpicito, & totam ei curationem adhibeto.* Tum idem docetur ab Aetio *lib. 2. ſerm. 2. c. 18.* Tum ex Paulo idem habetur *lib. 3. cap. 13.* & tenet Raſis 9. *ad Almanſorem capite 8. § locus à quo oritur paſſio &c.* Cuius doctrinam firmat Arculanus dicens: *Quod vbi ex vtero talis morbus comitialis dimanat, oportet vt materia ex vtero tradicetur, prouocando menſtrua cum phlebotomia ſaphenarum.*

Dices; doctrinam eſſe admittendam de epilepticis, quæ vtero non geſtant; ſed nullus Claſſicus Author affirmat ex talo ſanguinem eſſe mittendum in vtero gerentibus, in quibus ſuperueniet neceſſariò abortus.

Sed contrà ſtat in primis experientia, quæ ab aliquibus, vt dicetur, obſeruata fuit docens, miſſo ſanguine, abortum non ſequi. Tum quòd Princeps Arabicæ familiæ Auicenna *fen. 1. 3. tract. 5. c. 8.* in grauidis admittens vtilem eſſe pro curatione epilepſiæ ſanguinem ab vtero extractum, inquit enim: *Et ſimiliter aduenit mulieri prægnanti epilepſia in impregnatione, cumque deponit, & euacuat materiam menſtrualem, remouetur illud.*

Probatur 3. Dum lethalis morbus cauſatur per hoc, quòd cauſa illius ab aliqua parte ruit in partem principem, curatio debet fieri per euacuationem reuulſoriam reuellentem illam materiam ad originem, à qua fit fluxus illius, ſed epilepſia in prægnante orta ex vteri conſenſu, eſt morbus lethalis, ſeu ſymptoma ortum ex lethali morbo pendente à cauſa ruente ab vtero; ergo illius curatio debet perfici ſanguine miſſo ex talo. Probatur maior, Tum ex Hippocrate *lib. 6. epidem. § Reuellere ſi quò non oportet, vergant: ſin autem, quò oportet aperire, vel quacunque.* Tum ex eodem *libro Aphoriſmorum 10. § Quò natura vergit, eo ducere oportet per conuenientem regionem.*

Probatur 4. Si lethalis iudicetur epilepſia per conſenſum ab vtero orta, ratione cuius eſt indicata ſanguinis miſſio in vtero gerente, hæc exercenda eſt, ne ſimul pereat fœtus cum matre: ſed non à partibus ſupernis: ergo ex infernis partibus. Probatur minor, Tum quia ſanguine miſſo à brachio, potentius ab vtero in partes ſuperiores moueretur epilepſiæ cauſa. Tum quia nihil per illam poſſet auferri de eo, quod in vtero cauſam præſtat pro epilepſia. Tum quia ex Hippocrate ad principium eſt reuellenda cauſa, quæ ruit in partem principem, non autem ad partem principem. Tum quia debilitarentur vires, & cùm nihil remoueretur, nec reuelleretur de cauſa, facilius vires cederent morbo. ergo non debet exerceri ex brachio huiuſmodi ſanguinis miſſio.

Probatur 5. Si propter aliquam rationem, exigente miſſionem ſanguinis cauſa, a qua epilepſia fouetur in vtero prægnantis, phlebotomia non eſſet exercenda, maximè quia imminet periculum abortus: ſed hæc non obſtat: ergo eſt exercenda in vtero gerente. Probatur minor, Tum quia Cornelius Celſus *lib. 2. c. 10.* non ſequi in grauidis ob phlebotomiam abortum ſemper, ſic fatetur: *§ Non dubitandum in grauidis conſtantibus viribus, ſanguinem exhaurire, quoniam vſus oſtendit non eſſe perpetuum, grauidam phlebotomia curatam abortum eſſe facturam.* Tum quia, vt obſeruauit Zacutus, & ego bis ſum expertus, plures vtero gerentes correptæ epilepſia per conſenſum ab vtero curatæ ſunt ſine abortu, ſanguine miſſo ex pede. Tum quia ſi ſanguine miſſo ex brachio, neceſſariò perit vtero gerens, & fœtus, vt obſeruauit Zacutus, ſecurius eſt ſaltem pro vita matris dimicare, præcipuè cum eo remedio, cum quo ſæpius docuit experientia poſſe vtrumque liberari. Tum quia Gradius *conſil. 77.* Magninus *lib. 2. de regimine prægnantium,* Rondeletius *cap. de Epilepſia grauidarum*; dum aliter vita matris ſeruari non poteſt, conſulunt phlebotomari ex pede.

§. III.

Soluuntur fundamenta ex antiquorum doctrinis deducta.

AD 1. Reſpondetur, quòd omnes hi Authores dum leuis eſt epilepſia, aut morbus ab vteri conſenſu ortus, ratione fœtus renuunt ex pede ſanguinem mittere, neque ideò phlebotomiam conſulunt; vtero gerente periclitante, non renuerent pro vita vtriuſque, vel ſolius matris illam exercere, vt ex Paulo etiam deduximus. Ad primum quoque fundamentum dicimus, quòd non ſemper ſequitur abortus ex ſectâ venâ in pede, & quòd Medicus non intendit ſanguine miſſo ex pede abortum in hoc caſu, ſed fœtum & matrem liberare ab imminente periculo vitæ, quod ſine hoc remedio conſequi non poteſt.

Ad 2. Reſpondetur, quòd dum redundat ſanguis, remanet ſufficiens quantitas pro fœtus nutritione, & ſic docet experientia, non neceſſariò perire fœtum; & licèt pereat, ſanguis debet mitti pro vita matris, ſine qua vterque periret; vtrumque enim liberare conatur Medicus, non autem fœtum perdere: & ideo nec Hippocrates, nec Sixtus V. nec Canonicæ ſanctiones aliquid contra illum decreuêre, ſed tantùm aduerſus eos qui voluntariè conantur abortum ob alios deteſtandos fines.

Ad 3. Reſpondetur, quòd ſectâ venâ ex talo non neceſſariò commouetur fœtus, plurimas enim ſcimus fœminas tentantes abortum ſanguine miſſo ex pede, illum non eſſe conſequutas: reliqui verò venenoſi humores à quibus aura eleuatur, vel fouetur cauſa epilepſiæ, etiam ſi euacuentur, potiùs afferunt vtilitatem pro fœtu & pro matre conſeruandis.

Resolvtio XIV.

Vtrùm in prægnantibus ob vitandum aborſum liceat ſanguinem mittere?

§. I.

Proponitur ſtatus difficultatis; fulcitur pars negatiua.

ABorſus imperfecti, & ante maturitatis tempus eſt fœtus exclusio: hæc fit ab externis, vel internis cauſis: externæ aliæ ad corpus, aliæ ad animum pertinent: internæ ſunt fœtus mortuus, vitioſa fœtua moles, flatus, tumor aut vlcus ſuperueniens vtero, gracilitas, aut craſſitudo ventris, aut locij nimiæ aut deprauatæ actiones, humorum defectus, vitiúmve in Quanto, ratione cuius ſuffocatur fœtus; vel in quali, ratione cuius ineptus fit ſanguis pro alimonia; & hoc vitium in Quali, aut accidit ratione humorum ſanguini commixtorum, aut ratione eorum prout ſunt ſeparati à commixtione ſanguinis, & valent fœtum alterare, ſanguinem conſpurcare, & fœtum interimere. In nulla harum cauſarum, habita diſtinctione, contendunt plures, ſanguinem nunquam eſſe mittendum pro vitando aborſu.

Primò, illud quod per ſe eſt cauſa aborſus, non poteſt eſſe remedium præſeruatiuum illius: ſed ſanguinis miſſio eſt cauſa per ſe aborſus, vt docet Hippocrates *l. 5. Aphoriſmor ſentent.* 36. ergo ſanguinis miſſio non poteſt eſſe remedium, quo præſeruetur aborſus.

Secundò: defectus alimenti eſt cauſa aborſus: ſed per ſanguinis miſſionem fit defectus alimenti in fœtu, cum euacuetur ſanguis, quo debet nutriri: ergo per ſanguinis miſſionem potiùs fit abortus, quam impeditur.

Tertiò: exiſtentibus in ventriculo crudis humoribus, numquam debet exerceri ſanguinis miſſio, quia impedit eius* exercitationem, vt probauimus: ſed in prægnantibus ſemper vitioſi, & crudi humores redundant in ventriculo: ergo nunquam pro fœtu præſeruando poteſt exerceri ſanguinis miſſio.

Quartò: nullus ex principibus medicinæ auſus eſt hoc exercere remedium, nec illud exercendum conſuluit: ergo nunquam hoc remedium pro fœtus præſeruatione eſt adminiſtrandum.

Quintò ſuperaddo: ſanguis ſuperabundans in vtero ſanguine ex brachiis miſſo, euacuari non poteſt: ſed ſi deberet exerceri ſanguinis miſſio pro fœtus præſeruatione, deberet fieri ex brachio: ergo nunquam pro præſeruatione poteſt eſſe vtilis.

§. II.

Quid ſentiendum de cauſis abortum facientibus ſine humorum occurſu.

REſoluendum 1. quòd ſi abortus cauſatur ab externis cauſis, ſiue corpus, ſiue animum afficientibus, vel ab internis ſine humorum occurſu operantibus, ſanguinis miſſio non præſeruat ab abortu.

Probatur: ſanguinis miſſio præſeruat ab abortu, quando per illam poteſt euacuari cauſa, à qua abortus timetur: ſed dum abortus fit à cauſis operantibus abortum ſine humorum occurſu, non euacuatur per ſanguinis miſſionem cauſa, à qua timetur: ergo

A non poteſt ſanguinis miſſio tunc ab abortu præſeruare.

§. III.

Soluitur ex communi Practicorum Claſſicorum aſſenſu difficultas.

REſoluendum 2. quòd dum abortus timetur propter vitium ſanguinis, ſiue ſua quantitate grauando, aut ſuffocando; ſiue quia viciatus impedit fœtus nutritionem; ſiue quia ſuo impetu poteſt violento incurſu fœtum interimere, ſanguinis miſſio eſt remedium, quod præſeruat ab abortu: ſic meo videri voluerunt intelligendi Augenius *lib. 6. de ſanguinis miſſione.* Petrus Salius Diuerſus *lib. de morbis parti-*
B *cularibus capite* 22. Lazarus Riuerius *tom.* 2. *practica lib.* 7. *capite* 16. Amatus Luſitanus *curat.* 57. *sect.* 5. Rodericus de Caſtro *lib.* 3. *de morb. mulier. cap.* 21. Zacutus, & alij, qui exemplis ac obſeruationibus contendunt probare ſanguinis miſſionem plures ab aborſu liberaſſe.

Probatur ratione: abortus debet præcaueri per ablationem cauſæ, ex qua timetur: ſed plerumque timetur ob occurſum ſanguinis valentis ſua quantitate fœtum opprimere, vel ob ſui vitium pro alimonia non ſufficere, vel ob ſui motum in vterum ruere: ergo ad aborſum vitandum debet ſanguinis miſſio exerceri.

C Probatur 2. ſanguinis miſſio eſt remedium euacuatorium, ſimúlque eſt reuulſorium, vt patet ex ſupradictis: ergo ſi aborſus timetur ob copiam, aut motum ſanguinis in vterum fluentis, ſanguinis miſſio debet exerceri, euacuationis & reuulſionis causâ, ad ipſum vitandum.

Probatur 3. Si ſanguis redditur inutilis pro fœtus alimonia & valens fœtum alterare ob præternaturales humores ſanguini commixtos, tentanda eſt eius euacuatio, ne fœtus pereat: ſed non per purgationem, quæ numquam eſt indicata ab humore ſanguini commixto, vt manet demonſtratum: ergo per ſanguinis miſſionem abortus eſt vitandus.

D Probatur 4. ſi in febre pendente ex ſanguine, vel aliis humoribus ſanguini commixtis, nullo alio remedio ſecuriùs poteſt euitari abortus, quàm curatione febris, ratione cuius timetur: febris autem per ſanguinis miſſionem petit curari, vt patet ex dictis: ergo ſanguinis miſſio eſt remedium præſeruatorium abortus.

§. IV.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD 1. Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio non eſt per ſe cauſa abortus, ſed per accidens, quatenus aufert alimentum, ſine quo fœtus non poteſt conſeruari: & quia poteſt fieri relinquendo ſufficien-
E tem ſanguinis copiam pro fœtu alendo: ideò poteſt eſſe tunc remedium quatenus aufert, quod vt redundans poſſet fœtum interimere.

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſi ſanguis ſit in magna quantitate, per ablationem eius quod redundat, non aufertur id, quo fœtus debet nutriri.

Ad 3. Reſpondetur, quòd licèt plerumque in prægnantibus, præcipuè in primis menſibus in ventriculo redundent crudi humores; hoc neque eſt perpetuum in omnibus menſibus, nec in omni vtero gerente, nec in eis, in quibus ſunt, valent ſemper impedire ob nimiam copiam.

Ad 4. Reſpondetur, quòd Cornelius Celſus, admittit ſanguinem mittendum in prægnantibus, ſiue

ratione

A ratione illarum, ſiue ratione fœtus, nec reliqui diſſentiunt, licèt non conſulant, ne nimis audaces Medici ſanguinis miſſione vtantur in prægnantibus vltra modum, ſiue ratione illarum, ſiue ratioṅe fœtus.

Ad 5. Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio non exercetur ad euacuandum ſanguinem in vtero occluſum, ſed ad euacuandum ſanguinem in vaſis maioribus exiſtentem, & ſimul ad reuellendum fluentem: intendimus enim per ſanguinis miſſionem euacuare cauſam antecedentem, & reuellere fluentem.

B

SECTIO VII.

De Sanguinis miſſione in febribus.

PRæ aliis morbis febris communior eſt, & pro cuius curatione frequentius ſanguinis miſſio ſolet exerceri; & ideò qualiter ab omni febre poſſit ſanguinis miſſio indicari ſub hac Sectione complectemur.

C

Resolvtio I.

Vtrùm in omni febre diaria liceat ſanguinem mittere?

§. I.

Pars ſuadetur affirmatiua.

QVòd in omni febre diaria ſit indicata ſanguinis miſſio, videtur ſuaderi 1. Quia in febre ephemera ex oplatione ſanguinem eſſe mittendum docet D Trallianus *lib. 2. c. 1.* proponens huius febris curationem §. *Si autem copia peperit, ante omnia ſanè per ſanguinis miſſionem euacuatio tentanda eſt.* Nec diſſentit Aëtius *Tetrabili 2. cap. 69.* §. *Si igitur puer, aut ſenex fuerit ægrotus, venam ſecare non expedit, in mediis autem ætatibus, robore præſente, ægroto vena ſecetur.* & Auicenna *fen. 1. lib. 4. tr. 1. cap. 35.* in febre ephemera ex cruditate ſanguinis miſſionem in declinatione conſulit, dicens: *Et iter quidem ad phlebotomiam eſt, vt non fiat ea donec declinet, tunc enim fiat.* Et *fen. 13. lib. 3. tr. 5. cap. 12.* idem conſulit dicens: *Et multoties quidem alleuiantur nauſea & vomitus per phlebotomiam*: & in febre diaria ex cutis denſitate, refrigeratione ve ſanguinem mittendum diximus; ergo in febribus Ephemeris indicatur ſanguinis miſſio.

Secundò: ſanguinis miſſio eſt remedium refrigeratorium, vt communis fert opinio Dogmaticorum; ſed E à febre Ephemera, cùm conſiſtat in præternaturali calore, indicatur remedium refrigeratorium: ergo ab omni febre ephemera indicatur ſanguinis miſſio, prout refrigeratorium eſt remedium.

Tertiò, à calore febris ephemeræ humores alterantur, & diſponuntur, vt poſſint cauſare morbum magnum ſeu febrem humoralem: ſed à morbo magno pendente à vitio ſanguinis indicatur ſanguinis miſſio; ergo ratione febris ephemeræ, à qua cauſari poteſt hic morbus magnus, poteſt ſanguinis miſſio indicari.

Quartò: febris orta ex bubone eſt febris ephemera, vt diximus; ſed ab illa indicatur ſanguinis miſſio, vt communior fert opinio: ergo à febre ephemera indicatur ſanguinis miſſio.

§. II.

Communis Dogmaticorum præfertur doctrina.

REſoluendum: Quòd febris diaria, quæ natura eſt talis, nunquam per ſe indicat ſanguinis miſſionem.

Probatur ratione fundamentali; ſanguinis miſſionis indicans per ſe eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, vt probauimus: ſed febris ephemera non eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis, cùm potiùs dicatur talis, quia pendet ex ſpiritibus: ergo nunquam indicat per ſe ſanguinis miſſionem.

Probatur 2. ſanguinis miſſio eſt remedium euacuatorium cauſæ, à qua pendet morbus: ſed per illam euacuantur à venis humores & ſpiritus in eis contenti, non autem illi qui ſunt intra arterias, à quibus febris diaria pendet: ergo ſanguinis miſſio non deſeruit pro diariæ curatione.

§. III.

Rationes primò adductæ ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur: quòd Trallianus conſulit ſanguinis miſſionem in diaria orta ratione plenitudinis impedientis attemperationem, non quia indicatur ab ephemera, ſed à cauſa procatartica, à qua illa pendet; & ratione cuius imminet morbus magnus à vitio ſanguinis oriundus: & hac eadem ratione Aëtius idem conſulit. Auicenna verò in fine febris ortæ ex cruditate, ne in putridam tranſeat, ſanguinis miſſionem conſulit, ſumpta indicatione à morbo magno, qui imminet in vitio ſanguinis: & idem cogit nos ad ſanguinem mittendum in ephemera orta in refrigeratis, quæ minatur putridam humoralem, à qua indicatur ſanguinis miſſio.

Ad 2. Reſpondetur: quòd ſanguinis miſſio dicitur remedium refrigeratorium reſpectu febris humoralis, non per ſe, ſed per accidens, auferendo cauſam; non autem reſpectu diariæ, cuius cauſam non euacuat.

Ad 3. Reſpondetur, quòd ſi aliquando humores ab ephemera alterantur, & fiunt proxima cauſa, vt ex illis fiat morbus magnus, ab his per ſe indicatur ſanguinis miſſio, non autem ab ephemera, quæ ſolum ſe habet vt cauſa procatartica: ſicut inſolatio, aut alia ſimilis, à qua ſanguinis miſſio non dicitur indicari.

Ad 4. Reſpondetur, quòd febris orta ex bubone, licèt analogicè dicatur ephemera, propriè eſt humoralis, quia fit à vitio ſanguinis; & ideò indicat ſanguinis miſſionem.

Resolvtio II.

Vtrùm à febre hectica indicetur per ſe ſanguinis miſſio?

§. I.

Pars affirmatiua aliquibus fulcitur fundamentis.

TRes ſunt hecticæ gradus, de quorum tertio, ac ſecundo, in quibus magna, ac irreparabilis

eſt conſumptio ſubſtantiæ viuentis, nulla videtur eſſe dubitatio, quin omninò in hecticis ſit vitanda ſanguinis euacuatio: ſed de primo gradu hecticæ, dum partes incipiunt reſolui, dum vires non patiuntur defectu ſubſtantifici temperamenti eſſentialem debilitatem; videtur, quòd ab ipſa febre aliquo modo poteſt indicari.

Primò: ſanguinis miſſio eſt remedium refrigeratorium, & cùm vires ſint potentes illam ferre, & febrilis calor tunc ſit remiſſus, poterit quæcunque leui alteratione contrarij inducta, remitti febris: ergo ab illa indicatur ſanguinis miſſio.

Secundò, Febris hectica plerumque fit, quia ſuperabundat bilioſus humor ſanguini commixtus, ratione cuius partes, quæ reponuntur, cùm maiori ex parte fiat repoſitio ex bile, peruertitur ſubſtantificum temperamentum per exceſſum partium ignearum: ſed miſſo ſanguine, euacuatur copioſa bilis ſanguini commixta, quæ eſt cauſa, vt inducatur hectica, quatenus præſtat materiam, vt temperamentum peruertatur: ergo per ſe ab ipſa febre hectica indicatur ſanguinis miſſio. Probatur conſequentia: quia in hoc caſu indicatur à febre hectica, per ſe euacuatio, per quam aufertur cauſa, à qua talis febris putrida fouetur.

Tertiò: viribus conſentientibus, ſi putrida febris complicetur cum Hectica, & foueatur ab illa, per ſe indicatur ab Hectica ablatio eius, quod ſe habet tanquam cauſa ſine qua non ipſa curari poteſt; ſed ſine ablatione putridæ, a qua producitur, & intenditur Hectica, hæc curari non poteſt: ergo hectica per ſe indicat ſanguinis miſſionem per quam febris humoralis curari petit.

§. II.

Sancitur Dogmaticorum opinio.

RESoluendum: Quòd in nullo gradu à febre hectica indicatur ſanguinis miſſio: ſic tenet ſchola Dogmaticorum.

Probatur ratione fundamentali; ſanguinis miſſio, vt patet ex dictis, indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, ſed hectica febris non pendet ex vitio ſanguinis, ſed oritur ab anima media peruerſione temperamenti ſubſtantifici, vt agentes de febre hectica demonſtrauimus: ergo febris hectica non indicat per ſe ſanguinis miſſionem.

Probatur 2. febris hectica cum conſiſtat in hoc, quòd ſit calor habitualis pendens à temperamento ſubſtantifico peruerſo per exceſſum partium ignearum, illius curatio conſiſtit in repoſitione partium frigidarum, & humidarum: ſed huic partium repoſitioni obſtat ſanguinis miſſio, cùm per illam euacuetur materia, ex qua talis partium repoſitio debet fieri per nutritionem: ergo à febre hectica non indicatur ſanguinis miſſio.

Probatur 3. febris hectica curatur humectantibus, & alimentis reponentibus frigidam & humidam ſubſtantiam, quam depopulatur calor, & curatur tanquam morbus conſiſtens in inanitione partium humidarum: ſed ſanguinis miſſio eſt remedium contrarium, & euacuatorium eius quod redundat, ergo nunquam indicatur pro curatione febris hecticæ.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi primò adducta.

AD 1. Reſpondetur: quòd, vt diximus, ſanguinis miſſio eſt remedium refrigeratorium per accidens reſpectu earum febrium, quarum cauſam valet euacuare; cùm autem hecticæ cauſam non auferat, ideò nec illius remedium refrigeratorium dici poteſt.

Ad 2. Reſpondetur: quòd dum euacuatur bilis à qua fouetur, per ſanguinis miſſionem euacuatur etiam ſanguis, ac pituita, ex quorum materia deberent nutriri partes, & his partibus deficientibus pro nutritione eùm maximè reſoluantur, quæ etiam partes humidæ viuentis ab ipſa febre, hinc prouenit, quòd maius ſubſequatur damnum, & periculum ex ſanguinis miſſione, quàm vtilitas ex euacuatione bilioſi humoris; & ideò ab hectica vt pendente à temperamento per igneas partes peruerſo, per ſe ſolùm indicatur repoſitio illarum partium, cui ſanguinis miſſio potiùs obſtat.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſi hectica complicetur cum humorali, & ſint vires conſtantes, exerceri ſolet ſanguinis miſſio, vt curetur humoralis, quæ eſt cauſa ſine qua non hecticæ: ſed ſanguinis miſſio tunc non indicatur ab hectica, ſed ab humorali; permittitur tamen, etiamſi conducat ad repoſitionem humidæ ſubſtantiæ, quæ debetur hecticæ, quia per eius curationem aufertur humoralis febris, à qua fouetur hectica, & ſine cuius ablatione ipſa curari non poteſt.

RESOLVTIO III.

Vtrùm pro febribus putridis curandis ſit vtilis ſanguinis miſſio?

§. I.

Eraſiſtrati, Paracelſi, & Van Helmont proponitur opinio.

VAn Helmont negat dari in corpore humores, & conſequenter febres ex illis ortas. Paracelſus humores admittit, febres tamen non oriri ex illis contendit, ſed omnes morbos pro cauſis habere ſal, ſulphur, aut mercurium; Eraſiſtratus Ariſtotelis nepos, & vnus ex pronepotibus Hippocratis, Dogmaticuſque Medicus humores admittit, morbóſque à materia pendentes ex illis oriri, & ex quovis illorum febrem humoralem oriri poſſe: ſed pro his curandis febribus ſanguinem nunquam eſſe mittendum conſonum eſſe indicat Hippocratis aſſenſui, de quo affirmat nunquam ſanguinem miſiſſe pro humoralibus febribus curandis: ſuamque ſententiam his conatur fundamentis fulcire, vt ex Galeno deducit Cardanus *libro 4. de cura morbi Regij cap. 12.*

Primò: Tum quia per venæ ſectionem mouetur materia de loco in locum, & à quo mouetur relinquit ſuæ putredinis ſeminaria, per quod mouetur communicat putredinem, quam habet humor putreſcens, & augetur in aliis humoribus putredo, febriſq; augetur, quia

quia noua putreſcens cauſa humores in tranſitu re- A perſios coinquinat. Tum 2. Hoc remedium non conuenit febri intermittenti, quia ratione illius humor extrauaſatus iterum retrotrahitur ad venas, & augendo cauſam, febrem intermittentem reddit continuam: Nec conuenit febri continuæ; quia retrocedendo ad eos humores putreſcentes in venis diſtantioribus ex non ardente febre fieret ardens: Nec conuenit febri malignæ, aut peſtilenti; quia retrò traheret humores, ac vapores venenoſos ad ipſum cor, quibus conſumerentur ſpiritus, & ipſis reſolutis citiùs periret æger. Tum 3. quia putrida febris ſalubris non fit, niſi natura potens valeat materiam morbificam concoquere, ac regulare; & ideò Hip- B pocrates 2. *Aphoriſmor.* 15. *vbi fames, laborandum non eſſe* conſulit, nè defectu alimenti vires ſuccumberent; qui virium lapſus faciliùs contingeret ſanguine miſſo, & impediretur coctio. Tum 4. quia ſanguis non mittitur in febre humorali, quia maligna; vel ratione putredinis: non quia maligna, quia eùm ratione malignitatis vires debilitentur, non poſſunt ferre ſanguinis miſſionem: non ratione putredinis quia putredo coctione curatur; coctio enim eſt quæ, facit ceſſare putredinem, non autem ſanguinis miſſio: ergo pro febribus putridis curandis ſanguinis miſſio non eſt vtile remedium.

Secundò, idem proſequitur intentum: Tum 1. C quia ſanguinis miſſio, ſi à febre putrida indicaretur; vel vt in calore conſiſtit, & vt ſic; non: quia ex Galeno *lib.* 1. *methodi*, conſtat, febrium omnium, quà febres ſunt, proprium remedium eſſe refrigerationem; & ſimili modo ab hectica, ac diaria indicaretur ſanguinis miſſio: vel ratione putredinis; nec hoc admittendum, aliàs in putridis diariis ſanguis eſſet mittendus. Tum 2. quia febres ſyncopales & aliæ ortæ ex crudis humoribus repertis vel in venis, vel in ventriculo, etiam peterent ſanguinis miſſionem. Tum 3. quia febres putridæ fiunt ex humoribus ratione inultitudinis, craſſitudinis, lentoris, obſtructionis, prohibitæ ventilationis, aut putredinis, quæ (dempta multitudine) potiùs prohibent, quam indicant ſanguinis miſſionem. Tum 4. quia D Galenus *lib. de conſtitut. art. medica*, febres ortas ex plenitudine ſanguinis miſſione, à reliquis humoribus pendentes docet purgatione eſſe curandas: ergo ſanguinis miſſio non eſt per ſe indicata à febribus putridis.

Tertiò: febres, quas concomitantur pernicioſa accidentia, vel quibus plurima repugnant, vt tabes, hectica, infantia, decrepitudo, præcedens nimius ſanguinis fluxus, Venus multa, reſolutio, aeris humor abundans, multa crudorum humorum copia, hominiſve turgens, non indicant ſanguinis miſſionem, etiamſi ſint febres putridæ, morbique magni periculum minantes: ergo à febribus non indicatur ſanguinis E miſſio.

§. II.

Galeni præfertur doctrina.

Reſoluendum, quòd in febribus ortis ex humorum putredine, conuenit ſanguinis miſſio: ſic tenet ſchola Dogmaticorum.

Probatur 1. ex Hippocrate *lib.* 1. *text.* 29. dicentes *cum morbi inchoant, ſi quid tibi videtur mouendum, moue.* Vbi Galenus per *moueri*, intelligit etiam ſanguinis miſſionem; inquit enim, *ſunt autem hac præcipua quidem, venæ ſectio, &c.* ergo ex Hippocrate

A in principiis febrium conuenit ſanguinis miſſio, ſed antequam perueniat ad indicationem.

Probatur 2. ex Galeni authoritate ſæpiùs apud Medicos decantata, *lib.* 11. *methodi cap.* 15. §. *Saluberrimum autem, vt prædiximus, eſt in febribus venam incidere non continuis modo, verùm etiam aliis omnibus quæ putreſcens concitat humor.* Ergo omnibus febribus humoralibus conuenit ſanguinis miſſio.

Probatur 3. febres humorales ſunt morbi magni pendentes ex copia humorum, ex quorum ablatione petunt curari: ſed humores non ſolum purgatione, ſed ſanguinis miſſione euacuari petunt: ergo febres humorales ſanguinis miſſione ſumpta indicatione à B cauſa curari etiam petunt.

§. III.

Eraſiſtrati fundamenta ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur, Tum 1. quod putreſcens humor mouetur ſimul cum aliis, cum quibus commixtus eſt; nec ideo reliquos putreſieri eſt neceſſe, quia non ſunt diſpoſiti pari putredinem. Tum 2. quòd conuenit ſanguinis miſſio ad euacuationem cauſæ, à qua fouetur morbus, & indicatur à febre prout pendet ab illa. Tum 3. quòd lenta quæ corpus no- C ſtrum regit natura per ſanguinis miſſionem, quod concoqui eſt habile, concoquit; vt docet Galenus. Tum 4. quòd non ratione putredinis, nec malignitatis; ſed ratione febris prout pendet ab illo humore, indicatur ſanguinis miſſio.

Ad 2. Reſpondetur Tum 1. quod in febre putrida ſanguinem mittimus, quia pendet à cauſa per ſanguinis miſſione euacuanda. Tum 2. quòd febres quæ pendent à ſanguine, vel ab alio humore ſanguini commixto, tantùm indicant ſanguinis miſſionem Tum 3. quòd putridæ febres, quæ in venis cauſantur ab humoribus ſanguini commixtis, vel ab ipſo ſanguine; etiamſi tanquam à cauſa extrinſeca pendeant à cauſis obſtruentibus, aut infrigidantibus ipſæ de ſe ſemper indicant ſanguinis miſſionem, vt poſ- D ſint ex ablatione cauſæ curari. Tum 4. quòd Galenus ſolùm intendit docere, quòd febres pendentes ab aliis humoribus ſeparatis à ſanguine, & cacochymis, petunt curari purgatione; non autem dum pendent ab illis ſanguini commixtis.

Ad 3. Reſpondetur, quòd à febribus putridis pendentibus à ſanguine vel ab humoribus aliis ſanguini commixtis, indicant ſanguinis miſſionem, licèt plerumque ſuperueniant aliqua ſymptomata, ratione quorum contraindicari ac prohiberi ſolet ſanguinis miſſio modo nuper dicto.

E

Resolvtio IV.

Vtrùm in quauis febre putrida ſit ſaluberrimum ſanguinem mittere?

§. I.

Dogmaticorum diſſentientes ſententiæ referuntur.

EX Galeni decreto decreuimus ſaluberrimum eſſe in febribus putridis ſanguinem mittere; ſed de quibus putridis ſit intelligendus, diſceptant

Moderniores. Dominicus Montiſianus *quæſt.* 17. Dega *libro* 2. *Methodi capite* 2. Lemos *in idem caput*, Petrus Brauus *Cenſura* 21 *contra Peredam*. Sylnatiens *in controuerſiis Medicis*, iudicant, quòd quando Galenus ſaluberrimum iudicat in omnibus febribus putridis ſanguinem mittere, debet intelligi de omnibus febribus putridis pendentibus ex humorum plenitudine. Mathæus Curtius ſimiliter conatur defendere; quòd Galenus debet intelligi de febribus ortis ex plenitudine quoad vaſa. Antonius Contugtius & Bernardinus Criſpoltus dicunt Galenum intelligendum de febribus putridis, quæ pendent ex quolibet humore ſanguini commixto forma & ſpecie: Lupeius Doctus Vir, vt refert Monius *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap.* 11. intelligendum eſſe Galenum iudicat de omnibus febribus pendentibus ex ſanguine, aut bile putreſcentibus. Cardanus *lib.* 4. *de morbo Regio*, de omni febre putrida, etiamſi abſit plenitudo, intelligendum eſſe Galenum indicauit. Sed quòd de ſolis febribus ortis ratione plenitudinis ſit Galenus intelligendus ſuadet.

Primò: quia Galenus poſtquam determinauit ſanguinem eſſe mittendum, reddens rationem ſtatim ſuperaddit: *Leuata namque, quæ corpus noſtrum regit, natura, & eo, quo veluti ſarcinis premitur, exonerata quod concoqui eſt habile, concoquit*: ſed ratione plenitudinis exoneratur natura, & indiget leuari: ergo Galenus de eis febribus tantùm loquitur, quæ fouentur à plenitud.

Secundò: Galenus *libro* 1. *ad Glauconem cap.* 13. tradens cauſas ob quas ſanguis eſt mittendus, inquit: *Sanguinem verò mittere oportet & propter morbi magnitudinem, & quibus robur multò plus quàm natura conuenit, & maior quàm pro conſuetudine totius corporis tumor & venæ eminentes, atque extenſæ*, &c. Ergo dum conſulit ſanguinem mittere, de eis intelligi debet, quæ ex plenitudine pendent, quas ſolas decreuit petere miſſionem ſanguinis.

Tertiò probatur: ſanguinis miſſio eſt euacuatio, per quam deponitur plenitudo humorum in corpore redundantium: ergo ab his tantùm febribus indicatur, quæ pendent ab humoribus ſua plenitudine redundantibus.

§. II.

Hippocratis ſancitur doctrina.

RESoluendum 1. quòd Galeni doctrina non poteſt intelligi de febribus, quæ pendent ab humoribus cacochymis.

Probatur 1. ſanguinis miſſio, & purgatio, cùm ſint diuerſa remedia, diuerſa debent ſortiri indicantia: ſed febres putridæ pendentes ab humore cacochymo, ſiue turgente, ſiue ratione coctionis ſeparato à ſanguinis commixtione, & cacochymo reddito; exigunt purgationem, & illam per ſe indicant: ergo non indicant ſanguinis miſſionem. Probatur minor ex Hippocrate *lib.* 1. *Aphoriſmorum ſententia* 22. dicente: *Concocta medicari ac mouere, non cruda, niſi materia urgeat*: quam eandem doctrinam amplectitur Galenus *in commentario*.

§. III.

Noſtra proponitur opinio.

RESoluendum 2. Quòd Galenus debet intelligi de omni febre putrida pendente ex vitio ſanguinis, ſiue in quanto, ſiue in quali, vel cuiuſuis alterius humoris ſanguini commixti, & non ſupernatantis.

Probatur ex Paulo *lib.* 2. *capite* 8. ex Aëtio *tetrabili* 2. *ſermon.* 1. *capite* 7. & ex eodem Gsleno *libro* 11. *methodi capite* 14. *antecedente*. vbi de qualibet febre, adhuc ſi ſine plenitudine ſuperueniat, inquit: *Quippe ſi vires eius qui ex putredine humorum febricitant, ſunt valentes, mittendus ſtatim ſanguis eſt*. Vbi ſolum ob vitium ſuperueniens ratione putredinis ſtatim ſanguinem mittit: & *capite* 15. *ſequenti*, in principio, dicit: *Qui febricitant, ſi valentes viribus ſint, omnibus ſanguinem ab initio mittes.* ergo dum paulò infra ſuperaddit: *Omnibus eſſe ſaluberrimum ſanguinem mittere per febres quas putreſcens concitat humor*: de eorum febre orta ex vitio ſanguinis loquitur, non ſolùm dum pendet ex vitio ſanguinis in quanto, ſed ex vitio ſanguinis in Quali, ſeu putredinis.

Probatur 2. ex eodem Galeno, qui noſtram doctrinam palàm docuit *libro* 9. *methodi cap.* 5. his verbis: *Memineris verò mihi ad ea quæ dicenda ſunt, & quorum cauſa venæ ſectio petitur, nam quoniam hæc ſanguinis euacuandi cauſa adhibetur, ſanguis autem inutilis natura eſt, vtique probè hanc adminiſtrare conuenit, ſic vt quod inutile eſt natura emittat; fit autem ſanguis natura inutilis bifariam; vel cùm propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, neque amplius nutrire, ſicut priùs cùm vtilis eſſet, poteſt; vel ità multitudine creſcit, vt aut vires premat, aut tùm venas, tum arterias vel findat, vel obſtruat.* ergo ex Galeni doctrina ſanguinis miſſio debet exerceri in febribus, non ſolùm dum à vitio ſanguinis in Quanto pendent, ſed dum pendent à vitio ſanguinis in Quali.

Probatur 3. ex Auicenna, qui loquens iuxta mentem Galeni *fen.* 1. 4. *cap. de Phlebotomia*, dicit: *vnuſquiſque autem eorum aut phlebotomatur propter ſanguinis plenitudinem additam, aut propter ipſius malitiam. aut propter vtrumque*: ergo ſanguinis miſſio in febribus non ſolùm debet fieri, dum pendent ex vitio ſanguinis ratione plenitudinis, ſed ratione alterius vitij.

Probatur 4. Febris pendens ex vitio ſanguinis, ſeu alterius humoris ſanguini commixti, cùm ſit morbus magnus pendens ex cauſa, indicat ſui curationem per remedium magnum euacuans illam, etiamſi vitium, à quo dependet febris, non ſit plenitudo; ſed hoc remedium in principiis febrium, quando humor, à quo pendet, non eſt cacochymus non poteſt eſſe purgatio, quia hæc non indicatur niſi ab humore cacochymo: ergo neceſſariò debet eſſe ſanguinis miſſio, & ſic debet Galeni authoritas intelligi.

§. IV.

Solutio adhibetur argumentis.

AD 1. Reſpondetur: quòd Galenus ſuperaddit rationem mittendi ſanguinem, quia natura leuata per illam concoquit, quod concoqui eſt habile, & hoc non ſolùm contingit dum leuatur à vitio in Quanto, ſed dum etiam leuatur à vitio in Quali; quia quantò minor copia remanet illius humoris, natura potentior manet ſupra reſiduum.

Ad 2. Reſpondetur, quòd Galenus dum febres oriuntur ratione plenitudinis, ſanguinem docet eſ-

ſe mittendum ; quod nos etiam fatemur: ſed non negat quod etiam dum febres oriuntur ratione vitij in Quali, ſit ſanguis mittendus; imò id docet plerumque, vt ex probationibus reſolutionis conſtat.

Ad 3. Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio eſt euacuatio per quam deponitur plenitudo, & indicatur à morbo magno pendente ex illa, & etiam eſt euacuatio per quam deponitur portio humoris qualitate peccantis; & ideò etiam indicatur à febribus pendentibus ex vitio ſanguinis in Quali, quatenus ſunt morbus magnus pendens ex tali ſanguinis vitio.

B

Resolvtio V.

Verùm ſanguinis miſſio tantùm debeat exerceri euacuationis cauſa in febribus?

§. I.

Augenij, Syluatici, & Caxanes proponitur opinio.

Decreuimus in putridis febribus ſanguinis miſſionem eſſe neceſſariam tanquam remedium euacuatorium cauſæ, à qua dependet febris, ſiue ratione quantitatis, ſiue ratione alterius vitij febrem fouentis: ſed cùm in febribus plura ſunt ſuperuenientia C accidentia ratione humoris fluentis in aliquam partem, ideò an etiam reuulſionis cauſa in febribus ſanguis ſit mittendus dubitari poteſt. Augenius *lib. de ſanguinis miſſione*. Syluaticus *controuerſia* 44. Caxanes *lib.* 2. *aduerſus Valentinos*, iudicant in febribus ſanguinem nunquam indicari reuulſionis cauſa, ſed tantùm ratione euacuationis. Quiuis ſuis fulcitur fundamentis.

Primò, Augenius ſuum probat placitum, Tum 1. quia Galenus *lib.* 11. *Methodi capite* 15. docet *in febribus ſanguinem eſſe mittendum, vt leuata natura concoquat, quod concoqui eſt habile.* Ex quo patet quòd ratione euacuationis conſulit phlebotomiam. Tum 2. D quia aliis in locis Galenus ratione auferendi, vel plenitudinem, vel cauſam fouentem febrem, docet ſanguinem eſſe mittendum. Tum 3. quia in febribus ſynochis, cùm ſeruent eundem tenorem, ſemper creſcendo, decreſcendo, vel permanendo in eadem intenſione, conſtat humorem manere in eodem loco, nec ideò indigere reuulſione: ergo non eſt in febribus alia indicatio ſanguinis mittendi quàm euacuationis cauſa.

Secundò: Syluaticus idem probat placitum, Tum 1. quia Galenus *libro vndecimo methodi capite* 10. tradens reſolutiuam methodum curandi febres putridas, ſolùm conſulit ſanguinis miſſionem euacuationis cauſa. E Tum 2. quia reuulſio indicatur ratione humoris fluentis in aliquam partem, vt colligitur ex Hippocrate *lib.* 6. *Epidem ſect.* 2. *text.* 29. §. *Reuellere, ſi quò non oportet vergat*: in febribus autem putridis ſine humorum fluxu valet febris ab humoribus foueri, vt Galenus docuit *lib.* 2. *de differentiis febrium capite vltimo*. §. *Quæcunque per circuitus aliquos ægritudinum fiunt acceſſiones*, &c. Tum 3. quia in febribus intermittentibus non eſt indicata reuulſio; quia ſi fiant acceſſiones, expellente natura ad partes externas, non eſt reuellendum, ne humores ad internas partes ferantur, & impediatur motus naturæ? ſi fiant, quia attrahunt propter dolorem partes

A internæ, tunc ſolùm ſedando dolorem perficitur curatio, & intemperiem corrigendo. Nec in febribus continuis eſt vtilis ſanguinis miſſio ob reuulſionem, quia in continuis humor non extrauaſatur, & mouetur. Tum 4. quia ſanguinis miſſio ſi indicaretur ob reuulſionem, deberet fieri ex pede tanquam ex parte diſtantiori. Tum 5. quia ſi cauſa febris flueret, potiùs indicaret purgationem, quam reuulſiuam ſanguinis miſſionem, vt apparet in humore turgente. Tum 6. quia ſi ſanguis mitteretur reuulſionis cauſa, ideò eſſet vt à partibus internis ad externas traheremus humores febres fouentes; at verò per ſanguinis miſſionem potiùs humores ab externis B partibus ad internas mouentur: ergo ſanguinis miſſio nunquam debet fieri reuulſionis causâ in febribus.

Tertiò: Caxanes licèt febris pendeat ab humore, qui mouetur in aliquam partem, iudicat ſanguinis miſſionem nunquam indicari reuulſionis cauſa, ſed tantùm cauſa euacuationis. Tum 1. quia cùm febris ſit morbus communis non petit ſanguinis miſſionem reuellentem à determinata parte, ſed euacuantem humorem in toto corpore contentum. Tum 2. quia ex Galeno *lib. de ſanguinis miſſione capite* 19. reuulſio non debet vnoquoque die iterari: hoc autem in febribus contingit. Tum 3. quia pro euacuanda cauſa, exigitur magna ſciſſura; pro reuellenda, parua; & ideò C vna cum altera eſt incompatibilis indicatio. Tum 4. quia causâ euacuationis magna extrahitur copia ſanguinis; reuulſionis causâ, pauca. Tum 5. quia ſanguinis miſſio in febribus non indicatur ratione febris: quia ab illa in communi ſolùm indicatur euacuatio, in particulari refrigeratio: nec ab alio coniuncto, quia non ratione putredinis, quia ab iſta ſolùm indicatur coctio, non ab obſtructione, quia hæc ſolùm indicat apertionem pororum. Tum 6. quia etſi eſſet fluxio non indicaret reuulſionem, quia hæc aut fit ab humore obſtruente, qui cùm indifferenter internas ac externas partes obſtruat, non eſt cur curetur reuulſione: aut fit dum in acceſſionibus mouetur humor in febre intermittente iuxta eius diuerſitatem in diuerſos focos, à quibus miſſione ſanguinis reuelli æqualiter non poteſt: aut fit fluxio à foco putredinis in partes externas, & non debet D miſſione ſanguinis reuelli in internas; aut fit fluxio in principio acceſſionum, dum ſanguis & ſpiritus retrahuntur, & non conuenit ſanguinis miſſio, eſſet enim ægrum iugulare: ergo ſanguinis miſſio nec debet exerceri in febribus reuulſionis causâ, dum abeſt, nec dum adeſt fluxio humorum, à quibus fouentur.

§. II.

Humorum fluxio in febibus non ſemper admittenda contra Carteirum.

E Reſoluendum 1. quòd febres humorales aliquæ pendent ab humoribus fluentibus in aliquas partes; aliæ verò ab humoribus, qui non fluunt in partes: ſic ſtamus aduerſus Carteirum, qui *fen.* 1. *libro* 4. *tract.* 1. *c.* 6. *diſput.* 17. poſtquam coaceruauit propoſita Modernorum fundamenta, determinat, quòd in quauis putrida febre dantur humores in aliquam partem fluentes.

Probatur 1. Ex Galeno 2. *de differentiis febrium* §. *Quæ per circuitus ægritudinum fiunt acceſſiones*, &c. vbi docet plures febres pendere ab humoribus intra venas manentibus, non motis.

Probatur 2. Tum 1. in febre ſynocho pendente ex ſolo ſanguine quatro humore, quem toto tempore, quo retinet formam, etiam ſi ſit via corruptionis, ſemper amplectitur, & retinetur à natura intra eadem vaſa, ac retinebatur, quamdiù non putreſcebat. Tum 2. quia non alia ratione homotoma ſebris, & qoxuis ſynochus permanet in eodem tenore, ac intenſione; niſi quia humor permanet in eodem loco putreſcens. Tum 3. quia febris ardens non alia ratione ab aliquibus ponitur inter febres continentes, niſi quia bilis, à qua dependent, continentet feruet manendo ſemper intra eundem locum. Tum 4. quia ſicut ab humore contento in plegmone poſtquam fluxit in partem, quietè ſe habente poteſt febris foueri ſimiliter, & ab humore intra venas manente: ergo non ſemper eſt neceſſarium, quòd detur fluxio eius humoris à quo fouetur febris.

§. III.

Ex fluxu humorum in partes externas quid indicatur?

Reſoluendum 1. quòd ſi humor, à quo fouetur febris, fluat ad locum putredinis, per ſe ſolùm indicatur à febre, quæ fouetur ab illo, ſanguinis miſſio euacuatoria.

Probatur 1. In hoc caſu ſanguinis miſſio ſolùm indicatur à morbo, ſecundùm quod fouetur ab illo humore: ſed indicatio ſumpta à cauſa à qua fouetur morbus, eſt euacuatoria: ergo ſolùm indicatur ſanguinis miſſio euacuatoria.

Probatur 2. ſanguinis miſſio reuulſionis causâ ſolũ indicatur à morbo pendente ab aliqua cauſa, quando non ſolùm fouetur ab illa, ſed ratione motus poteſt augeri, intendi, aut conſeruari à cauſa: ſed febres pentes ab humore, qui mouetur in focum putredinis, vel in partes externas per illum motum licèt ſubſequatur acceſſio, potiùs curantur quàm fouentur, aut augentur: ergo non indicatur ſanguinis miſſio reuulſionis causâ.

Probatur 3. ſanguinis miſſio reuulſoria eſt, per quam reuellitur humor fluens in partem: ſed reuulſiu humoris fluentis in focum putredinis eſt pernicioſa naturæ: ergo ſanguinis miſſio numquam indicatur in febribus pendentibus ab humoribus, qui mouentur in focum putredinis tanquam reuulſoria.

§. IV.

Reuulſoria ſanguinis miſſio admittitur.

Reſoluendum 3. quòd ſi febris humoralis pendet ex humoribus fluentibus ad interiora, vel phlegmonen indicatur per ſe ab illa ſanguinis miſſio euacuatoria, & ſimul reuulſoria.

Probatur ex Hippocrate 6. *Epidemion. text. 2. tract. 29. §. Reuellere ſi quo non oporteat vergat.* & ex Galen. *in Comment. §. Alias iam & hæc didiciſtis, ducenda planè eſſe, quò vergunt per conuenientes regiones; auertenda autem, atque reuellenda, quæ non benè vergant.* & ex Oribaſio *Collectaneorum c. 19. § Vehementiſſimos ſiccorum influxus reuulſoriis præſidiis conſertim ingruere prohibemus*, ergo licèt in motu humorum ad focum putredinis non conueniat reuulſoria ſanguinis miſſio, ipſa indicatur dum humores fluunt (cauſantes febres) ad partes internas, vel eas, ad quas non conuenit.

Probatur 2. Dum humores refluunt à venis externis in internas, febris Tertiana redditur ardens, & ex reditu ad externas poteſt ex ardente fieri continua, aut intermittens minus pericoloſa: ſed per ſanguinis miſſionem poteſt humor extrà trahi; ergò ſanguinis miſſio, tunc non ſolùm indicatur tanquam remedium magnum euacuatorium, ſed ſimul vt reuulſorium. Probatur minor: per ſanguinis miſſionem cum humores euacuentur à partibus externis, ſucceſſione ad id, quod euacuatur, ne detur vacuum, humores, qui in internas partes fluebant, ad externas neceſſe eſt trahi: ergo poteſt humor extrà trahi.

Probatur 3. In febribus malignis, in quibus maligni humores retrò trahuntur ad cor, & in peſtilentibus, ex Galeno, & communi Practicantium aſſenſu, ſanguinem mittimus ex pede, vel ſcarificamus, quo remedio gloriatur Galenus ſe liberatum à peſte graſſante ſuis temporibus: ergo ſanguinis miſſio in febribus pendentibus à vitio ſanguinis fluentis in partes internas, non ſolùm vt euacuatoria, ſed vt reuulſoria indicatur.

Probatur 4. In dolore laterali in quo reuulſoria indicatur ſanguinis miſſio.

§. V.

De febribus ab humore cacochymo pendentibus quid ſentiendum?

Reſoluendum 4. quòd ſi febris pendeat ab humoribus cacochymis fluentibus in partes internas, vel in determinato motu ſe mouentibus, non indicatur ab illis reuulſoria ſanguinis miſſio, ſed purgatio.

Probatur ex Hippocrate 1. *Aphoriſ.* 22. vbi in materia turgente docet febres ab illa pendentes debere curari per purgationem, quæ euacuatoria eſt, quatenus indicatur à febre pendente ab humore: & reuulſoria quatenus ipſe conſulit eadem die eſſe exercendam, ne materia decumbat in partem principem.

§. VI.

Soluuntur propoſita argumenta.

Ad 1. Reſpondetur, quòd Galenus loquitur ibi de ſanguinis miſſione, quæ indicatur à febribus, prout remedium eſt curatorium earum, non attenta alia conſideratione: non tamen negat quòd poſſit ſimul alia indicatio coindicere. Tum 2. quòd eodem modo in aliis locis ſolet Galenus loqui tantùm de indicatione curatiua; ſed de reuulſoria propriam doctrinam aliis in locis tradidit, vt patet ex dictis. Tum 3. quòd in febribus ſynochis, cùm pendeant ex ſanguine, quem natura conatur in venis continere, contingit humores non fluere, benè tamen poteſt in aliis febribus humor moueri ad intus, & indicare reuulſoriam ſanguinis miſſionem.

Ad 2. Reſpondetur, Tum 1. quòd Galenus conſulit ſanguinis miſſionem euacuatoriam, quæ eſt communis pro omni febre putrida pendente ex vitio ſanguinis, non autem agit de reuulſoria indicatione, quæ aliquarum febrium peculiaris eſt indicatio, quatenus pendet ab humore fluente in partem internam. Tum 2. quòd in eis febribus, in quibus mouetur humor tantùm admittimus hanc reuulſoriam ſanguinis miſſionem. Tum 3. quòd in febribus continuis, in quibus indicatur ſanguinis miſſio, poteſt humor refluere ad internas partes, quin faciat dolorem: ſi autem inflammationem & dolorem efficiat, vt contingit in dolore pleuritico à febre pendente ex humore fluente, indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria ratione cauſæ à dolore, prout habet cauſæ rationem, indicantur anodiua. Tum 4. quod

aliquando

aliquando ex pede fit ſanguinis miſſio, dum maxima eſt reuellendi neceſſitas; aliquando verò à brachio, à quo directè in partem externam, & oppoſitam humor diuertitur a partibus internis. Tum 5. quòd ſi cauſa febris fluens eſt humor cacochymus, indicat purgationem, non autem ſi eſt humor ſanguini commixtus. Tum 6. quòd ſanguinis miſſione partim ſanguis trahitur à partibus internis ad externas, partim ab externis fertur ad internas, facta enim ſanguinis euacuatione, cùm venæ inaniantur, natura intendens supplere vacuum, trahit ad venas, quæ in brachio, aut pede ſcinduntur, ſanguinem a venis internis ſucceſſione ad id quod euacuatur, ità vt ſi vena permaneat ſciſſa, totus corporis ſanguis exhauriretur, & hac ratione reuellimus per ſanguinis miſſionem ſanguinem fluentem in partem internam. At verò venæ exinanitæ à venulis, & partibus tertiæ regionis alliciunt ſanguinem, & hac ratione ſolet dici, quòd ſanguinis miſſione in partes internas trahitur ſanguis, & ideò timemus in variolis, & febribus puncticularibus mittere ſanguinem, licèt alias reuellatur ſanguis, aut malignitas fluens ad hoc; & de hoc motu humorum diximus quòd eſt, cuius cauſa indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Resolvtio VI.

Vtrùm ſanguinis miſſio petat fieri tanquam remedium refrigeratorium in febribus?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

IMplet plerumque ſanguis ſua plenitudine venas, & impedit per poroſitates aërem attrahi, quo humores poſſint attemperari, fuligineſque euacuari, quibus accenſis ſubcreſcit febris, & fouetur, nec ſine plenitudinis depoſitione valet curari, vt docuit Galenus *lib. 11. method. c. 10.* & ideò inquirimus an miſſio ſanguinis in hunc finem ordinata ſit refrigeratoria? Caxenes *lib. 2. aduerſus Valentinos*, negatiuam partem intendit ſuadere,

Primò, quia ſi ſanguinis miſſio refrigerans indicaretur à febre, ab omni febre, ſiue hectica, ſiue diaria deberet indicari, cùm in eſſe febris ſint idem: ſed ab his non indicatur: ergo nec à febre putrida.

Probatur 2. A febre indicatur refrigeratorium remedium, quo calor remittatur, & quod ſit calori contrarium: ſed ſanguinis miſſio non eſt remedium calori contrarium, ſed frigiditas: ergò à febre frigiditas indicatur tanquam remedium refrigeratorium & non ſanguinis miſſio.

Tertiò: ſi ſanguinis miſſio indicaretur refrigerationis causâ, nõ deberet exerceri in febribus pituitoſis, & aliis in quibus ſumpta indicatione a cauſa, vtimur remediis calidis pro earum curatione: ſed in his etiam ſanguinem mittimus: ergo non eſt remedium vt refrigeratorium indicatum in febribus.

§. II.

Valleſij, Siluatici, & aliorum præfertur opinio.

REſoluendum: quòd ſanguinis miſſio licèt non indicetur tanquam remedium per ſe refrigeratorium, plerumque tamen indicatur tanquam refrigerans per accidens, ſic Caetetus in *fen. 14. tract. 2. c. 6. diſput. 8.* qui pro ſe adducit Valleſium, Syluaticum *in ſuis controuerſiis Medicis*, Maſſatium *in ſua Apologia*, Argenterium in *lib. artis medicinalis.*

Probatur 1. Ex Galen. *de ſanguinis miſſione c. 12. §. Cæterum vbi feruentis ſanguinis plenitudo acutiſſimam accendit febrem, ſubitò, ac ſimul euacuare expedit, eamque inanire tentandum, vel ad animi deliquium uſque, virium modo inſpecto robore. Noui enim ex his quoſdam neceſſariò ex animi deliquio refrigeratos, &c.* ergo ſanguinis miſſio poteſt eſſe in febribus remedium refrigeratorium, & vt tale in illis exerceri.

Probatur 2. ſic ſe habet febris humoralis pendens ex humoribus putreſcentibus, ſicut calor calefaciens aquam ex accenſis carbonibus: ſed ablatis igneis carbonibus, aqua per accidens refrigerari dicitur: ergo euacuatis humoribus putreſcentibus per ſanguinis miſſionem, corpus ſaltem per accidens debet refrigerari: ergo ſanguinis miſſio, quo petunt euacuari, poteſt exerceri non ſolùm tanquam remedium per ſe euacuatorium, ſed tanquam refrigeratorium per accidens.

Probatur 3. Humores plerumque acquirunt putredinem, quia ſua plenitudine impediunt aëris ingreſſum, quo fuligines attemperantur, & per poroſitates expelluntur: ſed ſanguinis miſſio valet deponere plenitudinem, prout euacuatorium eſt remedium, & illâ ablatâ aufertur impedimentum, quod impediebat ventilationem, ac attemperationem: ergo ſaltem tanquam remedium per accidens refrigeratorium poteſt indicari ſanguinis miſſio.

§. III.

Soluuntur dubitandi adducta rationes.

AD 1. Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio ſi indicaretur a febre tanquam remedium refrigerans per ſe, ab omni febre indicaretur: ſed quia indicatur tanquam remedium refrigerans per accidens, quatenus aufert cauſam fouentem febrem; ideò ſolùm dicitur indicari ab his febribus, quarum cauſa poteſt per ſanguinis miſſionem euacuari.

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio non eſt remedium calori per ſe contrarium, ſed per accidens, quatenus aufert cauſam à qua fouetur calor, & vt tale indicatur.

Ad 3. Reſpondetur, quòd in febribus putridis pendentibus à frigidis humoribus, licèt ratione cauſæ indicentur calida remedia, ratione febris indicatur refrigerans remedium, præter quam quod ſolùm euacuationis cauſa deberet in his fieri.

Resolvtio VII.

Vtrùm ſanguinis miſſio poſſit exerceri in principio vniuerſali febris putridæ?

§. I.

Status difficultatis, & Auicennæ authoritate pars negatiua proponitur.

SAnguinis miſſionis, ſicut cuiuſuis alterius remedij forma eſt occaſio, quæ cùm præceps ſit: ex Hippocratis decreto, attenta cura eſt quærenda, ex eodem *lib. de morbo ſacro* dicente: *Medicus temporis occaſionem cognoſcat, ne venenum fiat, quod alimentum datur*: idem enim remedium, quod in hoc tempore maximum, ac proficuum eſt, pauco tempore interpoſito, in venenum mutatur, ex Auicenna *fen. 22.*

 lib. 3.

lib. 3. tract. 2. c. 3. Cumque hæc immutandi remedij vices obſtruat, an in principio vniuerſali putridæ febris petat fieri, contendam examinare. Carreirus, & Fernelius referunt Auicennam *fen. 4. lib. 1. c. 20.* adhærere ei ſententiæ, vt non ſit mittendus in febribus ſanguis in principio, donec coctio ſit peracta. Cui placito fauet,

Primò: Quòd ſi ſanguinis miſſio exercetur in principio, extenuat humores, impellit per vniuerſum corpus, permiſcet ſanguinem impurum cum puro. & plerumque exit ſanguis purus, & humores morbum committentes intus permanent: ergo ſanguinis miſſio non debet exerceri in principio vniuerſali.

Secundò: quia ſanguinis miſſio, & purgatio ſunt duo remedia magna ordinata ad euacuationem febrium, & reliquorum humorum pendentium ex vitio humorum: ſed de purgatione docet Hippocrates 1. *Aphoriſmor.* 22. quòd non fiat in principio, nec donec in declinatione perueniat materia ad coctionem: ergo nec ſanguinis miſſio debet exerceri in principio, ſed in declinatione.

Tertiò: humores à quibus febres pendent, debent aliquam pati elaborationem, qua reddantur apti, vt poſſint euacuari per ſanguinis miſſionem, vt colligitur ex Galeno *lib. de ſanguinis miſſione* c. 11. vbi pro euacuandis craſſis humoribus prius requiri coctionem affirmat. Auicenna idem tenet requiri, vt exerceatur ſanguinis miſſio in Quartana: ergo ſanguinis miſſio non conuenit in principiis febrium putridarum.

§. II.

Dogmaticorum præfertur opinio.

Reſoluendum, quòd in febribus putridis pendentibus ex vitio ſanguinis ſtatim, à principio debet exerceri ſanguinis miſſio; ſic tenent Dogmatici.

Probatur 1. ſummi Dictatoris decreto 2. *Aphor.* 29. dicente: *In principiis morborum ſi quid tibi videtur mouendum, moue; morbo autem ad indicationem eunte, melius eſt quietem habere.* Tum ex Galeno, qui in eius commentario ſuperaddit: *vt igitur hæc citius eueniant, melius eſt circa principia, euacuare.* Tum *lib. Introductory*, vbi tradens curationem biliofarum febrium inquit: *Curatur in principio venæ ſectione; tum frigidæ, tum aliorum quæ refrigerandi vim obtinent, potio confert.* & Auicenna de *ſynochi curatione*, inquit: *Euacuatio autem non eſt aliqua, niſi ſicut phlebotomia in quacumque hora accidat.* Sicque colligitur ex Principibus Medicinæ, quorum teſtimonia plura adducit Carreirus.

Probatur 2. ab eodem Carreiro, quia ex Galeno *lib. de optima ſecta c. 35. Tempora auxiliorum ſunt idonea, quotieſcumque remedium poſtulantia adſunt, nulla autem ea quæ impedire poſſint.* Sed in principiis febrium humoralium, à quibus modo ſupradicto indicatur ſanguinis miſſio, adeſt præſentia poſtulantium, cùm ſanguinis miſſio ſit indicata, & non ſunt impedientia, cum in principio vires ſint robuſtæ, & permittentes potiùs quàm in reliquis temporibus, in quibus ab ipſo morbo debilitantur: ergo in principio debet exerceri ſanguinis miſſio in febribus putridis pendentibus ex vitio ſanguinis.

Probatur 3. In principio febrium, quæ pendent ex vitio ſanguinis, vel alterius humoris ſanguini commixti, indicatur euacuatio humoris, à quo febris dependet, cùm ſine cauſæ ablatione auferri non poſſit per aliquod remedium magnum: ſed tunc non poteſt euacuatio fieri per purgationem; quia materia non concocta, cum humore turgente, aut cacochymo exiſtente à quo febris pendet, purgatio non conuenit ex Hippocrate: ergo in principio debet exerceri ſanguinis miſſione illius euacuatio.

§. III.

Soluuntur dubitandi rationes.

Ad 1. Reſpondetur, quòd per ſanguinis miſſionem nec humores extenuantur, nec impelluntur, nec permiſcentur; cùm ſanguis eo modo, quo eſt intra venas extrahatur, & cum eodem modo miſtionis; Quòd autem aliquando ſanguis exeat purus, fit, vel quia ſola plenitudine peccat, vel quia vitium ſtat in humoribus circa cor, non in eis qui in exterois partibus permanent.

Ad 2. Reſpondetur: quòd ſanguinis miſſio exercetur in principio, quia in principio datur morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis, qui eſt illius indicans, non autem datur indicata purgatio, quia hæc non indicatur à febre donec pendeat ab humore cacochymo; humor autem, à quo pendet in principio, eſt ſanguini commixtus; & donec ſeparetur per coctionem, quod contingit in declinatione, non fit cacochymus; & ideò docet Hippocrates, quòd purgatio debet fieri concocta materia: ſi autem contingat, quòd turgentis fiat cacochyma, aut alia ratione, tunc quis à febre indicatur remedium magnum euacuatorium, & hoc eſt purgatio, quæ à morbo magno pendente ex cacochymia indicatur; ideò tunc etiam ſtatim à principio debet exerceri purgatio.

Ad 3. Reſpondetur, quòd Galenus & Auicenna non intendunt docere, quòd ſanguinis miſſio non fiat in principio vniuerſali febris humoralis, à quo indicatur; ſed quòd ſi pendeat ex craſſis humoribus ineptis ad motum, in prima parte ipſius principij attenuentur aliquibus medicamentis in hunc finem aptis.

Resolvtio VIII.

Vtrùm in augmento ſanguinis miſſio ſit exercenda in febribus putridis?

§. I.

Antiquorum, & Modernorum aſſenſu pars negatiua fulcitur.

Diſputat hanc difficultatem ſuo more eruditè Complutenſis Carreirus; & pro negatiua parte Modernorum, ac Antiquorum adducit agmina: inter Recentiores, in augmento febris putridæ ſanguinis miſſionem non eſſe exercendam aſſeuerat Horatius Augenius *lib. 3. de ſanguinis miſſione cap. 6.* 11. *&* 12. Fernelius *lib. 2. methodi capite* 13. Hieremias Brachelius 2. *Aphoriſmor.* 29. qui ſuam opinionem ex Antiquorum placitis videntur deducere, qui illis fauent; Tum 5. Auicenna *fen. 1. 4. capite de phlebotomia 5. ſemel dimiſſam miſſionem ſanguinis non eſſe amplius ſuſcipiendam*, docet: Tum 5. Hali Abbas agens de febribus *cap.* 43. inquit: *quòd ſi æger in principio priuatus fuerit extractione, caue ipſum penitus extrahere apud augmentum ægritudinis & in eius ſtatu: etiam ſi virtus ſit fortis.* T[illegible] Iſaac *lib. 6. cap. 8.* inquit: *Sicut diximus in cura Synochi, in qua monſtrauimus ſanguinem non mittendum eſſe in ſtatu.*

&c.

&c. Tum omnes iĳ videntur hanc doctrinam recepiſſe ex Hippocrate 2. *Aphoriſm.* 19. dicente : *Inchoantibus morbis ſi quid tibi videtur movendum, moue; dum verò conſiſtunt melius eſt quietem habere*, vbi Galenos inquit, quòd propria remedia ſunt ſanguinis miſſio, & purgatio, de quibus aſſerit Hippocrates, quòd ſolùm fiant in principio: ergo ex Hippocratis, & Antiquorum doctrina ſanguinis miſſio non debet exerceri in augmento febris putridæ.

Secundò; dum natura celeriter, & cum ſecuritate valet deuincere morbum, inutilis eſt ſanguinis miſſio: ſed in augmento febris ſalubris, quod cognoſcitur per hoc, quòd incipiant apparere ſigna coctionis, ratione coctionis apparentis, natura celeriter, & ſecutè poteſt deuincere morbum: ergo non eſt ſanguis mittendus: Probatur minor ex Hippocratis decreto *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 2. *comment.* 24. docente, *Coctionem, celeritatem indicy & ſecuritatem ſignificare.*

Tertiò; dum morbus eſt in ſtatu, Hippocrates docet nihil mouendum eſſe: & Galenus reddit rationem, quia ſcilicet ne interturbetur coctio: ſed in augmento etiam apparent ſigna coctionis: ergo ne interturbetur coctio non debet mitti ſanguis.

§. II.

Communis Dogmaticorum præfertur opinio.

RESoluendum, quòd in augmento febris putridæ debet exerceri ſanguinis miſſio, ſi antecedenter non fuerit miſſus ſufficienter. Sic in communi praxi omnes Dogmatici exercent noſtris temporibus: ſicque valet deduci hæc doctrina ex Galeno *lib. de optima ſecta ad Traſibulum cap.* 39. §. *In pluribus autem temporibus idem nonnunquam auxilium fertur, initio autem morbi atque incremento ſanguis emittitur, & lib.* 9. *methodi cap* 5. §. *Si aliquando curare, &c.* & *lib. de ſanguinis miſſione c.* 20. §. *Verum quoniam quintum diem, &c. & lib. de optima ſecta ad Traſibulum cap.* 21. aliiſque in locis, hanc docuit Galenus doctrinam; quam Carrerius cum Valleſio proſequitur in *fen.* 1. 4. *diſput.* 8. & rationibus confirmat: Tum 1. quia in augmento poteſt dari febris eodem modo indicans ac in tempore principiĳ, & æger poteſt eſſe cum robore virium; & cùm ſit præſentia poſtulantium, & abſentia impedire valentium, debet ſanguinis miſſio exerceri, vt ex eodem Galeno antecedenter diximus. Tum etiam, quia in principio ſanguinem mittimus, vt in ſubſequentibus temporibus vigorem cohibeamus, quæ ratio etiam conuincit, vt mittatur ſanguis in augmento.

§. III.

Soluuntur rationes propoſitæ in principio.

AD 1. Reſpondetur, quòd authores citati, ſi loquantur cum Hippocrate, qui docet quòd, inchoantibus morbis, id eſt exiſtentibus in principio, & augmento, nam nomine inchoationis, ſeu principiĳ, vtrumque tempus amplectitur; tunc nihil afferunt contra noſtram doctrinam. Si autem contendant; quòd in ſolo principio ſanguis eſt mittendus, contra ipſos omnes noſtram ſancimus opinionem, ex Galeni decreto, & Modernorum communi vſu in praxe practica.

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſi per ſanguinis miſſionem interturbaretur coctio, etiam in principio eſſet inutilis, & in omni alio tempore febris humoralis, nè in illo coctio interturbaretur, & conſequenter nun-

A quam ſanguis eſſet mittendus in illis : cuius contrarium decreuimus ex Galeno, qui potiùs docet coctionem perfici ſanguine miſſo, *leuata namque corpus noſtrum regit natura, & eo quo veluti premitur exonerata, quod concoqui eſt habile, concoquit.*

Ad 3 Reſpondetur, quòd Galenus in ſtatu prohibet ſanguinis miſſionem, quantùm poſſibile fuerit, ne interturbetur coctio; & deſiderat quòd fiat in principio: ſed quia non ſemper poſſibile eſt quòd fiat pro exigentia cauſæ morbificæ, cogimur in ſubſequentibus temporibus ſubuenire naturæ cauſam deponendo, ſi vrget neceſſitas.

B ---

RESOLVTIO IX.

Vtrùm in Statu liceat ſanguinem mittere in febribus putridis?

§. I.

Fernelĳ adducitur opinio.

C PRo parte negatiua Carrerius adducit Fernelium *lib.* 2. *method. cap.* 15. qui contendit nunquam ſanguinis miſſionem exercendam eſſe in morbi vigore. Primò, quia in ſtatu iam natura ſeparauit vtile ab inutili, & quod inutile eſt, debet ſeparari medicamento ſelectiuo: ſed ſanguinis miſſio ſimul cum inutili attrahit vtile, quod iam erat ab inutili ſeparatum : ergo non conuenit in ſtatu.

Secundò : Galenus docet in febribus putridis ſanguinem eſſe mittendum, vt leuata natura valeat concoquere humores : ſed in ſummo vigore humores ſunt iam concocti : ergo non eſt exercenda ſanguinis miſſio.

Tertiò : quia, vt diximus *de purgandi ratione*, peracta coctione dum febris pendet ab humore ſeparato à ſanguinis commixtione, ab ipſa febre indicatur purgatio:
D ſed dum à febre pendente ab humore ſeparato à ſanguinis commixtione indicatur purgatio, non poteſt indicari ſanguinis miſſio, quia hæc indicatur à febre, prout pendet ab illo humore ſanguini commixto, vt patet ex dictis: ergo in ſtatu non debet ſanguis mitti.

Quartò confirmatur, Tum 1. ex Hippocrate, qui morbo ad indicationem eunte prohibet ſanguinem mittere : Tum 2. ex Gal. decreto *in commentario* 2. *Aphoriſmorum ſententia* 19. Tum 3. ex Auicenna, qui *in cur. febr contin.* ita docet §. *Tunc non phlebotomes in ſtatu eius, cum non ſit intenſio, & fortaſſe interficies, &c.* ergo in ſtatu ſanguinis miſſio non debet exerceri.

E §. II.

Carreiri præfertur opinio.

REſoluendum : quòd ſæpè in ſummo vigore conuenit ſanguinis miſſio. Sic tenet Carrerius, Valleſium, & Mercatum Patronos adducens, *fen.* 1. 4. *diſput.* 8.

Probatur ex Galeno, qui tum *lib.* 9. *methodi cap.* 5. qui pro curatione febrium continentium, dicit *ſanguinis miſſionem nullo non tempore eſſe vtilem.* Tum *lib. de morb. temporibus c.* 4. in febribus ſynochis fatetur plerumque horis tribus ad vigorem peruenire, in quibus neceſſariò cum ſanguinis miſſio ſit exercenda, debet exerceri in ipſo vigore: ergo ſanguinis miſſio in vigore febris putridæ poteſt eſſe vtilis.

Probatur

Probatur ratione fundamentali, ſanguinis miſſio indicatur, dum adeſt febris, quæ ſit morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis, ſeu humoris ſanguini commixti: ſed in ſummo vigore, etiamſi appareant ſigna coctionis reſpectu eius materiæ, quæ concocta eſt, cùm febris ſit in vigore, adhuc pendet à putreſcente humore, qui adhuc eſt ſanguini commixtus: ergo à febre putrida pendente ex vitio ſanguinis in vigore indicatur ſanguinis miſſio.

Probatur 3. Si in vigore impediatur Criſis, aut coctio non poſſit perfici, quia humor ob copiam perfici non poteſt, ſanguinis miſſio indicatur, vt leuata natura coctionem perficiat: ergo debet exerceri.

§. III.

Fernelij diluitur fundamentum, & rationibus adductis reſpondetur.

AD 1. Reſpondetur, quòd in ſtatu ſimul ſtant ſigna coctionis aliquarum partium, & immenſa putredo in aliis partibus; & licèt omnes partes eſſent ſimul coctæ, & ſeparatæ vtiles ab inutilibus, iam non poſſet indicari ſanguinis miſſio, tamen à febre prout pendet ab humore putreſcente commixto ſanguini, illius indicatur euacuatio per ſanguinis miſſionem.

Ad 2. Reſpondetur, Quòd in ſummo vigore, vt dixi, non eſt perfecta coctio, nec omnes partes ſunt coctæ, ſed illæ a quibus pendet febris prout commixtæ ſanguini, indigent ſanguinis miſſione euacuari, vt diximus.

Ad 3. Reſpondetur, Quòd probat, quòd in declinatione, peracta coctione, maiori ex parte debeat exerceri purgatio: dum enim Hippocrates docet, quòd concocta medicari oportet, & nos cum illo; intelligendum de perfecta coctione: aliàs in principio, & augmento apparentibus ſignis coctionis exhibemus ſolutiuum pharmacum.

Ad 4. Reſpondetur, Quòd Hippocrates non intendit docere, quòd ſanguinem mittamus, quantum poſſibile fuerit ante vigorem, quia tunc cùm vrgeat morbus, debiles ſunt vires; non tamen negat quòd ſi vires permaneant, & antecedenter non potuit ſarcina ſufficienter deponi, non debet exerceri ſanguinis miſſio, quæ alias ab humore putreſcente ſanguini commixto eſt indicata. Tum 2. quòd hoc idem intendit Auicenna, quòd ſcilicet in principio, & augmento, dum vires valent, quantùm poſſibile fuerit mittatur ſanguis: eius rationem reddit dicens: *& fortaſſe interficiet propter aduentum debilitatis*: non enim quia ſanguinis miſſio non ſit indicata illam prohibet, ſed illam timet propter virium caſum.

Resolutio X.

Vtrùm in declinatione febris putridæ ſit aliquando vtilis ſanguinis miſſio

§. I.

Partis negatiuæ proponuntur fundamenta.

FEbri non eſſe ex vſu ſanguinis miſſionem, dum peruenit ad declinationem vniuerſalem, videtur comprobare omnes rationes, quæ probant illam eſſe neceſſariam in principio, & augmento Tum 1. quia Hippocrates morbo eunte ad indicationem do-

A cuit quieſcendum à remediis magnis. Tum 2. quia *in lib. 2. acutorum text. 44.* Inquit: *poſt veram declinationem, iam tempus refectionis inſtat; non eſt ergo opus alio auxilio.* Tum 3. quia Galen. *lib. de Criſibus* determinat quòd in declinatione vniuerſali æger morâ non poteſt & conſequenter magna remedia non ſunt neceſſaria. Tum 4. quia in declinatione materia eſt perfectè cocta, & ſeparatum vtile ab inutili, & ſoli purgationi eſt locus. Tum 5. quia ſanguinis miſſio intenditur, vt ablatâ causâ impediamus febris, & ſymptomatum accidentia, quæ in ipſa declinatione iam ſunt remiſſa. Tum 6. quia in declinatione non eſt indicata ſanguinis miſſio, cùm iam non dependeat ab humore putreſcente ſanguini commixto, cùm B iam ſit cauſa morbifica ſeparata à commixtione ſanguinis: ergo ſanguinis miſſio non debet exerceri in declinatione vniuerſali febris putridæ.

§. II.

Valleſij & Carreiri, communiorque opinio præponitur.

REſoluendum, quòd in febrium humoralium vniuerſali declinatione, euacuationis causâ, & ſimul gratiâ attemperationis, poteſt exerceri ſanguinis miſſio, ſi febris fouetur ab aliqua portione humoris adhuc ſanguini commixti: ſic admittunt Carreirus, & Valleſius, ſaltem gratiâ attemperationis, nihil curando de indicante: & ſic communiter in febribus C Chronicis exercent communiter Practici.

Probatur 1. ex Auicenna *fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 64. §. In fine Quartanæ ſi neceſſaria ſit phlebotomia.* Tum quia dum febris pendet ab humore craſſo ſanguini commixto, licet appareant ſigna perfectæ coctionis, diù tamen ab illo humore poteſt febris foueri, & vires debilitari poſſunt, iterúmque incaleſcere, & in causâ eſſe vt recidiua ſuperueniat; & ideò ſanguinis miſſio vtilis eſt, partim euacuationis, partim, refrigerationis causâ.

Tum quia licèt vi morbi æger non poſſit occidi à febre in declinatione, poteſt tamen mori ex virium debilitate: hæ autem dum ratione permanentis febris in declinatione impediuntur reſarciri, & reſoluuntur D impedita nutritione, ob continuum ſpirituum diſpendium debilitantur, & caſus virtutis eò deduci poteſt vt ſimul vires, & morbus pereant. Tum quia reſpectu eius cauſæ à qua fouetur febris, adhuc deſideratur coctio, cùm ratione putredinis foueat febrem, & indiget miſſione ſanguinis, vt leuata natura reſpectu illius partis putreſcentis concoquat quod concoqui eſt habile, & excernat quod perit excerni: Galeni enim doctrina communis eſt reſpectu cuiuſvis partis fouentis febrem, & pro omni tempore in quo indiget artis auxilio.

§. III.

Soluuntur argumenta primò adducta.

E AD 1. Reſpondetur, quòd ex Hippocrate, eunte morbo ad indicationem, melius eſt quietem habere, dum ſine aliqua noxa, aut periculo expectatur cita, ac ſecura morbi iudicatio, aut terminatio. Dum ergo ex vi morbi mortis poteſt periculum ſubſequi, conuenienti auxilio illud auertere tentandum. Tum 2. quòd in *lib. 2. acutorum*, in eodem ſenſu loquitur de refectione virium, dum poteſt morbus ſine earum iactura terminari. Tum 3. quòd Galenus docet, quòd æger in declinatione non perit ob morbi vehementiam, benè tamen ob virium caſum, qui poteſt accidere, in declinatione a febre quæ pendet a cauſa à qua

poteſt

poteſt diù foueri. Tum 4. quòd licèt in declinatione A reſpectu febris pendentis ab humore iam ſeparato à ſanguinis commixtione indicatur purgatio, adhuc & ipsâ peractâ, contingit, quòd aliquando febris foueatur ab alia humoris portione ſanguini adhuc commixta putreſcente, & reſpectu febris pendentis ab iſta indicatur adhuc in declinatione ſanguinis miſſio. Tum 5. quòd dum febris & accidentia remiſſa ſunt, & febris iam dilabitur, non indiget miſſione ſanguinis, ſed dum diù permanet, & ſua intenſione & propter ſua accidentia timentur damna, ex quibus periculum poſſit ſubſequi, tunc enim dicimus mittendum eſſe ſanguinem. Tum 6. quòd nuper diximus qualiter poteſt B indicari ſanguinis miſſio in declinatione vniuerſali.

Resolvtio XI.

Vtrùm in declinatione, ſaltem refrigerationis causâ ſit mittendus ſanguis, dum febris pendet ab humore cacochymo?

§. I.

Zacuti opinio proponitur, & probatur.

SAtis manet ex dictis manifeſtum, quòd ſanguinis C miſſio, vt exerceatur methodice, debet eſſe indicata, & quòd indicatur ex vitio ſanguinis, ſiue ratione humoris illi commixti: & in præcedenti Reſolutione diximus, quòd à febre pendente ex humorali causa, adhuc in declinatione poteſt exerceri ſanguinis miſſio: ſed nunc inquirimus vtrùm ſi febris in declinatione diù permanens foueatur ab humore aliquo cacochymo, an ſaltem refrigerationis causâ debeat exerceri ſanguinis miſſio. Zacutus *tom. 2. libr. 4. cap. 15.* teſtatur quòd poteſt ſanguinis miſſio exerceri in febre putrida pendente à pura cacochymia, licèt non ratione euacuationis, ſaltem ratione reuulſionis, vel ratione ventilationis, etiamſi ſanguini non ſit commixtus humor, à quo pendet febris: fundamentis his fulcitur. D

Primò, quia ſi ſuperuenit pleuritis orta ex materia bilioſa ſanguinem mittimus ob illius reuulſionem, etiamſi morbus pendeat ex humore cacochymo, & ſeparato à ſanguinis commixtione: ergo ſi pendeat febris à cacochymia puta fluente in aliquam interuenam cauſam, ſanguinis miſſio in febre, reuulſionis causâ debet fieri.

Secundò: quia ſanguinis miſſio deobſtruit; & facit vt aër, ablata obſtructione, ingrediatur per poroſitates, & humores, ac fuligines attemperet, ſolùm quia aufert humorem cacochymum impedientem ventilationem: ergo in declinatione febris pendentis E ex nuda cacochymia, ſanguinis miſſio debet exerceri attemperationis causâ.

Tertiò: ſi febris pendeat ab humore bilioſo, per ſanguinis miſſionem refrigeratur corpus, & extinguitur febris, vt docuit Galenus *lib. 1. Aphoriſmor. comm. 23. §. Nam in ardentibus febribus, ſi vſque ad animi deliquium ſanguis mittitur, ſtatim totus habitus refrigeratur*: ergo ſi ſanguis mittatur in declinatione febris pendentis ex pura cacochymia, totus habitus refrigerabitur, & febris remittetur.

§. II.

Partem negatiuam præferendam ſuſcipimus.

REſoluendum: quòd ſi febris pendet ex humore cacochymo ſeparato à ſanguinis commixtione, A & ſupernatante, ſanguis non eſt mittendus in declinatione, nec in alio quouis morbi tempore, nec reuulſionis, nec ventilationis causâ.

Probatur 1. ſanguinis miſſio non debet exerceri nec reuulſionis, nec ventilationis causâ, niſi ſit indicata: ſed in febre pendente à pura cacochymia non eſt indicata: ergo non eſt exercenda. Probatur minor, Tum quia indicans ſanguinis miſſionis, & purgationis eſt diuerſum; & cum purgatio indicetur à morbo pendente ab humore cacochymo, ab illo non poteſt indicari ſanguinis miſſio. Tum quia ſanguinis miſſio indicatur, vt diximus, à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, ſeu humoris ſanguini commixti; non B autem ab humore ſeparato ab eius commixtione, qualis eſt cacochymus.

Probatur 2. ex Hippocrate *1. Aphoriſmor. 22.* vbi turgente materia docet purgandum ſtatim, in eodem morbo pendente ab illa, in quo mittebamus ſanguinem, antequam turgeret: quod non alia ratione fit, niſi quia turgens humor redditur cacochymus, & morbus ab illo pendens diuerſum remedium indicat ac antea: ſed antequam fieret turgens, ac cacochymus, indicabat ſanguinis miſſionem: ergo poſtquam eſt cacochymus, numquam valet indicare illam, ſed ſolam purgationem.

Probatur 3. In declinatione, concoctâ iam materiâ C in morbo magno pendente ab illa, vt ſeparata à ſanguinis commixtione, & vt cacochyma eſt, indicatur purgatio, & ideò docet Hippocrates *libr. 1. Aphoriſmor. ſent. 22. concocta medicari*: ergo debet exerceri purgatio, & non ſanguinis miſſio, quia ab eodem indicante eodem modo ſe habente ſemper debet idem remedium indicari. Tum quia, vt docet Galenus *lib. de optima ſecta cap. 35.* remedium debet exerceri dum eſt indicatum, & dantur illius permittentia.

§. III.

Zacuti fundamenta ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur: quòd *diſputatione de purgandi ratione*, diximus quòd ſanguinem mittimus in dolore pleuritico pendente ex humore bilioſo, quatenus ratione doloris fluit ſimul ſanguis, & à D morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in motu, indicatur ſanguinis miſſio; licèt non indicetur à morbo prout ſolùm pendet ab humore cacochymo ſimul fluente: in febribus, ſi pendent partim ab humore cacochymo, partim ab eo qui ſanguini eſt commixtus, ratione huius aliquando ſanguinem mittimus, adhuc ſi ſit ſimul cacochymia; at verò dum febris pendet ex pura cacochymia, vt ſupponit Zacutus, tunc ſanguis, nec reuulſionis, nec attemperationis causâ debet mitti.

E Ad 2. Reſpondetur: quòd ſi obſtructio oriatur à ſanguine, ad quem ſequitur morbus, tunc debet auferri per remedium indicatum à morbo pendente ex illo vitio ſanguinis, quod eſt ſanguinis miſſio; at verò ſi morbus pendet ex obſtructione ab humore cacochymo, tunc curatio debet fieri per remedium indicatum ad auferendam illam plenitudinem, à qua morbus fouetur; & cùm hoc remedium ſit purgatio, quæ indicatur à morbo pendente ex humore cacochymo, ideò hæc debet exerceri.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſi febris pendet ex humore bilioſo, per eius ablationem refrigeratur corpus; at verò Medicus attendit, an debeat euacuari purgatione, an ſanguinis miſſione: & ſi ab illo, quia eſt ſanguini commixtus, indicatur ſanguinis miſſio, hæc exercetur; ſi ab illo, quia eſt cacochymus,

&

& ſupernatans, indicatur purgatio, illam exercere Medicos.

Dices: Etiam ſi non ſit indicata ſanguinis miſſio, ratione cauſæ, à qua dependet febris, eſt tamen indicata ratione finis, refrigerandi inquam, aut reuellendi.

Reſpondetur: quòd finis refrigerandi, euacuandi, aut reuellendi, aut deriuandi, poteſt conſequi ſiue humor euacuetur ſanguinis miſſione, ſiue purgatione; & ideò ex alio principio debet ſumi ratio eligendi, an ſecuriùs cum hoc medio, aut cum illo, conſequatur talis finis; ſcilicet ex proprio indicante cuiuſlibet remedij ex his; finis enim, dum diuerſis medijs poteſt conſequi, neutrum determinat, ſicut faciendum iter non determinat, an equo, an curru, an ſine his debeat fieri.

Resolutio XII.

Verùm in quouis particulari tempore febris ſit exercenda ſanguinis miſſio?

§. I.

Dubitandi ſtatuitur ratio, aut fundamentum?

DVo pater tempora in febribus reperiri: vniuerſalia, quæ attenduntur penes alterationem totius materiæ morbificæ; Particularia quæ attenduntur penes mutationes repertas ratione eius partis materiæ, quæ pro vnaquaque acceſſione fouenda mouetur: & de particularibus temporibus repertis in vnaquaque acceſſione, quod ſit aptius, vt in illo exerceatur ſanguinis miſſio, proponimus examinandum. Contendunt aliqui, quòd ſi ſanguinis miſſio eſt indicata, in quouis particulari febris tempore poteſt exerceri, tam in febribus continuis, quam intermittentibus. Alij indicant; quòd in febribus continuis, in tempore alleuiationis; in intermittentibus, in augmento, & vigore, vtilior eſt ſanguinis miſſio. Alij verò in continuis, & intermittentibus, cùm non dependeant ab humore melancholico, indicant ſanguinem eſſe mittendum in tempore declinationis; in Quartana verò in ipſo principio particulari acceſſionis. Quibus fauet,

Primò: ſanguinis miſſio debet exerceri, dum vires permittunt, & ipſa eſt indicata: ergo ſi vires ſubſiſtant, & ipſa ſit indicata, in quouis tempore particulari febris poteſt exerceri.

Secundò: Dum ſanguinis miſſio exercetur in febribus, euacuationis, & ſimul reuulſionis cauſâ, in eo tempore potiùs petit exerceri, quo humor petit reuelli: ſed in febre intermittente, cùm humor moueatur in acceſſione, in illa petit reuelli: ergo in illa debet exerceri.

Tertiò: Dum magis viget morbus, magis viget neceſſitas illius curandi: ſed in acceſſionibus magis viget: ergo & neceſſitas exercendi ſanguinis miſſionem.

Quartò: in Quartana, cùm humor ſit craſſus, terreſtris, & ineptus motui, tunc debet moueri per ſanguinis miſſionem, cùm minùs valet reſiſtere motui: ſed dum in acceſſione à natura mouetur, minùs valet reſiſtere vt ſanguinis miſſione valeat moueri: ergo in principio acceſſionis debet ſanguinis miſſio fieri in Quartana.

§. II.

Carreiri, ac communis opinio ſancitur.

REſoluendum: quòd in intermiſſione, aut declinatione continuæ putridæ debet exerceri ſanguinis miſſio, tenet Carreirus *in fen.* 1.4. *diſput.* 18. proſequitur Valleſius hanc doctrinam *lib.* 4. *methodi.* ſancivit Cornelius Celſus *lib.* 1. *cap.* 10. §. *Quod ſi febris vehemens vrgeat in ipſo impetu eius ſanguinem mittere, iugulare eſt hominem*: ante ipſum docuit Galenus *lib. de ſanguinis miſſione c.* 21. §. *ſed enim, quod in ipſo rurſum die in quo ſanguinem mittimus obſeruanda ſit febris declinatio, claré ſatis arbitror.* Tum paulò infrà idem docet: §. *Ita verum ſi quis memoria teneat, quæ toto ſuprà libro ſunt dicta, nihil tale committet, ſanguinem mittens, quauis diei, noctiſque hora, modò reſpiciat in febrientibus particularium paroxyſmorum declinationem.* Tum *in lib. de humoribus, commen.* 12.§. *In febribus continentibus. ſi manifeſtam aliquam acceſſionem adferant, in qua accedentes in eadem permaneant magnitudine, & ordinatas, & inordinatas caſiones faciant, ſumma diligentia attendendum eſſe, nè increſcentibus inuaſionibus moliantur, ſed in placidioribus duntaxat temporibus.*

Probatur tum 1. quia tunc remedium magnum debet exerceri, dum vires potentiores ſunt ad illud nouas ferendas, & vt valeant ſimul cum illo euacuationem ferre, & coadiuuare; quod in tempore intermiſſionis, in quo vires minùs opprimuntur vi morbi, debet contingere. Tum quia natura in tempore principij, & augmenti, aliquid extranſfat ex materia morbifica à venis maioribus, vel in minores, vel in partes externas; qui motus cùm ſi naturæ vtilis, potius debet iuuari quàm impediri per ſanguinis miſſionem, quæ tunc eſſet reuulſiua. Tum quia Hippocrates in acceſſionibus nè diſtrahatur natura ab expulſione, & cauſæ morbificæ reſolutione, prohibet cibum dare: ergo potiori iure debet prohiberi quòd exerceatur ſanguinis miſſio, cuius cauſa magis diſtrahi, & impedita eſſet neceſſarium.

§. III.

Solutio adhibetur propriis fundamentis.

AD 1. reſpondetur: quòd ſanguinis miſſio debet exerceri dum eſt indicata, & vires magis permittunt, & cum minori diſpendio illam poſſunt ferre: quod cùm contingat in declinatione, vel in tempore intermiſſionis: ideò in illis exercenda eſt.

Ad 2. Reſpondetur: quod cum in principiis febrium moueatur materia in partes externas, non debet reuelli humor; quia ex Hippocrate, Quò natura vergit, ducere oportet per loca conferentia.

Ad 3. Reſpondetur: quòd dum magis viget morbus, viget magis neceſſitas curandi illum, non per remedia quomodolibet exercita, ſed iuxta occaſionem vnicuique remedio proportionatam: occaſio autem mittendi ſanguinem, adhoc ſi febris vrgeat, eſt, dum in eius remiſſione vires meliùs valent illam tolerare.

Ad 4. Reſpondetur: quòd licèt in Quartana ob rationem dictam deberet ſanguinis miſſio exerceri in principio, non conuincit hæc ratio vt ſimili modo fiat in reliquis febribus. Quid autem dicendum de illa, proponemus agentes de illius curatione.

RESOLVTIO XIII.

Vtrùm in Tertiana exquiſita conueniat ſanguinis miſſio?

§. I.

Barbarorum, & aliquorum Modernorum refertur opinio.

APud Barbaros, & Moderniores plures huius ſunt opinionis, vt nunquam ſit vtilis ſanguinis miſſio pro Tertiana exquiſita curanda: ſic tenet Raſis *lib.* 27. *continentis cap.* 2. Iſaac *lib.* 3. *practica cap.* 12. Auerroës 7. *Collectaneorum cap.* 11. Hali Abbas *lib.* 3. *Practica cap.* 12. Serapion *lib* 13. *Breuiarij c.* 15. Huius ſententiæ videntur eſſe Paulus *lib.* 2. c. 21. Celſus *lib.* 3. c. 14. Aëtius *tetrabili* 2. *ſerm.* 1. c. 80. qui Galenum videntur ſequuti *lib.* 1. *de arte curatiua ad Glauconem*, omittendo miſſionem ſanguinis in Tertianæ exquiſitæ curatione, quos inter Moderniores ſequuntur Foreſtus *lib.* 3. *Conſult.* 3. Nuñez *lib.* 2. *Aphor. comment.* 22. Hollerius 2. *de febribus cap. de Tertiana exquiſita*. Mercurialis *lib.* 5. *cap.* 17 *ſuæ praxis*, Maſſaria *lib. de ſcopis*. Capriuaccius *lib.* 6. c. 29. Rondeletius *lib. de curandis febribus*. Quibus fauent,

Primò. Tum Galenus. Cornelius, & alij ex Principibus Medicinæ Dogmaticæ, qui hoc remedium omiſerunt in huius febris curatione. Tum 2. quia Auicenna *fen.* 4. *lib.* 1. *cap.* 20. præcauens, quòd ſanguine miſſo bilis non ebulliat, inquit: *Caue ne ægrum ad vnum ex duobus perducas. ſcilicet humorum cholericorum ebullitionem. aut frigidorum cruditatem*: Ergo ne bilis nuda ex ſanguinis conſortio ebulliat, ſanguis non eſt mittendus.

Secundò: ſanguinis miſſio indicatur à morbo magno, prout magnum eſt remedium: ſed Tertiana exquiſita non eſt morbus magnus, cùm non minetur periculum: ergo in illa non debet exerceri ſanguinis miſſio.

Tertiò: Morbus pendens ex humore cacochymo indicat purgationem, non autem ſanguinis miſſionem: ſed Tertiana pendet, ſi exquiſita eſt, ex bile pura, & ſyncera, quæ humor eſt cacochymus, vt patet dum dicitur turgere: ergo non debet pro illius curatione exerceri ſanguinis miſſio.

§. II.

Galeni opinio cenſetur affirmatiua.

REſoluendum: quòd in Tertiana exquiſita, cuius cauſa antecedens eſt ſanguini commixta, debet exerceri ſanguinis miſſio. Sic intelligendus Actuar. *lib.* 3. *Methodi c.* 19. Carreirus *fen.* 1. 4. *tr.* 2. *cap. de curatione Tertianæ*. Pereda *lib.* 2. c. 3. *In ſcholiis*, Mercatus *in curatione huius febris*, Brauo Salmanticenſis *lib. de ſanguinis miſſione*. Donatus ab Altomari *lib. de curandis febribus*. Lupercius *in Enchiridio c.* 25. Mena *lib. de curandis febribus*. Zacutus *tom.* 1. *&* 2. & tenet communis vſus practicantium.

Probatur 1. Tum ex Galeno, qui in omni febre putrida, vt priùs diximus, docuit ſanguinem eſſe mittendum, *lib.* 9. *methodi c.* 15. dum pendent à ſanguine, vel ab humore illi commixto. Tum patet ex Auicenna *fen.* 1. 4. *tr.* 2. c. 75. *Quòd ſi fuerit virtus fortis, & fuerit illud quod vincit ſanguis, aut cum humore qui vincit ſanguinem; tum phlebotomia eſt magis conueniens.* Ergo dum Tertiana pendet à bile ſanguini commixta, ſanguis eſt mittendus pro illius curatione.

Probatur 2. A morbo magno pendente ex vitio ſanguinis indicatur ſanguinis miſſio: ſed Tertiana eſt morbus magnus, quatenus cor afficit, & pendet ex vitio ſanguinis, ſeu bilis ſanguini commixtæ, quæ eſt pars ſanguinis prout dicit maſſam ſanguinariam, & ideò illius vitium dicitur ſanguinis vitium: ergo debet exerceri in Tertiana ſanguinis miſſio.

Probatur 3. ſi ſanguinis miſſio non deberet exerceri in Tertiana exquiſita, maximè quia pendet ab humore cacochymo: ſed bilis à quo pendet prout eſt ſanguini commixta, non eſt humor cacochymus, vt *ſectione de cacochymia*. demonſtrauimus, *diſputatione de purgandi ratione*: Ergo ſanguinis miſſio debet exerceri in curatione Tertianæ exquiſitæ.

§. III.

Soluuntur contrariorum fundamenta.

AD 1. Reſpondetur, Tum 1. quòd Galenus non tradidit in curatione Tertianæ exquiſitæ ſanguinis miſſionem, quia iam id docuerat *in libris methodi*, agendo de indicationibus febris putridæ in communi; & ideò agendo de illius curatione proſequitur tantùm reliqua remedia: reliqui verò Galeni Sectatores, ſicut & ille omiſit, hoc remedium omiſerunt. Tum 2. quòd Auicenna non intendit ex toto prohibere ſanguinis miſſionem, ſed determinare quantitatem, aut multiplicitatem, ne nuda bilis ſeparetur à commixtione ſanguinis, & fiat cacochyma.

Ad 2. Reſpondetur: quòd Tertiana exquiſita eſt morbus magnus imminens, quatenus minatur periculum ſi bilis augeatur per acceſſiones, vt ex illo fiat febris ardens, licèt vt febris intermittens eſt, videatur periculum abeſſe, vt docuit Hippocrates: & vlterius minatur periculum, quatenus poteſt mutari in pernicioſam, vel ab impotente natura non valente in acceſſionibus ad partes externas mouere humores, vel ob impedimentum quod poteſt in viis ſuperuenire: & ideò licèt periculum non minetur dum ſine his intermittit, poteſtate tamen apta eſt pernicioſa, & lethalis fieri; & ideò morbus ſit magnus ſaltem imminens.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſi bilis à qua pendet, eſt ſeparata à ſanguinis commixtione, eſt cacochyma, vt contingit in declinatione, & tunc indicat purgationem: ſi autem eſt ſanguini commixta, tunc pendens febris ab illa indicat ſanguinis miſſionem, & ſunt plures rationes, vt ſic indicata miſſio ſanguinis exerceatur, quas ex Actuario *lib.* 1. *Methodi c.* 19. tranſtulit Zacutus *tom.* 1 *lib.* 4. *quæſt.* 27. Tum ventilationis, & attemperationis cauſa. Tum vt ſanguis calefactus non efferueſcat. Tum vt euacuata parte materiæ morbificæ curatio ſubſequatur. Tum quia, vt adducit Abzarius à Cruce *Centuria* 4. *quæſt. per epiſt.* ne tranſmutetur in aliam deteriorem febris ſpeciem, qua de cauſa ſolet mitti ſanguis, etiamſi à febre diaria non ſit indicata, vt docet Galenus *lib.* 8. *methodi cap.* 4. dum ipſa adeſt reſpectu morbi qui imminet in humoribus calefactis, & à febre diaria in putredinem diſpoſitis.

RESOLVTIO XIV.

Vtrùm in Tertiana exquiſita in principio vniuerſali conueniat ſanguinis miſſio?

§. I.

Euſtachij, Valleſij de Taranta, Braui, & aliorum refertur opinio.

BAſis huius difficultatis eſt Auicenna *fen.* 1.4. *tract.* 2. *cap.* 39. vbi præſcribit tempus mittendi ſanguinem in Tertiana exquiſita poſt tres periodos: ſed illius loci lectio aliter ab aliis habenda iudicatur. Valleſius Tarantinus *cap. de Tertiana exquiſita*, Valſquius *in ſuis quæſtionibus*. Brauus Salmanticenſis *lib.* 2. *de curandi ratione cap.* 2. & alij legendum iudicant, & *quando eſt poſſibile, vt non phlebotomes, vſq; ad tres periodos fac:* ſed Trincauellus *lib.* 1. *ad Glauconem c.* 9. Carteirus *in fen.* 1.4. *tract.* 2. *de curatione Tertianæ exquiſitæ.* Zacutus *tom.* 1. *lib* 4. *q.* 16. Donatus *cap. de Tertiana exquiſita curatione.* Mercatus, Rondeletus, & Pereda ibidem. Guainerius *tract.* 1. *de febribus c.* 1. Antonius de Gradis *tract. de febribus c.* 9. Coſtæus *in Auicennam*, ſequuntur Arculani, & Gentilis lectionem; qui Auicennam ſic legunt, *& quando poſſibile eſt, vt phlebotomes vſque ad tres periodos, fac.*

§. II.

Communis recipitur Auicennæ lectio.

IVxta communiorem doctrinam admittitur Auicennæ tradita lectio. Sic teneo cum Authoribus pro hac parte citatis.

Probatur omnibus rationibus, quibus probauimus in principio vniuerſali febrium putridarum ſanguinem eſſe mittendum: & ſic intelligendum de omnibus iudicamus Hippocratem, qui inchoantibus morbis mouendum, & ſanguinem mittendum docuit. Tum quia exquiſita Tertiana ex Hipocrate ſeptem periodis terminetur, poſt tres periodos iam eſt in declinatione, & eſt concocta materia, & tunc purgatio eſt indicata, & non ſanguinis miſſio. Tum quia ſanguinis miſſio ordinatur in Tertiana, ad deponendam cauſam, & ad attemperandum, & impediendum ne mutetur in deteriorem morbum; quod cùm in augmento, aut ſtatu maximè timendum ſit, antecedenter maximè innitendum eſt hoc vitare: ergo ante tres periodos ſanguis eſt mittendus in exquiſita Tertiana. Patebit in ſubſequentibus manifeſtiùs.

RESOLVTIO XV.

Vtrùm ante tres periodos in perniciosa Tertiana ſanguis eſt mittendus?

§. I.

Pars ſuadetur negatiua.

TEmporum decurſu noui ac inauditi ſuperueniunt morbi. Tertianæ intermittentes fuêre ab antiquis cognitæ, periculo vacantes; & ſi ab impermixta bile pendeant, ſeptem periodis vt plurimùm terminatæ. Noſtra ætas vidit has eaſdem Tertianas perniciosas reddi, ac lethales. Omnium primus noſter anteceſſor doctiſſimus Mercatus incidit in earum ſpeculationem, & in perpendendis earum natu-

A tis, ſignis, prognoſi, & curatione primus ac vltimus ſtetit, omnemque ſucceſſoribus in hac re, meo videri, abripuit gloriam. Ab ipſo harum febrium tractationem tranſtulit noſter etiam Anteſignanus ſapientiſſimus Doctor Cyprianus de Maroja *lib.* 4. *de febrium curatione*, & eruditiſſimus Sennertus *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 18. qui in determinando an ſanguis in his febribus ſit in principio mittendus, negatiuam partem amplectuntur: videtur enim, quòd ante tres acceſſiones non debeat mitti.

Primò: quia Auicenna, vt ex dictis patet ex conſenſu plurium doctiſſimorum Virorum docet: *vſque ad tres periodos non phlebotomes*, ſed hoc probauimus non eſſe intelligendum de Tertianis non perniciosis: ergo ſaltem de perniciosis debet intelligi.

B Secundò: Febris Tertiana intermittens perniciosa fit magna ex parte ob decubitum materiæ morbificæ in ventriculum, vel in aliquam partem principem ſit talis: ſed à febre pendente ab humore extrauaſato, & ſeparato à ſanguinis commixtione, non poteſt indicari ſanguinis miſſio, ſed purgatio, quia cùm per ſeparationem à commixtione ſanguinis fiat cacochymus, neceſſariò indicat purgationem: ergo donec ſanguini commiſceatur, per tres periodos, ſanguis non eſt mittendus in illis.

Tertiò: Mercatus, & experientia docet purgationem debere in principio exerceri in his Tertianis: ergo non debet exerceri ſanguinis miſſio in principio;
C quia Tertiana perniciosa eodem modo ſe habens, non poteſt ſimul, & ſemel indicare ſanguinis miſſionem & purgationem.

Quartò: Bilis exiſtens in prima regione non poteſt extrahi per ſanguinis miſſionem, cùm ſanguinis miſſio ſit euacuatio humorum qui in ſecunda regione continentur: ſed cauſa morbifica à qua pendet Tertiana perniciosa plerumque continetur continuò in prima regione, vt apparet ex continuis vomitibus, anxietatibus, nauſeis, ac doloribus, quæ non ſolùm in acceſſionibus, ſed ipſa peracta percipiuntur: ergo non poteſt euacuari per ſanguinis miſſionem, donec tribus acceſſionibus peractis, & euacuata primæ regionis
D materia per vomitum, ſi quid intra venas relinquitur, miſſione ſanguinis euacuetur.

§. II.

Quòd ante Purgationem ſanguis mittendus non ſit in Tertiana perniciosa, reſoluitur.

PVrgatio in Tertiana perniciosa ob ventriculum læſum præire debet miſſionem ſanguinis, præcipuè ſi fiat perniciosa per decubitum materiæ morbificæ in principem partem. Sic deducitur ex Mercato, & admittunt Sennertus, & Maroja.

Probatur ex Galeno *lib. meth.* quia ſi præcedit cruditas, vel humorum profluuium, ſanguinis miſſionem cohibet fieri, donec concoquenda materia elaboretur,
E vel euacuanda deſcendat: ſed humor qui tranſmittitur pro acceſſione efficienda in primam regionem, cùm iam ſit humor in prima regione concoqui poteſt: ergo ante ſectionem venæ debet præire purgatio, qua deſcendat humor in illa contentus.

Probatur 2. Sanguine miſſo, ſucceſſione ad id quod euacuatur refluunt humores, & à prima regione in venas delati maſſam ſanguinariam conſpurcare valent, morbique cauſam adaugere: ergo cùm in Tertiana perniciosa maximè humorum copia per partes vicinas extrauaſata permaneat materia morbifica, in magnaque copia intra primam regionem plerumque retineatur, antequam fiat ſanguinis miſſio debet præire purgatio.

§. III.

§. III.

Miſſioni ſanguinis præſcribitur locus.

RESoluendum: quòd dum euacuatione purgatoria liberatur prima regio à bilioſo humore miſſionem ſanguinis impediente, ante tertiam acceſſionem ſtatim ſanguis eſt mittendus in ſequenti declinatione, attento virium robore, ſi cauſa antecedens tertianæ pernicioſæ ſit ſanguini commixta.

Probatur ex Galeno: ſanguinis miſſio debet exerceri, dum manet indicata, & deficit impedimentum: ſed virium manente robore, & ablatis humoribus primæ regionis, deficit impedimentum, quia auſertur, & ipſa manet indicata, quia Tertiana pernicioſa eſt morbus magnus ac lethalis, & pendet ex vitio ſanguinis, qua cauſa antecedens illius, à qua indicatur ſanguinis miſſio, eſt bilis ſanguini commixta: ergo ſtatim in ſequenti declinatione debet exerceri ſanguinis miſſio.

§. IV.

Soluuntur rationes primò adducta.

AD 1 Reſpondetur: quòd rationes quæ probant, quòd ſanguinis miſſio debet exerceri in principio in aliis Tertianis, probant de pernicioſis, ablatis impedimentis, quæ in his ſubſequuntur.

Ad 2. Reſpondetur, quòd in Tertiana pernicioſa bilis duplex reperitur, altera quæ intra venas eſt ſanguini commixta, & eſt cauſa antecedens, à qua fouetur morbus, & ex qua ſeparatur pars effectura acceſſionem; alia pars reperitur extra venas, & in prima regione coaceruatur, & ibi permanens, vel circa aliquam partem principem, cauſat pernicioſa accidentia, & ab hac indicatur purgatio, quia eſt cacochyma; & ideò ſimul indicatur ſanguinis miſſio ab ea portione, quæ eſt ſanguini commixta, ab ea verò quæ eſt cacochyma, indicatur purgatio; & cùm materia cacochyma in prima regione ſit impedimentum ſanguinis miſſioni, ideò priùs exercetur purgatio, qua auſertur impedimentum, & illo ablato, ſtatim ſanguinis miſſio peri fieri in tempore morbi aptiori pro illa exequenda.

Ad 3. patet ex dictis cur vtrumque remedium habet locum.

Ad 4. Reſpondetur, quòd per ſanguinis miſſionem non intendimus euacuare cauſam morbificam exiſtentem in prima regione, ſed quæ eſt cum ſanguine intra venas antequam mittatur ab illis.

Resolvtio XVI.

Vtrùm ſanguinis miſſio in Quotidiana ſit vtilis?

§. I.

Sennerti & aliorum proponitur opinio.

SEnnertus *tom. 2. lib. 2. cap. 19.* vix locum inuenit pro ſanguine mittendo in hac febre; alij plures non eſſe mittendum affirmant.

Primò: Quòd nec Galenus, nec Græcorum aliquis in huius febris curatione ſanguinis miſſionem admittat; ergo ſanguinis miſſio in Quotidiana exerceri non debet.

Secundò: Dum in hac febre mittitur ſanguis, humor qui purus eſt extrahitur, pituita autem à qua pendet Quotidiana nuda à ſanguinis commixtione

A intra venas permanet diù febrem fouens: ergo ſanguis non eſt mittendus in illa.

Tertiò: In Quotidiana redundat pituita, quæ eſt humor frigidus, craſſus, glutinoſus, & indigens virium robore, vt poſſit concoqui & deuinci: ergo non debet ſanguinis miſſio in illius curatione exerceri.

§. II.

Auicennæ præfertur opinio.

REſoluendum: quòd quamdiù pituita manet ſanguini commixta, à qua Quotidiana fouetur, debet exerceri ſanguinis miſſio. Sic docuit Auicenna, ſequuntur Arabes, & Dogmaticorum Practici ſic conB ſulunt maiori ex parte.

Probatur 1. Tum ex Galeno citato, qui dicit, in omnibus febribus non continuis modò, verùm aliis omnibus quas putreſcens concitat humor, conuenire ſanguinis miſſionem. Tum ex Auicenna, qui in curatione huius febris conſulit ſanguinis miſſionem, dicens: *& quando videris vrinam groſſiorem, & rubicundiorem; non erit malum ſi phlebotomaueris:* ergo dum apparent ſigna commixtionis pituitæ cum ſanguine, ſanguis eſt mittendus. Patet conſequentia ex Gentili, qui in *Auicennæ commentario* inquit: *Nam talis vrina ſignificat phlegma ſanguineum, ſiue ſanguini commixtum.*

C Probatur 2. ſanguinis miſſio exercetur, dum indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, ſiue ab humore ſanguini commixto; ſed Quotidiana eſt morbus magnus ac pernicioſus, & dum pendet à pituita ſanguini commixta debet in illa ſanguinis miſſio fieri.

§. III.

Soluuntur fundamenta primò adducta.

AD 1. Reſpondetur: Quòd vt diximus, cùm Galenus in *lib. Method.* tradiderit in omni febre putrida ſanguinem eſſe mittendum, plerumque hoc remedium ſubticuit, dum peculiariter agit de cuiuſliD bet febris putridæ curatione, & Græci ſequuntur illius modum doctrinæ.

Ad 2. Reſpondetur; quòd ſi pituita non eſt ſanguini commixta, non eſt indicata ſanguinis miſſio: ſi eſt commixta ſimul cum ſanguine, extrahitur pituita illa commixta.

Ad 3. Reſpondetur. quod ex hoc, quòd pituita ſit humor frigidus, craſſus, glutinoſuſque, non ſequitur, quòd ſi eſt commixtus ſanguini ratione febris pendentis ex illo non ſit indicata ſanguinis miſſio; ſed quòd, vt docet Galenus *lib. de ſanguinis miſſione cap. 12.* dum humores ſunt craſſi, ſanguis parciùs eſt mittendus.

E

Resolvtio XVII.

Vtrùm in Quartana ſit mittendus ſanguis?

§. I.

Pars negatiua quibus valet fulciri?

VAriant Authores in ſanguinis miſſionis remedio præſcribendo pro Quartana curanda. Van Helmont vaniloquus huius febris difficilem curationem in Dogmaticorum refert ignorantiam; & vulgaris, ac delirus poſtquam illis multa opponit opprobria, ſanguinis miſſionem & reliqua remedia

contendens exterminare, ſicco pede diſcedit ſine huius febris cognitione, & ſine aliquo remedio vtili reperto poſtquam tot inutilia redarguere videtur conatus; ſed ſanguinis miſſionem non eſſe vtilem ex Dogmaticis videtur probari, quia ſi ſanguinis miſſio deberet exerceri in Quartana, vel dum in venis eſt multa copia melancholiæ, vel dum ſine illa eſt ſanguis purus; ſed nondum eſt multa copia melancholiæ in venis, quia Galenus potius tunc purgandum eſſe conſulit, *lib. de ſanguinis miſſione cap.* 10.§. *Cæterùm in redundantia humoris melancholici, ſanguinem mittere præſtat, aut certo omnino medicamento vti atram bilem expurgante.* Quòd autem puro ſanguine exiſtente ſanguis non ſit mittendus pro morbis pendentibus ex melancholia, docuit idem Galenus *lib.*3. *de locis affectis*, agens de malancholiæ curatione §. *His itaque conſideratis omnibus, cum ſperaueris in vniuerſi corporis venis melancholicum ſanguinem contineri, quo certiorem habeas notitiam.* Et ſuperaddit: *Quod ſi tunc fluens ſanguis non appareat melancholicus, ſtatim ſupprimatur*: idem tenet *lib.*1. *ad Glauconem*, & idem docuit Auicenna *fen.*1. *lib.*3. *tract.*8. *cap* 9.§. *Amplius ſi phlebotomes*, *&c.* ergo in Quartana nunquam ſanguinis miſſio debet exerceri.

Secundò: Omnis Quartana ſuperuenit cum magnæ copia crudorum humorum in prima regione, & ſimul in ſecundæ cum ſanguine redundantium: ſed hæc cruditas, vt diximus, impedit ſanguinis miſſionem: ergo in Quartana non debet exerceri ſanguinis miſſio.

Tertiò: Victus ratio exhibetur in febribus, prout requiritur, vt valeat vires conſeruare vſque ad ſtatum; & remedia exercentur prout requiritur, vt vires non impediantur, quo minus debilitatæ non valeant ad ſtatum peruenire cum eo vigore qui requiritur pro concoquenda materia morbifica: ſed cùm Quartana extendatur plerumque per duos, aut tres annos, & humores concoquendi ſint terreæ naturæ, & maximè reſiſtentes, ſi ſanguinis miſſione vires debilitarentur, nunquam poſſent materiam morbificam concoquere: ergo ſanguinis miſſio non debet exerceri pro Quartanis curandis.

§. II.

Dogmaticorum doctrinam amplectimur.

RESoluendum: quòd ſi Quartana pendeat à melancholia ſanguini commixta, debet in illa exerceri ſanguinis miſſio. Sic deducitur ex Galeno & Auicenna in eius curatione.

Probatur 1. ex Auicenna noſtram ſanciente doctrinam his verbis: *Verum omnibus ſpeciebus ſunt indicia: in quibus communicetur, & illud eſt quoniam illæ omnes minuuntur in principio: quare neceſſe eſt vt attendatur an ſanguis ſit dominans in ea, & propriè quando Quartana eſt melancholia ſanguinea, tunc enim phlebotometur, & extrahatur ſanguis, ſecundùm quantitatis neceſſitatem, & fortaſſe exigit multitudo eius, vt extrahatur de eo res plurima.* Ergo in Quartana orta ex melancholia ſanguini commixta conuenit ſanguinis miſſio.

Probatur 2. Quia Galenus præterquam quòd in eius curatione conſulit ſanguinis miſſionem, ipſam debere exerceri docuit *in libris methodi*, determinans in omni febre putrida ſanguinem eſſe mittendum: quæ propoſitio intellecta eo modo, quo à nobis explicatur, æquè currit de omni febre putrida.

Probatur 3. ratione fundamentali: A morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, ſiue humoris commixti ſanguini, indicatur, vt diximus, ſanguinis miſſio: ſed Quartana eſt morbus magnus: ergo dum pendet à melancholia ſanguini commixta indicat ſanguinis miſſionem.

§. III.

Soluuntur argumenta contraria.

AD 1. Reſpondetur: quòd ex Galeni locis adductis confirmatur noſtra doctrina: in primo enim intendit docere, quòd ſi melancholia eſt ſeparata à ſanguinis commixtione, debet purgari: in reliquis patet quòd ſi ſuperabundat melancholia commixta ſanguini, debet mitti ſanguis: dum autem exiit purus ſanguinis humor, cum quo melancholia non eſt commixta, non debet ſanguinis miſſio exerceri; quia cùm Quartana non pendet ex ſanguine, ſed ex melancholia, non intendimus ſanguinem mittere, niſi ratione vitij quod contrahit ob melancholiæ commixtionem.

Ad 2. Reſpondetur: quòd ex eo quòd ſit copiæ crudorum humorum; non infertur quòd ſanguinis miſſio non ſit indicata à Quartana pendente ex melancholia commixta ſanguini; ſed quòd adhuc indicata ſanguinis miſſione, eſt impedimentum, ſicut & ſolet contingere in aliis febribus, quo ablato, exercetur ſanguinis miſſio.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſanguinis miſſio debet exerceri attentis viribus, & proportionatæ quantitate, vt illæ poſſint ſubſiſtere; ſi autem magna ſit copia melancholiæ, vt docet Auicenna, in magna quantitate ſanguis poteſt extrahi, tunc enim ſicut in aliis febribus, leuata natura quod concoqui eſt habile concoquit, & ideò facit vt breuior ſit Quartana.

RESOLVTIO XVIII.

Vtrùm ex qualibet vena ſit ſanguis mittendus in Quartana?

§. I.

Communis Dogmaticorum proponitur aſſenſus.

DIſſentiunt Dogmatici in determinanda vena, ex qua ſit ſanguis mittendus in Quartana. Galenus, Stephanus, Athenienſis, Hali Abbas, Iſaac & Raſis iudicant in Quartana ſanguinem eſſe mittendum ex Baſilica ſiniſtri brachij, vel ex vena media eiuſdem, Aëtius, Trallianus, Mercatus, Mercurialis, Maſſaria, Carrerius, ex brachij dextri baſilica, aut vena communi, ſanguinis miſſionem in Quartana conuenire ſentiunt, ſicut & ex venis brachij ſiniſtri. Alij laudant apertionem ſaluatellæ manus ſiniſtræ; quibus ſubſcribit etiam Riberius. Alij verò à pede mittendum ſanguinem conſentaneum rationi ſuadere contendunt; præcipuè in illis, quibus numquam fluxerunt hæmorrhoides. Pro quibus omnibus ſtat,

Primò

Primò; Quartana pendet ex melancholia: ſed melancholia in liene, & parte ſiniſtra noſtri corporis maiori quantitate redundat: ergo ex brachio ſiniſtro ſanguis in illa debet mitti.

Secundò: Omnes humores generantur in iecore: ergo ex illa parte in qua venæ magis cum illo communicant debet ſanguis mitti; ſed cum iecore cùm ſit in parte dextra magis communicant venæ brachij dextri, quàm brachij ſiniſtri: ergo ex brachio dextro præcipuè debet exerceri in Quartana ſanguinis miſſio.

Tertiò: In ſanguinis miſſione ex ſaluatella manus ſiniſtræ minus debilitantur vires, cùm fiat cum minori diſpendio ſpirituum; & maior fit reuulſio humoris, cùm fiat à parte diſtantiori: ergo potiùs ex illa quàm ex brachio debet ſanguis mitti.

Quartò; Quartana fouetur ex liene, & humoribus, qui ſunt intra venas Meſenterij: ſed humores ibi contenti ſolùm per venas infernas, vel hæmorrhoidales poſſunt euacuari: ergo ſanguinis miſſio in Quartana ex malleolo debet fieri.

§. II.

Quid ſentiendum dum Quartana pendet ex vitio iecoris?

RESoluendum 1. Quòd ſi melancholia, ex qua fit Quartana, generetur in iecore, & vt ſanguini in venis commixta ſanguinis miſſionem indicet, ex quacumque vena, vel ex quocumque brachio poteſt indifferenter exerceri. Sic docuimus *part. 3. de febribus, in curatione canſonidis*, deduximúſque ex Sanctorio *lib. 3. methodi de vitandis erroribus c. 16.* & ex Platerio *tom. 2. tract. de febribus cap. 2.*

Probatur: quia, vt ex Anatome demonſtratur, vena caua aſcendit à iecore per vertebras ad iugulum, & æqualiter fertur ad vtrumque brachium, & vnus deſcendens ramus in flexura brachij fit vena Baſilica, Communis, & Cephalica, & deſcendens in manu dicitur ſaluatella: ergo ex quauis harum fiat ſanguinis miſſio, æqualiter ſanguis ex vena caua euacuatur, ex vtrouis brachio ſanguinem mittamus.

§. III.

Quid dicendum de Quartana ortà à liene?

RESoluendum 2. Quòd ſi melancholia à qua pendet Quartana, generetur in liene, ſanguinis miſſio non debet fieri ex brachio, ſed ex pede, aut venis hæmorrhoidalibus externis: ſic teoendum in doctrina eorum, qui tenent quòd melancholia non ſolùm cum aliis humoribus generatur in iecore, ſed etiam in liene pro nutritione partium quæ ſunt in prima regione, quam probabilem iudicauimus *ſuprà*.

Probatur. Quia ex citata doctrina ſatis conſtat à liene generari melancholiam, quæ cùm redundans poſſit contineri intra primam regionem, & prout in illa perat euacuari, nulloque modo poſſit per venas brachij extrahi, ſed per infernas venas, vel potiùs per hæmorrhoidales, conſtat ex his tantùm ſanguinem eſſe mittendum.

§. IV.

Soluuntur primò adducta argumenta.

AD 1. Reſpondetur quòd humores in liene contenti non poſſunt per venas brachij euacuari, & quæ ſunt in dextro aut ſiniſtro latere venæ, æquè diſtant, & æqualiter à iecore euacuant.

Ad 2. patet ex dictis venas vtriuſque brachij diſtare æqualiter à iecore, vt demonſtrat Anatomia.

Ad 3. Reſpondetur, quòd probat, quòd in nimis debilitatis, vtilior ſit ex manu ſanguinis miſſio, quia vt *part. 3.* diximus, minus vires debilitari docuit Auicenna; ſed humor per eaſdem venas, quæ in brachio ſunt; tandem euacuatur.

Ad 4. Reſpondetur: quòd ex hoc fundamento ſolùm probatur doctrina à nobis tradita *in hac Reſolutione* §. 3.

RESOLVTIO XIX.

Vtrùm in febre puncticulari ſit mittendus ſanguis?

§. I.

Opinionum diuerſitas & fundamenta proponuntur.

REferentibus Angelutio, & Boca Angelino plures iudicarunt in febribus malignis ſanguinem non eſſe mittendum: his fulti,

Primò: quia malignitas eſt qualitas occulta, vires diſſoluens, & præcipitans: ſed ſanguinis miſſio eſt remedium magnum, magnoperè etiam valens vires debilitare: ergo ſanguinis miſſio in febribus puncticularibus non debet exerceri, ne viribus diſſolutis in præcipitem mortem feratur æger.

Secundò: febris maligna prouenit ab ingenti humorum corruptela ratione cuius humores à ſanguinis natura diſſimiles fiunt: ſed humoribus à ſanguine diſſimilibus non indicatur ſanguinis miſſio, ſed purgatio: ergo in febribus malignis nunquam conuenit ſanguinis miſſio.

Tertiò: Per ſanguinis miſſionem mouentur, commiſcentur, & perturbantur humores, commixtis putridis cum laudabilibus, & è contra: ergo non eſt vtile eam exercere.

Quartò: febris maligna pendet ex humoribus cacochymis, & ſeparatis à ſanguinis commiatione: ergo non poteſt indicare ſanguinis miſſionem, cùm indicans ſanguinis miſſionis ſit morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis, ſeu ab humore ſanguini commixto, vt diximus. Probatur antecedens; febris maligna fit talis, quia oritur ex infeſtiſſima putredine reliquis deterior, quæ quia talis, non poteſt dari in humoribus benignioribus, & commiatis ſanguini: ſed in cacochymis & ſeparatis ab eius commiatione.

§. II.

Sancitur communis opinio.

RESoluendum: Quòd ſanguinis miſſio debet exerceri pro omni febre maligna pendente ex ſanguine, vel ex quocumque humore ſanguini commixto, præcipuè in primis morbi diebus. Sic tenet Mercatus noſter *tract. de febre maligna*. Angelutius *libro 2. de febre maligna cap. 2.* Boca Angelinus *libro de morbis malignis, & peſtilentibus cap. 35.* & doctiſſimus Doctor Maroja, noſter præceſſor *libr. 5. de febribus in curatione huius febris*. Sennertus *tom. 2. lib. 3.* Aloyſius Torellus *lib. de medela febris puncticularis*. Carmona *lib. de peſte. & febribus cum puncticulis capite 10.*

A Probatur ab his Authoribus: Tum quia puncticularis febris eſt putrida, & Gal. *lib.* 11. *Method. cap.* 15. docet in omni febre putrida ſanguinem eſſe mittendum. Tum quia ad cohibendam putredinem, tanquam euacuatorium; ad remittendam febrem malignam, tanquam refrigeratorium remedium indicatur ſanguinis miſſio: ergo debet exerceri.

Probatur 2. Febris maligna plerumque non incipit niſi vt putrida, & tractu temporis redditur maligna, quia maligna qualitas in quinto, ſexto, aut ſeptimo die reſultat ratione intẽſioris putredinis: ergo in tempore antecedente euacuanda eſt per ſanguinis miſſionem magna portio illius materiæ morbificæ; vel quia impeditur putredo, ex qua poteſt oriri, vel quia aufertur cauſa maiori ex parte, ex qua poteſt malignitas B reſultare.

Dices: Quòd toto tempore, quo in primis diebus non reſultat maligna qualitas, febris non eſt maligna, nec relucent illius ſigna, & conſequenter non debet ſanguinis miſſio fieri pro eius curatione.

Reſpondetur: Quòd ſanguinis miſſio conuenit tunc, quia ab illa febre vt putrida indicatur, & quòd dum graſſantur ſimiles febres, Medicus maiori cura debet conari ſanguinem quamcitiſſimè mittere, etiam præcautionis gratiâ. Tum etiam quia ſolent a principio febris putridæ, ſordidæ putredinis apparere ſigna, magnæque conturbationis, ex quibus timetur, quòd reſultabit maligna qualitas.

C Probatur 3. ratione fundamentali: ſanguinis miſſio indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis: ſed febris maligna eſt morbus magnus, & plerumque pendet ex putredine ſanguinis, vel reliquorum humorum ſanguini commixtorum: ergo in hac febre maligna ſanguis eſt mittendus.

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

D AD 1. Reſpondetur, quòd probat, quòd non debet exerceri, dum vires non poſſunt ferre ſanguinis miſſionem, quod nos fatemur; & ideò diximus, quòd fiat ſtatim in primis diebus, quia poſtea licèt indicata ſit, non valent vires illam plerumque ferre.

Ad 2. Reſpondetur: quòd malignitas prouenit ex tali modo putredinis, ſed illa etiam poteſt reperiri in humoribus, qui ſunt ſanguini commixti, & plerumque etiam poteſt hæc malignitas fieri abſque putredine, vt apparet in febribus malignis, in quibus nulla apparent ſigna putredinis, de quo aliàs latiùs.

E Ad 3. Reſpondetur: quòd intendimus in principio antequam ſerpat putredo, & malignitas ſubereſcat, ſanguinem mittere, non tam quia ſanguinis miſſione humores miſceantur, quia hoc non fieri diximus *ſuprà*; ſed vt ſubſiſtant vires: & ne poſtquam vitteſcit, malignitas illa intenſior fiat ob ſanguinis motum; quia ex Hippocrate multa nocent mota, quæ ſi non mouerentur non nocerent, quia ante motum non eleuantur ad cor fuligines, ac maligni vapores, ſicut poſt humorum motum.

Ad 4. Reſpondetur: quòd vt patet ex dictis, plerumque oritur malignitas ab humoribus commixtis ſanguini, & tunc diximus indicari ſanguinis miſſionem: poteſt tamen oriri in febre pendente ex humoribus ſeparatis à commixtione ſanguinis, & tunc ratione cacochymiæ purgatio, & non ſanguinis miſſio erit indicata.

A

RESOLVTIO XX.

Vtrùm ſanguinis miſſio debeat in febre maligna fieri, puncticulis apparentibus?

§. I.

Aperitur difficultas, & dubitandi ratio proponitur.

FEbres quibus accidit malignitas, ſolent plerumque habere concomitantes aliquas excretiones ad cutem, vt in peſtilentibus malignis, variolis & morbillis B apparet; de quibus dubitamus, an ſi non pro ratione cauſæ ſit ſanguis miſſus in principio, poſſit exerceri ſanguinis miſſio, apparentibus iam maculis, aliiſque excretionibus? Antiqua fuit hæc quæſtio in curatione variolarum, præcipuè apud Arabes, animaduerſáque etiam apud Moderniores, Fracaſtorius *lib.* 3. *de contagione* c. 5. in omni febre contagioſa, excretionibus apparentibus, vel aliis ſignis, quibus conſtet contagium eſſe iam per humores diſperſum ſanguinem iudicat numquam eſſe mittendum, cui ſubſcribunt & alij. Mercatus *tom.* 1. *lib.* 7. iudicat quòd ſi plenitudo non ſit ex toto depoſita, maculis apparentibus, ſanguis eſt mittendus; ſi autem depoſita eſt, aut vires C ſunt imbecilles, tunc non eſſe exercendam ſanguinis miſſionem. Nicolaus Boca Angelinus, *lib. de morb. malignis, ac peſtilentibus* c. 35. notat quòd macularum expulſio, aut eſt critica, & in hac ſanguinem tenet non eſſe mittendum, quia impediretur naturæ rectè operantis actio; niſi ex pulſu cognoſcatur grauata, tunc enim poſſet ſanguine miſſo leuari: aut eſt ſymptomatica orta ex magna febre, natura laceſſita, & rubro lotio exiſtente, & tunc conuenit ſanguinis miſſio: aut fit ſignis cruditatis, & coctionis ſimul apparentibus, ... coctionis vincentibus ſignis, indicat quiaſcendum; cruditatis verò, ſanguinem eſſe mittendum. Primis verò, opinantibus fauet,

D Primò: Si contagium iam conſtat ex apparentibus ſignis eſſe communicatum, ſanguine commoto, & agitato per ſanguinis miſſionem, neceſſe eſt à particulis contagio affectis, reliquas affici, ſicut ſale, aut felle liquori additis, ſi moueatur liquor, neceſſe eſt omnes illius partes ab illo coinquinari: ergo apparentibus ſignis ſanguinis miſſio non eſt exercenda.

Secundò id docetur, Tum 1. ex Hipp. 1. *Aphoriſm.* 21. dicente: *Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia eò ducere.* Cutis autem eſt magis conferens, quam ſanguinis miſſio. Tum ex Auicenna, qui in curatione variolarum, ipſis apparentibus, prohibet ſanguinis miſſionem. Tum 3. ex eodem *lib.* 4. *fen.* 6 *tract.* 4. *c.* 9. vbi in morſis à ſerpente, aut cane rabido prohibet ſanguinis miſſionem, ne venenum retrocedat ad internas partes; ergo ſimili modo debet E interdici maculis, aut variolis apparentibus.

Tertiò, Sanguine miſſo, vaſiſque exinanitis, ne detur vacuum, refluit venenoſa materia, quæ extra ad cutim tendebat: ſed ex hoc retroceſſu ſequitur, quòd maligni humores, qui iam erãt ſeparati à corde, iterum refluentes vires opprimant, & ſpiritus diſſipent: ergo ſanguis non eſt mittendus, dum maculæ apparent.

Quartò: Euacuationes criticæ non debent impediri, cùm fiant à natura rectè operante, & expellente materiam morbificam: ſed excretiones ad cutim per maculas, morbillos, aut variolas ſunt euacuationes criticæ: ergo non debent impediri per ſanguinis miſſionem.

§. II.

§. II.

Aſſentimur doctrinæ Hippocratis.

Reſoluendum: Quòd appatentibus maculis, aliiſve criticis exeretionibus, ſi natura potentior reddituſ ſupra cauſam morbificam, ſanguis non eſt mittendus.

Probatur ex Hippocrate *lib. 1. Aphoriſm. ſent. 21.* docet enim, *Quæ indicantur & iudicata ſunt: integre, nec mouere nec nouare, ſed ſinere oportet*: ergo ſi apparentibus maculis, aut aliis excretionibus, natura ſuperior videatur ad cauſam morbificam, nec ſanguinis miſſio exercenda, nec aliis nouandum eſt remediis.

Dices primò: Quòd non eſt vnde cognoſci poteſt, an natura ſuperior euadat ad cauſam morbificam, præcipuè, quia cùm illa euacuatio ſit diminuta, & tantùm materiæ tenuis & vaporoſæ, non poteſt per illam tantum euacuari de cauſa quantum ſufficit, vt natura victrix appareat.

Reſpondetur: Quòd cum in febribus, quæ habent has proprias expulſiones ad cutim, ſint febres puncticulares, in quibus maxima reperitur efferueſcentia ob malignam qualitatem febri ſuperuenientem, dum qualitas illa in tenuioribus vaporoſiſque humoris partibus inhæret, Ipſis partibus eluatis commotiſque ad cutem, quieſcit maximè efferueſcentia, extrà mittitur maligna qualitas, reſonentur ſpiritus, abſque puncticulares de nouo generantur, & ideò incipiunt apparere ſigna victricis naturæ, quia pulſus æquales redduntur & vehementiores, dilatatio plenior, æger fit placidus, remittit febris, incipiunt apparere vera coctionis ſigna, cuius contrarium contingit in aliis febribus, in quibus in craſſioribus partibus inhæret magis maligna qualitas.

Dices ſecundò: quòd ex Hippocrate docetur, quòd nihil ſit agendum, dum morbi ſunt integrè iudicati; per excretiones verò ad cutem non fit integra iudicatio, quia non fit integra euacuatio humoris à quo dependet morbus.

Reſpondetur: quòd Hippocrates dum docet quòd nihil mouendum, dum morbus integrè iudicatur, per *ly integrè* intelligit, dum perfectè iudicatur, id eſt cum ſecuritate; etiamſi hoc non hat per integram euacuationem totius cauſæ morbificæ, vt docet Galenus *in commentario*, & conuincitur ex eodem Hippocrate *lib. de humoribus*, vbi cum hanc eandem Aphoriſticam ſententiam referat, loco illius verbi *integrè*, ponit *perfectè*: ad hoc enim vt iudicatio dicatur perfecta, ſufficit quòd fiat per euacuationem, per quam licèt ex toto non euacuatur materia morbifica; euacuatur tamen, quod ſufficit, vt natura reddatur ſuperior ſupra cauſam morbificam.

Probatur 2. Dum contagioſa qualitas ac maligna inhæret in partibus tenuioribus, quæ poſſunt moueri ad cutem, & per illam euacuari, natura ſupra reliquum humoris indicat ſe victricem, per perfecta coctionis ſigna, mediâ quâ eatum putredo eſt vincenda: ergo non debet impediri per ſanguinis miſſionem. Patet conſequentia, quia coctio quietem deſiderat, & dum natura ſufficit ſecurè vincere morbum, fruſtranea ſunt remedia pro illo vincendo.

§. III.

Qualiter Modernioribus aſſentiendum?

Reſoluendum 2. Quòd maculis apparentibus, aut aliis ſimilibus excretionibus, dum dubia eſt naturæ victoria ob vitium in Quanto, aut in Quali

A ſanguinis, exercenda eſt ſanguinis miſſio; quam docet (bis excretionibus apparentibus) Senneitus, Aloyſius, Torellus, Carmona, Maroja, Mercatus, Boca, Angelinus, Angelutius, Zacutus, Philipp. Ingraſſia Augenius, Euſtachius Rudius, & alij plures; ſed differunt, quia alij ſemper maculis apparentibus, alij ſolùm ratione plenitudinis dicunt ſanguinem eſſe mittendum; nos verò mittendum admittimus tantùm, dum ex hac excretione non ſperatur, morbum integrè eſſe iudicandum, & tunc ſiue id timeatur ob vitium in Quanto, ſiue ob vitium in Quali, ſanguinis miſſionem exercendam fatemur.

Probat Mercatus, maculis apparentibus ſanguinem
B eſſe mittendum; Tum quia ex Galeno, Natura leuata per ſanguinis miſſionem, quod concoqui eſt habile, concoquit, & excernit quod perit excerni. Tum quia non debet timeri receſſus humorum tendentium ad cutem, quia hic ſolùm fit dum ea vaſe euacuatur neceſſarium, non autem quod redundat. Tum quia maius timetur damnum ex plenitudine, quàm ea retrocedentibus humoribus. Tum quia auſertur in vena copia eius humoris, cui poſtea communicabitur venenoſa qualitas: ergo debet ſanguinis miſſio exerceri adhuc maculis apparentibus.

Probatur 2. à nobis ex ſententiâ Galeni, qui ſanciuit nihil mouendum, dum morbi integrè iudicantur; ex quo videtur firmare regulam in contrarium, quòd
C dum maculis apparentibus, integrè aut perfectè morbus non indicatur, eſt mouendum per remedium tunc iudicatum, quale eſt ſanguinis miſſio in his febribus, in quibus maculæ, aut excretiones appatent.

Probatur 3. ex Galeno, *lib. methodi*, vbi præſcribens, quid agendum in febribus, dum ſuperuenientes euacuationes, ſeu excretiones morbum non integrè iudicant, docet poſito exemplo in ſanguine menſtruo, aut hæmorrhoidali; quò *inſpecto ſluentis impetu ſi ipſi ſatisfacere videbitur naturâ rem omnem permittas*: ſin minus, ſanguinis miſſione perficiendum quod deficit ſuperuenienti euacuationi: ergo ſi excretio ad cutem non ſufficit, vt natura ſuperior euadat; vt valeat integrè morbum terminare, ſanguinis miſſione debet ſuppleri quod deficit.

Probatur 4. ſanguinis miſſio ex Galeno debet exerceri, dum eſt indicata, & non impeditur ab aliquo
D contraindicante: ſed eo ipſo quod febris pendeat ex vitio ſanguinis in Quanto, aut Quali, adhuc apparentibus maculis eſt indicata, & neceſſaria pro morbi curatione; nec impedita, quia vires poſſunt ſubſiſtere: ergo debet exerceri adhuc maculis apparentibus.

Dices: quòd eſt impedita, aut contraindicata, ne fiat retroceſſus humoris, qui mouetur ad cutem, ad partes internas, & ad cor.

Contrà ſtat Galenus citatus, qui leuata natura docet, melius excernere quod perit excerni. Tum quia illud, quod eſt delatum extra venas, non iterum reſluit. Tum quòd in eryſipelate, ſcabie, & aliis excre-
E tionibus cutaneis docet experientia, quòd ſanguine miſſo vberius proſequitur natura euacuationem eorum: ergo nec impediet maculatum, aut reliquarum febrium excretionem.

Probatur 5. Cum maculis apparentibus, non ſubſequuntur ſigna victricis naturæ, ſed reluctae ſigna maximæ conturbationis, febris permanet, aut augenditur, rubrum eſt lotium, excretio tarda, imminet periculum vitæ, niſi deponatur cauſa, à qua fouetur febris, & ex eius vitio, aut quantitate impeditur natura, quo minus illam poſſit vincere: ſed tum temporis non eſt indicata purgatio, cùm non ſit materia cocta, aut cacochyma: ergo debet exerceri ſanguinis miſſio.

§. IV.

Soluuntur Fracaſtorij & aliorum fundamenta.

AD 1. Reſpondetur: Quòd cùm humores omnes ſint commiſti ſanguini, & inter ſe habent diſpoſitionem ad recipiendum contagium, omnes ſine motu recipient illud, ſin minus adhuc mori non recipient; ſicut nec ideò, quia ſunt ſimul, putreſcunt omnes, quia non omnes ſunt diſpoſiti, ſiue apti putreſieri. Nec eſt ſimilis ratio de commixtione liquoris cum ſale, aut felle, quia aliud eſt, quòd per motum fiat diuerſorum commixtio; aliud verò, quòd fiat alteratio per communicationem ſimilis qualitatis; hæc enim fit per alterationem, illud per motum localem.

Ad 2. Reſpondetur, Tum 1. quòd per accidens ducimus per ſanguinis miſſionem humorem ad cutim, quatenus leuata natura redditur potentior ad expulſionem, præterquam quòd ſi illa euacuatio iudicatur inutilis pro vincendo morbo, alia eſt tentanda, per quam depoſita maiori quantitate cauſæ, natura reddatur potentior ſupra reſiduum. Tum 2. quòd dum apparent ſigna demonſtrantia, quòd variolis apparentibus natura eſt potentior ad reſiduum, rectè docet Auicenna ſanguinem non eſſe mittendum. Tum 3. quòd eſt diuerſa ratio de venenis ab extrinſeco communicatis in partibus externis, ac de illis quæ ab internis ad externas mittuntur: quæ ab externis cauſis communicantur ad partes externas, debent attrahi ſcarificatione, ne ſpiritibus aut humoribus motis ad internas partes retrocedant; miſſo autem ſanguine iuuatur eorum motus, cuius oppoſitum in reliquis contingit, quæ ab intrinſeco ad partes externas prorumpunt.

Ad 3. Reſpondetur: quòd ſi non fuerit nimia exinanitio, numquam fit retroceſſus eorum, quæ ſunt in tertia regione; nec ea, quæ ſunt in venis retrocedunt ſemper, quia potentior eſt facultas expultrix ad eorum expulſionem, quantò magis deponitur de copia humoris prementis illam: & ideò in eryſipelate, & ſcabie, ſanguine miſſo, ablatáque copia humoris impedientis, expultrix potentiùs pellit humores, quibus ad expellendum irritatur.

Ad 4. Reſpondetur: quòd Criticæ euacuationes, quæ fiunt natura vincente, fiunt dum ipſa eſt victrix & potens morbum perfectè, ſiue integrè determinare, & tunc nihil nouandum: at verò euacuationes, quæ fiunt natura irritata, & ſunt ſymptomaticæ, cùm non valeant iudicare morbum perfectè, quia natura non operatur vt victrix, ſed vt laceſſita; ideò indiget adiuuamine artis, & ideò dum impotentem illam cognoſcimus, ſanguinis miſſione leuanda eſt.

RESOLVTIO XXI.

Vtrùm in febre peſtilente debeat exerceri ſanguinis miſſio?

§. I.

Cardanus, & Petrus Salius negatiuæ adhærent parti.

CArdanus *lib. 2. contradict. tract. 4. contradict. 4.* Salius Diuerſus *libro de febre peſtilente, cap. 21.* concedunt ſuadere in febribus peſtilentibus nunquam eſſe vtilem ſanguinis miſſionem. His fulti,

A Primò, Galenus *de cibis boni, aut mali ſucci*, docet ſanguinem non eſſe mittendum in febribus peſtilentibus: redditque rationem; Quia in omni febre peſtilente ratione deleteriæ qualitatis intenſæque putredinis neceſſe eſt vires eſſe debiles; ſed viribus non conſentientibus, numquam eſt mittendus ſanguis: ergo in febribus peſtilentibus numquam eſt mittendus ſanguis.

Secundò, id confirmat experientia; Antiqui enim Medici, & moderniores fatentur in ſuis temporibus graſſantibus peſtilentibus febribus nulli ſanguinem fuiſſe miſſum, qui non interierit: ergo in febribus peſtilentibus ſanguis non eſt mittendus.

B Tertiò, ſanguinis miſſio attrahit à circumferentia ad centrum: ſed in febre peſtilente ſemper eſt tentandum à corde, & à partibus internis mouere ad externas deleteriam qualitatem, humoréſque contagio affectos: ergo nunquam conuenit exercere ſanguinis miſſionem.

§. II.

Zacuti, Maſſariæ, Rudij, Sennerti, & aliorum præfertur opinio.

C REſoluendum: Quòd viribus non renuentibus, ſi peſtilens febris pendeat à ſanguine, vel humoribus ſanguini commixtis, ſanguinis miſſio debet exerceri. Sic tenet Zacutus *tom. 1. lib. 2.* Sennertus *lib. 4. tom. 2. c. 9.* Maſſaria *l. 2. de peſte*, Lazarus Riuerius *in curatione febris peſtilentis*. Matuja *lib. de febribus in curatione peſtilentis febris*. Fracaſtorius *lib. 3. de curatione febris puncticul. cap. 5.* Mercatus *de febris peſtilentis curatione*. Aloyſius Toreus *lib. de feb. cum puncticul*, Claudinus *lib. de ingreſſu ad infirmos*. Septalius *lib. 3. de peſte*, & alij quamplurimi; licèt ex his: alij ex brachio, alij ex pede ſanguinis miſſionem commendent fieri.

Probatur 1. Quia febris peſtilens petit curari per euacuationem cauſæ, à qua dependet, factam per remedium indicatum à febre: ſed à febre pendente ex D vitio ſanguinis, vel humoris illi commixti indicatur ſanguinis miſſio, vt patet ex dictis: ergo viribus permittentibus debet exerceri ſanguinis miſſio.

Probatur 2. Maligna qualitas ſeu deleteria, quæ ſuperadditur febri peſtilenti, concomitatur febrem, & ſubſequitur ad alterationem humoris, à quo febris fouetur: ergo ſi oriatur ex vitio ſanguinis, ſanguinis miſſio non ſolùm erit vtilis pro febre, vt putrida eſt, curanda; ſed pro curatione ipſius deleteriæ qualitatis.

Probatur 3. Nulla alia ratione poteſt peſtilens qualitas impedire ſanguinis miſſionem indicatam à febre peſtilente, quam deleteria qualitas concomi- E tatur, niſi quia vires debilitat: ſed plerumque vires in febribus peſtilentibus valent ferre ſanguinis miſſionem, vt obſeruarunt plures Authores in peſtilentis febris curatione, exemplóque Galeni confirmat Oribaſius *lib. 7. collectaneorum. cap. 20. §. Cùm vehemens peſtis Aſiam apprehendiſſet, ipſamque attigiſſet, ſecunda morbi die remiſſione febris facta crus ſcarificauit, duaſque fere ſanguinis libras detraxit, hacque de cauſa periculum vitauit*, ergo ſi indicatur à febre peſtilente pendente ex vitio ſanguinis debet exerceri ſanguinis miſſio.

Resolvtio XXII.

Vtrùm ex talo ſemper ſit ſanguis mittendus in febribus peſtilentibus, & malignis?

§. I.

Galeani opinio refertur.

IOſeph. Galeanus Medicus Siculus Panormitanus *in epiſt. Medic. de feb. epidem.* indicat, quòd in febre epidemica ſanguis ſemper eſt mittendus ex pedum venis: pro ſe adducit Mercatum *lib. 7. de curat. feb. peſtilent.* Ioannem Colle *in practica medica malignorum morborum lib. 6. cap. 4. & 6.* Euſtachium Rudium *lib. 3. de febre peſtilente & maligna cap. 30.* Zacutum *lib 3. obſeruationum medic. obſeruat. 44.* Philippum Ingraſiam *lib. de peſte p. 4. c. 7.* Augenium *3. epiſtol. & Conſult. medicar. in epiſtol. de Antiſtite Anconenſi.* Sennertum *lib 4. cap. 51.* Marojam *lib. 1. de febr. cap. de curat. feb. malign.* qui omnes fatentur quandoque ſanguinis miſſionem ex pede in febribus malignis, ac peſtilentibus poſſe eſſe vtilem; non tamen quòd, vt ipſe intendit, ſemper in his febribus debeat ſanguinis miſſio ex venis pedum exerceri: ſuum placitum his ſuadere contendit.

B

Primò: In febribus, in quibus ſimul eſt indicata ſanguinis miſſio euacuatoria, & reuulſoria, hæc debet fieri per loca commodiora ad vtrumque: ſed in febribus peſtilentibus ratione cauſæ, à qua dependent, eſt indicata ſanguinis miſſio euacuatoria ratione materiæ deferentis ad cor malignam qualitatem, ratione verò eiuſdem deferentis ad partes internas deleteriam qualitatem eſt indicata reuulſiua ſanguinis miſſio; ergo hæc debet exerceri per loca commodiora ad vtrumque; ſed facta per pedum venas ad vtrumque eſt commodior, quia euacuat per ramum venæ cauæ deſcendentis, qui eſt aptus pro euacuando ſanguine à venis maioribus, & iecore, & euacuat per partes inferiores, & diſtantiores, per quas melius reuellitur: ergo per illas venas ſemper debet exerceri ſanguinis miſſio.

C

Secundò: Minera venenatæ putredinis continetur in venæ cauæ trunco, ſed ſanguis atrabilarius ibi contentus in trunco venæ cauæ promptius, & aptius poteſt per inferiores ramos illius euacuari, quàm per ſuperiores: ergo ſemper ex inferioribus venæ cauæ, quam ex brachiis debet ſanguinis miſſio fieri in his febribus.

D

Tertio: motus ichorum, ſeu vaporum, aut partium veneno ſi humoris, qui fertur ſurſum, non debet iuuari ſed cohiberi: ſed per venæ ſectionem ex brachiis iuuatur, per venæ ſectionem ex pede cohibetur: ergo in febribus malignis ſeu in peſtilentibus ſanguinis miſſio non debet fieri ex brachio, ſed ex pede.

§. II.

Communis opinio præfertur.

E

REſoluendum 1. Quòd in peſtilentibus & malignis febribus ſanguinis miſſio maiori ex parte debet fieri ex brachij venis: ſic colligitur ex omnibus Authoribus citatis à Galeano, vt patet ex eorum ſcriptis.

Probatur 1. ſanguinis miſſio in febribus malignis, & peſtilentibus debet fieri iuxta exigentiam febris, prout putrida eſt, quia ab illa vt tali indicatur: ſed ſanguinis miſſio ab his febribus indicata, vt humo-

A

ales ſunt, ex communi omnium opinione petit fieri ex brachiis: ergo maiori ex parte ex brachiis debet exerceri ſanguinis miſſio in his febribus.

Probatur 2. ſi ſemper in febribus maligna, aut venenoſa qualitate affectis, deberet fieri ſanguinis miſſio ex pede; ideò quia ratione febris; aut ratione malignæ qualitatis determinatur illa pars, vt vtilior pro illios curatione: ſed ratione febris cùm plerumque pendeat ab humoribus in trunco corporis putreſcentibus, potiùs conuenit ex brachio, & ratione malignæ qualitatis, quia ab eodem humore pendet maligna qualitas ac febris, cui coniunguntur: ergo maiori ea parte in peſtilentibus febribus ex brachio debet fieri ſanguinis miſſio.

B

Probatur 3. ſanguinis miſſio in febribus peſtilentibus, licèt indicetur tanquam remedium reuulſorium, & euacuatorium, magis conducit vt euacuatorium proximè à corde euacuans cauſam morbificam, quam ex pede reuellens illam, cùm tutius ſit humorem euacuare, quàm ad diſtantiorem partem reuellere: ergo maiori ex parte tenenda eſt euacuatio ex brachiis, quàm reuulſio ex pede.

Probatur 4. febres quæcunque putridæ, ſiue ſint veneficæ qualitati coniunctæ, ſiue ſine illa, maiori ex parte oriuntur ex putridis humoribus qui ſunt in vena caua aſcendente: & in vaſis ab illa per vniuerſum truncum diſſeminatis, quàm ex eis qui ſunt in vena caua deſcēdente, nec in illius vaſis: ergo maiori ex parte debemus euacuare humores, à quibus pendet per ſanguinis miſſionem factam ex brachij venis, quæ à

C

vaſis totius trunci euacuat, quàm à pede; quia licèt ab illis reuellat, præcipuè tamen à venis rami deſcendentis euacuat.

§. III.

A Venis pedum ſanguinis miſſioni adſcribitur locus.

REſoluendum 2. Quòd ſi non ſit plethoricum nimis corpus, aut ſi præcedant in plethorico brachiorum euacuationes, ſi in meſenterij venis ſuperabondet copioſa humorum portio, à qua timeatur febrem peſtilentem, aut malignam foueri, ex pede ſanguinis miſſio vtiliter exercetur: hanc

D

doctrinam confirmarunt Oribaſius 7. Collect. cap. 10. ex Galeni exemplo, qui crus ſcarificauit pro peſtis curatione; & illius ducti exemplo Claudinus *lib. 1. de ingreſſu ad infirmos cap. 6.* Septalius *lib. 5. de peſte cap. 19.* Donatus, Santorius *lib. 1. epiſt. 2.* admittunt in his febribus crurum ſcarificationes; quia plerumque dum parua eſt humorum copia, hæc ſufficit ad reuolſionem: ſi autem cognoſcatur, peſtilentem, aut malignam febrem ex parte pendere ex humoribus intra maiores venas exiſtentibus, & ſimul foueri ex eis, qui ſunt intra venas meſenterij, & lienis: tunc depoſita maiori ex parte partium ſuperiorum plenitudine, pro vtriuſque regionis deponenda cauſa; vena pedis eſt aperienda. Sic veniunt intel-

E

ligendi Maroja, Sennertus, Mercatus, Ioannes Colle, Euſtachius Rudius, Zacutus, Ingraſia, & Augenius, quos citat Galeanus: ſi autem magis videatur pendere febrem peſtilentem ex humoribus in lienis, & meſenterij contentis, tunc potiùs ex hæmorrhoidalibus venis per ſanguiſugas exercenda eſt ſanguinis miſſio, vel per ſcarificationes crurum, vt Zacutus *tom. 1. lib. 2.* amplectitur, ex Saraceno *lib de peſte.* Andernaco *Dialog. 3. de peſtilentia.* Carmona *lib. de peſte & febre cum puncticulis.* Fracaſt. *lib. 3. de curatione febris puncticularis.* Mercato, Mercuriali, Claudino, Torello, Granaſſeto & aliis.

Probatur

Probatur:ſi febris pendet ex humoribus à liene genitis, & intra illius, aut meſenterij venas contentis, non poſſunt extrahi per brachij venas cum quibus nullam habent communicationem proximam venæ, in quibus continentur: ergo debent extrahi facta ſanguinis miſſione ex talo, ſeu potius per venas hæmorrhoïdales internas, per quas illi humores ſolent à natura euacuari.

Probatur 2. Si parua ſit copia humorum, ex quibus fouetur febris peſtilens, & maiori ex parte ex vitio videatur foueri, magis eſt indicata reuulſio, quàm euacuatio: ſed pro maiori reuulſione magis conducit ſanguinis miſſio ex talo, & pro moderata euacuatione adhuc partium ſuperiorum ſufficit: ergo tunc ex talo erit vtilis ſanguinis miſſio.

Probatur 3. Euacuatio, & Reuulſio ſunt euacuationes quæ indicant diuerſum locum, ex quo fiat ſanguinis miſſio: ergo debet exerceri, quæ ex illis præualet; ſed multa copia exiſtente ſanguinis, à qua fouetur febris peſtilens, magis præualet indicatio mittendi ſanguinem ex brachiis, dum continetur in venis illis proximis: ergo dum parua eſt copia indigens euacuatione, & ratione malignæ qualitatis aggredientis cor, præualet indicatio reuellendi ad diſtantiores partes, tunc vtilis erit ſanguinis miſſio reuulſoria ex talo.

§. IV.

Soluuntur Galeani fundamenta.

AD 1. Reſpondetur. Quòd quando concurrunt duæ indicationes, altera euacuandi cauſam morbificam, altera reuellendi: euacuatoria indicatio mittendi ſanguinem præualet, quia præſtantior eſt ad curationem cauſæ euacuatio, quàm reuulſio.

Dices: quòd per ſanguinis miſſionem ex pede factam, etiam fit cauſæ euacuatio. Reſpondetur: quòd ſi in liene, aut menſenterij venis ſit cauſa peſtis; ſit cauſæ euacuatio: at verò ſi ſit in vena caua aſcendente, & venis ab ipſa in trunco corporis diuaricatis, fit reuulſio, non autem euacuatio.

Ad 2. Reſpondetur: quòd non ſemper neceſſarium, quòd putredo, à qua pendet malignitas, aut peſtilens qualitas, ſit in inferioribus venis; imò plerumque in vaſis maioribus, in quibus maior eſt humorum copia: & ideò ipſâ cognitâ, incipienda eſt curatio per ſanguinis miſſionem à brachiis, ſin minus vtilis erit ex pede.

Ad 3. Reſpondetur: quòd motus ichorum, & vaporum, qui ſunt infecti peſtilenti qualitate, poſſunt frictionibus, cucurbitis, aut aliis remediis remulſoriis reuelli, ſine eo quòd ratione illorum fiat ex pede ſanguinis miſſio, dum viget indicatio euacuandi per ſanguinis miſſionem cauſam morbificam, ex qua eleuantur, contentam in vaſis maioribus repertis in toto trunco corporis.

§. III.

Soluuntur Cardani fundamenta.

AD 1. Reſpondetur: quòd humores, à quibus pendent febres humorales, poſſunt eſſe in duplici differentia; vno modo ſanguinis commixti, & ſimul cum ſanguine quarto humore adintegrantes maſſam ſanguinariam; & quando huiuſmodi fit febris peſtilens, vires non omnino concidunt; ſed licèt debilitentur, ſemper tamen ratione ſanguinis prædominantis ad reliquos humores, vires ſufficiunt pro ſanguinis miſſione toleranda. Alio modo contingit febres peſtilentes oriri ex humoribus cacochymis nudis à commixtione ſanguinis, & ſeparatis, & cum quibus paruiſſima eſt ſanguinis copia, qualiter contingit dum ſuperueniunt febres peſtilentes poſt inedias, vel vſum alimentorum corruptorum, & tunc vires ſtatim concidunt, nec valent ferre euacuationes, præcipuè ſanguinis miſſionem quæ tunc nec eſt indicata: & de his febribus peſtilentibus agit Galeanus dum conſulit ſanguinem non eſſe mittendum.

Ad 2. Reſpondetur iuxta doctrinam nuper allatam, quòd aliæ febres peſtilentes pendent ex vitio ſanguinis, aut aliorum humorum, qui illi ſunt commixti, & tunc eſt indicata ſanguinis miſſio, & ſunt vires pro ipſa ferenda: aliæ fiunt ab omnium humorum omnimoda corruptela, vel ab aliquibus cacochymis, & tunc nec vires ſubſiſtunt; nec licèt ſubſiſtant eſt indicata ſanguinis miſſio: & hinc prouenit, quòd alij Authorum experti ſint ſanguinis miſſionem profuiſſe aliquibus; alij verò non.

Ad 3. Reſpondetur: quòd, vt diximus *reſolutione antecedente*, per ſanguinis miſſionem licèt ſucceſſione ad id, quod euacuatur, aliqua portio dum fit ſanguinis miſſio, retrahatur, ſtatim tamen, leuata natura pergit ad expulſionem; & non ſolùm paruam illam copiam, quam retraxit ſanguinis miſſio, expellit ad externas partes, ſed maiorem copiam materiæ morbificæ trudit, vt diximus experiri in ſcabioſis, in eryſipelaribus, & in aliis febribus, quæ dum natura ſanguinis miſſione leuatur, terminantur per ſudores, aliáſve euacuationes ad externas partes commotis humoribus.

DOCT. MED. D. GASP. BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ,

Prælectiones Valliſoletanæ,

SIVE

DISPVTATIO ALTERA,

DE PVRGANDI RATIONE.

LECTOR.

NOSTRA ſcatet ætas triplici Medicorum ſorte, qui ſcribentium deteſtantur opera: Alij perſonam induunt Medici nullis artis fundamentis fulti, qui impoſtores cum ſint, Medicorum irriſores ſe exhibent; oſtentant cunctorum contemnere ſcripta, vulgares fiunt, & parabolani, quo vnico ſtudio auram vulgi captant, & profeſſores iudicantur eius artis, quam nec à limine ſalutarunt. Alij in ea perpaucis imbuti rudimentis, quæ in ſuis alueolis oblinitis retinent, nullis vlterius inſudant doctrinis, ſed quas ſuis curſibus receperunt, quaſi de fide credunt, & recipiunt, quibus elati, eorum, qui ſuis ſcriptis artem locupletarunt, fiunt Cenſores. In ſummo Dictatore Hippocrate annotant Laconicam breuitatem, in Medicinæ Oceano Galeno carpunt Aſiaticam copiæ luxuriem, in Oribaſio, Aëtio, Alexandro Tralliano, & Paulo Ægineta inutiles rapſodias increpant, in Auicenna, & Arabum familia accuſant barbariſmum, in horum commentatoribus opprobrant, quod multa proponant incerta, plura ex aliis inutiliter congeſta, & quòd in eorum laboribus plura debeantur calamo, quam ingenio. Sed horum plerique cur carpunt, neſciunt: ſic narrant, quia ſic audierunt ab aliis id fuiſſe illis improbratum. Alij alterius ſectæ Doctores, quia natione, & profeſſione differunt, aut quia noſtrorum penuria ad immeritos delati ſunt honores, Doctiores ſe prædicant apud ſuos ſectatores, & pro indignitate habent noſtra ſcripta præ manibus habere,

bere, præcauent enim ſe, & ſuos ad veram conuerti doctrinam. Subſiſtunt perpauci, pro quibus hanc diſputationem in lucem emittamus, in qua generoſum, vtiliſſimumque Purgationis auxilium proponimus; præcepta noua, ſeu nouiter ex antiquorum placitis deducta ſancimus, ipſaque à Commentatorum erroribus vendicamus, viam ſecuriorem in doctrina ſatis abdita proferimus, & nondum ſatis elucidatum vſque adhuc indicans purgationis patefacimus. Tu, quiſquis horum fueris, vale, & in tuo ſenſu pro nutu abunda: non enim me auertent à publica vtilitate, nec quod Cynici impetant, nec quod Hebræi glaucitent.

PRÆLECTIONES VALLISOLETANÆ.
SENTENTIA XXII.
PRIMÆ APHORISM.

Concocta medicari, ac mouere, non cruda, neque in principiis morborum, niſi materia turgeat; plurima autem non turgent.

PARAPHRASIS IN LITERAM.

NON mouenda; quæ & quando; quæ ducere oportet; quò & per quæ loca, prius docuit ſummus Dictator; qualia; quanto; ſubſequenter. In hac ſententia practicum, communiſſimum, & neceſſarium ſanciuit præceptum pro purgatione; docens Medicos tempus, & occaſionem purgandi, ne temerè accedant, aut properanter prorumpant ad generoſum hoc exequendum remedium, in cuius occaſione vitæ conſeruatio conſiſtit.

Concocta. Concoctio, ſeu coctio maturationem, aſſationem, & elixationem continet, apud Ariſt. *lib.4. Meteor. cap.2.* Maturatio ex Erodiano *in Onomaſtico* propriè eſt coctio, & hæc eſt Ariſt. 4. *Meteor. Eſt perfectio à calore naturali, & proprio in ſubiectam materiam.* Apud Medicos coctio tribuitur materiæ, quæ in corpore à calore elaboratur. Ex Galen.6. *Epidem. ſect. 5. text. 6. Eſt quadam deductio ad moderatam temperiem*, & duplex, alia materiæ morbificæ apta, & ex Galen. 5. *Epidem. comm.1. text. 44. Fit circa materiam non omnino benignam, cuius minima pars apta eſt nutrire.* Et eſt, *Quæ facit ceſſare putredinem manente ſubſtantia*, ex Gal. *lib. artis medicinalis, cap 92.* Et quam Hippocr. deſiderat pro purgatione, & quæ ex Auic. vocatur in nocitiuo. Alia eſt, quæ perficitur à naturali calore circa materiam benignam, cuius pars plurima tranſit in ſubſtantiam propriam, de qua Galen. *lib. de atra bile, cap 3. lib.4 de ſanit. tuenda, cap.6.* & hanc vocat Auic. in iuuatiuo, *Fen.1.1. D.6. cap.3. Hac eſt etiam eius operatio in iuuatiuo.*

Medicari. Idem tenet, quod medicamentum adhibere in latiori ſua acceptione, magis tamen propriè ſumitur pro exhibitione medicamenti purgantis, ex Galen. *in commentario* propriiſſimè pro pharmaci exhibitione, ſeu medicamenti ſolutione purgantis, quæ eſt propriiſſima acceptio, & in qua vſurpatur ab Hippocr. in context.

Ac mouere. Mouere ad partem materiæ poteſt referri, ſicut purgare ad totam; concoctam enim materiam requirit Hipp. ad ipſam purgandam, dum tota eſt cocta; & ad ipſam mouendam, dum euacuatur per epicraſim, quæ partim remanet cocta; & ideò non ſimpliciter purgari, ſed moueri dicitur.

Non cruda. Negatiuum opponit præceptum ob oppoſitam materiæ diſpoſitionem, crudum enim, & putrefactum opponuntur coctioni, vtrumque enim recedit ab eius mediocritate. Crudorum duplex eſt genus, alterum coctioni alimentorum opponitur, intra naturæ limites poſſibile, alterum coctioni excrementorum, in humoribus præter naturam, morbúmque efficientibus commune: de hoc Hipp. *in littera*: de vtroque agit Galen. *lib.2. de ratione victus in morbis acutis, comm.44.*

Neque in principijs morborum. Ex Galen. 1. *aphor. commen. 12. lib.1. de criſibus, cap.19 lib.1.*

Prorrheticor.

*Prorrhiticor.com.*1. Morbi principium, & pro prima morbi inuaſione, & pro eius duratione vſque appareant ſigna coctionis, vſurpari poteſt, ſub hac ſumitur ab Hip.

Niſi materia turgeat. Orgaſmi vox, ſiue turgentiæ tranſlata eſt ad humores, qui quadam analogia turgentes dicuntur, quatenus ſua cacochymica diſpoſitione partes turgere cogunt ad eorum expulſionem.

Plurima autem non turgent. Ne orgaſmi prætextu contendant Medici plurimos ſtatim medicari, addit Hipp. quod rarò turgentia contingit in humoribus; rarò enim calidicas, tenuitas, acrimonia, & mordacitas in principiis morborum reperiuntur in humoribus, qui cauſaliter fiunt turgentes, ſiue obiectiue.

DISPVTATIO ALTERA,

De purgandi ratione.

QVæ Medicina ex ſummo Dictatore Hipp. *lib. de flatibus*, ſit Subſtractio, & Abiectio. Neque cauſæ morbificæ ſubſtractio in morbis materialibus perfici ab arte poſſit niſi ſanguinis miſſione, aut purgatione; de Purgatione in qua plurima concurrunt ponderanda, vt debitè exequatur iuxta Hipp. doctrinam, proſequemur tractationem, quam primus cognouit Æſculapius, vt tenet Cicero *lib. 3. de nat. Deorum*, & circa eam plures alias ſententias doctrina, obſeruatione, mediciſque præceptis refertas protulit Hipp. præcipuè 4. *Aphoriſ. à 1. ad* 10. *&* 5. *aphoriſm.* 16 *lib de natura humana, lib. de medicamentis purgantibus, &* Galen. *in commentariis, lib. quos, quibus & quando, lib. de ſimplic. medicament. facultatibus, lib. de compoſitione medicamentorum*, & ibi Trincauelius, plura adducit in confirmationem prædictæ doctrinæ, & Maſſarias *diſput. de purgatione minoratiua.* Valleriol *lib. 3. de locis communibus c.* 16. Santa-Cruz *de impedimentis magnorum auxiliorum, lib.* 1. Mercatus *lib.* 1. *de indicationibus*, Faliopius *in lib. de medicamentis purgantibus*, Meſues, & eius Commentatores in *Theorem. canonum vniuerſ.* Franciſcus Sanchez *tractat. de purgatione*, & alij quamplurimi,

A Medicorum pars, quos Sennertus ſequitur *tom.* 1. *lib.* 2. *part.* 2. *c.* 3. Humores quoſcumque præter ſanguinem, qui corpori alendo idonei non ſunt, vocant cacochymiam, etiamſi intra ſanguinis maſſam coërceantur, ſiue in quantitate maxima, ſiue in parua quantitate ſua praua qualitate fiant alimoniæ inutiles.

Pro Fuchſio ſtat Gal. *lib.* 13. *meth cap.* 6. *§. Si autem æqualiter omnes ſucci redundant, Plethora appellatur; ſi verò pituita, bilis flaua, aut atra, vel ſeroſis humoribus refertum corpus ſuit, Cacochymia dicitur, &c.*

B Pro Senoerto ſtat Gal. *lib.* 4. *meth. cap.* 4. *lib. de mult. cap.* 10. *lib.* 3. *de ſanitat. tuenda, cap.* 9. Quibus in locis cacochymiam docet eſſe vitium in humoribus, ſeu exceſſum cuiuſuis alterius à ſanguine.

Pro vtriſque ſtat ratio. Plenitudo, & cacochymia ſunt duæ proprietates in humoribus ſuperuenientes, à quibus ſanguinis mittendi, aut purgandi ſumuntur indicationes in morbis magnis pendentibus ab illis: Sed ſanguis redundans ſe ſolo, vel ſimul cum alio humore dicitur Plethora, à qua indicatur ſanguinis miſſio: ergo cuiuſuis alterius humoris vitium dicitur Caco chymia, à qua indicatur purgatio. C

SECTIO PRIMA.

De cacochymia ſuccorum à ſanguinis conſortio ſupernatantium.

CAcochymia vox eſt Græca, quæ apud Celſum ſumitur pro ea tabis ſpecie, quæ ſuperuenit, dum alimenta ingeſta corrumpuntur in ventriculo, ineptaque redduntur pro corporis alimonia. Apud Barbaros, & Latinos idem ſignificat, ac corruptella, prauitas, ſeu vitium alterius humoris à ſanguine, in qua acceptione nos de cacochymiæ natura diſputamus.

RESOLVTIO I.
Quid ſit cacochymia?

§. I.

Fuchſij, & aliorum proponitur opinio.

FVchſius, & alij cacochymiam confundunt cum plenitudine ſecundùm quid dicta: maior tamen

§. II.

Dilucidatur Cacochymia ratio.

REſoluendum primò: Quòd vitium cuiuſuis alterius humoris à ſanguine intra Maſſam ſanguinariam contenti, non eſt cacochymia, donec à ſanguinis commixtione ſegregetur. Aliqualiter huic doctrinæ acquieſcit Ambroſius Nuñez (ſed adſtri-

D ctus adhæret illi Turinus) quem ſequuntur Bernardinus Criſpoltus, & Petrus Antonius Contugtius, Palam illam profitentur Doctor Serna *lib. de indicationibus.* Et noſter doctiſſimus Santa-Cruz *lib. de impedimentis magnorum auxil.*

Vt ſtatus difficultatis aperiatur; Notandum primo Ex Gal. *lib. de vſu part.* Humores cum ſanguine in venis tanquam in propriis receptaculis pro partium nutricatu contineri. Sanguis autem ex eodem *Gal. comm. in lib. de natur. humana*, aut ſumitur pro

E tota maſſa ſanguinis quattuor humores complectente, quæ quoddam mixtum per aggregationem omnium humorum eſt; aut ſumitur pro ſanguine quarto humore; hic ſemper permixtus reliquis humoribus permanet, quia cum nutritio fiat ex eis ex quibus ſumus ex Ariſt. & partes fiant ex omnibus humo-

ribus, ex omnibus petunt nutriri, & ideò omnes humores intra venas permanent ſanguini commixti, vt ea commixtione cum illo ob ſanguinis benignitatem in ſuis qualitatibus attemperentur, aptiorem ſubſtantiæ modum retineant. Fit enim ex illis cum ſanguine quoddam mixtum, quòd dicitur Maſſa ſanguinaria, cuius ſanguis quartus humor, eſt quaſi forma, quia coërcet, & retinet reliquos ita ſibi commixtos, vt quoslibet eos attingat ſecundum quaſcumque minimas partes eorum, vt Hugo Senenſis notauit.

Secundò notandum, quòd reliqui humores intra venas poſſunt cum ſanguine tripliciter reperiri: Primò in mixtione humorum perfectiſſima, & naturali, in qua cum ſanguine commiſcentur cum debito ſubſtantiæ modo, proportionata quantitate, & cum qualitatibus debitis debitè moderatis: ex qua commixtione docet Hipp. *lib. de natura humana, prouenire perfectam ſanitatem.* Secundò, ita vt licèt alij humores ſint ſanguini commixti, vel omnes, vel alter illorum in quantitate, qualitatibus, ſubſtantiæ modo, putredine, vſtionéve à naturali ſtatu recedunt. Huiuſmodi vitioſi humores Sanguini commixti ſi ſimul cum ſanguine quantitate peccant, faciunt plenitudinem ſecundùm quid; dum verò commixti permanentes ſolo vitio deuiant à naturali ſtatu in modo ſubſtantiæ, in qualitatibus, vſtione, aut putredine, tunc conſpurcant ſanguinem, illum vitiatum reddunt, ſunt enim pars ſanguinis, ſeu maſſæ ſanguinariæ; & tunc dicitur vitium ſanguinis, peccatum in Quali, quo nondum ad cacochymiam peruenit. Tertiò, poſſunt reliqui humores ob indebitum ſubſtantiæ modum, ob qualitatum improportionem, vel ob quantitatem inſuperabilem, ita à naturali ſtatu recedere, vt non poſſint in debita commixtione cum ſanguine ab ipſo coërceri, contemperari, nec contineri, & tunc ſeparantur ab illo, & tanquam ſpuma à vini ſubſtantia ſeparata, ſuper illum ſupernatant, & nutritioni inepti remanent; & ideò ab illo impermixti, & ſeparati, quam ſeparationem Supernatantiam vocat Gal. *comm. 23. in lib. de nat. humana:* inquit enim: *Pro abundante intelligo nunc dictum ſupernatans, aut ſi mauis, id quod non eſt cum cæteris omnibus commixtum, ſupernatans puta appellatum, &c. & lib. 1. de humoribus, com. 8.* ſoli ſuperabundanti humori, ſupercacedentique, dicit purgationem deberi, inquit §. *Hippocrates verò non hic tantum, ſed in aliis ſuis commentariis, quando inuicem proportione ſeruata humores omnes augentur, miſſione ſanguinis auxiliatur, vbi vero vnus ſuperabundat, ibi purgatiuum dat medicamen.*

Tertiò notandum, quod humor ſupernatans, cùm ſit à commixtione ſanguinis, & reliquorum humorum ſeparatus, iam non eſt pars ſanguinis, nec eius vitium dicitur vitium ſanguinis; ſed ſolius eius humoris, qui ſupernatat; & ideò hoc vitium, quod eſt alterius humoris à ſanguine dicitur cacochymia, à qua ex Gal. indicatur purgatio; quia talis humor, iam eſt obiectum facultatis expellentis poſtquam ſeparatus eſt à ſanguinis commixtione: toto verò tempore, quo ſanguini fuit commixtus, quia commixtus, & non ſeparatus à ſanguine, erat obiectum facultatis retinentis, & non indicabatur ab illo purgatio, quia hæc petit naturam adminiculantem, & ſolum indicatur ab humore, qui eſt obiectum expellentis naturalis, qui verò ſanguini eſt commixtus, eſt pars ſanguinariæ maſſæ; & ideò eius vitium dicitur ſanguinis.

Probatur reſolutio primò: Cacochymia eſt vitium in humoribus ratione cuius indicatur in morbis magnis purgatio, vt docet Gal. *lib. de rat. victus, in morbis acutis comm. 3.* & quam plurimis in locis: ſed ex eodem Gal. à morbo magno pendente ex vitio humorum indicatur plerumque ſanguinis miſſio: ergo quia vitium humorum commixtorum ſanguini non ſufficit pro cacochymia, (à qua debet purgatio indicari,) donec ſeparentur à commixtione. Probatur minor ex Gal. 11. *meth. cap. 15. §. Saluberrimum eſt in omnibus febribus putridis non continuis modo, verum & aliis omnibus, quas putreſcens concitat humor, ſanguinem mittere, &c.* Sed in febre putrida, bilioſa, pituitoſa, & melancholica indicatur ſanguinis miſſio à morbo vt pendente ex vitio alterius humoris à ſanguine: ergo indicatur ſanguinis miſſio.

Dices, quòd quotieſcumque indicatur in febribus ſanguinis miſſio, indicatur ratione plenitudinis commixtæ cum illo ſanguinis vitio.

Contra ſtat Gal. *lib. 4. meth. cap. 6. §. Neque enim hoc dico propterea, quod purgatio vacuatio ſit, quam redundantis ſanguinis concurſus non indicet; ſed quod etiam tametſi redundantis ſanguinis concurſus non adſit.* Tum lib. 3. meth. cap. 4. *Quippè niſi vitioſus humor penitus tranſpiret, neceſſe eſt vt putreſiat: ergo vt tranſpiret maiori iam auxilio opus eſt, at ſi quidem, vel puer, vel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet; inter has ætates, vbi robur ægro non deeſt, ſecanda vena, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint, &c.* Tum lib. 9. meth. cap. 11. §. *Memineris verò mihi ad ea, quæ dicenda ſunt, quorum cauſa vena ſectio petitur, nam quoniam hac ſanguinis vacuandi cauſa adhibetur, ſanguis autem vtilis natura eſt, vtique probè hanc adminiſtrare conuenit, vt quod inutile natura ſit, emittat. Fit autem ſanguis natura inutilis bifariam. Vel cùm propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, neque amplius nutrire ſicut prius, cum vtilis eſſet, poteſt. Vel ita multitudine creuit vt aut vires premat, aut cum venas, vel arterias vel tendat, vel findat, vel obſtruat, atque in his quidem miſſio ſanguinis vtilis eſt, ſeu vacuantium præſidiorum vna, &c.* Ergo Ex Gal. doctrina, ſine plenitudine ex ſolo vitio ſanguinis, ſeu alterius humoris ei commixti indicatur ſanguinis miſſio, quia nondum eſt cacochymia.

Probatur ſecundò: Purgatio debet indicari ab aliquo vitio humoris, qui ſit cacochymus, à quo non poteſt indicari ſanguinis miſſio, cùm indicantia horum remediorum ſint diuerſa, ſicut & ipſa remedia: Sed vitium repertum in humoribus ſanguinem adintegrantibus non indicat purgationem: Ergo non eſt cacochymia. Probatur minor ex Auicen. *Fen. 1. 4. cap. de phlebotomia, §. Vnuſquiſque autem eorum, aut phlebotomatur propter ſanguinis multitudinem additam, aut propter ipſius malitiam, aut propter vtrumque:* Ergo non indicatur purgatio à vitio humoris cum ſanguine commixti.

Confirmatur ex eodem Auic. *Fen. 1. 2. cap. de curatione febrium putridarum*, vbi ab humore ſanguini commixto, putrido, aut vtcumque vitiato, quia nondum cacochymus eſt, donec ſeparetur, docet indicari ſanguinis miſſionem his verbis: *Quod ſi fuerit fortis virtus, & fuerit quod vincit ſanguis, aut fuerit cum humore qui vincit ſanguis tunc phlebotomia eſt magis conueniens res, &c.* Ergo vitium ſanguinis non facit cacochymiam ſine humorum ſeparatione à ſanguinis conſortio.

Dices: Quòd Auicenna non petit ſanguinis commixtionem cum aliis humoribus, ſed tantùm vt detur plenitudo ſecundum quid ex illius, & alterius humoris redundantia.

Contrà ſtat Gentilis, qui *in comm.* inquit: *Si autem,*

rem febris putrida ſit ab aliis humoribus à ſanguine, A *cum quibus non peccet ſanguis, nec ſint ſanguini commixti, non competit phlebotomia, quia facit cholericos furere, incrudat frigidos, &c.* Ergo ratione commixtionis reliquorum humorum cum ſanguine, ac ſeparationis ab eius commixtione, in quo ſtat ratio cacochymiæ, mutatur iudicatio ſanguinis mittendi, aut purgandi.

Confirmatur ex eodem Auic. *Fen.1.4.cap. de cauſonide.* vbi cùm ratione bilis qualitate peccantis videatur indicari purgatio; & ex alia parte, ſicut in reliquis febribus putridis, videtur indicata ſanguinis miſſio ex Galeni Doctrina, hanc ambiguitatem videtur dirimere dicens *Et non phlebotometur, fortaſſe enim inflammabit eos, & fortaſſe iuuabit eos, ſi fuerit turbiditas ibi, & rubedo, &c.* B Hæc Auicenna: vbi ex turbiditate, & rubedine vrinæ, quæ in cauſonide denotat commixtionem bilis, à qua cauſatur cum ſanguine, docet indicari ſanguinis miſſionem: ſi verò adſint hæc ſigna, timet quod ſanguinis miſſio nocebit, quia ſi bilis à commixtione ſanguinis eſt ſeparata, cum ſit cacochyma, purgatione, & non ſanguinis miſſione petit euacuari.

Probatur tertiò: In eadem febre putrida eum eadem putredine in principio, & augmento ſanguinem mittimus, & in declinatione purgamus, ſumpta indicatione ab eodem morbo vt pendente ex eodem humore: Ergo aliquid debet reperiri in illo, ratione cuius in vno tempore indicet ſanguinis miſſionem, in alio purgationem: Sed nihil aliud poteſt eſſe, vt apparet, niſi quia in principio, dum eſt ſan- C guini commixtus, nondum eſt cacochymus; & tunc propter ſanguinis vitium, cuius eſt pars, ſanguinem mittimus: in declinatione verò dum à ſanguine ſeparatur, cùm iam non ſit pars ſanguinis, relucet vitium alterius humoris à ſanguine, in quo ſtat ratio cacochymiæ, à qua indicatur purgatio. Ergo donec à commixtione ſeparetur, etſi humor ſit vitiatus, non eſt cacochymus.

Confirmatur primò: Reſpectu eiuſdem humoris mittimus ſanguinem, & eadem die ſi poſtea turgeat, purgamus, ex Hippocratis Doctrina: Ergo aliquid eſt, quod mutet indicationem in illo humore: Sed hoc in eodem die tantùm poteſt eſſe, quia dum mane cùm erat ſanguini commixtus, non erat D cacochymus; & ideò mittitur ſanguis; veſpere dum eſt turgens, eſt iam à ſanguinis conſortio ſeparatus, & ideò cacochymus, & indicans purgationem: Ergo etiamſi humor habeat vitium in qualitate, aut modo ſubſtantiæ, nondum cacochymus ſit, donec à ſanguinis commixtione ſeparetur.

Confirmatur ſecundò: plenitudo ſecundum quid ex Galen. *lib. de plenitudine*, ſtat in quantitate, & vitio alterius humoris à ſanguine redundantis ſimul cum illo: Sed vt plenitudinem efficit, indicat ſanguinis miſſionem: Ergo vt purgationem indicet, petit, vt fiat cacochymus per ſeparationem à ſanguinis commixtione.

Confirmatur tertiò. Ex Hippocrate 4. *acut.* E in vehementiſſimis febribus conuenit ſanguinis miſſio: Sed febres vehementiſſimæ ex bile putrefacta, & nimis in qualitate peccante fiunt: Ergo non quodlibet vitium in qualitate vtcumque intenſum valet purgationem indicare, nec inducere rationem cacochymiæ, niſi humor ſeparatus à ſanguinis commixtione fiat talis.

§. III.

Noua ex dictis adducitur Cacochymiæ diffinitio.

Reſoluendum ſecundò. Quod cacochymia eſt redundantia alterius humoris à ſanguine, ab eius conſortio ſeparati, vel in eius conſortio ſupernatantis.

Particula *redundantia* generica eſt ratio, denotans quòd quilibet humor à ſanguinis commixtione ſeparatus dici debet redundans; licèt enim ſanguis, & humores illi commixti non redundare dicantur, niſi vltra moderationem, in qua requiruntur pro animalis nutritione; humores tamen à ſanguine ſeparati, ipſique impermixti ſanguini in quacumque quantitate redundant, quia in quacumque quantitate ſunt pro nutritione inutiles, dum pro aliis vſibus non ſint in parte pro eis determinata delati. Ex his petet, quòd humores ſeparati pro aliis vſibus non ſunt cacochymi, dum non redundant, erunt tamen dum redundent quantitate.

Particula *alterius humoris à ſanguine*, ſanguinem excludit à ratione cacochymiæ, qui ita naturæ eſt coaptatus, vt quantumcumque alteretur, ſemper aliquid retineat vtilitatis, ob quam natura conatur illum retinere; & ratione ſuæ benignitatis coërcet reliquos, qui dum ſunt commixti eum illo, ſemper etiam retinentur à natura, nec niſi coacta ipſos abire ſinit, donec ſeparentur; & ideo ſuperaddimus *ab eius conſortio ſeparati, vel in eius conſortio ſupernatantis*, ad denotandum, quòd tunc humoribus superuenit ratio cacochymiæ, ratione cuius indicant purgationem, dum ſeparantur à commixtione ſanguinis. Tum quia toto tempore, quo poſſunt eſſe vtiles, aut regulari, non ſeparantur. Tum quia iam ſeparati, cùm non retineantur, ſicut antè propter commixtionem cum ſanguine, fiunt obiectum facultatis expellentis, & tunc purgans medicamentum attrahit ſine impedimento actionis retinentis; immò habet naturam adminiculantem media expellente facultate naturali, quæ coadiuuat ad illorum expulſionem; & ideò ſemper indicant purgationem, vt dicemus, ſiue ſeparentur ob nimiam quantitatem, ratione cuius ſanguini non valeant commiſceri, vt contingit in aſcite, leucophlegmatia, & in vrinæ ſuppreſſione, in ſeroſa ſubſtantia: ſiue contingat ratione qualitatum, vt contingit in humore turgente: ſiue contingat ob indebitum modum ſubſtantiæ, vt contingit dum natura poſt coctionem ſeparat in febribus materiam in nocitiuo coctam; ſemper enim quod alter humor à ſanguine ſeparatur ab illo, non propter aliquem vſum reliquarum partium, ſed vt inutilis, & ineptus commiſceri ob quantitatem, qualitatem, aut ſubſtantiæ modum, ſemper purgationem ratione ſuæ cacochymiæ indicat; quia cum naturæ inutilis, ſemper in cauſa eſt, vt valeat morbus magnus ab illo cauſari.

§. IV.

Argumentorum ſolutiones adducuntur.

Ad primum reſpondetur: Quòd Galenus intendit, quòd reperitur in aliis ſuccis à ſanguine ratio cacochymiæ dum deſinunt eſſe pars ſanguinis, ſeu maſſæ ſanguinariæ per ſupernatantiam.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd intendit Galenus, quòd cacochymia eſt prauitas, ſeu vitium, non ſanguinis ſeu humorum, qui ſunt pars ſanguinis, aut maſſæ ſanguinariæ, ſed eorum quæ, ſupernatant,

tant, aut ſegregantur, & vt ſupernatantes fiunt bilioſi, & inepti nutritioni.

Ad tertium reſpondetur: Quòd plethora, & cacochymia differunt, quia plethora fit à ſanguine redundante, vel ex aliis humoribus intra maſſam ſanguinariam contemperatis redundantibus: cacochymia verò eſt vitium alterius humoris ab eis, qui maſſam ſanguinariam, ſeu ſanguinem adimplent, & ab eorum conſortio ſupernatant.

Resolvtio II.

Vtrùm plethora, & cacochymia poſſint ſimul reperiri?

§. I.

Aperitur difficultas, & pars negatiua ſuadetur.

PRo reſolutione notandum, quòd plenitudo, multitudo, ſeu plethora, eſt *Redundantia vltra mediocritatem ſolius ſanguinis, ſeu ſanguinis, & reliquorum humorum, qui ab ipſo intra maſſam ſanguinariam coercentur.* Sufficit enim ad plethoram ſolius ſanguinis quatri humoris redundantia, vel ſanguinis, vt dicit maſſam ſanguinariam, & vtraque harum dicitur ſimpliciter plethora: ſecundùm quid, dum ſanguis redundat cum alio humorum non ſupernatantium, vt colligitur ex Galen. *lib. de plenitudine.* Toto enim tempore, quo continetur aliquis humor intra maſſam ſanguinariam, eſt pars illius, & eius augmentum cum ſanguine plethoram facit: ſi verò ſolus augeatur, ſine ſanguinis augmento, & intra maſſam ſanguinariam contineri, & contemperari non poteſt, ſupernatat, & fit cacochymia, de qua dubitamus, an cum plethora poſſit reperiri?

Videtur quòd non: Cacochymia eſt redundantia alterius humoris à ſanguine ſupernatantis, quia ab illo coërceri non poteſt, & contemperari: Sed ſi ſanguinis redundaret, qualiter in plethora contingit, poſſet cacochymum humorem contemperare: Ergo ſi datur ſanguinis plethora, non poteſt ſimul reperiri cacochymia.

§. II.

Affirmatiua pars præfertur.

REſoluendum: Quòd in ſecunda corporis regione poſſunt ſimul, & ſeorſum plethora, & cacochymia reperiri in diuerſis ſuccis. Sic tenet Sennertus *tom. 1. lib. 2. cap. 3.* & eſt communis.

Probatur primò: Exiſtente plenitudine, poteſt aliquis ſuccos à ſanguine diuerſus ratione quantitatis, aut qualitatis malignæ de nouo ſuperuenientis illi ex vi putredinis contemperari ab illo, nec coërceri intra reliquorum conſortium: Ergo plenitudo, quæ prius erat ſine cacochymia, erit ſimul cum illa.

Probatur ſecundò: In eadem febre, in qua ſanguinem mittimus in principio febris ardentis plenitudinis cauſa, ſi bilioſus humor noua acquiſita acrimonia turgeat, ſuperadditur turgentiæ cacochymia plenitudini præexiſtenti: Ergo reperitur ſimul cacochymia, & plenitudo.

Probatur tertiò: Dum ſanguis putreſcit ratione plenitudinis, impedita ventilatione, pars tenuis tranſit in bilem, craſſa in melancholiam, quarum quælibet ſi ſupereſcat, nec valeat intra maſſam ſanguinariam contineri, ſupernatabit: Ergo erunt cacochymia, & plenitudo.

§. III.

Ratio dubitandi dirimitur.

AD rationem dubitandi reſpondetur: Quòd licèt ſanguis redundet, poteſt alter ſuccus ab illo in qualitate, aut quantitate ita improportionari, vt non poſſit illum contemperare, nec impedire, quo minus ſupernatet.

Resolvtio III.

Vtrùm dum coincidunt plethora, & cacochymia; huius, quàm illius indicatio ſit præſtantior?

§. I.

Valleſij, & Mercati refertur opinio.

PLerumque à plethora ſanguinis miſſio indicatur, ſemper purgatio a cacochymia: cum autem poſſint plethora, & cacochymia coincidere, & non poſſint ſanguinis miſſio, & purgatio ſimul exerceri; pro praxi neceſſarium videtur cognoſcere, quæ indicatio alteri præſtet.

Valles *lib. 3. method.* prius ſanguinem eſſe mittendum videtur aſſerere. Mercatus tamen *lib. 1. de indicationibus, conſulta circa ſanguinis detractionem,* etiamſi cacochymia redundet in principiis morborum, ſanguinis miſſionem tutam eſſe contendit ad aliqua vitanda accidentia.

Suaderi poteſt primò: Quia euacuationes vniuerſales debent præcedere ad minus vniuerſales: Sed ſanguinis miſſio, cùm ſit euacuatio omnium humorum, eſt vniuerſalior, quàm purgatio, quæ vnius determinati humoris eſt euacuatio: Ergo dum vtraque manet indicatio, præſtantior eſt, quæ ſumitur à plethora.

Secundò: Plerumque dum adeſt cacochymia, viæ purgationi deſtinatæ ſunt ob præſentiam craſſorum humorum impeditæ: Ergo debet humor cacochymus potius ſanguinis miſſione, quàm purgatione euacuari.

Tertiò: Plerumque adhuc ſi reperiatur humoris cacochymia, remanet tamen in aliqua diſtante parte, à qua non poterit purgatione extrahi ſine magno periculo ægri: Ergo prius exercenda ſanguinis miſſio, quàm purgatio. Probatur antecedens, in catharro ſuffocante, vel in pleuritide orta ab humore cacochymo à capite deſcendente.

§. II.

Deciſio reſolutionis aperitur.

REſoluendum: Quòd ſi æqualis indicatio ſumatur à plethora, & a cacochymia ſimul exiſtentibus in venis, ſi ab extrinſeco non ſit impedimentum, præſtantior eſt indicatio à cacochymia deſumpta.

Probatur primò Ex Hippocrate 1. *Aphoriſm.* 22. & 4. *Aphoriſm.* 1. & 19. aliiſque in locis, in quibus de cacochymia materiæ turgentis ſumpta indicatione ab illa, derelictâ eâ, quæ à plenitudine poteſt deſumi, ſtatim eadem die profert purgandam eſſe materiam cacochymam; tardare enim in his caſibus docens malum eſſe.

Probatur ſecundò. Materia morbifica, quò benignior, minus indicat ſui expulſionem: Sed materia morbifica plethoram efficiens benignior eſt, quàm cacochyma: Ergo dum vtraque reperitur, indicatio præſtet, quæ deſumitur à cacochymia. Probatur minor,

mor, materia plethoram efficiens, eſt ſanguinea; materia cacochymiam efficiens, eſt alterius humoris à ſanguinis conſortio diſtincti, & ratione ſuæ ſubſtantiæ inepti, vt cum illo commiſceatur: Ergo materia plethoram efficiens eſt benignior.

Probatur tertiò: Illud, ad cuius expulſionē habemus naturam adminiculantem, vrget magis ad ſui expulſionem, ex Gal. 1. *Aphoriſm.* 22. quàm materia, qua natura vtitur pro ſui conſeruatione: Sed natura ſanguine vtitur pro ſui conſeruatione, ex quo fit plethora: Ergo minùs indicat ſui expulſionem, quam humor ab illo ſeparatus, in cuius ſeparatione, quia nutritioni inutilis, fit cacochymia.

§. III.

Valeſij, & Mercati fundamenta ruunt.

AD primum reſpondetur: Quod dum reliqui humores ſunt ſanguini commixti, ſunt pars ſanguinis, & ideò Valles iudicat priùs euacuationem ſanguinis deberi, quia reſpectu eiuſdem cauſæ morbificæ, prius cauſa vniuerſalior, à qua particularis dependet, euacuanda: at verò humor cacochymus eſt diuerſa cauſa morbi, ac plenitudo; & quia magis aliena à natura, poſſunt ex illa maiora ſubſequi incommoda, quæ ideò ab arte prius vitari debent.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd tunc per accidens priùs fit ſanguinis miſſio, quia cùm non ſit locus purgationi propter impedimentum, exequitur ſanguinis miſſio, etiam ſi eius indicatio præualeat minus.

Ad tertium reſpondetur: Quòd agimus de indicationibus, quæ ſumuntur à plethora, & cacochymia ſimul in eadem parte corporis exiſtentibus; non verò de eis, quæ cum ſint in diuerſis regionibus, non poſſunt æquè primo purgante medicamento, ac ſanguinis miſſione ſubueniri.

Resolvtio IV.

Verùm aliqua ſuccorum cacochymia poſſit reperiri in prima regione?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur.

VIdetur quòd non: Cacochymia ex Galeno eſt vitium in aliis humoribus à ſanguine: Sed in prima regione nulli ſunt humores: cum ij ſolum generentur in iecore: Ergo in prima regione nullus ſuccus cacochymus valet reperiri.

§. II.

Affirmatiua pars præfertur.

REſoluendum primò: Quòd duplex ſuccorum cacochymia poteſt in prima regione reperiri; alia eorum, qui in ipſa generantur; alia eorum, qui geniti in ſecunda refluunt ad primam.

Probatur prima pars: Tum quia ventriculi coctio lædi poteſt tripliciter, ſicut & quæcumque alia coctio, ex Galeno *lib. 3. de cauſis ſymptomat. & lib. de differ. ſymptomat.* Et ex quacumque harum læſione ſubſtantia vitioſa, & cum cacochyma diſpoſitione generatur: Tum quia viſcerum obſtructiones fiunt ex cruditatibus, vitioſiſque, & cacochymis ſuccis in ventriculo genitis. Tum quia ex Galeno *lib. 3. de cauſis ſymptomat. cap. 7.* Melancholia hypocondriaca fit ex cacochymia ſuccorum, qui generantur in ventriculo, & vſtione in venis meſenterij tranſeunt in melancholiam: Ergo cacochymia ſuccorum generatur, & reperitur in prima regione.

Probatur ſecunda pars: Tum ex Galeno, qui *lib. de vſu partium*, docet bilem deferri ad inteſtina, & melancholiam deferri ad lienem, & ventriculum, vbi ſine ſanguinis conſortio in magna copia poſſunt reperiri: Tum in febribus intermittentibus apparet per vomitum, & ventrem magnam copiam expurgari pituitæ, bilis, aut melancholiæ refluentium à ſecunda regione ad primam: Tum ſine febre in dyſenteria, & diarrhœa apparent continuæ excretiones, & in vomitibus ex ſuccis à ſecunda regione refluentibus.

§. III.

Amplius dilucidatur cacochymia primæ regionis.

REſoluendum ſecundò: Quòd in ventriculo duplex ſuccorum cacochymia generatur, acidorum ſuccorum, aut nidoroſæ ſubſtantiæ.

Probatur: Succorum cacochymia in ventriculo fit ob vitiatam coctionem: Sed hæc vel deprauatè facta attingit ſubſtantiæ nidoroſæ productionē, vel diminutè agens attingit ſubſtantiæ acidæ generationem: Ergo duplex cacochymia ſubſtantiæ acidæ, & nidoroſæ generatur in ventriculo. Probatur minor ex Galeno *lib. 3. de cauſis ſymptomat. c. 1.* inquit enim: *Verum ſi propter exuperantem calorem tale quid accidat, protinus etiam corrumpuntur cibi, generatur quidem corruptela quædam, quæ ad nidoroſam inclinet, ſpeciatim verò pro ſua quiſque natura; quippe alia, cum corrumpuntur tanquam virus, alia tanquam lutum, alia crudos piſces, aut indicibilem aliam putredinem olent, &c.*

Dices: Plures eſſe differentias cacochymiæ in ſuccis genitis in ventriculo; Auicenna enim *tract. 3. c. 2.* inquit: *Et cibus quidem corrumpitur in ſtomacho, aut quia putreſcit, aut quia aduritur, aut quia aceſcit, aut quia acquirit qualitatem non proportionalem ad aliquam qualitatum conſuetarum*: Ergo plures ſunt differentiæ cacochymiæ ſuccorum, qui generantur in ventriculo, quam duæ enumeratæ.

Reſpondetur: Quòd licèt ſint plures ſpecificè; genericè reducuntur ad nidoroſam, & acidam ſubſtantiam, vt ex Galeni, & Auicennæ contextu apparet.

§. IV.

Soluitur ratio dubitandi.

AD argumentum reſpondetur: Quòd cacochymia eſt redundantia ſuccorum quantitate, ſeu qualitate peccantium, à ſanguine ſeparatorum; ſiue tales ſucci ſint humores præternaturales à ſanguine ſeparati, ſiue ſint alij quicunque ſucci illis ſimiles in quacumque corporis parte geniti, aut redundantes.

Resolvtio V.

Verùm quadruplex cacochymiæ differentia poſſit in ſecunda regione reperiri?

§. I.

Nuñeſij opinio proponitur, & eius fundamenta.

AMbroſius Nuñez *lib. 2. Aphoriſm.* tres tantum admittit ſuccorum differentias, quibus ratio cacochymiæ ſuperueniat.

A Plures ſpecies reperiri ſuadet: Quòd ſanguis dum putreſcit propriam amittit naturam: Sed redundantia humoris à natura ſanguinis alieni eſt cacochymia: Ergo ſanguini etiam poteſt accidere ratio cacochymiæ.

Secundò, pro Nuñez videtur ſtare: Seroſa humorum ſubſtantia ſeparata ab humorum, & ſanguinis conſortio defertur ad renes: Ergo non redundat vt cacochyma in ſecunda regione.

Tertiò: Cacochymia ſemper indicat purgationem: Sed ſeroſa ſubſtantia non indicat purgationem, nec eſt aliquod pharmacum in eius euacuationem deſtinatum: Ergo etiam ſi ſeparetur à ſanguinis conſortio, non eſt cacochymia ſeroſa humorum portio.

B Quartò: Bilis, & melancholia habent loca deſtinata in corpore, ad quæ trahuntur; & alia in quibus ſunt vtilia pro diuerſis vſibus conducentibus ad vitæ conſeruationem: ergo etiam ſi ſeparentur à ſanguinis conſortio, non eſt cacochymiæ ratio illis adaptanda.

§. II.

Amplectitur pars tenenda.

RESoluendum: Quòd in ſecunda regione, bilis, melancholia, pituita, & ſeroſa ſubſtantia, ſi ſupernatent, cacochymiæ rationem habent.

C Probatur primò, ex Gal. *lib. 1 3. method. c. 6.* dicente: *Si autem æqualiter omnes ſucci redundant, plethora appellatur: ſi verò pituita, bilis flaua, aut atra, vel ſeroſis humoribus refertum corpus fuerit, cacochymia dicitur*: Ergo quadruplex adducta cacochymia valet reperiri.

Probatur ſecundò: Cacochymia eſt redundantia ſuccorum à ſanguinis commixtione ſeparatorum, aut cum ipſo ſupernatantium: Ergo in ſecunda regione tot poſſunt reperiri cacochymiæ differentiæ, quo ſunt ſubſtantiæ ſeparabiles à ſanguinis commixtione: Sed ſeroſa ſubſtantia, quæ eſt humorum pars, bilis, melancholia, & pituita, quæ ſunt ſubſtantiæ maſſam ſanguinariam adintegrantes, valent in ſanguinis commixtione reperiri: Ergo valent ab eius commixtione reperiri ſeparatæ, & ſupernatantes.
D

§. III.

Soluuntur Nuñeſij fundamenta.

AD primum reſpondetur: Quod ſanguis dum propriam formam ſeruat, non eſt aliud à ſanguine, dum illam in termino putredinis amittit, pars tenuis in bilioſam, & craſſa in melancholiam cacochymam tranſit.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd in ſtatu naturali moderata ſeri quantitas continuo à renibus attrahitur, at dum nimia luxuriat quantitate, aut impeditur obſtructionibus deſcenſus illius, redundans in venis ſupernatat. E

Ad tertium reſpondetur: Quòd duplex ſubſtantia ſeroſa poteſt in venis reperiri, alia pituitæ affinis, à iecore frigido genita, qualis eſt, quæ redundat in aſcite, & hæc à medicamentis cholagogis attrahitur; alia ex ſero redundante aggregatur, cui plerumque aliquis redundans ſuccus, cuius erat ſerum, admiſcetur, qui ob indebitum ſubſtantiæ modum cum illa putreſcit, & febres fouet, & hic ſeroſus ſuccus attrahitur medicamentis reſpicientibus humorem commixtum.

Ad quartum reſpondetur, Quòd bilis, & melancholia in ſtatu naturali producuntur in quantitate neceſſaria pro partium nutritione, quibus ſunt proportionatæ, & pro aliis vſibus, in quos ſunt deſtinatæ; ſed in ſtatu præternaturali maiori redundant copia, aut qualitate fiunt ineptæ nutritioni, & vt commixtæ ſanguini permaneant, & tunc fiunt ſupernatantea.

RESOLVTIO VI.

Verùm in tertia regione eædem, ac in ſecunda ſint differentiæ cacochymiæ?

§. I.

Negatiua pars ſuadetur.

B VIdetur quòd ſint plures. Primò tumores ſanguinei reperiuntur in tertia regione: ſed quicumque tumores præternaturales fiunt ex cacochymia humorum: ergo in tertia regione reperitur cacochymia ſanguinea à reliquis diſtincta.

Secundò: In tertia regione fiunt tumores flatulenti, & alij qui ſubſtantiam ab humoribus extraneam continent, vt in melicerri, & ſimilibus apparet: ergo reperitur cacochymia ab aliis diſtincta.

Tertiò: Apoſtemata ex pure reperiuntur in tertia regione: ſed pus cacochyma ſubſtantia eſt à reliquis quatuor annumeratis diſtincta. ergo ſuperaddenda alia differentia.

C

§. II.

Affirmatiua pars præfertur.

REſoluendum: Quòd eædem ſunt differentiæ cacochymiæ in tertia, ac in ſecunda regione.

Probatur in tertia regione nulli generantur humores, nec aliunde quàm à ſecunda recipiuntur: Ergo nullæ differentiæ cacochymiæ poſſunt reperiri præter quatuor, quæ reperiuntur in ſecunda.

Probatur ſecundò: In aſcite redundat cacochymia ſeroſa, in eriſypelate bilioſa, in cancro melancholica, in leucophlegmatia pituitoſa: Ergo in tertia regione
D reperiuntur quatuor differentiæ cacochymiæ, quæ poſſunt reperiri in ſecunda.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Quòd ſanguinei tumores fiunt ratione plenitudinis à ſanguine; reliqui verò, qui fiunt ab aliis humoribus, ſine illius conſortio, à cacochymia.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd flatulenti tumores, & reliqui in quibus aliqua ſubſtantia extranea continetur, reducuntur ad cacochymiam ſubſtantiæ, quæ fuit cauſa materialis, ex qua flatus, aut reliquæ
E extraneæ ſubſtantiæ fiunt.

Ad tertium reſpondetur: Quòd pus, ſicut & reliquæ ſubſtantiæ extraneæ tertiæ regionis reducendæ (vt diximus) ad humores ex quibus fiunt, ſicut contingit ſimiliter in ſecunda regione; in qua, ſubſtantia, quæ poſt coctionem remanet, humori, ex quo pus generatur, reducitur, & pharmaco purgatetur, quod habet ſimilitudinem cum tali humore, ſi purganda eſſet.

Resolvtio VII.

Qualis ſit deterior cacochymiæ ratio in ſuccis cacochymis ſecūdæ, & tertiæ regionis?

§. I.

Notandum proponitur.

NOtandum, Quòd ſucci, qui cacochymiæ rationem induunt, alij quantitate maximè fiunt tales; alij ex propria natura in quacumque quantitate ſint, cacochymi generantur. Quantitate fiunt tales pituita, bilis, & melancholia, quæ dum generantur in quantitate proportionata, ſanguini commiſcentur, ſi ſuperabūdent, ſupernatant, & fiunt cacochymi: qualitate autem, & ex proprio modo ſubſtantiæ cacochymi fiunt ſucci, qui vel in iecore generantur præternaturales, vel ex naturalibus ex vi alicuius alterationis præternaturales fiunt, vt pituita acida, ſalſa, vitrea, gypſea, bilis vitellina, æruginoſa, cærulea, portacea, & omnes ſpecies atræ bilis.

B

§. II.

Reſoluitur Quæſtio.

REſoluendum: Quòd deterior cacochymiæ ratio eſt, quæ reperitur in ſuccis quando non ſolùm quantitate, ſed in qualitate, aut in ſubſtantiæ modo declinant à naturali ſtatu.

Ratio fundamentalis huius veritatis ſtat in hoc, quòd ea, quæ in modo ſubſtantiæ inepta ſunt nutritioni, vel ratione qualitatum, ineptiora ſunt vt ſanguini commiſceantur, & vt deſeruiant pro partium nutritione; quam ea, quæ ſola quantitate excedunt, nam hæc non quia nutritioni inepta, ſed quia redundantia redduntur inutilia: Ergo cacochymiæ ratio, quæ ſuperuenit eis, quæ in modo ſubſtantiæ, vel in qualitate indebita deuiant à naturali ſtatu, deteriori gaudent cacochymia, quā quæ ſola quantitate fiunt cacochymia.

C

Resolvtio VIII.

Quotuplex ſit cacochymiæ cauſa?

§. I.

Deciditur, & firmatur reſolutio.

D

NOtandum: Quòd ſucci, qui in corpore reperiuntur cacochymi, alij in ſtatu naturali generantur, & poſtea cacochymiam acquirunt; alij cacochymiæ induunt naturam in prima ſui productione.

Reſoluendum primò: Quòd ſucci, qui nondum cacochymi generantur, poſſunt cacochymiam acquirere, vel ex commixtione cum aliis cacochymis: vel ex cauſis alterationem, putredinem, aut quantitatem efficientibus.

Prima pars docetur ab Hippocrate 2. *Aphor.* 10. *Corpora*, inquit, *non pura quanto magis nutries, tanto magis lædes.* In comm. inquit Galen. *Corrumpitur enim adueniens alimentum ab humorum prauitate. corpus iam obtinente, &c.* Ergo ſucci, qui ex optimo alimento perfecti generantur, fiunt cacochymi aliorum commixtione.

E

Probatur ſecunda pars: Quia licèt ex debito ſucco, & à calore moderato fiant humores, ratione ſuperuenientis alicuius cauſæ, à cuius alteratione in quantitate ſucci augeantur, vel in quantitate immutentur, nimiſque à natura ſanguinis alienentur, deſerunt commixtionem ſanguinis, & ſupernatantes redduntur, vt apparet in ſuperuenienti turgentia.

§. II.

Aliæ deciduntur cacochymiæ cauſæ.

REſoluendum ſecundò: Quòd humores generantur cacochymi, & inepti, vt poſſint ſanguini commiſceri, vel ob prauitatem alimenti, ex quo

A

fiunt, vel ob vitium maximum cauſæ producentis.

Probatur prima pars, ex Galen. qui *lib. de cibis boni, & mali ſucci*, duo genera conſtituit prauorum ciborum, ex quibus praui humores debent generari; vnum eorum, qui ex propria natura ſunt talia, vt cæpa, allium, &c. alia quæ ab extrinſeco talia redduntur, vt triticum, aut carnes, quæ ob aliquam cauſam putredinem ſunt paſſæ.

Secunda pars ex dictis patet: pro humoribus cacochymis, qui generantur in prima regione à frigida, vel calida ventriculi intemperie; quod idem contingit in ſecunda, & apparet in hydrope, in qua frigidè cacochymi ſucci à frigiditate fiunt, ſicut à caliditate atra bilis, bilis æruginoſa, & reliquæ bilis præternaturalis ſpecies.

B

§. III.

Externæ proferuntur cauſæ.

REſoluendum tertiò: Quòd ſunt quinque cauſæ externæ, quæ maximè coadiuuant ad hoc, quòd cauſæ internæ deterrimas generent cacochymias. Sic tenet Horatius Augenios, qui ipſas refert, & ex ipſarum cognitione conſtat veritas huius concluſionis.

Prima: Si poſt alimentum putridum, putrida ex lacunis, piſcinis, ſeu paludibus ſuperbibatur aqua. Secunda: Si à cibo immoderatus fiat motus; quo citius alimentum corruptum permeet in partes. Tertia: Immodica vigilia, quæ eandem coadiuuat diſtributionem. Quarta: Animi pathemata triſtitiæ, & mœroris immodica. Quinta: Frequens vſus alimentorum, qui reliquorum ſunt vehiculum, deducuntque ad iecur omnem impuritatem in prima regione repertam, vt aquæ vitæ continuus vſus, ſucci limonum, & reliquorum acrium alimentorum.

C

SECTIO II.

De turgentium humorum cacochymia.

ORgaſmos, turgor, furor, ſeu turgentia quandam dicunt diſpoſitionem in humoribus cacochymia affectis, ratione cuius motū concitato, effræni, & indeterminato à parte in partem pelluntur cum maximo nocumento, & periculo, ne decumbant in partem principem, & quia à ſanguine coērceri non poſſunt, & ab eius commixtione ſeparari, & ſupernatantes indeterminatè ruunt; ſtatim purgandos eſſe docet Hippocrates 1. *Aphor.* 22. & 4. *Aphoriſm.* 1. & 10. & 5. *Aphoriſm.* 29. de quibus, & nos ſub hac ſectione diſputabimus.

D

Resolvtio I.

Quid ſit turgentia?

§. I.

Turgentiæ diffinitio ſancitur.

E

REſoluendum: Quòd turgentia eſt vehemens conatus appetitus naturalis, ſenſitiui, aut rationalis tendentium in fugam, aut proſequutionem alicuius obiecti. Quod ſit *vehemens conatus* oſtendit Hippocrates *lib. 3. de fracturis, c.* 18. vbi contendens demonſtrare vehementem conatum; quo natura in fracturis appetit partem oſſis confractam abſcedere, dicit: *Quod vlcus videtur turgere id eſt, vehementer conari oſſis confracti expulſionem.* Naturalis appetitus turgentiam expreſſit Theophraſtus *lib. 1. de cauſis plantarum cap. 6. & 14.* ait enim: *Plantas turgere dum vehementer appetunt folia & fructus exprimere*, cui adhærens Virgilius cecinit:

Vere tument terræ & genitalia ſemina poſcunt.

——turgent in palmite gemmæ.

A Appetitus ſenſitiui turgentiam docet Ariſt. *lib. 6. de hiſtoria animal. cap.* 16. vbi de fœminis quadrupedibus, præcipuè de Equa, & Boue dicit: *Quod turgent ad coitum.* Similiter de rationali intelligendus Plutarchus, qui appetitum vehementem, modumque excedentem in hominibus vocat *turgentiam*, ex quibus apparet rationem turgentiæ ponendam eſſe in vehementi conatu appetitus naturalis, ſenſitiui; aut rationali tendentium in fugam, aut proſequutionem alicuius obiecti.

Resolvtio II.

B Vtrùm in humoribus aliqua ſit turgentiæ ratio?

§. I.

Fallopij refertur opinio, & fulcitur.

Fallopius *lib. de medicamentis purgantibus*, videtur contendere, quòd humoribus nulla turgentiæ ratio ſit tribuenda, ſed ipſos eſſe purgandos, quia corporis partes turgent.

Primò: Probatur ex diffinitione turgentiæ, ex qua patet rationem turgentiæ in partibus, quibus ineſt appetitus, reperiri.

Secundò: In his reperiri poteſt turgentia, in quibus reperitur principium elicitiuum indeterminati motus, qualis eſt, qui reperitur in animalibus ad coitum concitatis, vt docet Galenus 1. *Aphoriſm. comment.* 22. C Sed nullum eſt in humoribus huiuſmodi motus principium: Ergo nec turgentiæ aliqua ratio.

Tertiò: Si humores deberent dici turgentes, maximè quia à partibus noſtri corporis mouentur indeterminatè ab vna parte in aliam: Sed hæc ratio non conſtituit turgentiam in illis, aliàs enim cùm continuò intra ſanitatem à partibus in partes ferantur, dicerentur turgere: Ergo in humoribus nulla eſt ratio turgentiæ.

§. II.

In humoribus turgentiæ ratio explicatur.

D Reſoluendum primò: Quòd humores dicuntur turgere obiectiuè, aut cauſaliter, quatenus ob ſuam prauam diſpoſitionem ſunt cauſa, vt partes turgeant ad eorum expulſionem.

Probatur: Turgentia eſt vehemens conatus appetitus in fugam, aut proſequutionem alicuius obiecti: Sed in corpore humano poſſunt humores peruenire ad eam diſpoſitionem, qua irritent partes corporis, ita vt conatu vehementi appetant eorum expulſionem: Ergo obiectiuè, aut cauſaliter turgere dicuntur.

§. III.

Turgentiæ vlterius ratio humoribus adſcribitur.

E Reſoluendum ſecundò: Quòd humores, vt moti à partibus, effræni, & indeterminato motu, poſſunt dici turgentes per quandam analogam proportionem.

Probatur ex Galen. 1. *Aphor. comm.* 22. inquit enim: *Verbum turgere tranſlatum eſſe ab animalibus turgentibus, ad humores: nam ſicut illa ſtare loco non poſſunt quodammodo titillata, atque impulſa, concitataque à paſſione, ſic & humores plerumque in motu vehementiore, atque transfluxu ab vna parte in aliam, in morbi principio hominem infeſtant, mouentes titillantes, & quieſcere non permittentes, &c.*

A Probatur ſecundò: Vera ratio turgentiæ, quæ reperitur in animalibus, ſtat in vehementi conatu, & cognoſcitur ex concitato motu, quo contendunt illius conatus finem explere: Sed in humoribus, qui dicuntur turgere, non eſt conatus ſuæ expulſionis in illis, ſed in partibus ab eis laceſſitis, nec à ſe mouentur in proſequutionem illius finis, ſed moti à partibus feruntur: Ergo dicuntur turgere ſolum analogia proportionis, quam cùm partibus verè turgentibus habent.

§. IV.

Soluuntur rationes primò adductæ.

B Ad primum reſpondetur: Quòd ex diffinitione adducta, & eius confirmatione, ex Hippocrate, Ariſtot. Theophraſto, & Plutarcho probatur: Quòd turgentiæ ratio formalis non ſit in humoribus, non verò quod analogicè, & obiectiuè non dicantur turgentes.

Ad ſecundum: Patet ſimiliter ſolùm probare non reperiri in illis formaliter turgentiam.

Ad tertium reſpondetur: Quòd vt formaliter dicerentur turgentes, deberent habere appetitum, & principium motus, quo mouerentur in proſequutionem eius motu indeterminato, defectu cuius non turgent formaliter.

Resolvtio III.

C Per quid dicantur humores turgere?

§. I.

Augenij, & Saxoniæ proponuntur opiniones.

Horatius Augenius *lib. 1. Epiſtolarum*, vocat turgentes quoſcumque humores, qui in corpore mouentur, etiamſi in partem determinatam ferantur, vt in caput, pleuram, aut iecur, qui conſequenter debet admittere humores turgentes fieri, ſiue ratione quantitatis, ſiue ratione cuiuſuis qualitatis moleſtantis, ratione cuius pellantur à partibus.

Hercules de Saxonia *lib. 8. de febribus* indicat materiam turgentem dici non tantum, quæ huc, aut illuc D vagatur, ſed quæ pugnat inſigni copia, nimia tenuitate, nimia caliditate, aut motu ad partes præcipuas, aut nimia putredine. In quo dicendi modo ſimiliter à quacumque cauſa ex prædictis conſtituuntur humores turgentes.

Pro quibus ſtat ratio: Id conſtituit humores turgentes obiectiuè, aut cauſaliter, quod eſt obiectum irritans facultatem, & mouens appetitum ad illorum expulſionem: Sed quælibet ex propoſitis ab his authoribus eſt cauſa mouens, & irritans ad ſui expulſionem: Ergo per illam humores dicuntur turgentes.

§. II.

Deciditur reſolutio.

E Reſoluendum: Quòd humores non dicuntur turgentes, dum quomodolibet irritant, vt mouentur: ſed dum vehementi motu agitantur, & ab vno loco, ad alium indeterminatè confluunt, dolores, ac titillationes inferunt, & quieſcere ægrum non permittunt.

Probatur primò: Ex Galeno, inquit enim *in lib. de eis, quos purgare oportet: Concitari verò, & turgere humores dicuntur, cùm motu vehementi agitantur, ac ab vno loco ad alium confluentes inter principia morbi hominem vexant, doloreſque, ac titillationes afferendo eum quieſcere non ſinunt, &c.*

Probatur ſecundò: Si quælibet præternaturalis

diſpoſitio

diſpoſitio ſufficeret pro humorum turgentia, in qualibet præternaturali diſpoſitione illorum conueniret eadem die purgatio ex Hippocrate 4. *Aphoriſm.* 29. Sed plerumque donec materia ſit cocta, non eſt purgandum, ex Hippocrate 1. *Aphoriſm.* 22. Ergo non quælibet præternaturalis diſpoſitio conſtituit humores turgentes.

Probatur tertiò: Humores illi tantum dicuntur turgentes, à quibus concitatur vehemens conatus appetitus pellendi illos: Sed non à quacumque excedente quantitate, aut præternaturali qualitate vehemens conatus appetitus concitatur, cùm iuxta obiecti moleſtatis irritationem debeat concitari: Ergo à ſola nimis mordicante, irritanteque qualitate dicuntur turgentes.

§. III.

Turgentiæ conditiones adducuntur.

RESoluendum ſecundò: Quòd requiritur in humoribus, vt turgentes dicantur analogia proportionalitatis; quod nimia caliditate, & ſiccitate excedant; quod ſubſtantiam tenuem obtineant; quod indifferenter à parte in partem commoueantur; quod in nulla ſint parte fixi. Sic tenet Galenus locis nuper adductis, quem ſequitur Manardus *lib.* 13. *Epiſtolarum*, & communis Medicorum aſſenſus.

Probatur: Humores turgent ex Galeno 8. *de compoſit. ſecundum locos*, dum per corpus diſcurrunt ab vno loco in alium: Sed vt moueantur indigent calore irritante, ac mordaci, quo irritent; tenuitate, vt poſſint moueri; quòd nulli ſint parti affixi, alias non eſſent motui apti, quòd non ſint in aliqua impacti, tam enim non mouerentur: ergo.

§. IV.

Cauſalitas turgentiæ aperitur in humoribus reperta.

RESoluendum tertiò: Quòd calor igneus ſiccitati coniunctus vt acris, eſt præcipua diſpoſitio, quâ humores fiunt obiectiuè turgentes. Sic tenet Manardus *lib.* 3. *Epiſtolarum* 6. *Mihi autem videtur inter qualitates primas hoc ſoli calori eſſe tribuendum, qui adeò acris, & vehemens ſit, vt membra veluti exuat, atque ob hoc à quouis membro retineatur &c.*

Probatur; Humores fiunt obiectiuè turgentes per eam diſpoſitionem, qua partes irritatæ vehementi conatu intendunt eorum expulſionem: Sed calor acris vehemens, & exurens; qualis eſt igneus, & ſiccitati coniunctus eſt huiuſmodi: Ergo per illum humores fiunt obiectiuè turgentes.

§. V.

Soluitur ratio dubitandi.

AD contrarium fundamentum reſpondetur: Quòd, vt diximus, non quolibet actus appetitus, ſed vehemens illius conatus eſt, qui dicitur turgentia; & ideò non quælibet humorum diſpoſitio appetitum mouens ad ſui expulſionem eſt ſufficiens, vt per illam humores dicantur turgere, ſed illa tantum, quæ partes exurens, exulceranſque appetitus vehementem conatum mouet.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm pituita, & melancholia valeant turgere?

§. I.

Pars affirmatiua ſuadetur.

VIdetur quòd ſic: Turgentia eſt cacochyma humorum diſpoſitio, quâ humores præternaturalem acquirunt diſpoſitionem irritantem naturam ad humorum, quibus ſuperuenit, expulſionem: Sed vi putredinis poſſunt in lethalem diſpoſitionem pituita, & malancholia peruenire: Ergo ratione illius fiunt turgentes.

Secundò: Pituita aliquando fit tenuis, ſalſuginoſa, & mordax, ob commixtam bilem: Ergo fiet apta turgere.

Tertiò; Melancholia fit plerum que ex reliquis humoribus putredine, aut vſtione: Ergo fiet acris, mordax, & ſufficienter apta, vt turgeat.

§. II.

Deciditur reſolutio.

REſoluendum: Quod nec pituita nec Melancholia aptas induunt diſpoſitiones, vt dicantur turgentes. Communis eſt hæc doctrina.

Probatur: Melancholia, & pituita, nec obiectiuè, nec analogicè habent conditiones turgentiæ: Ergo nullo modo poſſunt dici turgentes. Probatur antecedens, non habent acrimoniam, nec igneum, ac mordacem calorem, ratione quorum obiectiuè moueant: non habent tenuem ſubſtantiam, ratione cuius a parte in partem ferantur: Ergo nec obiectiuè, nec analogicè habent, ratione cuius dicantur turgere.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Quòd non quælibet præternaturalis diſpoſitio, adhuc ſi ſit lethalis, ſufficit pro Turgentia: ſed quæ reſolutione antecedenti à nobis aſſignantur pro Turgentia.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd licèt pituita bili ſit commixta, ſua humiditate retundit mordacitatem requiſitam pro turgentia.

Ad tertium reſpondetur: Quòd melancholia vſtione facta craſſa manet motui inepta, & turgentiæ analogicæ inutilis.

RESOLVTIO V.

Vtrùm ſanguis poſſit turgentiam acquirere?

§. I.

Muſæ opinio proponitur.

PArtem affirmatiuam tuetur Antonius Muſa *lib.* 4. *Aphoriſm. commentar.* ſed his conuictus,

Primò: Sanguis concitato motu poteſt deferri in corpore: Ergo ſanguis turgentiæ rationem poteſt habere. Probatur antecedens, ex Aëtio *lib.* 6. *c.* 4. vbi id comprobare videtur exemplo pueri catocho correpti, qui, ſanguine à naribus fluente, fuit liberatus: Ergo quia à ſanguinis concitato motu fuit correptus.

Secundò: Syncope poteſt ſuperuenire ex ſanguinis concitato motu ad cor: Sed concitatus motus humoris, & decubitus in partem principem prouenit in turgentia: Ergo ſanguis poteſt turgere.

Tertiò: Sanguis poteſt calefieri, & attenuari: Ergo ſanguis poteſt turgere.

§. II.

Negatiua pars ſancitur.

REſoluendum negatiuè: Sic tenet contra Criſpum Horſtius Augenius *lib.* 2. *Epiſt.* 7. & his rationibus conuinci poteſt.

Primò;

Primò: Ex Hippocrate 4. *Aphoriſm.* 10. & 1. *Aphoriſm.* 22. Turgenti humori debetur purgatio: Sed nullum ex Meſue medicamentum eſt hæmagogum, vel ſaltem nullum cognoſcitur ex Gal. Ergo nullus ſanguis poteſt acquirere turgentiam. A

Secundò: Humor fit turgens ratione caliditatis igneæ, tenuitatis, & mordacitatis: Sed in ſanguine caliditas eſt aërea, & humiditati coniuncta eſt incapax mordacitatis: Ergo non poteſt eſſe cauſa alicuius turgentiæ.

Tertiò: Turgens humor debet eſſe cacochymus à ſanguinis commixtione ſeparatus, aliàs non aberraret à parte in partem: Sed cacochymia, vt probauimus, non accidit ſanguini; ſed alij humori à ſanguinis conſortio ſeparato: Ergo ſanguini non accidit turgere.

§. III.

Muſæ rationes ruunt.

AD primum reſpondetur: Quod humor non ſit turgens à quocumque motu, quo defertur à parte in partem, aliàs omnis tumor fieret ratione turgentiæ, & ſtatim indicata eſſet purgatio, ſed requiruntur plura, vt decreuimus.

Ad ſecundum: Patet ex dictis in ſolutione ad primum.

Ad tertium reſpondetur: Quod manente forma ſanguinis, non valet turgentiæ qualitates acquirere, vt patet ex probationibus. C

RESOLVTIO VI.

Verùm bilis atra turgeat?

§. I.

Suadetur pars affirmatiua.

VIdetur quòd ſic: bilis flaua, dum calor fit mordax, acris, adurens, & igneus, turget: bilis atra calorem igneum, acrem, adurentem habet, muſcas enim abigit, terram fermentat, carnes exulcerat, & corrodit: Ergo turget. D

Secundò: Bilis flaua, quæ turget, ſi vlterius aduritur, abit in atram: Sed per vſtionem calidior redditur, maiorem ſiccitatem, igneitatem, acrimoniam, & mordacitatem acquirit: Ergo multo magis turgebit.

§. II.

Deciditur difficultas aliqualiter.

REſoluendum primò: Quòd flaua bilis eſt cui vtraque turgentia obiectiua, & analoga poteſt ſuperuenire. Patet ex abnegatione turgentiæ in reliquis humoribus, & ex inclusione conditionum, quæ pro turgentia diximus requiri.

§. III.

Ex toto aperitur veritas.

REſoluendum ſecundò: Quòd atræ bili obiectiua accidit turgentia.

Probatur: Habet diſpoſitionem, qua humores conſtituuntur turgentes cauſaliter, aut obiectiuè: Ergo accidit illi turgentia. Probatur antecedens, habet calorem adurentem, igneum, mordacem: & erodentem: Sed ratione huius diſpoſitionis (vt probauimus) fiunt humores turgentes: Ergo habet diſpoſitionem, qua humores fiunt obiectiuè turgentes.

A §. IV.

Deciditur tertiò reſolutio.

REſoluendum tertiò: Quòd bilis atra non habet quæ requiruntur, vt dicatur analoga proportione turgere.

Probatur: Vt humores dicantur analoga proportione turgentes, vltra caliditatem irritantem, exigunt tenuitatem, qua à parte in partem moueantur concitato, & indeterminato motu: Sed bilis atra craſſa redditur, adhærentemque habet ſubſtantiam ad partem, in qua adhæret; & ideò nec mouetur à parte in partem, nec indeterminato, ac concitato motu fertur: Ergo nec
B dicitur analogiâ proportionis moueri.

§. V.

Soluuntur dubitandi rationes.

AD primum reſpondetur: Probare argumentum, quod habeat diſpoſitionem turgentiæ cauſaliter, non verò quæ requiruntur, vt analogia proportionis dicatur turgere.

Ad ſecundum argumentum patet ſolutio ex dictis.

RESOLVTIO VII.

Verùm turgens humor ſtatim ſit purgandus?

§. I.

Prima proponitur deciſio.

REſoluendum primò: Quòd humor, qui obiectiuè turget tantum, non ſtatim indicat ſemper purgationem.

Probatur: Humor, qui obiectiuè tantùm turget, poteſt alicui parti eſſe affixus, vt in phrenitide, & pleu-
D ritide contingit; vel ex ſua natura eſſe immobilis, vt apparet in atra bile, quæ in determinato loco adhærere contingit: Ergo dum ſolum habet obiectiuam turgentiam, non indiget plerumque ſtatim euacuari.

§. II.

Secunda aperitur.

REſoluendum ſecundò: Quòd humores, qui analogia proportionis turgere dicuntur, eadem die ſunt purgandi, ſumpta indicatione ab illis. Sic docet Hippocrates 1. *Aphoriſm.* 22. & 29. & 4. *Aphoriſm.* 1. & 10. Galen. *in commen. & lib.* 3 *de compoſit. medicament. ſecundum locos.*

Probatur primò: Purgatio eſt euacuatio indicata ab
E humo cacochymo: Sed humor turgens eſt cacochymus: Ergo humor turgẽs indicat purgationẽ: Probatur minor, humor cacochymus eſt ſuccus à ſanguine diſtinctus, & ab illius commixtione ſeparatus: Sed humor turgens ſeparatus à commixtione ſanguinis ſupernatat: Ergo eſt cacochymus.

Probatur ſecundò: In humoribus turgentibus analogicè nulla eſt poſſibilis coctio: Ergo ſtatim in principio ſunt euacuandi. Probatur antecedens, non eſt poſſibilis coctio, niſi concoquendi humores quieſcant: Sed in turgentia humorum analogica eſt continuus, & concitatus motus à parte in partem: Ergo non eſt poſſibilis coctio.

Probatur

Probator tertiò: Purgatio humorom exercenda eſt, quando ſeparati à ſanguinis conſortio non retinentur, & à facultate expellente, adminiculante natura, tanquam proprium obiectum pelluntur: Sed humores turgentes ad ſui expulſionem naturam habent adminiculantem; ex Gal. 1. *de criſibus*, & 4. *Aphoriſm.* 1. Ergo dum analogia proportionis turgent, ſtatim ſunt euacuandi.

Probatur quartò: Humor turgens analogicè mouetur motu concitato, & inordinato à parte in partem: Sed ex inordinato illo motu periculum imminet, ex Galeo. 4. *Aphoriſm.* 10. ne calor febrilis augeatur, virtus imminuatur, & humor decumbat in partem principem: Ergo ſtatim euacuandus ſeligenti pharmaco humor.

§. III.

Quæ purgationi obſtant, proponuntur, adhuc indicatæ.

Reſoluendum tertiò: Quòd licèt materia turgeat analogia proportionis, & ſit purgatio indicata ab illa, non debet exerceri, dum adſunt cruditates, & craſſorum, ac lentorum humorum multitudo in prima regione, vel flatu diſtenta ſunt hypochondria, vel ſunt ſupra modum calida, aut aliqua inflammatio manet in viſceribus.

Probatur ex Galen. 1. *Aphoriſm.* 24. & *lib. de purgandi ratione ante finem.* inquit enim: *Quare non abſque ratione Hippocrates adducit hoc cum præmeditatione eſſe faciendum: nam qui multa cruditate laborant, quique tenaces, aut craſſos cibos aſſumpſerunt, quibus hipochondria inflata ſunt, atque ſupra modum calida, & ignea exiſtunt, & in eo loco aliquam patiuntur viſceris inflammationem, ij omnes inepti ſunt ad purgationem, &c.*

Dices: Quòd Galenus non loquitur de humoribus turgentibus, ſed de aliis, in quorum mora non eſt periculum.

Contrà: Loquitur in acutis paſſionibus, in quibus raro (id eſt caſu turgentiæ vt vult Galen.) medicinis purgantibus eſt vtendum, vt patet ex eodem contextu, ſuperaddit enim: *Verum in acutis morbis circa principia ſtatim, vel circa primam diem, vel non vltra ſecundam, ſi ſumus vſuri medicamentis purgantibus, non datur facultas propinandi, niſi quas forte arripias occaſionem propinandi mellicratum, in quo decoctum aliquid ſit hyſopi, origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegij, ſiue quid huiuſmodi vim habens extenuandi, &c.* Ex quibus patet, quòd adhuc in materia turgente, de qua loquitur *in toto iſto commento*, non exhibet purgationem Galenus ante humorum præparationem, dum ſua craſſitie obſtant purgationi.

Probatur vltima pars. Ratione medicamenti purgantis, & humorum turgentium per ipſum medicamentum attractorum ad viſcera, neceſſariò debent inflammari hypochondria vltra inflammationem, quam prius habebant, cum ſuperaddatur cauſa intenſiſſima calida: Ergo adhuc ſi turgeat materia, ſi hypochondria ſint inflammata, non eſt purganda.

Dices: Quòd materia turgens: cum ſolum per modum tranſitus deferatur per hypochondria, non inflammabitur, ſicut nec in dyſenteria non inflammantur inteſtina per bilem vlcerata, etiam ſi per medicamentum purgans attrahantur calidi humores à partibus ſuperioribus per illa.

Contrà ſtat. Tum quòd inteſtina ſunt viæ patentiores, & aptiores, vt per illa purgentur humores, quàm præcordia: Tùm quòd cùm quælibet pars inflammata attrahat ratione inflammationis, attrahet humores medicamento purganti commotos, ipſóſq; retinebit pars inflammata: ergo in inflammationibus, in quibus præcordia ignea, aut inflammata ſunt, non eſt exercenda purgatio, adhuc ſi materia turgeat.

SECTIO III.

De purgatione.

PVRGATIO ampliori ſua ſignificatione, eſt *euacuatio cuiuſuis ſubſtantiæ, qua partes corporis, humores, ſeu ſpiritus redduntur puriora*, ſiue à natura, vt vomitus, ſudor, diarrhœa; ſiue ab arte perficiatur, vt clyſtere, errhino, aut balano; & hæc dicitur vniuerſalis, dum vniuerſaliter à toto corpore; particularis, dum à parte determinata fit. Peculiariter verò purgare, & medicari ſumitur pro ſuccorum euacuatione facta per os, aut ventrem, vi medicamenti, vel extrà poſiti, vel intus per os, aut ventrem aſſumpti. Propriiſſimè tamen vſurpatur pro Euacuatione per ventrem facta à medicamento purgante. De qua Diſputatio procedit.

RESOLVTIO I.

Verùm purgatio ſit auxilium pro morborum curatione admittendum?

§. I.

Van Helmont referuntur inſomnia.

NE aliquod abſurdum ſit dictum abſque patrono, nouiſſimè Ioannes Baptiſta Van Helmont opuſcula medica inaudita typis mandauit, in quibus Ariſtotelicæ philoſophiæ deſertor, entis naturalis principia negat; elementa non admittit; qualitatum inter ſe actionem, & reactionem irridet; Medicinam ante ipſum natam contemnit; per viſionem ſomnialem ſibi à Deo fuiſſe communicatam gloriatur: & licèt varia ſua inſomnia pandat, aliquid vtile ſomniatum non inuenit. Galenum, & Galeniſtas, rationaleſque Medicos vt delirantes aſpernit. Adhæret magna ex parte Paracelſo, quem acriter impugnare oſtentat, latinitate ornatis interiectionibus, interrogationibus, & venuſtate verborum, nihil ſtatuens, nihilque dicens plura loquitur. Humores in corpore negat: Nullum ex antiquis remediis amplectitur; ſanguinis miſſionem, cucurbitulàs, clyſteres, balanos, ſyrupos, apozemata, purgationem, & omnia remedia medica ab antiquis adinuenta, ab vſu Medicinæ contendit eſſe exterminanda: Sed vtiliora pro ſalute conſequenda; licèt promittat, nondum ſomniauit, vt in lucem edat: plura dat verbis, nihil exequitur opere: ſtat vbique ſibi confidens, parabolanus, irriſor, ſcholarum videtur inqueſor, ſalutis humanæ iudicatur inſtaurator, & immortalitatis author; dignuſque vt ſibi ſoli fuerit à Deo infuſa Medicina noua, nondum cognita, & pro omnibus morbi efficax. Quo delirio deductus, ſpecialiter de purgatione intendit ſuadere inutilem eſſe pro hominum ſalute, *tract. de febribus cap.* 5. his aut ſimilibus fundamentis.

Primò: Quia medicamenta ſunt venenoſa, ideóque indigent correctione, & vt variis inſigniantur

nominâ

nominibus, vt non pateat eorum virus; & ideò pharmaco exhibito, non eſt in Medici poteſtate euentus huius operationis, & ſolet ideò ſuperuenire mors illius exhibitione, vt aliqui firmant euentus.

Secundò: quia nulli ſunt humores pharmaco educendi, quidquid euacuatur ſaniosum eſt, ab eo excretum ex corporis ſubſtantia ob putrilaginem, quod demonſtret, quia nullus tantus eſſe poſſet humor in venis, quantus vi pharmaci excernitur, & quod purgato humore, ceſſaret morbus pendens ex illo, quod non contingit: & quod ſanguine manente pro nutritione, nec debilitas, nec virium defectus ſentirentur, purgatis nonnis aliis humoribus, & naturali remanente ſubſtantia corporis: Ergo ex ipſa putrilagine ope pharmaci diſſoluta euacuatur in purgatione ſubſtantia.

Tertiò: Fœtor eorum quæ euacuantur, indicat non euacuari humores, nec ſubſtantiam naturaliter genitam, ſed putrilaginem de nouo ex corporis partibus, ortam ope pharmaci venenoſi, cuius malitiam retundit theriaca; qua ideò vtimur in ſuperpurgationibus, & quæ ideò pharmaco commixta detinet eius operationem, eius corrigens vim venenoſam, naturali ſimilem reddens euacuationem, quia obtinuit pharmaci vim deleteriam: Ergo purgatio non eſt auxilium pro curandis morbis ex vſu.

§. II.

Antiqua rationali præfertur doctrina.

RESoluendum affirmatiuè. Sic ratio ſuadet, experientia conuincit, Philoſophorum, & Medicorum vniformis aſſenſus confirmat. Ratio ſuadet: Quia Van Helmōt fatetur, quod potens natura valet morbos exterminare: Et hoc plerumque exequitur euacuatione per ventrem, vt apparet in criſi: Sed ſimilis euacuatio, & einſdem ſubſtantiæ, dum ipſa eſt debilis, poteſt coadiuuari ab arte ope purgantis pharmaci, vt nulli non eſt conſpicuum: Ergo vtilis debet iudicari huiuſmodi euacuatio, quæ purgatio dicitur.

Experientia conuincit in tot millibus ægrotorum, qui per tot ſecula à grauiſſimis morborum ſymptomatibus; à morbis ipſis, & à morte ſunt liberati ope purgantis pharmaci, cuius euacuatione ſubito pro latinéve ſalus cernitur acquiſita. Confirmat Philoſophorum, & Medicorum communis aſſenſus, qui an ſit poſtponendus aſſenſui Helmont, veſtrum ſit iudicium: ipſi rationales ſunt demonſtratione acquirentes veritates, iſte in inſomniis ſua fatetur adeptum fuiſſe deliramenta: Illi Philoſophi ſunt, & naturæ ſcrutatores, hic Philoſophus per ignem, & illius opera eius igneitatem demonſtrant: ſidemúsne illis quos antiquitas veneratur, & noſtra tempora admirantur, quorumque doctrinas ſacri receperunt Doctores? An huic, qui ſe ſolus nouit, recepit, laudauit, commendauit, & ſomniauit ſolum ſe meruiſſe nouam à Deo infuſam eſſe Medicinam: aliquisnè eius erit docilitatis, vt credat Doctores Eccleſiæ, tot ſacros Scriptores, Sanctóſque Doctores non meruiſſe veram à Deo recipere Philoſophiam, quam ſe ſolum meruiſſe gloriatur Helmont? Et quod Diuus Lucas, Diuus Damaſcenus, Coſmus & Damianus, & alij innumeri Sancti Medicinam non meruerunt, quam meruit & ipſe? Et quòd in continuo huius Medicinæ exercitio euaſerint ſancti, ſi ipſa omnes iugulat, trucidat, & confodit, vt paſſim delirat Helmont.

Præterea dilucidatur reſolutio: Si Inutilis eſſet purgatio, ideò quia vt ipſe contendit, nulli generantur in corpore euacuandi humores, & quæ euacuatur

A ſubſtantia, pus eſt ope pharmaci genitum ex ſubſtantia viuente putrilagine diſſoluta: Sed intra ſtatum naturalem, & in ſtatu morboſo, ſine putredine, aut pharmaco putrilaginem inducente ſimilis euacuatur ſubſtantia. Similiter, & ſanguinis miſſione, nulla putrilagine exiſtente in corpore ſano, ſubſtantia eiuſdem naturæ, ac ea quæ excernitur purgatione, conſpicitur: Ergo datur genita in corpore euacuanda per pharmacum ſubſtantia ante eius aduentum genita.

§. III.

Van Helmont ſoluuntur obiectiones.

B AD primum reſpondetur: Quòd cathartica aliquam valent noxam inducere, quæ correctione miteſcit; & quæ remanet, inferior eſt ad vtilitatem ope pharmaci ſubſequutam. Et quod variis inſigniti nominibus apud Græcos, Latinos, & Arabes commune eſt cum aliis rebus, & cum ipſis alexipharmacis. Nec ſimiliter euentus abolet eius vſum, cum non ab arte, ſed ab illius ignaris proueniat, ſicut nec alimentorum ſiniſter vſus, quo ſolet contingere mors, aufert neceſſarium illius vſum pro vita conſeruanda; vnde Paulus, & Valleriola *libr. 3. loc. commun.* dicunt: *Quod omnia medicamenta ſunt venena male adminiſtrata; at vero recte adminiſtrata ſunt minus Dei.*

C Ad ſecundum reſpondetur: Quòd per quamcumque euacuationem ſubſtantiæ intra venas contentæ demonſtratur, quod iam erat genita ea, quæ pharmaco euacuatur, cum adhuc ſine illo ſimilis euacuetur ſemper. Nec mirum tantam in tot riuulis contineri euacuandam ſubſtantiam In inteſtinis, & in viis loco deſtinatis, vnico enim vomitu in hypochondriacis, & in diarrhœa ſine pharmaco putrilaginem generante ſimilem ſubſtantiam maior apparet copia: Et quod deficiunt vires ex qualibet euacuatione, quia reſoluuntur ſpiritus; & aliqua vtilis excernitur ſubſtantia: Et quòd ex toto euacuato humore, pendens ab eo morbus remittitur: Sed pars aliqua remanet dum non exterminatur.

D Ad tertium reſpondetur: Quòd plerumque ſine nouæ ſubſtantiæ generatione prouenit fœtor, quia interturbatur, quæ aderat, vt apparet in aqua lacunarum retenta, & quòd theriaca valet euacuationem cohibere, ſi ex indebita pharmaci correctione ſuperueniat, eius obſiſtendo deleteriæ vi, vel ſua vi adſtrictoria obſtando illius laxanti vittori: non tamen inde ſequitur, quòd vſus pharmaci cum debita coctione, non ſit vtilis pro cocta, cacochymáve exterminanda materia, à qua morbus dependet.

RESOLVTIO II.

Verùm ſi non eſſent humores eſſet vtilis purgatio?

E

§. I.

Ratio dubitandi aperitur

VAn Helmont omnem alium humorem à ſanguine negat in corpore: quo præſuppoſito, inquirimus, an purgatio eſſet vtilis? Et pro parte negatiua ſtat fundamentum.

Purgatio (vt dicemus) eſt euacuatio humorum cacochymia affectorum: Sed nulli eſſent cacochymi humores in corpore noſtro ex præſuppoſita ſuppoſitione

tione : Ergo nulla eſſet vtilis purgatio. Probatur minor ; ex dictis cacochymia eſt redundantia humorum à ſanguinis commixtione ſeparatorum : Sed nulli eſſent humores, qui poſſent ſeparari à ſanguinis conſortio : Ergo nulli eſſent humores cacochymi.

§. II.

Pars affirmatiua præfertur.

Reſoluendum : Quòd licèt non admittat Van Helmont humores, debet admittere vtilem eſſe purgationem.

Probatur primò : Licèt non admittat humores, debet admittere diuerſas præternaturales ſubſtantias in corpore, à quarum alia fiet Quartana, ab alia Tertiana, ab alia Quotidiana : Sed hæ diuerſæ ſubſtantiæ, quomodolibet nominentur, euacuantur per purgationem, vt docet experientia, & ex earum purgatione ſoluitur febris, vt ex actu practico omnes conuincuntur : Ergo eſſet vtilis purgatio pro his euacuandis ſubſtantiis, etiamſi non dicantur humores.

Probatur ſecundò : Van Helmont non poteſt negare, quod experientia conuincit, ſcilicet quòd ſine pharmaci exhibitione redundant in corpore frigidæ ſubſtantiæ, in Quotidiana, alba, & cruda ; nigra ſubſtantia in Quartana ; & pallida in Tertiana, quæ ante pharmaci exhibitionem ſolent euacuari per vomitum ; & per diarrhœas : Sed huiuſmodi ſubſtantiæ etiam euacuantur per exhibitionem pharmacorum, quæ rationales Medici exhibent pro earum purgatione, vt ipſa demonſtrat ad ſenſum experientia : Ergo etiam ſi iſtæ ſubſtantiæ non dicantur humores, ſed ſanies, vt ipſe intendit, pro earum euacuatione vtilis eſt purgatio.

Probatur tertiò : Etiamſi febris conſiſteret, vt intendit Van Helmont, in parte materiali à qua indignatur Archæus, non poteſt auferri febris, quin auferatur pars materialis, ſeu ſanies, aut materia à qua deturpante Archæum, ipſe indignatur : Sed pars illa petit auferri per euacuationem : Ergo cùm non poſſit auferri, nec euacuari ſanguinis miſſione, quam ipſe non admittit ; nec nos fatemur eſſe indicatam à ſubſtantia à ſanguinis commixtione ſeparata, pro eius euacuatione erit vtilis purgatio.

Dices cum Van Helmont *tract. de febr. c.* 14. quòd licèt ratione ſaniei, ſeu principij materialis febris indicatur eius euacuatio, hæc tamen non petit fieri purgatione, ſed per diaphoreticum, ac ſudorificum remedium.

Contrà ſtat ; Tùm quòd Medicus eſt imitator naturæ, quæ non omnes cauſas morbificas, à quibus dependet febris, vnico ſudore euacuat, dum per criſim rectè operatur ; ſed per ventrem, per hæmorrhagiam, per ſudorem, & per alias vtiles euacuationes : Tum quòd in turgente materia, ſi denuo calefieret, diaphoretico medicamento cæco impetu delata in partem principem ægri æſtu perirent : Tum quia non omnis materia febrilis, præcipuè quæ terreſtris eſt, poteſt per ſudorem euacuari : Tum quia in febre ſyncopali, & aliis periodoſis Tertianis, non poſſet vita ſubſiſtere pro ferendo ſudore : Tum quia in æſtuoſa febre, quam eodem remedio curare intendit, omnino reſolutis partibus humidis, ſudore, anima exhalaret citiùs, & ineuitabiliter : Ergo non poteſt in omni febre, & in omni illius tempore indicari à cauſa materiali febris diaphoreticum remedium.

§. III.

Soluuntur argumenta.

Ad rationem dubitandi reſpondetur : Quòd cacochymia eſt redundantia alterius ſubſtantiæ

in corpore ſeparatæ à commixtione ſanguinis, quem Cruorem vocat Van Helmont, vt aliquid nouum videatur, & inauditum dici ab eo : qua eadem ratione Saniem vocat reliquos humores, de nominibus diſcertans cum ſcholis, eis tamen febrium cauſalitates tribuens, licèt in modo diſcedat à Medicis rationalibus ſuis adhærens deliramentis.

Resolvtio III.

Vtrùm purgatio ſit euacuatio humorum qualitate peccantium?

§. I.

Communis Medicorum aſſenſus proponitur.

Hanc eſſe purgationis diffinitionem, tanquam communiſſimum Medicinæ axioma amplectitur communis Medicorum aſſenſus, ipſam Galeno adſcribentes, & tanquam communi placito ipſi adhærentes.

Pro quibus ſtat Galenus 1. *Aphoriſm. commentar.* 2. ex quo ipſam receperunt, loquit enim : *Eſt autem purgatio humorum, qui ſua qualitate moleſtant, euacuatio* : Ergo ea Galeno hæc diffinitio eſt recipienda.

Secundò : Purgatio, & ſanguinis miſſio ſunt duo remedia magna, quæ pro humorum euacuatione ſunt Medico neceſſaria : Sed ſanguinis miſſio conducit pro plethora, multitudine, ſeu redundantia humorum euacuanda : Ergo purgatio debet eſſe altera euacuatio, quæ conducit pro euacuatione humorum, qui qualitate, aut vitio peccant.

Tertiò : Purgatio eſt euacuatio humorum, qui induunt cacochymiæ rationem : Sed cacochymia eſt vitium in qualitate : Ergo purgatio eſt euacuatio humorum peccantium in qualitate.

§. II.

Noua ſancitur opinio.

Reſoluendum primò negatiuè.

Probatur primò : Sanguinis miſſio, & purgatio habent diuerſa indicantia, cùm ſint duo remedia magna ſpecie diuerſa : Sed ex vitio humorum in qualitate iudicari poteſt ſanguinis miſſio : Ergo ab humoribus qualitate peccantibus, non indicatur ſpecificè purgatio. Probatur minor ex Galeno *lib.* 3. *meth. cap.* 4. *lib.* 9. *meth. c.* 11. ex Auicenna *fen.* 1. 4. *cap. de phlebotomia*, & *fen.* 1. 4. *capit. de curatione febrium putridarum.* Et patebit locis citandis, in quibus mittendi ſanguinis indicationem deſumit ex ſolo vitio humorum, ſeu ab humoribus qualitate peccantibus.

Dices cum Matthæo Curtio Galenum intelligendum, dum eſt plenitudo ſimul cum humore cauſante febrem, vel peccante in qualitate.

Contrà ſtat Galenus, qui ſuperaddit rationem mittendi ſanguinem : *Quia leuata natura concoquit quod concoqui eſt habile* : Sed humor putridus febrem committens peccans in qualitate poteſt ſine plenitudine febrem cauſare, & eſt aptus concoqui : Ergo ab illius vitio ſanguinis mittendi indicationem ſumit, vt leuata natura concoquat, quod ex reſiduo concoqui eſt habile ; & Auicen. *Fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 7. §. *Quod ſi fuerit fortis, & fuerit illud quod vincit ſanguis, aut cum humore, qui vincit, ſanguis. Tunc phlebotomia eſt magis conueniens.*

Te Conſit

Confirmatur, ex eodem Galeno, ſine plenitudine ſanguis poteſt mitti, inquit enim *l. 4. meth. c. 6. Quod etſi redundantis ſucci concurſus non adſit, ad ipſam ſanguinis miſſionem interdum eſt confugiendum*: Ergo etiamſi non coincidat plenitudo.

Confirmatur ſecundò ex Cornelio Celſo *lib. 2. c. 10.* dicente: *At ſi vel copia ſui male habet, vel corrupta eſt, nullo modo melius ſuccurritur, quàm ſcilicet ſanguinis miſſione*: Ergo à ſolo vitio, ſeu ſanguinis corruptela indicatur ſanguinis miſſio.

Probatur ſecundò: Ex Galen. *lib. 9. meth. Saluberrimum*, inquit, *in omni febre putrida ſanguinem mittere*: Ergo à quocumque humore putrido peccante in qualitate febrili indicatur ſanguinis miſſio: Ergo non ſpecificatur ratio purgandi ab humoribus in qualitate peccantibus.

Probatur tertiò, A qualibet excedente qualitate ſumitur indicatio auferendi illam per ſuum contrariū: Ergo ab humore qualitate peccante ſumitur indicatio attemperationis illius, & remittendi illum per ſuum contrarium: Ergo indicatio purgandi ab alia ratione diuerſa in ipſo humore reperta debet ſumi.

Probatur quartò: Poteſt ſumi indicatio purgandi aliquem humorem, etiamſi debitis gaudeat qualitatibus: Ergo purgandi ratio non deſumitur ab humore qualitate peccante. Probatur antecedens: Si humor naturalis decubitum faciat ſola quantitate excedens, & à ſanguinis commixtione ſeparatus à cerebro ad pectus, ad aliámve partem ruat, indicat ſui euacuationem, non per ſanguinis miſſionem, quæ ab humore ſeparato à ſanguine non indicatur: Ergo purgatione euacuandus.

Probatur quintò: Si ab humore præcisè vt qualitate peccat, indicaretur purgatio, quantò magis peccat, magis eſſet indicata purgatio: Sed in febre putrida eo tempore, quo febris intenditur, & humor putreſcit, intentiorique qualitate peccat, indicatur ſanguinis miſſio, & non purgatio: in declinatione quando qualitas, in qua humor peccat, remittitur, indicatur purgatio: Ergo ab alio principio, & non à ſolo humore qualitate peccante ſumitur ratio purgandi.

§. III.

Purgationis vera, & integra diffinitio ſancitur.

RESoluendum ſecundò. Quòd purgatio eſt euacuatio per ventrem facta, vi medicamenti purgantis, indicata à morbo magno pendente ex ſuccorum cacochymia.

Particula *euacuatio*, obtinet rationem generis in qua conuenit purgatio cum aliis euacuationibus, ſiue ab arte, ſiue à natura factis.

Particula, *per ventrem facta*, excludit vomitum, & alias euacuationes ab arte factas per alias regiones.

Particula, *vi medicamenti purgantis*, excludit euacuationes à natura factas.

Particula, *indicata à morbo magno pendente ex ſuccorum cacochymia*, peculiare ſpecificatiuum determinat pro purgatione, ratione cuius conſtituitur in eſſe talis remedij magni, ſpecifici, & diſtincti à ſanguinis miſſione.

§. IV.

Argumentorum adducuntur ſolutiones.

AD primum patet ex contextu, quòd Galenus non intendit diffinire Purgationem diffinitione quid rei, ſed tantum diffinitione quid nominis. Reprehendit enim antiquiores, qui per euacuationem, &

A purgationem idem ſignificari contendebant, ponitque differentiam inter has voces, quia euacuatio abſtrahit ab humore peccante in quantitate, aut qualitate, purgatio verò ſignificat euacuationem humorum peccantium in qualitate; non tamen quantùm ad quid rei diffinitionis per hoc tantum poteſt cōſtitui: hoc enim etiam eſt commune ſanguinis miſſioni, quæ tendit ad euacuationē ſanguinis peccantis in quantitate, qualitate, aut motu. Differt tamen ab ea purgatio per diffinitionem adductam, quod Galenus tradidit pluries docens, quòd purgatio indicatur à cacochymia, ſeu vitio humorum à ſanguinis commixtione ſeparatorum.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd per ſanguinis miſſionem euacuatur vitium quodcumque ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu: Per purgationem

B vitium alterius humoris à ſanguine, ab eius commixtione ſeparati, & cacochymi, à quo vt tali indicatur purgatio; non tamen à quouis humore peccante in qualitate.

Ad tertium reſpondetur; Quòd vitium peccans in qualitate abſtrahit ab hoc, quòd ſit in humore ſanguini commixto, aut ab eius commixtione ſeparato. Qui eſt à ſanguinis commixtione ſeparatus induit rationem cacochymiæ; & ideò ab illo indicatur purgatio. Ab eo verò, quod peccat in qualitate, dum ſanguini commixtus eſt; indicatur ſanguinis miſſio, vt patet ex probationibus reſolutionis.

C

RESOLVTIO IV.

Quotuplex ſit purgatio?

§. I.

Diuiditur purgatio.

RESoluendum primò: Quòd purgatio alia eſt lenitiua, alia ſelectiua. Purgatio lenitiua eſt, quæ leuiter ſine vi ad ſecundam regionem perueniente primæ regionis quoſcumque ſuccos per ventrem commouet. Huius purgationis cognitionem aperuit Hip-

D pocrates *lib. de natura mulierum lib. 7. popular. l. 1. acutorum*, aliiſque in locis, in quibus lenibus medicamentis per os aſſumptis ventrem mouere docet. Purgatio ſelectiua eſt, quæ ſelectiua vi humores trahit præcipuè à ſecunda regione, & quam maximè per ventrem pellit. De hac Hipp. loquitur *lib. de medicamentis purgantibus*, 1. *Aphor.* 28. 34. 39. & 4. *aphor.* c. 1. & fere per totam, & communiter quando agit de purgatione.

§. II.

Primæ regionis purgationes adducuntur.

RESoluendum ſecundò; Quòd lenitiua purgatio, alia aluum leniendo, alia lubricando, alia compri-

E mendo fit: quarum quælibet differt ab alia, ſola diuerſitate cauſæ: quia alia lenitiuo, vt manna; alia comprimente, vt mirabolani medicamento fit. ſic tenet Meſuës.

§. III.

Secundæ regionis purgatio diuiditur.

RESoluendum tertiò: Quòd purgatio ſelectiua, alia eſt radicatiua, alia minoratiua, alia per epicraſim facta. Purgatio radicatiua eſt, quæ ſeligenti pharmaco fit, & totam euacuat materiam morbificam, de qua Hippocrates 1. *Aphor.* 22. inquit: *Concocta medicari,*

medicari, non cruda, neque in principiis morborum, niſi materia turgeat. Purgatio per epicraſim eſt: Qua paulatim euacuatur materia, quæ paulatim ob ſui heterogeneitatem petit concoqui. Huius naturam aperuit Hipp. *lib.3. de morbis*, & Gal. *lib.9. meth. cap.*10. Purgatio minoratiua eſt, Qua vi vrgentiæ cogimur in principiis morborum partem materiæ morbificæ per ventrem euacuare, vt natura ſuperior euadat ſuprà reſiduum. De huius neceſſitate infrà diſputabimus.

§. IV.

Selectiua purgationis patefit diuerſitas.

RESoluendum quartò: Quòd purgatio ſelectiua alia bilem, alia melancholiam, alia pituitam educit. Purgatio educens bilem eſt, Quæ fit vi medicamenti chologogi. Educens melancholiam eſt, Quæ fit vi medicamenti melanagogi. Educens pituitam eſt, Quæ fit vi medicamenti phlegmagogi.

RESOLVTIO V.

Verùm lenitiua purgatio poſſit fieri ſine præcedente coctione?

§. I.

Negatiua opinio, & fundamenta ponuntur.

PArs negatiua ſuadetur. Primò ex Hippocrate 1. *Aphor.*22. *Concocta*, inquit, *medicari, ac mouere, non cruda, neque in principiis morborum*: Ergo lenitiua purgatio non debet dari antequam præcedat coctio.

Secundò: Ex Hippocrate ante purgationem oportet corpora fluida facere: Sed fluiditas requiritur pro coctione: Ergo ante lenitiuam purgationem requiritur neceſſariò coctio.

Tertiò: Quæcumque materia, quæ per coctionem poteſt reddi vtilis nutritioni, debet concoqui ante purgationem inutilia commixta cum illa: Ergo ante lenitiuam purgationem debet præcedere coctio.

§. II.

Tenendum recipitur.

REſoluendum: Quòd ad lenitiuam purgationem non eſt neceſſarium, quòd præcedat coctio materiæ cacochymæ, quæ per illam euacuatur. Sic poteſt deduci ex Hippocrate *lib.4. de victu acut. text.*43. *& ſect.4.p.6.*

Probatur primo ex Auicenna *fen.1, tract.2, cap.*55. In curatione quotidianæ, inquit enim: *Omnes eius ſpecies conueniunt in hora principij in tribus, in neceſſitate lenificationis, æqualis, aut vomitus, &c.* Ergo in principio non expectata coctione conuenit lenitiua purgatio.

Probatur ſecundò: Ex doctrina Galeni 9. *Meth. c.*15, In omni febre putrida conuenit ſanguinis miſſio: Sed poteſt superuenire febris cum redundantia ſuccorum in prima regione: Ergo ſtatim ante coctionem lenitiua purgatio eſt exequenda. Patet conſequentia ex Auerroë 7. *collig. cap.*3.5. *Corruptum enim inteſtinorum ſecta vena lethaliter, ad vaſa trahetur ſucceſſione ad id, quod euacuatur.*

Probatur tertiò: In ſuccorum cacochymia eſt indicata purgatio: Sed poteſt reperiri ſuccorũ cacochymia in prima regione ſine præcedente coctione: Ergo poteſt exerceri lenitiua purgatio ſine præcedenti coctione. Probatur minor, cacochymia eſt redundantia ſuccorum à ſanguinis commixtione ſeparatorum: Sed ſine ſuccorum coctione poteſt in prima regione reperiri redundantia ſuccorum, qui vel à ſecunda regione recipiuntur, à ſanguinis conſortio ſeparati, vel in

A ipſa, ex imbecilla, aut deprauata coctione fiunt, & ſunt à ſanguine ſeparati: Ergo poteſt reperiri ſuccorum cacochymia in prima regione.

§. III.

Dirimitur argumentorum vis.

AD primum reſpondetur, Quòd Hippocrates loquitur de ſelectiua purgatione, ad quam prærequiritur coctio: Et ratio diſparitatis eſt, quia lenitiua purgatio euacuat ſuccos primæ regionis à ſanguinis commixtione ſeparatos: Selectiua verò purgatio euacuat ſuccos in ſecunda regione ſanguini commixtos,

B & qui non dicuntur cacochymi, niſi dum turgentia, aut coctione ſupernatant, & fiunt cacochymi, at verò qui in prima regione ſunt, ſemper ſunt cacochymi.

Ad ſecundum reſpondetur, Quòd Hippocrates intendit corpora fluida facere, vt habeant modum ſubſtantiæ non repugnantem motui, quo à medicamento feruntur, ſiue tenuitate, ſiue ſcindendo humorea perficiatur, ipſóue incraſſando:

Ad tertium reſpondetur, Quòd ſucci, qui lenitiua purgatione petunt euacuari; alij ſunt deprauati, & omnino inepti concoqui. Alij ſunt crudi improportionati naturali calori, & numquam ab illo poſſunt laborari. Alij ſunt coctiles alienæ ſubſtantiæ impermixti, & hi ſi nihil obſtat, concoquendi; ſi verò ex mora poſſit ſubſequi periculum & in ægro non poſſit neceſſaria ſanguinis miſſio exerceri, ſine eo, quod

C conſpurcata materia deferatur ad vaſa, & morbi, & mortis hac cauſa, non expectanda coctio.

RESOLVTIO VI.

Verùm ſeroſa ſubſtantia, nulla præcedente coctione petat pharmaco euacuari?

§. I.

Negatiua pars probatur.

PArs negatiua his ſuaderi videtur. Primò ſeroſa ſubſtantia eſt pars, quæ adintegrat humores: Sed

D humores ante coctionem non petunt pharmaco euacuari: Ergo ſeroſa ſubſtantia ante coctionem, non petit euacuari.

Secundò: Seroſi ſucci ſunt corpora mixta: ſed mixta corpora in corpora redundantia petunt concoqui, antequam pharmaco euacuentur: Ergo ſucci ſeroſi petunt coctionem ante ſui purgationem. Probatur minor, corpora mixta antequam pharmaco euacuentur, petunt, quod vtile ab inutili ſeparetur: Sed hoc fit coctione: Ergo petunt concoqui ante purgationem.

Tertiò. Excrementa, quæ redundant ex coctionibus, petunt euacuari per vias, quas deſtinauit natura pro eorum expulſione: Sed ſeroſa ſubſtantia eſt ex-

E crementum reſultans ex ſecunda coctione, & cui veſica deſtinatur ad expulſionem: Ergo nullo pharmaco petit euacuari.

§. II.

Pars affirmatiua præfertur.

REſoluendum: Quòd ſeroſa ſubſtantia in corpore redundans ſtatim, non expectata coctione eſt purganda.

Probatur primò, ex Gal. *lib. quos, quibus, & quando*, vbi inquit: *Inter initia morbi tenues, & aquoſos humores euacuabis, vbi tenaces, & craſſi fuerint,*

quales ſuapte natura ſunt pituita, & bilis atra, coctionem A *expectabis, &c.* Ergo ſeroſi ſucci ſtatim non expectata coctione ſunt purgandi.

Probatur ſecundò: Subſtantia, quæ vt inutilis, & excrementitia redundat in corpore, indicat ſtatim ſui purgationem: ſed ſeroſa ſubſtantia eſt inutilis, & excrementitia: Ergo ſi redundat ſtatim eſt purganda. Probatur minor, ex Gal. *lib. 1. de facultatibus naturalibus c. 9.* inquit enim: *Verum ſeri genera omnia, quæ in ſuccis habentur, ſunt excrementa, purum quæ ab hiſce poſtulat animalis corpus eſſe, reliqua verò quæ prædicta ſunt, vſum aliquem natura conſequuntur, & quod craſſum eſt, & quod tenue:* Ergo ſeroſa ſubſtantia eſt inutilis, & excrementitia.

Probatur tertiò: Purgatio, vt conſtat ex eius diffinitione, eſt euacuatio à ſuccorum cacochymia indicata: ſed omnis ſeroſa ſubſtantia à forma humorum ſepa- B rata (vt diximus) eſt cacochymia: Ergo omnis redundantia ſeroſæ ſubſtantiæ ſeparatæ ab humoribus, & in viis communis reperta ſtatim ſine præcedente coctione indicat purgationem.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Quòd non inquirimus de ſeroſa ſubſtantia, quæ ſub humorum forma remanet: ſed de ea, quæ redundat, & ſupernatat, & ab humoribus ſeparata aberrat.

Ad ſecundum reſpondetur: Quod adhuc ſi ex commixtione ſeroſa ſubſtantia ſiat mixta, ex mixtis, quæ in corpore redundant, alia coctione in benigniorem ſtatum poſſunt reduci, alia non; huiuſmodi eſt ſerum, vt conſtat ex Galeno.

Ad tertium reſpondetur; Quòd ſi in viis non ſit aliquod impedimentum, nec in excrementis tanta quantitas, vt impediatur expulſio naturalis illorum, eſt relinquenda naturæ; dum verò ipſa eſt impotens, ab arte euacuatur quod redundans aberrat in corpore.

RESOLVTIO VII.

Vtrùm ſelectiua purgatio debeatur, non expectata coctione, in principiis morborum pendentium ex humorum cacochymia nuda, ex qua febris non dependet?

§. I.

Negatiua pars fulcitur.

PArtem negatiuam contendunt plures defendere. Primò ex Hippocrate 1. *Aphor.* 22. inquit enim: *Concocta medicari ac mouere, non cruda, nec in principiis morborum:* Ergo donec humores coquantur, non eſt E vtendum ſelectiua purgatione.

Secundò: Crudi humores per vlteriorem coctionem tranſeunt in formam ſanguinis: Sed in principiis morborum humores ſunt crudi: Ergo non ſunt purgandi donec coctione in ſanguinis formam maiori ex parte poſſunt mutari.

Tertiò: Purgatio ſelectiua non debet exerceri ex Gal. 2. *Aphor. comm.* 22. *Donec habeamus naturam adminiculantem:* Sed non poſſumus habere naturam adminiculantem ex eodem Galeno, donec perfecta coctione, ſeparetur vtile ab inutili: Ergo non debet fieri purgatio ſelectiua, donec præcedat coctio.

§. II.

Pars affirmatiua ſancitur.

REſoluendum: Quòd ſi morbi pendent ex humoribus nuda cacochymia affectis, ſtatim in principio nulla expectata coctione, ſelectiua purgatio eſt exequenda, dum abeſt febris.

Probatur primò: Tum ex Hippocrate *lib. de vlceribus*, vbi in principio vlcerum capitis ſtatim purgare docet: Tum eadem doctrina confirmatur ex Gal. *lib. 1. de humoribus*, qui oculorum inflammationes prima die purgatione curaſſe narrat, & alopeciam, alioſque plurimos morbos ex cacochymia dependentes ſola purgatione à ſe curatos, docet *lib. de purgantium medicamentorum facultatibus:* Ergo, non expectata coctione, ſtatim in his eſt exercenda ſelectiua purgatio.

Probatur ſecundò: A morbis pendentibus ex nuda humorum cacochymia ſtatim in principio indicata eſt purgatio radicatiua: Ergo ſtatim prima die debet exerceri. Probatur antecedens, purgatio eſt euacuatio à ſuccorum cacochymia indicata ex Galeno, & communi omnium Medicorum aſſenſu.

Probatur tertiò: Si expectanda eſſet coctio, maximè, vt per illam ſepararetur vtile, ab inutili: Sed in morbis pendentibus à nuda humorum cacochymia, iam inutile, & cacochymum eſt ſeparatum à conſortio, & commixtione ſubſtantiæ vtilis, vt conſtat ex cacochy- C miæ diffinitione: Ergo non eſt expectanda coctio pro ſelectiua purgatione.

Probatur quartò: In hydrope, leucophlegmatia, & aliis morbis pendentibus ex humoribus crudis à ſanguinis conſortio ſeparatis, ſtatim, nulla expectata coctione, ſelectiua purgatio conuenit: Ergo & in quocumque morbo ex cacochymia cuiuſvis alterius humoris pendente. Probatur antecedens, in hydrope, & leucophlegmatia ſucci redundantes, eo quod cacochymi, inepti ſunt coctioni, & vt poſſint in benigniorem ſtatum reduci, ſunt enim à natura ſanguinis alieni: Ergo non expectata coctione ſelectiua purgatio conuenit.

§. III.

D *Solutio adhibetur fundamentis primò poſitis.*

AD primum reſpondetur: Quòd Hippocrates loquitur de ſelectiua purgatione reſpectu materiæ morbificæ, dum putredine afficitur, de qua infra.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd non quælibet ſubſtantia cruda apta eſt in ſanguinem commutari, vt de omni præternaturali conſtat: Sed tantum illa, quæ eſt ſanguis diminutè coctus à iecore, & non potuit in illo ex toto elaborari.

Ad tertium reſpondetur: Quòd ſemper habemus naturam adminiculantem ad humores cacochymos, quia ſemper ſunt à ſanguinis commixtione ſeparati, dum verò ſunt illi commixti, petunt concoqui, & ſeparari, vt fiant cacochymi, & obiectum expellentis, E quæ adminiculatur.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm in febribus putridis in aliquo morbi tempore ſit vtilis ſelectiua purgatio?

§. I.

Veigæ opinio refertur.

LVſitanus Veiga *in lib. artis medicinal. com. ad cap.* 89. iudicat ex Galeni mente nulli in nulla febre

febre putrida ſelectiuam purgationem debere adhiberi: quod pluribus his ſuaderi poteſt fundamentis. A

Primò ex Galeno: Tùm *lib. meth.* & *lib. ad Glauc.* In quibus exactiſſimè tradens omnia remedia, quibus febres putridæ debent curari, nullo in morbi tempore purgatione vtitur.

Secundò fauet ratio: Ab omni febre indicatur refrigeratio: Sed omne pharmacum eſt à prædominio calidum: Ergo inutile eſt pro febrium curatione. Probatur ex Gal. 4 *acut.* 7. vbi de omni medicamento purgante docet ſua caliditate febrem intendere.

Tertiò: Annuente Galeno, quodlibet medicamentum purgans non ſolum ſuis qualitatibus febrem intendit, ſed ſuapte natura contrarium eſt corporibus, quæ purgantur: Ergo in nullo febris tempore exhibendum. B

Quartò: Si in febre putrida vtilis eſſet purgatio, vel in principio, augmento, ſtatu, aut declinatione: Sed in nullo horum temporum: Ergo nunquam eſt vtilis. Probatur minor. In principio eſt inutilis purgatio, carnes enim colliquat ex Hipp. 4. *de ratione victus*, in augmento, quia coctionem incipientem interturbat, 4. *acut.* 44. nec in ſtatu, ex Hipp. enim, *morbo ad indicationem eunte, habenda quies*, nec in declinatione, quia iam deſinit morbus, à quo poſſet indicari, validáque eſt natura, quæ vincere valuit materiam, neque artis auxilio indiget, quo inualida reddatur ad ea, quæ relinquuntur, vincenda: Ergo nullo in tempore morbi vtilis eſt purgatio.

§. II. C

Communis doctrina ex Hippocrate, & Galen. amplectitur.

Reſoluendum affirmatiuè. Sic Hipp. 1. *Aphor.* 22. Galenus *in comm. in aliiſque quamplurimus locis*. Sic Auic. & Rhaſis, qui ſaltem in principiis febrium purgationem admittit. Sic communis Medicorum aſſenſus, vno, aut altero dempto, tenet.

Probatur primò: ex Galen. *lib.* 1. *Aphor.* 24. §. *Non igitur ob igneam febris caliditatem purgationem exhibemus (hanc enim ſcimus ſui ratione nocituram) ſed propter humores illam efficientes. quare maiorem oportet ex noxiorum humorum vacuatione fieri vtilitatem, quam id quod neceſſario conſequitur ex purgantibus medicinis nocumento, erit autem vtilitas maior, ſi humor abſque noxa, & moleſtia euacuetur, &c.* D Ergo ex Galeno in febribus putridis exerceri debet purgatio.

Probatur ſecundò: Ex doctrina ſæpius repetita à Galeno, purgatio indicatur à cacochymia humorum: Sed tum turgente materia in principiis febrium humoralium; Tum ipſa non turgente, peracta coctione, datur humorum cacochymia, cum detur humor ſeparatus à ſanguinis commixtione: ergo ex eius doctrina conuenit in febribus putridis, & in principiis, dum materia turget, & in declinatione, ipſa iam cocta, & vt cacochyma ſeparata.

Probatur tertiò: Ex eodem Gal. *com. ad* 29. *lib.* 2. *aphor.* vbi in principiis morborum ſanguinis miſſione, aut purgatione mouendum docet in morbis exitialibus, vt minor facta materia faciliùs poſſit concoqui: Sed materia præcipuè, quæ in morbis exitialibus petit concoqui, eſt putrida, ea qua febres exitiales fiunt: Ergo ex Galeno in febribus purgatio eſt vtilis. E

Probatur quartò: Ex eodem Gal. qui *lib. quos, quibus, & quando*, in febris curatione purgationem conſulit his verbis: *Cum ergo febris vehemens non ſit, ægrique naturam noueris, medicamentum dabis elleborum, nigrum, aut quid ſimile, quorum eſt diacolocynthidos appellata confectio, quam nunc vſitato nomine Hieram, hoc eſt ſacram appellam, &c.* Ergo ex Galeno in febribus purgatio eſt exhibenda.

§. III.

Pro Veiga adductæ rationes ruunt.

Ad primum reſpondetur: Quòd Galenus vt patet, in febribus conſulit purgationem, nec ex vno, eodemque loco omnia præcepta purgatiua deducuntur ex illo. Vel quod locis adductis remedia ad curationem conducentia tradit; & ideò purgationis non meminit, quæ fit materiæ coctæ, quæ præcautionis gratia purgatur, quia quæ relinquuntur in morbis faciunt recidiuas.

Ad ſecundum patet ex Galeni probatione primæ B reſolutionis.

Ad tertium reſpondetur: Quòd Galenus loquitur de vehementiſſimis medicamentis, quibus etiam vtimur aliquando, quia minorem noxam inducunt, quàm afferant vtilitatem ex humorum euacuatione.

Ad quartum reſpondetur: Quòd ſi materia non turget, in declinatione, quia omne inutile nutritioni iterum putreſcit, & nouum valeret concoctum in nociuo non euacuatum morbum cauſare.

Resolvtio IX.

Vtrùm materia morbifica febrilis ſit radicatiuè purganda, quæ nec turget, nec vrget, nulla expectata coctione? C

§. I.

Rhaſis opinio fulcitur ſuis fundamentis.

Affirmatiuam partem totis viribus defendere conatur Rhaſis *lib.* 3. *continentis tr.* 3. *c.* 2. & *tr.* 1, *c.* 2. qui putridam febrilem materiam ſtatim in principiis morborum, nulla expectata coctione, ſelectiua purgatione euacuandam eſſe nititur conuincere.

Primò: Tum ex Hippocrate 2. *de ratione victus, text.* 11. vbi in pleuritide cruda in principio exhibet veratrum, & *in* 4. *de ratione victus, text.* 64. præſente cruditate ante quintum diem exhibet pharmacum: Tum ex D Galeno *lib. quos, quibus, & quando*, qui docet: Tenues humores ſtatim euacuandos, & 2. *Aphor. comm.* 29. docet cum Hippocrate, quod maiora remedia in principiis morborum exercenda, ſub quibus ſanguinis miſſio, & purgatio intelligi debent, & *lib.* 13. *methodi, c.* 5. & *c.* 10. de inflammationibus ex crudo humore ortis dicit, *Quod exhibito pharmaco in principio ſunt curatæ:* Ergo in omni morbo in principiis cruda exiſtente materia, ſelectiua purgatio eſt exercenda.

Secundò: Si humor committens morbum, non peteret euacuari in principio per purgationem, nunquam eſſet vtilis purgatio: Sed purgatio tanquam magnum remedium ab Hippocrate, & Galeno admittitur pro E debellandis morbis à materia pendentibus: Ergo in principiis morborum cruda exiſtente materia debet exerceri ſelectiua purgatio. Probatur maior, facta coctione in materia, ipſa redditur vtilis & apta nutritioni: Sed ſi non euacuetur in principiis, eoquitur: Ergo humor committens febrem ſi in principiis non purgatur, nunquam poſſet purgari.

Tertiò: Bilioſi, & tenues humores, etſi putridi in principio debent euacuari ex Galen. *lib. quos, quibus, & quando:* Ergo ſimiliter craſſi. Conſequentia patet, cùm ſit par ratio vtrorumque.

Quartò: Præſente indicatione curatiua, debet exerceri remedium, ne producatur morbus. Sed in princi-

pio febris bilioſæ eſt indicata purgatio: Ergo ſtatim exhiberi debet ſelectiuum pharmacum. Probatur minor, eſt humor bilioſus putridus, ac cacochymus: ergo eſt indicata purgatio.

Quintò: Materia committens morbum, vel cauſat illum ſua cruditate, vel alia ratione: ſi ſua cruditate, illa concocta, non remanet morbus, nec aliqua indicatio curatiua ad purgationem; ſi propter aliam rationem morbum cauſat, cum non emendetur coctione, quæ ſoli cruditati opponitur, debet auferri per humoris purgationem: Ergo hæc ſtatim in principio debet exerceri.

Sextò: Medicus eſt imitator naturæ ex Galeno: Sed materia cruda exiſtente, natura ipſam euacuat: per vomitum, per ventrem, per menſtruas purgationes, per hæmorrhagiam, & tutò liberat à morbis per has euacuationes: Ergo ſimiliter Medicus naturam imitando, pharmaco ſolutiuo in principiis exhibito, poteſt morbos curare.

§. II.

Hipp. Galeni, & Auicen. doctrina præfertur.

RESoluendum: Quòd materia morbifica febrem committens concocta medicari petit, ac moueri; non cruda, nec in principiis morborum, niſi materia turgeat. Sic ſanciuit Hippocrates, decreuit Galenus, recepit Auicenna & tota Medicorum ſchola contra Rhaſim.

Probatur primò: Tum ex Hipp. 1. *Aphor.* 22. *Concocta medicari, ac mouere, non cruda, nec in principiis morborum*: Tum ex Galen. *in comm.* dicente: *Eos vero, qui ſunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet, nec medicari ante coctionem: Tunc enim naturam ipſam habemus euacuationi adminiculantem, videtur ſiquidem ipſa per coctiones humores diſcernere, & ſuperfluitates expellere, quo in tempore fiunt indicationes, &c.* Tum ex Auicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. ait enim: *Et tu non euacues materiam indigeſtam in calido aut frigido, niſi propter neceſſitatem; fortaſſe enim multiplicatur vacuatio alterius humoris non præparati cum digeſtione, vt euacuetur, & fortaſſe nocet vacuatio maturationi, & fortaſſe permiſcetur cum ea malignum cum bono, propterea quod mouetur malignum abſque digeſtione ſua.*

Probatur ſecundò: ex Hippocrate *lib.* 4. *de victu in acut. text.* 22. dicente: *Quicumque, ea, quæ inflammantur morborum inter initia, ſtatim ſoluere medicamento conantur, ij non ſolum ab intenſa inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat, obſequaturque, quæ adhuc cruda eſt affectio: verum quoque, & ea, quæ morbo aduerſa, & ſana ſunt, abſumunt, contabeſcuntque, ductoque ad imbecillitatem corpore, morbus ſuperior euadit, qui vbi corpus vicerit remedium non habet, &c.*

Probatur tertiò ratione ex Hippocrate, & Galeno deducta. Vt perfecta fiat per pharmacum euacuatio, debemus habere naturam adminiculantem ad expulſionem: Sed non adminiculatur, quin præceſſerit coctio, poſtquam ſequitur vtilis ab inutili ſeparatio, ad quam ſequitur materiæ vtilis euacuatio: quæ iam fit expellentis facultatis obiectum: Ergo materia morbifica in febribus non eſt purganda donec præceſſerit coctio.

Probatur quartò ratione fundamentali: Non debet exerceri purgatio de cura regolari, dum nondum eſt indicata: Sed ante coctionem in febribus non eſt indicata: Ergo non debet exerceri. Probatur minor, nondum eſt indicata à materia morbifica purgatio, donec ſuperueniat ratio cacochymiæ: Sed non eſt materia morbifica febrium cacochyma, donec turgeat, quæ præcedente coctione ſeparetur inutile à concoctio, & commixtione ſanguinis: Ergo ſi materia non turget, de cura regulari ante coctionem non eſt purganda materia morbifica febrium.

§. IV.

Diluuntur Rhaſis fundamenta.

AD primum reſpondetur: Quòd in locis ab Hippocrate, & Galeno adductis, ipſi vel intendunt cacochymiam primæ regionis euacuare à qua morbi dependebant, aut poterant augeri, quatenus poteſt habere rationem cauſæ ſine qua non, vel intendunt quòd in morbis pendentibus ab humoribus cacochymis, & à ſanguinis commixtione ſeparatis debeat ſtatim fieri purgatio, non tamen in morbis pendentibus ex putredine, aut vitio humorum, qui ſunt ſanguini commixti, & nondum ſupernatant, nec fiunt cacochymi, donec peracta coctione, ſeparentur.

Ad ſecundum reſpondetur negando maiorem. Duplex enim eſt coctio humorum, alia in nutritiuo, qua humor perficitur, & aptus redditur pro nutritione: alia in nocitiuo, quæ licèt faciat ceſſare putredinem & perficiat humorem, coërceátque à termino putredinis non tamen humor redditur nutritioni aptus, imò cum pro illa ſit ineptus, dum retentus recidiuas facere conſueuit, & quia à ſanguinis commixtione ſeparatus remanet, cacochymus eſt, & purgationem indicat.

Ad tertium reſpondetur: Quòd ſeroſi, & tenues humores concoctioni ſunt inepti, & nutritioni inutiles, & ideò à ſanguinis commixtione ſeparantur, à quo non coërcentur, niſi illi, qui poſſunt eſſe vtiles, & ideò fiunt cacochymi, & non expectatur coctio, quia ſecundum omnes partes ſunt inutiles, nec habent aliquid vtile, quod coctione ſecerni petat.

Ad quartum negatur minor: Quia in principio morbi, etiamſi bilis putrefiat, ſi nondum ſit à commixtione cum ſanguine ſeparata, cum ſit pars ſanguinis, eſt vitium in ſanguine, à quo indicatur ſanguinis miſſio, quin ſeparetur à commixtione, & ſupernatet, & vt cacochyma indicet purgationem.

Ad quintum reſpondetur: Quòd ratione putredinis cauſat morbum materia morbifica febrilis, & quia tunc ſanguini eſt commixta, non eſt apta purgari, donec coquatur, & peracta coctione ſeparetur vtile ab inutili; & quod inutile eſt, vt ſeparatum fiat cacochymum, & vt tale indicet purgationem.

Ad ſextum reſpondetur: Quòd Medicus eſt imitator naturæ in eis, quæ rectè operatur, dum regulariter operari poteſt: & quia ipſa, dum non operatur vt irritata à cauſa morbifica, ſemper expectat coctionem, ita & Medicus expectat coctionem ad purgationem, dum non cogitur ex vitæ vrgentia ad purgationem minoratiuam exequendam, dum ex mora timetur, quod imminet vitæ periculum.

RESOLVTIO X.

Vtrùm morbifica febrilis materia ſaltem de cura coacta poſſit, cruda exiſtente materia minoratiua purgatione euacuari?

§. I.

Doctiſſimorum Valentinorum proponitur aſſenſus.

PRæclariſſima Valentina Medicorum ſchola parti negatiuæ adhæret: ſequuntur & alij eorum, qui ſtricto iure iudicant ſe Hippocratis, & Galeni doctrinæ adſtringi. Quibus maximè fauere videtur doctrina

doctrina à nobis adducta *reſolutione antecedenti*, & præcipuè his fulciri fundamentis poteſt eorum opinio.

Primò fauet Hippocrates. Tùm 1. *aphor.* 22. *Concocta medicari, ac mouere, non cruda.* Tùm. 4. *de ratione victus*, §. *Quicumque ea, quæ inflammantur, morborum inter initia medicamentis ſoluere conantur, ij nihil auferunt eius, quod intentum eſt, cùm non cedat affectio cruda*, & *text.* 44. *ſequenti*. Si ſit vrina cruda clyſteribus vtendum docet, non autem purgantibus medicamentis, ne febris in longum tempus protrahatur, & *lib.* 4. *de medicamentis purgantibus.* donec remiſerit febris, medicamento purgante non vtitur: Ergo minoratiua purgatio non conuenit.

Probatur ſecundò: Ex Galeno. *Aphor. comm.* 22. & *in* 24. *Rarò*, inquit, *ex Hippocrate in principijs morborum purgandum, quia rarò materia turget*, quaſi ſine turgentia nunquam ſit purgandum. Tum 3. *de praſagatione ex pulſibus, cap.* 6. ait: *Quæ inflammantur, non debent medicamento ſolui ante coctionem*: Tum Galen. *lib. de ſanguinis miſſione, cap.* 9. docet, quòd ſi crudus ſuccus exuperat cum febre nequaquam purgandum: Tùm 1. *Aphor.* 22. purgationem tenet non faciendam, donec per coctionem ſeparetur vtile ab inutili, & habeamus naturam adiuinculantem: Tùm 4. *de ratione victus text.* 44. *Quies*, inquit, *humorum non debet interturbari, dum ſunt coquendi*: Tùm *lib.* 3. *ſimplic. cap.* 25. requirit humorum diſpoſitionem ad purgationem, ne purgans medicamentum tranſmoueatur in eorum naturam: Ergo ante coctionem minoratiua purgatio non conuenit.

Probatur tertiò: Purgatio non debet fieri ante coctionem materiæ morbificæ febrilis: Ergo nec purgatio minoratiua. Probatur antecedens, purgatio eſt euacuatio ab humorum cacochymia indicata: Sed ante coctionem, ratione cuius ſeparatur humor peccans à ſanguinis commixtione, non datur cacochymia, cùm humor committens febrem ſanguini commixtus non ſupernatet: Ergo nec eſt indicata, nec debet purgatio materiæ febrilis exhiberi ante coctionem.

Probatur quartò: Eademmet cauſa morbifica eodem modo ſe habens, non poteſt ſimul ſanguinis miſſionem, & purgationem indicare: Sed materia morbifica committens morbum ante coctionem propter ſanguini commixta indicat ſanguinis miſſionem: Ergo donec peracta coctione, ſeparetur ab eius commixtione, & fiat cacochyma, non poteſt indicare purgationem.

§. II.

Archigymnaſij Noſtri, Salmanticenſiumque Doctiſſimorum communior opinio præfertur.

Reſoluendum: Quòd ratione vrgentiæ minoratiua purgatio poteſt exerceri, cruda exiſtente materia. Sic tenent noſtræ Scholæ Doctiores, Doctiſſimorumque Salmanticenſium fauet authoritas. & Trallianus *lib.* 12. Triocauellus *lib. de compoſit. medicament. cap.* 1. Manardus Ferrarienſis *lib.* 5. *Epiſtolarum*, Ioannes Langius *Epiſtola* 36. Valles *lib.* 7. *controuerſ. cap.* 13. Horatius Augenius, & alij quamplurimi.

Pro reſolutionis intelligentia notandum primò: quòd Medicos, ſicut & alij quamplurimi artifices, vt Nautæ, Imperatores, Milites, & Reipublicæ Gubernatores, dupliciter ſolent operari ad conſequutionem finis, in quem tendunt: vno modo regulariter, alio modo coactè. Regulariter operantur, quando licet exequi finem intentum ſecuriori via, & iuxta

A regulas communiſſimas, ac ſecuriſſimas ab arte præſcriptas. Coactè operari dicuntur, quando non poſſunt ſecuriori via exequi, quod intendunt, illud tamen conſequi contendunt eo modo, quo poſſunt, & licèt cum periculo, non deſiſtunt à fine, & quem regulari ac ſecura via conſequi non valent, periculoſa alia, ac coacta, quia ad illam proſequendam cogit neceſſitas, progrediuntur.

Secundò notandum: Quòd de cura regulari, dum aliquis humor in ſanguinis conſortio commixtus putreſcit, vitium ſanguinis efficit, & indicat ſanguinis miſſionem, & ſi vires ſufficiunt, ſanguinem mittimus, vt natura leuata poſſit concoquere quod reſiduum eſt, quod poſt coctionem ab vtili ſeparatur; &

B tunc tanquam cacochymum radicatiua purgatione euacuatur; ſed quandoque contingit, quod mittatur ſanguis vſque dum vires vlteriorem phlebotomiam tolerare non poſſint, & quod cauſa morbifica ita ſuperior remaneat ſuprà naturam, vt non poſſit ab illa deuinci, quin euacuata parte materiæ, natura relinquatur ſuperior ſupra reſiduum, in quo caſu cum immineat periculum vitæ, niſi euacuatur materia, & hæc non poſſit vinci à natura, niſi deponatur pars illius, & hæc euacuari non poſſit ſanguinis miſſione, pro qua vires non ſufficiunt, nec alia ſit via euacuandi niſi per purgationem, & hæc non ſit indicata, cùm materia committens morbum ſit ſanguini commixta, & de cura regulari purgatio non ſit facienda, niſi

C ratione cacochymiæ: manet difficultas, an ratione vrgentiæ ſaltem de cura coacta poſſit minoratiua purgatio tentari, pro aliqua parte crudæ materiæ euacuandæ.

Probatur pars affirmatiua. Primò ex Hippocrate 4. *Aphor.* 19. inquit enim: *Inchoantibus morbis, ſi quid tibi videtur mouendum, moue*, ſcilicet per ſanguinis miſſionem, aut purgationem, vt explicat Galenus *in comm.* Sed huiuſmodi purgatio in principio facta ex Hippoc. non debet eſſe radicatiua, qualis eſt, quæ fit in humore turgente, quia de iſta iam loquutus erat Hippocrates *ſententia* 22. *antecedente*: Ergo Hippocrates de purgatione minoratiua intelligendus.

D Probatur ſecundò: Dum vnica via ſalutis eſt, etiamſi periculoſa, tentanda eſt: Sed in caſu vrgentiæ vnica via ſalutis eſt minoratiua purgatio, cùm ſine materiæ euacuatione conſequi non poſſit, & hæc non niſi minoratiua purgatione poſſit exequi: Ergo etiam ſi periculoſa, minoratiua purgatio eſt exequenda. Probatur minor ex Gal. *lib.* 9. *meth.* dicente ex Thucydidis conſilio: *Quibus enim alia ſalutis ratio non eſt, & quæ vnica videtur; in dubia eſt, neceſſarium videtur aduerſus pericula ire*, &c. Ergo dum vnica ſalutis eſt via, etiamſi periculoſa, tentanda eſt. Auicen. *fen.* 7. 4. *Melior ergo eſt abſciſſio vnius membri, quam mors totius*, inquit.

Confirmatur primò: Ex Cornelio Celſo *cap. de Sthiomeno*, inquit enim: *vnicum, etſi miſerabile remedium reſtat, vt ſcindatur pars: ſed quid intereſt, quod miſerabile ſit, ſi hoc vnicum*, &c. Sed in caſu vrgentiæ vnicum,

E etſi periculoſum remedium reſtat, vt minoretur materia adhuc ſi cruda, & nondum cacochyma exiſtat: Ergo à ſimili nihil intereſt, quod periculoſum, ſi hoc vnicum eſt remedium.

Confirmatur etiam ex Galeno 12. *meth. cap.* 1. *Et melior eſt aliquando inſignis noxa, quàm mors.*

Confirmatur ſecundò: Ex Galeno *lib.* 10. *method. Quando ergo ſemel ægro moriendum eſt, à lenibus inchoare præſidijs eſt inutile, quia melius eſt aliquid non agentes periclitari, quàm ægrum, ſpe adempta, certò perire*: Sed in caſu vrgentiæ leuia non ſufficiunt medicamenta, ex magnis deficiunt vires pro ſanguinis

miſſione: Ergo melius eſt, etiam ſi abſit cacochymia, à qua de cura regulari indicatur purgatio, aliquid non tentantes, cruda exiſtente materia, per minoratiuam periclitari, quàm ægrum ſpe adempta, certò perire.

Probatur tertiò: Si vrgeat neceſſitas vitæ conſeruandæ, etiamſi aliquod remedium non ſit indicatum de cura regulari, de cura coacta exercendum eſt, quia aliquando recedere ab arte ars eſt: Sed cruda exiſtente materia, dum natura eſt inferior ad cauſam morbificam, & non ſunt vires pro phlebotomia, vrget neceſſitas vitæ, ſi non minoretur: Ergo minoratiua purgatio neceſſaria eſt. Probatur maior, etiamſi de cura regulari conſeruatio partium ſit indicata, ſemper, ſi ex partis conſeruatione immineat periculum vitæ, de cura coacta ſcinditur pars: Ergo etiamſi remedium de cura coacta non ſit indicatum, debet de cura regulari exerceri.

§. III.

Soluuntur rationes primò adducta.

AD primum, & ſecundum reſpondetur ex dictis: Quòd medicus, vt docet Galenus, eſt imitator naturæ, ipſa enim dupliciter operatur; vno modo, dum ſuperior eſt ad cauſam morbificam, ipſam retinendo, concoquendo, ſeparando vtile ab inutili, & euacuando inutile à conſortio vtilis iam ſeparatum, & tunc regulariter dicitur operari ex Galeno *lib. de facult. naturalibus.* Seruat enim œconomiam naturalium facultatum. Alio modo operatur, non vt superior cauſæ morbificæ, ſed vt irritata ab illa, & tunc non expectat debitum ordinem operandi facultatum naturalium, ſed vt laceſſita, & irritata cogitur ad expulſionem materiæ morbificæ adhuc crudæ exiſtentis. Medicus ſimiliter; dum naturam cognoſcit vincentem cauſam morbificam, expectat donec concoquat, & ſeparet vtile ab inutili, & ſi ipſa inutile non euacuat, purganti pharmaco euacuat Medicus; & hæc curatio dicitur regularis (vt diximus) quia Medicus imitatur, & adiuuat naturam operantem, regulariter. Dum verò Medicus cognoſcit, quòd natura impotens eſt humorem concoquere, & quod propter materiæ cruditatem imminet periculum vitæ de cura coacta intendit partem materiæ euacuare, quam ipſa natura impotens eſt elaborare, & hæc curatio dicitur coacta, quia Medicus cogitur propter imminens vitæ periculum ad illam exequendam, non expectata occaſione regulariter operandi, quia prius deficeret vita, quàm ipſa ſuperueniret: & de cura regulari docent Hippocrates, & Galenus, & nos reſolutione antecedenti, quòd radicatiua purgatio non eſt facienda, antequam concocta ſit materia, de cura verò coacta poſſe fieri minoratiuam purgationem, adhuc cruda exiſtente cauſa morbifica, aſſerimus.

Ad tertium reſpondetur: Quòd licet de cura regulari non poſſit fieri purgatio; niſi à cacochymia ſit indicata; poteſt de cura coacta: cogitur enim Medicus recedere à regulari modo operandi, dum ex illo poſſet imminere vitæ periculum: ſic licèt partium conſeruatio ſit ſemper indicata, ſcinditur, ſi ex conſeruatione illius immineat vitæ periculum, pars à corpore.

Ad quartum reſpondetur: Quòd eadem cauſa morbifica, quæ de cura regulari indicat ſanguinis miſſionem, poteſt de cura coacta cogere ad purgationē, quia toto illo tempore, quo vires ſubſiſtunt, vt exerceatur ſanguinis miſſio, ipſa, vt indicata à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, exercetur; at verò dum vires non ſubſiſtunt pro exequenda indicatione regulari, cùm ex redundantia materiæ, quæ ſuperabondat, immineat periculum vitæ, niſi alia via ſalutis teneretur, etiamſi non regulariter indicata, cogimur ad illud eligendum remedium, ad quod cogit neceſſitas

---

Resolvtio XI.

Vtrùm in febre maligna, aut peſtilente materia morbifica euacuanda ſit non expectata coctione?

§. I.

Proponitur, & probatur affirmatiua pars.

HÆc difficultas ardua eſt ex Zacuto *lib. 4. Hiſtoriarum medicinal.* Et circa quam variæ ſunt Authorum ſententiæ, ex Quercetano *lib. de peſte*, ortæ ex curationis difficultate, vt ioquit Mercurialis, in qua affirmatiuam partem ſequitur noſter Doctiſſimus Doctor Cypryanus de Maroja *lib. 4. de febribus*, Zacutus *lib. 4.* fauet Paulus *lib. 2. cap. 36.* Aetius *tetrabili 2. ſerm. 1. cap. 95.* Oribaſ. *6. ſynopſis 35.*

Suaderi poteſt primò: Ex Galen. *lib. 5. Meth. cap. 12. §. Qui ex peſtilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facile ſanati videntur, quod præſiccatum iis, per purgationemque totum corpus fuerit, &c.*

Secundò: Ex Gentile in *fen. 1. 4.* loquit enim: *Properare debemus quantum poſſumus ad euacuationem malignæ materiæ, & cito, &c.*

Tertiò: In febre peſtilenti reperiuntur omnia accidentia, quæ in turgente materia reperiri ſolent: Sed turgente materia, ſtatim ſelectiua purgatio eſt vtilis: Ergo etiam in febre peſtilenti.

§. II.

Primæ regionis purgationi aſſentimur.

REſoluendum primò: Quòd ſi putridi humores redundant in prima regione, ſtatim lenitiua purgatio conuenit. Sic deducit Nuñez ex Auerroë, qui illam deducit ex Auenzoar, & Rhaſi.

Probatur ex Galeno 4. *de ſanit. tuenda, cap. 3. §. Quod omnino alienum eſt, nulla fieri ratione poteſt, vt id natura gradum recipiat, ſed educere id quamprimùm tentandum, &c.* Sed putridi ſucci, qui plerumque ob improba edulia, quibus veſcuntur ægri tempore peſtis, omnino alieni ſunt: Ergo ſtatim, antequam ad venas, iecurque tranſcendant, lenitiua purgatione debent euacuari, cum naturæ gratiam recipere non valeant.

§. III.

Selectiua purgationi non acquieſcimus.

REſoluendum ſecundò: Quod ſelectiua purgatio non conuenit in principio cuiuſuis febris malignæ, aut peſtilentis. Sic tenet Petrus Salius *cap. 22.* Palmarius *lib. de febre peſtilenti, cap. 23.* Valleriola *cap. 2. in appendice loc. comm.* Cardanus *lib. 2. contradict. tract. 5. cont. 3.*

Probatur primo ex Auicen. *fen. 1. 4. tract. 4. cap. 1.* dicente. *Summa curationis peſtilentium febrium eſt exſiccatio, & illud cum phlebotomia, & ſolutione ventris. Si autem materia fuerit ſanguis, fiat phlebotomia, & ſi fuerint humores alij, euacuentur, &c.* Ergo ſi febris peſtilens dependeat ex redundante ſanguine, phlebotomia, & non purgatione ſelectiua debemus vti in principio.

Probatur

Probatur ſecundò : Purgatio ſelectiua aut eſt minoratiua, aut radicatiua, aut per epicraſſim, vt diximus : Sed nulla conuenit in omni febre peſtilenti : Ergo non eſt ſemper exercenda. Probatur minor, non conuenit in principio per epicraſim; cum non detur, niſi materia ſit partim concocta : non conuenit radicatiua; quia non conuenit in principio, dum materia turget, vel in fine, dum eſt cocta : non conuenit minoratiua, cùm in febre peſtilenti non ſemper ſit incoctilis materia : Ergo ſi nec vrgentia, nec turgentia adſit in febre peſtilenti, non conuenit ſelectiua purgatio.

Probatur tertiò : Non eſt exercenda purgatio, ſi non vrgeat periculum vitæ, niſi dum indicatur à cacochymia humorum : ſed in principio febris malignæ, dum non turgeat materia, non datur cacochymia : Ergo non eſt purgandum ſelectiua purgatione.

Probatur minor, non eſt neceſſariò humor ſeparatus à ſanguinis commixtione, cum ex Auicenna conueniat plerumque phlebotomia: ergo.

Probatur quartò : Dum humor, à quo febris dependet, eſt coctibilis, expectanda eſt coctio ex Hippocrate 1. *Aphor.* 22. Sed plerumque in febre maligna & peſtilenti, humor eſt concoctibilis : Ergo ante purgationem ſelectiuam expectanda eſt coctio. Probatur minor, quæcumque febris putrida in tantum eſt curabilis, in quantum materia, à qua dependet, eſt concoctibilis, ſed plures febres malignæ, & peſtilentes curantur: Ergo earum materia eſt concoctibilis

§. IV.

Solutio adhibetur argumentis.

AD Galenum, & Auicennam Medicinæ principes reſpondetur : Quòd loquuntur, vel de lenitiua purgatione, dum in prima regione redundant putridi ſucci; vel de radicatiua, dum turget peſtilens humor, vel vt cacochymus ſupernatat in corpore; non tamen deſumunt à qualitate maligna indicationem purgandi, ſed à cacochymia humorum, ex quibus ſolet pendere peſtilens, aut malignus morbus; ſi verò dependeret ex ſanguinis vitio, à ſanguinis miſſione docet incipiendam curationem.

Ad ſecundum reſpondetur : Quod Gentilis docet purgationem in principio morbi peſtilentis dependentis ex materia furioſa, & turgente : ſi enim, turgente materia ſine maligna qualitate, purgamus, multo melius ſi turgeat cum qualitate peſtilente; at verò ſi penderet ex ſanguine, vel ex alio humore ſanguini commixto, qui non ſit furioſus, non conueniret purgatio.

Vel ſecundò reſpondetur : Quòd Gentilis non intendit purgare humores in ſecunda regione, ſed eos qui ad primam vt furioſa deducti, ſeparati ſunt à ſanguine, & maxima inferunt accidentia, qualiter contingit in febribus pernicioſis per decubitum humorum furioſorum ruentium in primam regionem, ad quod rhabarbaro vtitur, ſicut in tertianis pernicioſis etiam vtimur.

Ad tertium reſpondetur : Quòd etiam ſi in febre peſtilenti ſunt accidentia ſimilia eis, quæ reperiuntur in turgentia, non ſumitur indicatio purgandi, quia purgatio non indicatur ab accidentibus, ſed ab humorum cacochymia.

A

RESOLVTIO XII.

Vtrum propter indicationem deſumptam ab aliqua parte debeat purgatio exerceri in principio morbi?

§. I.

Difficultatis aperitur ratio.

B RÉſolutio hæc difficilis redditur authoritatum varietate, quæ vtrique parti fauent. Affirmatiuæ adhærere videtur Hippocrates 2. *acut.* 11. qui, ſumpta indicatione à parte affecta, in lateris dolore occupante partes infra ſeptum, pharmacum exhibet : & Galenus, qui cum hora diei decima ad ægrum accederet ſexagenarium, habentem linguam tumefactam, exhibuit illicò pillulas ex aloë, ſcammonio, & colocynthide; & Trallianus anginoſo lachrymam ſcammonij exhibuit.

Nec aliter fauet negatiuæ parti idem Hippocrates 4. *acut.* 22. §. *Quicumque inter initia morborum ea, quæ inflammantur, medicamento ſoluere conantur, &c.* C ex Galeno. 13. *Meth. cap.* 11. ait : *Longiſſime attenta fluxionis parte, quod redundat reuellendum eſt, minimeque ad ipſam trahendum.* Hac itaque ratione, nec ſi ventriculum, aut inteſtina phlegmon occupatit, medicamentum, quod aluum deducat, conueniet, & Hippocrates docet, *febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat.*

§. II.

Sancitur negatiua pars.

REſoluendum : Quòd à parte affecta non ſumitur indicatio purgandi, aut ſanguinem mittendi, ſed ab humore, ita vt ſi fluens humor ſit ſanguis, phlebotomia; ſi humores ab eius commixtione, aut conſortio D ſint ſeparati, purgatio conueniat ſtatim.

Probatur primò ex Auerroë, 5. *collige*, dicente : *Debes ſcire quod in euacuatione membrorum principalium penitus neceſſaria ſunt ſtatim duæ euacuationes, vna eſt phlebotomia, alia eſt pharmacia, ob quod illa apoſtemata vt plurimum, non ſunt vnius humoris, ſed in illis aggregatur malitia quantitatis, cum malitia qualitatis, ſed tamen in euacuatione non debes ſemper humorem prædominantem prauidere, &c.*

Probatur ſecundò : Sanguinis miſſio, & purgatio debent in illo morbi tempore exerceri, in quo ſunt indicatæ à morbo pendente à ſanguine, aut à cacochymiâ : Sed morbi orti ex humore delato in aliquam partem in quocumque tempore ab aliquo horum ſuccorum pendent : Ergo ſanguinis miſſio, aut purgatio non ratione partis, ſed ratione humoris ruentis in illam debet exerceri.

E Probatur experientia, in febribus intermittentibus, quæ fiunt pernicioſæ ob decubitum in aliquam partem; in quibus ſanguinem mittimus, ſumpta indicatione à vitio ſanguinis; & purgamus ſumpta indicatione ab humore cacochymo ruente in partem; neutram tamen præſcribimus ſumpta indicatione à parte.

Ex his patet : Quòd purgatio à Galeno, & aliis, in principiis morborum non ideò facta, quia à parte fuit indicata; ſed à cacochymia ſuccorum ruentium in illam.

Resolvtio XIII.

Vtrùm purgatio ab humorum cacochymia indicata ſtatim ſemper ſit exercenda?

§. I.

Pars ſuadetur affirmatiua.

VIdetur quòd ſic. Medicus eſt imitator naturæ: Sed natura,ſtatim ac ponitur humor noxius, qui eſt obiectum facultatis expellentis,contendit eius expulſionem: Ergo Medicus ſtatim, ac cognoſcitur humorum cacochymia,à qua purgatio indicatur, illam tenetur exhibere.

§. II.

Impedimenta, quibus pars negatiua fulcitur, proponuntur.

REſoluendum: Quòd plura poſſunt impedire, quominus indicata purgatio non exhibeatur à Medico.

Probatur: Ratione cacochymiæ bilis tendentis in caput,& intemperantis illud,indicatur purgatio: Sed huiuſmodi purgatio, non eſt à Medico exercenda: Ergo non quælibet purgatio indicata eſt ſtatim exercenda. Probatur minor ex Hippocrate *lib. de locis in homine*, inquit enim: *Febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat, calefaciunt enim caput pharmaca purgatiua, & ſane ad caliditatem febrilem accedens, ea, quæ in medicamento eſt, facit maniam, &c.*

Probatur ſecundò: Si nimis ardeant viſcera, etiam ſi ratione cacochymiæ ſit indicata purgatio, non eſt exercenda: Ergo non quæcumque indicata purgatio debet ſtatim exhiberi. Probatur antecedens ex Hippocrate *lib. de medicament. purgantibus*, qui incommoda, quæ ex illa ſequuntur, depingit his verbis: *Carnes ipſorum, & ventres cum calidi ſunt, medicamentum abſumunt, & nihil depurgant, & febris maior fit, & calor euertitur, & morbi ſpeciem præ ſe ferunt; commota enim bile, & non purgata, non ſorbere vult æger, nec bibere, ſed omnia abominatur, & plerumque perit, quapropter in febribus vehementibus medicamenta purgantia exhibere non oportet, &c.*

Probatur tertiò: Dum adeſt aliqua interna inflammatio, etiam ſi ſit indicata purgatio, non eſt exercenda: Ergo non omnis indicata purgatio debet ſtatim exerceri. Probatur antecedens: Tum quia alteratione medicamenti intenſior fieret inflammatio: Tum quia Hippocrates 4. *acut.* 22. ad partem inflammatam prohibet fluxiones deferri. Tum quia humores ab inflammatione detenti, non purgarentur: Ergo non eſt exercenda purgatio, etiamſi ſit indicata, in viſcerum inflammationibus.

Probatur quartò: Si craſſi, viſcidique humores in viis communibus redundent, impediunt purgantis medicamenti actionem, etſi humores cacochymi ſint craſſi, & viſcidi, ideò enim Hippocrates 2. *Aphor* 9. docet, quòd oportet corpora fluida facere: Ergo adhuc indicata purgatio non ſtatim eſt exercenda.

Ad rationem dubitandi reſpondetur: Quòd Medicus imitatur naturam intendendo euacuationem, dum non eſt aliquod, quod valeat illam impedire, vel maxima incommoda cauſare.

Resolvtio XIV.

Vtrùm pro indicata purgatione ſanguinis miſſio valeat ſubrogari?

§. I.

Syluatici refertur opinio.

INdicata purgatio plerumque celebrari non poteſt ob nuper dicta impedimenta, vel quia renuit æger, indicibilemve indiuidualem habet proprietatem purganti pharmaco repugnantem. Contendit in hoc euentu Syluaticus in ſuis controuerſiis loco eius ſubrogari poſſe ſanguinis miſſionem, fauet illi communis Medicorum aſſenſus, annuitque antiquorum authoritas, & eius placitum valet fulciri,

Primò Hippocratis authoritate, *lib. 2. de ratione victus in acutis*, & Galeni *in comm.* 12. vbi in pleuritide deſcendente ſanguinis miſſionem, & purgationem, ex eo quod vtiles admittunt; & Gal. *lib. de compoſit. medicament. ſecundum locos c.* 2. in iſchiadis dolore ſanguinis miſſionem ſimili modo, & purgationem conſulit, & *lib. 4. Aphor. comm.* 1. humorum redundantiam purgatione, aut ſanguinis miſſione docet imminui, & *lib. de ſanguinis miſſione, c.* 10. *Cæterum*, inquit, *redundantia humoris melancholici ſanguinem mittere præſtat, aut medicamento vti atram bilem purgante:* Ergo ſanguinis miſſio ſubrogari poteſt pro purgatione.

Secundò: Purgatio pro ſanguinis miſſione poteſt ſubrogari: Ergo & ſanguinis miſſio pro purgatione. Probatur antecedens. Tum ex Gal. *lib. 4. de tuenda valetudine c. 4.* vbi docet: *Quòd ſi aliquis propter ætatem, aut timiditatem, non phlebotomatur, ſufficit aluum largiorem reddi.* Tum ex Auicenna, qui aſſerit: *Quod aſſellare bis, aut ter in die, excuſat phlebotomiam:* Ergo purgatio poteſt ſubrogari pro ſanguinis miſſione.

Tertiò: Illa euacuatio loco alterius poteſt ſubrogari, per quam poteſt idem humor, qui ab altera, euacuari, Sed per ſanguinis miſſionem poteſt euacuari idem humor cacochymus, qui deberet purgari: Ergo poteſt ſanguinis miſſio loco purgationis ſubrogari.

Quartò: Humor à quo indicatur purgatio, petit euacuari pro morbi curatione: Sed impedita purgatione, non eſt alia via, qua euacuetur: Ergo loco impeditæ purgationis debet ſubrogari ſanguinis miſſio.

§. II.

Primò deciditur reſolutio.

REſoluendum primò: Quòd ſi coincidant ſimul in venis vitium ſanguinis in qualitate, quantitate, aut motu, & humorum cacochymia, etiamſi præualeat indicatio purgandi, ſi impediatur, loco eius poteſt ſubrogari ſanguinis miſſio. Fauent huic opinioni Hippocrates, & Galenus locis adductis, in quibus Magiſtri tantæ ſectæ rationalis, & dogmaticæ, non poſſent indifferenter his vti remediis ad libitum pro ſuo nutu, niſi pro vtraque eſſet indicatio.

Probatur ſecundò: In ſecta dogmatica de cura regulari debet celebrari remedium, vt fuerit indicatum: Sed dum coincidunt vitium ſanguinis in qualitate, quantitate, aut motu, & cacochymia, eſt indicata tam ſanguinis miſſio, quàm purgatio: Ergo etiam ſi purgationis præualeat indicatio, ſi non poteſt celebrari, loco illius ſanguinis miſſio poteſt exerceri.

§. III.

§. III.

Deciditur ſecundò.

Reſoluendum ſecundò: Quòd ſi deficiat ſanguinis vitium in quantitate, qualitate, aut motu, & ſola ſuperſit humorum cacochymia, quæ eſt vitium alterius humoris à ſanguine, & ab eius commixtione ſeparato, non poteſt ſubrogari ſanguinis miſſio pro purgatione.

Probatur primò: Ex Galeno *lib. 2. epidem. comm. 2. text. 33. oportet enim*, inquit, *cùm euacuatio requiritur, non ſimpliciter ad ipſam accedere, ſed prius diffinire qua ratione facienda ſit, & quæ debeat eſſe euacuanda materia, per quam regionem, quo tempore, & qua menſura*: Ergo deficiente materia, à qua indicetur ſanguinis miſſio, non debet hæc euacuatio exerceri.

Probatur ſecundò: De cura regulari non debet celebrari remedium, quin ſit indicatum: Sed dum ſola abundat humorum cacochymia, ſanguinis miſſio non eſt indicata: Ergo etiamſi non poſſit exerceri purgatio, non debet exerceri ſanguinis miſſio. Probatur minor, ſanguinis miſſio non indicatur ab humorum cacochymia: ſed à vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu: Ergo à ſola humorum cacochymia non indicatur.

§. IV.

Soluuntur argumenta.

Ad primum reſpondetur: quòd Hippocrates, & Galenus docent, quod ſi indicata ſit purgatio, & ſanguinis miſſio, & purgatio celebrari non poteſt, loco eius fiat ſanguinis miſſio, etiamſi ſecundo loco indicata.

Ad ſecundum reſpondetur; Quòd ſimiliter ſi indicata ſanguinis miſſio non poſſet celebrari, ſi ſimul purgatio indicata ſit, deberet exhiberi purgatio loco illius, vel quod ſi vires debilitentur decoctionibus, non ſtat purgatio, non tamen quòd purgatio non indicata loco ſanguinis miſſionis exerceatur.

Ad tertium reſpondetur: Quòd requiritur vt vna euacuatio poſſit loco alterius ſubrogari, quòd per illam euacuetur pars materiæ, quæ per alteram deberet euacuari, & quod talis euacuatio ſit in arte indicata, alias non eſſet ſecundum artem, adeò enim ſanguinis miſſio, dum eſt indicata ſimul cum purgatione, ſubrogatur loco illius, non vero ſi non ſit ſimul indicata, aliàs maius incommodum ſequeretur ex euacuatione ſanguinis, cuius euacuatio non eſt indicata, quam cõmodum, ex eo quod ſimul euacuetur aliqua pars humoris cacochyma, cuius euacuatio requiritur.

Ad quartum reſpondetur: Quòd loco purgationis, etiam ſi non ſubrogetur ſanguinis miſſio poteſt ſubrogari inedia, qua humores corrigi, & imminui docet Gal. *lib. 13. meth. c. 6. lib. 6. de tempeſt medicamen. ſecundum locos, c. 10. lib. de venæ ſectione, aduerſus Eraſiſtratum, c. 9.* & poteſt ſubrogari frictio ex Galeno *ibid. c. 9.* & ſimiliter ventris ſolutio per ventris inonctionem facta, de qua Paulus *lib. 7. c. 8.* Actuarius *5. meth. cap. 6.* Meſuës, & alij.

Resolvtio XV.

Verùm præcautoria purgatio ſit celebranda in Vere?

§. I.

Negatiua pars ſuadetur.

Videtur quòd non: Primò in eo tempore anni debent humores cacochymi purgari, in quo redundant, & indicant purgationem: Sed ex doctrina Hippocratis *lib. de natur. hum.* bilis redundat in æſtate, melancholia in autumno, pituita in hyeme: Ergo in his temporibus debent purgari.

Secundò: In eo tempore, quo ſanguis redundat ſine humorum cacochymia, vel ſuperabundans cum illa potius ſanguinis miſſio, quàm purgatio eſt celebranda: Sed in vere ex Hipp. *lib. de natura humana*, ſanguis redundat ſupra reliquos humores: Ergo ſanguinis miſſio, & non purgatio debet exerceri.

Tertiò: In febribus non reperitur cacochymia, à qua indicetur purgatio, niſi turgente materia in principio, vel poſt coctionem, dum ſeparatur inutile. Sed ratione temperiei Veris, nec humores turgent, cùm ſit temperata; nec ſeparat cacochymom ab vtili, cùm ratione illius non fiat coctio in nocitiuo, ſicut in febribus: Ergo non eſt cacochymia, à qua purgatio indicetur.

§. II.

Hippocratis admittitur doctrina.

Reſoluendum primò: Quòd ſi in Vere ob præſentem cacochymiam immineat periculum morbi, tutiùs quàm in aliis temporibus exercetur purgatio. Deducitur ex Hippocrate *6. Aphor. 47.* ex Galeno *in comm. & 1. ad Glauc.* Et ex Medicorum aſſenſu. Sancitur Hippocrates hoc placitum his verbis: *Quibuſcumque venæ ſectio, aut purgatio cùm medicamento conuenit, hos Vere purgare, vel venam ſcindere conuenit.*

Probatur ex Galeni doctrina: Si immineat purgandi neceſſitas, aptius celebratur purgatio, dum tempus moderatum in temperie, dum vires valent, minuſque internis, & externis iniuriis ſunt expoſitæ, dum melius ſuſtinere euacuationes poſſunt, dum humores quaſi concitantur, & ad exitum ſollicitantur, dum fluxibiliores ad motum redduntur: Sed hæc omnia tempore Veris contingunt ratione moderatæ temperiei illius: Ergo ſi ex cacochymia immineat morbus, aptiùs celebratur purgatio in Vere.

§. III.

Eadem opinio coarctatur.

Reſoluendum ſecundò: Quòd ob morbos, qui ſequuntur ad intemperies reliquorum temporum anni, potius in illis, quàm in Vere debet celebrari purgatio.

Probatur: Tunc morbi ſunt præcauendi per purgationem, quando imminet periculum ex præſente cacochymia, à qua purgatio indicatur: Sed in morbis, qui ſequuntur ad intemperies reliquorum temporum, non imminet periculum illorum ex præſente cacochymia, niſi humores produeantur in aliis temporibus alteraſi, & cacochymi ratione ſuarum intemperierum: Ergo non debet celebrari purgatio in Vere, in quo purgandi humores nondum ſunt producti.

§. IV.

Soluuntur argumenta.

Ad primum reſpondetur: Quòd humores cacochymi redundare poſſunt, vel geniti ratione temporis anni, vel ex peculiari ægri natura, aut indebito vſu rerum non naturalium; quia temporibus fiunt cacochymi in illis petunt purgari: qui ob alias cauſas poſſunt etiam redundare in Vere, aptius in illo, quàm in aliis temporibus purgantur.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd ſi contingat, vel ſupra

ſupia ſanguinem cacochymia, vel coincidens cum illo, quæ ab illa indicarur purgatio, aptiùs in Vere, quàm in aliis temporibus celebratur; ſin minus, ſola ſanguinis miſſio.

Ad tertium reſpondetur: Quòd humores cacochymi poſſunt fieri dupliciter; vno modo dum naturales producti, & ſanguini commixti ex alteratione, aut putredioe ſuperueniente ſeparantor à ſanguinis commixtione; vel acquiſita turgentiæ diſpoſitione in principio, vel poſt coctionem ſeparata materia inutilis ab vtili. Alio modo fiuor cacochymi in ipſa ſui productione, dum ob prauam materiæ diſpoſitionem, aut cauſæ producentis improportionem generantur humores à ſanguine ita alieni, & ad nutritionem ita inepti, vt ſanguini commiſceri non valeant, nec ab ipſo coërceri, & ob iſtos requiritur præcautoria purgatio modo dicto.

Resolvtio XVI.

Vtrùm tempore intermiſſionis, in quo timetur recidiua, debeat exequi purgatio?

§. I.

Pars ſuadetur affirmatiua.

Recidiua eſt: *Eiuſdem morbi reiteratio, qui paulò antè quieuit, à cauſa intrinſeca; ſeu ex vi morbi ſoluti relapſus in eundem*: & alia eſt propria, alia impropria; alia legitima dicitur, alia illegitima. Superuenit recidiua propter intemperiem in aliquo viſcere ex primo morbo relictam, vel ob indebitum victus ordinem, vel quia pars materiæ morbum committentis relicta permanet apta morbum fouere. De hac currit difficultas, non reſpectu materiæ benignæ, ratione cuius morbus eſt facilè ſolubilis, ſed dum fere incoctilis, & apta, vt periculoſus pernicioſúsve ſuperueniat inſultus, atque lethalis, in qua doctiſſimi aliqui viri partem amplectuntur affirmatiuam.

Primò: Quia Hippocrates 2. *Aphor.* docet corpora impura nutritione lædi, quia impuri fiunt humores, qui ideò euacuari petunt, ex eorum enim redundantia morbi, & recidiuæ, ſuperueniūt: Sed huiuſmodi redundantes humores impuri & cacochymi ſunt: Ergo dum timetur recidiua, euacuari purgatione petunt.

Secundò: Galenus 4 *de ſanitate tuenda*, ſi laſſitudo accidat, à qua timetur morbus, ipſum præcauere docet, ſanguinis miſſione ſi redundet ſanguis; purgatione, ſi adſit cacochymia: Sed tempore intermiſſionis ad recidiuam timetur morbus ratione humoris cacochymi relicti ex morbo antecedente: Ergo debet purgatio exhiberi.

Tertiò: Præſtantior eſt præcautio, quàm curatio morbi: Sed euacuato humore cacochymo relicto in corpore, ex quo timetur recidiua, lethalis morbi inſultus, ſeu periculoſus præcauetur: Ergo debet purgatio tentari.

§. II.

Negatiua pars præfertur.

Reſoluendum negatiuè.

Probatur primò: Non debet materia morbifica euacuari, ſeligenti pharmaco, niſi illius exhibitio ſit indicata: Sed dum timetur recidiua, ratione materiæ morbificæ relictæ intra corpus non eſt neceſſariò indicata purgatio: Ergo non debet exerceri. Probatur minor: non indicatur purgatio, niſi dum adeſt cacochymia: ſed cauſatur recidiua ab humore, eodem modo ſanguini commixto, ſicut fuit in primo inſultu morbi: Ergo ſicuti in primo inſultu, non exercetur purgatio, quia non eſt indicata, ſimiliter nec in tempore intermiſſionis debet exerceri.

Probatur ſecundò: Dum recidiua ſuperuenit, exercetur ſanguinis miſſio, & non purgatio, quin perueniat ad declinationem, coctione peracta: Ergo dum timetur recidiua in tempore intermiſſionis, potiùs ſanguinis miſſio, quàm purgatio eſt indicata. Probatur conſequentia, ideò recidiua ſuperueniente, exercetur ſanguinis miſſio, quia eſt indicata à morbo magno præſente pendente ex vitio ſanguinis in qualitate, ſeu ex humore vitioſo ſanguini commixto: Sed in tempore intermiſſionis datur morbus magnus imminens ratione eiuſdem humoris: Ergo ſi indicatur præcautorium remedium magnum, idem debet eſſe, ac illud, quod indicatur poſtea ab eodem morbo pendente ab eadem cauſa, eodem modo ſe habente in ordine ad indicandum remedium ſui euacuatorium.

Probatur tertiò: Si purgatio exercenda venit, dum timetur recidiua: vel quia materia eſt concocta, & hoc non; alias non timeretur recidiua: vel quia datur turgentia, aut vrgentia, & hoc non; quia loquimur in caſibus, in quibus hæc non detur (quia in his caſibus dictum eſt antecedenter quid agendum:) Ergo nulla ratio currit exercendi purgationem.

Probatur quartò: Materia, ex qua timetur recidiua, ſanguini commixta poteſt vtpotè minus moleſtans à natura retineri, concoqui, & laborari ſine nocumentis, quæ poſſunt ſubſequi ex ſeparatione illius à conſortio reliquorum humorum: Ergo non debet exhiberi purgans pharmacum, à quo interturbetur materia, & impediatur coctio, & regulatio illius.

Probatur quintò: Non debent infamari ars, nec remedia, quæ aliis fuerunt præſidio: Sed exhibito pharmaco, infamatur ars, & purgatio: Ergo non eſt propinandum. Probatur minor, commoto, & agitato humore vi catharctici, plerumque excitatur febris, & recidiua, quæ timetur, quia humor ſeparatus, cum à ſanguine non coërceatur, ſtatim putreſcit: Ergo infamatur ars, & remedium.

Dices: Quòd licèt humor commoueatur, nullam infert noxam, quia euacuatur.

Contrà: Non poteſt humor ex toto euacuari pharmaco ſeligente, quin ante eius exhibitionem ſit cacochymus, & ſeparatus à ſanguinis commixtione, vt natura ſimul cum pharmaco adminiculetur euacuationi: Sed dum timetur recidiua, materia non turgente, nec vrgente, non eſt humor cacochymus, & ſeparatus, cum ſe habeat eodem modo commixtus, & crudus, ac fuit in primo morbi inſultu: Ergo licèt exhibeatur pharmacum, non poteſt ex toto euacuari.

§. III.

Soluuntur argumenta.

Ad primum reſpondetur: Quòd humores, qui redundant, ex quibus morbus timetur; ſi ſint impermixti ſanguini, & cacochymi, indicant purgationem: at verò dum ſunt ſanguini commixti, fit vitium ſanguinis in quali, à quo indicatur miſſio ſanguinis quod plerumque contingit in humoribus, dum timetur recidiua, quia nec geniti ſunt à ſanguine ſeparati, nec coctio peracta fuit, per quam ſeparentur.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd tempore intermiſſionis, dum timetur recidiua, humor, ex quo timetur,

metur,eſt ſanguini commixtus, quia nondum coctus, oondum eſt ſeparatus, dooec poſt recidiuam cooriogat concoqui, ſeparari, & fieri pro purgatione aptum.

Ad tertium reſpondetur: Quòd præcautio fit per remedium indicatum à cauſa morbifica,& quia in recidiua eſt humor ſanguini commiatos, à quo quia nondum eſt cacuehymus, non poteſt indicari purgatio,ideò nec debet exerceri.

SECTIO IV.

De purgationis tempore in morbis particularibus.

MOrborum cauſæ materiales, quæ purgationem indicare poſſunt, aliæ per vniuerſam corporis primam, aut ſecundam regionem diuagantur: quarum purgandi tempus præſcripſimus: aliæ determinatæ adhærent parti, particularem morbum in illa producendo; quarum purgandi tempus in aliquibus, io quibus dubia ineſt inueſtigandi ratio, proponemus.

Resolutio I.

Vtrùm in phrenitidis principio ſit vtilis ſelectiua purgatio?

§. I.

Valles, & Maſſaria refertur opinio.

GRæcorum familia, quibus adhæret Valles *lib. 7. epidem. text. 78.* & Maſſarias *in ſua praxi, cap. de phrenitide*, nunquam ſelectiuam purgationem in principio phrenitidis coouenire fateotur: quorum placitum his ſuaderi poteſt.

Primò: Ex Hippocrate *lib. de medicament. purgantibus, §. Febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat.* Tum 1. *prorrhet. comm. 1. text. 27. §. Nigra remouentes cibos faſtidientes, deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus ferox, clanſuſque, purgare non poteſt, pernicioſum enim, &c.*

Secuodò: Ex doctrina ſectionis aotecedentis conſtat, quòd de cura regulari purgatio ſelectiua, noo eſt tentanda, niſi concocta ſit materia: Sed phrenitidis materia, vſque ad declinationem, non poteſt eſſe cocta: Ergo noo debet pharmaco ſeligente euacuari.

Tertiò: Materia ruens in aliquam partem inflammatam, facilius ruit commota, & ſeparata à ſanguinis commixtione: Sed non poteſt cauſa antecedens phrenitidis purgari, quin commoueatur, & ſeparetur à ſanguinis cooſortio: Ergo purgatio ſelectiua inutilis.

Quartò: In quacumque interna inflammatione, in flogoſi iecoris, aut partium internarum, non debet exerceri purgatio: Sed phrenitis eſt inflammatio partium interoarum, & quæ plerumque fit ex iecoris inflammatione, aut flogoſi internarum partium: Ergo non debet ſelectiuo pharmaco purgari.

§. II.

Mercati opinio admittitur.

REſoluendum primò: Quòd ſumpta indicatione ab humore firmato in cerebro, in nullo tempore conuenit purgatio in phrenitide. Sic deducitur ex ſapientiſſimo noſtro Mercato *lib. 1. de internorum morborum curatione, cap. 13.*

Probatur primò: ex Hippocrate *libro citato de medicament. purgant. §. Febricitanti caput ne purgato, ne* A *furioſus fiat.* Vbi ratione intemperiei, & humoris capur intemperantis renuit purgationem, quod 1. *prorrhet.* confirmat, docens pernicioſum eſſe deliros purgare, ſcilicet materiam delirium iam cauſantem, quod idem de purgatione materiæ cauſante reliquos affectus, quos enumerat, intelligendum.

Probatur ſecundò: Vi medicamenti purgantis firmatus humor in cerebro, non cedit, imò commotus, qui ſanguini erat commixtus in ipſum fertur: & ſi medicamentum ad cerebrum perueniat, calefacit, & nouam tractionis, & delirij cauſam ſuperaddit: Ergo non debet offerri pro tractione humoris in phrenitide contenti.

Probatur tertiò: Ex Hippocrate 4. *Aphor. 10.* turgens materia ſtatim eadem die purgari debet, vt do- B cet Galenus, ne decumbat in partem principem: Ergò quia poſtquam iam decumbit, inutilis eſt purgatio.

§. III.

Vlterius deciditur reſolutio.

REſoluendum ſecundò: Quòd ſi cauſa antecedens phrenitidis eſt ſanguis, aut bilis ſanguini commixta, conuenit ſanguinis miſſio: ſi autem ſit bilis à ſanguinis cooſortio ſeparata conuenit in principio purgatio: Sic inter Arabes Rhaſis, Auiceona, & Gentilis; Meſues *cap. de phrenitide*, Alſarabius *in praxi*, quibus maiori ex parte adhærent Mercatus *lib. de interno-* C *rum morborum curat. cap. 11.* Sancta-Cruz *libr. 3. de impedimentis magnorum auxil. cap. 44.* Mercurialis *lib. 1. praxeos cap. 15.* Lazarus Riuerius *tomo 1. cap de phrenitide*, Heurnius *cap. de phrenitide*, Vidiuidius, *in ſua praxi.* Zacutus *lib. 1. praxis hiſtor. cap. 4.* & alij.

Probatur primò: ex Auicenna *lib. 3. fen. 1. tract. 3.* vbi agens de diuerſitate phrenitidis ratione cauſæ, inquit: *Eius verò, quod diuerſificatur, aliud eſt cholericum, aliud ſanguineum: cholericum enim indiget ſua cura eductione cholera, cum ſolutione plurima, & phlebotomia minore, &c.* Sed ſumpta indicatione ab eodem humore eodem modo ſe habente, non poſſunt ſimul indicari ſanguinis miſſio, & purgatio: Ergo ex doctrina Auicennæ in D phrenitide à bile orta conuenit ſanguinis miſſio, dum bilis ſanguini eſt commixta, & conuenit purgatio, dum bilis à ſanguinis commixtione ſeparatur in ipſo principio.

Confirmatur ex Gentile, qui in commento, poſtquam conſtituit duas ſpecies phrenitidis; alteram bilioſam à bile flaua maximè diſtante à ſanguinis natura, alteram ſanguineam, inquit: *Illud, quod facit phreneſim magis prauam, non competit: Sed phlebotomia facit quandam phreneſim magis prauam, vt quando materia eſt à ſanguine ſeparata: Ergo in quadam phreneſi non competit phlebotomia, & iſtud conſiderantes authores in phreneſi cholerica, non preceperunt phlebotomiam, &c.* Ergo ex Gentile in phrenitide à ſanguine orta conueoit ſan- E guinis miſſio, in ea verò, quæ fit ſeparata à commixtione ſangoinis, ſola purgatio conuenit.

Probatur ſecundò: Sanguinis miſſio, & purgatio in illis morbis, & in eo morbi tempore debent exerceri, in quibus indicantur: Sed in phrenitide pendẽte à ſanguine, aut bile ſanguini commixta, quæ facit virium ſanguinis, ad auerſionem cauſæ antecedentis indicatur purgatio ſtatim in principio, & à phrenitide, cuius cauſa antecedens eſt bilis ſeparata à ſanguine, quæ cacochymiæ rationem induit, indicatur purgatio: Ergo ſtatim in principio debent exerceri.

Probatur tertiò: In turgente humore, qui cacochymus eſt, ne decumbat in partem principem, ſtatim in principio debet exerceri purgatio ſelectiua ex Hippocrate 1. *Aphor. 22.* & 4. *Aphor. 10.* Sed bilis à ſanguinis

ſanguinis commixtione ſeparata, quæ eſt cauſa antecedens phrenitidis, eſt humor cacochymus, & imminet periculum, vt citò decumbat in partem principem: Ergo ſtatim in principio eſt purgandus, ſicut & ſanguineus eadem ratione phlebotomandus.

Dices: Quòd bilis nuda à ſanguinis conſortio erit turgens, & ratione turgentiæ, non verò quia eſt cauſa antecedens phrenitidis, petit purgari.

Reſpondetur: Quòd ſi turgeret, non tenderet determinatè ad cerebrum, ſed indifferenter ad quaſlibet corporis partes, & quod bilis, vt ſit cacochyma ſufficit ſeparari à ſanguinis commixtione, vt turgeat, requiritur vlterius, quod nimis ardens ſit, acrimoniam, & mordacitatem habeat adiunctas; & ideò etiamſi non turgeat, purganda in principio.

Probatur quartò: In phrenitide indicata eſt attemperatio cauſæ antecedentis, & coniunctæ: Sed euacuato humore cacochymo per ſelectiuam purgationem in principio, aut ſanguine vitioſo per phlebotomiam, corpus attemperatur: Ergo ſtatim in principio debet exerceri.

§. III.

Diluuntur dubitandi rationes.

AD primum reſpondetur: Quòd Hippocrates docet quòd non eſt tentanda purgatio eius humoris, qui in delitiis firmatur in capite, non verò eius, qui eſt cauſa antecedens delirij: quod manifeſtius docuit *lib. de purgantibus medicam.* non enim dicit, quòd non purgetur phreniticus, ſed *febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat.*

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd ex eadem doctrina patet, quòd humores, qui intra venas ſunt cauſa morbi, poſſunt eſſe cacochymi, & ſeparati à ſanguinis commixtione: & tunc ſiue ſit febris pendens ab illis, ſiue non, ſunt purgandi; vel poſſunt reperiri ſanguini commixti, licèt ſint putridi, & cauſantes febrem, & hi humores, niſi, noua acquiſita acrimonia, turgeant, ſeparentur, & fiant cacochymi; aut peracta coctione, quòd inutile ſeparetur ab vtili, & induat cacochymiæ rationem non purgantur: & hoc idem intendimus in reſolutione reſpectu cauſæ antecedentis phrenitidis.

Ad tertium reſpondetur: Quòd probat, quòd bilis commiſta ſanguini non debet pharmaco commoueri, ne ſeparata ab illo faciliùs ruat in partem affectam; at verò quæ iam ſupernatat, cacochyma eſt, & à ſanguine non coërcetur, vt irritans naturam faciliùs fertur à ſe, quàm ab ipſo medicamento purgante, à quo potiùs attrahitur, & reuellitur; & ideò non aſſentior Mercato, Mercuriali, & Zacuto, qui lenibus tantum medicamentis vtuntur, à quibus, ſi moueretur humor, & non euacuaretur, faciliùs rueret in caput. Aſſentior enim Auicennæ, qui iuxta naturam ægri debile, aut validum præſcribit medicamentum, dicens: *Et ſit quod ſoluendo educit choleram, ex pruni ex lubricantibus ſubtilibus prædictis expurgantibus ſanguinea, & tale inest, vt ponas in eis fumum terræ, ſi ſciueris, quod natura obediens ſit ſecundum diſpoſitionem, & quandoque ponunt in eis ſcamoneam, cum conſilium de obedientia naturæ ſecundùm conſuetudinem eius, &c.*

Ad quartum reſpondetur: Quòd nulla interna inflammatio petit pharmacum ſolutiuum euacuans ab illa, benè tamen illud, quod trahat cauſam antecedentem: quæ tamen ſi tecum, vel alia pars interna eſſet inflammata, non deberet exerceri, vt *reſolut. 12. ſection. 3.* diximus.

RESOLVTIO II.

Verùm in principio lethargi ſit celebranda purgatio?

§. I.

Maſſaria, Heurnius, Fontanus, & alij negatiuæ parti adhærent.

PVrgationem in lethargo, non eſſe celebrandam, donec materia ſit concocta, contendit Maſſaria in ſua praxi *cap. de lethargo*, Heurnius *de morbis cap. 11.* Fontanus *lib. de medic. practica. cap. 27.* & noſter doctiſſimus Cyprianus de Maroja *in ſua praxi cap. de lethargo.*

Primò ſuaderi poteſt: In reliquis febribus ortis ex humorum putredine non conuenit purgatio ſelectiua in principio, niſi detur vrgentia, aut turgeat materia: Sed in lethargo, nec turget materia, cùm ſit frigida, & craſſa; nec datur vrgentia, cùm ſanguinis miſſione, ex Galeno *lib. 13. methodi cap. 21.* petat curari: Ergo donec materia ſit concocta, non debet celebrari purgatio.

Secundò: Purgantia medicamenta, cùm ſint à prædominio calida, & humorem frigidum, & humidum deberent ante purgationem alterare, & commouere, nec à ſe habent quo illum attenuent, liquent, & flexibiliorem reddant, vt faciliùs ruat in cerebrum: Ergo donec materia ſit concocta, non eſt purganda.

Tertiò: Humor cauſans lethargum, poteſt reſolutiois medicamentis ab ipſo capite euacuari, vt conſtat authoritate eorum, quos citauimus: Ergo ſine medicamento purgante poteſt ſecuriori via curari.

§. II.

Pereda opinio admittitur.

REſoluendum primò: Quòd ſumpta indicatione à materia contenta in capite, non debet exhiberi purgans medicamentum in principio, nec in fine lethargi. Sic tenet Pereda *in ſcholio cap. de lethargo.*

Probatur primò: Humor contentus in capite non poteſt refluere attractus à medicamento purgante, ſicut nec humor in quocunque alio tumore incluſus. Ergo ſumpta indicatione ab humore contento in cerebro cauſante lethargum, nec in principio, nec in fine celebranda eſt purgatio.

Probatur ſecundò: Lethargus eſt tumoroſus affectus à pituita in cerebro contenta, & putrefacta ortus: Sed quilibet tumor repellentibus in principio, mixtis cum reſoluentibus in augmento, & ſtatu, & ſolis reſoluentibus in declinatione petit curari, ſumpta indicatione à cauſa coniuncta: Ergo purgatio, ſumpta indicatione ab humore in cerebro contento, non eſt celebranda, nec in principio, nec in declinatione.

§. III.

Proponitur tenendum.

REſoluendum ſecundò: Quòd ſumpta indicatione à cauſa antecedente, ſi pituita ſanguini eſt commixta, exercenda eſt ſanguinis miſſio; ſi ſanguini non eſt commixta, in principio exercenda eſt ſelectiua purgatio. Sic tenet Mercatus *lib. 1. de internor. morb. curatione, c. 12.* Fuchſius *lib. 1. de criſibus c. 9.*

Probatur: Vtraque huius opinionis pars ex Aretæo *lib. 1. cap. 2. §. Quod ad veſtrinoſorum euacuationem*

nem attinet, hæc nouiſſe oportet, ſi alteri morbo, vtpotè phrenitidi ſuccedat veternus, ventrem ne ſoluito, non ſolum ſtercoris educendi cauſa, ſed etiam, vt aliquid à ſuperioribus partibus reuellatur, & à capite deriuetur. & paulò infra: *Quod ſi non per ſucceſſionem, ſed ſuopte ingenio veternus incipiat, & æger plenus eſſe videatur; ſi ſanguinis plenus, vena in cubiti curuatura ſecanda eſt; ſi pituita aquoſa, aut aliorum ſuccorum, purgare opus eſt illicò, &c.*

Probatur ſecundò: Quòd purgatio ante coctionem ſit celebranda, ſumpta indicatione à cauſa antecedente: Tum ex Tralliano *lib. 1. cap. 12. §. Quod ſi æger recrementis plenus fuerit, etiam cum aliquo ad ventrem ſubducendum efficaci præſertim ſcamonea*: Tum ex Ægineta *lib. 3. c. 9. §. In diurnis, ac tremulis etiam caſtoreum dandum, ſi copia humorum ſit: & nihil impediat ſcamoneam, &c.* Tum ex Auicenna *lib. 3. fen. 1. tractat. 3. c. 9. §. Quod ſi tibi neceſſarium fuerit propter ægritudinis longitudinem, vt potes ipſum ſoluere, & propriè, quando cum ipſo apparet tremor.* Tum ex Ali, *5. practicæ, cap. 14.* vbi eadem refert verba: Tum ex Meſuë *lib. 2. de ægritudinibus, c. 22.* vbi proponens curatiuas intentiones, ait: *Prima eſt occupare ſubſtractionem materiei cum clyſteribus fortibus, & acutis, & cum vomitu, & interdum cum ventris ſolutione.*

Probatur tertiò eadem pars: In reliquis affectibus capitis pendentibus à pituita à ſanguinis commixtione ſeparata, in principio, non expectata coctione, celebratur purgatio ſelectiua, ſumpta indicatione à cauſa antecedente valente irruere in caput: Ergo ſimili modo in lethargo, ſumpta indicatione à cauſa antecedente, debet in principio celebrari purgatio. Patet antecedens, in epilepſia, apoplexia, dolore capitis à frigida cauſa orto, vertigine, incubo, hemicrania, & aliis.

Probatur quartò fundamentali ratione: Sanguinis miſſio, & purgatio in illo tempore debent exercari, in quo abſit præſentia impedire valentium, & præſens ſit illorum indicans: Sed morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, indicat ſanguinis miſſionem, & pendens ex humorum cacochymia indicat purgationem: Ergo ſi in principio lethargus pendet ex ſanguinis vitio ob commixtionem pituitæ, indicabit ſanguinis miſſionem: ſi ex illo à commixtione ſeparato, & cacochymo, indicabit in principio purgationem.

§. IV.

Argumenta diluuntur.

AD primum reſpondetur: Quod cauſa coniuncta in lethargo indicat repellentibus, & reſoluentibus curari; cauſa autem antecedens poteſt eſſe ſine putredine, & cum illa, & vtroque modo poteſt eſſe ſanguini commixta, aut impermixta cum illo; ſi ſit ſanguini commixta, facit vitium ſanguinis, & indicat reuelli per ſanguinis miſſionem; ſi ſit impermixta, eſt cacochymia, ſicut ſi eſſet turgens, & indicat reuelli per purgationem, quæ eſt euacuatio, quæ debetur humori cacochymo, & ſeparato à ſanguinis commixtione.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd idem inconueniens eſſet pro purgatione in reliquis affectibus frigidis, quos omnes purgari debere in principio fatentur: maior enim vtilitas ſequitur ex humoris, qui cauſa antecedens eſt eorum, euacuatione quàm damni ex humorum motione, qui vt moti trahuntur, & euacuantur, & in hunc finem authores ſcamoneam, fortiaque medicamenta conſulunt exhibenda.

Ad tertium reſpondetur: Quòd præſcribunt medicamenta reſoluentia pro euacuando humore, qui eſt cauſa coniuncta: non vero pro eo, qui eſt cauſa antecedens, à quo diximus indicari purgationem.

Resolvtio III.

Verùm in morbo ſuffocante celebrari poſſit in prinipio ſelectiua purgatio?

§. I.

Communis doctrina proponitur.

QVò me vertam neſcio, qualibet ex parte difficilem reddit reſolutionem dira morbi ſæuities: infelix moris euentus nullum non infamat remedium. Lenitiuam purgationem renuo, agitat, commouet; quam non euacuat materiam; neque in præcipiti celeritate fas eſt à magnis non inchoare remediis, quæ immediatè attingant cauſæ reuulſionem. Sanguinis miſſio purgationi præfertur, ſed an liceat hunc præuertere ordinem, exercet ingenia. Non niſi poſt aliquas euacuationes ſanguinis poſſe purgationem celebrari in principio totis viribus defendunt Mercatus *conſult. 24.* Villareal *lib. 2. de morbo ſuffocante, c. 2.* Herrera *lib. de vlceribus anginoſis c. 9.* Nuñez *lib. de gutturis, & faucium, vlceribus, cap de curat.* Ioannes Alphonſus *lib. de morbo ſuffocante, diſp. 8.* pro quibus ſtat.

Primò Galenus *lib. 1. ad Glauconem, c. 11. lib. de curando ratione per ſanguinis miſſionem, lib. 5. Method.* aliiſque in locis quibus in melancholica cacochymia ſanguinem mittit: Ergo etiamſi reperiatur in morbo ſuffocante, reuulſionis gratia in principio debet exerceri ſanguinis miſſio.

Secundò: Per ſanguinis miſſionem, non ſolum fit celeriùs reuulſio humoris ruentis ad fauces, & refrigeratio humoris putreſcentis: Sed ſimul euacuatur pars materiæ cacochymæ, quæ cauſa antecedens morbi ſuffocantis eſt: Ergo relicta purgatione, incipiendum eſt à ſanguinis miſſione.

Tertiò: Cauſa antecedens euacuanda in principio incipit putrefieri in venis: Sed in principio putredinis, humorum qui continentur in venis ex Hipp. *1. Aphor. 22.* non eſt exercenda purgatio ſelectiua: Ergo à ſanguinis miſſione incipienda eſt curatio.

Quartò: Materia committens morbum ſuffocantem: vel eſt craſſa, lenta, mucilaginoſa, quæ nullis valet moueri pharmacis; vel peſtilens, & maligna, quæ agitata reliquos humores conſpurcat, & parti affectæ ſe inſinuat; vel nimis calida, & adurens, quæ calido medicamento alterata intenſiùs feruet: Ergo nullo ſelectiuo pharmaco petit euacuari, nec agitari.

§. II.

Decernitur quid in nuda cacochymia agendum?

REſoluendum: Quòd in nuda cacochymia humorum ſuffocantis morbi curatio incipienda eſt à purgatione ſelectiua in primo morbi inſultu, quantum eſt ex parte indicantis.

Nudam voco cacochymiam, in qua humor morbum committens, nec eſt ſanguini commixtus, à quo indicaretur ſanguinis miſſio; nec ſimul coincidẽs cum ſanguinis vitio in quantitate, qualitate, aut motu, à quo præualeret ſanguinis mittendi indicatio, ne ſimul cum cacochymo humore rueret ſanguis in partem principem, ſed eſt humor intra venas ſupernatans, cum ſanguine moderato repertus, ruens tamen in fauces; in

quo caſu illicò, ſine ſanguinis miſſione purgationem exerceri decernimus quantum eſt ex parte indicantis: nam ſi impediretur medicamẽti deglutitio, ſi ægri peculiaris auerſio, vomitus, timor, aut imminentis vitæ periculum, quia poſſet inflammari, adhuc indicata, non eſſet celebranda.

Probatur Primò: Tum ex Hippocrate *lib. de locis in homine*, qui in curatione anginæ ait: *Sic affectus à venis, quæ in brachiis ſunt, ſanguinem detrahens, & ſimul aluum infernè ſubducens, quò id quod morbum exhibet, detrahatur, &c.* Vbi vtroque remedio vtitur in principio iuxta diuerſas indicationes, quæ poſſunt præualere. Tum ex Meſuë, qui *in canonibus*, in anginæ curatione ab exiſtente cacochymia curationem incipiendam præcipit. Tum ex Galeno qui *lib. 14. method.* in tumefacta lingua eodem die purgat, & *lib. 13. method. c. 11.* in inflammatione oculorum illicò purgauit: Ergo purgatio ſtatim debet exerceri, in quocumque morbo pendente à cacochymo humore ruente in fauces, aut partes illi vicinas.

Probatur ſecundò: Eo tempore debet exerceri purgatio, quo manet indicata ab humorum cacochymia ex Galen. *1. Aph. comm. 2. lib. 13. method. cap. 5. lib. quos purgare licet. c. 2.* Sed in morbo ſuffocante pendente ex nuda humorum cacochymia ſtatim in ipſo morbi principio eſt ſola purgatio ſelectiua indicata: Ergo illa debet ſtatim celebrari.

Probatur tertiò: Si aliquid obſtaret in morbo ſuffocante ruentis humoris purgationi, in primo morbi inſultu, maximè Hipp. doctrina *1. Aphor. 22.* Sed hæc non impedit: Tum quia omnes authores pro contraria citati in principio poſt aliquas ſanguinis miſſiones admittunt purgationem. Tum quia humor, cum cacochymus ſit, & à ſanguinis commixtione ſeparatus, indicat purgationem, vt ipſe docet ponens exemplum in turgenti humore. Tum quia humor ille cacochymus inutilis eſt nutritioni, & in quo non expectanda coctio, ſicut nec in aliis humoribus incoctibilibus: Ergo in ipſo morbi initio ante ſanguinis miſſionem petit purgari.

§. III.

Communioris ſententiæ diluuntur fundamenta.

AD primum reſpondetur: Quòd Galenus non conſulit ſanguinis miſſionem in cacochymia humoris melancholici dũ ſupernatat ſeparatus à ſanguinis commixtione, ſed in ſanguinis vitio orto ex humore melancholico ſanguini commixto, & ratione cuius ſanguis contrahit vitium in qualitate.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd ſi ſimul coincidant plethora, aut vitium ſanguinis cum cacochymia, exercenda eſt ſanguinis miſſio, quia hæc indicata eſt, & dum exercetur, aliquid etiam cacochymi humoris euacuatur, & impeditur, ne ſanguis fluat cum illo in partem affectam: at verò dum nuda eſt cacochymia, vnica eſt purgandi indicatio, & tunc non eſt locus ſanguinis miſſioni: nullum enim remedium præcipuè ita generoſum, quale eſt ſanguinis miſſio de cura regulari, & iuxta dogmaticam medicinam debet ad libitum exerceri; ſed quia indicatum manet.

Ad tertium reſpondetur: Quòd humor qui eſt cauſa antecedens morbi ſuffocantis, aliquando in venis non putreſcit, ſed tantum in parte affecta; aliquando putreſcit, vt commixtus ſanguini, & tunc indicat ſanguinis miſſionem; aliàs putreſcit intra venas tanquam cacochymus, ſicut & humor turgens & venenoſus nudè cacochymus, ex quo ſolet cauſari morbus ſuffocans, & hic petit purgari, quia iam ſupernatans, & ſeparatus à ſanguinis commixtione, & naturam habet adminiculantem ad ſui expulſionem.

Vel ſecundò reſpondetur: Quòd Hippocrates loquitur de humore, qui putreſcit quietus intra venas, non de eo, qui eſt in motu ad partem principem, vel præſtantem vſum, vt Galenus docuit *lib. 1. Aphor. comm. 22.*

Ad quartum reſpondetur: Quòd humor craſſus parti affixus ineptus eſt purgationi, donec ſcindatur, non tamen humor craſſus, qui iam eſt in motu, qualis eſt ille, qui eſt cauſa antecedens morbi ſuffocantis: Et quòd materia venenata, quæ impotens eſt concoqui, ſtatim petit purgari, à pharmaco enim non mouetur, vt immiſceatur, ſed vt trahatur, & expellatur: Et quòd humor febrilis, & putridus, non vt calidus, indicat purgationem, ſed ratione cauſæ, cuius expulſio intenditur, & per cuius expulſionem corpus per accidens refrigeratur.

Resolvtio IV.

Vtrùm in principio pleuritidis ſit vtilis purgatio?

§. I.

Inconſtantia Antiquorum, & Iuniorum notatur.

IN antecedenti reſolutione vulgaris cenſura, ab euentu deſumpta, à recta methodo animum auertebat; in hac verò fluctuantem reddit inconſtantia procerum Medicinæ profeſſorum. Summus Dictator *lib. 1. de ratione victus in morbis acut. ſect. 2.* ſanciuit, quod in pleuritide ſupra ſeptum conuenit ſanguinis miſſio, in deſcendente purgatio, *lib. 5. epidem. n. 1.* purgationem non inculpatam in Oeniade pleuritico enarrat: Galenus *in com. lib. de ratione victus in lib. epidem. in lib. de humoribus*, Magiſtrum explicare, & defendere oſtentat. Sed ab eius aſſenſu palam recedit; Auicenna nec omninò deuiat, nec aſſentitur; Alexander, Aëtius, & Paulus ſimulant imitari Magiſtrum; Soranus recedit intrepidè: ex recentioribus Valles, Mercurialis, Augenius, Heurnius, Duretus, Maſſarias, Vidiuidius, Mercatus, Maroja, & alij palam renuunt purgationis conſilium in principio. Zacutus vindicem Hippocratis ſe oſtentat, nec adimplet intentum: purgationem in pleuritide poſt celebratas ſanguinis miſſiones admittit. Sed quid hoc cum Hippocratis doctrina habet, qui ſicut, in aſcendente in principio ſanguinis miſſionem, ſimiliter & purgationem in deſcendente admittit; nec illam poſt tempus, in quo poſſit peragi coctio, negarunt Proceres.

§. II.

Purgationem renuit.

REſoluendum primò: Quòd in vera pleuritide, nec in deſcendente, nec in aſcendente pleuritico dolore, ſumpta indicatione à materia coniuncta, debet exerceri purgatio.

Primò ſanciuit Hippocrates *lib. 4. acutorum, text. 22.* inquit enim: *Quicumque autem ea quæ inflammantur ſtatim morborum inter initia, medicamento ſoluere conantur, y non ſolum ab intenſa inflammataque parte nihil adimunt, cùm non cedat, obſequatur que, quæ adhuc cruda eſt affectio, &c.*

Secundò probatur ex Galeno qui *in comm.* noſtram opinionem his confirmauit verbis: *Quando enim vitioſi aliqui humores in partem aliquam confluunt, & in ea aceruantur, rectè ad ſanguinis miſſionem proprius deueniendum eſt: quapropter vbi non ſolum acutus morbus fuerit, eiuſmodi eſt pleuritis; verum & cum cum febre vehementiſſima, multo magis vitanda eſt purgantis medicamenti adminiſtratio, atque per*

ſectionem

ſectionem venæ vacuandum magis, etiamſi ad hypochondrium dolor finiatur, &c. Ergo in quocomqoe lateriali dolore, ſumpta indicatione à cauſa coniuncta, non debet exerceri purgatio, etiamſi ad hypochoodrium dolor finiatur.

Tertiò: In principio cuiuſlibet inflammationis, illi humores ſunt euacuandi reuulſiua purgatione, aut ſanguinis miſſione, qoi ſunt in motu ad partem, non vero illi qui ſunt firmati in illa: Ergo ſumpta indicatione ab humore firmato in parte, in pleuritico dolore, non eſt purgandum. Probatur antecedens ex Gal. *lib. 1. Aphoriſm. comm.* 11. ait enim: *Tales igitur humores vacuare conuenit, hoc eſt qui ſunt in motu, latione, & fluxu; eos verò qui iam ſunt in aliqua corporis parte firmati, neque vllo alio auxilio mouere oportet, nec medicari ante coctionem, &c.*

§. III.

Sumpta indicatione à cauſa coniuncta quid agendum proponitur.

RESoluendum ſecundò: Quòd ſumpta indicatione à cauſa antecedente in vera pleoritide, ſiue infra ſiue ſupra ſeptum tranſuerſum infeſtet dolor, etiamſi præcipuè foueatur ab humorum vitio, debet exerceri ſanguinis miſſio. Sic tenet Valles *in comm ad lib. de rat. victus*, Mercurialis, Maſſatias, Mercatoa, Heurnius, Vidividius, Maroja, & cuncti ferè practici, *c. de pleuritide.*

Probatur primò: Indicans ſaoguinis miſſionis, vt alibi demonſtrauimus contra vulgarem opinionem, eſt morbos magnoa pendens ex vitio ſanguinis io quantitate, qualitate, aut motu, & patet ex Gal. *lib. 9. method. c.* 13. Sed omnis vera pleuritis eſt morbus magnus pendens ex vitio ſangoinis in qoantitate, qnalitate, aut motu: Ergo ſemper petit exerceri ſanguinis miſſio. Probatur minor, pleuritis vera, vel fooritur ex plenitudine, & tunc dependet ex vitio ſanguinis in quantitate: vel ex alio humore ſanguini commixto, & tunc dependet ex vitio ſanguinis in qualitate: vel depeodet ex humore ſupernatante, & tunc ratione doloris ſimul cum illo attrahitur ſanguis: & dependet ex ſanguinis vitio in motu: Ergo omnis vera pleuritis dependet ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu.

Dices: Tùm quòd omnis humor ſupernatans eſt cacochymus, & indicat purgationem: Tum quòd in phrenitide, & lethargo, ſumpta indicatione à cauſa antecedente, ſi humor eſt cacochymus, purgamus: Ergo ſimiliter in pleuritide.

Reſpondetur, Quòd in lethargo, & phrenitide ſola adeſt iodicatio humoris cacochymi, quæ ideò purgatione exequitur; in pleuritide verò vera etiamſi incipiat ab humore cacochymo, ratione doloris ſtatim ſangois ſimul cum illo fluit, & fit cauſa antecedens doloris; & ideò ab eius vitio in motu indicatur ſangoinis miſſio, quæ præualet, quia non impeditur ab interna inflammatione, ſicut purgatio, & pro eius executione indicatio, quæ vlterius pro mittendo, ſanguine ſumitur ex dolore vehementiſſimo, qui plerumque reperitur in omni vera pleoritide, ſubſternitur.

Probatur ſecundò: Licèt modos vtendi remediis varietur, ſumpta indicatione à parte affecta, remedia magna non indicantor ab illa, vt probauimos *ſect.* 3. Sed à morbo, vt pendente ex ſangoinis vitio, aut cacochymia: Sed ex Hippocrate *lib. de ration. vict.* in pleuritico dolore aſcendente ratione caoſæ ſemper in principio conuenit ſanguinis miſſio: Ergo in vera pleuritide deſcendente, quæ ab eadem cauſa dependet, debet ſanguinis miſſio conuenire.

A §. IV.

Agitur de indicatione à regione.

RESoluendum tertiò, Quòd in pleuritico dolore, vt abſtrahit à notha, & vera pleuritide, ſumpta indicatione à regione, in qua continetur cauſa antecedens: in dolore ſupra ſeptum ſe extendente ad clauiculam in principio conuenit ſanguinis miſſio, in deſcendente infrà ſeptum, purgatio. Sic ſanciuit Hippocrates *lib. de ratione victus in morbis acutis, ſect.* 2.

Probatur primò ex eius doctrina: Loco enim citato pro pleuritico dolore, prout abſtrahit à vera, & notha pleuritide, fomentis tentat curationem, tum humidis, tum ſiccis, quibus non ſufficientibus, ſumpta indica-
B tione ab humore ex ſecunda regione fouente dolorem quam inſinuat, quia dolor ab illa ortus peruenit ad clauiculam, ſentitur ex illo grauitas ad brachium, aut circa mammam, aut ſupra ſeptum tranſuerſum ſanguinem mittendum illicò docet. Si verò dolor à flatu oriatur, foueat úrve à materia in prima regione contenta, conſulit ſtatim purgationem peplio, aut veratro factam: Ergo in pleuritide prout abſtrahit, ſumpta indicatione à materia in diuerſis regionibus contenta, ſanguinis miſſio, ſi in ſecunda; purgatio, ſi ſit in prima, indicatur.

Confirmatur ex ſubſequentibus verbis eiuſdem Hippocratis: cùm enim peplium & veratrum con-
C ſuluerit pro dolore deſcendente auferendo, ſuperaddit rationem dicens, *Nigrum veratrum melius, & ad euacuationem commodius, quàm peplium. peplium vero flatus magis erumpere facit. ambo autem hæc dolorem ſedant, ſedant autem & alia multa aluum ſubducentia, &c.* Ergo Hippocrates indicationem ſumit purgandi in dolore pleuritico deſcendente à cauſa, prout in prima regione contenta.

Probatur ſecundò: Caoſa pleuritidis quæ continetur in prima regione, cùm ſit cacochyma, & neceſſariò ſeparata à ſanguinis conſortio, non poteſt indicare ſanguinis miſſionem, nec cum illa poteſt complicari vitium ſanguinis, à quo iodicetur ſanguinis miſſio, & cuius indicatio poſſit præualere: Sed materia in ſecun-
D da regione fouens pleuritidem, vel prouenit ex vitio ſanguinis, vel coincidit cum illo, ita vt poſſit ex vitio ſangoinis indicata curatio præualere: Ergo, ſumpta indicatione à regione, In qua continetur cauſa pleuritidis, ſumitur ratio purgandi io dolore deſcendente; mittendi ſanguinem in dolore aſcendente ad clauiculam.

Probatur tertiò: Ex Avicenna 10. 3. *tract.* 5. *cap.* 2. vbi in dolore aſcendente ad clauiculam ſanguioem mittit, in deſcendente, & ſanguinis miſſionem, & purgationem conſulit: Sed non ab alio principio poteſt deſumi horum remediorum Indicatio, niſi quia tam in aſcendente, qoam io deſcendente, qoæ fouetur à materia in ſecunda regione, ſumatur ad mittendum ſan-
E guinem; in deſcendente, quæ fouetur à materia in prima regione contenta, indicetor purgatio: Ergo ex diuerſitate materiæ fooentis dolorem vt conientæ in prima, aot ſecunda regione, variatur indicatio mittendi ſanguinem, aut purgandi in pleuritide.

Ex his patet rectè Hipocratem *in lib. de ratione victus*, hæc remedia pro pleuritide docuiſſe, & in epidemiis de aſcendente pleuritide rectè purgationem notare; non ita inculpatè Galenum, & reliquos Medicinæ proceres in eius doctrina hæſitate.

A

RESOLVTIO V.

Vtrùm purgatio in prægnantibus celebrãda?

§. I.

Auerroës diſcedit ab Hippocrate.

Hippocrates 4. *Aphor.* 1. à quarto menſe vſque ad ſeptimum, turgente materia; in prægnantibus purgationis vtitur remedio, ſed Auerroës *lib.* 7. *collige.* c. 4. ab Hippocrate diſcedit, & in grauidis nunquam exercendum contendit, pro cuius placito ſtat,

B Primò: Euentus ab Hippocrate notatus 5. *epidem.* vxoris Antimachi ſecundo menſe prægnantis, quæ abſumpto pharmaco eodem die periit: Ergo nullo menſe propinari eſt tutum.

Secundò: Hippocrates *lib. de morbis*, cibos amaros, & ingratos abortus cauſam eſſe fatetur: Sed omnia medicamenta purgantia ſunt amara, inſuauia, ingrata, & pleraque venenoſa ex Ariſtotele 1. *ſect. problemat.* magnam concuſſionem, & agitationem adducentia: Ergo in nullo menſe in prægnantibus eſt illis vtendum.

Tertiò: Cathartica purgatio prouocant vrinam, humores commouent, ad vterum, agitant, & concutiunt fœtum, ligamenta diſſoluunt, vomitum prouocant, dolorem, anxietatem, cruciatus, ac febres adaugent: Ergo

C in prægnantibus non debent offerri.

§. II.

Solutiua in lethali omnino morbo vitanda medicamenta.

Reſoluendum primò: Quòd lethali omnino, aut leui morbo affectis nunquam eſt propinandum pharmacum ſolutiuum; in his, quia maiora incommoda ex pharmaco, quàm ex morbo poſſent ſubſequi: in illis, quia non ſunt infamanda remedia, quæ aliis fuerunt præſidium.

D

§. III.

In morbis periculoſis Riuerij præfertur opinio.

Reſoluendum ſecundò: Quòd in morbis periculoſis in quocumque menſe, etiamſi materia non turgeat, & in quavis redundante cacochymia poteſt celebrari purgatio vi corroborantis pharmaci facta. Sic Riuerius *de morbis mulierum, cap.* 16.

Probatur primò: Ex Hippocrate 5. *Aphor.* 30. *grauidam acuto morbo tentari lethale eſt*. Sed in morbis lethalibus, & periculoſis remedia magna ſunt celebranda, in quocumque menſe ſuperueniant, etiamſi materia non turgeat: Ergo ſi dependent ex

E humore cacochymo indicante purgationem, in quocumque menſe, etiamſi materia non turgeat, celebranda eſt.

Probatur ſecundò. In quouis menſe, materia non turgente, poteſt ſuperuenire prægnanti apoplexia, lethargus, epilepſia, ſyncopes, & alij huiuſmodi morbi orti ex nuda cacochymia, à qua ſola purgatio indicatur: Ergo etiamſi non turgeat materia, exequetur indicata purgatio in quouis menſe.

Probatur tertiò: Ex Hippocrate 4. *Aphor.* 1. *à 4. menſe vſque ad 7. ſi materia turgeat*, ne humor decumbat in partem principem, *celebranda eſt purgatio*. Sed in quovis menſe poteſt decumbere in partem principem, materia non turgente. Ergo ſi humor ſit cacochymus, neceſſariò in quovis menſe, adhuc ſi materia non turgeat, purgandus eſt.

Dices: Quòd Hippocrates à 4. vſque ad 7. tantùm audet purgare.

Reſpondetur: Quòd doctrinale proponit præceptum de prægnantibus purgandis, in quo illud eligit tempus, quod ſecurius, vt in reliquis præmeditetur periculum; & eam proponit purgandam materiam, ex qua poteſt imminere periculum, vt ipſa ſuperueniente, celeri occurſu properemus ad indicatum remedium.

§. IV.

Soluuntur oppoſita rationes.

Ad primam reſpondetur: Quòd periit; vel quia in omnino præcipiti morbo propinatum fuit pharmacum, quod infamatur; vel quia non ex benignioribus noſtri temporis fuit, ſed ex fortioribus, & periculoſis illius ſeculi.

Ad ſecundam reſpondetur: Quòd ſunt aliqua medicamenta fortia, à quibus notata incommoda ſequuntur, vt colocynthis, elleborum, ſcamonea; alia leuiora, ac benigniora, quæ leniter purgant, & ſine his incommodis, vt rhabarbarum, mirabolani, & alia quorum ope fit purgatio, & corroboratio.

Ad tertiam reſpondetur: Quòd ex benignioribus medicamentis, & quæ corroborando purgant, leuiora ſequuntur accidentia, & maius ſequitur ex euacuatione commodum, quam ſequuntur incommoda ex eius agitatione.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm in puerperis purgare liceat?

§. I.

Corteſij opinio adducitur.

Nouam hanc inter recentiores dirimendam ſuſcitauit litem Corteſius, Vallerolæ, & Mercati clypeis munitus, aduerſus concordem omnium opinionem parti negatiuæ adhærentem: pro qua ſtat,

Primò: Tum quod nullus ex Medicinæ principibus conſulat purgationem tempore puerperij: tùm quòd Hippocrates *in lib. epidem.* in puerperis ſolo balneo vti fuit auſus etiam in cacochymiæ redundantia: Ergo quia purgatio in illis non debet celebrari.

Secundò: ex Hippocrate 1. *Aphoriſm.* 21. *Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere*: Sed in puerperio ducere opportet per vterum tanquam per locum magis conferentem: Ergo non debet exerceri purgatio, quæ per minus conferentem locum moueat.

Tertiò: Quò magis naturalis eſt aliqua euacuatio, eò minus debet ab arte in aliam regionem diuerti: Sed inter omnes ſanguinis euacuationes, hæc vna, quæ per vterum fit, naturalis iudicatur à Galeno *lib. de cauſis ſymptomatum*: Ergo non debet purgatione ab arte facta interturbari.

Quartò: Plura reperiuntur in puerperis, à quibus indicata purgatio poteſt impediri, craſſi ſcilicet humores, glutinoſi, & viſcidi, vteri inflammationes, dilacerationes, ſlogoſis, ac ingentiſſimæ febres ortæ ex humoribus in vtero concluſis: Ergo non debet celebrari purgatio in illis.

Quintò. medicamenta purgantia ſunt amara, & moleſta, vomitum mouent, hyſtericas affectiones ob

com

commotos humores cauſant. Ergo non ſunt in puerperis exhibenda.

A ſuperueniente diarrhœa humoris cacochymi, à quo fouebatur morbus magnus, liberentur ab illo: Ergo ſimiliter poterunt liberari, humore cacochymo euacuato per purgationem ab arte.

Confirmatur contra Rodericum de Caſtro, qui purgationem in puerperis non admittit; at verò *cap. de puerperarum alui fluxu*, dicit: *Si alui fluor diarrhœa ſit per quam totum corpus exoneratur; fluxum, non impedies.* Ergo fluentibus lochiis eſt vtilis purgatio, per quam totum corpus exoneratur.

§. II.

De indicatione à cauſa coniuncta deciditur tenendum.

RESoluendum primò: Quòd ſumpta indicatione à materia morbifica in vtero concluſa, nulla debet celebrari purgatio.

Probatur: Tum ex antiquorum doctrina, qui non alia ratione in morbis ex puerperio ortis purgationem non conſulunt, niſi quia à materia in vtero non indicatur: Tum quia, vt ſupra ex Galeno, & Hippocrate probauimus, à materia in parte interna B inflammationem cauſante non ſumitur purgandi indicatio: Tum quia nullus acutus morbus oriri poteſt ex humoribus in vtero puerperæ concluſis, quin febris intenſa oriatur, & hypochondriorum flogoſis, à quibus impediatur purgatio. Ergo hæc numquam vt indicata ab humore in vtero debet celebrari.

§. III.

Affirmatiuus aſſenſus qualiter amplectendus.

RESoluendum ſecundò: Quòd in puerperis poteſt celebrari purgatio per benignum catharticum, ſi ſuperueniat periculoſus morbus, qui pendeat, & foueatur ex humoribus cacochymis ſecundæ regionis, ſi non patitur inducias, nec vterus patiatur. Sic C tenet Valleriola *lib. 5. obſeruat.* 10. Mercatus *lib. de morbis mulierum*, *capit.* 11. Ioannes Baptiſta Cortes *in ſuis miſcellaneis, decad.* 10. *quæſt.* 4.

Probatur primò: Vtero bene ſe habente, lochiis maiori ex parte euacuatis, & parum fluentibus, poteſt ſuperuenire lethargus, epilepſia, catochus, aut alius ſimilis periculoſiſſimus morbus ex humorum cacochymia in venis redundante ortus, & quæ adhuc ab illa fouetur: Sed tunc ob imminens periculum vitæ tentanda eſt euacuatio reuulſoria: Ergo exercenda eſt purgatio, quæ tunc temporis indicatur ab humorum cacochymia morbum fouente.

Dices: Quòd poterit ſuppleri per ſanguinis miſſionem ex talo factam, à qua ſimul coadiuuatur lochiorum euacuatio. D

Contrà ſtat: Tum quòd ſanguinis miſſio non debet ad libitum in arte medica ſubſtitui loco purgationis, vt probauimus, niſi ſimul coincidat vtriuſque indicatio; quo caſu altera impedita, altera poteſt ſubrogari; non tamen in caſu, quo morbus penderet ex nuda cacochymia, à qua ſola indicaretur purgatio: Tùm quòd etiam ſi poſſet, ſanguinis miſſio ſubrogari pro purgatione, cùm ob neceſſariam moram inter phlebotomias, non ita celeriter poſſemus ſuccurrere periculo, deberemus purgatione vti, quæ indicata eſt, & breui temporis ſpatio magnam adimplet cacochymiæ euacuationem, quæ ſine diſpendio magnæ portionis ſanguinis vtilis, non poſſet ſanguinis E miſſione euacuari: Ergo, vrgente indicatione ſumpta à nuda cacochymia, non poteſt ſanguinis miſſio ſubrogari.

Probatur ſecundò: Si turgeat materia, lochiis fluentibus, purgatio deberet celebrari, ne humor turgens rueret in partem principem: Ergo ſi, illa non turgente, cacochymus humor decumbit iam in partem principem, purgatione debet reuelli, & euacuari.

Probatur tertiò: Ars imitatur naturam in eis, quæ rectè operatur: Sed plerumque contingit in morbis periculoſis puerperarum, quòd lochiis fluentibus,

§. IV.

Solutiones præſcribuntur argumentis.

AD primum reſpondetur: Quòd medicinæ Principes, & Hippocrates ſumentes indicationem à morbis pendentibus ex humoribus in vtero contentis in puerperis purgationem non conſulunt.

Ad ſecundum reſpondetur; Quòd morbi in puerperis, vel fiunt ab humore fluente ad vterum, & tunc ſolum intenditur euacuatio per illum, quia quò natura vergit, eò ducere oportet, vel ab humore qui fluit ex venis in partem principem, à quo, quia non vergit, quò deberet, indicatur reuulſio per purgationem.

Ad tertium reſpondetur: Quòd non intendimus purgationem, vt reuellamus naturalem euacuationem per vterum factam; ſed vt reuellamus humorem à ſecunda regione fluentem in partem aliquam principem.

C Ad quartum reſpondetur: Quòd in puerperis, ratione humorum diſpoſitionis, aut eorum in vtero confluentium, cauſarúmve, per quod purgatio impediatur, adhuc ſi tunc ſit indicata purgatio, non debet celebrari; ideò enim dicimus, quod celebretur ſi vterus non patiatur.

Ad quintum reſpondetur: Quòd ex benignioribus medicamentis minus moleſta ſequuntur accidentia, & quæ minorem inferant noxam, quàm quæ poſſit impedire vtilitatem, quæ ſequitur ea euacuatione cacochymi humoris per purgationem.

RESOLVTIO VII.

D

Verùm pro diarrhœa, febri ſuperueniente, ſit ex vſu purgatio?

§. I.

Diſſentiendi occaſio proponitur.

IN re admodum graui, & ancipite; in communiſſimo pro praxi dubio, in periculoſa Medicorum hæſitatione ancipites nos trahit doctrinæ ordo, & anxios reddit antiquorum diſſenſus. Contendunt plures quòd, inſpecto ventris fluxu cum febre compli- E cato, naturæ rem omnem permittamus, ſicque nimis adhærent textuali doctrinæ; & habent pro ſe.

Primò, Galenum *lib. de arte curat. ad Glaucon. cap.* 14. §. *Sed neque ſi fuerit febris cum profluuio ventris, alia eſt opus euacuatione: verum hæc ſola ſufficit, quamuis non ſit pro multitudinis ratione, quicumque enim his plus adimere fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut ventrem tentare monere, in grauiora pericula duxerunt.* Hæc Galenus ſanciuit, à cuius placito diſſentiendi nullam videtur reliquiſſe viam.

Secundò: Auicenna *fen. 4. doct. 5. cap. 3. §. Soluere ventrem ſuprà ventris ſolutionem valde timoroſum*

eſt, *&c.* Satis manifeſtè oſtendit quanti periculi ſit pharmaci exhibitio, manente cum febre ventris fluxu.

Tertiò: Fauet huic opinioni inter principes Medicinæ Cornelius Celſus *lib.4. de re medica. cap.19. §. Sed vna die aluum fluere ſæpè pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat, purgatur enim corpus, & quod intus læſurum erat, vtiliter effunditur.* Ergo fluxus ventris non debet interturbari.

Quartò Ex Galeno *lib 13. meth.cap.11.§. Nec illud ſolum ſatis eſt inueniſſe, &c.* Fluente humore ad aliquam partem, licèt indicata ſit cauſæ antecedentis euacuatio, non debet moueri ad eam partem in quam fluit: Sed in diarrhœa humor mouetur ad ventrem: Ergo non poteſt euacuari per purgationem ad ipſum ventrem mouentem cauſam antecedentem fluxionis.

Pro reſolutione notamus cum Montano *in comment ad lib.1. de arte curat. ad Glauc.* quod triplicitet fluxus ventris coincidere poteſt cum febre: primo modo dum ſimul febris, & fluxus ventris ſuperueniunt: ſecundo, dum primò accidit febris, & poſtea fluxus ventris ſuperuenit: tertio, dum incipit fluxus ventris ſine febre, ipſa tamen poſtea ſubſequitur.

§. II.

Si incipiat cum febre fluxus, quid exequendum?

RESoluendum primò: Dum fluxus ventris & febris ſimul incipiunt, ſi fluxus ſufficiat pro deponenda cauſa, nihil mouendum: ſin minus ſi cauſa antecedens in venis ſit ſanguini impermixta, purgatione; ſi ſit ſanguini commixta, ſanguinis miſſione ſuppleri debet debita euacuatio pro deponenda febris, & fluxus cauſa.

Prima pars ſancitur ab Aëtio *te. 3. ſerm. 1. cap. 25.§. In principio enim aluum à natura ſalubriter euacuare conſueuit, ipſa videlicet natura vndequaque ad ſuperfluum, & incommodum reiiciendum cogente, quemadmodum in febrilibus morbis frequenter fieri videmus, &c.* Ergo adhuc ſuperſtite febre, ſolo fluxu ventris poteſt cauſa morbifica ſalubriter euacuari in principio.

Probatur ſecundò ex Galeno *lib.9. methodi, cap.5.* vbi docens præcipua remedia quibus vtendum in febre continente, ſtatim determinat quid agendum in illa, ſi aliqua ſuperueniat euacuatio, dicens: *Sin ſequutur neceſſarii vacuatio quæpiam; tantum illi de eo, quod ſuperfluum eſt, relinquendum, quantum eſt per eam euacuandum, &c.* Ergo ſi per eam tota cauſa morbifica poteſt euacuari, nihil eſt tentandum.

Dices: Quòd licèt eſſet vtile expectare naturæ actionem, dum ipſa tutò, & securè eſt potens euacuare, quia tamen id non poteſt à Medico cognoſci, in hac hæſitatione melius eſſet aliquid pro naturæ adiuuamine tentare.

Reſpondetur: Quòd ex Hippocrate, & Galeno adhuc in ipſis euacuationibus ſymptomaticis poſſumus à principio cognoſcere, qualis euacuatio eſt ſufficiens, illa ſcilicet quæ vtilis eſt, & fit natura vincente, cuius cognitionem docuit Hippocrates *lib.1. Aphoriſm. 23.* dicens: *Deiectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deiiciantur, qualia conueniunt & ægri facile tolerant.* Et Galenus *in comm.* huius hæſitationis diluit ex toto ambiguitatem, loquitur, enim: *Siue à natura, ſiue à nobis euacuatio fiat, oportet omnino conſtituere quemdam ipſius modum, ſicut enim humorem moleſtantem pro qualitatis ratione oportet vacuare, ita itaque etiam quantitatem euacua-*A *tionis magnitudinis noxæ reſpondere; ſed qualitatis quidem indicia ſuperius diximus, vbi illum Aphoriſmum ... mus, qui incipit, In perturbationibus ventris. Quantitatis vero nullum habemus indicium. Ob hanc igitur cauſam nobis dedit Hippocrates de eadem quantitate iudicandi viam, & facilitate tolerantiæ. Nam ſi bene or ſuperexcedens euacuetur tunc ipſum ſe ipſo ægrum fieri leniorem & melius tolerare eſt neceſſarium: quod ſi aliquod etiam ex his, quæ ſunt ſecundum naturam excernatur diſſoluit ac debilitat ægri vires, & quandam ſentiri afflictionem, &c.* Hæc Galenus: ex quibus qualis, & quanta ſit qualibet euacuatio, quæ debet permitti, indicari poteſt.

Probatur tertiò reſolutio, quoad vtramque partem, ex Galeno *lib.9.method.cap.4.citato*; ſuperaddit enim:
B *Itaque ſi tempore mittendi ſanguinis, menſes moueri contigerit, ſiue etiam hæmorrhois ſit recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu, ipſe ſatisfacere videtur, qui ſolus, quod requiris, vacuet, naturæ rem omnem permittes. ſin minus tantum ipſe detrahes quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod poſtulas, &c.* Sed eadem ratio currit de perficienda per purgationem cacochymi humoris euacuatione, ac per ſanguinis miſſionem euacuatione, vitiati ſanguinis: Ergo ſicut ſanguinis vitiati euacuatio, ſi ſufficiat, permittenda eſt naturæ, ſin minus, ſanguinis miſſione adiuuanda: ſimiliter fluxus ventris humoris cacochymi, ſi ſufficiat naturæ relinquendus eſt, ſin minus purgatione iuuandus, ita vt ex ambobus perficiatur quod poſtulas.

Probatur quartò: Febris putrida ſuperueniens cum fluxu ventris ratione cauſæ materialis, à qua
C dependet, indicat illius cauſæ euacuationem ab arte factam, dum per ipſum fluxum ipſa ſuppleri non poteſt: Ergo humor debet ab arte euacuari per illud remedium, quod indicatur à cauſa: Sed ſi febris pendet ex ſanguinis vitio in quantitate, qualitate, aut motu, indicatur ſanguinis miſſio; ſi dependeat ex nuda cacochymia, indicatur purgatio: Ergo cauſæ euacuatio, dum fluxus ventris non ſufficit pro eius euacuatione, ſi eſt ſanguinis vitium, ſanguinis miſſione, ſi eſt cacochymia, purgatione debet perfici.

§. III.

Fluxu ventris ſuperueniente ſymptomatico,
D ### *aut critico, quid agendum?*

RESoluendum ſecundò: Si febre infeſtante, ſuperueniat fluxus ventris ſymptomaticus, ſicut in præcedente reſolutione reſoluendum: Si criticus, natura vincente omnis actio illi relinquenda.

Prima pars patet. Secunda probatur ex Hippocrate *1. Aphor. 20.* ait enim ſummus Dictator: *Quæ indicantur, & iudicata ſunt integrè, nec mouere, nec nouare, ſed ſinere oportet.* Vbi Hippocrates de indicatione critica præceptum ſanciuit.

§. IV.

E ### *Ventris fluxus cauſæ adaptatur remedium.*

RESoluendum tertiò: Quòd in febre ſuperueniente ventris fluxui, ſi ſuperueniat ex putredine ſubſequuta in humoribus, prout in venis continentur, ſanguinis miſſio, aut purgatio eſt neceſſaria: ſi ex humorum fluentium putredine, aut flogoſi, purgatio eſt celebranda.

Probatur prima pars. Febris ſuperueniens fluxui ventris poteſt oriri ab humore intra venas, vel ex putredine humoris ſanguini commixti, vel ex putredine humoris à ſanguinis commixtione ſeparati: Sed ex vitio ſanguinis, ſeu humoris ſanguini commixti

indicatur

Indicatur ſanguinis miſſio, ex putrido humore à ſanguinis commixtione ſeparato indicatur purgatio: Ergo ſi ex humorum putredine in venis oriatur febris, ſanguinis miſſio, aut purgatio debet celebrari, dum ſuperuenit fluxus ventris.

Probatur ſecunda pars: Febris ſuperueniens ex humoribus in ventre commixtis, aut putrefactis pendet ab humorum cacochymia, cùm dependeat ab humore putrido à ſanguinis conſortio ſeparato: Sed à cacochymia nuda ſola poteſt indicari purgatio: Ergo ſi ab humoris fluentis putredine dependet febris, fluxus ventris ſuperueniens petit purgatione curari.

§. V.

Satisfit pro argumentis.

AD primum reſpondetur primò ex Ab-alto-Mari. & Carreiro: Quod cum Galenus agat de febribus cum accidentibus, ex quibus vires debilitantur, & præcipuè ex fluxu ventris; ideo ſumpta indicatione à virium debilitate quæ communiter accidit, Galenus prohibet purgationem; non verò in caſu quo ſubſiſtant, in quo loquimur in reſolutione.

Reſpondetur ſecundò, cum Santorio *lib. de vitandis erroribus*: Quod Galenus agit de profluuio ventris, qui ſuperuenit cum ventriculi dolore, & maxima oris ventriculi læſione, in quo caſu ſolum ventriculi corroboratione vtendum eſſe conſulit, nec purgandum adhuc ſi diarrhœa ſuperueniat, in qua alias eſſet vtilis purgatio, ne aliqua ſubcreſcat cardialgia ex humore per pharmacum attracto.

Reſpondetur tertiò: Quòd Galenus in caſu quo fluxus ventris ſufficit pro cauſæ euacuatione, non eſſe opus alia euacuatione contendit: quod cognoſci poſſe ex ipſo patet 1. *Aphor. com.* 10. qui etiam ſi in principio non videatur pro multitudinis ratione, at poſtea corroborata natura, & ſuperiori ad cauſam morbificam reddita, adimplet euacuationis neceſſitatem.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd Auicenna non prohibet purgationem, ſed doctrinale ponit præceptũ medicum attentum reddens, & prouidum, vt non purget fortibus medicamentis, quibus vtebantur antiqui; ſed benignioribus roborantibus, & valentibus; non tam euacuare ex toto, quàm naturæ defectum ſupplere; qualiter contingit in rhabarbari exhibitione, à cuius vſu in infuſione in ſubſtantia, aut poſt torrefactionem diuerſa agendi, aut corroborandi immutatur ratio.

Ad tertium reſpondetur: Quòd Cornelius Celſus non agit de ventris fluxu in febribus, ſed de eo qui ſine febre ſuperuenit; de quo licèt plura ex dictis poſſunt intelligi, non tamen eſt noſtri inſtituti.

Ad quartum reſpondetur: Quòd Galenus intendit, quod fluente humore ad partem, cauſa antecedens nõ moueatur ad illam; non verò quòd non moueatur per illam. Aliud eſt enim humorem trahere ad partem, vt retineatur in illa, aliud humorem trahere ad partem vt per illam euacuetur, dùm commodè per aliam non poteſt euacuari, vt facta totius cauſæ antecedentis euacuatione, ceſſet fluxus humoris in illa, qui fouebatur à cauſa antecedente, quæ euacuatur.

RESOLVTIO VIII.

Vtrùm purgatio debeat exerceri in dyſenteria?

§. I.

Syluatici, Vegæ, Maſſariæ, & aliorum proponitur aſſenſus.

PRacticorum agmina mouemus ad aciem, partem negatiuam viriliter defendere contendunt Ioan-

A nes Baptiſta Syluaticus *controuerſ.* 62. Vega *lib.* 2. *de arte curatiua.* c. 3. Alexander Maſſaria *lib.* 3. *practic. cap.* 21. Ramos *in ſua Apologia de minoratiua purgatione*, qui ne ſingulares appareant, antiquos omnes in ſui fauorem auxiliares conantur habere.

Primò eis adhærere videtur Hippocrates *lib.* 4. *epidem. in hiſtoria Leambi*, qui in dyſenteria purgatus obiit. Tum *lib. de affectionibus parte* 24. & 26. Vbi dyſenteriæ curationem per vomitum exequitur, & auerſione, & interceptione humoris fluentis. Tùm *lib. de diæta*, vbi ſolo vomitu dyſentericum curauit: Ergo Hippocrates tenuit purgationem in dyſenteria.

Secundò: Galenus *lib. de arte curatiua ad Glauc.* c. 14.

B in omni fluxu ventris renuit aliam euacuationem. Tum *lib.* 4. *method. cap.* 6. Si vlcus ſit in partibus ventris inferioribus, purgat per ſuperiores; ſi in ſuperioribus, per inferiorem, ne attrahatur humor ad vlcus. Tùm *lib. de introductione, cap.* 13. ex Hippocratis doctrina præſcribit dyſenteriæ curationem illam, quæ ex fluore nata eſt; reprimentibus, & fluorem reſiſtentibus, illam, cuius origo, acris humoris corroſio, dulcorantibus, & quæ mitigare poſſunt, abluendo, ipſa exulcerata curat: Ergo numquam purgatio exercenda in illa.

Tertiò: Inter medicinæ proceres, Arabum Princeps *fen.* 4. 1. *d.* 5. *c.* 3. ſoluere ventrem ſupra veneria. ſolu-

C tionem tanquam timoroſum renuit Aëtius *tetrabili* 3. *ſerm.* 1. *c.* 45. Paulus *lib.* 3. *de re medica, c.* 42. Actuarius *lib.* 4. *ſuæ methodi, c.* 6. Celſus *lib.* 4. *de re medica, cap.* 15. Curationem dyſenteriæ, nulla exhibita purgatione, præſcribunt, Haly-Abbas *lib.* 7. *practicæ. cap.* 21. dum vlcera non ſunt conſolidata, omnino damnat medicamenta purgantia: Ergo quia nullo ex vſu ſunt pro dyſenteria.

Quartò: Moderniores citati rationibus ſe munire contendunt. Tum quia ex Galeno *lib.* 13. *method. c.* 11. Si ſit inflammatio in aliqua parte, ſumpta indicatione ab humore fluente in illam, indicatur fluxionis cohibitio, vel materiæ fluentis reuulſio in partem contrariam, vt apparet in fluxu humoris ad fauces, palatum, linguam, aut os, in quo medicamen-

D ta ad os mouentia vitamus, & ad partes contrarias reuellimus. Tùm quia materia morbifica à medicamento calefacta, commota, & ſeparata à reliquorum humorum conſortio, & in ventrem delata nouam, ac maiorem inducit flogoſim, corroſionem, & exulcerationem. Tùm quia materia in principio cruda, aſpera, acris, & corrodens debet coctione attemperari, mitigari, dulcorari, vt mutato ſubſtantiæ modo, dum euacuetur, benignior ſinè noxa deſcendat. Tùm quia cùm in principio vtile, & inutile ſit commixtum, vtrumque purgatione expelletur, quod renuit Hippocrates 1. *Aphoriſ.* 22. Ergo non debet exhiberi purgatio in dyſenteria.

E §. II.

Quid dicendum ratione indicationis à parte?

REſoluendum primò: Quòd ſumpta indicatione à parte affecta, nec ratione vlceris, nec ratione humoris contenti in inflammatione, nec ratione partis affectæ indicatur purgatio.

Patet reſolutio ex Hippocratis, & Galeni doctrina adducta reſolutionibus antecedentibus, & comprobatur rationibus nuper adductis; cùm enim vlcus, & inflammatio, quæ oriuntur ex corroſiuo humore in inteſtina ruente indicent eius, ablationem, & in diſtantiorem partem contrariam reuulſionem, ſi hæc ſine purgatione poſſet conſequi, ſicut conſequitur

in

in fluxu humoris à ventriculo per vomitum; vel per ſanguinis miſſionem, dum à parua copia humoris qualitate peccantis ſanguini commixti fouetur, ſumpta indicatione à parte affecta: Sed quia plerumque, dum redundat cacochymus humor, nulla alia euacuatio ſufficit ad cauſæ antecedentis ablationem, nec interceptionem, tunc indicatio ab illo ſumpta vincit indicationem ſumptam à parte affecta, & cogit vti pharmaco ſolutiuo, & adſtringente, quo ſimul commorum humorum euacuemus, & partem roborando antecedentem ſiſtamus.

§. III.

Sanguinis miſſio qualiter indicetur?

RESoluendum ſecundò: Quòd ſumpta indicatione à cauſa antecedente intra venas, à qua fouetur morbus, ſi ſit humor qualitate peccans ſanguini commixtus, aut ſi ratione doloris ſanguis cum alio humore attrahatur ad vlcus, indicatur ſanguinis miſſio.

Probatur: Sanguinis miſſio indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, vt alibi demonſtrauimus: Sed in caſu poſito vlcus inteſtinorum eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in qualitate, aut in motu: Ergo debet exerceri ſanguinis miſſio.

Dices cum Maſſaria, quòd non ſolum dum ea ſanguinis vitium, eſt ſanguis mittendus: ſed etiam in nuda cacochymia, cum per ſanguinis miſſionem euacuetur ſimul cum ſanguine quicumque alius humor cacochymus cum illo permanens, & intra venas redundans.

Reſpondetur: Quòd ſi non eſt vitium ſanguinis, non debet exerceri purgatio: Tum quia à Medico rationali non pro libito exercetur remedium, ſed prout indicatum eſt: Tùm quia in dyſenteria orta ex nuda cacochymia, vires debiles eſſe, eſt neceſſe, & quæ ſanguinis miſſione ex toto ruerent: Tum quia cum per ſanguinis miſſionem parua copia humoris cacochymi exeat cum ſanguine, non ablata cauſa, à qua fouetur dyſenteria, aufertur ſanguis, quo vires debebent ſubſiſtere, eſt enim ſedes animæ; & vires, ſine quibus parum poteſt æger perdurare, ipſis dolore, & euacuatione vlteriùs reſolutis; ideò enim Galenus 4. *de ratione victus textu* 116. ait: *Aluo fluente ſanguinem non mitto: nam ſi poſt venæ ſectionem fluor perſeuerauerit, virtus imbecillior redditur.* Quòd non non euenit in purgatione, à qua ſanguis non euacuatur, & ex humore ruente purgatur maior pars, & corroborantur partes ne vlteriorem recipiant.

§. IV.

Purgationis indicatio, vnde deſumatur.

RESoluendum tertiò: Quòd ſumpta indicatione à fluentis humoris cacochymia in ſecunda regione contenta, purgatio vi pharmaci roborantis facta debet exerceri. Viriliter huius veritatis vindex ſtetit Donatus Antonius ab-Alto-Mari *de morbis curandis*, c. 37. Santorius *lib.* 15. *de vitandis erroribus*, c. 12. Horatius Augenius 10. *epiſt.* 3. Leonardus Iachinus *cap. de dyſenteria.* Soria Granatenſis *tom.* 1. *part.* 2. *diſp.* 6. Valles *in lib. epidem.* Trincauellius, & communiter omnes practici præter citatos *in principio reſolutionis.* & ex modernioribus Zacutus *lib. vltim praxis.* n. 6. & nouiſſime peritiſſimus Riuerius *tom.* 1. *lib.* 5. c. 6. non recuſat ſingulis diebus purgare in dyſenteria, vel alternis, tertio, vel quarto die rhabarbaro, aut alio pharmaco corroborante.

A Probatur primò ex vſitato more purgandi in dyſentericis inter antiquos: Hippocrates enim *libr.* 4. *epidem. in hiſtoria Leambi*, inquit: *Leambo inteſtinorum exulceratione laborante in dyſenteria pharmaco curato, &c. libr.* 7. *de morb. popularibus*, filium Eratolai dyſentericum lacte, & ſero purgauit, & in biliosa diarrhœa nouem Atticis cotylis bibitis lactis aſinini vehemente purgatione biduum ſuborta, liberauit ægrum, *& lib.* 4. *de ratione victus*, bilioſam cacochymiam, ex qua in febre ardente timebatur dyſenteria lacte aſinino purgauit, & Alexander Trallianus *lib.* 8. *capite* 9. corpus dyſentericum cacochymo humore refertum pluries purgare conſulit, Cælius Aurelianus *lib.* 4. *Chron. capite* 6. ex Dioclis, & Praxag.

B ſententia purgationem confirmat pro dyſenteria, Dioſcorides *lib.* 3. *de materia medica*, *capite* 1. agaricum pro dyſentericis laudat, Auicenna *lib.* 3. *fen.* 16. *tract.* 1. *cap.* 7. In dyſenteria, & purgationem conſulit, & præſcribit modum vtendi, aptaque medicamenta pro illa. Et poſt hos celeberrimos viros euentus ſecuritate conuicti omnes practici, vno aut altero demptis, vnanimi conſenſu hanc amplectuntur doctrinam: Ergo pro humore cacochymo celebranda eſt purgatio.

Probatur ſecundò: Mordicatio, quæ in dyſenteria cauſatur ab humore corroſiuo fluente ad inteſtina non poteſt curari niſi per purgationem fluentis humoris: Ergo purgatio pro huiuſmodi cacochymo hu-

C more in dyſenteria eſt neceſſaria. Probatur antecedens ex Galeno *lib.* 2. *de ſimplic. medicam. facult.* c. 14. §. *Forte igitur nos roget quiſpiam, an vllum vnquam cacochymorum mordicationem curaueris? Equidem id non rarò factum cognoui; verùm ea duo non temperando, verum id quod mordicabat, educendo, mordicationes ſanaſſe, &c.*

Probatur tertiò: A redundante humore cacochymo indicatur purgatio: Sed humor ruens in inteſtina eſt acris, mordax, illa corrodens, ac cacochymus, cùm ſit ſeparatus à ſanguinis conſortio: Ergo ab illo indicatur purgatio.

Probatur quartò. Per purgationem factam à phar-

D maco ſoluente, & corroborante adimpletur indicatio deſumpta ex parte humoris cacochymi ad inteſtina fluentis: Ergo debet pro dyſenteria exhiberi purgatio. Probatur antecedens, ab humore cacochymo fluente indicatur euacuatio eius, quod fluit, ac retentio eius, quod nondum eſt in motu: Sed à pharmaco ſolutiuo corroborante, quale eſt rhabarbarum præcipuè in moderata quantitate exhibitum, euacuatur fluens humor, corroborantur partes, vt retineatur quod nondum fluit, ac conſtringuntur: Ergo completur omnis indicatio, quæ deſumitur ab humore cacochymo.

Probatur quintò: Non poteſt curari vlcus dependens ex humore cacochymo corroſiuo fluente, quin purgetur humor ille: Sed dyſenteria conſiſtit in vlcere inteſtinorum ex corroſiuo humore facto: Ergo dyſenteria non poteſt curari, niſi per purgationem.

E Probatur maior, non poteſt auferri vlcus quin auferatur cauſa conſeruatiua illius: Sed ille humor eſt cauſa conſeruatiua: Ergo niſi purgetur, non poteſt vlcus curari.

Dices: Quòd poteſt euacuari per aliam regionem per vomitum, aut reuelli ad diſtantiorem partem.

Sed contrà: Humor cacochymus, qui in magna quantitate lauatur in venis, & irritans ad ſui expulſionem, non poteſt detineri, quin immineat periculum, ne decumbat ſurſum delatus in partem aliquam principem, nec eſt alia regio, per quam ex toto poſſit euacuari, cum potius à natura irritata moueatur,

neatur, quàm ab ipſa valente illum ſuo motu gubernare: Ergo neceſſariò ducendus, quò natura vergit.

Probatur ſextò: Si aliquid obſtaret purgationi in dyſenteria, maximè quia licet indicata ſit, impeditur eius exhibitio, quia humor per illam fertur ad partem affectam, à qua debet reuelli, vt antecedentibus reſolutionibus probauimus ex Hippocratis, & Galeni doctrina: Sed hoc non impedit: Ergo indicata purgatio in dyſenteria debet exhiberi. Probatur minor: Tùm quia humor non mouetur ad partem, ſed per partem, id eſt, non mouetur vt retineatur in illa, ſed vt per modum tranſitus moueatur per illam, & ſimul moueatur materia, quæ priùs erat in parte retenta: Tùm quia cùm humor cacochymus, qui eſt cauſa coniuncta, debeat euacuari, & hoc non poſſit exequi per aliam regionem, cùm à parte inferiori à nullo medicamento poſſit ſurſum trahi, deorſum deferri eſt neceſſe: Ergo purgatio indicata non eſt, à quo poſſit cohiberi.

§. V.

Solutio argumentorum proponitur.

AD primum reſpondetur: Quòd Leambus non quia purgatus; ſed quia vehementi pharmaco purgatus periit. Tum quòd, dum cacochymus humor à ventriculo dependet, & in pauca quantitate, ſufficit vomitus, non verò ſi à nuda cacochymia redundante in ſecunda regione.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd Galenus agit de diarrhœa de qua diximus *reſolut. antecedent.* Tùm quòd 4. *Method.* agit de vlcere pendente à materia primæ regionis, non de redundanti in ſecunda. Tùm quòd *lib. introd.* vel agit de dyſenteria prout dependet ex cauſa antecedēti, quæ eſt humor ſanguini commixtus, in qua ratione cauſæ antecedentis curatur per ſanguinis miſſionem reuellendo, & ratione cauſæ coniunctæ mulcebrem partem reddendo: vel agit de leui dyſenteria, quæ, quia à pauca quantitate dependet, ſola reuulſione poteſt retineri.

Ad tertium reſpondetur. Tùm quòd Auicenna debet intelligi, vt dixi *reſolut. antecedenti*, Tùm quòd reliqui citati Authores egerunt potiùs de remediis indicatis à parte affecta, quàm ab antecedenti; de hac enim agentes purgationem admittunt, vt ex probationibus reſolutionis conſtat.

Ad quartum reſpondetur: Quòd ſumpta indicatione à parte affecta, ſolùm indicatur abſterſio, & vnitio vlceris, & potiùs contraindicatur, quòd humor fluat ad illam: ſed quia non poteſt abſtergi, nec vniri, niſi impediatur humoris defluxus ad illam, & hic non poſſit impediri, niſi conſequatur euacuatio per purgationem facta, quæ eſt indicata ab humore cacochymo, qui eſt cauſa antecedens; ideò præualet hæc indicatio, & exercetur, quia indicatur ab humore, qui eſt cauſa, ſine qua non, quæ ordine curationis debet antecedere ad indicationem cauſæ coniunctæ, & ad indicationem effectus: neque eſt eadem ratio in aliis partibus, ac in inteſtinis, vt humor non trahatur ad illas, quia in defluxu ad reliquas partes, ſiue indicetur à vitio ſanguinis; ſanguinis miſſio; ſiue à cacochymia, purgatio; quælibet ex his euacuationibus habet partem diſtantem per quam fiat: at verò dum patiuntur inteſtina, purgatio indicata à cauſa antecedente, neceſſariò debet per illa fieri. Tùm quòd medicamentum purgans præſtat euacuationem cauſæ antecedentis, à qua indicatur. Tùm quòd eſt maior vtilitas, quæ ſequitur ex cauſa antecedentis, quæ eſt cauſa ſine qua non, ablatione, quàm poſſunt ſubſequi incommoda ex illius tranſitu per partem affectam. Tum quòd materia cacochyma, quæ purgatur, eſt incoctilis, à ſanguinis conſortiò ſeparata, & in motu poſita, renuens naturæ elaborationem. Tùm quòd cùm ſit cacochyma, eſt à ſanguinis commixtione ſeparata, & apta trahi à pharmaco, & in motu, quaſi eſſet turgens.

Resolutio IX.

Vtrùm in dyſenteria ſanguinis miſſio ante pugationem debeat præire?

§. I.

Mercati proponitur opinio.

HÆſitatio hæc nullum non premit Medicum, ſed illius enodatio ab vno Soria Granatenſi in incudem diſputationis adducitur *tom. 1. part. 2 diſput. 7.* Mercatus partis affirmatiuæ aſſertor proponitur *tom. 3. lib. 3. cap. 13.* quæ fulcitur; Tùm quia fluentes humores, & inteſtina exulcerantes ſanguinis miſſio reuellit. Tùm quia in angina, eryſipelate ad faucem tendente, pleuritico dolore, hæmoptoïca paſſione, etiamſi ſit in prima regione crudorum humorum cacochymia, ſtatim ſanguinem mittimus: Tùm quia delati humores ad inteſtina non obſtant ſanguinis miſſioni, cum nec ab illa in venas valeant trahi, nec adhuc ſi retraherentur, eſſent in venis ita incommodi, ſicut in inteſtinis ipſa exulcerando: Ergo præire debet ſanguinis miſſio purgationi.

§. II.

Sumitùr indicatio purgationis ab humoribus primæ regionis.

REſoluendum primò: Quòd ſi in prima regione redundet copia humoris cacochymi tractu euacuationis coacervati, & maximè corrodentis, & irritantis ad expulſionem, etiamſi in venis à ſanguinis vitio indicetur ſanguinis miſſio, debet priùs purgatio, quàm ſanguinis miſſio exerceri; non ratione humoris in inflammatione, ſed humoris fluentis, & coacervati in illa valentis corrodere.

Probatur primò: Quia dum præcedit ciborum cruditas in prima regione, Galenus tantopere venæ ſectionem differre iubet, quantum ſufficere videbitur vt excrementa deſcendant: Sed maius incommodum ſequitur ex retentione cacochymi corrodentis humoris, quàm ex humorum cruditate: Ergo venæ ſectio differri debet, donec excrementa deſcendant purgatione.

Probatur ſecundò: Dum duo remedia indicantur, ſi alterum impedit alterius executionem, illud debet priùs exerceri, cuius indicatio magis vrget: Sed magis vrget indicatio purgandi, quàm mittendi ſanguinem: Ergo prius exequenda. Probatur minor, indicatio purgandi ſumitur ab humore actu corrodente, & vlcus cauſante, indicatio ſanguinis mittendi ſumitur à vitio ſanguinis in venis exiſtentis, à quo timetur, quod deſcendens ad inteſtina poſſit illa corrodere: Ergo magis vrget indicatio purgandi.

Probatur tertiò. Debilitatæ vires ex mordente humorum corroſione in ventre, ex dolore, & fluxu humorum, minus aptæ ſunt ferre ſanguinis miſſionem: Ergo purgatione prius debet auferri humor in ventre corrodens, & partes corrobari.

§. III.

§. III.

Sanguinis miſſio quando indicetur.

RESoluendum ſecundò: Quòd ſumpta indicatione à vitio ſanguinis, & cacochymia in venis, à quibus ſanguinis miſſio, & purgatio ſimul indicantur, purgato humore cacochymo primæ regionis, ſanguinis miſſio priùs, quàm purgatio debet fieri.

Probatur primò ex Hippocrate qui 6. *epid. part.* 1. *comm.* 6. ait: *Quòd ſi vtroque auxilio homo indigeat, à venæ ſectione incipiendum eſſe notiſſimum eſt, &c.* Quod in hoc caſu maximè venit admittendum.

Probatur ſecundò: Euacuato cacochymo humore primæ regionis, illa indicatio magis vrget, per quam indicatur illud remedium, cum quo & febris, quæ plerumque accidit cum dyſenteria, curatur, & cauſa, ex qua poteſt foueri fluxus dyſentericus, reuellitur: Sed totum hoc completur ſanguinis miſſione, per quam vitium ſanguinis committens febrem, euacuatur, humor cacochymus partim reuellitur: Ergo cùm hoc purgatione exequi non valeat, ſanguinis miſſio debet illam præire.

Probatur. Dum ex vitio ſanguinis, & reliquorum humorum in venis, ſanguinis miſſio, & purgatio indicantur ſimul, ſi præcedat purgatio à primæ regionis cacochymia indicata, per illam aliquid euacuatur C cacochymæ ſubſtantiæ redundantis in venis: Ergo, illa peracta, reſtat primò ſuccurrendum ſanguinis vitium, à quo ſanguinis miſſio indicatur.

§. IV.

Soluuntur argumenta.

AD primum patet: Quòd non debet intendi reuulſio humorum, qui iam fluxerunt ex venis: Tùm quia non vrget cruditas pro purgatione in angina, & aliis, ſicut in dyſenteria humor inteſtina corrodens. Tùm quod licèt delati humores ad inteſtina non obſtent ſanguinis miſſioni, metu recroceſſus obſtant ob vehementiſſima ſymptomata, & morbos, quos cauſat, quæ petunt celerem cauſæ ablationem. D

SECTIO V.

De purgante facultate in catharticis reperta.

QVæ arte medica exercetur purgatio, purgantis medicamenti ope completur; quæ qualis ſit in ipſo, quàm arduum ſit determinare, ex Antiquorum monumentis patet, & ex Iuniorum controuerſiis confirmatur, qui ingeniorum argutie difficultatem vincere conantes, quam dilucidare contendunt, denſioribus nebularum inuolucris obtexerunt. E

RESOLVTIO I.

Vtrùm catharticorum cognitio ſit Medico neceſſaria, aut vtilis?

§. I.

A Medici ſpeculatione videtur releganda.

VAn Helmone omnia pharmaca, vt venenoſa reiicienda tenet *lib. de febribus*, cui fauet: Venenorum A cognitio, & vſus interdicitur Medicis ex Hippocratis decreto *in iureiurando*, ex Galeno *lib. de cauſis procatarcticis, cap. vltimo*, ex Abenzoat *lib.* 1. *Teyſſir. tract.* 2. *c.* 1. ex Aly 1. *ferm. ſue theorica*. Sed omne catharticum lethalem inducit noxam manifeſtis, aut deleteriis, occultiſque qualitatibus: Ergo à medica ſpeculatione eius ſpeculatio eſt releganda.

Probatur minor ex communi Antiquorum aſſenſu, Galenus *lib.* 1. *de ſanitate tuenda in comm.* 11. *lib.* 2. *de ratione victus, lib.* 4. *ſimplic.* Meſuës *lib.* 1. *tr.* 2. *ſum.* 1. *c.* 8. Auicen. *fen.* 3. 1. *doctr.* 2. *c.* 1. *& fen.* 4. 1. *& in* 11. *lib.* 3. *tr.* 1. *c.* 6. *&* 13. *lib.* 3. *tr.* 1. *c.* 6 *& lib. de viribus cordis, tr.* 1, *c.* 6. *& tract.* 2. *cap.* 2. Aſclepiad. *lib. de ſanit. tuenda* citatus B à Celſo, Rabbi Moyſes *lib. de regimine vitæ, c.* 4. Cornelius Celſus *lib.* 5. *in principio, lib.* 2. *cap.* 12. Ægioeta *lib.* 7. *c.* 4. Rhaſis *lib.* 4. *ad Almanzorem, cap.* 15. Auerr. 5. *collig.*

Secundò: Ex ſenis Magiſtri decreto, turpis calamitas eſt, pharmaco exhibito, ægrum perire: Sed ad cuiuſvis pharmaci exhibitionem mortem ſubſequi eſt contingens, cùm quodlibet ſit deleterium inferatque vim naturæ: Ergo illius vſus, & cognitio non eſt neceſſaria Medico.

Tertiò: Medicamenta ſolutiua inferunt vim naturæ, ſunt nobis inimica, vires debilitant, febres intendunt, humores interturbant, coctiones impediunt, à proprietate nocent, mortemque plerumque inferunt: Ergo nec C cuctio neque eorum vſus poteſt eſſe neceſſaria, aut vtilis Medico.

§. II.

Communis doctrina ſancitur.

RESoluendum affirmatiuè. Sic ſanciuit Hippocrates *lib. de medicam. purgantibus*, Meſues *lib.* 1. *canonum vniuerſ.* Dioſcorides *de materia medica*; & inter antiquos, Aſclepiades, Archigenes, Menocrates, Apollinus, & alij citati à Galeno; hanc Medicinæ partem illuſtrarunt inter Iuniores Mundinus, Honeſtus, Manardus, Syluius, Ranodæus Vuckeirus, & alij quamplu- D rimi.

Probatur primò: Tantorum virorum doctiſſimorum vnanimi conſenſu, ex continua, ac vtiliſſima experientia in pharmacorum exhibitione, qua conuincitur neceſſitas, & vſus purgantium medicamentorum, & ſuæ cognitionis.

Probatur ſecundò: Medicæ ſpeculationis eſt cognitio remediorum, quibus cauſa morbifica debet euacuari: Sed cacochymia, quæ communiſſima eſt morborum materialium cauſa, petit cathartico euacuari: Ergo eius cognitio eſt Medico neceſſaria.

Probatur tertiò: Medico magis neceſſaria, & vtilis eſt cognitio medicamentorum, in quorum debita ap- E plicatione, aut indebita, vitæ, aut mortis conſiſtit euentus: Sed huiuſmodi eſt cathartici exhibitio: Ergo eius cognitio non ſolùm vtilis, ſed neceſſaria eſt Medico.

§. III.

Primò adducta rationes ſoluuntur.

AD primam reſpondetur: Quòd non omnia cathartica, nec in quacunque quantitate ſunt venenoſa; nec venenorum cognitio, ſed eorum vſus interdicitur Medicis, quem Galenus reprehendit in Orpheo, Aratio, Horo, Mendeſio, & Eliodoro Athenienſe. Cognitionem verò venenorum ipſe elaborauit Dioſcorides, Nicander, Santus Ardoynus, Mercurialis, Greuinus, & alij.

Ad ſecundam reſpondetur: Quòd eſt Medico turpia calamnas ægrum perire, exhibito pharmaco, non quia prouenit ex pharmaci exhibitione, ſeu vi deleteria illius, ſed ex Medici ignorantia in medicamenti cognitione, electione, quantitate, vſu, modo vtendi, tempore occaſione, aliiſque requiſitis pro pharmaci exhibitione.

Ad tertiam reſpondetur: Quòd non ſequuntur adducta incommoda ex medicamenti purgantis exhibitione, alias ſemper contingerent; ſed ex indebita eius exhibitione.

Resolvtio II.

Quid, & quotuplex ſit purgans medicamentum?

§. I.

Varia medicamenti acceptio pranotatur.

TOtus homo, inquit diuinus Senex, eſt totus morbus, ex veteri inquinamentis in lucem editus, ex contrariis compoſitus, & rerum naturalium alterationi expoſitus, morbiſque ab eis pendentibus ſubiacens; in quorum ſubſidium medicamenta ſunt hominibus à Deo condonata. Talia dicuntur, quæ intus, aut extra oblata noſtram valent alterare naturam, inter quæ medicamenta purgantia ſunt maximè ex vſu. Hæc, cathartica, medicamenta purgantia, ſolutiua, ſolent appellari. Catharticum propriiſſime vſurpatur, ſicut & purgans medicamentum. Medicamentum autem latiùs patet pro quocumque roborante, alterante, aut purgante; licèt ſine addito maximè ſtet pro famoſiori. Pharmacũ apud Græcos vſurpari conſueuit pro ſimplici quolibet medicamento valente ægris opem ferre: apud Latinos maximè pro venenoſis medicamentis: apud Hippocratem pro aliquo medicamento, à quo magnus aliquis ſequebatur effectus in corpore admirationis dignus; iuxta hanc acceptionem tranſlatum eſt ad cathartica.

§. II.

Cathartici adducitur diffinitio.

REſoluendum primò: Quòd catharticum eſt medicamentum habens facultatem purgandi cacochymos ſuccos in corpore redundantes, quammaximè per ventrem.

Medicamentum, ratio eſt generica, roborantia, alterantia, & purgantia medicamenta continens; hæc ab aliis differunt purgantibus, quorum traditio non eſt huius inſtituti, quia maximè per ventrem hæc mouent, quod in reliquis particulis explicatur.

§. III.

Purgantis Medicamenti prima diuiſio Proponitur.

REſoluendum ſecundò: Quòd purgans medicamentum aliud eſt ſelectiuum, aliud slui, ſeù primæ regionis lenitiuum: Selectiuum voco, quod ſelectiua vi purgationem exequitur: lenitiuum, quod primæ regionis vias purgandi vim obtinet.

§. IV.

Pharmacorum diuiſio ſubſequitur.

REſoluendum tertiò: Quòd tam ſelectiuum, quàm leniens pharmacum eſt triplex. Sic Meſues, & A communis amplectitur Medicorum doctrina. Selectiuum pharmacum aliud eſt cholagogum, quod per ſe primò bilem reſpicit: aliud phlegmagogũ, quod per ſe primò reſpicit pituitam: aliud eſt melanagogum, quod per ſe primò reſpicit melancholiam. Primæ regionis lenitiuum, aliud comprimendo purgat, vt mirabolani; aliud lubricando, vt ſebeſten, pſyllium; aliud laxando, quod ſpecialiter leniens vocatur, vt manna, caſia-fiſtula.

Resolvtio III.

B Verùm medicamentum hæmagogum ſit admittendum?

§. I.

Vulgaris opinio refertur.

VVlgus Medicorum ſubſcribit Gal. *lib. de purgant. medicam.* qui narrat hiſtoriam de quodam in Thracibus Bithiniam colentibus, qui caſu poſito ſuillo iecore ſuper herbas, eam cognouit, quæ ſanguinem per ſe primò alliciebat, vſque dum ex toto exhauriret in corpore contentum: Ergo licèt non cognitum noſtris temporibus; poſſibile eſt hæmagogum pharmacum.

Secundò: Aſſentitur hiſtoriæ, quam narrat Petrus de C Oſma *Epiſt. ad Manardum*, quæ refert Iudos, Hiſpanos quovis morbo affectos feliciter curari aſſueuiſſe quadam herba patribus externis appoſita, pannis circumuoluta, à qua ſanguis per poros trahebatur: Ergo habet illa virtutem hæmagogam.

Tertiò fauet illi: Aloës per hæmorrhoidas ex Meſuë ſanguinem mouet, cantharides per veſicam, lepus marinus per os ex pulmonibus: Ergo habent vim hæmagogam.

§. II.

Meſuës, Syluatici, Coſtæi, & Fallopÿ præfertur opinio.

D REſoluendum: Quòd nullum fuit productum hæmagogum pharmacum à natura. Tenet Meſuës *canonum vniuerſ. theorem.* 1. Coſtæus *in comm.* Syluaticus *hiſt.* 11. Fallopius *lib. de medicam. purgantibus c.* 2.

Probatur primò ex Meſuës authoritate loco citato, inquit enim: *Nullum enim medicamentum facultatem habet primam, & per ſe hæmagogam. id eſt quo ſanguinem abigat, & euacuet, quem natura vſque ad poſtremum retinet, neque trahi permittit, niſi coacta*: Ergo ex Meſuë nullum admittendum poſſibile hæmagogum pharmacum.

Probatur ſecundò ex Galeni doctrina: Nihil natura ſuperfluum producit: Sed omne medicamentum hæmagogum eſt ſuperfluum. Ergo non producitur à natura. Probatur minor, omne medicamentum purgans, quod nullum valet euacuare humorem, eſt ſuperfluum: Sed nullum hæmagogum valet ſanguinem euacuare, quia hic retinetur à natura auida illius retinendi, & conſeruandi, & non niſi humoris cacochymi à ſanguine ſegregati intenditur purgatio: Ergo hæmagogum pharmacum eſt ſuperfluum.

Probatur tertiò: Si aliquid conuinceret ad admittendum medicamentum hæmagogum, maximè experientia à Galeno enarrata *lib. de medicam. purgant.* Sed hæc nihil conuincit: Ergo non debet admitti. Probatur minor, ſi ab aliquo eſſet cognitum hæmagogum

gum pharmacum, vt ipſe enarrat, & caſu ob iecur A ſupra herbas poſitum eſſet inuentum; ſimili modo, & aperientia iterum eſſet cognitum & inuentum ſaltem in eadem Thraciæ parte, vel experiendi, vel alterius vſus cauſa, ab alio: Sed nunquam iterum fuit cognitum: Ergo experientia à Galeno narrata, non conuincit.

§. III.

Vetuſtioris opinionis diluuntur fundamenta.

AD primum reſpondetur: Quòd Galenus narrat vulgarem hiſtoriam, quam ab ipſo non creditam fuiſſe conuincit, quod nunquam vlterius hæmagogi meminerit medicamenti, quantumuis de reliquis plura diſputauerit. B

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd ſanguis poteſt à corpore trudi per medicamenta reſerantia venas anaſtomoſi, ſine eo quod electiua vi cathartici euacuetur, & talis fuit herba ab Indis cognita.

Ad tertium reſpondetur: Quòd adducta medicamenta, & alia plura vim habent reſerandi venas; de qua vi non dubitamus: ſed an alicui pharmaco inſit hæmagoga facultas ſelectiuè ſanguinem attrahens.

C

Resolvtio IV.

Verùm primæ regionis ſolutiua pharmaca ſint tantum tria, comprimentia, lubricantia, & lenientia?

§. I.

Partis negatiuæ fundamenta proponuntur.

NEgatiuam partem ſuadere contendunt aliqui, alij minuendo, alij adaugendo numerum adductum.

Primò: Lenientia, & lubricantia, non diſtingui apparet: nam medicamenta purgantia debent diſtingui penes diuerſum modum ſoluendi ventrem: Sed lenientia, & lubricantia, eodem modo ventrem mouent: Ergo non differunt inter ſe. D

Secundò: Sub medicamentis ſolutiuis ventris ſunt abſtergentia, vt ſerum, abſynthium, ſal, beta; & emollientia, vt oleum, pinguiaque quæcumque; & humectantia, vt cucurbita, aqua, atriplex, malua, & liquantia, vt euphorbium: Ergo plura quam tria medicamenta ventrem ſoluentia ſunt admittenda.

§. II.

Communis præfertur opinio.

REſoluendum affirmatiuè. Sic ſanciuit Meſuës, & admittunt eius Commentatores, patebitque latiùs ex ſolutione argumentorum. E

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Quòd Medicamenta, lenientia, & lubricantia differunt in modo purgandi, quatenus lubricantia ex Arabum doctrina ſuo lentore aliqualiter fæces, & contenta in inteſtinis vnıunt; ſua humiditate reddunt illa fluxibilia; ſua grauitate coadjuuant motum deorſum, ſic ſebeſten, & pſyllium purgant: lenientia verò dicuntur, quæ auferunt aſperitatem inteſtinorum, & eorum quæ

A contineantur in illis, vt manna, & caſia-fiſtula, & omnia pinguia, & oleaginoſa, quæ actiones, cùm diuerſæ in modo, diuerſæ etiam dicuntur ſpecificè ſolutiua pharmaca.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd medicamenta, quæ abluunt, quæ abſtergunt, quæ emolliunt, ad lenientia medicamenta reducuntur, emolliendo enim, abluendo, & abſtergendo inteſtinorum aſperitatem auferunt. Colliquantia poſſunt ad ſelectiua pharmaca aliquo modo reduci, quatenus reſerando vias euacuant, & humores ab illis mouent.

Resolvtio V.

B Verùm lubricantia, & lenientia ſint pharmaca ſelectiua vi operantia?

§. I.

Partis affirmatiuæ proponuntur fundamenta.

PArti affirmatiuæ fauet primò: Quod pharmacum diffiniatur à Meſuë *theorem. 1. canonum vniuerſal. Medicamentum purgatorium, neque vt contrarium agens in contrarium, neque vt ſimile attrahens, aut euellens alterum, ſed quia talem cœlitus eſt ſortitum facultatem.* Sed lubricantia, & lenientia ſunt medicamenta purgantia: Ergo C habent facultatem occultam, ſelectiuam, & cœlitus communicatam.

Secundò: Caſia-fiſtula, & manna ſunt lenientia ex Meſuë: Sed ex eodem *lib. ſimpl. c. 5.* Caſia-fiſtula educit ſelectiuè bilem, & flegma, *&* *cap.* 8. Manna educit ſelectiuè bilem. Ergo ſelectiua virtute operantur.

§. II.

Pars negatiua, vt communis præfertur.

REſoluendum: Quòd medicamenta ſolutiua primæ regionis non purgant vi ſelectiua, ſed manifeſtis qualitatibus. Sic tenet Meſuës, & illius Commentatores, & eſt communis.

Probatur ex dictis: Nam comprimentia auſteritate D comprimẽdo purgant, lubricantia lentore, humiditate, & grauitate, vt diximus, lenientia lenitate ab humiditate aërea orta: Ergo operantur manifeſtis qualitatibus.

§. III.

Rationes dubitandi ſoluuntur.

AD primam reſpondetur: Quod Meſuës ſolutiua cathartica tantum intendit diffinire.

Ad ſecundam reſpondetur: Quod caſia-fiſtula, & manna ſuis manifeſtis qualitatibus ſoluunt ventrem prout lenientia, lubricantia, aut comprimentia; eadem verò aliquando habent, quòd ſimul ſint ſelectiua ratione alterius occultæ facultatis ſelectiuæ, & ratione E illius inter ſelectiua medicamenta à Meſuë ponuntur.

Resolvtio VI.

Verùm ſelectiua cathartica humores generandi habeant vim?

§. I.

Aſclepiadis refertur figmentum.

PVrgantia medicamenta talia dici, non quia aliquam vim humorum purgatiuam habeant, ſed quia quodlibet habet vim determinati, ac proprij

proprij humoris producendi, cuius copia irritata natura, illum poſtea expellit. Sententia fuit Aſclepiadis, referente Galeno *l. de Theriaca ad Piſonem, & in comm. ad lib. de natura humana.* & Van Helmont proſequitur eam, tanquam in ſomnis à Deo receptam, indicátque ab eis ex ſanguine ſaniem produci euacuandam, *lib. de febribus cap. de purga.*

Suaderi poteſt primò: Quia purgatio eſt euacuatio humoris cacochymi: Sed etiam ſi non reperiatur in corpore humor cacochymus, cathartico exhibito, purgatur humor iuxta cathartici naturam: Ergo ab ipſo medicamento proportionalis ille humor generatur qui poſtea fit cacochymus.

Secundò: in febre ardenti, in qua redundat bilis, ſi exhibeatur melanagogum pharmacum, purgatur melancholia, cuius copia priùs non reperiebatur: Ergo quia vi medicamenti exhibiti generatur.

Tertiò: Exhibito rhabarbaro, etiam ſi in prima regione redundet pituita, quidquid euacuatur, pallidum, & biliosum apparet; Ergo quia generatur bilis, quæ redundat, & euacuatur poſtea à rhabarbaro.

§. II.

Hippocratis, & Galeni præfertur opinio.

Reſoluendum negatiuè, ex Hippocrate *lib de natura humana,* & Galeno *lib de medicam. purgantibus,* & ex communi opinione Dogmaticorum.

Probatur primò: Si cathartica haberent vim generandi vnum determinatum humorem ex reliquis, vnum pharmacum ſecundum ſpeciem ſufficeret pro purgandis omnibus humoribus, cùm ſufficeret ex omnibus vnum generare, cuius expulſione, & expurgatione reliqui, ex quibus fit, expurgarentur: Sed pro quolibet humore cacochymo ſpecie diuerſo, diuerſa ſpecie requiruntur cathartica: Ergo non habent vim generatiuam humorum.

Probatur ſecundò: Sanguis petit ſanguinis miſſione euacuari, cùm non detur, vel non cognoſcatur hæmagogum medicamentum, neque à ſanguine indicetur purgatio; Sed ſi à medicamentis purgatiuis conuerteretur ſanguis in reliquos humores, purgaretur ſicut reliqui humores: Ergo non eſſet neceſſaria ſanguinis miſſio.

Probatur tertiò: Communis Medicorum opinio tenet cum Galeno, quòd differunt ſanguinis miſſio, & purgatio: quia per hanc, determinatus humor; per illam, omnes indifferenter euacuantur: Sed ſi ex maſſa ſanguinaria ſelectiuum pharmacum produceret determinatum humorem euacuandum, ſicut indifferenter omnes humores conuerti in humorem euacuandum, ſimiliter & omnes humores, indifferenter in illam conuerſi euacuarentur: Ergo nulla eſſet purgationis à ſanguinis miſſione differentia.

§. III.

Diluuntur argumenta.

Ad primum reſpondetur: Quòd cùm ſemper ſint intra venas quatuor humores actu, & formaliter diuerſi, ſemper medicamentum purgans adinuenit humorem, quem ſelectiuè attrahat, ſed dùm ille humor eſt ſeparatus à commixtione ſanguinis, & cacochymus rectè perficitur purgatio, quia natura adminiculatur ad illius purgationem; dùm verò eſt ſanguini commixtus, medicamentum attrahit propter ſimilitudinem cum illo; natura, quia ſanguini eſt commixtus, retinet, & ideò laborioſa, quæ ſubſequitur, fit purgatio.

Ad ſecundum reſpondetur: Quod, licèt redundet bilis, eſt ſimul in maſſa ſanguinaria melancholia, cuius attractionem intendit melanagogum medicamentum.

Ad tertium reſpondetur: Quòd pharmacum, quod bilem reſpicit, illam attrahit à venis, & ab illa, & rhabarbaro pallida redduntur reliqua excrementa quæ ſimul euacuantur, licèt non conuertantur in bilem.

Resolvtio VII.

Verùm ſelectiua cathartica ſola irritandi facultate exequantur purgationem?

§. I.

Antiqua opinio ac Ariſtot. ſententia ſuſcitatur ab aliquibus, & eius fundamenta proponuntur.

Primi ſeculi Hippocrate antiquiores Medici ſubtrahere conabantur à catharticis omnem aliam facultatem præter qualitates irritantes, mediis quibus indicabant cathartica ſtimulare naturam, vaſa aperire, debilitare, & concitare iudicabant ad ſui expulſionem, aptiuſque moueri, quod propinquius, quod abundans, quod fluxile, & quod magis obuium. Huic opinioni ſubſcribit Ariſtot. *lib. 1. problemat. 42.* cui adhæret Puteanus inter moderniores, & nouiſſimè Doctor Franciſcus Sanchez *lib. de purgat.* qui in hanc labitur opinionem, etiam diſcedans ab Hippocrate, quem defendere oſtentat.

Probatur primò: Sola obiectiua irritatio ſufficit in humoribus, in alimentis, in aliiſque quamplurimis externis rebus, vt cogatur natura ad euacuationem tentandam eorum, quæ irritant, & ſimul vt exequatur eorum expulſionem per ventrem, aut vomitum: Sed cathartica ſunt naturæ inimica, irritantiaque, tam per manifeſtas, quàm per occultas, ac deleterias qualitates: Ergo ſola irritatione valent cogere naturam ad humorum purgationem. Probatur maior: Tùm in euacuationibus per ventrem, tam criticis, quàm ſymptomaticis. Tum ex potu aquæ frigidæ ad ſatietatem, à quo plerumque ſubſequitur exitus peccantium humorum per ventrem. Tum ex nimio potu, aut vſu alimenti, à quo contingit ventrem moueri: Tùm ex odore pharmaci, venenorum exhibitione animi paſſionibus, aëre inuſitato, aut marino, odore inuſitati vini, aut moleſtantis cuiuſvis alterius rei in eis, qui eam auerſantur, à quibus ſola irritatione ſubſequitur purgatio, ſine aliqua ſpecifica vi humorum loco-motiua: Ergo ſola vi obiectiua medicamenta irritando naturam ſunt cauſa euacuandi humores.

Secundò: Si medicamenta cathartica attraherent humores ſelectiua vi loco-motiua, ſolum poſſent attrahere humores, ad quos purgandos haberent determinatam vim: Sed quodlibet catharticum omnes valet euacuare humores, vt in ſuperpurgationibus apparet: Ergo ſola irritatione fit ab illis humorum euacuatio.

Tertiò: A catharticis in magna quantitate exhibitis, nõ ſolùm reliqui humores attrahuntur, ſed & ipſe ſanguis, quartus humor: Sed nulla eſt in catharticis virtus loco-motiua ſanguinis; Ergo ſola vi irritandi ſanguinis, & reliquorũ humorum ſimiliter fit purgatio.

§. II.

Communiori opinioni acquieſcimus.

Reſoluendum negatiuè, ex Hippocrate *lib. de natura humana*, ex Galeno *lib. de purgantibus medicament.* ex Meſuë *in Canon. vniuerſ.* ex Auicenna & ex communi Claſſicorum Dogmaticorum aſſenſu,

aſſenſu. Tùm quia aliàs non eſt cur à determinato A pharmaco determinatos attrahatur humos. Tùm quia ex ſubſequenter dicendis ſatis manifeſtè patebit huius reſolutionis doctrina.

§. III.

Innouatorum fundamenta diluuntur.

AD primum fatemur: Quòd ab irritantibus quibuſvis cauſis poteſt laceſſita natura expellere redundantes ſubſtantias tenuiores, primis viis obvias, & fluxibiliores; & à quibus magis laceſſita natura, ſed non cum ſelectione, qualiter attrahuntur humores à cathartico ſelectiuo, in criſi, natura vincente, moleſtantem morboſam cauſam mouet, in B principiis ſymptomaticè euacuat vtiles cum inutilibus commixtos, materiæ concoctæ, ſolum aggreditur euacuationem morboſæ cauſæ. Potus frigidæ aquæ, vel laxando mouet à prima regione, vel per accidens à ſecunda; quia remiſſa caliditate potentior natura reddita criſim aggreditur. In animi paſſionibus defectu caloris, debilitatis viribus, humores non retinentur, ſuoque deſcendunt pondere. Quæ verò irritant, mouent per accidens indeterminatam quamcumque ſubſtantiam motui aptam; at verò cathartica ſelectiua vi eum humorem, quem vt obiectum reſpiciunt.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd cathartica propria vi proprium, ſeu ſimilem reſpiciunt, & attrahunt humorem, dum moderata exhibeantur quantitate: dum verò in maiori doſi offeruntur, quàm quæ requiritur pro attractione humoris, in quem tendit C facultas; vires debilitantur, irruuntque reliqui humores poſt ipſum, viribus debilitatis.

Ad tertium reſpondetur: Quòd quantumcumque appetat natura ſanguinis retentionem, quia ex Galeno animæ ſedes eſt, tandem viribus refractis. & natura deuicta, nimia exſolutione ſpirituum facta, in reliquorum humorum euacuatione ipſa decombit, & ſanguis non vi cathartici attractus, ſed ob impotentiam facultatum fluit cum reliquis humoribus proprio pondere commotus ad eaſdem vias, per quas & reliqui humores fluebant.

D

Resolvtio VIII.

Vtrùm manifeſtis primis, aut ſecundis qualitatibus operentur cathartica?

§. I.

Affirmatiuam partem licet difformiter recipiunt plures.

EOrum, qui catharticis tribuunt vim attrahendi humores mediis ſuis facultatibus, plerique hanc vim tribuendam eſſe manifeſtis qualitatibus contendunt: Alij ſoli calori: Alij calori, & ſimul occultæ qualitati. Alij quintæ qualitati ex primis reſultanti: Alij ipſis qualitatibus primis commixtis: Alij ſecundis etiam quibuſdam qualitatibus, tenuitati, loquam, aut raritati: Alij ex ſaporibus præcipuè amaro, hanc humorū attrahendi attribuunt virtutē: pro quibus ſtat,

Primò: Calor ſe ſolo valet attrahere: ſed omne catharticum eſt calidum à prædominio: Ergo omne catharticum valet ſolo calore attrahere humores. Probatur maior: Tùm ex Galeno *lib. 6. de vſu partium*, c. 15. *lib. 5. ſimpl.* c. 17. *lib.* 13. *method.* c. 5. *lib.* 2. *de febribus, cap.* 3. & *ſect.* 7. *Aphoriſm.* 1. Tùm ex Auicenna *fen.* 1. *doctrin.* 6. *cap.* 3. Tùm apparet in externis, in quibus à Solis calore ſurſum trahuntur vapores: Tùm experientia docet in corpore humano humores attrahi à calore in partem inflammatam: Tùm docuit Galenus ad partes externas quo pacto à thapſiæ calore attrahantur: Ergo ſe ſolo calor eſt ſufficiens cauſa ad attrahendos humores.

Secundò: Solum calorem non ſufficere, licèt coadiuuet, vltra illumque requiri occultam facultatem contendit Auerroës *lib. 5. collige, cap.* 23. Quia quodlibet medicamentum calidum purgans ratione caloris indifferenter attraheret omnes humores: Sed determinatum medicamentum attrahet determinatum humorem: Ergo non ſolo calore, ſed ſimul coadiuuante occulta vi cathartici, fit attractio humorum.

Tertiò: Non ſolo calore, ſed potiùs à toto temperamento fieri tractionem, ſuadet, quod non quodlibet calidum medicamentum, aut alimentum attrahit B humores: Ergo potius ratione temperamenti, quod in diuerſis rebus eſt diuerſum, fit attractio, quam à ſolo calore.

Quartò: Cathartica minus amara attrahunt à minori diſtantia & attrahunt tenuiores humores; è contra contingit fieri à catharticis amarioribus: Ergo ratione qualitatis amaræ fit attractio. Patet conſequentia, aliàs ad intenſionem, aut remiſſionem amaræ qualitatis non intenderetur, aut remitteretur actio attrahendi in pharmacis.

§. II.

Deciditur, pro negatiua parte.

C REſoluendum negatiuè. Sic tenet Hippocrates *lib. de natura human. lib. de medicam. purgantib. lib. ſimplic. cap.* 23. *commento* 13. *in lib. de natura human tex.* 27. *lib. contra Iulianum, cap.* 13. *lib. de facult. naturalib. lib. de theriaca ad Piſonem, lib. 5. ſimplic. cap.* 16. tenentque claſſici Authores.

Probatur primò ex Meſuë *theorem.* 1. *Canon. uniuerſ.* & 2. In quibus determinat, & probat, quòd attractio humorum non fit per manifeſtas qualitates, ſed per formæ proprietates.

Probatur ſecundò à ſimili in magnete, qui ſimili modo ferrum attrahit, & in trahente facultate vegetatiua, à qua trahitur alimentum, quarum quælibet diuerſa eſt à temperamento, & à primis, ac ſecundis qualitatibus: Ergo diuerſa debet etiam eſſe in catharti- D cis facultas humorum attractrix.

Probatur tertiò: Quòd à calore non fiat ſelectiua attractio, Mirabolani citrini ſunt frigidi in primo gradu, ex Meſuë *lib. ſimplic. cap.* 2. & Tamarindi ſunt frigidi in ſecundo gradu, & *eodem lib. ſimpl. cap.* 7. & ex eodem bilem attrahendi habent vim: Tùm qualitas eſt calor, quo indifferenter trahuntur humores omnes; cathartico quolibet determinati tantùm trahuntur: Tùm quia nec calori, nec cuicumque alteri qualitati ineſt virtus trahendi per ſe primò, niſi ratione loco-motiuarum qualitatum, quæ ſubſequuntur ex Meſuë: Tum quia à calore tenuiores humores primò ſemper trahuntur à melanagogis, & phlegmagogis catharticis melancholia, & pituita: Tùm E quia piper, vinum, aqua vitæ, etſi calida; humores non attrahunt, nec plura alia calida medicamenta: Ergo à nullis primis qualitatibus fit attractio ſelectiua humorum.

Probatur quartò: De temperamento, ac reliquis ſecundis qualitatibus manifeſtis, quòd non attrahant ſelectiuè: Tùm quia temperamentum qualitatiuè non eſt aliud à primis qualitatibus, quarum nulla eſt qualitas loco-motiua; ſubſtantificum, eſt ſubſtantia, cui non accidit operari: Tùm de ſaporoſis qualitatibus experientia docet non eſſe loco-motiuas, aliàs ab omni amaro alimento fieret attractio: Ergo nulla ex his qualitatibus eſt virtus ſelectiua humorum attractrix.

§. III.

§. III.

Diluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Tum quòd calor non attrahit per ſe, ſed diſpoſitiuè, quatenus poros aperit, partes attarat, humores attenuat, & motui aptiores reddit; quod Galenus intendit docere: ſed vt moueantur ad partem ſic diſpoſitam, requiritur loco-motiua virtus, à qua tractione ad partem, aut expulſione ab illa moueantur, quas eaſdem facultates calor diſpoſitiuè poteſt adaugere, potentioréſque reddere, non tamen ſe ſolo mouere motu attractionis in aliquam partem: Tum quòd calor, aut calidum medicamentum in parte diſponunt ad humorum receptionem, & partium facultates eos mouent.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd ſi præter calorem Auerroës facultatem loco-motiuam humorum requirit, qua attrahantur, non diſcedit à veritate, ſi quid aliud, quid ſentiendum de attrahente vt patebit infrà.

Ad tertium reſpondetur: Quòd cùm temperamentum non habeat vim localiter mouendi, ſed ſolum diſpoſitiue, præter illud requiritur facultas attrahens.

Ad quartum reſpondetur: Quòd calor in amaris poteſt aliqualiter diſpoſitiuè coadiuuare ad attractionem facultatis loco-motiuæ ſimul exiſtentis: non tamen ſine illa attrahere, nec requiritur ad illam, quia ſine amarore non poſſit à ſola facultate ſelectiua fieri attractio.

Resolutio IX.

Vtrùm ratio trahendi in catharticis ſit ſimilitudo?

§. I.

Iouberti, Cardani, Puteani, & aliorum proponitur opinio.

IOobertus *decad. 1. Paradox. 9.* cathartica contrarietate purgare humores contendit, Cardanus *lib. de ſubtilitate*, accedit ad eorum opinionem, qui ſimilitudinem ad tractionem, non conducere contendunt, Puteanus *lib. 1. de purgantib. medicament. cap. vlt.* à Galeni ſententia deuiat, qui ratione ſimilitudinis fieri attractionem contendit, aliique quamplurimi eorum ſubſcribunt opinioni, validiſſimis fulti rationibus.

Primò: Si ſimilitudo eſſet cauſa, aut ratio trahendi humores, vel vt formaliter eſt relatio, vel vt eſt fundamentum relationis: Sed non vt formaliter eſt relatio, quia totum eſſe relationis eſt ad aliud ſe habere, in quo nihil actiuitatis includitur; non vt eſt fundamentum relationis, quia vt ſic, vel vt eſt proximum, vel vt remotum, eſſet ratio trahendi: Proximum fundamentum ſimilitudinis deberet eſſe qualitatiuum temperamentum, ſicut remotum ſubſtantificum: Sed nec qualitatiuum temperamentum attrahit, vt probauimus, nec ſubſtantificum, cùm ſit ſubſtantia non diſtincta à partibus materialibus, cui non datur agere: Ergo nulla eſt illi ratio trahendi humores.

Secundò: Ab Agarico ex Meſuë calido purgatur pituita in omni opinione frigida: Sed inter duas entitates, quarum vna eſt frigida, & alia calida, non datur ſimilitudo: Ergo non fit attractio ratione ſimilitudinis in catharticis.

Dices: Quòd ſimilitudo non requiritur ratione qualitatum primarum, ſed ratione ſubſtantifici temperamenti ſeu partium materialium proportionis.

Contrà: Inter hæc duo nulla poteſt dari ſimilitudo ratione ſubſtantiæ: Ergò agaricum non attrahit pituitam ratione ſimilitudinis. Probatur antecedens, ſi eſ-

A ſent ſimilia in ſubſtantiæ modo, vel ratione formæ: & hoc non; cùm differant ſpecie vel ratione materiæ primæ, & hæc ſimilitudo non ſufficit, cùm ſit communis omni enti phyſico ſublunari: vel ratione ſubſtantifici temperamenti, & in hoc non; quia cùm qualitatiuum ſequatur ad ſubſtantificum, ſicut differunt in temperamento qualitatiuo, debent differre in ſubſtantifico: Ergo nullam habent ſimilitudinem.

Tertiò: Elleborum ex Meſuë purgat humorem melancholicum, & pituitoſum: Ergo non purgat eos humores ratione ſimilitudinis. Probatur conſequentia. Pituita eſt diſſimilis melancholiæ in qualitatiuo, & ſubſtantifico temperamento; Ergo ſi alterum ex his humoribus purgat ratione ſimilitudinis, non poteſt
B eadem ratione purgare alterum.

Quartò: Attractio ratione ſimilitudinis fit ſolùm à partibus viuentibus attrahentibus ſubſtantiam ſimilem, ex qua poſſint nutriri: Sed cathartica non attrahunt humores, vt ex illis nutriantur: Ergo non attrahunt illos ratione ſimilitudinis.

Quintò: Si ratione ſimilitudinis catharticum attraheret humores, eadem ratione vna bilis attraheret aliam bilem: Sed illam non attrahit: Ergo non fit attractio ratione ſimilitudinis.

Sextò: Medicamenta, quibus magis aſſueſcimus, magis ſunt ſimilia propter conſuetudinem: Sed minus attrahunt: Ergo ſimilitudo non conducit ad attractionem.

C

§. II.

Vera, & antiqua amplectitur Doctrina.

REſoluendum: Quòd ſimilitudo in modo ſubſtantiæ temperamenti ſubſtantifici, non vt agendi vis in catharticis, ſed vt ratio formalis ſub qua conſtituuntur humores in eſſe obiecti facultatis ſelectiuæ, eorum eſt ratio purgandi. Sic deducitur ex Hippocrate *lib. de natura humana*, ex Galeno *lib. de facult. ſimpl. medicament. c. 14. & 25.* Et ſic intelligenda venit opinio eorum, qui ratione ſimilitudinis iudicant cathartica attrahere humores.

Probatur primò ex Hippocrate, & Galeno, qui cùm
D neceſſariam conſtituant facultatem ſelectiuam in catharticis, & vlterius ſimilitudinem requiri contendunt. Cùm ergo non requiratur ſicut facultas ad attrahendum, debet ſaltem admitti, tanquam ratio obiectiua ſe habens ex parte obiecti.

Probatur ſecundò ex Hippocrate *lib. de natur. human.* vbi docet attrahentem catharticorum humores attrahere, ſicut attractrix viuentium attrahit alimenta: Sed in alimenti attractione ſimilitudo alimenti in modo ſubſtantiæ cum parte nutrienda eſt ratio formalis conſtitutiua illius in eſſe obiecti facultatis attrahentis: Ergo eadem ſimilitudo in humoribus cum pharmaco attrahente eſt ratio obiectiua, ratione cuius attrahuntur.

Probatur tertiò. Rhabarbarum attrahit bilem ſelectiua vi, non verò reliquos humores: Ergo aliquid eſt in bile, ratione cuius conſtituitur in eſſe obiecti facul-
E tatis attrahentis Rhabarbari, quod non reperitur in reliquis humoribus: Sed hoc nihil aliud poteſt eſſe præter ſimilitudinem repertam in bile in ſubſtantiæ modo, ratione cuius tanquam in id, quod ſimile eſt, & ratione ſimilitudinis ſui conſeruatiuæ intendit eius attractionem: Ergo illa eſt ratio formalis obiectiua, ratione cuius attrahitur.

§. III.

Primò adducta argumenta ſoluuntur.

AD primum reſpondetur: Quòd temperamentum ſubſtantificum, vt cum tali modo ſubſtantiæ, propor-

proportionem habet in humore cum temperamento ſubſtantifico talis cathartici, quæ eſt ratio formalis conſtitutiua illius in eſſe obiectiuo talis facultatis.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd in quolibet medicamento purgante ſunt diuerſæ partes materiales, & diuerſi modi mixtionis; vt ſecundum vnam partem modus ſubſtantiæ ſit diuerſus, ac eſt ſecundum alias, & ita Rhabarum ſecundum alias purgat, ſecundum alias adſtringit, & in illis partibus medicamenti, in quibus in modo ſubſtantiæ eſt ſimilitudo cum humore, eſt virtus attractiua illius, licèt differant ſecundum reliquas partes in qualitatiuo, & ſubſtantifico temperamento.

Ad tertium reſpondetur: Quòd ſicut idem catharticum poteſt habere diuerſas partes, in quibus ſint diuerſi ſubſtantiæ modi, ſimiliter poteſt habere diuerſas facultates, & ſimilitudinem in modo ſubſtantiæ cum diuerſis modis ſubſtantiæ diuerſorum humorum.

Ad quartum reſpondetur: Quòd attractio ex Galeno *lib. 2. de facult. natural. c.* 13. fit propter potiri ſubſtantiæ attractæ: & hoc contingit dupliciter; vno modo, per ſimilis repoſitionem, & nutritionem; alio modo per ſolam ſimilitudinem in modo ſubſtantiæ, ratione cuius conſeruatur facilius attrahens per conſortium rei attractæ, ſicut contingit in fellea veſicula cum bile, & in magnete, qui ob hanc rationem ferrum attrahit, non vt ex illo nutriatur, ſed vt in eius conſortio conſeruetur, & hoc idem contingit in catharticis, ſine eo quod nutriantur ex humoribus.

Ad quintum reſpondetur: Quòd ratione ſimilitudinis vnus humor alterum attraheret, ſi haberet facultatem attrahentem, ſicut habet catharticum, defectu enim illius, nec vnus humor alium ſimilem, nec vnum ferrum alterum attrahit.

Ad ſextum reſpondetur: Quòd inter humorem & catharticum ſelectiuum illius requiritur ſimilitudo in modo ſubſtantiæ, & vlterius requiritur diſſimilitudo inter humorem, & medicamentum, & inter partes noſtri corporis, quarum ope media expultrice expellitur humor a pharmaco attractus, & quia ab aſſuetis non fit paſſio, licèt ſimilitudine fiat melius attractio, non perficitur ab aſſuetis ex toto, purgatio, quia deficit expulſio, per quam vltimò purgandi actio conſequitur media expellente vi partium noſtri corporis.

Resolvtio X.

Vtrùm cathartica media facultate attractrice habeant vim purgandi humores?

§. I.

Ariſtot. opinio proponitur: Meſuës, & aliorum referuntur ſententiæ.

ARiſtoteles 10. *problem.* 43. & 48. contendit quòd cathartica moueant humores; non quia aliquam facultatem attractricem obtineant, ſed cum illis commixti humores interturbant, ſeparant, & refluendo pharmaca, & humores, quia irritant, à partibus mota refluunt. Meſues *lib. Canon. vniuerſ.* contendit, quod fit attractio cæleſti quadam vi formæ cælitus immiſſæ, ex quo, & alij à formæ proprietate humorum tractionem contendunt fieri.

Probatur primò, quia illa tantum mouent humores, quæ non poſſunt exuperari à natura, quæ acria, & quæ moleſta ſunt: Ergo purgant, quia cùm non poſſint vinci, humores interturbant.

Probatur ſecundò, Catharticum purgat, non quia ſimile, vel diſſimile, vt docet Meſuës, ſed quia tale: Sed quodlibet fit tale per ſuam formam ſubſtantialem: Ergo medicamenta attrahunt per formam ſubſtantialem.

Probatur ſecundò: Catharticum purgat, non quia res, vt docet experientia: Sed non aliqua facultate manifeſta, vt probauimus: Ergo cæleſti, & ſuperioris ordinis.

§. II.

Hipp. & Galeni præfertur opinio.

B RESoluendum: Quòd cathartica attrahunt humores facultate attrahente occulta, & à tota ſubſtantia dicta. Sic tenet Hippocrates *lib. de nat. hum. lib. de medicament. purgant.* Galenus *lib. de purgant. medicam. facultat. lib. 3. ſimplic. cap. 13. & 24. comm. 1. in lib. de natur. human. text. 37. lib. de natural. facul. lib. contra Iulian. cap. 13. lib. de theriac. ad Piſonem*, & aliis in locis.

Probatur primò: Humor mouetur verſus eam partem in qua reperitur catharticum: Ergo mouetur à facultate attrahente. Patet conſequentia, quia motus ad ſe eſt ab attrahente, ſicut motus à ſe ad aliud à facultate expellente.

C Probatur ſecundò: Cathartico non quilibet humor indifferenter mouetur, ſed determinatus humor à determinato cathartico: Ergo quia habet determinatam vim attrahentem illius ſelectiuam, qua valet illum à reliquis ſeparare, & ad ſe trahere. Patet conſequentia, nam ſi perturbando humores fieret purgatio, indifferenter omnes perturbati purgarentur.

Probatur tertiò: Ex Hippocrate *lib. de natur. human.* vbi docet, quòd attrahit catharticum humores, ſicut planta alimentum: Sed planta attrahit alimentum media facultate attrahente: Ergo cathartica attrahunt humores, media ſelectiua vi attrahente.

D Probatur quartò: Facultas, qua humores mouentur verſus catharticum, non eſt qualibet ſubſtantia communis, qualis eſt in materia prima, alias in omni ente phyſico reperiretur: non eſt aliqua qualitas manifeſta ex primis, aut ſecundis, vt manet probatum; non eſt aliqua qualitas cæleſtis. Tum quia cum ſit proprietas formæ ab illa debet pullulare: Tum quia ſicut cum medicamento coniuncta, ſimiliter coniuncta alteri entitati eſſet purgatiua, quod non accidit: non eſt aliqua vitalis facultas, nec ſenſitiua, cùm reperiatur in vegetatiuis: nec vegetatiua, cùm poſſit dari in non viuentibus: non eſt ipſa forma ſubſtantialis, cui non datur, quòd ſit immediatum principium agendi, nec vna niſi vnum attraheret humorem: Ergo ſolùm reſtat, quòd ſit facultas à tota ſubſtantia, abdita, ſeu occulta dicta.

E

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Quòd omni medicamento eſt commune, prout diſtinguitur ab alimento, quod non exuperetur à natura; nec ideò omnia purgant, niſi tantùm cathartica, quia hæc tantum habent vim trahendi humorem inſita loco motiua facultate.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd catharticum purgat, quia eſt tale vt ab eius forma oriatur attrahens facultas à tota ſubſtantia, quæ valet mouere ad ſe

ſe humorem determinatum, in cuius attractionem eſt à natura deſtinata determinata talis facultas.

Ad tertium reſpondetur: Quòd licèt non trahantur aliqua manifeſta facultate, occulta aliqua trahuntur, de qua ſubſequitur reſolutio.

Resolutio XI.

Quid ſit facultas dicta à tota ſubſtantia, abdita, cæleſtis formæ, ſeu occulta?

§. I.

Aliqua ad intelligentiam præmittuntur.

ARdua eſt difficultas de facultate, quæ à tota ſubſtantia dicitur, abdita, ſeu occulta, de qua librum promittit Galenus *lib. 11. de ſimplic. medic. facult. c. 3.* qui ad nos non peruenit, nec fortan fuit editus ob argumenti difficultatem. Pro cuius intelligentia notandum: quod in mixto ſunt conſideranda ſubſtantia, ſubſtantiæ modus, & accidentia: ſubſtantia alia eſt totalis, ipſum ſcilicet ens phyſicum, alia eſt partialis forma, & materia. Materia, alia eſt materia vt pura potentia conſiderata, indifferens ſimpliciter: alia, materia prima elementalis, quæ ignea, aërea, aquea, aut terrea dicitur ob præceſſiſſe ſub forma aliqua elementali, ex quo manet ſigillata ad qualitates ſimiles recipiendas formæ, quæ præceſſit. Modus ſubſtantiæ realiter formaliter quid aliud eſt ab ipſa, non realiter entitatiuè, aliàs accideret illi; & eſt duplex, alter ſubſtantiæ totius entitatis phyſicæ, vt ſubſiſtentia, exiſtentia, & vnio (ſi detur;) alter eſt modus ſubſtantiæ ſolius materiæ primæ, non vt eſt pura potentia indifferens, ſed vt eſt materia ſigillata ex præceſſiſſe formæ elementalis in illâ, & vt eſt commixta materiis reliquorum elementorum, ex qua commixtione ſecundum maiorem, aut minorem numerum partium huius, vel illius elementi ſub forma mixta diuerſus ſubſtantiæ modus ſuperuenit; impropriè tamen ab aliquibus aliquæ ſecundæ qualitates ſolent vocari modus ſubſtantiæ, vt tenuitas, lentor, raritas, denſitas, craſſities, & alia propter ſimilitudinem forſan, quia ab his ſolet poni in materia ſimilis ſubſtantiæ modus, at eſt ille, qui ſubcreſcit in illis ex partium materialium elementorum commixtione.

Accidentia, quæ ſuperueniunt in mixtis, alia producuntur à forma, vt forma mixta eſt; alia à forma, vt eſt viuens; alia à forma non vt mixta, nec vt viuens, ſed vt eſt forma ſpecificè talis: Quæ producuntur à forma vt mixta, producuntur ab illa ſecundum quod virtualiter eminenter continet elementa, & vt ſic producuntur à forma mixta quatuor qualitates primæ elementales, caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, quæ ſunt primæ virtutes ſenſibiles, & producuntur qualitates, quæ ex illorum interuentu fiunt, quæ ſunt ſecundæ qualitates, ſeù virtutes mixtorum, huiuſmodi ſunt facultas aperiendi, quæ ad calorem ſequitur, rarefaciendi, attenuandique, & facultas incraſſandi, repellendi, denſandi, quæ ſequuntur ad frigiditatem, & facultas emolliendi, quæ ſequitur ad humiditatem, & facultas indurandi, quæ ſequitur ad ſiccitatem. Quæ producuntur accidentia à forma vt viuente, ſunt facultates, quæ operantur ſub aliquo determinato gradu vitæ, vegetabili, ſenſitiuo, aut rationali, iuxta organum pro earum actione proportionatum. Quæ verò fiunt, & ſubſequuntur à forma non vt mixta, nec vt viuente, ſed vt ſpecificè tali, nec ſunt primæ qualitates, nec quæ fiunt interuentu illarum, nec ſunt potentiæ contentæ ſub aliquo gradu vitæ, ſed ſunt quædam qualitates, vires, ſeù facultates, quæ ſequuntur tanquam peculiares proprietates formæ, præciſe vt talis forma eſt, & ſicut forma, vt mixta determinatur ad producendas qualitates cuiuſlibet elementi per partes materiales elementorum, & forma viuens per partes organicas conducentes ad operationes vitales, ſic determinatur forma ad qualitates ſibi debitas, & ſpecificè adaptatas per quemdam ſubſtantiæ modum taliter coaptatum ad eius actionem, ita vt licet forma informet materiam ſecundum alios ſubſtantiæ modos, non producat in illis ſimilem qualitatem, vt apparet in Rhabarbaro, quod in partibus tenuioribus habet vim ſoluendi ventrem, & attrahendi bilem, in craſſioribus adſtringendi; ſic lentiſcus ſoluit ſecundum aliquas partes, ſecundum alias adſtringit; ſic idem medicamentum per diuerſas partes diuerſos attrahit humores, ſic plura venenoſa animalia ſecundum vnam partem deleteria vi operantur, ſecundum aliam ſunt alexipharmaca.

Notandum ſecundò: Quòd affectus prouenientes à facultate, quæ pullulat à forma, vt ſpecificè tali, dicuntur mirabiles, quia cùm Medicus non percipiat cauſam, ſicut percipit cauſas reliquorum effectuum quæ proueniunt à forma vt mixta eſt, quia non eſt cauſa ſenſibilis ſenſibiliter immutans aliquem externum ſenſum, ſed tantum à poſteriori per hos effectus, & per diſcurſum tendit ad cauſæ cognitionem; & ideò illorum facultas, ſeu cauſa dicitur abdita, aut occulta, quia occultatur ſenſibus; dicitur à proprietate ſubſtantiæ orta, quia à forma, quæ dat eſſe rei oritur tantum proprietas illius, vt eſt talis forma, & à qua prouenit tale eſſe, dicitur à tota ſubſtantia, quia pullulat à forma, vt determinata per materiam, vt cum tali modo ſubſtantiæ, & ideò à tota rei ſubſtantia, ſcilicet à forma, & materia prouenit; dicitur cæleſtis, quia eius pullulatio non tribuitur cauſis ſublunaribus, & elementalibus, ſicut pullulatio ſenſibilium qualitatum, ſed à forma vt tali, cuius cæli, & ſol dicuntur generationis cauſa vniuerſalis; ſic magnetis virtus, qua ferrum attrahit, & quæ cauſa eſt, vt ferrum ab ipſo contactum polos reſpiciat, formæ eſt proprietas ſenſui incognita; ſic pharmacorum ſelectiua attrahens facultas, ſic deleteria viperæ vis, ſic cantharidarum in veſicam deleteria facultas, ſic & ſtruthiocamelus ferrũ habet in deliciis, ceruus ſerpentes, vrſus formicas, aſinus ferulam, quæ equi pereunt, coturnices veratrum, ſues ſalamandram, vt tenet Ælianus *lib. 2. c. 17.* Ciconia veſcitur ſine noxa omni genere reptilium venenatorum, præcipuè Ibis, vt tenet Cicero *lib. de natura Deorum*, & docuit Solinus in Poliſtorio.

§. II.

Galeni proponitur opinio.

GAlen. *lib. 2. de aliment. facult. c. 6.* mirabiles effectus tribuit ſubſtantiæ modo, quem ſequuntur Græci, & Latini, iudicantes aliqui quòd à ſubſtantiæ modo eleuante qualitates ſenſibiles procedant: qui his fulciuntur.

Primò: Facultas abdita, vel occulta non operatur tanquam cauſa principalis, ſed tanquam inſtrumentum formæ, ſeu modi ſubſtantiæ, qui reperitur in determinata parte materiæ ſub illa forma: Sed forma, medio illo ſubſtantiæ modo cum qualitatibus manifeſtis eleuatis ab ipſa, poteſt attingere attra-

ctionem humorum, & reliquos effectus mirabiles dictos: Ergo non eſt admittenda facultas occulta, ſiue abdita dicta. Probatur minor, forma ſubſtantialis vt cum tali ſubſtantiæ modo poteſt attingere productionem ſimilis ſubſtantiæ, quæ difficiliori modo attingitur ab accidentibus eleuatis, quàm productio alterius cuiuſvis accidentis, vtcumque ſit: Ergo forma ſubſtantialis cum illo modo ſubſtantiæ, mediis manifeſtis qualitatibus, ſine facultate occulta ſuperaddita poteſt attingere attractionem humorum, & reliquos mirabiles effectus.

Secundò: Facultas abdita, ſeu occulta dicta, eſt ſenſibus perceptibilis: Ergo non eſt dicenda occulta. Probatur antecedens, facultas illa cognoſcitur per intellectum: Ergo eſt perceptibilis per aliquem ſenſum, quia nihil eſt in intellectu, ex Ariſtotel. 3. *de anima*, quod non perſtiterit in ſenſibus.

Tertiò: A nullo accidente poſſunt effectus mirabiles dicti produci: Ergo non producuntur à facultate occulta, ſeu abdita, ſed ab ipſa rei ſubſtantia. Probatur antecedens, ſi producerentur ab aliquo accidente, vel illud eſſet cauſa vniuoca, vel eſſet cauſa æquiuoca, ſed non poteſt eſſe cauſa vniuoca, aliàs cognoſceretur à ſenſibus, & eſſet ſenſibilis, ſicut & ipſe effectus; nec vt à cauſa æquiuoca, quia hæc priùs producit vniuoca actione vniuocum effectum, quàm æquiuocum, vt apparet in luce reſpectu caloris, & pharmaci quod non priùs producit aliam facultatem attrahentem, quàm attrahat humorem: Ergo à nullo accidente proueniunt effectus mirabiles.

§. III.

Opinioni Galeni intelligentiam adducimus.

RESoluendum primò: Quòd mirabilium effectuum efficientia reducenda eſt in modum ſubſtantiæ, tanquam in id, ratione cuius pullulat facultas abdita, à qua producuntur. Accedit huic opinioni aliqualiter Aguilera *lib.* 2. *cap.* 2.

D Probatur primò ex Galeno: Subſtantiæ modus conducit ad mirabilium effectuum productionem: Sed non conducit, quia habeat aliquam efficientiam ſe ipſo: Ergo conducit ſaltem quatenus eſt id, ratione cuius pullulat abdita facultas, à qua producuntur. Probatur minor, modus ſubſtantiæ, vel eſt totius entis naturalis, vt vnio, ſubſiſtentia, aut exiſtentia, quibus nulla eſt vis agendi, ſed tantùm vniendi partes, aut reddendi ſubſiſtens, aut exiſtens totum; vel modus ſubſtantiæ ſolius materiæ proueniens ex commixtione materierum miſcibilium, vel tanquam terminus alicuius ſecundæ qualitatis, quorum nulli datur agere: Ergo modus ſubſtantiæ ſe ſolo non agit.

Probatur ſecundò. Abdita facultas non pullulat à forma, niſi in illa parte, in qua eſt in materia ſubſtantiæ modus illi proportionatus: Ergo actio eius reduci poteſt in modum ſubſtantiæ, tanquam in id, ratione cuius facultas abdita pullulat. Patet antecedens: Tùm in vipera, & aliis venenoſis animalibus, in quibus pullulat deleteria qualitas in parte determinata, & in catharticis apparet, quod in vna parte eſt virtus ſolutiua, in aliis adſtringendi facultas, & in aliis ſecundum diuerſas partes ſunt diuerſæ facultates ad diuerſos humores attrahendos ob diuerſum modum ſubſtantiæ.

Probatur tertiò: Sic ſe habet ſubſtantiæ modus pro qualitatibus, quæ à forma vt tali proueniunt, ſicut potentiæ vitales ad organa illarum: Sed vitales actiones poſſunt reduci ad organa, tanquam in id, ratione cuius pullulat facultas, & quod ſimul cum potentiâ

A eſt principium *quod* actionis: Ergo effectus mirabiles in modum ſubſtantiæ poſſunt reduci tanquam in id, ratione cuius pullulat abdita facultas, ex qua, & parte habente talem modum fit operatiuum principium.

§. IV.

Occultæ facultatis aperitur natura.

RESoluendum ſecundò: Quòd facultas à tota ſubſtantia, abdita, ſeu occulta eſt vis ab externo ſenſu incognoſcibilis, proueniens à forma ſubſtantiali non vt mixta, nec vt viuente, ſed ſpecificè tali.

Particula *vis*, ſeu facultas, generis obtinet rationem,
B cum enim hæc qualitas ſit eliciti uum principium effectuum, quos mirabiles dicunt, debet pertinere ad prædicamentum qualitatis; & in eſſe potentiæ conuenire cum reliquis.

Particula *incognoſcibilis ſenſui externo*, excludit qualitates manifeſtas, quarum effectus non dicuntur mirabiles, quia fiunt à cauſis externis ſenſibus manifeſtis.

Particula *proueniens à forma ſubſtantiali non vt mixta* excludit qualitates ortas à forma vt mixta, quia ſenſibiles ſunt.

Particula *nec vt viuente*, excludit potentias vitales, quæ licet fiant à forma ſubſtantiali, & non vt mixta, fiunt tamen ab illa vt viuente, & ſub determinato gradu vitæ: facultates tamen occultæ dictæ non pro-
C ueniunt ab anima vt tali ſub aliquo determinato gradu vitæ, ſed tanquam proprietates ſpecificæ talis formæ; & ideò ſuperadditur,

Particula, *ſed vt ſpecificè tali*, deleteria enim vis ſerpentis ab eius forma ſpecifica vt tali, non vt viuente, aut mixta, fit; aliàs enim eſſet communis omni mixto, aut omni viuenti tali.

§. V.

Argumenta pro Galeno adducta ſoluuntur.

D AD primum reſpondetur: Quod forma vt cum tali modo ſubſtantiæ, & cum primis qualitatibus non valet attingere productionem effectuum mirabilium, quia vt inſtrumentum eleuetur pro aliqua actione, debet aliquam habere proportionem, & aptitudinem pro elicientia talis operationis; ideò in naturalibus pro coctione, aut nutritione poteſt eleuari calor, non frigiditas, aut ſiccitas, & in artificiatis ad ſcindendum eleuatur ſerra, & non malleus, ſic ad trahendum cum ſelectione determinatum humorem debet eleuari attrahens virtus: non autem aliqua qualitas ex manifeſtis, quibus non eſt coaptatus modus pro actione illa, quod idem in reliquis qualitatibus occultis eſt neceſſarium.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd qualitas occul-
E ta, ſeu abdita, talis dicitur non quia omninò ſit incognoſcibilis, ſed quia externis ſenſibus eſt imperceptibilis; poteſt tamen ab intellectu cognoſci à poſteriori, & per ſuos effectus, qui ſunt perceptibiles ſenſui: vt enim aliqua cognoſcantur ab intellectu, ſufficit, quòd aliquo modo perſtiterint in ſenſibus, & ita plura, quæ à ſenſibus externis non ſunt cognoſcibilia, cognoſcuntur ab intellectu per ſpecies aliarum rerum, quæ præfuerunt in ſenſibus ſecundum aliquam ſimilitudinem illarum: *Sic inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt conſpicua, intellecta perſpiciuntur.* Ex D. Paulo.

Ad tertium reſpondetur: Quòd occulta, ſiue abdita vis, vt cauſa æquiuoca mirabiles producit effectus, nec vt ſic eſt neceſſarium, quod illa facultas prius producat

producat effectum vniuocum, quia ratio cauſæ æquiuocæ in hoc ſaluatur, quod effectum producat diuerſæ rationis, ſiue immediatè attingendo illum, ſiue media productione alterius vniuoci effectus prius producti: quod idem in potentiis vitalibus apparet, intellectus enim non producit alium intellectum ante productionem ſpeciei expreſſæ, quam producit vt cauſa æquiuoca.

Resolvtio XII.

Vtrùm cathartica, vt attrahant humores deferantur ad venas?

§. I.

Affirmatiuæ partis fundamenta adducuntur.

HVmores vi ſelectiua pharmaci non poſſe attrahi, quin ad humores perueniat pharmacum contactu ſuppoſiti, contendunt plures his conuicti.

Primò: Tum ex Ariſt. qui *lib. 1. de ortu, & interitu, lib. 7. Phyſic.* docet, quòd mouens, & motum debent eſſe ſimul. & *lib. 1. theorem. 43.* Quòd cathartica admiſcentur humoribus attrahendis: Tum quia ex exhibitione pharmaci tingitur lotium, vt in rhabarbari exhibitione apparet, quod non contingeret, niſi deferretur ad humores. Tum quia catharticis admiſcemus medicamenta reſpicientia partes determinatas, vt caput, ſiue articulos, vt cum pharmaco deferantur ad illas: Ergo contactu mathematico attingunt humores.

Secundò: Si pharmaca, non peruenirent intra venas ad ipſos humores trahendos, non poſſet fieri purgatio ab illis: Sed ope illorum perficitur: Ergo feruntur intra venas ad illos. Probatur major, eodem modo mouentur humores à venis ad ventriculum, ac poſtea à ventriculo ad inteſtina, cùm ſemper vi purgantis medicamenti trahantur; Sed à ventriculo mouentur contactu mathematico: Ergo idem contactus requiritur, vt moueantur à venis.

Tertiò: Humorum attractio non fit, niſi tranſactis D aliquibus horis ab eius exhibitione: Ergo quia requiritur illud tempus, poſtquam iam defertur ad ventriculum, vt poſſit peruenire ad diſtantiora loca, in quibus reperiuntur humores.

§. II.

Deciditur opinio præferenda.

REſoluendum: Quòd pars craſſior cathartici permanet in ventriculo, & actuatur in illo; at verò partes illius tenuiores plures deferuntur ad venas, ad ipſoſque perueniunt humores.

Probatur prima pars. Tùm quia requiritur medicamenti actuatio in ventriculo, vt valeat humorem E attrahere: Tùm quia fit attractio ab illo, ſicut à magnete trahitur ferrum, & à partibus alimentum, à quibus non requiritur neceſſariò, quod ſe tangant immediatione ſuppoſiti: Tùm quia pharmacum non habet virtutem, quâ ſe moueat valeat ſecundum partes craſſas ad venas, in quibus ſunt humores, cùm ſit graue, quod ſurſum non fertur, nec poſſit attrahi à partibus, quibus non eſt vtile: Ergo ſecundum partes craſſas remanet in ventriculo, & ad illum attrahit humores manentes intra ſphæram ſuæ actiuitatis.

Probatur ſecunda pars. Tum quia, vt patet *diſput. 3. ſect. 2.* in medicamentis potentialibus, qualia ſunt

A pharmaca; ideò requiritur actuatio, vt ſeparentur quædam partes tenues in quibus eſt facultas, quæ ſeparatæ poſſunt deferri ad venas. Tùm quia cùm partes, quæ ſeparantur, ſint leues, habent a ſe virtutem, qua moueantur. Tùm quia ſeparatæ poſſunt penetrare ad iecur, & venas faciliter. Tùm quia cùm plures humores diſtent maximè in venis, & ab illis trahantur humores, debet admitti, quod aliquid medicamenti perueniat ad locum, in quo ſit humor intra ſphæram ſuæ actiuitatis. Tùm quia lotium, quod ſeparatur ab humoribus in venis reſidentibus tingitur per medicamenti colorem: Ergo aliquid illius peruenit ſaltem ſecundum partes tenuiores ad venas, intra quas ſunt humores.

B

§. III.

Soluuntur rationes primò adducta.

AD primum reſpondetur, quòd Ariſtot. docet, quod mouens & motum debent eſſe ſimul ſimultate ſuppoſiti, vel virtutis, quod accidit in catharticis, & quod admiſcentur modo dicto tantum. Tùm, quòd lotium tingitur non à craſſa, ſed à vaporoſa medicamenti ſubſtantia. Tùm, quòd vaporoſæ admixtæ ſubſtantiæ poſſunt deferri cum tenuioribus, ac vaporoſis ſubſtantiis eleuatis ex catharticis.

Ad ſecundum negatur minor; quia à venis trahuntur humores vi pharmaci purgantis ipſos ad ventriculum
C attrahentis; à ventriculo, tam pharmacum, quàm humores ab ipſo attracti expelluntur à facultate expellente, quæ irritata ab illis conatur eorum à corpore expulſionem.

Ad tertium reſpondetur: Quòd de ratione cauſæ æquiuocæ eſt, quòd producat effectum diuerſæ rationis: quod autem hoc fiat, prius vniuocum producendo effectum, aut non, hoc accidit illi.

Resolvtio XIII.

Vtrùm putridi humores valeant attrahi vi ſolutiui pharmaci?

§. I.

Zacuti noua opinio proponitur.

ERuditiſſimus Zacutus *lib. 2. de Medicor. Princip. hiſtor.* huius fuit ſingularis opinionis, quòd cathartica integros valeant attrahere humores, non verò putridos, hos enim à ſola natura contendit expelli, his fultus rationibus.

Primò: Quia humores integros attrahi deducitur manifeſtè ex Galen. *lib. 1. de facultat. natural. c. 13. lib. de purgant. medicam. facult. cap. 5.* & ſimiliter patet putridos humores plerumque expelli à natura: Ergo putridi ſola naturæ vi, integri à catharticis expelluntur ex corpore.

Secundò: Rhabarbarum attrahit bilem ratione ſimilitudinis cum illa in modo ſubſtantiæ: Sed eo ipſo, quòd in modo ſubſtantiæ ſit ſimile bili naturali, non poteſt eſſe ſimile reliquis ſpeciebus bilis, quæ ſunt bili naturali diſſimiles: Ergo vi pharmaci bilis naturalis, reliquæ verò à natura expelluntur.

Tertiò, Atra bilis aliquando fit ex bile, aliquando ex melancholia: Ergo deberet attrahi per vtriuſque ſelectiuum pharmacum: Sed vnus humor diuerſis generis catharticis attrahi non poteſt: Ergo à natura expellitur.

Quartò. Humor, à quo morbus peſtilens oritur,

petit

petit porgari : Sed hic ſine putredine poteſt ſuboriri: Ergo humor oon putridus eſt qui petit purgarj.

Quintò. Gal. *l.2. de humorib. comm.8.* ſolùm docet purgandos humores, quando vnus illutuio ſuperabundat : Ergo dum integer eſt humor, & redundans, petit tantùm expurgari, oon verò dum potridus.

§. II.

Communis ſancitur Doctrina.

RESoluendum affirmatiuè.

Probatur primò : Si humores naturales traherentur, meliùs, & faciliùs fieret purgatio, pharmaco exhibito, pro naturalibus, quàm pro putridis humoribus: Sed contrarium docet Hipp. 2. *Aphor.* 37. *Corpora enim ſana difficulter ferre purgationes docet*: Ergo aptius potridi, quàm naturales humores attrahuntur.

Probatur ſecundò. In febribus putridis exhibito cathartico ſelectiuo eius humoris putridi, à quo dependet febris, ſubſequitur illius humoris putridi purgatio, ipſo verò pharmaco ſelectiuo illius ooo exhibito, humor ille putridus non euacuatus: Ergo putridi humores non à natura, ſed à cathartico trahuntur.

Probatur tertiò : In febre putrida pendente ex humore turgente putrido, ſtatim debet ille humor putridus purgari ſelectiuo pharmaco ex Hipp. 1. *Aphor.* 22. & 4. *Aphor.* 1. Ergo carhartico & non ſola naturæ ope fit purgatio putridi humoris.

Probatur quartò. Omnes ſpecies bilis præternaturalis in vno modo ſubſtantiæ bili proprio conueniunt, in quo differunt à reliquis ſpeciebus humorum : Sed cathartica attrahentia bilem, illam attrahunt ratione ſimilitudinis in modo ſubſtantiæ : Ergo non ſolum naturalis bilis, ſed præternaturalis, & potrida debet attrahi ſelectiuo cathartico.

Probatur quintò : Cathartica ſunt à natura deſtinata remedia in ſalutem humanam, in quantum valent humores à corpore expellere : Sed non ſecundum quod expellunt humores naturales quia hi ſunt neceſſarij in corpore : Ergo quia valent præternaturales, & putridos euacuare.

Probatur vltimò. In declinatione febrium putridarum, ex Hipp. 5. *Aphor.* 22. debent pharmaca ſelectiua propinari. Sed tunc febris adhuc remanens pendet ex putridis actu humoribus, & ex eorum euacuatione remmittitur : Ergo euacuantur putridi humores ſelectiuo pharmaco.

§. III.

Soluuntur Zacuti fundament.

AD primum fatemor, quod criticè, aut ſymptomaticè plerumque à natura euacuantur putridi humores : Sed plerumque ab illa non euacuari permanent, & indigent euacuati per aliquod cathatticum.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd quæcumque bilis habet, prout ab aliis humoribus differt, ſimilitudinem in modo ſubſtantiæ, ratione cuius poſſit attrahi à pharmaco ſelectiuo bilis.

Ad tertium reſpondetur : Quòd atra bilis, ſicut alterius fit generis ab homore, ex quo fit, & ponitur ſub melancholia, ita & à pharmaco ſelectiuo illius petit attrahi.

Ad quartum reſpondetur : Quòd humor, à quo peſtis dependet, ſi purgandus, per pharmacum proprium illius humoris purgandus, ratione enim modi ſubſtantiæ, oon ratione ſuperadditæ qualitatis attrahendus.

Ad quintum reſpondetur: Quòd Galenus intendit,

A quòd humores purgandi noo ſunt, qui commixti ſunt ſanguini, ſed qui ſeparati, aut ſupernatantes remanent.

SECTIO VI.

De coindicantibus, aut contraindicantibus pharmaci exhibitionem.

IN pharmaci exhibitione plura ſunt, quæ indicant, aut contraindicant illius exhibitio- B nem, de quorum aliquibus aliquas proponemus difficultates, quia circa eas diſcordes ſunt authores, ſiue ratione virium, ſiue ratione humorum, ſiue ratione diſpoſitionum eis ſuperueoientium, ſiue ratione humorom, ſint deſumendæ.

RESOLVTIO I.

Vtrùm maius virium robur pro pharmaci exhibitione requiratur, quàm pro miſſione ſanguinis?

C

§. I.

Valleſij, & Vegæ proponitur opinio.

SI tuant vires, nullum exequendum remedium valens eas labefactere ſanciuit Gal. 9. *methodi. c.* 13. 5. *Quod ſi quem curare ſtudes, vires autem extrema imbecillitate laborant toto illo tempore quo vires reficimus nihil aduerſus morbum eſt faciendum; cum autem robur connieceris, vt nihil, aut parum ex euacuatione ſint lædendæ, tunc eſt ad effectus curationem accedendum.* Sed ao validius robur requiratur, vt accedamus ad curationem per pharmaci exhibitionem, quam per ſanguinis miſſionem, nondum patet. Vega enim *lib.2. artis medend.* & Valleſius D *lib.7. controuerſ. c.10.* Pro mittendo ſanguine validius robur virium requiri iudicant : quibus faoet,

Primò : In purgatione euacuatur homor alienus à natura ſanguinis, cùm ſit cacochymus, ſeparatus ab eius commixtione, ineptuſque pro partium nutritione: Ergo cum minore fit diſpendio virium, quàm in ſanguinis miſſione, per quam ſanguis vtilis, & neceſſarius pro nutritione euacuatur, & ideò cum minori viriom robore poterit pharmacum exhiberi.

Secundò : Galenus in phlebotomia docet per pulſum vires attendendas, ne vires ſubitò lapſæ pereant ex ſanguinis defectu : Sed per purgationem non ita labuntur, nec tantum fit ſpirituum diſpendium : ergo E pro pharmaci exhibitione, noo ita robuſtæ vires requiruntur.

Tertiò; Humores pharmaco euacuandi plerumque venenoſi ſunt, prædīti deleteria vi : Ergo cum eorum euacuatione potius vires roborantor.

§. II.

Horatij Angenij opinio præfertur.

REſoluendom : Quòd ſecurior debet eſſe Medicus de robore virium pro pharmaci exhibitione, quam pro ſanguinis miſſione exercenda : ſic ſentit Horatius Angenius *lib.1. de ſanguin. mittend. capit.4.*

Probatur primò : Medicus ſecurior debet eſſe de virium robore pro eo exercendo remedio, quod cum

maiori

maiori periculo debilitandi illas fit: Sed ex pharmaci A exhibitione maius periculum poteſt ſubſequi, quàm ex ſanguinis miſſione: Ergo Medicus in eius exhibitione ſecurior debet eſſe de robore virium, quàm pro ſanguinis miſſione. Probatur minor. Tùm ex Galeno *lib. de medicamentis expertis*, dicente: *In exhibitione medicamenti purgantis exhibitio medicamenti in manu eſt medici, reliqua omnia opus ſunt fortunæ.* Tùm quia ex Hippocrate *lib. de medicament. purgantibus: Pharmaco exhibito, ægrum perire turpis eſt calamitas*: Quæ ſine virium ſecuro robore non poteſt euitari: Tùm quia ex Galeno 2. *acutorum* 12. *Nempè purgantium omnium medicamentorum natura, corporum, quæ purgantur, naturis contraria eſt, atque vt quiſpiam dixerit, lethalis, ac deleteria.* Tùm quia ſi vires debilitari cognoſcamus per pulſum, aut per aliud ſignum, purgatio ſiſti non poteſt, vt docet Galenus *lib. de ſanguin. miſſione, cap. 12. §. Quod enim ſemel deuoratum eſt medicamentum, quo minus omne deuoratum ſit fieri non poteſt; nec poſſibile eſt, vbi pluſquam conueniat, iam purgetur homo, partem oblati auferre.* At ſanguinis miſſio poteſt ſiſti, vt idem Galenus docet *lib. de vena ſect. aduerſ. Eraſiſtratum, cap. 7. §. Medicus huius ſolius euacuationis liberam habet poteſtatem ſiſtendi, quandocumque illi placuerit, aliarum autem nullius*: Ergo ex pharmaci exhibitione maior periculum poteſt ſubſequi, quam ex ſanguinis miſſione.

§. III.

Soluuntur Valleſij fundamenta.

C

AD primum reſpondetur: Quòd plerumque ſanguinis miſſione euacuatur ſanguis, qui redundat, & relinquitur, qui ſufficit pro nutritione, ſæpius verò euacuatur ſanguis qualitate peccans ratione commixti humoris intemperati, & inepti pro nutritione.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd Galenus docet in ſanguinis miſſione vires attendendas, quia ſi debiles fiant, in manu medici eſt ſiſtere euacuationem. In pharmaci exhibitione ſi vires anteà non cognoſcantur, vt medicamenti exhibitio ſiſtatur, poſtea eius operatio non poteſt ſiſti, & ideò Galenus non iubet vires attendi, vt ſiſtatur purgatio.

Ad tertium reſpondetur: Quòd ſi humores purgandi deleteria vi infecti ſunt, vires labuntur; nec ſufficiunt ferre euacuationem, quia lapſæ à deleteria vi proſternuntur agitatione pharmaci, ſpirituum ſimul confluentium defectu; & ideò maius ex euacuatione poteſt eſſe nocumentum, quàm ſecuritas ex euacuato humore.

RESOLVTIO II.

Vtrùm viribus præſtantibus, valida pharmaca ſint ex vſu?

§. I.

Pars affirmatiua fulcitur.

ANtiqui Medicinæ Doctores partem affirmatiuam ſuſtinendam ſuadent primò: Quia in eorum ſcriptis tantùm conſtat eos vſi conſueuiſſe pharmacis fortioribus: Ergo illis nobis vtendum eſt.

Secundò: Deuorato medicamento, poteſt æger vomitu, aut alio retinente auxilio eius operationem detinere, vt infra ſubſiſtat, quàm pro eius poſſe: Ergo vt ſecurior ſit eius effectus, debent fortiora medicamenta exhiberi.

Tertiò: Pharmaca benigniora non valent educere materiam craſſam, quam mouent: Ergo pharmaca fortiora pro eis debent exhiberi.

§. II.

Ex Arabum aſſenſu præfertur pars negatiua.

REſoluendum: Quòd benigniora pharmaca vſitata ab Arabibus, quammaximè fortioribus ſunt præferenda.

Probatur: Tùm ex Auicenna *Fen. 4. 1. t. 3. §. Melius eſt infra ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſime euacuare.* Tùm quia, vt docet Hippocrates *lib. de medicam. purgantibus: Turpis* B *eſt calamitas, pharmaco exhibito ægrum perire.* Tum quia ex Gal. *lib. de ſang. miſſione: Quod ſemel in ventrem deuoratum eſt medicamentum, quo minùs omne deuoratum ſit fieri non poteſt.* Tùm vſu compertum eſt ſecuriori euentu pharmaca benigniora ægris offerri. Tùm quia fortiora pharmaca, ſiue deleteria vi, ſiue manifeſtis qualitatibus potentiùs nocent: Ergo benignioribus eſt vtendum pro morborum curatione.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD primum reſpondetur: Quòd antiquiores Medici fortioribus vſi ſunt pharmacis, ſiue quia in C eorum ætates nondum benigniora fuerunt cognita, ſeu nondum ad eos aſportabantur.

Ad ſecundum reſpondetur: Quod, vt patet ex Galeno, impoſſibile eſt ſemel deuoratum medicamentum, deuoratum non eſſe; & conſequenter quod, ſi fortius ſit, & nimis alteratiuum, non inferat magnum nocumentum.

Ad tertium reſpondetur: Quòd pharmaca benigniora in maiori quantitate valebunt educere, vel partitis vicibus materiam, quam reſpiciunt, ſecuriori euentu, quàm quæ fortiora ſunt.

RESOLVTIO IX.

D Vtrùm coctione humores fiant obiectum medicamenti purgantis?

§. I.

Communis Medicorum proponitur aſſenſus.

OMnes Medici Dogmatici adhærentes ſententiæ 22. *lib. 1. Aphoriſm.* à nobis adductæ admittunt, quod materia morbifica ante exhibitionem medicamenti purgantis debet concoqui: ſed diſpoſitio, quam coctio ponit in illa, qualis ſit, non vnanimiter determinant.

E Alij enim coctionem requiri ante pharmaci exhibitionem indicant, quia per illam craſſiores redduntur humores, & ratione craſſitiei aptiores, vt ab illo poſſint attrahi, quod intendunt ſuadere. Tùm quia ex Gal. 4. *Acut. comm.* 4. & 2. *progneſt. comm.* 33. & ex Ariſtotele 4. *meteororum* c. 3. Quæ coquuntur craſſiora euadunt. Tùm quia coctio procedit tenues partes reſoluendo, & vniendo craſſiores cum reliquis: ex quo apparet coctione neceſſariò incraſſandos eſſe humores: Ergo coctio prærequiritur in illis, vt craſſitiem cauſet, quia aptiores ſunt, vt poſſint vi pharmaci attrahi.

Alij intendunt, quòd humores attenuentur per coctionem, & ratione tenuitatis fiant aptiores, vt poſſint pharmaco attrahi; fulti authoritate, Tùm Auicennæ

gum pharmacum, vt ipſe coartat, & caſu ob iecur ſupra herbas poſitum eſſet inuentum; ſimili modo, & experientia iterum eſſet cognitum & inuentum ſaltem in eadem Thraciæ parte, vel experiendi, vel alterius vſus cauſa, ab alio: Sed nunquam iterum fuit cognitum: Ergo experientia à Galeno narrata, non conuincit.

§. III.

Vetuſtioris opinionis diluuntur fundamenta.

AD primum reſpondetur: Quòd Galenus narrat vulgatem hiſtoriam, quam ab ipſo non creditam fuiſſe conuincit, quod nunquam vlterius hæmagogi meminerit medicamenti, quamtumvis de reliquis plura diſputauerit.

B Ad ſecundum reſpondetur: Quòd ſanguis poteſt à corpore trudi per medicamenta reſerantia venas anaſtomoſi, ſine eo quod electiua vi cathartici euacuetur, & talis fuit herba ab Indis cognita.

Ad tertium reſpondetur: Quòd adducta medicamenta, & alia plura vim habent reſerandi venas; de qua vi non dubitamus: ſed an alicui pharmaco inſit hæmagoga facultas ſelectiuè ſanguinem attrahens.

C

Resolutio IV.

Verùm primæ regionis ſolutiua pharmaca ſint tantum tria, comprimentia, lubricantia, & lenientia?

§. I.

Partis negatiuæ fundamenta proponuntur.

NEgatiuam partem ſuadere contendunt aliqui, alij minuendo, alij adaugendo numerum adductum.

Primò: Lenientia, & lubricantia, non diſtingui apparet: nam medicamenta purgantia debent diſtingui penes diuerſum modum ſoluendi ventrem: Sed lenien- D tia, & lubricantia, eodem modo ventrem mouent: Ergo non differunt inter ſe.

Secundò: Sub medicamentis ſolutiuis ventris ſunt abſtergentia, vt ſerum, abſynthium, ſal, beta; & emollientia, vt oleum, pinguiaque quæcumque; & humectantia, vt cucurbita, aqua, atriplex, malua, & liquantia, vt euphorbium: Ergo plura quam tria medicamenta ventrem ſoluentia ſunt admittenda.

§. II.

Communis præfertur opinio.

E

REſoluendum affirmatiuè. Sic ſanciuit Meſuës, & admittunt eius Commentatores, patebitque latiùs ex ſolutione argumentorum.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Quòd Medicamenta, lenientia, & lubricantia differunt in modo purgandi, quatenus lubricantia ex Arabum doctrina ſuo lentore aliqualiter fæces, & contenta in inteſtinis vniunt; ſua humiditate reddunt illa fluxibilia; ſua grauitate coadiuuant motum deorſum, ſic ſebeſten, & pſyllium purgant: lenientia verò dicuntur, quæ auferunt aſperitatem inteſtinorum, & eorum quæ

A continentur in illis, vt manna, & caſia-fiſtula, & omnia pinguia, & oleaginoſa, quæ actiones, cùm diuerſæ in modo, diuerſæ etiam dicuntur ſpecificè ſolutiua pharmaca.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd medicamenta, quæ abluunt, quæ abſtergunt, quæ emolliunt, ad lenientia medicamenta reducuntur, emolliendo enim, abluendo, & abſtergendo inteſtinorum aſperitatem auferunt. Colliquantia poſſunt ad ſelectiua pharmaca aliquo modo reduci, quatenus reſerando vias euacuant, & humores ab illis mouent.

Resolutio V.

B Verùm lubricantia, & lenientia ſint pharmaca ſelectiua vi operantia?

§. I.

Partis affirmatiuæ proponuntur fundamenta.

PArti affirmatiuæ fauet primò: Quod pharmacum diffiniatur à Meſuë *theorem. 1. canonum vniuerſal. Medicamentum purgatorium, neque vt contrarium agens in contrarium, neque vt ſimile attrahens, aut euellens alterum, ſed quia talem cælitus eſt ſortitum facultatem.* Sed lubricantia, & lenientia ſunt medicamenta purgantia: Ergo C habent facultatem occultam, ſelectiuam, & cœlitus communicatam.

Secundò: Caſia-fiſtula, & manna ſunt lenientia ex Meſuë: Sed ex eodem *lib. ſimpl. c. 5.* Caſia-fiſtula educit ſelectiuè bilem, & flegma, *& cap.* 8. Manna educit ſelectiuè bilem. Ergo ſelectiua virtute operantur.

§. II.

Pars negatiua, vt communis præfertur.

REſoluendum: Quòd medicamenta ſolutiua primæ regionis non purgant vi ſelectiua, ſed manifeſtis qualitatibus. Sic tenet Meſuës, & illius Commentatores, & eſt communis.

Probatur ex dictis: Nam comprimentia auſteritate D comprimẽdo purgant, lubricantia lentore, humiditate, & grauitate, vt diximus, lenientia lenitate ab humiditate aërea orta: Ergo operantur manifeſtis qualitatibus.

§. III.

Rationes dubitandi ſoluuntur.

AD primam reſpondetur: Quod Meſuës ſolutiua cathartica tantum intendit diffinire.

Ad ſecundam reſpondetur: Quod caſia-fiſtula, & manna ſuis manifeſtis qualitatibus ſoluunt ventrem prout lenientia, lubricantia, aut comprimentia; eadem verò aliquando habent, quòd ſimul ſint ſelectiua ratione alterius occultæ facultatis ſelectiuæ, & ratione E illius inter ſelectiua medicamenta à Meſuë ponuntur.

Resolutio VI.

Verùm ſelectiua cathartica humores generandi habeant vim?

§. I.

Aſclepiadis refertur figmentum.

PVrgatoria medicamenta talia dici, non quia aliquam vim humorum purgatiuam habeant, ſed quia quodlibet habet vim determinati, ac

propij

proprij humoris producendi, cuius copia irritata natura, illum poſtea expellit. Sententia fuit Aſclepiadis, referente Galeno *l. de Theriaca ad Piſonem, & in comm. ad lib. de natura humana.* & Van Helmont proſequitur eam, tanquam in ſomnis à Deo receptam, indicátque ab eis ex ſanguine ſanie produci euacuandam, *lib. de febribus cap. de purgat.*

Suaderi poteſt primò: Quia purgatio eſt euacuatio humoris cacochymi: Sed etiam ſi non reperiatur in corpore humor cacochymus, cathartico exhibito, purgatur humor iuxta cathartici naturam: Ergo ab ipſo medicamento proportionalis ille humor generatur qui poſtea fit cacochymus.

Secundò: in febre ardenti, in qua redundat bilis, ſi exhibeatur melanagogum pharmacum, purgatur melancholia, cuius copia priùs non reperiebatur: Ergo quia vi medicamenti exhibiti generatur.

Tertiò: Exhibito rhabarbaro, etiam ſi in prima regione redundet pituita, quidquid euacuatur, pallidum, & bilioſum apparet; Ergo quia generatur bilis, quæ redundat, & euacuatur poſtea à rhabarbaro.

§. II.

Hippocratis, & Galeni præfertur opinio.

RESoluendum negatiuè, ex Hippocrate *lib de natura humana,* & Galeno *lib de medicam. purgantibus,* & ex communi opinione Dogmaticorum.

Probatur primò: Si cathartica haberent vim generandi vnum determinatum humorem ex reliquis, C vnum pharmacum ſecundum ſpeciem ſufficeret pro purgandis omnibus humoribus, cùm ſufficeret ex omnibus vnum generare, cuius expulſione, & expurgatione reliqui, ex quibus fit, expurgarentur: Sed pro quolibet humore cacochymo ſpecie diuerſo, diuerſa ſpecie requiruntur cathartica: Ergo non habent vim generatiuam humorum.

Probatur ſecundò: Sanguis peteret ſanguinis miſſione euacuari, cùm non detur, vel non cognoſcatur hæmagogum medicamentum, neque à ſanguine indicetur purgatio: Sed ſi à medicamentis purgatiuis conuerteretur ſanguis in reliquos humores, purgaretur ſicut reliqui humores: Ergo non eſſet neceſſaria ſanguinis miſſio.

Probatur tertiò: Communis Medicorum opinio tenet cum Galeno, quòd differunt ſanguinis miſſio, & purgatio: quia per hanc, determinatus humor; per illam, omnes indifferenter euacuantur: Sed ſi ex maſſa ſanguinaria ſelectiuum pharmacum produceret determinatum humorem euacuandum, ſicut indifferenter omnes humores conuertit in humorem euacuandum, ſimiliter & omnes humores, indifferenter in illam conuerſi euacuarentur: Ergo nulla eſſet purgationis à ſanguinis miſſione differentia.

§. III.

Diluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Quòd cùm ſemper ſint intra venas quattuor humores actu, & formaliter diuerſi, ſemper medicamentum purgans adinuenit humorem, quem ſelectiuè attrahat, ſed dum ille humor eſt ſeparatus à commixtione ſanguinis, & cacochymus rectè perficitur purgatio, quia natura adminiculatur ad illius purgationem; dùm verò eſt ſanguini commixtus, medicamentum attrahit, propter ſimilitudinem cum illo, natura, quia ſanguini eſt commixtus, retinet, & ideò laborioſa, quæ ſubſequitur, fit purgatio.

Ad ſecundum reſpondetur: Quod licèt redundet bilis, eſt ſimul in maſſa ſanguinaria melancholia,

A cuius attractionem intendit melanagogum medicamentum.

Ad tertium reſpondetur: Quòd pharmacum, quod bilem reſpicit, illam attrahit à venis. & ab illa, & rhabarbaro pallida redduntur reliqua excrementa quæ ſimul euacuantur, licèt non conuertantur in bilem.

Resolutio VII.

Vtrùm ſelectiua cathartica ſola irritandi facultate exequantur purgationem?

§. I.

B *Antiqua opinio ac Ariſtot. ſententia ſuſcitatur ab aliquibus, & eius fundamenta proponuntur.*

PRimi ſeculi Hippocrate antiquiores Medici ſubtrahere conabantur à catharticis omnem aliam facultatem præter qualitates irritantes, mediis quibus iudicabant cathartica ſtimulare naturam, vaſa aperire, debilitare, & concitare iudicabant ad ſui expulſionem, aptiuſque moueri, quod propinquius, quod abundans, quod fluxile, & quod magis obuium. Huic opinioni ſubſcribit Ariſtot. *lib. 1. problemat.* 41. cui adhæret Puteanus inter moderniores, & nouiſſimè Doctor Franciſcus Sanchez *lib. de purgat.* qui in hanc labitur opinionem, clam diſcedens ab Hippocrate, quem defendere oſtentat. C

Probatur primò: Sola obiectiua irritatio ſufficit in humoribus, in alimentis, in aliiſque quamplurimis externis rebus, vt cogatur natura ad euacuationem tentandam eorum, quæ irritant, & ſimul vt exequatur eorum expulſionem per ventrem, aut vomitum: Sed cathartica ſunt naturæ inimica, irritantiaque, tam per manifeſtas, quàm per occultas, ac deleterias qualitates: Ergo ſola irritatione valent cogere naturam ad humorum purgationem. Probatur maior: Tùm in euacuationibus per ventrem, tam criticis, quàm ſymptomaticis. Tum ex potu aquæ frigidæ ad ſatietatem, à quo plerumque ſubſequitur criſis peccantium humorum per ventrem. Tum ex nimio po- D tu, aut vſu alimenti, à quo contingit ventrem moueri: Tùm ex odore pharmaci, venenorum exhibitione animi paſſionibus, aëre inuſitato, aut marino, odore inſoliti vini, aut moleſtantis cuiuſvis alterius rei in eis, qui eam auerſantur, à quibus ſola irritatione ſubſequitur purgatio, ſine aliqua ſpecifica vi humorum loco-motiua: Ergo ſola vi obiectiua medicamenta irritando naturam ſunt cauſa euacuandi humores.

Secundò: Si medicamenta cathartica attraherent humores ſelectiua vi loco-motiua, ſolum poſſent attrahere humores, ad quos purgandos haberent determinatam vim: Sed quodlibet catharticum omnes valet euacuare humores, vt in ſuperpurgationibus apparet: Ergo ſola irritatione fit ab illis humorum eua- E cuatio.

Tertiò: A catharticis in magna quantitate exhibitis, nõ ſolùm reliqui humores attrahuntur, ſed & ipſe ſanguis, quartus humor: Sed nulla eſt in catharticis virtus loco-motiua ſanguinis; Ergo ſola vi irritandi ſanguinis, & reliquorũ humorum ſimiliter fit purgatio.

§. II.

Communiori opinioni acquieſcimus.

REſoluendum negatiuè, ex Hippocrate *lib. de natura humana*, ex Galeno *lib. de purgantibus medicament.* ex Meſuë *in Canon. vniuerſ.* ex Auicenna & ex communi Claſſicorum Dogmaticorum

aſſenſu. Tùm quia aliàs non eſt cur à determinato A pharmacn determinatus attrahatur humor. Tùm quia ex ſubſequenter dicendis ſatis manifeſtè patefit huius reſolutionis doctrina.

§. III.

Innouatorum fundamenta diluuntur.

AD primum fatemur: Quòd ab irritantibus quibuſvis cauſis poteſt laceſſita natura expellere redundantes ſubſtantias tenuiores, primis viis obvias,& fluxibiliores; & à quibus magis laceſſita natura, ſed non cum ſelectione, qualiter attrahuntur humores à cathartico ſelectiuo, in criſi, natura vincente, moleſtantem morboſam cauſam mouet, in B principiis ſymptomaticè euatuat vtiles cum inutilibus commixtos,materiæ concocta, ſolum aggreditur euacuationem morboſæ cauſæ. Potus frigidæ aquæ, vel laxando mouet à prima regione, vel per accidens à ſecunda;quia remiſſa caliditate potentior natura reddita criſim aggreditur. In animi paſſionibus defectu caloris, debilitatis viribus, humores non retinentur, ſuoque deſcendunt pondere. Quæ verò irritant, mouent per accidens indeterminatam quamcumque ſubſtantiam motui aptam; at verò cathartica ſelectiua vi cum humorem, quem vt obiectum reſpicitunt.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd cathartica propria vi proprium, ſeu ſimilem reſpiciunt, & attrahunt humorem, dum moderata exhibeantur quantitate; dum verò in maiori doſi offeruntur, quàm quæ C requiritur pro attractione humoris, in quem tendit facultas;vires debilitant, itruuntque reliqui humores poſt ipſum, viribus debilitatis.

Ad tertium reſpondetur: Quòd quantumcumque appetat natura ſanguinis retentionem, quia ex Galeno animæ ſedes eſt,tandem viribus reſtractis, & natura deuicta, nimia exſolutione ſpirituum facta, in reliquorum humorum euacuatione ipſa decumbit, & ſanguis non vi cathartici attractus,ſed ob impotentiam facultatum fluit cum reliquis humoribus proprio pondere commotus ad eaſdem vias, per quas & reliqui humores fluebant.

Resolvtio VIII.

Vtrùm manifeſtis primis, aut ſecundis qualitatibus operentur cathartica?

§. I.

Affirmatiuam partem licet difformiter recipiunt plures.

EOrum, qui catharticis tribuunt vim attrahendi humores mediis ſuis facultatibus, plerique hanc vim tribuendam eſſe manifeſtis qualitatibus contendunt: Alij ſoli calori:Alij calori,& ſimul occultæ qualitati. Alij quintæ qualitati ex primis reſultantit Alij ipſis qualitatibus primis commixtis: Alij ſecundis etiam quibuſdam qualitatibus, tenuitati, loquam, aut tacitati: Alij ex ſaporibus præcipuè amaro, hanc humorũ attrahendi attribuunt virtutẽ:pro quibus ſtat,

Primò:Calor ſe ſolo valet attrahere: ſed omne catharticum eſt calidum à prædominio: Ergo omne catharticum valet ſolo calore attrahere humores. Probatur maior: Tùm ex Galeno *lib.6. de v'u partium*, c. 15.*lib.5.ſimpl. c.17. lib.13. method.c.5.lib.2. de febribus, cap.3.& ſect.7. Aphoriſm.1.* Tùm ex Auicenna *fen.1. de Prin. 6.cap.5.* Tùm apparet in externis, in quibus a Solis calore ſurſum trah untur vapores: Tùm experientia docet in corpore humano humores attrahi à calore in partem inflammatam: Tùm docuit Galenus ad partes externas quo pacto à thapſiæ calore attrahantur: Ergo ſe ſolo calor eſt ſufficiens cauſa ad attrahendos humores.

Secundò:Solum calorem non ſufficere, licèt coadiuuet, vltra illumque requiri occultam facultatem contendit Auerroës *lib.5. collige, cap.13.* Quia quodlibet medicamentum calidum purgans ratione caloris indifferenter attraheret omnes humores: Sed determinatum medicamentum attrahet determinatum humorem:Ergo non ſolo calore,ſed ſimul coadiuuante occulta vi cathartici,fit attractio humorum.

Tertiò: Non ſolo calore,ſed potiùs à toto temperamento fieri tractionem, ſuadet, quod non quodlibet calidum medicamentum, aut alimentum attrahit humores: Ergo potius ratione temperamenti, quod in diuerſis rebus eſt diuerſum, fit attractio, quam à ſolo calore.

Quartò: Cathartica minus amara attrahunt à minori diſtantia & attrahunt tenuiores humores; è contra contingit fieri à catharticis amarioribus: Ergo ratione qualitatis amaræ fit attractio. Patet conſequentia,aliàs ad intenſionem,aut remiſſionem amaræ qualitatis non intenderetur, aut remitteretur actio attrahendi in pharmacis.

§. II.

Deciditur, pro negatiua parte.

REſoluendum negatiuè:Sic tenet Hippocrates *lib. de natura human.lib.de medicam. purgantib.lib.ſimplic.cap.25.commento 11.in lib. de natura human.tex.27. lib.contra Iulianum,cap.13.lib.de facult.naturalib.lib. de theriaca ad Piſonem, lib.5. ſimplic. cap.16.* tenentque claſſici Authores.

Probatur primò ex Meſuë *theorem. 1. Canon. vniverſ.& 2.* In quibus determinat, & probat, quòd attractio humorum non fit per manifeſtas qualitates, ſed per formæ proprietates.

Probatur ſecundò à ſimili in magnete, qui ſimili modo ferrum attrahit, & in trahente facultate vegetatiua, à qua trahitur alimentum, quarum quælibet diuerſa eſt à temperamento, & à primis, ac ſecundis qualitatibus:Ergo diuerſa debet etiam eſſe in catharticis facultas humorum attractrix. D

Probatur tertiò: Quòd à calore non fiat ſelectiua attractio, Mirabolani citrini ſunt frigidi in primo gradu,ex Meſuë *lib.ſimplic. cap.2.* & Tamarindi ſunt frigidi in ſecundo gradu, & *eodem lib.ſimpl.cap.7.* & ex eodem bilem attrahendi habent vim: Tùm qualitas eſt calor, quo indifferenter trahuntur humores omnes; cathartico quilibet determinati tantùm trahuntur: Tùm quia nec calori, nec cuicumque alterâ qualitati ineſt virtus trahendi per ſe primò, niſi ratione loco-motiuarum qualitatum, quæ ſubſequuntur ex Meſuë: Tum quia à calore tenuiores humores primò ſemper trahuntur à melanagogis, & phlegmagogis catharticis melancholia, & pituita: Tùm E quia piper,vinum,aqua vitæ, etſi calida,humores non attrahunt, nec plura alia calida medicamenta: Ergo à nullis primis qualitatibus fit attractio ſelectiua humorum.

Probatur quartò: De temperamento, ac reliquis ſecundis qualitatibus manifeſtis, quòd non attrahant ſelectiuè:Tùm quia temperamentum qualitatiuũ non eſt aliud a primis qualitatibus, quarum nulla eſt qualitas loco-motiua; ſubſtantificum, eſt ſubſtantia, cui non accidit operari: Tùm de ſaporoſis qualitatibus experientia docet non eſſe loco-motiuas,aliàs ab omni amaro alimento fieret attractio:Ergo nulla ex his qualitatibus eſt virtus ſelectiua humorum attractrix.

§. III.

§. III.

Diluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Tum quòd calor non attrahit per ſe, ſed diſpoſitiuè, quatenus poros aperit, partes rarefacit, humores attenuat, & motui aptiores reddit; quod Galenus intendit docere: ſed vt moueantur ad partem ſic diſpoſitam, requiritur loco-motiua virtus, à qua tractione ad partem, aut expulſione ab illa moueantur, quas eaſdem facultates calor diſpoſitiuè poteſt adaugere, potentioréſque reddere, non tamen ſe ſolo mouere motu attractionis in aliquam partem: Tum quòd calor, aut calidum medicamentum in parte diſponunt ad humorum receptionem, & partium facultates eos mouent.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd ſi præter calorem Auerroës facultatem loco-motiuam humorum requirit, qua attrahantur, non diſcedit à veritate, ſi quid aliud, quid ſentiendum de attrahente vi patebit inſrà.

Ad tertium reſpondetur: Quòd cùm temperamentum non habeat vim localiter mouendi, ſed ſolum diſpoſitiuè, præter illud requiritur facultas attrahens.

Ad quartum reſpondetur: Quòd calor in amaria poteſt aliqualiter diſpoſitiuè coadiuuare ad attractionem facultatis loco-motiuæ ſimul exiſtentis: non tamen ſine illa attrahere, nec requiritur ad illam, quia ſine amarore non poſſit à ſola facultate ſelectiua fieri attractio.

C

Resolvtio IX.

Vtrùm ratio trahendi in catharticis ſit ſimilitudo?

§. I.

Iouberti, Cardani, Puteani, & aliorum proponitur opinio.

IOnbertus *decad. 2. Paradox. 9.* cathartica contrarietate purgare humores contendit, Cardanus *lib. de ſubtilitate*, accedit ad eorum opinionem, qui ſimilitudinem ad tractionem, non conducere contendunt, Puteanus *lib. 1. de purgantib. medicament. cap. vlt.* à Galeni ſententia deuiat, qui ratione ſimilitudinis fieri attractionem contendit, aliique quamplurimi eorum ſubſcribunt opinioni, validiſſimis fulti rationibus.

Primò: Si ſimilitudo eſſet cauſa, aut ratio trahendi humores, vel vt formaliter eſt relatio, vel vt eſt fundamentum relationis: Sed non vt formaliter eſt relatio, quia totum eſſe relationis eſt ad aliud ſe habere, in quo nihil actiuitatis includitur; non vt eſt fundamentum relationis, quia vt ſic, vel vt eſt proximum, vel vt remotum, eſſet ratio trahendi: Proximum fundamentum ſimilitudinis deberet eſſe qualitatiuum temperamentum, ſicut remotum ſubſtantificum: Sed nec qualitatiuum temperamentum attrahit, vt probauimus, nec ſubſtantificum, cùm ſit ſubſtantia non diſtincta à partibus materialibus, cui non datur agere: Ergo nulla eſt illi ratio trahendi humores.

Secundò: Ab Agarico ex Meſuë calido purgatur pituita in omni opinione frigida: Sed inter duas entitates, quarum vna eſt frigida, & alia calida, non datur ſimilitudo: Ergo non fit attractio ratione ſimilitudinis in catharticis.

Dices: Quòd ſimilitudo non requiritur ratione qualitatum primarum, ſed ratione ſubſtantifici temperamenti ſeu partium materialium proportionis.

Contrà: Inter hæc duo nulla poteſt dari ſimilitudo ratione ſubſtantiæ: Ergò agaricum non attrahit pituitam ratione ſimilitudinis. Probatur antecedens, ſi eſ-

A ſent ſimilia in ſubſtantiæ modo, vel ratione formæ, & hoc non; cùm differant ſpecie vel ratione materiæ primæ, & hæc ſimilitudo non ſufficit, cùm ſit communis omni enti phyſico ſublunari: vel ratione ſubſtantifici temperamenti, & in hoc non; quia cùm qualitatiuum ſequatur ad ſubſtantificum, ſicut differunt in temperamento qualitatiuo, debent differre in ſubſtantifico: Ergo nullam habent ſimilitudinem.

Tertiò: Elleborum ex Meſuë purgat humorem melancholicum, & pituitoſum: Ergo non purgat eos humores ratione ſimilitudinis. Probatur conſequentia. Pituita eſt diſſimilis melancholiæ in qualitatiuo, & ſubſtantifico temperamento; Ergo ſi alterum ex his humoribus purgat ratione ſimilitudinis, non poteſt B cadem ratione purgare alterum.

Quartò: Attractio ratione ſimilitudinis fit ſolùm à partibus viuentibus attrahentibus ſubſtantiam ſimilem, ea qua poſſint nutriri: Sed cathartica non attrahunt humores, vt ea illis nutriantur: Ergo non attrahunt illos ratione ſimilitudinis.

Quintò: Si ratione ſimilitudinis catharticum attraheret humores, eadem ratione vna bilis attraheret aliam bilem: Sed illam non attrahit: Ergo non fit attractio ratione ſimilitudinis.

Sextò: Medicamenta, quibus magis aſſueſcimus, magis ſunt ſimilia propter conſuetudinem: Sed minus attrahunt: Ergo ſimilitudo non conducit ad attractionem.

§. II.

Vera, & antiqua amplectitur Doctrina.

REſoluendum: Quòd ſimilitudo in modo ſubſtantiæ temperamenti ſubſtantifici, non vt agendi vis in catharticis, ſed vt ratio formalis ſub qua conſtituuntur humores in eſſe obiecti facultatis ſelectiuæ, eorum eſt ratio purgandi. Sic deducitur ex Hippocrate *lib. de natura humana*, ex Galeno *lib. de facult. ſimpl. medicament. c. 24. & 25.* Et ſic intelligenda venit opinio eorum, qui ratione ſimilitudinis iudicant cathartica attrahere humores.

Probatur primò ex Hippocrate, & Galeno, qui cùm D neceſſariam conſtituant facultatem ſelectiuam in catharticis, & vlterius ſimilitudinem requiri contendunt. Cùm ergo non requiratur ſicut facultas ad attrahendum, debet ſaltem admitti, tanquam ratio obiectiua ſe habens ex parte obiecti.

Probatur ſecundò ex Hippocrate *lib. de natur. human.* vbi docet attrahentem catharticorum humores attrahere, ſicut attractrix viuentium attrahit alimenta: Sed in alimenti attractione ſimilitudo alimenti in modo ſubſtantiæ cum parte nutrienda eſt ratio formalis conſtitutiua illius in eſſe obiecti facultatis attrahentis: Ergo eadem ſimilitudo in humoribus cum pharmaco attrahente eſt ratio obiectiua, ratione cuius attrahuntur.

Probatur tertiò. Rhabarbarum attrahit bilem ſelectiua vi, non verò reliquos humores: Ergo aliquid eſt in bile, ratione cuius conſtituitur in eſſe obiecti facul-E tatis attrahentis Rhabarbari, quod non reperitur in reliquis humoribus: Sed hoc nihil aliud poteſt eſſe præter ſimilitudinem repertam in bile in ſubſtantiæ modo, ratione cuius tanquam in id, quod ſimile eſt, & ratione ſimilitudinis ſui conſeruatiuæ intendit eius attractionem: Ergo illa eſt ratio formalis obiectiua, ratione cuius attrahitur.

§. III.

Primò adducta argumenta ſoluuntur.

AD primum reſpondetur: Quòd temperamentum ſubſtantificum, vt cum tali modo ſubſtantiæ propor-

proportionem habet in humore cum temperamento ſubſtantifico talis cathartici, quæ eſt ratio formalis conſtitutiua illius in eſſe obiectiuo talis facultatis.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd in quolibet medicamento purgante ſunt diuerſæ partes materiales, & diuerſi modi mixtionis; vt ſecundum vnam partem modus ſubſtantiæ ſit diuerſus, ac eſt ſecundum alias, & ita Rhabarum ſecundum alias purgat, ſecundum alias adſtringit, & in illis partibus medicamenti, in quibus in modo ſubſtantiæ eſt ſimilitudo cum humore, eſt virtus attractiua illius, licèt differant ſecundum reliquas partes in qualitatiuo, & ſubſtantifico temperamento.

Ad tertium reſpondetur: Quòd ſicut idem catharticum poteſt habere diuerſas partes, in quibus ſint diuerſi ſubſtantiæ modi, ſimiliter poteſt habere diuerſas facultates, & ſimilitudinem in modo ſubſtantiæ cum diuerſis modis ſubſtantiæ diuerſorum humorum.

Ad quartum reſpondetur: Quòd attractio ex Galeno *lib. 3. de facult. natural. c. 13.* fit propter potiri ſubſtantiæ attractæ: & hoc contingit dupliciter; vno modo, per ſimilis repoſitionem, & nutritionem; alio modo per ſolam ſimilitudinem in modo ſubſtantiæ, ratione cuius conſeruatur faciliùs attrahens per conſortium rei attractæ. ſicut contingit in fellea veſicula cum bile, & in magnete, qui ob hanc rationem ferrum attrahit, non vt ex illo nutriatur, ſed vt in eius conſortio conſeruetur, & hoc idem contingit in catharticis, ſine eo quod nutriantur ex humoribus.

Ad quintum reſpondetur: Quòd ratione ſimilitudinis vnus humor alterum attraheret, ſi haberet facultatem attrahentem, ſicut habet catharticum, defectu enim illius, nec vnus humor alium ſimilem, nec vnum ferrum alterum attrahit.

Ad ſextum reſpondetur: Quòd inter humorem & catharticum ſelectiuum illius requiritur ſimilitudo in modo ſubſtantiæ, & vlterius requiritur diſſimilitudo inter humorem, & medicamentum, & inter partes noſtri corporis, quarum ope media expultrice expellitur humor a pharmaco attractus, & quia ab aſſuetis non fit paſſio, licèt ſimilitudine fiat melius attractio, non perficitur ab aſſuetis ex toto, purgatio, quia deficit expulſio, per quam vltimò purgandi actio conſequitur media expellente vi partium noſtri corporis.

Resolvtio X.

Verùm cathartica media facultate attractrice habeant vim purgandi humores?

§. I.

Ariſtot. opinio proponitur: Meſuës, & aliorum referuntur ſententia.

ARiſtoteles 10. *problem.* 43. & 48. contendit quòd cathartica moueant humores; non quia aliquam facultatem attractricem obtineant, ſed cum illis commixti humores interturbant, ſeparant, & refluendo pharmaca, & humores, quia irritant, à partibus mota refluunt. Meſues *lib. Canon. vniuerſ.* contendit, quod fit attractio cæleſti quadam vi formæ cælitus immiſſæ, ex quo, & alij à formæ proprietate humorum tractionem contendunt fieri.

Probatur primò, quia illa tantum mouent humores, quæ non poſſunt exuperari à natura, quæ acria, & quæ moleſta ſunt: Ergo purgant, quia cùm non poſſint vinci, humores interturbant.

Probatur ſecundò, Catharticum purgat, non quia ſimile, vel diſſimile, vt docet Meſuës, ſed quia tale: Sed quodlibet fit tale per ſuam formam ſubſtantialem: Ergo medicamenta attrahunt per formam ſubſtantialem.

Probatur ſecundò: Catharticum purgat, non quia res, vt docet experientia: Sed non aliqua facultate manifeſta, vt probauimus: Ergo cæleſti, & ſuperioris ordinis.

§. II.

Hipp. & Galeni præfertur opinio.

REſoluendum: Quòd cathartica attrahunt humores facultate attrahente occulta, & à tota ſubſtantia dicta. Sic tenet Hippocrates *lib. de nat. hum. lib. de medicament. purgant.* Galenus *lib. de purgant. medicam. facultat. lib. 3. ſimplic. cap. 13. & 24. comm. 5. in lib. de natur. human. text. 17. lib. de natural. facul. lib. contra Iulian. cap. 13. lib. de theriac. ad Piſonem*, & aliis in locis.

Probatur primò: Humor mouetur verſus eam partem in qua reperitur catharticum: Ergo mouetur à facultate attrahente. Patet conſequentia, quia motus ad ſe eſt ab attrahente, ſicut motus à ſe ad aliud à facultate expellente.

Probatur ſecundò: Cathartico non quilibet humor indifferenter mouetur, ſed determinatus humor à determinato cathartico: Ergo quia habet determinatam vim attrahentem illius ſelectiuam, qua valet illum à reliquis ſeparare, & ad ſe trahere. Patet conſequentia, nam ſi perturbando humores fieret purgatio, indifferenter omnes perturbati purgarentur.

Probatur tertiò: Ex Hippocrate *lib. de natur. human.* vbi docet, quòd attrahit catharticum humores, ſicut planta alimentum: Sed planta attrahit alimentum media facultate attrahente: Ergo cathartica attrahunt humores, medi[illegible] lectiua vi attrahente.

Probatur quartò: Facultas, qua humores mouentur verſus catharticum, non eſt qualibet ſubſtantia communis, qualis eſt in materia prima, alias in omni ente phyſico reperiretur: non eſt aliqua qualitas manifeſta ex primis, aut ſecundis, vt manet probatum; non eſt aliqua qualitas cæleſtis. Tum quia cùm ſit proprietas formæ ab illa debet pullulare: Tum quia ſicut cum medicamento coniuncta, ſimiliter coniuncta alteri entitati eſſet purgatiua, quod non accidit: non eſt aliqua vitalis facultas, nec ſenſitiua, cùm reperiatur in vegetatiuis: nec vegetatiua, cùm poſſit dari in non viuentibus: non eſt ipſa forma ſubſtantialis, cui non datur, quòd ſit immediatum principium agendi, nec vna niſi vnum attraheret humorem: Ergo ſolùm reſtat, quòd ſit facultas à tota ſubſtantia, abdita, ſeu occulta dicta.

§. III.

Soluuntur argumenta.

AD primum reſpondetur: Quòd omni medicamento eſt commune, prout diſtinguitur ab alimento, quod non exuperetur à natura; nec ideò omnia purgant, niſi tantum cathartica, quia hæc tantum habent vim trahendi humorem inſita loco motiua facultate.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd catharticum purgat, quia eſt tale vt ab eius forma oriatur attrahens facultas à tota ſubſtantia, quæ valet mouere ad

ſe-

ſe humorem determinatum, in cuius attractionem eſt à natura deſtinata determinata talis facultas.

Ad tertium reſpondetur: Quòd licèt non trahantur aliqua manifeſta facultate, occulta aliqua trahuntur, de qua ſubſequitur reſolutio.

Resolvtio XI.

Quid ſit facultas dicta à tota ſubſtantia, abdita, cæleſtis formæ, ſeu occulta?

§. I.

Aliqua ad intelligentiam præmittuntur.

ARdua eſt difficultas de facultate, quæ à tota ſubſtantia dicitur, abdita, ſeu occulta, de qua librum promittit Galenus *lib.* 11. *de ſimplic. medic. facult. c.* 3. qui ad nos non peruenit, nec forſan fuit editus ob argumenti difficultatem. Pro cuius intelligentia notandum: quod in mixto ſunt conſideranda rei ſubſtantia, ſubſtantiæ modus, & accidentia: ſubſtantia alia eſt totalis, ipſum ſcilicet ens phyſicum; alia eſt partialis forma, & materia. Materia, alia eſt materia vt pura potentia conſiderata, indifferens ſimpliciter: alia, materia prima elementalis, quæ ignea, aërea, aquea, aut terrea dicitur ob præceſſiſſe ſub forma aliqua elementali, ex quo manet ſigillata ad qualitates ſimiles recipiendas formæ, quæ præceſſit. Modus ſubſtantiæ realiter formaliter quid aliud eſt ab ipſa, non realiter entitatiuè, aliàs accideret illi; & eſt duplex, alter ſubſtantiæ totius entitatis phyſicæ, vt ſubſiſtentia, exiſtentia, & vnio (ſi detur;) alter eſt modus ſubſtantiæ ſolius materiæ primæ, non vt eſt pura potentia indifferens, ſed vt eſt materia ſigillata ex præceſſiſſe formæ elementalis in illa, & vt eſt commixta materiis reliquorum elementorum, ex qua commixtione ſecundum maiorem, aut minorem numerum partium huius, vel illius elementi ſub forma mixta diuerſus ſubſtantiæ modus ſuperuenit; impropriè tamen ab aliquibus aliquæ ſecundæ qualitates ſolent vocari modus ſubſtantiæ, vt tenuitas, lentor, raritas, denſitas, craſſities, & alia propter ſimilitudinem forſan, quia ab his ſolet poni in materia ſimilis ſubſtantiæ modus, ac eſt ille, qui ſubcreſcit in illis ex partium materialium elementorum commixtione.

Accidentia, quæ ſuperueniunt in mixtis, alia producuntur à forma, vt forma mixta eſt; alia à forma, vt eſt viuens; alia à forma non vt mixta, nec vt viuens, ſed vt eſt forma ſpecificè talis: Quæ producuntur à forma vt mixta, producuntur ab illa ſecundum quod virtualiter eminenter continet elementa, & vt ſic producuntur à forma mixta quatuor qualitates primæ elementales, caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, quæ ſunt primæ virtutes ſenſibiles, & producuntur qualitates, quæ ex illorum interuentu fiunt, quæ ſunt ſecundæ qualitates, ſeù virtutes mixtorum, huiuſmodi ſunt facultas aperiendi, quæ ad calorem ſequitur, rarefaciendi, attenuandique, & facultas incraſſandi, repellendi, denſandi, quæ ſequuntur ad frigiditatem, & facultas emolliendi, quæ ſequitur ad humiditatem, & facultas indurandi, quæ ſequitur ad ſiccitatem. Quæ producuntur accidentia à forma vt viuente, ſunt facultates, quæ operantur ſub aliquo determinato gradu vitæ, vegetabili, ſenſitiuo, aut rationali, iuxta organum pro earum actione proportionatum. Quæ verò fiunt, & ſubſequuntur

A à forma non vt mixta, nec vt viuente, ſed vt ſpecificè tali, nec ſunt primæ qualitates, nec quæ fiunt interuentu illarum, nec ſunt potentiæ contentæ ſub aliquo gradu vitæ, ſed ſunt quædam qualitates, vires, ſeù facultates, quæ ſequuntur tanquam peculiares proprietates formæ, præciſe vt talis forma eſt, & ſicut forma, vt mixta determinatur ad producendas qualitates cuiuslibet elementi per partes materiales elementorum, & forma viuens per partes organicas conducentes ad operationes vitales, ſic determinatur forma ad qualitates ſibi debitas, & ſpecificè adaptatas per quemdam ſubſtantiæ modum taliter coaptatum ad
B eius actionem, ita vt licet forma informet materiam ſecundum alios ſubſtantiæ modos, non producat in illa ſimilem qualitatem, vt apparet in Rhabarbaro, quod in partibus tenuioribus habet vim ſoluendi ventrem, & attrahendi bilem, in craſſioribus adſtringendi; ſic lentiſcus ſoluit ſecundum aliquas partes, ſecundum alias adſtringit, ſic idem medicamentum per diuerſas partes diuerſos attrahit humores, ſic plura venenoſa animalia ſecundum vnam partem deleteria vi operantur, ſecundum aliam ſunt alexipharmaca.

Notandum ſecundò: Quòd affectus prouenientes à facultate, quæ pullulat à forma, vt ſpecificè tali, di-
C cuntur mirabiles, quia cùm Medicus non percipiat cauſam, ſicut percipit cauſas reliquorum effectuum quæ proueniunt à forma vt mixta eſt, quia non eſt cauſa ſenſibilis ſenſibiliter immutans aliquem externum ſenſum, ſed tantum à poſteriori per hos effectus, & per diſcurſum tendit ad cauſæ cognitionem; & ideò illorum facultas, ſeu cauſa dicitur abdita, aut occulta, quia occultatur ſenſibus; dicitur à proprietate ſubſtantiæ orta, quia à forma, quæ dat eſſe rei oritur tantum proprietas illius, vt eſt talis forma, & à qua prouenit tale eſſe, dicitur à tota ſubſtantia, quia pullulat à forma, vt determinata per materiam, vt cum tali modo ſubſtantiæ, & ideò à tota rei ſubſtantia, ſcilicet à forma, & materia prouenit, dicitur cæleſtis, quia eius pullulatio non tribuitur cauſis ſublunaribus, & elementalibus, ſicut pullulatio ſenſibilium qualitatum;
D ſed à forma vt tali, cuius cæli, & ſol dicuntur generationis cauſa vniuerſalis; ſic magnetis virtus, qua ferrum attrahit, & quæ cauſa eſt, vt ferrum ab ipſo contactum polos reſpiciat, formæ eſt proprietas ſeorſum incognita; ſic pharmacorum ſelectiua attrahens facultas, ſic deleteria viperæ vis, ſic cantharidarum in veſicam deleteria facultas, ſic & ſtruthiocamelos ferrũ habet in deliciis, ceruus ſerpentes, vrſus formicas, aſinus ferulam, quã equi pereunt, coturnices veratrum, ſues ſalamandram, vt tenet Ælianus *lib.* 5. *c.* 17. Ciconia veſcitur ſine noxa omni genere reptilium venenatorum, præcipuè Ibis, vt tenet Cicero *lib. de natur. Deorum*, & docuit Solinus in Poliſtorio.

§. II.

E *Galeni proponitur opinio.*

GAlen. *lib.* 2. *de element. facult. c.* 6. mirabiles effectus tribuit ſubſtantiæ modo, quem ſequuntur Græci & Latini, iudicantes aliqui quòd à ſubſtantiæ modo eleuante qualitate ſenſibiles procedant: qui his fulciuntur.

Primò: Facultas abdita, vel occulta non operatur tanquam cauſa principalis, ſed tanquam inſtrumentum formæ, ſeu modi ſubſtantiæ, qui reperitur in determinata parte materiæ ſub illa forma: Sed forma, medio illo ſubſtantiæ modo cum qualitatibus manifeſtis eleuatis ab ipſa, poteſt attingere attra-

ctionem humorum, & reliquos effectus mirabiles dictos: Ergo non eſt admittenda facultas occulta, ſiue abdita dicta. Probatur minor, forma ſubſtantialis vt cum tali ſubſtantiæ modo poteſt attingere productionem ſimilis ſubſtantiæ, quæ difficiliori modo attingitur ab accidentibus eleuatis, quàm productio alterius cuiuſuis accidentis, vtcumque ſit: Ergo forma ſubſtantialis cum illo modo ſubſtantiæ, mediis manifeſtis qualitatibus, ſine facultate occulta ſuperaddita poteſt attingere attractionem humorum, & reliquos mirabiles effectus.

Secundò: Facultas abdita, ſeu occulta dicta, eſt ſenſibus perceptibilis: Ergo non eſt dicenda occulta. Probatur antecedens, facultas illa cognoſcitur per intellectum: Ergo eſt perceptibilis per aliquem ſenſum, quia nihil eſt in intellectu, ex Ariſtotel. 3. *de anima*, quod non perſtiterit in ſenſibus.

Tertiò: A nullo accidente poſſunt effectus mirabiles dicti produci: Ergo non producuntur à facultate occulta, ſeu abdita, ſed ab ipſa rei ſubſtantia. Probatur antecedens, ſi producerentur ab aliquo accidente, vel illud eſſet cauſa vniuoca, vel eſſet cauſa æquiuoca, ſed non poteſt eſſe cauſa vniuoca, aliàs cognoſceretur à ſenſibus, & eſſet ſenſibilis, ſicut & ipſe effectus; nec vt à cauſa æquiuoca, quia hæc priùs producit vniuncа actione vniuocum effectum, quàm æquiuocum, vt apparet in luce reſpectu caloris, & pharmaci quod non priùs producit aliam facultatem attrahentem, quàm attrahat humorem: Ergo à nullo accidente proueniunt effectus mirabiles.

§. III.

Opinionis Galeni intelligentiam adducimus.

REſoluendum primò: Quòd mirabilium effectuum efficientia reducenda eſt in modum ſubſtantiæ; tanquam in id, ratione cuius pullulat facultas abdita, à qua producuntur. Accedit huic opinioni aliqualiter Aguilera *lib.* 2. *cap.* 2.

Probatur primò ex Galeno: Subſtantiæ modus conducit ad mirabilium effectuum productionem: Sed non conducit, quia habeat aliquam efficientiam ſe ipſo: Ergo conducit ſaltem quatenus eſt id, ratione cuius pullulat abdita facultas, à qua producuntur. Probatur minor, modus ſubſtantiæ, vel eſt totius entis naturalis, vt vnio, ſubſiſtentia, aut exiſtentia, quibus nulla eſt vis agendi, ſed tantùm vniendi partes, aut reddendi ſubſiſtens, aut exiſtens totum; vel modus ſubſtantiæ ſolius materiæ proueniens ex commixtione materierum miſcibilium, vel tanquam terminus alicuius ſecundæ qualitatis, quorum nulli datur agere: Ergo modus ſubſtantiæ ſe ſolo non agit.

Probatur ſecundò. Abdita facultas non pullulat à forma, niſi in illa parte, in qua eſt in materia ſubſtantiæ modus illi proportionatus: Ergo actio eius reduci poteſt in modum ſubſtantiæ, tanquam in id, ratione cuius facultas abdita pullulat. Patet antecedens: [illegible]um in vipera, & aliis venenoſis animalibus, in quibus pullulat deleteria qualitas in parte determinata, & in catharticis apparet, quod in vna parte eſt virtus ſolutiua, in aliis adſtringendi facultas, & in aliis ſecundum diuerſas partes ſunt diuerſæ facultates ad diuerſos humores attrahendos ob diuerſum modum ſubſtantiæ.

Probatur tertiò: Sic ſe habet ſubſtantiæ modus pro qualitatibus, quæ à forma vt tali proueniunt, ſicut potentiæ vitales ad organa illarum: Sed vitales actiones poſſunt reduci ad organa, tanquam in id, ratione cuius pullulat facultas, & quod ſimul cum potentia

A eſt principium *quod* actionis: Ergo effectus mirabiles in modum ſubſtantiæ poſſunt reduci tanquam in id, ratione cuius pullulat abdita facultas, ex qua; & parte habente talem modum fit operatiuum principium.

§. IV.

Occulta facultatis aperitur natura.

REſoluendum ſecundò: Quòd facultas à tota ſubſtantia, abdita, ſeu occulta eſt vis ab externo ſenſu incognoſcibilis, proueniens à forma ſubſtantiali non vt mixta, nec vt viuente, ſed ſpecificè tali.

Particula *vis*, ſeu facultas, generis obtinet rationem,
B cum enim hæc qualitas ſit eliciтiuum principium effectuum, quos mirabiles dicunt, debet pertinere ad prædicamentum qualitatis, & in eſſe potentiæ conuenire cum reliquis.

Particula *incognoſcibilis ſenſui externo*, excludit qualitates manifeſtas, quarum effectus non dicuntur mirabiles, quia fiunt à cauſis externis ſenſibus manifeſtis.

Particula *proueniens à forma ſubſtantiali non vt mixta* excludit qualitates ortas à forma vt mixta, quia ſenſibiles ſunt.

Particula *nec vt viuente*, excludit potentias vitales, quæ licet fiant à forma ſubſtantiali, & non vt mixta, fiunt tamen ab illa vt viuente, & ſub determinato gradu vitæ: facultates tamen occultæ dictæ non pro-
C ueniunt ab anima vt tali ſub aliquo determinato gradu vitæ, ſed tanquam proprietates ſpecificæ talis formæ; & ideò ſuperadditur,

Particula, *ſed vt ſpecificè tali*, deleteria enim vis ſerpentis ab eius forma ſpecifica vt tali, non vt viuente, aut mixta, fit; aliàs enim eſſet communis omni mixto, aut omni viuenti tali.

§. V.

Argumenta pro Galeno adducta ſoluuntur.

D AD primum reſpondetur: Quod forma vt cum tali modo ſubſtantiæ, & cum primis qualitatibus non valet attingere productionem effectuum mirabilium, quia vt inſtrumentum eleuetur pro aliqua actione, debet aliquam habere proportionem, & aptitudinem pro elicientia talis operationis; ideò in naturalibus pro coctione, aut nutritione poteſt eleuari calor, non frigiditas, aut ſiccitas, & in artificiatis ad ſcindendum eleuatur ſerra, & non malleus, ſic ad trahendum cum ſelectione determinatum humorem debet eleuari attrahens virtus: non autem aliqua qualitas ex manifeſtis, quibus non eſt coaptatus modus pro actione illa, quod idem in reliquis qualitatibus occultis eſt neceſſarium.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd qualitas occulta, ſeu abdita, talis dicitur non quia omninò ſit in-
E cognoſcibilis, ſed quia externis ſenſibus eſt imperceptibilis; poteſt tamen ab intellectu cognoſci à poſteriori, & per ſuos effectus, qui ſunt perceptibiles ſenſui: vt enim aliqua cognoſcantur ab intellectu, ſufficit, quòd aliquo modo perſtiterint in ſenſibus, & ita plura, quæ à ſenſibus externis non ſunt cognoſcibilia, cognoſcuntur ab intellectu per ſpecies aliarum rerum, quæ præfuerunt in ſenſibus ſecundum aliquam ſimilitudinem illarum: *Sic inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt conſpicua, intellecta perſpiciuntur.* Ex D. Paulo.

Ad tertium reſpondetur: Quòd occulta, ſiue abdita vis, vt cauſa æquiuoca mirabiles producit effectus, nec vt ſic eſt neceſſarium, quod illa facultas prius

producat

producat effectum vniuocum, quia ratio cauſæ æquiuocæ in hoc ſaluatur, quod effectum producat diuerſæ rationis, ſiue immediatè attingendo illum, ſiue media productione alterius vniuoci effectus prius producti: quod idem in potentiis vitalibus apparet, intellectus enim non producit alium intellectum ante productionem ſpeciei expreſſæ, quam producit vt cauſa æquiuoca.

Resolvtio XII.

Vtrùm cathartica, vt attrahant humores deferantur ad venas?

§. I.

Affirmatiuæ partis fundamenta adducuntur.

HVmores vi ſelectiua pharmaci non poſſe attrahi, quin ad humores perueniat pharmacum contactu ſuppoſiti, contendunt plures his conuicti.

Primò: Tum ex Ariſt. qui *lib. 1. de ortu, & interitu, lib. 7. Phyſic.* docet, quòd mouens, & motum debent eſſe ſimul, & *lib. 1 atheorem. 43.* Quòd cathartica admiſcentur humoribus attrahendis: Tum quia ex exhibitione pharmaci tingitur lotium, vt in rhabarbari exhibitione apparet, quod non contingeret, niſi deferretur ad humores. Tum quia catharticis admiſcemus medicamenta reſpicientia partes determinatas, vt caput, aut articulos, vt cum pharmaco deferantur ad illas: Ergo contactu mathematico attingunt humores.

Secundò: Si pharmaca, non peruenirent intra venas ad ipſos humores trahendos, non poſſet fieri purgatio ab illis: Sed ope illorum perficitur: Ergo feruntur intra venas ad illos. Probatur maior, eodem modo mouentur humores à venis ad ventriculum, ac poſtea à ventriculo ad inteſtina, cùm ſemper vi purgantis medicamenti trahantur; Sed à ventriculo mouentur contactu mathematico: Ergo idem contactus requiritur, vt moueantur à venis.

Tertiò: Humorum attractio non fit, niſi tranſactis aliquibus horis ab eius exhibitione: Ergo quia requiritur illud tempus, poſtquam iam defertur ad ventriculum, vt poſſit peruenire ad diſtantiora loca, in quibus reperiuntur humores.

§. II.

Deciditur opinio præferenda.

REſoluendum: Quòd pars craſſior cathartici permanet in ventriculo, & actuatur in illo; at verò partes illius tenuiores plures deferuntur ad venas, ad ipſosque perueniunt humores.

Probatur prima pars. Tùm quia requiritur medicamenti actuatio in ventriculo, vt valeat humorem attrahere: Tùm quia fit attractio ab illo, ſicut à magnete trahitur ferrum, & à partibus alimentum, à quibus non requiritur neceſſariò, quod ſe tangant immediatione ſuppoſiti: Tùm quia pharmacum non habet virtutem, quâ ſe mouere valeat ſecundum partes craſſas ad venas, in quibus ſunt humores, cùm ſit graue, quod ſurſum non fertur, nec poſſit attrahi à partibus, quibus non eſt vtile: Ergo ſecundum partes craſſas remanet in ventriculo, & ad illum attrahit humores manentes intra ſphæram ſuæ actiuitatis.

Probatur ſecunda pars. Tum quia, vt patet *diſput. 3. ſect. 2.* in medicamentis potentialibus, qualia ſunt pharmaca; idcò requiritur actuatio, vt ſeparentur quædam partes tenues in quibus eſt facultas, quæ ſeparatæ poſſunt deferri ad venas: Tùm quia cùm partes, quæ ſeparantur, ſint leues, habent à ſe virtutem, qua moueantur. Tùm quia ſeparatæ poſſunt permeare ad iecur, & venas faciliter. Tùm quia cùm plures humores diſtent maximè in venis, & ab illis trahantur humores, debet admitti, quod aliquid medicamenti perueniat ad locum, in quo ſit humor intra ſphæram ſuæ actiuitatis. Tùm quia lotium, quod ſeparatur ab humoribus in venis reſidentibus tingitur per medicamenti colorem: Ergo aliquid illius peruenit ſaltem ſecundum partes tenuiores ad venas, intra quas ſunt humores.

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

AD primum reſpondetur, quòd Ariſtot. docet, quod mouens & motum debent eſſe ſimul ſimultate ſuppoſiti, vel virtutis, quod accidit in catharticis, & quod admiſcentur modo dicto tantum. Tùm, quòd lotium tingitur non à craſſa, ſed à vaporoſa medicamenti ſubſtantia. Tùm, quòd vaporoſæ admixtæ ſubſtantiæ poſſunt deferri cum tenuioribus, ac vaporoſis ſubſtantiis eleuatis ex catharticis.

Ad ſecundum negatur minor; quia à venis trahuntur humores vi pharmaci purgantis ipſos ad ventriculum attrahentis; à ventriculo, tam pharmacum, quam humores ab ipſo attracti expelluntur à facultate expellente, quæ irritata ab illis conatur eorum à corpore expulſionem.

Ad tertium reſpondetur: Quòd de ratione cauſæ æquiuocæ eſt, quòd producat effectum diuerſæ rationis: quod autem hoc fiat, prius vniuocum producendo effectum, aut non, hoc accidit illi.

Resolvtio XIII.

Vtrùm putridi humores valeant attrahi vi ſolutiui pharmaci?

§. I.

Zacuti noua opinio proponitur.

ERuditiſſimus Zacutus *lib. 1. de Medicor. Princip. hiſtor.* huius fuit ſingularis opinionis, quòd cathartica integros valeant attrahere humores, non verò putridos, hos enim à ſola natura contendit expelli, his fultus rationibus.

Primò: Quia humores integros attrahi deducitur manifeſtè ex Galen. *lib. 1. de facultat. natural. c. 13. lib. de purgant. medicam. facult. cap. 5.* & ſimiliter patet putridos humores plerumque expelli à natura: Ergo putridi ſola naturæ vi, integri à catharticis expelluntur ex corpore.

Secundò: Rhabarbarum attrahit bilem ratione ſimilitudinis cum illa in modo ſubſtantiæ: Sed eo ipſo, quòd in modo ſubſtantiæ ſit ſimile bili naturali, non poteſt eſſe ſimile reliquis ſpeciebus bilis, quæ ſunt bili naturali diſſimiles: Ergo vi pharmaci bilis naturalis, reliquæ verò à natura expelluntur.

Tertiò; Atra bilis aliquando fit ex bile, aliquando ex melancholia: Ergo deberet attrahi per vtriuſque ſelectiuum pharmacum: Sed vnus humor diuerſis genere catharticis attrahi non poteſt: Ergo à natura expellitur.

Quartò. Humor, à quo morbus peſtilens oritur,

petit purgari: Sed hic ſine putredine poteſt ſuboriri: Ergo humor non putridus eſt qui petit purgari.

Quintò. Gal. *l.2. de humorib. comm.8.* ſolùm docet purgandos humores, quando vnus illorum ſuperabundat: Ergo dum integer eſt humor, & redundans, petit tantùm expurgari, non verò dum putridus.

§. II.

Communis ſancitur Doctrina.

RESoluendum affirmatiuè.

Probatur primò: Si humores naturales traherentur, meliùs, & faciliùs fieret purgatio, pharmaco exhibito, pro naturalibus, quàm pro putridis humoribus: Sed contrarium docet Hipp. 2. *Aphor.* 37. *Corpora enim ſana difficulter ferre purgationes docet*: Ergo aptius putridi, quàm naturales humores attrahuntur.

Probatur ſecundò. In febribus putridis exhibito cathartico ſelectiuo eius humoris putridi, à quo dependet febris, ſubſequitur illius humoris putridi purgatio, ipſo verò pharmaco ſelectiuo illius non exhibito, humor ille putridus non euacuatur: Ergo putridi humores non à natura, ſed à cathartico trahuntur.

Probatur tertiò: In febre putrida pendente ex humore turgente putrido, ſtatim debet ille humor putridus purgari ſelectiuo pharmaco ex Hipp. 1. *Aphor.* 22. & 4. *Aphor.* 5. Ergo cathartico & non ſola naturæ ope fit purgatio putridi humoris.

Probatur quartò. Omnes ſpecies bilis præternaturalis in vno modo ſubſtantiæ bili proprio conueniunt, in quo differunt à reliquis ſpeciebus humorum: Sed cathartica attrahentia bilem, illam attrahunt ratione ſimilitudinis in modo ſubſtantiæ: Ergo non ſolum naturalis bilis, ſed præternaturalis, & putrida debet attrahi ſelectiuo cathartico.

Probatur quintò: Cathartica ſunt à natura deſtinata remedia in ſalutem humanam, in quantum valent humores à corpore expellere: Sed non ſecundum quod expellunt humores naturales quia hi ſunt neceſſarij in corpore: Ergo quia valent præternaturales, & putridos euacuare.

Probatur vltimò. In declinatione febrium putridarum, ex Hipp. 1. *Aphor.* 22. debent pharmaca ſelectiua propinari. Sed tunc febris adhuc remanens pendet ex putridis actu humoribus, & ex eorum euacuatione remmittitur: Ergo euacuantur putridi humores ſelectiuo pharmaco.

§. III.

Soluuntur Zacuti fundamenta.

AD primum fatemur, quod criticè, aut ſymptomaticè plerumque à natura euacuantur putridi humores: Sed plerumque ab illa non euacuari permanent, & indigent euacuari per aliquod catharticum.

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd quæcumque bilis habet, prout ab aliis humoribus differt, ſimilitudinem in modo ſubſtantiæ, ratione cuius poſſit attrahi à pharmaco ſelectiuo bilis.

Ad tertium reſpondetur: Quòd atra bilis, ſicut alterius ſit generis ab humore, ex quo fit, & ponitur ſub melancholia, ità & à pharmaco ſelectiuo illius petit attrahi.

Ad quartum reſpondetur: Quòd humor, à quo peſtis dependet, ſi purgandus, per pharmacum proprium illius humoris purgandus, ratione enim modi ſubſtantiæ, non ratione ſuperadditæ qualitatis attrahendus.

Ad quintum reſpondetur: Quòd Galenus intendit, quòd humores purgandi non ſunt, qui commixti ſunt ſanguini, ſed qui ſeparati, aut ſupernatantes remanent.

SECTIO VI.

De coindicantibus, aut contraindicantibus pharmaci exhibitionem.

IN pharmaci exhibitione plura ſunt, quæ indicant, aut contraindicant illius exhibitionem, de quorum aliquibus aliquas proponemus difficultates, quia circa eas diſcordes ſunt authores, ſiue ratione virium, ſiue ratione humorum, ſiue ratione diſpoſitionum eis ſuperuenientium, ſiue ratione humorum, ſint deſumendæ.

RESOLVTIO I.

Vtrùm maius virium robur pro pharmaci exhibitione requiratur, quàm pro miſſione ſanguinis?

§. I.

Valleſij, & Vegæ proponitur opinio.

SI ruant vires, nullum exequendum remedium valens, eas labefactere ſanciuit Gal. 9. *methodi, c. 13. ſ. Quod ſi quem curare ſtudes, vires autem extrema imbecillitate laborant toto illo tempore quo vires reficimus, nihil aduerſus morbum eſt faciendum; cum autem conieceris, vt nihil, aut parum ex euacuatione ſint lædendæ, tunc eſt ad effectus curationem accedendum.* Sed an validius robur requiratur, vt accedamus ad curationem per pharmaci exhibitionem, quam per ſanguinis miſſionem, nondum patet. Vega enim *lib. 2. artis medend.* & Valleſius *lib. 7. controuerſ. c. 50.* Pro mittendo ſanguine validius robur virium requiri iudicant: quibus fauet,

Primò: In purgatione euacuatur humor alienus à natura ſanguinis, cùm ſit cacochymus, ſeparatus ab eius commixtione, ineptuſque pro partium nutritione: Ergo cum minore fit diſpendio virium, quàm in ſanguinis miſſione, per quam ſanguis vtilis, & neceſſarius pro nutritione euacuatur, & ideò cum minori virium robore poterit pharmacum exhiberi.

Secundò: Galenus in phlebotomia docet per pulſum vires attendendas, ne vires ſubitò lapſæ pereant ex ſanguinis defectu: Sed per purgationem non ità labuntur, nec tantum fit ſpirituum diſpendium: ergo pro pharmaci exhibitione, non ita robuſtæ vires requiruntur.

Tertiò; Humores pharmaco euacuandi plerumque venenoſi ſunt, præditi deleteria vi: Ergo cum eorum euacuatione potius vires roborantur.

§. II.

Horatij Angenij opinio præfertur.

RESoluendum: Quòd ſecurior debet eſſe Medicus de robore virium pro pharmaci exhibitione, quam pro ſanguinis miſſione exercenda: ſic ſentit Horatius Angenius *lib. 1. de ſanguin. mittend. capit. 4.*

Probatur primò: Medicus ſecurior debet eſſe de virium robore pro eo exercendo remedio, quod cum maiori

maiori periculo debilitandi illas fit : Sed ex pharmaci exhibitione maius periculum poteſt ſubſequi, quàm ex ſanguinis miſſione : Ergo Medicus in eius exhibitione ſecurior debet eſſe de robore virium, quàm pro ſanguinis miſſione. Probatur minor. Tùm ex Galeno *lib. de medicamentis expertis*, dicente: *In exhibitione medicamenti purgantis exhibitio medicamenti in manu eſt medici, reliqua omnia opus ſunt fortunæ.* Tùm quia ex Hippocrate *lib. de medicament. purgantibus : Pharmaco exhibito, ægrum perire turpis eſt calamitas* : Quæ ſine virium ſecuro robore non poteſt euitari : Tùm quia ex Galeno 2. *acutorum* 12. *Nempè purgantium omnium medicamentorum natura, corporum, quæ purgantur, naturæ contraria eſt, atque vt quiſpiam dixerit, lethalis, ac deleteria.* Tùm quia ſi vires debilitari cognoſcamus per pulſum, aut per aliud ſignum, purgatio ſiſti non poteſt, vt docet Galenus *lib. de ſanguin. miſſione, cap.* 12. §. *Quod enim ſemel deuoratum eſt medicamentum, quo minus omne deuoratum ſit fieri non poteſt; nec poſſibile eſt, vbi pluſquam conueniat, iam purgetur homo, partem oblati auferre.* At ſanguinis miſſio poteſt ſiſti, vt idem Galenus docet *lib. de vena ſect. aduerſ. Eraſiſtratum, cap.* 7. §. *Medicus huius ſolius euacuationis liberam habet poteſtatem ſiſtendi, quandocumque illi placuerit, aliarum autem nullius* : Ergo ex pharmaci exhibitione maius periculum poteſt ſubſequi, quam ex ſanguinis miſſione.

§. III.

Soluuntur Valleſij fundamenta.

AD primum reſpondetur : Quòd plerumque ſanguinis miſſione euacuatur ſanguis, qui redundat, & relinquitur, qui ſufficit pro nutritione, ſæpius verò euacuatur ſanguis qualitate peccans ratione commixti humoris intemperati, & inepti pro nutritione.

Ad ſecundum reſpondetur : Quòd Galenus docet in ſanguinis miſſione vires attendendas, quia ſi debiles fiant, in manu medici eſt ſiſtere euacuationem. In pharmaci exhibitione ſi vires anteà non cognoſcantur, vt medicamenti exhibitio ſiſtatur, poſtea eius operatio non poteſt ſiſti, & ideò Galenus non iubet vires attendi, vt ſiſtatur purgatio.

Ad tertium reſpondetur : Quòd ſi humores purgandi deleteria vi infecti ſunt, vires labuntur; nec ſufficiunt ferre euacuationem, quia lapſæ à deleteria vi proſternuntur agitatione pharmaci, ſpirituum ſimul confluentium defectu; & ideò maius ex euacuatione poteſt eſſe nocumentum, quàm ſecuritas ex euacuato humore.

Resolvtio II.

Vtrùm viribus præſtantibus, valida pharmaca ſint ex vſu?

§. I.

Pars affirmatiua fulcitur.

ANtiqui Medicinæ Doctores partem affirmatiuam ſuſtinendam ſuadent primò : Quia in eorum ſcriptis tantùm conſtat eos vti conſueuiſſe pharmacis fortioribus : Ergo illis nobis vtendum eſt.

Secundò : Deuorato medicamento, poteſt æger vomitu, aut alio retinente auxilio eius operationem detinere, vt infra ſubſiſtat, quàm pro eius poſſe : Ergo vt ſecurior ſit eius effectus, debent fortiora medicamenta exhiberi.

A Tertiò : Pharmaca benigniora non valent educere materiam craſſam, quam mouent: Ergo pharmaca fortiora pro eis debent exhiberi.

§. II.

Ex Arabum aſſenſu præfertur pars negatiua.

REſoluendum : Quòd benigniora pharmaca vſitata ab Arabibus, quammaximè fortioribus ſunt præferenda.

Probatur: Tùm ex Auicenna *Fen.* 4. 1. *tr.* 3. §. *Melius eſt infra ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſime euacuare.* Tùm quia, vt docet Hippocrates *lib. de medicam. purgantibus: Turpis* B *eſt calamitas, pharmaco exhibito, ægrum perire.* Tùm quia ex Gal. *lib. de ſang. miſſione : Quòd ſemel in ventrem deuoratum eſt medicamentum, quo minus omne deuoratum ſit fieri non poteſt.* Tùm vſu compertum eſt ſecuriori euentu pharmaca benigniora ægris offerri. Tùm quia fortiora pharmaca, ſiue deleteria vi, ſiue manifeſtis qualitatibus potentiùs nocent : Ergo benignioribus eſt vtendum pro morborum curatione.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD primum reſpondetur : Quòd antiquiores Medici fortioribus vſi ſunt pharmacis, ſiue quia in C eorum ætates nondum benigniora fuerunt cognita, ſeu nondum ad eos aſportabantur.

Ad ſecundum reſpondetur : Quod, vt patet ex Galeno, impoſſibile eſt ſemel deuoratum medicamentum, deuoratum non eſſe; & conſequenter quod, ſi fortius ſit, & nimis alteratiuum, non inferat magnum nocumentum.

Ad tertium reſpondetur : Quòd pharmaca benigniora in maiori quantitate valebunt educere, vel partitis vicibus materiam, quam reſpiciunt, ſecuriori euentu, quàm quæ fortiora ſunt.

Resolvtio IX.

D Vtrùm coctione humores fiant obiectum medicamenti purgantis?

§. I.

Communis Medicorum proponitur aſſenſus.

OMnes Medici Dogmatici adhærentes ſententiæ 22. *lib.* 1. *Aphoriſm.* à nobis adductæ admittunt, quod materia morbifica ante exhibitionem medicamenti purgantis debet concoqui : ſed diſpoſitio, quam coctio ponit in illa, qualis ſit, non vnanimiter determinant.

E Alij enim coctionem requiri ante pharmaci exhibitionem iudicant, quia per illam craſſiores redduntur humores, & ratione craſſitiei aptiores, vt ab illo poſſint attrahi, quod intendunt ſuadere. Tùm quia ex Gal. 4. *acut. comm.* 4. & 2. *progneſt. comm.* 33. & ex Ariſtotele 4. *meteororum c.* 3. Quæ coquuntur craſſiora euadunt. Tùm quia coctio procedit tenues partes reſoluendo, & vniendo craſſiores cum reliquis: ex quo apparet coctione neceſſariò incraſſandos eſſe humores: Ergo coctio prærequiritur in illis, vt craſſitiem cauſet, quia aptiores ſunt, vt poſſint vi pharmaci attrahi.

Alij intendunt, quòd humores attenuentur per coctionem, & ratione tenuitatis fiant aptiores, vt poſſint pharmaco attrahi; fulti authoritate, Tùm

Auicennæ

Auicennæ *Fen. 4. tract. 2. cap. 7.* Tum Galeni *lib. 3. de articul. comm. 5. & lib. conſt. artis Medicæ cap. de præſeruat. & lib. 2. de rat. vict. comm. 44. & lib. 3. de rat. victus comm. 2. & lib. 6. epidem. ſect. 5. comm. 6.* Quibus in locis docent, quòd ea, quæ coquuntur, coctione attenuantur. Tum experientia, quæ fructus tenuiores coctione reddi demonſtrat: Ergo humores per coctionem tenuitatem recipiunt, quia diſponuntur vt facilius valeant pharmaco attrahi.

§. II.

Communis Scholarum Doctrina explicatur.

RESoluendum: Quòd coctio prærequiritur in humoribus ante medicamenti purgantis exhibitionem: vt materia morbifica ſeparata à commixtione ſanguinis fiat cacochyma, & obiectum aptum, vt poſſit vi pharmaci purgantis attrahi.

Probatur primò à priori *Purgatio eſt euacuatio per ventrem facta, vi medicamenti purgantis, indicata à morbo magno pendente ex ſuccorũ cacochymia.* vt tradimus *huius diſp. ſect. 2. reſ. 3. §. 3.* Sed dũ morbus pendet ab humore putrido, aut quomodolibet ſanguini commixto, nondũ eſt cacochymus, vt tradidimus *in hac diſp. ſect. reſ. 1.* Ergo coctio prærequiritur in humoribus ante medicamenti purgantis exhibitionem, vt materia morbifica ſeparata commixtione ſanguinis fiat cacochyma & illius obiectum.

Probatur ſecundò à poſteriori: Dum humores purgatione euacuandi ſunt cacochymi, ſiue ſint ſimul cum ſanguine in venis, vt materia turgens, ſeroſa, aut cruda ſuperabundans, in leucophlegmatia; ſiue ſint in primis regione crudi, vt nidoroſa, aut acida ſubſtantia, vel incoctilis, vt probauimus *ſect. 2.* non expectata coctione, ſunt purgandi; quia cum iam ſint ſeparati à ſanguinis commixtione, ſunt cacochymi, & obiectum facultatis expellentis, & indicant ſui euacuationem per pharmacum; cuius actio habet etiam naturam adminiculantem: Ergo dum humores ſanguini commixti morbum cauſant, quia non ſunt ab eius commixtione ſeparati, coctione indigent, quia ſeparentur, & fiant cacochymi, & obiectum facultatis expellentis valentis coadiuuare actionem medicamenti attrahentis.

Dices: Quòd humor bilioſus, etiam ſi ſanguini ſit commixtus, eſt obiectum facultatis attrahentis medicamenti ſolutiui v.g. rhabarbari: Ergo poterit illum attrahere, antequam coctione fiat cacochymus, per ſeparationem à ſanguinis commixtione.

Reſpondetur: Quòd eſt obiectum medicamenti purgantis, & pharmaco exhibito attraheret illud, ſed inducendo noxas, quas refert Hippocrates 4. *de rat. vict. text. 32. §. Quicumque ea, quæ inflammantur, morborum inter initia ſoluere conantur, ij nihil auferunt eius quod internum eſt, cum non cedat affectio cruda.* Quæ proueniunt, quia cùm humores morbum committentes ſint ſanguini commixti, ratione ſanguinis vtilis conatur natura ipſos retinere; dum verò per coctionem perficiuntur humores vtiles, ſeparantur inutiles, & iam fiunt obiectum expellentis facultatis, & tunc dicitur indicata exhibitio medicamenti purgantis, quia non ſolum humor trahendus eſt illius obiectum, ſed etiam facultatis expellentis, quæ coadiuuat eius actionem, & deſinit retineri à retinente; & ideò expellitur ſine noxiis dictis, quia cacochymus.

§. III.

Soluuntur fundamenta Dogmaticorum.

PRo primo opinantibus reſpondetur: Quòd duplex eſt coctio, alia propria, quæ dicitur maturatio, & de qua docet Ariſtoteles, quòd quæ coquuntur craſſiora euadunt, & reſpectu termini à quo ſemper in illa eſt verum: & licèt fructus maturi, vt vitis, videantur tenuiores; non tales ſunt reſpectu partium, quæ fuerunt in termino à quo, & remanent in re cocta: ſed ratione nouæ humiditatis ſuperadditæ, quæ tractu temporis attracta commixta eſt cum agreſte, quæ à terreſtriori partium numero abundabat.

Alia eſt coctio impropria, quæ propriè eſt elixatio, qualia quæ reperitur in corporis coctionibus, & ab hac prouenit tenuitas, & craſſities, quoniam neceſſariò deuniuntur in fine illius, aliæ ſubſtantiæ ab aliis, vt apparet in coctione, quæ celebratur in iecore, & ab hac coctione dicuntur humores reddi aptos pro purgatione, quia fiunt cacochymi, & obiectum facultatis expellentis, & deſinunt eſſe commixti, & obiectum facultatis retinentis, & ideò dicitur indicata purgatio, quia iam pharmacum ſolutiuum offerri poteſt in tempore, quo inutile poteſt attrahere ſegregatum ab vtili.

Quod autem craſſities, aut tenuitas valeant, aut non, impedire motum, alterius eſt conſiderationis.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm putredine fiãt humores cacochymi, vt pharmaco ſolutiuo attrahi poſſint?

§. I.

Van Helmont nullam admittit putredinem in humoribus.

NOn ſolùm Van Helmont humores à corpore exterminare, ſed nullam in eis (ſi admittantur) nec in cruore poſſe reperiri putredinem contendit *tract. de febribus, cap. 2.* his fulcitur,

Primò: Si in Scholis, in humorib. eſſet admittenda putredo, maximè vt calor febrilis, quia ortus à putredine, differat à calore adaucto per exercitium, qui licet adauctus, febrilis non eſt. Sed à putredine non poteſt febrilis calor differentiam ſumere: Ergo non eſt admittenda putredo. Probatur minor. Tum primò, quia ſi putredo eſſet differentia, aut ratio febris conſtitutiua, deberet poni in febris diffinitione: Tùm ſecundò, quia febris in putredine, & non in calore conſiſteret: Tùm tertiò, quia febris non eſſet dicenda calor in corde accenſus, ſed accenſus in cauſa putrida. Tùm quartò, quia febris differentiæ ex putredine eſſent deſumendæ. Tùm quintò, quia tunc eſſet febris effectus putredinis, & cùm alia oriantur à putredine, quàm calor; in alio à calore conſiſteret febris. Tùm ſextò, quia ſi febris eſſet calor à putredine ortus, numquam poſſet calidis remediis curari, vt curatur plerumque, vt apozemate ex lupulis, ſparagis, roſis, oleo vitreoli rhabarbaro, ſcamonea. Tùm quia febris maligna differt à non malignis, quia dependet à putredine incipiente: Ergo à putredine non poteſt deſumi ratio conſtitutiua, aut differentialis febrilis caloris.

Secundò: Si aliquid conuinceret, vt in cauſa febrili admittenda eſſet putredo, maximè quia antecedenter ad acceſſionem percipitur frigus, ad quam paulo poſt ſubſequitur calor, ſicut contingit in fimo equino, qui frigidus cùm ſit, incaleſcit ratione putredinis à qua ſcatitur caliditatem: Sed incaleſcentia in fimo equino non prouenit ratione putredinis: Ergo nec in febribus poteſt prouenire excedens calor ratione putredinis. Probatur minor. Tùm quia in

fimo

ſimo vaccino ex eiſdem alimentis facto id non contingit, & eadem deberet eſſe ratio. Tum ſecundò, quia calor ſubſequitur ad grana manſa; non ad putredinem. Tùm tertiò, quia accenſio fit ante putredinem, vt in fimo, floribus, & herbis coaceruatis apparet. Tùm quartò, quia dum fimus incaleſcit non poſſet ratione putredinis fieri calor; niſi fimus eſſet putrefactus in facto, corrupta iam forma: Ergo incaleſcentia in fimo equino, non prouenit ratione putredinis.

Confirmatur: Si ab humoribus in centro corporis putrefactis proueniret febrilis calor, non poſſet extendi ad pedes, & extremitates, quin priùs exureret partes internas: Sed extenditur ad partes externas, ſine earum cauſtione: Ergo non prouenit ratione B putredinis.

Tertiò: Calor non poteſt oriri ratione putredinis in humoribus exiſtentis. Probatur antecedens. Tùm primò, quia in non viuentibus non cauſatur calor excedens ratione putredinis; nec ideò in illis videtur poſſe cauſari ratione putredinis. Tùm ſecundò, quia ſi febris oriretur ex humorum putredine nulla eſſet intermittens, quia humor putridus maneret in diebus intermittentiæ. Tùm tertiò, quia putridum formam amittit, & redditur frigidum. Tùm quartò, quia calor febrilis, ſi oriretur ab humorum putredine, maneret in cadauere, ſicut manent in ipſo humores. Tùm quintò, quia cùm humores, & eorum putredo ſint intra venas, ſi à putre- C dine fieret febris, non poſſet incipere à corde. Tùm ſextò, quia cùm in febre intermittente ſit calor, & frigus; ſicut nec frigoris, ſimiliter non poteſt eſſe cauſa caloris febrilis: Ergo calor febrilis non poteſt cauſari, nec eſſe indicium putredinis manentis in humoribus.

Confirmatur: Galenus admittit, quod ſi ſanguis putreſcat, fit ex illo bilis: Sed data bile per putredinem facta, non cauſatur febris: Ergo putredo non valet eſſe cauſa caloris febrilis.

Quartò: Sanguis intra venas non poteſt putrefieri: Ergo, nec in ſanguine, nec in reliquis humoribus intra venas eſt admittenda putredo; Probatur D antecedens. Tùm primò, quia venæ ſuum cruorem ſeruant fluidum, & à corruptione liberum in cadauere, indicium manifeſtum, quod potentius illum conſeruabunt in viuente. Tùm ſecundò, quia ſanguis eſt vitæ ſedes, & theſaurus, ex quo apparet, quod debet à forma viuente præſeruari à corruptione. Tùm tertiò quia tueret decus naturæ, ſi vnicuique formæ non tribueret virtutem conſeruatiuam eius, ſine quo ipſa conſeruari non poteſt. Tùm quartò, quia conſtat experientia ſanguinem à febricitantibus extractum, non differre à ſanguine extracto à bene valente. Tùm quintò, quia ſi cruor putrefieret, maximè in peſte, in qua ipſum non putrefieri demon- E ſtrat, quod illius euacuatio eſt lethalis, ex eo quod vtilis erat. Tùm ſextò, quia ſanguis in febrientibus pleuriticis non putrefit, aliàs, pleuritide curata, non appareret ſanus. Ergo ſanguis intra venas non poteſt putrefieri.

Confirmatur: Putredo vt apparet in gangræna, communicat ſui contagionem: Ergo, data putredine in ſanguine, ſpiritus, & omnes corporis partes deberent putrefieri.

Quintò: Si febrilis calor oriretur à putredine in humoribus, deberet curari per ea quæ afferunt putredinem: Sed febris potius curatur per ea, quæ intendunt putredinem: Ergo non oritur ab humorum putredine. Probatur minor. Putredini obſtant quæ ſunt calida, & ſicca, vt myrrha, & alia huiuſmodi, A quibus cadauera condiuntur: Sed febris frigidis, & humidis medicamentis curatur: Ergo potius curatur per ea, quæ intendant putredinem.

Confirmatur: Si aliquis ſanguis eſt cenſendus putridus, maximè hæmorrhoidalis, qui magis à naturali ſtatu diſtat: Sed iſte non eſt putridus: Ergo nullus in corpore. Probatur minor: Si eſſet putridus, non poſſet curari dolor ortus ab eius putredine, niſi remediis illam auferentibus: Sed poteſt curari, ſine illis, inquit Van Helmont, dolor hæmorrhoidarum ſpatio, quo profertur Dominica oratio, & hæmorrhoides ſolo annulo ab ipſo excogitato, & faciendo ex ſomniata ab ipſo materia: Ergo non eſt putridus.

§. II.

Philoſophorum, & Medicorum amplector decreta.

RESoluendum: Quod valet putredo ſuperuenire humoribus, ipſóſque ad cacochymiam perducere, qua ſoluitur pharmaci exhibitionem indicem. Sic Hippocrates, Galenus, Ariſtoteles, Auicenna, cunctáque Dogmaticorum Medicorum admittit Schola, in quam nonum dogma ſomniauit Van Helmont, ſolus ſibi, ſuiſque inſomniis acquieſcens.

Probatur: Putredo vel eſt paſſio omnium elementorum præter ignem; ſimulque, & mixtorum; vel C ſaltem ex communi ſententia eſt paſſio mixtorum: Sed ſanguis, & reliqui humores ſunt mixta perfecta: Ergo ſanguis, & reliqui humores poſſunt pati putredinem, quæ eſt actio eorum corruptiua, & mutatiua proprij in improprium modum ſubſtantiæ. Probatur minor: Tùm quia ex alimentis, quæ mixta perfecta ſunt, generantur. Tùm quia in nutritionem animalis, quod perfectiſſimum eſt mixtum, ordinantur. Tùm quia quæcumque ſubſtantia completa, aut eſt miſcibile, vt elementa; aut mixtum, vt omnes reliquæ: Ergo ſanguis, & reliqui humores ſunt mixta perfecta.

Probatur ſecundò: Febrilis, & præternaturalis ca- D lor oritur à ſanguine, aut reliquis humoribus ratione putredinis: ſed talis calor actu datur in homine, & tactu percipitur: Ergo putredo à qua oritur, actu datur intra illum in ſanguine, aut alia putreſcibili ſubſtantia. Probatur maior: Tùm quia non eſt alia cauſa aſſignabilis, cur in motione acceſſionali ipſorum humorum ſuperueniat febrilis calor. Tùm quia nulla alia eſt ratio, quare febrilis calor ſubcreſcat de tertio in tertium, vel in quartum diem, niſi quia ex putredine, quæ aggreditur humorem his diebus, ſuperueniat: Ergo febrilis, & præternaturalis calor oritur ab humoribus ratione putredinis.

Probatur tertiò: Aliquando febrilis calor permanet in corpore, dum humores ſunt intra illud, & ſi E expellantur, vt contingit in criticis euacuationibus, vel ab arte, extinguitur febris: Ergo aliquid ſuperadditur illis humoribus, ratione cuius, illis euacuatis, febrilis calor remittatur: Sed id, quod additur illis, eſt putredo, aut vſtio, quæ ſunt actiones, per quas, vt docet Ariſtoteles *lib.* 4. *Meteororum*, ſuperuenit calor: Ergo putredo valet ſuperuenire humoribus qua alteretur eorum ſubſtantia, & fiat cacochyma.

Probatur quartò: Si ſanguis, aut reliqui humores non poſſent putrefieri, maximè quia ſunt ſedes animæ, & ordinari in eius conſeruationem intra corpus: Sed hæc ratio non obſtat: Ergo poſſunt pati putredinem. Probatur minor: Tum quia neceſſitas rei ob aliquem finem non tollit quod ab aliqua violenta cauſa poſſit corrumpi: Tum quia ipſæ partes

viuentes magis conducunt ad vitæ conſeruationem, A cùm informentur ipſa anima, & tamen poſſunt putreſieri: Tùm quia ſicut partes viuentes, & humores poſſunt vri à calore vſtiuo, ſimiliter poſſunt putreſieri à calore putrefactiuo. Tùm quia Van Helmont admittit, quòd excrementa ſanguini admixta poſſunt putreſieri, qua eadem ratione, poteſt ſanguis, aut humores illi commixti ab illo putreſieri calore: Ergo etiam ſi ſanguis, aut reliqui humores ſint ſedes animæ, poſſunt putreſieri.

Probatur quintò: Calor febrilis dum non pullulat ab anima, vt contingit in hectica, habet aliquam cauſam intra corpus, à qua oritur: Sed non aliam, quam vſtionem, aut putredinem: Ergo ab illa poteſt oriri. B Probatur minor, ſi haberet aliam, maximè ſpiritus, vt contendit Van Helmont: Sed ſoli ſpiritus vitales non valent febrilem calorem producere. Tùm quia ſi poſſent, ſe ipſis, ſicut homo ſemper illos habet, ſemper haberet febrem. Tùm quia ſicut in ſanitate poteſt aër illorum attemperare calorem, poſſet, ſi non eſſet alia præternaturalis cauſa impediens, illos ſemper attemperare: Ergo dum producitur calor febrilis non productus ab anima, fit ratione vſtionis, aut putredinis ſpirituus, aut humoribus ſuperuenientis.

Probatur ſextò: Coctio, & putredo ſunt contraria, & ideò debent circa idem ſubiectum ſperiri: Sed coctio eſt actio qua generantur, & perficiuntur: Ergo putredo poteſt eſſe actio, per quam corrumpuntur, & fiunt cacochymi. C

§. III.

Ex ſolutionibus comprobatur reſolutio, & conuincuntur Van Helmont deliramenta.

AD primum negatur maior: Putredo enim admittitur, quia eius relucent ſigna, & effectus in febrili calore, in lotio, & aliis. Nec minor tenet: Tùm primò, quia putredo non eſt ratio differentialis febris, ſed actio, ratione cuius febrilis calor cauſatur ab humore: Tùm ſecundò, quia febris conſiſtit in calore, & dependet ab humore ratione putredinis dum eſt putridus, non verò reliquæ: Tùm tertiò, quia febris eſt calor à putrido humore cauſatus, & non habet rationem febris vniuerſalis donec accendatur in corde, licèt in quacumque parte viuente habeat rationem febris particularis. Tùm quartò, quia ſicut non omnis febris dependet à putredine, ſic nec omnes deſumunt ab illa differentiam; putrida verò accidentalem differentiam poteſt ab illa deſumere. Tum quintò, quia febris eſt effectus putredinis, & alia ſimiliter habet. At verò in ſolo calore eſt febris poſita, quia illi tantùm conuenit, quod eſt de eius natura. Tum ſextò, quia in febris curatione aliquando à cauſa, à qua poſſunt calida remedia indicari. Tùm ſeptimò, quia malignitas conſiſtit in qualitate deleteria ſuperaddita febri, & quæ aliquando iungitur cum febre pendente ex putredine, alias verò cum febribus non pendentibus à putredine. E

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd conuincit ad admittendam putredinem; quia, vt diximus, apparet febrilis calor cauſatus ratione illius, & apparent alia ſigna demonſtrantia illam. Præterea negamus minorem, & ad illius probationem dicimus, Tum primò, quòd in fimo vaccino, ſi putreſcat, contingeret idem, & in quocumque mixto patiente putredinem. Tum ſecundò, quod calor ſequitur ratione putredinis à forma rei, quæ putreſit: ſi enim à granis fieret, intenſior perciperetur, antequam eſſent manſa, nec ob hordei granis, quod eſt frigidum, poteſt in fimo equino intendi calor niſi ratione putredinis. Tum tertiò, quòd acceſſio apparet in herbis, floribus, & fimo, quod non fit donec coaceruata, impedita ventilatione, incipiunt putreſieri; fœtorem enim, tùm & calorem acquirunt. Tùm quartò quod ſpiritus ſalium manentes in fimo equino calorem producerent, ſi ab ipſis eſſet calor, quod non contingit, niſi putredine nouum acquirant ſubſtantiæ modum. Tùm quintò, quod dum putreſcit mixtum, fit calor excedens, quia partes calidorum elementorum, prout ſeparantur à frigidis, cogunt formam ad caloris productionem. Dum verò eſt putredo in facto eſſe, reſoluuntur, & defectu illarum mixtum putrefactum manet frigidum.

Ad confirmationem reſpondetur: Quòd ſine eo, quod internæ partes exurantur, communicatur calor ad extremitates mediis ſpiritibus vitalibus, qui quia aër, quo deberent attemperari, calefit à calore orto ratione putredinis, calorem intenſiorem producunt, & delati in partes quaſcumque corporis valent illas attemperare.

Ad tertium negatur antecedens; & reſpondetur ad eius probationem, Tùm primò, quod in mixtis non viuentibus, ſi putreſiant, fit calor excedens, vt apparet in fimo, quocumquéve mixto putredinem patiente. Tùm ſecundò, quia quod humor putreſcit in vno die, in aliis non fit febris intermittens: Tùm tertiò; quod putridum in facto redditur frigidum, non quod putreſit. Tùm quartò, quod licet in cadauere maneant calidi humores, qui putreſiunt: non tamen partes apparent calidæ, ſicut in viuente, quia deficiunt ſpiritus vitales, qui delati ad partes calorem communicabant illis. Tùm quintò, quod calor excedens in quacumque parte eſſet febris particularis, numquam tamen inciperet dici febris vniuerſalis, donec communicatus cordi inciperet ab illo communicari. Tùm ſextò, quod in febre intermittente retroceſſus ſpiritus ad interna in cauſa eſt, vt ſint frigidæ partes externæ. At verò putredo, ratione cuius in humoribus pullulat calor, eſt cauſa febrilis caloris abſque eo, quod frigiditatem cauſet; ſicut ignis poteſt eſſe cauſa caloris, etſi non ſit cauſa frigiditatis. D

Ad confirmationem reſpondetur: Quòd à bile per putredinem facta, dum ipſa non putreſcat, non oritur febris, quia febrilis calor à re dum putreſcit, cauſatur.

Ad quartum negatur antecedens, & reſpondetur ad probationes: Tùm primò, quod venæ ſuum cruorem ſeruant, ſi non ſit cauſa præternaturalis, à qua impediatur earum actio: Tùm ſecundò, quod ſanguis conſeruari intenditur à natura, & à forma, non tamen valet reddere immunem à corruptione, ſicut nec ipſas partes viuentes. Tùm tertiò, quod decus naturæ ſtat in hoc, quod vnicuique tribuat id cum quo poſſit conſeruari, ſi non inuadit præternaturalis cauſa. At verò nullum eſt ens ſublunare, quod poſſit præſeruari à putredine, aut corruptione inducta à potentiori præternaturali cauſa. Tum quartò, quod experientia demonſtrat ſanguinem in bene valentibus naturalem eſſe, corruptum verò in febricitantibus. Tùm quintò, quod eſt lethalis cruoris euacuatio in peſte, quia licèt ſit putridus, non valent vires ipſam ferre. Tùm ſextò, quod ſanguis poſt plenitudinem poteſt eſſe perfectus, quia poſtea fuit genitus, licèt qui præfuit, fuerit putridus.

Ad confirmationem reſpondetur: Quod putridi humores poſſunt putredinem communicare reliquis, & ſpiritibus ſi apti ſint ad illius receptionem: ſed plerumque quia reſiſtunt, non putreſiunt, ſicut

ſicut nec plures partes eiuſdem humoris qui putreſit.

Ad quintum reſpondetur: Quòd ſumpta indicatione à putredine, fieret curatio per ea, quæ ipſam valent cohibere: ſi verò ſumatur ab ipſa febre: curabitur per eius contraria.

Ad confirmationem reſpondetur: Quòd non eſt putridus plerumque ſanguis hæmorrhoidalis; & etiamſi putridus non ſit, non conſtat an curaretur per annulum ſomniatum à Van Helmont: niſi ſomniauerit etiam ipſum conficere ex balſamo, quo nugantur vetulæ Fierabras curaſſe in inſtanti homines in duas partes abſciſſos.

Resolutio V.

Vtrùm anni tempora, aut Aſtrorum mutationes valeant coindicare pharmaci ſolutiui exhibitionem?

§. I.

Rationes dubitandi proponuntur.

Licèt Galenus omnes indicationes curatiuas exactiſſimè ſit proſequutus, nullam, quæ ab Aſtris ſumatur, propoſuit; imò ſi aliqua ſit ab ipſis ſumenda, eam minimam omnium indicauit; & ideò in eam plures deducti ſunt opinionem, vt nulla ab eis ſit deſumenda. Quibus fauet

Primò: Quia ab anni temporibus, aut Aſtris nulla poteſt ſumi indicatio, niſi quatenus nos valent alterare: Sed ab aëris alteratione, cùm ſit diuerſa, & valens nocere, aut coadiuuare pro ſalute, nulla certa poteſt ſumi indicatio: Ergo nulla indicatio ab eis deſumpta poteſt coindicare, aut contraindicare pro pharmaco.

Secundò: Pharmacum indicatur à cauſa morbifica: Sed nec anni tempora, nec Aſtra habent rationem cauſæ materialis morbificæ: Ergo ab eis nulla indicatio, nec contraindicatio ſumitur vtendi pharmaco ſolutiuo.

Tertiò: Actio ſolutiui pharmaci, nec à temporibus anni, nec ab Aſtris poteſt indicari, nec contraindicari ab illis. Probatur antecedens: anni tempora, & Aſtra, mediis primis qualitatibus in nos agunt; pharmacum ſoluens media qualitate occulta: Ergo eius actio ab illis non valet immutari.

§. II.

Tempore vrgentiæ eorum contraindicatio poſtponitur.

Reſoluendum primò: Quòd tempore vrgentiæ poſthabenda contraindicatio ab Aſtris, aut anni temporibus deſumpta.

Probatur primò. Pro pharmaci exhibitione requiritur occaſio, quæ ex Cicerone *lib.5. de inuent.* eſt, *Opportunitas alicuius rei, quæ habet idoneum tempus faciendi, vel non faciendi:* Sed occaſio ex Hippocrate *lib.1. Aphoriſm. 1.* eſt *Præceps*, præcipuè in tempore vrgentiæ, in qua imminet vitæ periculum ex mora: Ergo contraindicatio ab anni temporibus, aut Aſtris deſumpta, poſthabenda eſt tempore vrgentiæ ad indicationem exhibendi ſolutiuum pharmacum.

Probatur ſecundò: Solutiuum pharmacum non propinatur pro libito ex Hippocrate *lib. de locis*, §. *Ne pharmacum quiſquam volens det.* ſed dum eſt

A indicatum: Ergo ſi ſit indicatum, & vrgeat neceſſitas illius exhibendi, non poteſt non exhiberi; & etiam ſi ab anni temporibus, aut Aſtris deſumatur aliqua contraindicatio, poſtponenda eſt.

Probatur tertiò: Tempore vrgentiæ ſi non poſtponeretur contraindicatio ab anni temporibus, aut Aſtris deſumpta, plerumque periret æger: Ergo poſthabenda eſt ad indicationem exhibendi ſolutiuum pharmacum. Patet conſequentia ex Cornelio Celſo, inquit enim: *Propera dum viuit, quia ſemel pereunti nulla remedia proſunt.*

§. III.

B *Datur locus coindicationi temporum.*

Reſoluendum ſecundò: Quòd abſente vrgentia indicatio, aut contraindicatio deſumpta ab anni temporibus eſt attendenda.

Probatur ex Hippocrate *lib.4. Aphoriſm. ſent.5.* dicente: *Sub cane, & ante canem difficiles ſunt purgationes:* Et ex Galeno, qui *in comment.* inquit: *Sicuti enim balnea calida natura apta ſunt obſiſtere purgationibus, ſic & calor æſtatis, & tunc præcipuè cum ſe ipſo vehementior extiterit.* Ergo attendenda eſt indicatio ab anni temporibus, & Aſtris, dum non ſit vrgentia.

Probatur ſecundò ex eodem Hippocrate *lib.6.* C *Aphoriſm. ſent. 47.* dicente: *Quibuſcumque vena ſectio vel medicatio conuenit, his Vere purgare, vel venam ſcindere oportet.* Ergo ſi non vrget neceſſitas, ab anni tempore coindicatio pharmaci ſolutiui exhibendi deſumitur.

Probatur tertiò: Ab aëre docet Galenus deſumi indicationem quam maximè pro exercendis remediis: Sed & ab anni temporibus aëris temperies mutatur: Ergo ab ipſis coindicatio in pharmacis ſolutiuis exhibendis, aut contraindicatio eſt ſumenda, dum non ſit vrgentia.

D

§. IV.

Aſtris aliquid eſt tribuendum pro pharmaci ſolutiui vſu.

Reſoluendum tertiò: Quòd abſente vrgentia, aliqua coindicatio, aut contraindicatio pro pharmaci ſolutiui exhibitione deſumitur ab Aſtris.

Probatur: Aliqua indicatio ſumitur pro pharmaci exhibitione a corporis temperie, ſubſtantiæ modo, viribus, corporiſque habitudine; graciles enim difficilius purgantur ex Hippocrate 2. *Aphor.* 35. & *lib.4. Aphor. 6.* inquit enim: *Vomentes vero difficulter, & mediocriter carnoſos per inferiora, ca-* E *uentes æſtatem.* & *ſentent.9.* inquit: *Melancholicos vero plenius per inferiora.* Sed Luna, & reliqua Aſtra valent immutare corporis temperiem, ſubſtantiæ modum, vires, aut corporis habitudinem: Ergo abſente vrgentia, ab illis indicatio, aut contraindicatio exhibendi pharmaci deſumenda eſt. Probatur minor, Tùm quia ex Macrobio *in ſomno Scipionis, cap.19.* vita, ac conſeruatio noſtra moderatur ab Aſtris. Et ab ipſis quàm maximè, ex eodem *lib.1. Saturnal. cap.17. & cap. 24. in ſomno Scipionis*, præcipuè per caliditatem à Marte, Ariete, Syrio, & vtroque Cane. Et latius confirmatur Cælius Rhodiginus *lib.17. antiquar. lect.27.* Plinius *lib.2. cap.42.* Iulius Firmicus *lib. 8. cap.9.* Ioannes Pontanus *lib.3. ſtell.* Pierius Valer. *lib. hier.44.* Gaicor

Mattius *lib.36. de promiſcua doctrina*, & alij citati à nobis, *tom.1. reſol. Medicar.* Tùm patet, quod Luna ſit cauſa mutationum corporis ex, Galeno *lib.3. de diebus decretor.* imò & non viuentia, & mare ipſum immutat, vt confirmant Ptolomæus *lib. 2. cap. 12.* Albertus Magnus *lib. 2. tract.3. cap.6.* Ficinus *cap.6. ad lib. Plotini*, Strabon. *lib.3. de ſitu orbis.* Albumazar. *lib.2. maioris introductory.* Tùm de Sole, quod valeat rerum ſublunarium immutare naturas, & temperamenta, imò & ipſos mores, notauit Guaniuetus *lib. 3. de influxu planetarum, cap.3.* Lælius Biſciola *tom. 3. horarum ſucciſiuar. lib. 12.* Valleſ. *lib. 2. de ſacra Philoſophia*, tenuit Plato, vt Damaſcenus teſtatur *in lib. Thaumatographia*, Abulenſis *lib. 3. Reg. cap.17.* Paulus Venetus 2. *meteoror.* Rodericus Caſtro *lib.2. de meteoris microcoſmi.* Saxonia *lib. 2. de cælo*: Ergo Luna, & Aſtra valent immutare temperiem, vires, & ſubſtantiæ modum.

A

§. V.

Soluuntur dubitandi rationes.

A primam reſpondetur: Quòd maximè ab aëre ſumitur indicatio pro exhibendis remediis, quatenus illius temperies ſe poteſt habere ex parte B morbi, vel ex parte medicamenti, quod pro ipſo debellando offertur.

Ad ſecundam reſpondetur: Quòd licèt indicatio pro pharmaco exhibendo deſumatur ab humore cacochymo, & ſi ſit vrgentia, debeat exhiberi, ſi ſit indicatum, nulla attenta coindicatione eorum, quæ C poſſunt impedire, aut coadiuuare eius operationem; at verò ſi non detur vrgantia, attenduntur alia à quibus illius indicatio poteſt coindicari, aut contraindicari.

Ad tertiam reſpondetur: Quòd licèt pharmaca operentur ſelectiua vi occulta, habent tamen manifeſtas qualitates per quas nos valent alterare; & per quas valent in nos agere; & ideò Hippocrates dicit: *Quod in cane, & aus canem difficiles ſunt purgationes.*

DOCT.

DOCT. MED. D. GASP. BRAVO DE SOBREMONTE RAMIREZ,

Tractatus de Sudore: cum Appendice ad Diſputationem de Sanguinis miſſione.

DISPVTATIO VNICA.

De humani Corporis ſudore.

SOLERTISSIMA natura pro altrice, & auctrice vt, aptam vnicuique animali coaptauit materiam; ſed parum diſſimilem, vnde excrementa ſuperſunt; quibus etiam excernendis aptas coaptauit vias, potentiores pro craſſis; tenuiores, pro tenuibus; quas diſperſit per cutem, qua animalia induit, præcipuè hominem, ex Galen. 1. *ſimplic. c.* 12. In primo ortu continuam, tractu temporis perforatam inſtar cribri, vt tenuiora expellantur excrementa, vt tradidit idem Galen. *lib. de anatomicis adminiſtrationibus, & lib.* 2. *de temperamentis*: Sunt hæc, ſordes, tenuis ſubſtantia euaporabilis, & ſudor. De hoc agere intendimus: de quo quoad prognoſim plura tradidit Hipp. *in aphoriſticis & prognoſticis ſententiis*, plura ſuperaddit *in commentariis* Galenus, qui de ſudoris natura tradidit non pauca *lib.* 10. *de ſimplic. Medicam. facult. c. de ſudore*. Tradidit & Auicenna, & plures ex Arabum familia perluſtrarunt aliqua. Inter Moderniores hanc dilucidauit doctrinam Cæſar Baricellus *lib. de hydronoſa natura*. Mercurialis *lib. de ſudoribus*. Valles *lib.* 5. *controuerſiarum*. Marcellus Donatus *lib.* 1 *de hiſtoria mirabili cap.* 2. Valleriola *in commentario ad lib de different. ſympt.* Franciſcus Sanch. *lib.* 2. *de ſympt. febr.* vbi plura Practicorum placita.

A B C

SECTIO PRIMA.

De ſudore naturali.

SVDOR, effluuiúmve vaporoſæ ſubſtantiæ per cutem, triplex in homine accidit; vel intra ſanitatis metas, qui Naturalis dicitur; vel in morbis natura vincente, pellentéque humores noxios ſub ſudoris forma, & vocatur ſudor Criticus; vel vi morbi ſubſequitur, & tanquam illius ſymptoma, qui ſudor Symptomaticus dicitur: De naturali ſudore, de actionibus per quas producitur, & de vniuſcuiuſque actionis, per quam fit, cauſis, ſub hac Sectione agemus.

RESOLVTIO I.

Verùm detur ſudor naturalis?

§. I.

Dioclis, Actuarij, Sanchez, & aliorum proponitur opinio.

ANtiqua eſt quæſtio à Galeno propoſita, licèt non ſatis elucidata, an detur ſudor naturalis *lib. de different. ſymptom. cap.* 6. Diocles *ibidem* ab ipſo citatus, & *lib.* 1. *Aphoriſm. comm.* 15. nullum homini naturalem eſſe ſudorem protulit, & rationibus fulciuit; quem ſequitur Actuarius *lib.* 1. *methodi c.* 23. Et inter recentiores Franciſcus Sanchez *lib.* 2. *de febribus cap. ſecundo*, quibus faoet,

Primò, tum Hipp. *lib.* 4. *aphoriſm.* 38. §. *Vbi ſudor, ibi morbus adeſſe ſignificatur.* Tum 2. *lib. prognoſtic. num.* 50. vbi ſudores docet fieri vel corporis diſſolutione, vel ex vehementia inflammationis. Tum 3. Galenus *lib. de different. ſympt.* docet Dioclem valde probabiliter firmare ſuam ſententiam. Tum 4 *lib.* 3. *methodi, cap.* 3. §. *his excrementis etiam per vniuerſum corpus ſemper prouenientibus, quod tenue eſt, inuiſibi-*

lis eſt perſpiratio, quæ etiam fit viſibilis, quoties vel calor languet naturalis, vel nutrimento vtitur, quod iuſto ſit copioſius, vel motus quidam violentus animali contingit: Ergo ex Hipp.& Galeno ſudor nullus eſt naturalis, ſed à præternaturalibus cauſis ortus.

Secundò à Diocle ſic probatur: Nunquam ſudor fit à cauſa naturali: Ergo nunquam ſudor eſt homini naturalis. Probatur antecedens: excrementa, quæ euacuantur per tertiam regionem, & per cutis poroſitates dum à naturali eleuantur calore, reſoluuntur, attenuantur,& inſenſibiliter euacuantur: Dum verò calor debilis eſt,& imbecillis, cùm non poſſit vaporem eleuare; nec ſudorem mouere valet: ergo à naturali calore nunquam poteſt fieri ſudor.

Tertiò, Dum calor eſt naturalis,& proportionatus, vt in hyeme, non fit ſudor; dum eſt robuſtus, vt in æſtate, multi fiunt ſudores: ergo ſudor ſemper fit à præternaturali calore.

§. II.

Manardi, Baricelli, Valleſij, & aliorum præfertur opinio.

RESoluendum, quòd naturalis ſudor accidit homini intra ſtatum Sanitatis: ſic tenent Thriuerus *lib.1. aphor. comm.* 15. Manardus, *lib.* 15. *epiſt.*1. Zacutus *tom.*2. *lib. vlt. obſeruat.*4. *num.* 3. Vincentius Moles *lib.de phil.natur.corp. Chriſt.cap.*9. *dub.*2. Valles *lib.*5.*controuer.* Marcellus Donatus *lib.*1. *de hiſt. mirac. c.*2. Cæſar Baricellus *lib.* 1. *de hydronoſa natura*, c.4. Mercurialis *lib.de ſudore.*

Probatur 1. tum ex Hipp. *lib. de alimento. num.*20. *§ excretiones ſecundum naturam ventris vrinarum, ſudoris, ſputi, mucci,&c.* Tum ex Galen.*de ſympt. different.§.forſaſſe dubitauerit quiſpiam & de ſudore, ſeu neque ipſe naturæ lege concedat: quippe quod & Diocles docere tentauit. videtur autem dura opinio & præter rerum euidentiam.* Ergo ex Hipp. & Galeno ſudor naturalis eſt admittendus.

Probatur 2. Sudor reperitur inter ea, quæ excernuntur, aut retinentur, quæ ad res naturales pertinent: ſed res naturales moderatæ ſe habent ſecundum naturam; immoderatæ præternaturales fiunt: Ergo ſudor naturalis eſt admittendus.

Probatur 3. Sano homini, ſi exerceatur, vel Soli apponatur, ſuperuenit ſudor; ſed neque ab illa leui Solis inſolatione, neque ab exercitio poteſt homo æger dici: Ergo ſudor ille eſt naturalis.

Probatur 4. Si ſudor omnia eſſet præter naturam, maximè, quia vt contendit Diocles, fit à debili & remiſſo calore: ſed in homine bene valente, naturalique calore fruente, non fit ſudor niſi ratione inſolationis, aut exercitij, quia calor fiat intenſior: ergo non fit ſudor à calore, quia fit remiſſior, & imbecillior.

Probatur 5. Sudor in homine benè valente fit ex calore intenſiori facto, non tamen morboſo, & valente vaporem reſoluere: ergo fit à robuſto naturali calore. Probatur antecedens, tum ex Hippocrate lib.de locis, aëre,& aquis, num.141.§. *Cuius rei maximum eſt indicium cùm homo veſtibus indutus in Sole ambulauerit, vel ſederit, quaſcumque enim corporis partes Sol aſpicit, nullum ſudorem emittunt; ſol enim, quidquid ſudoris compareт, ad ſe rapit; quæ verò veſte aut alia quacumque reteguntur, hæ exſudant, per vim enim à Sole ſudor elicitur; ſeruatur autem à tegumento, ne à Sole deleatur; cùm verò homo ad vmbram peruenerit tum corpus æqualiter ſudore diffluit, neque enim ampliùs Sol affulget.*

§. III.

Dioclis, & aliorum ſoluuntur fundamenta

AD 1. Reſpondetur, tum quòd loquitur Hipp. de ſudore orto à præternaturali cauſa, & ideò ex illo morbum in parte infert: Tum 2. Quòd refert plures præternaturalis ſudoris cauſas: Tum 3. quòd Galenus probabiliorem indicat oppoſitam opinionem, & ideò fatetur Dioclem loqui contra rerum euidentiam: Tum 4. quod recenſet præternaturales cauſas, à quibus præternaturalis fit ſudor?

Ad 2. Reſpondetur: quòd petit ſudor fieri à calore remiſſiori, quàm illo qui vaporem reſoluit, non autem à remiſſiori naturali calore.

Ad 3. reſpondetur, quòd in hyeme non fit ſudor, non defectu caloris, ſed quia pori frigiditate ſunt obſtructi,& impediti vt vapores ad cutem ferantur.

RESOLVTIO II.

Quid ſit ſudor?

§. I.

Variæ opinantium referuntur diffinitiones ſudoris.

PAuciores ſunt Authores, qui de ſudore egerunt, quàm qui illius definitionem adduxerunt: deſcribere ipſum, ſiue definire viſi ſunt, vt congeſſit Baricellus, Hipp. *lib.* 4. *de morb. n.*18. *& lib. de locis, aere, & aquis*, qui ſudoris naturam ponit in ſubſtantia tenui ad cutem delata: Theophraſtus *lib. de ſudoribus.* cum Heraclito & Meliſſo *lib. de hominis ſtructura*, tenet naturam ſudoris conſiſtere in vapore circa cutem à frigore condenſato: cuius placitum Gordonius defendit. Galenus *in lib. aduerſus Lycum* & 1. *de ſanit. tuenda, cap.*12. duplicem tenuem ſubſtantiam euaporabilem ad cutem admittit; & aliam ſiccam, vaporoſam aliam: in hac, ſi denſetur, naturam ſudoris ponit. Plato in Timæo dicit ſudorem eſſe pituitoſum excrementum. Ariſt.*lib.*2.*Problem.*4. dicit ſudorem eſſe humorem incoctum. Diocles tenuit ſudorem eſſe partem cibi incocti, & per cutis foramina præter naturam excerni. Auicenna *lib.*2. ſudorem dicit eſſe ſanguinis aquoſitatem, cui pus cholericum ſit admixtum. Fernelius *lib.* 8. *pathologiæ cap.*6. ſudorem dicit eſſe reliquias ſeroſi humoris ad cutem euectas, tenuique bili perfuſas. Mercurialis *lib. de ſudore*, inquit, quòd eſt portio materiæ potulentæ in iecore alterata & ſanguini peruehendo per venas à natura tranſmiſſa, ac demum ex venis per meatus occultos expulſa. Altimarus *lib. de ſedimento*, ſudorem dicit eſſe, ſeroſam & humidam partem alimenti. Marcellus Donatus, quòd eſt ſeroſi excrementi naturalis excretio. Mercatus, quòd eſt euacuatio vniuerſalis, qua venoſum genus, & tertia corporis regio ſeſe ab excrementis exonerare habent. Baricellus poſt hos omnes, ſudorem dicit eſſe ſenſibilem euacuationem tenuem corporis, & humorum humiditatis à calore ſolutæ, & per cutis poroſitates mediis facultatibus excretæ: ſed omnes iſti, vel ſolum naturalem, vel ſolum præternaturalem ſudorem deſcripſerunt. Paracelſus *tom.* 1. *l.*3. *Paramiri de morb. origine. tractatu* 4. ſudorem dicit eſſe, *& tomo* 3. *in ſcholio, lib. de tartaro*, Cruorem membrorum principalium; aliiſque in locis aliter nugatur, vt ſolet.

§. II

§. II.

Sudoris genericè ſumpti proponitur definitio.

RESoluendum 1. quòd ſudor vt ſic, eſt effluuium ſenſibile humidæ ſubſtantiæ per poroſitates cutis extrà erumpentis. *Effluuium* genericam dicit rationem cuiuſuis ſubſtantiæ, quæ effluit à corpore; *ſenſibile* excludit effluuium inſenſibilis ſubſtantiæ per cutem, ſeu ſordium; *humida ſubſtantia* ſpecificat materialem cauſam cuiuſuis ſudoris, quæ humida debet eſſe, vt tanquam ſenſibilis poſſit poros permeare; *per poroſitates cutis erumpentis extra* ponit formalem rationem ſudoris, non enim ſudor eſt, niſi per poroſitates excernatur; nec quidquid excernitur, ſi extra non erumpat.

§. III.

Naturalis ſudoris proponitur diffinitio.

RESoluendum 2. quod ſudor naturalis eſt effluuium ſenſibile vaporoſæ ſubſtantiæ, ex humidis quibuſvis corporis partibus, ac humoribus eleuatæ, vi naturalis caloris locali motu, aut frigore denſatæ, effluens per cutis poroſitates. Hæc definitio omnes ſudoris naturalis completè continet cauſas, & patebit ex infra dicendis.

RESOLVTIO III.

Vtrùm ſudor omni accidat corpori mixto?

§. I.

Proponuntur dubitandi fundamenta.

SVdor, vt diximus, excrementum eſt per cutem prodiens: cùm autem cutis animalibus tantùm fuerit condonata, ſudores illis ſolùm accidere videtur manifeſtum: ſed quia & lapides & plantas eſſe animalia fatentur plures; apud ipſos manet dubitandi ratio, quæ hoc valet fundamento fulciri.

Primò, lapides viuere Theophraſtus Paracelſus fatetur, Dæmonis ope ſeductus, prout in aliis *tom. 5. paradox. & 1. de modo pharmacandi*, quia, inquit, augentur, & nutriuntur, aliàs nec permanerent, nec reciperent augmentum; ſi ergo viuunt, humidam habent ſubſtantiam vaporabilem, quæ poteſt ſudore extrahi vi caloris in vaporem illam conuertentis.

Secundò, licèt lapides non viuant, ſudare confirmant hiſtoriæ: quatuor enim columnæ in Chriſti Saluatoris noſtri ſepulchro poſitæ lacrymant perpetuò æſtiuis, & brumalibus temporibus, vt Baricellus refert. Baronius *lib. 3. ſuorum annalium*, ex Euſebio affirmat, & in perſecutione contra Maximinum, columnas & lapides ſudaſſe. Tum à Liuius, Plutarchus, Cicero, & Lucanus ſimulacra Gentilium Deorum ſudaſſe affirmant, vt refert, & annuit Cardanus, & videtur confirmare D. Auguſtinus 3 *de Ciuitate Dei*; & Xephelinus, ac alij; nec ſolum aquam, ſed & ſanguinem ſudaſſe ſtatuas fatentur: ergo non viuentibus poteſt accidere ſudor.

Tertiò, Plantas viuere, & quædam eſſe animalia Plato & Pythagorici iudicarunt, quia videntur habere neruos, venas, carnem, & humores, lacrymaſque emittere, vt patet de iis, ex quibus gummata, reſinæ, ac lachrymæ colliguntur: ergo in iis reperiri verum ſudorem eſt fatendum; præcipuè cùm ex Galeno ſudoris & lachrymarum eadem ſit materia.

§. II.

Communis præfertur opinio.

RESoluendum, quòd ſudor nulli non animali accidit: ſic tenet communior Philoſophorum aſſenſus; præcipuè apud Peripateticos, & Dogmaticos Medicos communis eſt opinio.

Probatur 1. à definitione, in qua ſudorem diffinimus per hoc, quod ſit effluuium per cutis poroſitates: ſed ſoli animali eſt data cutis à natura: ergo vera ſudoris ratio ſolùm in illis reperiri poteſt.

Probatur 2. ſudori maiori ex parte, vt infra conſtabit, materiam præſtant humores, ſerum, & potulenta ſubſtantia: ſed hæc ſunt in ſolo animali: ergo illi ſoli accidit verus ſudor.

Probatur 3. adhuc in ipſis animalibus ſudor non accidit, in illis nimirum in quibus cutis non eſt rara, vel eſt impedita plumis, ſquamis, ſiccitate nimia ac denſitate, prout contingit in piſcibus, volucribus, ſerpentibus anulatis; ſed adhuc ſi in mineralibus, lapidibus, & plantis eſſet materia ex qua ſudor fieret; magis dura, denſa, & impedita eſſet ſuperficies, extremáque eorum ſubſtantia: ergo multo minus poſſet ſudor verus accidere illis.

§. III.

Soluuntur fundamenta contrariorum.

AD 1. Reſpondetur, quòd Paracelſus, quæcumque dictauit, à Dæmone recepit illius ſeductore, vt latiùs probaui ſuprà; lapides enim non nutriuntur, nec augentur: non enim recipiunt incrementum ab alimento intus aſſumpto, concocto, & in partem conuerſo; ſed per appoſitionem ſimilis ſubſtantiæ ad extrà ſuperuenientis, & vnitæ.

Ad 2. Reſpondetur, quòd columnæ in ſepulchro Chriſti Domini miraculosè lachrymantur; ſicut miraculosè in perſecutione Maximini lapides, & ſtatuæ ſudarunt; ſine miraculo autem lapides, & lapideæ ſtatuæ ſudare videntur, dum humiditas ſuperueniens illis ab aërum frigiditate denſatur; non tamen guttæ illæ aqueæ ſudor verus eſt, quia ſudor verus eſt intrà genitus, vi facultatum pulſus, & tandem denſatus, ac extrà miſſus; quod in lapidibus non eſt poſſibile: quòd autem ſudarint ſanguinem ſtatuæ, id Dæmonis ope hominum ſeductoris contigit.

Ad 3. Reſpondetur, quòd plantas viuere fatentur Peripatetici, quia eas nutriri, augeri, & generare conſtat, quæ ſunt actiones debitæ potentiis animæ vegetatiuæ; ſed illas eſſe animalia Plato, & Pythagorici negantur, cùm nulla ſit illis actio ſenſitiui gradus, nec pro ſuis potentiis organizatio: habent enim, quia viuentia, & organica, aliquas partes diuerſas, quæ aliquo modo videntur partibus animalium aſſimilari, & ideo à Dioſcoride ſimilitudine nominis earum vocantur; veram tamen conformationem, & organizationem non habent; nec veras emittunt lachrymas, ſed ſimilem ſubſtantiam aquoſam, & cum tali ſubſtantiæ modo, & qualitatibus, vt pro diuerſis valeant prodeſſe vſibus in Medicinæ praxi.

Resolvtio IV.

Vtrùm vnica actione fiat naturalis ſudor?

§. I.

Proponitur corporis regionum diuerſitas, & dubitandi fundamenta adducuntur.

CОrpus humanum, iuxta diuerſas conſiderationes, diuerſo modo partiri ſupra manifeſtauimus: de illo nunc agimus prout partes habet diuerſas, in quibus diuerſas celebrat coctiones, diuerſa generat excrementa, diuerſáſque obtinet vies deſtinatas pro earum expulſione; in qua conſideratione tres reperiuntur in corpore regiones. Prima regio incipit ab ore, continet œſophagum, ventriculum, inteſtina; & omnes meſenterij venas, extenditúrque vſque ad iecoris concauam ſuperficiem, & hæc eſt deſtinata vt in illa rudior ac prima coctio celebretur alimenti. Duplex ex illa reſultat excrementum: alterum craſſum, quod comprehendit fæculentum, & ſuccum crudum fugiens illius coctionis perfectum terminum; alterum tenue, quod flatulentum eſt. Secunda regio comprehendit iecur, & vniuerſa corporis vaſa; perficitur in ea per ſecundam coctionem tranſmutatio chyli in ſanguinem. Triplex ex hac reſultat excrementum: bilis, quam trahit veſicula fellea; melancholia, quam trahit lien, in ſententia Galeni, licèt in Recentiorum opinione diuerſus ſit illi vſus, vt diximus; & ſerum, quod trahunt renes, & ex quo in veſica fit lotium. Tertia regio continet muſculos, membranas, oſſa, omneſque corporis partes, quæ poſt venas ſunt vſque ad vniuerſam cutem; in hac regione fit tertia coctio, per quam fit conuerſio ſanguinis in ſubſtantiam viuentem. Ex qua duplex reſultat excrementum craſſum, ex quo fiunt pili, & ſordes; tenue, quod per inſenſibilem tranſpirationem fertur, vel per ſudorem. Cùm igitur ſudor tertiæ regionis dicatur excrementum, an vnica fiat actione, inquirimus; & videtur quòd ſic.

Primò; ſudor eſt excrementum tertiæ coctionis: ſed reliqua reliquarum coctionum reſultant per ſolam coctionem, quæ in vnaquaque regione celebratur: ergo ſudor naturalis reſultat per ſolam coctionem, quæ in tertia regione celebratur.

Secundò: Vni termino vna tantùm debetur actio; ſed ſudor vna eſt ſubſtantia vnicúſque terminus actionis ſuæ productiuæ: ergo actio productiua illius vna debet eſſe.

Tertiò, Vapor, qui ab aquea fit ſubſtantia, vel differt ab illa ſubſtantiali, vel accidentali tantùm forma: ſi ſubſtantiali, vnica tantùm ſubſtantiali actione, quæ generatio eſt, petit fieri; ſi accidentali, ſufficit actio vnica accidentalem terminum producens in illa, vt differat accidentaliter ab illa: ergo vnica tantùm eſt actio, qua producitur ſudor.

§. II.

Varias actiones prærequiri ad ſudorem ſancimus.

REſoluendum, quòd pro ſudore naturali prærequiruntur quatuor actiones, quarum prima eſt admodum copioſa euaporatio.

Probatur 1. ex Hippoc. *lib. de flatibus, numer. 90. §. quod incenſus eſt liquatur, ex eo quod ſpiritus oritur, eodem attenuatur, vſquedum in vaporem tranſmutatur.* Tùm ſecundò, ex Galeno *lib. 10. de ſimplic. medicam. facult. §. ſudor plus eſt elaboratus, quàm vrina;* A inde enim maximam habet elaborationem, maioremque, quia licèt vrinæ, & ſudoris eadem ſit materia; vt fiat vrina, ſufficit illius motus localis tractionis à renibus, & expulſionis ad veſicam; vt autem fiat ſudor, requiritur motus alterationis, quo in formam vaporis mutata, iterum in liquorem concreſcat: ergo pro ſudore ex Hippoc. & Galeno prærequiritur euaporatio.

Probatur 2. Sudor naturalis non fit, ſi calor eſt debilis, ſed ab illo intenſiori facto, ſiue inſolatione, ſiue exercitio, ſiue veſtium coopertione, vt docet experientia: ſed talis intenſio caloris non ob aliam cauſam prærequiritur, niſi vt in formam vaporis materiam, ex qua fit ſudor, conuertat: ergo prærequiritur ad ſudorem euaporatio.

B Probatur 3. non fiet ſudor ex humida materia, quin in vaporem mutetur: ergo mutatio in vaporem prærequiritur ante formam ſudoris. Probatur antecedens. Tùm primò quia ſine conuerſione in vaporem non poſſet permeare poroſitates: Tùm ſecundò, quia ſi ſub propria forma ferretur ad tertiam regionem ſub propria forma, fieret hydrops, ex Gal. *lib. 3. de ſympt. cauſis c. 2.* ergo prærequiritur euaporatio.

Probatur 4. Quòd euaporatio pro ſudore prærequiſita debet eſſe admodum copioſa: Tum quia Hipp. & Galenus ex ſudore inferunt corpus plurimo vti cibo: argumentum, quod plurimam petit materiam vaporum, ex qua fiat: Tum quia fit per omnes corporis partes, quod ſine copioſa materia conſequi non poſſet: C Tum quia petit caloris multum, vt fiat, vt multam copiam vaporum eleuet: Tum quia vt fiat ſudor, petit vaporum concretionem, quæ abſque multa copia fieri non poteſt, ex Ariſtotele *2. de generat. textu* 37. vbi pro vno pugillo aquæ petit decem aëris: ergo ſudor, qui concretione fit ex vaporibus, non poteſt concreſcere niſi ex magna illorum copia.

§. III.

Secunda actio pro ſudore prærequiſita aſſignatur.

REſoluendum 2. quòd ſecunda actio prærequiſita ad ſudorem eſt confertim facta propulſio vaporum per vaſa ad tertiam vſque regionem.

D Probatur quòd requiratur propulſio vſque ad tertiam regionem; Tum ex Gal. *lib. de rigore, & tremore c. 6. §. calorem aliquem effundere confertim humorem, quem ſudorem vocamus*: Tum vapor, vt patet ex diffinitione, non recipit formam ſudoris, donec feratur ad tertiam regionem: ergo propulſio ad illam eſt neceſſaria actio prærequiſita pro ſudore.

Probatur 2. quòd propulſio debet eſſe confertim facta: Non fit ſudor ex vapore donec concreſcat; ſed non concreſcit, donec confertim feratur, quia ſi paulatim moueretur, reſolueretur ſine concretione: ergo debet propulſio facta confertim præire ſudorem.

E

§. IV.

Tertia proponitur actio pro ſudore naturali prærequiſita.

REſoluendum 3. quòd tertia actio prærequiſita ad ſudorem, eſt vaporis concretio in tertia regione. Probatur, tum ex Hipp. *lib. de flatibus, n. 91.* Tum ex Gal. *lib. 3. de cauſis ſympt. c. 2.* Tum quia ſudor differt à vapore, & vſque ad tertiam regionem ſub vaporis forma aſcendit: ergo vt fiat ſudor in tertia regione, debet vapor concreſcere.

§. V.

A

§. V.

Soluuntur fundamenta primò adducta.

REſoluendum 4. Quòd concreti ſudoris expulſio per poroſitates cutis eſt quarta actio neceſſaria in generatione ſudoris naturalis. Probatur; ſudor differt ab inſenſibili euacuatione per poroſitates cutis facta: quia ille, ſenſibilis eſt euacuatio facta per cutem; ſed ſi non fieret expulſio concreti vaporis extra cutem, non eſſet ſenſibilis euacuatio: ergo vt ſenſibilis fiat, debet fieri propulſio extra cutem.

§. VI.

Soluuntur fundamenta primò adducta. B

AD 5. Reſpondetur, quòd licèt ſudor naturalis dicitur excrementum tertiæ regionis, quia per illam excernitur; non tamen eſt excrementum tertiæ coctionis, quia non fit continuò, nec reſultat ex tertia coctione; ſed fit per actiones quatuor propoſitas eo tempore, quo datur materialis cauſa, & ſuperadditur cauſa efficiens, à qua eleuantur vapores copioſi, & qui confertim mouentur.

Ad 2. Reſpondetur, quòd probat argumentum dè actione productiua ſudoris in eſſe entis; non autem de reliquis actionibus, quibus indiget in eſſe talis entis: ſudor enim ſubſtantificè aqua eſt, & per actionem ſubſtantialem producta; ſed dicitur ſudor, quatenus C generatur in corpore animalis ab illius calore eleuante vapores, & concretione ſuperueniente, vt extrà pellatur ſub forma aquæ; quæ conditiones licèt non requirantur ad productionem ſudoris in eſſe entis, bene tamen in eſſe ſudoris, qui aliàs ſupperaddit accidentales differentias & conditiones ſupra aquæ entitatem: aliàs omnis concretus vapor diceretur ſudor.

Ad 3. Reſpondetur quòd in eſſe entis fit ſudor vnica ſubſtantiali actione, in eſſe talis entis, quod ſudor dicitur, completur per plures conditiones requiſitas pro modo generationis illius, vt diximus.

D

Resolvtio V.

Quæ ſit materia ex qua ſudor generatur.

§. I.

Proponitur difficultas: refertur opinio, & opinandi rationes.

PRimam pro naturali ſudore prærequiſitam actionem diximus eſſe copioſam euaporationem, de cuius cauſis agere conducit pro perfecta ſudoris cognitione: Cúmque vapor exigat materiam *ex qua*, quænam hæc ſit in noſtro corpore, examinabimus: quòd hæc ſint ſemicocti cibi reliquiæ ex imperfecta coctione permanentes, fatentur aliqui.

Primò, quia ſudor eſt tertiæ regionis excrementum; ſed quod excrementum eſt, eſt crudum & imperfectum, quod ſuperfluit in coctionibus: ergo ex cruda ſoperabundante materia fit vapor.

Secundò, Galen. *lib. 1. de ſanitate tuenda*, quòd fit ſudor ex excrementis ex tertia regione reſultantibus: ergo ipſa præſtant materiam pro vapore.

Tertiò, Pro ſudore eſt determinata cutis vt expellatur: ergo debuit dari determinata materia ex qua fiat: ſed nulla alia præter ſuccos crudos per coctionem tertiæ regionis genitos apta eſt: ergo hæc debet aſſignari.

§. II.

Genericè proponitur apta materia pro ſudore.

REſoluendum 1. quòd quæcumque humida ſubſtantia intra noſtrum corpus eſt apta materia pro vaporum productione.

Probatur ex Hipp. *lib. 4. de morb. n. 249. §. Incaleſcente corpore per hoc aquoſum, quod eſt febri maximè infenſum, præcipuè exhalat; relinquitur verò pingue & leue, quod eſt bilioſum, & præcipuum febris alimentum: ad hunc autem modum exhalat, non ſecus ac ſi quis affuſa in vas aeneum aqua & oleo, ligna multa diutius ſuccendat, aqua certe longe potior, cùm ex vaſe exhalet, futura eſt;* B *oleum autem cohærens & denſum extenuari nequit, neque ſicut aqua exhalare; ita ſanè & in homine res ſe habet, incaleſcente namque corpore, aqua foras exhalat: quod verò eſt bilioſum, cùm cohærens & denſum ſit, neque ſimiliter extenuatur, neque exhalat.* Tum ex Galeno *lib. 2. aphoriſm. comm. 14 §. Conſtare porrò inter omnes arbitror ex humida, & aerea ſubſtantia plus defluere quàm ex terrena, etiam ſi vtraque ſimiliter calida, quod ad earum dumtaxat qualitatum attinet, exiſtant.* Et ſuperaddit: *ſiquidem hoc rebus etiam externis cernere licet; neque enim ex corporibus ſimili calore præditis, par, æqualiſque materia fluit ſed minimum ex ſiccis, plurimum ex humidis.* Tum ex Ariſtotele *lib. 4. meteor. textu 47. §. Vaporis ſegregatio à calido aſtiuo in aerem* C *& ſpiritum ex humido madefactiuo.* Et textu 48. §. *Humidorum quæcumque euaporantur aquea ſunt; aer enim licet humidus ſit materia non eſt euaporationis, habet enim maiorem leuitatem & raritatem, quàm quæ requiritur pro forma vaporis.*

Probatur deinde ratione; quia vapor fieri debet ex materia ſibi magis affini in modo ſubſtantiæ, cùm per leuem caloris alterationem fiat ſine ſubſtantiali mutatione: ſed aquea materia eſt illi magis affinis, à qua ſolum differt forma accidentali; ſiue ſecundùm rarum, aut denſum: ergo aquea quæcumque materia eſt ſubſtantia, ſeu materia pro vaporum generatione.

D

§. III.

Aptior intra corpus euaporationi proponitur materia.

REſoluendum 2. quòd aptior intra corpus materia pro euaporatione ſunt potulenta ſubſtantia, & humorum ſerum.

Probatur 1. pars, tum ex Gal. *lib. 10. de ſimplic. medicam. facult. cap.* 10. vbi docet ſudorem ſubſequi iuxta menſuram potus: Tum patet experientia; in æſtate enim aqua ſuperbibita copioſè, ſtatim copioſus ſubſequitur ſudor: Tum quia ideò in ſuperfluis ſudoribus cohibemus aquæ potum: Tum quia ex nimio ſudore E accidit ſitis: Tum quia aquea materia pro ſudore eſt aptior, nulla tamen aquea magis, quàm potulenta: ergo intra corpus potulenta ſubſtantia eſt pro vaporis materia aptior.

Probatur 2. pars, Tum ex Hipp. *lib. 6 epidem ſect.* 1. vbi docet, quòd ſudantibus ſupprimitur vrina: ex quo patet, quòd ſerum eſt ſudoris materia: Tum ex Gal. qui vrinæ & ſudoris eandem fatetur eſſe materiam: Tum quia ideò melancholici reliquis plus ſudant, quia plus habet de ſero melancholia: Tum quia ſerum maximè conuenit cum potulenta ſubſtantia, & ipſa magis aquæ eſt affinis, quæ præ reliquis aptior eſt materia pro euaporatione: ergo potulenta ſubſtantia, & humorum ſerum, ſunt intra corpus aptior materia pro vaporis generatione.

§. IV.

§. IV.

Alia demum ſubditur ſudoris materia.

RESoluendum 3. quòd humorum ſubſtantia, humiditates, & viuens quævis humida pars apta ſunt materia in corpore, ex qua poteſt vapor generari.

Probatur 1. de ſubſtantia humorum; Tum quia cùm ex commixto ſero eleuetur vapor, ex humore cui commiſcetur eleuari eſt neceſſe: Tum quia humores ſunt corpora humida, hæc autem euaporationi B ſunt apta: Tum quia in ſudoribus criticis totus humor, à quo morbus fouetur, euacuatur per ſudorem: ex quo apparet quòd à remiſſiore calore ſaltem humidior pars humorum poterit in vapores mutari: ergo humorum ſubſtantia apta eſt materia pro vaporum generatione in corpore.

Probatur 2. quòd humiditates in quas humores mutantur, ſimiliter præſtent materiam pro vaporibus; quia ſubſtantia viuens humida eſt minus apta & tamen ex illa fit vapor: Ergo apparet quòd potius fiet ex humiditatibus quatuor.

Probatur 3. de viuente humida ſubſtantia, à calore naturali remiſſo ex quo non fit ſudor, continuò C noſtri corporis partes præcipuè humidiores reſoluuntur, attenuatæ, & mutatæ in tenuem vaporem: ergo à potentiori calore, ex quo fit naturalis ſudor, maior copia eleuari debet vaporum pro ſudoris materia.

§. V.

Soluuntur fundamenta contrariè opinantium

AD 1. Reſpondetur, quòd dupliciter aliquid poteſt dici excrementum tertiæ regionis; vel quia in illa, vt excrementum generatur, vel quia per illam, vt excrementum euacuatur: ſudor excrementum dicitur tertiæ regionis, non quia generatur vt excrementum in illa; ſed quia euacuatur vt excrementum per illam.

Ad 2. Reſpondetur, quòd Galen. per ſemicoctum D humorem, quem aſſignat pro materia ſudoris, intelligit ſeroſam ſubſtantiam, quæ poſt humorum aſſimilationem permanet in tertia corporis regione.

Ad 3. Reſpondetur, quòd natura deſtinauit cutem pro quibuſuis excrementis tenuibus, quæ in corpore redundant; & quòd ſemper habet in corpore aquoſas ſubſtantias, quas diximus eſſe aptas pro materia euaporationis, ex quibus fiat ſudor; licèt non ſemper ex illis fiat: quia non ſemper eſt calor proportionatus, vt proportionatam vaporum copiam generet pro ſudore.

RESOLVTIO VI.

Vtrùm calor ſit cauſa efficiens euaporationis requiſitæ pro ſudore naturali? E

§. I.

Statuitur difficultatis cauſa: ſuadetur pars negatiua.

PRærequiri ad ſudorem admodùm copioſam euaporationem decreuimus; euaporationiſque materialem cauſam eſſe aquoſam ſubſtantiam, & intra noſtrum corpus potulentam ſubſtantiam, ſerum humorum, humores, humiditates, parteſque viuentes

A humidas ſubſternere euaporationi materiam. De efficiente euaporationis cauſa, an ſit calor, reſtat diſputandum; qui in ordine ad eleuandum vaporem ſecundùm quatuor gradus poſſe conſiderari conſentiunt plures. Primus eſt, dum calor ita moderatus eſt vt adhuc approximatus materiæ aptæ euaporationi, vaporem non eleuat, vel eleuat in tam parua quantitate, vel pro ſudore non ſufficiat. Secundus, dum ita eſt intenſus, vt applicatus materiæ euaporabili tantam inducat raritatem, vt vapores eleuet & generetur ex illis ſudor. Tertius gradus caloris eſt, qui non ſolùm vapores generat, ſed ita attenuat, & reſoluit, vt non B poſſit concreſcere in formam ſudoris. Quartus gradus eſt, dum calor intenſior redditus vlteriorem valet alterare materiam, & ex illa copioſam eleuare vaporum multitudinem, quam præ copia reſoluere nequit; & quia celeriter ad cutem propellit, concreſcere facit. Quibus non attentis, aliqui abſolutè omni calori vaporoſæ actionis negant efficientiam.

Primò, quia ſi calor eſſet euaporationis requiſitæ pro ſudore cauſa, cùm homo ſemper habeat calorem, & materialem cauſam *ex qua*, vt probauimus, ſemper ſudaret; præcipuè in puerilia, adoleſcentia, & iuuentute; cùm prædominante gaudeat calore: ſed rarò ſudat: Ergo non fit euaporatio à calore.

C Secundò, ſi à calore fieret euaporatio requiſita pro ſudore, maximè à calore excedente in vnaquaque corporis parte: ſed hoc non contingit, quia omnes corporis partes ſemper irrigantur ſpiritibus vitalibus, à quibus excedens calor communicatur illis, & tamen non ſudamus ſemper: ergo non fit euaporatio pro ſudore à calore.

Tertiò, ex Ariſt. *lib. 4. meteor.* vapor à calore rareſit, & attenuatur, & corrumpitur: ergo vapor non producitur à calore.

Quartò, Vapor, ſudórve prodiens in æſtate à Solis calore reſoluitur, & corrumpitur: ergo non poteſt ab illo generari.

§. II.

D *Proponitur cauſa efficiens euaporationis prærequiſitæ pro ſudore.*

RESoluendum 1. quòd cauſa efficiens copioſæ euaporationis prærequiſitæ pro ſudoris naturalis generatione, eſt calor robuſtus cum proportione ad materialem euaporationis cauſam.

Probatur 1. Ex Hipp. Tum *lib. 1. de morb. n. 239. §. incaleſcente namque corpore, aqua foras exhalat.* Tum *lib. de locis, aëris, & aquis, §. à ſole ſudor elicitur:* Tum *lib. 1. prognoſticorum num.* 50. vbi pro ſudoris cauſa conſtituit vehementiam inflammationis: Tum ex Galeno *lib. de rigore, tremore, & palpitatione. c. 16. §. Subinde accidit in huiuſmodi ex alto rediens calorem, ſeu feruidum, aliquid humorum conſertim effundere, quod ſane ſudorem appellamus*: ergo ex Hipp. & Galen. à calore fit euaporatio pro ſudore.

E Probatur 2. Vapor, ex quo fit ſudor eſt verè vapor; ſed omnis vapor à calore debet fieri, ex Ariſt. *lib. 3. meteor.* vbi diffinit vaporem, quod ſit humida materia ſegregata à calido vſtiuo in aërem, & ſpiritum: ergo cauſa efficiens euaporationis, ſiue vaporis requiſiti pro ſudore eſt calor excedens proportionatus.

Probatur 3. Vapor producitur inducta raritate & leuitate circa materiam aqueam: ſed raritas & leuitas ſunt ſecundæ qualitates, quæ neceſſariò ſubſequuntur ad calorem: ergo vaporis cauſa eſt neceſſariò calor adauctus, vt poſſit copioſum illum cauſare pro ſudore.

Probatur

Probatur 4. experientia; ſi calor inſolatione, veſtium coopertione, ignis calefactione, aut exercitio intendatur, conſtat nos ſudare: ergo quia adauctus ille calor ſit cauſa efficiens copioſæ euaporationis prærequiſitæ pro ſudore.

§. III.

Adhibetur ſolutio argumentis primò adductis.

AD 1. Reſpondetur, quòd calor in pueritia, adoleſcentia, & iuuentute intenſior eſt quàm frigiditas; non tamen ita vt valeat copioſa euaporatione vapores eleuare requiſitos, vt ex illis fiat ſudor.

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſpiritus vitales, qui impartiuntur omnibus partibus, communicant ſolùm calorem requiſitum pro earum conſeruatione, non autem pro copia vaporis eleuanda, quæ requiritur pro ſudore, quia aëris ingreſſu attemperantur, ne calor vltra diſpoſitionem requiſitam pro conſeruatione communicetur partibus.

Ad 3. Reſpondetur, quòd vapor non corrompitur à calore proportionato, à quo reducitur, ſed à calore intenſiori, & improportionato valente illum attenuare, & attratare vltra id, quod requiritur pro illius conſeruatione.

Ad 4. Reſpondetur, quòd quatuor gradus caloris reperiri poſſunt in calore diſtincti, reſpectu euaporationis materiæ aqueæ. Ex quibus primus, quia remiſſus, vaporum copiam pro ſudore non eleuat. Secundus, quia intenſior, eleuat ſufficientem copiam, & fit ſudor. Tertius, quam eleuat copiam, valet reſoluere, & attenuare; ideò ab illo non fit ſudor: talis redditur æſtiuus calor, à quo eleuatus ſudor reſoluitur. Quartus gradus intenſior maiorem eleuat copiam, quam ideò non reſoluit; & ſic ex illa fit ſudor.

RESOLVTIO VII.

Verùm forma vaporis prærequiſiti pro ſudore differat à materia aquea, ex qua eleuatur?

§. I.

Vejarani, & aliorum proponitur opinio.

ANtiqua eſt controuerſia, an eleuatus vapor ab aqua, ſubſtantiali formâ differat ab illa? Affirmatiuam partem tenuère aliqui, quibus ſubſcribit Vejaranus *lib. 2. meteor. q. 2. art. 2.* quod idem de vapore eleuato pro naturali ſudore in noſtro corpore inquirendum venit. Fauet huic opinioni,

Primò: vapor conſtituitur in determinata ſpecie entis, quæ dicitur vapor, & eſt alia ab aqua: ergo differt ſubſtantiali formâ ab illa: quia ſpeciei ratio formalis à forma deſumitur.

Secundò: Aquæ proprietates ſubſequutæ ad formam, ſunt frigiditas & humiditas; ſed iſtæ non conueniunt vapori, cùm calidus ſit: ergo diuerſam habet formam.

Tertiò, Aqua ratione ſuæ formæ habet grauitatem, qua fertur deorſum; vapor habet leuitatem, qua ſurſum mouetur: ergo habent diuerſas formas à quibus loco-motiuæ qualitates oriuntur diuerſæ.

Quartò, ſi vapor eſſet de natura aquæ, & illius retineret formam, aqua vitæ, quæ euaporatione fit ex vino, eſſet de natura vini, & retineret eius formam: ſed aqua vitæ formam ſubſtantialem diuerſam habet à vini forma: ergo ſimiliter vapor à forma aquæ diuerſam aliam obtinet.

Quintò, Vapor generatur ex aqua: ergo vapor differt ab illa: quia generatio, *eſt mutatio huius totius in hoc totum; nullo ſenſibili manente*: ex Ariſtot. *lib. 1. de ortu & interitu.*

Sextò, Mixtum conſtituitur per diuerſam formam ſubſtantialem à ſimplicibus: ſed vapor eſt mixtum: ergo per diuerſam ſubſtantialem formam ac aqua debet conſtitui in ſuo eſſe.

§. II.

Vaporis ex aqua eleuati determinatur forma.

REſoluendum 1. quòd vapor ex aqua eleuatus, vel intra corpus ex aquea materia potulentæ ſubſtantiæ, ac ſeri humorum factus, non differt forma ſubſtantiali ab illa. Sic ex Ariſtotele recepit communior Philoſophorum conſenſus.

Probatur, tum ex Ariſt. *lib. 1. meteor. c. 3.* vbi docet vaporem eſſe aquæ ſecretionem: & *c. 4. ſequenti* fatetur, ſudorem eſſe aquam: Et *lib. 2. de generat.* fatetur quòd vnum elementum poteſt immediatè tranſmutari in aliud, ſicut aqua in aërem, dum ſunt ſymbola: aqua autem per ſudoris formam abit in aërem: ergo hæc ſubſtantialiter non eſt alia ab aquæ forma; aliàs non eſſet immediatus tranſitus.

Probatur 2. Ad formam ſemel amiſſam naturaliter non eſt regreſſio: ſed à vapore in aquam datur regreſſus naturaliter, ſolo ablato calefaciente extrinſeco: ergo non differunt forma ſubſtantiali.

Probatur 3. ſi vapor ablata cauſa extrinſeca calefaciente reducatur ad priſtinum ſtatum, eadem conſeruaret accidentia, quæ conſeruabat antecedenter dum erat aqua: ergo conſeruat eandem formam.

§. III.

Si vapor eleuetur à mixtis, quæ ſit illi forma?

REſoluendum 2. quòd vapor, qui in corpore eleuatur ex humorum, viuentiúmve partium humida ſubſtantia, ſubſtantialem formam diſtinctam recipit ab ea, ſub qua informabatur, non ab aquæ forma.

Probatur, Eo ipſo quòd aliqua ſubſtantiali forma informetur, non poteſt in vaporem eleuari & ſeparari à parte viuente, vel humorum, quin corrumpatur forma antecedens: de viuente manifeſtè patet, aliàs in vapore eſſet anima rationalis; de humore ſimiliter, quia non poteſt mixta forma cum raritate, & leuitate conſeruari, quæ debetur formæ vaporis: ergo dum illam retinet formam ſubſtantialiter diuerſam, retinet ac habebat antecedenter.

Dices, cur vapor ex aqua eleuatus non mutat formam ſubſtantialē, bene tamen eleuatus à mixtis? Reſpondetur quòd aqua eſt communis materia aquearum meteorologicarum impreſſionum, à natura inſtituta, à quibus non differt niſi accidentaliter ſecondùm denſitatem, aut raritatem, quas alterata ab externis cauſis recipit, & ideo ab illis in propriam naturam redit, ſolis ablatis cauſis extrinſecis, at verò mixta non ſunt materia meteorologicarum impreſſionum, niſi quatenus aqueæ eorum partes poſſunt à calore alteratæ mutari in vaporis formam, quæ ſubſtantificè forma eſt aquæ, & ideò apta in meteorologica mutari mixta.

§. IV.

Soluuntur Vejarani fundamenta.

AD 1. Reſpondetur, quòd vapor conſtituitur in ſpecie accidentali alia ab aqua; ſicut homo calidus differt ab homine, non tamen ſubſtantificè.

Ad 2.

Ad 2. reſpondetur, quod proprietates prouenientes A à forma ſubſtantifica, eædem aquæ & vapori conueniunt; ratione tamen accidentium ab intrinſeco, aut ab extrinſeco prouenientium poſſunt aliquæ proprietates diuerſæ eis accidere: ideò ab intrinſeco grauitas oritur in aqua, ſi ab extrinſeco calefiat, accidit ei ab extrinſeco leuitas.

Ad 3. reſpondetur, quòd motus ſurſum eſt aquæ præternaturalis, licèt reduplicatiuè vt calidæ, naturalis ſit illi ratione caliditatis ab extrinſeco communicatæ.

Ad 4. reſpondetur, quòd vapor eſt mixtum meteorologicum, quod non fit tale per ſubſtantialem formam, ſed per formas accidentales.

Ad 5. Reſpondetur, quòd vapor non generatur ex aqua, cùm ipſe ſit aqua; ſed aqua dicitur vapor, dum B alterata adquirit raritatem, & leuitatem.

Ad 6. Reſpondetur, quod vapor eſt mixtum meteorologicum, & hoc ſubſtantialiter eſt elementum.

Resolvtio VIII.

Vtrùm ex euaporatione prærequiſita pro ſudore naturali ſubſequatur vtilitas Viuenti?

§. I.

Proponitur difficultas: adducuntur dubitandi rationes. C

OPerationes propter finem fiunt, ex Ariſtotele *lib. 2. phyſic.* in calefactione aquæ datur vtilitas calefacientis producentis ſuum ſimile: ſed an viuenti ſubſequatur vtilitas in euaporatione prærequiſita pro ſudore? manet ſub dubio. Aliquibus pars negatiua videtur poſſe ſuaderi.

Primò, quia ſudor naturalis non fit à calore præcisè vt naturali, niſi intendatur, & excedat: ſed ab intenſiori calore vltra naturalem ſtatum fit partium corporis alteratio: ergo euaporatio non eſt vtilis viuenti.

Secundò, Corporis partium excedens reſolutio præternaturalis eſt: ſed à cauſa effectrice euaporationis prærequiſitæ ad ſudorem fit reſolutio excedens, cùm D ab omnibus partibus humidis intra corpus eleuetur admodum copioſa euaporatio vt diximus: ergo non eſt vtilis viuenti.

Tertiò, Quæcunque euaporabilis ſubſtantia euacuatur per ſudorem, poſſet ſecuriùs euacuari per inſenſibilem halitum à calore omnino naturali: ergo quæ fit pro ſudore, viuenti eſt inutilis.

§. II.

Vtilem pro ſanitate ſancimus euaporationem.

REſoluendum, quod reſolutio pro naturali ſudore prærequiſita, eſt pro ſanitate conſeruanda vtilis. E

Probatur; omnis actio, qua in ſtatu naturali euacuantur excrementa per vias in hunc finem deſtinatas, & à facultatibus in id conducentibus, eſt viuenti vtilis, vt latè patet ex Galeno *lib. de facultatib. natur.* & demonſtrat experientia: ſed naturalem ſudorem præcedens euaporatio fit per vias à natura deſtinatas pro illius euacuatione, & à facultatibus naturaliter operantibus, vt probauimus, & docuit Hipp. 3. *epid. ſect.* 3. *comm.* 41. §. *Interdum expurgante natura, ſudores excernuntur*: ergo eſt homini pro ſanitate vtilis.

Probatur 2. Euacuationes, quas conſequitur ex- A pultrix facultas, ſunt homini pro ſanitate: ſed vaporum expulſio intenditur & perficitur expultrice vi: ergo fit in viuentis conſeruationem.

Probatur 3. ex Galeno *lib. 3. de differentiis ſympt. cap. vlt.* vbi fatetur ſudores fieri cum conuenientia animalis, & pro illius ſalute: ergo prærequiſita ad illos euaporatio vtilis eſt illi.

Probatur 4. Per euaporationem reſoluuntur, & in vaporem conuertuntur plures humiditates ſuperfluæ in corpore: Ergo ipſa eſt vtilis pro ſanitate conſeruanda in illo.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi primò propoſitæ:

B AD 1. Reſpondetur, quod à calore, à quo fit euaporatio pro naturali ſudore, non ſequitur ſenſibilis noxa; quia licèt intenſior aliqualiter requiratur, nunquam vltra ſtatum naturalem.

Ad 2. Reſpondetur, quod à poſulenta ſubſtantia, ab humoribuſque ſero fit admodùm copioſa euaporatio prærequiſita pro ſudore naturali; à ſubſtantiis aliis fit parua & inſenſibilis, & quæ nullam ſenſibilem infert noxam.

Ad 3. Reſpondetur, quod tot excrementitiæ ſubſtantiæ, quot eleuantur in euaporatione pro ſudore naturali prærequiſita, non poſſent à remiſſiori eleuari calore, nec, ſi poſſent, probat quod non ſit ſimiliter vtilis euaporatio prærequiſita pro ſudore, à qua ele- C uantur.

Resolvtio IX.

A quo feratur vapor pro ſudore à ſecunda, aut prima ad tertiam Regionem?

§. I.

Statuitur difficultas; opinio & fundamenta referuntur.

POſt copioſam euaporationem pro ſudore, ſubſequitur localis motus, quo vapores feruntur ad D tertiam vſque regionem, cuius etiam reſtat inueſtigare cauſas: Mobile eſt ipſe vapor eleuatus à calore; finis eſt iam deſtinatus ob viuentis vtilitatem, expellitur enim quod noxium iam luxuriat in corpore; viæ ſunt, quas valet permeare vapor à termino à quo, donec per poroſitates exudatur; de loco-motiua facultate, à qua mouetur, permanet difficultas: ſunt enim loco-motiuæ vires, quibus hoc poſſit competere, plures; pulſifica, attractrix, expultrix, natoralis, ac ſenſitiua; & in ipſo vapore raritas & leuitas qualitatiua. Contendunt plures moueri vaporem à viuentis viribus ſine coadiuuamine ſuarum qualitatum loco-motiuarum; ab illis ſine coadiuuamine alicuius viuentis facultatis vaporem moueri tenent alij, his fultis. E

Primò ex Hipp. *lib. de flatib. num. 9n. §. quoad corporis meatus irrumpentes ſudores fiunt, coactus enim ſpiritus in aquas abit, & per meatus ſubiens foras erumpit.* Tum *lib. de morbis num.* 242. §. *Quidquid in ſanguine pituita & bilis tenuiſſimum eſt, liquatur & ſecernitur, partimque foras procedit*: ergo ex Hipp. à ſe ſudor erumpit foras.

Secundò, In vapore dantur leuitas & raritas: ſed ſunt qualitates loco-motiuæ ſufficientes, vt deferatur ad tertiam regionem: ergo fruſtra aliæ ſuperadduntur. Probatur Minor, tum 1. ex Auicenna *fen.* 2. *t.* *d.* 2.

ſumma

ſumma 1. *cap.* 13. vbi docet quòd plus ſudoris fit in ſomno, quàm in vigilia; quod prouenit ratione leuitatis intenſioris adquiſitæ in ſomno: tum 2. quia eadem facultate mouetur in corpore, & extra illud, extra illud verò à propria leuitate fertur ſurſum: ergo à ſe habet facultatem qua poſſit moueri.

Tertiò, aqua intra pericardium ſimili modo generatur, ac ſudor in tertia regione; ſed intra pericardium fertur ſola leuitate: ergo ſimiliter in reliquis partibus.

Quartò, Vapor ex quo fit ſudor, & inſenſibilis tranſpiratio ab eadem facultate mouentur: ſed inſenſibilis tranſpiratio mouetur à propriis qualitatibus; ergo & vapor ſimiliter.

Quintò, Vapor ſua raritate fit incapax recipiendi impulſum ab extrinſeca aliqua loco-motiua facultate, ſicut propter eandem impeditur aër, quominùs recipiat impulſum à nobis vt moueatur: ergo à propriis debet moueri loco-motiuis facultatibus.

Sextò, Vapor nec ita eſt vtilis, vt poſſit attrahi à facultate attractrice propter eius conuenientiam, nec ita inutilis, vt omnino petat trudi, & expelli, cùm aliquam viuenti afferat vtilitatem, vt probauimus; ergo mouetur propriis ac inſitis facultatibus.

§. II.

Vaporum motus partim propriis perficitur viribus.

RESoluendum 1. quòd localis vaporum motus præterequiſitus pro ſudore partim perficitur propria leuitate & raritate.

Probatur 1. tum rationibus nuper adductis: tum ex Hipp. 1. *aphoriſm.* 21. §. *quæ ducere oportet, quo natura vergit, eò ducere per loca conuenientia*: quod ideo conſulit, quia propriæ rei, quæ mouetur, qualitates coadiuuant: tum quia Gal. ſimilem confirmat doctrinam 1. *aphoriſm.* 18. & 20. *in comment. & in lib. de vſu partium* 4. *cap.* 4.

Probatur 2. quodlibet excrementum mouetur per regionem, ad quam facilius poteſt contrahi inſitis qualitatibus: ſic graue fertur deorſum; leue ſurſum: ſed vapor per partes ſuperiores, ad quas mouet leuitas, & verſus omnem differentiam, ad quam mouet raritas, expellitur: ergo magna ex parte illius motus iuuatur ab inſitis his viribus.

Probatur 3. ſi ab inſitis facultatibus non coadiuuaretur vaporum motus præterequiſitus pro ſudore à viuentibus facultatibus, moueretur eodem modo, ac in criſibus mouentur reliqui humores; ſed reliqui aliquando ad partes internas, aliquando ad externas, aliquando ſurſum, aliquando deorſum à viuentis facultatibus indifferenter mouentur: ergo vapor determinatè mouetur ſurſum, & ad cutem vniuerſam, quia illius motus coadiuuatur inſitis leuitate, & raritate, quæ in hæc determinatè mouent.

Probatur 4. ſi quid obſtaret, quominus à leuitate moueretur vapor, id maximè, quod fit ſudor verſus omnem differentiam poſitionis, leuitas verò ſurſum ſolum mouet: ſed hoc non obſtat; tum quia non ſola mouet, ſed coadiuuat, & ideò ratione illius maior ſudor ſuperuenit in partibus ſuperioribus: Tum quia, vt motus fiat ſurſum, ſi detur impedimentum, fertur mobile à leuitate verſus omnem differentiam poſitionis, vt apparet in igne impedito, ne aſcendat ſurſum: ergo à leuitate coadiuuatur motus localis præterequiſitus in vapore pro ſudore.

Probatur 5. quòd coadiuuet raritas qualitatiua localem vaporum motum: Tum quia eſt qualitas actiua localiter mouens, & inhærens in corpore apto moue-

A ri: Tum quia mouetur vapor verſus omnes differentias poſitionis ad extra: quæ ſunt terminos, ſeu vbicatio ſui localis motus: Tum quia, cùm vapores mutuò inter ſe poſiti impedire debeant illius motum verſus circumferentiam, non poteſt ipſa non imprimere impulſum in corpore impediente, quo adiuuet illius motum ad extra: ergo inſita raritas vapori illius coadiuuat localem motum præterequiſitum pro ſudore.

Probatur 6. Vapor non ſolum mouetur à generante inſita leuitate, ac raritate, ſed dum mediis illis, localiter mouetur, ſi impediatur, imprimit impulſum in partibus vaporis impedientis, quo illum mouet: ergo leuitas, & raritas coadiuuant præterequiſitum motum localem pro ſudore. Probatur antecedens, Tum 1. ex

B Gal. *lib.* 1. *de ſanit. tuen.* c. 12. §. *impellitur partim actus per ipſa molliora corpora, quæ ſluentis eius violentiæ cedunt: potiſſimum cum ab ſpiritu maiori impetu irruente impellitur.* Tum ex Hipp. *lib. de natura pueri*, vbi aquam expelli à ligno viridi in igne poſito, inquit, quia impellitur à flatu; quod multo potiori iure contingit ex impetu aſcendentis vaporis communicato alteri eius portioni: Tum ex Ariſt. *ſect.* 2. *problem.* 4. vbi per ſuperiores partes nos magis ſudare docet, quia ſpiritus, ſiue vapor mouet, Tum ex Theophraſto *lib. de ſudore*, §. *excernitur autem ſudor ob motum, aut laborem, aut ſimpliciter ob caloris, aut ſpiritus facultatem*, id eſt vaporis: Tum quia vnumquodque corpus propria virtute, qua mouetur, poteſt imprimere impulſum, quo moueat

C corpus, quod illius motum impedit; vt conuincit experientia: ergo qui mouetur vapor, ſi impediatur ab alio vapore, imprimit impulſum, quo coadiuuat illius motum.

§. III.

Viuentium viribus mouendi vaporem tribuitur aliquas vis.

RESoluendum 2. quòd ad motum vaporum ad tertiam regionem requiſitum pro ſudore coadiuuant viuentis facultates.

Probatur 1. vapor ſicut ſubſtantiæ aqueæ excrementitiæ, ex quibus eleuatur, ſunt quid in corpore

D ſuperfluum, & inutile pro viuentis conſeruatione, nec in aliquos vtiles vſus vlteriùs poteſt trahi: ſed quod ſuperfluum, & inutile eſt intra corpus eſt, obiectum facultatis expellentis viuentis: ergo ad illius motum neceſſe eſt concurrere expellentem facultatem: quia cum ſit naturalis, & operetur ſecundum vltimum potentiæ, & vapor ſit intra ſphæram ſuæ actiuitatis, non poteſt non operari circa illum.

Probatur 2. In quacumque corporis parte expelluntur quæcumque excrementa à facultate vitali expultrice illius: ſed vapor eſt excrementum repertum verſus quamcumque corporis differentiam: ergo illius motus ad extra coadiuuatur ab expultrice in quacumque corporis parte.

Probatur 3. quòd etiam à vitali vi coadiuuetur vaporum motus, quia fuligines in arteriis contentæ

E compreſſione pelluntur, & euacuantur per cutem: ſed etiam conſtat vaporem contineri in arteriis: ergo magna ex parte eſt neceſſe ab illarum vi coadiuuari motum.

§. IV.

Soluuntur primò adducta argumenta.

AD 1. Reſpondetur, quòd Hippocrates docet motum, quo fertur vapor; non tamen explicat cauſas localiter motiuas.

Ad 2. reſpondetur, quòd probat raritatem, & leuitatem coadiuuare vaporum motum, non tamen ab illis tantum perfici, cùm ſint aliæ coadiuuantes qualitates loco-motiuæ, quæ cùm deficiant extra corpus, illius motus ab illis ſolis perficitur, & quia extra ſolùm ſurſum mouetur, in corpore verſus omnes differentias poſitionis.

Ad 3. Reſpondetur, quod intra pericardium intra ſphæram actiuitatis expultricis ab illa coadiuuatur etiam.

Ad 4. Reſpondetur, quòd ab eiſdem loco-motiuis viribus mouetur inſenſibilis tranſpiratio, & vapor.

Ad 5. Reſpondetur, quòd vapor non tantam habet raritatem, vt non poſſit impulſum recipere: tenuiores enim ſunt ſpiritus, & illum recipiunt.

Ad 6. Reſpondetur, quòd vapor eſt inutilis, & vt excrementum petit trudi, quia nulli parti aptatus eſt pro illius ſubſtantia; & ideo illius generatio & excretio vtilis viuenti iudicatur, quia illius expulſio cedit in viuentis vtilitatem, eo modo quo quæuis excrementorum expulſio.

Resolvtio X.

Vtrùm vaporis denſatio fiat à frigiditate?

§. I.

Status difficultatis proponitur; & fulcitur affirmatiua opinio.

TErtius motus requiſitus ad ſudorem eſt vaporum concretio in tertia regione, ſeu denſatio, quæ vel à frigiditate media qualitatiua denſitate poteſt produci, vel medio impulſu communicato per motum localem media cauſa impellente: ideò à qua ex iis cauſis fiat hæc tertia actio pro ſudore requiſita, ſeu illius terminus, inquirimus. De loco, in quo debet fieri, manifeſtum eſt, quòd eſt tertia regio, in quam fertur vapor ſub propria forma, ipſéque vapor eſt mobile quod alteratur, & mutatur à raro ad ſenſum: quòd cauſa denſitatis efficiens ſit frigiditas cutis media qualitatiua denſitate, quæ efficit localem contrahendo vaporis partes à circumferentia ad centrum, tenet communis opinio: cui fauet,

Primò, per denſitatem vapor concreſcit, & mutatur in aquam, denſitate acquiſita: ſed denſitas fit per alterationem media frigiditate: ergo vapor, vt mutetur in formam ſudoris, ratione frigiditatis concreſcit. Probatur minor ex Ariſt. *lib. 4. meteor. & lib. 2. de generat.* in quibus docet, quod denſitas eſt qualitas ſecunda orta à frigore.

Secundò; Vapor concreſcens in tertia regione debet denſari à contrariis cauſis, à quibus recepit raritatem, dum ab aqua in vaporem fuit mutatus: ſed vt determinauimus ſuprà, à calore recepit raritatem, dum fuit mutatus in vaporem: ergo à frigiditate recipere debet denſitatem dum redit à vapore in aquam.

Tertiò, Raritas acquiſita in vapore eſt qualitas ſecunda, cui propriè contrariatur denſitas acquiſita à frigiditate: ergo per illam debet expelli. Patet conſequentia, quia vnaquæque qualitas, quæ habet contrariam, petit expelli per qualitatem quæ illi contrariatur.

Quartò, Eodem modo producitur in corpore humano ſudor in tertia regione corporis, ac producitur in ſecunda aëris regione aqua ex vaporibus eleuatis à Sole; ſed in ſecunda aëris regione producitur aqua à frigiditate immediatè illius reperta: ergo in tertia corporis regione vapor concreſcit in formam ſudoris à frigiditate denſante illum.

Quintò, Ab eadem cauſa denſatur vapor in corpore humano, à qua concretio vaporis, vel in ipſo, vel in vaſis deſtillatoriis coadiuuatur: ſed media frigiditate coadiuuatur concretio in homine, ideò enim poſiti ſub vmbra ſudamus magis in æſtate, dum priùs fuimus ſub Sole, & vaſis deſtillatoriis apponuntur panni aqua frigida madefacti, vt meliùs concreſcat vapor: ergo à frigiditate fit vaporum in corpore concretio pro ſudore.

Sextò, Vapor concreſcit, vbi maior reperitur frigiditas, concreſcit enim ſolùm in tertia regione; nunquam autem in ſecunda, in qua eſt maior caliditas: ergo quia acquiritur denſitas media illius frigiditate.

§. II.

Vaporum concretionem loco-motiuis tribuimus cauſis.

REſoluendum, quòd vaporum concretio, ſeu denſatio, qua abeunt in formam ſudoris, prouenit à cauſis loco-motiuis, medio impulſu; non à frigiditate media qualitatiua denſitate.

Probatur 1. ex Gal. *lib. 1. de ſanit. tuenda, cap. 12.* euacuatio inſenſibilis, quæ fit per tertiam regionem continuò effluit, & continuò fit per inſenſibilem halitum: ſed ſi fieret concretio à frigiditate tertiæ regionis, non poſſet fieri continuò per inſenſibilem halitum, quia cùm ſit materia apta concreſcere, à cutis frigiditate concreta exiret continuò, & ſub forma ſudoris, ergo cùm hoc conſtet experientiâ non contingere, dicendum quòd nec datur frigiditas ſufficiens pro vaporum concretione.

Probatur 2. Calor repertus in partibus tertiæ regionis, valet eleuare vapores ex cruditatibus tertiæ regionis, quas ſæpius videmus attenuare, & reſoluere: ergo non datur frigiditas, quæ ſimul valeat concreſcere vapores in illa repertos. Patet conſequentia, quia ſi valeret denſare illos, valeret impedire actionem caloris media raritate illos producentis.

Probatur 3. Eodem modo concreſcit vapor delatus ad tertiam regionem, dum mutatur in ſudorem, ac denſatur in pericardio, dum fertur ad illud: ſed in pericardio fit media locali denſitate concretio, non autem à frigiditate aliqua media, quia in corde, & prope cor eſt intenſa caliditas: ergo in tertia regione mediis cauſis loco-motiuis fit denſitas, vaporiſque concretio.

Probatur 4. Sic concreſcit corporis tertiæ regionis vapor, ſicut concreſcit in vaſis deſtillatoriis: ſed in his non concreſcit media frigiditate inducente denſitatem; quia docet experientia, quòd dum fit deſtillatio, vaſa habent intenſiſſimam caliditatem: ergo in poris tertiæ regionis non concreſcit media denſitate à frigiditate producta.

Probatur 5. ſimili modo denſatur vapor eleuatus pro naturali ſudore in poris tertiæ regionis, ſicut denſatur vapor eleuatus pro critico ſudore in febre ardente: ſed in febre ardente, cùm omnes corporis partes ardore ingentiſſimo vrantur, non poteſt à frigore fieri concretio: ergo nec in vaporibus eleuatis pro naturali ſudore.

Probatur 6. media locali denſitate concreſcit vapor pro ſudore in poris tertiæ regionis: ergo non media denſitate qualitatiua inducta à frigiditate. Probatur antecedens, tum ex Hipp. *lib. de flatibus, num. 91. §. coaleſcit enim ſpiritus, in aquam abit*, id eſt

impulſu

impulſu contractos. Tum *lib. de locis, aëre, & aquis*, docet modum, quo ſimiliter per impulſum fiat pluuia, §. *dum igitur diſperſa nedum collecta fuerit, in ſublime fertur; at vbi concernata, & à ventis inter ſe contrariis de repente in ſe coacta fuerit, tunc deorſum prorumpit qua parte collecta copioſe fuerit.* Tum ex Galen. *lib. 1 de ſanit. tuenda, c. 12. & lib. de rigore & tremore & palpitat.* vbi docet requiri pro ſudore propulſionem confertim factam, quæ confertim facta ideò requiritur vt medio impulſu faciat concretionem. Tum quia concretio vaporis neceſſario debet fieri media qualitatiua denſitate, aut locali; cum maneat probatum non fieri à qualitatiua inducta à frigiditate; reſtat vt fiat media locali denſitate: ergo media locali denſitate concreſcit vapor, vt abeat in formam ſudoris.

§. III.

Soluuntur rationes pro propoſita opinione adducta.

AD 1. Reſpondetur, quòd dupliciter fit denſitas localis; vno modo à denſitate qualitatiua producta per frigiditatem, hæc enim eſt qualitas ſecunda orta à frigiditate, & eſt qualitas loco motiua à circumferentia ad centrum, & terminus localis dicitur etiam denſitas localis, qualis eſt quæ reperitur in aqua frigore condenſata; alia eſt denſitas localis, quæ medio locali motu acquiſito ab aliis cauſis localiter mouentibus à denſitate qualitatiua diſtinctis, & ab iis fit denſitas localis qua concreſcit vapor pro ſudore, & aqua in vaſis deſtillatoriis.

Ad 2. Reſpondetur, quòd cùm vaporis concretio fiat per denſitatem localem, & hæc poſſit fieri vel à denſitate qualitatiua & ab aliis cauſis localiter motiuis, licèt poſſit raritas corrumpi à denſitate inducta per qualitates contrarias eis, à quibus inducitur raritas, poteſt etiam corrumpi ab aliis cauſis inducentibus denſitatem localem.

Ad 3. Reſpondetur, quòd poteſt raritas à calore inducta corrumpi denſitate inducta à frigiditate; ſed ex hoc non infertur quòd poſſit corrumpi denſitate inducta ab aliis cauſis.

Ad 4. Reſpondetur, quòd licèt aqua, vt docet Ariſt. *in lib. meteor.* fiat plerumque in ſecunda aëris regione media denſitate qualitatiua inducta à frigiditate, poteſt etiam, vt diximus ex Hipp. *lib. de aere, locis, & aquis*, fieri dum vapor denſatur per impulſum, ventis contrariis agitatis imprimentibus impulſum in vapore: quod iuxta corpus pro ſudore contingit magis, quia tertiæ regionis partes ſemper ſunt in ſanitate, dum fit naturalis ſudor, calidæ.

Ad 5. Reſpondetur, quòd non negamus quòd à cauſis frigefacientibus poſſit ſudor coadiuuari in corpore, & in vaſis deſtillatoriis concretio in aquam, ſed eas non reperiri neceſſariò, & ideò alias diſtinctas dari aſſerimus, à quibus ſemper concretio fit, ſiue ab extrinſeca frigiditate coadiuuetur, ſiue non coadiuuetur vaporum concretio.

Ad 6. Reſpondetur, quòd vapor concreſcit vbi habuit motum localem, & cauſam motum impedientem: quod contingit dum impetu fertur ad tertiam regionem, in qua impeditur motus propter adſtrictionem viarum; & ideo impetu motus, & impulſus retinetur, à partibus comprimitur & denſatur; quod prius non contingit, vel quia non ita impellitur, vel non ita impeditur à partibus, quarum cauſa comprimitur.

A

Resolutio XI.

Verùm denſitas localis inducatur in vapore à cauſis loco-motiuis inſitis?

§. I.

Proponitur difficultas: pars affirmatiua fulcitur.

NOn concreſcere à frigiditate ſudorem decreuimus, ſed à cauſis loco-motiuis: iſtæ autem aut debent inſitæ eſſe vapori, quales ſunt raritas, & leuitas; vel poſitæ ad extra, communicantes impulſum: quæ harum ſint, inquirimus. Et videtur quòd à raritate & leuitate proueniat localis motus, à qua in vapore cauſatur localis denſitas qua abit in ſudorem.

B

Primò, quia vapor denſatur in poris tertiæ regionis à cauſis illum localiter mouentibus: ſed fertur à propria raritate & leuitate: ergo ab illis cauſatur localis denſitas.

Secundò, Vapor in tertia regione in quam defertur ſemper acquirit localem denſitatem: ergo habet neceſſarias cauſas productiuas illius; ſed nullæ aliæ ſunt neceſſariæ præter inſitas illas qualitates loco-motiuas: ergo illis producitur localis denſitas.

C Tertiò, Sic concreſcit ſudor in tertia Regione, ſicut aqua in vaſis deſtillatoriis; ſed in vaſis deſtillatoriis vapor concreſcit, & acquirit localem denſitatem ab inſita raritate & leuitate, quibus fertur localiter in vaſa: ergo vapor à propriis qualitatibus loco-motiuis acquirit localem denſitatem.

§. II.

Denegatur principalis efficientia inſitis facultatibus.

REſoluendum 1. quòd denſitas localis non eſt terminus per ſe alicuius loco-motiuæ facultatis inſitæ vapori.

D Probatur 1. Qualitates loco-motiuæ inſitæ vapori ſunt raritas & leuitas: ſed terminus per ſe raritatis eſt diſtinctio dimenſionum facta à centro ad circumferentiam, cuius contraria eſt denſitas localis, quæ eſt earum dimenſionum compreſſio; terminus per ſe leuitatis eſt vbicatio ſurſum acquiſita: ergo denſitas localis non poteſt eſſe terminus per ſe raritatis nec leuitatis.

Probatur 2. Nulla forma directè corrumpitur à termino per ſe producto ab inſitis qualitatibus; ſed vaporis forma directè corrumpitur per acquiſitionem denſitatis localis: ergo denſitas localis non eſt terminus per ſe alicuius facultatis loco-motiuæ vapori inſitæ.

Probatur 3. Si à raritate qualitatiua per ſe fieret E denſitas in vapore intenſa raritate produceretur ſudor, ſed intenſa raritate corrumpitur denſitas requiſita pro ſudore, & corrumpitur ſudor: ergo ab illa non producitur localis denſitas pro ſudore neceſſaria.

§. III.

Per accidens aliqualiter poteſt pendere localis denſitas ab inſitis qualitatibus.

PRobatur 1. Vapor condenſatur ab impetu communicato à cauſis loco-motiuis: ſed à facultatibus loco-motiuis vapori inſitis coadiuuatur impetus, qui vapori communicatur, quatenus aliæ partes vaporis alias impellunt: ergo ab inſitis qualitatibus ſaltem per accidens localis denſitas poteſt fieri.

Probatur 2. localis motus vaporis ab inſitis qualitatibus ortus comprimere poteſt vicinas vaporis partes: ſed compreſſione localis denſitas fit: Ergo illius productionem valent coadiuuare inſitæ vapori qualitates.

Probatur 3. fit denſitas localis in vapore pro ſudore, ſicut in vaſis deſtillatoriis pro aqua deſtillanda: ſed in iis cauſatur localis denſitas per accidens à loco-motiuis viribus vapori inſitis ratione impulſus, quo motus vapor comprimitur: ergo etiam in vapore qui denſatur in corpore pro ſudore.

§. IV.

Conſignantur cauſæ per ſe denſitatis localis in vapore.

Reſoluendum 3. quòd denſitas localis per quam vapor abit in ſudorem, fit immediatè, & per ſe ab impetu communicato ab extrinſecis cauſis localiter mouentibus.

Probatur 1. Omnis localis motus violentus, cui non eſt præuia mutatio primarum qualitatum, fit immediatè ab impetu impreſſo violenter corpori, quod mouetur: ſed denſatio eſt motus localis violentus vapori, & non fit per ſe alteratione primarum qualitatum: ergo debet per ſe cauſari ab extrinſecis cauſis loco-motiuis.

Probatur 2. Denſitas localis eſt terminus motus localis; ſed non motus localis facti ſecundis qualitatibus ortis ex primis, nec à loco-motiuis qualitatibus inſitis tantũ: ergo à loco-motiuis externis qualitatibus, quæ valent intra corpus illi impulſum imprimere.

Probatur 3. Denſitas localis eſt compreſſio dimenſionum, quæ mouentur à circumferentia ad centrum: ergo debet pendere per ſe à cauſis coadiuuantibus talem compreſſionem, ſed illam cauſam coadiuuant partim cauſæ impellentes vaporem, & mouentes illum in tertiam regionem quatenus impulſum imprimunt, & mouent illum, donec ab impedientibus partibus comprimatur, ipſæque partes tertiæ regionis impedientes motum, & illi reſiſtentes impulſum communicant, quo vaporis partes cedant inter ſe, & comprimantur verſus centrum, ſicut omne molle cedit tangenti: ergo ab extrinſecis cauſis impellentibus fit per ſe localis denſitas, quâ abit in ſudorem vapor.

§. V.

Soluuntur fundamenta primæ opinionis.

Ad 1. Reſpondetur, quòd probat argumentum, quòd à leuitate & raritate quatenus localiter mouent vapores per accidens, ſubſequatur localis denſitas, non autem quòd ſit terminus localis per ſe motus localis, qui elicitur ab iis facultatibus.

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſunt neceſſariæ cauſæ localis denſitatis in vapore omnes illæ, quæ localiter illum valent mouere, ſiue inſitæ, ſiue extrinſecæ imprimentes impulſum, & ipſæ partes reſiſtentes, & iuuãtes ſua reſiſtentia, vt partes cedant & cõprimantur.

Ad 3. Reſpondetur quòd partim differunt, partim conueniunt; differunt, quia vapor, vt concreſcat in corpore pro ſudore, non ſolum habet proprias ac inſitas qualitates, à quibus moueatur; ſed alias viuentes loco-motiuas, à quibus impellitur etiam, & mouetur; quod in vapore in vaſis deſtillatoriis non reperitur: conueniunt verò in eo; quòd ſicut in vaſis deſtillatoriis vapor habet inſitas loco-motiuas facultates, ſi-

A militer & habet illas vapor, qui prærequiritur pro ſudore, & vterque motus imprimens impulſum in corpore denſo denſatur, ac comprimitur impeditus, aliàs ſub vaporis forma ſurſum deberet ferri, ſicut fertur, qui eleuatur ex aqua à Sole, & non impeditur.

Resolvtio XII.

Vtrùm ſudor vltimò feratur extra corpus à propriis loco-motiuis qualitatibus?

§. I.

B *Proponitur difficultatis ratio: & cauſæ vltimi motus pro ſudore aperiuntur.*

Poſtquam iam vapor in poris tertiæ regionis denſatur, formam ſudoris adquirit, & cum illa vltimò ad extra truditur, & per partes cutis externas defertur. De vltimo motu locali, quo truditur, conſtat, quòd Mobile eſt ſudor ipſe; viæ per quas perficitur motus, ſunt ipſæ poroſitates; finis, vt ſubſtantia iam inutilis extra corpus trudatur: de cauſa, à qua, eſt difficultas, quia licèt antecedenter mouebatur magna ex parte ab inſita raritate, & leuitate; cùm ipſas iam amiſerit, dum mutatur in aquæ formam, reſtat, quæ reſtent

C motiuæ facultates, examinare.

§. II.

Sancitur vltimi ſudoris motûs loco-motiua virtus.

Reſoluendum, quòd ſudor iam factus in poroſitatibus vltimò truditur ab expellente facultate vegetatiua extra illas; poſtea verò propria deorſum fertur grauitate.

Prima pars patet, quia ſudor iam factus eſt vt inutile obiectum facultatis expellentis vegetatiuæ, & eſt intra ſphærã actiuitatis illius: ergo truditur ab illa.

Probatur 2. pars, quia dum ponitur vltra actiuitatem

D facultatum gradus vegetatiui, ſolùm habet ſudor propriam grauitatem, à qua moueatur: quod etiam conſtat quia ſudor extra poroſitates delatus ſolùm mouetur deorſum: ergo ſolùm mouetur à propria grauitate.

Resolvtio XIII.

Vtrùm ſit proprium naturali ſudori, quòd fit guttatim?

§. I.

E *Proponitur & ſuadetur pars affirmatiua.*

Svdoris naturalis quidditatem patefecimus, cauſáſque propoſuimus; de illius proprietatibus ſequitur examinandum; & præcipuè an guttatim exire proprietas illius ſit? Pars affirmatiua ab aliquibus ſuſtinetur quibus fauet,

Primò: ſudor eſt euacuatio ſenſibilis aquoſæ ſubſtantiæ: ſed cuiuis ſubſtantiæ aquoſæ eſt proprium, quod guttatim effluat: ergo ſudori eſt proprium, quòd effluat guttatim. Probatur minor: quæuis aquoſa ſubſtantia aquæ ſubſtantiam refert; ſed aqua effluit guttatim: ergo aquea ſubſtantia effluit guttatim.

Secundò. Sudor eſt ſenſibilis euacuatio per corporis poroſitates excreta: ergo debet expelli iuxta for-

mam

mam quam recepit exiens per poroſitates;ſed per poroſitates exiens, guttæ formam debet recipere : ergo erit ſub guttæ forma.

Tertiò, Conceptus vapor non eſt aliud ab aqua:ſed aqua guttatim effluit, dum ſparſa cogitur exire : ergo & ſudor.

§. II.

Pars negatiua vt probabilior præfertur de omni ſudore.

RESoluendum 1. quòd omni ſudori non eſt proprium,quòd exeat guttatim.

Probatur 1. ſudor dicitur,quæcumque humida ſenſibilis euacuatio, ſiue profluuium per cutem factum, ſiue ſudor, ſiue mador dicatur; eum enim Medici ſiue coadiuuare, ſiue cohibere docent : ſed mador non fluit guttatim,vt patet:ergo non eſt omni ſudori proprium,quòd guttatim exeat.

Probatur 2. ſudores ſymptomatici aliqui fiunt ex glutinoſa,craſſáque materia, qui adhærentes exeunt, alias verò diuerſas recipiendo formas : ergo non eſt proprium cuiuis ſudori quòd exeat guttatim.

§. III.

Qualiter accidat ſudori naturali proponitur.

REſoluendum 2. quòd in ſudore naturali & critico accidit ſemper,quòd exeat guttatim.

Probatur rationibus adductis pro prima opinione: Tum quia eodem modo deſcendit ſudor,& exit,ſicut exiret aqua , ſi funderetur ſupra corium poroſitatibus plenum,à quo guttatim exire eſſet neceſſe : Tum quia ſudor,cum ſit aqua, petit partiri in guttulas rotundas; ergo dum ſparſus cogitur exire,exit guttatim.

§. IV.

Solutio adhibetur rationibus adductis.

AD rationes primò adductas reſpondetur , quòd probant de ſudore naturali,& critico, in quibus copioſa fit aquæ ſubſtantiæ euacuatio ; non autem de ſymptomaticis,qui non ſunt ex aquea ſubſtantia , ſed ex viſcida , craſſa , aut glutinoſa, quæ ideo guttatim exire nequit.

Resolutio XIV.

Vtrùm ſit proprium ſudori guttatim exeunti, quòd guttæ ſint rotundæ?

§. I.

Proponuntur varij opinandi modi : & datur reſolutio.

PHyſica eſt hæc quæſtio,& quæ non multùm exigit conterere temporis. Contendunt omnes quòd guttæ petunt eſſe rotundæ, & in ſudore , & in quouis liquore , qui guttatim effluat;ſed cur rotundæ debeant eſſe,nõ adinueniunt. Aliqui id prouenire dicunt in ſudore ratione loci , ex quo exit; quia à venis capillaribus,quæ ſunt rotundæ,exit; & ratione loci,per quem exit,quia truditur per poros qui rotundi ſunt. Alij,relicta cauſa effectiua , ad finalem recurrunt; aſſerentes quòd aqua,& guttæ illius ſunt rotundæ, quia fluxilis, & ad fluxibilitatem hanc exigit figuram. Alij rotunditatem conducere in aqua,& ei ideo tributam,vt melius inter ſe continuitatem ſeruent partes. Alij ab externa frigiditate condenſari, à ſiccáve temperie aſſerunt, ab eiſque figuram rotundam acquirere. Sed minus diſplicet, quòd ſudor cùm ſit aquea ſubſtantia ,ideò ſeruat rotunditatem,quia aqua petit eſſe corpus rotundum, & globoſum,& cùm quælibet aquæ gutta,aqua ſit;cuius eſt proprium,quòd acquirat rotunditatem,quia id toti aquæ corpori,& cuicumque illius indiuiduo condonatum eſt à natura.

SECTIO II.

De ſudore critico ſalutari.

CRiticvs ſudor dicitur, qui accidit in criſi: eſt duplex,alter qui ad melius,vel ad ſalutem: alter qui ad peius ,vel ad mortem ægrum deducit:hic ſymptomaticus,ille criticus ſalutaris dicitur:de hoc ſub hac ſectione agendum venit.

Resolutio I.

Vtrùm criticus ſalutaris ſudor, ſit naturalis?

§. I.

Pars affirmatiua proponitur,& fulcitur.

DEcreuimus naturalem ſudorem intra ſanitatis metas ſuperuenire,& pro ſanitatis tutela conducere : de ſymptomatico conſtat deducere ad mortem: ſed nondum patet an ad aliquem horum criticus ſalutaris debeat reduci; ſuadet quòd ſit naturalis.

Primò,ſudor naturalis homini eſt ille,qui fit in illo propter conſequutionem ſanitatis:ſed criticus ſalutaris fit in homine propter ſanitatis conſequutionem: ergo eſt illi naturalis.

Secundò,ſenſibilis ſudoris euacuatio,& inſenſibilis tranſpiratio, quæ continuo fit in homine intra limites ſanitatis,dicuntur naturales,quia euacuatur illud,quod naturaliter petit euacuari , vt homo conſeruet ſanitatem acquiſitam,& amiſſam valeat recuperare ; ſed criticus ſalutaris conducit pro ſanitate amiſſa recuperanda : ergo eſt ſudor naturalis.

Tertiò,actiones,quæ fiunt pro hominis ſanitate,natura vincente,ſunt illi naturales ; ſed ſudor criticus ſalutaris fit pro hominis ſanitate,natura vincente : ergo eſt naturalis homini.

§. II.

Critico ſalutari ſudori adaptatur differentia.

REſoluendum, quòd criticus ſalutaris ſudor mediam retinet naturam inter omninò naturalem,& ſymptomaticum.

Probatur, Tum à ſimili in reliquis criticis euacuationibus ; Tum quia fit à cauſis partim naturalibus, partim præternaturalibus ; Tum quia ex parte caloris efficientis , datur cauſa febrilis præternaturalis ; & ex parte materiæ , datur quòd ſit materia morbifica : ex parte finis datur ſanitas , ob quam inſurgunt ad operandum facultates naturales : ergo mediam naturam habet inter eum, qui fit à ſolis naturalibus cauſis ; & eum qui fit à ſolis iis,quæ ſunt præter naturam.

§. III.

Soluuntur argumenta primò adducta.

AD 1. reſpondetur, quòd criticus, ſalutaris ſudor eſt homini naturalis ex parte finis, non autem omninò ex parte cauſæ materialis, & cauſæ efficientis.

Ad 2. reſpondetur, quòd ſudor naturalis, & inſenſibilis tranſpiratio non ſolùm ex parte finis ſunt ſecundum naturam, ſed etiam fiunt à cauſis naturalibus, naturaliter ordinatis ad illius efficientiam: quod in critico ſudore abſolutè non contingit.

Ad 3. reſpondetur, quòd actiones, quæ fiunt pro hominis ſalute, natura vincente, ſi fiant ſolùm à cauſis omninò naturalibus in hunc finem deſtinatis, naturales ſunt; ſi autem à præternaturalibus fiant cauſis, vel à naturalibus à morbo, aut aliqua cauſa coactis, has omnino naturales eſſe non eſt poſſibile.

Resolvtio II.

Vtrùm ſanguineus ſudor poſſibilis ſit naturaliter?

§. I.

Pars proponitur negatiua, & illius fundamenta adducuntur.

MOuetur ſudor ex humida quacumque ſubſtantia, quæ cùm multiplex in corpore, multiplex etiam, vt diximus, eſt materia illius, ſub qua ſunt humores, ex quibus à proportionato calore eleuatur vapor, qui colore aqueo cernitur denſatus, ſi minus in ſudore relucere contingit colorem proprium humoris à quo fit: ideò pallidi, albi, nigri, aut rubri apparent aliquando ſudores. De rubro, quem ſanguineum vocamus, dubitamus an naturaliter ſit poſſibilis? Suadet partem negatiuam,

Primò, quia ſanguis tanquam vtile naturæ alimentum continetur in venis, & retinetur ab illius facultatibus; ergo ipſum per poros ſub ſanguinis forma exire naturaliter non eſt poſſibile.

Secundò, vt ſanguis naturaliter exeat ſub forma ſudoris, petit conuerti in vaporem, & ſub aquæ forma exire per poroſitates, vt contingit in criticis ſudoribus, per quos terminantur febres ſyno. hi: ergo naturaliter non eſt poſſibile quòd exeat ſub forma ſanguinis.

Tertiò, ſanguis adhuc ſi corrumpatur & putreſcat, ſemper à natura retinetur, & ſolùm illam adminiculantem habemus pro expulſione reliquorum humorum, qui ſeparati ab illa fiunt cacochymi: ergo naturaliter nunquam à natura poteſt expelli ſub forma propria per ſudorem.

§. II.

Theophraſti, Baricelli, & Mercurialis opinio præfertur.

REſoluendum, quòd naturaliter contingere poteſt ſudor ſanguineus, ſic fatetur Theophraſtus, *lib. de ſudore*, Baricellus *lib. de hydronoſa natura*, Vincentius Moles *lib. de Philoſophia corporis Chriſti, c. 12.* Mercurial. *lib. 4. variar. lect. c. 12.* Fernelius *lib. 6. c. 4.* Rondeletius *lib. de dignoſcendis morbis cap. 11.* Marcellus Donatus, *lib. de hiſtoria mirabili, c. 2.*

Probatur 1. Tum ex Ariſtotele *lib. 3. de partibus animal. c. 5. §. Iam in nonnullis accidit, vt cruentum quoddam excrementum ſudarent, propter vitiatum corporis habitum. fluxuſque eſt ſanguis præ cruditate, humecteret imbecillitate caloris, qui exiguis venulis incluſus concoqui non poteſt.* Tum *lib. 3. de hiſtoria animal. c. 19. §. ſi ſanguis immodicè humeſcit, morbus infeſtat, ſic etiam in ſpeciem ſanie diluitur & adeo ſereſcit, vt iam nonnulli ſudore cruento ſudarent.*

Probatur 2. ex Gal. *lib. de vtilitat. reſpirat. §. ſunt autem pori venæ ſubtiliſſimi, per quos exit calor, & etiam ſudor, qui nihil aliud eſt, quàm aqua ſanguinis admixta, quoniam poris amplius dilatatis, effluit ipſe ſanguis*, & paulò infrà: *Contingit autem poros ex multo, aut feruido ſpiritu, quæ adeo dilatari, vt exeat ſanguis per eos, fiatque ſudor ſanguineus.*

Probatur 3. pluribus ſanguineis euacuationibus in aliquibus corporis partibus obſeruatis, & citis. Tum
B ex Ariſtotele, & Galeno citatis: Tum ex Schenkio *obſeruat. lib. 1.* qui narrat vidiſſe iuuenem à quo in diuerſis temporibus profluebat ſanguis ex vena propè aurem: Tum ex Beniuenio *lib. de abditis rerum cauſis*, qui hominem curauit, cui ſingulo quoque menſe profluebat ſanguinis copia ex ima iecoris parte: Tum ex Marcello Donato, qui mulierem Mantuanam vidit ex cuius papilla mammæ ſiniſtræ ſanguis fluebat: Tum ex Rondeletio *lib. de dignoſcend. morbis c. 11.* qui vidit in iuuene ſtudioſo per poros cutis plerumque exire copioſum ſanguineum ſudorem: Tum ex Fernelio *lib. 6. c. 4.* qui vidit in iecoris imbecillitate ſanguinem ab extremis venis, quæ in cutem deſinunt, multis ex locis fundi: ergo fundi per ſudorem ſanguinem naturaliter
C eſt poſſibile.

§. III.

Solutio adhibetur rationibus primò poſitis.

AD 1. reſpondetur, quod dum facultates naturali modo operantur, & ſanguis debitam naturam ſeruat retinetur ab illis; ſed propter rationes ab Ariſtotele, & Galeno adductas ſanguinem vitiari, & facultates impediri quo minus valeant illum retinere.

Ad 2. reſpondetur, quòd ſanguis dupliciter poteſt per poros euacuari: vno modo in vaporem verſus, & ſub aquæ forma: alio modo, ad modum ſudoris ſan-
D guinei; quia licet in vaporem non abiit, ob ſerum tenuis factus, per cutis poroſitates aratatas guttatim profluit.

Ad 3. reſpondetur, quòd adhuc ſi ſanguis non corrumpatur, ſi fiat aquoſus & tenuis, & pori cutis aperiantur, profluit, ſine eo quòd retineri valeat à facultatibus naturalibus.

Resolvtio III.

Vtrùm ſanguineus ſudor ad criticum ſudorem debeat reduci?

§. I.

E *Proponitur difficultas, & ratio dubitandi.*

SAnguineus ſudor, non vt naturalis fit, præcedente euaporatione, locali motu, & concretione: ſed ſanguis tenuis, ſeroſus ve fit, pori rari, & per poroſitates tranſcolatus ſanguis ſub propria exit forma, idcòque naturalis non eſt; nec criticus, quia criſis non perficitur; nec ſymptomaticus, quia hic ferè ſemper ad imperfectam ſequitur criſim: ergo ſudor ſanguineus eſt diuerſus à naturali, critico, & ſymptomatico.

§. II.

Ad criticum ſalutarem reducendum dicimus.

RESoluendum, quod ſanguineus ſudor reducendus ad criticum ſalutarem.

Probatur 1. ſudor ſanguineus ſimilis eſt hæmorrhagiæ criticæ ſalutari, quia ſimili modo ſuperabundantem, & inutilem euacuat ſanguinem, vt ex hac euacuatione ſubſequatur ſanitas: ergo debet reduci ad ſudorem criticum ſalutarem.

Probatur 2. ſanguineus ſudor non eſt naturalis, quia vt docet Galenus *lib. 2. de cauſis ſymptomat.* omnis enim euacuatio ſanguinis non menſtrua eſt præter naturam, neque eſt lethalis ſymptomatica euacuatio, cùm aliqua ex parte ſit vtilis, quatenus euacuat tenuem, & ſeroſum ſanguinem, neque ducit ad mortem: ergo eſt euacuatio critica, & media inter naturalem, & ſymptomaticam, ac lethalem.

Probatur 3. ſudor ſanguineus ex parte efficientis præternaturalis eſt, proueniens à morbo, ex parte finis poteſt eſſe vtilis, quia ſanguine inutili euacuato, natura exoneratur ab eo quo veluti ſarcina premitur, & ab eo quod vt ſuperfluum redundat: ergo ad criticum ſudorem, etſi accidit ex illis fieri cauſis debet reduci.

§. III.

Fundamentum ad dubitandum diluitur.

AD dubitandi occaſionem dicimus, quod ſanguineus ſudor nec verè naturalis, nec lethalis, ſed medius inter hos eſt: & cùm non fiat criſi, nec eſt verè criticus, ſed ad criticum, cum quo in modo conuenit, reducendus.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm ſudor ſanguineus Domini noſtri Saluatoris fuerit ſupernaturalis?

§. I.

Proponitur difficultas: traditur prima opinio; proponuntur illius fundamenta.

DE ſanguineo ſudore diximus naturalem non eſſe, licèt à cauſis naturaliter operantibus proueniat. De Chriſto Domino narrat ſacer Hiſtoricus D. Lucas, quod *in agonia orans, factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*: de hoc ſudore, an ſupernaturalis fuerit, concertant Authores: Beda, Didacus de la Vega, Diuus Hilarius, & alij Scriptores in ſacram Paginam: ſanguineum Chriſti Domini ſudorem fuiſſe ſupernaturaliter factum contendunt: quibus fauet,

Primò; ſanguis Chriſti Domini craſſiorem habuit ſubſtantiam, quàm ſubſtantia aquea, & potulenta, & ſerum in illius corpore repertum: ſed aquea, potulenta, & ſeroſa ſubſtantia in nullo corpore bene temperato poſſunt per poroſitates euacuari, quin à calore proportionato conuertantur in vaporem, & hic denſatus propellatur per poros. ergo ſanguis Domini noſtri Saluatoris ſub propria forma per poros propelli naturaliter non eſt poſſibile.

Secundò: ſi in Chriſto Domino poſſet naturaliter fieri ſanguineus ſudor, maximè quia, vt ſupra ex Ariſtotele, & Galeno diximus, pori naturaliter poſſunt

A rarefieri vt exeat ſanguis, & ſanguis tenuior, vt poſſit exire per illos rarefactos: ſed ſi hoc contingeret, priùs exirent ſpiritus, qui tenuiores ſunt, & deliquium, vel ſyncope ſubſequeretur; quod non contingit, aliàs ſacer hiſtoricus narraret: ergo naturaliter in Chriſto Domino ſudor ſanguineus non fuit poſſibilis.

Tertiò: ſanguis, præcipuè qui in quantitate, & qualitate eſt proportionatus, qualis fuit Domini noſtri ſanguis, ita eſt naturæ aptus, naturalis, & proportionatus, vt adhuc venis reſeratis, ne deficiat alimentum pro partibus, tanquam vtile ſemper retineatur, præcipuè cum in hunc finem natura fabricauerit venas ita vt à maioribus in minores, & arctiores ſanguinem mittat, vt in his coarctetur, & retineatur: ergo naturaliter illius expulſio per poroſitates cutis

B non fuit poſſibilis in Chriſto Domino.

Quartò: vt naturaliter fiat ſanguineus ſudor, requiritur pororum apertio, & raritas in cute, & quod ſanguis qui exit ratione ſeroſitatis, & aquoſitatis fiat tenuis: ſed ſanguineus Chriſti Domini ſudor, non fuit factus ex ſanguine tenui; inquit enim D. Lucas quod exiuit deſcendens tanquam thrombus ſeu grumos: ergo naturaliter non potuit fieri Chriſti Domini ſudor ſanguineus.

§. II.

Nicolai de Lira, Medina, Baricelli, & Vincen-

C *tij Moles præfertur opinio.*

REſoluendum quòd Chriſti Domini ſanguineus ſudor ſine miraculo superuenit: ſic tenent Nicolaus de Lira, *ſuper Lucam*, Fr. Bartholomæus de Medina *ſuper 3. p. D. Thom. art. 6. q. 46.* Baricellus *lib. 2 de hydronoſa natura*, Vincentius Moles *lib. de Philoſophia ſacro-ſancti corporis Chriſti, c. 9 dubio 2.*

Probatur 1. à Baricellio rationibus à Medina tranſlatis: Tum quia ſanguineus Chriſti ſudor ſecundum Patrum opinionem fuit ad oſtendendam veritatem humanæ naturæ; quàm non demonſtraret, ſi eſſet miraculoſus; Tum quia ſudor noctu factus, & in ſecreto, quorſum petit fieri per miraculum? Tum

D quia licèt ſanguis eſſet temperatiſſimus, tamen cùm Chriſtus Dominus eſſet totus viuidus, in ætate iuuenis, omnium quos mundus habuit pulcherrimus, atque amabiliſſimus, tantam pugnam ſoſtinuit, tantaque vi ipſam naturam ſenſitiuam in horribiles cruciatus conſentire coëgit, vt præ nimio labore cruentus ſudor ex omnibus illius membris erumperet: Nam ob orationis feruorem, & metum, ac horrorem mortis, ſanguis ad cor confluxerat: Tum verò amor validus, & ardens deſiderium paternam exequendi voluntatem, noſque redimendi, ſeu malleus quidam, aut vis ingens accedens vicit timorem illum, & ſenſualitatem, ſanguinémque fortiter expulit; ita vt in hac præclara victoria, & ſubita violentia, ſanguis ex

E poris omnibus nimio labore patefactis, abundè cum alio ſudore erumpens, deflueret in terram.

Probatur 2. Chriſtus Dominus validas habuit, ac vehementiſſimas animi paſſiones, vt fatentur Theologi, & docet ſacra Pagina. ait enim D. Matthæus *cap. 26. Cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe; tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: D. Marcus *cap. 14. Cœpit pauere, & tædere.* Et D. Lucas, *Et factus in agonia prolixius orabat.* Sed ex vehementiſſimis animi paſſionibus vehemens fit in corpore ſpirituum, & ſanguinis motus, vt docuit Galenus *lib. 2. de Placitis Hippocratis, & Platonis, cap. 7.* Ex his enim vehementiſſimis inquit totum corpus immutatur, frigeſcit, palleſcit, tremit, rubeſcit, quod præcipuè in

agonia contingit, quæ ex D. Thom. 1. 2. q. 41. *art.* 4, eſt A timor mali extrinſeci, qui prouideri non poteſt, eſtque vehementior timoris ſpecies, cuius cauſa intrò, & extra concitato motu, mouentur ſpiritus, attenuatur ſanguis, & rarefiunt pori; per quos ſanguis tranſcolatur, vt fiat ſanguineus ſudor: ergo in Chriſto Domino fuit cauſa naturalis, à qua naturaliter potuit ſanguineus ſuperuenire ſudor. Patet conſequentia ex Ariſtotele & Galeno citatis, qui ſudoris ſanguinei has retulerunt cauſas, pororum raritatem, & ſanguinis tenuitatem.

Probatur 3. in Chriſto Domino fuerunt animæ paſſiones validiſſimæ, à quibus ſanguis potuit moueri violenter ad partes externas, & à quibus potuerunt rarefieri media calefactione pori cutis; nam fuit B actus fortitudinis, quo ad reſiſtendum doloribus, & contumeliis præ cognitione iam præſentibus quaſi in occurſum mittit ſanguinem: & fuit vehemens actus iræ aduerſus peccatum, cum quo gerebat bellum, qui præuiſus ab Iſaia *cap. 63. verſ. Conculcaui eos in ira mea; & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta.* Et actus intenſiſſimæ charitatis in Patrem, cuius voluntatem faciebat; & in homines propter quos patiebatur, fuit tandem agonia quæ ſimul ſanguinem commouet ad externas partes, vt docuit Galenus *lib. 2. de cauſis ſymptom. cap. 5. §. Timor enim initio, & ad principium, tum ſpirituum, tum ſanguinem vnà cum refrigeratione eorum, quæ in ſummo corpore ſunt, adducit, ac contrahit: ira verò, & foras agit, & C fundit, & calefacit: quæ verò compoſita ex ambabus eſt, (quam Græci Agoniam dicunt) inæquales habet motus:* ergo ab his cauſis naturalibus potuit cauſari ſanguineus ſudor in Chriſto Domino: ſunt enim vehementiſſimi motus ſanguinis ad extra, & ſpirituum, quibus pori rari fiant.

Probatur 4. quæ ſine miraculo contigiſſe viderunt Authores, ſi in Chriſto Domino contingant, non eſt dicendum in illo miraculoſa eſſe: ſed ſanguineus ſudor à pluribus viſus eſt, & obſeruatus naturaliter exire: ergo in Chriſto Domino ſine miraculo ſuperuenit. Probatur minor, Tum ex Theophraſto, Bricello, Vincentio Mole, Mercuriali, Fernelio, D Rondeletio, & Marcello Donato, qui illum admittunt, vidiſſe vt teſtantur, & nos dum hæc ſcribimus vidimus in Excellentiſſimo Domino Comite de Niebla, Primogenito Excellentiſſimi Domini Ducis Medinæ Sydoniæ, qui cùm nimis in æſtate ſe exerceret in ludo pilæ, multóque præ æſtu vteretur frigidæ potu; incidit in ſanguineum ſudorem: Tum patet ex Ariſtotele poſſibilitas & cauſa illius *lib. 3. de partibus animal. cap. 5. lib. 3. de hiſtoria animal. cap. 19.* & ex Galeno *lib. de vtilitate reſpirationis.*

Dices quòd ſi ab eiſdem cauſis, ac in ceteris fieret in Chriſto Domino conuinceret ratio; ſed non concurrerunt in illo, quia fuit temperatiſſimus ſanguis naturaliſſimus, & perfectus, nec ex aliquo exceſſu, tenuis factus, immò vt grumus exiuit ſub propria forma.

E Reſpondetur, quòd ſi in Chriſto Domino non fuerunt aquoſitas, & aliæ cauſæ, quæ communiter ſanguinem attenuant; fuerunt vehementiſſimæ paſſiones animæ, à quibus commoti ſpiritus, calefactique fuerunt attenuati, & pori ſimul rarefacti: vnde ſanguineus ſudor ſubſequutus eſt: præcipuè præ agonia valde debilitatæ ſunt facultates, ita vt indiguerit confortari ab Angelo; ipſiſque deficientibus nec ipſe ſanguis retineri potuit.

§. III.

Soluuntur fundamenta à nobis pro contrariis adducta.

AD 1. reſpondetur, quòd ex ſanguine ſudor naturalis, & criticus fiunt præcedente euaporatione; ſudor vero ſanguineus ob alias fit cauſas, quas Galenus recenſuit, ſcilicet ſanguinis tenuitatem & pororum apertionem, & ideò nec naturalem, nec criticum illum vocamus, ſed reducimus illum ad criticum ſalutarem cum quo aliqualiter conuenit.

Ad 2. reſpondetur, quòd cùm ſpiritus ſunt in arteriis, poſſunt in illis permanere, & in corde, quia deliquium, aut ſyncope ſubſequatur, etiamſi ſanguis, & ſpiritus illi commixti euacuentur per porositates venarum, & cutis. B

Ad 3. reſpondetur, quòd in ſtatu naturali bene probat argumentum: ſi verò pori apertiantur, & retentrix continere illum nequeat, quantumuis vtilis ſit ſanguis, & neceſſarius, profluit, ideò per ſanguinis miſſionem, & per vulnera vtcumque vt illis exiens, nec retineri valet.

Ad 4. reſpondetur, quòd in Chriſto Domino ſanguis tenuis redditus eſt, commotus & agitatus per animi paſſiones; & poſtquam tenuis exiuit, concreuit reſolutis ſpiritibus, & deſcendit vt thrombus, poſtquam frigore in grumus abiit.

C

Resolvtio V.

Vtrùm aliqua ſigna demonſtrent futurum criticum ſudorem?

§. I.

Pars negatiua proponitur, & fulcitur.

SVdor, qui ex Hippocrate *lib. de flatibus*, liquoris effuſio eſt per poros cutis facta, dum criſi euenit, natura vincente, criticus ſalutaris dicitur; de quo inquirimus, an ſint aliqua ſigna, quibus poſſit præcognoſci. D Hippocrates pro omni criſi decreuit, quòd quibus futura eſt, nox grauis ante acceſſionem eſt. Sed an ſint aliqua peculiaria ſigna; quæ vnamquamque prænuntient criſis ſpeciem, præcipuè propria pro ſudore; manifeſtandum reſtat. Pars negatiua his fulcitur;

Primò, ſuperueniente conturbatione, natura indifferens eſt, vt poſſit vincere, aut non; & vt potiùs per hanc, quàm per illam poſſit euacuare regionem materiam morbificam, quam perturbat, & mouet: ergo nulla præcedunt ſigna, quæ ſpeciem criſis præmonſtrent.

Secundò, ſudoris ſigna, antequam ſit ſudor, non poſſunt eſſe manifeſta: cùm ſolùm ſint in virtute cauſæ ſigna illius pathognomonica: ergo non dantur ſigna, quæ ſudorem criticum ſalutarem valeant præmonſtrare.

E Tertiò, pro reliquis ſpeciebus criſium nulla præcedunt propria ſigna, ex quibus poſſint præcognoſci: ergo nec pro ſudore ſalutari critico dantur ſigna quæ illum futurum prænuncient.

§. II.

Sudoris critici ſalutaris ſigna traduntur.

REſoluendum, quòd ſuppreſſio lotij, rigor, quod febris ſit ardens, morbus in ſtatu, delirium in acceſſionibus, partium externarum rubor, habitus corporis, conſtitutio &

& tempus anni, inſomnia, ſubſtantiæ aquoſæ, pulſus vndoſos, ſunt ſigna, quæ præmonſtrant ſudorem criticum ſalutarem, ſi perfectæ coctionis ſignis concomitentur.

Probatur 1. de lotij ſuppreſſione, Tum ex Galeno *lib.3.de criſibus, cap.vltimo*, vbi hanc profert doctrinam, & præcedere pro ſudore vrinæ ſuppreſſionem docet: Tum *lib.3.ſympt.cap.de ſudore*, vbi reddens rationem, inquit eſſe, quia lotij & ſudoris ſerum eſt communis materia; quod priùs docuit Hippocrates *lib.6.epidem.§.ſudaturis lotium ſupprimitur*. Quod ſignum ſecurius eſt, dum non datur fluxus ventris, vt Galenus notauit: Tum quòd rigor præcedat vt ſignum, ſudori, docuit Galenus *lib.3.de criſibus*. Et ſuadet ratio, quia fertur mordax vapor per partes ſentientes, & ſolet rigor aliis etiam criticis euacuationibus præcedere, ſed frequentius ſudori, & cum reliquis accidit ſignis concomitantibus ſudorem: Tum quòd febris natura ſudorem prænunciet docuit Galenus, 3. *de criſibus cap.3*. quæ enim febris pendet ea euapotabili materia, aptiùs ſudore terminatur: Tum patet, quòd delirium in acceſſionibus ſit ſignum ſudoris, quia cùm fiat ex calida materia vaporoſa, quæ eleuatur in acceſſione, indicium ſudoris, aptæque materiæ ad illum præſtat; Tum de partium rubore conſtat ſignum eſſe; quia ſanguinei vaporis præſtat indicium, vaporoſæque, & humidæ materiæ aptæ pro ſudore: Tum idem infertur ex tempore anni humido, & calido, de ſimili conſtitutione, & habitu corporis, de inſomniis aquæ, & humidarum rerum, quæ præmonſtrant humidam copioſam materiam pro ſudore aptam, ea Galeno *lib. de dignotione ex inſomniis*: Tum patet de pulſu vndoſo prænunciate ſudorem; quia fit ob inæqualem arteriæ mollitiem, propter vapores magis illam penes diuerſas partes humectantes: Tum criſim ſudorificam ſalubrem futuram demonſtrat, quòd præcedat coctio, quæ vires validas demonſtrat, quibus vincentibus, ſalus ſubſequitur.

§. III.

Solutio adhibetur pro oppoſitis fundamentis.

AD 1. reſpondetur, quòd antecedens conturbatio præmonſtrat indifferenter futuram criſim; ſed ſigna à nobis propoſita illam futuram eſſe per criticum ſudorem demonſtrant.

Ad 2. reſpondetur, quòd ſigna pathognomonica ſubſequuntur poſt morbum; ſed præter hæc ſunt alia ſigna, quæ iuxta cauſæ morbificæ diuerſitatem, diuerſam futuram criſim præmonſtrant.

Ad 3. reſpondetur, quod pro reliquis ſpeciebus criſium ſunt diuerſa ſigna, quæ illas pronunciant; de quibus latè agnot cum Galeno *in lib.de criſibus*.

Reſolvtio VI.

Verùm ſint aliqua ſigna, quæ ſalubrem à ſymptomatico diſtinguant ſudorem?

§. I.

Proponitur difficultas: traditur ratio dubitandi.

CVm ſudor ſalutaris ad ſalutem, ſymptomaticus deducat ad mortem, hos diſtinguere maximè conuenit; vt iuuandos ionemus, & cohibeamus cohibendos; ideò an eos diſtinguere propriis valeamus ſignis, examinare conamur: quod impoſſibile videtur, quia ex omnibus ſignis priùs adductis ſolum infertur aptas dari cauſas, ex quibus ſubſequatur ſudor; quòd autem ille ſuperueniet, natura victa, aut vincente, nondum poteſt manifeſtari: ergo non ſunt ſigna criticum à ſymptomatico diſtinguentia ſudorem.

§. II.

Dogmaticorum communis ſancitur doctrina.

REſoluendum dari ſigna criticum ſalutarem à ſymptomatico diſtinguentia ſudorem.

Probatur 1. Ex Hippocrate *lib. 1. prognoſt.textu 26. §. ſudores optimi ſunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus indicatoriis fiunt, & febrem perfectè ſubmouent: Boni verò ſunt, qui per totum corpus fiunt; & hominem facilius morbum ferre faciunt. Qui vero tale quid non effecerint, incommodi ſunt. Peſſimi autem ſunt frigidi, & qui tantùm circa caput, & faciem fiunt, & circa ceruicem. Hi enim cum acuta quidem febre mortem prænuntiant: cum mitiori verò, morbi longitudinem.* Tum patet ex Galeno *in commentario, §. ſudor poſt coctionem, in die decretorio, ex toto manans corpore per cutis ſpiracula ſolutiuus eſt, aut huiuſmodi vt ex eo melius habeat æger: huic diuerſus non eſt vtilis.*

Probatur ratione: differunt ſalutaris, & ſymptomaticus ſudor, quia ſalutaris ad ſalutem, ſymptomaticus ad mortem terminatur: ergo debent diuerſis manifeſtari ſignis.

§. III.

Soluitur dubitandi ratio.

AD rationem dubitandi reſpondetur, quòd licèt non poſſint diſtingui ex ſignis antecedentibus, bene tamen ex concomitantibus, quæ proponunt Hippocrates, & Galenus; & ex antecedentibus ſignis coctionis, & cruditatis ſumuntur etiam ſigna ſalutis, aut mortis, vt conſtabit infra.

Reſolvtio VII.

Verùm ſit proprium critico ſalutari ſudori, vt fiat in die decretorio?

§. I.

Proponitur, & fulcitur pars negatiua.

DIcuntur dies decretorij, in quibus frequenter criſes contingunt, in quibus criſes ſalutares debere fieri adduximus ex Hippocrate, & Galeno. Quod an ſemper illi competat, diſputamus: & pars negatiua ſuadetur.

Primò, ex Hippocrate *lib.4. aphoriſm.* 36. vbi docet ſudores optimos eſſe, qui incipiunt 3. die, 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. & 34. ſed non omnes illi dies ſunt decretorij: ergo non omni ſalutari ſudori eſt proprium, quòd fiat in die decretorio.

Secundò, ſudor ſuperueniens in die non decretorio poteſt eſſe ſalutaris: ergo non eſt proprium ſalutari ſudori, quòd fiat in die decretorio. Probatur antecedens, Tum ex Hippocrate *lib.3.epid. in hiſtoria virginis Lariſſæ*, de qua refert, quòd iudicata eſt perfectè, ſudore ſuperueniente ſexto die: Tum *libro eodem tertio epidem.* vbi Pithio qui habitabat iuxta Telluris templum

plom, decima die ſudauit, & perfectè iudicatus eſt: ergo ſine eo quod fiat ſudor in die decretorio, ſudor poteſt eſſe ſalutaris.

Tertiò, ſecurius poteſt ſodore iudicari in die non decretorio æger: ergo in illo iudicari, critico ſudori non eſt proprium. Probatur antecedens ex Hippocrate *in lib. epide n.* in hiſtoria Nicodemi, qui in Abderis ægrotabat, de quo refert, quod ſudor multus 20. die fuit factus, & non liberatus fuit à morbo; ſuperueniente autem ſudore die 24. omnino liber euaſit: ergo melius in non decretorio, quàm in decretorio die, ſudore poteſt morbus iudicari.

§. II.

Summi Dictatoris amplector doctrinam.

REſoluendum, quòd critico ſalutari ſudori eſt proprium, quòd fiat in die decretorio.

Probatur 1. ex Hippocrate, Tum *lib. 1 prognoſtic. textu 36.* § *ſudores optimi ſunt, ſi fiant in die indicatorio.* Tum *lib. 4. aphoriſmor.* 36. vbi annumerat dies decretorios in quibus ſudores debent fieri. Tum *in libris epidem.* in quibus id obſeruauit, pluribuſque ſententiis confirmauit: de vxore Epicratis dicit, quòd ſudauit die 11. De Methone, quòd ſudauit die quinta, ſicut de muliere decumbente in littore. De Melidia, & Chetione decumbentibus apud Demenetum, dicit ſudaſſe die ſeptima: De muliere in Thaſo, quòd tertia die ſudauit: De filio Nicolai idem obſeruauit: Leophorbidam ſudaſſe dicit die vigeſima prima; & de omnibus his obſeruauit perfectè iudicatos eſſe: ergo critico ſalutari ſudori eſt proprium, quòd fiat in die decretorio.

Probatur 2. *lib. epidem.* in quibus obſeruauit ſudores factos in diebus non decretoriis lethales fuiſſe, vel recidiuaſſe. De Phyleſio, & Eraſino dicit, quòd prima die ſudarunt; & vterque mortuus eſt: Adoleſcens, qui habitabat in foro mendacium, ſecunda die ſudauit, & idem refert de Phitione qui habitabat in Thaſo, & vterque mortuus eſt; Silenus, qui ſexta die ſudauit, mortuus eſt die vndecima; Ægrotus duodecimus *l. 1. epidem.* ſudauit die octaua, & mortuus eſt: Methon qui ſudauit die ſexta, mortuus eſt die decima-ſexta: ergo ſudor vt ſalutaris, die decretorio debet fieri.

Probatur 3. ſudor criticus fit ſalutaris ſicut quæuis critica euacuatio; dum natura vincit, & eſt potens ſuperare cauſam morbificam: ſed dum potens eſt, in diebus decretoriis aggreditur pugnam, vt agentes de cauſis dierum decretoriorum demonſtrabimus: ergo ſudor, vt ſit criticus ſalutaris, debet fieri in die decretorio.

§. III.

Adhibetur ſolutio fundamentis ex Hippocrate adductis.

AD 1. reſpondetur, quòd ſeptenarij dicuntur dies decretorij radicales, quaternarij dicuntur decretorij, & iudicantes; & præter hos ſunt alij dies iudicatorij, præcipuè ternarij magna ex parte ſolent eſſe iudicatorij in morbis terminandis ſudore, quia cùm pendeant ex tenui materia, & hæc maximè per tertios dies habeat inſultus; ſolet criticè in illis terminari. Vel 2. reſpondetur, Quòd Hippocrates non intendit, quòd ſudores ſint boni, quia facti ſunt in imparibus diebus ab illo annumeratis; ſed quia inceperunt in illis, & ſunt tandem in decretoriis terminati, qui enim in non iudicatoriis terminati, non perfectè iudicati ſunt ægri; ideò enim

A Parius in Thaſo die 11. ſudauit, & periit; Carthades *lib. 7. epidem.* die tertia ſudauit, & periit: Hermotolemus die nona: Theodori vxor in die quinta ſudarunt, & periere, quia in his diebus inceperunt, & terminati ſunt morbi.

Dices, quòd ſi inceperint in aliis diebus paribus, ſi perficiantur in aliis radicalibus decretoriis, etiam erunt ſalubres.

Reſpondetur, quòd illi qui inceperunt in diebus imparibus, numquam poſſunt reddi ſalubres; quia ſi mouentur humores in diebus, in quibus natura non mouet, fit motus ob irritationem cauſæ, non autem vi naturæ; & ideò numquam ſalubres.

Ad 2. Reſpondetur; quòd virgo in Lariſſea licèt
B ſudauit in ſexta die, ſanitatem recuperauit; quia, vt notauit Galenus, ſuperuenit ei menſtrua purgatio, quâ liberata fuit ſine recidiua. Tum 2. quòd Phitio non eſt ſanatus ſudore die decimo ſuperueniente; ſed quia poſtea ſuperuenit abſceſſus, quo morbus fuit terminatus, vt colligitur ex illius hiſtoria.

Ad 3. reſpondetur, quòd Nicodemus die 24. non fuit ſolo ſudore terminatus ad ſanitatem; quia cùm ob venerem, & potum eſſet febre correptus, crudas habuit materias, quæ non potuerunt ſudore, licèt copioſo, euacuari; nec in alio poſſent die iudicatorio euacuari ſudore; ſed, vt narrat Hippocrates, *minxit multùm, candidam multam ſubſidentiam habens*, & ideò craſſa materia euacuata, cum lotio,
C tenui cum ſudore fuit liberatus, non autem ſolùm vi ſudoris.

Resolvtio VIII.

Vtrùm pro ſalutari critico ſudore debeant præcedere ſigna coctionis?

§. I.

Pars negatiua proponitur & fulcitur.

D VIres vincentes requiruntur pro ſalutari criſi, attenduntur naturales maximè: & hæ apparent præcipuè in ſignis coctionis; quæ non ſemper prærequiri pro ſalubri ſudore, ſuadet,

Primò, Tum quia Hippocrates *lib. 1. prognoſt. textu* 26. propoſuit ſigna optimi & boni ſudoris, & coctionem ſubticuit. Tum *lib. 4. aphoriſm.* 36. proponens dies in quibus fiunt ſalubres ſudores, poſuit 3. & 5. diem, in quibus coctio nondum poteſt reperiri: ergo hæc non requiritur pro ſudore ſalutari.

Secundò, cùm ſignis coctionis poteſt morbus eſſe lethalis, ex Auicenna *lib. 4. fen. 1. cap. de febre peſtilente:* ergo pro ſalutari ſudore, coctio nihil conducit.

Tertio, ſi prærequiritur coctio pro ſalutari ſudo-
E re, maximè, vt ſeparatâ per illam materiâ vtili ab inutili, hæc poſſit euacuari: ſed coctione rectè ſe habente, morbus eſt deuictus: ergo tunc ſudor eſſet ſuperfluus.

§. III.

Hippocratis, & Galeni præfertur doctrina.

REſoluendum, quòd vt ſalutaris ſit criticus ſudor, debent præcedere ſigna coctionis: ſic tenet communis Dogmaticorum opinio.

Probatur

Probatur 1. Ex Hipp. *lib. 1. Epid. §. coctiones criſis celeritatem, ſaluiſque ſecuritatem ſignificant: cruda verò, & incocta, & in malos abſceſſus conuerſa, vel iudicij fruſtrationem, vel dolores, vel diuturnitatem, vel mortem, vel eorumdem malorum reditum denunciant*: ergo pro ſalutari ſudore critico coctio requiritur.

Probatur 2. Salutaris fit criſis, dum per illam euacuatur materia inutilis ab vtili ſeparata: ſed per coctionem fit hæc ſeparatio: ergo præréquiritur pro ſalubri critico ſudore.

Probatur 3. coctio prærequiritur pro omni criſi ſalutari: ergo pro ſudore critico ſalutari prærequiritur. Probatur antecedens ex Galeno *lib. 3. de criſibus cap. 3. §. Dicam vero & nunc omnia ſummatim, quæ & præſentem criſim, quò euaſura ſit, oſtendunt, & futura præmonſtrant. Primum quidem inter omnia ex conſideratione coctionis, ex vrinis, & ſputis: ſiquidem ego millies cùm, dum criſes fierent, intereſſem, neminem vnquam vidi intereuntem, qui præcedentibus coctionibus criſim habuiſſet.*

§. III.

Oppugnantia Hippocratis, & Galeni doctrinæ impugnantur.

AD 1. reſpondetur, Tum 1. quòd tanquam notum omiſit Hippocrates coctionis præréquiri ſigna pro critico ſudore: & ne videretur omiſſum tanquam non neceſſarium, Galenus *in commentario* id docet: Tum 2. quòd in morbis exactè peracutis die 3. aut 5. iam apparuère coctionis ſigna; vel quòd licèt non præceſſerit ante 3. diem ſigna coctionis, præcedunt ante diem radicalem, in quo morbus ſudore terminandus: nam in 3. aut 5. incipiunt, non autem terminant morbum.

Ad 2. reſpondetur, quòd ſigna coctionis in lotio alia ſunt perfecta, quæ prærequiri diximus; alia imperfecta, ſeu ſimilia apparentia, quæ non dicunt ſecuritatem, vt patet ex Galeno *lib. 3. de præſagat. ex pulſibus c. 3. §. Sanè videatur quibuſdam perplexa, & incognita, ſiquando nec differentia vlla pulſuum à naturali ſtatu deficiat, & ſe ipſe ægrotus febrem non dicat percipere; & vt rem difficiliorem faciam, ne ex vrina quidem petere in huiuſmodi affectibus firmam notitiam ſemper licet: ſed eſt etiam ferè anceps. colore, & ſedimento ſimiles naturali; ſexcentos tales in peſtilentia diuturna conſpeximus, vbi medicos cerneres nihilo plebe præſtantiores, immo verò imperitiores.*

Ad 3. reſpondetur, quòd coctio alia eſt in iuuatiuo, alia in nocitiuo: hæc fit in morbis ex materia inepta nutritioni; & pro hac euacuatio requiritur criſis, vel purgatione, quia eſt, de qua inquit Hippocrates, *Quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere conſueuere*: & de qua purgatione conſulit 2 *aphoriſm. 22. §. concocta medicari ac mouere, non cruda.*

RESOLVTIO IX.

Vtrùm ſudor vt ſalutaris criticus, debeat eſſe multus?

§. I.

Pars negatiua aliquibus fulcitur fundamentis.

REquiritur pro ſudore admodùm copioſa euaporatio, ſi naturalis, ſi criticus: nam vt detur totius materiæ morbificæ euacuatio, copioſos vtilior videtur ſudor: ſed an ſemper? videtur quod non;

Primò, ſudor fit copioſus à præternaturali cauſa, Tum 1. ex Galeno *lib. 3. de cauſis ſymptom. c. 2.* vbi pro- A uenire copioſum ſudorem docet, vel propter corporis raritatem, vel propter materiæ excrementitiæ tenuitatem: Tum 2. *lib. prognoſt. comment. 60.* vbi docet ſudores continuos prouenire à virium debilitate: Tum 3. ex Auicenna *fen. 4. 2. tract. 1. c. 66.* vbi copioſum ſudorem profert prouenire à vehementia facultatis expellentis & debilitate retinentis: ergo vt ſit ſalutaris criticus ſudor, non petit quòd ſit copioſus.

Secundò, ſudor, à quo vires debilitantur & ſubſequitur ſyncopa, non eſt ſalutaris: ſed à copioſo ſudore debilitantur vires, & ſyncopa ſubſequitur, ex Galeno *lib. 6. epidem. textu 3. comm. 2.* ergo vt ſit ſalutaris B ſudor, non petit quòd ſit copioſus.

Tertiò, ſudor, ſi ſit copioſus, indicat multitudinem materiæ: ſed dum eſt multa materia non poteſt ſimul vnico ſudore euacuari: ergo vt ſit ſalutaris, non petit, quòd ſit copioſus. Probatur maior, Tum ex Hippocrate 4. *aphoriſm. 41. §. ſudor multus corpus indigere euacuatione ſignificat.* Tum ex Galeno *in comm. §. ſudor multus calidus, vel frigidus ſemper fluens, frigidus magis, calidus minùs morbum ſignificat.* Tum 7. *aphoriſm. 61. §. ſudor multus calidus, aut frigidus ſemper fluens humorem abduci robuſto quidem, ſupra; debili verò, infra ſignificat.* Tum 4. *aphoriſm. 6. §. febricitanti ſudor ſuperueniens, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, & mul- C tam ſignificat humiditatem.*

Quartò, ex plurimo ſudore febres periculoſæ, & lethales fiunt ex Galeno *lib. aduerſus Lycum*, vbi proponit febres ſudorificas, *Typhodeas* dictas, & *Gelodeas*, quas fatetur pernicoſas eſſe, & lethales ob nimium ſudorem: ergo copioſum eſſe non conuenit per ſe ſudori critico, vt ſit ſalutaris.

§. II.

Traditur copia requiſita pro ſalutari ſudore critico.

REſoluendum 1. quòd ſudores critici, vt ſint ſalutares debent eſſe copioſi moderatè. Probatur 1. ex Hippocrate, qui hos ſudores obſeruauit *in libris* D *epidem.* criticos ſalutares tum in Pericle, qui ægrotabat in Abderis, & quarta die circa meridiem, cùm multus ſuperueniſſet calidus ſudor, à febre liber euaſit: Tum in Cleonide; qui die 80. multùm ſudauit, & perfectè fuit iudicatus: quod narrat ſimiliter de aliis.

Probatur 2. ſudor ponitur inter res non naturales; inter ea, quæ excernuntur, aut retinentur, quibus omnibus competit in proportionata quantitate vtilia eſſe pro naturæ conſeruatione; è contra verò, ſi nimis excedant: ergo ſudori critico, vt ſalutaris ſit, competit, quòd ſit cum proportione moderatus.

§. III.

Criticus ſudor, ſi nimius, non eſt ſalutaris.

E REſoluendum 2. quòd ſudor vltra proportionem moderatam, præternaturalis fit, & ſymptomaticus.

Probatur 1. Tum quia vt naturalis ſit ſudor; proportionatus debet eſſe: ergo ſi improportionatus eſt, eſt præternaturalis: Tum quia ab improportionato ſudore, ſpiritibus reſolutis neceſſariò vires labuntur: & vt Galenus docet, ſuperuenit ſyncopa: Tum quia fit ſudor copioſus à calore depopulante nimis noſtram ſubſtantiam, ex Galeno, *lib. 2. prognoſticor. comment. 60. & lib. 3. de cauſis ſymptom. cap. 2.* ergo ſi improportionatus, præternaturalis eſt.

Probatur 2. ex Auicenna *fen. 4. 2. tract. 2. cap. 71.* qui ſudorem multum condemnat, & *in Canticis*, tenet

ſuperfluum

ſuperfluum ſudorem ſuperuenire cum virium caſu, & propinquam mortem denunciare, & quod ſudor multus in acutis, ſi quies non ſuperueniat, Hecticam, aut Spaſmum prænunciare: ergo ſudor criticus, ſi improportionatus, ſit præternaturalis.

§. IV.

Soluuntur fundamenta oppoſita opinionis.

AD 1. reſpondetur; quòd probat de ſudore critico improportionato, non autem de proportionato, multo ſudore.

Ad 2. reſpondetur, quòd à ſudore multo ſymptomatico, non autem à proportionato multo ea ſymptomata ſubſequuntur.

Ad 3. reſpondetur, quòd vt ſudor ſit copioſus proportionatus indiget copioſa materia cum proportione: dum verò vltra proportionem multa eſt materia, & multus improportionatus fit ſudor, ſymptomaticus redditur.

Ad 4. reſpondetur, Quòd febres ſudorificæ, in quibus ſudores fiunt copioſi improportionati, fiunt lethales, non à ſola ſudoris copia, ſed ab illa improportionata.

SECTIO III.

De Sudore ſymptomatico.

PRout in morbis, natura vincente, criticus ſalutaris ſuperuenit ſudor, dum vi morbi, cauſæve morbificæ accidit, Symptomaticus vocatur; cuius inueſtigare naturam, differentias proponere, earúmque aliquas proferemus cauſas ſub hac Sectione.

Resolvtio I.

Quid & quotuplex ſit ſudor ſymptomaticus?

§. I.

Deſcriptio ſudoris ſymptomatici proponitur.

REſoluendum 1. quòd ſudor ſymptomaticus eſt, qui à naturali, & critico ſudore differt in modo, in cauſis, aut accidentibus: ſic deſcribere placuit ſudorem ſymptomaticum, quia cùm diuagetur per omnia ferè prædicamenta, nulla ei commoda adaptari poteſt propria diffinitio.

§. II.

Symptomatici ſudoris referuntur differentiæ.

REſoluendum 2. Quòd differentiæ ſudoris ſymptomatici ſumuntur à ſubſtantiæ modo, quantitate, qualitate, relatione, ſitu, habitu, actione, aut paſſione: ſic proſequitur illius diuiſionem Cæſar Barcellos, qui hanc doctrinam ſatis aptè dilucidauit.

Resolvtio II.

De Sudore ſymptomatico à ſubſtantiæ modo dicto?

§. I.

Deſcriptio proponitur.

REſoluendum 1. quòd ſubſtantiæ modus in ſudore ſymptomatico ſuperuenit ob craſſitiem, viſciditatem, lentorem, limoſitatem, tenuitatem, fluxibilitatem, ſubtilitatémve; quæ licèt ſint ſecundæ qualitates, modum tamen ſubſtantiæ variant in ſudore, ob quem deuiat ipſe à naturalis ſiue critici ſalutaris ſudoris debita conſiſtentia.

§. II.

Traditur diuiſio.

REſoluendum 2. quòd à ſubſtantiæ modo tanquam in oppoſitas differentias partitur ſymptomaticus ſudor in craſſum, & tenuem, ſic deducitur ex Galeno *lib. 11. methodi, c. 13.* Qui craſſus dicitur, lentore maximè ſit talis, motuique ineptior: qui tenuis, ſit fluxibilior ob rariores, ac leuiores, quas acquirit partes; ex Galeno *lib. 4. ſympt. c. 8.*

§. III.

Diaphoretici, & ſyncoptici ſudoris differentiæ proponuntur.

REſoluendum 3. Quòd ſub craſſu, & tenui, ſunt ſudor diaphoreticus & ſyncopticus, ſiue ſyncopalis: de quibus accuratè egit noſter Mercatus *tom. 4. conſultat. 25.* & Carreirus *lib. de febribus, cap. de regimine ſuperflui ſudoris*, tetigit aliqua.

His eſt commune, quòd per illos euacuetur aliqua corporis alimentitia, ſeu ſpirituoſa ſubſtantia, cuius cauſa in periculum, vel mortem celeritate æger fertur. Diaphoreticus fit maiori ex parte, ex materia alimentoſa, vel viuentis ſimul cum portione noxæ & in principio, & ſtatu, & infida declinatione, quòd ſit calidus contingit, ſit plerumque frigidus: ſyncopticus ſemper frigidus eſt ſemper periculoſior, ſemper in periculo celerior: Carreirus ex ſola ſpirituum materia fieri contendit; Mercatus ex rorida & glutinoſa, viuentéve materia reſolutis celeriter cum ſpirituum copia maiore contendit fieri; vel à cauſis vires diſſipantibus, ſpiritibus euaporatis, ſeu reſolutis, vel ſubſtantiis laudabilioribus pro eſſe, aut nutricatu.

§. IV.

Differentiæ ſudoris à ſubſtantiæ modo proſequuntur cauſæ.

REſoluendum 4. quòd craſſior, tenuiórve ſit ſudor ſymptomaticus, ratione materiæ ex qua fit: ſucci autem fiunt craſſi, vel à nimia caliditate, vel à frigiditate; fiunt tenues ab eiſdem cauſis aliter moderatis, vel oriuntur à natura tales.

Probatur 1. ex Galeno, *textu 2. prognoſticor. comment. 39. §. Quin etiam ſinceri humores craſſiores exiſtunt; pituitoſus quidem propter frigiditatem quaſi concretus; bilioſus verò, propter exuberantiam caloris euaporatus, & tanquam aſſatus.* Tum ſubſcribit Auicenna *1. part. Canticorum*, docens ex bile per aſſationem fieri porraceam, ex porracea æruginoſam, ex æruginoſa atram bilem; qui ſucci nimia aduſtione, nec ſolum craſſi, ſed venenoſi euadunt.

Probatur 2. quòd frigiditate fiant craſſi ſucci, Tum ex Auicenna *1. part. Canticor. tract. 2. de ſudore groſſo.* Tum *fen. 4. 2. tract. 1. c. 70. de ſudore viſcoſo.* Tum conſtat ex Galeno *lib. 3.* de criſibus, agente de ſudoribus tenacibus & craſſis: Tum *lib. 1. de ſanit. tuenda, c. 13.* vbi ex imbecilla altrice, debili calore, & craſſo victu craſſos ſuccos docet generari: Tum Actuarius *lib. 8. methodi cap. 23.* tenet quòd ex ſuccis craſſis ſiue commixtis fit ſudor craſſus.

Probatur 3. de ſuccis tenuibus quòd fiant ex materia

ris tenui ex ſe, vel calore, aut frig[illegible] ſic reddita, Tum ex tenui ex ſe ex Galeno *lib 4 de ſimplic. medicam. facultatibus, cap.* 2. quales ſunt flaua bilis, ſanguis tenuis, & ſeroſus; Tum quòd à calore nimio fiunt tenues, patet de ichoribus, ex quibus in ardentibus febribus tenues plerumque accidunt ſudores; Tum quòd frigore fiant tenues, patet, ſi vires dilabuntur aquoſitates generantur, à quibus tenues etiam fiunt ſudores, quales conſpicimus in hydropicis.

§. IV.

Prognoſis proponitur, & aliqualis curatio.

Reſoluendum, quòd craſſi, & tenues ſudores periculoſi, quia delapſas denotant vires, ſed minus potentes, dum tenues; ſi à frigore, qui craſſi fiunt à calore igneo, & adurente, periculoſi, ob adustionem, multò magis oleaginoſi, & lenti, quia ex ſubſtantia apta nutritioni fiunt, aut viuente, & abeunt in diaphoreticos, & celeritate his conſumptis, & ſpiritibus, in ſyncopticos: caloris ne, an frigoris cauſa fiant tenues, demonſtrat calor, quia mitis, aut vrens nimia. Pro ſyncoptico ſudore, qui frigidus ſemper fit, cauſæ concomitantur ſpiritus alterantes, diſtrahentes, corrumpentes, corporiſque ſimul ſubſtantiam corrumpentes, & reſoluentes, ſiue in toto, ſiue in corde, ſiue in ventriculo inuectatur temperies ex toto aut conſormatio.

Horum curatio intenditur virium corroboratione, quæ in his omnibus ſudoribus, ſiue vltimia dyſcraſia, ſiue reſoluta propria, aut ſpirituum ſubſtantia, aut alimentitia, delapſæ ſunt. Vtimur pro frigidis calorem fouentibus, craſſos humores ſcindentibus, & expurgantibus. Pro calidis intus, & extra attemperantibus, leniter euacuantibus, ſeu diuertentibus, retundentibúſve mordacitatem, confectionibus ſpiritus reficientibus, victuque conſiſtente pro nutricatu & alterarius qualitatibus oppugnante in cauſa morbifica: ſi verò diaphoretici, aut ſyncoptici ſint ſudores lapſu terentiicis, quæ roridam, viuentiſve liquatam ſubſtantiam cobibere nequit, pororum coarctatio tentanda: in non frigido ſudore obturata cute, gypſo cum rubro vino, ouorúmque albuminibus conquaſſato, & extenſo per vniuerſam cutem: quod annuit Carreitus *lib. de febribus, cap. de regimine ſuperflui ſudoris*, & in nobis expertum in copioſo ſudore ardente febri ſuperueniente in frigido, cute madeſacta vino rubro ſtiptico aromatizato, deſcripto à Baudetonio *in curatione accidentium in febribus cap. de ſudore ſuperfluo*, irrotatis vlterius puluerib us adſtringentibus, de quibus latè Practici.

Resolvtio III.

Vtrùm ſudor multus fiat ob ſolam cutis raritatem?

§. I.

Proponitur ex Galeno ratio dubitandi.

Ratione quantitatis ſudores ſymptomatici alij multi, alij pauci dicuntur: multi ſunt tales in copia, vel in tempore, vel ſimul in copia, & tempore. Horum qui critici ſalutares, qui ſymptomatici, decreuimus agentes de ſalutaris ſudoris Critici requiſitia: proſequar ſymptomatici cauſas, quas ad ſolam nimiam raritatem poſſe deduci firmat,

Primò Galenus *lib. 3. de cauſis ſymptomat. cap.* 3. vbi copiam ſudoris tribuit ſoli raritati cutis.

Secundò, ſi cutis eſt denſa, impoſſibile eſt ſudorem eſſe multum; cùm, ipsâ clausâ, nulla poſſit exire vaporoſa ſubſtantia concreſcens pro ſudore; ergo illi

A tantùm tribuendum, quòd ſit cauſa ſuperflui ſudoris ſymptomatici.

Tertiò, ab ea cauſa fit copioſus ſudor ſymptomaticus, quæ intenditur auferri in eius curatione; ſed prout multus eſt curatur ſemper pororum adſtrictione: ergo ab illius raritate fit ſemper.

§. II.

Materialis, & communior cauſa multi ſudoris traditur.

Reſoluendũ 1. quod ſudor multus in ſymptomaticis ſudoribus fit ex copioſa materia plerũque: Probatur Hippocratis decreto, Tum 4. *aphoriſm.* 41. §. *ſudor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus vti plurimo cibo ſignificat; aut indigere*

B *euacuatione.* Tum 4. aphoriſm. 42. §. *ſudor multus, frigidus, vel calidus, ſemper fluens, frigidus magis, calidus minus morbum ſignificat.* Tum 4. aphoriſm. 56. § *fibricitanti ſudor ſuperueniens, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem.* Tum 7. Aphoriſm. 61. §. *ſudor multus calidus, aut frigidus, ſemper fluens, humorem abduci, robuſto quidem, ſuprà; debili verò infrà, ſignificat.* Ex quibus apparet ſemper multam materiam ſupponere ex his ſudoribus Hippocratem.

Dices, quòd ſi ſudor multus penderet ex multa materia, quantò copioſior, eſſet ſalubrior; nec ideò eſſet ſymptomaticus, cùm euacuaretur ſuperflua materia & redundans.

C Reſpondetur, quòd ſi multus, & morbum non terminat, eſt malus; quia materiam habet vltra eam, quam euacuare permittunt vires; ideò Hippocrates ſudores febres non terminantes vocat inutiles, *lib. 2. prorrhit. cap* 23. *& lib. 1. epidem.* & lethales eas eſſe manifeſtauit *in hiſtoria Philiſci & Eraſini & 1. prorrhiticor.* 15. Idem docuit Galenus 2. *prognoſtic. comm.* 60. *&* 3. *de cauſis ſymptomat. c.* 2. nec ſolùm quia ex toto non euacuatur materia, nec pro tota illa vires ſufficiunt; ſed etiam quia ſimul cum inutili, vtilis etiam euacuatur materia, & ſpiritus reſoluuntur, vt conſtat ex Galeno 4 *aphoriſm* 41. *&* 3. *de cauſ. ſymptomat. c.* 2. ideóque Auicenna multos ſudores condemnat in tempore, quia ſubſequitur hectica, aut ſpaſmus; & maximè dum caſus virium ſuperuenit.

D

§. III.

Superadduntur aliæ ſuperflui ſudoris ſymptomatici cauſæ.

Reſoluendum 2. quòd exceedens calor, cutis raritas, virium caſus, materiæ tenuitas, cauſæ etiam ſunt copioſi ſudoris.

Probatur 1. Tum ex Galeno 3. *de cauſis ſymptom. c.* 8. vbi multum ſudorem docet fieri propter raritatem, materiæ copiam, vel tenuitatem: Tum 2. *prognoſticorum, textu* 60. docet prouenire à virium imbecillitate: Tum 6 *epidem. comm* 2. *textu* 3. idem docet: Tum Auicen. *fen.* 4. 2. *tract.* 1. *c.* 66. *& fen.* 1. *canonis*, 4 *c.* docet

E fieri a nimio calore diſſoluente: Tum de raritate colligitur idem ex Ariſtot. *lib.* 2. *problem.* 10.

Probatur 2. A cauſis improportionatis naturalibus fit multus ſudor: ſed naturalis fit ex moderata materia, calore illi proportionato, viribus debitis, naturali cutis raritate: ergo, ab his excedentibus fit immoderatus calor.

Probatur 3. quòd fiat viribus languentibus, Tum ex Galeno 2. *prognoſticorum.* 60. 3. *prorrhit. comm.* 6. *l. methodi, cap.* 5. qui ipſas potentes petit pro naturalibus actionibus: Tum quia in malignis febribus, hecticis, ſyncopticis in animi deliquio, &

dum omninò vires delabuntur, fit multus ſudor, quia vtilis nequit retineri materia: vt Galenus docuit etiam 3 *epidem ſect. 3. comment. 34. lib. 10. methodi, cap. vltimo lib. 1. de different. feb. c. 8.*

Probatur 4. de tenuitate materiæ, quia ea aptior eſt euaporationi, & vt à calore conuertatur in ſudorem.

§. IV.

Soluuntur rationes primò adducta.

AD 1. reſpondetur, quòd non intendit Galenus à ſola raritate multum prouenire ſudorem, ſed eſſe cauſam ſine qua multus ſudor fieri nequit.

Ad 2. reſpondetur, quòd cohibetur ſudor ſi cutis denſa ſit, ſed etiam ſi ſit rara, aliæ conferunt cauſæ, ſine quibus ipſa non ſufficeret.

Ad 3. reſpondetur, quòd ſuperfluus ſudor curatur pororum adſtrictione, non quia ipſa ſola ſit cauſa, ſed quia eſt cauſa ſine qua non.

RESOLVTIO IV.

Verùm ſudor paucus à contrariis fiat cauſis, ac fit multus?

§. I.

Proponitur pars negatiua.

FIt paucus ſudor, vel quia in vna tantùm fit parte, vel in pluribus in pauca quantitate, vel in paucu tempore: quod ſic, non prouenire ob contrarias cauſas poſſit, ac fit multus, videtur ſuaderi,

Primò, Quilibet ſymptomaticus ſudor ex molta copia materiæ fit: ideo enim Hippocrates dicit: *Vbi ſudor, ibi morbus*: ergo etiam ſi paruus, non ex parua fit materia.

Secundò, in corpore obeſo, poris apertis, impeditur ſudor, & fit paucus ratione pinguedinis: ergo fit paruus cum raritate, à qua multus fit ſudor.

Tertiò, à nimio calore fit nimia reſolutio, vt apparet in æſtate, in eis qui ſunt ſub Sole: ergo à calore intenſo fit paruus ſudor, ſicut & multus.

Quartò, à debili expellente fit paucus ſudor: ergo non ſolùm multus fit virium lapſu, ſed paucus.

§. II.

Communior doctrina præfertur, & amplectitur.

REſoluendum 1. quòd paucus ſudor prouenit à contrariis cauſis eis, à quibus fit multus.

Probatur 1. quòd fiat paucus materiæ paucitate, Tum in atrophia, in magnis inediis, & corporibus exſiccatis, in quibus pauci apparent ſudores defectu materiæ ex qua: Tum quia Hippocrates ex multo ſudore arguit copiam materiæ, non aliunde, niſi quia ex parua multus fieri non poſſet: Tum quia pro naturali ſudore requiritur admodum copioſa euaporatio, & ſimiliter parua pro pauco, & maior pro ſudore multo: Tum quia ex materia glutinoſa, & viſcida, quia parua copia vaporis eleuatur, paucus fit ſudor.

Probatur 2. quòd obſtructio pororum, quæ raritati opponitur, fit cauſa pauci ſudoris: Tum quia oppreſſis, vel obturatis poroſitatibus, impoſſibile eſt multam ſudoris copiam exire: Tum quia in obeſis corporibus, ſi occludantur pori propter adipem, paruus fit ſudor; & eadẽ de occluſione quauis pororum eſt ratio: Tum quia ſi aquis medicatis reſeratur cutis, paruus fit ſudor: Tum quia eſt ſudor vapor iam denſatus, nec ſine pororum apertione poteſt exire.

Probatur 3. quòd à debili calore paucus fiat ſudor, ſicut multus ab intenſo: Tum quia ſi multus calor, multis eleuatis vaporibus, multus eſſet ſudor: Tum quia ſe habet remiſſius ad paucum vaporem eleuandum, ſicut intenſius ad eleuandum copioſum.

Probatur 4. quòd à facultatibus naturalibus fit paucus ſudor diuerſo modo ſe habentibus, ac dum fit multus: quia ſicut debilis retentrix multi ſudoris cauſa eſſe poteſt, quia ſuccos nequit retinere; ſimiliter, & valida nimis retinens, paruum cauſabit ſudorem; & è contrà, ſicut multum ſudorem coadiuuat expellẽs potens, ſi impotens fiat, cauſa erit pauci.

§. III.

Quid ex paruis prædicendum ſudoribus?

REſoluendum 2. quòd in ſymptomatico pauco ſudore, ſemper aliter quàm in reliquis prædicendũ.

Patet; nam in ſanis paucus ſudor ſignificat humidæ materiæ paruam copiam, vel corporis duram contexturam, cutis adſtrictionem, vel obturationem, vel caloris imbecillitatem, vel nimiam reſolutiuam intenſionem: ſi autem morboſi, & ſymptomatici, ex Galeno *lib. artis medicinal. cap. 2.* parui ſudores obſtructiones ſupponunt, vel morbum, putredinem nimiam impedientem euaporationem copioſæ materiæ, ex Auicenna 3. 15. *tract. 1.* paucus ſudor prænuntiat Ictericiam.

§. IV.

Soluuntur rationes, quas pro principio propoſuimus.

AD 1. reſpondetur, quòd fit ſudor paucus ex paucitate materiæ: poteſt tamen & multa exiſtente, fieri paucus ab aliis cauſis: ab Hippocrate ex multo tantùm ſudore infertur multa morbi cauſa.

Ad 2. reſpondetur, quòd per obſtructionem intelligimus quodlibet impedimentum in cute.

Ad 3. reſpondetur, quòd agendo de ſudore naturali diximus de caloris intenſione requiſita pro ſudore; à qua diminuta diminutus fit ſudor.

Ad 4. reſpondetur, quòd ex vltima probatione patet ſolutio.

RESOLVTIO V.

Verùm calidi, frigidique ſudores fiant ab eadem cauſa?

§. I.

Statuitur difficultas, & rationes dubitandi proponuntur.

SVdores à qualitate varias deſumunt differentias, præcipuas à qualitatibus tangibilibus, & maximè attenduntur, quæ ſumuntur à caliditate, & frigiditate; fiunt calidi ſudores ab externis cauſis per ſe, aut per accidens calorem inducentibus, à motu, ab aëre calido, ſole, igne, ſtupis, arenis calidis, furno, aquis feruentibus, balneis, inunctionibus, aut pannis calidis, fit & ab internis calidus, ſiue natiuum, aut actuatum calorem intendentibus, ſiue calidos producentibus ſuccos, quos maximè obſeruauit Hippocrates *3. epidem. comm. 3. textu* 82. de muliere in Thaſo febre ardente correpta: de virgine Lariſſæ, in Menone, in Herophonte, in vxore Epicratis, qui correpti acutis febribus ortis ex calidis humoribus ſunt calidis ſudoribus terminati. Similiter & frigidi ſudores ab externis cauſis fiunt tales; ab aëre frigido, ſiue à ventis, ſiue à ſole, ſiue à regione: tales fiunt & ab externis valentibus ſpiritus corrumpere, vt quæuis venenoſa qualitas inducta. Ab internis fit, ſi ex crudis fiat humoribus,

nibus ratione inflammationis calorem ad ſe trahentis, à niuia putredine calorem natiuom extinguente à morbóve, aut ſymptomate, à quo natura valet imbecillitari, ſuffocari, extingui, reſolui. Ex quo apparet, quòd à nimio calore calidi, frigidique proueniunt ſudores: ideóque inquirimus, an ab eadem cauſa, nimio inquam calore valeant oriri vt calidi, & vt frigidi: cuius contrarium ſuadet, quòd contrariorum contrariæ debent eſſe rationes, & cauſæ.

§. II.

Profertur modus, quo id contingat.

Reſoluendum quòd ab eadem cauſa contrarij effectus valent prouenire, ſi alter per ſe, alter per accidens fiat.

B Probatur, tum de ſudoribus, quia calidus fit per ſe à calore, frigidus per accidens, quatenus ab illo vt nimio fit auerſio, aut reſolutio influentis, ſeu natiui: vnde ſubſequitur frigiditas in viuente: Tum Hippocrates idem docet in Tetano, præſcribens curationem aſperſione aquæ frigidæ, à qua per accidens inducitur calor, ſicut per ſe frigiditas: Tum apparet in ætatiua mutatione, à calore enim, à quo per ſe calefit animal, in ſenectute per accidens inducitur frigida temperies: Tum in hydrope contingit frigidam per accidens induci temperiem à febre ardente per ſe calefaciente.

§. III.

Prædicendi in calidis ſudoribus ex ſuis cauſis traditur ratio.

C Reſoluendum, quòd calidi quicumque ſudores frigidis ſunt ſalubriores.

Probatur ex Galeno 4. *aphoriſm. comm.* 42. ex Ariſtotele 2. *problemat.* 35. & ratione, quia minus incommoda eſt viribus caliditas, quàm frigiditas, quia caliditas eſt præcipuum viuentium inſtrumentum pro vegetatiuis, & ſenſitiuis operationibus, & quia vtitur natura tanquam nectare, quod per vniuerſum corpus impartitur: ideóque inter ſymptomaticos pre frigidis potiores ſunt quicumque ſudores calidi.

§. IV.

Sudoris ſymptomatici frigidi deducitur prædictio.

D Reſoluendum 3. Frigidi ſudores calidis ſunt peiores, inter ſe magis, aut minus, iuxta cauſarum diuerſitatem.

Probatur 1. pars, quia frigidi proueniunt vel propter frigidam materiam, vel partis inflammationem, vel extinctionem natiui caloris; ex quibus cauſis maius periculum ſubſequitur, quàm ex calore: Tum quia de frigidis his ſudoribus inquit Hippocrates 4. *aphoriſm.* 37. *frigidi ſudores cum acuta quidem febre, mortem; cum mitiori, longitudinem morbi prænunciant.* Tum 1. *prognoſticor.* peſſimos eos vocat: Tum 3. *epidem.* dicit malitiam morbi confirmare: Tum malitiam eorum firmauit euentu in hiſtoria Philiſci, vxoris Dromedæ, & mulieris, quæ decumbebat in foro mendacium, in hiſtoria Silyni, qui omnes cum frigidis ſudoribus perierunt.

E Probatur 2. periculoſiores fieri ratione cauſæ, Tum de frigido, ratione cauſæ ex Hippocrate 4. *aphoriſm.* 38. non ſemper exitialem eſſe conſtat; ſed exitialis eſt, qui ex inflammatione oritur, præcipuè in extremis partibus, vt in febribus epialis, lipyriiſque ex inflammatione ortis conſtat; de quibus Hippocrates 4. *aphoriſm.* 37. §. *dum interiora vruntur, & exteriora frigent, lethale.* Tum patet maius etiam minari periculum ex extinctione natiuæ caliditatis, vnde extinctis viribus, ſubſtantia viuentis profluit; & apparet in ſyncopticis ſudoribus, in colico dolore ex inflammatione orto, in hyſtericis affectionibus, ex corrupto ſemine venenatóve ortis menſtro, ſudoribus, in ictibus venenoſis, in venenatis corporibus ſiue ab aſſumpto, ſiue intus genito veneno.

§. V.

Soluitur dubitandi ratio.

Ad rationem dubitandi conſtat, quòd contrarij effectus ab eadem cauſa, alterum per ſe, alterum per accidens cauſante, poſſunt prouenire.

Resolutio VI.

Vtrùm colores in ſudoribus fiant ratione alterationis?

§. I.

Status difficultatis proponitur, aperitur ratio dubitandi.

Ratione qualitatum nõ ſolùm tactu percipiuntur ſudores calidi, aut frigidi, ſed guſtui apparent diuerſi iuxta diuerſos humores, à quibus fiunt: hinc ſapor dulcis ex ſanguine, amarus ex bile, inſipidus ex pitu ita, acerbus ex melancholia fit: ſic ſimiliter fiunt odorabiles, ſonorive; ſed quòd alteratione fiant colorati, videtur, quia humores dum generantur, recipiunt colorem ab alteratione, per quam fiunt, & vlterius alterati colorem mutant, vt patet de bile quæ fit pallida, æruginoſa, & atra: ergo idem contingit in ſudoribus.

§. II.

Pars tenenda proponitur.

Reſoluendũ, quòd ſudor ratione humoris, ex quo fit, colorẽ habere valet, ſi ſymptomaticus; humor verò potiùs ratione mixtionis, quàm alterationis.

Probatur 1. pars, quia ſudori naturali non debetur color, quia aqueæ naturæ eſt: ergo ſi ſymptomatico ſuperuenit color, hoc fit ratione humoris, ex quo fit.

Secundò 2. pars patet, quia color eſt paſſio mixtorum; elementa enim colorem non habent, ideoque potius ratione modi mixtionis debet in illis ſuperuenire, & variari, quàm ſola alteratione, niſi ab illa fiat modi mixtionis inuerſio.

§. III.

Soluitur dubitandi ratio.

Ad rationem dubitandi reſpondetur quòd media alteratione non fit color, niſi ſufficiat inuertere ſubſtantiæ modum, tunc enim ratione nouæ mixtionis fit, & immutatur color, vt apparet in bile.

Resolutio VII.

Vtrùm ſudores in principio morbi ſuperuenientes ſint ſymptomatici, & lethales?

§. I.

Statuitur difficultas, & Trincauelli opinio.

A Tempore ſudores diuerſas deſumunt differentias: de criticis decreuimus quod debent ſuperuenire, peracta coctione: ſunt aliqui, qui in principio ſuperuenientes ſudores criticos, & ſalutares eſſe contendunt: Trincanellus *lib. de peſte,* ſalutares eſſe euacuationes in principio contendit, aliique quamplurimi id conantur ſuadere.

Primò, quia plures ſine præcedente coctione criſi perfectâ terminati ſunt: vt apparet, tum ex Galeno *lib. de p. æcognitione*, Tum ex Hippocrate *lib. 1. epidem. 3.* qui de Methone ſalubriter in principio liberatum fuiſſe docet: Tum ex Anaxione: Tum idem refert de quadam muliere quæ ſudore in principio ſuperueniente liberata eſt.

Secundò, ſudore ſuperueniente in principio magna pars materiæ morbificæ euacuatur: ergo ſalubria redditur morbus: cùm à natura facilius vinci poſſit quæ remanet.

Tertiò, euacuationes factæ ab artifice, ſunt vtiles in principio, & ſalubres: ergo ſimiliter ſudor factus à natura in principio eſt ſalutaris.

§. II.

Communior præfertur doctrina.

Reſoluendû, quòd ex ſe ſudor in principiis morborum ſymptomaticus eſt ſemper: ſic tenent Valleſius, Maſſarias, Mercatus, Amatus, & alij, de omni euacuatione in principio ſuperueniente.

Probatur, Tum ex Galeno *lib. 1. epidem. 2.* ex Auicenna *fen. 2. 4. tract. 1. cap. 7. & ex* Galeno *4. aphor. 2.* Tum *lib. 3.* de criſibus aliiſque in locis, in quibus coctionem prærequiri docet pro critica euacuatione: & de ſudore latiùs nos probauimus *ſect. 2. huius diſputationis.*

§. III.

Soluuntur rationes primò adductæ.

Ad 1. reſpondetur, aliis ſolutionibus relictis, de quibus Baricellus *lib. 2. cap. 3* 2. quòd ſudores, & aliæ euacuationes in principio ſuperuenientes ex ſe ſunt ſemper inutiles, & noxiæ, quia fiunt ex irritatione cauſæ, & euacuatur non ſolùm inutile, ſed vtile, quod ei eſt commixtum, & ideò ſi ſuperuenit in eis, quibus vires ſunt debiles, lethalis eſt ſemper: at verò ſi vires validæ ſint, tunc contingit, quòd licèt ſudor ſymptomaticus ſit: tamen reſiſtant vires, & morbum vincant; ſed tunc morbus terminatur ad ſalutem non vi ſudoris, ſed vi virium, quæ validæ fuerunt pro ferendo lapſu; qui ab intempeſtiuo ſudore fit, & pro vincenda cauſa, quæ relinquitur.

Ad 2. reſpondetur, quòd licèt euacuetur pars materiæ morbificæ, euacuatur ſimul pars materiæ vtilis illi commixtæ; & ideò labuntur vires, & remanent impotentes pro morbifica cauſa vincenda.

Ad 3. reſpondetur, quòd euacuationes ab artifice factæ, licèt fiant in principio, & fiant euacuando ſimul vtile, & inutile, non fiunt cum pugna naturæ & cauſæ morbificæ, qua vires debilitantur, & ineptæ redduntur pro vincenda cauſa morbifica, quæ remanet.

Resolvtio VIII.

Vtrùm ſudor ante paroxyſmos, ſit ſymptomaticus.

§. I.

Proponitur difficultas & ratio dubitandi.

Svdor periodicus duplex eſt, alter ſuperueniens in declinatione periodi, qualiter in Quartanis & aliquibus Tertianis contingit, qui ex toto febrẽ ſoluit; & licèt copiam arguat materiæ, ſalubris cenſetur; euacuat enim materiæ morbificæ portionem, ſine virium nimia iactura maiori ex parte, ſed contingit plerumque, quòd præcedat ſudor ante acceſſionem per aliquod tempus, vt nos ſemel vidimus, & obſeruauit Schenxius *lib. 6. cap. 34.* qui ſudor etiam periodicus dici poteſt: cum ante quamlibet periodum contingat ſuperuenire, de quo dubitamus an ſit ſymptomaticus. Pars negatiua ſuadetur,

Primò, ſudor periodicus ſuperueniens acceſſionibus non annumeratur inter ſymptomaticos lethales, immò inter ſalubres, vt diximus: ergo ſimiliter nec ſudor periodicus, qui ante periodum accidit.

Secundò, ſi per ſudorem euacuetur ante acceſſionem pars materiæ, ex qua debet fieri acceſſio, minor neceſſariò debet eſſe acceſſio: ſed dum parua redditur acceſſio, ſecurior eſt morbus: ergo ſudor, quo ſecurior morbus redditur, non eſt dicendus lethalis.

Tertiò, ex Hippocrate, quocunque modo intermiſerit febris, periculum abeſſe ſignificatur; ſed ſiue ſudor ſit periodicus ante acceſſionem, ſiue poſt illam, febris intermittit: ergo ſudor ſuperueniens in illa, etiamſi ſit ante acceſſionem, non eſt lethalis ſymptomaticus.

§. II.

Ex Hippocrate oppoſitam eligimus doctrinam.

Reſoluendum, quòd ſudor periodicè antecedens acceſſionem eſt ſymptomaticus lethalis.

Probatur 1. ex Hippocrate, cui adhærent Fontanus, & Baricellus, qui *in coacis* protulit: *Qui vnà cum febre incidit ſudor, ſi fuerit acuta, peſtiferus eſt.*

Probatur 2. ratione deducta ex Fontano, ſi in principio paroxyſmi ſupernenit ſudor, habet pro cauſa ingentiſſimum calorem, à quo calor natiuus diſſipatur: ſed ſudor ex natiui caloris diſſipatione factus ſymptomaticus, & lethalis debet eſſe: ergo huiuſmodi ſudor ſymptomaticus lethalis eſt.

Probatur 3. ſudor factus in principiis acceſſionum non fit vi caloris vapores mouentis ad partes externas, cùm in principio omni conatu contendant facultates mouere ad intus, & partes externæ frigidæ ſint, & compreſſam habeant cutem: ſed potius fit, compreſſa aliqua corporis ſubſtantia alimentitia: vel ſi calore fiat, arguit ingentiſſimum eum calorem in partibus internis, quo vruntur internæ partes, & cogitur natura intrò, & exità mutus concitare contrarios: ergo ſudor, qui à violentis his prouenit cauſis lethalis, & ſymptomaticus eſt.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

Ad 1. reſpondetur, quòd ſudor ſuperueniens poſt acceſſiones fit, dum natura expandit calorem: & fuligines, ac vapores mouet ad partes externas, cuius coadiuuamine facilitet, & ſine illius diſpendio euacuatur reſiduum materiæ committentis acceſſionem. E contra fit in eo, qui fit in principio acceſſionis, dum natura potius ad internas mouet partes, & impedit motum ad externas; & non ſolùm coadiuuat, ſed impedit, pugnatque: & ſudor ſolùm morbi violentia poteſt accidere.

Ad 2. reſpondetur, quòd ſi euacuaretur ſola portio commiſſura acceſſionem, fieret cum vtilitate; ſed fit natura repugnante, fit cum pugna, & violentia, & maiori ex parte ex vtiliori materia à calore ardenti commota, & euaporata.

Ad 3. reſpondetur, quòd caret periculo febris intermittens, quantum eſt ex parte febris; non autem ſi periculum ſuperueniat potiùs ratione accidentium; qualiter contingit & in aliis febribus intermittentibus; quas vocamus Tertianas perniciofas; quæ licèt vt Tertianæ ſunt, eſſent ſalubres, tamen quatenus ratione accidentium ſuperuenientium illis fiunt perniciofæ, fiunt etiam lethales.

APPEN

APPENDIX
AD DISPVTATIONEM
de ſanguinis miſſione.

De loco mittendi ſanguinem in febribus putridis, & morbis fluxione ortis in ſuprema corporis parte.

PRÆLO cudendam dederam Diſputationem de Sanguinis miſſione, dum apud doctiſſimos Medicos Hiſpalenſes ſuborta eſt controuerſia de ſanguine mittendo ex pede in febribus putridis, & reliquis morbis fluxione ortis in ſupernis corporis partibus. Cuius fundamenta ad nos miſerunt, noſtram expectantes cenſuram. Renui me iudicem exhibere inter tot præclariſſimos Viros noſtræ ætatis Coryphæos inter ſe diſſertantes; ſed quia plura ad hanc controuerſiam conducentia tradideram, ea in hac Appendice decreui proponere, aliáque ſuperaddere, quæ ab Auctoribus ſunt circa hanc Diſputationem elaborata, noſtrúmque in eorum placitis proferre iudicium, vt, quid tenendum, offeram eis, qui dubiá mente hærent in Recentiorum certamine.

SECTIO PRIMA.

De differentiis ſanguinis miſsionis deſumptis à loco.

RATIONE loci diuiſimus *diſput. de ſanguinis miſſione*, phlebotomiam in Euacuatoriam, Deriuatoriam, & Reuulſoriam: ibique de Reuulſoria plura diſputauimus. Sed quia harum omnium notitia omninò eſt neceſſaria ad cognitionem eorum, quæ in hac Appendice ſunt determinanda, ideo eorum plura in incudem diſputationis trahemus.

RESOLVTIO I.

Vtrùm adæquata ſit diuiſio ſanguinis miſſionis in Euacuatoriam, Deriuatoriam, & Reuulſoriam; & an deſumatur à loco?

§. I.

Aperitur difficultas: ſuadetur pars negatiua.

SAnguinis miſſio, quæ eſt euacuatio ope Artificis facta, indicata à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, varias habet accidentales differentias, quas iam retulimus *diſput. de ſanguinis miſſione, ſect. 3.* ſed præcipuè eam diuiſimus in Euacuatoriam, Deriuatoriam, & Reuulſoriam; & has diximus differentias deſumi à loco, in quo vel ſanguis continetur, vel recipitur; ſeu

A ab eo, in quo debet fieri, vt ab illo euacuetur, aut auertatur: ideò ſuſcipimus diſputandum, an ſit diuiſio hæc bona; & an fiat ratione loci?

Videtur primò, quòd non ſit bona: quia membra diuidentia petunt eſſe diuerſa, ſeu oppoſita; ſed huius diuiſionis membra diuidentia non ſunt diuerſa: ergo diuiſio hæc non eſt bona. Probatur minor: Deriuatio comprehendit ſub ſe Euacuationem ſimul ac Reuulſionem: ergo hæc membra diuidentia non ſunt oppoſita inter ſe, & diuerſa.

Secundò, Differentiæ iſtæ deſumuntur ex parte finis, quatenus in Euacuatione finis eſt humorem à parte euacuare: in Reuulſione finis operantis eſt humorem ad originem auertere: ergo non ſumuntur
B ratione loci.

Tertiò, Ab eodem brachio poteſt fieri ſanguinis miſſio Euacuatoria in febre; Deriuatoria in angina, & Reuulſoria in iecoris inflammatione: ergo iſtæ differentiæ ſanguinis miſſionis non deſumuntur ratione loci, in quo fiunt.

§. II.

Sanguinis miſſionis adductæ Diuiſio recipitur.

REſoluendum, quòd adducta diuiſio ſanguinis miſſionis eſt optima, & à ratione loci deſumpta.

Probatur tota reſolutio ex Galeno *lib. 9. methodi*
C *c. 5.* vbi eam protulit his verbis: *Memineris verò mihi ad ea qua dicenda ſunt, quorum gratia vena ſectio petitur. Nam quoniam hac ſanguinis euacuandi gratia adhibetur: ſanguis autem vtilis natura eſt, vtique eam probè adminiſtrari conuenit, ſic vt, quod inutile natura ſit, emittas. Fit autem ſanguis natura inutilis bifariàm, vel cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius, ſicut prius, cum vtilis eſſet, nutrire poteſt: Vel ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias vel diſtendat, vel findat, vel obſtruat: atque in iis quidem miſſio ſanguinis vtilis eſt, ſeu vacuantium præſidiorum vna: in aliis ſeu quod humorum vehementiorum impetum ad diuerſam partem reuocet,*
D *vel ad propinqua deriuet, &c.* En Galenum diuidentem miſſionem ſanguinis in Euacuatoriam, & Reuulſoriam, adæquatè ſumpta diuerſitate ratione loci.

Probatur 2. quòd à loco deſumatur, ex Galeno *lib. 14. method.* dicente: *Quod autem in priapiſmo vomitoriis medicamentis potius quàm ſubducentibus ſit vtendum; in lingua vitio, contra; id ex partium ſitu indicari manifeſtum eſt. Nam auerſionis in contrarium non à ſubſtantia, ſed à curandi membri poſita inuentio præſtatur, &c.* ergo ex Gal. auertendi, aut euacuandi indicatio ſumitur à loco membri curandi.

Probatur 3. Eadem pars ex Auic. *fen.* 4.1. vbi agena de indicationibus, quæ ſumuntur à ſitu, idem docet dicens: *Nonnunquam etiam obſeruare locum & communionem ſimul ſummopere conducit, veluti ſi materia iam perfectè fluxerit ad membrum, quidnam agere conueniat; itémque vbi adhuc influit. Nam ſi materia adhuc in fluxu fuerit, eam à ſuo auertemus loco, &c.* ergo rationa loci, in quo continetur ſanguis, aut in quem fluit, diuerſæ iſtæ ſanguinis mittendi ſumuntur indicationes.

§. III.

Soluuntur rationes primò adducta.

AD primum reſpondetur, quod cum ſanguinis miſſio in ratione remedij ſit diuerſa, quatenus diuerſo modo indicatur ab humore in parte affecta contento, ab eo fluente, & ab eo ſimul fluenta & impacto in parte diuerſæ oriantur indicationes; altera euacuandi, altera reuellendi, altera ſimul euacuandi & reuellendi; hinc prouenit quod in aſſe remedij vnaquæque harum ſit diuerſa, & deriuatio, quæ vtraque perficitur, differat ab vnaquaqua reliquarum; qoia non complet niſi vnam tantum indicationem ipſa autem eomplet vtramque.

Ad 2. Reſpondetur, quòd dum huiuſmodi differentiæ ſanguinis miſſionis exercentur, ex parte Medici intentio eſt auertendi, euacuandi, aut deriuandi; ſed indicationes exercendi hanc, vel illam ſanguinis miſſionem euacuatoriam, deriuatoriam, aut reuulſoriam, deſumuntur à morbo pendente ex ſanguinis vitio, ſiue prout continetur in parte affecta, ſiue prout fluit in illam, vel prout vtrumque habet, & quia à loco, in quo continetur humor, ſumuntur indicationes ſpecificantes remedium, ideò à loco, & non à fine dicontur ſumi.

Ad 3. Reſpondetur, quòd probat argumentum, quod non ſumuntur ſimpliciter huiuſmodi differentiæ ſanguinis miſſionis ex loco, in quo exercentur; ſed ex loco humoris qui intenditur euacuari, deriuari, aut reuelli.

Resolvtio II.

A quo indicetur ſanguinis miſſio euacuatoria?

§. I.

Aliquorum Empiricorum affertur opinio.

EVacuare eſt repletum corpus à corpore replente vacuum facere. Hinc euacuationum variæ inſurgunt differentiæ, inter quas pro febrium curatione annumerat Galenus *lib. artis medicinalis, cap.* 89. ſanguinis miſſionem, clyſteres, euacuationé per lotium, per cutem; ſuperaddunt alij purgationem, & vomitum. Nos ſolùm pro nunc diſputamus da ſanguinis miſſione euacuatoria, à quo indicetur. Empirici, quibus ſubſcribunt ex Dogmaticis aliqui, contendunt, quòd ſanguinis miſſio euacuatoria indicatur ſolùm ratione plenitudinis, licèt de reuulſoria, & deriuatoria etiam fateantur poſſe indicari à motu. Illis fauet,

Primò; Euacuare eſt corpus repletum à replente corpore vacuum facera: ſed ratione plenitudinis replet ſanguis, qui petit euacuari per ſanguinis miſſionem euacuatoriam: ergo à plenitudine indicatur ſanguinis miſſio euacuatoria.

Secundò, Sanguinis miſſio euacuatoria, vel indicatur ratione pleuitudinis, vel ratione vitij in Quali, vel ratione vitij in motu; quia omnis ſanguinis

A miſſio petit indicari ab vno ex iis vitiis, vt *diſput. de ſanguinis miſſione* probauimus: ſed non indicatur à vitio in motu, quia ab hoc indicatur reuulſio; nec à vitio in Quali, quia ab hoc indicatur purgatio: ergo indicatur ratione plenitudinis.

Tertiò, ex Auicenna, *fen.* 4.1. *cap.* 20. Phlebotomia eſt euacuatio vniuerſalis, quæ multitudinem euacuat, ſed ſanguinis miſſio euacuatoria eſt phlebotomia: ergo indicatur ratione plenitudinis, quam euacuat.

§. II.

Placitum tenendum deciditur.

B RESoluendum quòd ſanguinis miſſio euacuatoria indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in Quãto, aut Quali prout eſt contentus in parte affecta, ſiua vitium ſit in Quanto, aut Quali.

Probatur ex doctrina à nobis tradita *diſp. de ſanguinis miſſione*, agentibus de ſanguinis miſſionis Indicante; vbi conſtat, quòd ſanguinis miſſio indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu: ſed ſanguinis miſſio euacuatoria non indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in motu, quia ab hoc indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria; nec indicatur a morbo magno pendente ex vitio ſanguinis ſimul in motu, & in parte affecta exiſtente: ergo ſolum indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in Quanto,

C to, aut Quali, prout continetur in parte affecta. Patet conſequentia, quia hæ differentiæ ſanguinis miſſionis, vt nuper probauimus ex Galeno, & Auicenna, ratione loci in quo continetur ſanguis, à quo prouenit morbus magnus, deſumunt differentiam.

Probatur 2. ex Galeno, qui *lib. artis medicinalis, lib.* 2. *ad Glauconem*; & *in libris methodi*, ſæpiſſimè hanc tradit doctrinam, docens ſanguinis miſſionem euacuatoriam debere fieri ex parte affecta: quod non alia ratione fit, niſi quia indicatur, prout ſanguinis miſſio eſt, à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, prout euacuatoria, ab illo prout in parte affecta contento.

Probatur 3. Euacuare eſt corpus repletum à replente corpore vacuum facere: ſed per ſanguinis

D miſſionem euacuatoriam intendimus euacuare: ergo illa in eſſe euacuatoriæ indicatur à ſanguine euacuando, vt partem euacuandam replente.

§. III.

Rationibus pro Empiricis adductis fit ſatis.

AD 1. Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio euacuatoria, prout ſanguinis miſſio genericè indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu; prout euacuatoria, ſumit differentiam à loco in quo ſanguis continetur: Et quia morbus magnus poteſt fieri ex vitio illius in Quanto, aut Quali; ideò ab illo vt contento in

E parte affecta indicatur, ſiue peccet in Quanto, ſiue in Quali.

Ad 2. Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio euacuatoria indicatur à morbo pendenta ex ſanguine contento in parte affecta, prout in illa fouet morbum ratione vitij in Quanto, aut in Quali. Non enim, vt probauimus *diſp. de purgandi ratione*, indicatur purgatio ratione vitij in Quali ſanguinis; ſed dum tale vitium eſt in alio humore diſtincto à ſanguina, & ſeparato ab illius commixtione.

Ad 3. Reſpondetur, quòd probauimus *diſp. de ſanguinis miſſione*, quòd ſanguinis miſſio non ſolùm eſt euacuatio

euacuatio indicata à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in Quanto, ſed etiam in Quali, & io motu, quam doctrinam colligere licet ex ipſo Auicenna, qui paucis interpoſitis ſuperaddit: *Vnuſquiſque phlebotomatur, vel propter multitudinem additam, aut propter ipſius malitiam, aut propter vtrumque.* A

Resolutio III.

A quo indicetur ſanguinis miſſio Deriuatoria?

§. I.

Quid Curtius, & quid Augenius opinantur. B

SAnguinis miſſio deriuatoria, inter reuulſoriam, & Euacuatoriam eſt media per participationem extremorum, & vtriuſque indicans illius complet indicatum. Matthæus Curtius tenet, quod à fluentibus humoribus antecedenter quàm reuulſio indicatur ipſa. Meritò tamen refellitur ab Horatio Augenio *lib. 2. de ſanguinis miſſione*: Ille tamen iudicat, quod indicatur non ab humoribus, qui tenaciter impacti ſunt in parte affecta, nec ab eis, qui impetu fluunt; ſed ab eis tantùm, qui leuiter mouentur: cuius opinioni fauet,

Primò Galenus, qui *lib. 2. ad Glauconem*, dicit Deriuationem deberi humoribus, qui iam obſederunt C membrum: ergo indicatur ab illis, non provt fluunt impetu, ſed provt obſident partem.

Secundò, non indicari ab eis, qui ſunt impacti, probatur: quia humores ſemel impacti non poſſunt euacuari per partem vicinam, ſed per eandem, in qua ſunt; ſed deriuatio fit per partem vicinam: ergo ſanguinis miſſio vt deriuatoria non indicatur ab humoribus vt impactis in parte affecta.

Tertiò, non indicari ab humoribus impetu fluentibus, probatur; quia impetuoſa humorum fluxio indicat contrarium motum ad ſuam originem: ſed ſanguinis miſſio deriuatoria non mouet ad originem fluxionis, ſed ad partem vicinam, ex qua petit fieri: ergo non indicatur ab humoribus impetu fluentibus. D

§. II.

Iuxta Galeni doctrinam deciditur reſolutio.

REſoluendum, quòd ſanguinis miſſio Deriuatoria indicatur, prout ſanguinis miſſio eſt, à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu; provt deriuatoria, à ſanguine vt contento in parte affecta, & vt ſimul fluore ad illam.

Probatur 1. ex Galeni doctrina, qui in *libris methodi*, in *lib. 2. de arte curatiua ad Glauconem*, in *lib. de ſanguinis miſſione*, *lib. de cucurbitulis*, & in *lib. artis medicinalis*, hanc doctrinam ſæpiſſimè repetit: & ſe- E quuntur Dogmatici de omni reuulſione debere exerceri, vt partim fluxam, partim fluentem auertat materiam.

Probatur 2. ſanguinis miſſio deriuatoria indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu; ſed non indicatur ab illo provt pendet à vitio ſanguinis, provt eſt in parte affecta contentus, quia ab hoc diximus indicari Euacuatoriam; nec provt eſt in motu, quia probauimus provt ſic, eſſe reuulſoriam: ergo indicatur ab illo ſecundum quod vitium habet provt ſimul eſt in motu, & in parte affecta: non enim reſtat alter modus, quo ſe poſſit habere indicans illius.

Probatur 3. Sanguinis miſſio Deriuatoria eſt media per participationem extremorum inter reuulſoriam, & euacuatoriam: ergo debet illius indicans eſſe medium per participationem extremorum indicantium illatum; ſed euacuatoriæ indicans eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis contenti io parte affecta: reuulſoriæ indicans eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in motu: ergo Deriuatoriæ indicans, eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis provt eſt in motu, & provt eſt in parte affecta.

§. III.

Soluuntur fundamenta pro Augenio adducta.

AD primum reſpondetur, quòd Galenus tantùm intendit docere quòd docuit vbique, quod deriuatio non indicatur à ſolo humore fluore, ſed deberi humoribus etiam, qui iam obſedêre membrum.

Ad 2. reſpondetur, quod humores in parte affecta contenti poſſunt euacuari vel per ipſam partem affectam, vt ſi apoſtema aperiatur; vel per partem vicinam habentem communicationem cum parte affecta, & hoc modo euacuationem intendimus, dum ſanguis mitti à parte affecta non poteſt: ſic à venis humeri, vel frontis euacuamus io capitis affectibus. Quod docuit Galenus *lib. de ſanguinis miſſione, cap.* 19. §. *Etenim incipientibus auertere, quod influit, expedit, in inueteratis autem ipſum tantum, quod affectæ parti infixum eſt euacuare. Euacuabitur porro id optimè per venas coniunctas cum iis, quæ in partibus ipſis ſunt ſita, &c.* Idem docuit *lib. 4. methodi, cap. 6. §. at ſi perpetuum eſt, quod ab eo didicimus incipientem fluxionem ad contrariam trahendam eſſe, fixam iam in laborante particula vacuandam eſſe, vel ab ipſa particula, qua affligitur, vel à maxime vicina, &c.*

Ad 3. reſpondetur, quòd motus à parte affecta ad originem poteſt eſſe duplex: alter à parte affecta ad partem extremam contrariam, & hic motus petit fieri per ſanguinis miſſionem reuulſoriam ſimpliciter; alter fit à parte affecta ad medietatem partis contrariæ, ſeu viæ ad originem; & hic motus intenditur per deriuatoriam ſanguinis miſſionem, quæ licèt ſit reuulſoria, non tamen ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Resolutio IV.

Vtrùm per ſe competat Deriuationi, quòd fiat à parte proximiori?

§. I.

Pars negatiua quibus poſſit fulciri.

SAntorius ſicco pede pertranſit per hanc difficultatem, quam ipſe mouet *lib. artis medicinalis*, vbi nec ſatis cordatè omnem deriuationem profert ſemper eſſe auerſionem; nam ſecundum quod euacuat à parte affecta, potius eſt ſemper euacuatio: quòd autem deriuationi non conueniat per ſe ex propinquiori parte fieri, ſuadet,

Primò Galenus, qui *lib. 2. ad Glauconem, cap.* 2. docet cucurbitulam mammis applicatam reuellere ab vtero, venam ſectam ex talo deriuare, ſed talus magis diſtat ab vtero, quàm mammæ: ergo deriuatio poteſt fieri à parte diſtantiori, quàm fit reuulſio.

Secundò, Idem Galenus *lib. 6. Epidem textu* 7. teni-

bus vitiatis, docet deriuate per aluum: ſed à cubito ſoler fieri reuulſio dum patitur iecur, à quo minus diſtat propter connexionem venarum:ergo poteſt à diſtantiori parte exerceri deriuatio,quàm reuulſio.

Tertiò,ſanguinis miſſio deriuatoria eſt reuulſoria, cùm indicetur etiam ab humore fluente:ſed reuulſoriæ competit per ſe quòd fiat ad partem diſtantiorem : ergo ſimiliter deriuatoriæ.

§. II.

Dogmaticorum communis præfertur doctrina.

RESoluendum, quòd ſanguinis miſſioni deriuatoriæ debetur, quòd fiat a parte proximiori eius, quæ afficitur : ſic tenent Dogmatici.

B Probatur ex Galeno *lib.4. methodi,cap.6.lib.de ſanguinis miſſione, cap 19. lib.9. methodi, cap.5. lib.2. ad Glauconem*, aliiſque quamplurimis ex locis, vbi hanc profitetur doctrinam.

Probatur 2. Sanguinis miſſio euacuatoria, deriuatoria & reuulſoria differunt ratione loci, à quo euacuant, ſeu auertunt ſanguinem, & ratione loci per quem euacuant, ſeu ad quem auertunt illum : ſed à parte affecta, ad diſtantiorem auertit reuulſio: ergo ſolùm per proximiorem fieri,debetur deriuationi.

Probatur 3. Sanguinis miſſio deriuatoria comprehendit reuulſionem, & euacuationem : ergo debet fieri à parte proximiori. Patet conſequentia : ſi fieret à diſtantiori,non poſſet eſſe euacuatoria;quia,vt probauimus, euacuatio vel debet fieri ab eadem parte, C vel à viciniori habente cum illa connexionem:ergo eo ipſo quòd per illam fiat euacuatio, debetur illi quòd fiat ſaltem per partem vicinam.

§. III.

Soluuntur Galeni authoritates, & fundamenta contraria.

AD 1. Reſpondetur, quòd ſemper debetur deriuationi,quòd fiat à parte vicina : contingit autem,quòd ab illa fieri non poſſit,quia non eſt locus aptus in ea vt poſſit exerceri : ideò dum patitur vterus, docet Galenus deriuare per venam ex talo ſectam ; quia in inguinibus non poteſt ſecari,quæ eſt D pars proximior, ex qua deberet fieri.

Ad 2. Reſpondetur, quòd licèt, vt diximus, debeatur deriuationi quòd fiat à parte vicina, contingit ſæpè quòd ex illa non fiat propter aliud impedimentum : quia ſcilicet per ipſam poſſet fieri maior attractio ad partem affectam : & ideò Galenus renibus laborantibus non deriuat per partem proximiorem,quia non attrahat,ſed per aliam,per quam licèt ſit remotior, non poſſit fieri attractio.

Ad 3. Reſpondetur,quòd ſanguinis miſſio deriuatoria etiam eſt reuulſoria ſecundum quid, non ſimpliciter ; & ideò non petit fieri à parte omninò contraria, ſed ſecundum quid contraria,& media.

E

RESOLVTIO V.

Quid, & quotuplex ſit Reuulſio?

§. I.

Reuulſionis aperitur natura.

RESoluendum 1. quòd Reuulſio eſt auerſio humorum, vel in partem omninò contrariam, vel in vicinam : ſic deducit Galenus ex Hippocrate *lib. 4. methodi. cap. 6.§. cuius etiam ipſius rei diſcrimen* A *in libro de ſuccis, nos docuit, auertere nos iubens ad contraria, deriuare ad latera ; quin etiam cùm maximè fluit, tum ad diuerſa reuellere, dictum verò & de hoc in eo libro eſt : quare nunc quoque ſi etiam nunc fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria ſtudebis.* Tum lib.5. methodi cap. 3. §. *reuulſio verò in iis quæ ſupra ſunt omnibus, deorſum ſemper agitur, ſursùm in iis, quæ ſunt infrà : Præterea à dextris ad ſiniſtra, ſicut ab iis rurſus ad illa. Similiter ex iis quæ intus habentur ad ea quæ foris ſunt, contraque ab his ad illa.* Tum lib de ſanguinis miſſione, cap. 19. §. *Porro vt ſummatim dicam, incipientes phlegmones reuulſu euacuare.* Tum lib.9. methodi, cap.5. §. *Cum quod humorum vehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocat.* Tum ſimiliter confirmat *lib. de hirudinibus, cap.2. lib.6.* B *Epidem. textu 12.lib.5.aphoriſmorum*, aliiſque quamplurimis in locis, & tenet communis Dogmaticorum aſſenſus.

§. II.

Prima proponitur reuulſionis diuiſio.

RESoluendum 2. quòd reuulſio alia eſt ſimpliciter talis,quæ petit fieri ex parte omnino contraria ei,quæ afficitur ; alia ſecundum quid talis, quæ petit fieri ex parte ſecundum quid contraria ei, quæ afficitur. Sic protulit Horatius Augenius *lib.7. de ſanguinis miſſione*,& deducitur ex doctrina Galeni.

Probatur 1. ex Galeno *lib.2. ad Glauconem, cap.2.* C *§. ſemper enim fluxionis motum ad contrarium trahere expedit, &c.* ſed per fluxionis motum indicatur reuulſio, vt ſtatim probabimus : ergo ſemper quod trahitur humor in contrarium eſt reuulſio. Tum ſic: ſed parti affectæ eſt ſecundum quid contraria pars media, quæ è directo ei opponitur, & eſt ſimpliciter contraria pars extremè oppoſita : ergo duplex datur reuulſio, alia ſecundum quid, quæ reuellit ad partem mediam oppoſitam,ſiue contrariam:alia ſimpliciter talis, quæ auertit ad partem extremè contrariam.

Probatur 2. Tum ex Galeno *lib. de ſanguinis miſſione,cap.19.* vbi docuit incipientibus phlegmonibus *reuulſu euacuari oportere :* & ſuperaddit, *Quocirca ea, quæ in gutture,& arteria, graui torquentur inflamma-* D *tione in principio ſecta vena in cubito ; poſt principium, ſub ipſa lingua magnificè prodeſt. &c.* Ex quo apparet, quòd docet à brachio auertere, ſed reſpectu iecoris, quod eſt origo fluxionis,debet fieri ex pede reuulſio: ergo duplicem debemus ex illius doctrina admittere reuulſionem, aliam ſimpliciter talem ex pede : aliam ſecundum quid talem in brachio in caſu poſito.

Probatur 3. Deriuatio includit formaliter reuulſionem; aliàs non diſtingueretur ab euacuatione:ſed quam includit,non eſt reuulſio ſimpliciter,aliàs non includeret euacuationem : ergo includit reuulſionem ſecundum quid dictam,ſeu non abſolutam ; ſed præter hanc datur reuulſio ſimpliciter talis, quæ fieri petit à parte extremè oppoſita : ergo duplex datur E reuulſio.

Probatur 4. Si vtraque reuulſio ex dictis eſſet eadem,ab vtraque indicaretur euacuatio ab eademmet parte : ſed ab ea, quæ eſt ſecundum quid, indicatur ſanguinis miſſio à parte propinqua ; ab ea quæ eſt ſimpliciter talis à parte diſtantiori : ergo duplex datur reuulſio modo dicto.

Resolvtio VI.

A quo indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria ſimpliciter talis?

§. I.

Curtij, Augenij, Sanctorij, & aliorum proponitur opinio.

REuulſio ſanguinis miſſione, purgatione, cucurbitulis, frictionibus, ſcarificationibus, aliiſque quampluri mis perficitur auxilijs: de ea, quæ fit venæ B ſectione agere noſtri eſt inſtituti: eius, quæ ſecundum quid eſt talis, quæque Deriuatio ſolet vocari, indicans propoſuimus: Reuulſoriæ ſimpliciter ſic dictæ determinandum reſtat indicans. Diſcordes ſunt Auctores Iuniores. Curtius indicans reuulſionis idem eſſe ac indicans deriuationis contendit, ipſas inter ſe confundens. Augenius à fluentibus humoribus iudicat indicari ſanguinis miſſionem reuulſoriam, & etiam ab eis, qui ſunt quieti, ſi aliàs ſolent moueri. Alij tenent, quòd ſolum indicitur ab humoribus impetu fluentibus. Sanctorius *lib. 14. de vitandis erroribus, c. 3. & lib. artis Medicinalis q. 5 t 2.* reuulſionem indicari iudicat non ſolum ab humoribus actu fluentibus, ſed etiam ab humoribus iam fluxis, & ab humoribus fluxuris: his fultus.

C Primò, Galeni auctoritatibus, Tum 1. *lib. 6. Epidem. ſect. 2. commento 1.* vbi in principio morborum conſulit reuulſionem fieri: in principio autem omnia quieta ſunt. Tum 2. *lib. 13. methodi, cap. 11.* gloriatur ſanaſſe inflammationem oculorum vno die facta euacuatione humorum, qui fluebant, & qui erant in ventriculo quieti. Tum 3. quia reuulſio dicitur, quæ debetur humoribus fluentibus, quod de fluentibus in potentia debet intelligi, quia doctrinales propoſitiones, & diffinitiones non explicant actum, ſed aptitudinem: ergo ab humoribus quietis aptis moueri indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Secundò, ab humoribus iam fluxis indicari ſuadet, tum 1. quia fluxi in partem ſicut poſſunt auerti D deriuatione, poterunt auerti reuulſione. Tum 1. quia Hipp. *lib. 2. de ratione victus, textu* 10. in pleuritide conſulit ſanguinis miſſionem, donec ſanguis liuidus appareat, qui ideò redditur talis, quia erat contentus in parte affecta. Tum 3. Galenus *lib. de ratione victus, textu* 30. in angina, ceruici circumpoſita remedia docet reuellere humorem, qui fluxit in partem anteriorem. Tum 4. Idem *lib. 13. methodi, cap. 11.* iecore inflammato, ſecta vena cubiti reuellendum docet. Tum 5. *lib. 5. methodi, cap. 14.* in catharro, ſupra commiſſuram coronalem ponit thapſiam, vt reuellat, trahendo humorem contentum in capite. Tum 6. Galenus *lib. 3. de locis cap. 6.* puero patienti morbum comitialem per conſenſum à pede, in ipſo thapſiam applicat, vt contentum in parte euacuet. Tum E 7. materia confluens, & quæ confluxit ad ventriculum euacuatur ſolutiuo pharmaco, vt reuellamus: ergo ab humoribus fluxis in parte indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Tertiò, Idem ſuadet ratio; Humores fluentes per reuulſionem, retrahuntur à parte, per quam mouebantur in partem affectam: ſed motus retractionis non poteſt fieri, quin humor, qui priùs ferebatur in partem affectam, quieſcat in via, & ab illa quiete tanquam termino à quo incipiat motus retractionis eorum in ſuam originem: ergo neceſſariò debet in- A dicari reuulſoria ſanguinis miſſio à ſanguine fluxo & quieſcente in parte.

§. II.

Ex Galeno deducitur reſolutio.

REſoluendum, quòd ſanguinis miſſio reuulſoria indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis fluentis; non autem prout fluxit.

Probatur 1. ex Galeno, qui ſæpiſſimè eam docuit: Tum *lib. de ſanguinis miſſione, cap. 19. §. incipientes phlegmones reuulſu euacuare oportet; quæ verò inueterata iam ſunt, ex ipſis, ſi fieri poteſt, affectis particulis; quod ſi nequeas ſaltem, ex vicinis: etenim incipientibus auertere quod incipit, expedit; inueteratis au-* B *tem, ipſum tantum, quod affecta parti infixum eſt, euacuare; euacuabitur id porro optime per venas coniunctas cum iis quæ partibus ipſis ſunt ſitæ.* Tum *lib. 2. ad Glauconem cap. 2. §. fluentium agitur adhuc humorum Antiſpaſis, id eſt retractio; ſic enim Hippocrates nominat: eis autem, qui partem iam obſederunt Parochleteuſis, id eſt deriuatio, medela eſt.* Tum *lib. de hirudinibus, §. vehementes humorum fluxiones reuulſione cohibendæ ſunt, ne nimium conferta alioquin prorumpant.* Tum *lib. 9. methodi, capit. 5. §. ſin quod humorum vehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocet, &c.* Tum *lib. 4. Methodi, cap. 6. §. Ac ſi perpetuum eſt quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahen-* C *dam eſſe; fixam verò iam in laborante particula vacuandam eſſe, vel ab ipſa particula, quæ afficitur, vel à maximè vicina.* Ex quibus apparet Galenum in ea perſiſtere opinione, vt determinetur ſanguinis miſſio reuulſoria penes humorum vitium prout in motu; nunquam autem prout iam ſunt fluxi, & quieti in parte.

Probatur 2. Ex determinatis antecedenter iuxta Galeni doctrinam, vbi conſtat, quòd ſanguinis miſſio euacuatoria, deriuatoria & reuulſoria differunt, non quatenus indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, quia hoc eſt omnibus genericum indicans; ſed prout ſpecificantur ratione loci, in quo morbum fouet, & à quo petit euacuari, aut auerti: ſed eua- D cuatoria ſanguinis miſſio determinatur, quia pendet morbus à vitio ſanguinis in parte affecta contenti, & petit euacuari ab illa; Deriuatio à vitio ſanguinis, prout fouet morbum, partim vt in motu, partim vt in parte contentum; & prout ſic petit ex vicina parte fieri: ergo ſanguinis miſſio reuulſoria ſolum reſtat, quòd indicetur à morbo magno, prout pendet ex vitio ſanguinis in motu, & prout petit in contrariam partem auerti. Patet conſequentia, quia ratione loci nulla eſt alia differentia, ex qua poſſit ſumi ſpecificatio ſanguinis miſſionis reuulſoriæ.

Probatur 3. ſanguinis miſſio euacuatoria indicatur per ſe à morbo magno pendente ex vitio ſan- E guinis prout fluxit, & continetur in parte affecta: ergo reuulſoria non poteſt ab eodem indicari: patet conſequentia: alias nec indicans, nec indicatum differrent. Dices, quod etiam deriuatio indicatur per ſe ab vtroque: contra, ergo ſaltem indicans deriuatoriæ ſanguinis miſſionis, & reuulſoriæ non differunt, & conſequenter ſanguinis miſſio deriuatoria, & reuulſoria ſunt vna eademque ſpecie.

Probatur 4. Sanguinis miſſio reuulſoria dicitur talis reſpectu eorum humorũ, quos poteſt iterum ad contrariam partẽ trahere, ſed contentos humores in

parte affecta non poteſt ad contrariam trahere, nec euacuare: ergo ab illis, qui ſunt in motu, non autem ab eis, qui iam fluxerunt indicatur. Probatur minor: illi humores nec euacuantur per ſanguinis miſſionem, nec ab illa auertuntur, niſi dum ſanguinis miſſio fit à parte affecta, vel ab illius vicina, quæ communicat cum parte affecta, per vaſa, per quæ poſſunt humores trahi; ſed reuulſio petit à parte contraria, & diſtantiori fieri, & cum qua nulla eſt talis vaſorum communicatio, vt fiat retroceſſus; aliàs eſſet deriuatio, cui hoc per ſe competit, vt ex Galeni citati doctrina apparet: ergo non poteſt in contrarium trahere humores contentos in parte affecta.

§. III.

Quid de humoribus aptis moueri dicendum.

Reſoluendum 2. quòd reuulſio non ſolùm indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, prout in motu; ſed prout aptus eſt moueri. Aſſentimur Sanctorio, & Augenio in hac parte, qui ante illum hanc protulit doctrinam *lib. 7. de ſanguinis miſſione.*

Probatur 1. quia, vt *diſp. de ſanguinis miſſione,* agentes de indicante ſanguinis miſſionis probauimus ex Galeno, ſanguinis miſſio, dato indicante, non ſolùm indicatur à morbo actu exiſtente, ſed ab illo, qui in potentia eſt, vt ſuperueniat ex vitio ſanguinis, ergo ſi detur vitiũ ſanguinis, quo proximè eſt aptus, vt cauſet morbum magnum prout in motu, ab illo indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria. Patet conſequentia, quia ſicut ſe habet indicans ſanguinis miſſionis in communi, ad indicandum ſanguinis miſſionem in communi, ſic ſe habet particulare indicans ſanguinis miſſionis reuulſoriæ, ad indicandam ſanguinis miſſionem reuulſoriam.

Probatur 2. fundamentis Sanctorij pro hac firmanda parte adductis & à nobis eius primo fundamento recenſitis.

Probatur 3. ex communi praxi. ſi enim ex ſuppreſſis menſtruis, lochiis, aut fluxu hæmorrhoidali, timeatur raptus ad caput, morbúſve, qui partem ſuperiorem aggrediatur, nullus eſt, qui ſanguinem ex pede non mittat, ſumpta indicatione ex vitio ſanguinis apti moueri: ergo à vitio ſanguinis vt apti moueri, indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

§. IV.

Soluuntur fundamenta Sanctorij.

Ad 1. quod probat doctrinam §. 3. pro ea parte, quæ aduerſus doctrinam §. 2. poteſt pugnare; Reſpondetur tum primò, quòd in principiis, dum conſulit Galenus reuulſionem, ipſa indicatur à vitio ſanguinis, vel prout in motu, vel prout in aptitudine proxima ad illum: Tum ſecundò, quòd vno die ſanauit Galenus inflammationem reuulſione indicata ab humoribus fluentibus, ſi autem euacuati ſunt humores in ventriculo quieti, hoc fuit per accidens, quia facta eſt euacuatio per eam partem, tanquam per locum accommodatum, ad auertendum illud, quod fluebat; & ſolutiuum pharmacum ſimul ducit, quod in illis viis ſimul adinuenit: Tum tertiò, quòd doctrina hæc traditur de vitio ſanguinis prout in motu, vel in aptitudine ad illum, & prout habet aptitudinem cauſandi morbum magnum indicantem prout ſic reuulſoriam ſanguinis miſſionem.

Ad 2. quod è directo opponitur Galeni doctrinæ, Reſpondetur, Tum primò, quòd deriuatio poteſt euacuare à parte affecta, quia fit in parte proximiori habente communicationem in venis cum parte affecta, per quas euacuat quod in illa continetur; reuulſio autem fit à parte diſtantiore: quæ licèt habeat venas communes, per quas auertitur, quod fluit in partem; non tamen habet communicationem cum illa requiſitam, vt poſſit euacuari, quod continetur in parte affecta: Tum ſecundò, quòd Hippocrates loquitur de reuulſione ſecundum quid, ſeu deriuatione, quæ petit fieri à parte vicina: Tum tertiò quòd in eodem ſenſu intelligendus Galenus, dum dicet, quòd medicamenta ceruici circumappoſita reuellunt in angina: Tum quartò, quòd Galenus iecore inflammato reuellit, ſanguinẽ mittendo ex brachio, non vt ſanguinis miſſione reuulſoria euacuet contentum in iecore ſanguinem; ſed vt auertit contentum in venis, qui ratione inflammationis mouetur ad iecur: Tum quintò, quòd Galenus intendit reuulſionem humorum, qui in capite contenti ſunt, apti proximè vt moueantur in pectus: Tum ſextò, quòd fit reuulſio à pede euacuando materiam, ex qua apta eſt eleuari aura, quæ caput petens valet epilepſiam cauſare: non enim materia illa fluxa, ſed vt fluxura indicatur: Tum ſeptimò, quòd dum fit purgatio ad euacuandum quod confluit ad ventriculum, illa eſt euacuatoria: ordinatur enim ad euacuandum, quod in ventriculo & partibus vicinis communicantibus cum illo continetur.

Ad 3. Reſpondetur, quòd argumentum non probat, quod per reuulſionem trahatur, quod continetur & quieſcit in parte affecta; ſed quod eſt in motu ad illam, quod vt refluat debet quieſcere in via, non autem in parte affecta, ad quam nondum peruenit; & ideò non poteſt dici humor iam fluxus ad illam, ſed fluens.

Resolutio VII.

Vtrùm ſanguinis miſſio reuulſoria ex ſe petat fieri à parte diſtantiori?

§. I.

Curtij, Sanctorij, Fuſchſij & aliorum referuntur opiniones.

Diſputatione *de ſanguinis miſſione*, hanc doctrinam in examen adduximus: iterũ eam, in eundem adducam; conducit enim non parum pro reſolutione eorum, quæ infra ſunt diſputanda. Diximus de reuulſione, quod eſt auerſio in contrariam partem, ei quę afficitur; ſed an in diſtantiorem contrariam, nondum inter Iuniores eſt determinatum. Curtius *lib. de ſanguine mittendo in pleuritide*, Manardus, Acharicas, & Fuchſius, ſi affectus eſt leuis, ſeu chronicus, ſeu dum præſeruare contendimus, tenent, quod à parte propinqua petit fieri reuulſio Briſotus *lib. apologetico de pleuritide*, dicit in principio reuellendum eſſe per proxima; in fine per remota. Sanctorius *lib. 14. de vitandis erroribus, c. 6.* dum corpus eſt plethoricum, reuulſionem debere fieri per diſtantiorem contendit: at verò *in comment. ad artem Medicinalem, quæſt. 107.* aſſerit, quòd reuulſioni non debetur per ſe quod fiat à parte diſtantiori, licèt hoc illi plerumque accidat, quia redundantia excrementorum cogit, ne trahatur in partem affectam, vt fiat reuulſio in diſtantiorem: cuius hæc ſunt fundamenta.

Primò, ex Galeni doctrina, Tum primò, *lib. 2. de ratione victus, textu 10. §. Si in pleuritide extenditur dolor ad iugulum, vena in cubito ſecanda eſt,*

quæ ſanguinem ab affectu parte, & magis velociùs reuellere, & euacuare poſſit. Tum 2 lib.5. methodi, capite 14. §. *Ceratum ex thapſia applicuis futuræ coronali, vt reuellas pituitam deſcendentem in pectus.* Tum 3 *lib.3. de locis affectis, cap.7.* digitum vrit in pede, à quo aura eleuatur cauſans epilepſiam. Tum 4. Hipp. *lib.6. epidem. ſect.2. textu 3.* §. *In oculorum fluxu, in fauces reuellere oportet.* Tum 5 Galen. *in comment.* idem confirmat §. *Hoc vnum eſt reuellentium genus, vt diuturnas oculorum fluxiones ad fauces reuellamus acribus medicamentis*: ergo ex Hippocratis & Galen. doctrina, communique eorum praxi reuulſio è proximioribus partibus poteſt exerceri.

Secundò, Omnis curatio petit velociter fieri: debet enim ex Aſclepiadis opinione fieri citò, tutò, & B ſecurè: ſed per euacuationem factam circa partem patientem fit citius humorum reuulſio: ergo ſanguinis miſſio reuulſoria debet fieri ex parte vicina partis affectæ.

Tertiò, Curatio Iſchiadis, quæ ratione humoris fluentis debet exerceri, per reuulſionem, fit appoſitis veſicatoriis ſupra partem affectam: ergo reuulſio ex ſe non petit fieri à parte diſtantiori.

§. II.

Galeni aſſentimur vera doctrinæ.

RESoluendum, quòd ex ſe petit reuulſio fieri à parte contraria diſtantiori, ſecundum eam diſtantiam, per quam illam intendimus. Huic opinioni aſſentitur Augenius, & communior Dogmaticorum pars. C

Probatur 1. & fulcitur ex plurimis Galeni locis, in quibus ipſam docuit; Tum 1. *lib. artis Medicinalis circa finem* §. *At attrahendi ex omni loco ad oppoſitas partes communis indicatio eſt, ad quammaximè diſtantia, deriuatio ad vicina.* Tum lib.5. methodi, cap.3. §. *Nam hæc quoque Hippocratis inuenta ſunt, omnis ſcilicet immodicæ euacuationis communia remedia, deriuatio ad vicinum locum fit, cùm id, quod per palatum euacuatur, per nares deriuatur: reuulſio verò ad contraria, cùm ad inferna reuellitur.* Tum paucis interpoſitis, §. *Reuulſio vero in iis, quæ ſuprà ſunt omnibus, deorſum ſemper agitur; ſursùm, in iis, quæ ſunt infrà: præterea à dextris ad ſiniſtra* Tum paulò infra, §. *Igitur ſi in pedes & crura deſcendere fluxionem ſenſerimus, ex cubiti venis ſanguinem mittimus.* Tum *lib. 24. methodi, in commentario ad Hippocratem, lib. de humoribus* idem D confirmat. Aſſentitur Paulus *lib.6.c.4* Aetius *ſermone 4. tetrabili 2. c.68.* Oribaſius *lib. de hirudinibus*, quibus ſubſcribit practicantium communis vſus.

Probatur 2. de ſanguinis miſſione reuulſoria, quæ noſtri inſtituti eſt: ſanguinis miſſio in euacuatoriam, deriuatoriam, & reuulſoriam partitur, ſumpta indicatione loci, à quo humor debet euacuari, aut à quo debet auerti; ſed ſanguinis miſſioni euacuatoriæ per ſe conuenit quod euacuet à parte affecta; deriuatoriæ, quod fiat à parte vicina, vt ſimul euacuet ab affecta parte, & auertat quod fluit: ergo reuulſoriæ per ſe competit, quod auertat ad diſtantiorem, & fiat in illa; aliàs non eſſet ratione loci vnde E ſumerentur ſpecificæ differentiæ in triplici hac ſpecie diuerſa ſanguinis miſſione.

Probatur 3. Per ſanguinis miſſionem reuulſoriam intendimus auertere humores impetu ruentes in aliquam partem, & nondum in illa firmatos, vt ex Galeni adductis teſtimoniis manet comprobatum: ergo debemus eos auertere in partem, ex qua ſecuri ſimus, ne iterum refluant ad partem affectam: ſed facta ſanguinis miſſione reuulſoria in parte diſtantiori, ſe-A curiùs id conſequimur: ergo reuulſoria ſanguinis miſſio ex ſe petit fieri ex diſtantiori parte.

§. III.

Sanctorij fundamenta ſoluuntur.

AD 1. Reſpondetur. Tum 1. quòd Galenus in brachio ſecat venam deriuationis cauſa, & ideò dicit, quod reuulſionis, & euacuationis cauſa fiat. Tum 2. quòd thapſia capiti appoſita ad reuellendum, quod ad pectus deſcendit, fit à parte diſtantiori contraria ei, quæ afficitur; cùm in eius contrarietate nulla alia valeat diſtantior reperiri. Tum 3. quòd thapſia pedi appoſita reuulſorium eſt remedium, & B diſtantiſſimum reſpectu capitis, quod per conſenſum ab illo patitur, & à quo intendimus reuellere: Tum 4. quòd Hippocrates loquitur de deriuatione, quæ eſt etiam reuulſio ſecundum quid, quæ petit fieri ex parte vicina, & in eodem ſenſu loquitur Galenus de reuulſione.

Ad 2. Reſpondetur, quòd Aſclepiades non ſolùm docet, quòd citiùs fiat curatio; ſed citò, tutò, & ſecurè, & quia ſi ſanguinis miſſio in principio fieret fluxionis, à parte vicina magis attraheret, & non eſſet ſecura, nec tuta curatio; & ideò à parte diſtantiori auertere intendimus. Aut ſi v.g. ex menſtruis retentis, ſuperueniat inflammatio, aut eryſipelas in facie, à pede ſanguine miſſo ſecurior fit reuulſio, detrahendo, licèt longiori tempore, in partem diſtan-C tem, quàm attrahendo ad vicinam ob celerem euacuationem.

Ad 3. Reſpondetur, quòd veſicatoria in parte affecta applicantur ad euacuandum contentum in parte affecta, non ad reuellendum, quod fluit ab illa.

Resolvtio VIII.

Vtrùm ſanguinis miſſioni reuulſoriæ per ſe competat, quòd ſit auerſio ad originem?

§. I.

D *Curtij opinio proponitur: Galeni fundamentis fulcitur.*

DEcreuimus, quòd ſi fiat ſanguinis miſſio reuulſoria, hæc ad diſtantiorem partem auertere habet; ſed an ſemper hæc auerſio debeat fieri ad originem? diſputant Moderniores. Curtius, per ſe habere, quòd ad originem auertat, indicat, fultus Galeni authoritatibus. Tum 1. *lib. 1. ad Glauconem, cap. 14.* §. *In aduerſum trahere oportet, aut ad communia membris patientibus, aut ad ea, in quibus eſt fluxionis origo.* Tum 2. *lib.2. ad Glauc. cap.2.* vbi in cruris inflammatione ſecari iubet venam brachij eiuſdem lateris. Tum 3. *lib.4. methodi, c.14.* Ceratum ex thapſia ponit ad reuellendum in ſutura coronali: E ergo quia ex ſe ſanguinis miſſio reuulſoria petit fieri ad originem.

§. II.

Communior ſancitur opinio.

REſoluendum quòd reuulſoria ſanguinis miſſio vt plurimum petit fieri ad originem.

Probatur 1. authoritatibus Galeni pro Curtij opinione adductis.

Probatur 2. eo ipſo pars affecta patitur in fluxionibus, quia habet partem mandantem mittentem ad

illam

illam humorem,quem à ſe pellit : ergo eo ipſo quòd ille humor auertatur ad partem illam mandantem, quæ eſt fluxiunis origo, liberabitur à fluxione pars affecta :ergo reuulſioni præcipuè,& vt in plurimum competit quòd ſit auerſio ad originem.

Probatur 3.Vt ceſſet affectus,exigitur,quòd ceſſet cauſa : ſed ex auerſione humoris ad originem ceſſat cauſa mittens humorem, cùm impediatur per motum, quo ad originem auertitur : ergo vt in plurimum per reuerſionem ad originem fieri petit.

§. III.

Sanctorij ſancitur opinio.

Reſoluendum 2.quòd reuellere ad originem non eſt eſſentiale reuulſioni. Sic Sanctorius *lib. de vitandis erroribus,lib. in artem Medicinalem,* & tenet Augenius *lib.7 de ſanguinis miſſione.*

Probatur 1.ex Galeno. Tum primò, *l. 1. ad Glauc. cap. 2. §. in aduerſum trahere oportet aut ad communia membris patientibus, aut in ea, in quibus eſt fluxionum origo,&c.* En quatenus tractionem in originem, & in alias partes docet. Tum *lib. 5. methodi, cap. 3. §. reuulſio verò in iis quæ ſupra ſunt omnibus, deorſum ſemper agitur: ſurſum in iis quæ ſunt infra. Præterea à dexteris ad ſiniſtra; ſicut ab iis rurſus ad illa : ſimiliter ex iis, quæ intus habentur ad ea,quæ foris ſunt ; contraque ab iis ad illa.* En qualiter docet Galenus non ſolum ad originem, ſed verſus omnem differentiam poſitionis partis affectæ reuulſoriam fieri auerſionem. Tum Hipp. *lib. 5. aphoriſm.* 68. ſecta vena frontis partem poſteriorem capitis affectam curari docet : frons autem non eſt fluxionis origo : ergo non eſt eſſentiale ſanguinis miſſioni reuulſoriæ,quòd fiat ad originem fluxionis,

Probatur 2. Poteſt origo fluxionis eſſe in parte, quæ ratione doloris phlegmonis, aut nimij caloris impediat tractionem ad ſe, aut ſi iecur calorem, inflammationem,aut phlogoſim patiatur,vel alia pars, quæ ſit origo fluxionis : ſed tunc ad ipſam non eſt reuellendum,nec ad aliam quamcumque partem,quæ ſit fluxionis origo : ergo non eſt eſſentiale reuulſoriæ euacuationi, quòd ſit auerſio ad originem fluxionis. Probatur minor ex Galen. *lib. 11. methodi, cap.6. §. Illud enim patere, vel me tacente, arbitror, ei, cui crura phlegmone laborant, non eſſe vel ambulatione, vel curſu exercitandum; ſed nec ſtare eſſe iubendum, imò ſedenti plurimùm fricari, mox manuum motu excitari illi eſt ſatius. At ſi cui in ſupernis partibus cœperit pars aliqua phlegmone tentari, huic motus ex inambulatione, aut curſu eſt ſalutaris. Similiter & frictio,ex his quidem ea potior eſt, quæ cruribus adhibetur illis, quæ in ſupernis partibus adminiſtrantur : quippe præceptum in contrarium reuulſionis in omnibus iis commune eſt Neque igitur cùm vel circa ſedem; vel aliquã huic vicinam partem initium phlegmonis incidit,aluum deiicies,neque cùm in veſica,vel cole,vel renibus eſt, cœpta pharmaca,quæ vrinas prouocent,bibenda dabis. Nec ſi mulieri in vtero,vel in pudendo inſedit, menſes huic prouocabis; ſed ad partes,quæ maximè longinqua ſunt, ſemper reuulſionem facies; æſtimata tum phlegmonis magnitudine, tum corporis iſtius ſtatu.* Ergo ſi fluxionis origo ſit in aliqua parte,ad quam ne augeatur fluxio, dolor, aut phlegmon reuellere non oportet, ad originem reuellendum non eſt.

Probatur 3. per reuulſionem id intendimus, vt auertamus à parte affecta humorem ad ipſam fluentem,ipſum auertendo verſus quamcumque differentiam poſitionis, per quam poſſit impediri decubitus fluentis humoris in partem, ſed non verſus quam-

A eumque differentiam poſitionis fit auerſio ad originem,vt patet : ergo non eſt eſſentiale omni deriuatoriæ euacuationi quòd fiat verſus originem.

§. IV.

Soluuntur Curtij ex Galeno adducta fundamenta.

Ad fundamenta ex Hippocr. deducta *lib.6. epidem. comment. 2. textu* 12. *&* 15. cui ſubſcribit Galenus *lib. 3 de criſibus cap.* 3. Reſpondetur Tum 1. quòd Galenus, vt in probationibus diximus, non ſolùm ad originem, ſed *ad communia membris patientibus*, id eſt ad alias partes membris patientibus communes. Tum 2.& 3.quòd nos docet commodum
B plerumque eſſe ad originem fluxionis trahere; non autem quòd hoc ſit illi per ſe neceſſarium.

Resolvtio IX.

Vtrùm Reuulſio petat fieri ſecundum rectitudinem.

§. I.

Curtij, Fernelij, & Briſoti refertur opinio.

Rectitudinem obſeruandam eſſe in Reuulſioni-
C bus,primus omnium ſanciuit Hippocrates *lib. 6. epidem. comm. 2. textu* 11. *& textu* 15. cui ſubſcribit Galenus *lib. 3. de criſibus cap. 3.* experientia conuictus quà adinuenit ſanguinis miſſionem per rectitudinem factam ad reuellendum iuuare : non autem eam,quæ ſine directione fit. Sed diſcrimem inter Moderniores eſt, an ſolùm ſecundum partes ſuperiores & inferiores debeat intelligi rectitudo? Petrus Briſotus *lib apologetico, de pleuritide*, Ioannes Fernelius *lib 2. methodi, cap. 5.* Curtius *lib. de ſanguine mittendo in pleuritide*, rectitudinem ſolum debere intelligi ſecundum partes ſuperiores & inferiores iudicant. Argenterius inter partes ſupernas & infernas tenet perfectiſſimam rectitudinem ſeruari; inter reliquas, imperfectam : ſed quæ ſit ratio fundamentalis, non-
D dum inter ipſos conſtat; licèt ſuadere intendant hanc opinionem : Tum primò, quia melius fit ratione rectitudinis ſanguinis miſſio, cùm ſanguis fluat ratione fibrarum rectarum. Tum ſecundò quia venæ ſurſum & deorſum feruntur per exortum à iecore: ergo auerſio ſurſum & deorſum debet fieri ratione rectitudinis. Tum tertiò, humores tenues ratione leuitatis ſurſum meliùs feruntur, humores graues meliùs trahuntur deorſum : ergo ſi ſanguinis miſſioni reuulſoriæ conuenit rectitudo, hæc debet fieri ſecundum partes ſuperiores & inferiores.

§. II.

Communis opinio ex Sanctorio,& Augenio
E *præfertur.*

Reſoluendum, quòd verſus omnes poſitionis differentias ſeruanda eſt rectitudo. Sic tenet Augenius *lib.7. de ſanguinis miſſione.* Sanctorius *in lib. artis Medicinalis, q.* 108. *& lib.* 14. *de vitandis erroribus, cap.* 9. his fultus fundamentis.

Probatur, Tum primò, Ex Auicen. qui de pſoris & lepra agens purgationem conſulit, quæ ab externis ad interna reuellit. Tum Galenus *lib. artis Medica, cap. 94. §. Attrahendi ex omni loco ad oppoſitas partes communis indicatio eſt.* Ex quo apparet verſus

omnem

omnem poſitionis differentiam eſſe rectitodinem **A** ad attrahendum. Tum 3. *lib.* 5 *methodi cap.* 3. docet reuulſionem fieri ab infernis ad ſupernas; à ſupernis ad infernas; ab interioribus ad exteriores; ab exterioribus ad interiores; à dextris ad ſiniſtras partes: & è contra: nam circa quaſlibet has differentias, vt apparet, datur rectitudo contrarietatis. Tum 4. *libro* 3. *de fracturis*, è regione ſiue contrarietate docet reuulſionem fieri: contrarietas autem eſt verſus quamcumque oppoſitionem poſitionis. Tum 5. *lib.* 4. *meth. cap.* 6. idem fatetur §. *Aduerſatur ei, quod ſupra eſt, id quod infra; & ei, quod poſt habetur, id, quod ante, &c.* Ergo ex Auicenna, & Galeno, rectitudo in auerſione debet ſeruari ſecundum omnes differentias poſitionis.

Probatur 2. ex Galeno *libro artis medicinalis*, *cap.* 99. vbi definit reuulſionem per hoc, quòd ſit *retractio ex omni loco ad oppoſitas partes*: ergo verſus quamcumque poſitionis differentiam poteſt ex omni loco ferri ſecundum rectitudinem.

Probatur 3. reuulſio fluentis humoris in aliquam partem, vt docuit Galenus *libro* 5. *methodi*, *cap.* 6. poteſt fieri verſus omnes differentias poſitionis, vt fluens humor auertatur à parte affecta: ſed verſus quamcumque poſitionis differentiam ad eius extremitatem datur partium rectitudo: ergo verſus quamcumque fiet cum rectitudine. Probatur minor, quia omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam, verſus quamcumque differentiam ferantur, feruntur cum rectitudine, vt ex Ariſtotele *lib. de cælo*, deducunt Philoſophi, & tenent Mathematici: ergo verſus quamcumque poſitionis differentiam ad eius extremitatem datur rectitudo partium.

§. III.

Soluuntur Fernelij, & Briſoti fundamenta.

AD fundamenta Fernelij, & aliorum reſpondetur, Tum 1. quòd *libro de ſanguinis miſſione*, decreuimus, quomodo fluat ſanguis: nec modus exeundi obſtat vt non dicatur, quòd pars affecta reſpectu ſui centri non habet rectitudinem verſus quamlibet poſitionis differentiam, vt verſus illam dicatur reuulſio fieri cum rectitudine. Tum 2. quòd licèt vena caua aſcendens, & deſcendens inter ſe dicant rectitudinem, cùm tamen rami venarum, qui ab illis oriuntur, extendantur verſus quaſlibet poſitionis differentias, ideo ex illis reuulſio poteſt fieri etiam verſus alias differentias poſitionis. Tum 3. quòd aliud eſt, quòd tenues homores ſurſum, craſſiores deorſum ferantur; aliud, quòd ſecta vena, ſanguis exeat, & humores auertat verſus eam differentiam, in qua ipſa reperitur ſeruando rectitudinem cum parte affecta, quam directè reſpicit ſecundum eam poſitionis differentiam, in qua repetitur.

Resolutio X.

Vtrùm per ſolas venas petat fieri reuulſio?

§. I.

Curtij proponitur opinio, & illius fundamenta.

REuulſio, vt diximus, fit multipliciter: quòd quævis fiat per vaſa communia, ſancinit Galenus *lib.* 13. *methodi*, *cap.* 11. Quid ſit fieri per vaſa communia, nondum pro comperto habetur apud Iuniores. Curtius ſolas venas iudicat eſſe vaſa **B** communia; quæ doctrina de ſola reuulſoria ſanguinis miſſione, quæ ex venis, & per venis fieri debet, ſaluari poteſt: licet de omni reuulſione id docere contendat. Tum 1. quia omnis fluxio humorum prouenit à iecore tanquam à prima origine, & fertur per venas, humorum receptacula continentia, & deferentia per totum corpus: ex quo apparet, quod ab illis omnis petit fieri auerſio. Tum 2. quia Galenus *lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 2. idem confirmat dicens: *Retrahes à locis muliebribus, ſi cubitum ſecueris, aut iuxta mammas cucurbitulas appoſueris, & deinde deriuabis ſi poplitibus, vel coxis applicueris cucurbitulas.* Vbi ob venarum communitatem ex omni parte tentat reuellere. Tum 3. per eaſdem vias petit fieri auerſio humorum, per quas feruntur, **C** dum fluunt; ſed fluunt per venas: ergo per illas petit fieri reuulſio tanquam per vias communes.

§ II.

Communior opinio præfertur.

REſoluendum, quòd venæ ſunt vaſa communia, per quæ fit reuulſio; & quòd præter venas ſunt viæ communes aliæ plures, vt inteſtina, ventriculus, vterus, vreteres, arteriæ, ſpatia varia inter carnes, neruos, muſculos, & membranas. Sic Sanctorius tenet, & communior practicantium aſſenſus, qui in practicia obſeruationibus varias referunt hiſtorias, quibus manifeſtè apparet, per vias ignotas naturam pleramque varias tentaſſe euacuationes. **D**

Probatur 1. Tum ex Hippocratis decreto à Galeno recenſito *libro* 7. *Aphoriſmorum*, *comment.* 54. §. *Hippocrates opinatur naturam validam ſemper inuenire viam materiebus, licèt ſint quammaximè craſſa, & debeant per anguſta foramina permeare.* Tum *in epidem. per venas, per poros, per oſſa, per carnes docet ferri hum[…]res.* Tum firmat Galenus *lib.* 1. *methodi*, *cap.* 2. § *Hippocrates rectè affirmat, totum corpus eſſe quaſi tra[n]ſpirabile, & confluxibile*: Ergo præter venas ſunt in corpore aliæ viæ latentes, & communes, par quas poteſt fieri reuulſio.

Probatur 2. Humores non ſolùm deferentur per venas ad partes ſolidas, ſed per ipſas partes ſolidas, & earum poroſitates in vniuerſas ipſas permeant pro **E** earum nutritione: ergo ſi fiat aliquod remedium reuulſorium, quo auertantur per eaſdem vias, poſſunt reuelli in partes, ad quas trahuntur ratione illius.

Probatur 3. Omnis quæcũque corporis pars, quæ in tertia regione apta eſt nutriri, habet præter venas, poroſitates, & alias vias cõmunes, per quas pellit continuò excrementa, quæ reſultant ex tertia coctione, & per quas ſæpè mittit ad partes externas humores per venas in illis ſparſos, vt cõtingit in eriſipelate: ergo ſi eadẽ pars afficitur & verſus quãlibet eius differentiã applicetur remediũ reuellens, per eaſdẽ vias cõmunes

addncetur illud, qund extra venas attrabendum reperitnr in parte affecta.

§. III.

Soluuntur Curtij fundamenta.

AD ſundamenta oppoſitæ opinionis reſpondetur, Tum. 1. quòd per venas feruntur humores per vniuerſas partes, dnnec in ipſas ſpargantur: poſteà verò per earum poroſitates in eiſdem partibus recipiuntur; ideò enim corpus tranſpirabile factum. Tum 2. quòd Galenus loqoitur de ſanguinis miſſione reuulſoria, quæ ſemper perit fieri per venas communes, licèt ſucceſſione ad id quod euacuatur, per vias occultas aliqno modo poſſit reuellere: ſicut & poſſunt alia remedia reuulſoria, quæ non fiunt per manifeſtas euacuatiooes humorum. Tum 3. qnòd humores vſque ad partes fluunt per venas, in partibus per vias occultas, per quas ſæpè à viis diſtantioribus ſucceſſione ad id, quod euacuatur, reuulſiones fieri experiūnr.

SECTIO II.

De venarum Origine.

QVæ in noſtro corpore oriuntur venæ, per vniuerſaſque corporis partes exſparguntur, in diuerſos vſos propagantur; & ideò partim in ſtructura differunr, partim ſecundum magnitudinem diuerſificantur; præcipuè quatenus in diuerſos vſus continendi humores, expurgandi, aut materiam pro ipſis nutriendis deferendi ordinantur, diuerſæ indicantur: maximéque pro noſtro inſtituto attenduntur, provt in diuerſis corporis partibus conſpicuæ apparent, aptæque, vt in illis poſſit exerceri phlebotomia.

RESOLVTIO I.

Verùm omnes noſtri corporis venæ oriantur à corde?

§. I.

Ariſtotelis, Aponenſis, Conciliatoris, & aliorum opinio proponitur.

INter Peripateticorum, & Dogmaticorum ſcholas antiqua eſt controuerſia: an à corde oriantur omnes corporis venæ tanquam à prima origine ſanguificationis, & exortus? Sic ſancire contendit Ariſt. *lib. 1. 2. & 3. de partibus animal. lib. 2. de generatione, lib. 3. de hiſtoria animal. lib. de ſomno, & vigilia, lib de reſpirat.* Subſcribunt Alexander Themiſtius, Eraſiſtratus, Aponenſis, & inter Iuniores Veſalius, qui in Galenum, vt moris habet, rabie E commotus, irruit, hanc Antiquorum ſuſcitans aduerſus ipſum opinionem Cuius animum & rationes recenſuit Andreas Laurentius, & Zacutus, illius inualidantes fundamenta fouent Ariſtotelis placitum Pequet, & alij Iuniores.

Primò, hæc deſumūtur ex Ariſtotele *locis citatis*, Tum 1. quia cor natiui caloris eſt fons, & officina, ſimulque & humorum: pro quibus impartiendis debent ab eodem oriri vaſa, per quæ deferantur. Tum 2. quia cor eſt primum viuens, & ideò eſt primum principium ſanguificationis requiſitæ pro ſui nutritione, & reliquarum partium, quæ poſtea vi- A uunt. Tum 3. quia in ſolo corde ſanguis non concreſcit, quia illum generat, & in venis, quibus virtutem conſeruatiuam præſtat, provt ab ipſo originem ducunt. Tum 4. quia in corde implantatur ramus venæ cauæ, ſicut & ramus arteriæ magnæ, quia origo eſt ſimul venarum, & arteriarum. Tum 5. quia in paſſionibus animi, ſanguis & ſpiritus confugiunt ad cor tanquam in primam ſuæ generationis, & conſeruationis originem. Tum 6. quia venæ magis adhærent cordis ſubſtantiæ, quàm ſubſtantiæ iecoris: idque non niſi, quia illi implantantur tanquam in origine. Tum 7. quia valuulæ in venæ cauæ à corde orientis principio demonſtrant cor ſanguificationis, & venarum exortus eſſe originem. Tum 8. quia venæ & arteriæ ſimul reperiuntur iunctæ, & B mutuò inter ſe ac ad inuicem tranſcolantur, quia ab eadem proueniunt origine: ergo cor omnium venarum origo debet conſtitui.

Secundò, Veſalius in fauorem Ariſtotelis inſurgit, Galeni oppugnando fundamenta, Tum 1. quia Galeni ratio, quòd caua vena non connectatur cordi, non obſtat: vt ab illo dicatur oriri, quia nec arterialis vena iecori annectitur, & ipſe admittit, quod oritur à iecore. Tum 2. quia quod duplex vena à cauæ trunco oriatur, non probat à iecore oriri venam, quia hoc non eſt perpetuò verum in omni animali. Tum 3. quia nec obſtat, quòd venæ non pulſent, vt non dicantur à corde oriri, quia vena arterialis, quam Galenus fatetur oriri a corde, non pulC ſat. Tum 4. quia ſi cor ſolùm ad recipiendum in ſiniſtro ventriculo ſanguinem, non ad ipſum generandum eſſet deſtinatum, nullum eſſet animal, quod tale receptaculum non haberet; ſunt tamen aliqua, quæ ſiniſtro cordis ventriculò carent: ergo nulla conuincit ratio, vt cor non ſit ſanguificationis & venarum origo.

Tertiò, In fauorem Ariſtotelis argumentor: Oeconomica corporis compago inſtar Politicæ inſtructa eſt: ſed in Politica communior opinio tenet vnum tantum debere conſignari principium, *Haud multos regnare bonum eſt, Rex vnicus eſto*, cecinit Homerus. Ergo congruentius eſt in corpore vnum omnium vaſorum conſignare principium.

D

§. II.

Dogmaticorum opinio præfertur, & explicatur.

REſoluendum, quòd iecur eſt opifex perfectorum humorum, qui pro perfectioribus partibus alendis generantur in corpore; & principium, ac origo venarum, per quas illi impartiuntur. Sic de omnibus humoribus, & venis per quas deferuntur, conatus eſt ſancire doctrinam aduerſus Peripateticos Galen. *lib. 6. de placitis Hippocratis & Platonis.* Subſcribunt illius opinioni omnes Dogmatici, paucis demptis, eámque illius fulcire conantur fundamentis.

Probatur 1. ex eodem Galeno: ſic ſe habet principium nutritionis in animali, ac in planta: ſed in planta illa pars iudicatur origo, ac principium nutritionis, & radicationis, in qua fibræ omnes copulantur: ergo in animali venarum, per quas fit ſanguinis impartitio, origo & principium debet dici pars, in qua venæ copulantur: ſed omnes corporis venæ quaſi in vnum coëunt in iecore, & ex illo quaſi per ſtipites diſſeminantur, & ſparguntur, donec in minutiſſimas terminantur, ac ex illis, venulas: ergo iecur debet dici ſanguificationis origo, & venarum principium.

Proba

Probatur 2. Vaſa, quæ oriuntur à ſuo principio, maiora ſunt prope ipſum, quàm dum deferuntur per partes ab ipſo diſtantiores; ſed vena caua deſcendens prope iecur eſt maior, quàm ipſa caua aſcendens dum recipitur in corde: ergo iecur, & non cor, conſtituendum eſt venarum origo.

Probatur 3. illa pars debet dici humorum principium, & origo venarum, per quas humores deferuntur in reliquas partes, ad quam fertur materia, ex qua humores neceſſariò petunt fieri: ſed chylus, qui eſt neceſſaria materia pro humorum generatione, vt omnibus eſt conſpicuum, à ventriculo ad iecur fertur, & nullibi vltra iecur reperiri apparet: ergo iecur debet conſtitui humorum principium, venarumque origo.

Probatur 4. Ea pars ſanguinem generat, & venarum eſt origo, cui à natura ſunt condonatæ viæ aptæ pro expurgandis excrementis, quæ reſultant ex illa coctione, per quam ſanguis generetur: ſed ad expurgandum ſerum, & bilem, quæ ſunt excrementa, quæ ex ſanguinis generatione reſultant, ſoli iecori ſunt datæ à natura viæ: ergo iecur eſt principium & origo humorum, ac venarum per quas ipſi feruntur.

Probatur 5. ſi cor eſſet venarum origo principiumque à quo generarentur humores, ad omnes corporis partes deberent à corde communicari: ſed ad iecur, & partes infra ipſum ſanguis à corde non communicatur, cùm habeat ad intus valuulas occludentes, & impedientes illius retroceſſum: ergo cor non eſt humorum origo, nec venarum principium.

Probatur 6. Piſces, & alia plurima animalia carent dextro ventriculo, in quo ſanguis generari deberet: ergo ſicut in iis cor non eſt ſanguificationis principium, nec venarum origo; ſimiliter nec in aliis animantibus.

Probatur 7. in infante in vtero, & in lucem non edito eadem eſt ſanguinis efficiendi, & impartiendi origo, ac in eodem in lucem edito in ſubſequentibus ætatibus: ſed in vtero vena fœtus per vmbilicum ſanguinem recipit à iecore ex matre, & à iecore per vniuerſas corporis partes per venas ſpargit: ergo in lucem editus in iecore generat, & ab illo per venas ſpargit in vniuerſum corpus.

Probatur 8. ſanguis in ea parte generatur, cuius ſubſtantiæ modum refert, cui in colore aſſimilatur, & iuxta cuius temperiem ſanguis ac reliqui humores temperati euadunt: ſed ſanguis in colore, in modo ſubſtantiæ iecori aſſimilatur, & iuxta iecoris intemperiem intemperati euadunt ac generantur: ergo à iecore fiunt, ab illoque venæ, per quas deferuntur, originem ſumunt.

§. III.

Peripateticorum, & Veſalij fundamentis traditur ſolutio.

AD fundamenta Ariſtotelis reſpondetur, Tum 1. quod ſanguis, qui in iecore generatur, alter venalis dicitur, qui per venas pro partium nutritione fertur ad partes: alter arterialis, qui ad cor delatus perficitur, vt per arterias delatus corpus viuificet, & reſpectu huius cor dicitur natiui caloris fons & officina. Tum 2. quòd vniuerſæ corporis partes ſimul in eodem inſtanti anima informantur, incipiunt viuere, ſanguine indigere, qui in hunc finem à iecore generatur, & per venas ſpargitur in illas. Tum 3. quòd ſanguis nullibi concreſcit, quamdiu animali viuo, ſpirituum vitalium fruitur calore, qui

A illi commixti vbique permeant; ipſis autem orbatus ratione fibrarum concreſcit vbique repertus. Tum 4. quòd venarum caudices à iecore procedunt, in ipſo venæ implantantur, & radicum modo inſeruntur, & ramificantur: à iecore autem prodiens ramus venæ cauæ aſcendentis repit ad cor, ſanguinem deferens pro ſpirituum vitalium generatione, & ob circulationem, & ibi implantatur vt aliunde ortus. Tum 5. quòd ſpiritus vitalis, & ſanguis arterialis mouentur in paſſionibus animæ à corde, & arteriis, in quibus eſt vitalis facultas valens mouere ad illorum motum, qui non ſolum in corde perficitur, ſed intus, ad foras, & è contra, prout requiritur prò diuerſis animæ paſſionibus: nec ideò venalis ſanguis mouetur à

B iecore in reliquas venas miſſus. Tum 6. quòd vena iecori inſeritur, & tanquam in ſua origine implantatur, vt monſtrat truncus cauæ, & portæ in illo; ramificatio verò in corde, vt aliunde communicata recipitur; in vnoquoque autem magis, aut minus compacta iuxta proprium modum ſubſtantiæ vniuſcuiuſque partis. Tum 7. quòd valuulæ in corde demonſtrant, quòd ſanguis recipitur à iecore, & ipſæ deſeruiunt ne refluat ad illud; ſi autem in corde eſſet genitus, nullum tale deberet eſſe impedimentum, cum libera requireretur in omnes partes communicatio. Tum 8. quòd venæ & arteriæ ſuperponuntur, & mutuò inter ſe communicant, non quia ab eodem fiunt principio, ſed quia inter ſe altera alterius indiget communicatione.

C Ad 2. reſpondetur pro fundamentis Veſalij, Tum 1. quòd vena arterialis, licèt venæ retineat nomen, arteriæ obtinet ſtructuram; & ideò à iecore oriri petit: arteriæ autem, quæ verè tales ſunt, à corde. Tum 2. quòd licèt à iecore ad cor non reperiatur diſtributio, quia in reliquis reperitur diſtributio à iecore ad vniuerſas corporis partes tanquam à prima origine; ſimiliter & de illis in quibus non eſt tanta communicatio credendum, quòd ea, quæ eſt neceſſaria, ab eodem communicetur iecore per reliquas venas, quæ iuxta ſui neceſſitatem permanent in illo. Tum 3. quòd vena arterialis aliquam habet pulſationem in principio exortus, & licèt nos non hac vtamur demonſtratione, bene Galenus eum ea probat intentum, quis cor, cùm principium vitale ſit, quia

D communicat vaſis ab ipſo ortis viuificum calorem, & vim communicandi illum, ſi venæ hanc vim non recipiunt, nec ab illo ortum ducunt. Tum 4. quòd ratio potius probat contra Ariſtotelem: quia ſi cor ad recipiendum ſanguinem in aliquibus animalibus eſt deſtinatum, potuit in aliis non indigere hac receptione; at verò, ſi eſſet pars deſtinata ad ſanguinem generandum, ſicut animal non reperitur, quod poſſit ſine nutritione viuere, nec ſimiliter poſſet viuere ſine eo, quòd haberet cor partem aptam ad recipiendam materiam pro generatione ſanguinis, quam per illud orificium à iecore recipere fatentur Peripatetici.

Ad 3. Reſpondetur, quòd iuxta optimam œco-

E nomiam iecur conſtructum eſt pars princeps, à qua fiat ſanguis, propria, ac inſita vi, & à qua per vniuerſas corporis partes impartiatur, quia ab vnica anima habet animal quòd ſit vnum, tanquam ab vno principio ſuo ſui eſſe. Cùm autem Rex, licèt vnicus ſit, per diuerſos petat operari miniſtros, aptos pro diuerſis exercendis rebus, quæ illis committuntur; ſic anima, tanquam principalibus miniſtris, in diuerſis miniſteriis, vnicuique iuxta propriam naturam accommodatis vtitur, cerebro, corde, & iecore; ipſa autem & aliis vtitur miniſtris, quod œconomicæ gubernationi

magis conuenit, quàm conſtituere pro diuerſis rebus ſibi non coaptatis vnicum cor.

Resolvtio II.

Verùm venæ lacteæ oriantur à iecore?

§. II.

Antiqua controuerſia refertur: noua proponitur & pars negatiua ſuadetur.

OMnes Dogmatici, qui venas à iecore oriri contendunt, ſimiliter fatentur venam portam ab ipſo originem ducere, ipſumque in diuerſos ramulos ſpargi, in ventriculum, & meſenterium, ac inteſtina ferri, per variòſque riuulos ſanguinem in eaſdem partes pro earum nutritione ferre, ab eiſdemque chylum in iecur deducere, alij aſſerentes, quod per ventriculi venas chylus feratur ad iecur, per reliquas à iecore ſanguis ad ipſas partes. Alij meſaraicis alijs tribuunt deferendi chyli munus, alijs verò ſanguinem deferendi officium. Alij per eaſdem venas portæ ſimul contendunt, & in eodem tempore ſanguinem permeare à iecore miſſum pro nutritione, ſimúlque reſiluere ad illud chylum: quorum opiniones apud Recentiores recenſentur, & refutantur apud Iuniores Gaſpar Aſſellius, à quo non diſſentit Sennertus, nouam inuenit venarum lactearum diſtributionem, & vſum ferendi chylum, reliquis meſaraicis ſolum ſanguinem continendi tribuendo vſum, lacteaſque venas ſicut nouas admittit, nouitérve inuentas, quam contendit nouam illis præbere originem, eaſque iudicat à pancreate oriri: pro quo hæc deduco fundamenta.

Primò: Venæ lacteæ tales dicuntur, quia in viuo animali aliquibus horis poſt cibum albæ apparent colore lacteo, plenæ ea ſubſtantia, quæ chylus dicitur, ipſo autem mortuo nullæ ſunt conſpicuæ: ſed venæ à iecore ortæ ſemper ſunt conſpicuæ, rubróque colore conſpiciuntur, ſanguinéque refertæ: Ergo venæ lacteæ non oriuntur à iecore.

Secundò, vt Galenus ſancivit, origo venarum dicitur illa pars, in qua ipſæ venæ mutuò cohærent & inſeruntur, & à qua ramuli earum maiori trunco ſumunt originem, & poſtea extenſæ in debiliores alias degenerant; ſed venæ lacteæ in pancreate cancellorum in modum, vel ſpeciem retium, aut Capreolorum implexæ ſibi mutuò, & corpore confuſæ in plurimos, eoſque implicabiles gyros, & anfractus intorquentur, & maioribus ramis ab eo exeuntibus in tenuiores exſparguntur: ergo ab ipſo, tanquam à prima origine, ducunt originem.

Tertiò, Vaſa aliquam ſubſtantiam deferentia, & continentia in noſtro corpore differunt inter ſe, ſecundum quod in diuerſos fines ordinantur; & prout inter ſe differunt, à diuerſis partibus petunt originem ducere: ſed venæ lacteæ ſubſtantiam diuerſam deferunt & continent, quàm reliquæ venæ, & ordinantur in diuerſum finem; quia reliquæ ſunt deſtinatæ vt à iecore ſanguinem recipiant, in partiumque nutritionem deferant, lacteæ autem vt chylum contineant, ipſumque deferant ad iecur pro humorum generatione: ergo ab alia parte, quàm reliquæ petunt originem trahere.

§. II.

Iuxta Galeni doctrinam ſancimus opinionem.

REſoluendum, quòd lacteæ venæ ſicut & reliquæ oriuntur à iecore. Hæc doctrina conformior eſt Galeni & Dogmaticorum placitis, qui non ſolùm venas ſanguinem deferentes, ſed eas quas iudicant ferre chylum, tradunt à iecore originem ducere.

Probatur 1. ex Galeno, qui cùm venæ portæ vſum præſtiterit, prout ſpargitur ad ventriculum, & per meſenterium inſeritur vt chylum ad iecur trahat, ipſam tamen venam, illiuſque ramulos à iecore originem ducere fatetur, ac docuit vbique: ergo etiamſi lacteæ venæ ſint à meſentericis ramulis diuerſæ, & ſolùm in chylum ad iecur ferendum deſtinatæ, ab ipſo iecore debent originem trahere, iuxta illius doctrinam.

Probatur 2. ſi pancreas eſt aſſignanda origo venarum lactearum, vt vult Aſellius, cor deberet aſſignari in eius ſententia origo reliquarum venarum quod ipſe, & Sennertus renuunt: ergo iecori, & non pancreas debet tribui, quòd ſit venarum lactearum origo. Probatur antecedens: ſicut in pancreate chylus receptus perficitur, & perfectior factus in reliquas partes mittitur, ſimiliter ſanguis, qui fertur ad cor, perficitur in illo, & per illius vaſa fertur perfectior factus: ergo licèt, ſicut cor, valeat ſanguinem perficere; quia illum non generat, tribuitur iecori quòd ſit origo venarum omnium, ſimiliter cùm pancreas chylum non generet, quia nulli non eſt conſpicuum & expertum ipſum generari in ventriculo, licèt chylum perficiat, tamen origo non eſt venarum lactearum, per quas fertur.

Probatur 3. nulla eſt in corpore pars, cui vaſorum tribuitur origo, niſi illa quæ generat ſubſtantiam illam, ad quam continendam, deferendam, & conſeruandam ſunt deſtinata talia vaſa: hac enim cauſa, cerebro neruorum origo, cordi arteriarum, & iecori venarum tribuitur; ſed chylus, pro quo recipiendo, continendo, & deferendo admittuntur venæ lacteæ ex omnium conſenſu, & fatetur Aſellius, non generatur in pancreate: ergo illi non tribuendum quòd ſit origo venarum lactearum.

Probatur 4. Venæ lacteæ, vt fatetur Aſellius, habent eandem ſtructuram, ſubſtantiæ modum, conformationem, & temperiem, ac reliquæ: ergo proueniunt ab eadem origine.

§. III.

Soluuntur fundamenta, quæ pro Aſſellio adduximus.

AD 1. Reſpondetur, quòd licèt lacteæ venæ, ſicut reliquæ, oriantur à iecore, ordinantur in diuerſum finem, & vt diuerſam contineant ſubſtantiam, ratione cuius differunt ab aliis colore, & ſecundum omnes differentias accidentales, quæ poſſunt ſumi à ſubſtantia contenta, non autem ſubſtantia, & ſtructura, quæ requiruntur vt oriantur à iecore.

Ad 2. Reſpondetur, quòd non conſtituitur pars venarum origo, quia in illa venæ implicantur, plerumque enim ad perfectionem ſubſtantiæ, quam deferunt, id contingit; ſed requiritur præcipuè, quod illa pars generet ſubſtantiam continendam in vaſis, vt in exemplis adductis patet; vel ſaltem, quòd illi parti,

parti, à qua originem ſumunt, deſeruiant ad ſubſtantiam ferendam illi, ſine qua ipſa pars principium talis ſubſtantiæ conſtitui non poſſet, qualiter iecori contingit.

Dices, à iecore non generatur chylus: ergo propter eandem rationem, qua non tribuitur pancreati, quod ſit illarum venarum origo, debet iecori denegari. Reſpondetur, quòd iecori tribuitur omnium venarum origo; quia omnes habent eandem ſtructuram, ſubſtantiæ modum, & conformationem, & omnes ordinantur ad ſanguinis productionem, & conſeruationem, licèt diuerſo modo; quia lacteæ ordinantur, vt illi deſeruiant præſtando materiam, ſine qua iecur non eſt principium humorum productiuum; Emulgentes, & quæ bilem deducunt in veſiculam felleam, repurgando humores, & ſubſtantias, quæ ſimul cum ſanguine genitæ illum conſpurcare valerent.

Ad 3. Reſpondetur, quòd non quilibet diuerſus finis diuerſificat originem vaſorum; aliàs venæ emulgentes, & deferentes bilem ad felleam veſiculam peterent fieri à diuerſis partibus diſtinctis à iecore: differunt autem præcipuè dum ſtructura, ſubſtantiæ modo, & conformatione differunt, & in diuerſis partibus deſeruiunt pro diuerſis ſubſtantiis in diuerſos fines ordinatis continendis, & deferēdis.

Resolutio III.

Verùm aliquarum venarum lien poſſit dici origo?

§. I.

Antiqua Galeni doctrina refertur: noua adducitur; & ex illa dubitatio deducitur.

Sancitum de liene ſtat apud Galenum *lib. 2 de locis affectis c.1.* cui ſubſcribit Auicenna *fen.1.1. d 4.* & vnanimis Dogmaticorum aſſenſus, quòd lienis vſus eſt, iecur, & humores in illo genitos repurgare à melancholicis, terreſtribus, limoſiſque ſuccis, vt eis pro nutritione fruatur; & quod minus aptum, per vas breue mittat ad ventriculum, vt excitet famem naturalem: in qua doctrina non datur locus dubitationi, ſed apud Iuniores, præcipuè Gaſpar Hofmannij aliud adinuenit lienis vſum, vt chylum repurget à parte terreſtriori, & imperfectiori, ſucculentam eius attrahendo partem, & per vas breue à ventriculo, & per ramum ſpleneticum à venæ portæ trunco, vt ex illo ſuo modo quatuor generet humores, eis, qui fiunt à iecore imperfectiores, aptos tamé, vt ex ipſis & lien, & partes ventris imperfectiores nutriantur: fultus, Tum quia lienis conformatio ſimillima eſt conformationi iecoris, & in eundem finem ordinata: Tum quia Ariſtoteles ſic ſanciuit *lib. 3. de hiſtoria animalium cap.7.* Tum quia ad repurgandum iecur, aut ſanguinem, venæ deferentes melancholiam à iecore, vt vena caua, oriri deberent; vena autem ſplenetica, quam in hunc finem aſſignant, oritur à porta, in qua chylus, & non humores continentur: Tum quia receptacula excrementorum, vt veſicæ, habent cauitates, quibus caret lien: Tum quia melancholia delata ad ventriculum coinquinaret chylum, & interturbaret coctionem: Tum quia fames naturalis naturaliter à facultate pro ipſa deſtinata fieri debet, non ab aliqua cauſa extrinſeca præternaturali: Tum quia ſicut iecur attrahit

A chylum per ramos portæ, melius lien per vas breue? Tum quia ſicut rami orti ex vena porta ad iecur ſeruiunt pro chylo deferendo, ſimiliter ramus ſplenicus ortus à trunco venæ portæ: Tum quia, ſicut per vas breue breuiſſimè fertur aqua ad lienem, in quo ſentitur ſtatim ac bibitur flatus excitans, ſimiliter poterit ſimul chyli ferri craſſior pars, vt ex illo lien generet humores pro ſui nutritione, & aliarum ventris partium: qua ſuppoſita opinione, videtur, quòd nullæ à liene venæ originem ducant.

Primò venæ terminatæ ad lienem ſunt eiuſdem naturæ, modi ſubſtantiæ, conformationis, & habent eundem finem: ergo ſicut reliquæ, habent a iecore originem.

B Secundò, vena ſplenetica, quæ præcipua eſt ex eis, quæ in liene reperiuntur, & à qua reliquæ oriuntur, à vena porta ſumit originem, & illius eſt ramus, & ex illius trunco exit, & prout oritur ab illo maior eſt ramus, quæ omnia demonſtrant à vena porta oriri, vt ex Galeni doctrina deducitur: ergo à vena porta & iecore, non à liene oriuntur.

Tertiò, Nullæ ſunt partes, quæ valeant nutriri ex humoribus à liene genitis, nullæ ſunt venæ ex illo ortæ pro illis deferendis, nullæ ſunt viæ, per quas excrementa ex lienis coctione reſultantia poſſint expelli: ergo nullæ ſunt admittendæ venæ, quæ, à iecore non ducant originem.

§. II.

C *Noua de venarum origine ex liene proponitur opinio.*

Reſoluendum, quòd dato quòd lien generet humores, venæ, quæ chylum deferunt ad illum, & per quas illi impartiuntur in partes nutriendas à liene originem trahere, eſt dicendum.

Probatur: Omnes rationes, quibus Galenus conatus eſt conuincere contra Ariſtotelem, quòd venæ oriantur à iecore, ex eo deducuntur, quia cùm humores generentur à iecore, vaſa conducentia vt deducant materiam pro eorum generatione, & vaſa recipientia, deferentia, & communicantia illos, debent ab eadem parte oriri tanquam ab earum origine: D ergo dato quòd lien humores generet, vaſa chylum deferentia, & humores in partes nutriendas impartientia à liene debent oriri tanquam à ſua origine.

Probatur 2. Vaſa deſeruientia ad officialem cuiuſuis partis actionem ab ipſa oriuntur, vt de neruis, arteriis, & reliquis venis apparet: ergo ſi lien humores generat, vaſa illi deſeruientia ab illo originem trahunt.

Probatur 3. humores, quos lien generat, diuerſi ſunt perfectione accidentali, ac illi, qui generantur à iecore, & minùs apti pro nutriendis partibus, quas humores à iecore geniti valent nutrire: ergo debent venas diuerſas habere, & à diuerſo principio ortas. Patet conſequentia, aliàs mutuò per vias communes poſſent commiſceri, & humores perfectiores E ac imperfectiores ferri ad eaſdem partes, & è contra; quod eſſet contra naturæ perfectum operandi modum; quæ potiùs ſeparare vtile ab inutili, quàm illud commiſcere tentat.

Probatur 4. Natura prouida vias communes, per quas perfectiores partes, quas valet nutrire, irrigaret, iecori tanquam earum principio adaptauit: ergo quæ in hunc finem non conducunt, ab ipſo non ducunt originem Patet conſequentia, quia ſicut non deficit in neceſſariis; ita nec in ſuperfluis ſuperabundat.

A Probatur 5. Venæ, quæ perfectiorem ſanguinem à iecore genitum recipiunt, ab ipſo iecore originem trahere fuit neceſſe, vt ortæ ab illo proportionalem modum ſubſtantiæ reciperent, quo valerent humores conſeruare, & perficere; ſed humores geniti à liene, imperfectioris ſubſtantiæ modum à liene recipiunt, quo petunt conſeruari, & perfici à vaſis illi in modo ſubſtantiæ coaptatis; ergo huiuſmodi vaſa, vt à liene ſimilem ſubſtantiæ modum acquirant, petunt tanquam à propria origine oriri à liene.

§. III.

Soluuntur rationes primò adducta.

AD primum reſpondetur, quòd lien à iecore, humores geniti in liene, ab eis qui fiunt à liene, B venæ ortæ a liene ab eis quæ oriuntur à iecore non multum diſſimiles ſunt: habent tamen aliquam differentiam; præcipuè & ipſæ venæ, quia ordinantur pro conſeruandis humoribus imperfectioribus, & ideò imperfectiores ſunt reliquis, ſaltem ſecundum aliquam imperfectionem accidentalem, quæ reſpondet parti, à qua fiunt.

Ad 2. Reſpondetur, quòd vena ſplenetica implantatur in trunco venæ cauæ, vt ex illo trahat ad lienem partem chyli craſſiorem, quam breuior vena terminata ad ventriculum non potuit ſeparare, vt ſic purior remaneat chylus, ex quo ſanguis in iecore debet generari, vel vt mittat ad iecur: nec ex hoc ſequitur oriri à vena porta, ſicut nec venæ, quæ termi- C nantur ad ventriculum, non dicuntur ab illo oriri, ſed à liene, in cuius miniſterium ſunt deſtinatæ.

Ad 3. Reſpondetur, quòd lien, meſenterium, omentum, & reliquæ ventris partes imperfectæ, humoribus à liene genitis nutriuntur; euacuantur autem per renes, per inteſtina, per cutem, per veſicã, per aluum, per vrinas, ideò in lienis morbis vtimur diureticis: & quòd in liene ſunt plures venæ per illius corpus ſparſæ, & diſſeminatæ, in lineam veluti rectam inſertæ, in infinitos ramulos per venulas exiles nimiumque implexas extenſæ: à ſummo prope lienem ramo vas breue exit ad ventriculi fundum, vt chyli craſſiorem attrahat partem, ex qua fiant humores in illo, exit ſpleneticum vas à liene, quod per varios ramos D partitur per ventris partes, vt ſanguinem præſter pro alimento earum: rami enim oriuntur ab illo gaſtricus, epiploicus dexter, coronarius, ſtomachicus, & epiploicus poſterior, ſiue inteſtinalis, qui per inteſtinum duodenum excurrit, & communicat cum ramo hæmorrhoidali, qui per coli extrema, & recti inteſtini longitudinem ad anum extenditur, ibique occultas parit & internas, hæmorrhoides, ſicut hypogaſtricus ramus deſcendẽtis cauæ, externas: communicat etiam per ramum ſpleneticum lien quos generat humores ad ramum hæmorrhoidalem, per partem, qua in porta vena inſeritur.

Resolvtio IV.

E **Vtrùm venæ hæmorrhoidales propagentur à vena caua?**

§. I.

Valuerdi, Columbi, Paſchalij, Ioannis Cortes, & aliorum proponitur opinio.

HÆmorrhoides, inquit Aëtius *lib. 14. cap. 5. venarum in ſede ſunt explicationes*; ſed an venæ A portæ, an cauæ ſint propagationes? apud Authores ſub lite manet. Eam mouet Iulius Cæſar Benedictus *lib. 5. epiſtolarum*, ſed recenſitis aliorum placitis anceps ſiſtit Valuerdus *lib. 6. anatomes cap. 5.* Realdu. Columbus *lib. 6.* Vaſalius *lib. 5. c. 15.* Pereda *lib. 1. in ſcholio cap. 52.* Angeluzius *lib. 2. de febre maligna, cap. 6.* Ioannes Baptiſta Cortes *in ſuis miſcellaneis, decad. 7.* Saxonia *lib. de febribus*, tenent, quòd venæ hæmorrhoidales ſunt propagationes ſolius venæ portæ: his fulti fundamentis.

Primò, Auctoritate tum Hippocratis, *lib de hæmorrhojdibus, textu 1.* in quo harum venarum ex vena porta ducit originem. Tum Galeni *lib. de ſectione venarum, & arteriarum cap. 1.* vbi docet, quòd venæ, B quæ ſunt ad ſedem, ſunt rami tertij rami venæ portæ: ergo à ſola vena porta datur hæmorrhoides originem trahere.

Secundò, ſolùm ſunt dicendæ venæ hæmorrhoidales, quæ aptæ ſunt pati morbos proprios venis hæmorrhoidalibus: ſed ſolum hæmorrhoidales internæ, quæ oriuntur à vena porta, ſunt aptæ pati morbos, quos docet Hippocrates *lib de hæmorrhoidibus cap 5.* poſſe superuenire venis hæmorrhoidalibus: ergo ſolum venæ internæ ortæ ex vena porta ſunt dicendæ hæmorrhoidales. Probatur minor ex Hipp. citato, qui refert hæmorrhoidalium venarum morbos 5. *Sanguinem fundentes tumoroſam quamdam eminentiam habent, & veluti mori fructus illis adnaſcitur, ſiquidem tuberoſa eminentia foras valde prominet, ſed internis* C *tantum hæc accidunt.* Ergo morbi hæmorrhoidalium ſolis accidunt venis Internis.

Tertiò, Suadet ratio, Tum 1. quia propagines venarum, quæ ſunt in parte externa inteſtini, ſunt exiles, & ineptæ ad expurgandum melancholicum humorem, in quem purgandum ordinantur venæ hæmorrhoidales. Tum 2. quia ineptæ ſunt venæ externæ recipere melancholiam, & ideò non expurgatur à natura, dum abundat in vena caua, ſed ad crura fertur, & venas facit varices. Tum 3. quia natura venam cauam, & reliquas prodeuntes ab ipſa dedit, vt ſanguinem conſeruent; hæmorrhoidales autem venas, vt euacuet ſuperfluum, quod ideò ſolùm poteſt conuenire venis hæmorrhoidalibus ortis à vena caua. Tum 4 quia cum arteriæ ſunt aſſociatæ venis or- D tis à vena caua, vt ſanguinem nutrimentoſum conſeruent, eſſent etiam cum hæmorrhoidalibus repertis in inteſtino recto, & aperirentur dum aperiuntur venæ, & ſemper ſuccederet ex illis fluxus incompeſcibilis: ergo nullæ dantur venæ hæmorrhoidales, niſi internæ, quæ ex vena porta propaginem ducunt.

§. II.

Præfertur opinio Laurentij, Altomari, Rondeletij, & aliorum.

REſoluendum, quòd hæmorrhoidea aliæ ſunt internæ, à ramo ſplenetico ortæ, & ex vena porta E prodeuntes, aliæ externæ ab iliaco ramo ortæ ex vena caua deſcendente prodeuntes: ſic tenet Andreas Laurentius *lib. 6 anatomes, quaſt. 26.* Matthæus Curtius *comm. in cap. 26. anatomes Mundini.* Roodeletius *lib. 3. methodi curand. morb. cap 23.* Altomarus *lib. de medendis hum. corp. malis, cap. 76.* Thomas Minadaus *lib. 2. de febre maligna, cap. 7.* & videtur aſſentire Augenius *lib. 10. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem.*

Probatur 1. ex Galeo. *lib. 2. de natural. facul. cap. 9. & lib. 6. de locis affectis, in principio,* dum lien eſt potens trahit fæculentum, quod à iecore gignitur ac

melancho

melancholicum; ſin minus illud per venam cauam fertur. Et ex eodem Galeno *lib. 2 ad Glauconem, c. 10.* quod melancholicum & fæculentum fertur ad venam cauam, & cum commodo viuentis ſolet per hæmorrhoides expelli. Præterea ex Hippocr. & Galeno *lib. 6. aphoriſm. 10.* conſtat dolorem lateris nephriticum præſeruari, ſuperuenientibus hæmorrhoidibus, ſed in morbis pendentibus ab humoribus contentis in vena porta, melius fiet liberatio per venas hæmorrhoidales, quæ ſunt propagines eius: ergo præter hæmorrhoidales à caua ortas ſunt admittendæ aliæ vtiles ortæ à vena porta.

Probatur 2. non minus eſt natura prouida in expurgandis melancholicis humoribus, qui redundant in venis ortis à porta vena, quàm eis, qui redundant B in venis ortis à vena caua per locũ, qui cõfert ad eius euacuationem: ſed melancholiam in ramis venæ portæ redundantem euacuat per venas hæmorrhoidales quæ ſunt rami venæ portæ, tanquam per locum accommodatum illius euacuationi: ergo melancholiam redundantem in ramis venæ cauæ euacuat per venas hæmorrhoidales, quæ ſunt illius rami.

Probatur 3. Natura dum ratione plethoræ cogitur in morbis pendentibus ex illa, ad expulſionem ſanguinis redundantis, plerumque aggreditur euacuationem per extremitates venarum, per quas poteſt plethoram deponere, vt per venas narium, aut vteri: ſed venæ hæmorrhoidales externæ ſunt terminationes propaginum venæ cauæ: ergo per has venas hæmorrhoidales poteſt fieri humorum ex corpore C euacuatio, vt deponatur plethora.

Probatur 4. vt deponatur plethora, natura, iuxta naturam prædominantis humoris cum ſanguine, eligit regionem, qua illam deponat: ſic ſi abundat bilis, aut ſolus ſanguis, deponit per nares: ſi ſint à prædominio craſſi humores, & menſtrua retenta, deponit per vterum: ergo ſi ſimul cum ſanguine complet plethoram melancholicus humor, natura deponit plenitudinem per venas externas hæmorrhoidales.

§. II.

Soluuntur Ioannis Baptiſtæ, & aliorum fundamenta.

AD 1. Reſpondetur, quòd Hippocr. & Galen docent communem euacuationem humorum craſſorum, quæ ſolet fieri per venas hæmorrhoidales internas ortas ex liene, vel vena porta; non tamen negat, quòd etiam ſint venæ externæ hæmorrhoidales per quas poſſit deponi plenitudo ſanguinis, aut melancholici humoris copia, redundantium in vena caua, & eorum ramis. D

Ad 2. Reſpondetur, quòd cùm communior ſit redundantia & copia melancholici humoris in liene, aut ramis venæ portæ, eſt etiam eorum communior euacuatio per venas hæmorrhoidales venæ portæ; & ideò iſtæ aptiores ſunt pati morbos ex huius humoris præſentia; & de iis loquitur tantum Hippocrates.

Ad 3. Reſpondetur 1. quòd licèt ſint exiles rami E hæmorrhoidales externi, ſunt apti expurgare ſanguinem redundantem, & melancholiam exuperantem: quia hæc minus craſſa eſt, quàm quæ recipitur in prima regione, & poſſunt venæ aperiri aptè pro cuiuſuis humoris craſſi euacuatione. Tum ſecundò, quòd natura mittit ad venas varices, quia vt debiles recipiunt, dum autem extra ſunt potentia reſiſtere, tentat euacuationem per alias partes debiliores. Tum tertiò, quòd natura venam cauam, & reliquas dedit vt conſeruet humores naturales, & etiam vt expellat præternaturales, & ineptos nutritioni, vel ſua copia

A irritantes, per partes magis aptas pro eorum expulſione. Tum quartò, quòd arteriæ non ita ſunt aſſociatæ venis, vt non poſſint venæ aperiri, quin aperiatur arteria: alias nec poſſet ſine hoc periculo fieri ſanguinis miſſio, nec hæmorrhagia ex naribus, nec aliqua venarum euacuatio; de omnibus enim probat argumentum.

Resolutio V.

Qualis ſit corporis diuiſio provt petit phlebotomari?

§. I.

Aperitur quid ſub examine veniat.

COrporis humani variæ concipiuntur diuiſiones, ſecundum quod variè conſideratur in ordine ad varios fines: ſecundum quod tres principes partes habet, partitur per earum cauitates, in caput, pectus, & ventrem: provt ab Anatomicis ſciendendum recipitur, in caput, pectus, & ventrem, & artus diuiditur: Nos verò, quia & ipſum provt varias habet venas in partibus conſpicuas, ex quibus phlebotomari poteſt, quas habeat partes, in quibus hoc valeat exerceri remedium, ſeu quot ſunt eius partes reſpectu huius remedij, illic exercendi aptæ, inquirimus.

§. II.

C *Quæſtionis reſolutio.*

REſoluendum, quòd corpus humanum in venæ ſectione præſtanda, in tres regiones diuiditur. Prima eſt earum partium, quæ ſupra collum reſident. Secunda regio continet omnes partes, quæ ſunt inter collum & renes. Tertia regio eſt, quæ infra renes vſque in vltimum pedum extenditur. Sic deducitur ex Galeno *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, c. 15. vſque ad 19. & 6 epidem. comm. 1. & lib. 13. methodi, c. 13. lib. de vena ſect. aduerſ. Eraſiſt. cap. 18.* ex Hippocr. *lib. de oſſibus, & lib. de natura humana.* Et tenet Martinus Valecius *lib. 3.* reliquique Moderniores.

D Probatur: Partitur homo provt aptus eſt phlebotomari in eas regiones, in quibus apparent venæ ſecundùm quas experientia docuit, quòd poteſt phlebotomari: ſed ſecundum propoſitas regiones vſus admonuit, quòd reperiuntur venæ, ſecundum quas poteſt phlebotomari, vt lariùs patebit ſequenti reſolutione: ergo tres ſunt prædictæ admittendæ regiones in hunc finem.

Resolutio VI.

Quæ ſint venæ aptæ in quauis regione phlebotomari.

E

§. I.

Hiſtorica proponitur reſolutio.

VEnarum apertiones variæ ſunt, aliæ ſcarificationibus; aliæ ſanguiſugis fiunt, aliæ ſcalpello: ſcarificationes ex quibuſuis capillaribus fiunt venis: ſanguiſugæ applicantur venis hæmorrhoidalibus, venis frontis, naribus, & in aliis quibuſuis inflammatis corporis partibus: de iis nobis agitur phlebotomicis euacuationibus, quæ ſcalpello ab artifice fiunt.

Reſoluendum, quòd quadraginta ſunt venæ in tribus corporis regionibus aptæ, vſúque comparatæ, quæ ſolent phlebotomari: duæ ſupra viginti in ſuperiore regione; decem in ſecunda; octo in regione inferiori. Sic comprobatur ex Galeno: deducitur ex Cælio Aureliano, & ex aliis Medicinæ Principibus.

Probatur Hiſtorica enarratione: in ſuprema regione phlebotomantur occipitalis vena in occipitio; Suſana ſeu recta in fronte; temporales duæ in temporibus; duæ angulares in oculorum angulis; duæ Parotides in externa Auricularum parte; duæ Aborides in interna; vna Phrenetica in narium extremitate; duæ Solores intra narium cauitates; quatuor in labiis; duæ Sanguiriæ maiores in ſuperiori, duæ minores in inferiori; duæ Leonicæ ſub lingua, duæ organicæ in collo. In regione media nullæ phlebotomantur, niſi dum in brachiis venæ aperiuntur: in iis decem: in vnoquoque quinque: tres in flexura brachij; quæ ſuperior, dicitur Cephalica; quæ inferior, Baſilica; quæ intra has media eſt, communis dicitur. Aperitur alia carpitalis in carpo manus, alia in manu, inter digitum minimum & annularem, & hæc in dextra manu Saluatella; in ſiniſtra Splenetica vocatur: alia præter iſtas in humero humeralis ſolet phlebotomari: de qua phlebotomi non meminêre, forſan quia idem eſt ramus, ex quo progrediuntur inferiores; vel quia non multùm in vſu eſt eius apertio. In regione infra renes, octo venæ phlebotomandæ annumerari ſolent, quas & alij ad breuiorem reducunt numerum: hæ ſunt, duæ ſub genu in cruribus; quatuor in pede, Saphenæ nuncupatæ in parte interna Malleoli, quæ & Virginales vterinæ ab aliis dicuntur: aliæ duæ in externa parte circa Malleolum, quas Sciaticas vocant, duæ aliæ Empercipes vocantur ab aliquibus, quæ in parte pedis ſuperna ad digitum maiorem terminantur. Sic Auicenna *fen.4.1.diſp.1.c.20.* Actuatius *lib.3.cap.1.*

RESOLVTIO VII.

Vtrùm in venis inferioris Regionis eadem ſit ratio vniuſcuiuſque aperiendæ.

§. I.

Pars affirmatiua ex Arabum familia deducitur.

ARabes fulti Auicennæ authoritate conantur inter venas pedis ſtabilire differentiam, ſecundum quam, vt diuerſæ ſunt, diuerſis valeant prodeſſe earum apertiones affectibus: quibus fauet,

Primò, Auicenna *lib.5. fen.21.tract.2. cap.25.* dicit quòd pro Sciatica magis conducit phlebotomia facta ex vena Malleoli externi, quæ ideò Sciatica dicitur; ſi autem vterus patiatur, venam internam docet ſecari, quæ Saphena dicitur; ergo pro diuerſis curandis morbis, diuerſæ venæ ſunt ac diſtinctæ in pedibus aperiendæ.

Secundò, Hippocrates *lib.6. aphoriſm. ſententia 36. Difficultatem vrinæ vena ſecta iuuat, ſecare verò interiores, &c.* vbi Galenus per interiores, inferiores pedum venas intelligit: ergo pedum venæ diuerſæ ſunt, & diuerſo modo pro diuerſis curandi morbis poſſunt ſcindi.

Tertiò. Venæ externæ maiorem directionem habent cum Sciatica, ſicut internæ cum vtero: ſed ratione maioris directionis perfectiùs fit reuulſio: ergo diuerſæ pedum venæ diuerſo modo proſunt pro diuerſis morbis curandis.

§. II.

Ex Galeno præfertur tenenda opinio.

REſoluendum: quòd in venis inferioris regionis, nulla eſt differentia, quæ magis vnam, quàm alteram cogat aperire.

Probatur 1. ex Galeno *l.6. aphoriſm. comm.36.* vbi cùm Hippocrates de venis internis conſulat pro vrinæ difficultate phlebotomiam; loquit: *Si verò de iis ipſum quis dixiſſe arbitretur,* (id eſt de pedum venis) *ſecare autem anteriores: Hoc dictum paruam vim habet: ab vna enim ambæ naſcuntur in poplite trifariam diuiſa, quoniam & vna vena ad hoc peruenit membrum, non ſicuti ad manum, duæ:* ergo ex Galeni doctrina ſanguinis miſſio ex pede indifferenter ex qualibet vena fieri poteſt.

Probatur 2. ex Paulo *lib.5. cap.9.* ex Aëtio *ſermone 4. tetrabili 3.* vbi in Sciatica conſulunt mittere ſanguinem ex venis ſub genu, vel in pede: ergo quia ex qualibet inferioris regionis vena poteſt indifferenter ſanguis mitti.

Probatur ex communi omnium Anatomicorum ſententia: Vnus eſt ramus venæ cauæ deſcendentis, qui partitur in omnes venas regionis inferioris: ergo quod ab vno, aut ab alio crurium, aut pedum fiat ramo, ſemper ſanguinis miſſio fit ab eodem ramo cauæ deſcendentis.

§. III.

Soluuntur Barbarorum fundamenta.

AD 1. Reſpondetur, quòd Auicennæ ſtetit aſſenſus ad directionem, ratione cuius in Sciatica ab externis partibus, in interois morbis ab interna videbatur exercenda ſanguinis miſſio, ſed cùm vena ſit eadem, & non ſint diuerſæ venæ, quarum aliæ ab internis, aliæ ab externis trahant partibus, ideò ab vna, aut ab alia ſanguinem mittere nihil intereſt.

Ad 2. Reſpondetur quòd Hippocratis ſententia non illius manifeſtat mentem, & ideò à Galeno dubiè admittitur; & nihil obſtare contra noſtram doctrinam determinat, ob rationes ab ipſo, & à nobis adductas.

Ad 3. Reſpondetur, quòd probat directionem maiorem; non autem dari diuerſas venas, quæ ratione directionis poſſint magis ex vna parte, quàm ex alia attrahere.

SECTIO III.

De loco mittendi ſanguinem in febribus.

IN omni febre putrida ſanguinem mittere decreuit Antiquitas: ex brachiorum venis eſſe mittendum communis Claſſicorum praxis confirmauit. An reuulſoria ab illis indicetur ſanguinis miſſio, plurium ante noſtra tempora vexauit ingenia: In illis ſuborta eſt opinio aliquorum conantium ſaltem in febrium principiis reuulſoriam ſanguinis miſſionem ex pede exercendam: quorum omnium placita nos iterum reuocant in hanc examinandam doctrinam.

RESOLVTIO I.

Verùm ſanguinem mittere in omni febre putrida ſit ſaluberrimum?

§. I.

Montiſiani, Vegæ, Petri Bacij, Syluatici, Curtij, Criſpolti, & aliorum referuntur opiniones.

SAluberrimum eſſe omnibus febribus putridis ſanguinem mittere non continuis modò, verùm in aliis omnibus, quas putreſcens concitat humor; Sancivit Galenus lib. 11. meth. cap. 15. Sed qualiter hoc communiſſimum præceptum debeat intelligi, non parum vexauit Dogmaticorum ingenia. Dominicus Montiſianus quæſt. 17. Vega lib. 1. meth. cap. 2. Lemos in idem caput, Petrus Bacius cenſura in. to. tra Peredam, Syluaticus in controuerſiis med. cis, Galenum intelligendum iudicant de omnibus febribus putridis pendentibus ex plenitudine. Matthæus Curtius intelligit de febribus putridis ortis ex plenitudine quoad vaſa. Antonius Contugius, & Bernardinus Criſpoltus intelligunt Galenum de febribus putridis ortis ex quovis humore ſanguini commixto forma & ſpecie. Lupeius vt refert Moxius lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, cap. 11. intelligit Galenum de febribus ortis ex ſanguine, aut bile putreſcentibus. Cardanus lib. 4. de morbo regio, de omni febre putrida, etiam ſi non ſit plenitudo, intelligendum Galenum aſſerit. Quòd autem de ſolis febribus à plenitudine ortis intelligendus veniat probant.

Primò, Galenus conſulit ſanguinis miſſionem, vt leuetur natura, & ab eo, quo veluti ſarcina premitur, exoneretur: ergo ratione plenitudinis corpus onerantis indicatur.

Secundò, Galenus lib. 1. ad Glauconem cap. 13. cauſam mittendi ſanguinem proponens, docet quod eſt plenitudo, §. ſanguinem verò mittere oportet, & propter morbi magnitudinem, & quibus robur multo plus quàm naturâ conuenit, & maior quàm pro conſuetudine totius corporis humor, & venæ eius eſtes, atque extenſæ: ergo ratione plenitudinis exercetur in febribus.

Tertiò, ſanguinis miſſio ex Auicenna eſt euacuatio plenitudinem euacuans: ergo in febribus putridis ratione plenitudinis indicatur.

§. II.

Dogmaticorum communis opinio ſancitur.

REſoluendum, quòd ſanguinis miſſio non indicatur ab humoribus pendentibus ex humorum cacochymia. Sic ex Hippocrate, & Galeno deducitur. Probatur tum 1. ex Hippocrate, quia in humoribus turgentibus, in quibus manifeſta apparet cacochymia, ſtatim purgare in febribus pendentibus ab illis docet; nunquam verò ſanguinem mittere. Tum ſecundò, quia concocta medicari, ac mouere docet; non cruda: quia dum febris pendet à materia iam cocta, & ſeparata à ſanguinis commixtione, materia ex qua fouetur eſt cacochyma, & non valet indicare ſanguinis miſſionem. Tum quia ſanguinis miſſio indicatur à vitio ſanguinis; cacochymia verò accidit humoribus ab eius commixtione ſeparatis. Tum quia a febribus pendentibus a cacochymia indicatur purgatio: ergo non ſanguinis miſſio; quia ſunt diuerſa eorum indicantia.

§. III.

Noſtra ſancitur opinio.

REſoluendum ſecundò, quòd Galenus venit intelligendus de omni febre putrida pendente ex vitio ſanguinis, ſiue in Quanto, ſiue in Quali, vel à quolibet alio humore ſanguini commixto, & non ſupernatante. Sic ſancitur, & latiùs comprobatum eſt à nobis diſputatione de ſanguinis miſſione.

Probatur 1. rationibus, & auctoritatibus ibi ſimiliter adductis. Tum deinde, Auicenna fen. 1. 4. cap. de phlebotomia, ſic ſancit, 4. Vniuſquiſque autem eorum, aut phlebotomatur propter ſanguinis multitudinem additam, aut propter ipſius malitiam, aut propter vtrumque. Ex quo apparet, quod ſine plenitudine, propter vitium humorum ſanguini commixtorum exerceri poteſt ſanguinis miſſio. Quam doctrinam priùs ſancit Galenus pluribus in locis, in quibus ſanguinis miſſionem ſine plenitudine exerceri poſſe fatetur ex vitio ſanguinis aliter ſuperueniente. Tum lib. 11. meth. cap. 14. § quippe ſi vires eius, qui ex putredine humorum febri vexatur, ſint valentes, mittendus ſtatim ſanguis eſt. En ex ſolo ſanguinis vitio indicari poſſe in febribus putridis ſanguinis miſſionem. Tum cap. 15. ſequenti, § qui febricitant, ſi valentes viribus ſint, omnibus ſanguinem ab initio mittes: vbi non requirit plenitudinem. Tum lib. 9. meth. cap. 11. § Memineris verò mihi ad ea quæ dicenda ſunt & quorum cauſa vera ſcilicet reperietur: nam quo tam hac ſanguinis euacuandi gratia adhibetur; ſanguinis autem vtilis natura eſt, vtique hunc probè adminiſtrari conuenit, ſic vt quod inutile naturæ ſit, emittat. Fit autem ſanguis naturæ inutilis ſi praua... vel cùm propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius, vt priùs, cùm vtilis eſſet, nutrire poteſt vel ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias, quæ diſtendat, vel findat, vel obſtruat. Ex quo apparet quod ex vitio in Quanto, aut Quali, in febribus indicatur ſanguinis miſſio.

Probatur 2. ratione: Febris pendens ex vitio ſanguinis ſiue in Quanto, ſiue in Quali, indicat ſui ablationem per remedium magnum, quod euacuet cauſam; ſed non per purgationem, quia hæc non indicatur à vitio ſanguinis, ſed à vitio ſeu cacochymia reliquorum humorum à ſanguinis commixtione ſeparatorum: ergo de omni febre putrida pendente ex vitio ſanguinis in Quali, aut Quanto, debet intelligi Galeni doctrina.

§. IV.

Soluuntur fundamenta communioris opinionis.

AD 1. reſpondetur, quod natura leuatur per ſanguinis miſſionem à vitio in Quanto, vel in Quali; & ideò à febribus pendentibus ab vtroque indicatur.

Ad 2. reſpondetur, quòd Galenus docet ſanguinem mittendum in febribus ortis ex plenitudine; non tamen negat quod etiam in eis, quæ à vitio ſanguinis pendent ſine illa, imò hoc ſæpius docere intendit, vt ex dictis patet.

Ad 3. reſpondetur, quòd Auicenna deſcriptiuam diffinitionem ſanguinis miſſionis tradit, per id quod communiter contingit, quod eſt, plenitudinem auferre; non tamen negat quod non ſe extendat ad auferendum vitium ſanguinis in Quali; imò hoc docuit expreſſiùs, vt patet ex dictis.

RESOLV

Resolvtio II.

Vtrùm in febribus putridis ſanguinem mittere ex pede ſit conſonum Galeni doctrinæ, ſaltem in principio?

§. I.

Proponitur ſtatus difficultatis, aperiuntur Modernorum fundamenta pro parte affirmatiua.

Recenter inter Hiſpalenſes Medicos nonnulli conantur ſuadere in principiis morborum materialium, maiori ex parte in principio debere exerceri reuulſoriam ſanguinis miſſionem ex pede. Et hanc opinionem Galeno adſcribere contendunt, his fulti,

Primò, quia in febribus illis, in quibus redundant excrementitij humores in prima regione, debemus ſanguinem mittere ex pede iuxta Galeni decretum *lib. de ſanitate tuenda*, *& lib.9. meth.* ne excrementitij illi humores, ſanguine miſſo ex brachiis, ferantur ad venas, & coïnquinent maſſam ſanguinariam: ſed febres ardentes pendent ex vitiatis humoribus contentis in prima regione, vt docuit Galenus *lib.1. epidem. commento 1. textu 9. & commento 2. textu 2. & 75.* ergo in his febribus ſaltem ex Galeni doctrina ſanguis eſt mittendus in principio ex pede.

Secundò, ſi iecur, aut lien patiuntur, neceſſe eſt magnam copiam excrementorum, & ſuperflui humoris redundare in partibus illis vicinis primæ regionis, quæ, ſi fiat ſanguinis miſſio ex brachio, ferantur ad ſecundam, & ſimul cum ſanguine commiſceantur: ſed ex eodem Galeno conſtat *libro primo de arte curatiua ad Glauconem*, *cap.12.* quòd ſemper in Tertiana iecur patitur; in Quartana lien: ergo iuxta Galeni doctrinam in his febribus ſemper debet exerceri ex pede ſanguinis miſſio.

Tertiò, in febribus ortis ex ſanguinis feruore ex Galeno *libro de ſanguinis miſſione*, *cap.12.* ſtatim eſt mittendus ſanguis præcautionis gratiâ, ne ruat in partem principem: ſed ex eodem Galeno ſanguini, ne fluat in partem principem, conuenit reuulſio ad partem diſtantiorem, vt patet ex eodem *libro de ſanguinis miſſione*, *cap.19.* vbi præcautoriam ſanguinis miſſionem ex pede conſulit: ergo iuxta eius doctrinam ex pede debet fieri ſanguinis miſſio in his febribus.

Quartò, conſonum eſſe Galeni doctrinæ ſuadent, quia plures Claſſici ex Dogmaticis admittunt in febribus debere ſanguinem mitti ex pede ſaltem in principio.

§. II.

Communis Dogmaticorum ſancitur opinio.

Reſoluendum, quòd ſtando in Galeni doctrina, ſanguinis miſſio in omni febre, vt putrida, debet fieri ex brachiis. Dixi de febre *vt putrida*, quia non diſputo nunc de malignis, aut peſtilentibus; nec de illis, quæ fiunt per defluxum humoris in determinatam partem; nec de illis, quæ complicantur cum aliis affectibus indicantibus ſanguinis miſſionem reuulſoriam. In quo ſenſu hanc doctrinam admittit Dogmaticorum communior aſſenſus.

Probatur primò, *lib.11 meth.cap.15.* In omni febre putrida ſanguinis miſſio exercetur, vt leuata natura, & eo, quo veluti ſarcina premitur, exonerata concoquat, quod concoqui eſt habile: ergo in febre putrida, vt putrida eſt, ex illa parte debet fieri, ex qua melius poſſit leuari natura, ſanguine miſſo: ſed facta euacuatione ex venis brachij, melius leuari poteſt natura, vt concoquat, quod concoqui eſt habile: ergo ſtando in Galeni doctrina, in omni febre putrida ex brachiis ſemper ſanguis eſt mittendus. Probatur minor ſubſumpta; meliùs leuari poteſt natura, ſi exoneretur, quo veluti ſarcina premitur, illud euacuando ex parte, qua continetur, vel ex viciniori parte habente cum illa communicationem, vt docet Galenus *lib. artis medicinalis, cap.95. & lib. de ſanguinis miſſione*, *cap.19.* ſed putrida febris pendet ex putredine humorum manentium intra alas, & inguina, & præcipuè in omnibus vaſis venæ cauæ aſcendentis, quæ cum venis brachij maiorem habent communicationem, vt docet Galenus *lib.11. meth cap.4 §. quoniam putredo vel æqualiter in omnibus ſubſiſtit vaſis, vel in maximis, maximéque principalibus, ea porro ſunt inter alas, & inguina, &c.* ergo meliùs fiet euacuatio facta ſanguinis miſſione ex venis brachij, quæ maiorem cum illis habent vicinitatem. Patet conſequentia ex eodem Galeno *lib.13. meth. cap.11.* vbi reddit rationem hanc, vt debeat ex brachij venis fieri ſanguinis miſſio, dicens: *Propterea quod è regione & ampla via cum vena, quæ caua dicitur, ſocietatem habet, &c.*

Probatur ſecundò, ſi in aliqua febre putrida eſſet ſanguis mittendus ex pede, maximè, vt contendunt aliqui, in febribus ardentibus, de quibus Galenus *libro 1. epidemion*, *Commento 1. text. 9. & textu 20. & 73.* bilis putreſcit in venis circa ventriculum, & concauam iecoris partem, quia ibi redundant plures excrementitij humores: ſed ſuperueniente phlogoſi, aut inflammatione in ventriculo, aut liene, ſanguinis miſſio debet exerceri in venis brachij, ſiue fieri petat causâ euacuationis, ſiue causâ reuulſionis, iuxta Galeni doctrinam; ergo ſtando in Galeni doctrina in febribus putridis ſemper ſanguinis miſſio debet fieri ex brachio. Probatur minor ex eodem Galeno *lib.13. meth. cap.11. citato, §. Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit ſanguis, interna in dextro cubito ſecta vena: propterea quòd è regione, & ampla via cum vena quæ caua dicitur, ſocietatem habet: hac non apparente, media ſecanda eſt, quòd neque ſi hæc ſe oſtenderit, tertia eſt incidenda.*

Dices, quòd loquitur Galenus de ſolis humoribus fluentibus ad iecur, & efficientibus inflammationem, ratione cuius debet fieri ex brachio reuulſio.

Contra ſtat, tum.1. quod in omni febre pendente ex bile putreſcẽte in iecore è vicinis venis fit inflammatio in ipſo. Tum 2. quod contrariè opinantes in his febribus contendant debere fieri ex pede ſanguinis miſſionem reuulſionis gratiâ; cuius contrarium Galenus docet conſulens ſanguinis miſſionem ex brachio in iecoris phlogoſi, & inflammatione. Tum 3. quia in febribus in iecore, & internis partibus ortis ſunt circa illum humores ſuperflui redundantes, qui poſſent ferri in venas cum reliquis humoribus; & hoc non obſtante ſanguinem mittere docet Galenus ex brachio. Tum 4 quia ſanguine miſſo ex pede, cùm à vena caua euacuetur ſimilis refluxus humorum, qui ſunt circa iecur, aut ventriculum, deberet fieri ſucceſſione ad id quod euacuatur; & ſic non obſtat quod fiat ſanguinis miſſio ex pede, magis, quàm quod fiat ex brachio: ergo ſtando in Gal. doctrina, in omni febre putrida, adhuc ſi oriatur ex ventriculi, aut iecoris inflammationibus, aut humoribus in illis redundantibus; ex brachio ſemper ſanguis eſt mittendus, ſiue

fiat

fiat euacuationis gratiâ, ſiue fiat causâ reuulſionis.

Probatur tertiò: ſi ex Galeno poſſet deduci ſanguinem in febre putrida eſſe mittendum ex pede, maximè vt contrariè opinantes deducere conantur ex illo *lib. 1. de arte curatiua ad Glauconem*, *cap. 5.* quia in omni Tertiana patitur iecur, & in omni Quartana patitur lien, quorum causâ venas proximas vitioſis humoribus repleri eſt neceſſe, à quibus indicatur ſanguinis miſſio ex pede; ne miſſo ex brachio, hi humores ſurſum ferantur: ſed ex vitio harum partium, neque ex humoribus redundantibus venis vicinis illis, nullum inconueniens, nec contraindicans inuenit Galenus, quo minus conſulat ſanguinis miſſionem faciendam eſſe ex brachio: ergo ſtando in eius doctrina, ſanguinis miſſio in febribus putridis ſemper debet exerceri ex brachiis. Probatur minor, de iecore inflammato patet ex Galeno nuper citato *lib. 13. Meth. c. 11.* vbi in iecoris inflammationibus, non obſtantibus humoribus vitioſis fluentibus ad iecur, & contentis circa illud, imò ratione illorum conſulit ſanguinis miſſionem ex brachij venis. De liene verò patiente, & vaſis vicinis vitioſis humoribus repletis; quòd indicent ſanguinis miſſionem ex brachio, vel non impediant, ſimiliter ſanciuit *lib. 1. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 11. §. ecſi vena ſecta, ſanguis niger, aut craſſus, qualis maximè in lienoſis conſpicitur, profluat, audacter mittendus eſt ſanguis; ſin flauus, aut tenuis, ſtatim ſupprimendus, ſecanda verò vel interna, vel media ſiniſtri cubiti vena eſt.* Et de vtroque idem protulit *libro de ſanguinis miſſione*, *cap. 16. §. affecto verò vtero, latere, pulmone, ſepto tranſuerſo, liene, aut iecore, aut ventriculo, ea, qua per alas cubiti iuncturam pertingit, ſcilicet aperienda vena* Ergo ex Galeno in vitio iecoris, aut lienis vitioſis humoribus in venis proximis redundantibus ſanguinis miſſio ex brachio debet exerceri.

§. III.

Soluuntur, quæ ex Galeno ad contrariam opinionem fouendam deducuntur.

AD primum reſpondetur, quod ex Galeni adductis teſtimoniis ſolùm probatur, quod febris ardens fiat ex bile in illis locis putreſcente; ex eo verò quòd humores putreſcant circa internas partes, non ſequitur reuellendum ex pede per ſanguinis miſſionem; ſed quod ſunt euacuandi, ſecundum quod indicatur eorum euacuatio: nam ſi ſunt extra venas in prima regione, per clyſteres, aut lenientia per inæ ad ventrem ferri; ſi intra venas, & ſunt cacochymi, indicant purgatiuis ſelectiuis purgari pharmacis; ſi ſunt commixti ſanguini, indicant ſanguinis miſſionem, quæ, vt docet Galenus, ſiue fiat euacuationis cauſa, dum iam fluxerunt; ſiue reuulſionis gratia, dum fluunt; debet fieri ex brachio ob rationem ab illo adductam, & quia idem inconueniens ſequitur aperta vena ex brachio, quàm ex pede, quantùm ad hoc, quod eſt humores ibi contentos ſurſum retrahere.

Ad 2. reſpondetur, quòd ſi patiente liene, aut iecore, magna excrementitij humoris copia ſeparata à ſanguinis commixtione in prima regione redundat, clyſteribus, aut lenitiuis pharmacis ſoluenda; ſi ſit cacochyma in venis, euacuabitur ſelectiuis; ſi ſit ſanguini commixta, indicabit ſanguinis miſſionem ex brachio iuxta Galeni decretum faciendam, *locis citatis*.

Ad 3. reſpondetur, quod ex Galeno *lib. de ſanguinis miſſione*, *cap. 12.* ſolùm colligitur, quod in febribus ex feruore ortis, ſanguis ſtatim mittatur: quòd autem fiat ex pede ſanguinis miſſio, non colligitur ex *libro de ſanguinis miſſione, cap. 19.* vbi enim Galenus repetit doctrinam, quam tradiderat *libro 6. Aphoriſmorum*, *commento 47.* quod ſcilicet Vere conuenit præcauere morbos ſiue ex brachio, ſiue ex pede ſanguinem mittendo. Neque enim ex eo quod *ibi* indifferenter conſulat venæ ſectionem, colligitur, quòd indifferenter debeat fieri in febribus; quia *ibi* proponit præceptum vniuerſale de ſanguine mittendo in præcautione omnium morborum, qui poſſunt ſanginis miſſione præcaueri; & in hac indifferentia proponit quòd fiat ex pede, vel ex brachio. Febres autem morbi ſunt determinati, in quibus determinata eſt indicatio mittendi ſanguinem ex brachio, vt ex eodem Galeno deduximus.

Ad 4. reſpondetur, quòd Auctores contrariè opinantes ſuadent, quòd fuerint illius opinionis; non autem quòd ſtent in Galen. doctrina. Præterquam quod, illorum plerique loquuntur de febre peſtilente, aut maligna; de qua infra agemus: alij verò non de indicatione deſumpta à febre, ſed ex alio affectu ibi complicato loquuntur.

Resolvtio III.

Vtrùm in omni febre putrida indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria à vitio ſanguinis in motu?

§. I.

Status difficultatis proponitur: Complutenſis Carrerri opinio refertur?

DEcreuimus *diſputatione de ſanguinis miſſione*, quòd ſanguinis miſſio indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in Quantitate, Qualitate, aut motu. Febres cauſari ex vitio in Quanto, & in Quali conſtat manifeſtè ex eis, quæ *ibidem* dicta ſunt; & latius proſequuti ſumus *parte 3.* Sed explicandum reſtat, an etiam in febribus putridis reperiatur vitium in motu in humoribus cauſantibus febrem, à quo indicetur in illis ſanguinis miſſio reuulſoria? Carrerius *feu. 1. 4. tractatu 5. diſput. 7.* totis viribus conatur ſuadere, quod in omni febre putrida datur vitium in motu in humoribus, ratione cuius indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria: cui fauet,

Primò, quia ſanguinem mittimus ratione obſtructionis: in ea autem duplex eſt indicatio, altera euacuandi quod fluxit, altera reuellendi quod fluit, vt docet Galenus *lib. 11. meth. cap. 10. §. Inhibetur autem quod futurum eſt, ſi affluxum obſtruentium humorum compeſcas.* Tum 2. idem colligitur ex Galeno *libro 8. meth. cap. 4. §. Cernimus autem aliquando etiam quod multum eſt, cum ſimul totum confluit obſtruendo hærere, inſigiq; non minus quàm ea quæ glutinoſa ſunt, & craſſa; quod ſi per meatus anguſtos eſt tranſitus, multo profecto magis retineri.* Tum 3. *libro 4. de ratione victus in acutis*, inquit, *Modum alterum dico, dum ex validioribus partibus ad imbecilliorem aliquam mittuntur.* Tum 4. *libro 3. de tuenda valetudine*, *cap. 10.* docet fieri obſtructionem ex humoribus fluentibus ad cutem. Tum 5. *lib. 2. de differentiis febrium*, *cap. vltimo*, docet, humores ante acceſſionem fluere in febribus putridis Tum 6. *libro 4. aphoriſmorum*, docet, in febre ardente moueri humores, §. *Nam febrem ardentem fieri nouimus, quando æſtiuo tempore venulæ exſiccatæ acutos, ac bilioſos ad ſe humores attraxerunt.*

Tum

Tum. 7. *libro* 1. *epidemion*, *ſectione* 1. *textu* 4. febres ardentes per impulſos humores cauſari affirmat: ergo in febribus putridis indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Secundò, idem ſuaderi poteſt, quia in omnibus febribus putridis ratione putredinis humores alterantus, leuitatem acquirunt, ac raritatem, fuligines eleuantur ad cor, illud alterant ac calefaciunt, adimpléntque extraneâ ſubſtantiâ, quam reuellere eſt opus: & in Tertianis pernicioſis datur motus humorum in partes principes, vel in ventriculum: ergo indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Tertiò, in omnibus febribus intermittentibus datur ante acceſſionem humorum motus ad ambitum corporis, vel alias corporis partes; in omnibus continuis non continentibus mouentur humores ante acceſſionem ſaltem ad extremitates venarum: ergo in continuis, & intermittentibus datur in ſanguine vitium in motu, ratione cuius indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria.

§. II.

Caxanis, Augeij, Syluatici opinio præfertur.

RESoluendum 1. quòd non in omni febre putrida reperitur humorum vitium in motu: ſic Syluaticus *controuerſia* 44. Caxanes *lib.* 8. *aduerſus Valentinos*, Augenius *lib.* 8. *de ſanguinis miſſione*.

Probatur primò, ex Galeno *lib.* 11. *meth. cap.* 15. vbi tradens cauſam mittendi ſanguinem in omni febre putrida, inquit, *vt leuata natura, eo quo veluti ſarcina premitur*, &c. ergo ex Galeno cauſa mittendi ſanguinem eſt, quia humores fixi in parte naturam opprimunt.

Probatur 2. ex eodem Galeno *lib.* 2. *de differentiis febrium, cap. vltimo*, §. *Sed quæ circuitum non habent in eis nulla eſt corporis pars, quæ præcipuè ſit offenſa, ſed quæ in venis, & arteriis continentur humores*: ergo ab humoribus contentis & quietis intra venas cauſantur aliquæ febres ſine eorum motu; ſaltem quæ non habent circuitum.

Probatur 3. ex Galeno *lib.* 11. *method. c* 4. §. *Quoniam putredo vel æqualiter in omnibus ſubſiſtit vaſis, vel in maximis, maximéque principalibus, ea porrò ſunt inter alas, & inguina*: ergo ex Galeno febres putridæ cauſantur ab humoribus quietis & intra vaſa contentis maiora, ſine eorum motu.

Probatur 4. Febres continentes continuò, & eodem modo ſemper affligunt, quia ſanguis ex cuius putredine, aut vſtione fiunt, continuò, & eodem [illegible] ſemper permanet: ergo non ſemper in febribus datur humorum motus.

§. III.

Aliquibus febribus putridis omni tempore denegatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

RESoluendum ſecundò, quòd ſanguinis miſſio reuulſoria ex pede, febribus aliquibus eſt deneganda. Sic tenent Auctores citati §. 2.

Probatur: ſanguinis miſſio reuulſoria ſolùm indicatur dum humor fluit, ac mouetur ad aliquem locum, in quem non fluere oporteret, vt Hippocrates docet *lib.* 6. *ſectione* 2. *textu* 19. §. *reuellere ſi quò non oportet vergat*. Sed, vt probauimus, ſunt aliquæ febres putridæ, quæ pendent ab humoribus quietis: ergo in his febribus nulla reuulſoria ſanguinis miſſio indicatur.

§. IV.

Soluuntur Garciæ auctoritates, & rationes pro eo adducta.

AD primum reſpondetur, quòd omnes auctoritates probant, quòd ante febres ortas ex obſtructione datur motus humorum cauſantium obſtructiones; & ante aliquas febres ardentes datur motus bilis ad partes, in quibus putreſcens cauſat febres ardentes; non autem quòd moueantur humores, qui putreſcunt, & ſunt cauſa febrium.

Ad 2. reſpondetur, quòd non probatur, quòd ratione illius motus indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria, nec quòd in omni febre detur localis totius humoris motus in aliquam partem, à qua debeat reuelli: quia ſolùm indicatur reuulſio, ſi quò non oportet vergat.

Ad 3. reſpondetur, quòd de motu humorum ad partes externas, *infrà* determinabimus, quid dicendum reſpectu reuulſionis; & quòd ex illo non infertur, quòd ſemper in omni febre putrida detur humorum motus, cùm præter intermittentes dentur aliæ, in quibus non reperitur, vt probauimus: nec in illis indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria, quia vergunt quò debent.

RESOLVTIO IV.

Vtrùm in febribus in quibus aliquod eſt vitium humorum in motu, indicetur ratione illius ſanguinis miſſio reuulſoria?

§. I.

Carreiri proponitur opinio, & pro illo adducuntur fundamenta.

DEcreuimus dari aliquas febres putridas ex putredine humorum ortas ſine eorum humorum motu; & conſequenter nullam in illis indicari ſanguinis miſſionem reuulſoriam: quod conſonum eſt doctrinæ de reuulſione, in qua ex Galeno, & Hippocrate decreuimus ipſam indicari ab humore fluente in partem, in quam non deberet flui: ſed quia aliæ ſunt febres, in quibus non poteſt denegari aliquis motus localis humoribus, à quibus pendent: de hia inquirimus an ratione talis motus indicent ſanguinis miſſionem reuulſoriam? Carreirus iam citatus, ratione motus cuiuſvis humorum ſemper in febribus putridis indicari ſanguinis miſſionem reuulſoriam conſtanter defendere conatur; his fultus,

Primò, reuulſio eſt auerſio humorum fluentium in aliquam partem, vt colligitur *ex Hippocrat. lib.* 6. *Aphoriſmorum, ſectione ſecunda, textu* 29. §. *Reuellere ſi quò non oportet vergat*. Ex Galeno *in commentario*, §. *Atras iam hæc didiciſti ducenda planè eſſe, quæ vergunt per conuenientes regiones; auertenda autem, ac reuellenda, quæ non bene vergunt*. Et ex Oribaſio *collectaneorum cap.* 19. §. *Vehementiſſimos ſuccorum influxus reuulſoriis præſidiis confertim ingruere prohibemus*: ergo ſi in putridis febribus detur humorum aliquis motus, ratione illius indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Secundò, in febribus ex inflammatione ortis ſanguinis miſſio reuulſoria indicatur, vt docet Galen. *lib.* 4. *meth. cap.* 10. §. *ſed & incipiendam ab inciſa vena curationem eſſe, id quoque minimè latere arbitror, qui præſertim memineris, quæ in curatione febrium de*

*ſangu*ı*s*

ſanguinis miſſione dixeris: ſed eadem eſt ratio de reliquis febribus putridis, in quibus humor mouetur: ergo in omni febre putrida ratione humoris, qui mouetur, indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Tertiò, in ictu, & caſu, ratione motus humorum mittitur ſanguis reuulſionis cauſà, etiam ſi plenitudo non detur, vt Galenus tradidit; ſed in febribus putridis, pluribus probauimus humores moueri, Tum 1. partibus putredine inter ſe deuotis: Tum 2. vaporibus & fuliginibus eleuatis ad cor: Tum 3. commotis humoribus ad extremitates vaſorum in acceſſionibus febrium intermittentium: Tum 4. motu erroneo in partes principes in principio acceſſionum in Tertianis perniciofis: ergo ſimili ratione debet indicari in his febribus ſanguinis miſſio reuulſoria.

§. II.

Caxanis amplectitur doctrina.

RESoluendum, quòd licèt concedatur, aliquam fluxionem humorum reperiri in febribus putridis, numquam eſt verum ratione illius à febribus putridis indicari ſanguinis miſſionem reuulſoriam. Hanc fouent opinionem aliqualiter Augenius, & Syluaticus: ſed viriliter eam defendit Caxanes *lib. 2. aduerſus Valentinos.*

Probatur 1. ratione fundamentali deducta ex noſtra doctrina: ſanguinis miſſio indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu; ita vt quovis vitio ex his dicatur indicari, quando ratione illius fouetur & cauſatur morbus: ſed febris putrida à qua indicatur ſanguinis miſſio, nunquam poteſt cauſari nec foueri ratione vitij in motu, ſed propter vitium in Quanto, aut Quali, à quibus præternaturalis fit, ac fouetur calor præternaturalis: ergo nunquam indicatur à febre ratione vitij in motu, ſed propter vitium in Quanto, aut Quali.

Dices, quòd contingit aliquando dari in febribus vitium humorum in motu, ratione cuius indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria, vt in iecoris, lienis, vteri, pleuræ, aut alterius partis inflammatione orta ex humoribus fluentibus in partem affectam.

Sed contrà ſtat, quòd ibi reperitur duplex indicatio mittendi ſanguinem: alia, quæ deſumitur à febre, prout eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, aut qualitate, à qua indicatur ſanguinis miſſio euacuatoria eius materiæ, à qua veluti ſarcina premitur natura: alia indicatio ſumitur ab inflammatione, prout eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in motu, prout ab illo cauſatur inflammatio: ergo adhuc dato humorum motu, à febre putrida nunquam deſumitur indicatio ſanguinis miſſionis reuulſoriæ.

Probatur ſecundò, ſi ſanguinis miſſio reuulſoria indicatur à febre putrida, vel indicaretur ab illa prout eſt febris, vel prout pendet à vitio ſanguinis in Quanto, aut Quali: ſed prout pendet ex vitio ſanguinis in Quanto, aut Quali, ſolùm indicat ſanguinis miſſionem euacuatoriam; quia reuulſoria, ex Hippocrate, ſolùm debetur

A humoribus, qui quò non oportet vergunt; & à febre, vt tali, nulla indicatur ſanguinis miſſio per ſe, ſed refrigeratio; & ſi per accidens indicetur hæc, vt euacuatoria indicatur, vt, depoſita ſarcina melius ventiletur quod relinquitur: ergo adhuc motu humorum admiſſo, à febre vt putrida, nulla indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Probatur 3. admiſſo quòd in principio acceſſionum moueantur humores ad extremitates venarum, ad primam regionem, vel ad ambitum corporis, non indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria a febre putrida: ergo adhoc admiſſo humorum motu in materia quæ febrem cauſat, non indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria. Probatur antecedens: B Tum quia mouetur humor ad partes in quas debet tunc moueri, & ex Hippocrate, *Quò natura vergit per loca conferentia, eò ducere oportet.* Tum quia reuulſio non debetur niſi dum humores feruntur, quò non deberent, ex Hippocrate 6. *Epidemion, ſectione 2. textu 29. §. reuellere ſi quò non oportet, vergat*: in principiis autem acceſſionum vergit humor quò debet. Tum quia fluente humore deberet fieri ſanguinis miſſio reuulſoria; at verò dum fluit humor in acceſſionibus non debet ſanguis mitti; quia, vt inquit Celſus, in acceſſionibus ſanguinem mittere ægrum eſt iugulare. Tum quia per illum motum humores ſeparantur à corde, & internis partibus; per ſan- C guinis miſſionem autem fluerent iterum ad illas: ergo dato motu humorum in febribus putridis, adhuc ab illo non indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Probatur 4. adhuc ſi humores attrahentur, ſi fuligines ſeparentur, ſi ad cor ferantur, non indicatur ratione illius motus ſanguinis miſſio: ergo adhuc dato humorum motu in cor, & partes internas, non indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria. Probatur antecedens: Tum quia dato illo motu, humores, ſanguine miſſo, potiùs redirent ad partes internas, & maior fieret ſuffocatio; Tum quia natura ſine ſanguinis miſſione eſt potens fuligines paulatim ſeparare à corde, vt ex dilatatione pulſus colligitur, & per ſanguinis miſſionem ipſa de- D bilitata, impotens redderetur: Tum quia adhuc ſi indicaretur reuulſio, ipſa ſecuriùs frictionibus, & cucurbitulis trahentibus ad partes externas poſſet conſequi: ergo adhuc admiſſo motu humorum & fuliginum in cor, & partes internas, non indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

§. III.

Complicatio indicationis euacuatoriæ & reuulſoriæ admittitur.

E RESoluendum 1. quòd manente indicatione euacuatoria ſumpta à febre, vt putrida, poteſt affectus complicari, à quo ſimul ſumatur indicatio ſanguinis miſſionis reuulſoriæ. Probatur ex dictis: ſicut morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in Quali, aut Quanto, poteſt indicare ſanguinis miſſionem euacuatoriam; morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis, quò non deberet vergentis, poteſt indicare ſanguinis miſſionem reuulſoriam: ſed ſimul febre putrida exiſtente poteſt ſuperuenire angina, lateralis dolor, iecoris inflammatio, phrenitis, vel alius ſimilis affectus pro-

ueniens à vitio ſanguinis vergentis, quò non deberet: ergo manente indicatione ſanguinis miſſionia euacuatoriæ deſumptæ à febre putrida, poteſt ſimul dari indicatio ſanguinis miſſionis reuulſoriæ ab alio morbo deſumptæ.

§. IV.

Soluuntur fundamenta pro Complutenſi adducta.

AD 1. reſpondetur, quòd ex auctoritatibus probatur, quòd humor fluens, quò non deberet, debet auerti; non autem quòd quicumque humorum motua ſanguinis miſſionem indicet, etiam ſi fluat, quò non debet, ſi leuioribus poteſt remediis auerti, aut à natura reſolui: nec probat quòd humorum motus in febribus fiant verſus partes, in quas non deberet, cuius contrarium probauimus.

Ad 2. reſpondetur, quòd in febribus ex inflammatione ortis eſt duplex indicatio: alia à febre, quæ indicat ſanguinis miſſionem euacuatoriam; alia ab inflammatione, dum fit à fluentibus humoribus, & hæc indicat ſanguinis miſſionem reuulſoriam, ex quo non infertur, quod in reliquis putridis febribus dabitur niſi vna indicatio ſanguinis miſſionia euacuatoriæ deſumptæ à febre pendente ex vitio ſanguinis in Quanto, aut Quali.

Ad 3. reſpondetur, quòd motus humorum ad extremitates, & ad ambitum corporis, vt probauimus, non indicat reuulſionem, cùm vergant humores, quò debent; nec motus partium humorum inter ſe, qui fit à putredine, & depoſita plenitudine, natura facit ceſſare putredinem; nec eleuatæ fuligines indicant ſanguinis miſſionem, quia vel à ſola natura expelluntur, vel leuioribus reuulſoriis, quales ſunt frictio, aut cucurbitulæ; nec ad erroneum humorum motum auferendum deſeruit ſanguinis miſſio, qua potius ad partes internas pro illo tunc fieret tractio, ſed aliis auertentibus remediis auerſio conſequitur. Ex ictu, & caſu, ſanguinis miſſio reuulſoria indicatur, quia ab his fiunt morbi magni ex fluxu humorum cauſati, à quibus fit indicatio, tales autem morbi non superueniunt ratione motua humorum in febribus.

Resolutio V.

Vtrùm in febribus putridis ſuperueniente affectu, à quo indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria, hæc ſemper debeat fieri ex pede?

§. I.

Statuitur difficultatis ratio; ponuntur fundamenta pro parte affirmatiua.

SAtis manifeſtè conſtat ex dictis, quòd omnis ſanguinis miſſio, quæ indicatur à febribus putridis, eſt euacuatoria: ſed cùm vlteriùs ſit determinatum, quòd ſi complicetur cum illa aliquis affectus, qui pendeat ab humorum fluxione, ab hac etiam indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria; hac ſuperueniente indicatione poteſt contingere, quòd præualeat neceſſitas exercendi illam, vltra neceſſitatem exercendi ſanguinis miſſionem euacuatoriam; dua-bus enim ſuperuenientibus indicationibus, ad vrgentiorem nos fert executio: quo in caſu inquirimus, an euacuatoria ſanguinis miſſio ſemper petat exerceri ex pede; & pars affirmatiua hia poteſt ſuaderi,

Primò, reuulſio, vt ſuprà decreuimus, eſt auerſio humorum in diſtantiorem partem: ſed pes diſtantior eſt pars: ergo ſuperueniente indicatione reuellendi per ſanguinis miſſionem reuulſoriam, debet ſemper ſanguinis miſſio fieri ex pede.

Secundò, per illam partem debet fieri reuulſoria ſanguinis miſſio in febribus, per quam meliùs poſſimus febri, & affectui indicanti illam ſimul ſubuenire; ſed miſſo ſanguine ex pede, melius vtrique affectui ſubueniri poteſt, cùm vtriuſque cauſam auertat in partem diſtantiorem à parte affecta: ergo ſemper petit fieri ex pede.

Tertiò, ſanguinis miſſio euacuatoria, & reuulſoria differunt à loco, ex quo petunt fieri: ſed vt euacuatoria in febribus petit fieri ex brachio: ergo vt reuulſoria ſemper fieri petit ex pede.

§. II.

Pars negatiua iuxta Galeni doctrinam præfertur.

REſoluendum: quòd febre putrida manente, ſi indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria, cuius indicatio præualet, fieri petit ex pede, dum fouetur morbus, à quo indicatur, ex vitio humorum fluentium per ramos venæ cauæ deſcendentis; ſi per ramos aſcendentis, ex brachio: ſi ex venis portæ, per hæmorrhoidales venas.

Probatur 1. Sanguinis miſſio ſiue ſit euacuatoria, ſiue reuulſoria, debet fieri ex venis, quæ ampla via maiorem habent conuenientiam cum vena, quæ ſecanda eſt, vt conſtat ex Galeno *lib. 13. meth. cap. 11. §. Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit ſanguis, interna in dextro cubito ſecta vena, propterea quod è regione, & ampla via cum vena, quæ caua dicitur, maiorem habet ſocietatem*: ſed pedis venæ habent maiorem ſocietatem cum venis ortis à caua deſcendente; brachij venæ, cum venis cauæ aſcendentis; hæmorrhoidales venæ, cum ramis portæ: ergo ſi reuulſionis cauſa fiat ſanguinis miſſio in morbis ortis ex cauæ deſcendentis ramis, ex pede, ſi ex aſcendentis ramis, ex brachio; ſi ex ramis portæ, ex hæmorrhoidalibus venis fieri petit ſanguinis miſſio.

Probatur 2. ſanguinis miſſio, etiam ſi reuulſionis cauſa fiat, debet fieri, ex illis venis, quæ communicationem habeant cum parte affecta, alias nullum adferunt iuuamentum, ex Galeno *libro de ſanguinis miſſione, capite 5. §. Nam ſi venas, quæ nihil parti affectæ communicant, inciderit, neque parti affectæ medeberis, & ſanam ſemper offendes*: ſed per ramos venæ portæ aſcendentis eſt maxima communicatio cum vena caua aſcendente, à qua proueniunt, ampla via, vt inquit Galenus *lib. 13. meth. cap. 11.* per ramos crurium, aut pedis eſt cum caua deſcendente communicatio, cum ſint rami ex illa orti; per venas hæmorrhoidales, cum vena porta eſt communicatio, cùm ab illa ampla via originem ducant: ergo in affectibus indicantibus reuulſionem, ſanguinis miſſio ex venia communicationem modo dicto cum illis habentibus debet exerceri.

Dices,

Dices, quòd ſanguinis miſſio petit fieri ad diſtantiora, & ideò io affectibus partium ſuperiorum ex pede fieri debet.

Sed contra ſtat Galenus, qui non ad diſtantiora fieri petit, ſed ad diſtantiora habentia rectitudinem, & communicationem cum parte affecta; & ideò verſus omnem poſitionis differentiam illam conſulit in affectibus corporis, vt patet. Tum *ſecundo libro de ratione victus, textu decimò*, §. *Nos partem eam qua phlegmone obſidetur, tum celeriter, tum quàm cæteras partes magis in acutis præſertim morbis, vacuare contendimus: quod ſanè interna cubiti ſecta vena facit, multóque magis, vbi ſanguinis redundantia ad ſuperiora vergere videatur*. Tum eodem libro, capite decimoſexto §. *Quocirca, quæ in gutture, & arteria graui torquentur inflammatione, in principio quidem ſecta vena cubiti, poſt principium ſub ipſa lingua prodeſt*. Tum lib. 13. meth. capite 11. *Laborante latere, ſepto transuerſo, liene, vane iecore, aut ventriculo, ea quæ per alas, & cubiti iuncturas pertingit, ſecatur vena*: ergo ex Galeno reuulſionis cauſa, venæ ſunt ſecandæ, quæ diſtantiores ſunt, inter eas, quæ cum parte affecta habent communicationem; non autem abſolutè.

Probatur 3. ex Galeno *libro 3. de anatomicis adminiſtrationibus*, vbi decretam reliquit totam hanc doctrinam, docens quòd in morbis ſupra furculam, ſanguinis miſſio debet fieri ex brachiis; in eis, quæ infra ſuperueniunt, ex talo; quia à diuerſis venæ cauæ ramis originem ſumunt: ergo ex illius decreto manet comprobata doctrina.

Dices, quòd Galenus loquitur de ſanguinis miſſione euacuatoria, quæ petit fieri ex parte affecta, vel ex parte vicina; non autem de reuulſoria, quam à diſtantiori parte docuit debere fieri, & ideò pro deriuatione partium ſuperiorum petitur deſiuatio fieri ex inferioribus, & è contra.

Sed contrà ſtat, quòd vt patet ex nuper dictis, & ex eis, quæ de conditionibus reuulſionis adduximus, reuulſio petit fieri à parte diſtantiori, non vtcumque, ſed ex eis, quæ habent rectitudinem & communicationem cum parte affecta, & hoc non ſecundum ſolam longitudinem; ſed vt deduximus ex Galeno, verſus omnem differentiam poſitionis, quia verſus omnem poſitionem datur ſuperiua, & inferius; & magis & minus; ſi non abſolutum, ſaltem reſpectiuum, & ſufficiens pro reuulſione, & iuxta quod debet Galenus intelligi, dum agit de reuulſione, vt ipſe ſe explicat *libro ſecunda epidem. comment. 2. textu 14.* §. *Eorum etiam, quæ ſuperius ſunt, ſi inter ſe conferantur, aliqua magis ſupra ſunt, aliqua minus, nobis verò eſt conſuetudo in omnibus ita dictis, quod ad ſuperius ipſum comparantibus; quod autem minus infra eſt, & id inferioribus comparantes, ſuperius eſſe dicimus; ac propter huiuſmodi loquutionis incuriam conſuetudine longinqua confirmatam, nobis ambiguitas quadam in ſermonibus oritur*, &c. Tum conſtat ex eodem Galeno in iecoris, lateris, & lienis affectibus ex brachij, & non ex pedis reuellendum venis: ergo à venis communicantibus cum rectitudine intelligenda eſt diſtantia requiſita pro reuulſione.

A

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi.

AD primam reſpondetur, quòd reuulſio eſt auerſio ad partem diſtantiorem habentem communicationem in venis cum eis, à quibus ducit originem fluxio; non autem à diſtantioribus abſolutè.

Ad 2. reſpondetur, quòd probat argumentum, quòd ſi ſimul poſſimus vtrique indicationi ſubuenire, fiat ſanguinis miſſio ex parte, à qua id poſſet conſequi, & ideo à brachio plerumque ſanguinem mittimus, quia euacuandi pro febre, & reuellendi pro ſuperioribus inflammationi-
B bus, conſequimur remedium: ſed quia id ſemper fieri poſſe non datur, omiſſa vnius indicantis parte, in qua deberet exerceri ſanguinis miſſio, ea exercetur ex parte, quam vincens indicans petit.

Ad 3. reſpondetur, quòd differunt à loco comparatiuè ad partem affectam: & quia para affecta, quæ petit euacuationem in febribus ſunt præcipuè venæ cauæ aſcendentis propagationes communicantes cum brachij venis, ab his fit euacuatio, fit ſimiliter & reuulſio, quia per illas fit auerſio humorum per ramos cauæ fluentium, tanquam per partem diſtantiorem inter eas, quæ communicant cum parte af-
C fecta.

Resolvtio VI.

Vtrùm ſemper pro peſtilente febre ſanguis ex pede mittendus reuulſionis cauſâ?

§. I.

Galeani & aliorum proponitur opinio: referuntur fundamenta.

D DE febre peſtilente, & maligna maior eſt dubitandi ratio, an ſanguis mittendus ſit ex pede. Tetigi hanc difficultatem *diſputat. de febribus curandis*, in qua Galeanus Medicus Siculus *in epiſtola de febre epidemica*, hanc diſputationem acutiſſimè, ſicut & alias plurimas agitauit, & in ea perſiſtit opinione, quod ſemper ſaltem in principiis in febre peſtilente, & maligna, ſit ſanguis mittendus ex pede: qui eam fulcire contendit,

Primò, Claſſicorum doctiſſimorum auctoritate, qui ipſi videntur adhærere, ſic Mercatus *libro 7. praxis medica, de curatione febris maligna, & peſtilentis*, Ioannes Colle *in practica medica malignorum morborum lib. 6. cap. 4. & 6.* Euſtachius Rudius *lib. 3.*
E *de febribus peſtilentibus, & malignis, cap. 30.* Zacutus *lib. 3. obſeruation.* 44. Ioannes Philippus Ingraſias, *lib. de peſte, part. 4. cap. 7.* Horatius Augenius *lib. 3. epiſtolar. & conſultationum Medicar. cap. de Antiſtite Anconenſi*, Sennertus *lib. 4. praxis cap. 11. de curatione febrium peſtil. & malignarum in genere*. Doctor Maroja *lib. de febribus, cap. de curatione febris malignæ*. Qui omnes conſulunt in his febribus ſanguinem mittere ex pede: ergo reuulſionis cauſa ſemper vel ſaltem in principiis febrium peſtilentium, aut malignarum admittenda eſt ſanguinis miſſio ex pede.

Secundò, in principio cuiuſvis febris illico indicantur euacuare, & ſimul reuellere ab ea parte, in quam fit fluxio, vt patet ex Galeno *lib. de ſanguinis miſſione*; ſed multo maior eſt vrgentia reuellendi ad quamdiſtantiſſima in febribus peſtilentibus: ergo ratione reuulſionis ſemper in illa ſanguinis miſſio ea pede conuenit ſaltem in principiis. Probatur minor, ſi non fiat reuulſio ad pedes, vapores ſurſum delati, partes per quas permeant, valent inficere, multo magis, quàm in aliis febribus: ergo multo maior reuellendi in his febribus eſt vrgentia.

Tertiò, à minera venenatæ putredinis, & à loco, in quo fit, debet deſumi indicatio reuellendi: ſed minera putredinis in febribus peſtilentibus, foméſque, & origo venenoſæ qualitatis continetur circa venæ cauæ truncum, quæ atrabiliario repletur humore: ergo ſanguinis miſſio ſemper, ſaltem in principio, deber fieri ex pede in his febribus.

Quartò, terminus à quo profluit humor eſt vena caua; terminus ad quem tendit eſt cor: ergo à pede reuulſio fieri debet. Patet conſequentia ex Galeno, *lib.* 13. *meth.& lib. artis medicinalis.cap.*95. vbi reuulſionem competere à parte quamdiſtantiſſima (qualis eſt pes reſpectu cordis) docet: ergo ſemper, ſaltem in principiis, à pede ſanguis eſt mittendus.

Quintò, motus ichorum, qui ſua natura furentes facilè feruntur in partes ſuperiores, petit cohiberi per venæ ſectionem: ſed non per venæ ſectionem ex brachiis, quia potius per illam vitiatur: ergo debet ſemper impediri per venæ ſectionem factam ex pede.

Sextò, eidem opinioni videtur fauere Galenus qui in ſe ipſo ſanguinem ſcatificationibus ex pede miſit in peſtilente febre, vt docet Oribaſius *lib.*7. *collectaneor.cap.*20.§. *Cum vehemens peſtis Aſiam apprehendiſſet, ipſumque attigiſſet, ſecunda morbi die remiſſione febris facta, crus ſcarificauit, duaſque ferè ſanguinis libras detraxit, hacque de cauſa periculum vitauit*: ergo ex Galeni doctrina in principiis febrium peſtilentium mittendus eſt ſanguis ea pede.

§. II.

Ex brachiis in peſtilentibus febribus ſanguinem mittendum ſancimus.

Reſoluendum 1. quòd à febre peſtilente, aut maligna, vt tali, non indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria. Fatetur Galenus hanc doctrinam eſſe communiter receptam apud Græcos, Arabes, & Latinos.

Probatur ex antecedenter dictis. Sanguinis miſſio, vt reuulſoria, debet indicari à morbo magno pendente ea vitio ſanguinis in motu, & fluxu in partem in quam vergere non deberet: ſed febris peſtilens, & maligna, non pendet à vitio ſanguinis in motu, vt talis, ſed in Quali: ergo ab illa ſanguinis miſſio euacuatoria, & non reuulſoria indicatur. Probatur minor; febris peſtilens, & maligna diſterunt à putridis vel maiori intenſione putredinis, vel ob nouum modum putredinis, vel quia adiunctam habent deleteriam qualitatem ſimul cum ipſa febre: ſed totum hoc eſt vitium in Quali: ergo hæ febres vt malignæ, aut peſtilentes, pendent à vitio in Quali, & non à vitio in motu.

Dices, quòd præter hoc datur in illis motus ichorum, ſeu fuliginum deleteriam vim ferentium ad cor, à quo indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria.

Contrà: ſi vaporum, ſeu fuliginum motu ad cor indicaretur ſanguinis miſſio reuulſoria, quantò maior eſſet ille motus, vt in augmento & ſtatu, tantò magis indicaretur ſanguinis miſſio hæc reuulſoria:

A ſed iſti Auctores in hac febre, & in reliquis ſolum in principio dicunt exercendam ſanguinis miſſionem reuulſoriam: ergo inconſequenter loquuntur. Tum ratione materiæ fluentis diuerſa remedia reuellentia indicantur; ſi enim eſt humor cacochymus, indicatur purgatio; ſi eſt vitium ſanguinis in motu, indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria: ſi ſunt vapores, indicatur frictio, aut indicantur cucurbitulæ reuellentes fuligines: ergo non ſanguinis miſſio reuulſoria. Tum illa materia indicatur reuellenda per ſanguinis miſſionem, quæ per illam auertitur; ſed auertitur miſſione ſanguinis, ſanguis, & humores illi commixti, non autem vapores ab illo eleuati: ergo, &c.

B Dices, quòd euacuatur cauſa ex qua eleuantur.

Contrà: ergo illa ſanguinis miſſio eſt exercenda pro coercendis vaporibus, ſumpta indicatione ea parte cauſæ, per quam promptius, ac facilius poſſimus auferre cauſam, ea qua vapores, ſeu fuligines eleuantur: ſed per venæ ſectionem euacuatoriam promptius euacuatur humorum, & ſanguinis copia, quæ in vaſis maioribus redundat; cùm, vt ex Galeno docuimus, per venas amplas, & maiorem habentes communicationem cum parte affecta, euacuatur: ergo adhuc indicatione ſumpta à cauſa, ex qua eleuantur fuligines, indicatur ſanguinis miſſio euacuatoria, & non reuulſoria. Tum quia adhuc admiſſo, quòd ſanguinis miſſio ſumpta à cauſa, ex qua fuligines fiunt, indicaretur vt reuulſoria, deberet vt reuulC ſoria fieri ex brachio; quia, vt antecedenter probauimus ex Galeno, ſiue fiat ſanguinis miſſio in inflammationibus partium internarum, euacuationis, ſiue deriuationis cauſà, ſemper ſanguinis miſſio debet fieri ex brachij venis: quod idem contingeret ſi reuulſio indicaretur à morbo pendente ea humoribus in ramis venæ cauæ aſcendentis contentis.

Dices, quòd à diuerſis locis petit fieri ſanguinis miſſio euacuatoria, & reuulſoria; & ideò ſi à brachiis fit ſanguinis miſſio euacuatoria in morbis pendentibus ex materia contenta in caua aſcendente, reuulſoria ea deſtantiori parte debet fieri.

Reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio reuulſoria, D & euacuatoria fiunt in his morbis ex brachio: euacuatoria per accidens; reuulſoria per ſe: quia euacuatoria, vt Galenus docet *lib. de ſanguinis miſſione cap.*16. petit fieri ex parte affecta, & ſi non poſſit in illa aperiri vena, ea parte viciniori habente communicationem cum illa; & ideò quia internas non poſſumus pro euacuatione horum humorum venas aperire, aperimus venas brachij: at verò pro reuulſione per ſe petunt aperiri, quia, vt diximus, pro reuulſione per ſe debet exerceri ſanguinis miſſio ex venis diſtantioribus habentibus communicationem cum parte, in quam fluit ſanguis, & iſtæ ſunt quæ cum partibus internis venæ cauæ aſcendentis habent communicationem: ſi enim ex pede tentaremus reuulſionem, non niſi per longum tempus, & iam E exinanitis ramis venæ deſcendentis, illa conſequi poſſet, dum in pluribus affectibus, tam eſſet materia reuellenda impacta in parte, ad quam fluit; præterquam quod cum venis pedis nihil communicent partes ſuperiore, in quibus fouetur febris, ſanguinis miſſio ex illis nihil conferret, ex Galeno *in commentario ad Hiſtoriam famula Stimargi*, §. *nam ſi venas, quæ nihil parti affectæ communicant inciderit, neque affecta medeberis, & ſanam ſemper offendes.*

Probatur 2. fundamento à Galeno deducto: ex illis venis debet in febribus peſtilentibus ſanguinis

ſanguinis miſſio exerceri, quæ maiorem habent communicationem cum parte affecta, vt docuit Galenus *lib. de ſanguinis miſſione cap 19.§. ſed maior eſt conſenſus in brachij venis cum venis Cauæ aſcendentis, in quibus maximè continentur humores, a quibus febres peſtilentes fouentur, quàm in crurium venis, cum hæ ſint propagines venæ cauæ deſcendentis, in qua minor copia cauſæ morbificæ reperitur*: ergo ex venis brachij debet exerceri in peſtilentibus febribus ſanguinis miſſio. Patet minor, quia, vt deduximus ex Galeno, venæ brachij per amplas vias, & cum directione communicationem habent cum iecore, & caua aſcendente.

Probatur 3 Medicus eſt naturæ imitator in eis, quæ rectè operatur: ſed dum natura rectè operatur per uarium ſanguinem, per ſudorem, vel alias euacuationes criticas, humores euacuando ex ſupernis corporis partibus, tentat harum febrium curationem. ergo per illas debet ars tentare euacuationem.

Probatur 4. febris peſtilens, aut maligna, non ratione qualitatis deleteriæ indicant ſanguinis miſſionem, quia vt ſic alexipharmacis petunt curari, ſed prout ſunt putridæ febres: ſed à febre putrida, vt tali, probauimus non indicari ſanguinis miſſionem reuulſoriam, ſed tantùm euacuatoriam: ergo ſanguinis miſſio in eis ex brachio debet exerceri.

Probatur 5. Febris maligna, & peſtilens ſunt acutiſſimæ, & de quibus dicit Hippocrates, quod tertio die, aut citiùs interimunt: ergo debet ſtatim in principio exerceri ſanguinis miſſio, cum qua, celeriter poſſit euacuari cauſa morbifica, ne delapſis viribus, impediatur eius executio: ſed ſanguinis miſſione euacuatoria id celerius conſequitur, cùm à parte affecta euacuet, quàm ex ſanguine miſſo ex pede, quæ nihil de cauſa contenta in partibus ſuperioribus depunit: ergo in omni febre maligna, aut peſtilente, ſanguis in principio eſt mittendus ex brachiis.

§. III.

Determinatur quando in his febribus ex pede poſſit ſanguis mitti.

RESoluendum 2 quòd ſi quando timetur in febribus putridis, & peſtilentibus foueri febrem ex vitio ſanguinis in ramis venæ cauæ deſcendentis, euacuationis cauſa ex cruribus, aut pede ſanguis eſt mittendus.

Probatur 1. Sicut per venas brachij fit euacuatio humorum, qui continentur in propaginibus cauæ aſcendentis, ſic ex crurium, aut pedum venis fit euacuatio humorum, qui continentur in propaginibus cauæ deſcendentis: ſed ita petit ſui euacuationem febris orta ex materia maiori ex parte contenta in caua deſcendente, ſicut quæ fouetur ab ea, quæ in aſcendente continetur: ergo ſicut euacuationis cauſa ſanguinem mittimus ex brachio, dum maiori ex parte pendet febris ex vitio ſanguinis in caua aſcendente, ſimili modo ſi ſit in deſcendente, fieri petit ex pede.

Probatur 2. Si mulier in vtero copiam, multam contineat materiæ conſpurcatæ, & putredini aptæ & ſuperueniat febris peſtilens in ea materia, quammaximè accenditur, ab ea quammaximè indicatur euacuatio per partes communicationem habentes cum parte affecta: ſed venæ crurium, aut pedum ſunt, cum quibus habent communicationem: ergo ex illis ſanguis mittendus euacuationis cauſa.

Probatur 3. Si bubones maligni, anthraces, vel alij morbi orti ex caua deſcendente accidunt, ex pa-

A de fit ſanguinis miſſio: ergo ſemper quod maiori ex parte foueatur peſtilens febris ex vena caua deſcendente, debet fieri ex pede.

§. IV.

Soluuntur argumenta primò adducta.

AD 1. reſpondetur, quòd Moderniores aliqui in febre peſtilente ſanguinem ex pede mittunt, non attenta indicatione; ſed ſolùm quia iudicant Galenum ſic exercuiſſe, vel quòd in hanc inclinant ſententiam; præcipuè dum maxima eſt putredinis minera in ramis cauæ deſcendentis, vel quòd adhærent opinioni minùs confórmi rationi, vel quòd illam conſulunt: non quia magis indicata, ſed quia
B minus vires debilitat, quæ maximè in his febribus debent conſeruari.

Ad 2. reſpondetur, quòd cum breuiſſimo tempore, ne vires dilabantur, & impediatur ſanguinis miſſio, hæc debeat exerceri, & ex parte qua promptius euacuare valeat, & hæc fiat ex venis brachij, quæ ex Galeno ampla via, & maiori cum rectitudine euacuant ex vena caua aſcendente; ideò ex brachiis debet exerceri: & licèt dentur fuliginea reuellendæ; hæ non per ſanguinis miſſionem euacuantur, ſed illarum cauſa, quæ euacuatione ex brachio faciliùs, & promptiùs aufertur, quàm ipſam auertendo ad inferiores venas cauæ deſcendentis ramulos.

C Ad 3. reſpondetur, quòd minera febris peſtilentis, & cuiuſvis alterius putridæ, prout eſt morbus communis, eſt in omnibus venis, & quia caua aſcendens, & illius ramuli maiorem habent propaginem, & maior humorum pars continetur in illis, quia pro toto trunco corporis alendo feruntur pro capite ex brachiis, pro quibus maior requiritur copia: inde oritur, quod febris maiori ex parte contineatur in illis, & ideò ab illis tanquam à parte affecta maximè euacuandi ſumitur indicatio.

Ad 4. reſpondetur, quòd ſanguis vitiatus, à quo ſumitur indicatio mittendi ſanguinem, continetur quietus intra venas, & euacuandi indicatio ab illis ſumitur: ſi aliqua reuellendi ſumitur à fuliginibus eleuatis, hæc cucurbitulis, aut frictionibus perficitur, ſiue ad extrà, ſiue ad partes inferiores.
D

Ad 5. reſpondetur, quòd motus ichorum, fuliginum, aut vaporum petit cohiberi frictionibus, cucurbitulis, aliiſve auertentibus, non autem ſanguinis miſſione, quia hæc indicatur à fluente ſanguine euacuando per illam; non à fuliginibus, aut ſubſtantiis, quæ per ipſam non petunt euacuari.

Ad 6. reſpondetur, quòd Galenus potius præcautionis, quàm curationis cauſa, ſcarificationes adhibuit, & iuxta ſuam doctrinam traditam *lib. artis medicinalis cap.* 85. & 6. *Aphoriſmorum* 47. præcautio indifferenter poteſt ex brachio, aut pede fieri, non autem curatiò, quia in hac à determinato; & præſente morbo ſumitur determinata indicatio, & à par-
E te affecta determinata: vel quòd timens virium iacturam, nec ſanguinem mittere ex brachio, aut cruribus auſus eſt; ſed ſcarificationem in partibus, in quibus parua fieret ſpirituum reſolutio, ſpreta hac de cauſa indicatione euacuandi ex brachio, quæ viribus conſtantibus præſtantior ſemper eſt.

A

Resolvtio VII.

Verùm præter humorum motum ſit aliqua ratio, vt in febribus fiat ſanguinis miſſio ex pede.

§. I.

Aperitur difficultatis ratio ; pars fulcitur affirmatiua.

CVm ab humorum motu indicetur reuulſio, cum Antiquioribus aſſerentibus ex motu humorum indicari reuulſionem in febribus, in antecedentibus B reſolutionibus pugnauimus. An ſit alia ratio reuellendi ex pede in febribus per ſanguinis miſſionem? contendimus examinare. Doctiſſimi recentiores Hiſpalenſes contendunt probare ob alias etiam rationes indicari ſanguinis miſſionem reuulſiuam ex pede in principio omnium febrium putridarum: quod ſuaderi videtur;

Primò, quia ſi datur cauſa putredinalis humorum, illi primò patiuntur putredinem, qui aptiores ſunt illam pati: ſed ſanguis, & humores contenti in prima regione in venis maſaraicis aptiores ſunt pati putredinem; ergo priùs putreſcunt: ergo in principio debent euacuari per ſanguinis miſſionem factam ex pede, ne ſurſum deferantur, & coinquinent C maſſam ſanguinariam, communicentque putredinem.

Secundò, licèt ſanguis contentus in prima regione non putreſcat, ſi ſanguine miſſo ex brachio, deferatur ad illam; ab humoribus ibi putreſcentibus acquirit putredinem, & augetur putredo, & febris: ergo in principio, ne ſurſum deferantur, debent euacuari ſanguinis miſſione reuulſoria in pede facta.

Tertiò: ſi in vena caua putreſcit humor, magis debet putrefieri, qui in partibus inferioribus illius diſtat à corde; quàm qui eſt in parte ſuperiori circa cor; quia circa cor natura eſt potentior: ergo humor magis putridus in parte inferiori venæ cauæ contentus priùs debet euacuari ſanguine miſſo ex pede, quàm ex brachio.

D Quartò: dato quòd in tota venæ caua contineatur ſanguis, qui putreſcit, meliùs eſt infra illum reuellere, ſanguine miſſo ex pede; quàm ipſum ſurſum attrahere, ſanguinem mittendo ex brachio: ergo in principio febris putridæ conuenit ſanguinis miſſio ex pede.

Quintò: In omni febre vitandum, quòd humor non attrahatur in partem principem: ſed ſanguine miſſo ex brachio, trahitur in caput, & cor; ſanguine miſſo ex talo, auertitur: ergo ſanguinis miſſio debet fieri in principio ex talo in omni febre putrida.

Sextò: nullum poteſt ſubſequi accidens, ſanguine miſſo ex pede; ſi fiat ex brachio, poteſt ſuperuenire delirium, apoplexia, epilepſia, & comatoſus affectus: E ergo ex pede in principio, & non ex brachio ſanguis eſt mittendus.

§. II.

Communis præfertur doctrina.

REſoluendum negatiuè. Sic felici euentu per plurima ſæcula in Praxi firmauit Antiquitas; & communi aſſenſu recepit Claſſicorum conſenſus.

Probatur primò, quòd prima ratio in contrarium adducta non probat; Tum primò, quia nullo ex capite conſtat, quòd humores contineantur ſemper in A vaſis venæ meſaraicæ ſuperflui; hoc enim accidere in bene valentibus, non eſt neceſſarium. Tum ſecundò, quia non humores omnes ibi repertos neceſſe eſt habere aptitudinem, vt putreſcant: aliàs non eſſet poſſibile in venis maioribus aliquod genus febrium humoralium, cum quo non complicaretur Quartana, quæ ex melancholicis humoribus ibi contentis petit fieri. Tum tertiò, quia in hypochondriacis redundantibus ſuperfluis humoribus in prima regione, manifeſtè conſtat contentos humores in illa non putrefieri, cùm potiùs experiamur ipſos febre non laborare. Tum quartò, quia adhuc ſi humores ibi contenti eſſent apti putredini, & petant euacuari, cùm ſint ſeparati à commixtione ſanguinis, fiunt cacochymi, & indicant purgationem, & non ſanguinis miſſio- B nem, vt *diſput. de purgandi ratione* demonſtrauimus. Tum quintò; quia licèt ibi eſſet vitium ſanguinis, cum ab illo non pendeat febris, à qua tanquam à morbo magno indicatur ſanguinis miſſio, ab ea parte debet ſanguis mitti, à qua euacuatur cauſa, à qua ſanguis fouetur; non autem à parte remotiori. Tum 6. quia adhuc ſi febris foueretur ab illis humoribus, vt commixtis ſanguini, ſanguinis miſſio ex pede nihil euacuat de illis humoribus; quia, vt conſtat ex omnium Anatomicorum venarum Hiſtoria, mille ſunt propagines in venis meſentericis, nec in vena porta tendentes ad crura, aut pedes, quia illarum venæ omnes ſunt propagines cauæ deſcendentis; non autem Portæ. Tum ſeptimò, quia ratio tantum poſſet C conuincere, ſi ſuppoſitum eſſet verum, per ſanguiſugas eſſe euacuandos illos humores qui à porta vena originem ducunt; non autem à caua aſcendente. Tum octauò, quia æquè diſtat vena porta à ramis cauæ aſcendentis, & deſcendentis, cùm hi proueniant à trunco cauæ æquè diſtantes à porta, & ſic eodem modo traherentur humores ad truncum, & ramos venæ portæ aſcendentis, & deſcendentis, miſſo ſanguine ex pede, ac ex brachio. Tum nonò; quia cùm febris putrida oriatur ex humoribus in omnibus venis putreſcentibus, humor attractus putreſceret commixtus cum humoribus contentis in caua deſcendente, & ibi etiam poſſet febrem accendere. Tum decimò, quia hæc ratio probaret in iecoris inflammationibus, & vitiis lienis ſanguinem eſſe mitten- D dum ex pede; cuius contrarium ex Galeni decreto faciendum eſſe docuimus: ergo prima ratio non probat ſanguinem ex pede mittendum in febribus putridis.

Probatur 2. quòd nec ſecunda ratio probat. Tum primò in omnibus rationibus quibus probatur antecedens: Tum ſecundò, quia ſicut melancholia genita in iecore humori putreſcenti in venis commixta, non eſt neceſſe, quòd putrefiat, nec pituita quæ ob humiditatem apta eſt putrefieri; ſimiliter nec quòd putrefieret melancholia, adhuc ſi à vena porta poſſet attrahi: Tum tertiò, quia ſi hoc inconueniens eſſet poſſibile, eſſet expertum, quod dum ex brachio ſanguinem mittimus, in aliis generibus intermittentium, E ſemper complicaretur Quartana ab humore melancholico à vena porta attracto, & in vaſis maioribus putreſcente: quod inconueniens per tot ſæcula nunquam experti ſunt Dogmatici: ergo nunquam ob hanc rationem ſanguis eſt mittendus ex pede.

Probatur 3. quòd nec tertia probat ratio: Tum 1. quia falsò ſupponit, quòd humores contenti in parte inferiori magis putreſcunt, quàm qui ſunt circa cor, & in parte ſuperiori, cùm omnes generentur à iecore cum æquali aptitudine ad putredinem. Tum 2. conuincitur contrarium: nam cum humores generati à iecore fiunt apti putrefieri circa cor, magis quàm

quàm circa partes inferiores, quia in materia æquè apta ad putredinem magis putreſcit, quæ intenſiori appropinquatur putredinali calori; in corde autem, & partibus vicinis intenſior eſt putredinalis, & febrilis calor, quam in partibus diſtantioribus; ex quo apparet, quòd intenſiorem circa cor patitur putredinem. Tum 3. quia humoribus putreſactis in vena caua, debetur euacuatio ex ramis brachij cum illa maiorem communicationem habentibus ampla via, vt docuimus ex Galeno: ergo tertia ratio non probat, quòd ex pede ſit ſanguis mittendus.

Probatur 4. quòd non probat quarta ratio: Tum 1. quia eo ipſo, quòd ſanguis contineatur in tota vena caua, meliùs euacuatur per brachij venas, quæ ipſius ſunt rami, quàm ex venis pedis, quæ alterius venæ rami ſunt, ſcilicet cauæ deſcendentis: Tum 2. quia per ſanguinis miſſionem factam ex brachio euacuatur ſanguis contentus in vena caua; per ramos cauæ deſcendentis in pede euacuatur ſanguis in caua deſcendente contentus, & intra corpus relinquitur, qui ſupponitur putreſcens in caua: Tum 3. quia melius eſt, quod putreſcit euacuare, quàm ipſum putreſcens relinquere intra corpus: Tum 4. quia ſi eſt inconueniens deſerere humores putreſcentes in prima regione, vt ipſi dicunt, ad venam cauam aſcendentem, ne faciat putreſcere humores in illa contentos, ſi ſupponitur humores putreſcere in illa, maius erit inconueniens miſſo ſanguine ex pede retrahere putreſcentes humores, vt miſceantur cum humoribus cauæ deſcendentis, quàm eos per brachium euacuare: ergo quarta ratio non probat, quod ex pede ſit ſanguis mittendus in febribus putridis.

Probatur 5. quòd nec quinta ratio aliquid probet: Tum 1. quia ex eo quod euacuetur per brachij venas, potiùs inferri deberet, quòd impeditur, vt feratur in partes principes, quàm quòd deferatur. Tum 2. quia cerebro patiente per defluxum humoris in ipſum indicatur reuulſio per venam, quæ ſanguinem ab affecta parte, & magis, & velocius tum reuellere, tum euacuare poſſit, ex Galeno *de ratione victus comm.* 1c. ſed hoc manifeſtè conſtat faciliùs conſequi per brachij venas: Tum 4. quia in præcipiti periculo ex delapſu humorum in partem, nullum pro vrgentia eſſet leuamen ex pede propter nimiam diſtantiam: Tum 5. quia ratione fluxi, & fluentis impetus breuiſſimo temporis interuallo datur indicatio diriuandi, quæ ex pede conſequi non poteſt, ſed ex brachio: Tum 6. quia ſi à brachij venis, capite patiente, timeretur attractio ad caput, multò magis eſſet timenda, miſſo ſanguine ex venis frontis, & ideo hæc nunquam eſſet admittenda; quod eſt contra communem practicantium doctrinam. Tum 7. quia poſt principium admittunt ſanguinem poſſe mitti ex brachio, & ſi tunc non defert ſanguinem ad caput, imò attrahit, reuellit, & euacuat; in principio etiam poterit attrahere, & reuellere: ergo nihil ratio illa conuincit.

Probatur 6. quòd neque ſexta ratio probet; tum 1. quia ſanguine miſſo ex pede, etiamſi intra venas maneat humor, à quo poſſent ſubſequi accidentia, nullum ex his ſequitur, ſanguine miſſo ex brachio, cuius cauſa euacuatur, & auertitur, multò minùs ſubſequeetur, quia minor ſubſiſtit cauſa: Tum 2. quia ſi reuulſio eſt auerſio humoris fluentis ad originem, & per venas pedis, non auertitur humor, qui ex vena caua aſcendente poteſt confluere, ſed qui continetur in caua deſcendente, non poterit fieri reuulſio aueſſiua niſi per accidens, & poſt longum tempus: Tum 3. quia accidentia ſupervenientia, qualia ſunt quæ proponuntur in augmento, & ſtatu, magis ſuperue-

A nire contingunt: ſed tunc contrariè opinantes ſanguinem mittendum eſſe ex brachio in omni febra admittunt: ergo ſi tunc ex illa non ſubſequuntur prædicta accidentia, multò minus in principio. Tum 4. poſt principium in eiſdem accidentibus, ſi ſanguis mittendus, contrariè opinantes ſanguinem mittunt ex brachio; ſed tunc non timent ea accidentia humorum attractu per ſanguinis miſſionem ex brachio augeri: ergo nec ante principium timendum erit ſuperuenire poſſe propter illam.

§. III.

Eneruantur iterum rationes adductæ in principio.

B Ad 1. reſpondetur, quòd non probat ratio, quòd humores conteti ſint aptiores pati putredinem: non enim quidquid imperfectius in eſſe entis, eſt aptius putrefieri, aliàs non daretur febris diaria ſine humorali, nec humoralis ſine alia admixta, orta ex cruditatibus vel ſuperfluitatibus redundantibus in corpore, & ex ipſis humoribus cernimus ſanguinem putrefieri ſine reliquorum imperfectorum contentorum putredine, non enim quod in corpore v imp factum eſt, priùs putreſcit, ſed quod in ſuo genere aptam habet diſpoſitionem vt putrefiat.

Ad 2. reſpondetur, quòd deſertur ad ſecundam regionem quod tanquam ſuperfluum redundat in prima; & hoc priùs euacuare per ventrem docuit C Galenus, non per ſanguinis miſſionem, ſi autem intra portæ ramulos cacochymi ſint humores, non ſanguinis miſſione, ſed purgatione petunt euacuari: qui ibi autem continetur ſanguis, à quo poſſit indicari ſanguinis miſſio, pro partium nutrieatu retinetur; ſin minùs hæmorrhoidalibus venis proximè euacuatur: à pedum autem, & brachij venis æquè diſtat vt ex anatome apparet: ſi autem ſorſum deferatur, poteſt ineptus putredini eſſe, ita vt licèt reliqui putreſcant humores, ipſe non patiatur putredinem.

Ad 3 reſpondetur, quòd ratione cauſæ putredinalis, hæc maior eſt circa cor, & ideò humores circa illud magis debent putrefieri.

D Ad 4. reſpondetur, quòd melius eſt extra corpus ſanguinem euacuare per brachij venas, quàm illum auertere per pedis venas, & intra corpus relinquere.

Ad 5. reſpondetur, quòd ſanguine miſſo ex brachio euacuatur ſanguis contentus in propaginibus venæ cauæ aſcendentis, per quas ferri poterat in caput, & alias partes principes, & impeditur motus eius in illas, quia reuellitur, euacuatur, & partes inanitæ, quod reliquum eſt, retinent; & ab ipſis partibus principibus etiam euacuatur, quia, vt docuimus ex Galeno, reſpectu partium in quibus non poteſt aperiri vena, fit euacuatio per partes vicinas, quæ cum illis communicant.

Ad 6. reſpondetur, quòd cùm per brachij venas euacuetur ſanguis contentus in propaginibus venæ E cauæ, à quo fluente deberent timeri illa accidentia, illo euacuato, minus debent timeri, quia loco illius attrahitur minor copia, & quæ attrahitur, eſt ad replendum vacuum, cuius cauſa à natura retinetur, ne ſurſum feratur; quod non contingeret reſpectu eius, quod euacuatur, & quod redundabat in venis illis.

Resolvtio VIII.

Verùm ſanguinis miſſio indicetur in putridis febribus vt remedium refrigeratorium?

§. I.

Proponitur difficultatis ratio.

COmmuniſſimum eſt practicantium proloquium, ſanguinis miſſionem eſſe refrigeratorium remedium. Licèt Caxenes *lib. 2. aduerſus Valentinos, cap.* 8. vt tale contendat non debere exerceri. Reliqui verò ſuum placitum ſupponentes vndénam indicetur non ſcrutantur; nunquam tamen vt refrigeratorium remedium indicari, ſuadet, B

Primò; ſi ſanguinis miſſio indicaretur à febre putrida vt remedium refrigeratorium, vel indicaretur ab illa præcisè vt eſt febris, & præternaturalis calor; vel provt eſt febris putrida pendens ex vitio ſanguinis: ſed ab illa vt eſt febris, indicari non poteſt, aliàs ab omni febre diaria, & hectica indicaretur; neque vt eſt febris putrida pendens ex vitio ſanguinis, quia vt ſic indicatur, vt probauimus, ſanguinis miſſio tanquam remedium euacuatorium; & ab vno, vt vnum eſt, vnum tantum indicari poteſt, vt Galenus docuit: ergo à febre putrida non poteſt indicari tanquam remedium refrigeratorium.

C Secundò, remedium refrigeratorium eſt illud, quod tanquam contrarium calori opponitur: ſed ſanguinis miſſio non eſt calori contraria, vt de ſe patet; quia contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt, vt docuit Ariſt. qualiter in frigore, & calore apparet: ergo ſanguinis miſſio non poteſt indicari vt refrigeratorium remedium.

Tertiò, ſi ſanguinis miſſio indicaretur à febre putrida tanquam remedium refrigeratorium, in omni febre putrida indicaretur: ſed in febribus putridis ortis ex cacochymis, aut turgentibus humoribus non indicatur, cùm Hippocrates doceat purgationem indicari in illis; ergo ſanguinis miſſio, vt refrigeratorium remedium non indicatur à febre putrida. D

§. II.

Communior ſancitur opinio.

REſoluendum, quòd à febre putrida, provt pendet ex vitio ſanguinis in Quali, indicatur ſanguinis miſſio, tanquam remedium refrigeratorium per accidens. Sic tenent Syluaticus, Valleſius, Maſſarias, & communiter recipiunt practici Doctores. Probatur Galeni auctoritate *lib. de ſanguinis miſſione, caput.* 11. § *caterum vbi feruefcentis ſanguinis plenitudo acutiſſimam accendit febrem, ſubitò, ac ſimul euacuare expedit, eamque inanire tentandum, vel ad animi deliquium vſque, virium modo inſpecto robore; noui enim ex eis quoſdam neceſſariò ex animi deliquio refrigeratos*: ergo ſanguinis miſſionem vt remedium refrigeratorium indicatum admittit Galenus in putridis febribus. E

Probatur 2. à febribus putridis, provt pendent ex vitio ſanguinis, indicatur, vt remedium per accidens refrigeratorium, illud, à quo per accidens ſubſequitur illius attemperatio: ſed per ſanguinis miſſionem ablato vitioſo ſanguine, à quo febris fouetur, attemperatur febris, quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus: ergo à febre putrida, vt pendente ex vitio ſanguinis, indicatur ſanguinis miſſio vt refrigeratorium remedium per accidens, quatenus aufert cauſam à qua fouetur. A

Probatur 3. ſi quid obſtaret, vt non poſſet ſanguinis miſſio indicari à febre putrida pendente ex vitio ſanguinis in Quali vt remedium refrigeratorium, maximè quia vt tale non indicatur à Diaria & Hectica: ſed Diaria & Hectica non pendent ex vitio ſanguinis, quod poſſit auferri per illam, ſicut febres putridæ: ergo licèt in aliis non indicetur; in putridis indicatur tanquam remedium refrigeratorium per accidens.

§. III.

B *Soluuntur rationes in contrarium adducta.*

AD 1. reſpondetur, quòd à febre putrida indicatur ſanguinis miſſio vt refrigeratorium remedium per accidens; per ſe tanquam remedium euacuatorium.

Ad 2. reſpondetur, quod ſanguinis miſſio non eſt contrarium per ſe calori, ſed per accidens, quatenus aufert cauſam, ad cuius ablationem ſubſequitur caloris attemperatio.

A 3. reſpondetur, quòd ſanguinis miſſio indicatur tanquam remedium refrigeratorium à febribus, quæ pendent ex vitio ſanguinis, à quo ſanguinis miſſio indicatur; ab illis verò, quæ pendent à cacochymis humoribus indicatur purgatio tanquam remedium C per accidens, etiam refrigeratorium.

SECTIO IV.

De loco venæ ſectionis in morbis fluxione ortis in ſupernis corporis regionibus.

VAris in vnaquaque corporis regione accidunt morbi humorum decubitu in ipſas orti, qui indicant ſanguinis miſſionem Reuulſoriam in principio, poſtea Deriuatoriam, & tandem Euacuatoriam. De reuulſoriæ loco, a quo fieri petit, noſtris temporibus maxima ſuborta eſt controuerſia, præcipuè in affectibus ſuperiorum regionum, D quam examinabimus in hac Sectione.

Resolvtio I.

A quo loco petat fieri ſanguinis miſſio reuulſoria, iuxta Galeni doctrinam, humoribus fluentibus ad ſupremas corporis regiones?

§. I.

Recentiorum proponitur opinio, & quibus Galeni fulciatur fundamentis.

E VAlerius Martinus *lib. 3. de indicante ſanguinis miſſionis*, licèt confusè pro more, propalauit ex Hippocrate, Galeno, & Aëtio noſtrum corpus in tres diuidi regiones inter ſe diuerſas, iuxta propagines varias venarum, quæ in illis poſſunt phlebotomari: ſuperior à collo incipiens ad totum caput, ſecunda à collo deſcēdens ad renes; tertia à renibus ad internas extēditur partes: differunt prima & ſecunda, ſed ſuperiores ambæ magis quàm inter ſe ab inferioribus differunt, quia cum diuerſitas proueniat iuxta venarū propagines, prima & ſecunda maiorem habent inter ſe

communi

communicationem, ab vno enim propogantur ramo cauæ aſcendentis, inferioris vero regionis venæ propagantur à caua deſcendente, minorem cum ſuperioribus retinentes communicationem: portæ venæ propagines ab vtraque æquè diſtant. Venas tamen conſpicuas phlebotomari aptas oon obtinet, niſi eas, quæ hæmorrhoidales dictæ potius per ſanguiſugas, quam per ſcalpellum petunt aperiri.

In vnaquaque regione contingit oriri morbos ex humorum fluxione, quibus euacuatio, deriuatio, aut reuulſio debeatur: & cùm reuulſio ſit auerſio fluentis humoris in contrarium, in vnaquaque ex dictis, vt dilucidè notauit Sapientiſſimus, mihi ſemper venerandus Dominus Doctor Michaël Perez, Profeſſor Salmanticenſis, in cenſura edita de controuerſia Medicorum Hiſpalenſium; repetitur quadruplex diuerſa partium poſitio, ſecundum quam reſpectu partis affectæ dantur oppoſitæ, & contrariæ dimenſiones ſecundum ſurſum, & deorſum, & è contra; ſecundum dextrum, & ſiniſtrum, & è contra; ſecundum partes internas, & externas, & è contra; & ſecundum poſitionem ante, & retrò, & è contra. Quod priùs docuit diſertiſſimus Galenus *lib. de hirudinibus, cap. 2. de reuulſione, §. atque vt ſumma rem complectar, ita reuulſio efficitur in humoribus, videlicet partes ſuperiores petentibus, ad inferiores, & è contra; ſi inferiores petunt partes, ad ſuperiores, & è contra, ad dexteram ſimiliter partem, ad lauam; item anteriorem, aut poſteriorem, ſi quid defluxerit ad oppoſitas partes reuulſio facienda eſt.* Aliiſque in locis.

Ex dictis conſtat, quòd partes contrariæ, & oppoſitæ cum parte affecta, aliæ ſunt diſtantiores in vnaquaque corporis regione, aliæ diſtantiores in toto corpore. Et hinc oritur difficultas, vtrùm quando Galenus docet faciendam eſſe reuulſionem ex parte contraria, aut diſtantiori; id iuxta Galeni doctrinam ſit intelligendum de parte abſolutè diſtantiori, an à diſtantiori à parte affecta intra regionem in qua eſt? Doctiſſimi quidam recentiores ſatis acutè philoſophantes conantur, quòd ſemper ſit intelligendus Galenus de parte diſtantiori abſolutè: ita vt in affectibus à fluxione humorum ortis in ſupremis corporis regionibus, ſemper ſanguinis miſſio reuulſoria debeat exerceri ex venis pedum ex Galeni decreto, his fulti,

Primò, reuulſio eſt auerſio humorum, quò non deberent, fluentium in partem contrariam diſtantiorem ex Galeni doctrina: ſed reſpectu humorum fluentium ad ſecundam, aut tertiam regionem, pedes ſunt diſtantiores partes: ergo iuxta Galeni, doctrinam ex illis petit fieri reuulſoria ſanguinis miſſio pro his affectibus. Probatur maior, Tum 1. ex Galen. *lib 4 methodi, cap. 6. §. At ſi perpetuum eſt, quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contrariam trahendam eſſe, fixam iam in laborante particula, &c.* Tum 2. lib. 2. ad Glauc. c. 2. §. *Semper enim fluxionis motum ad contrariam trahere expedit.* Tum 3. lib. de ſanguinis miſſione, cap. 19. §. *Incipientes phlegmones reuulſiua euacuare oportet, quæ verò inueterata iam ſunt ex ipſis.* Ergo ex Galen. ſanguinis miſſio reuulſoria eſt auerſio humorum, quò non deberent, fluentium ad partem contrariam diſtantiorem.

Secundò, ſi humores vehementi impetu fluant ad partes ſuperiores, debent reuelli, vt docet *lib. de hirudinibus, §. vehementes humorum fluxiones reuulſione cohibendæ ſunt, ne nimium conferta alioquin prorumpant, atque vt ſummatim complectar, ita reuulſio efficitur in humoribus: videlicet partes ſuperiores petentibus, ad inferiores, & è contra,* &c. ſed inferiores corporis partes ſunt abſolutè diſtantiores ſimpliciter in corpore: Ergo de illis intelligendus Galenus.

Tertiò, Reuulſio petit fieri ex contraria parte ex Galeno: ſed pars contraria eſt maxime diſtans: quia ex Ariſtotele contraria ſunt quæ maximè inter ſe diſtant: ergo Galenus docens reuellendum à parte contraria diſtantiori abſolutè debet intelligi. Probatur maior ex eodem Galeno, Tum 1. *lib. 13. methodi, cap. 5. §. Quippe communis ratio tum ad contraria reuocabis; tum ad vicina deriuabis.* Tum 2 lib. 15. methodi, cap. 5. §. *Reuulſio verò cum iis, quæ ſupra ſunt omnibus, deorſum ſemper agitur, ſurſum verò in iis, quæ ſunt infrà.* Tum 3. quia idem conſulit, quod manu laborante crura ſcarificentur: ergo conſulit à contraria parte debere exerceri reuulſoriam ſanguinis miſſionem.

§. II.

Quid de ſanguinis miſſione reuulſoria curatoria præſcribat Galenus?

Reſoluendum 1. Quod in ſanguinis miſſione curatoria reuulſoria ex Gal. decreto reuellendum à parte diſtantiori non abſolutè, ſed habente in vnaquaque regione communicationem cum parte affecta. Probatur 1. ex Galeno, qui ex venarum anatome hanc demonſtrat doctrinam *lib. de rigore, §. Quod autem, redundante ſanguine, ſit detrahendus ſanguis, cenſeo nimis eſſe apertum, cùm à venis ſanguis complectatur: quòd verò a pede, aut poplite, vtero affecto, niſi ex anatome venarum communionem priùs doceam, rem profectò aſſequi non poſſis: aliæ enim aliis partibus corporis venæ ſunt communes, & à communibus ſectio ſemper eſt facienda: ſi namque aliam ſecueris, neque ſanabis affectam partem, perpetuò verò quod eſt ſanum lædes, &c.* Sed rami venæ cauæ deſcendentis, quæ ſunt in inferiori regione, quæ eſt diſtantior abſolutè, non ſunt communes cum venis ſecundæ & tertiæ regionis, quibus ſolùm ſunt communes rami cauæ aſcendentis, quæ per illas regiones propagantur: ergo dum conſulit à diſtantiori reuellere parte, non à diſtantiori abſolutè conſulit, ſed à diſtantiori in ea regione, in qua venæ habent communicationem, quia ex reliquis non habentibus communicationem nec læſa pars ſanatur, & ſemper ſana læditur.

Confirmatur ex eodem Galeno *lib. de ſanguinis miſſione, cap. 16. §. At verò eorum vnum primariumque caput hoc, ſcilicet quibuſcumque κατ' ἴξιν eruptio ſanguinis accidit: hoc autem κατ' ἴξιν, quod in rectum intelligitur omnibus confeſſum eſt, cum clariſſimè ſæpenumero hac voce κατ' ἴξιν in hoc vtatur ſignificato; quibus verò contrà euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet. quod vires citra morbum deiiciat, atque exſoluat,* &c. ſed facta ſanguinis miſſione ex venis diſtantioribus abſolutè, quæ ſunt in pede propagines cauæ deſcendentis, non eſt communicatio cum venis regionum ſuperiorum, in quibus humores in partem affectam fluunt: ergo per partem diſtantiorem ex Galeno debet intelligi pars eius regionis, in qua venæ communicant cum parte affecta, & ex quibus poteſt ſubſequi leuamen.

Dices, quod Galenus *locis adductis*, petit communicationem rectitudinis inter partem affectam, & eam ex qua fit ſanguinis miſſio, non autem inter venarum originem.

Contrà, maior eſt communicatio inter venas cauæ aſcendentis, quæ in diuerſas corporis partes ramificantur, cum ab eodem trunco mutuò inter ſe connexæ ramificentur, & ab eodem mutuò ſanguinem æqualiter recipiant, quam inter venas cauæ aſcen-

dentis, & deſcendentis, & earum propagines, quæ in diuerſas feruntur regiones, & diuerſas habens ramificationes nulla ex parte inter ſe communicantes, & quæ inter ſe difficilem habent humorum refluxum, & qui non niſi poſt longum tempus poteſt conſequi: ſed hoc non obſtante, defectus communicationis inter ramulos ortos ex caua aſcendente in eadem regione cum diuerſa poſitione ſufficit, vt non profit, imò lædat defectu rectitudinis, ergo potentiùs ſtando in Galeni doctrina lædit ſanguinis miſſio curatoria ex diuerſa regione facta ex venis non ortis ab eodem trunco, nec inter ramos inter ſe communicantes.

Probatur 2. Reſolutio; in vnaquaque regione corporis datur pars quæ dicitur proximior, aut diſtantior; inferior, aut ſuperior; & de qua poteſt intelligi loquutio Galeni, dum à diſtantiori, aut proximiori parte conſulit ſanguinis miſſionem reuulſoriam, aut deriuatoriam, vt ipſe docuit *libro ſexto epidem. ſectione ſecunda, commento 14.* §. *Eorum etiam, quæ ſuperius ſunt, ſi inter ſe conferantur, aliqua magis ſupra ſunt, aliqua minus; nobis vero eſt conſuetudo in omnibus ita dictis, interdum, quod minus ſupra eſt, infra eſſe dicere, quod ad ſuperius ipſum comparantibus: quod autem minus infra eſt, & id inferioribus comparantes ſuperius eſſe dicimus: ac propter huiuſmodi loquutionis incuriam conſuetudine longinqua confirmatam, in his ambiguitas quædam in ſermonibus oritur*: ergo quando ſimpliciter profert Galenus, quod à parte diſtantiori debet fieri ſanguinis miſſio reuulſoria, ſtando in eius doctrina, & loquutionis incuria, in loquendi conſuetudine, non debet intelligi de parte abſolutè diſtantiori, ſed de diſtantiori reſpectiua ad vnamquamque regionem.

Probatur 3. Galeni doctrina de reuulſoria curatiua ſanguinis miſſione debet intelligi, iuxta communem praxim, quam exercuit in exercitio huiuſmodi ſanguinis miſſionis: ſed dum Galenus conſulit ſanguinis miſſionem curatoriam reuulſoriam, illam conſulit non a diſtantiori corporis parte abſolutè, ſed à diſtantiori, quæ in vnaquaque regione communicationem habet cum parte affecta, & cum venarum comunicatione petit aperiri: ergo ex Galeni doctrina non petit exerceri à parte abſolutè diſtantiori, ſed à diſtantiori habente communicationem in vnaquaque regione. Probatur antecedens. Tum primò, libro quarto de ſanitate tuenda, capite decimo §. *Porro æſtimare diligenter oportet, qui ſanguinem ſunt miſſuri in thorace, ne dorſo, aut lumbis tenſio, pulſan'que dolor figatur, an in capite potius, & collo: his enim affectis, humeralem venam diuides; maximè ſi repletum caput, & calidum ſentiunt: illis verò internam: ſi vero omninò æqualiter laſſitudo corpus occupat, amborum mediam.* Tum 2. lib. de venæ ſect. cap. 16. §. *Quæ ex eodem latere eſt, conſpicuam habet vtilitatem; quæ verò ex altero, aut omnino obſcuram, aut longo poſt tempore; ex quo apparet, quanto minorem vtilitatem adducet ex venis minus communicantibus inter ſe, &c.* Tum tertiò, libro 13. methodi capite vndecimo §. *Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit ſanguis eſt, interna in dextro cubito ſecta vena.* Tum quartò, libro de humoribus, comment. ad textum decimumtertium, §. *Si verò in ſuperius partibus quid inflammatione tentetur, vt in angina, inflammatione oculorum, & in iis omnibus, quæ in capite ſunt vſu venit, venas exteriores, quæ ad rectitudinem ſitæ ſunt, incidere: liene autem inflammato ac patiente, venam ſiniſtræ manus internam ſecabis*: quibus in locis, aliiſque quampluſrimis, ſatis manifeſtè docet Galenus pro communi praxi docuiſſe ſanguinis miſſionem reuulſoriam curatoriam debere exerceri, non ex parte abſolutè diſtantiori, alias ex pede conſuleret ſanguinis miſſionem; ſed ex diſtantiori eius regionis, cum qua pars affecta habet communicationem.

Confirmatur ex eodem Galeno *libr. 13. methodi capite 13.* vbi expreſsè ſpecificando vnamquamque regionem, in qualibet conſulit reuulſoriam ſanguinis miſſionem ex regionibus ſuperioribus, & ex partibus in eis habentibus communicationem cum parte affecta, *Si caput*, inquit, *phlegmone laborat, humeralem incidere oportet; & ſi ea non cernitur, mediam; vbi iecur, aut cor ſic afficiuntur, internam; in angina, primò ex cubito, mox ex eis, quæ ſub lingua habentur, in eis quæ in capite ſunt, & eam, quæ in cubito eſt, & eam, quæ in fronte: renibus verò, & pudendo, & vtero ſic habentibus, eas, quæ in cruribus ſunt ſitæ.* En qualiter Galenus pro fluxionibus in vnaquaque regiune determinat venas habentes communicationem cum parte affecta, ex quibus fiat deriuatio, & ex quibus fiat reuulſio.

Contrariè opinantes ſatis manifeſtam concernunt Galeni doctrinam: ſe tamen munire intendunt aduerſus omnes authoritates Galeni, dicentes; quòd Galenus loquitur de ſanguinis miſſione deriuatoria; non autem de reuulſoria. Ipſi enim ſi verbum *Reuulſio* conſonat eorum opinioni, pro vera Reuulſione accipiunt; ſin minus, pro Deriuatione accipiendum reſpondent.

Sed contra ſtat, Tum primò, nuper adducta Authoritas, in qua manifeſtè conſtat, Galenum in vnaquaque regione ex venis in illa diſtantioribus conſulere reuulſionem pro illius inflammationibus, ex propinquioribus reuulſionem, ſicut ex ipſa parte euacuationem: ex quibus manifeſtè patet, quòd veram reuulſionem conſulit, non ex parte, diſtantiori abſolutè, ſed à parte diſtantiori habente communicationem cum parte affecta. Tum ſecundò, eodem capite inquit: *Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit, ſanguis eſt, interna in dextro cubito ſecta vena.* Vbi reuellere docet ex cubito, non ex pede tanquam à parte diſtantiori, & loquitur de vera reuulſione, quæ alterum eſt membrum diſtinctum ab euacuatione, illam non includens: ſi autem loqueretur de deriuatione, cum hæc euacuationem includat, ſuperfluè ſuperadderet: *pariter tum reuellendus, tum educendus.* Tum tertiò, Galenus in authoritatibus & doctrinis propoſitis intendit docere curationem inflammationis, quæ cùm maximè perficiatur reuulſione propriè ſumpta, dum reuulſionem conſulit, de vera reuulſione loquitur. Tum quartò, Galenus curandi rationem inflammationem partium ſuperiorum docet: ſi ergo veram reuulſionem non conſulit, nec de illa loquitur, diminutam eam conſulit, & imperfectam, omittendo primum remedium illius, & magis conſpicuum. Tum 5. Galenus docet, quod ſecare venam non habentem communicationem cum parte affecta, non prodeſt pro parte læſa, & in ea, ex qua fit, nocet. Ex quo apparet quod loquitur de vera reuulſione, quæ in inflammationibus maximè prodeſſe debet dum illam conſulit in vnaquaque parte habente communicationem cum parte affecta. Tum 6. quia *lib. de humoribus, cap. 5.* ex brachij venis conſulit ſanguinis miſſionem in affectibus partium ſuperiorum, dum

illæ

ſtæ partes inflammatione tentantur; ergo in princi- A pio, dum vera indigent reuulſione. Tum ſeptimò, quia Galenus *in prorrh. comment. 3. textu 53.* conſuluit ſanguinis miſſionem reuulſoriam ex brachio, vt auertat a naribus fluentem ſanguinem: Et de vera loqui reuulſione ipſum conſtat; quia ſuperaddit: *Quod autem manum recto tramite naribus, vnde ſanguis abundè fluit reſpondentem ſecare, manuſque eiuſdem humeralem venam ferire oportet, liquidò conſtat omnibus; ſi verò nare vtraque fluxerit ſanguis, ſecare ambas nihil prohibet; non enim per eas vacuationis, ſed reuulſionis gratiâ ſectionem facimus, &c.* ergo ſanguinem mittit ex brachio vt vera reuulſione reuellat, non autem deriuatione, quia deriuatio includit euacuationem, vt demonſtrauimus; Galenus autem non ad euacuandum, ſed ad reuellendum docet ſanguinem mittere B ex brachio. Tum vltimò, quia Galen. in reuulſione, quam conſulit in morbis ſuperiorum regionum, docet ſeruandam eſſe rectitudinem, quod præceptum pro euacuatione facta ex parte, vel deriuatione facta ex proxima, eſt ſuperfluum: ergo dum Galenus conſulit in affectibus ſuperiorum partium reuulſionem ex brachiis, ſanguine miſſo, loquitur de vera Reuulſione, & non de Deriuatione.

§. III.

Reuellendi ex pede traditur occaſio.

RESoluendum 2. quòd reuulſio præcautoria pro C affectibus fluxione accidentibus in ſuperioribus regionibus, poteſt eſſe a partibus infernis diſtantioribus.

Probatur 1. ex Gal. *lib. de ſanguinis miſſ. c. 19. §. In quibus autem corporibus nulla dum particula affecta eſt, caterùm vacuationem Vere ineunte auertimus: in iis ſiquidem talis ſit homo, qui quotannis æſtiuo tempore febrilibus morbis obnoxius eſſe aſſolet, atque eorum plenitudinem ſtudemus euacuare, æquè pars quæuis in ſanguinis detractionem accommodata eſt: ſicut ſanè, ſi arthriticus ſit omnibus articulis laborans: quibus autem eximia pars quæpiam, vbi priùs euacuati non fuerint, infeſtetur, haud æquè liceat è quauis parte euacuationem moliri: verùm ſicut in iis qui pati iam incipiunt: quamobrem podagri-* D *cos ex cubito euacuato, comitialibus verò morbis, vertiginibuſque obnoxios potius ex cruribus.* Et paulò infra: *ſiquidem infirmatam inſignem aliquam partem habeant, in quam, qua colligitur plenitudo, decumbat, per reuulſionem euacuare; vt ſi tale nihil ſit, qua cuique magis placebit, &c.* Ex quibus manifeſtè conſtat reuulſoriam ſanguinis miſſionem ex pede pro præcautione vtilem eſſe.

Probatur 2. manifeſtè ex Hipp. *lib. de natura humana, comm. 2. textu 9. § procurandum autem vt ſectiones quammaximè procul ab illis locis faciamus, vbi dolores excitare ſanguinemque colligi nouerimus: ſic enim nulla magna permutatio repentè fiet, conſuetudoque intercipietur, ne amplius in eundem locum confluat.* In E cuius commentario noſtram doctrinam expreſſiùs Galenus ſanciuit iuxta Hippocratis mentem, quam iis verbis aperit: *Quod ſectiones venarum hic intellexerit, quas Phlebotomias compoſito appellamus nomine, rectè ab expoſitoribus acceptum eſt, qui in hoc omnes conſentiunt: quod verò minimè diſtinxerit num de dolentibus iam partibus cenſeat procul eſſe reuellendos humores, vel potius ſanitatis tempore, ea ratione fortè venit reprehendendus. Et mihi videtur quòd in iis qui proſpera vtuntur valetudine dictum ſit: quippè quod voluerit Author aſſuefacere humores redundantes in alias partes ferri.*] En qualiter Galenus à parte diſtantiori tan- A tum iudicat ab Hippocrate doceri reuulſoriam ſanguinis miſſionem præcautoriam: de hac enim curatoria non iudicat eſſe conſonum illius doctrinæ, quod fiat à parte omninò diſtantiori.

Probatur 3. ratione ex Galeno deducta: per ſanguinis miſſionem reuulſoriam præcautoriam non intendimus humorem actu fluentem citò auertere, ne decumbat in partem affectam, & in ea impingatur: ad quod vitandum celeris requiritur auerſio per ſanguinis miſſionem reuulſoriam curatoriam factam ex parte, licèt diſtante, habente tamen communicationem maximam cum parte affecta: ſed tantum intendimus, vt nuper docuit Galenus, aſſuefacere humores redundantes, in alias partes ferri: ſed in hac aſſuefactione ſufficit paulatim auertere in omninò B diſtantiores partes, quia hæc conſuetudine, & paulatim conſequitur ſine periculo, quòd ex mora humor qui nondum fluit incumbat parti affectæ, ergo ſanguinis miſſio reuulſoria præcautoria vtilis erit ex parte abſolutè diſtantiori.

§. IV.

Soluuntur fundamenta primò propoſita.

AD 1. Reſpondetur, quòd quando Galenus docet reuulſionem debere fieri ad partem contrariam, ſeu diſtantiorem; debet, vt probauimus, intelligi, ſi fiat per ſanguinis miſſionem reuulſoriam curatoriam de parte diſtantiori habente communicationem C cum parte affecta; non autem de parte diſtantiori abſolutè, propter rationes dictas: & quia, vt Galenus docet *lib. de tremore, & rigore, cap. 5* alia alij corporis parti vena communicat, oportétque euacuationes ſemper ex communibus moliri; nam ſi venas, quæ nihil parti affectæ communicant incideris, neque affectæ medeberis, & ſanam ſemper offendes.

Ad 2. Reſpondetur, quòd Galenus conſulit reuellendum per partes inferiores contrarias eiuſdem regionis, habentes communicationem cum eis, per quas fit fluxio, vt citò cohibeantur humores, ne nimis confertim fluant ad partem affectam: quod non poſſet conſequi, ſi fieret ſanguinis miſſio ex venis pedum, quæ cum ſuperioribus non ita communicant, D vt citò poſſit fluxio cohiberi; hoc tamen poſſet paulatim aſſueſcere humores, qui generantur, in partes infernas deponere.

Ad 3. reſpondetur, quòd reuulſio petit fieri per contrariam partem & diſtantiorem inter habentes communicationem cum parte affecta, ſi ſit curatoria ſanguinis miſſio reuulſoria iudicata; ſi ſit præcautoria, poteſt fieri ex diſtantiori abſolutè; & ideò Galenus manu laborante conſulit crura ſcarificari: & quàmmaximè hæc doctrina de aliis præcautoriis auxiliis intelligenda, vt de fontanellis, & aliis ſimilibus.

RESOLVTIO II.

E Quid rationi conſonum ſtatuendum pro loco exercendi ſanguinis miſſionem curatoriam reuulſoriam?

§. I.

Dogmaticorum aſſenſus; Arabum & aliorum ſectatorum ab illis proponitur diſſenſus.

COnſtat ex dictis reuulſoriam ſanguinis miſſionem curatoriam iuxta Galeni decretum vtiliter ex brachio exerceri, cui aſſenſui adhærent maiori ex parte Dogmatici illi qui Græcorum, ac Latino-

rum

tum doctrinæ magis acquieſcunt. Arabum familia ex pede faciendum conſulunt in affectibus fluxione ortis in ſupernis corporis regionibus. Sic ſanciuit Auicenna *lib. 3. fen. tract. 5. cap.* 10. quod placitum placuit ſuis Commentatoribus, Gentili, Iacobo, Nicolo; placuit & illis qui illius ſunt familiæ, Gordonio, Matthæo de Gradi, Meſue, & pluribus ex Modernis, qui in eorum doctrina ſunt nutriti, Trincauellio, Augênio, Argenterio, Ioachino, & aliis Modernioribus recentioribúſque Medicis, qui ſibi ipſis hanc conantur adſcribere opinionem: cui fauet,

Primò, authoritas Tum 1. Auicennæ *lib. 3. tract. 5. cap.* 10. *de cura apoſtematum pectoris, & pulmonis*, dicentis: *Ex rebus communibus eſt phlebotomia, ſed in principio ex latere diuerſo, & magis feſtina de Saphena oppoſita in longitudine, & poſt ipſam de Saphena oppoſita in latitudine.* Tum 2. ex Alexand. Tralliano *lib. 7. cap. 1. §. Noui autem ego, me cum venæ cubiti in conſpectum non veniſſent, etiam ex venis in talo ſectis ſanguinem dimiſiſſe, & multo magis profeciſſe.* Tum tenent omnes Arabis Commentatores, & plurimi Galeni ſectatores: ergo vt probabilior admittenda.

Secundò, ſanguinis miſſio petit exerceri à parte, ex qua ſecurius, & facilius poſſit conſequi curatio morbi, à quo indicatur: ſed in principiis fluxionum ſi fiat ex pede ſecurius, & celerius conſequitur auerſio ad partes diſtantiores præcauendo fluentis humoris impetum: ergo ex illis petit fieri.

Tertiò, ex Galeno *lib. de humoribus ad textum* 13. patiente vtero, conuenit reuellere ſanguine miſſo ex brachio: ergo ſimilis eſt ratio, vt ſupernis partibus patientibus fiat reuulſio ex pede tanquam ex parte contraria.

Quartò, omnes homines omni ætate ſunt hypochondriaci, abundántque in prima regione conſpurcantium humorum copia, quæ ſanguine miſſo ex brachio, poteſt ſurſum ferri, vt reliquos coinquinet humores: ergo debet ſemper ex pede fieri ſanguinis miſſio reuulſoria, qua infra trahantur.

Quintò, ſanguine miſſo ex brachio, humores ſurſum feruntur, & valdè valent ſuperiorum partium inflammationes augere: ergo debet exerceri ſanguinis miſſio in principiis ex partibus infernis, vt humores reuellantur ad illas.

§. II.

Hippocrati, & rationi conſona proponitur doctrina.

RESoluendum, quòd ſi ſuperiorum regionum morbi fiant humorum vitio, qui à iecore, aut propaginibus venæ cauæ propelluntur, ex brachij venis, ſi foueantur etiam ab humoribus, qui à propaginibus cauæ deſcendentis, vel venæ portæ refluunt, ſurſúmque propelluntur, ex pedum, aut crurium venis debet exerceri ſanguinis miſſio reuulſoria curatoria: ſic deduci iudico ex Claſſicorum diſſentientibus opinionibus. Probatur 1. Medicus eſt imitator naturæ rectè operantis: ſed dum ipſa rectè operatur, ſi morbi partium ſuperiorum pendent & fouentur ex humoribus à iecore & ſupernis venis miſſis per fluxum ſanguinis narium, ſæpiſſimè curat morbum; ſi autem foueatur per humores propulſos à venæ cauæ deſcendentis, aut portæ ramis, morbos curat auertendo ad partes inferiores, vt animaduertit Hippocrates *lib 6. aphoriſm* 21. dicens: *In inſanientibus, ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio*: Ergo Medicus curatiuam ſanguinis miſſionem reuulſoriam debet exercere in morbis ſuperuenientibus in ſupernis regionibus ex brachio, ſi foueantur ex iecore, aut vena caua aſcendente: ſi à venis cauæ deſcendentis, aut portæ, ex pedum, aut crurium venis.

Probatur 2. ſumpta indicatione à loco: Sanguinis miſſio petit fieri à venis ex quibus fiat auerſio fluentis humoris verſus originem: ſed hæc ſumitur indicatio ex deriuatione venarum, à quibus fluxio fouetur, & propellitur: ergo ſi fluxio fouetur à iecore, aut vena caua deſcendente, ab illius propaginibus in brachiis fiet ſanguinis miſſio: ſi autem foueatur ex venis inferioris regionis, ab illius propaginibus in pedibus petit exerceri. Minor docetur à Galeno *lib. de rigore, §. Quod autem redundante ſanguine, ſit detrahendus ſanguis, cenſeo cuiuis eſſe apertum, cum à venis ſanguis complectatur. Quòd verò à pede aut poplite, vtero affecto, niſi ex anatome venarum communionem priùs doceam, rem profecto aſſequi non poſſis.* Ipſumque manifeſtiùs docuit exemplis, *lib. 11. method, cap. 13 § Si caput phlegmone laborat, humeralem incidere oportet, & ſi ea non cernitur, mediam; vbi iecur aut cor ſic afficiuntur, internam; in angina primò ex cubito, mox ex eis, quæ ſub lingua habentur, in eis, quæ in capite ſunt, & eam quæ in cubito eſt, & eam quæ in fronte: renibus verò, & pudendo, & vtero ſic habentibus, eas quæ in cruribus ſunt ſitæ.* Ergo ex Galeni doctrina ex venarum deriuatione à quibus fluxio fouetur, ſumitur indicatio ſanguinis mittendi ex brachij, aut pedum venis.

Probatur 3. Inflammatione ſuperueniente in ſuperioribus regionibus, vt fit communis praxis, & ex Galeno quamplurimis ex adductis locis didicimus, ſanguinem mittimus ex brachiis, in eiſdem ſuperiorum partium affectibus, ſi ſuperueniunt menſtruæ purgationes, lochia, aut hæmorrhoïdales fluxiones, ex pedibus ſanguinem mittere cogimur, in primo euentu, reuellendi cauſa, ex vicinioribus partibus; iuxta Galeni doctrinam *reſolutione antecedente* adductam: in ſecundo quia ipſe ſæpiſſimè ſanciuit ex Hippocrate, humores per inferiores regiones fluentes non eſſe reuellendos ad ſuperiores partes affectas: ergo ſi fluxio non fouetur ab humoribus partium inferiorum, à brachij venis; ſi ab illis foueantur, ab inferioris regionis venis fiet reuulſio. Patet conſequentia, quia ſi menſtruis fluentibus mittimus ſanguinem ex pede, timentes, ne refluat in partes ſuperiores inflammatione affectas, potiori iure debet mitti ab illis, dum fouentur ſuperiorum partium inflammationes ab illis.

Dices, quòd menſtruis, aut lochiis fluentibus, poteſt à Medico cognoſci neceſſitas reuellendi ad pedes, non autem dum ipſa non fluunt; & ideò ipſis non fluentibus, ex brachiis fiet ſanguinis miſſio.

Reſpondetur, quòd cognoſcitur; quia partium ſuperiorum fluxiones, morbive regionum ſuperiorum accidunt ſuppreſſis menſtruis purgationibus, lochiis aut fluxibus hæmorrhoïdalibus: quod manifeſtum præſtat indicium, quòd ſi ſuperueniant morbi fluxione orti, foueantur ab illis, & propellantur à partibus, in quibus contineri deberent.

Probatur 4. ex Authorum varietate in hoc præſcribendo practico præcepto, qui inter ſe diuiduntur, vt Trallianus, & reliquorum plerique fatentur, firmati aliquibus experientiis, quibus edocti alij ex pede facta curatoria reuulſione, alij ex brachiis, maius nocumentum ſunt experti; quod non aliunde variatur, niſi quia ſecurius & citius ſuccurrit reuulſio ex brachio, quibus à iecore aſcendentéve vena fouebantur ſuperiorum partium morbi fluxione orti: è contrà verò, facta ex pede eis, quibus accidit ſuperiorum partium morbos foueri ab humoribus propulſis

pulſis ab inferioribus partibus: ergo ſanguinis miſſio curatoria reuulſoria in affectibus ſuperiorum partium, qui fouentur à iecore & ramulis cauæ aſcendentis, ex venis brachij, in eis qui fouentur à ramulis cauæ deſcendentis, aut portæ, à pedum venis debet fieri.

§. III.

Soluuntur primò propoſita fundamenta.

AD 1. Reſpondetur, quòd Practici plerique citati fatentur, quòd docti experientia vſi ſunt pedum reuulſoria ſanguinis miſſione: Alij authoritatibus Galeni ſubſcribunt: Alij pro Auicenna dimicant. Ratio autem demonſtrat, quòd quandoque ex ſuperioribus, quandoque ex inferioribus debet exerceri reuulſio ob rationes traditas.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd in principiis fluxionum indicatur auerſio ad originem, origo autem fluxionum aliquando ſtat in portæ, & cauæ deſcendentis ramulis dum redundant in illis humores; & eos ſurſum mouent, & ideò ex pedum venis fit reuulſio: aliquando ſtat origo in iecore, & cauæ aſcendentis propaginibus, à quibus reuelluntur humores per brachij venas, quæ ſunt illius ramuli, per quos ratione communicationis ſecuriùs, citiùs, & faciliùs fit reuulſio.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd vtero inflammato, quia fouetur à iecore tanquam à parte mandante, petit reuulſio verſus originem fieri à brachij venis: ſimiliter ſi in ſuperioribus partibus fiat inflammatio, quæ fouetur à vena porta, ſeu caua deſcendente, verſus illas fit attractio à pedum venis: ſi autem à iecore fouetur ſuperiorum partium inflammatio, ſeu à venis cauæ aſcendentis, fit reuulſio à brachij venis, cum quibus ipſæ communicationem habent; tanquam à partibus inter habentes communicationem cum ſuperioribus regionibus.

Ad 4. Reſpondetur: Quòd eſſet miſera hominum conditio, ſi omnes ſemper, & in omni ætate laborarent hypochondriaca affectione: & licèt illa laborent, ſi non fouetur morbus ex humoribus, quibus ipſa cauſatur, non petit fieri reuulſio ex partibus inferioribus: ſicut neque petit ex illis fieri in eis, qui ſolent habere hæmorrhoidalem fluxum; nec in mulieribus, quibus ſolent menſtruæ purgationes fluere, in quibus ſolùm ſanguinem ex talo mittimus pro affectibus partium ſuperiorum, dum timemus ab humoribus inferiorum partium inflammationes foueri.

Ad 5. Reſpondetur: Quòd contrariè opinantes fruſtra timent refluxum humorum in principiis fluxionum partium ſuperiorum, ſi ſanguis non mittatur ex pede, ſi principio tranſacto, in augmento, & ſtato fluxionis, dum magis ea debet timeri, quia humores magis fluunt: ipſi tamen conſulunt tunc ſanguinis miſſionem ex brachio, quando maior retroceſſus deberet timeri: timendum admitto, dum fouetur fluxio ab humoribus partium inferiorum, quia tunc humores trahuntur, magis tamen propelluntur ab infernis partibus; dum tamen ipſæ non mittunt, potius eorum, quos retinent, rentare debent retentionem, ſicut ante ſanguinis miſſionem, quia vtiles ſunt ipſis partibus: ſi quid autem ſurſum fertur, & ab ipſis ſupernis venis, antequam in ſuperiores ferantur, retinerur, loco humorum qui ſurſum feruntur ab illis, nec eſt tanta copia humorum, qui trahuntur, quanta eorum qui euacuantur per venas brachij, quæ cum parte affecta communicationem habent, & verſus illam differentiam poſitionis humores auertunt in diſtantiores partes illarum regionum: auerſio enim non ſolùm petit fieri verſus poſitionem loci ſurſum,

A & deorſum; ſed verſus quamcumque poſitionum differentiam, vt palam ex Galeno demonſtrauimus.

RESOLVTIO III.

Verùm ſit fas in prægnantibus mittere ſanguinem ex talo pro affectibus partium ſuperiorum.

§. I.

Varia referuntur opiniones, & partis negatiua fundamenta.

HAnc tetigi difficultatem antecedenter, quam repeto ob connexionem doctrinæ. Recentiores, quibus ſemper placet ſanguinem ex talo mittere
B conſulunt ſemper in apoplexia, epilepſia, vertigine, orthopnœa in grauidis ex talo mittere ſanguinem. Noſter Doctiſſimus Doctor Maroja, ſi affectus ſuperueniat ſupra renes, ex brachio: ſi infra, ex pede ſemper conſulit in eis ſanguinem mittere *lib. 3. obſeruat.* Communis opinio fert, quouis ſuperueniente morbo, à quo indicatur ſanguinis miſſio in grauidis, ex brachij venis debere exerceri: ſic tenent Paulus *lib. 3. cap. 13.* Iachinus *in lib. 9. ad Almanzorem c. 14.* Auicenna *fen. 1. 3. tract. 5. c. 8.* Iacotius *ſententia 24. ſect. 2. lib. 4. coacarum.* Mercatus *lib. 2. de morb. mulierum,* & ibi Rodericus de Caſtro, qui pro epilepſia ex vteto in prægnantibus ex talo ſanguinem renuunt mittere: quibus fauet
C Primò, quòd nulli gentium fas ſit facere aborſum, vt Ariſtoteles decreuit *lib. 7. politicorum, c. 16. §. Nam poſtquam concepti ſunt, & ſenſum, & vitam acceperunt, nefas eſt attingere eos.* Et minùs licet hoc perpetrare facinus Medicis, lege enim naturali edoctus Hippocrates aborſum facere, nec ad id conſilium dare iureiurando prohibendum cenſuit, & Galenus *lib. an animal contin. in vtero:* ſed ſanguine miſſo ex pede abortus ſubſequitur: ergo nunquam in grauidis pro morbis quibuſcumque ſanguis mittendus eſt ex pede.

Secundò, ſanguine miſſo ex pede, ſequi aborſum firmauit Hippocrates dicens: *Mulier vtero gerens*
D *ſanguine miſſo ex vena abortit, & præcipuè ſi fœtus ſit grandior:* & Galenus *in commentario* idem confirmat; quia ſanguine miſſo deficit alimentum: & ſi fiat ex pede, quia exhauritur ſanguis venæ cauæ deſcendentis, per quam fertur alimentum in vterum, ſecuriùs aborſus debet ſequi: ſed aborſum facientem mortis pœnâ plectendum ſanciuit Conſtitutione Pont. Sixtus V. num. 107. in ſumma Bullarij, & ſequuntur Nauarrus, Couarruuias, Syluester, Iacobus de Graſſis, aſſerentes tanquam homicidas plectendos qui aborſum faciunt: & ante ipſos pœna eadem impoſita eis fuerat legibus ciuilibus, vt conſtat *in l. diuus, ff. de var. & extr. ord. crimin. & l. Cicero, ff. de Pœnis, l. ſi mulierem, ff. ad leg. Cornel. de ſicar. l. ſiquis necandi,*
E *Cod. de ſicar.* Et tenet Gloſſa *in dict. l. diuus, ff. de varius & extraord. crimin.* quam ſequuntur DD. communiter; Iulius Clarus *ſentent. l. 5. q. 68. n. 2.* Damohud *in Enchirid. in verbo, Aborſus,* Viuius *opin. comm. in verbo, Aſſaſſinium, n. 2.* Cacheran. Oſaſeh. *deciſ. Pedem. 59. n. 2.* qui ſaltem in animatis fœtibus mortis pœnam decernunt. Menochius tamen *de Arbitr. Iud. lib. 2. cent. 4. caſ. 356. num. 2.* pœna mortis plectendos aborſum cauſantes docet, ſiue fœtus vita fruatur, ſiue non fruatur: ergo nulli Medicorum fas eſt ſanguinem mittere ex pede in prægnantibus quin pœna mortis plectendus veniat.

Dices, quòd leges loquuntur de Medicis, & reliquis qui voluntariè contendunt fœtum perdere; non autem

autem de eis, qui ob vitam matris liberandum ſanguinem mittunt ex pede, dum aliter liberari non poteſt, & ſine animo fœtus perdendi hoc faciunt.

Contra ſtat, Tum 1. Sacra pagina *Exod. c. 21. verſ. 22. & ſequentibus*, §. *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit; ſubiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint: ſin autem mors eius fuerit ſubſequuta, reddet animam pro anima.* Tum l. ſi quis aliquid, §. qui abortionis, ff. de Pœnis, ibi: *Qui abortionis, aut amatorium poculum dant, & ſi dolo non faciunt, tamen, quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum damnantur; honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum, relegantur: quod ſi ex eo mulier, aut homo perierit, ſummo ſupplicio afficiuntur*: ergo etiamſi ſequatur abortus ſine Medici intentione, facta ſanguinis miſſione ex pede, plectendus eſt mortis pœna.

Tertiò multò maius delictum committitur ab eo, qui ſanguine miſſo ex pede, abortum cauſat, quam ab eo qui medicamentum præbet impediens conceptionem: ſed præbens medicamentum impediens conceptionem tanquam homicida plectendus, vt habetur *ex cap. ſi aliquis, de Homicid. caſ. & volunt.* Et ex Conſtitutione Sixti V. *in ſumma Bullar. n.* 107. ergo, ne ſimili pœna plectendus veniat Medicus, cauſato abortu, ſanguinis miſſionem ex pede non debet exercere in grauidis.

Quartò, ſecta vena ex talo, non ſolùm aufertur alimentum, qui per ramos cauæ deſcendentis fertur in vterum pro fœtus alimonia, ſed ſimul commouentur humores, qui in vtero continentur, vt patet dum ex pede mittitur ſanguis, menſtruis purgationibus, aut lochiis retentis. & commouetur quidquid continetur in vtero, vt apparet dum pro fœtu mortuo extrahendo aut relictis ſecundinis ſanguinem mittimus; ergo ſanguine miſſo ex pede in prægnantibus neceſſe eſt fœtum ſimiliter commoueri, & aborſum ſubſequi.

§. II.

Sanguinis miſſio ex talo vrgentia cauſa permittitur.

Reſoluendum, Quòd licèt regulariter ex brachio, in quibuſuis affectibus ſanguis mittendus, de cuia coacla cogimur quandoque ſanguinem mittere ex pede in grauidis, ſi lethalis epilepſia, ſimiliſve morbus ex conſenſu vteri in partibus ſuperioribus ſuperueniat: ſic Zacutus, ſic Hiſpalenſes quidam tenuere Medici in Apologetica diſceptatione iamdiu edita.

Probatur 1. ſi morbus ſuperuenit pendens ex vteri inflammatione, & qui ex illa fouetur, vel ab humoribus corruptis in vtero, pro illius curatione debet exerceri ſanguinis miſſio ex talo: ergo ſi in grauidis ſuperueniat lethalis epilepſia per conſenſum ab vtero, vel ſimiles morbi, pro eorum curatione ſanguis ex pede mittendus. Probatur antecedens ex Hippocrate *lib. 2. epidem. ſect. 4.* dicente: *Eſtimargi famula Idumæa erat, quæ vbi peperiſſet filiam, vteri oſculum contortum eſt, & inter coxendicem, & crus dolor deſcendit: hæc tali vena ſecta liberata eſt, quamuis tremores vniuerſum corpus detinerent.*

Dices, quòd Hippocrates ſolùm docet mittere ſanguinem ex talo in morbis vitio vteri ortis in non prægnantibus.

Contra. ſanguinis miſſionem in non grauidis conſulit ex talo, quia morbi pendentes ex vteri vitio petunt curationem per cauſæ ablationem, ipſam reuellendo ad ſuum principium, ſeu originem: reddit enim Hippocrates cauſam ſanguinis mittendi ex talo dicens: *Sed ad cauſam deueniendum eſt, & cauſæ principium*: ſed eadem conuincit ratio in vterū gerentibus: ergo eodem modo exercenda eſt curatio.

Probatur 2. ſi epilepſia, lethaliſve alius morbus ex vtero ortus petat ſanguinis miſſionem reuulſoriam, hæc exercenda, ne pereat grauida: ſed non à brachij venis, ergo ex venis pedum. Probatur minor: Tum ex Galeno qui *lib. 3. de locis affectis, cap. 7.* puerum epilepticum per auram a pede aſcendentem docuit curati applicatione ſinapis, & thapſiæ & ligaturæ ſupra crus: Tum 2. ex Tralliano *lib. 1. c. 15. §. ſin autem nec ſtomachus, neque caput morbi habeat originem, conſidera num ex alia quadam particula ſumat initium. Nam alij à ſuperiori pedis parte, quæ Tarſos Græcè dicitur, alij à tibia, alij ex alia particula morbi acceſſionem ſentire viſa ſunt, & ſi tale conſpectum fuerit, etiam illi potiſſimum parti proſpicito. & totam ei curationem adhibeto.* Tum 3. ex Aetio idem aſſerente *lib. 2. ſerm. 2. cap. 18.* Tum 4. ex Paulo *lib. 2. cap. 13. §. Locus à quo oritur paſſio, &c.* ex quo Areulanus firmat hanc doctrinam dicens: *Quòd vbi ex vtero talis morbus comitialis dimanat, oportet vt materia ex vtero eradicetur, prouocādo menſtrua cum phlebotomia ſaphenæ.*

Dices, conuinci ex Authoribus citatis, in epilepticis non prægnantibus ex talo ſanguinem eſſe mittendum, à nullo tamen id de prægnantium morbis doceri.

Contra ſtat Auicenna, qui *fen. 1. 3. tract. 5. cap. 8.* dicit: *Et ſimiliter aduenit mulieri prægnanti epilepſia in impragnatione, cumque deponit, & euacuat materiam menſtrualem, remouetur illud*: ſed Medicus naturam rectè operantem imitatur: ergo ſi illa per infernas partes deponens ſanguinem, curat epilepſiam per conſenſum; Medicus ſimili modo illā curare debet.

Probatur 3. Si cauſatur morbus per morbificam cauſam fluentem in partem principem, curatio debet perfici per euacuationem reuulſoriam, fluentem materiam auertentem ad originem, vnde fluxus humorum prouenit: ſed epilepſia in prægnante orta ex vteri inflammatione ſeu conſenſu, eſt morbus lethalis, ſeu ſymptoma ortum ex lethali morbo pendente ab humoribus in vterum fluentibus: ergo eius curatio debet perfici ſanguine miſſo ex talo. Probatur maior ex Hippocrate *lib. 6. epidem. § Reuellere ſi quò non oportet, vergant: ſin autem quò oportet aperire vel quocumque repunt.*

Probatur 4. ſi ſuperueniat lethalis epilepſia, morbuſve lethalis quilibet per conſenſum ab vtero propter eius inflammationem, vel propter confluxum humorum in illum, in vtero gerente, debet exerceri ſanguinis miſſio indicata à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis in mom: ſed non ex brachij venis aliiſve ſuperiorum regionum: ergo ex tali venis. Probatur minor. Tum ne trahantur humores ſanguine miſſo ex brachio, vel vapores epilepſiam cauſantes in partes, quò non deberent vergere. Tum quia vena brachij non habet communicationem cum vtero, vt per illam poſſit inflammationis cauſa auferri: Tum quia Hippocrates docet reuellere ad principium, & originem fluxionum, non autem ad partem affectam. Tum quia Galenus, dum fit euacuatio, ſeu ſanguinis miſſio à parte, non habente communicationem, docet nihil de morbi cauſa auferri, & vires debilitari: ergo in caſu poſito, non debet ſanguinis miſſio fieri niſi ex pede.

Probatur 5. ſi quid obſtaret quominùs in grauidis mittatur ſanguis ex pede, maximè quia ſubſequitur aborſus: ſed non id ſemper eſt neceſſarium: ergo non

eſt

eſt cur in caſu poſito ſanguis in grauidis non ſit mittendus ex talo. Probatur minor: Tum experientia, quia vt Zacutus obſeruauit, & ego bis vidi, ſanguine miſſo ex pede non abortiunt magna ex parte, quæ ex pede phlebotomantur: Tum quia pluries id experiuntur mulierculæ, quæ tentant aborſum facere: Tum quia Cornelius Celſus *lib.2. c. 10.* inquit: *Non dubitandum in grauidis, viribus conſtantibus ſanguinem mittere, quoniam vſus oſtendit non eſſe perpetuum grauidam phlebotomia curatam aborſum eſſe facturam*: ergo ſanguine miſſo ex talo in grauidis non ſequitur neceſſario aborſus.

Probatur 6. *Medicinæ, quæ per ſe ac directè ordinantur ad ſanitatem matri conferendam, licet per accidens timeatur fœtus occiſio, v.g. vena ſectio, pharmacum ventris purgatiuum, non eſt illicitum vt adhibeantur. Si certo Medicorum iudicio mater cum prole ante eius natiuitatem moritura ſit, niſi eiuſmodi medicamentum adhibeatur*, vt tenet Layman *lib.1. tract.3. c.4. n.4.* Et tenent citati ab illo Leſſius *lib.2. c.9. dub.10.* Sanchez *lib.9. de matrimonio diſp.20.* Petrus Nauarra *lib. 2. c.3. difficultate 2.* Saytus *lib.7. clauis regiæ c.12. n.21.* Finclus *caſu 4. n.17.* Nauarrus *c.25. n.62.* Sed probabili Medici iudicio conſtat quòd ſi vterus inflammationem patiatur, & præſentem ac celerem morbus lethalis eius conſenſu ortus petat, per infernam regionem fieri ſanguinis miſſionem, ſi non exerceatur, grauida citò debet perire: ergo etiamſi aborſus deberet ſubſequi neceſſariò, debet ex pede exerceri ſanguinis miſſio.

§. III.

Soluuntur fundamenta pro communiori opinione adducta.

AD 1. Reſpondetur, quòd Hippocrates, Ariſtoteles & Galenus docent fas non eſſe vlli gentium facere voluntarium aborſum.

Ad 2. Reſpondetur. Quòd Hippocrates loquitur de eo, quòd regulariter contingit, ſi nimia ſit euacuatio, cuius cauſa aufertur, ex toto neceſſarium alimentum, non de moderata: & adhuc ſi ſequeretur, Sixti V. Conſtitutio & leges ſolùm contendunt prohibere voluntarium aborſum. Ad replicam dicimus, quòd in caſu poſito in Exodo, vt circa illum tenet Abulenſis, actio feriendi mulierem poteſt eſſe inuoluntaria, in qua nihil committitur contra legem, nec de illa loquitur Exodus: vel poteſt eſſe omninò voluntaria; vel mixta ex voluntaria, & inuoluntaria: & has plectendas docet. In Medico verò eſt actio omnino inuoluntaria aborſus. Ad legis pœnam dicimus quòd imponitur contra illos, qui dant poculum amatorium, vel medicamentum per ſe corruptiuum fœtus: Medicus autem exercet ſanguinis miſſionem, quæ eſt remedium per ſe tendens ad matris ſanitatem, & ex qua ſolet non ſequi aborſus: & ſi ſequatur, liberatur vita matris aliàs peritura.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd bene probat argumentum, ſi in vtroque caſu ſit actio volũtaria, vel mixta: nempe procurandi aborſum, vel impediendi generationem: ſed in Medico curante nulla datur nec voluntaria, nec mixta; ergo nec datur cauſa plectendi.

Ad 4. Reſpondetur: Quòd ſi fluant humores inflammationem in vtero cauſantes, & nimio fluxu in ipſum ruentes, ſanguine miſſo ex pede auertuntur, qui erant humores fœtui alendo inepti, ipſi commouentur, & trahuntur, quò debent, quia auertuntur à parte, in quam non deberent ruere, & nullum fit incommodum fœtui, immò commodum maximum, ablatis humoribus quibus poſſet periclitari.

A RESOLVTIO IV.

Vtrùm in omni gonorrhœa gallica, gallicíſvè bubonibus ſemper ſanguis mittendus ex pede?

§. I.

Botali, Ferrerÿ, Braſaboli, Lagunæ, & aliorum proponitur opinio.

HAnc aggredi prouinciam proponit recenter Iulius Cæſar Benedictus *lib.2. epiſt.8.* nec tamen ingreditur illam, tametſi in limine ſat bene adducit Fallopium, Fabricium, Daxam, & Septalium à Zacuto citatos, qui in bubonum gallicorum principio

B renuunt ſanguinem mittere, ne impediatur naturæ motus: forſan ab Hippocrate edocti: quòd quæ iudicantur, aut iudicata ſunt integrè, nec mouere, nec nouare, ſed ſinere oportet: ſed contingit ægrè naturam perficere ſæpe hanc humorum expulſionem, quo tempore miſſione ſanguinis indiget coadiuuare potente, & tunc de loco mittendi ſanguinem dubitamus. Ex brachij venis eſſe mittendum conſulunt Antonius Muſa, Braſabolus *lib. de morbo gallico, tractatu de curatione illius.* Fallopius *l. de morbo gallico, c.30.* Calmetens *lib. de morbo gallico de pudendagra cap.7.* Mercatus, *lib.2. de morbo gallico, cap.10.* Leonardus Palmarius *lib. de morbis contagioſis*, Botalus *lib.2. de lue venerea, c.9.* Andreas Lacuna *lib.x. cap.8. & c.6.* Montanus *centuria 1. conſult.85.* Rondeletius *lib. de*

C *morbo gallico, tit. de curatione*, Ioannes de Vigo *in appendice ad lib. 5. de morbo gallico*: Fuchſius *lib. 5. de morbo gallico*: quibus poteſt fauere,

Primò: humores fluentes in aliquam partem conuenit reuellere versùs ſuam originem ad partes contrarias, ne impacti fluxionem augeant, atque vt minus partem affectam lædant, vt communiter docet Galenus, & nos ex ipſo probauimus agentes de reuulſione: ſed gonorrhœa gallica, gallicuſque bubo ſunt affectus, qui proueniunt in partibus infernæ regionis per defluxum humorum ad illas, prouenientem à iecore tanquam à parte mandante: ergo à brachij venis debet tentari reuulſio horum humorum tanquam in originem fluxionis.

Secundò, Bubo gallicus eſt tumor præter natu-

D ram: ergo debet curari iuxta communes indicationes vniuſcuiuſque tumoris: ſed quilibet tumor in principio fluxionis indicat fluentis humoris auerſionem per ſanguinis miſſionem impedientem illius fluxum ad partem affectam, & per repellentia cohibentia humorum fluentium receptionem in parte: ſed ſanguine miſſo ex pede potius fit attractio in partem patientem bubonem: ergo ſanguinis miſſio in principio potius ex brachiis petit fieri.

Tertiò: In bubonibus gallicis, vt in principio notauimus, non mittimus ſanguinem niſi tranſactis pluribus diebus, dum impotens apparet natura ad humorum expulſionem: ſed tunc petit fieri ex bra-

E chio: ergo ſemper in gallicis bubonibus ex brachio ſanguis eſt mittendus. Probatur minor: natura potentiùs expellit exonerata eo, quo veluti ſarcina premitur, vt docet Gal. *lib.11. methodi, c.15.* ſed ſanguine miſſo ex brachio meliùs aufertur ſarcina, cùm in iecore & ſuperioribus venis contineatur maior copia humorum gallica infectione affectorum: ergo miſſo ſanguine ex brachio meliùs poteſt natura exonerari.

§. II.

Modernorum communis ſancitur opinio.

REſoluendum, quòd in gallicis bubonibus & gallicis gonorrhœis ſemper expedit mittere ſan-

guinem

guinem ex pede. Sic tenet Zacutus *tom. 1 lib. 1. q. 39.* loquendo de ſolo bubone, licet in complicatis affectibus aliter ſentiat. Tenent Fernelius *lib. 6. de part. morbis, c. 13.* Fracantianus, Fauentinus, Rudius, & communis Practicantium iam admittit conſenſus. Tenet recenter Duarte Madeira *in apologia de ſanguine mittendo ex pede in oculorum fluxionibus ſi complicetur gallicus bubo,* vbi validiſſimis firmat rationibus.

Probatur 1. in Gallico bubone, & gonorrhœa gallica non eſt reuellendus humor, cùm natura humores noxios expellat à partibus principibus in glandes, & inferiores partes deſtinatas ad eorum expurgationẽ: ſed miſſo ſanguine ex brachio ſupprimeretur euacuatio, & expulſio humorũ; ergo ſanguinis miſſio ex pede, & non ex brachio, debet fieri. Probatur Minor ex Hippocr. *lib. de humoribus, §. Reuulſio in ſupernis deorſum; in infernis ſurſum.* Tũ ex Galeno lib. de ſanguinis miſſ. c. 11. §. *ſecta enim in cubito vena mulierum ſolent reuellere purgationes.* Tum lib. de ſanguin. miſſ. c. 18. §. *Nam quæ ex cubito fiunt euacuationes aliud etiã habent adiunctũ malum, nempe quod purgationes menſtruas comprimunt, ſanguinẽ ad ſuperiores corporis partes retrahendo: quæ verò fiunt ex cruribus, tantum abeſt vt retrahant; vt etiam menſes prouocent.* Tum Gal. lib. de ſang. miſſ. c. 29. §. *Cæterum ſi retentæ hæmorrhoides mittendi ſanguinem occaſio ſint, ſi quid cohibere eas velis, quæ in brachio ſunt: ſin prouocare, quæ in cruribus ſunt, venas ſecare conuenit*: ergo ſanguinis miſſio ex brachio cohibet humorũ fluxũ in partes inferiores.

Probatur 2. ſanguinis miſſio ex brachio retrahit humores in partes ſuperiores, vt patet ex nuper dictis, ſed humores, in gallicis bubonibus, quia ſunt venenoſi, vel ſaltem affecti occulta gallica infectione, petunt ſeparari à parte principe, & rattrahi in ignobiles; & diſtantiores partes: ergo non debet ſanguinis miſſio fieri ex brachio, ſed ex pede. Probatur minor à ſimili ex Auicenna *fen. 6. 4. tr. 3. c. 1. §. Et quandoque ingreditur in hoc capite res alia, & eſt facere humores remouere ad partem aliam à membris principalibus.* Tum fen. 4. t. c. 1. §. *Et caue tibi ne tranſitus ſuper principale fiat.*

Probatur 3. de gallicis ac peſtilentibus bubonibus, quantum ad ſanguinis miſſionis locum, eadem eſt ratio; cùm vterque fiat ex venenoſo humore, quem contendit natura pellere à iecore ad ſua emunctoria: ſed in peſtilentibus bubonibus ſanguinem mittere ex talo docent doctiſſimi Moderniores, Donatus ab Altomar. *lib. de peſt.* Euſtachius Rudius, Santa-Cruz, & alii quamplurimi: præcipuè ſi foueatur ex inferioribus partibus: ergo ex pede ſemper in gallicis bubonibus debet exerceri.

Probatur 4. Menſtruis ſuperuenientibus prohibet Galenus *lib. de ſanguinis miſſione, c. 11.* ne mittatur ſanguis ex brachio, ne vitioſus ſanguis menſtruus retrahatur ad partes ſuperiores: ſed non minori vitio laborant humores, qui in virulenta gonorrhœa euacuantur: ergo non minus debent per miſſionem ſanguinis ex pede attrahi ad inferiores partes.

§. III.

Soluuntur fundamenta in principio adducta.

AD 1. Reſpondetur, quòd ex Hipp. *lib. 6. epidem.* reuellendum ad originem, ſi humores, quò non deberent, vergant: humores autem gallica qualitate infecti à iecore vt potenti truduntur in glandulas inguinum, tanquam in propria emunctoria, ad recipiendos ſuperabundantes humores in iecore deſtinata; etiam ſolent extra corpus trudi in virulẽta gonorrhœa; & ideò non debent reuelli, ſed potius iuuari eorum motus, quia fit per partes, per quas debet fieri.

Ad 1. Reſpondetur, quòd dum fit humorum fluxus à partibus principibus in ſua emunctoria, & dum humores labe aliqua venenoſa, aut maligna inficiuntur, non vtimur communibus indicationibus, quibus ſolemus reliquos tumores curare, ne humores illi retrotrahantur in partes principes, vel commiſceantur cum reliquis humoribus non infectis.

Ad 3. Reſpondetur, quòd in iis tumoribus licèt euacuatio videatur ſymptomatica, eſt vtilis: & ex eis quæ petunt iuuari: & quia ſanguine miſſo ex pede iuuatur motus naturæ, ideò ſanguinem mittimus ex pede, non autem ex ſupernis partibus, ne deferantur humores in illas, quæ cùm priùs non valerent expellere, oneratæ ex humoribus ſanguinis miſſione attractis, fierent omnino impotentes vt iterum poſſent emittere illos; natura enim potius debilitatur in iis morbis ratione malignæ qualitatis, quàm ratione quantitatis humorum: ſi enim ſit plenitudo, natura potenter humores trudit.

RESOLVTIO V.

Vtrùm ex pede mittendus ſanguis in affectibus fluxione ortis in ſuperioribus regionibus, ſi complicentur cum dictis, vel aliis, in quibus à pede mittendus ſanguis?

§. I.

Proponitur difficultas: & dubitandi rationes traduntur.

DEcreuimus in affectibus fluxione ortis in ſupernis partibus, ſi foueantur à iecore, aut ramis cauæ aſcendentis, ſanguinis miſſionem reuulſoriã pro illis exercendã eſſe ex brachio, nuperque tradidimus in gallicis bubonibus, & gonorrhœa virulenta ſemper ex pede ſanguinem eſſe mittendum; reſtat nunc examinandum, ſi ſuperiorum partiũ tumores petentes ſanguinis miſſionem ex brachio, complicentur cum bubonibus gallicis, aut gonorrhœis, aliiſve affectibus petentibus ſanguinis miſſionem ex pede, qua ex parte debeat exerceri? Videtur quod ex brachio.

Primò; quia duabus ſuperuenientibus indicationibus, illa eſt primò attendenda, ex cuius executione maior ſubſequitur vtilitas: ſed conſtat ex dictis, quòd in affectibus partium ſuperiorum ſuperuenit maior vtilitas ex ſanguinis miſſione ex brachiis, quàm ex pede: ergo debet exerceri ſanguinis miſſio reuulſoria ex brachio.

Secundò, maior vtilitas ſequitur, dum humores, à propria origine, à qua fouetur fluxio, euacuantur: ſed ſuperueniente gonorrhœa, aut bubone cum inflammatione partium ſuperiorum, iecur eſt earum fluxionum origo: ergo ex brachio, cuius venæ maiorem cũ iecore communicationẽ habẽt, ſanguis eſt mittẽdus.

Tertiò, ſanguine miſſo ex brachio fit reuulſio humorum qui fluunt in ſuperiores regiones, vt *ſuprà* cum Galeno decreuimus; fit etiam reuulſio humorũ in infernas partes fluentium, vt ex eodem Galeno *reſolutione antecedenti* probauimus: ergo ſimul fit reuulſio indicata ab vtroque affectu; quod ex pede contingere non poteſt. Ex quo apparet ex brachij venis faciendam ſanguinis miſſionem reuulſoriam.

§. II.

In complicatis reuulſionibus ex pede ſanguis mittendus.

REſoluendum, quòd in affectibus complicatis à quibus ſimul indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria per venas brachij, & pedum venas, præſtantior

tior eſt indicatio ad inferiores partes reuellendi.

Probatur 1. Duabus indicationibus ſuperuenientibus, illa eſt præcipuè exequenda, quæ valet curare morbum à quo indicatur, ſine alterius læſione; quia ex Galeno *lib. 12. methodi*: *Præſtantiſſimi Medici eſt, qui ex arte contra morbum pugnat, vt tutè medicetur*: Sed facta ſanguinis miſſione ex brachio, iecoris & ſuperiorum partium fit læſio, quia ad illas trahitur coinquinatus humor, quem natura propellit, & trudit expellendo in partes ignobiliores, in quo euentu in ſuperiorum partium inflammationibus ſanguinem mittendum ex pede conſulit Galenus *lib. de ſanguinis miſſ. 19. lib. de præſag. experim. inter fur.* Et idem docet in ſimili caſu Oribaſius *libro primo, cap. 16.* ergo ex pede exercenda ſanguinis miſſio reuulſoria.

Probatur 2. ſi dum in partibus ſuperioribus accidunt inflammationes ſuperueniat hæmorrhoidalis euacuatio, aut menſtrualis, ſemper ſanguinem mittimus ex pede, etiamſi propter inflammationem indicetur ex brachio, ne impuri fluentes humores in partes inferiores retrotrahantur, & ſurſum delati, inflammationem adaugeant: ergo eadem eſt ratio, vt ſuperueniente gonorrhœa, aut bubone, ſimilive affectu à quo ſanguinis miſſio ex pede indicatur; hæc debeat exerceri.

Probatur 3. Duabus complicatis indicationibus ad id quod magis vrget, altero non neglecto attendendum, ex Galeno *7. methodi cap. 12. & 1. aphoriſm. 16.* Sed ſanguinis miſſio ex pede magis vrget; tum quia ſucceſſione ad id quod euacuatur, licet non ita citò, ſicut ſi fieret ex brachio, fit aliqua à partium ſuperiorum humoribus attractio: Tum quia per illam virulenta noxiaque materia in partes inferiores trahitur, & impeditur ne feratur ad ſuperiores: Tum quia iuuamus motum naturæ bene operantis: Tum quia, quò natura vergit ducere oportet; ergo præferenda eſt ſanguinis miſſio reuulſoria ex pede.

§. III.

Soluuntur rationes dubitandi primò adducta.

AD 1. Reſpondetur, quòd maior ſubſequitur vtilitas facta ſanguinis miſſione ex pede, quia licèt lentè, tandem reuellit, & iuuat pro curatione partium ſuperiorum; & proximè euacuat & attrahit à iecore per loca conſcientia, & illius motum adiuuando & imitando.

Ad 2. Reſpondetur, quòd maior vtilitas ſequitur coadiuuando motum naturæ rectè operantis, & conantis humores noxios ſeparare à parte principe, & illos mittere ad ſua emunctoria, & per partes deſtinatas pro eorum euacuatione.

Ad 4. Reſpondetur, quòd ne deferantur humores, qui petunt trahi ad partes inferiores, ad ſuperiores, contraindicatur reuulſio ex brachio, quæ ſecurior fieret pro humoribus ſurſum delatis, ſi non eſſet alia contraindicatio; præualet tamen ea quæ coadiuuandæ naturæ gratiâ ſumitur ab humoribus in infernas partes fluentibus; ab iis enim non reuellendi, ſed coadiuuandi naturæ motum indicatio ſumitur.

A RESOLVTIO VI.

Verùm menſtruis complicatis ſanguinis miſſio ex pede ſemper ſit exercenda?

§. I.

Proponitur dubitandi ratio; aperiuntur diuerſa complicationes.

MEnſtruis ſuperuenientibus, eorum cauſâ mittitur ſanguis, dum diminutè, ex pede; dum nimis profusè, ex brachio; ex communi omnium conſenſu. Diſſenſus maximus apud Authores ſtat, dum complicantur cum aliis morbis exigentibus ſanguinis miſſionem ex partibus ſuperioribus, an ſemper præualeat B ratione ſuperuenientis indicationis, quæ à menſtruis deſumitur, quòd exerceatur ex pede? Rodericus de Caſtro *p. 2. lib. 1. c. 13.* ſex menſtruorum cum morbis recenſet complicationes: Prima dum morbus inuadit, menſtruis imminentibus: Secunda, dum ratione ſuperuenientis morbi menſes anteuertuntur: Tertia, ſi morbi tempora, & menſtruationis complicantur: Quarta, ſi ſuppreſſis menſtruis aliunde morbus incidat: Quinta ſi ſuperuenienti morbo cauſam dederit menſtruorum ſuppreſſio: Sexta, ſi morbo exiſtente menſes ſuperueniant. Iuxta cuiuſuis complicationis diuerſitatem proponitur dubitatio.

§. II.

C *Menſtruis imminentibus, locus ſanguinis miſſionis determinatur.*

REſoluendum 1. quòd ſi immineat tempus, in quo menſtrua ſolent ſuperuenire, ſi nec nimis ſit propinquum, nec nimis timeatur, quòd ſuperueniens morbus fouetur à venis inferioris regionis; ſed potius à caua aſcendente ex brachio; ſin minus, ſemper ex pede pro morbo ſuperueniente ſanguis mittendus. Sic Rodericus de Caſtro, ſicque philoſophandum iuxta ea, quæ decreuimus *reſolut. 2. huius ſect.* ex cuius fundamentis manet probata hæc doctrina.

§. III.

D *Aſſignatur locus miſſionis ſanguinis, dum menſtrua anteuertuntur.*

REſoluendum 2. quòd ſi menſtrualis fluxus criticus anteuertatur in quouis morbi tempore, ſit ſanguis mittendus ex pede, ſi ſufficiens non videatur. Probatur ex Galen. *lib. 9. meth. c. 5.* vbi docet. *Quòd ſi tempore mittendi ſanguinem menſes aduenire contigerit, aut etiam hæmorrhois ſit recluſa, inſpecto fluentis impetu, ſi ipſe ſatisfacere videbitur, naturæ rem omnem permittes; ſin minus tantùm ipſe detrahes, quo ex ambobus coniunctis perficiatur quod poſtulas.*

Probatur 2. quò natura vergit, eò ducere oportet; ex Hipp. *lib. 6. epidem.* ſed ſanguine miſſo ex brachio auertitur naturæ motus, ac impeditur: ergo non debet fieri ex brachio, ſed ex pede.

E Probatur 3. dum natura ſymptomaticam, ac intempeſtiuam tentat euacuationem menſtrualis ſanguinis per vterum, illâ tentat vt irritata quammaxime propter malignitatem humorum, qui continentur magna ex parte in vtero, & venis proximioribus: ſed huiuſmodi maligni humores non debent auerti ad partes ſuperiores, ne reliquos conſpurcent, morbóſque augeant, qui in ſuperioribus partibus magni exiſtunt: ergo ex pedum venis debet ſanguinis miſſio exerceri.

Probatur 4. Dum menſtruæ purgationes ante tempus ſuperueniunt ſymptomaticæ ratione humorum, qui copia, & qualitate irritant pro ſui expulſione, in venis vteri ſuperueniunt; ergo debent euacuari per

ramos habentes proximam communicationem cum parte affecta, vt *ſuprà* probauimus ex Galeno: ſed deſcendentis, ſunt venæ, quæ ſunt propagines cauæ cum vtero & venis quæ habent communicationem cturium, & pedum illi proximis: ergo ex pedum aut cturium venis debet ſanguinis miſſio fieri.

Probatur 5. Quò natura vergit, eò ducere oportet per loca conferentia, ex Hipp. 1. *aphoriſm.* Sed pro humoribus confluxis ad vterum, quales ſunt illi qui euacuantur per illum, nullus alter locus poteſt eſſe conferens: cùm ſolus ille ſit à natura deſtinatus pro iis humoribus euacuandis: & ideò Galenus *lib. 2. de cauſis morborum*, nullamq́ aliam ſanguinis euacuationem naturalem admittit, præter menſtrualem: ergo etiamſi ſuperueniat, menſtruis anteuerſis, & vt ſymptomatica, non debet cohiberi, venis brachij apertis; ſed potius permitti aut coadiuuari ex pedum venis ſanguine miſſo.

Probatur 6. Menſtruis debitè fluentibus ſanguis ex pede mittendus: ergo etiam in anteuerſis. Patet conſequentia: quia cùm maior ſit in iis copia & malitia humorum, maius, ſi ſurſum ferantur, debet timeri damnum.

§. IV.

Aſsignatur locus miſsioni ſanguinis complicatæ menſtruæ purgationi in debito tempore ſuperuenienti.

RESoluendum 3. quòd ſi ſanguis menſtruus debito tempore ſuperueniat in quouis morbi tempore, & in quouis morbo, ſi non videatur ſatisfacere, ex pede ſemper mittendus ſanguis. Supponimus ex dictis §. 2. cum Galeno, quòd ſi ſatisfacere videtur naturæ, omnis res permittenda, præcipuè ſi vtcriticus ſuperueniat ſuo tempore fluxus. Tunc enim, *quæ indicantur, aut indicata ſunt integrè, nec mouere, nec nouare, ſed ſinere oportet*, ex Hipp. In quo conueniunt omnes. A Fernelio, Mercato, Roderico de Caſtro, & aliis diſcedimus in omni morbo id conſulendo: in imminente enim in ſuperiorum partium morbis periculo, præcedente ex pede miſſione ſanguinis, ligaturis poſitis ex brachiis ſanguinem mittunt: quod diſplicet.

Primò, in leuioribus morbis id renuunt facere, quia materia menſtruali ſurſum delata, deliria, comata, vigiliæ, ſopores, anhelitus, difficultates, & tandem mors ſubſequi ſolent: ſed in morbis capitis ſimilibus hoc ſanguine miſſo magis ineuitabiliter contingere eſt neceſſe: ergo in iis morbis magis neceſſariò ex pede ſanguis eſt mittendus. Probatur minor. Magis ineuitabiliter morbi cerebri, & partium ſuperiorum debent contingere, quando partes magis debiles ſunt, & magis aptæ ad recipiendum: ſed dum actu patiuntur, debiliores ſunt, & aptiores ad recipiendũ humores ſurſum delatos: ergo dum iam illi morbi vrgent, minus de brachio ſanguis eſt mittendus.

Probatur 2. Si quid vrgeret vt ſanguis mittatur ex brachio, maximè quòd à ſuperioribus partibus celeri motu foueatur morbus, non ab inferioribus partibus: ſed ſanguine miſſo ex brachio, cùm reuellatur ſurſum ſanguis ab vtero ex Gal. *lib. de ſanguin. miſſ. cap. 18. & . Nam quæ ex cubito fiunt euacuationes aliud etiam habent adiunctum malum. nempe quod purgationes menſtruas compriment, ſanguinem ad ſuperiores partes retrahendo.* Tum c. 1. 6. *ſecta enim in cubito vena mulierũ ſolent reuellere purgationes*; non debent fluere ad partes affectas humores partium ſuperiorum, qui prius fluebant, ſed qui à partibus inferioribus denuò auertuntur: ergo ex pede ſemper ſanguis mittendus.

Dices, quòd retinentur cucurbitulis, aut ligaturis in inferioribus partibus appoſitis. Contrà; potentior eſt reuulſio quæ fit ſanguinis miſſione, quàm quæ ligaturis aut cucurbitulis efficitur: ergo iis duobus poſitis potentior fiet humorum auerſio ad partes ſuperiores ſanguine miſſo ex brachio, quàm retentio appoſitis cucurbitulis, aut ligaturis.

Probatur 3. Ex dictis ſuprà, dum timetur quòd morbus aliquis foueatur à venis partium inferiorum, ſanguinem mittendum diximus ex pede in affectibus partium ſuperiorum; quia ex Hipp. & Galeno ad principium & originem fluxionum eſt reuellendum: ſed menſtruis fluentibus, ſanguine miſſo ex brachio, neceſſe eſt morbum foueri ex humoribus inferiorum partium: ergo ex illis neceſſariò ſanguinis miſſio exercenda.

Dices, quòd, vt probauimus, ex brachio fit reuulſio & hæc celerior & præſtantior eſt pro affectibus partium ſuperiorum, cùm fiat ex vicinioribus partibus.

Reſpondetur, quòd omnes rationes probant dum à iecore, & cauæ aſcendentis ramulis fouentur morbi; tunc enim fit reuulſio ex brachij venis reſpectu partium capitis, tanquam ex diametro ſurſum oppoſito: ſi autem in media regione, tanquam ex diametro internis partibus oppoſito. Dum autem ſimul ab infernis partibus poteſt foueri, ſemper præualet indicatio deorſum reuellendi, ne ab humoribus infernæ regionis ſimul foueatur morbus auerſione facta ad partes ſuperiores ſanguine miſſo ex brachio.

§. V.

Sanguinis miſsioni adaptatur locus in ſuppreſsis menſtruis cum morbo.

RESoluendum 4. quòd ſi menſtruis ſuppreſſis ſuperuenit morbus, ſanguis mittendus ex pede. Probatur, in hoc caſu vel morbus à menſtruis ſuppreſſis oritur, vel maiori ex parte ab illis fouetur: ergo ſanguis ex pede mittendus. Probatur antecedens: quia morbus ex ſuperabundantibus humoribus fouetur, præcipuè dum malignis qualitatibus ſunt affecti: ſed ſuppreſſas purgationes, dum ſupprimuntur, neceſſe eſt abundare, & malignis qualitatibus affici: ergo neceſſe eſt magna ex parte morbum ab illis foueri.

§. VI.

Renouatis menſibus, ſi affectus aliunde fouetur, locus ſanguinis miſsioni datur.

RESoluendum 5. quòd ſi menſtruis retentis, aliunde morbus fouetur, etiam ex pede mittendus ſanguis. Probatur, in caſu poſito duplex eſt indicatio: altera mittendi ſanguinem ex brachio; altera, mittendi ex pede: ſed iis duabus concurrentibus præualere indicationem mittendi ſanguinem ex pede probauimus antecedenter: ergo tunc ex pede ſanguis mittendus.

§. VII.

Si præſente morbo, ſuperueniant menſes, locus mittendi ſanguinem conſignatur.

RESoluendum 6. quòd ſi exiſtente morbo menſtrua ſuperueniant, ſiue anteuertamus, ſiue debito tempore ſubſequantur; ſanguinem eſſe mittendum ex pede. Ex dictis manet probatum.

DOCT.

DOCT. MED.
D. GASP. BRAVO
DE SOBREMONTE
RAMIREZ,
Reſolutionum Medicarum
PARS QVINTA.
DE SANGVINIS CIRCVLATIONE,
& de Arte Sphygmica.

DISPVTATIO PRIMA.
DE ARTE SPHYGMICA.

PVLSVS nomine abutebantur veteres, pro cordis palpitatione, & pro inflammationum pulſatione. Primus Hippocrates ipſum impoſuit cordis, & arteriarum motui, non vltra proprium tenorem facto. Hunc Græci ſphygmon dixere, vnde Ars ſphygmica dicitur, ea Medicinæ pars, quæ pulſus rimatur naturam, ſub qua ſunt Phyſiologica, Diagnoſtica, Ætiologica, & Prognoſtica. Illius partes, Phyſiologica, pulſus naturam, & differentiarum præſcribit numerum. Diagnoſtica differentiarum diſcernendi, & cognoſcendi modum inſtituit. Ætiologica ſingularum differentiarum perquirit cauſas. Prognoſtica ex iis docet morborum euentus cognoſcere, & prædicere. Præſupponimus recentiorum controuerſiam de ſanguinis circulatione; ex quâ inuerti Sphygmicæ artis Antiquorũ doctrina apparet, vt ipſa præmunita ab eorum iniuriis, tutaque permaneat.

SECTIO PRIMA.
De vſu cordis, venarum & arteriarum, & de ſanguinis circulatione.

PRiva quam perueniam ad Sphygmicæ artis perluſtrandas partes, proferam recentiorum opiniones, de ſanguinis circulatione, de nouiſque ab illis vſibus adinuentis

A cordis, venarum, & arteriarum; ex quibus tota Sphygmicæ artis doctrina ab Antiquis præmunita videtur inuerti; vt ipſis prælibatis, & receptis, qualiter retineri poſſit veterum recepta doctrina demonſtremus.

RESOLVTIO PRIMA.
Vtrum ſanguinis circulatio ſit neceſſariò admittenda.

B

NAturæ Genius 2. *de partibus Animal. cap.* 7. *&* 13. *de partib. animal. cap.* 4. 2. *de generat. Animal. lib. de vita, & morte, lib. de ſomno, lib. de cauſis motus animalis*, cor ſtatuit eſſe principium omnium actionum animalium, vitalium, & naturalium, omnium facultatum ſedem, venarum, arteriarum, & neruorum originem, ipſúmque tandem iudicat eſſe animæ domicilium. Hippocrates, Gale-
C nus, Auicenna, & reliqui Dogmatici cor conſtituunt inter principes partes pro vitæ conſeruatione præſtantiorem, quatenus generat vitales ſpiritus, ipſoſque per arterias impertitur omnibus partibus noſtri corporis, vt innatum viuificet, & conſeruet calorem. Guilielmus Harueus Medicus Regia Angliæ noſtris temporibus, ob alium vſum cor conformatum eſſe contendit, ob ſanguinis inquam circulationem; præſupponit enim, quòd totus ſanguis, qui generatur in iecore, fertur per venam cauam aſcendentem in dextram auriculam cordis, à quâ

dum dilatatur cor, trahitur in ipſum ; dum comprimitur, truditur in arterias; ab illis fertur in partes vt nutriantur : qui ſuperfluit ſanguis ab ipſis arteriis per anaſtomoſiu mittitur in venas ; per bas fertur ad iecur & venam cauam aſcendentem, & per illam iterum in cor cum ſanguine de nouo genito, & ſic continuò in circulo mouetur. Quem motum vocat ſanguinis circulationem, ob quam cor conformatum eſſe cootendit. De bac celebris eſt inter recentiores controuerſia an ſit neceſſariò admittenda; Iacobus Primeroſius, & Pariſanus totis viribus conantur illam oppugnare, quibus aliquando adhærebat Plempius, quorum plura ſunt fundamenta, ſed hæc præcipua.

Primò doctrina de reuulſione, deriuatione, & rectitudine ex Hippocrate, Galeno, & experientiâ recepta ruit, ſi admittatur ſanguinis circulatio ; cum in illa non ſit maior ratio mittendi ſanguinem ex vnâ, quam ex aliâ parte : ergo noua hæc doctrina ab vſu eſt releganda.

Secundò, Haruei nouum inuentum doctrina eſt antiquæ coutraria, ab homine innouatore recenter inuenta, ex quo apparet, quod illi non eſt anteponenda. Tum 2. ſi per venas, & arterias in circulum moueretur ſanguis, ſicut mouentur arteriæ, mouerentur venæ, cum eſſent in idem munus conformatæ. Tum 3. licet continuo in corde recipiatur ſanguis, non eſt neceſſaria circulatio illius ; quia in iecore generatur ſufficiens quantitas in hunc vſum. Tum 4. ſi ab arteriis in venas mitteretur ſanguis, tot deberent eſſe arteriæ, quot ſunt venæ ; ſunt autem arteriæ præcipuè tenues, in multo minori numero. Tum 5. ſi in venis reciperetur ſanguis ab arteriis authopſia id conuinceret, ſed hæc nunquam hoc demonſtrat ; ergò huiuſmodi circulatio non eſt admitteoda.

Tertiò ſi ſanguis moueretur per cor, ſanguis putridus in febre putrida, malignus in maligna, peſtilens in peſtilente ; ſubitò periret æger, ſpiritibus coinquinatis, & conſumptis, cuius contrarium monſtrat experientia. Tum 2. humores petunt concoqui, & coctio quietem deſiderat ex Galeno, ex quo apparet, quòd non debent eſſe in continuo motu. Tum 3. vena Porta, & venæ capitis, & pectoris, cum oon deſeruiant pro circulatione ſanguinis eſſent ſuperfluæ, & inutiliter à natura conſtructæ. Tum 4. ligato brachio, ſi ſupra ligaturam ; & infrà ligaturam ſcindatur vena in parte ſuperiori, contingit magis de ſanguine euacuari quam in inferiori, quod non contingeret in circulatione, cum deberet ſuperior pars venæ, ab inferiori ſanguinem recipere, & ideo in inferiori tantùm exiret ſanguis : Ergo non eſt admittenda ſanguinis circulatio.

Quartò, admiſſa ſanguinis circulatione, hæc eſſet neceſſaria in fœtu intra vterum, ſicut dum editur in lucem : conſtat autem intra vterum non poſſe ſimili modo fieri, ex quo apparet nunquam eſſe neceſſariam.

Quintò admiſsâ ſanguinis circulatione, ſpirituum vitalium generatio in corde, eorum per arterias diſtributio in partes, arteriarum motus à facultate vitali, & aliæ quamplurimæ receptæ ab Antiquis doctrinæ ſunt negandæ : Ergo ſanguinis circulatio noo eſt admittenda.

Reſoluendum : Quod ſanguinis circulatio licet à veteribus incognita, ob recentiorum demonſtrationes & fundamenta, neceſſariò eſt admittenda. Sic primus protulit Harueus, quem ſequuti ſunt Higmorus, Coringius, Pecquetus & recentiores plures Anatomici.

Pro demonſtrandâ hac doctrina præſupponendum cum eius ſectatoribus, quòd ſanguis vberiùs ex venâ Cauâ transfunditur io cor & arterias, pulſu cordis, quàm poteſt ſubminiſtrari ex acceptis alimentis; nam in ſingulis cordis pulſationibus, attrahitur in cor, & foras expellitur à corde aliqua quantitas ſenſibilis ſanguinis ; quæ qualis ſit ex eo colligitur, quia vnicuique datur obſeruare, quod obſeruarunt reliqui huius doctrinæ ſectatores, reperiri, inquam, in corde hominis ſtrangulati vncias duas ſanguinis : & dato, quòd in viuentis corde, minor in vnaquaque pulſatione recipiatur quantitas ; ſemper tamen aliqua portio recipitur, quam licèt minimam iudicemus, cum ſenſibilis ſit, ſaltem debet eſſe vna dragmæ quantitas, quæ recipitur, & propellitur, vel demus minimum quod perceptibile eſt, & ſit dimidia dragma : hoc dato, pulſationes, quæ fiunt in corde plures aut pauciores ſunt, iuxta ætatem, temperiem, diuerſitatve pulſus vſum adauctum, vel diminutum. Plempius in ſe fatetur annumeraſſe in vno horæ quadraote, à quo parum diſcedit Harueus, ictus mille trecentos & quadraginta : Demus, quòd ſaltem ſint quatuor millia in vnaquaque bora ; minorem enim numerum nemo experietur in ſe, aut in alio. Cum ergo in qualibet pulſatione, recipiatur in corde ſanguinis ſaltem dimidius ſcrupulus, intra vnam horam recipiuntur pluſquam ſex libræ ſanguinis, in ſex horis plus ſanguinis quam poteſt in toto corpore reperiri, per decem octo ſubſequentes, ſi non detur ſanguinis circulatio, non manet ex quâ parte ſanguis trahendus, vt recipiatur in corde, præcipuè in abſtemio, in eo qui per plures dies non ſumit alimentum ; in quorum quolibet, viuere ſine cordis moto eſt impoſſibile ; & quod in vnoquoque modo dicto ſanguinem attrahat neceſſarium : quo ſuppoſito.

Probatur 1. Reſolutio. Omne cor viuens debet habere neceſſariam cauſam, ob quam illi tribuatur aliqua portio ſanguinis attrahenda in vnaquaque ſyſtole ; ſed ſola ſanguinis circulatio eſt neceſſaria cauſa ob quam poteſt ſufficiens copia ſanguinis præſtari pro vnaquaque ſyſtole : ergo ſanguinis circulatio neceſſariò eſt admittenda. Maior & Minor euidenter conuincuntur authopſia & ſenſibus illas demonſtrantibus : Conſequentia eſt legitima.

Pro ſecunda demooſtratione præſupponendum etiam, quod authopſia conuincit, quod ſi ligetur vena in inguine canis, & ſcindatur in parte ſuperiori, non exit ſanguis ; ſi ſecetur infra ligaturæ partem totus corporis ſanguis per illam poteſt euacuari : ſimiliter apprehenſa venâ cauâ tenaculis, impeditóque curſu ſanguinis aſcendentis in parte verſus cor, inanitur vena, delato ſanguine in ipſum cor, quod ſtatim langueſcit, & emoritur, niſi ablatis tenaculis detur locus nouo ſanguini ſuperuenienti ; io parte inferiori ligaturæ, fit vena tumoroſa : ſimiliter in nobis apparet quod facta ligatura in brachio, ſi ſupra ligaturam ſcindatur vena, ſanguis non exit, niſi ab alia vicina vena, aut arteria ſimul ſanguis illi communicetur : infra ligaturam etiam in cruribus exit ſanguis, ſecta vena, non autem ſupra illam : idem contingit in verſus cor à capite deſcendentibus, quod facta ligatura, in parte ſuperiori exit ſanguis, non in inferiori : ex quo

Probatur 2. Reſolutio : Si non daretur ſanguinis circulatio maximè quia omnis ſanguis à iecore per venas ſurſum & deorſum, & verſus omnem differentiam corporis communicaretur, ſed ex dictis manifeſtè conſtat quòd potiùs ſanguis non mouetur à iecore verſus reliquas partes, ſed ab omnibus partibus

bus verſus ipſum iecur & venam cauam aſcendentem ad cor: ergo neceſſariò ſanguinis circulatio eſt admittenda. Minor, in quâ ſtat difficultas, conuincitur authopſia, modo quo diximus.

Probatur 3. neceſſitas circulationis ſanguinis, ex parte finis: neceſſaria enim eſt; Tum vt ex motu humorum, ſanguinis coagulatio impediatur; ſi enim tepidus priuetur motu, grumeſcit, quod mulieres cognoſcunt, & ſuillum ſanguinem mouent, donec frigeſcat, ne grumeſcat, & intra corpus ſanguis extrauaſatus, quia motu priuatur, grumeſcit, dum in apoplecticis, & hyſtericis detinetur, & dum in plethoricis impeditur motus, & fiunt venarum interceptiones. Tum eſt neceſſaria ſanguinis circulatio ne ſanguis quietus ſtatim putreſcat, vt contingit in eo qui efficit tumores. Tum conducit ſanguinis circulatio vt ad extrà appoſita medicamenta poſſint humoribus communicari: ideo enim ſolutiua ad extrà applicata purgant per ventrem, & venena interficiunt, quia ad extrà appoſita communicantur cordi. Tum conducit circulatio, vt ſi humores in partibus exterois refrigerentur, iterum redeuntes ad cor, in natiuam temperiem reducantur. Tum conducit, vt aptius poſſit ſanguis omnibus partibus diſtribui per arterias: ergo ob hos fines neceſſariò eſt admittenda ſanguinis circulatio.

Ad 1. Coringius dubitat, quòd antiqua illa doctrina vera ſit; alij penes arterias & earum poſitionem potiùs obſeruandam, quàm penes venas, quæ à proximis arteriis ſanguinem recipiunt: Higmorus quòd in reuulſione non immediatè trahitur à parte affectâ, ſed mediantibus aliis vaſis: vel reſpondetur quod cùm reuulſio ſit diſtractio humorum in contrarium; deriuatio in vicinam partem; factâ in ipſis euacuatione vel dolore, ſanguis ibi retinetur, & impeditur, ne ſurſum coactus vi doloris attrahatur à parte affecta; & illo retento auida natura dum humor circulatione mouetur circa partem affectam, magis retinet. De rectitudine autem etiam dicimus, quod non parum conducit vt humoris fluentis in partem affectam portio diuertatur io dolentem, rectitudinem cuio illa ſeruantem.

Ad 2. Reſpondetur. Tum pro 1. quòd Haruei doctrina, ſi vera, non obſtat, quòd noua, & ab illo nouiter dicta; quia in naturalibus non tam quis dixit, quam quid dixit examinandum. Tum pro 2. quidquid teneant Harueus, & Coringius, reſpondetur quòd venæ ob ſanguinem ſolum deferendum fuere; arteriæ ſimul ad continendos, & impartiendos ſpiritus, vt infra dicemus; & ideò indigent vitali facultate, à qua moueantur. Tum pro 3. quòd manet demonſtratum contra Pariſanum, & Primeroſium, non dari in corpore ſufficientem quantitatem ſanguinis, niſi per circulationem ſuppleatur. Tum pro 4. quòd datur ſufficiens numerus arteriarum vt ſanguis omnibus partibus communicetur; in quibus circa extremas partes plures fuerunt exiles venæ, ne cui ex redundante ſanguine deficeret via, per quam iterum refluetet ad hepar. Tum pro 5. quòd authopſia conuincit, quòd ſanguis non deſcendit per venas ad diſtantiores; imò potiùs, quòd per illas aſcendit, & quòd deſcendit per arterias; ex quo patet, quòd in circulum fertur.

Ad 3. Reſpondetur. Tum pro 1. quod humores putridi, maligna aut peſtilente qualitate affecti commiſcentur cum reliquis, à quibus obtunditur eorum vitium; ſi autem obtundi nequeat, perit Æger. Tum pro 2. quòd humores, vt coquantur, deſiderant quietem non ratione loci in quo ſint, ſed ratione conturbationis per quam impeditur coctio;

A Tum pro 3. quòd omnes fiunt neceſſariæ venæ, vel vt ſanguinem attrahant ad iecur: vel vt illum deferant ad cor. Tum pro 4. quod ligato brachio infra ligaturam ſciſsâ venâ exit ſanguis, non verò ſupra illam, verſus partem, quâ diſcedit à iecore, aut corde, niſi ſimul communicet cum alia vena, aut arteriâ ſupra ligaturam: à quâ poſſit vlteriùs ſanguinem recipere.

Ad 4. Reſpondetur, quòd Harueus, & Highmorus, ac Coringius ſatis demonſtrant in fœtu intra vterum, licet per diuerſas vias ſanguinem moueri per circulum, quod non obſtat, vt per à nobis aſſignandas non poſſit circulatio fieri in ipſo iam edito.

B Ad 5. Reſpondetur, quòd in ſubſequentibus probabimus doctrinam de pulſibus ab Antiquis receptam, compatibilem eſſe cum ſanguinis circulatione.

Resolvtio II.

Vtrùm venæ meſeraïcæ deſeruiant pro chylo in iecur deferendo?

VEnas meſeraïcas, quas Galenus radices vocat, quaſi ſugant chylum pro corporis alimonia, ſi-
C cut arborum radices terram ſugunt, trahere chylum à ventriculo in iecur vnanimi aſſenſu recepit Antiquitas vſque ad Aſellium; Inter ſe interim digladiantibus huius placiti aſſertoribus, quia ſimul per illas ſanguinem in ventriculum à iecore mitti alij exiſtimabant, alij putabant, quòd per diuerſas meſeraicas venas hæ duæ deducebantur ſubſtantiæ; alij denique quòd per eaſdem vias, & hoc vel eodem ſimul tempore, vel in diuerſis temporibus; his admodùm rationibus fulti.

Primò quia ſic ex Hippocrate, Galeno, Auicenna, & vnanimi aſſenſu omnium Dogmaticorum fuit receptum, vſque ad noſtra tempora; Tum 2. quia venæ Meſeraicæ iecori implantantur, & ſolùm in
D hunc vſum videntur productæ: Tum 3. quia chylus conſpicitur in meſeraicis venis: Tum 4. quia non dantur aliæ venæ deſtinatæ pro deferendo chylo à ventriculo in iecur; & neceſſariò aliquæ ſunt à Natura determinatæ in hunc finem: Tum 5. quia radices harum venarum, terminantur in ventriculum, & inteſtina; ex quibus defertur chylus ad iecur: Ergò venæ hæ deſeruiunt pro ipſo deferendo.

Reſoluendum, quòd chylus à ventriculo in iecur fertur, non per venas Meſeraïcas, ſed per ſolas venas lacteas. Sic primus protulit Gaſpar Aſellius Anatomicus Ticinenſis, quem Iuniores Anatomici ferè omnes ſequuntur; inter quos Coringius, Pecquet, Higmorus, & reliqui ſanguinis circula-
E tionem admittentes.

Probatur 1. Anatomicâ demonſtratione ſenſibus ſæpiſſimè experientiâ, confirmatâ, & ab Aſellio primo reperta, vt ipſe fatur blandientis fortunæ felicitate, qui venas obſeruauit ab inteſtinis per Pancreas tendentes in iecur, quas Lacteas appellauit, quia lacteo ſunt præditæ colore, dum chylo ſaturantur, quas tunc ſolùm videri contingit, per quinque, aut ſex horas ab aſſumpto cibo; antea verò, & poſteà iam chylo delato, non conſpiciuntur ob earum tenuitatem, ac exiguitatem. Tendunt in Pancreas, miris anfractibus inſeruntur, & peruadunt ad iecur latera venæ portæ claudentes, in iecoris cauam ſubeunt; Tum 2. quia Iuniores obſeruarunt

valuulas

valuulas in venis meſeraïcis circa inteſtina, quæ quidquam ab inteſtinis in ipſas refluere prohibent: Tum quia lacteæ venæ inſeruntur in inteſtinis, ad quæ deſcendit chylus, vt illum ſugant, & deferant, copioſiores in gracilibus inteſtinis, in quibus eſt maior copia chyli, pauciores in craſſioribus, in quibus parua eſt chyli quantitas: Tum 4. quia omnes venæ lacteæ feruntur ad Pancreas vt viſcus hoc chylum recipiat, & perficiat. Validum eſt hoc viſcus potens perficere chylum, & in hunc finem productum: Tum 5. quia authopſia conuincit, quòd meſeraïcæ venæ nullam albam continent ſubſtantiam, nullúmque chylum: Tum 6. quia ſicut albo colore ſaturatæ videntur lacteæ venæ, dum in illis chylus continetur; ſic meſeraïcæ tinguntur colore rubro, quia ſanguinem, & non chylum continent: Tum 7. quia venæ meſeraicæ in nutritione ventriculi redundantem ſanguinem aptæ ſunt recipere: Tum 8. quia ſi, vt fatetur Galenus, chylum deferunt, fruſtra ab illo aſſignantur, vt ſimul ſanguinem deferant; ſunt enim contrarij motus; nec Natura improuida relinqueret animal ſine deſtinatis viis pro vtroque fine: Tum quia nec diuerſis temporibus poſſent perfici illi motus in contrarias vbicationes, per eaſdem vias, præcipuè à facultatibus naturalibus ſemper operantibus ſecundum vltimum potentiæ: Tum quia ſi vterque vſus eſt neceſſarius, & ſi facultas operaretur pro vſu & indigentia, non eſt cur alter vſus alteri cedat, cum vterque iudicetur ſimpliciter neceſſarius ad vitam. Ergo trahitur chylus non per venas meſeraïcas, ſed per lacteas.

Ad oppoſita fundamenta Reſpondetur: Tum pro 1. quòd Galenus & reliqui Anatomici lacteas ignorarunt venas, quia in ſolis cadaueribus exercebant anatomen, in quibus non apparent, nec in viuis animalibus, niſi per ſex horas ab aſſumpto cibo: Tum pro 2. quòd implantantur iecori, non vt chylum, ſed vt ſanguinem deferant: Tum pro 3. quòd in venis meſeraïcis ſolus ſanguis conſpicitur: Tum pro 4. quòd venis lacteis priùs nondum cognitis meſeraicæ ſunt deſtinatæ pro chylo deferendo: Tum pro 5. quòd radices venarum meſeraïcarum tendunt in inteſtina & ventriculum, vt deferant ſanguinem, non chylum.

Resolvtio III.

Vtrùm omnis chylus feratur in iecur.

POtiorem chyli ſubſtantiam deferri in iecur protulimus: An in alias partes pro humorum generatione, aut ad alios vſus feratur, inter Iuniores nondum conſtat. Pecquetus recenter protulit quòd omnis chylus fertur in cor pro humorum generatione in illo; authopſia id comprobari contendit: eadem probant reliqui, quod ſolus ſanguis feratur ad illud. Galenus ſolum iecur opificem ſanguificationis cognouit. lienem conſtructum eſſe affirmat, vt limoſum, ac melancholicum ſuccum in iecore redũdantem repurget, & ad ſe attrahat, quem attrahi per venam Portam iudicauit. Highmorus contendit repurgari per ramum ſpleneticum a cœliaca deriuatum; chylum verò, nec aliquid aliud ad lienem ferri, ſed tantum in iecur. Probant

Primò quòd lien nullius eſt vſus pro humoribus generandis: ergo nulla in illum chyli pars defertur. Probatur antecedens ex Galeno. *lib. 2. de loc. affectis cap. 1.* & ex communi conſenſu omnium Dogmaticorum, qui per tot ætates vnicum iecur principium ſanguificationis cognouerunt. Tum 2. ex Eraſiſtrato, qui referente Galeno *4. de vſu. Part. cap. 15.* lienem fruſtra eſſe productum iudicabat: Tum 3. quia Epheſius lienem dixit eſſe membrum otioſum, & nullius vſus: Tum 4. Plinius *lib. 11. cap. 37.* fatetur ſine liene poſſe animal viuere: Tum 5. pro chylo deferendo ſi hæ venæ meſeraicæ ſunt deſtinatæ ab Antiquis, quarum nullæ feruntur ad lienem. Tum 6. triplex excrementum ex iecoris coctione reſultat quorum limoſum, ac melancholicum, nullum aliud habet receptaculum: præter lienem, in quem repurgandum tantùm fuit productus: Tum 7. obſtructiones, ſcirrhi, & alij lienis morbi prouenientes in illo, ex ſuperabundante melancholia, demonſtrant lienem eſſe conſtructum ad illam recipiendam tantùm: Tum 8. ſi lien non repurgat melancholiam, fiunt quartanæ. Icterus niger, & ſcirrhoſi in corpore tumores: Ergo quia ſolùm eſt deſtinatus ad melancholiam repurgandam.

A
B

Reſoluendum 1. quòd lien non eſt conformatus à Natura, vt ſit receptaculum humoris melancholici redundantis in iecore: ſic protulit Spigelius: tenent Sennertus, Platerus, & alij.

Probasur Tum quia melancholia eſt purum excrementum; quod nequit eſſe materia apta pro nutritione lienis, & fruſtra attraheretur ab illo, cum ſibi eſſet noxius, & morborum cauſa. Tum quia partes à natura deſtinatæ vt receptaculum alicuius excrementi, habent cauitatem, in qua recipiatur; vt patet in veſiculâ felleâ, inteſtinis, & veſica: in liene autem nulla eſt talis cauitas: Tum 3. Pars à Natura deſtinata vt receptaculum excrementi, habet manifeſtas vias per quas ſe liberet ab illo, ne ab illius copiâ grauetur: lieni nullæ huiuſmodi viæ dantur à Natura; non ventriculus, aliàs continuò vomitibus grauaretur; non inteſtina, aliàs continuis laborarent diarrheis melancholicis: Tum 4. Si continuò epar in lienem mittit melancholiam, debet habere vias in hunc finem, quæ pro melancholia non dantur à iecore in lienem; nam vena Porta a Galeno iudicatur receptaculum chyli, nec antequam in iecur hic feratur, datur melancholia, cum ex illo debeat generari; & ideò nulla eſt quæ fluat ad Portam: nec poſtea quàm chylum recepit, cum dentur valuulæ claudentes illam, quæ impedirent exitum iam genitæ melancholiæ: Ergo lien non eſt receptaculum melancholiæ in iecore redundantis.

C
D

Reſoluendum 2. quod antequàm chylus perficiatur in ventriculo, quæ ſuperfluit, potulenta ſubſtantia aquoſáque, maiori ex parte, fertur ad lienem. Sic Hippocrates *4. de morbis §. in ventriculum autem etiam potus fertur: ab eo lien recipit.*

Probatur ex Ariſtotele *lib. de hiſtoria animal.* docente, quòd animalia alia bibunt, alia non bibunt; & quòd ea quæ bibunt, omnia habent veſicam, renes, & lienem: non autem, quæ non bibunt: Ergo ſicut renes, & veſica ſunt neceſſaria in animalibus, quæ bibunt, ad repurgandam aquoſam ſubſtantiam: ſimiliter & lien: Tum 2. quia aquoſam ſubſtantiam redundantem in iecore expurgat Natura per renes & veſicam, vt docet Galenus, ne immixta humoribus, ipſos inutiles reddat: ergo redundantem in ventriculo debet ad lienem repurgare, ne immixta chylo, impurum, & imperfectum reddat ipſum.

E

Probatur 2. ex Galeno; ventriculi coctio maiori ex parte indiget in proportionato alimento, ſpatio ſex horarum, & in aliis plus temporis conſumitur, ſed ſubſtantia quæ bibitur ſtatim fluctuare in liene percipitur: ergo quia trahitur a liene.

Dices

Dices quod deſcendit ad iecur, & ab illo per venam Portam fertur ad lienem.

Contra ſtat : Tum quòd ad iecur non tranſit, niſi Pylorus aperiatur, quod non contingit, donec poſt omnem coctionem : & poſtea requiritur, quod chylus, cum quo fertur ſubſtantia aquoſa, pertranſeat per venas lacteas, quod poſt ſex horas fieri obſeruauit Aſellius : poſtea coquitur chylus, & fit ſanguis, & ſeparatur aquoſa ſubſtantia, vt feratur. Flatus ſtatim, aut paulò poſt ſentiuntur in liene, & non multò poſt ante coctionem aliment mingitur : Ergo per breuiores vias fertur in lienem.

Probatur 3. Schenkius, & Beniuenius obſeruationibus comprobant, plures homines per plures annos vixiſſe ſine omni potu : ex quo apparet, quòd ſufficit pro elixatione alimenti, cibi humiditas, ſaltem in aliquibus : ergo de prouidentiâ Naturæ fuit lienem producere, vt ſuperfluam ventriculi humidam ſubſtantiam ad ſe trahat, ne impediret perfectam chyli generationem.

Probatur 4. ex modo ſubſtantiæ lienis : conſtat enim molli ſubſtantiâ, ſpongioſâ & rarâ ex Hippocrate *lib. de morbis*, ex Galeno 13. *method. cap.* 16. & *lib.* 4. *de vſu Part. cap.* 15. Ergo conformatus fuit tanquam receptaculum ſubſtantiæ aquoſæ.

Probatur 5. ex Ariſtotele, qui lienem per accidens conformatum eſſe dixit, quaſi docens, quòd fuit per accidens neceſſarium ad aquoſam ſubſtantiam à ventriculo expurgandam, quæ per accidens ſuperfluit, id eſt non neceſſariò, niſi ob vſum nimij potus, aut humidioris alimenti.

Probatur 6. ex morbis lieni propriis, ex ſuperfluâ in liene ſæpe redundante ſubſtantia ortis : liene inflammato, ventriculus redditur ſiticuloſus, quia lien exhaurit humiditatem : ex nimio potu fit lien tumoroſus, ex Hippocrate *lib.* 4. *de morbis*; in febribus tumet ob nimium potum : *lib.* 4. *de morbis* Hippocrates docet ex liene fieri hydropem : 2. *Prorrheticor.* annuit eidem doctrinæ : *lib. de aëre, aquis, & locis* docet bibentes paluſtres aquas habere magnos lienes ; & idem melancholiam vocat aquam, quia maiori ex parte generatur ex chylo delato ad lienem. Aetius *tetrabili* 3. *ſermon.* 2. lienem ex nimio docet potu intumeſcere, lienoſi faciles ſunt ad ſudorem ; faciliter ex illo leuantur : Ergo quia deſeruit vt receptaculum aquoſæ ſubſtantiæ redundantis in ventriculo.

Dices receptaculum deſtinatum à Natura pro excrementis recipiendis reſultantibus ex coctionibus debet habere vias à Natura deſtinatas pro recipiendis, & expurgandis illis; ſed lien nullas habet conſpicuas vias, per quas recipiat aquoſam ſubſtantiam, & ipſam à ſe propellat ; Ergo lien non attrahit aquoſam ſubſtantiam à ventriculo.

Reſpondet Coringius, quòd ſicut venæ lacteæ, quæ pro chylo deferendo ad iecur à Natura ſunt deſtinatæ, fuerunt diu incognitæ vſque ad noſtra tempora : ſunt aliæ viæ nobis incognitæ per quas aquoſa ſubſtantia fertur à ventriculo ad lienem.

Vel Reſpondetur cum Carolo Piſone, quòd per venas gaſtricas, & vas breue venoſum defertur à ventriculo in lienem ſubſtantia aquoſa, quæ ab illo petit attrahi : quæ viæ a Galeno indicatæ ſunt deſtinatæ ad attrahendum melancholicum ſuccum à liene in ventriculum, cuius vſus naturalis non eſt : ſi quando præternaturaliter mittitur, fit per vias prædictas a Natura in finem à Piſone prædictum conſtitutas.

Pro euacuatione autem ſubſtantiæ aquoſæ redundantis in liene, Hippocrates quatuor aſſignat vias *lib.* 4. *de morbis*, per os ſub forma ſaliuoſæ ſubſtantiæ; per nares humidam ſubſtantiam delatam ad caput expellentes ; per podicem, vel per vrinas, per quas in maiori pellitur copia, qui enim multum bibunt, præcipuè vinorum tenuium, multam ſtatim mingunt vrinam ad lienem delatam, & ab illo emiſſam per ſplenicæ arteriæ ramos, à quibus emergunt emulgentes arteriæ in hunc finem deſtinatæ. Præterquàm quòd per inſenſilem tranſpirationem tanta copia euacuatur, vt in ſuo de Staticâ Medicinâ libello, Sanctorius confirmet, quòd ex octo libris alimenti & potus per viginti quatuor horas euacuentur quinque libræ inſenſili perſpiratione.

Reſoluendum 3. quòd peractâ coctione chyli, inutilior ac craſſior pars inepta pro perfecto in iecore generando ſanguine, fertur ad lienem, vt illius coctione in ſanguinem, licet imperfectiorem mutetur.

Probatur : Tum quia Natura, quæ omni induſtria conatur perfectiori modo, quo poſſibile eſt, elaborare alimentum, vt omnino aſſimiletur nobis, quod nequit à ventriculo perfici, vt à iecore conuertatur in perfectum ſanguinem, in lienem tranſmittit, vt ab ipſo in ſanguinem licet imperfectiorem mutatum aptitudinem acquirat, vt poſſit relatum ad iecur ab illo in perfectiorem ſanguinem mutari : Tum iecur in dextrâ parte repoſitum, attrahit chylum perfectum pro perfecto ſanguine generando ; debet ergo à liene in ſiniſtro latere conſtituto imperfectior attrahi chylus, vt ab ipſo fiat ſanguis ſaltem imperfectus, ob rationem Ariſtotelis, quia ſi Natura vnicam fecit partem, in medio collocauit, ſi duas in eundem vſum, bipartitas fecit, vt nares, & oculos : Tum quia quæuis pars eſt conformata iuxta vſum, in quem fuit deſtinata, lien autem, plexibus innumeris arteriatum, & venatum inter ſe coëuntium per anaſtomoſes conſtat, quod non niſi in chyli elaborationem, & diſtributionem ſanguinis geniti eſſet neceſſarium : Tum quia ramus ſplenicus, & innumeræ venæ connectunt lienem cum ventriculo, quæ connexio chyli receptionem denotat, ſicut quam habet iecur cum ventriculo : Tum quia lien nequiret vices hepatis ſupplere, ſi non generaret ſanguinem, eas autem ſupplere docent Schenkius *lib.* 30. *obſerua.* 91. Fernelius *lib.* 1. *cap.* 7. Veſalius *lib.* 5. *cap.* 9. Tum quia vitia ſuperuenientia iecori, eadem ſunt communia lieni ; Ex quo patet quòd ordinantur in eundem vſum. Tum quia ſimiles morbi obſtructiones, ictericus color, & ſimiles affectiones, ſimileſque horum morborum curationes maximè confirmant horum viſcerum ſimiles vſus: Ergo fertur in lienem ſimili modo aliquid chyli pro humorum generatione.

Ad 1. Reſpondetur : Tum pro 1. quòd Galenus & reliqui Antiqui Dogmatici illi ſubſcribentes, finem præcipuum, in quem fuit lien à Natura conformatum, ignorarunt, & ideò alium illi impoſuerunt, à Neotericis reformatum : Tum pro 2. quòd Eraſiſtratus minùs accedit veritati, improuidam iudicans naturam, quaſi ſine neceſſitate lienem produxiſſet, & ſine fine operaretur : Tum pro 3. quod Epheſius incidit in eundem errorem : Tum pro 4. quod Plinius vel loquitur de animalibus qui non bibunt, & minus imperfectum chylum generant, vel de eo quod fortuitò contingit errore Naturæ ; & tunc ſupplet iecur lienis defectum, ſicut deficiente iecore illius defectum lien ſupplet : Tum pro 5. quod patet ex dictis, per quas vias fertur aquoſa ſubſtantia, in lienem, & per eaſdem fertur chylus : Tum pro 6. quòd præſtantius viſcus eſt lien, quàm vt debeat pro ſolâ melancholiâ produci, excrementitióque humore recipiendo;

recipiendo; nec pro illo dedit receptaculum determinatum Natura, ſicut nec pro pituita: emergunt enim cum ſanguine vt perficiantur à corde, vel iterum in iecore: ſi ex toto aberrant, & inutiles ſunt pro nutritione, Natura tentat eorum expulſionem per alias vias: Tum pro 7. quòd obſtructiones ſcirrhi, & alij morbi lienis fiunt ex humoribus quos generat craſſioribus & imperfectioribus, quos nequit à ſe expellere: Tum pro 8. quòd ex male affecto liene fiunt quartanæ, & alij morbi ex melancholia orti, quæ in arteriis, & venis redundat. quia cum à liene nequit imperfectior pars chyli emendari; nec valet à iecore in ſanguinem perfectum conuerti, ſed in limoſum ſuccum qui in venis ſuperfluit; & morbi fiunt ex illo redundante.

Resolvtio IV.

Vtrùm ſanguis genitus in liene feratur in iecur.

Videtur quod non, 1. quia ex Galeno à iecore, melancholia fertur in lienem per venam Portam: Ergo per eaſdem vias nequit ſimul ſanguis à liene in ventriculum ferri.

Secundò à venâ Portâ, & ſpleneticâ varij rami feruntur in ventriculum, omentum, inteſtina, & alias ventris partes: ergo non ordinantur vt ferant ſanguinem in lienem.

Tertiò iecur expurgatur per aluum, & dato pharmaco trahuntur humores ad ventriculum, & inteſtina; ſed hoc non niſi per venam Portam poteſt fieri: Ergo vena Porta non conducit ad ſanguinem trahendum à liene in iecur, ſed è contra à iecore in ventriculum trahit humores.

Reſoluendum: Quòd ſanguis qui generatur in liene fertur ad iecur per venam ſpleneticam, & venam Portam.

Probatur; Tum quia huiuſmodi venæ ſunt in aliquem finem deſtinatæ à Natura: non vt deferatur melancholia à iecore in lienem, cum lien non ſit receptaculum illius, vt probauimus. & ſolùm reſtat, vt deſeruiant pro ſanguine à liene in iecur deferendo: Tum quia ſanguis ille perficiendus eſt in iecore; illæ autem venæ à liene in illud feruntur: Ergo in hunc finem: Tum quia ſanguis in liene genitus debuit habere vias, per quas feratur ob circulationem ſanguinis in iecur, ſicut fertur qui in reliquis partibus ſuperabundat: Tum quia vena Porta oritur à iecore & fertur ad lienem, vt aliquid portet; nec aliunde magis ſanguinem trahere poteſt. Tum quia in vena Porta, & meſeraicis ſunt valuulæ impedientes retroceſſum verſus lienem: ex quo patet, quòd ab illo recipiunt, quod deferant in iecur; à iecore enim nihil recipere poſſunt ob valuulas impedientes: Tum, quia lien ſolet ſupplere vices iecoris, quod non eſſet poſſibile, niſi per has venas ſanguis ab ipſo generatus tranſiret in iecur, vel in venas circa illud. vt inde ad cor, & reliquas partes poſſet circulatione ferri. Tum quia dum iecur patitur ob retentum ſanguinem melancholicum in illo generatum, ſolent humores ſurſum ferri, vt in ictero nigro, nec ſunt aliæ viæ, per quas ferantur illi humores, niſi à liene in iecur, & inde in reliquas partes; nec aliter à liene poſſent vlcera graueolentia cauſari: Tum quia lienoſi ferè ſemper habent iecur cum ſimilibus affectibus, quia ab illo humores communicantur per has vias: Tum quia patiente liene ob ſuc-

A cos melancholicos, & craſſos à ſe genitos, ſi eos nequit per ramum ſpleneticum tendentem ad hæmorrhoïdes expurgare, ſpargit ſe per ramos Portæ, & in illis varias efficit obſtructiones, durum reddit iecur, & omnem ventrem, quia nequit craſſos illos humores in iecur mittere: Tum quia ſi patentes has & manifeſtas vias non haberet lien, vt emittat humores quos continuò generat; cum illi non ſint ex vſu, continuò laboraret, & obſtrueretur ab illis: Tum quia lien recipit per arterias humores, quibus nutriatur, quia ab illo geniti nequeunt eſſe ex vſu pro eius nutritione, antequam perficiantur in iecore: Ergo hæ ſunt à Natura deſtinatæ viæ vt ferantur ad iecur.

B Ad 1. Reſpondetur, quòd cùm Galeni doctrina ſit à nobis oppugnata, reſtat vt illæ venæ ſolùm deſeruiant vt à liene in iecur ferantur humores.

Ad 2. Reſpondetur quòd per ramum ſpleneticum, qui fertur in Portam; fertur à liene ſanguis ab illo genitus, in iecur; reliqui rami, qui oriuntur ex ramo ſplenetico, deſeruiunt ad alios vſus.

Ad 3. Reſpondetur quòd ſponte refluunt humores præcipuè biliosi, à iecore per meatum biliarium; & præcipuè qui trahuntur à medicamento ſelectiuo per venas lacteas, ab ipſo colliquati trahuntur à radicibus biliariis, & in inteſtina proiiciuntur: vel potiùs dicendum per arterias expurgari omnes humores in iecore aut venis ſuperfluos; fit enim fluxus
C hepaticus per ramos arteriæ cæliacæ, deſinentes in inteſtina; ſicut & aquoſæ aliæ humiditates quas cum illo generat iecur, expurgantur per arterias emulgentes.

Resolvtio V.

Vtrùm omnis ſanguis à iecore refluat ad cor.

Recipit iecur ſanguinem à liene: recipit à venis qui ſuperfluit in partibus, generat ſanguinem ex chylo: An totum iſtum ſanguinem mittat in cor
D dubitamus. Videtur quòd non. Primò quia ſaltem qui generatur in liene inutilis eſt pro partium nutritione; quia, vt Galenus docet, id quod ex prima coctione inutile euadit, non poteſt emendari in reliquis: Ergo cum in ventriculi coctione pars chyli ex qua fit, ſit imperfecta, vt fatemur, nec in iecore, nec in corde poteſt perfici.

Secundò magna copia ſanguinis, qui generatur in iecore, fertur per venam Portam, & venas meſeraicas in nutritione ventriculi, & partium ventris inferioris: Ergo non fertur à iecore in cor.

Tertiò magnam copiam ſanguinis non ferri ad cor conſtat; Tum quia per cauam deſcendentem magna copia ſanguinis defertur in partes inferiores,
E per quas diuaricatur pro earum nutritione, & experientia docet ipſas ipſo repleri ſanguine. Tum 2. quia cum ſero diluitur pars illius ſanguinis in renes, pro eorum nutritione. Tum 3. quia in hydrope à iecore humores defluunt ad crura, ad pedes, & alias partes: ergo non omnis ſanguis à iecore fertur in cor.

Reſoluendum: Quòd totus ſanguis in iecore genitus, & receptus aliunde, refluit continuò ad cor per venam cauam aſcendentem. Sic Harueus, Higmorus, Coringius, Plempius, & reliqui admittentes ſanguinis circulationem.

Probatur 1. ſanguinis circulationem eſſe admittendam neceſſariò decreuimus; ſed non eſt poſſibilis niſi ſanguis habeat aliquam partem in qua recipia-

tur,

tur, vt per cor mittatur in reliquas partes: Ergo hæc debet aſſignari : ſed nulla aptior, quàm iecur, quod eſt ſanguinis promptuarium, fons, & origo in quo generatur, & in quod redit, vt perficiatur, & coadunetur : Ergo à iecore totus ſanguis mittitur in cor. A

Probatur 2. Si à iecore non mitteretur per Cauam aſcendentem omnis ſanguis in cor, maximè quia per venam Portæ, aliqua illius pars refluit ad partes ventris; ſed conſtat ex obſeruationibus anatomicis, quòd venæ in quas Portæ venæ terminantur, clauduntur valuulis, ita vt ab illis in ventriculum, & vicinas partes, in quas terminantur, nihil poſſit recipi : Ergo per has venas nihil defertur ſanguinis.

Probatur 3. Magnitudo venæ cauæ aſcendentis, illius truncus, eius capacitas, plenitudo ſanguinis, qui conſpicitur in illa, demonſtrat quòd totus ſanguis in illa recipitur; Ergo à iecore omnis ſanguis mittitur in illam. B Probatur Antecedens : Tum quia ſuccus contentus in venis lacteis, paruus apparet, nec ſufficeret pro replenda caua vena : Tum quia caua vena continuò repletur ſanguine, lacteæ venæ non continuò ſuppeditant chylum iecori : Tum quia abſtemij, & per plures dies abſtinentes à cibo non haberent ſanguinem pro illa vena adimplenda, niſi à reliquis partibus iecori ſuperueniret : Ergo totus ſanguis in iecore receptus fertur in cor.

Probatur 4. Si quid obſtaret quominus omnis ſanguis à iecore in cor reflueret; maximè quia pars illius fertur per venam cauam deſcendentem; ſed per hanc non deſcendit : Ergo fertur ad cor. C Probatur minor : Tum ex ſtructura venæ cauæ, habet enim verſus inferiores partes ſtricta orificia impedientia deſcenſum; verſus ſuperiores ampla vt facile aſcendat ſanguis : Tum quia infra demonſtrabimus ſanguinem non deſcendere, ſed aſcendere per cauam deſcendentem, & eius ramos : Tum quia in cruribus dantur valuulæ, ne ſanguis, qui aſcendit, refluat, quæ impedirent deſcenſum : Tum, patet ex venarum formatione, aſcendens enim ſtatim ab hepate incipit dilatari; deſcendens incipit comprimi : Tum quia circulatio, quæ eſt neceſſariò admittenda, ex dictis, non eſſet poſſibilis, niſi reflueret ſanguis per venam deſcendentem ad iecur : Tum quia ſanguis debet ferri ad cor, vt iterum viuificetur, & non ſunt aliæ viæ per quas aſcendat : D Tum quia à ſolo iecore, non perficitur ex toto ſanguis : Ergo omnis debet ab illo refluere ad cor vt perficiatur ab illo.

Ad 1. Reſpondetur, quòd materia in ventriculo inepta apparens, alia eſt omnino inepta, de qua Galenus; alia inepta niſi vlterius perficiatur, antequam feratur ad iecur, qualis eſt quæ fertur in lienem.

Ad 2. Reſpondetur, quòd poſt Galenum autopſia monſtrauit diuerſos vſus venæ Portæ, & ramorum eius.

Ad 3. Reſpondetur : Tum pro 1. Quòd venæ Cauæ deſcendentis rami replentur ſanguine aſcendente, E non verò deſcendente per illos : Tum pro 2. Quòd ad renes defertur ſanguis per arterias emulgentes, quæ ſimul à corde deferunt ſanguinem pro eorum nutritione : Tum pro 3. Quod per ipſas arterias fertur aquoſa ſubſtantia crudúſve ſanguis in partes ventris, non autem per venas.

A

Resolvtio VI.

Vtrùm ſanguinis motus per venas fiat à maioribus in minores venas; vel è contra?

SAnguinem moueri in corpore per venas cognouit Antiquitas, cum per ipſas admiſerit illum communicari omnibus corporis partibus, pro partium alimonia : qui conſequenter fatebantur à iecore verſus omnes poſitionis differentias moueri. B Iuniores, vt vidimus, inuenerunt ſanguinem moueri motu circulationis per venas, & arterias : Et de hoc motu inquirimus, dum ſanguis per venas fertur : an à iecore in venas maiores, & ab iis in minores moueatur : an è contra à minoribus venis feratur ad maiores, verſus iecur, & verſus cor. Moueri à maioribus venis verſus minores probat,

Primò antiqua Galeni doctrina, quæ docet à iecore generari ſanguinem, & per venam Cauam, & illius ramos maiores in minores, capillares, & tandem in poroſitates, & partes carnoſas ferri : Tum 2. quia eſt rationi conſonum quòd vaſa maiora, quæ oriuntur à iecore, ſanguinem recipiant ab illo, & quòd paulatim illum emittant in minores, & C capillares venas, quæ implantantur in partibus nutriendis : Tum 3. quia venæ exiles deorſum ſunt locatæ, & neceſſariò ſanguis proprio pondere debet ferri in illas.

Probatur 2. Si ſanguis moueretur à venis maioribus ad minores, maximè quia id demonſtrant valuulæ impedientes in venis deſcenſum à maioribus in minores : Sed hoc non conuincere probat Primeroſius : Tum 1. quia non omnes venæ maiores habent illas valuulas; & ideo hæc ratio non probat de omnibus : Tum 2. quia ſi in venis illæ valuulæ deſeruirent ne deorſum ſanguis deſcenderet, clauderentur ad illum impediendum; & tunc etiam impedirent aſcenſum ſanguinis per illas : Tum 3. valuulæ ſemper ſunt apertæ vt aſcen- D dat ſanguis per venas : Ergo vt deſcendat ſunt ſemper apertæ.

Tertiò ſi ſanguis mitteretur à venis minoribus ad maiores, ipſæ minores venæ deberent habere vel iecur, vel aliud membrum generans ſanguinem, à quo illum reciperent; ſed non eſt aliud vas circa venas minores à quo illum recipiant; à iecore quæ recipiunt ſunt venæ maiores, quæ in illo implantantur : Ergo ſanguis non poteſt moueri à venis minoribus in maiores.

Reſoluendum : Quòd ſanguis in circulatione E mouetur à venis minoribus in maiores verſus iecur; vel verſus venam Cauam & cor : nullo modo è contra.

Pro hac doctrina præſupponitur quòd Veteres Dogmatici, Græci, Latini, & Arabes, valuularum, quæ in venis reperiuntur, non meminerunt; niſi ab Hippocrate *lib. de oſſibus*, quidquam poſſit coniecturari. Inter recentiores ſub opinione cadit, An Cananus, & Syluius illas cognouerint; Veſalius, & Fallopius inueſtigarũt illas; Euſtachius, Fabricius, Salomon Albertus, Picolominus cognouerunt earũ vſum; Aſellius, & Harueus maiori poſito labore, earũ cõfirmarũt vſus, Aſellius in venis lacteis, Harueus in illis, & venis meſeraicis, in ramo ſplenetico, in emulgentibus, in iugularibus internis, in vena Azygos, in aliiſq;

quas in hunc finem in venis interclusit Natura, vt ſi quid ſanguinis deflueret à venis maioribus in minores, intercluderetur, & impediretur eius deſcenſus, non verò aſcenſus a minoribus in maiores. A

Probatur 1. Authopſia conuincit in Anatome, quòd in omnibus artuum venis, in iugulari venâ internâ; in vena Azygo, in vena pectorali, in vena Porta, in venis lacteis, in ramo ſplenetico, in venis emulgentibus, in Meſeraicis, & in aliis maioribus venis ſunt valuulæ, ſeu membranæ cauitates earum intercipientes, figurâ ſemilunari, ita vt vel ſit vna ſola magna, vel duæ, ex aduerſo ſitæ, à quibus clauditur cauitas, ita vt nec aër poſſit pertranſire à maioribus venis verſus minores; bene tamen è contra: Ergo ſanguis à minoribus venis ad maiores mouetur. B

Probatur 2. cuiuſuis partis ſtructura eſt conformata à Natura iuxta vſus, in quos ſit; & manifeſtatur ipſius vſus ex modo quo iuuatur, vel impeditur; ſed ex modo quo venæ deferentes ſanguinem iuuantur, aut impediuntur, demonſtratur, quod ſanguis aſcendit à minoribus venis verſus maiores & cor: Ergo. Probatur minor; Tum quia quæuis vena ligata vinculo non nimis adſtricto ſiue in ceruice, ſiue in brachio, ſiue in crure; ſiue in quauis corporis parte, ſi aperiatur vena verſus eam partem, quà ſanguis fluit in venas maiores, exit ſanguis ante ligaturam, & venæ replentur, infra eam partem, per quam ſanguis venis maioribus approximatur, C inanitur vena, & ſanguis non exit; ita vt verſus cor inanita, & vacua appareat Vena verſus minores venas, à quibus recipitur, ſanguine plena: ex quo manifeſtè apparet moueri à venis minoribus verſus maiores in cor: Tum dum ſanguis mittendus ligatura facta in brachio verſus manum exit, & non ſupra ligaturam; in cruribus verſus pedes, & non ſupra ligaturam, quod aliter contingeret, ſi à venis maioribus, in inferiores deſcenderet ſanguis: Tum quia ſi fortior fiat ligatura, & impediat ab arteria communicari in parte inferiori venæ per quam debet deſcendere ſanguis, nec per inferiorem partem exit ſanguis, quia non aſcendit per illam partem venæ, quia non communicatur illi ab arteria; ſi verò ex parte ſuperiori exeat aliquando, D ideò contingit, quòd alterius venæ aut arteriæ eſt communicatio cum parte ſuperiori, à quâ non impeditur per ligaturam ſanguinis aſcenſus: Tum ſi facta ligatura, digito comprimamus partem venæ tendentis verſus venas minores, ſentitur ſanguis, & refluit compreſſus verſus illas, ſi partem verſus venas maiores, nulla inuenitur copia ſanguinis, & vena inanita nihil habet quod refluat: Ergo quia ſanguis à minoribus venis mouetur in maiores, & non è contra.

Confirmatur hoc idem ab Anatomicis qui ſiue in ventre, ſiue in cruribus, ſiue in brachiis, aut quacumque alia parte denudant venam, & illi apponunt ligaturam, ſemper conſpiciunt, quòd pars venæ quæ tendit verſus cor inanitur, pars tendens verſus minores venas repletur, & ablatâ ligatura, pars ſupra ligaturam iterum repletur à ſanguine aſcendente, pars infra ligaturam deſinit eſſe tumoroſa, quod manifeſtum præſtat indicium à minoribus venis ad maiores moueri ſanguinem. E

Ad 1. Reſpondetur: Tum pro 1. quod Galenus in infantia Anatomes, quam in cadaueribus tantùm exercuit, non potuit ſanguinis circulationem, & motum percipere: Tum pro 2. Quòd conſonum rationi eſt, quòd ſanguis à diſtantioribus partibus tedeat ad cor, quod non poſſet conſequi niſi aſcenderet per venas, cum per arterias potiùs deſcendat, vt infrà monſtrabimus: Tum pro 3. quòd ſi ſola grauitate moueretur ſanguis, deorſum tantum tenderet; ſed mouetur à naturalibus facultatibus, verſus eam partem in quam ex Naturæ inſtituto debet moueri.

Ad 2. Reſpondetur, Tum pro 1. quòd valuulæ ſunt in illis venis, in quibus poſſet ſanguis deorſum percolari, vt impediant motum deorſum, non in reliquis; ſed ex illis infertur qualis fiat ſimilis motus in reliquis venis: Tum pro 2. quòd non ſemper tranſcolatur ſanguis verſus valuulas, & ſolum dum percolatur, clauduntur, in reliquo tempore apertæ aſcenſum ſanguinis non retinent: Tum pro 3. quod ſunt ſemper apertæ ſi ſanguis non permeet à partibus maiorum venarum; reliquo tempore clauduntur impedientes deſcenſum illius.

Ad 3. Reſpondetur quòd venæ minores ab arteriis recipiunt totum ſanguinem refluentem per illas, modo infra dicendo.

Resolutio VII.

Vtrùm ſanguis in corde à dextro in ſiniſtrum ſinum feratur per cordis ſeptum?

PRo circulatione à dextro in ſiniſtrum ſinum cordis ſanguinem ferri eſt neceſſum; ſed per quas vias, non conſpicuum. Hippocrates, & Plato à vena Cauâ cor recipere ſanguinem, & elaboratum refundere ad omnes partes per eandem venam cauam protulerunt; ſed in cauam regredi impediunt valuulæ claudentes, quominus retrocedat ſanguis: clauduntur enim in dextro ſinu impedientes regredi, & in viuo animali ſi vena comprimatur, ſanguis non in cor, ſed in venam refluit cauam. Ariſtoteles, *lib. de partibus animal.* tres in corde conſtituit ventriculos, & ſanguinem, per Aortam, & per Cauam contendit tendere in illos, ſed Aorta in orificio tres habet valuulas claudentes, & regreſſum ab illa in cor impedientes; nec ab eadem viâ acceſſus, & regreſſus humorum perficitur. Galenus per venæ cauæ tantum mitti in cor ſanguinem protulit; per dextrum ſinum, & per venam arterioſam in pulmonem mitti magnam eius portionem, vt ex illo nutriantur; reliquum per medij cordis ſepti cœca foramina penetrare in ſiniſtrum ſinum; vt ex illo, & ex aëre fiant vitales ſpiritus, per Aortam diſtribuendi reliquis partibus. Realdus Columbus, Vlmus, Botallus, & alij Iuniores alias quærunt vias, Galeni antiquam deſerentes doctrinam, quærentes patentiores vias pro circulatione, & totius ſanguinis receptione.

Reſoluendum: Quòd ſanguinis motus fit à venis ad dexteram cordis auriculam, ab ipſa in ſinum dextrum, à quo tendit ſanguis primùm in venam arterioſam, mox in arteriam venoſam pergit per anaſtomoſin, & per ipſam ad ſiniſtrum cordis ventriculum: ſic tenent Realdus Columbus, Cotingius, & alij, his fulti rationibus.

Primò ſanguinis circulatio ex dictis eſt neceſſaria ad vitæ conſeruationem: Ergo neceſſariò patentes, & aptæ viæ pro illâ ſunt admittendæ; ſed nullæ aliæ poſſunt aſſignari: Ergo per has ab vno

vno ſinu in alterum mouetur ſanguis: probatur A Minor: Tum quia ex horum vaſorum repletione, capacitate, amplitudine, & ſtructura ſitúve patet, hæc vaſa eſſe in hunc finem deſtinata: Tum quia auricula in arteria venoſa, valuulæquæ in iis vaſis poſitæ idem demonſtrant; in arteria quidem venoſa, nec à ſiniſtro ſinu quid refluat; in vena autem arterioſâ, ne quid refluat in dextrum ſinum: Tum quia vena arterioſa verè eſt arteria, & arteria venoſa verè eſt vena; non vt altera ſpiritus, altera ſanguinem recipiat; ſed vt per anaſtomoſin ab arteriâ in venam ſanguis permeet omnis.

Communis obiectio eſt, Quod in iis vaſis non patent orificia per quæ totus ſanguis permeet ab B vno in aliud, ſine quibus nequit tanta copia ſanguinis continuò moueri.

Reſpondetur, Quòd Hofmannus ita viſui manifeſtos meatus reperiri docet, vt non poſſit dubitari ſufficere pro humorum celeri anaſtomoſi: Tum quòd Galenus fatetur inter venas, & arterias, licet ſenſui non apparentes, dari meatus, per quos mutuò humores poſſint permeare: Tum docet experientia, quòd licet ſenſu non percipiantur orificia, quæ ſunt inter venas, & arterias; ſunt tamen capaces, vt omnis ſanguis celeri motu ab vna in aliam mutetur; ſi enim aperiatur vena exit totus ſanguis per illam, qui erat in arteriis, celeri motu; & idem contingit, ſi ſcindatur C arteria.

Resolutio VIII.

Ob quem vſum, ſanguis recipitur in corde.

Galenus, & Dogmatici tenent, Quòd per ramum venæ Cauæ aſcendentis portio aliqua ſanguinis fertur in cor, vt ex illo nutriatur, & pars illius feratur pro nutrimento pulmonum in illos; & ſimul vt ex aliquâ ſanguinis D portione in ſiniſtro ventriculo, ſimul & ex aëre generentur ſpiritus vitales. Harueus, Higmorus, & alij ſanguinem in cor ferri contendunt, vt ab illo vltimam perfectionem recipiat, quâ aptus reddatur, vt poſſit reliquas corporis partes nutrire, & vt fiat ſanguinis circulatio, per quam impediatur ſanguinis concretio, & putrefactio, quibus expoſitus eſt, ſi non moueatur continuo. Coringius præcipuè moueri in cor iudicat, quia in corde eſt prima ac potiſſima caloris innati virtus, quâ maxime elaboratur & peruenit in naturalem ſui perfectionem; vt inde iam perfectus feratur per arterias in partes pro earum nutricatu, & vt illas viuificet ſuo calore; ſuper- E additque quòd ex illo in corde non generatur vitalis ſpiritus, vt communiter fuit receptum, his fultus,

Primò, quia ſanguis à corde calefactus mittitur per arterias in omnes corporis partes, & ab illo poteſt calor illis communicari, ſine nouâ aliâ ſuperaddita entitate: Tum 2. quia ſpiritus vitales deberent fieri per efferueſcentiam, ita vt tanquam ſpuma ex ſubtiliori parte ſanguinis eleuarentur, quod non contingit in corde & arteriis: Tum 3. quia ſi ſpiritus vitalis generaretur à corde, propelleretur in arterias, in quibus non poſſet recipi, quia ſolus ſanguis recipitur in illis: Tum 4. quia cordis calor, non eſt ita intenſus, vt poſſent per efferueſcentiam ſpiritus generari, nec vt poſſit ebullitio, per quam fiunt ſpiritus, reperiri in illo.

Reſoluendum 1. Quòd totus ſanguis fertur ad cor propter circulationem; & ob vtilitates, quas in illâ ſanguis conſequitur. Sic omnibus in confeſſo eſſe debet, qui ſanguinis circulationem admittunt, ob rationes adductas in Reſolutione primâ.

Reſoluendum 2. Quòd fertur etiam ſanguis in cor, vt ex purioti eius parte ſimul cum aëre generentur in ſiniſtro ventriculo ſpiritus vitales. Sic tenent cum Hippocrate omnes Dogmatici.

Probatur 1. ex ſummo Dictatore Hippocrate *lib. de corde*, vbi hanc doctrinam protulit & ſanciuit dicens: *Anima hominis* (id eſt ſpiritus vitalis) *in ſiniſtro ſinu eſt ſita: alitur autem nec cibis, nec potibus à ventre inferiori; ſed puriſſimâ & illuſtri ſubſtantia, ex ſanguinis diſcretione*, &c. Ideoque cor vocat caloris fontem, quia vitalem generat ſpiritum, & illum diſtribuit in omnes partes: Tum Galenus idem docet præcipuè 6. *de placitis*: vbi demonſtrat generari ex ſanguine & aëre vitalem ſpiritum. Et *lib. 1. de diferent. febr. cap. 1. lib. de tremore & palpitat. & lib. 5. ſimplic. cap. 9. & lib. de vſu part. cap. 2.* Tum idem demonſtrat Auiceona *fen. 1. 2. de Viribus cordis*, *Et lib. de medicinis cordialibus. cap. 1. §. Creauit Deus ex concauitatibus cordis ſiniſtram, vt eſſet armarium ſpiritus; & minera generationis illius.* Et *fen. 1. 1. d. 5.* protulit: *Arteria ſunt corpora, quæ à corde naſcuntur, concaua, in longitudinem extenſa, habentia motiones, dilatando ſe, & conſtringendo, vt cor euentilentur, & ſpiritus membris corporis communicentur:* Tum quia inſitus partium calor ab extrinſecis cauſis alteratus indiget foueri à corde mediis ſpiritibus, ſine quibus nequiret calorem extremis partibus impartiri: Tum quia in ſyncope deficit calor in partibus, non niſi quia retrahuntur ſpiritus vitales: ſanguis enim nequit refluere, vt conuincit Coringius: Tum quia ex diſtractione caloris & ſpirituum vitalium in alias partes imminuitur coctio ventriculi, quia ſpiritus, mediis quibus deberet communicari, in caput feruntur: Tum in paſſionibus animæ, in gaudio diffuſis à dextrâ ſpiritibus defectu illorum in corde aduenit mors; in ira, ex illorum motu fit incandeſcentia; in metu, ex refluxu eorum in cor, fit caloris ſuffocatio, & ſuperuenit mors: Tum quia ex aurâ maligna diſſipante vitales ſpiritus, fiunt partes frigidæ, & perit animal: Tum quia ex aëre nubiloſo, & caliginoſo partes fiunt impotentes ad actiones; quia ſpiritus vitales generantur inepti, vt præſtent debitam temperiem: Tum quia ex vigilia, & nimio motu; quia ſpiritus vitales conſumuntur, deficiunt vires: Tum quia ſpiritibus vitalibus reſolutis, homo vires, quas defectu eorum amiſit recuperat exhibito vino, aliáve materia, ex qua celeriter generentur: Tum quia ſanguis nequit celeri motu per arteriam moueri, & cum in paſſionibus animæ celeriter quid moueatur, quo partes alterantur; hoc debet eſſe ſpiritus vitalis: Tum quia humores prædominantes ſunt plerumque frigidi, & ne a corde ſeparati propriam acquirerent frigiditatem, debuerunt eſſe ſpiritus vitales, quorum ope calidi permanerent: Tum quia vt fatetur Harueus ſanguis ſeparatus à corde grumeſcit; & debet dari ſpiritus vitalis, quo calefiat: Tum quia ſi ſolus ſanguis fertur per arterias, & non ſpiritus vitalis, cum

eſſent propter eundem vſum, ac venæ, iſtæ ſolæ ſufficerent: Tum quia ſi non dantur in arteriis ſpiritus ſine ſyſtole & dyaſtole, moueretur in illis ſanguis, ſicut mouetur in venis: Ergo cor habet pro vſu generare ſpiritus vitales.

Ad Coringij fundamenta Reſpondetur: Tum pro 1. quòd ſanguis fertur per arterias ad partium nutritionem; ſpiritus vt illis impertiantur calorem, quem nequiret ſanguis impertiri, cùm potius illorum egeat calore, vt tenet Harueus, ne concreſcat, ſeparatus à corde: Tum pro 2. Quòd ſpiritus vitales non fiunt per efferueſcentiam, quaſi per accidens; ſed per ſe à facultate concoctrice cordis deſtinatà ad illorum generationem: Tum pro 3. Quòd propellitur ad arterias ſpiritus ſimul ſanguini commixtus, licet non percipiatur ob ſui tenuitatem, niſi per ſuos effectus: Tum pro 4 Quòd ſpiritus vitales non fiunt per efferueſcentiam, ſed per calorem coaptatum ad eorum generationem perficiendam, per coctionem.

Resolvtio IX.

Vtrum à corde in arterias totus ſanguis per dextrum cordis ſinum protrudatur ſimul cum ſpiritibus?

Videtur Quòd non: Si ſpiritus per arterias ſimul cum reliquis humoribus mouerentur, cum plerumque humores noxij ſint putridi, & obnoxiis qualitatibus præditi, corrumperentur continuò ab illis: Ergo non ſimul per eadem vaſa feruntur.

Secundò: Spiritus & humores ordinantur in diuerſos fines, & petunt diuerſos motus: Ergo non ſimul mouentur per arterias.

Tertiò: Si ſimul mouerentur ſpiritus vitales & humores, per arterias, ſimul etiam mouerentur per venas: Ergo deberent moueri venæ ſicut arteriæ.

Reſoluendum 1. Quòd ſanguis, qui perficitur in ſinu ſiniſtro cordis, & ſpiritus, qui generantur in illo, ſimul truduntur in Aortam: ſic admittentes ſpirituum vitalium generationem, ſimúlque ſanguinis circulationem, debent fateri.

Probatur, quia tota quantitas ſanguinis, quæ continuò recipitur in ſinu ſiniſtro, nequit in illo contineri, nec regredi, aliàs ſe impedirent humores, qui recipiuntur, cum eis qui refluerent; nec ſunt aliæ viæ per quas euacuentur, nec eſt alius vſus Aortæ, niſi in horum receptionem: Tum quia Aorta habet valuulas, quæ ſe aperiunt ad ſanguinem, & ſpiritus recipiendos, & quæ clauduntur, ſi quid horum refluit ſine vſu, qualiter ſpiritus ſæpe refluere, eſt neceſſe: Tum quia in Aorta conſpicitur receptus ſanguis, & conſpicuus eſt eius motus pro ſpiritibus: Ergo tam ſanguis, quam ſpiritus mouentur à corde in illam.

Reſoluendum 2. Quòd per Aortam ſanguis, & ſpiritus vitales truduntur per reliquas arterias, in vniuerſas corporis partes.

Probatur: Tum quia in hunc finem à corde mittuntur in Aortam, vt per illam omnibus partibus impartiantur, pro earum nutritione, & attemperatione: Tum, quia id demonſtrat autopſia; in quacumque enim corporis parte ſi ligetur arteria verſus partem, qua deſcendit ab Aorta repletur, ex altera parte inanitur: Tum quia ſi arteria ſece-

A tur, facta ligatura verſus Aortam exit ſanguis, & ſpiritus, non verſus partem inferiorem: Tum quia eadem experientia idem demonſtrat circa cor, in ventre, in extremis tenuibúſque arteriis, ex quo patet, quod à corde, & maioribus arteriis in minores ſemper mouetur ſanguis, ſpiritúſque vitalis: Tum quia fluxus ſanguinis in circulum non eſſet poſſibilis, niſi à corde per arterias à maioribus in minores moueretur ſanguis, & per venas à minoribus in maiores verſus cor reflueret, & aſcenderet: Ergo ab Aorta in reliquas arterias verſus omnem differentiam mouentur ſanguis, & ſpiritus.

Reſoluendum 3. Quòd nec ſolùm ſanguis pro
B partium nutritione, & ſpiritus pro calido innato conſeruando feruntur per arterias, ſed ſimul noxij, & excrementitij humores in propria emunctoria tendunt, & in partes aptas pro eorum euacuatione.

Probatur: Tum quia cum ſimul à iecore, & venis verſus cor tendentibus omnes ferantur ſimul humores, debent ſimul per eaſdem commeare vias ſimul cum ſanguine: Tum quia arteriarum rami diſtribuuntur per totum corpus in omnia emunctoria; & partes per quas poteſt ſanguinaria maſſa expurgari ab excrementitiis humoribus: ad renes enim terminantur arteriæ emulgentes, per quas ſerum petit expurgari, quod fatetur Galenus. Et
C Spigelius probat, per arterias meſeraicas vniuerſi corporis excrementa deferri, vt expurgentur per ventrem in inteſtina, fieríque per arterias pleraſque fluxiones, ſimul & per illas fieri purgationes pharmacis ſolutiuis commotas, quod fatentur quoque Doctiores ex Iunioribus. Per arterias fiunt etiam hæmorragiæ; aſcendit enim per illas ſanguis in caput, per venas autem deſcendit: Tum patet quia venæ tendunt verſus cor, per hepar magnâ ex parte mittentes humores: Ergo Naturæ prouidentiæ aptius fuit humores excrementitios deferre per arterias ad ſua emunctoria, quæ à corde verſus illa ſanguinem, & humores mouent: Tum quia tunc magis apparent humores noxij, &
D excrementitij, quando nequeunt à corde perfici: Ergo debebant expurgari per vias, per quas ita inepti recipiuntur ab illo.

Ad 1. Reſpondetur, quòd ipſi humores, & ſpiritus redduntur impuri ex conſortio excrementitiæ alterius ſubſtantiæ, ſed coërcetur ab illis impuritas, ne intra aliquam latitudinem vehementer noceat; vltra illam verò valebit ſpiritus, & humores conſpurcare, & mortem inferre.

Ad 2. Reſpondetur, Quòd mouentur à diuerſis cauſis, vt infra patebit, & ideò debitè mouentur, licet in diuerſos fines per eadem vaſa ferantur.

E Ad 3. Reſpondetur, Quòd per venas feruntur ſolùm ſpiritus neceſſarij, vt ſeruent ſanguinis debitam temperiem; & illi maſſæ ſanguineæ commixti, non indigent diuerſo ab ea motu. At in arteriis præter illos, feruntur etiam qui debent impartiri omnibus corporis partibus; & pro iis eſt neceſſarius arteriarum motus.

Resolvtio X.

Per quas vias ſanguis ex nutritione redundans refluat in venas ab arteriis?

PEr nullas vias poſſe refluere ſuadent plura fundamenta propoſita à Coringio.

Primò quia ſi per aliquas,maximè per anaſtomoſes ; ſed illæ ita ſunt exiles , & exiguæ viæ , vt non poſſit per illas tanta copia ſanguinis, quanta ſuperfluit in corpore percolari : Ergo non fit per anaſtomoſin ſanguinis tranſcolatio.

Secundò: Si per anguſtos meatus in anaſtomoſi ab arteriis in venas tranſmearet ſanguis , non eſſent poſſibiles tumores in partibus carnoſis;quia omnis ſanguis potius tranſiret in venas ,quam in partes carnoſas,vel ſi aliqua portio permearet in partes,ſtatim reflueret , & euacuaretur per venas.

Tertiò. Abciſſis arteriis,in venis vicinis reperitur ſanguis, ſine communicatione cum illis , abſciſſis venis in quas deberet ab arteriis ſanguis communicari , non fit tumor in parte carnoſa vicina , in quam tendit arteria:ſed hoc eſſet impoſſibile, ſi deficeret in illa affluxus, & communicatio ſanguinis: Ergo non fit ab arteriis in venas affluxus ſanguinis.

Quartò Aliquæ venæ ſanguinem copioſum retinent, ſine co quòd communicent cum arteriis:Ergo ex alia parte recipiunt illum.

Quintò. Reuulſiones , & deriuationes tantopere ab antiquis celebratæ , ſi ſanguis reciperetur à venis per arterias,non eſſent ex vſu , quia ſæpe ſcinditur vena , quæ non babet communicationem cum arteria partis ex qua deberet fieri reuulſio : Ergo venæ non recipiunt ſanguinem ab arteriis.

Reſoluendum , Quòd omnis ſanguis repertus in venis, communicatur illis per arterias,& per anaſtomoſes tranſcolatur. Sic tenendum admiſſa ſanguinis circulatione.

Probatur 1. In ſanguinis circulatione, totus ſanguis recipitur ab Aorta, & ab illa mittitur per reliquas arterias in partes : Ergo nulla pars reſtat in corpore, à qua poſſit venis ſanguis communicari, niſi ab arteriis ipſis communicaretur: Tum quia arteriæ continuò ab Aorta recipiunt ſanguinem, nec poſſet in illis contineri niſi continuò illum in alia vaſa tranſmitterent ; nec ſunt alia quam ipſæ venæ: Tum quia arteriæ , & venæ mutuò inter ſe coëunt: ſunt enim inſignes coniunctiones inter illas in vtroque rene , in liene, in vaſis ſpermaticis, in ramis venæ cephalicæ , quæ tendit ad manum ; in partibus carnoſis , præcipuè in manuum , & pedum extremitatibus , & per vniuerſum corpus: ſed harum connexionum nulla alia eſt cauſa, niſi vt ab arteriis in venas fiat ſanguinis tranſcolatio : Tum quia vt probauimus, venæ non recipiunt ſanguinem à iecore , non à corde: Ergo ab arteriis:Tum à venis minoribus mouetur ad maiores : ſed minores non habent alia vaſa circa ſe ſanguinem continentia , niſi arterias , cum quibus per anaſtomoſin communicant , ex quo patet , quòd illum ab eis recipiunt. Abſciſsâ vena , per illam euacuatur tota ſanguinis copia , quæ in arteriis reperitur : Ergo ab illis venæ ſanguinem recipiunt.

Ad 1. Reſpondetur , Quòd licet conſpicui A non appareant ductus , conuincit experientia, quòd totus ſanguis poteſt permeare , & diffundi per venam ſciſſam , breui tempore receptus ab arteriis ; & in telis linteis, videmus nullo apparente meatu, liquorem percolari celeriter, & in magna copia.

Ad 2. Reſpondetur , Quòd niſi ſanguis in modo ſubſtantiæ,aut copia, decidat à naturali ſtatu, ſemper permaneat;ſi ab iis impeditur , refluit in partes carnoſas faciens tumorem ; quia multitudo , aut craſſities impediunt tranſcolationem per anaſtomoſin.

Ad 3. Reſpondetur , Quòd in partibus abſciſſis impeditur anaſtomoſis inter vaſa abſciſſa ; non verò quòd per alia habentia communicationem cum vaſis remanentibus,poſſit ſanguis per alias anaſtomoſes communicari.

Ad 4. Reſpondetur , Quòd omnes venæ habent communicationem cum arteriis, vel per coniunctiones cum ipſis proximas, vel quia deriuantur ab aliis venis habentibus communicationem cum illis.

Ad 5. Reſpondetur , Quòd cum venæ aſſocientur arteriis, & ab illis ſanguinem recipiant, ſimilis eſt rectitudo , & diſtantia à corde , licet vena ſcindatur ; hæc enim euacuando ſanguinem quem recipit ab arteria coniuncta, euacuat iuxta illius rectitudinem, diſtantiam,aut proximitatem, reuellit,aut deriuat,ſicut ſi ab ipſa arteria exhauriretur ſanguis, penes quam debet attendi ratio euacuandi, deriuandi, aut reuellendi.

Resolvtio XI.

A quâ cauſâ per venas , & arterias [illegible]nguis moueatur?

GAlenus , qui ſanguinem pro partium nutricatu per ſolas venas moueri iudicabat , tenuit quòd mediis facultatibus naturalibus expellente, & attrahente ferebatur. Et hæc opinio ſine certamine permanſit per tot ſæcula vſque in noſtrum, in quo qui ſanguinis circulationem admittunt, nouas motus ſanguinis excogitauerunt cauſas. Harueus primus conatus eſt ſuadere omnem ſanguinem in arteriis contentum , moueri a cordis compreſſione , propellente ſanguinem in arterias, & ſucceſſiuo motu ab illo impulſu omnem ſanguinem in arteriis contentum moueri , licet remiſſiori motu in partes diſtantiores. Huic opinioni ſubſcribit Highmorus fultus aliquibus fundamentis ex Harueo deductis.

Primùm : Quia propria vi non poteſt arteria ſeipſam mouere diſtendendo ſe ; quia diſtendi , eſt pati, diſtendere eſt agere : idem autem nequit ſimul agere , & pati , ſicut nequit ignis calefacare, & infrigidare : Tum 2. quia in eo quod ſe mouet, debet eſſe pars immobilis , in quâ fundatur mobile , quæ ſupra immobilem flectitur , aliàs eſſet vagus motus; in arteria autem non datur talis pars;ex quo apparet quod non ſe mouere poteſt:Tum 3.quia nec poſſunt in arteria admitti fibræ ad hunc motum;quia Anatomici illas non viderunt, nec inuenerunt : Tum 4 quia ſecta arteria , ſanguis funditur per illam in dyaſtole , dum cor mouetur conſtringendo ſe ſi arteria ſe moueret, non in dilatatione , ſed in compreſſione expelleret : Tum 5. quia nec obſtat experimentum Galeni, qui ligata arteria immiſſa fiſtula

infra illam, vidit noo pulſare arteriam, licet tranſeat ſanguis: vnde apparet ab impulſu cordis non fieri motum, cum ſi tranſit impulſus ſanguinis, non vltra fit motus arteriæ aut ſanguinis, quia Harueus negat experientiam, & ob diſtantiam illâ admiſſâ poſſet ſanguis moueri.

Coringius non acquieſcens Harueo ſanguinem in arteriis, & venis moueri contendit à calore, à grauitate, à leuitate, ratione vitandi vacuum, & ab impulſu à corde communicato. Primò id probat, quia ille motus eſt neceſſarius; & ideò plures debuerunt illius eſſe cauſæ: Tum 2. omnia, quæ requiruntur pro ſanguinis motu, ex omnibus iis cauſis perficiuntur; ex quo patet, quòd omnes ſunt neceſſariæ: Tum 3. quia ſi quæ alia poſſet ſuperaddi, maximè dolor, qui cùm ſit triſtis ſenſatio, à qua nullus fit motus, non eſt ſuperaddendus vt cauſa: Tum 4. quia innatus cordis calor attenuans fortiorem in illo cauſat motum, ex quo patet, quòd eſt motus ſanguinis prima cauſa: Tum 5. quia patet omnes has cauſas concurrere in diuerſis loci partibus. Ex ſiniſtro enim ventriculo fertur ſanguis in Aortam ſolo appulſu, & ob eundem ferti debet per arterias, & ſucceſſione metu vacui; deſcendit metu vacui, & à grauitate; aſcendit vi caloris, & à leuitate: Ergo ex iis omnibus cauſis fit ſanguinis motus.

Tertiò iuxta Galeni doctrinam non moueri ſanguinem per arterias ab expellente, & attrahente facultate: Probatur, Tum quia arteria continuò mouetur ſyſtole, & dyaſtole, quæ cum ſint motus, à quibus poſſunt humores pelli, ex iis moueri eſt fatendum: Tum 2. quia in venis mouentur ab iis facultatibus, quia non eſt illis motus ſyſtoles, & dyaſtoles; non ergo ab ciſdem mouetur in arteriis: Tum 3. ſecta arteria, totus ſanguis in dyaſtole expellitur extra corpus: Ergò illa non ſecta, ſyſtole expellitur per arteriam in vniuerſas corporis partes.

Reſoluendum: Quòd ſanguis non mouetur ab impulſu ex cordis compreſſione communicato per arterias, & venas.

Probatur; Tum, nam oſtenditur Anatome, quòd ablato ſiniſtro ſinu cordis, aliquandiu permanet motus ſanguinis in arteriis, qui eſſet impoſſibilis, ſi à cordis ſiniſtri ſinus motu ſanguis in arteriis moueretur: Tum quia ſi vinculo ligetur arteria, etiamſi impulſus non communicetur à corde ſanguini infra ligaturam, ipſe tamen mouetur verſus reliquas inferiores arterias; & ſi aliqua earum ſcindatur, in parte diſtantiori, totus ſanguis recurret ad illam ſine mouente corde: Tum quia ſanguis fertur in determinatas partes in vterum, in mamimas iuxta diuerſos vſus, & potiùs in vno quam in alio tempore; & ſi à corde impulſus moueretur tantùm, non eſſet ratio quare ſic moueretur: Tum quia ab ciſdem cauſis, à quibus mouetur ſanguis in venis, poteſt moueri in arteriis; & non eſt poſſibile quòd impetus ille moueat illum per venas, cum ſint ita diſtantes: Tum quia ſi vena Caua aſcendens ligetur, ſupra ligaturam ſanguis mouetur verſus cor, & vena ibi inanitur, & impulſus nequit per ligaturam communicari: Tum quia in ipſis partibus carnoſis ſanguis propulſus ab arteriis mouetur per poroſitates, & ille motus non poteſt tribui impellenti cordi: Tum quia arteriæ, non rectà viâ tendunt, ſed tortuoſo ſæpe motu diuaricantur, nec poſſet impulſus non refrangi, & motus impediri: Tum quia ſanguis fertur diuerſus ad diuerſas partes nutriendas iuxta earum naturam, ad cerebrum frigidum, magis de pituita; ad oſſa magis de melancholia; ad calidiores partes, magis

A de bile; ſi impulſus tantùm à corde moueretur ſanguis, æqualiter ad quamcumque moueretur partem: Tum quia purior ſanguis trahitur pro materia ſeminis in teſtes, quàm qui fertur expellendus per venas hæmorrhoidales; nec ſic poſſet ſeparari, ſi ſolo impulſu à corde communicato moueretur: Tum quia pro aſcenſu, & deſcenſu humorum & circulari illorum motu, vna debet fixa & neceſſaria aſſignari cauſa; impulſus verò cordis non poteſt hos contrarios perficere motus: Tum quia ſi impulſus ſanguis à corde moueretur per omnes arterias, ſimul ab eodem mouerentur ſpiritus, quos probauimus intra illas contineri, & eſſet ſuperfluus arteriarum motus & ſine neceſſitate à Naturâ producta Facultas pulſifica: Ergo ſanguis non mouetur per arterias, & venas vi
B cordis impulſus.

Reſoluendum 2. Quòd ſanguis per arterias, & venas non fertur tanquam à cauſa per ſe mouente, à calore, ratione vacui, à leuitate, nec à grauitate ſola.

Probatur: quia ex dictis humores diuerſi ad diuerſas partes trahuntur ob diuerſos vſus, qui non poſſet ab iis ſeparari cauſis: Tum quia Coringius in aſſignandis partibus diuerſis in quibus hæ diuerſæ cauſæ ſeorſim operantur, manifeſtat opinionis falſitatē, cum in eundem motum, in eundem finem ordinatum iuxta diuerſas partes medij, diuerſas cauſas cōſtituat naturales, & operantes ob diuerſos fines: Tum quia cum ſanguinis motus ordinetur ad nutritionem, quæ
C fit à vitali facultate, habere debet eiuſdem gradus facultates miniſtrantes, à Natura in hunc finem deſtinatas; non autem dependere à naturalibus cauſis illi non connexis, nec proportionatis: Tum quia ſicut facultas concoquens, quæ eſt miniſtra Nutritiuæ, debuit eſſe gradus vegetatiui; ſimiliter & quæ ſanguinem iam coctum mouet ad partes nutriendas; nulla autem ex cauſis aſſignatis à Coringio deſeruit concoctrici: Ergo alia eſt aſſignanda.

Probatur 2. quòd calor non ſit à quo mouetur ſanguis: Tum quia calor ſolum mouet mediâ leuitate inductâ ſurſum, vel mediâ raritate à centro ad circumferentiam; ſanguis autem à loco in locum, & verſus omnem differentiam loci petit moueri: Tum
D quia calor, ſi alio modo iuuat ad motum eſt diſponendo partem vt recipiat; debet tamen in ſanguine reperiri cauſa mouens in locum ſic diſpoſitum ad recipiendum: Tum quia cor, & partes internæ à quibus debet moueri, ſunt calidiores & potiùs traherent, quàm expellerent illum: Tum quia nequiret moueri à calore, quin alteraretur per illum; ſanguis autem effluens à corde calidior eſt reliquis partibus, & nequit ab illis calefieri, & ideò nec moueri: Tum quia cum partes externæ ſæpius ſint frigidæ, nequiret moueri ab earum calore: Tum quia motus ſimpliciter neceſſarius non poſſet committi à Natura cauſæ inſtabili, & ab extrinſeco mutabili: Tum quia
E ſi à calore penderet ſanguinis motus, poſſent ſolis partibus calefactis attrahi humores, & renutriri partes: Tum quia in hectico calore partium, magis attraherentur humores, & magis nutrirentur, quam in ſalute; & licet deficerent humores pro circulatione, in partes traherentur & nutrirent.

Probatur 3. de grauitate & leuitate: ſunt enim facultates ſanguinis conſeruatiuæ, ſeu ferentes in proprium locum pro ſui conſeruatione, vi grauis aut leuis, non in conſeruationem viuentis ordinatæ, in quod ſanguis vt talis deſtinatus fuit à Natura: Tum quia grauitas & leuitas in ſanguine iuxta prædominium exuperantis, fieret motus ſemper ſurſum vel deorſum: Tum quia circularis motus ſurſum, & deorſum

deorſum ab eiſdem cõtrariis qualitatibus loco-motiuis non poſſet fieri : Tum quia idem ſanguis ſemper peteret ſurſum ferri, vel deorſum, & non eſſet ratio cur pars illius deſcenderet ab eodem loco per arteriam deſcendentem, & pars eius aſcenderet per aſcendentem, cum vtrique eſſent eædem grauitas, & leuitas: Tum quia naturales iſtæ loco-motiuæ facultates non debuerunt conſignari à Natura tanquam miniſtrantes gradus vegetatiui, cum non pertineant ad illum.

Probatur 4. Quòd non moueatur ſanguis ratione vacui, quia cum vacuum ſit priuatio, non habet vim mouendi : & ſi ad ipſum vitandum, ſanguis moueretur, manet iterum difficultas, à quo moueatur : vnde nihil reſpondetur pro difficultate : Tum quia nullum eſt vacuum, ob quod ſanguis moueatur ; fertur enim per venas, & arterias ſanguine, & aëre plenas, in partes ſolidas, vel in poroſitates plenas aëre : Tum quia corpora, in quibus timetur vacuum, replentur à tenuiori, & quod faciliùs poteſt moueri ad vitandum vacuum ; cum ergo omne corpus ſit tranſpirabile, faciliùs ab aëre, quàm à ſanguine vitaretur vacuum : Tum quia ſanguis neceſſarius eſt in partibus pro earum conſeruatione : Ergo eius motus in illas non debebat dependere à vacuo accidentaliter ſuperueniente : Tum quia vnicuique parti eſt neceſſariò ſanguis mouendus, & non eſt vnicuique neceſſitas vitandi vacuum : Tum quia in arteriis poſſet retrò trahi ſanguis ob vacui metum : Tum quia in plenitudine ad vaſa per ipſa mouetur ſanguis dum potiùs ruptio earum, quàm vacuum timetur.

Reſoluendum 3. Quòd ſanguis mouetur per arterias, & venas ab expellente, & attrahente facultate gradus vegetatiui. Sic fuit receptum ab Hippocrate, & Galeno & ab omnibus Dogmaticis vſque ad Harueum, & alios ſanguinis circulationem admittentes.

Probatur 1. ex communi conſenſu omnium Medicorum, qui cum Galeno *lib. de facult. naturalibus*, hanc receperunt doctrinam, Et Ariſtotele, qui ipſam ſanciuit *lib. 2. de Anima* ; à quo omnes Philoſophi vnanimi aſſenſu mutuati ſunt : Tum quia cum gradui vegetatiuo à Naturâ, propria operatio attributa ſit, ea peragendi, quæ verſantur circa alimenti reppoſitionem in ſubſtantiam viuentis, debuerunt quoque neceſſariò à natura tribui illi miniſtrantes facultates ab eadem anima prouenientes per quas attraheretur ad partes debitum alimentum, & expelleretur ſuperfluum valens impedire earum actiones: Tum quia ſicut in plantis & vegetatiuis reliquis alimentum trahitur per illas, & expellitur à parte in qua ſuperfluit in alias ; ſic debet ſanguis ab eiſdem facultatibus moueri in partes, & per propria vaſa.

Dices quòd in plantis fertur alimentum & in arboribus, pro earum nutritione à calore, non à loco-motiuis his facultatibus.

Contra ſtant, Tum omnes rationes, quibus nuper probauimus à calore non fieri humorum motum per venas: Tum quia ſi in plantis & arboribus à calore traheretur alimentum, vt voluit Cotingius, in maiori calore magis nutrirentur ; quia plus de alimento attraherent, cuius contrarium demonſtrat experientia in æſtate, in qua areſcunt, & præcipuè, ſi expoſita fuerint ſoli : Tum quia plantæ attrahunt in vna parte amarum, in alia dulce, & arbores ſimiliter, & in limone datur calidus cortex, frigidus ſuccus ; & ſi à calore moueretur horum alimentum, non eſſet cur potius dulce in hanc, & in illam acre moueretur.

Probatur 2. humores qui feruntur per arterias pro partium nutritione, ab eiſdem facultatibus mouentur per illas, à quibus feruntur ab ipſis in partes nutriendas ; ſed in partes nutriendas mouentur ab expellente partis in qua redundant, & ab attrahente partis recipientis : Ergo ab expellente, & attrahente mouentur etiam per arterias. Probatur minor. In partes non fertur ſanguis vtcumque, ſed in vnaquaque, qui appropriatus eſt pro ſui nutritione, & vt illi aſſimiletur ; pro frigidis, & humidis pituitoſus ſanguis fertur ; pro oſſeis, melancholicus ; pro igneis, biliosus : ſed talis ſeparatio non fit niſi à ſola attrahente, quæ ſimilem ſanguinem, & ſubſtantiam parti nutrienti attrahit : exterum heterogeneæ naturæ, vt proportionatum paſtum parti attrahat, quod poſſit aſſimilari.

Probatur 3. Tum ex reliquarum cauſarum loco-motiuarum, quæ ab aliis aſſignantur, excluſione facta : Tum quia villi ſunt partibus ſecundùm longitudinem intertexti, vt attrahant ad ſe ſanguinem; inquit enim Auicena, *Attractiua quidem creata ad attrahendum nutrimentum innatiuum ; qua quidem operatur hoc villus membri in quo eſt, ſecundum longitudinem protenſis*: Tum quia non eſt deneganda viuenti facultas, quà expellat inutile, & qua attrahat vtile : ſanguis in venis, & arteriis debet ſe habere tanquam inutile, aut vtile pro reliquis partibus, ex quo conſtat quòd ab illis neceſſariò debet moueri.

Ad fundamenta Haruei Reſpondetur: Tum pro 1. Quòd ſicut idem motus entitatiue eſt actio & paſſio ſecundùm diuerſas rationes formales: eadem arteria diſtendendo ſe, poteſt diſtendere ſe, prout ſe mouet actiuè; & diſtendi & pati prout in ſe recipit illam actionem; & hoc eſt commune omni actioni immanenti, quòd eadem pars agat, & patiatur. Sic intellectus elicit intellectionem, & agit, & patitur, dum ea recipitur in illo tanquam in ſubiecto ; imò & idem intelligens ſe, eſt intelligens, & res intellecta : ſic arteria poteſt eſſe mouens, & res mota, nec inſtantia de igne probat, quia ignis poteſt calefacere, quia habet calorem ; non autem frigefacere, quia non habet frigiditatem, quà infrigidet ; poſſet autem, ſi illam haberet ; ſicut aqua, dum habet calorem, valet calefacere, licet ſit illi proprium infrigidare : Tum pro 2. Quòd in eo quod mouetur, ſolùm requiritur res quæ mouetur; facultas qua moueatur medium, per quod fiat motus ; tempus in quo fiat ; quæ omnia reperiuntur in arteria, & in quacumque parte ſimilari quæ mouetur. Hoc potiò ſufficit, præterquàm quòd ad hoc, vt ſanguis moueatur per arteriam à facultate expellente, & attrahente, Haruei rationes nihil obſtant: Tum pro 3. Quòd fibras inuenerunt, & viderunt Anatomici; & ſine illis fatentur ab expellente, & attrahente, medio impulſu ab his communicato, poſſe humores moueri: Tum pro 4. Quòd ſectâ arteriâ, dum dilatatur, expellitur ſanguis, quia ne detur vacuum mouetur verſus partem abſciſſam : Tum pro 5. Quòd Harueus negat quod authopſia demonſtrat potius proteruiam concludit, quàm hoc eſſe falſum, & quòd ſit in arteria diſtantia facit, non moueri humores; pro motu ſanguinis in reliquas arterias & in venas aliæ ſunt aſſignandæ cauſæ, quæ etiam valebunt ſanguinem in aliis arteriis mouere.

Ad 2. & Coringij fundamenta Reſpondetur : Tum pro 1. Quòd ad vnum motum neceſſarium, vna neceſſaria cauſa ſufficit, ſicut grauitas, graui; & leuitas, leui ; potiùs plures indifferentes officerent : Tum pro 2. quòd à ſola facultate expellente, & attrahente perficitur humorum motus, qui ex

reliquis nequit fieri vt patet ex probationibus concluſiuis: Tum pro 3. Quòd non eſt dolor cauſa quâ naturaliter mouetur ſanguis; ſed quæ à Nobis ſunt aſſignatæ: Tum pro 4. Quòd calor excedens innatus, ſiue actuatus, ſi eſſet cauſa mouens humores, potius verſus cor illos attraheret: & ex dictis conſtat, quòd calor non ſit cauſa à qua per ſe ſanguis mouetur: Tum pro 5. Quòd ſatis manifeſtat Coringius debilitatem ſuæ opinionis, dum tot proponit cauſas ſanguinem mouentes, & diuerſas proponens, pro diuerſis partibus, per quas mouetur: pro motu enim neceſſario, debent determinatæ, & neceſſariæ illius motus cauſæ aſſignari.

Ad 3. Reſpondetur, Tum pro 1. Quòd cauſæ per ſe determinatæ à Natura vt moueant ſanguinem, ſunt facultas expultrix reſpectu eius quod ſuperabundat in parte, & attractrix reſpectu eius, quod pro partibus eſt vtile, & ab his in arteriis, in venis & in partibus naturaliter mouetur: In arteriis autem poteſt ſanguinis motus aliquo modo iuuari à facultate pulſifica, ſyſtole ipſum impellente: Tum pro 2. Quòd in venis, & arteriis mouetur per ſe ſanguis ab eiſdem facultatibus ordinatis ad ipſum mouendum; in arteriis autem fuit neceſſarius earum motus, ad ſpiritus mouendos vitales; ad quod in venis non fuit neceſſarius: Tum pro 3. Quòd in dyaſtole expellitur, quia ſucceſſione ad id quod euacuatur, trahitur ratione contiguitatis, in compreſſione non omnis comprimitur, & ideo nequit ſyſtole moueri.

Resolvtio XII.

A quo moueantur ſpiritus vitales per arterias.

Videtur, quod ab eiſdem facultatibus, à quibus ſanguis mouetur: Primò quia ab eodem termino à quo, corde ſcilicet, per eaſdem arterias, & in eaſdem partes mouentur ſpiritus vitales, & ſanguis: Ergo ab eiſdem mouentur facultatibus.

Secundò. In venis ſanguis, & ſpiritus vitales, qui illi commixti ſunt, feruntur ab expellente, & attrahente: Ergo ab eiſdem mouentur in arteriis.

Tertiò. Spiritus vitales per arterias, vel mouentur ab eiſdem facultatibus, à quibus mouetur ſanguis; vel à vitali facultate per ſyſtolem, & dyaſtolem: ſed ab hac non: Ergo ab eiſdem à quibus ſanguis mouetur. Probatur minor: Tum quia dyaſtole, & ſyſtole fiunt à ſanguine intra arterias ab impellente ſanguine intra illas contento, à quo impeditur ſpirituum motus: Tum 2. quia in dyaſtole attrahitur verſus circumferentiam, in ſyſtole verſus centrum: ſpiritus petunt moueri verſus longitudinem arteriæ: Ergo non mouentur per ſyſtolem, & dyaſtolem.

Pro Reſolutione notandum: Quòd arteria ratione ſuæ conformationis habet quemdam tenorem; intra quem fit cauitas, & vltra quem eſt quædam latitudo, intra quam mouetur, vltra quam nequit progredi naturaliter; niſi à violentiſſima cauſa protrahatur, quod idem contingit in corde, quòd in palpitatione, hos progreditur terminos, & vt obſeruauit Fernelius egrediens ab iis terminis viſum eſt frangere coſtas, ad quas non peruenit ſine violentâ cauſâ, nec ipſum, nec auriculæ eius: ſimiliter intra latitudinem proprij tenoris arteria varias elicit motus differentias, mediis quibus mouentur vario modo ſpiritus vitales, & aër pro attemperatione partium attrahitur.

Reſoluendum: Quòd ſpiritus vitales mouentur per arterias mediis ſyſtole, & dyaſtole: ſic tenent omnes Dogmatici, qui artem ſphygmicam percalluerunt.

Probatur: In arteriis duæ reperiuntur ſubſtantiæ, quæ petunt per illas moueri ſanguinem, & ſpiritus vitales: ſed pro ſanguine mouendo ſunt deſtinatæ, vt probauimus, Expellens, & Attrahens Facultates gradus vegetatiui: Ergo ſpiritus petunt moueri a vitali facultate: Patet conſequentia, quia alias hæc facultas fruſtra eſſet indita arteriis.

Probatur. 2. Spiritus vitales non ſolùm mouentur à corde verſus reliquas partes, ſicut mouetur ſanguis per arterias: ſed contrario etiam motu verſus ipſum cor, vt in animi paſſionibus eſt manifeſtum: Ergo non mouentur a Facultatibus ſanguinem mouentibus, ſed à facultate vitali valente hos contrarios elicere motus, per ſyſtolem, & dyaſtolem.

Probatur 3. Spiritus non mouentur verſus cor, aut verſus reliquas partes ſemper & eodem motu, ſed pro vſu, & indigentia, ita vt ferantur ad ventriculum, dum abundat alimento, pro illius coctione; ad caput pro actionibus Rectricum eliciendis, dum intẽriori modo eliciédæ ſunt: ſed ſola vitalis facultas loco-motiua inſidens in arteriis, & corde, pro vſu, & indigentia illos mouere poteſt, facultates enim naturales, naturali modo operantur: Ergo ſpiritus vitales in arteriis à vitali facultate pulſifica mouentur.

Probatur 4. Facultates Gradus vegetatiui loco-motiuæ, à corde in partes nutriendas mouent, neceſſario, vniformi & ſemper ferè proportionali motu; ſed ſpiritus vitales inordinato motu, irregulari, & improportionato mouentur ſæpe ad partes internas, ſæpe ad externas, plerumque vibrato motu ad vtraſque, vt in ira tremore, & aliis animæ paſſionibus contingit: Ergo non à facultatibus ſanguinis locomotiuis mouentur, ſed à vitali facultate, ſyſtole & dyaſtole, valente hos motus improportionatos elicere.

Ad 1. Reſpondetur: Quòd licet per eaſdem vias, non mouentur ſpiritus vitales ob eundem finem, ac ſanguis; hic enim in partes fertur propter earum nutritionem, & ſemper ferè proportionali motu; & ideo à facultatibus naturalibus Concoctrici, & Nutritiuæ, ac Auctrici deſeruientibus; ſpiritus verò vitales mouentur, vt omnibus partibus tribuant temperiem, quæ in illis requiritur pro vegetatiuis, aut ſenſitiuis actionibus; & ideò indigebant moueri non modo naturali in illas, ſed pro vſu & indigentia; & ideò à vitali Pulſificâ, quæ ſic valet mediis ſyſtole & dyaſtole eos mouere.

Ad 2. Reſpondetur: Quòd aliqui ſpiritus vitales ſunt intra arterias, & in venis commixti ſanguini, vt conſeruent illius calorem; & iſti fiunt quaſi illi commixti, & mouentur ab eiſdem facultatibus, à quibus mouetur ſanguis; alij ſunt ſpiritus vitales intra arterias, extra ſanguinem, deſtinati vt à corde in partes, & è contra moueantur, pro impartienda vnicuique temperie requiſitâ pro ſuis actionibus; & huiuſmodi ſpiritus ſolùm reperiuntur in venis, & in illis mouentur à ſola vitali facultate.

Ad 3. Reſpondetur pro 1. probatione: Quòd arteriæ, vt probabimus *ſectione ſequenti*, mouentur à vitali facultate, non impulſu ſanguinis: Tum pro 2. Quòd compreſſione feruntur per arterias ſpiritus ſecundùm longitudinem, & dilatatione attrahuntur etiam verſus cor modo infra dicendo.

SECTIO II.

De Sphygmica artis Phyſiologia.

PArs Diagnoſtica, Prognoſtica, & Curatiua, totius medicinæ adimpleot latitudinem: pro omnibus Ars Sphygmica vtilis, & neceſſaria: conducit enim pro morborum diagnoſi, ex qua prognoſis deducitur, & pendet curatio. Illius Phyſiologiam proſequemur in hac Sectione.

RESOLVTIO PRIMA.

Vtrùm ſit Medico neceſſaria Sphygmica Ars?

VIdetur quòd non: Primò quia Hippocrates, de quo inquit Galenus, quòd eſt Parens omnium ſcientiarum: quique præcipuè omnes Medicinæ partes neceſſarias docuit, & elaborauit, Sphygmicam eius partem omiſit; 3. *enim de criſibus cap. vlt.* & 1. *Epidem. p.* 3. *comm.* 18. ſcribit Galenus ſigna ex pulſibus deſumpta non fuiſſe aſſequutum Hippocratem: Et *lib. de Præcognit. ad Poſthumum*; dicit *non attigiſſe ſcientiam de pulſibus*; Illo poſteriores eam tradidiſſe, & fatetur omiſiſſe illam Hippocratem, vel quia non cognouit illam, vel quia iudicauit non eſſe magni momenti: ergo non eſt Medico neceſſaria.

Secundò: Pro cognoſcendis morbis, & prædicendis eorum euentibus, ſunt plura alia ſigna in arte Medica, æque vtilia ac pulſus; ſed ſub Medicina non eſt peculiaris Ars, quæ agat de illis: Ergo Ars Sphygmica eſt inutilis Medico.

Tertiò; Pulſus, ſeu arteriarum motus fit à ſanguine à corde per arterias propulſo; ex quo nulla alia cognitio poteſt deſumi, niſi quod in maiori, aut minori quantitate propellatur à corde: Ergo non eſt Medico neceſſaria illius ſpeculatio.

Reſoluendum: Quòd Artis Sphygmicæ cognitio eſt neceſſaria Medicis: ſic poſt Hippocratem receperunt omnes Dogmatici.

Probatur 1. ex Hippocrate, qui ex eodem Galeno *lib. de differ. pulſuum cap.* 2. primus inter omnes pulſui nomen impoſuit: Et 4. *de dignot. pulſuum*, aſſerit Hippocratem operam dediſſe in indagandis pulſuum differentiis. Et *in lib. de alimento, in fine*; ipſe Hippocrates de pulſu loquitur dicens, *venarum pulſationes, & reſpirationes; ſpiritus iuxta ætatem: & conſonantia, & diſſonantia ſunt & morbi, & ſanitatis ſigna.* Aliqua licet properanter de pulſu etiam protulit *lib. de humoribus*; *Et de Rat. victus acut.* 26. *lib.* 1. *prænotion.* Ex pulſu perturbationem indicari dixit: *In coacis* 81. *Et venarum pulſationum meminit*; *Et lib.* 2. *Epidem.* 6. Tum 2, quia poſtquàm Hippocrates pulſus cognitionem inchoauit, celeberrimi Antiquorum in Arte Sphygmica perficienda deſudarunt. Heraclides Tarentinus, Alexander Philalethes, Demoſthenes Philalethes, Bacchus, Ariſtoxenes, Zenon, Chriſermus, Heraclides, Erithæus, Agatinus, Archigenes Magnus, Athenæus, Aſclepiades, Moſchio Corrector cognominatus, Praxagoras, Eraſiſtratus, qui eius demonſtrarunt neceſſitatem: Tum quia Galenus *lib. de præſagit. ſeu de pulſibus ad Tyrones*: *In lib. quatuor de different. pulſuum*: *In lib. quatuor de dignotione pulſuum*: *In lib. quatuor de præſagitione ex pulſibus*: Sphygmicæ Artis præſtantiam, vtilitatem, & neceſſitatem demonſtrat: Tum quia Auicenna & omnes eius Commentatores, Galeno adhærentes ſatis fatentur huius artis neceſſitatem; nec non ex Iunioribus Ioſephus Structius, Nauartus, Santa-Cruz, Mercatus, aliíque quamplures ex Recentioribus, qui illam ſuis ſcriptis illuſtrarunt: Tum quia Medicus per artem ſphygmicam cognoſcit corporis diſpoſitiones, & diſtinguit temperiem naturalem, ab intemperiebus præternaturalibus: In febribus diſtinguit, præcipuè tempora particularia per pulſum; ex ipſo, euentus morborum præuidet, & diſtinguit; quoſcumque affectus vniuerſales cognoſcit; ſimul & morborum percipit malignitatem: Ergo Sphygmica Ars Medico eſt neceſſaria.

Ad 1. Reſpondetur quòd Hippocrates licet non perfecerit Artem Sphygmicam, plura protulit ex quibus conſtat eum ipſam percalluiſſe, & forſan temporum iniuriâ, ſi ipſam elaborauit, perierunt eius commentaria; & licet ipſam non cognouiſſet, deberet vt vtilis admitti ob rationes poſitas.

Ad 2. Reſpondetur quòd pulſus dignotio vtilior eſt pro dignotione & prædictione, quàm reliqua ſigna, & ideò peculiarem artem circa illam conſtituerunt tot præclari viri, quam tandem in culmen euexit Galenus, licet non præſtantiori claritate quàm Antiquiores.

Ad 3. Reſpondetur quòd pulſus fit à vitali facultate, & ex eius differentiis ſequuntur varij ſpirituum vitalium motus, aliíque conſequuntur fines intenti.

RESOLVTIO II.

Vtrùm pulſus definitio à Galeno tradita, ſit admittenda?

ARiſtoteles *lib. de vita, & morte*, pulſum dicit eſſe inflationem humidi calefacti: Haruei ſectatores iudicant eſſe arteriarum motum ab humoribus è corde per ipſas propulſis cauſatum: Auicenna *fen.* 2. 1. *d.* 3. *cap.* 1. dicit quod eſt motus receptaculorum ſpiritus ex ſyſtole, & dyaſtole compoſitus ad regendum ſpiritum per aërem attractum: Galenus 4. *de different. pulſuum*; *cap.* 2. dicit quòd pulſus eſt motus inuoluntarius, ſenſibilis in quibuſdam partibus animalium ſanguine præditorum, quiete media interſciſſus. Ibidem iterum tradit eſſentialem pulſus definitionem dicens quòd eſt, Actio peculiaris cordis, deinde arteriarum, ex dilatatione, & compreſſione, quæ mouentur à facultate vitali, quò caloris natiui mediocritas retineatur, generentur autem in cerebro ſpiritus animales. De hac definitione dubitatur; videtur quòd non ſit admittenda, Primò quia particula, *Actio*, non eſt immediatum genus pulſus, ſed motus, vt Ariſtoteles docet, *lib.* 7. *phyſicorum cap.* 2. Et idem docet definitionem debere dari per proximum genus: Tum 2. particula *Peculiaris*, eſt falſa; pro vitæ enim conſeruatione ita neceſſariæ ſunt reſpiratio & nutritio, ſicut pulſus: Galenus enim *lib.* 1. *de vſu partium*, dicit quòd ſi reſpirationem adimas, illicò mortem inferes. Ariſtoteles dicit quòd animal viuere, & non reſpirare impoſſibile eſt; & de nutritione *lib. de morte, & vita*. protulit, quòd tamdiu viuimus, quamdiu nutrimur: Tum 3. Particula, *ex dilatatione & compreſſione*, inuoluit contradictionem: nulla enim eſſentia completur per

oppoſitas

oppoſitas rationes ; dilatatio,& compreſſio ſunt rationes A oppoſitæ. Tum 4. quia pulſus dicrotus eſt vere pulſus;caret tamen compreſſione, vt docet Galenus *lib. de diff. rent. pulſuu n*:Tum 5. Particulæ exponentes cauſam finalem, ſunt diminutæ,cum ſolas cauſas extrinſecas , non verò intrinſecas explicent: Tum 6. quia ex cauſis extrinſecis, proximæ potius quam remotæ deberent explicari, in definitione autèm tantùm explicatur remota, ſcilicet ſpiritum animalium generatio.

Reſoluendum quòd definitio tradita à Galeno completè explicat Pulſus naturam : ſic tenent Auicenna, & eius diſcipuli, Mercatus, Santa-Cruz, Structius, Nàuatrus, & alij quamplurimi.

Probatur 1. Traditur enim hæc definitio modo metaphyſico per genus, & differentiam : eſt enim B *Actio* compreſſione, & diſtenſione facta, proximum genus pulſus, ſub quo comprehenduntur omnes actiones, ſeu motus locales in corpore facti compreſſione, & dilatatione, qualis eſt reſpiratio, & motus cerebri, ac fibrarum quæ excluduntur, quia non ſunt motus cordis, & arteriarum, nec facti à vitali facultate, nec propter finem propoſitum in definitione.

Probatur 2. & manifeſtatur bonitas definitionis; traditur enim per quatuor genera cauſarum:Formalis ſtat in hoc, quòd ſit Actio compoſita ex duplici motu, ideò differt,a quacumque alia actione locali ſimplici : Cor, & arteriæ habent rationem Cauſæ Materialis, in quibus recipitur actio : Quòd fiat à C Facultate vitali, explicat cauſam efficientem:Quòd fiat propter generationem ſpirituum vitalium, denotat finalem pulſus cauſam.

Probatur 3. explicando definitionis particulas. Particula *Actio*,primò quo motus pulſus eſt operatio elicita à corde,& arteriis,non prouueniens ab extrinſeco ; ex Galeno enim *lib. de Placitis cap.* 2. Actio dicit motum, ſeu actionem effectiuam, quæ ex ſe procedit ; effectus dicit motionem ab alio,qualis eſt cor is p. lpitatio.Secundò vniuerſalitatem requiſitá ad amplectendas omnes partes pulſus, ſub actione enim comprehenduntur ſyſtole,& dyaſtole,& quies interna, & externa, quæ nequeunt dici motus. D

Particula *Peculiaris*,ab Auicenna omittitur.Mercatus pulſum dicit vocari actionem peculiarem, quia ſoli cordi, & arteriis eſt propria;ſed iraſcibilis, & concupiſcibilis ſic poſſent cordi peculiares dici, in illo enim tantùm reperiuntur. Santa-Cruz dicit, quod pulſus dicitur Actio peculiaris cordis, quia modus motus, ſcilicet compoſitus ex ſyſtole, & dyaſtole accidit ſoli cordi,& arteriis ; ſed diſplicet, cùm cerebrum, & pulmones ſimili moueantur motu. Ioſephus Structius, & Ioannes Baptiſta Cortés, dicunt pulſum vocari actionem cordi peculiarem, quia in nulla alia parte reperitur ſimilis actio ; ſed ſimili modo iecoris actio aut cerebri peculiaris diceretur, quia in nulla alia parte ſimilis fit actio. E Peculiaris tamen hæc actio dicenda;quia ad vitæ conſeruationem nulla ita in corpore apparet neceſſaria.

Particula *Præcipue cordis , deinde arteriarum*, demonſtrat ſubiectum,in quo inhæret facultas vitalis, & à quo inſtrumento elicitur vitalis pulſifica actio; & in quo recipitur.

Particula *Qua dilatatione , & compreſſione mouentur*, ſpecificam differentiam pulſus conſtitutiuam proponit : per quam determinatur eius ſpecies ſub motu locali ; docet enim Ariſtoteles *lib. 7. Phyſicor. cap.* 2. ſeptem eſſe ſpecies ſub motu locali, quarum pulſus eſt motus ad ſe vel ad aliud : ſimiliter denotatur ſimilitudo pulſus cum cœlorum motu, qui fit etiam ab eodem in idem, vt inquit D. Thomas, *Opuſculo de motu cordis*, & per totum vitæ decurſum,ita vt ſi deficiat per ſpatium trium pulſationum, perit animal, vt teſtatur Galenus *lib. 2. de præſagat. ex pulſibus cap.* 4.

Particula. *A Facultate vitali*,denotat cauſam efficientem pulſus, & excludit reliquos cordis motus factos a præternaturali alia cauſa, qualiter fit palpitatio,vocatque vitalem hanc facultatem,quia operatur eleuatiori modo ſupra facultates gradus naturalis,& quia ſpeciali modo conducit ad vitæ conſeruationem, Impartiendo calorem,medio quo conſeruatur temperamentum,quod quaſi Animam aliquando iudicauit Galenus vt in *lib.* quod *An animi mores corporis temperaturam ſequantur*,& in *lib. 6. Epidem. ſect. 5. text. 5.* licet minus attente hoc proferat.

Particula : *Vt caloris natiui mediocritas retineatur*, explicat finalem pulſus cauſam ; & quòd pulſus à Natura datur animali, vt natiuus calor medio illo conſeruetur in ea proportione, quæ requiritur pro vitalibus eliciendis actionibus.

Particula:*Et vt generentur ſpiritus animales in cerebro*, complet finalem cauſam,non enim ſolùm deſeruit pulſus, vt omnibus partibus impartiatur calorem prò conſeruanda temperie requiſita ad proprias actiones vitales, ſed etiam vt illos immittat in cerebrum,vt præſtent materiam in illo ; ex qua fiant ſpiritus animales.

Ad rationes dubitandi Reſpondetur : Tum pro 1. Quòd, vt docet Ariſtoteles *lib. 6. topicorum cap.* 5. non eſt vitioſa definitio tradita per genus remotum, ſi contrahatur per differentias proximas, qualiter contingit in pulſus definitione tradita à Galeno, vt patet ex eius explicatione:Tum pro 2. Reſpondetur quòd nutritio non ita eſt peculiaris pro vitæ conſeruatione ſicut pulſus, qui impartiendo calorem vnicuique parti, tribuit inſtrumentum ſine quo nequit operari Nutritiua Facultas, neque vita conſeruari : Si ſpatio trium pulſationum pulſus deficiat perit animal,inquit Galenus ; non tamen ita breuiter ſine actione Nutritiua : cum valeat per plures dies animal ſine cibo conſeruari :Tum pro 3. Quòd entitas ſimplex metaphyſica non completur per oppoſitas differentias ; bene tamen entitas compoſita, vt tepidum, quod completur ex calore, & frigiditate remiſſis : ſic corpus temperatum ad pondus, ſic motus factus ad ſe,& ad aliud : Tum pro 4. quod in pulſu Dicroto datur eſſentialis ratio pulſus, quæ completur in ſyſtole, & dyaſtole, quarum licet altera non ſit adimpleta, ſufficit pro eſſentiali pulſus ratione : Tum pro 5. Quòd licet pulſus in ratione genericâ motus localis, ab vbicatione tanquam à termino intrinſeco, in eſſe talis motus ab Authore Naturæ ordinati in viuentis conſeruationem, habet pro termino ſpecificatiuo,quem Galenus aſſignauit: Tum pro 6. Quòd neceſſitas generandi ſpiritus vitales comprehenditur per particulam vt conſeruetur calor innatus, qui mediis illis conſeruatur.

Resolutio III.

Vtrùm Pulſus fiat ab aliqua facultate cordi, aut arteriis inhærente?

ARiſtoteles *lib. de vita, & morte*,cor & arterias tenet moueri à feruore ſanguinis ; Turiſanus Monachus *Comment. 35. in artem paruam*, Ariſtoteli adhærens ſuperaddit quòd ſanguis continuò effluen-

fluens ad cor vt generentur ſpiritus vitales; calefit ab illo, per calefactionem eleuantur vaporea, qui eleuant cordis partes, & partes arteriarum, quæ poſtea proptio pondere comprimuntur. Harueus, Higmorus, Coringius, & reliqui admittentes ſanguinis circulationem, tenent cor moueri a facultate vitali, quæ per dilatationem attrabit ſanguinem ab auricula dextri ſinus io ipſum; compreſſione pellit ex ſiniſtro ſinu in Aortam; à quâ eodem impetu propellitur ſanguis per reliquas arterias, vnde cordi admittunt inhærere vitalem facultatem vt ſyſtole, & dyaſtole moueatur ad attrahendum, & expellendum ſanguinem ab illo: Arteriis tamen non inhærere dicunt, ſed earum motum fieri à ſanguine propulſo à corde in ipſas, dum fit dyaſtole; à propriâ grauitate, ſeu proprio pondere iudicant ſyſtolem fieri, quorum refellimus opinionem *ſect. 1. Reſolut. 11.* Specialiter cum Antiquioribus pugnabimus in hac reſolutione, quorum hæc poſſunt eſſe fundamenta.

Si aliqua eſſet aſſignanda facultas, à quâ fieret pulſus, hæc deberet eſſe loco-motiua animalis, quæ petit fieri præcedente cognitione; ſed pulſus non fit præcedente cognitione: Ergo non fit à facultate aliqua vitali cordi, & arteriis inhærente.

Secundò, Si eſſet facultas vitalis in corde, & arteriis, loco-motiua, & pulſum efficiens, hæc deberet reponi inter facultates vitales, & à Galeno annumerari *in lib. de naturalibus facultatibus*, vbi agit de omnibus illis ſed non annumerat facultatem pulſificam: Ergo hæc non debet admitti inter facultates vitales.

Tertiò, Generatio ſpirituum vitalium fit continuo à corde: Ergo pulſus ordinatus poteſt fieri continuò. Patet conſequentia, quia continuo fit ſanguinis calefactio, rarefactio, & eleuatio vaporum; à quibus continuò, & ordinatè poteſt arteria ſurſum moueri, & poſtea a proprio pondere coarctari.

Quartò: Si pulſus fieret ab animalis facultate inſita cordi, & arteriis, nequiret ab ipſa cor moueri, niſi anima informaretur, quia facultates vitales cum ſint propriæ paſſiones animæ, nequeunt ſine illa reperiri, ſed cor viſum eſt pulſare extractum à corpore, vbi nequit anima informari, vt patet ex Galeno *lib. de placitis cap.* 6. vbi docet quod exemptum ex omnibus viſceribus animalis aliquando ſuam virtutem ſeruat: & Auicenna *ten. 1. 1. d. 3.* dicit, *& ex virtute vita cordis eſt, quoniam quo aufertur ex animali, inijci & pulſare vſque ad horam.*

Reſoluendum: Quòd pulſus elicitur efficienter à facultate vitali pulſificâ inhærente in corde, & arteriis. Sic deducitur ex Hippocrate; docuerunt Galenus, Auicenna, & omnes qui Artis ſphygmicæ doctrinam elaborarunt.

Probatur 1. ex Hippocrate qui hanc doctrinam primus obumbrauit *lib. de alimento textu 34. & 35. §. facultas quodammodo eſt vna, & non vna, quâ omnia hæc gubernantur, &c.* vbi Hippocrates de vitali facultate loquitur, quæ licet eſt vna, videtur non vna, quatenus contrarios motus elicit; omnia tamen gubernat medio calore per ſpiritus communicato: Tum manifeſtè docetur à Galeno qui in definitione tradita dicit. Quòd pulſus fit à facultate vitali: Tum ex Auicenna, qui vitalis facultatis neceſſitatem latiſſimè docuit.

Probatur 2. ex D. Thoma *opuſculo 35. de motu cordis*, vbi contra Turiſanum demonſtrat pulſum debere fieri à facultate vitali, ſic: *Motus cordis eſt naturalis animali calidiſſimo ſecundùm ſuam formam informantem peculiariter cor. Ergo neceſſarium eſt quòd principium talis motus ſit in corde, quia eſſe mo-* A *tum naturalem tali enti, & habere principium illius conuertuntur.* Tum ſic; ſed principium naturale cuiuſlibet motus debetur ſecundùm exigentiam formæ, vt virtus, aut potentia ipſius: Ergo virtus pulſifica eſt facultas orta à formâ cordis.

Probatur 3. facultas electiua motus inter facultatea gradus ſenſitiui annumeratur: Ergo pulſus fit à vitali facultate; non autem à feruore ſanguinis, aut ab ipſo ſanguine à corde per arterias propulſo: Probatur Antecedens ex D. Thoma, *Opuſculo, 43. de potentiis*, vbi diuidens potentias loco-motiuas gradus ſenſitiui, dicit quòd earum alia eſt loco-motiua naturalis, alia animalis: naturalis, ſenſitiua dicitur, quæ non mouetur per apprehenſionem, nec eſt ſubdita B imperio rationis: & talis, inquit, eſt virtus vitalis, ſeu Pulſifica. En qualiter pro pulſu efficiendo conſignat vitalem facultatem loco-motiuam ſub gradu ſenſitiuo; quam vocat naturalem, quia naturalibus loco-motiuis eſt ſimilis, quia non operatur ſubditâ imperio rationis.

Probatur 4. Pulſus eſt motus localis, regularis, & ordinatus in ſuis motibus, & quietibus iuxta exigentiam vtilitatis animalis: Ergo petit fieri à principio localiter mouente, & regulariter operante; ſed partium eleuatio à vaporibus a calore eleuatis, non eſt principium vniforme, regulare; & ordinatum: Ergo tale principium debet eſſe vitalis facultas à Natura in hunc finem conſignata. Patet conſequen- C tia, quia in fines à Naturâ conſignatos, ab eadem conſignatur facultas valens operari pro illis.

Probatur 5. Pulſus eſt motus viuenti naturaliter debitus ad conſeruationem natiuæ, & naturalis temperiei, ſine quâ nequit animal conſeruari: Ergo debet elici à facultate illi in hunc finem congenita. Patet conſequentia, quia qui dat formam, dat conſequentia ad formam & illius conſeruationem: fruſtra enim produceretur calidiſſimũ animal, ſi non ſimul tribuerentur illi facultates conſeruatiuæ illius.

Probatur 6. Neque calor, nec raritas, nec leuitas valent pulſum efficere: Ergo eſt admittenda facultas, à quâ fiat. Probatur Antecedens, quia calor habet rationem cauſæ finalis; ordinatur enim pulſus D ad illius conſeruationem: Tum ſi arteriæ ob ipſum pulſarent, etiam vena caua, & arteria venalis in quibus calor intenſus reperitur, pulſarent: Tum quia arteriæ prope cor magis pulſarent, quia habent intenſiorem calorem; & ideò non eſſet vniformis omnium arteriarum motus, cuius contrarium experientiâ demonſtrat Galenus: Tum quia ſpiritus mouentur per pulſum diuerſo modo iuxta varias differentias, quas diuerſi fines petunt: feruor autem nec vapores abſque facultate vitali valerent varias illas ponere differéntias.

Probatur 7. ſi a feruore ſanguinis fieret dilatatio, non eſſet poſſibilis compreſſio: Ergo fit ab aliqua facultate. Probatur Antecedens: ſemel dilatata arteria E per vapores, vel per humores à calore rarefactos. vt dicebat Turiſanus, non poſſet comprimi arteria, niſi remitteretur calor ab aëre attracto; ſed aër nequiret ingredi, dum arteria eſt plena; quia non eſt admittenda penetratio: Tum quia denſitas vaporum, vel humorum non poteſt fieri niſi præcedente alteratione, & poſtea motu locali partium à circunferentiâ ad centrum: in tam breui autem tempore quale intercedit inter dilatationem & contractionem; non poſſunt tot actiones perire, cum motus inter contraria debeat fieri ſucceſſiuè.

Reſoluendum 2. Quòd eadem, quæ cordi, ineſt quoque arteriis facultas. Sic ſtatuo contra Harueum & ſuos Sectatores.

Proba

Probatur 1. Motus cordis, & arteriarum ſunt à Natura determinati in eumdem finem, vt ſcilicet fiat ſanguinis circulatio, vt tenet Harueus, & vt ſpiritus in partes omnes cordis ferantur, vt tenet Antiquorum doctrina: ſed in hunc finem in corde Antiquiores, & Harueus admittunt Pulſificam Facultatem: Ergo illam debent admittere in arteriis.

Dices: Quòd in corde non eſt à quo moueatur ſanguis, niſi ab ipſa facultate pulſifica cordi inhærente: in arteriis autem mouetur ſanguis propulſus à facultate quæ eſt in corde, ſine facultate inhærente in illis.

Contrà ſtat: Omnes arteriæ ſimul, & in eodem tempore dilatantur, & comprimuntur, vt ſenſu percipitur, & conuincit Galenus; ſed à ſanguine propulſo non poſſunt ſimul, & pro eodem tempore arteriæ dilatari, & comprimi: Ergo dilatantur, & comprimuntur à facultate illis inhærente. Probatur minor: Tum quia ſi ab impulſu primò circa cor moueretur ſurſum arteria, & paulò poſt quæ proximior eſt, & paulò poſt quæ ſubſequitur, & ſic ſucceſſiuo tempore; dum huiuſmodi motus perueniret ad pedes, iam concidetent arteriæ antecedentes, & motus arteriarum eſſet in diuerſis temporibus, & mutuo ſe impedirent: Tum quia cor impellit ſanguinem, ſanguis impulſus mouet localiter vicinum, & ſic vſque ad extremas partes: huiuſmodi autem localis motus ſanguinis, nequit fieri vſque ad extremas arterias, interim dum fit dilatatio, & idem inconueniens impedit in ſecunda dilatatione, & ideò nunquam ſanguis impulſus faciet pulſationem in arteriis longè à corde diſtantibus: Tum ſi per brachium manus percurrat, licet celeriori motu, ac poteſt ſanguis moueri, antequàm brachium percurrat, ſentiuntur in pulſu plures dilatationes; ex quo patet, quòd nequit ſanguis ſub vnaquaque dilatatione ferri per omnes arterias, vt illas moueat verſus circumferentiam: Tum quia ſi ab impulſo ſanguine fit dilatatio, dum ſtatim ſuperuenit compreſſio, in pulſu crebro, & celeri, ceſſant motus in medio itinere, & ſimili modo, in ſubſequenti dilatatione: Ergo arteriæ diſtantiores à corde non pulſarent, quòd manifeſtè eſt contra experientiam.

Probatur 2. Si detur Aneuriſma in collo, cum ſanguis feratur ad illud, arteriæ non pulſarent in pede, ſed pulſant eodem modo, ac pulſabant ante Aneuriſma: Ergo non mouentur ab impulſo ſanguine, aliàs remitteretur motus.

Probatur 3. Sanguis propulſus nequit ponere multiplices, variaſque pulſus differentias, quæ in pulſu reperiuntur pro diuerſis vſibus; cum ſemper eodem modo propelleretur; Ergo admittenda eſt Facultas in arteriis a quâ ponantur.

Probatur 4. Pulſus operatur pro fine, & pro vſu, & indigentia; motus ex impulſo ſanguine communicatus fit naturali modo ab impulſu communicato: Ergo pulſus à facultate arteriis inhærente fit.

Probatur 5. Sanguis propulſus à corde ſolùm mouetur ab illo in arterias; ſed arteriarum motus, vt patet in paſſionibus animæ, ponuntur, vt ſanguinem moueant verſus cor, & à corde in partes, diuerſo modo: Ergo fit à facultate in arteriis inhærente.

Ad 1. Reſpondetur, quòd vt patet ex D. Thoma 1. *part. quæſt.* 18. *art.* 1. in corpore facultas vitalis generice ſumpta, alia eſt perfectior, quæ elicit motum præcedente cognitione, alia imperfectior, quæ ſine præcedente cognitione operatur, vt quæ in fibris reperitur, in corde, & arteriis, & in cerebro, quòd latius patet *ex opuſculo 46. de potentiis*, vbi inter potentias loco-motiuas gradus ſenſitiui, ponit ali-

A quas potentias loco-motiuas gradus ſenſitiui Ariſtoteles, ſolùm meminit perfectarum, in quibus adducit exemplum; quia notiores.

Ad 2. Reſpondetur, Quòd Galenus *lib. de naturalibus facultatibus.* De pulſifica non agit, quia de illa tanquam in proprio loco acturus erat *lib. de pulſibus*, vbi illam vocat vitalem.

Ad 3. Reſpondetur: Quòd licet à feruore ſanguinis eleuati, vapores poſſent diſtendere arteriam, non tamen poſſent poni variæ differentiæ, quæ in motu earum ponuntur pro vſu, & indigentia, & conſeruatione animalis.

Ad 4. Reſpondetur: Quòd motus factus à corde extracto ab animali non eſt pulſus, ſed palpitatio facta ab ſpiritibus, & ſanguine, qui confluxerunt B in cor, ob metum. Nos autem inquirimus cauſam, motus proprij cordis, & arteriarum, qui non fit à violento principio.

Resolvtio IV.

Vtrùm Facultas Pulſifica ab extrinſeca vitalitate ſit peculiariter vitalis?

DVpliciter facultas vitalis poteſt dici; vel ab intrinſeca vitalitate, quæ illi ineſt, quatenus eſt C principium intrinſecum, & coaptatum cum anima conſtituta in determinato gradu vitæ, vt ſit ratio, & immediatum principium operandi actiones determinatas ſub illo gradu vitæ; de quâ vitalitate, an & qualis competat pulſificæ facultati, diſputabimus infra. Alio modo poteſt ſuperuenire potentiæ vitalitas ab extrinſeco, ſeu denominatio quædam extrinſeca vitalitatis, ratione finis, quatenus ordinatur ad vitæ conſeruationem; ſic ſpiritus à corde geniti vitales dicuntur, & Hippocrates *lib. de morbis n.* 107. mutum appellat vitalem, Ariſtoteles *lib. de communi animalis motu cap.* 4. dicit cor moueri, quia habet vitalem humiditatem.

D Animal prout mixtum, mixtam petit diſpoſitionem omnium qualitatum; prout viuens præcipuè indiget calore, qui maximè neceſſarius pro actionibus præcipuè vegetatiuis, vt docet Hippocrates *lib. de natura humana* 9. 12. Ariſtoteles *lib. de vita, & morte.* D. Thomas *ibid. lect.* 4. idem Ariſtoteles *lib. de longitudine, & breuitate vitæ*, & *ibidem* D. Thom. *lect.* 3. Galenus idem docet. 1. *Aphoriſm. comment.* 15. *lib.* 3. *de ſimplic. medicam. facult. cap.* 6. *lib. de marcore cap.* 3. *lib. de vſu pulſuum*: præcipue Ariſtoteles *lib. de vita & morte*, ſic protulit: *Dictum eſt prius, quòd viuere & ipſum animæ actus, non eſt niſi cum quadam caliditate, coctio ſiquidem per quam alimentum animalibus praparatur, ſine anima, aut calore non conſicitur: igne namque omnia operantur.* Idem repetit paulò E infrà; *& lib. de partibus animal.* 2. Inquit, *Quod enim nonnulli ſtatuunt, tunc animam eſſe ignem, aut aliquam huiuſmodi vim, meliùs fortaſſe dixeris animam in quodam huiuſmodi corpore conſtare, cuius rei cauſa eſt, quia ad exercenda Animæ opera calor omnium maxime adminiſtrandi vim habet: Animæ officium eſt alere, & mouere; hæc, eâ ipſâ facultate maximè efficiuntur.* Sed nullam inhærere cordi facultatem peculiariter vitalem, vitalitate extrinſeca ſeu in ordine ad vitæ conſeruationem ſuadet: Tum 1. quòd Anima informat omnes corporis partes: Ergo partes nullo ad vitam indigent ſubſidio, à corde.

Dices: Quòd Facultas hæc non dicitur vitalis, quia

quia dat partibus viuere, ſed quia communicat diſpoſitionem vitæ conſeruatiuam.

Contra. Ab eadem anima informante quaſlibet partes producitur in vnaquaque diſpoſitio ſui conſeruatiua: Ergo non indigent à corde illam recipere. Tum 2. Ita neceſſariò pendent partes à cerebro, pro ſuis operationibus ſenſitiuis, ſicut à corde, & ideò cordis facultas nequit eſſe vitalis peculiariter: Tum 3. quia partes frigidæ noſtri corporis potiùs intēperie extranea corripiuntur, à cordis calore recepto in illis, quàm conſeruantur; vnde non eſt ob illas, cordis facultas vtilis: Tum 4. facultas nutritiua magis neceſſaria eſt ad vitam, quam influens calor, quæ cum à corde non communicetur, non erit in corde facultas peculiariter vitalis: Tum 5. Reſpiratio magis neceſſaria eſt ad vitæ conſeruationem; cum ſine illa ſtatim deficiat animal ex Galeno *lib. 1. de vſu partium*: Ergo non datur in corde facultas peculiariter vitalis, id eſt vitæ conſeruatiua.

Reſoluendum 1. Quòd facultas vitalis peculiariter dicta, quia immediatè attingit & reſpicit vitæ conſeruationem, reperitur in corde, ſic ſtatuimus *Reſolut. Medic. P. 1. Diſp. 9.* Tenet Fernelius *lib. 2. phyſiol. c. 6.* Saluus Sclanius *lib. 2. artis medicinalis.*

Probatur ex Hippocrate, *lib. de corde, n. 44. §. Hi ſunt humanæ Naturæ fontes; hincque flumina per corpus diſtribuuntur, quibus tota eius moles irrigatur; atque hi vitam homini conferunt*: & Galenus *lib. 9. meth. cap. 10. lib. 2. de placitis Hippocrat. & Plat. c. 5. lib. 2. Acutor. comm. 16.* idem docet & Auicenna *fen. 1. doct. 6. §. vitalis verò virtus eſt quâ ſpiritus conſeruantur, & facit illos potentes dandi vitam, vbicumque expanduntur.* Tenet Gentilis in Auicennam; inquit enim: *Alio modo poſſumus intelligere virtutem vitalem eſſe receptam in omnibus membris, quantum ad effectum ipſius, qui eſt dare vitam, & hoc modo reperta eſt in omnibus membris tranſmittendo ſpiritus à corde, cum quo conſeruantur etiam membra in eſſe animato*: Tum Angeſtus *lib. de Animæ proprietatibus* docet, quòd influxus cordis eſt à Deo, quia conſeruat animam conſeruatione diſpoſitiua: Tum quia licet anima informet corpus; & pullulet in vnaquaque parte corporis propria diſpoſitio conſeruatiua illius, ab ipſa, ſeu à generante producta, nequit calor omnino neceſſarius ad actiones, cum ab ambiente frigido continuo remittatur, conſeruari, niſi à calore continuò foueatur: Ergo in corde eſt admittenda facultas vitalis peculiariter dicta, quæ immediatè reſpicit vitæ conſeruationem.

Reſoluendum 2. Quòd facultas peculiariter vitalis, cordis eſt facultas pulſifica: Tenet Gentilis *in fen. 1. 1. Auicennæ, doctr. 6. c. 1.* Fernelius *lib. 5. phyſiologia.* Paparela *tract. 1. de indicatione naturali, vitalique, c. 10.*

Probatur ex Galeno *lib. 2. de differ. pulſuum, lib. 2. de præſagit. ex pulſib. c. 11. §. De facultate quæ molitur pulſum, quam vitalem appellamus: & c. 12. ſequenti, §. non eadē eſt facultas vitalis, quam vocant Naturalem; illius enim hoc vnum opus eſt generatio pulſus, & lib. 1. de difficultate reſpirationis*, idem docet, & *lib. de arte curat. ad Glauc. §. virtus quam vitalem vocant, quoniam eſt à corde.* Albertinus Reſpondet, quòd non pulſificam, ſed aliam innominatam in corde vocat Galenus vitalem, cuius munus eſt, vt tribuat vitā reliquis.

Sed contrà: Tribuere vitam eſt effectus formalis Animæ: Ergo nequit niſi ab ipſa anima vt informante tribui. Patet conſequentia; nam effectus formalis eſt forma vt communicata.

Probatur 2. Facultas pulſifica immediatè attingit vitæ conſeruationem, natiuum conſeruando calorem, ſine quo nequit animal permanere ex Galeno, *lib. 5. de locis affectis*, docens quòd cor omnibus partibus intemperiem communicat, per ſpiritus vitales pulſu impartitos. Et *lib. 1. de vſu partium, cap. 3.* idem docet: Tum patet ex omnibus authoritatibus antecedente Reſolutione propoſitis.

Ad Rationes dubitandi, Reſpondetur: Tum pro 1. Quòd licet à prima conformatione producatur debita temperies vnicuique parti, quia calor ab ambiente frigido remittitur continuò, indiget calore influente à corde per pulſum communicato, quo attemperetur: Tum pro 2. Quòd à cerebro communicatur temperies pro ſenſitiuis actionibus, non autem pro vitæ conſeruatione; ſine illis enim permanet in paralyticis partibus; à corde verò communicatur temperies non ſolùm pro actionibus requiſita, ſed pro vitæ conſeruatione; ſi enim calor extinguatur in parte, fit Eſthiomenon, vel gangrena, & defectu nutritionis perit pars: Tum pro 3. Quòd partes frigidæ noſtri corporis cum ſint mixtæ, mixtam petunt diſpoſitionem, in qua calor nutritioni, & conſeruationi conducit, & indiget foueri, ſicut in reliquis partibus: Tum pro 4. Quòd nutritiua facultas, & calor concurrunt ad nutritionem; ipſa principaliter, calor verò inſtrumentaliter, & immediatiùs, & in hunc finem, & ea quæ ſunt neceſſaria: vlteriùs calor requiritur tanquā diſpoſitio ad vitæ conſeruationem neceſſaria, & ſine qua à frigore ſtatim extincta periret pars, & ideò natura in eius ſubſidium cor fabrefecit, ſpiritus vitales ordinauit, pulſificamque facultatem, à quâ impartirentur per vniuerſum corpus: Tum pro 5. Quòd Animal viuere, & non reſpirare impoſſibile eſt, quia præſtat materiam ex quâ generantur ſpiritus vitales, & defectu illius, ſtatim perit animal; ſed hoc non eſt peculiare ad vitæ conſeruationem; quia ex defectu omnium actionum partium vſum præſtantium ſolet id contingere, vt ſi deficiat ventriculi actio, vel veſicæ, aut renum: actio autem pulſus peculiariter eſt neceſſaria ad vitæ conſeruationem, quatenus omnibus partibus tribuit temperiem vitæ conſeruatiuam; quod ſoli pulſui eſt peculiare.

RESOLVTIO V.

Vtrùm facultas pulſifica ſit intrinſecè vitalis?

Vitalem vocari pulſificam facultatem vitalitate extrinſecâ, ſeu ab extrinſecâ denominatione, & ratione finis, quia ad vitæ conſeruationem eſt à Natura deſtinata, decreuimus: An intrinſecè ſit vitalis, id eſt principium coaptatum cum anima in determinato gradu vitæ ad eliciendas actiones illius gradus vitæ; celebris eſt difficultas, in qua diſſentiendi ratio oritur ex eo quòd, vt docet D. Thom. *1. p. q. 76. art. 4.* Formæ perfectiores continent in ſe gradus, & potentias reliquarum formarum, & ideò rationalis intelligit, ſentit, generat, auget, & nutrit, calefacit, infrigidat, deorſum mouet. Vnde licet conſtet, quòd in ſolo calidiſſimo animali datur pulſifica facultas, nondum conſtat, cui formæ gradui ſit adſcribenda.

Compluten̄ſis Carreirus *diſp. 50. in Auicennam c. 6. num. 17.* Facultatem pulſificam iudicat non eſſe intrinſecè vitalem, ſed oriri ab anima ſecundùm genericum gradum formæ naturalis. Suarez *1. Metaph. diſput. 18. num. 15. ſect. 7.* tenet pulſificam facultatem eſſe intrinſecè vitalem; nec poſſe elici à generante, ſed pulſum elici à facultate vitali conſtitutâ ſub determinato vitæ gradu, Santa-Cruz *opuſculo de pulſibus* tenet, quòd facultas pulſifica eſt

vitalis intrinſecè, quia prouenit ex vi vnionis animæ ad corpus calidiſſimum; & ſimul ſuperaddit, quòd motus cordis fit efficienter à generante, quia eſt primus motus animalis, à quo pendent reliqui motus. Magiſter Arauio *lib. 9. metaph. art.* 4. tenet pulſificam facultatem habere intrinſecam vitalitatem, licet fiat a generante, quia fit quaſi per reſultantiam Pulſus, ſicut reliquæ paſſiones, ad quem non concurrit facultas efficienter, ſed præſuppoſitiuè tantum: ad hoc enim vt ſit vitalis, inquit, non obſtat quòd actus ſit ab extrinſeco, ſi ſit primus ſaltem in genere vitalitatis infimæ. Martinez 1.2.*q*.9. *art.4.dub.*1. tenet facultatem pulſificam eſſe vitalem intrinſecè, cum quo compatitur, quòd ſit à generante, non efficienter, ſed quoad determinationem finis.

Sed noſtram vt aperiamus opinionem, aliqua præſupponemus fundamenta, ex quibus Reſolutio manifeſtabitur.

Primum ſit: Quòd vita conſiſtit in immanentia motus, ita vt adæquatum conſtitutiuum viuentis conſiſtat in motu per ſe ab intrinſeco, ſumendo motum prout ab eodem, actus ſit in ſeipſum, & cauſa motus de numero eorum, in quibus manifeſtiori & minus dubia proprietate ipſius eſſentia cognoſcitur, & conſtituitur, vt docet D. Thomas 1.*p.q.*18.*art*.1. vnde ex eo quòd accidens manifeſtius in viuente, ad manifeſtandam vitam ſit motus a ſe, & conſtet per motum ab intrinſeco animal viuere, & per eius defectum mortuum eſſe iudicemus, ponimus conſtitutiuum vitæ, & viuentis in motu ab intrinſeco, vt docet D. Thomas loco nuper citato, ex quo deducimus, quod illa ſunt viuentia, quæ ſeipſa mouent ſecundum aliquam ſpeciem motus. Quæ doctrina docetur ab eodem ſequenti articulo dicente: *Ergo dicendum eſt de vita, quod vita nomen deſumitur ab aliquo extrinſeco, quod eſt mouere ſeipſum, non tamen eſt in poſterum hoc nomen ad hoc ſignificandum, ſed ad ſignificandam ſubſtantiam, cui conuenit ſecundum ſuam naturam mouere ſeipſam, ſeu agere ſe quomodocumque ad operationem*: & *artic*. 3. *ſequenti*, inquit, *quod cum viuere dicantur aliqua ſecundum quod operantur ex ſeipſis, & non quaſi ab aliis mota*: & *q*. 78. *art*. 1. per diuerſum modum participandi motum ab intrinſeco diuerſa diſtinguit viuentia. Hanc eandem doctrinam docuit Ariſtoteles *lib*.8. *phyſicor.textu* 29. *lib*.2. *de anima textu* 3. & 13.

Eſt igitur Anima inter omnes formas ſubſtantiales principium, & radix, principale intrinſecum, & radicale remotum eorum motuum, quæ fiunt ab intrinſeco, qui dicuntur vitales, ratione cuius ſecundum ſe conſiderata dicitur vita radicalis, quia per vnionem ipſius cum corpore aduenit vita ſubſtantialis, per modum actus primi; ſed quia ipſa non poteſt immediate operari ſuos vitales actus, vt docet D. Thomas 1.*p.q*.54. *art*.3. & *q* 77.*art*.1. fuit neceſſarium, quòd haberet principium coaptatum in genere vitali; cui competeret efficientia intrinſeca motuum ab intrinſeco: hæc principia dicuntur Potentiæ vitales: eſt enim potentia vitalis Principium coniunctum, & coaptatum cum anima conſtituta in determinato gradu vitæ, vt ſit ratio, & inſtrumentum proximum, & intrinſecum, quo operatur Anima motus proprios illius generis: Potentia enim vitalis eſt quaſi Animæ pars vt docet D. Thomas 1.*p.q*. 77. *art*. 4. Ideóque Fernelius dixit, quòd eſt principium, quod tanquam de ſinu ſuo promit Anima ad ſuas operationes; ideóque, nec ſpecies intelligibiles, nec habitus dicuntur potentiæ animæ, licet inhæreant in illa.

Præterea eſt ſupponendum, quòd actus exprimit A virtutem ſui principij; à quo ſicut producitur vt effectus vniuocus, exprimit virtutem ſuæ cauſæ vniuocæ: hinc prouenit, quòd actus vitalis debeat habere vitalitatem ſui principij, ita vt conſtitutiuum potentiæ vitalis reluceat in actu vitali per modum actus ſecundi; cum tale conſtitutiuum ſit ratio, & principium operatiuum animæ conſtitutæ in determinato gradu vitæ, actus vitalis debet eſſe actio elicita, in qua vitalitas talis reluceat, & ſic dicitur quid diſtinctum ab actione merè naturali. Eſt enim actio vitalis, Actio elicita à Principio vitali vitaliter operãte, ſiue à principio eliciente operationes arguitiuas viuentis. Non enim ſufficit, vt actio ſit vitalis, quod fiat à principio vitali, niſi tale principium vitaliter operetur, & modo eleuatiori ſupra res merè naturales, in B modo motus eliciti à principio intrinſeco: & ideò productio diſpoſitionis viuentis, & propriarum paſſionum viuentis, non eſt actio vitalis, licet fiat à principio vitali, ſcilicet ab Anima, quia modus productionis, non eſt ſpecialis alicuius generis vitæ, ſed communis formis naturalibus, talis enim productio eſt quædam reſultantia aut actio methaphyſica, vt docet D. Thomas 1. *part. quæſt*. 77. *art*.6. Patet etiam ex dictis, quòd actio vitalis non conſtat præciſè in immanentia; licet enim ſine immanentia actio non poſſit dici vitalis, illa tamen ſola non conſtituit vitalitatem actionis; abſolutè enim ſumpta eſt communis ad actus vitales, & naturales, vt patet in pro- C ductione paſſionum, & in motu naturali facto per reſultantiam; licet enim in doctrina D. Thomæ iſti actus non ſint propriè immanentes, quia ſunt à generante, in eius doctrina; in opinione tamen aliorum quod ſint ab anima eorum, productio eſt cum immanentia ſine vitalitate. Nec ſtat vitalitas in immanentia rigoroſa, prout dicit actionem recipi in eodem principio elicitiuo illius, vt manifeſtatur in motu locali viuentis, qui non ſolùm recipitur in muſculo eliciente illum, ſed in reliquis partibus viuentis, quæ mouentur: nec nutritio recipitur in facultate nutritiua, ſed in parte coniuncta; & iſtæ actiones ſunt vitales. Reſtat quod immanentia ſit perfectiua principij, aut eius cuius eſt pars, & quod actio ſit vitalis, ex D eo quòd ſit à principio vitali, excedens in modo ſuæ productionis res merè naturales, & tunc etſi non ſit intellectiua, ſenſitiua, loco-motiua, aut nutritiua, vt patet de illuſtratione ſpecierum Intelligibilium ab intellectu agente: licet enim hæc illuſtratio teneat ſe ex parte obiecti cognoſcibilis excedit eleuatio per modum actus primi proximi, & immediati modum operandi & efficientiam rerum merè naturalium.

Reſoluendum 1. Quòd motus cordis in animali non eſt cauſa alicuius motus vitalis, ad quem concurrat efficienter. Sic ſtatuo contra quoſdam Peripateticos iudicantes quod motus cordis eſt cauſa omnium motuum vitalium, qui in animali fiunt.

E Probat hanc doctrinam Galenus *lib*. 2. *de placitis cap*.8. vbi ſtatuit contra Ariſtotelem nec cor primò moueri in animali, nec illius motum eſſe cauſam reliquorum motuum, qui in animali fiunt, idémque rationibus comprobat.

Probatur 2. Motus localis vitalis elicitus in animali petit intrinſecè, immanenter fieri à parte in qua recipitur: Ergo qui recipiuntur in partibus diſtinctis à corde, non fiunt à cordis motu, qui in illo inhæret.

Dices: Quòd licet reliquæ partes ſint diſtinctæ à corde, quia ſunt partes vnius viuentis, poſſunt dici elici ab ipſo corde.

Contrà ſtat: Tum quia hæc ratio etiam probat, quòd motus cordis fiat à motu reliquarum partium: Tum probat, quòd fiant omnes motus à motu cerebri:

rebri : Tum quia corporis & partium identitas non aufert quominùs motus vnius partis ſit alteri extrinſecus ; ſi enim manus mouet pedem, huic extrinſecus eſt motus.

Probatur 3. Quælibet pars diſtincta a corde habet in ſe principium motus elicitiuum, & radicale, & proximum : Ergo eſt ſufficiens elicere proprios motus ſine cordis motu.

Probatur 4. Motus reliquarum partium eſt motus ſubditus imperio voluntatis, motus pulſus eſt naturalis ſaltem ex modo, quo fit : Ergo liberi motus ab illo nequeunt fieri.

Probatur 5. Si motus cordis concurrit ad motus reliquos locales corporis ; vel quia tribuit illis potentias loco-motiuas; vel quia communicat diſpoſitionem pro actionibus ; ſed potentiæ vitales non communicantur a parte in partem ex D.Thoma 1. *p.* *q.* 77. quia reſident in propriis organis, nec accidens migrat à ſubiecto in ſubiectum, nec diſpoſitio communicata a corde valet efficere motus locales in reliquis partibus, quia, vt docet D.Thom. 1. *p.* *q.* 78. *art.* 1. diſpoſitio qualitatum pro ſenſitiuis actionibus non concurrit effectiuè, ſed tantum diſpoſitiuè.

Probatur 6. Potentiæ ſunt virtutes Animæ, ſuperadditæ ad reddendum eius actum virtualem & radicalem, in actum formalem per operationem vitalem: Ergo habent a ſe per quid reducantur ad actum independenter à corde.

Reſoluendum 2. Quòd motus cordis non eſt primus motus, qui elicitur ab animali.

Primus hanc doctrinam tradidit Hippocrates *lib. de diæta. 6. Delineantur omnes partes, nec prius alia aliis, neque poſterius, ſed maiores natura prius apparent minoribus, cum non prius exiſtant* : Tum *lib. de locis in homine*, Dicit, *Mihi quidem principium corporis videtur eſſe nullum, ſed omnia ſunt principium, & omnia finis.* Ex Hippocrate comprobant eandem doctrinam Fernelius *lib. de hominis formatione, c.* 18. Andreas Laurentius *lib. de re anatomica q.* 15. & 27. comprobant Mercatus & Carreirus : Tum, Si cor prius formatur, maximè vt prius tempore viuat, ſed implicat, quòd cor viuat quin anima omnes corporis partes informet ; deberet enim viuere per animam informantem ; hæc autem non informat, niſi corpus ſit organizatum, vt ſimul ſuperueniat omnibus corporis partibus, vt poſſit ſimul ſuas potentias producere in illis : Tum quia generans ſine cordis motu tribuit partibus debitam conformationem, anima ſuperueniens tribuit partibus conformatis debitam temperiem, & potentias ob quas quælibet pars organica eſt conformata, nec ad aliud apparet cordis motus vtilis.

Dices : Quòd eſt primus, quia eſt neceſſarius vt conformatio perficiatur ab illo.

Contra ſtat : Partes aliæ à corde ſunt ita perfectè conformatæ ſicut cor, ab eadem anima informatæ, & propriis potentiis conſtitutæ in actu primo ad operandum : Ergo ſi ob hæc, cor ſine alio motu coadiuuante ſuas elicit operationes ; ſimiliter & reliquæ partes ſine illo.

Vel dices : Quòd motus cordis eſt primus in genere vitalitatis, & ideò dicitur peculiariter vitalis; quod verò eſt primum in vnoquoque genere, eſt cauſa reliquorum.

Contrà ſtat : Quòd cor dicitur peculiariter vitalis, vitalitate ab extrinſeco, quatenus poteſt conſeruare reliquarum partium temperiem; ad quod ſufficit quòd ſimul cum illis conformetur.

Reſoluendum 3. Quòd Pulſifica Facultas, & illius motus ſunt intrinſecè vitalis.

Probatur : Tum ex D.Thoma 1.2.*q.*17. *art.*9. vbi motum cordis docet eſſe vitalem, quia prouenit ex coniunctione animæ ſenſitiuæ ad corpus : vbi de vitalitate intrinſeca loquitur, quæ prouenit ab anima, in determinato gradu vitæ concurrente cum determinata potentia ad talem actum : Tum quia ſi Pulſus fieret ab Anima ſecundùm gradum naturalem, non diceretur vitalis, ſicut nec motus deorſum in Animali, vitalis dicitur : at verò D.Thomas vocat illum vitalem ; fit ergo ab anima vitaliter, id eſt eleuatiori modo ſupra res mere naturales : Tum patet ex Ariſtotele, qui *lib.* 2. *de Anima* ; eas potentias vitales conſtituit, quæ habent motum non determinatum ad vnum, ſicut grauitas & leuitas, ſed verſus diuerſas loci differentias: pulſifica vero facultas heterogeneo modo operatur, & verſus diuerſas loci differentias; ex quo apparet, quòd ſit vitalis intrinſecè.

Carreirus dicit, quòd totus pulsus motus ſe habet per modum vnius termini, ſicut ſe habet motus circularis cœli.

Contra ſtat: Quòd motus cœli eſt vnus circularis; motus pulsus ſunt duo habentes duas vbicationes, ſpecificantes illos : Tum quòd pulsus motus eſt immanens; motus cœli ab extrinſeco fit, ſcilicet ab intelligentia ; & ideò eſt diſpar ratio ad vitalitatem.

2. Reſpondet : Quòd ex heterogeneitate actus, non arguitur potentiæ intrinſeca vitalitas.

Sed manifeſte pugnat contra Ariſtotelem contrarium aſſerentem, & diſcedit à propria doctrina ; quia in Diſputationibus ſuper Auicennam, probat potentias Gradus vegetatiui eſſe intrinſecè vitales, ex heterogeneitate actus : Ergo vel hic manifeſtè conuincitur, vel ibi inſufficienter contendit conuincere.

Prætereà probatur reſolutio. Inter motus contrarios naturales, ſi alter eſt naturalis, alter debet eſſe violentus, vt patet in graui, ſi moueatur ſurſum, & in leui, ſi moueatur deorſum ; ſed dilatatio, & compreſſio quæ fiunt in Pulſu, & ſunt motus contrarij, ſunt tamen naturales viuenti : Ergo non ſunt motus naturales, ſed vitales: Tum patet quia pulſus fit eleuatiori modo ac fiunt motus naturales, & ideò ab aliquo gradu vitæ, vt infrà probandum ; ex quo euidentiùs patebit hæc doctrina.

Nec obſtat doctrinæ adductæ Ariſtotelis Axioma, quòd, omne quod mouetur, debet moueri ab alio; quia hoc ſaluatur in dependentia primæ cauſæ concurſu ſimultaneo : Neque quòd Ariſtoteles protulerit cor primò generari ; quia contrarium docuit Hippocrates, & demonſtrauit Galenus *lib. de vſu Partium.*

Resolvtio VI.

Vtrùm pulſus fiat à generante.

GEneranti tribuuntur, quæ ſunt debita genito in instanti generationis. Qui Pulſum iudicant deberi genito ante omnem motum vitalem. Pulſus motum tribuunt generanti, quia cum reliquorum debeat eſſe cauſa, in inſtanti generationis debitum eſſe animali iudicant; ideò Carreirus pulſus efficientiam generanti tribuit *ſen.* 1. 1. *diſp.* 5. Fauet huic opinioni communis doctrina D. Thomæ aſſerentis, quòd pulſus ſit à generante : cui non ſatisfacit, quod quoad determinationem finis à generante fiat, quia omnes potentiæ, ſic poſſunt dici fieri à generante.

Suarez 1. *Metaph. diſp.* 85. iudicat, quòd pulſus cum ſit actio vitalis, nullo modo poteſt fieri à generante.

Martinez non fieri à generante Pulſum efficienter affirmat; fieri tamen ab illo quoad determinationem finis.

Reſoluendum 1. Quòd pulſus non fit à Generante efficienter, ſed ab Anima, media pulſifica loco-motiua facultate inhærente cordi, & arteriis.

Probatur: Tum ex Ariſtotele 3. *phyſicor. text.* 28. vbi docens animalia moueri à ſeipſis, ſuperaddit: *Ipſa à ſeipſis, dicere, inanimata moueri, eſt impoſſibile, vitale enim hoc, & animantium proprium eſt*: Tum Plato qui inquit. Etenim omne corpus cui motus extrinſecus accidit, inanimatum eſt, cui verò motus ex ſeipſo, animatum. *In dialogo de legibus*, idem confirmat dicens, *Quòd ab intrinſeco mouetur, id viuere ſcimus, eóque differre animatum ab inanimato*. Cum igitur determinatum ſit Pulſificam facultatem, vitalem eſſe, illius actus nequit ab extrinſeco fieri: Tum D. Thomas idem docet *lib. de vita, & morte lect.* 8. vbi docens contra Ariſtotelem Pulſum non fieri à feruore ſanguinis, ſed a facultate, inquit, *Dicendum quòd motus cordis per ſe fit à forma animalis habentis cor*, & ſuperaddit, *Anima igitur ſenſitiua cauſa eſt illius motus, & cauſa principalis*: Vnde in eius doctrina non poteſt pulſus fieri à generante, cùm 1. *p. q.* 18. *art.* 1. *ad* 2. doceat grauia & leuia non moueri ab intrinſeco, quia mouentur à generante; & *opuſculo 35. de motu cordis*: pulſum docet eſſe vitalem, ideſt immanentem, & 1. *p. q.* 18. inquit, *grauia & leuia non moueri ex ſeipſis*, quia mouentur à generante: Tum Cicero *lib. de ſomno Scipionis*, inanimatum vocat, *quod pulſu extrinſeco mouetur*, qualiter nequiret pulſus moueri, cum conſtet eſſe actionem vitalem: Tum patet ex dictis motus pulſus eſt vitalis: Ergo immanens: Ergo non à generante: Tum quia nutritio, augmentatióque ab Ariſtotele vitales actiones dicuntur, quia ab intrinſeco fiunt; & ideo pulſus, cum ſit vitalis actio, debet ab intrinſeco fieri: Tum quia omnes actiones vitales fiunt immanenter à facultate in organo inhærente, independenter à motu cordis, vt probauimus; ex quo apparet quòd in hunc finem, vt ſit cauſa illarum, non debetur in inſtanti generationis: Tum quia animal iudicatur integrè conſtitutum antequàm cor moueatur: Tum quia licet eſſet cauſa reliquorum motuum, non eſſet a generante, quia prima volitio, quæ eſt primus actus, per quem regulantur reliqua volenda, aut deſideranda, licet primus, non fit à generante, vt tenet D. Thomas. 1. 2. *quæſt. 9. art.* 4.

Magiſter Arauſo, Reſpondet primò: Quòd eſt rationi conſentaneum, quòd viuentia, quæ mouentur à generante, prout ſunt grauia & leuia, moueantur, vt ſunt animalia ab eodem; ſed nulli enti eſt congruum, quod deſtruit eius eſſentiam; ſi ergo vitalitatis intrinſecæ ratio aduenit pulſificæ facultati, & pulſui per immanentiam actionis: tribuere efficientiam generanti, eſt omnino auferre illius vitalitatem, & ex dictis conſtat Antiquiores Philoſophos non aliunde deſumpſiſſe differentiam inter viuentia, & non viuentia; niſi in hac motus differentia.

Reſpondet 2. Quòd ſatis ſaluatur differentia inter viuentia, & non viuentia; in hoc quòd viuentia mouentur à ſeipſis in motibus, quibus totum mouetur; non autem hoc eſt neceſſarium in partium motibus: ſed incongruè reſpondit, quia conſtitutiuum, per quod totum fit tale, conſtituit partialiter partes viuentes: Tum quia moueretur totum à partium mo-

A tu; & ſic poſſent partes moueri naturali motu: & totum motu locali moueretur per eumdem motum: Tum quia contraria conſtitutiua poſſent conſtituere idem ens, cum totum in eſſe viuentis conſtitueretur per motum ab intrinſeco, & partes viuentes illius conſtituerentur in eſſe viuentium per motum ab extrinſeco.

Reſpondet 3. Quòd infimum ſupremi attingitur à ſupremo infimi, & quòd motus cordis eſt infimus in genere vitalitatis, & ideo poteſt attingi à ſupremo infimi gradus naturalitatis: ſed Philoſophis & D. Thomæ opponitur, qui 1. *part. quæſt.* 18. *art.* 3. totam differentiam inter viuentia, & non viuentia ponit in hoc quòd eſt moueri ab intrinſeco, vel ab extrin-
B ſeco: Tum quia licet proxime accedant inter ſe infimum ſupremi, & ſupremum infimi, differunt tamen genere, vel ſpecie, & debent eodem modo differre eorum conſtitutiua; ſi autem viuentia, & non viuentia ab extrinſeco mouerentur, conſtituerentur in eſſe vitalitatis & non vitalitatis, per idem conſtitutiuum, quod omnino eſt contradictorium, inintelligibile, & à ratione alienum: Tum quia ſupremum infimi, non eſt ſupremi generis ſpecies, ſed infimi: Ergo non conſtituitur per conſtitutiuum generis ſupremi, ſed generis infimi.

Reſoluendum 2. Quòd motus Pulſus fit à generante quoad determinationem finis.

Pro cuius probatione præſupponendum quòd di-
C citur aliquid fieri à generante dupliciter, vel procedendo ab illo tanquam à principio adæquato actionis per quam producitur, quo pacto genitum fit efficienter à generante, à quo recipit eſſe, & quidquid ſubſequitur neceſſarium ad ſui eſſe conſeruationem, propriáſque paſſiones geniti, & quidquid debitum eſt illi in inſtanti generationis, quales ſunt etiam potentiæ, quæ etiam debentur ex vi generationis genito: vel dicitur aliquid fieri à generante quoad determinationem finis, quia cum ſint aliquæ potentiæ, quæ ſine præcedente cognitione tendunt in finem proprium, conſonum fuit, quòd ab Authore Naturæ cognoſcente talem finem ipſa facultas determinetur.

D Dupliciter etiam contingit aliquod accidens determinari ab extrinſeco ad operandum, vno modo actualiter in ordine ad actionem, alio modo habitualiter in ordine ad proprium finem. Determinatio effectiua actualis dicitur illa, qua conſtituitur agens efficienter, & ab extrinſeco potens operari actualiter, quia actualiter recipit ab extrinſeco vltimam actualitatem, qua vltimo completur in genere operatiuo efficienter, vt poſſit prorumpere in actionem, quam actualitatem effectiuam admittunt Thomiſtæ in phyſica prædeterminatione: Altera verò determinatio effectiua habitualis in ordine ad finem, eſt quam recipiunt Potentiæ operatiuæ à generante, ratione cuius comproducuntur cum naturali quadam
E coaptatione in ordine ad proprium finem, & ad ſpecificationem actionis; quæ determinatio dicitur inclinatio, ſeu propenſio naturalis circa proprium obiectum.

Probatur his præſuppoſitis, hæc doctrina: Tum ex D. Thoma, *opuſculo 35. de motu cordis*, & 1. 2. *q.* 17. *art.* 9. *ad* 2. aliiſque in locis; in quibus docet, quod motus cordis fit à generante, quod cum non poſſit compati cum immanentia actionis, quam ipſe docet neceſſariam eſſe pro intrinſeca vitalitate, ſub quâ pulſum conſtituit, reſtat, vt debeat intelligi, quod fiat pulſus à generante quoad determinationem finis: Tum quia pulſifica facultas mouet pro vſu, & indigentia, & propter diuerſos vſus ponit diuerſa

debitas

debitas differentias, quod ſinc præcedente cognitionenequiret conſequi, niſi concurreret generaus quoad determinationem finis: Tum quia intra limites ſanitatis, iu diuerſis ætatibus, & anni tenporibus, in diuerſis cogitationibus, & animi paſſionibus, iu morbis, & diuerſis eorum motibus & temporibus sũt innumeræ, & omnes requiſitæ iuxta mutationes finis; ſed non ſunt factæ præcedente cognitione finis à viuente in quo fiunt: Ergo fiunt à facultate vt determioata ad illas à generante.

Ad Catreirum Reſpondetur, quòd de reliquis potentiis modo naturali operantibus, & in vnum finem coaptatis non erat dubium quare illum attingant: in facultate pulſifica. quæ quaſi tendens in innumeros fines, pro illis innumeras ponit, & immutat differentias, ſine cognitione in has mutationes; de hac erat neceſſarium determinare, quòd ideò has diuerſas differentias ponit in motibus, & quietibus pro vſu & indigentia; quia à generante hoc illi eſt inditum, vt ſit coaptata vt immutet proprios actus, iuxta diuerſos fines partiales pro vſu animalis ſupeeuenientes, & requiſitos.

Resolvtio VII.

Vtrùm Facultas Pulſifica ſit vitalis intrinſecè ſub gradu ſenſitiuo.

PVlſificam facultatem extrinſecè vitalem diximus, quia peculiariter conducit ad vitæ conſeruation.m, & intrinſecè, quia anima concurrit ad operandum cum illa actiones ſibi debitas in determinato gradu vitæ. Qualis hic ſit controuertimus ſub hac Reſolutione. Noſter Præceſſor Doctiſſimus Doctoe Santa-Cruz *opuſculo de Pulſibus cap.* 4. adhærens Auerrhoi 2. *collectaneorum cap.* 31. tenet quòd facultas pulſifica eſt vitalis intrinſecè ſub gradu vegetatiuo reperto iu animali calidiſſimo; nec illam diſtingoit ab attrahente, & expellente illius gradus, quia ſicut illæ attrahit vtile, & expellit inutile. Mercatus etiam noſter Anteceſſor, *lib. de pulſibus tract.* 3. Pulſificam facultatem ponit ſub gradu ſenſitiuo. Valleſius *lib.* 3. *controuerſ.* Pulſificam facultatem ponit mediam inter ſenſitiuas, & vegetatiuas, quia nequit eſſe ſob gradu ſenſitiuo, quia non operatur præcedente cognitione, nec ſub vegetatiuo, quia non operatur ſecundùm vltimun potentiæ.

Sed quia Auerrhois opinio probabilioribus fulcitur fundamentis à Doctore Santa-Cruz; ipſam primò proponemus ante, quàm tenendam eligamus.

Primò facultatem Pulſificam poni ſub gradu ſenſitiuo videtur doceri: Tum à Galeno *lib.* 6. *de vſu part. cap.* 18. vbi docet cor nullam habere vitalem actionem: Tum ex Ariſtotele *lib. de ſomno, & vigilia*: vbi Facultatem Pulſificam ſub gradu vegetatiuo videtur poſuiſſe, cum hæc non defatigetur, & vegetatiuas facultates dicit diſtingui à ſenſitiuis, quia hæ defatigantur, illæ verò non.

Probatur 2. Facultates loco-motiuæ gradus ſenſitiui, & gradus vegetatiui, ex D. Thoma 1.2.q. 17. *art.* 9. penes hoc differunt, quod quæ ſunt ſub gradu ſenſitiuo operantur præcedente cognitione, non verò quæ ſunt ſub gradu vegetatiuo; ſed facultas pulſifica, vt euidenter conſtat, operatur ſine præcedente cognitione: Ergo ſub vegetatioo gradu debet poni hæc facultas.

Dices cum D. Thom. *Opuſculo.* 44. *de potentiis cap.* 5. quòd datur in viuente facultas loco-motiuas quæ operatur ſine præcedente cognitione, & quòd pulſifica eſt huiuſmodi.

Contrà ſtat ibidem D. Thomas, qui docet Pulſificam Facultatem prouenire ab anima ſenſitiua, vt eſt naturalis: Ergo non vt ſenſitiua eſt

Tertiò, Facultates ex modo operandi conſtituuntur ſub hoc, aut illo vitæ gradu; ſed pulſifica habet eundem operandi modum, ac expellens, & attrahens gradus vegetatiui, expellit enim inutile, & ſpirituoſum: Ergo pertinet ad gradum vegetatiuum.

Dices, quòd etiam reſpiratio, quæ ſine controuerſia eſt ſub gradu ſenſitiuo, attrahit vtile ex quo generentur ſpiritus, & expellit inutile & fuliginoſum, ex quo oon infertur, quod ſit ſub gradu ſenſitioo, nec ideo obſtabit pulſificæ facultati.

Contrà ſtat: Facultas deſeruiens reſpirationi inhæret muſculis, & ſubditur imperio voluntatis, & ideò pertinet ad gradum ſenſitiuum; ſed neutrum horum habet pulſifica: Ergo pertinet ad vegetatiuum.

Quartò: Facultas Pulſifica vtitur fibris, ſicut facultates gradus vegetatiui: Ergo ſub eodem gradu ponitur cum illis. Probatur antecedens ex Galeno *lib. de vſu partium* 6. *cap. vlt.* vbi in corde reperiri fibras tranſuerſas, rectas, & obliquas docet.

Dices, Quòd etiam facoltates loco-motiuæ animales vtuntur fibris in muſcolis pro ſuis motibus; & ideò non obſtat, quod reperiaotur in corde etiam ſi illis vtatur pro pulſu.

Contrà ſtat: Quòd ſolæ fibræ intertextæ muſculis deſeruiunt pro ſẽſitiuis loco-motiuis facultatibus quæ in aliis ſunt partibus ex ſeminali materia factæ, vt Galenos docet, & apparet in ventriculo; deſeruiunt pro facultatibos vegetatiuis loco-motiuis.

Quintò, Quod Pulſifica facultas pertineat ad ſenſitiuum graduo non poteſt probari nec ex parte actionis, cum attractio, & expulſio pertineant ad loco-motiuas gradus vegetatiui; nec ex parte obiecti, cum tendat facultas in attractionem vtilis, & expulſionem inutilis, in quas tendunt attractrix, & expultrix vegetatiui gradus; nec ex parte inſtrumenti, cum cor, & arteriæ habeant fibras, per quas mouentur, quæ ex ſemine generantur, vt facoltates loco-motiuæ gradus vegetatiui operentor: Ergo ſub gradu vegetatiuo debet poni, & non ſub ſenſitiuo.

Dices, Ex modo operandi probatur quod Polſifica facultas ſit ſub gradu ſenſitiuo; operatur enim non ſecundùm vltimun potentiæ, vt vegetatiuæ, ſed pro vſu, & indigentia, quod non reperitur in vegetatiuis loco-motiuis potentiis.

Contrà: Operari pro vſu, & indigentia non extrahit illam à gradu vegetatiuo, nam Galenus *lib. de facultat. natur. cap.* 13. docet quòd iecur tempore indigentiæ magis attrahit à ventriculo, quàm in aliis temporibus, quod non contingeret, ſi operaretur, ſecundum vltimum potentiæ; & generatiua facultas ſub vegetatiuo gradu non operatur ſecundùm vltimum potentiæ, ſed circa quamlibet partem, pro vſu illius ipſam conformat.

Sextò, Facultas attrahens, & expellens gradus vegetatiui nullis primis qualitatibus vtuntur: Ergo licet illis non vtatur facultas pulſifica, non ideò erit ſub gradu ſenſitiuo.

Reſoluendum, Quod facultas Pulſifica eſt vitalis intrinſecè ſub loco-motiuis gradus ſenſitiui. Sic noſter fatetur Mercatus; & deducitur manifeſtè ex D. Thomæ doctrinâ.

Probatur hæc doctrina deſumpto fundamento ex D. Thoma 1. *part. quaſt.* 18. *art.* 1. *in corpore*; vbi conſtirutiuum viuentis ponit in hoc, quod eſt moueri ab intrinſeco, in quo viuens excedit non viuentia, ipſa autem viuentia, ſe excedunt in modo operandi, & penes diuerſitatem in illo diuerſæ conſtituuntur facultates: illæ enim, quæ ſunt gradus rationalis, ſine dependentia ab organo corporali, & à qualitatibus corporeis diſponentibus proprium organum ſuas valent elicere operationes: Facultates gradus ſenſitiui dependent ab organo corporeo, & à qualitatibus corporeis illud diſponentibus; ſed non vtuntur illis tanquam inſtrumento. Facultates gradus vegetatiui, & indigent organo corporeo in quo inhæreant, & corporeis qualitatibus non ſolùm diſponentibus illud, ſed inſtrumentaliter concurrentibus ad ſuas operationes, qualiter concurrit calor ad coquendum. Quam doctrinam protulit his verbis, Reſpondeo dicendum, quòd tria ſunt genera potentiarum Animæ, quæ numerata ſunt: tres verò dicuntur Animæ; quatuor verò dicuntur modi viuendi; & huius diuerſitatis ratio eſt; quia diuerſæ Animæ diſtinguuntur ſecundùm quod diuerſimodè operatio Animæ ſupergreditur operationem Naturæ corporalis: tota enim Natura corporalis ſubiacet actioni, & comparatur ad ipſam; ſicut Natura ad inſtrumentum. Eſt ergo quædam operatio Animæ, quæ in tantum excedit Naturam corpoream, quod neque etiam exercetur per organum corporale; & talis eſt Animæ rationalis operatio. Eſt autem alia operatio animæ infra iſtam, quæ quidem fit per organum corporale, non autem per aliquam corpoream qualitatem; & talis eſt operatio animæ ſenſitiuæ; quia & ſi calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, & aliæ huiuſmodi corporeæ qualitates requirantur ad operationem ſenſus; non tamen ita mediante virtute talium qualitatum, operatio ſenſitiuæ animæ prodeat; ſed ſolùm requiruntur ad qualitatiuam diſpoſitionem organi. Infima operatio animæ eſt, quæ fit per organum corporeum, & virtute corporeæ qualitatis, ſupergreditur operationem Naturæ corporeæ; quia motiones corporum ſunt ab extrinſeco principio; huiuſmodi operationes ſunt à principio intrinſeco. Hoc commune eſt omnibus operationibus animæ, omne enim animatum aliquo modo mouet ſeipſum, & talis eſt operatio animæ vegetabilis; digeſtio enim, & ea quæ conſequuntur, fit inſtrumentaliter per actionem caloris, vt docetur 2. de anima. Hæc D. Thomas.

Ex dictis patet reſolutionis doctrina: Facultas Pulſifica operatur ſine concurſu qualitatis corporeæ, ſed ſolo inſtrumento corporeo: ſed facultas, quæ ſic operatur; vt ex præſuppoſitis conſtat, eſt ſub gradu ſēſitiuo: Ergo facultas pulſifica loco-motiua eſt ſub gradu ſenſitiuo. Probatur Maior: Facultas Pulſifica tendit ad acquirendam vbicationem, quæ eſt intrinſecus terminus ſui motus, & ad locum acquirendum, qui eſt terminus extrinſecus ſui motus; ſed ſola illa cum corde, aut arteria, quæ illius ſunt inſtrumentum corporeum, ſine corporea alia inſtrumentaliter concurrente qualitate in hunc terminum concurrit: Ergo operatur ſine inſtrumentali concurſu corporeæ qualitatis.

Dices quòd operatur ſine concurſu qualitatis corporeæ; quia eſt coniuncta animæ ſenſitiuæ, ex cuius coniunctione poteſt ſuppleri talis concurſus in potentiis vegetatiuis.

Contrà: Coniunctio cum anima perfectiori, non poteſt extrahere animam à proprio conſtitutiuo; Tum quia ſi extraheretur ſenſitiua cum rationali, poſſet etiam intelligere, vel operari ſine organo corporeo; & diceretur immortalis: Tum quia quod eſſentiale eſt alicui, licet in coniunctione cum perfectiori poſſit perfici perfectione accidentali, non tamen ita vt mutet eſſentialem perfectionem.

Probatur 2. Facultas localiter motiua in proprio organo in quo mouetur inhærens, eſt ſenſitiui gradus, vt in loco-motiua perfectiori euidenter conſtat, ſed talis eſt pulſifica, vt ex ſuis actibus conſpicitur: Ergo debet poni ſub loco-motiuis gradus ſenſitiui.

Dices, quòd hæc facultas non ſolùm mouet cor, & arterias immanenter, ſed ſimul tranſeunter mouet ſpiritus, & fuligines, & ſic erit gradus vegetatiui, cuius potentiis loco-motiuis aſſimilatur.

Contrà: Primus motus pulſus terminus, eſt immanens, & à quo ſpecificatur potentia: Ergo etiamſi ſecundarius ſit tranſiens; pulſifica facultas ſub gradu ſenſitiuo vitalis debet eſſe. Patet conſequentia in generatione ſubſtantiali, quæ etiamſi producat proprias paſſiones, & accidentia tanquam terminum ſecundarium, ſpecificatur à primario, & non dicitur actio accidentalis.

Probatur 3. Si facultas pulſifica eſſet ſub gradu vegetatiuo, eſſet attrahens, & expellens; ſed nulla eſt ex iis: Ergo non eſt ſub gradu vegetatiuo. Probatur minor: Attrahens gradus vegetatiui ſolùm, circa vtile operatur, expellens ſolùm circa inutile; ſed pulſifica facultas indifferenter in dilatatione attrahit vtile, & inutile, ne detur vacuum: & compreſſione expellit indifferenter vtile, & inutile, fuligines, & ſpiritus, ne detur penetratio: Ergo pulſifica non eſt attrahens, & expellens vegetatiui gradus.

Probatur 4. Quælibet facultas ſpecificatur per terminum primarium, non autem per ſecundarium, & ſubſequutum ad primarium; ſed terminus primarius facultatis pulſificæ, eſt vbicatio ad quam ſubſequitur expulſio, aut attractio eorum, quæ in corde, aut arteriis ſunt: Ergo facultas pulſifica non reſpicit per ſe primò tanquam terminum ſui ſpecificatiuum, expulſionem, aut attractionem eorum, quæ continentur in corde, aut arteriis.

Confirmatur: In motu cordis duplex motus reperitur; alter, qui fit à facultate vitali, qui eſt actio immanens in arteria, ſpecificans pulſificam facultatem: alter, qui fit ab arteriæ vbicatione, vel impulſu, & recipitur in ſpiritibus, aut fuliginibus; & talis non eſt vitalis, cum non ſit immanens: Ergo facultas pulſifica ex primo recipit ſuam ſpecificationem, non ex ſecundo, à quo nullam poſſet habere vitalitatem.

Probatur 5. Si pulſifica facultas eſſet gradus vegetatiui, maximè quia deſeruit potentiis gradus vegetatiui, tribuendo partibus ſpiritus, & calorem, quo fiant in illis coctiones, ſed ad idem deſeruit reſpiratio, tribuendo materiam cordi, ex qua generentur ſpiritus, & tamen eſt vitalis ſenſitiua: Ergo pulſifica facultas non eſt gradus vegetatiui.

Probatur 6. Senſitiuæ, & vegetatiuæ facultates differunt ex Galeno *lib.* 1. *An ſanguis in arteriis contineatur*: pro ſenſitiuis requiritur influxus aliunde ſuperueniens, qualiter in arteriis à corde fit: In naturalibus nullus influxus nec dependentia ab aliis partibus communicantibus influxum datur, ex eodem *lib.* 1. *de locis affectis*: Ergo ſub ſenſitiuis facultatibus continetur pulſifica facultas.

Probatur 7. ex Galeno 4. *de præſagit. ex pulſibus*, vbi dicit: *Non eſt eadem facultas vitalis, quam vocant, & naturalis illius, cuius eſt, quod familiare eſt attrahere, & retinere, & inutile expellere, alimentum alterare;*

A *alterare ; omnia enim hæc ad nutritionem neceſſaria ſunt.* At verò ad quendam mediocritatem caloris, eſt pulſus cordis & arteriarum. En qualiter pulſificam diſtinguit ab attrahente, & expellente gradus vegetatiui : Tum idem Galenus *lib.9.methodi*, inquit, *Altera exiſtit, quæ non modo in ſtirpibus, & vita præditis, ſed etiam in animantibus eſt, nobis inſita & ſedens in corde, hæc ipſa, quæ inſiti caloris, ſeu vitæ eſt fons : & hæc vocatur vita.* Vbi hanc facultatem diſtinguit à vegetatiuis omnibus partibus communibus.

Reſoluendum 2. Quòd licèt pulſifica facultas ſit gradus ſenſitiui, & loco-motiua, operatur ſine præcedente cognitione : ſic omnes fatentur, & experiuntur : docet D. Thomas *opuſc.43.cap.5.* vbi dicit quòd operatur modo naturali, ſine præcedente co- B gnitione : Tum quia ſicut in gradu ſenſitiuo cognoſcitiuæ ſunt perfectiores loco-motiuis, poſsũt in ter loco-motiuas perfectiores aliæ operari præcedẽte cognitione, aliæ imperfectiores ſine cognitione præcedente : Tum quia in omni gradu vitæ dantur potentiæ aliæ perfectiores, aliæ imperfectiores, vt in vegetatiuis miniſtrantes ſunt imperfectiores, miniſtrantibus ; in rationalibus intellectus perfectior eſt voluntate : Ergo & inter ſenſitiuas loco-motiuas poſſunt aliæ aliis perfectiores reperiri.

Ad 1. Reſpondetur : Tum pro 1. Quòd Galenus intendit, quòd cor nullam habet vitalem actionem, inter manifeſtiores poſitam loco-motiuas, quæ fiunt præcedente cognitione; non tamen negat dari vita- C lem animalem ſine præcedente cognitione : Tum pro 2. quod Ariſtoteles loquitur de loco-motiuis perfectioribus, non de imperfectioribus, quæ modo naturali operantur.

Ad 2. Reſpondetur ad replicam, quòd intendit D. Thomas docere, quòd pulſifica non eſt perfecta ſub illo gradu, quæ operatur præcedente cognitione, ſed quod ſine præcedente, & modo naturali ſuum elicit actum.

Ad 3. Reſpondetur ex dictis, ad replicam, quòd probat, quòd pulſifica facultas non ſit inter loco-motiuas perfectiores gradus vegetatiui, quæ præcedente cognitione operantur, non tamen quod non ſit D loco-motiua ſenſitiua, cum operetur ſecũdùm rationem genericam illius gradus, cum operetur ſine concurſu qualitatis corporeæ, & immanenter.

Ad 4. Patet ex dictis. Ad replicam Reſpondetur, quod facultates loco-motiuæ, quæ reſident in fibris repertis in partibus officialibus, ſunt gradus ſenſitiui loco-motiuæ, operãtes ſine præcedente cognitione, ſicut pulſifica facultas.

Ad 5. Reſpondetur, Quòd patet pulſificam facultatem eſſe animalem; ex parte actionis, quæ immanens eſt, cum remaneat in organo eliciente illam, & ex parte obiecti, ſeu termini ſecundarij, cum indifferenter attrahat, & expellat, tam vtile, quàm inutile: Naturalis expellens determinatè pellit inutile, attra- E hens attrahit vtile, ex parte inſtrumenti, quia reſpectu termini ſpecificatiui ſolo organo vtitur, & ex parte modi operandi, quia operatur ſine concurſu qualitatis corporeæ, in quo excedit modum operandi expultricis & attractricis gradus vegetatiui.

Ad vltimam replicam, patet ex dictis, quòd non conſtituimus differentiam inter hanc facultatem, & facultates vegetatiui gradus, quia operetur, aut non, pro vſu, & indigentia : ſed ex proprio conſtitutiuo, quia operatur eleuatiori modo, quàm illæ ſine concurſu qualitatis corporeæ.

Ad 6. Reſpondetur, quòd D. Thomas non ponit conſtitutiuum ſenſitiui gradus in hoc quòd eſt operari ſine concurſu primarum qualitatum; ſed in hoc, quòd eſt operari ſine concurſu qualitatis corporeæ, facultates autem vegetatiui gradus vel operantur concurſu effectiuo primarum qualitatum, vt concoctrix, nutrix, & auctrix ; aliæ verò cum concurſu effectiuo qualitatis corporeæ, alterius generis, vt expultrix, & attractrix, quæ operantur medio impulſu inſtrumentaliter, efficienter concurrente ad earum actiones, quod non contingit in Pulſifica, quæ ſuam actionem elicit ſine ſimili tali concurſu corporeæ qualitatis.

Resolvtio VIII.

Vtrùm Facultas Pulſifica operetur pro vſu, & indigentia?

PArs negatiua fulcitur ex eo quòd operari pro vſu, & indigentia, eſt operari pro conuenientia, & neceſſitate eius, ratione cuius operatur, præſuppoſitâ cognitione eius : ſed facultas Pulſifica non operatur præcedente tali cognitione : Ergo non operatur pro vſu, & indigentia.

Reſoluendum affirmatiuè. Sic docuit Galenus, & tenent omnes eius ſectatores ; patétque : Tum ab experientia : Tum ex vſu artis ; actu enim, calore dilatatur pulſus, fit crebrior & rarior ; minuuntur iſtæ differentiæ calore moderato ; fuliginibus adauctis fiunt differentiæ ad earum euacuationem; in paſſionibus animæ variantur differentiæ pro cardis vſu: Ergo pulſifica facultas operatur pro vſu & indigentia.

Ad rationem dubitandi, Reſpondetur quòd facultas pulſifica vt operetur pro vſu, & indigentia, ſufficit vt operetur præcedente cognitione finis cogniti ab Authore Naturæ, determinante potentiam in illum finem, vt docet D. Thomas 1.p.q.103. *art.* 1. *in ſolut. ad* 2. dicens ; *Ea, quæ cognitione carent, mouentur ad finem ab aliis acta, ſicut mouetur ſagitta in ſcopum ex cognitione, & directione ſagittantis, non quod ſit cognoſcens : In plantis, à quo dirigatur in fines non cognitos, ſed quia Deus, vt Author cognoſcens ea, quæ rebus magis competunt, aut noxia ſunt, creauit Naturam illarum rerum, quæ cognitione carent, cum coaptatione quadam naturali, indita ex proprietate ipſarum rerum; unde exoritur colligantia, & propenſio quædam, ſeu naturalis inſtinctus, quo res naturales tendunt in ſimilia ſine cognitione ; & diſſimilia, & noxia naturaliter reſpuunt, & expellunt inutile, & noxium. Et adhuc Animalia & bruta per inſtinctum naturalem alimentum quærant, & inimicum fugiunt, vt ouis lupum.*

Resolvtio IX.

Vtrùm Facultas Pulſifica inhærens arteriis per influxum communicetur à corde in illas?

PArs affirmatiua ſuadetur ex Galeno *lib.7.de placit. Hippocratis, & Platonis, & lib.3.de locis affect.cap.4.* vbi docet, quòd pulſifica facultas communicatur à corde, & influit in arterias.

Dices, quòd à corde in arterias communicatur quædam qualitas, quæ eſt diſpoſitio pro eliciendis actionibus, ita vt ſine illa nequeant moueri arteriæ,

ſicut ſine illuſtratione à cerebro communicatâ, nequeunt reliquæ facultates loco-motiuæ ſenſitiuæ elicere ſuas operationes: hæc autem communicatur per ſubſtantiam arteriæ, vt docet Galenus *lib. An ſanguis in arteriis contineatur.*

Contra: Eo ipſo quod arteria ſit intra ſanitatem conſtituta, habet debitam conformationem, vnitatem, & temperiem; ex iis enim reſultat ſanitas: Ergo hac habitâ ſine ſuperadditâ hac qualitate fient operationes, ſi in parte detur facultas elicitiua illarum.

Dices quòd temperamentum completur non ſolùm ex primis qualitatibus, ſed ex ſecundis, & aliis occultis; & ideò illuſtratiua hac ſeu diſpoſitiua qualitate deficiente, non poſſunt arteriæ habere debitam diſpoſitionem ad propriùm motum.

Contrà: Illa qualitas ſi eſſet neceſſaria in arteria, pullularet ab Anima illam informante, ſicut reſultat in corde, & ſicut reliquæ qualitates complentes temperamentum, reſultant in illa.

Confirmatur: Authopſia contendunt Iuniores Anatomici conuincere, quòd non communicetur talis qualitas, & quod pulſet infra ligaturam arteria à ſanguine tranſeunte per calamum in arteria immiſſum: Ergo non communicatur, ſed quædam facultas per cauitatem arteriæ.

Reſoluendum quòd facultas pulſifica ab anima pullulat in corde & arteriis, in quibus inhæret pro eorum motu: ſic tenendum aduerſus Iuniores, qui Galeni doctrinam ignoranter receperunt.

Probatur: Tum quia facultas pulſifica eſt vitalis reſultans ab anima tanquam propria paſſio illius, in organo ſibi determinato, ſicut reſultant reliquæ potentiæ: Tum quia ſi à corde communicatur pulſifica facultas, vel eadem numerò, & hoc implicat; quia nequit accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum, cum ab illo indiuiduetur; vel per continui alterationem, & hoc implicat, quia vitalis facultas cum ſit propria paſſio Animæ, vt Anima eſt, non poteſt produci ab eo, quod non eſt Anima: Tum quia facultas pulſifica cum ſit propria paſſio Animæ eſt debita in inſtanti generationis, & debet in illo produci ſimul cum anima, non poſteà ſucceſſiuo tractu temporis: Ergo non communicatur à corde in arterias.

Ad vltimam replicam primi Reſpondetur, quòd ſicut diſpoſitio quæ in cerebro pullulat, ibi habet debitum organum ad ſui pullulationem; & iam producta ab illo communicatur in partes, in quibus nequit pullulare; ſic contingit in qualitate quæ in corde pullulat, & communicatur ab illo in arterias; maior enim diſpoſitio requiritur in parte, vt in illa pullulet qualitas ab Anima, quàm vt illam iam productam recipiat ab alia parte.

Ad 2. Reſpondetur, quòd cum Galenus authopſia etiam perceperit, quod ligatâ arteriâ, non pulſat arteria infra ligaturam, illius authopſiæ potiùs fidendum, quàm falſæ opinioni aſſerentium arterias moueri à ſanguine.

Resolvtio X.

Vtrùm ſola facultas Pulſifica perficiat Pulſum, & illius quietes?

GAlenus *lib. An ſanguis in arteriis contineatur*, docet arterias eſſe partes cauas, vt in ſe recipiant arterialem ſanguinem, & ſpiritus; & quòd

A deſeruit vlteriùs cauitas, vt ipſa arteria intra illam cauitatem compreſſione, & dilatatione moueatur: nec compreſſio, & dilatatio fiunt ſecundum totum locum, in quem poteſt arteria comprimi, aut dilatari; ſed habet quemdam tenorem vltra quem non progreditur a facultate motâ; & infra quem non comprimitur, niſi à cauſa violenta nimis agitata, qualiter contingit in cordis palpitatione, de quo motu non inquirimus, cum ſit a cauſâ violentâ; ſed de illo, qui eſt illi debitus ex ordine Naturæ iuxta diuerſos fines.

Plerique dilatationis motum tribuunt Facultati Pulſificæ, motum contractionis ſoli grauitati; è contrà poſſet dici, quòd contra proprium tenorem à facultate comprimitur arteria, & quod dilatatur à ſe ſine facultate, ſicut virga compreſſa ad proprium B tenorem redditur à ſe, poſtquam alterius vi fuit compreſſa.

Probatur autem à grauitate comprimi: Tum 1. quia arteria mouetur ſicut thorax, qui à propriis muſculis dilatatur, comprimitur tamen a grauitate; ideò enim Galenus *lib. de motu muſculorum*, illi adaptat pro dilatatione muſculos, non verò pro compreſſione: Tum 2. probatur 2. opinio; quia arteria eſt corpus durum: hoc autem proprio tenore, ſi comprimatur, redditur in propriam figuram: Ergo arteria à ſe mouetur in dilatatione proprio tenore.

Reſoluendum. Quòd dilatatio, & compreſſio, & earum quietes in pulſu fiunt à pulſifica facultate: ſic C docuit Galenus *in lib. de vſu pulſuum l. 4. de different. pulſuum. cap.* 12. Tum patet, quia pulſus differentiæ in dilatatione, & compreſſione, & differentiæ quietum in crebritate & raritate, omnes fiunt pro vſu, & indigentia; à tenore vero arteriæ, & a grauitate nequirent poni pro vſu: Tum quia pulſus tendit in diuerſos fines, ac tendit tenor, ac grauitas, & ideò à diuerſa facultate petit fieri: Tum quia Pulſus ex Ariſtotele 7. *phyſicorum eſt motus à ſe, vel ad ſe*: ſi autem pars illius fieret à facultate pulſificâ; pars ab alia facultate, eſſent duo motus diuerſi, & non eſſent pulſus, qui petit eſſe vnus modo dicto, ab vno principio factus.

D Ad 1. Reſpondetur: Tum pro 1. quòd vterque thoracis motus fit à facultate vitali operante ex præſuppoſita cognitione; ſic arteriæ motus fit à Pulſifica vi operante in dilatatione, & compreſſione pro vſu, & indigentia: Tum pro 2. quòd licet corpus graue poſſit moueri a grauitate deorſum, & corpus durum ſurſum à proprio tenore; non tamen ita vt motus fiat pro vſu, & indigentia viuentis, qualiter fiunt arteriarum motus & quietes.

Resolvtio XI.

E

Vtrùm quietes ſint partes eſſentiales pulſus?

QVietes aliæ ſunt priuatiuæ: aliæ poſitiuæ, factæ ab eadem facultate, à quâ fuit motus, de quibus loquimur: de iis contendunt aliqui, quòd licet fiant à facultate Pulſifica, non ſint partes eſſentiales Pulſus, & ordinatæ in eundem finem, ac ipſe motus pulſus; ſed tantùm partes accidentales deſeruientes ad diſcontinuandos motus contractionis & dilatationis, quibus fauet: Tum 1. Galenus *lib. 1. de dignot. pulſ. cap. 20. ſe Nam duæ, quæ reliquæ ſunt, per accidens potius, non proprie, nec per ſe partes pulſus ſunt arteriæ, externa & interna quies*: Tum 2. quia

Quia pulſus Dicrotus caret quiete, & nequitet eſſe ſine illa, ſi eſſet pars eſſentialis illius: Tum 3. quia illæ quietes ſolùm deſeruiunt ad diſcontinuandos pulsus cootrarios motus, quod per accidens ſe habet ad ipſos motus: Tum 4. quia nulla entitas componitur eſſentialiter ex oppoſitis; motus autem & quietes oppoſitæ ſunt: Tum 5. quia priuatio rei non eſt de eſſentia eius, cuius eſt priuatio; quies autem priuatio eſt motus pulsùs: Ergo non poteſt eſſe pars eſſentialis eius.

Reſoluendum quòd quietes poſitiuæ, quæ fiunt à facultate pulſificâ, ſunt partes eſſentiales pulſus: ſic tenet Galenus 4. *de differ. pulſuum cap. 5.* Auicenna palam idem profitetur; & D. Thomas Claſſicique iuniores Medici.

Probatur: Tum ex Galeno loco citato 5. *vltimam aggregatum compoſitum ex duplici quiete, pulſus appellatur.* Tum ex Auicenna dicente pulſum eſſe compoſitum ex duabus quietibus, & duobus motibus: Tum ex D. Thomà *Opuſcul. de motu cordis.* Docente pulſum eſſe motum compoſitum ex duplici motu, & duplici quiete: Tum ex Ariſtot. l. 7. *Phyſicor.* vbi inter ſpecies motus localis ponit pulſum, ipsúmque definit quòd ſit *Motus ad ſe & ad aliud*, quod implicat ſine quietibus intercidentibus illum: Tum quia pulſus ſpecificatur in ordine ad conſeruationem natiui caloris, in quem finem æquè conducunt quietes, & motus; cum non ſolùm per motum, ſed per quietes attrahatur aër, ſed & diſpergantur ſpiritus vitales: Tum quia pulſus definitur à Galeno per hoc, quòd ſit *Actio*, & non minùs quietes poſitiuæ ſunt Actio, ac ipſe motus: Tum quia pulſus eſt quoddam aggregatum ex motibus, & quietibus, & ideò non minùs ex iis, quàm ex illis componitur: Ergo tam quietes, quàm motus ſunt partes eſſentiales Pulſus.

Ad rationes dubitandi Reſpondetur: Tum pro 1. Quòd pulſus poteſt conſiderari vt eſt motus compoſitus ex ſyſtole, & dyaſtole, & vt ſic quietes ſunt partes per accidens, conducentes vt illi motus diſcontinuentur: vel vt eſt actio tendens ad conſeruationem natiui caloris, in quo ſenſu illum definit; & nos de illo nunc agimus, & prout ſic, tam eſſentialiter quietes ſunt pulſus, ſicut & ipſi motus: Tum pro 2. Quòd in pulſu dicroto licet breuiſſimè perſiſtat quies, tamen aliqua datur, in qua diſcontinuatur motus, & hæc eſt de illius eſſentia: Tum pro 3. Quòd illæ quietes non ſolùm deſeruiunt ad diſcontinuandos motus, ſed ad aërem attrahendum, & ſpiritus impartiendos, ſicut & ipſi motus: Tum pro 4. Quòd ſi entitas aggregatum quoddam ſit, componi poteſt ex oppoſitis, ſicut ipſa contraria ex oppoſitis adintegrantur, quæ ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt: Tum pro 5. Quòd pulſus non definitur, quòd ſit motus, ſed actio; quies autem actio eſt conſeruatiua in qua idem conſequitur, quod conſequebatur per motum: Tum pro 6. quòd quies non eſt priuatio actionis, ſed motus, & ideò licet non ſit pars motus eſt pars actionis, ex qua conſtat pulſus, & per quam definitur.

RESOLVTIO XII.

An cor, & arteria ſimul eodem tempore comprimantur, & dilatentur?

GAlenus *lib. de pulſibus ad Tyrones cap. 11. lib. de vſu pulſ. cap. 6. & 8. de placitis cap. 8. 3. de præſagit. ex pulſibus cap. 3. lib. 7. de Anatom. adminiſtrat. cap. 17. lib. 8. de placitis. lib. 4. de differ. pulſuum*, tenet, ſimul tempore dilatari, & comprimi cor, & arterias. Ariſtoteles *lib. de reſpiratione*, idem fatetur conuictus; quia arteriæ ſicut chordæ pendent à corde, & cum illo debent moueri. Auicenna, & Arabum Schola ex Eraſiſtrato receperunt, quòd diuerſis temporibus comprimuntur, & dilatantur cor, & arteriæ. Conciliator, Toriſanus, Gentilis, maiori conatu comprobant hanc opinionem. Inter Recentiores Harueus, & reliqui admittentes circulationem ſanguinis, cum arteriarum motum tribuant ſanguini a corde propulſo, conſequenter maximo conatu contendunt probare, quòd priùs cor mouetur, vt trudat ſanguinem; & ſubſequenti tempore à ſanguine propulſo dilatantur arteriæ, dum ipſum cor iam comprimitur, vt iterum immittat ſanguinem in arterias: ſic Highmorus, Coringius & reliqui Harueì Sectatores philoſophantur.

Galenus ſuam opinionem comprobat experientia: ſi enim ponamus manum in corde & alteram in carpo manus, ſimul, & in eodem tempore ſentitur cordis & arteriarum dilatatio. Tum 2. quia cor, & arteriæ mouentur ab eadem facultate tendente in eundem finem, & à corde in arterias communicatâ: Tum 3. quia ſi in eodem tempore comprimitur cor, & dilatantur arteriæ, & è contra; impediretur finis impartiendi ſubſtantiam contentam in corde ad illas, cum ipſæ clauderentur, dum deberent recipere ſubſtantiam a corde immiſſam. Tum 4. quia ſi cor dilataretur dum arteriæ comprimuntur, fuligines verſus cor refluerent, & nunquam poſſet cor expurgari ab illis. Ergo ſimul debent cor & arteriæ comprimi, & dilatari.

Reſoluendum, quòd falſo fundamento nititur Ariſtoteles probare ſimul cor, & arterias comprimi, & dilatari.

Probatur: Quia ſi dilatantur arteriæ ſimul cum corde, quia pendent ab illo; ſimili modo deberent venæ cordi adhærentes moueri cum illo: Tum quia ſi ex eo mouentur, quia quaſi chordæ cordi annectuntur, verſus longitudinem contraherentur, & laxerentur, non verò per ſyſtolem, & dyaſtolem in ſuis cauitatibus: Tum quia ſibi contrariatur, quia contendit quod moueantur à feruore ſanguinis: Ergo non mouentur, quia cordi annectuntur tanquàm chordæ.

Reſoluendum 2. Quod Harueus & illius ſectatores falſo nituntur fundamento, dum conantur probare quòd arteriæ corde compreſſo, dilatantur à ſolo ſanguine replente illas.

Patet hæc doctrina ex omnibus comprobationibus, quibus patefecimus cordi, & arteriis inhærere facultatem Pulſificam, ab ipſiſque perfici eorum motus: Tum ex Galeno *lib. An ſanguis in arteriis contineatur.* vbi demonſtrat, quòd ſi intra arteriam immittatur cannula, & arteria verſus illam ligetur, licet ſanguis, & ſpiritus percolent ad partes inferiores arteriæ, in illis non fit pulſatio; quæ ratio manifeſtè demonſtrat, quòd non fiebat priùs pulſatio à ſanguine; cùm ipſo tranſmiſſo, arteria impedita non pulſet, cui demonſtrationi Harueus & Highmorus dedere manus, nihil veroſimile inuenientes pro reſponſione: Tum quia, vt probauimus, arteriæ habent proprium tenorem, infra quem non comprimuntur, & vltra quem nequeunt naturaliter progredi; & licèt ſanguis intra proprium tenorem poſſet naturaliter arteriam mouere vltra illam differentiæ quæ pro ſpiritibus impartiendis requiruntur, nequirent perfici, niſi à facultate operante pro vſu, & indigentiâ: Ergo falſo nituntur fundamento.

Reſoluendum 3. Quòd dum contrahitur cor, Arteriæ dilatantur, & e contra.

Probatur 1. ex communi doctrina Galeni, ſi apponatur altera manus cordi, altera arteriæ; ſimul, & eodem tempore ſentitur cordis ictus, & arteriarum: ſed ictus cordis ſentitur in eius compreſſione, ictus arteriarum in earum dilatatione: Ergo ſimul, & eodem tempore fit compreſſio cordis, & arteriarum dilatatio. Probatur minor: Tum ex Columbo *lib.* 14. qui primus hanc doctrinam obſeruatione firmauit: Tum quia authopſia oſtendit in viuo animali, quod cor ferit pectus dum comprimitur; & ſe conſtringit ad ſanguinem pellendum in Aortam, diſtrahi verò verſus pectoris cauitatem dum dilatatur: Tum quia ſi in viuo animali abſcindatur conus pulſantis cordis, & digitus cauitati immittatur, percipitur, quòd in compreſſione verſus pectus impellat: Ergo ſentitur cor dum comprimitur.

Probatur 2. ab Arabibus: Tum quia cor dum comprimitur, emittit ſanguinem & ſpiritus in arterias, quæ ſi eſſent clauſæ nequirent à corde recipere, quod mittit: Tum quia ſi cor ſimul, & arteriæ dilatantur, ſimul ſe impedirent: ſimul enim tempore attraheret cor ab arteriis, & arteriæ à corde: Tum quia in dilatatione cordis clauduntur valuulæ impedientes ſanguinis retroceſſum ab arteria Aorta in illud, & ſubſequenti tempore, quia comprimitur arteria, etiam nequiret recipere, & nunquam eſſet apta ad recipiendum à corde ſanguinem, & ſpiritus: Tum arteriæ non poſſent comprimi, quia in dilatatione replerentur, ne detur vacuum, & in compreſſione etiam, quia compreſſo corde mittitur ſanguis, & ſpiritus in arterias: Tum quia in reliquis facultatibus corporis loco-motiuis, ne impediantur in actione, dum vna attrahit, altera expellit; quod idem inter cor & arterias debuit conſtitui à Natura.

Probatur 3. cor, & arteriæ vna & eadem Pulſifica facultate mouentur, quæ in illis operatur pro vſu, & indigentia: ſed vſus, & indigentia exigunt, quòd in diuerſis temporibus fiant compreſſio, & dilatatio in corde, & in arteriis: Ergo in diuerſis temporibus fit in corde, & arteriis compreſſio, & dilatatio. Probatur minor: Vſus, & indigentia cordis, & arteriarum ſunt vt ſanguis in corde elaboratus pro nutritione omnium partium, & ſpiritus vitales pro earum natiui calidi conſeruatione, recipiantur ſimul in arterias, per quas deferantur in partes: ſed ſi ſimul comprimerentur, nequirent à corde pelli in arterias, cum pro ſanguine, & ſpiritibus ſimul recipiendis clauſæ, non haberent aptam cauitatem: Ergo vſus, & indigentia petit, quòd dum cor comprimitur ad ſanguinem, & ſpiritus expellendos, arteriæ dilatentur, præſtentque capacitatem aptam, in quam in Aorta recipiantur, à quâ vlteriùs per naturales locomotiuas facultates ſanguis deferatur ad partes, & ſpiritus per compreſſionem pellantur in illas.

Dices quòd arteriæ in ipſa compreſſione relinquunt capacitatem, quia non ex toto comprimitur arteria.

Contra: Tota capacitas arteriæ dilatatæ requiritur pro ſanguine, & ſpiritibus: Ergo eò quòd conſtringatur, nequit ſanguinem, & ſpiritus ſimul recipere. Probatur Antecedens, quia cum ipſa operetur pro vſu, & indigentia, ſi poſſent ſpiritus, & ſanguis recipi in ipſa compreſſa, nunquam facultas poneret dilatationem, quia hæc non eſſet ex vſu, cum minor capacitas ſufficeret ad ſpiritus, & ſanguinem continendos.

Ad Galenum: Reſpondetur, quòd præſuppoſito, quòd in dilatatione ſentiretur cordis ictus in pectore, rectè concludebat Galeni ratio; ſed cum authopſia conuincat, quod dum comprimitur cor, ferit pectus, conuincitur, quòd dum ipſum comprimitur, arteriæ dilatantur; ipſæ enim in dilatatione feriunt & cùm vlteriùs Galenus non cognouerit ſanguinis circulationem, minorem dilatationis arteriarum iudicauit neceſſitatem, dum comprimitur cor: Tum pro 2. Quòd eo ipſo quòd operetur pro vſu, & indigentia facultas, quæ reſidet in corde, & in arteriis, & ob eundem finem; dum comprimit in corde, diſtendit in arteriis, ne ſe impediat in fine conſequendo: Tum pro 3. Quòd potiùs ſi ſimul comprimerentur, impediretur motus eorum quæ continentur in corde; cum compreſſæ arteriæ nequirent recipere, quod à corde mittitur; & in dilatatione ſimultaneâ ſe impedirent, cum cor traheret ab arteriis, & arteriæ a corde ob vitandum vacuum: Tum pro 4. Quòd cor compreſſione ſimul cum ſanguine, & ſpiritibus, pellit fuligines, quas compreſſæ arteriæ nequirent ſimul recipere, niſi dilatatæ aptiores reddantur ad eorum receptionem.

SECTIO III.

De Phyſiologiæ Artis ſphygmicæ ſecunda parte.

SVB Phyſiologiæ primâ Artis ſphygmicæ parte, diximus agendum de pulſus natura, & differentiis: In antecedente Sectione proſequuti ſumus Pulſus Naturam: ſub hac tertiâ, quæ Phyſiologiæ eſt ſecunda pars, proponemus Pulſuum differentias.

RESOLVTIO PRIMA.

Quotuplex ſit Pulſus ſecundum genericas ſuperiores differentias?

REſoluendum 1. Quòd primæ Pulſuum differentiæ ſunt tres: Aliæ ſunt primæ ſeu ſimplices; Aliæ compoſitæ ex iis. Aliæ inter eaſdem relatiuæ.

Probatur: Quia Pulſus differentiæ primæ deſumuntur penes quinque, quæ in pulſu reperiuntur, & ideò Primæ, ſeu ſimplices vocantur: quia ſimpliciter quælibet illarum, ab aliqua ſimplici entitate reperta in pulſu ſumitur. Si autem iſtæ conſiderentur complicatæ, ſeu ſimul ſumptæ, dicuntur Compoſitæ, ſi autem inter ſe comparentur Relatiuæ vocantur: Tum patet ex Galeno, qui hanc tradidit doctrinam *lib. de different. pulſuum*: Tum conſtabit ex infrà dicendis.

Reſoluendum 2. Quòd ſub iis tribus primis differentiis, octo ſunt genericæ differentiæ ad omnes alias differentias pulſuum ſupremæ.

Probatur ex Galeni doctrina *lib.* 1. *de different. pulſuum, à cap.* 3. *vſque ad cap.* 7. vbi latiſſime hanc doctrinam docuit: Tum ratione. In omni enim motu locali debet reperiri ipſe Motus, & ſi eſt duplex, debent reperiri quietes ipſum intercipientes, Mobile, Facultas mouens, & tempus in quo fit motus; ſic in pulſu eſt motus, ſunt quietes, eſt arteriæ ſpatium in quo fit motus, eſt pulſifica facultas à qua fit, arteria quæ mouetur, & tempus in quo mouetur. Ab ſpatio ſumitur differentia magnitudinis pulſus.

Ex tempore in quo fit, ſumitur differentia celeritatis, ſeu tarditatis. A Ex terminis ſeu quietibus, ſumitur differentia crebritatis, vel raritatis. Ex facultate, ſumitur differentia vehementiæ, vel debilitatis. Ex mobili, differentia, duritiei, vel mollitiei; & ſic fiunt quinque ſimplices differentiæ. Ex proportione temporis quod conſumitur inter motum dilatationis & compreſſionis fit Rhytmus, qui eſt ſexta differentia. in iiſdem differentiis poteſt dari æqualitas, vel inæqualitas, & fit ſeptima differentia; & quia in iis poteſt dari ordo, aut inordinatio, inde inſurgit pulſus ordinatus vel inordinatus, conſtituens octauam differentiam, quæ ex ſubſequentibus manifeſtantur.

Octo primæ genericæ Pulſuum differentiæ deſumuntur.

Ab Spatio,	*Magnitudinis,*	*aut*	*Paruitatis.*	1.
A Tempore,	*Celeritatis,*	*aut*	*Tarditatis.*	2.
A Termino,	*Crebritatis,*	*aut*	*Raritatis.*	3.
A Facultate,	*Vehementiæ,*	*aut*	*Debilitatis.*	4.
A Mobili,	*Duritiei.*	*aut*	*Mollitiei.*	5.
A Proportione durationis,	*Proportionis.*	*aut*	*Rhythmi.*	6.
A Comparatione inter ſe,	*Æqualitatis,*	*aut*	*Inæqualitatis.*	7.
Ab Ordine pulſandi	*Ordinati,*	*aut*	*Inordinati.*	8.

Dices 1. Quòd Auicenna ſuperaddit alias diffe- B rentias: Pulſum ſcilicet calidum, vel frigidum: Pulſum conſonantiæ muſicalis; & pulſum vacuum vel plenum: Ergo plures aliæ differentiæ ſunt ſuperaddendæ.

Reſpondetur: Quòd caliditas, aut frigiditas ſunt differentiæ temperamenti, non verò pulſus, nec ex eius ſpeculatione aliquod vtile ad artem Sphygmicam poteſt ſumi. Pulſus conſonantiæ pertinet ad Rhytmum; vacuus pulſus non datur; qui plenus dicitur, reducitur ad magnum.

Dices 2. Ex proportione motus ad motum, Galenus ponit Rhytmum Pulſuum: Ergo deberet aliam ſuperaddere differentiam ex proportione durationis vtriuſque quietis. C

Reſpondetur: Quòd quies interna nequit tactu percipi, vt docet Galenus 2. *de different. pulſuum. cap.* 8. & 2. *de præſagit. ex pulſibus, cap.* 2. & ideò nequit percipi proportio inter illas.

Dices 3. quòd celeritas, & tarditas ſumuntur ex modo motus, & non poſſunt eſſe differentiæ eſſentiales; cum modus non ſit pars motui eſſentialis, quæ ratio etiam probat de rhytmo, qui ſumitur à proportione, quæ non eſt pars motus.

Reſpondetur: Quòd iſtæ differentiæ licèt non ſumantur ab aliqua parte eſſentiali motus in ordine ad finem, in quem tendit ars ſphygmica, ſunt ita neceſſariæ ſicut reliquæ; & ideò ponuntur inter D differentias pulſus in arte ſphygmica neceſſarias ſeu vtiles.

Resolvtio II.

Quæ ſunt primæ quinque ſimplices differentiæ.

Reſoluendum, quòd ab ſpatio arteriæ, à tempore quo fit motus; à termino, ſeu quietibus, à facultate, & à mobili ſeu arteria quindecim ſumuntur ſimplices pulſus differentiæ, quæ ſubſe- E quuntur.

Pulſus	*Magnus,*	*Paruus,*	*Mediocris.*
Pulſus	*Celer,*	*Tardus,*	*Mediocris.*
Pulſus	*Creber,*	*Rarus,*	*Mediocris.*
Pulſus	*Vehemens,*	*Debilis.*	*Mediocris.*
Pulſus	*Durus,*	*Mollis,*	*Mediocris.*

Reſoluendum 2. Quòd Pulſus magnus dicitur, qui magnum occupat ſpatium: Paruus, qui paruum: mediocris, qui mediocre. Pulſus celer eſt qui ſuum ſpatium celeriter percurrit: Tardus qui lentè; mediocris, qui mediocriter. Pulſus creber eſt, qui paruo temporis interuallo redit ad motum, vel detinetur in quiete parum. Rarus qui longo temporis interuallo diſcedit à quiete; mediocris, qui medio modo ſe habet. Pulſus vehemens eſt, qui magno impulſu tangentem ferit: Debilis, qui debilem imprimit impulſum: Mediocris, qui mediocrem. Pulſus Durus eſt, qui difficulter cedit tangenti: Mollis, qui facile cedit: Mediocris, qui mediocriter.

Dices 1. In pueris datur pulſus magnus; ſed non datur magnum ſpatium in arteria; Ergo non dicitur magnus pulſus, qui magnum occupat ſpatium.

Reſpondetur; quòd pulſus dicitur magnus non abſolutè à magno arteriæ ſpatio, ſed reſpectiuè ad id quod vnicuique debetur.

Dices 2. Pulſum durum reſiſtere tangenti, ſicut pulſum vehementem: Ergo non differunt.

Reſpondetur: Quòd datur in duro pulſu reſiſtentia paſſiua, qui difficulter cedit tangenti, in vehementi actiua, à facultate quæ ferit tactum vehementer. & imprimit impulſum in illo.

Dices 3. Durities prouenit à frigiditate, hæc nequit tanta reperiri in arteria: Ergo nec durus pulſus.

Reſpondetur: Quòd durities poteſt prouenire à frigiditate, à plenitudine, ſeu tenſione; à ſiccitate, & ab hac plerumque prouenit in pulſu.

Reſoluendum 3. Quòd pulſus tripliciter poteſt dici magnus, paruus, aut mediocris; vel ſecundùm longitudinem; vel ſecundùm latitudinem; vel ſecundùm profunditatem. Secundùm quas, nouem differentiæ magnitudinis poſſunt deſumi ab ſpatio arteriæ.

Pulſus	*Longus,*	*Breuis.*	*Moderatus.*
Pulſus	*Latus,*	*Anguſtus,*	*Moderatus.*
Pulſus	*Altus,*	*Humilis,*	*Moderatus.*

Has differentias tradidit Galenus *lib.* 1. *de different. pulſ.* & ex earum complicatione viginti ſeptem alias componit.

Reſoluendum 4. Quòd primæ pulſuum differentiæ; aliæ ſunt propriæ, aliæ familiares, aliæ incompoſſibiles reſpectu cauſarum pulſus efficientis & materialis, ſic docuit Galenus.

Patet ex earum deſcriptione. Differentiæ propriæ facultati, & inſtrumento ſunt, quæ ab illis ſeparari non poſſunt: differentiæ familiares ſunt, quæ poſſunt

ſunt reperiri, aut non reperiri cum facultate, aut inſtrumento. Sic facultati vehementi proprius eſt Pulſus vehemens, facultati debili pulſus debilis: Mediocris, mediocri. Similiter pulſus durus eſt proprius arteriæ duræ: mollis, molli: mediocris, mediocri. Similiter differentiæ familiares dicuntur pulſus magnus, celer, & creber; ſed poterunt variari: & oppoſitæ reperiri, ſi varietur vſus cum facultate vehemente. Incompoſſibiles differentiæ ſunt, Pulſus magnus reſpectu facultatis debilis; vel arteriæ duræ, cum quibus ſunt incompatibiles.

Resolvtio III.

Quæ, & Quot ſint compoſitæ differentiæ?

GAlenus innumeras proponit differentias ex ſimplicibus compoſitas; non tamen omnes pro vſu neceſſarias. Mercatus, ex combinatione ſimplicium differentiarum, dicit reſultare pulſus compoſitos, & complicatos, quomodolibet vocentur. Proponemus eas quæ vtiliores ſunt Medicis differentias.

Reſoluendum, Quòd Pulſuum compoſitorum duodecim differentiæ proponendæ, pro vſu medico vtiliores.

Pulſuum Compoſitorum vtiliores Differentiæ.

Magnus,	*Celer,*	*Creber,*	*Vehemens;*	*Mollis.*
Moderatus,	*Moderatus,*	*Moderatus,*	*Moderatus,*	*Moderatus.*
Paruus.	*Tardus,*	*Rarus.*	*Debilis.*	*Durus.*
Magnus,	*Moderatus,*	*Moderatus,*	*Moderatus,*	*Moderatus.*
Magnus,	*Celer,*	*Moderatus,*	*Moderatus.*	*Moderatus.*
Moderatus.	*Moderatus,*	*Moderatus,*	*Vehemens.*	*Moderatus.*
Moderatus,	*Celer,*	*Creber.*	*Vehemens,*	*Durus.*
Moderatus,	*Tardus,*	*Rarus,*	*Debilis,*	*Mollis.*
Moderatus,	*Moderatus,*	*Creber,*	*Vehemens,*	*Durus.*
Moderatus,	*Moderatus,*	*Rarus.*	*Debilis,*	*Mollis.*
Paruus,	*Tardus,*	*Moderatus,*	*Moderatus,*	*Moderatus.*
Moderatus,	*Moderatus,*	*Moderatus,*	*Debilis.*	*Mollis.*

Resolvtio IV.

Qui pulſus Rhytmi dicantur.

SImplices, & compoſitas Pulſus differentias retulimus; reſtant relatiuæ proponendæ quæ ad aliquid dicuntur, quæ in triplici differentia ſunt: Prima Rhytmum pulſuum: Secunda ordinem, vel ordinis perturbationem continet: Tertia verò æqualitatem & inæqualitatem.

Rhytmi nomen Plinius à Poëtis iudicat deriuari, ſignificat conſonantiam, concentum, concinnitatem, numerúmve; & ideò apud Muſicos communiter vſurpatur pro quadam vocum proportione grauium cum acutis. Ab ipſis tranſtulerunt Medici ad ſignificandam proportionem inter motum dilatationis, & compreſſionis; dum in vtroque motu eadem eſt duratio, dicitur rhytmus à Galeno 3. *de dignot. pulſuum cap.* 3. *lib.* 1. *de difficult. reſpir. cap.* 21. *lib.* 2. *de præſag. ex pulſib. cap.* 1. qui tamen diſſentit ab Antiquis in rhytmis tradendis.

Reſoluendum 1. Quòd Rhytmus ex Galeno eſt proportio qualitatis motus diſtenſionis, & contractionis, ſiue proportio durationis inter motum dilatationis, & compreſſionis.

Reſoluendum 2. Quòd ſub Rhytmo ſunt Pulſus Eurhytmus, & Pulſus Arrhytmus. Eurhytmus debitam proportionem durationis ſeruat in vtroque motu; Arrhytmus eſt pulſus ſine rhytmo, ſeu in quo inter dilatationis & compreſſionis motum non ſeruatur durationis proportio.

Reſoluendum 3. Quòd ſub Rhytmo æquali ſunt tres differentiæ.

Contractio,	*Diſtenſio.*
Celeris,	*Celeris.*
Moderata,	*Moderata.*
Tarda,	*Tarda.*

Reſoluendum 4. Quòd in Rhytmo inæquali ſex ſunt differentiæ.

Contractio,	*Diſtenſio.*
Celeris,	*Moderata.*
Celeris,	*Tarda.*
Moderata,	*Celeris.*
Moderata,	*Tarda.*
Tarda,	*Moderata.*
Tarda,	*Celeris.*

Resolvtio V.

Qui, & quot ſint Pulſus æquales, & inæquales?

REſoluendum 1. Quòd pulſus primò diuiduntur in æquales, & inæquales, quæ ſunt differentiæ relatiuæ ad primas.

Pulſus æquales abſolutè, & ſimpliciter dicuntur, dum in omni ſimplicium genere omnes æquales ſunt: inæquales ſimpliciter, dum in omnibus illis eſt inæqualitas. Dum verò in vno, aut pluribus generibus, non autem in omnibus datur æqualitas, aut inæqualitas; hæc dicitur æqualitas, aut inæqualitas huius, vel illius generis; vt in magnitudine, aut celeritate, & vocatur æqualitas, aut inæqualitas ſecundùm quid.

Reſoluendum 2. Quòd inæqualitas, ſiue abſoluta, ſiue ſecundùm quid, alia eſt Syſtematica, ſeu Collectiua: & hæc eſt, quæ reperitur in pluribus pulſationibus inæqualibus. Alia eſt ſingularis; & hæc eſt, quæ repetitur in vnicâ pulſatione ſecundùm diuerſas partes arteriæ.

Reſoluendum 3. Quòd Pulſus inæqualis inæqualitate collectiua, ſeu Syſtematicâ, quæ attenditur penes plures pulſationes, fit dupliciter: vel enim eſt inæqualiter inæqualis, vel æqualiter inæqualis; hæc cum

A cum aliqua æqualitate ſit inæqualis ſecundùm diuerſas pulſationes, vt ſi pulſus magnus inæqualis fiat in diuerſis pulſationibus, ita vt in prima pulſatione fiat magnus, minor in ſecunda, adhuc minor in tertia, & ſic in aliis: Et talis differentia dicitur Pulſus Myurus, ſeu decurtatus, quia quaſi Baſis ad cuſpidem deſcendit, & eſt duplex; Alter deficiens, dum peruenit ad deficientiam: Alter non deficiens, dum licet fiat paruus non deficit in paruitate. Pulſus inæqualis inæqualitate inæquali non ſeruans æqualitatem in illâ, fit ſine æqualitate ab vnâ in diuerſas differentias, vt à magnitudine in omnimodam paruitatem; vel ad mediocritatem indeterminatè.

B Reſoluendum 4. Quòd Pulſus Inæqualis inæqualitate ſecundùm quid; alius eſt inæqualis in magnitudine: alius eſt inæqualis in celeritate, & huiuſmodi dicuntur Anonymi, quia carent nomine, præter quatuor, qui ſunt pulſus Intermittens. Intercurrens, Deficiens, & Reciprocus. Pulſus intermittens dicitur qui ita fit rarus, vt retineatur in quiete ſpatio vnius, aut duarum pulſationum. Pulſus Intercurrens eſt qui eo tempore, quo deberet retineri in quiete, bis ferit. Pulſus Deficiens eſt, qui peruenit ad tantam paruitatem, vt deficiat per aliquod ſpatium: hic dum iterum redit, dicitur Reciprocus.

C Dices: Quòd pulſus deficiens, reciprocus, & intermittens perueniunt ad totalem ἀσφυξίαν: Ergo non differunt.

Reſpondetur: Quòd, differunt quia reciprocus multùm intermittit, deficiens breui tempore.

Reſoluendum 5. Quòd Pulſus, inæqualitas ſingularis, alia attenditur ſub vno digito; alia ſub pluribus, in diuerſis arteriæ partibus. Sub vnico digito eſt triplex: Alia motu conciſo, media quiete; Alia motu continuo; Alia motu rettocedente. Sub motu verò, ſub vno digito interciſo, ſunt nouem differentiæ, Celer Moderatus: Celer inutilis moderatus, celer moderams tardus, moderatus, moderatus, capricitans tardus, moderatus, moderatus, tardus.

D Reſoluendum 6. Quòd pulſus inæqualis ſingularis ſub pluribus digitis; Alius eſt inæqualis inæqualiter, dum ſecundùm diuerſas partes arteriæ in vnicâ pulſatione, inæqualiter inæqualitatem ſeruat, quia diuerſo modo ſub vno digito ferit, ac ſub aliis; inæqualis æqualiter, eſt pulſus qui inæqualiter, æqualiter ferit per omnes digitos. Sex verò differentias continet pulſus inæqualis ſub pluribus digitis in vna pulſatione; extremè tardus moderatus: immoderams extremè tardus; extremè celer, moderatus; moderatus extremè celer, paulò crebrior, tardus paulò crebrior.

E Reſoluendum 7. Quòd inæqualitas non ſolùm repetitur in celeritate, ſed in reliquis ſimplicibus differentiis, tam in collectiua quàm in ſingulari inæqualitate, inæquales vero pulſus poſſunt multipliciter complicari, vel complicatis ſyſtematicis inæqualitatibus, inter ſe, vel ſingularibus inter ſe complicatis, vel ſyſtematicis cum ſingularibus ſimul, & carent nomine proprio præter decem; quæ ſunt pulſus vndoſus, vermicularis, formicans, caprixans, ferrinus, ſpagmicus, vibratus, tremens, palpitans.

Resolvtio VI.

Qui ſint Ordinati, & Inordinati Pulſus?

REſoluendum: Quòd inæqualibus pulſibus accidit ordo, aut ordinis perturbatio: Ab ordine dicuntur ordinati illi pulſus inæquales, qui in ipſa inæqualitate ordinem ſeruant, vt ſi arteria in vnaquaque quarta aut quinta pulſatione, ponat deficientiam, aut excedentem magnitudinem: dum verò ſine determinato ordine differentias mutat, & inæqualis fit pulſus, dicitur in inæqualitate inordinatus.

Reſoluendum 2. Quòd inter pulſum ordinatum, & inordinatum non datur verum medium per abnegationem extremorum; ſed poteſt dari per participationem; vt ſi detur pulſus qui in duodecima pulſatione ſemper habeat paruitatem, qui ideò ordinatus dicitur, ſi idem fiat paruus in decimâ pulſatione & in quarta, & iterum perueniens ad duodecimam, hic medius dicetur per participationem; facit enim duodecimam pulſationem ordinatam, reliquas inordinatas, vnde quodammodo fit medium inter ordinatum, & inordinatum, ſed ad curationem parum refert.

Resolvtio VII.

Vtrùm ſub octo genericis differentiis adductis ſint omnes pulſus differentiæ?

VIdetur quod non. Primò quia Auicenna *fen. ſecund. prim. Doctrina tertia ſumma prima, capite primo.* ſuperaddit Pulſum calidum, & frigidum, quæ ſunt differentiæ ſumptæ à qualitatibus primis excedentibus in arteria: Ex quibus debent ſumi differentiæ Pulſus, ſicut ſumuntur ex ſecundis, duritie, inquam, & mollitie, arteriæ ſuperuenientibus.

Secundò: Quòd pulſus ſit vacuus, aut plenus accidit pulſui: ergo huiuſmodi differentiæ debent ſuperaddi vltra octo annumeratas.

Tertiò, Inter motum dilatationis, & compreſſionis ponimus Rhythmum: Ergo inter quietem internam, & externam, altera rhythmi differentia debet ſuperaddi.

Reſoluendum: Quòd eſt adæquata diuiſio pulſuum per octo adductas differentias. Sic recepêre Iuniores, & docuit Galenus *primo de differentiis Pulſuum capite tertio, & quarto de præſagitione ex Pulſibus capite quarto.*

Probatur: Tum ex Galeno qui locis citatis hanc tradidit doctrinam: Tum quia longa experientia comprobauit nullis aliis artem indigere differentiis pro dignotione pulſuum: Tum quia conſtabit ex argumentorum ſolutionibus ſuperadditas in illis differentias non euertere hanc doctrinam: Tum quia ratione id confirmauimus ſuprà. Nam cùm Pulſus ſit motus localis, tot ex illo ſumuntur differentiæ ex vſu, pro arte Sphygmica, quot ſunt illius partes componentes &

complicationes, inter ipſas differentias; ſed in pulſu cum ſit motus compoſitus, attenduntur quietes, arteria quæ mouetur, ſpatium in quo fit motus localis, & facultas à quâ fit, & tempus in quo fit motus, & ſimplices quinque inde ſumuntur differentiæ, in illis attenditur an fiant cum ordine, aut ſine illo, & fit rhytmi differentia, attenditur æqualitas, aut inæqualitas in primis differentiis, & tandem ordo in æqualitate, aut inæqualitate, ex quibus complentur omnia quæ poſſunt in pulſu conſiderari, & ex quibus poſſunt ſumi differentiæ ad vſum medicum conducentes.

Ad 1. Reſpondetur, Quòd durum & molle conducunt ad conſiſtentiam, tenorem, aut conformationem arteriæ, & ideo ab ipſis ſumuntur differentiæ, non vero à caliditate, & frigiditate, quæ potius ſe habent ex parte finis, ſeu vſus, cuius differentias poſteà attingemus; nunc enim agimus de differentiis pulſus, deſumptis ex ipſo motu.

Ad 2. Reſpondet Galenus quòd vacuitas, & repletio reducuntur ad differentias magnitudinis, & paruitatis.

Ad 3. Reſpondetur, Quòd cum interna quies nequeat tactu percipi, ideò nec cùm interna, proportio poteſt ex toto cognoſci.

Resolvtio VI.

Vtrùm vehemens pulſus poſsit eſſe præternaturalis.

A Facultate pulſus dicitur debilis, aut vehemens, debilitas morboſa eſt, de vehementia dubitat Galenus 1. *de cauſis pulſuum*; An poſſit eſſe præternaturalis, quod tripliciter poteſt intelligi. Primò, an ab vſu, & inſtrumento præternaturaliter ſe habentibus fiat, an à ſolâ facultate; Secundò, An à ſolâ facultate vehementi fiat Pulſus ita vehemens vt morboſus fiat, ſicut fit morboſus debilis pulſus, qui ab ipſa ponitur, vt debilis; Tertiò, an ſaltem dum nimis augetur, morboſa debeat cenſeri.

Valleſius *lib. 3. controuerſ.* tenet vehementiam in pulſu non ſolùm oriri à facultate vehemente, ſed poſſe oriri à quodam conatu illi ſuperaddito, ſicut oritur motus ſenis tremuli ſine tremore, dum ponit conatum ad fugiendum, & ab iſta cauſa, vehementia in pulſu poteſt præternaturalis fieri.

Alij à ſola facultate poſſe oriri vehementiam fatentur; ſed diuerſo modo philoſophantur: nam eorum quidam ab ipſa numquam poni aliquid præternaturale contendunt; Alij autem non renuunt fateri, poſſe à facultate vehementi vehementiam poni præternaturalem: diſſentiunt fulti in eo quod, alij iudicant pulſificam facultatem operari pro vſu, quantùm ad vehementiam; & ideò poſſe ipſam morboſam ponere; alij qui iudicant ponere ſemper totam quam poteſt vehementiam; ſimul tenent nullam eſſe morboſam.

Reſoluendum 1. Quòd vehementia in pulſu à ſolâ prouenit facultate.

Probatur ex Galeno *lib. 3. de different. pulſuum cap. 1. & 4.* vbi docet, pulſum debilem, & vehementem eſſe differentias proprias facultatis pulſificæ.

Valleſius dicit, Quòd ſunt propriæ ſolùm ex parte principij; ſed nihil diceret Galenus, cum hoc modo omnes pulſus differentiæ ſint propriæ facultati, cum nequeant ſine illa fieri.

Probatur 2. vehementia eſt modus motus, qui ideò petit fieri ſicut & ipſe motus, ab eadem facultate vitali, à quà fit pulſus, qui, vt probauimus, vitalis eſt actio.

Probatur 3. Conatus in quouis opere eſt actio intenſior, & intenſio debetur facultati à qua fit eadem actio, quæ intenditur.

Probatur 4. Si potentia eſt debilis nequit conatus ipſam vehementem reddere: Ergo nec intenſum producere actum, qui nunquam poteſt excedere vim principij elicitiui.

Reſoluendum 2. Quòd pulſifica facultas apponit pro vſu, gradus vehementiæ intra ſphæram ſuæ actiuitatis, non autem debilitatis differentias.

Probatur prima pars: Tum ex Galeno 4. *de cauſis pulſuum cap. 2.* dicente, quod iræ pulſus eſt altus, magnus, & vehemens, & quod in exercitio fiunt pulſus vehementes & quod pro vindicta ponitur maior vehementia, quæ nequiret poni, niſi pulſifica virtus operaretur pro vſu: Tum quia ſicut in reliquis differentiis facultas pulſifica operatur pro vſu, quia ſic conuenit pro conſeruatione debiti caloris ad eſſe & operari in partibus; idem debuit eſſe in ponenda vehementia: Tum quia non ſemper eſt vtilis omnis pulſus vehementia, cum ad alias actiones, & in animæ paſſionibus, noua operandi difficultate poſita, noua ſuperueniat vehementiæ neceſſitas, quæ antea non erat vtilis: Ergo debuit facultas eſſe indifferens ad ipſam ſuperaddendam.

Probatur, Quòd debilitas non ponatur pro vſu, ſed à langore facultatis proueniat, quia nunquam eſt ex vſu, & ſemper facultatis morboſam vim proferat: Ergo non fit ab illa, niſi impedita vt operetur pro vſu, & indigentia.

Reſoluendum 3. Quòd poteſt poni aliqua vehementia præternaturalis à facultate pulſifica.

Probatur: Poteſt poni differentia præternaturalis in magnitudine, in raritate, & celeritate, quas pro vſu operatur: Ergo in vehementia quam pro vſu ponit, poteſt poni præternaturalis differentia, quia eodem modo poteſt poni finis in hac, quàm in illis, vt excedentem, & præternaturalem ponat differentiam.

Probatur 2. in ſtatu omnino naturali ponitur naturalis vehementia: Ergo ſi ſuperaddatur aliqua animæ paſſio, vel alia cauſa indigens vlteriori vehementia, præternaturalis à facultate fiet vehementia in pulſu.

Resolvtio VIII.

Vtrùm Pulſus Dicrotus à Galeno rectè comparetur ictibus mallei in incudem?

GAlenus *lib. 1. de diff.pulſuum cap.* 17. dicit pulſum Dictorum fieri inſtar duorum ictuum mallei ad incudem, quorum primus motus fit ab impellente, ſecundus ex reſilientia ictus in incudem: Ioſephus Structius *lib. 1. de arte ſphygmica cap.* 14. reprehendit illum. Ei adhæret Mercatus *l. 1. de differ. pulſuum cap.* 18. pulſus Dictotus vibratus debet eſſe: in hoc autem datur recurſus arteriæ, ſitúsve illius, & inæqualitas magnitudinis, celeritatis, & crebritatis, in diuerſis partibus arteriæ ſub pluribus digitis, in quo ſtat illius ratio; in quo ſi ſpectemus motum illum ſub vnico digito, vt ſic conſiderata inæqualitas Dicrotum conſtituit: videtur enim ſic arteria vibrari vltra terminum naturalem: attollitur enim, & reſilit ad internam ſedem, & iterum eleuatur, & in hac duplici pulſatione ſtat ratio pulſus Dicroti, quem Galenus non ex toto aſſimilat ictibus mallei in incudem reſilientis; quia in arteria fiat retroceſſus arteriæ, quia percutit rem duram, ſed quia fit ſimilis duplicatus motus, licet à diuerſis cauſis, ſcilicet partim à facultate, partim ab aliis partibus arteriæ reſiccatis, & impedientibus arteriæ motum, qui deberet confici à facultate.

Reſoluendmu affirmatiuè.

Probatur ex Galeno 2. *de præſagit. ex pulſibus*: vbi docet, Quod licet cum Archigene iudicauerit priùs ex ictu in durum fieri reſilientiam in pulſu, & propter arteriæ duritiem, fatetur tamen non ab hac prouenire cauſa, ſed ex inæquali intemperie cordis & arteriarum, ex duritie arteriæ & aliis cauſis, quas refert 1. *de cauſis pulſuum capite.6.* ex quo apparet in modo motus tantùm ponere ſimilitudinem, nec exempla debent tenere quoad omnia.

Resolvtio IX.

Vtrùm Pulſus poſſit peruenire ad tantam crebritatem vt careat altera quiete?

GEntilis primus hanc exagitauit quæſtionem; Valleſius ampliauit, notat triplicem dari motum localem compoſitum ex duplici motu: Alter compoſitus ex violento, & naturali, vt motus, quo ſurſum impellitur lapis, & quo naturaliter deorſum fertur: Alter in quo vterque motus eſt violentus, vt ſi lapis ſurſum impellatur, & deorſum reſiliat vi impulſus recepti in corpore duro: Alter in quo vterque motus eſt naturalis, vt cordis motus aut arteriæ ſurſum & deorſum, quorum vterque fit à facultate in ipſum ordinata. In primo motu dicit quòd datur quies priuatina, quia datur tempus in quo impulſus vis, & grauitas æquales ſunt, & neutra mouet, donec remittatur impulſus, &

A primo mouere incipiat grauitas vincens impulſum: In tertia motus complicatione datur quies poſitiua, quatenus facultas acquirit naturalem terminum in quem tendit motus, ab ipſa elicitus. In medio motu admittit quietem temporalem, in qua detinetur mobile, donec vincat receptus impulſus, & iterum moueat. Quidquid ſit de hoc,

Reſoluendum, Quòd in Pulſu Dicroto poteſt contingere, quod non detur quies poſitiua.

Probatur ex Galeno 1. *de different. pulſuum cap.* 15. vbi nullam ſenſibilem quietem dari in pulſu Dicroto affirmat: Tum quia Dicrotus diſcedit in medio motus, ſic exigente fine, ſine B eo quòd facultas acquirat intentum terminum: Ergo ſolùm per quietem priuatiuam fit diſceſſus.

SECTIO IV.

De Parte artis Sphygmicæ Diagnoſtica.

CVM ſine differentiarum pulſus dignotione, nequeat prædici ex illis, quod per C ipſas ſignificatur; ſub hac Sectione modum ipſas dignoſcendi tradenius.

Resolvtio Prima.

Quæ ſint pro pulſus dignotione requiſita?

REſoluendum 1. Quòd pro pulſus dignotione requiritur, quòd Medicus non ſtatim accedat ad apprehendendum pulſum; ſed poſtquam ſe-D dens attentè vultum ægri conſpiciat, & plura de diſpoſitione eius perquirat.

Ratio eius eſt, quia primo aſpectu conturbatur æger, & ab animi pathemate immutatus pulſus propriam diſpoſitionem mentitur.

Reſoluendum 2. Quòd requiritur in manu Medici media, & temperata temperies primarum, & ſecundarum qualitatum.

Ratio huius eſt, quia cum tactus ſit iudex, immunis debet eſſe à percipiendis qualitatibus primis, & ſecundis, mediámque habere temperiem, quæ aptior eſt tactui pro tangibilibus percipiendis, cum illi ſit in homine debita temperies, ex Galeno libro E de vſu partium.

Reſoluendum 3. Quòd Pulſus commodius attingitur in carpo manus, nec vnica vice, ſed pluribus debet percipi.

Probatur: Quia variæ ſunt differentiæ attingendæ, vt conſtat ex dictis; variæ paſſiones animæ, quæ poſſunt interturbare ex parte ægri cognitionem; variæ ex parte Medici cauſæ quæ ipſum poſſunt à cognitione auertere: Reſtat ergo vt per plures vices pulſus attingendo conetur diuerſas has cauſas impedientes cognitionem auertere.

Reſoluendum 4. Brachium debet poni in decente figura, & ſitu; ita vt nec ſit valde extenſum, nec

nimis compreſſum, ſed modicè contractum ſupra thoracem. A

Probatur: quia arteriæ motus aptiùs percipitur, dum non impeditur: ſed nimia compreſſione, aut contractione, cum mutetur illius locus naturalis, impeditur illius motus: Ergo vt aptiùs percipiatur nec debet eſſe compreſſus, nec nimis extenſus.

Reſoluendum 5. Quod quatuor digiti carpo applicentur.

Probatur: Per manus applicationem non ſolùm debent percipi differentiæ particulares, ſed omnes differentiæ, & inæqualitates collectiuæ, & ſingulares, quæ nequeunt percipi, niſi per plurium digitorum applicationem: Ergò omnes quatuor debent applicari. B

Reſoluendum 6. Quòd Medicus vtatur triplici tangendi modo; leui applicatione, mediocri, & compreſſiori.

Probatur; Quia pulſus vehemens, & durus compreſſiori apprehenſione percipiuntur: debilis leuiori, fugit enim, ſeu non reſiſtit maiori compreſſioni: mediæ differentiæ mediam deſiderant applicationem.

Reſoluendum 7. Quòd Ægrotans, dum pulſus tangitur, debet eſſe liber ab omni perturbatione animi; debet non reliquas mouere corporis partes: manus ſit nec prona omnino, nec omnino ſupina, nec digitos nimis extenſos, nec nimis compreſſos habeat. C

Probatur, Quia in perturbatione animi mutatur finis, vt dicemus, & immutatur pulſus: Quòd non moueat reliquas corporis partes, quia ſimul mouentur carpi partes, & non rectè percipiuntur arteriæ. & neruorum motus, qui ſolent superuenire. De poſitione manus conſtat, quòd ſi nimis prona ſit, grauitas magis iuuat arteriæ motum, ſi ſupina nimis, impedit: De digitorum extenſione, & compreſſione conſtat impedire debitam arteriæ poſitionem: Ergo hæc omnia ſeruanda pro pulſus cognitione.

D

Resolvtio II.

Quæ obſeruari debent pro vnaquaque pulſus differentia peculiari?

Reſoluendum 1. Quòd pro omni pulſus differentia dignoſcenda, percipienda eſt priùs illius mediocritas.

Probatur: Quia medium eſt iudex ſui obliqui: Ergo vt cognoſcantur in vnaquaque differentia, illius extrema, debet priùs cognoſci illius mediocritas. E

Reſoluendum 2. Quòd debet attendi in pulſu motus vterque; quies externa, & motus modus, vt & interna etiam percipiatur.

Probatur, quia quietes, & motus ſunt partes eſſentiales pulſus, quæ ipſum adintegrant, & quæ cognoſci petunt: Cum ergo interna quies, & vltima pars motus tactui non ſe offerant, reliquæ partes debent attendi; modus motus, vt ex illis coniecturaliter ſaltem poſſit interna quies, & reliquum motus cognoſci.

Reſoluendum 3. Quòd omnes pulſus differentiæ in promptu debent eſſe, & quæ ſint propriæ, quæ incompoſſibiles, quæ familiares.

Probatur, Quia cum omnes differentiæ propoſitæ ſint ex vſu in arte ſphygmica, & niſi in promptu ſint, nequeant tactu percipi, conandum eſt eas in promptu retinere; cúmque incompoſſibiles, propriæ & familiares, diuerſarum præſtent cauſarum indicia, non minùs earum præhabenda cognitio.

Resolvtio III.

Qualiter Pulſus magni differentiæ ſunt cognoſcendæ.

B Reſoluendum, Quòd pro pulſibus magnis cognoſcendis requiritur varia manus applicatio: cognoſcitur pulſus magnus meliùs leuiori, quam mediâ, aut compreſſiori applicatione, niſi admodum vehemens ſit facultas: Latus pulſus media applicatione manus percipitur meliùs: Altitudo, ſeu profunditas, comprimente magis applicatione, niſi debilitas facultatis impediat: Similiter figura prona iuuat ad cognoſcendam longitudinem, ad quod ſupina eſt minus commoda.

Dices quod altitudo arteriæ ſeu illius profundior pars nequit tactu percipi: Ergo fruſtra tactu illius cognitio exploratur.

Reſpondetur, Quòd percipitur maior pars motus arteriæ ex quo compreſſione facta colligitur vlterior pars, quæ reſtat cognoſcenda. C

Resolvtio IV.

Qualiter petit cognoſci pulſus celeritas, & tarditas.

Svnt tarditas, & celeritas modus motus, quem ſenſu percipi difficile eſt, Ariſtoteles ex ſpatio & tempore, quod in ipſo conſumitur docet cognoſci, Galenus 3. *de cognoſcendis pulſibus cap.* 1.
D docet quòd pulſus celeritas cognoſcitur ex modificatione quadam inuenta in impetu, quo percutit arteria pulpam digiti, id eſt, quia parum, aut multum immoratur arteria in ſpatio, quod pertranſit.

Probatur à Galeno, Quia omnia corpora, quæ mouentur, ex locis vnde mouentur, cognoſcimus quomodo moueantur, & vbi in locis remorantur, cognoſcimus, quantum tempus conſumpſerint in motu, vnde pulſus celeritas cognoſcitur, quia arteria parum temporis conſumit in motu; tarditas, quia multum temporis conſumit.

Dices, quod ex impetu celeritatis oritur, quòd
E arteria parum detineatur in motu: Ergo in pulſu celeritas non diſtinguitur à vehementia.

Reſpondetur, Quòd celeritas attenditur penes tempus, vehementia penes impetum, quo ferit arteria, & poteſt vehemens eſſe pulſus, & tardus, ſi vſus tarditatem petit, & in pulſu debili ſæpe fit tarditas ſic vſu exigente, numquam tamen vehementia.

Resolvtio V.

Qualiter Creber, aut Rarus Pulſus cognoſcatur?

REſoluendum, quòd ſicut celeritas cognoſcitur in pulſu, quia parum temporis detinetur in motu arteria; ſimiliter crebritas, quia parum temporis immoratur arteria in quietibus: quies externa cognoſcitur manus applicatione, interna verò per comparationem ad tempus, quod conſumit arteria coniecturaliter in ſano homine; & in eo, quòd citius tedeat. E contra verò crebritas.

Dices, nequire etiam percipi tempus, quo in ſano B homine arteria retinetur in interna quiete.

Reſpondetur, quòd fit coniectura, ſumpto exemplo in homine qui tranſit foſſam, & iterum redit, qui quantum retineatur in altera parte, cognoſcitur penes breuitatem, aut tarditatem, quâ ab vna ripa in alteram redit, facta motus celeritatis comparatione ſimul.

Resolvtio VI.

Qualiter Pulſus Vehemens, & Languidus cognoſcantur?

REſoluendum, quòd per comprimentem manus applicationem cognoſcitur pulſus vehemens, imprimit enim impulſum, ferítque pulpam digitorum, debilis vero nequit pulpam digitorum ferire, aut penetrare: medio modo ſe habet qui medius eſt inter vtramque.

Dices, quòd etiam Pulſus durus ferit tactum, & mollis refluit ab illo.

Reſpondetur quòd vehemens imprimit actiuè impulſum: durus paſſiuè reſiſtit.

Resolvtio VII.

Qualiter Pulſus Durus, & Mollis cognoſcantur?

REſoluendum, quòd cognoſcuntur pulſus durus, & mollis per compreſſiuam manus applicationem; durus enim pulſus motui reſiſtit, nec cedit; mollis autem cedit tangenti facilè, ſubuertitúrque à pulpâ digitorum, ita vt cumprimenti cedat ſtatim.

Dices quòd vehemens pulſus etiam reſiſtit tangenti.

Reſpondemr vt ſuprà, quòd vehemens reſiſtit actiuè imprimendo impulſum, durus reſiſtit paſſiuè, reſiſtendo impulſui tangentis: nihil tamen agendo, ſed propria duritie.

Resolvtio VIII.

Qualiter Pulſus Rhytmi cognoſcantur?

REſoluendum 1. Quòd Rhytmi Pulſus Antiquorum proportio in quantitate temporis dilatatio-

A nis ac temporis compreſſionis (licet, vt docet Galenus, tactu ex toto non comprehendatur,) poteſt comprehendi, ſaltem coniecturaliter.

Probatur ex Galeni doctrina *lib. 3. de cognoſcendis pulſibus*, & ex modo quo ſupra diximus poſſe internam percipi quietem.

Reſoluendum 2. Quòd Rhytmi pulſus proportio, quæ ex Galeno ſumitur ex proportione celeritatis in motu dilatationis, & compreſſionis, cognoſcibilis eſt tactu magnâ ex parte.

Probatur, quia tactus maiorem motus partem in compreſſione, & dilatatione percipit: Ergo ex illis poteſt faciliter tota proportio cognoſci.

Resolvtio IX.

Qualiter ſit cognoſcibilis Pulſus inæqualitas.

REſoluendum 1. Quòd ad inæqualitatem cognoſcendam prærequiritur neceſſariò procognitio æqualitatis; & per comparationem contra opponenda inæqualitas, quæ per plures pulſationes obſeruari debet, vt in earum multiplicitate omnino certiores ſimus, & ſimili modo, ordo, aut inordinatio in æqualitatibus obſeruanda.

Reſoluendum 2. Quòd inæqualitas ſingularis per plures applicationes, & per applicationem leuem, C compreſſiuam, & medianı debet attendi.

Probatur, quia difficilis eſt eius cognitio, ſi pulſus eſt debilis nequit percipi compreſſione, ſi profundus nequit attingi ſine illa: reſtat ergo vt per diuerſas applicationes conemur eius cognitionem acquirere.

SECTIO V.

De Artis Sphygmicæ parte Ætiologica.

D CVM ex cauſarum pulſus cognitione tota eius prædictionis pendeat cognitio, ſub hac Ætiologica parte, illarum rimabimur diuerſitatem, & naturam.

Resolvtio Prima.

Quæ ſit cauſa efficiens Pulſus?

VLſtadius, & reliqui admittentes ſanguinis circulationem; quibus adhæret Higmorus *lib. 2. p. 2. cap.* 7. licet cordi tribuant vim pulſandi; arte-E riarum motum violentum eſſe contendunt, fictique à ſanguine propulſo in illas ab ipſo corde; vnde Higmorus pulſum dicit eſſe arteriarum diſtenſionem violentam, ab impulſu ſanguinis à corde in arterias factam, cuius fundamenta propoſuimus *ſect. 2. reſolut.* 11. vbi hanc decidimus dubitationem, propoſuimúſque cauſas loco-motiuas ſanguinis, & ſpirituum per arterias. Quibus præſuppoſitis ob maiorem eiuſdem doctrinæ corroborationem,

Reſoluendum: Quòd arteriarum motus fit à facultate loco-motiua illis inſita, vitali dicta.

Præter rationes, ſuprà demonſtrantes hanc veritatem; Patet: Tum quia arteriæ diſtantes nequirent moueri a corde, cum ſint vltra ſphæram actiui-

tatis facultatis loco-motiuæ illius: Tum quia impulſus in longinquioribus arteriis deberet ſemper eſſe remiſſior, & ſi in illis detur vſus adauctus, vt in phlegmonibus cuiuſvis partis, arteriæ in ipſis magis mouentur, quàm in arteriis circa cor: Tum quia venæ proximiores cordi, aptiores ſunt ad hoc, vt moueantur ab impulſo ſanguine, quem recipiunt, quàm diſtantiores arteriæ; ſed venæ licet recipiant ſanguinem, ab eius impulſu non pulſant, nec mouentur: Ergo arteriæ ab alio principio dicendæ ſunt moueri, quod cum nullum ſit præter inſitam vitalem facultatem; ab ipſa mouentur.

Dices quòd venæ non pulſant, quia ſanguis non propellitur à corde in illas.

Contrà ſtat: Tum quia ſicut in illis mouetur ſanguis ſine impulſu à corde, poteſt etiam moueri per arterias: Tum quòd, ſicut ſanguis habet vias per quas pertranſeat in venas, habent eoſdem ſpiritus, & cum tenuiores ſint, poſſent propulſi moueri in illas, & facere pulſationem: Tum quòd ſanguis qui retrocedit ad cor per arterias, & ſpiritus, à quibus in metu ſuffocatur cor, contra impulſum à corde impreſſum mouetur, & debet vitalis admitti facultas à quo moueantur.

Probatur 2. impulſus quanto diſtantior ab impellente, remiſſius mouet; ſed motus ſpirituum vitalium in aneuriſmate facto in pede, aut manu vehementiùs fit quàm circa cor: Ergo non mouentur impulſu à corde communicato illis, & ſanguini ſibi commixtis; ſed à facultate vitali arteriis omnibus inhærente.

Resolvtio II.

Quot ſint cauſæ, à quibus fit Pulſus?

Reſoluendum 1. Quòd cauſæ pulſus aliæ ſunt ſecundariæ, ſeu externæ aut procatharticæ, quæ pulſum non conſtituunt, ipſum tamen immutare poſſunt: immutando aliquam ex cauſis continentibus.

Reſoluendum 2. Quòd cauſæ ſecundariæ ſunt in triplici differentia; naturales, non naturales, aut præternaturales.

Probatur, quia cauſæ ſecundariæ ſunt, quæ valent immutare aliquam ex cauſis continentibus: ſed iſtæ valent immutari à rebus naturalibus, non naturalibus, aut præternaturalibus: Ergo cauſæ externæ aut ſunt naturales, aut præternaturales.

Reſoluendum 3. Quòd cauſæ Pulſus aliæ ſunt primariæ, ſynecticæ, ſeu continentes, ſic dictæ quia pulſus continenter dependet ab illis, ita vt qualibet mutata, ſtatim varietur, & immutetur pulſus, concurrunt enim ad illius conſtitutionem.

Reſoluendum 4. Quòd cauſæ continentes ſunt facultas, vſus, & inſtrumentum; facultas eſt virtus vitalis dicta, à qua efficienter mouentur cor, & arteriæ. Vſus eſt finis ob quem mouentur cor, & arteriæ pro vſu, & indigentia animalis. Inſtrumentum dicitur mobile, ſeu cor, & arteriæ quæ localiter mouentur motu dilatationis, & compreſſionis.

A

Resolvtio III.

Vtrùm Pulſus poſſit variari ſine immutatione cauſarum continentium?

Vallesius *lib. 3. controuerſ. cap. 9.* diſcedit à Galeni doctrina, & tenet, quòd Pulſus poteſt variari ſine immutatione alicuius ex cauſis continentibus: his fultus,

Primò, Animæ paſſiones pulſum immutant, ſed hæ ſunt animæ affectiones, non autem corporeæ B pulſus cauſæ: Ergo iis non immutatis, mutatis Animæ paſſionibus, poteſt pulſus immutari.

Secundò, In timore datur debilitas facultatis ex Galeno *lib. de pulſibus ad Tyrones.* Ergo immutatur pulſus in debilem, nulla ex cauſis continentibus immutata, ſed à ſolo timore.

Tertiò, Pulſus iræ fit altus, irâ adueniente, nulla ex cauſis continentibus mutatâ: Ergo ſine illarum variatione, immutatur pulſus.

Reſoluendum quòd ſine variatione alicuius ex cauſis continentibus nequit immutari pulſus, ſic ex Galeno receperunt Medici, excepto Vallesio.

Probatur 1. ex Galeno 1. *de cauſis pulſuum cap. 11.* vbi hanc ſanciuit doctrinam: Tum quia inuariato C principio neceſſariò concurrente ad aliquem effectum, & ipſe effectus manet inuariatus; ſed continentes Pulſus cauſæ ſunt principium ex quo neceſſariò prouenit pulſus: Ergo ipſis inuariatis, nequit pulſus immutari.

Reſoluendum 2. Quòd ſi in paſſionibus animæ pro materiali variatur pulſus, ſemper variatur aliqua ex cauſis continentibus, ſic ſtatuo contra Valleſium.

Probatur 2. Paſſiones Animæ ſemper habent adiunctam corpoream aliquam qualitatem, quam intendunt, aut remittunt, mutatis ſanguine, & ſpiritibus à corde in partes, vel è contra: ſed immutatis ſanguine, & ſpiritibus, intenſis, aut remiſſis primis qualitatibus, ſemper immutatur aliqua ex cauſis con- D tinentibus, cum ſaltem immutetur vſus: Ergo non datur immutatio paſſionis animæ pro materiali, ſine immutatione alicuius ex cauſis continentibus.

Probatur 3. Potentia eliciens paſſiones animæ eſt appetitus, cui non obedit Pulſifica facultas, quæ, vt diximus, modo naturali operatur; actus illius, quæ dicuntur paſſiones animæ, ſunt immanentes, & appetitui inhærent, ſine eo quod valeant vitali adhærere facultati; ſed ipſis poſitis immutatur pulſus: Ergo quia aliquid ex materiali paſſionis immutatur, ſe tenens ex parte cauſarum continentium pulſus.

Probatur 4. In ira fit efferueſcentia ſanguinis circa cor, accenſis ſpiritibus: in timore ipſis ſuffocatis, fit frigida intemperies: in gaudio, ipſis reſolutis. Et E in aliis, iiſdem ſpiritibus aliter immutatis variæ fiunt mutationes temperierum: Ergo in paſſionibus animæ pro materiali immutatur aliqua ex cauſis continentibus.

Ad 1. Reſpondetur, quod in paſſionibus animæ, cum ſanguis, & ſpiritus immutentur, immutatur temperies, & vſus; ex cuius mutatione proueniunt variæ differentiæ pulſus.

Ad 2. Reſpondetur, quòd in timore, per acceſſum, & receſſum ſanguinis, & ſpirituum ad cor, vario modo immutato vſu, fiunt variæ differentiæ timoris in pulſu.

Ad 3. Reſpondetur eodem modo de differentiis pulſuum, quæ iræ ſuperueniunt.

Resolvtio IV.

Vtrùm in paſſionibus animæ, pro formali aliqua ex cauſis continentibus immutetur?

PRo reſolutione notandum, quòd Paſſio animæ, vt tenet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 22. & *quæſt.* 26. *art.*1. eſt propenſio, ſeu coaptatio cum aliquo obiecto præſuppoſita reali, ſeu ſenſitiua cognitione, ſeu tendentia animæ ad obiectum, vt cognitum ſenſitiuo, aut rationali appetitu. Vnaquæque poteſt dupliciter conſiderari, vel pro formali, ideſt prout eſt actus appetitus, ſiue ſenſitiui, ſiue rationalis, voluntatiſve; ſeu pro materiali, quatenus adiungitur cum animæ paſſione tranſmutatio corporalis, ſeu affluxus ſanguinis, aut ſpirituum; vt in ira poſito appetitu vindictæ, fit efferueſcentia ſanguinis circa cor, & huiuſmodi affluxus humorum, aliquando antecedunt, & poſtea ſubſequitur paſſio animæ pro formali, vt ex phlegmone ſubſequitur dolor: Et non loquimur de hoc confluxu humorum; ſed de alio, qui neceſſariò ſequitur poſita animæ paſſione pro formali, cuius gratia ſpiritus a corde in partes, vel ab iis in cor, vel ſimul ad intus, & ad extra mouentur ſanguis, & ſpiritus & huiuſmodi affluxus dicitur animæ paſſio, quia ipſi eſt coniunctos, vnde D. Thomas iram vocat efferueſcentiam ſanguinis circa cor.

Secundò præſupponendum: Quòd appetitus ſenſitiuus diuiditur in iraſcibilem, & concupiſcibilem: conueniunt in tendentia ad obiectum; differunt, quia concupiſcibilis tendit ab bonum, aut malum abſolutè; iraſcibilis circa bonum, aut malum vt induit rationem ardui, aut difficilis adipiſcibilis; ſub iis ſunt vndecim paſſiones ſenſitiui appetitus; ſub concupiſcibili ſunt ſex conſtitutæ per tendentiam in bonum; in commune inclinatio in bonum, dicitur *amor*, in malum, dicitur *odium*, ſi ſit in bonum nondum habitum, dicitur *deſiderium*, aut *concupiſcentia*, renuitio à malo non accepto, dicitur *fuga*, vel *abominatio*, ſi bonum adeptum eſt, dicitur *coaptatio*, ſeu *quietatio appetitus*, in bonum poſſeſſum dicitur *gaudium*; ſi malum iam poſſidetur, dicitur *dolor*, ſeu *triſtitia*.

Iraſcibilis paſſiones ſunt quinque; inclinatio in bonum nondum habitum, ſed arduum, dicitur *Spes*. Actus appetitus in illud, dicitur *Deſperatio*, dum diſcedit ab illo ob difficultatem adipiſcendi: Actus appetitus in malum arduum nondum præſens, & quod difficulter poteſt fugi, dicitur *Timor*, ſicut appetitus in ipſum, vt ipſum ſuperet, dicitur *Audacia*. Appetitus vindictæ contra inimicum intendentem malum inferre, dicitur *Ira*, ſub iraſcibili deficit Gaudium; quia bonum poſſeſſum nihil habet ardui. Huiuſmodi dicuntur paſſiones animæ pro formali, ad quas ſubſequitur tranſmutatio ſanguinis, & ſpirituum, quæ dicitur paſſio animæ pro materiali. De iis antecedente Reſolutione diximus per ipſas mutari partium temperiem, & vſum: de paſſionibus animæ pro formali, quarum causa immutatur pulſus vt ſanguinem, & ſpiritus moueat iuxta exigentiam talis, vel talis paſſionis, inquirimus, an talis pulſus immutatio fiat ſine mutatione alicuius ex cauſis continentibus.

Fienus *lib. de viribus imaginationis*, poſita paſſione animæ pro formali, aſſentitur dicentibus ſanguinem, & ſpiritus à ſeipſis moueri ad partes, vel ad cor, veloti in ſubſidium totius; quia illis eſt inditum hoc à generante. Sic tenet Argenterius *lib. de ſomno, & vigilia*, & Galenus *lib. de rigore, tremore & palpit. cap.*5. & 12. *methodi cap.* 2. & 2. *de cauſis ſympt. cap.* 5. Huic videtur opinioni fauere, in hoc philoſophandi modo non immutatur pulſus in paſſionibus animæ pro formali.

Fracaſtorius *lib. de ſympathia, & Antipathia rerum, fol.*60. Spiritus in paſſionibus animæ pro formali, modo dicto moueri admittit: ſed ſuperaddit cor moueri ſine variatione vſus ab anima, quia hæc ſine cognitio inſurgit ad operandum iuxta exigentiam animalis.

Petrus Garcia, & Matamoros in paſſionibus animæ pro formali iudicant ſpiritus non moueri per aliquam differentiam à pulſifica facultate ordinatam in eorum tranſmutationem; ſed quod mouentur à facultate attrahente, aut expellente cordis; quæ ſunt gradus vegetatiui, quibus conuenit trahere vtile, & expellere inutile.

Contendunt alij quòd à pulſu fit ſpirituum motus in animæ paſſionibus, non quia varietur aliqua ex cauſis continentibus; ſed quia facultas pulſifica eſt ſubdita imperio voluntatis aut appetitûs, ex quorum ſubordinatione cogitur, vt ponat differentias, per quas moueat ſpiritus.

Peramatus *lib. de facult. cap.*6. adhærens Auerrhoï 2. *Collectaneor. cap.* 17. tenet quamdam regitiuam facultatem regere pulſificam ad hoc vt moueat ſpiritus in paſſionibus animæ, ſine mutatione alicuius cauſæ continentis.

Sunt qui iudicant finem pulſus adintegrari ex hoc, quòd eſt præbere vnicuique parti debitam temperiem, & ex bono communi animalis, ob quod dicunt operari facultatem Pulſificam in paſſionibus animæ, dum ponit differentias Pulſus, per quas ſpiritus mouentur, & conſequenter finem variari admittunt.

Reſoluendum 1. Quòd nequeunt ſpiritus vitales à ſe moueri in paſſionibus animæ.

. Probatur: Tum quia, vt *diſp. de ſpiritibus*, probauimus, non viuunt ſpiritus; vnde nec poſſunt moueri à ſe: Tum quia licet viuerent, nequirent frui vita ſenſitiua, nec habere organizationem pro potentiis ſenſitiuis, cognoſcitiuis, aut loco-motiuis: Tum quia licet illas haberent, nihil poneretur in illis ratione cuius cognoſceitur neceſſitas operandi, poſita in animali paſſione animæ pro formali. Tum quia ſi operarentur in virtute generantis, ſemper mouerentur pro conuenientia animalis: ab ipſis verò commotis in paſſionibus animæ in ira fiunt febres, in timore, ex ſuffocatione eorum in corde ſuperuenit mors, ſicut & in gaudio per expanſionem ad partes externas: Ergo ſpiritus non mouentur à ſe in paſſionibus animæ.

Reſoluendum 2. Quòd ob ſolam radicationem potentiarum nequit anima operari cum Pulſifica, ſine mutatione cauſarum continentium.

Probatur: Tum quia hæc ratio probaret, vt inſurgeret ad operandū cū vegetatiuis facultatibus pro nutu cum etiam radicentur cum anima, cuius contrarium conſtat: Tum quia etiam in ſenſitiuis operaretur voluntas, aut appetitus ſine præcedente cognitione, quæ cogeret ad operandum continenter: ſed pro nutu animæ adhuc præſuppoſito actu practico mouente ipſum, vel ſine eo quod intellectus proponeret aliquid voluntati, anima inſurgeret ad operandum cum illa: Tum quia cum potentiæ naturaliter operentur pro modo, quo obiecta illis proponuntur, ſine hac connexione cogerentur operari, anima co-

gente illas ad operandum ſine propoſito obiecto, ſiuève ſibi debito: Tum quia anima ſolùm ſe poteſt habere tanquam principium radicale actiuum, quod nequit ſine coaptato fine, aut obiecto operari, nec poſſet vltra propriam conuenientiam ſpiritus mouere, nec poſſem ſpiritus ab ipſa moti in dolore fluere pro partis mortificatione; & in aliis paſſionibus pro viuentis interitu.

Reſoluendum 3. Quòd à facultatibus gradus vegetatiui nequeunt moueri ſpiritus in paſſionibus animæ pro formali.

Probatur: Tum quia facultates Attrahens, & Expellens gradus vegetatiui ſolùm deſeruiunt facultatibus gradus vegetatiui: Tum quia ſolùm verſantur circa vtile, aut inutile, quod prouenit ex alimento, & in ordine ad nutritionem: Tum quia paſſio animæ non ponit rationem vtilis, aut inutilis in ſpiritibus, vt attrahantur aut expellantur: Tum quia ſi ſiunt vtiles vt trahantur, non fiunt inutiles vt expellantur; & ideò nec obiectum vtriuſque facultatis: Tum quia operantur ſecundum vltimum potentiæ, & non pro vſu, & indigentia requiſitis pro animæ paſſionibus: Tum quia mutuò ſe impedirent in trahendo, & expellendo, conſtitutæ per eandem paſſionem aptæ ad vtrumque finem: Tum quia ſimili modo ac in arteriis mouentur ſpiritus, poſita paſſione animæ, mouerentur in venis in quibus ſunt ſpiritus vitales, & facultas attrahens, & expellens; ſed in iis omnibus, iis cauſis concurrentibus non mouentur à facultatibus attrahente, & expellente: Ergo nec in arteriis.

Reſoluendum 4. Nullam dari regentem facultatem, cui reliquæ ſubordinentur vt tali.

Probatur: Tum quia aliquid debet recipere à facultate regente, facultas illi ſubordinata, quod Auerrhoes, Forliuius, & Veiga, qui illi adhærent, non aſſignant: Tum quia omnes facultates extraherentur à proprio modo operandi, ſi operarentur nutu regentis facultatis, & non determinatæ à proprio obiecto: Tum quia ſolùm illæ potentiæ ſubordinari poſſunt regenti facultati, quæ communicant in libertate; pulſifica naturali modo operatur, vt diximus: Tum quia regitiuam facultatem non ponit Ariſtoteles, nec reliqui Philoſophi; quia vnaquæque operatur iuxta proprium obiectum poſito fine operandi, ſine eo quod regatur ab alio quam ab Authore Naturæ, qui ipſam coaptauit cum proprio fine, vltra quem nequit abſtrahi; adhuc ſi ſit ſubdita imperio voluntatis, aut appetitus: Ergo admiſſa regitiua facultate, non datur cauſa ob quam ſpiritus moueantur à facultate Pulſifica ſine mutatione alicuius cauſæ continentis.

Reſoluendum 5. Quòd bonum in communi non poteſt ſe habere ex parte finis, ita vt ſit cauſa finalis ob quam pulſus immutatur in paſſionibus animæ pro formali.

Probatur: Tum quia in vnaquaque paſſione animæ, ponuntur differentiæ plures in pulſu, & in omnibus quamplurimæ diuerſæ. Cum ergo bonum animalis ſit vnus finis, nequeunt variæ, & oppoſitæ differentiæ ob illum poni: Tum quia bonum animalis eſt genericus finis ob quem omnes eius facultates operantur; & ſicut ipſæ inter ſe habent particularia obiecta ſpecificantia, debent diuerſæ pulſus differentiæ habere diuerſos vſus ſpecificantes: Tum quia vnaquæque res bonum commune intendit, non vt ſic, ſed propter peculiare bonum ſui, brachium ſe exponit periculo vt defendat caput, vel totum, quia ſine illis nequit conſeruari, lapis deſcendit, & ignis aſcendit violenter, potiùs ob ſui conſeruationem, quàm vniuerſi; veſica trahit, non tam vt corpus repurget, quam ob fruitionem.

Reſoluendum 6. Quòd differentiæ pulſus, quæ communiter aſſignantur pro paſſionibus animæ; non ſunt earum pro formali, ſed præſuppoſita ſpirituum tranſmutatione, ſeu pro materiali.

Probatur: Tum quia in pulſu iræ docet Galenus 4. *de cauſis pulſuum cap.1.* & Auicenna *fen.2.1.d.3.* quòd eſt altus, magnus, celer, & creber; quæ differentiæ proueniunt ex efferueſcentia ſanguinis circa cor, & ex eius vſu adaucto: In gaudio, aut lætitia datur pulſus, magnus, rarus, tardus, qui prouenit ex vſu imminuto proueniente ex expanſione ſpirituum vitalium ad partes externas: In triſtitia pulſus eſt paruus, languidus, tardus, & rarus, qui in paſſione animæ pro formali nequiret eſſe paruus, ſed magnus, vt ſpiritus retrocedant ad cor: fit autem paruus ad expanſionem requiſitam poſt formale paſſionis, quà ſpiritus iterum extra mouentur; Pulſus triſtitiæ eſt paruus, languidus, tardus, & rarus, qui in retroceſſu debito pro formali paſſionis, nequiret fieri; Pulſus timoris ex Galeno 4. *de cauſis pulſuum cap.5.* eſt celer, vibratus, inordinatus & inæqualis, quæ differentiæ ſunt paſſionis pro materiali; Pulſus agoniæ, quæ cum timore iungitur, addens conatum fugiendi noxium locali motu, & vindictæ appetitum, ob quod intus & foras feruntur ſpiritus iuxta illorum acceſſum, aut receſſum ad cor, ponuntur cum variis differentiis à timoris pulſu, quales proponuntur à Galeno *lib. de cauſis pulſuum.* Ergo communiter ex ipſo, & Auicenna adductæ pulſuum differentiæ in paſſionibus animæ ſunt quæ debentur illis pro materiali.

Reſoluendum 7. Quòd in paſſionibus animæ pro formali trahuntur, aut expelluntur ad partes ſpiritus vitales à facultate vitali, prout conuenit vt partes operentur, quod debetur pro tali paſſione.

Probatur 1. Quòd trahantur ſpiritus à facultate vitali: Tum 1. quia ſic docet Galenus 4. *de cauſis Pulſuum cap.3.* docens quòd in lætitia expanduntur ſpiritus ad partes externas; & quod in timore retrahuntur; ex quo patet in formali paſſionum animæ, ſpiritus moueri à facultate vitali: Tum quia in partibus maius robur, diuerſáque temperies requiritur poſità animæ paſſione pro formali, quàm ante illam; vnde debuit ſpirituum temperiem impatientium fieri motus ad partes, & per vitalem facultatem: Tum quia patet ex Hippocrate, qui *6. Epidem. ſect.5. comm.9.* dicit: *Incandeſcentia attrahit in cor, & pulmones, lætitia autem relaxat cor.* Galenus *in comment.* dicit, *Relaxationem cordis per lætitiam explicat, id eſt, derelinquunt cor ſpiritus, qui per iram attracti opprimebant ſeu coarctabant cor*; ex quo apparet moueri ſpiritus à propria loco-motiua facultate, poſitâ animæ paſſione pro formali; antequam ſpiritus communicent intemperiem parti: Tum quia ſpiritus, & ſanguis commoti ad partes, ponunt pulſuum varias differentias, quas retulimus ex Galeno; vnde conſtat quod in formali paſſionis ſanguis & ſpiritus ſunt in partes commoti à ſuâ loco-motiuâ facultate: Tum quia cum in paſſionibus fiat ad internas, & externas & verſus quaſcumque partium differentias motus, petit fieri a vitali facultate in hunc finem à natura deſtinata: Tum quia cum ſpirituum attractio in partes in paſſionibus animæ iuxta diuerſitatem paſſionum ſit neceſſaria, & pro vſu, & indigentia operationum petit fieri, poſita paſſione animæ pro formali, & à facultate vitali, quæ pro vſu, & indigentia in hunc finem apta eſt operari.

Reſoluendum vltimò: Quòd differentiæ pulſuum,

quæ

quæ ponuntur in paſſionibus animæ pro formali, ſiunt ex mutatione vſus.

Pro cuius intelligentia, Notandum quòd cor conſtituitur ab Hippocrate origo & principium omnium operationum; quia pro illis tribuit omnibus partibus debitam caloris temperiem, quod docuit *lib. de corde, lib. de carnibus lib. de oſſium natura.* Idem tenet Ariſtoteles 3. *de hiſtoria animal. cap.* 4. D. Thomas *opuſcul.* 35. *de motu cordis*, & 12. q. 22 Deſeruit autem huius modi temperies caloris diſpoſitiuè pro actionibus ſenſitiuis, inſtrumentaliter prò vegetatiuis, & cum nequeant partes ſine debita temperie operari, præcipuè prout modo dicto completur per calorem, in eius ſubſidium ſpiritus vitales generat continuò in corde Natura, vt per ipſos illum impartiatur omnibus partibus, qui requiritur pro ſuis operationibus; in quem finem cordi & arteriis condonauit pulſificam facultatem cuius finis, & vſus eſt calorem impartiri vnicuique parti requiſitum non ſolùm pro ſui conſeruatione, ſed pro ſuis operationibus. Cum ergo diuerſæ operationes perant fieri in partibus in paſſionibus animæ, iuxta illarum exigentiam, quam ante illas, hinc fit, quòd poſita paſſione animæ pro formali, ponatur in partibus neceſſitas noui gradus caloris, ſi non ad earum conſeruationem, ſaltem ad actiones requiſitas pro tali paſſione animæ, qui finis tribuendi talem temperiem caloris partibus, immutat vſum facultatis pulſificæ, ob quem nouas ponit pulſuum differentias poſitâ paſſione animæ, pro formali.

Probatur, Tum ex Galeno *lib. 2. de ſanit. tuenda cap.* 11. vbi inter cauſas immutantes pulſum ob diuerſas temperies requiſitas, annumerat animæ paſſiones: Tum quia cum ordinetur Pulſifica facultas ad impartiendum calorem requiſitum pro operationibus debitis, ante paſſiones animæ, debuit eadem ordinari ad temperies, & calorem impartiendos requiſitos poſt ipſas: Tum quia cum Galenus, & reliqui eius Sectatores præter Valleſium, non poſſe variari pulſum teneant ſine variatione alicuius cauſæ continentis, & ſolus vſus poſſit variari modo dicto pro pulſibus debitis paſſionibus animæ pro formali; in illis ex hoc fine variato fatendum ipſas immutari: Tum quia attractio & expulſio ſpirituum ad partes, & ad cor inuenitur in paſſionibus animæ, vt ex earum differentiis adduximus ex Galeno: ſed hoc non in alium finem admittendum, niſi vt immutetur partium temperies: Ergo hæc eſt finis operandi in facultate pulſifica quæ illos mouet: Tum quia in partibus non ſolùm eſt neceſſarius moderatus calor conſeruatiuus, ſed excedens ad operandum: Ergo ad vtrumque impartiendum debet cogi facultas pulſifica, quæ hunc in finem fuit à Natura condonata: Tum quia Galenus docet quod in conualeſcentibus fiunt pulſus celeres, & frequentes vt attrahant materiam ad generandos ſpiritus vitales qui deficiunt; in ſomno retrahuntur, vt conſeruentur, & reſarciantur pro actionibus, in vigilia expanduntur in partes pro ipſis exequendis; poſt cibum feruntur ad ventriculum pro coctione; ſed ſimilis eſt operandi neceſſitas in paſſionibus animæ pro illarum actionibus: Ergo ob hunc vſum mouentur in illis.

Dices 1. Quòd defectus caloris in partibus eſt priuatio; ergo nequit eſſe vſus, cauſave finalis valens realiter pulſum immutare.

Reſpondetur, Quòd calor requiſitus in partibus pro operationibus debitis paſſionibus animæ pro formali, eſt finis ob quem ponuntur variæ differentiæ pulſus; præſuppoſita illius priuatione, ſicut in quauis cauſa finali, quæ allicit efficientem, dum nondum exiſtit.

A Dices 2. Quòd partes ante paſſiones animæ pro formali habent debitam temperiem ad eſſe: Ergo conſequenter ad operari.

Reſpondetur, Quòd poſita neceſſitate agendi cum maiori conatu, ponitur neceſſitas vlterioris diſpoſitionis ſaltem ad operari; ſic in ventriculo, poſita copia alimenti, calor trahitur ad eius concoctionem, & diſcurrenti maior copia ſpirituum ad cerebrum.

Dices 3. Potentiæ ſunt radicatæ in anima: Ergò poſita neceſſitate operandi, ab ipſa excitantur ſine mutatione finis.

Reſpondetur, Quòd radicatio potentiarum cum anima, non poteſt illas extrahere à proprio fine ſpecificatiuo, & ad hoc vt operentur, niſi ipſo poſito, aut immutato.

B Dices 4. Quòd clauditur cor in dilatatione ita vt nequeant ſpiritus retrocedere in paſſionibus animæ, ſunt enim valuulæ à quibus impediuntur recipi.

Reſpondetur com Galeno *lib. de vtilitate reſpirationis, cap.* 5. quòd ab arteria magna in cor eſt transfluxus; non enim arteriæ ex toto, clauduntur per valuulas.

Dices 5. Quòd etiam ſine paſſionibus animæ in dilatatione traherentur ſpiritus, ſicut in timore & triſtitia.

Reſpondetur, Quòd non eſt validus conatus, & non aperitur arteria vltra proprium tenorem: vnde quod reliquum illius aperitur, ſanguine repletur, in paſſionibus animæ aperitur vltra proprium tenorem, & per maiorem apertionem datur locus C receptioni ſpirituum.

Dices 6. Quòd omnes partes operantur pro bono totius: Ergo ſine particulari fine, operantur propter illud.

Reſpondetur, Quòd operantur propter finem in communi, quatenus finis particularis participat illud, vnaquæque enim res ſuum bonum peculiare proſequitur, & ideo natura, in obiectis trahendis ponit propriam conuenientiam conſeruationis, vel ſaltem fruitionis; nec ea quæ violenter operantur propter bonum commune vel vniuerſi, aliquid agerent, ſi abſque illo poſſent ſubſiſtere.

D

Resolutio V.

Quæ Pulſuum differentiæ ponantur ab vſu adaucto?

VSus pulſus eſt finis ob quem operatur facultas pulſifica, variáſque ponit differentias: Alter eſt diminutus: Alter adauctus; hic eſt vel ob intenſum calorem, vel ob neceſſitatem trahendi materiam, ex qua generentur ſpiritus. De adaucto vſu ab excedente calore præcipuè proponitur difficultas. Similis eſt ratio vtriuſque.

E Reſoluendum, Quòd ob vſum adauctum per ſe primò ponitur pulſus magnus; ſecundò pulſus celer; tertiò pulſus creber, ſi ſenſim augetur; ſi ſubitò, omnes ſimul.

Probatur: Tum ex Galeno 1. *de cauſis pulſuum cap. 5. & 7. & lib. 1. de præſag. ex pulſibus cap. 1. lib. artis medicinal. cap. 29. 1. de diffic. reſpir. cap.* 8. vbi & pulſum, & reſpirationem modo dicto prædictas ponere differentias affirmat: Tum quia Natura de poſſibilibus facit quod vtilius ad finem conſequendum eſt: vtilior eſt magnitudo; quia magis attrahit, ſecundò, celeritas cum illa, tertiò crebritas: Tum

quia

quia probat Galenus à ſimili; nam ob nimiam ſitim extinguendam, primù copiam aquæ, quàm celerem eius motum, & potiùs illum celerem quàm crebrum ponimus; nec vltimos tentamus, ſi ſufficiant primi: Tum patet, quòd ſimul ponantur, ſi vſus ponitur ſimul pro omnibus; intendit enim Natura ſimul ponere, quod ſimul pro omnibus exigit finis. A

Dices, Solâ magnitudine poteſt ſupplere facultas, quod poſſint celeritas, & crebritas, dum vſus non eſt intenſus: Ergo donec ipſæ ex toto ponantur, reliquæ non ſunt ex vſu.

Reſpondetur, Quòd cum omnes iſtæ differentiæ ſint propter vſum adauctum à Natura deſtinatæ, licet cum prioritate, dum paulatim intenditur calor, ponantur, omnes tamen concurrunt, mutuò ſe coadiuuantes, quia poſito fine vnaquæque naturali modo operanit, pro fine ſibi præſcripto, & poſito fine correſpondenti eius neceſſitati neceſſariò ſubſequitur debita differentia Pulſus ſine aggrauatinne, & moleſtiâ coadiuuantis. B

Dices 2. Quòd ſi in augmento, aut ſtatu febrium, poneret Natura differentias dictas, remitteret febrem; cum non remittat, videtur nun poni differentias debitas pro vſu.

Reſpondetur: Quòd ponit Natura differentias ſibi poſſibiles ad remittendam febrem, non autem habet neceſſarias ad eius extinctionem.

Dices 3. Quietes conducunt ad eumdem finem ac motus: Ergo poſita magnitudine, & illius quiete, ſuperfluæ ſunt celeritas, & crebritas.

Reſpondetur, Quòd eſſent ſuperfluæ ſi magnitudo, ſimul cum quietibus ſufficerent; ſed iſtæ omnes differentiæ ſimul cum quietibus, plerumque non ſatisfaciunt pro fine, & ideò perit æger. C

Resolvtio VI.

Quæ fiant differentiæ propter vſum diminutum in Pulſu?

Reſoluendum, Quòd pro vſu diminuto paulatim poſito, per ſe primò ponitur Pulſus rarus, poſtea tardus, & paruus, ſi ſubito, ponitur creber. Hæ omnes ponuntur differentiæ. D

Probatur: Tum 1. ex Galeno 1. *de cauſis pulſuum cap.* 7. *lib. de præſagit. ex pulſibus cap.* 2. Tum quia contrario modo ac ponuntur, petunt auferri, dum vſus imminuitur, cum ille imminuatur primo, qui vltimo ponitur.

Dices 1. Quòd Galenus *lib. artis medicinalis, c.*30. prò ſignis frigiditatis dicit, quod pulſus eſt minor: Ergo pulſus paruus eſt qui primò ponitur.

Reſpondetur, Quòd ponit differentiam pro cognoſcendo vſu imminuto, quæ ſi ſubito ponatur eſt neceſſaria; ſi paulatim, eſt quæ magis illum explicat. E

Resolvtio VII.

Quæ differentiæ Pulſus ponantur ex connexione facultatis, & vſus?

Reſoluendum, Quòd ex connexione facultatis, & vſus, quatuor differentiæ proueniunt ad vſum medicum conſiderandæ.

Probatur ex Galeno *lib.*1. *de cauſis pulſuum, cap.*8. vbi illas annumerat, & refert. Prima eſt, dum facultas eſt debilis, vſus verò adauctus, & tunc fiunt Pulſus languidi, parui, & tardi; nequeunt enim à facultate debili poni pulſus magni, & celeres, qui exiguntur pro vſu: loco eorum contendit Natura crebritate defectum eorum ſupplere. Secundò connectitur debilis facultas cum vſu diminuto, & fiunt pulſus tardi, parui & rari iuxta exigentiam vſus, & vires facultatis. Tertia connexio eſt, dum facultas robuſta eſt, vſus auctus; & fiunt pulſus vehementes, magni, & celeres iuxta vſus exigentiam. Quartò connectuntur facultas robuſta, & vſus diminutus, & fiunt pulſus magni, ſeu mediocres; non enim fit paruitas, quia eſt aſiſtata facultati robuſtæ · fiunt etiam pulſus tardi, & rari, quia diminutus vſus non petit contrarias differentias.

Resolvtio VIII.

Quæ ponantur differentiæ ex vſu & inſtrumenti connexione?

Reſoluendum, Quòd ex inſtrumenti, & vſus connexione quatuor fiunt differentiæ vtiles pro vſu medico.

Probatur ex Galeno *lib.*1. *de cauſis pulſuum, cap.*9. Prima connexio eſt, dum inſtrumentum eſt durum, & vſus diminutus, ex quibus fiunt pulſus duri, parui, tardi, & crebri; ſi inſtrumentum ſit molle, & vſus diminutus, fiunt pulſus molles, tardi, & rari; ſi inſtrumentum eſt durum & vſus adauctus, pulſus fiunt duri, minores quàm magni, celerrimi, & creberrimi; ſi inſtrumentum eſt molle, & vſus adauctus, fiunt pulſus molles, celeres, & crebri.

Resolvtio IX.

Quæ ſint cauſæ relatiuorum Pulſuum?

Pvlſus ordinati, & inordinati ſunt ſub reſpectiuis pulſuum differentiis, ad quas progredimur poſt tractationem de cauſis differentiarum ſimplicium.

Reſoluendum, Quòd ordinati fiunt pulſus, aut inordinati ex ſtabilitate aut inſtabilitate cauſarum.

Probatur, quia effectus ſequuntur modum operandi cauſarum, ſed cauſæ ſtabiles, & firmæ effectus producunt ſtabiles; infirmæ & inſtabiles, effectus inſtabiles, & inordinatos efficiunt: Ergo ex ſtabilitate, aut inſtabilitate cauſarum, ordinati, aut inordinati fiunt Pulſus.

Reſoluendum 2. Quòd Pulſus ſimpliciter ordinatus prouenit ex firmitudine facultatis pulſificæ, obedientia inſtrumenti, & inuariabilitate finis.

Probatur, Pulſus dependet ex iis tribus tanquam cauſis continentibus: Ergo vt fiat ordinatus, ineuitabiles dictas ſtabilitatis petit cauſas.

Reſoluendum 3. Quòd pulſus ſecundùm quid ordinatus fit ex æqualitate ſeu moderantia in cauſis continentibus.

Probatur: Pendet enim ex illis continenter: Si ergo ſecundùm quid ordinatus fit, ſecundum quid tantùm ſeruant ordinem.

Reſoluendum 4. Quòd inordinatus fit pulſus ex inſtabilitate cauſarum continentium.

Probatur: Pulſus variant ordinem, dum ordinem immutant cauſæ ex quibus dependent continenter: Ergo ſi inſtabiles fiunt, inſtabiles ſunt illius cauſæ.

A

Resolvtio X.

Vtrùm Pulſus inæqualitas poßit prouenire ſine vitio inſtrumenti?

SIne vitio inſtrumenti poſſe inæqualitatem cauſari, ex vitio inæqualitatis in vſu; contendunt aliqui: Tum 1. quia inæqualis intemperiea per partes inſtrumenti potiùs variat vſum, quàm inſtrumentum: cauſat tamen inæqualitatem pulſus ex Galeno, ex quo apparet; quòd ex vſu variato fiat pulſus inæqualis: Tum 2. quia in inæqualitate febrili pulſus inæqualis, ex ſolâ illa inæqualitate videtur prouenire inæqualitatem ſine vitio inſtrumenti: B Tum 3. in paſſionibus animæ, pro formali, fiunt inæquales pulſus ex Galeno *de cauſis pulſ.* Ergo ſine vitio inſtrumenti.

Aduertendum, Quòd Galenus contendens ſemper vitiari inſtrumentum pro pulſuum inæqualitate, ita vt variatus vſus nequeat illam cauſare, loquitur de vſu immutando per realem alterationem qualitatis realis, V.G. per calefactionem: non autem loquitur, de vſu Pulſus, qui immutatur in paſſionibus animi pro formali, modo ſupra explicato: nec Galenus contendit, quòd vitium in aliis cauſis continentibus non coadiuuet ad pulſus inæqualitatem, ſed quod ſemper coadiuuet; & ideò nos inquirimus, an ſine hoc vitio inſtrumenti ſaltem concomitante concurrente C poſſint fieri Pulſus inæquales.

Reſoluendum, Quòd inæqualitas in pulſu fit à vitio inſtrumenti, vel ipſo ſaltem concomitante.

Probatur ex Galeno, qui hanc tradidit doctrinam, *lib. de cauſis pulſuum cap.* 10. vbi illam probat: Tum quia vſus nequit tam citò immutari prout requiritur ad inæqualitatem comparandam citò ſine inſtrumenti vitio: Tum de facultate, quia nequit eſſentialiter citò opprimi, & leuari; niſi accidentaliter vitiato inſtrumento: Tum quia facultas inæqualiter agit, ſicut ſe mouet baiulator oppreſſus pondere, qui onere oppreſſis facultatibus, inæquales elicit motus: Tum quia inſtrumentum ex eodem Galeno 2. *de cauſis pulſuum cap.* 2. multipliciter læditur ad inæqualitatem D cauſandam, compreſſione, obſtructione, repletione, & inæqualitate: in intemperie cordis & arteriarum, fit compreſſio ex plenitudine venarum, quæ ſuperiacent arteriis, aut ex tumore occupante ſpatium, per quod mouentur, ex quo impeditur motus requiſitus pro vſu, & ob conatum fit inæqualitas Pulſus: ſi obſtruantur, aut repleantur arteriæ impediunt transfluxum ſpirituum, & fit ab onere impediente ſupplere pro vſu, inæqualitas in pulſu: ex inæqualitate intemperierum prouenit pulſus inæqualitas, dum eodem tempore in corde, & arteriis vna pars petit dilatationem, alia compreſſionem, alia magnitudinem, alia dilatationem, & ſic de aliis op- E poſitis differentiis.

Ad primò poſita Reſpondetur: Tum pro primo, Quòd intemperies inſtrumenti variat vſum, & variat inſtrumentum, quatenus ex primis qualitatibus immutantur ſecundæ conducentes ad eius conformationem: Tum pro 2. quòd inæqualitas febrilis fit ex vitio inſtrumenti, oppreſſione, aut compreſſione vitiati: Tum pro 3. quòd in materiali paſſionum ex confluxu humorum, compreſſione, aut oppreſſione vitiatur inſtrumentum, in ipſis pro formali immutatur ſolus vſus, de ipſis tamen non loquitur Galenus, nec nos in concluſione.

Resolvtio XI.

Quæ ſint cauſæ inæqualitatis ſingularis in Pulſu?

INæqualitas ſingularis, vt diximus, alia attenditur ſub vnico digito in vnica pulſatione, alia ſub pluribus, quarum inquirimus cauſas: ſub vnico digito altera eſt inæqualitas motu interciſo, ſiue dicta intermittens ſingularis; altera in motu continuo conſtituens pulſum imparcitatum; altera quæ fit motu redeunte.

Reſoluendum 1. Quòd Pulſus intermittens in vnicâ pulſatione tres habet cauſas; Facultatem robuſtam, vſum auctum, & inſtrumentum vitiatum. Patet: Tum de facultate, quia recurrit ad magnitudinem, quam nequiret debilis ponere: Tum de vſu aucto, quia ſi ab vſu non cogeretur, non rediret ad magnitudinem dum ab inſtrumento opprimitur: Tum de vitio inſtrumenti, quia ab ipſo defatigatur, & impeditur facultas, quominùs ponat ſemper magnitudinem, quam exigit vſus auctus.

Reſoluendum 2. Quòd Pulſus imparcitatus, quando ſcilicet impar eſt celeritas, fit ab eiſdem cauſis à quibus præcedens.

Probatur, quia ſi prædictæ cauſæ non ſint ita potentes ad ponendam magnitudinem ſaltem interciſam, ſupplent celeritate, quæ ob eaſdem rationes, etiam interciditur.

Reſoluendum 3. Quòd inæqualitas in motu redeunte, fit vel quia pars quæ digito tangitur eſt aptior ad motum; quæ circumiacent, duriores & minùs aptæ, vnde reſiſtitur motui: vel fit, quia pars quæ tangitur ſola cute tangitur; quæ ſunt vicinæ, pondere corporis circùmſtantis ita grauantur, vt nequeant cum illa ſurſum ferri, & ideò pars non oppreſſa dilatatur, retrahitur tamen à vicinis partibus: vel fit ex inæqualitate intemperiei cordis, & arteriarum; vt ſi partes ſint calidæ exigentes magnitudinem, cor grauatum ſit fuliginibus exigentibus compreſſionem.

Probatur ex Galeno qui hanc protulit doctrinam *lib. 7. de cauſis pulſuum cap. 6. lib. 2. de præſag. ex pulſibus cap.* 8.

Reſoluendum 4. Quòd inæqualitas ſingularis ſub pluribus digitis, ſi conſtituat differentiam inæqualitatis ex mutatione motus, ex qua fit pulſus decurtatus: hæc fit ex debilitate facultatis, & ex vitio inſtrumenti.

Probatur: Tum de debilitate facultatis, quia cum requirat influentem qualitatem à corde per arterias communicatam; ſi hæc non æqualiter immutatur, pulſat arteria iuxta proportionem, quam recipit, magis ſecundùm vnas partes, quàm ſecundùm alias: Tum patet de vitio inſtrumenti, quia ſi minùs aptum eſt ſecundùm vnas, quàm alias, potiùs ſecundùm vnas, quàm ſecundùm alias communicatur illuſtratio requiſita ad motum: Tum patet de inæqualitate arteriæ, quòd poteſt fieri ex nimia mollitie ſecundùm diuerſas partes, ratione cuius inceptè fit ad vniformem motum.

Reſoluendum 5. Quòd inæqualitas ex mutatione ſitus arteriæ, quæ eſt ſingularis ſub pluribus digitis dum arteria mutat ſitum, fit per diſtenſionem arteriarum, hæc autem fit ex omnibus illis rebus quæ diſtendere poſſunt arterias, vt tumor, conuulſio, violenta vicinarum partium tenſio.

Resolvtio XII.

De cauſis peculiaris inæqualitatis aliarum differentiarum

Reſoluendum 1. Quòd vibratum pulſum, qui amittens ſolitam rectitudinem ad modum arcus fit, cauſam attrabens facultas, & inſtrumentum durum, vſuſque adauctus.

Patet, Quia ideo fit, quia facultas robuſta operaos pro exigentia vſus, impedita à duritie cogitur reflecti ab incepta magnitudine, refluens à magnitudine, quam conſequi potuit.

Reſoluendum 2. Quòd Pulſus ſerrinus fit ab eiſdem cauſis inſtrumento aliqualiter tenſo, ob inflammationem partium neruoſarum.

Probatur, Quia villi qui intertexti ſunt per corpus, arteriæ communicantes cum ſubſtantia neruoſa cauſant inæqualitatem in eius tenſione, & ideò arteria ad modum ſerræ inæqualis percipitur attactu.

Reſoluendum 3. Quòd Myuri Pulſus fiunt ex imbecilla facultate, quæ remiſſè communicatur diſtantioribus partibus arteriæ. Ratio eſt, quia nequit ſine debita diſpoſitione moueri facultas, & in partibus diſtantioribus remiſsè, ob illam remiſſam agit.

Reſoluendum 4. Quòd pulſus vndoſus, vermicularis, & formicans fiunt, vel quia facultas eſt debilis, vel datur copia humorum comprimens, vel extrema inſtrumentorum mollities, quæ ſi minores, cauſant vndoſum, qui maior eſt & celerior, proueniē à copia humorum magis: vermicularis ab imbecilla facultate magis, quæ totam nequit attollere arteriam: formicans à debiliori fit facultate minùs, potente attollere arteriam, ideóque & paruum pulicem repræſentat.

Reſoluendum 5. Quòd Pulſus caprizans ſeu bis feriens ſine intercedente quiete fit à valida facultate impedita ab humorum copiâ, compreſſione, aut obſtructione arteriarum, à quibus impeditur illius continuus motus.

Probatur, Quia ab iis cogitur pauliſper remorari, & collectis viribus ſine eo quòd peruenerit ad quietem, redit, & proſequitur inceptum, & remoratum motum maiori conatu.

Reſoluendum 6. Quòd Pulſus palpitans fit à flatuoſa materia replente arteriam, tremens à facultatis imbecillitate.

Reſoluendum 7. Quòd Hecticus pulſus qui ſæpè inæqualis fit, cauſatur ea habituali intemperie ſicca partium ſolidarum; fit enim in hectica febre.

Resolvtio XIII.

Quos Pulſus Naturales, & non Naturales res efficere poſſunt?

Continenter ex cauſis continentibus, pulſus fieri diximus, ab ipſiſque immutatis immutari; ſed quia à rebus naturalibus, & non naturalibus immutantur ſæpe; de aliquibus iis immutantibus cauſis qui fiant pulſus in hac reſolutione tradetous.

Reſoluendum 1. Quòd ratione ſexus, viri mulieribus multò maiores, ac vehementiores habeot pulſus, paulò autem tardiores, ac rariores.

Probatur: Tum quia viri intenſior eſt calor, & ab vſu adaucto maiores fiunt Pulſus: Tum quia vir to-

A buſtior eſt fœmina; à robuſtiore facultate maiores fiunt pulſus: Tum quia ratione caloris ampliora ſunt viris vaſa, & ideò maiores fiunt pulſus: Tum quia viri magis exercitati ſunt, intenſiori ideò gaudent calore, à quo augetur vſus: Tum quia ob magnitudinem ſatisfaciunt vſui, & ideò fiunt tardiores, & rariores.

Reſoluendum 2. Quòd ratione temperiei calidæ Pulſus fiunt maiores, celeriores, crebriores, non autem vehementiores; contrà in frigidis.

Probatur: Tum quia ponitur vſus adauctus, cuius cauſâ hæ ponuntur differentiæ: Tum quia ex reſolutione ortâ à nimio calore, facultas fit minùs robuſta: Tum quia cum contrariorum eadem ſit ratio, ex frigida temperie debent fieri Pulſus, quos exigit vſus

B diminutus.

Reſoluendum 3. Quòd ſicco temperamento debent pulſus maior, rarior, paulò vehemens, durus: econtrà humido.

Probatur: Tum quia ſicci ſunt graciles, & arteriæ minus impeditæ per obeſitatem, maiores ponunt pulſus, & vehementia melius percipitur: Tum fiunt rariores, quia magnitudo ſatisfacit vſui: Tum conſtat fieri pulſum durum, quia à ſiccitate fit talis: Tum de oppoſitis differentiis in humidorum pulſibus conſtat, ob contrarias rationes.

Reſoluendum 4. Quòd ratione ætatum fiunt in pueris pulſus magnus, celerrimus, creberrimus: in iuuenibus maximus, vehementiſſimus: in ſenibus,

C minimus, tardiſſimus, rariſſimus, debiliſſimus, cum inæqualitate rhytmi.

Probatur: Tum de pulſibus puerorum quod ſint magni, quia habent plurimun calidi innati, & fit vſus adauctus: Tum patet quòd in illis petunt eſſe celerrimi ob eundem finem, & creberrimi, quia cum arteria ob paruitatem non ponat debitam magnitudinem, ſupplet crebritate pro vſu: Tum patet in iuuenibus quod ſint pulſus maximi, quia cum calidiſſimi, vſum habent maxime adauctum: facultas autem ob vegetiores vires robuſtiſſima in illis vehementiſſimos edit pulſus: Tum patet in ſenibus contrarias poni differentias, quia contrariæ temperies illis ob ætatem ſuperueniunt.

Reſoluendum 4. Quòd ratione temporum anni

D in Vere petunt pulſus eſſe moderati: in Æſtate parui, celeres, crebri, languidi: in Autumno diuerſi, & languidi: in Hyeme, parui, tardi, rari, languidi.

Probatur: Tum de Vere, quia temperatiſſimum tempus eſt inter reliqua; ideóque & pulſus moderati petunt eſſe in omnibus differentiis: Tum de Æſtate, quia ob reſolutionem fiunt parui, & languidi; ob vſum adauctum celeres, & crebri: Tum patet de Autumno, quia cum tempora ſint varia, ſimiliter, & pulſus; languidi tamen, quia cum ſit naturæ inimicus, laxat vires: Tum patet de Hyeme, in qua diminutus vſus moderatas petit pulſus differentias.

E Reſoluendum 6. Quòd ratione ſomni in principio illius fiunt pulſus minores tardiores, rariores, debiliores: in progreſſu, præcipue alimento iam confecto, fiunt maiores tardiores, rariores vehementiores: in fine in expergiſcentibus fiunt magni, celeres, crebri, vehementes cum vibratione.

Probatur: Tum de principio ſomni; quia in principio ſomni calor naturalis retrotrahitur, grauatur ciborum materiâ, quam aggreditur concoquere; & ideo pulſus minores, tardiores, rariores, & debiliores fiunt: Tum de progreſſu in ſomno, dum coctum eſt alimentum, patet, quia vaporibus reſolutis calor intenſior fit, vſus adauctus, roboratur virtus, & fiunt pulſus maiores, & vehementiores, tardiores, & rariores,

tiones; quia magnitudo ſupplet pro vſu, niſi ſupra modum ſe extendat ſomnus, mutantur hæ differentiæ, quia tunc iterum calor natiuus retrotrahitur, & deficiente alimento exutit & humores, & partes, ſpiritúſque reſoluit: Tum de expergeſcentibus patet quòd habent pulſus magnos, celeres, crebros, & vehementes cum vibratione, dum expergefactio fit à causâ moleſtante; quia ab ipsâ fit irritatio: ab irritatione ira; ab ira incandeſcentia ſanguinis circa cor; ab hac proueniunt differentiæ propoſitæ, magni etiam fiunt pulſus in tranquilla expergefactione, celeres, crebri, & vehementes, ad excutiendos fumoſus vapores, & vt corpus penetrabile fiat, non autem fiunt vibrati.

Reſoluendum 7. Quòd ab exercitio fiunt in principio ſi moderatum eſt, magni pulſus, celeres, crebri, vehementes; contrarij dum vires reſoluit, & immoderatum eſt.

Probatur: Tum quia augetur vſus exigens prædictas differentias, & vires ſunt robuſtæ; ſi autem ex nimio exercitio ſpiritus reſoluuntur, imminuitur vſus, vires debilitantur, & oppoſitæ differentiæ ponuntur, ſecundum magis, aut minus, prout maior, aut minor eſt defatigatio, ſpirituum reſolutio, & virium imminutio.

Reſoluendum 8. Quòd ex Amore fiunt pulſus inæquales, anonymi, & inordinati. De reliquis paſſionibus, quæ pro formali, & materiali ponuntur in Animę paſſionibus, diſputauimus ſupra: De hac patet has ponere differentias, quia varij timoris, metus, triſtitiæ, gaudij ſuperueniunt affectus, ex quorum mutatione immutátur pulſus, & in omni genere inæquales, & inordinati fiunt; & hæc omnimoda inæqualitas, & inordinatio pulſuum, quæ maximam animi perturbationem ſignificat, eſt ex pulſu, propria huius paſſionis ſignificatio.

Reſoluendum 9. Quòd ex rebus non naturalibus moderatis fiunt pulſus magni, vehementes, & moderati in reliquis differentiis: Econtrà ex earum nimio vſu, aut imminuto.

Probatur: Quia res non naturales moderatæ ſe habent ex parte cauſarum naturalium, à quibus pulſus ij naturales fiunt: E contrà ſi modum excedant, ſe habent ex parte rerum præternaturalium, à quibus pulſus naturales Immutantur.

Resolvtio XIV.

Qui fiant Pulſus ab aliquibus affectibus præter naturam.

Reſoluendum 1. Quòd cauſæ præternaturales, varias cauſant differentias vel vſum immutando, vel organa pulſus exonerando, aut intemperando, vel facultatem reſoluendo.

Probatur: Tum quia ſi debilitent facultatem, fiunt pulſus parui, celeres, crebri, languidi; poſteà parui, tardi, crebri, languidi; & vltimo fiunt minimi, tardiſſimi, creberrimi, languidiſſimi; tandémque fiunt intermittentes, deficientes, myuri, vermiculantes, & deficientes: Tum patet de eis quæ immutant inſtrumentum duritie, aut mollitie, vel onerando, & grauando ipſum, ſimúlque onere grauando facultatem proprias harum qualitatum faciunt differentias: Tùm patet de vſu adaucto, aut diminuto, à quibus ſuæ differentiæ ponuntur, ſicut ab irritante cauſa fiunt Pulſus magni, celeres, crebri.

Reſoluendum 2. Quòd dolor in principio punit pulſum maiorem, celeriorem, crebriorem, vehementiorem in proceſſu minorem, celerem, vehementem, languidiorem: Poſtremò paruum, tardum crebrum, languidum: tandem formicantem.

Probatur: Tum ex Galeno *lib. de cauſis pulſuum cap. 6.* Tum quia in principio irritata Natura concitat ſe ad auerſionem cauſæ: Tum quia poſito dolore pro formali, concitata ira, & caloris effetueſcentia ponit vſum adauctum: Tum quia in ſubſequentibus doloris temporibus debilitatur facultas ex dolore, conſumptis viribus, & ſucceſſiuo tempore dum amittuntur vires, immutato vſu; & facultate languente ponuntur pulſus differentiæ oppoſitæ.

Reſoluendum 3. Quòd ex inflammatione fiunt pulſus tenſi, ſerrans, vibrans, niſi repugnent qualitas, aut quantitas inflammationis, vel natura loci, aut aliquod ſymptoma.

Probatur: Tum prima pars; quia inflammatio facit duritiem, propter tenſionem, auget vſum propter calidam intemperiem, grauat facultatem propter compreſſionem humoris, ex quibus differentiæ propoſitæ adaugentur: Tum patet de ſecunda parte, quia fluens materia variat a mollitie in duritiem, iuxta humidam, aut ſiccam fluentem materiam, iuxta magnitudinem, aut paruitatem immutat ſerrantis pulſus naturam, iuxta membri diuerſitatem, neruoſi, aut membranoſi, ſeu carnoſi pulſus differentias admittit, aut permittit, vel iuxta ſymptomata, quæ ex parte affecta valent illos variare.

Reſoluendum 4. Quòd a pleuritide fiunt pulſus non nimis magnus, celer, creber, durus, apparens vehemens, ſerrans.

Probatur: Tum de magnitudine, quæ debetur pro vſu adaucto febris; illam aliqualiter impedit durities: Tum de celeritate, & crebritate conſtat, quia debentur ob vſum adauctum, & vt ſuppleant pro magnitudine: Tum ab inflammatione fit durities, ex hac cum tenſione pulſus ſerrans: Tum apparet vehemens pulſus ob duritiem, quæ aſſimilatur vehementiæ.

Reſoluendum 5. Quòd ex empyemate fit pulſus, in principio inæqualis, inordinatus, & ſi magna ſit tenſio ſerrans, dum pus conficitur; facto pure fiunt minus inordinati, & inæquales redduntur pulſus; poſt puris effuſionem fiunt pulſus latiores, tardiores, rariores, languidiores.

Probatur: Tum de principio, nam incipit pus in ſtatu inflammationis, & ſimiles ideo debētur pulſus illi: Tum de pure facto; quia miteſcunt accidentia, & pulſus ordinati & æquales magis redduntur: Tum patet de effluxu puris, quia languida iam facultas, & corpore extenuato, iruit in debiliores pulſus.

Reſoluendum 6. Quòd ſimplicis maraſmi pulſus eſt languidus, calidi paruus, celer, creber, languidus; frigidi paruus, tardus, & rarus, ac lāguidus, in omnibus, eſt hecticus, & durus.

Probatur: Tum quia in omni maraſmo eſt ſiccitas habitualis, & eſſentialiter debilitata facultas, à quâ languidus fit pulſus: Tum quia in calido eſt febris habitualis cum illa, & à debilitate facultatis, & duritie fit pulſus paruus; ob vſum adauctum fit celer, creber, languidus tamen: Tum de maraſmo frigido conſtat, quod ab eiſdem cauſis cum vſu diminuto paruus, tardus, raruſque fiat pulſus, languidúſque à facultate debili.

Reſoluendum 7. Quòd in Peripneumonia fiunt pulſus magnus, celer, creber, languidus, mollis, vndoſus; intermittens, intercurrens.

Probatur: Tum quòd pulſus ſit magnus, celer, A & creber, propter adauctum vſum ex inflammatione pulmonis: Tum quòd ſit languidus, quia inflammatio cordi proxima debilitat facultatem: Tum quòd ſit mollis, quia mollis eſt pulmo, & plenus ſuccorum humidorum, quorum cauſa mollis pulſus ſit: Tum ſit intermittens, & intercurrens, grauatis vaſis ex ſuccis delapſis in vaſa, & comprimentibus ipſa.

Reſoluendum 8. Quòd in lethargicis fiunt pulſus magni, debiles, & molles, ſicut in Peripneumonia tardiores, & rariores, minùs inæquales; intermittens magis, quàm intercurrens, ſæpius vndoſus, aliquando dicrotus.

Probatur: Tum de pulſibus ſimilibus, quia ſimiles ſunt cauſæ: Tum de reliquis, quia non æqualiter B vſus eſt adauctus, minúſque proximæ ſunt cauſæ grauantes arterias.

Reſoluendum 9. Quòd in phreniticis pulſus fiunt parui, celeres, crebri, duri, moderati in vehementia, rarò vndoſi, aliquando trementes, tenſi, & vibrati.

Probatur: Tum de primis quinque differentiis, quia ob inflammationem fiunt duri, ob duritiem ob vſum adauctum contendunt ſatisfacere reliquæ poſitæ differentiæ, quod deficit de magnitudine, quæ ob duritiem nequit poni, & ob facultatis aliquam debilitatem contractam ex morbo & cauſa grauante: Tum patet de reliquis differentiis, quæ non ita neceſſariò ſuperueniunt, iuxta diuerſos gradus inflammationis ex quâ fiunt pulſus inæquales, & vi- C brati, & tenſi.

Reſoluendum 10. Quòd in Paralyticis fiunt pulſus parui, rari, languidi, molles, & ſæpe crebri, inæquales aliqualiter, in ordine intermittentes.

Probatur: Tum quia ex frigida intemperie facultas languet, & vſus fit diminutus, primas exigens differentias: Tum patet de ſecunda parte, quia prout magis, aut minùs grauatur onere facultas, fiunt inæqualitas, aut inordinatio.

Reſoluendum 11. Quòd in angina fiunt pulſus, quaſi in reliquis inflammationibus, ſed vndoſus ſi tendit ad peripneumoniam, conuulſiuus, ſi ad ſpaſmum vltimò creber, & vndoſus.

Probatur: Tum quòd ſint ſimiles phreniticis, & D aliis inflammationibus, quia ſimiles habent cauſas: Tum de reliquis patet, quòd ſi tendit in alios affectus hæc inflammatio ſimiles edit pulſus ac debentur illis; fiunt tamen in vltimo crebri, & vndoſi, à facultate conante ſupplere defectum aëris, & ex onere impediente illius motum.

Reſoluendum 12. Quòd in orthopnœa fiunt pulſus inæquales, inordinati, intermittentes, deficientes; poſteà fiunt magis languidi, & tardi; tandem crebri, & languidi.

Probatur: Tum prima pars, quia ſemper ſunt in illa repletiones, compreſſiones, plenitudinéſque vaſorum, ex quibus primò poſitæ fiunt differentiæ: E Tum patet ſecunda pars, quia ad extremum deficiunt ſpiritus vitales, & animales, pro quibus vt facultas attrahat materiam, ponit crebritatem; nequit enim iam ponere magnitudinem, languidam quia ſe oſtendit.

Reſoluendum 13. Quòd in ſtomachicis ſi ſit inflammatio, fiunt pulſus prout in reliquis inflammationibus: ſi ſint anxietas, nauſea, ſingultus, vomitus, aut dolor ventriculi; fiunt parui, celeres, crebri, languidi, tandem vermiculares; In aggrauatione ventriculi, fiunt parui, tardi, rari, languidi, inæquales.

Probatur: Tum in inflammatione, quia currit ſimilis ratio, ac in reliquis: Tum quia cum ex ventriculi ſenſibilitate reſoluantur vires, facultas fit debilis; nequit magnitudinem ponere, ideò ſatisfacit celeritate, & crebritate: Tum patet in aggrauatione præcipuè frigidorum ciborum, ex quibus grauata facultas, & vſus diminutus propoſitas efficiunt differentias.

Reſoluendum 14. Quòd in ſuffocatione vteri fiunt pulſus tardus, paruus, rarus, inæqualis, inordinatus, aliquando deficientes, & ἀσφυξία.

Probatur, Quia ſuffocatur natiuus calor, vel grauatione humorum, vel eleuatione vaporum, vel potius venenoſâ aura, ex retentis in vtero vaporibus eleuata; ex quibus imminutus fit vſus, debilitas facultatis, vitium inſtrumenti; indéque & omnes fiunt differentiæ nuper poſitæ.

Reſoluendum 15. Quòd in prægnantibus fiunt pulſus maiores, celeriores, crebriores, plerumque & fiunt languidi.

Probatur: Tum quia fit vſus adauctus attemperandi non ſolum prægnantem, ſed & fœtum: ideò ponuntur differentiæ illi vſui adaucto debitæ: Tum patet reddi languidos vel defectu alimenti conſumpti à fœtu, vel ob ſubſequuta accidentia, & cibi faſtidium, vel a grauatione; vnde tandem prædictæ differentiæ ſolent immutari.

SECTIO VI.

De Prognoſtica Artis Sphygmicæ parte.

PRoperantes proſequuti ſumus peculiares cauſas pulſuum in aliquibus affectibus, adhærentes Galeni, & communi doctrinæ, vt perueniamus in finem, vltimámque ſectionē, in qua cum eiſdem proponemus Prognoſin differentiarum pulſus, in quam Artis Sphygmicæ tendit ſcopus.

Resolvtio Prima.

Quid prædicendum ex Pulſu magno, & paruo?

REſoluendum 1. Quòd pulſus magnus indicat vehementem facultatem, vſum adauctum, aut inſtrumentum molle, ſeorſim, aut ſimul concurrentia.

Probatur: Hæc omnia eſſe illius cauſas propoſuimus: Ergo dum adeſt vel omnium ſimul concurſus, vel aliquorum, ex illis eſt indicium.

Reſoluendum 2. Quòd harum cauſarum concurſum demonſtrant concomitantia alia ſigna.

Probatur: Tum quod fiat à vehemente facultate, cuius eſt differentia propria, demonſtrat, quòd ſimul ſit pulſus vehemens: Tum quod fiat ab inſtrumenti mollitie patefacit, quòd deficiente vehementia ſit pulſus mollis ſimul: Tum quòd fiat ab vſu adaucto magnus pulſus, patet ex eo quòd non ſit vehementia, nec mollis ſit pulſus, hic prouenit ex vſu adaucto: Tum quòd vſus adauctus ſit, calor monſtrat febrilis, aut aliter adauctus calor: quòd ſit neceſſitas trahēdi aërem, ex quo generentur ſpiritus, demonſtrant præcedentes cauſæ, valētes ſpiritus diſſipare, vt præcedēs morbus, nimia euacuatio, exercitium, & aliæ ſimiles: Tum quod hæc omnia prænūciet magnus pulſus, demonſtrāt hæc ſimul cōcurrêntia concomitātia ſigna.

Reſol

Reſoluendum 3. Quòd paruus pulſus ſignificat facultatem debilem, inſtrumentum durum, aut vſum diminutum, ſimul aut ſeorſim concurrere.

Probatur: Nam ab iis ſimul cauſis, & ſeorſim à quauis poteſt fieri: Ergo vel omnes ſimul, vel aliquas ſeorſim demonſtrat.

Reſoluendum 4. Quòd harum cauſarum concurſum demonſtrant concomitantia alia ſigna.

Probatur: Tum quia ſi paruus pulſus eſt ſimul debilis, eſt etiam debilitatis facultatis ſignum: Tum ſi cum paruitate datur durities, demonſtrat prouenire à duritie: Tum quia ſi ſine iis differentiis ponitur pulſus paruus, eſt ſignum vſus diminuti: Tum ſi non præceſſerunt euacuationes, vel cauſæ reſoluentes ſpiritus, demonſtrat diminutum calorem, ſimul ſi adſint cauſæ frigiditatem prædominantem demonſtrantes: Tum de omnibus patet ſimul concurrentibus, quòd paruitas pulſus eorum omnium præſtat dignotionem.

Resolvtio II.

Quid præſagiendum ex celeri Pulſu, & tardo?

REſoluendum: Quòd pulſus celer denotat vel robuſtam facultatem, dum ſimul reperitur cum pulſu vehementi; vel molle inſtrumentum, dum ſimul reperitur cum pulſu molli, vel vſum adauctum, dum ſimul reperitur cum audacto calore, vel cum neceſſitate attrahendi aërem ad generandos ſpiritus; vel ſi hæc ſimul occurrant, horum omnium ſignum eſt.

Probatur hæc doctrina eiſdem rationibus, quibus præcedentis reſolutionis doctrina fuit munita.

Reſoluendum 2. Quòd ſi tardus ſit pulſus, & debilis, denotat facultatis debilitatem, ſi tardus, & durus denotat duritiem arteriæ, ſi tardus & adſunt ſigna remiſſi caloris, ſimul & diminuti vſus eſt indicium; ſi hæc ſimul concurrant, ex omnibus fit, & omnium ſignum eſt.

Pro hâc doctrina comprobanda ſimilis ratio occurrit, ac pro contrariis differentiis.

Resolvtio III.

Quid præſagiendum ex crebritate, & raritate?

REſoluendum 1. Quòd Pulſus creber denotat vſum adauctum, vel languidam facultatem, vel inſtrumentum durum, vel hæc ſimul occurrentia.

Probatur: Tum de vſu adaucto; quia ſi facultas eſt robuſta, & inſtrumentum molle, ſolum reſtat, vt fiat ab vſu adaucto; & ideò illum ſignificat: Tum ſi adſit Pulſus durus, & creber, duritiem arteriæ demonſtrat, quia cum nequeat ponere magnitudinem requiſitam pro vſu; cogitur ſupplere crebritate: Tum quòd pulſus creber cum languido denotet languorem facultatis conſtat, quia ab ipsâ languida nequit poni debita magnitudo, ſupplet verò crebritate: Tum hæc omnia demonſtrat, ſi omnium concomitantia prædicta ſigna ſint.

Reſoluendum 2. Quòd pulſus rarus ſignum eſt, vel robuſtæ facultatis, vel inſtrumenti mollis, vel vſus diminuti, vel omnium ſimul concurrentium.

Probatur: Tum quia ſi ſimul ſit pulſus vehe- A mens, cum magnus ſimul debeat eſſe, ſupplet pro vſu; & ideò ponitur rarus: Tum quia eadem currit ratio, ſi detur pulſus mollis, & ideò ponitur pulſus rarus, indicátque ideò arteriæ mollitiem: Tum ſi illi deficiant, conſtat fieri ex vſu diminuto: Tum verò quòd fiat ex omnibus iis, ſi ſimul hæc concurrant cum illo.

Resolvtio IV.

Quid præſagiendum ex Pulſu vehemente & languido?

B REſoluendum 1. Quòd pulſus vehemens denotat vim facultatis; debilis, eius languorem.

Probatur: Pulſus vehemens eſt proprius facultatis vehementis, debilis, facultatis languidæ; ſed accidentia propria ſunt inſeparabilia ab eis, a quibus dimanant: Ergo neceſſariò ipſa demonſtrant.

Resolvtio V.

Quid prænuntient Pulſus Mollis & Durus?

REſoluendum, Quòd pulſus mollis denotat arteriæ mollitiem; durus illius duritiem.

C Probatur ſimili ratione, ac reſolutione antecedente.

Reſoluendum 2. Quòd durities arteriæ poteſt à ſiccitate prouenire, à tenſione, ex plenitudine humorum, à conſtrictione ex frigore, quæ ex aliis cognoſci petunt quam ex pulſu.

Resolvtio VI.

Quid prædicendum ex Rhytmis?

REſoluendum: Quòd pulſus ſeruans Rhytmum denotat perfectam ſanitatem, ſed temperies de- D bita vnicuique ætati denotatur per defectum Rhytmi, vel præternaturalis diſpoſitio.

Probatur prima pars, quia Rhytmus eſt dum dilatatio & compreſſio ſeruant æqualitatem: cum igitur compreſſio fiat ad expellendas fuligines, vel ob vſum diminutum; dilatatio ob vſum adauctum; ſi æqualis eſt dilatatio, & compreſſio, eſt ex parte finis quod debetur propriæ ſanitati, illiúſque Rhytmus in pulſu erit indicium.

Probatur 2. pars, quod denotetur per defectum Rhytmi, ætatum temperies, quia in ſenibus cùm ſit copia fuliginum, contractio eſt dilatatione maior; in iuuenibus quia reſoluuntur, & calor eſt intenſior; maior eſt dilatatio quam compreſſio: Ergo E valet defectus Rhytmi eſſe ſignum temperiei propriæ ætatum.

Probatur 3. Quòd Rhytmi defectus denotat etiam ſtatum morboſum, quia denotat copiam magnam fuliginum; magna compreſſio in principiis acceſſionum, & dilatatio maior compreſſione in augmento, ſeu ſtatu, denotat excedentem calorem: Ergo defectus rhytmi præternaturalem ſtatum ſalutis denotat.

Resolvtio VII.

Quid pranuncient Inaquales Pulſus.

INæqualitatem Pulſuum in Syſtemaricam, & ſingularem diuiſimus; vnaquæque ex vitio inſtrumenti, aut facultatis, & vſus cum ipſo prouenit: Inſtrumentum compreſſione, obſtructione aut plenitudine vitiatur; facultas à grauarione, irritatione, ſeu diſtractione, sut debilitate vitium paritur.

Reſoluendum 1. Quòd in inæqualitate collectiua proueniente ex vitio inſtumenti iuxta diuerſam cauſam illud immutantem, diuerſum periculum timendum, & iuxta partem affectam. B

Probatur: Tum quia patua obſtructio, quam minor inæqualitas ſignificat, minatur parum periculi; magna quam oſtendit maior inæqualitas, maius minatur periculum: Tum quia ſi compreſſio ſit proxima arteriis, diſtenſionem impedit, ſi tunicas magis, & maius minatur incommodom: ſi cor maximum, & syncopem: Tum quia ſi comprimat viſcida, craſſáque materia, quod in omni genere demonſtrat inæqualitas, maximum minatur periculum: Tum quia a ſanguine facta inæqualitas benignior eſt ſanguine enim miſſo vitati poteſt, ſine magno periculo.

Reſoluendum 2. Quòd collectiuæ inæqualitates ex plenitudine ad vires prouenientes, dum plures fiunt pulſus magni quàm parui, ſunt ſecuriores: dum plu- C res fiunt, pulſus parui, quam magni, ſunt periculoſæ.

Probatur: Quia dum fiunt pulſus magni, plures, præualet vigor facultatis, cum quo ſunt ſecuræ inæqualitates ex plenitudine ad vires: ſi præualet paruitas facultas eſt languida, ex quo maius minatur periculum ex illa.

Reſoluendum 3. Quòd inæqualitas ex intemperie contraria in corde, ſiue dicatur cauſati ab vſu, ſiue à facultatis vitio, quam concomitantur morbi alij cordis, maximum minatur periculum.

Probatur: Tum ratione partis affectæ, ex qua ſic patiente animi deliquium, & mors repentè ſubſequitur: Tum quia cum contrariæ ſint intemperies; nequit altera curari, quin altera augeatur, & D ideò nequit ſpectari ſanitas niſi tarò, & difficulter.

Reſoluendum 4. Quòd inæqualitas proueniens ex languore facultatis ob reſolutam temperiem iuxta vários ſui gradus, vario modo minatur periculum.

Probatur: Quia alia eſt inæqualitas in qua parua eſt temperamenti diſſolutio, quam monſtranr pulſus languidiores, & minores; alia eſt maior, quam monſtranr pulſus parui, tardi, crebri, & inſigniter languidi; alia eſt maxima, quam monſtrant myuri pulſus: Ergo iuxta hos diuerſos gradus diuerſimodè minatur periculum.

Reſoluendum 5. Quòd intermittentium pulſuum inæqualitas iuxta cauſæ varietatem, vel nullum, vel paruum, vel maximum minatur periculum.

Probatur: Tum quòd nullum minetur, quia plerique intra ſanitatem intermittentes habenr pulſus, ob vapores craſſos in aliquo inſigni viſcere: Tum quia intermiſſio alia fit à facultatis debilitate, alia ab inſtrumenti obſtructione, vel compreſſione: in hac adeſt magnitudo, & vehementia, nunquam aute in illa; ex iis vnaquæque intermiſſio variat magnitudine, & periculo. Qui ex debilitate facultatis intermittit pulſus vnica pulſatione, paruúſque, & languidus eſt, periculum minatur; qui per duas, mortem ma- A iori ex parte minatur: qui per tres, ſemper. Qui in ſenibus fiunt pulſus intermittentes, ſine febre, aut in pueris, ſeu iuuenibus, ſine periculo eueniunt: Tum patet ex concomitantibus aliis ſignis periculi diſtinctio.

Reſoluendum 6. Quòd inæqualitas ſingularis deterior eſt, quàm collectiua quælibet, comparatiuè ad eam quæ ſui eſt generis.

Probatur: Tum ex Galeno 2. *de Præſagit. cap.* 4. Tum quia grauior eſt cauſa, quæ in vnoquoque actu ponit inæqualitatem, quàm ea quæ ponit in aliquibus: Tum patet intelligendum comparatiuè in vnoquoque genere, quia proueniens ex debilitate facultatis ſemper eſt deterior, quàm proueniens ex vitio inſtrumenti, quæ vt diximus non ſemper exitialis, B ſicut illa.

Reſoluendum 7. Quòd ordo in inæqualitate eſt malus, licet Galenus aliter contenderit ſuadere.

Probatur: Tum quia in eis quæ ſunt ſecundùm naturam, ordo eſt optimus, quia fixas arguit conſeruatiuas cauſas, quæ ratio conuincit, vt præternaturalium cauſarum ordo, fixas illas eſſe atteſtetur, & quantò inæqualitas deterior fuerit, tantò periculoſior iudicandus illius ordo: Tum quia ſicut Hippocrates iudicium arguit difficile in febribus, quæ certo ordine acceſſiones habent; eodem modo, hoc in rebus præter naturam quibuſcumque eſt tenendum: Ataxia, ſeu perturbatio ordinis non ita certum præſtat indicium boni, aut mali; variat prognoſis iuxta C differentiarum varietatem.

Resolvtio VIII.

Quid pranuncient Pulſus complicatæ inæqualitatis, qui proprio gaudent nomine?

REſoluendum 1. Quòd Pulſus vndoſus, ſæpius ſalubre, ſæpe mortale præſtat indicium.

Probatur: Tum quòd ſalubritatis ſit indicium; atteſtatur enim nullam eſſe viſcerum inflammationem, nec iecoris, aut lienis ſcirrhum, ex quibus arteriæ D deſiccatæ vndoſum impedirent pulſum: Tum quia in febribus indicium eſt ſudoris critici: Tum conſtat aliquando eſſe ſignum lethale, quia licet dum plus ponit de magnitudine, & vehementia, ſit ſecurum, dum debilis & paruus pulſus excedunt, & in vermiculantem degenerar, mortem proximam ſignificat.

Reſoluendum 2. Quòd Pulſus vermiculans cum molli pulſu coniungitur; ideò & humidos affectus, alióſque periculoſos ſignificat.

Probatur: Tum quia ex illo cognoſcitur nimia pulmonum humiditas, dum languidæ ſunt vires ob eorum putreſcentiam: Tum quia concomitatur em- E pyematicos, pthiſicos, dum iam vires labuntur: Tum quia indicat corpora inanita ex variis euacuationibus, dum nondum ex toto reſiccata ſunt.

Reſoluendum 3. Quòd formicans Pulſus vermiculante perniciosior eſt, vterque habet ex cauſarum diuerſitate diuerſum præſtare iudicium.

Probatur prima pars: Tum quia quæ cit reſoluuntur corpora à quibus ſolent ſuperueoire, ſubito etiam reſarciuntur, vt in hæmorragià, balneo, aut aliis euacuationibus: Tum patet ſecunda pars in febribus lentis, & paruis, ac malignis: in acutis enim prohibetur ab vſu adaucto, quod pulſus fiat formicans.

Reſoluendum 4. Quòd caprizans pulſus dum viget,

Naturæ dicit victoriam, dum languet in poſtrema parte oſtendit exitium.

Probatur prima pars: Quia denotat facultatis vigorem, quo vincit oppreſſionem: ſecunda pars, quia dum languidus fit ſuccumbit oppreſſione, & fit ſignum læthale.

Reſoluendum 5. Quòd ſerrans pulſus quantò manifeſtior, tantò deterior.

Probatur: Quia cum proueniat ab inflammatione, & apoſtemate, dum manifeſtior, ipſum magis inſuperabile repræſentat.

Reſoluendum 6. Quòd pulſus conuulſiuus non æqualiter ſignificat exitium.

Probatur: Tum quia ſi proueniat poſt febres ardentes, poſt plorimas euacuationes ſymptomaticas, poſt famem, aut vigiliam, exitium prænuntiat: Tum verò ſi prouenit ab externis cauſis, venenato ictu, aut potione, quanto magis euitari poſſunt aut curari effectus earum, tantò minus periculum minatur.

Reſoluendum 7. Quòd vibratus pulſus in ſanis nihil minatur, in ægris periculum prænunciat.

Probatur prima pars; Quia ſolet expergefactis inuadere ſine incommodo, & irritatis ab aliqua titriculatione; patet ſecunda pars, quia ſolet ſubſequi ex inflammationibus, & obſtructionibus magnis.

Reſoluendum 8. Quòd tremens pulſus malum præſtat indicium ſalutis.

Probatur: Quia ſi verè talis, ſyncopes, & mortis ſolet eſſe prænuncius: Si impropriè ſic dicatur neruorum motus, prænunciat delirium in principio; poſt delirium mortem.

Reſoluendum 9. Quòd hecticus pulſus morbi longitudinem, vel mortem prænunciat.

Probatur: Quia fit à cauſa habituali, quæ vel non vincitur, vel poſt longum tempus tantùm poteſt deuinci.

Resolvtio VIII.

Vtrùm amoris ſit determinatus Pulſus, ex determinata proueniens cauſa?

AMor Deus fingitur à Poëtis; eſt tamen ex Platone Appetitio, quà bonum ſibi adeſſe vnuſquiſque deſiderat. Ex Plotino eſt Actus animæ bonum deſiderantis: ex Marſilio eſt Deſiderium pulchritudinis: ex Ariſtotele eſt Deſiderium fruendi boni, pulchríque. Alter diuinus, alter humanus vocatur; hic, alter eſt honeſtus, alter Heroicus, ſeu inſanus; honeſto ſimulachrum ſtruxere Athenienſes, vt docet Plato in Phædro, qui illum magnum eſſe prædicat, illíque magnam tribuit poteſtatem, bonorúmque omnium conſtituit cauſam, quoſcumque enim inflammat ad virtutem, pacem largitur hominibus, requiem ventis, mari tranquillitatem, elementa ſocietate conglutinat, E cunctos inter ſe familiaritate conciliat, eſt maleuolentiæ exterminator, beneuolentiæ largitor, & omnium rerum quas ad beatè viuendum ſapientia comparauit, nihil ipſo eſt maius, nihil iucundius, nihil vberius, cum ipſo enim coniunguntur beneuolentia, ſocietas, neceſſitudo, concordia, & à quo dimanarunt artes tanquam à quodam fonte, & omnium inuentionum authore, propagatoréque: duce enim amore diſciplinam excutiendi ſagittas inuenit Apollo; texendi artificium Minerua; fabricam ærariam Vulcanus; menſuram, & pondera Foëdon; litteras Mercurius, leges Ceres. plerique etiam reliquas artes, ipſa enim adama-

A runt, & inuentionem ex amore conſequuti ſunt.

Inſanos verò amor quem barbari vocarunt Iliſci, alij verò Heroïcum, alij autem Dæmonem faces ardentes gerentem; eſt ſpecies inſaniæ, vt tenet Plato in conuiuio, & vt definit in Phædro eſt mentis alienatio, ſeu furor, vt Paulus *lib.* 3. Alpharabius, & Halyabas latè proſequuntur: læditur enim cerebrum, licet concupiſcibilis ſit paſſio, ideo antiqui Tytio iecur à vulture erodi fingebant ex Galeno *lib.* 3. *de locis affectis*, & ex Auicenna *lib.* 6. *natural.* & Homerus aſſentitur *lib.* 1. *carmin. Od.* 25. & Chryſippos ad Lydiam idem ſcripſit, ſicut vt & Albucaſis *l.* 9. *Practica*, Plato in Hypia & in Lyſide ob pulchritudinem iudicat homines incidere in hunc affectum, ſic tenet B Proclus, in dialogo Alcibiadis, Socrates in ſympoſio; Maximus Tyrus *ſermone undecimo*; Marſilius in Platonis ſympoſium. Proueniunt enim ab inſano amore nimia ſollicitudo, inedia, vigiliæ, ita, vehementiſſimi animi affectus vultum ſæpe mutant, qui illo inſaniunt, nunc hilares apparent, ſtatim triſtes fiunt, pallet eorum facies, contabeſcit corpus, oculi fiunt caui, decorum vultum non retinent, nec in ſermonibus, geſtibus, aut actionibus ſunt graues, pulſus variè immutantur iuxta varias animi paſſiones de quibus non dubitamus quod ab amore proueniant, ſed an ſint euidentia illius ſigna, & an inter continentes ſit aliqua determinata cauſa à qua fiant pulſus amorem ſignificantes, dubitamus.

C Pars affirmatiua ſuadetur: Tum quia Galenus *de præſagit. ad Poſthumum cap.* 6. docet deprehendiſſe mulierem captam eſſe amore ex pulſu, & Vallerius refert ab Eraſiſtrato deprehenſum eſſe Antiochum filium regis Seleuci inſanire amore Stratonicæ nouercæ ſuæ: Tum quia amor eſt paſſio animæ: reliquæ autem paſſiones proprios habent pulſus, ex quibus deprehendi poſſunt, à neceſſariis eorum cauſis inſeparabiles, vt diximus ſupra, & docent; ira enim ex Galeno de cauſis pulſuum, facit pulſum celerem; crebrum, & vehementem; voluptas magnum, & rarum ſine vehementia; mœſtitia tardum, paruum, languidum, ac rarum; timor recens, & magnus facit pulſum vibratum; inueteratus non vehemens, ſimi- D lem mœſtitiæ edit pulſum. Pudor facit inæqualem, ac perturbatum; vt Galenus protulit *de pulſibus ad Tyrones*, *lib.* 4. *de cauſis pulſuum.* Raſis *lib. continentis* 10. Auicenna *fen.* 2. *d.* 3. Halyabas *lib.* 7. *cap.* 6. ergo ſimili modo proprium, ac determinatum habet amor pulſum à determinata aliqua ex continentibus cauſa prouenientem.

Reſoluendum, Quòd amor non habet proprium, ac vnum determinatum pulſum, ab vna determinata cauſa prouenientem: ſic tenent Ioſephus Structius, Valleſius, Sennertus & plerique recentiorum.

Probatur: Tum ex Galeno *lib.* 1 *Prognoſt. comm.* 15. vbi dicit: nullus enim pulſus proprius amoris eſt, ac peculiaris: Tum quia amor præcipuè inſanus, non E ex vera completur animæ paſſione; ſed eſt vehemens appetitus rei amatæ cum variis perturbationibus reliquarum paſſionum animæ: habet gaudium ex memoria rei amatæ, dum non conſequitur ſpem, metum, iram, timorem, triſtitiam, & cùm omnibus iſtis ſint proprij pulſus tam pro formali ſumptis, quàm pro materiali, variantur ij in amore iuxta diuerſas illi ſuperuenientes paſſiones. Inde & pulſuum ſuperuenientium in amore nulla poteſt determinata aſſignari cauſa.

Ad rationes dubitandi Reſpondetur, Quòd Hippocrates, qui primus amatorium cognouit pulſum, Eraſiſtratus, & Galenus, Structius, & reliqui Iuniores potiùs ex varia paſſionum animi conturbatione,

& ex aliis concurrentibus accidentibus ex amatorio affectu ottis amorem cognouerunt, quàm ex aliquo proprio illius pulſu: Tum pro vltimo dicimus, A quod vnicuique paſſioni ſunt proprij pulſus, non autem amoris, quia in illo omnes concurrunt, & omnes illarum pulſus.

DISPVTATIO VNICA.

DE MORBORVM RECIDIVA.

MOrbi quicumque finiuntur, vel criſi, vel paulatinâ ſolutione terminantur: qui criſi, alij perfectâ, alij imperfectâ, ac infidâ ſolutione deſinunt: iis iterum reuerti contingit; hæc reuerſio vocatur recidiua. Cuius naturam, differentias, & cauſas, ſub hac diſputatione breuiter perſtingemus.

SECTIO Vnica.

De conducentibus ad Recidiuæ integram cognitionem.

NIcolvs Florentinus *tract.2.ſumma 3.ſerm. 2.cap.4.* tenet recidiuam dici à *recido* verbo, quod idem ſignificat, quod retro, vel iterum cado, in qua acceptione extra vſum medicum cœpit recidiua vſurpari pro reditu quarumcumque rerum ad ſtatum quem priùs habuerunt, & quo per aliquod tempus fuerunt priuatæ. Sic Virgilius, *Recidiua Pergama Troia*, cecinit, & reſurgentes ſolent vocari recidiuantes. Medici inde vſurpantes nomen recidiuæ, illud ſumunt pro reditu morbi, qui iam ſolutus fuit, & iterum redit, in qua acceptione, de illa agemus ſub hac Sectione.

Resolvtio Prima.

Vtrùm apud Medicos recidiua ſolius morbi reditum ſignificet?

REſoluendum 1. Quòd in latiori ſignificatione apud Medicos non ſemper recidiua ſolius morbi reditum ſignificat.

Probatur 1. Ex ſummo dictatore Hippocrate, qui *lib. 4. Epidem. verſ.* 357. recidiuam vocat reditum accidentium in morbis, Abſceſſus enim redeuntes vocat recidiuantes, id eſt ſæpius redeuntes: E Tum *lib.6.ſect.8. verſ.*34. tumores palpebrarum ſæpius vocat recidiuantes: Tum *ſect.1.Coacarum verſ.* 288. ſuppurationes aurium recidiuantes in ſenibus mortem adducere tenet, id eſt ſæpius superuenientes: Tum *in Coacis ſect.3. verſu* 237. plura accidentia ſuperuenientia vocat recidiuantia dum ſunt redeuntia: Tum *cap.4. ſect. 2. comm.1. text.* 23. dicit, Qui in tremoribus conuelluntur, recidiuant, ſeu pluries repetunt: Tum *text.9. eiuſdem ſectionis*, tremulas appellat recidiuas, ipſos tremores redeuntes: Ergo inter Medicos recidiua non ſolùm ſumitur pro morborum reditu.

Probatur 2. ex Hippocrate 2. *Aphoriſm.* docente, *Quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere conſueue-* B *runt*, ſed ex relictis in morbis redeunt non ſolùm morbus, ſed eius accidentia: Ergo de omnibus verificatur recidiua.

Reſoluendum 2. Quòd propria acceptio recidiuæ eſt pro reditu morbi, qui prius ſolutus fuit.

Probatur ex nuper citata Hippocratis ſententia 2. *Aphoriſmor.* 12. vbi ſuperaddit, quòd quæ relinquuntur poſt indicationem, conſueuerunt facere recidiuas; ſed propriiſſime morbus dicitur iudicatus: Ergo de ipſo dicitur propriiſſimè recidiua.

Probatur 2. Medicus in curatione per ſe primò reſpicit morbum tanquam illum, à quo læduntur operationes, & à quo ſumitur indicatiua curatio: Ergo ſi iam ſolutus redeat per ſe primò a Medico attenditur illius recidiua, ex qua ſumitur curandi C ratio.

Probatur 3. Recidiua eſt accidens quod ſuperuenit morbo recidiuanti; ſicut, & reliqua concomitantia, aut ſuperuenientia accidentia: Ergo propriè de illo dicitur.

Resolvtio II.

Quid ſit recidiua morbi?

NIcolus Recidiuam docet eſſe dum conualeſcens retrocedit in ægritudinem priſtinam. Odi de Odiis *in comm. ad ſententiam* 12. *lib.2. aphor.* dicit: D Quòd eſt eiuſdem morbi reiteratio, qui paulò ante quieuit à cauſâ internâ: alij contendunt quod ſit relapſus ex vi morbi ſoluti in eundem.

Reſoluendum 1. Quòd Recidiua eſt Reditus eiuſdem morbi ſoluti ex toto, paulò anteà, in ſeipſum, ex vi morbi ſoluti. Particula, *Reditus*, generica eſt, ſub qua omnes reditus ad ſtatum, in quo res fuerunt, comprehendit, ſimul & reditus accidentium, alterationis cauſæ morbificæ, & ipſius morbi. Particula *Morbi* excludit reliquarum rerum reditus, qui non ſunt pro vſu medico, & reditus alterationis cauſæ, & accidentium quorum recidiuas non attendimus pro curatione, ſed ſolius morbi, à quo ſumuntur in- E dicationes curatiuæ per ſe primò a Medico. Particula, *Eiuſdem*, excludit à ratione recidiuæ reditum ſeu ſoperuenientiam alterius cuiuſuis morbi, qui poteſt ſubſequi poſt cuiuſuis morbi terminationem. Particula, *Soluti ex toto*, excludit nouas ingraueſcentias morborum, qui ſine eo quod ſoluantur, ſolent denuò poſtquam remiſerunt ingraueſcere: vnde Hippocrates *in Epidem.* dicit, quod morborum alij erant recidiuantes, alij redeuntes, id eſt ante ſolutionem ingraueſcentes; ſimiliter excludit Particula, *Ex toto*, reditus acceſſionum; redit enim acceſſio, quæ eſt pars morbi, non tamé totus morbus ex toto ſolutus, quia ſolùm erat ſolutus ſecundum determinatam ſui partẽ. Particula, *Paulò antea*, excludit morbos ſimiles poſt multum temporis ex nouis cauſis ſuperuenientibus.

bus. Particula *in ſeipſum.* abſtrahit ab hoc, quod ſit in ſeipſum ſecundum numerum, vel ſecundum ſpeciem, de quo diſputabimus infra, & excludit tranſmutationem vnius morbi in alium ſpecie diſtinctum, vt ſi mutetur tertiana in quartanam. Particula, *Ex vi morbi ſoluti*, ſuperaddit neceſſariam connexionem morbi recidiuantis, cum eo qui præceſſit; ratione enim alicuius cauſaliter, aut occaſionaliter, quod præceſſit in morbo antecedente, debet ſubſequi nouus inſultus, qui dicitur Recidiua; aliàs non eſſet idem morbus recidiuans, etiamſi eſſet eiuſdem ſpeciei.

Probatur 1. Quòd ad Recidiuam requiritur ſolutio integra primi inſultus morbi: Tum ex Hippocrate *Lib.* 1. *Epidem. ſect.* 3. *text.* 22. vbi de Hipſicratis vxore dicit quod 27. die libera fuit à febre & poſtea recidiuauit 34. die: Tum *lib.* 3. *Epidem. ſect.* 1. *ægroto* 2. dicit quòd liberatus fuit a febre, & poſt plures dies rediit febris: Tum *ſect.* 3. *textu* 79. de Anaxione dicit, quòd 20. die liberatus fuit à febre, & febricitauit 27. die: Tum quia recidiuantem morbum docet intermittere, ſeu ſolui, vt ex ipſo deducitur 4. *Aphoriſm.* 63. & *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 2. & *ſect.* 3. Tum quia non poſſet dari reditus in ſeipſum, ſi ipſe non eſſet ſolutus.

Probatur 2. Quòd requiratur pro recidiua morbi reditus: Tum quia ſi ſolus nouus inſultus, ſeu incrementum ſufficeret, acceſſiones, & quæcumque incrementa morborum eſſent recidiua.

Probatur 3. Quòd morbi reditus debet eſſe ex vi primi morbi occaſionaliter, ſeu cauſaliter; Tum quia per hoc conſtituitur ratio recidiuæ vt diſtinctæ à quibuſlibet aliis ſuperuenientibus morbis, ab aliis cauſis non habentibus connexionem, à primo morbi inſultu: Tum quia aliquam vnitatem debet vnaquæque recidiua habere inter primum, & ſecundum morbi inſultum, quæ in illegitima ſolùm poſſet in hac connexione ſaluari: Tum quia de legitima idem firmat Hippocrates 2. *Aphor.* 12. *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 1. *textu* 97. *lib.* 2. *popular. ſect.* 1. vbi ex relicta materiâ morbi inferi recidiuam, ob inſultum nouum ex ipſa timendum; Tum Galenus idem confirmat *lib.* 4. *de diebus decretoriis:* vbi copioſam materiæ deſiderat excretionem vt vitetur recidiua, ob connexionem noui inſultus cum cauſa primi morbi relictâ.

Dices quòd hæc definitio conuenit febri acceſſionali, in qua ſoluto morbo fit illius reditus ex vi cauſæ antecedentis.

Reſpondetur quòd aliud eſt quod morbus ſit ex toto ſolutus, ſecundum ſe totum; aliud, quòd ſit ſolutus ſecundùm partem ſui, ſcilicet ſecundum vnam aut alteram acceſſionem: totus morbus acceſſionalis ſi ſecundum ſe totum finiatur, ſi iterum redeat dicitur recidiuare; ſed dum redit illius acceſſio non dicitur recidiua, quia non eſt reditus morbi ex toto ſoluti, ſed nouæ acceſſionis, morbo nondum ſoluto.

Resolutio III.

Quotuplex ſit Recidiua?

Reſoluendum 1. Quòd recidiua alia eſt propria, alia impropria, vocatur propria illa, quæ nuper manet definita: impropria, quæ ſine morbi omnimoda remiſſione ſuperuenit, vt *lib.* 7. *vulgar. ſect.* 1. *verſ.* 288. refert Hippocrates contigiſſe Leoforbidæ, cuius febris, quæ nondum fuerat ſoluta, iterum reditum fecit ad maiorem intenſionem, & ipſe dicit re-

A cidiuaſſe: ſed in 1. *Epidem.* propriùs loquitur, dicens, quod morborum alij erant recidiuantes; alij redeuntes, ſeu ingraueſcentes.

Reſoluendum 2. Quòd recidiua propria, alia eſt legitima, alia illegitima. Recidiua legitima eſt recidiua orta ex materia relicta ex morbo recidiuante, poſt imperfectam iudicationem, de qua Hippocrates *lib.* 2. *aphoriſmorum* 12. Recidiua illegitima eſt recidiua occaſionaliter orta ex vi morbi recidiuantis. Hippocrates 2. *Epidem. ſect.* 2. legitimam recidiuam ſecundum rationem fieri docet, non verò illegitimam, quia prima maiorem habet connexionem cum primo morbi inſultu ob materiæ identitatem, de qua Galenus docet in commentario: Quòd exuperans, coctionem neceſſariò morbum facit.

Reſoluendum 3. Quòd Recidiua illegitima eſt B duplex; alia proueniens ex intemperie calida in iecore, aut internis partibus ventris relictâ: alia proueniens ex indebito victus vſu.

Dices 1. Recidiua proueniens ex indebito victu, non dependet ex morbo præcedente: Ergo non poteſt habere rationem recidiuæ; ſed nouus morbus debet dici.

Reſpondetur: Quòd licet vſus noui victus non pendet ex morbo antecedente; ſemper tamen Recidiua proueniens ex illo, fit occaſionaliter ex primo morbi inſultu, quatenus ex illo prouenit, vel debilitas impediens perfectam cibi coctionem; vel quòd remaneat appetitus illius indebitus: vel quòd partes inanitæ plus appetant, quàm poſſit a Natura re- C gulari.

Dices 2. Quòd in legitima recidiua non datur recidiuandi occaſio, cùm materia relicta ex morbo præcedente ſit concocta, & regulata; alias non deſineret primus morbi inſultus.

Reſpondetur: Quòd Hipp. 2. *Aphor.* 12. timet recidiuam, quia materia non permanet regulata, & perfectè cocta, & alleuatio fit ſine ſecuritate ob imperfectam materiæ elaborationem; & ideo in ſubſequenti 27. *ſententia* docet, quòd, Eis quæ præter rationem eueniunt, non eſt fidendum. De cauſis autem alleuationis in hoc ſtatu materiæ agemus infra.

Dices 3. Tempore intermiſſionis recidiuæ legitimæ, cum remaneant humores priùs cauſantes fe- D brem ob putredinem acquiſitam, cum non ſint reducti ad benignum, & naturalem ſtatum, putreſcunt; & ideò ſemper manet morbus, & ideò non erit propriè recidiua.

Reſpondet Odl de Odlis *in comm. ad* 2. *aphor.* 12. & Syluaticus *lib. hiſtoriar. fol.* 266. Quòd in materia heterogenea ceſſauit putredo in partibus tenuioribus, & poſteà redit in craſſioribus.

Sed in homogenea materia etiam dantur recidiuæ, quia non euacuatur ex toto materia committens morbum: Ergo ſolutio non ſatisfacit difficultati.

Reſpondetur, quòd humor aliquando corrumpitur à cauſa violenta, & inde ineuitabilis mors; ali- E quando coquitur à Natura, & inde ſecura prouenit ſalus; aliquando à Natura & cauſa præternaturali putreſcit, & coquitur, & iuxta huius, vel illius victoriam dubius fit euentus. In hac actione plerumque laceſſita Natura ceſſat ab opere, & inde alleuationes, & remiſſiones fiunt, manente cauſâ, quæ iterum cogit ad nouam alterationem, ſi cruda.

Resolvtio IV.

Vtrùm Recidiua, & primus morbi inſultus ſint idem numero morbus?

Thaddæus Florentinus 2.*aphor.*12. Aponenſis *differentia* 108. Forliuienſis *quaſt.*23. *in* 2.*aphoriſ.* Recidiuam cum primo morbi inſultu ſpecificam habere identitatem contendunt, adhuc ſi legitima ac propria ſit Recidiua, & quæ ſuperuenit poſt imperfectam iudicationem, ex materia relicta. Quibus fauet,

Primò, Vt accidens ſit vnum numero, petit vnitatem ſubiecti inhæſionis, & vnitatem temporis in quo fiat, ſed primus morbi inſultus & recidiua fiunt in diuerſis temporibus diſcontinuatis in tempore intermiſſionis, quod neceſſariò debet inter primum inſultum, & recidiuam intereſſe: Ergo nequit ex iis fieri vnus numero morbus.

Secundò, A priuatione ad habitum non datur regreſſus; ſed tempore intermiſſionis primus morbi inſultus peruenit ad ſui priuationem, & deſinit eſſe: Ergo idem numero in Recidiua nequit iterum ſuperuenire.

Tertiò, Febris recidiuans plerumque pendet continenter ab humore putreſcente intra venas; ſed diuerſus eſt humor, à quo pendet in primo inſultu, & putredo ex qua fouetur in illo: ac ſunt humor, aut putredo ex qua pendet in recidiua: Ergo & febris ſeu morbus in recidiua erit numero alius.

Quartò, Materia ex qua fouetur Recidiua, vt docet Galenus *lib.*1. *de diebus decretor. cap.*1. ſolet generari tempore intermiſſionis ex indebito victus vſu, & conſequenter eſt diuerſa ab ea quæ primum morbi inſultum fouebat: Ergo pars morbi pendens ex illa erit numero diſtincta a primo morbi inſultu.

Quintò, Morbi primus inſultus ſolet eſſe acutus, & illius recidiua fit morbus chronicus; ſed morbus acutus, & chronicus ſunt diuerſæ conſtitutiones in ſpecie: Ergo non poſſunt eſſe idem numero morbus.

Sextò, Morbus in ſua radice benignior eſt, vt docet Auicenna, quàm in Recidiua; & in hac plerumque contingit malignum fieri morbum, qui priùs non fuit malignus: Ergo nequit eſſe vnus numero cum primo morbi inſultu morbus in recidiua.

Septimò, Morbus idem numero eadem habet tempora vniuerſalia, ſed recidiua habet diuerſa tempora, ac primus morbi inſultus, cum incipiat illius principium poſtquam morbus primi inſultus declinauit: Ergo recidiua, & primus morbi inſultus nequeunt eſſe idem numero morbus.

Cùm Recidiua ſit morbi reditus in ſeipſum ſpecifica ſaltem identitas requiritur; generica enim in tranſmutatione in morbos ſpecie diuerſos reperitur, in quibus non datur recidiua. De identitate numerica præcipua eſt difficultas, quæ in morbis dupliciter accidit; alia in continuis, alia in intermittentibus: morbus continuus eſt, qui continuò affligit: diſcretus qui non continuò, ſed per periodos quiete interpolatos affligit; ſicut enim in quantitate, alia eſt continua, alia diſcreta: ſic in morbis accidit, in quibus diuerſa eſt vnitas, alia quæ continuum morbum metitur, & continuas illius partes; alia quæ metitur diſcretum morbum, non ſolùm ſecundum quod lædit operationes, ſed ſecundum ſuas intermiſſiones, in quibus conſeruatur ratio morbi in eſſe intermittentis: & ſimili modo in morbo recidiuante in tempore quo morbus quieſcit, ſeruatur ratio morbi in

A eſſe recidiuantis, cuius interuallum eſt pars adintegrans, ſine qua nequiret eſſe recidiuans.

Reſoluendum, Quòd morbus recidiuans eſt vnus numero morbus, qui adintegratur heterogeneo modo ex primo illius inſultu, ex tempore interualli, & ex ipſa morbi recidiua. Mercatus *lib.*1.*p.*2. *claſſe* 4. adhæret.

Probatur, Morbus legitimè recidiuans propria recidiua, eſt reditus in ſeipſum, pendens ab eadem numero cauſa materiali, & ab eadem alteratione materiæ: Ergo eſt idem numero.

Probatur 2. In morbo recidiuante primus inſultus morbi, interualli tempus & recidiuæ, ita ſunt partes illius adintegrantes, vt quacumque deficiente nequeat morbus dici recidiuans: Ergo vnum numero

B conſtituunt morbum. Probatur antecedens; morbus recidiuans includit neceſſariò reditum morbi, qui finitus fuit in ſeipſum: Ergo nequit dari, quin adintegretur ex primo inſultu; ex eius priuatione in interuallo, & ex eius reditu in recidiua.

Probatur 3. Sic ſe habent primus morbi recidiuantis inſultus, & eius reditus, ſicut diuerſæ acceſſiones, ſeu circuitus tertianæ, aut alterius febris intermittentis; ſed tertiana vna numero eſt, quæ adintegratur ex diuerſis acceſſionibus, & interuallis inter ipſas: Ergo primus inſultus morbi recidiuantis, interuallum, & recidiua vnus ſunt numero morbus.

Probatur 4. Sicut eſt de intrinſeca ratione morbi continui, quòd fiat vnus numero ex ſuarum partium

C continuitate; ita eſt intrinſecum morbo intermittenti quòd adintegretur ex diuerſis ſui partibus diſcontinuatis; ſed morbus recidiuans cum conſtituatur per reditum ſui in ſeipſum poſt primi inſultus ſolutionem, petit eſſe diſcretus: Ergo petit neceſſariò adintegrari ex diuerſis inſultibus, & eorum interuallo.

Probatur 5. Vnus numero morbus eſt qui quatuor percurrit tempora vniuerſalia, à primo inſultu vſque ad eius ſolutionem: ſed morbus recidiuans à primo inſulto, in tempore interualli, & in ſolutione, aut declinatione quatuor percurrit tempora vniuerſalia, per quæ horum trium durationem menſuramus: Ergo hæc tria vnum morbum numero adintegrant. Probatur minor, quia quoad alterationem materiæ per totum morbi decurſum attenduntur ſigna

D coctionis, aut cruditatis iuxta diuerſa tempora vniuerſalia menſurantia primum & ſecundum inſultum, & interuallum inter illos.

Probatur 6. Computatio dierum attenditur in morbo recidiuante à primo morbi inſultu, & per dies interualli, & recidiuæ continuatur, & variæ iudicationes ſubſequuntur perfectæ aut imperfectæ iuxta hunc numerum dierum, vt videre eſt apud Hippocratem *in lib. Epidemiorum*: Ergo vnus eſt numero morbus ex interuallo & primo, ac ſecundo inſultu adintegratus.

Probatur 7. Si quid obſtaret ad vnitatem recidiuæ

E cum primo inſultu, maximè interuallum in quo non datur morbus: ſed carentia morbi in interuallo eſt ratio eſſentialis conſtitutiua morbi recidiuantis in eſſe intermittentis, in eſſe diſcreti, & in eſſe morbi in ſeipſum redeuntis; ita vt ſine illo talis eſſe non poſſet: Ergo in eſſe recidiuantis ratione interualli potiùs fit vnus numero.

Ad 1. Reſpondetur quòd ſicut, quantitas alia eſt continua, cuius partes vniuntur termino communi; alia diſcreta cuius partes petunt eſſe diſcontinuatæ, licet cum ordine quodam, & connexione; ſimiliter & morbi alij continuò lædunt; alij diſcretè & cum intermiſſione: huiuſmodi ſunt febres intermittentes, & morbi recidiuantes, de quorum natura eſt tem-

pus

pus interualli, & remiſſionis febris; eo quod ad illud ſubſequantur inſultus, ex quibus adintegratur, & fit vnus vnitate diſcreta indiuiduali completa per partes diuerſas, heterogeneo modo adintegrantes talem morbum intermittentem iuxta propriam illius naturam.

Ad 2. Reſpondetur quòd in Recidiua non ſuperuenit eadem pars morbi, quæ præceſſit; ſed nouus inſultus, ex quo ſimul cum antecedente fit & adintegratur vnus numero morbus, ſicut vna numero quartana, aut tertiana adintegratur, & fit vna numero febris;& ex pluribus ordine prolatis verbis fit vna numero oratio ſine eo quod vltimum verbum ſit primum reproductum, ſed vltimum ſuo ordine conſequutum.

Ad 3. Reſpondetur quod in legitima recediua ſuperuenit recidiua ex humore qui ex primo morbi inſultu remanſit poſt iudicationem imperfectam, & adhuc ſi aliqua portio humoris generetur poſteà, morbus erit vnus in recidiua, vnitate indiuiduali diſcreta, ſicut eſt vnus morbus quartana quæ durat per annum, licet noua continuò generetur materia pro acceſſionibus.

Ad 4. Reſpondetur eodem modo; vel quòd loquimur de legitima, & propria recidiua, quæ fit ex materia relicta ex primo morbi inſultu, vel quòd licet de nouo generetur, non impedit vnitatem numericam diſcretam & coadintegratam ex heterogenea natura.

Ad 5. Reſpondetur quòd morbum eſſe acutum, aut chronicum, malignum, aut benignum, ſunt differentiæ accidentales quæ ſuperueniunt morbo recidiuanti, aut non recidiuanti in diuerſis morbi temporibus, non variata morbi natura in ſuo eſſe, ſicut non variatur homo in eſſe talis, quia albus, aut niger fiat in diuerſis ætatibus.

Ad 6. Reſpondetur quòd morbum in primo inſultu eſſe benigniorem, aut remiſſiorem, non mutat entitatem morbi numericam, ſed tantum accidentales numericas differentias.

Ad 7. Reſpondetur quòd morbus recidiuans habet eadem tempora vniuerſalia per totum ſui decurſum; diuerſi illius inſultus ſub vniuerſalibus temporibus habent ſua particularia tempora, ſicut contingit in tertiana, cuius quælibet acceſſio habet tempora diuerſa particularia, licet tota tertiana quatuor particularia percurrat tantum tempora, vt latè agentes de morbi temporibus demonſtrauimus ex Galeno.

Resolvtio V.

Vtrùm periculoſior ſit, quàm primi morbi inſultus, Recidiua?

De Recidiua dicit Auicenna, quòd eſt peior quàm morbus in ſua radice: & hoc poteſt contingere, vel quoad intenſionem maiorem putredinis in cauſa, aut maiorem eius extenſionem per plures partes: vel quoad morbi ipſius maiorem intenſionem, aut malignitatem, quæ manifeſtantur ex ſignis concomitantibus aut benignioribus, præcipuè concurrentibus in imperfecta morbi iudicatione in primo inſultu; in qua ſi aut ſigna praua ſunt quæ periculum minantur, non tamen neceſſariò ſalutis ſpem auferunt: de quibus Galenus 2. *prorrethicor. text.* 17. inquit: *De prauis igitur ſimpliciter, & non pernicioſis noſſe id dumtaxat ſatis eſt, ſi abſque ſignis deſierint, redibunt, & non tollent hominem.* Inter hæc ſigna locum habent craſſa, aut tenuis vrina, putredo non maligna, de quibus Galenus 3. *Epidem. ſect.* 1. *text.* 7. Sunt, & vitales actiones, ac animales mediocriter læſæ, vt colligitur ex Hippocrate 3. *prognoſticor.* vel ſigna ſunt pernicioſa, & lethalia, vt nigra vrina, viridis, aut plumbea: ſumma debilitas in actionibus, viriúmque iactura, ad pedes delapſus, pulſuum inordinatio omnimoda, aut ἀσφυξία: de quibus Galenus 2. *Prorreth.* 19. Et 1. *Epidem. ſect.* 1. Et 2. *de criſibus cap.* 14. Signa autem ſalubriorem ſtatum prænuntiantia ſolent & antecedere recidiuam qualia 3. *de criſibus* proponuntur a Galeno.

Ex iis ſignis concomitantibus, quoad vſum medicum & in ordine ad Prognoſim triplex dicitur Recidiua; alia ſalutaris, ad quam præcedunt ſigna ſalutaria concomitantia primum morbi inſultum, & permanentia in tempore interualli, alia dicitur periculoſa prauave, dum primum inſultum morbi praua concomitabantur ſigna, aut permanent in interuallo; vel recidiua dicitur pernicioſa, dum in primo inſultu pernicioſa præceſſerunt ſigna, aut permanent in interuallo; vnde Hippocrates 2. *Prorrethicor.* 17. *Pernicioſa*, inquit, *quæ ſine ſignis leuant, mortem indicant*; & idem docet *lib.* 1. *Coacar. ſect.* 2. *comm.* 1.

Recidiuam non poſſe deteriorem eſſe quàm morbum in ſua radice ſuadet: Primò dum ceſſat primus morbi inſultus, pauciores ſunt cauſæ à quibus poſſit periculum ſubſequi, quam in ipſo morbi ingreſſu: Ergo ſecurior eſt in recidiua morbus. Probatur antecedens: Tum 1. quia Natura valuit reſiſtere putredini, & conſequenter valebit materiam morbificam iam deuictam in Recidiua deuincere: Tum 2. quia materia morbifica in recidiua remanet in minori copia, cùm pars illius in acceſſionibus primi inſultus ſit conſumpta, & conſequenter in Recidiua meliùs poterit deuinci, & regulari à Natura: Tum 3. pars materiæ, quæ magis irritabat, euacuata fuit in iudicatione imperfecta, per quam ceſſauit primus morbi inſultus; & conſequenter pauciorem, ac benigniorem relictam materiam meliùs natura concoquet, & deuincet: Tum 4. tempore interualli Natura roboratur, & fit potentior ſupra cauſam morbificam; & conſequenter ſecuriùs ipſam valebit, & cum minori periculo deuincere.

Secundo, Poteſt tempore interualli regulari, & deuinci materia quæ relinquitur poſt iudicationem imperfectam; ita vt non ſuperueniat Recidiua: Ergo licet ſuperueniat, ſaltem materia regulata eſt vt ſit recidiua minus periculoſa. Probatur antecedēs: Tum 1. quia Galenus *lib.* 1. *de diebus decretor.* docet quòd inſtituta debita victus ratione, poteſt euitari recidiua, dum timetur poſt imperfectam iudicationem: Tum 2. quia experientia docet, quàm plurimos morbos debiliores reddi in recidiua ob deuictam materiam: Tum 3. quia cum ſignis pernicioſis in primo morbi inſultu docet Hippocr. *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 3. *text.* 10. quòd Heroſon cum nigris vrinis liberatus fuit, quod non eſſet poſſibile, niſi ex materia in tempore interualli regulata, ſecurior redderetur morbus ante recidiuam: Tum 4. quia accidentia quæ referuntur ab Hippocrate ſuperueniſſe in recidiua, debiliora fuerunt: Ergo quia morbus debilior redit, quia tempore ante recidiuam materia regulatur, & fit benignior.

Tertio tempus recidiuæ magis accedit ad declinationem, in qua *lib.* 3. *de criſibus*, docet Galenus quòd nequit ex vi morbi æger perire: Ergo Recidiua ſecurior eſt pars morbi quam primus inſultus morbi.

Reſoluendum 1. Quòd in Recidiua, quæ vera & legitima eſt, morbus eſt periculoſior comparatiuè ad minùs legitimas.

Probatur

Probatur: Tum ex Auicenna *fen.2.4. tract.1.c.95. §. & ve eueniat Recidiuatio ratione regiminis ſalubrius eſt, quam vt eueniat per ſe cum ratificatione regiminis*: Tum quia in legitima recidiua ſuperuenit recidiua ob maiorem intenſionem putredinis in cauſa materiali relicta ex primo inſultu morbi, in illegitima de nouo generatur materia morbifica in tempore interualli, & in recidiua incipit putreſieri remiſſiori puttedine: Tum quia de nouo genita materia minùs reſiſtet putredini, quàm quæ relinquitur in legitima recidiua, quæ quia inepta coctioni, cruda relinquitur, & nequit deuinci in tempore interualli.

Dices, Quòd Galenus *lib. 1. de diebus decretor. cap. 1.* docet quòd recidiuans morbus ex errore in victu reddit vehementior: Ergo erit periculoſior recidiua illegitima ex errore in victu.

Reſpondetur, Quòd Galenus loquitur de recidiua legitima, ad quam coadiuuat error in victu comparatiue ad ſe ipſam, ſi ſine tali errore ſuperueniret, quia ex errore in victu ſuperadditur ad cauſam morbificam relictam ex morbo antecedente, quod ex errore victus congenitum eſt; nos verò loquimur de eâ, quæ prouenit ex ſolo errore in victu comparatiue ad legitimam, quæ fit ex eis quæ relinquuntur poſt iudicationem: in ſuperueniente enim legitima recidiua ex errore victus, maius eſſe periculum firmauit Hippocrates 1. *Epidem.* in ægro qui liberaliter cœnauit, & in filia Philonis, quæ lautè etiam cœnauit, & recidiuante morbo mortui ſunt.

Reſoluendum 2. Quòd in legitima Recidiua ſi in primo inſultu ſalubria fuerunt ſigna, licet redeat morbus intenſior, benignior eſt, quàm morbi primus inſultus.

Probatur: Tum ex Galeno 2. *Aphor.* 29. vbi docet, quòd licet morbus ſalubris in ſtatu ſit intenſior, eſt tamen benignior, & ſecurior, quia in maiori numero partium datur coctio, ex quâ prouenit ſecuritas in morbo orto ex putredine: Tum quia eo ipſo quòd præceſſerint ſigna ſalubria; cum hæc oriantur iuxta concoctionem & elaborationem materiæ, ſecurior debet eſſe recidiua, in qua & maior eſt numerus partium quæ coquuntur, ex quibus proueniunt ſecuriora ſigna; & in illis ſimiliter intenſior eſt coctio per quam exuperatur periculum quod deberet ex putridis partibus ſuperuenire: Tum quia cum declinatio, cui proximior eſt recidiua, ſit ſecurior pars morbi; ipſa recidiua quæ illi approximatur in morbo cum benignis ſignis, ſecurior debet eſſe, etſi morbus ſit intenſior: Tum quia non periculoſior morbus, quia intenſior, ſed quia cum malignis ſit coniunctus ſymptomatibus: Tum quia cum ſignis ſalutaribus ſemper potens permanet Natura ad vincendam materiam morbificam: Ergo vtcumque redeat intenſior morbus eſt ſecurior, & magis proximus vt vincatur à Natura.

Reſoluendum 3. Quòd praua recidiua, antequam praua præceſſerunt ſigna, periculoſior eſt quàm morbus in primo inſultu.

Probatur: Tum ex Hippocrate *lib. 2. Coacar. comm. 1. textu* 11. dicit quòd *Qui in ſignis prauis melius habent, quique in bonis non proficiunt in melius, difficile habent iudicium.* vbi difficultatem, & periculum maius in vltimo inſultu proponit: Tum quia Galenus *lib.1. Prorrcth. ſect.2. text.17.* agens de prauis recidiuis dicit, *Morbos ſolutos cum prauis ſignis recidiuare, ſed non tollere hominem*, vbi grauitatem in recidiua, & periculum exprimit; notans quòd tamen non tollit hominem, quod niſi ratione maximi periculi non timeretur: Tum quia morbus fuit in primo inſultu prauus & periculoſus ob putredinem, & ſymptomata praua concomitantia illu... : cum ergo recidiua fiat in augmento aut ſtatu, & hæc ſint intenſiora, morbus apparere debet periculoſior. Tum quia maius eſt periculum dum vires magis dilapſæ ſunt: ſed in recidiua ob praua ſymptomata vires reſoluentia, & ob morbum mali moris a quo oriuntur, magis debilitatæ ſunt, quàm in primo inſultu, præcipue ſi properanter recidiua ſuperueniat, qui in ideò periculoſiorem iudicat Auicenna *fen. 2. 4. cap. 95. §. & deterior recidiuatio eſt illa quæ eſt velocior... & eſt cum virtute debili*: Ergo ſuperueniens p... ac idiua deterior debet eſſe, quam primus morbi in... lius.

Reſoluendum 4. Quòd Recidiua legitima perniencioſa, antequàm præceſſerunt pernicioſa, ac lethalia ſigna, eſt lethalior quàm morbus in ſua radice.

Probatur: Tum ex Hippocrate *lib. 1. Prorrethic. ſect. 2. text. 17.* dicente: *Pernicioſa, quæ ſine ſignis leuant, mortem indicant*: Tum ex Galeno *lib. 3. de morbis vulgar. ſect.1. textu* 8. vbi agens de Hermocratis infida alleuatione, poſt pernicioſa ſigna, inquit: *Cui etiam hic ſummatim ſatis ſit dixiſſe de iis, qui à febre in prauis ægritudinibus præter rationem liberantur. Non quò haberet, cùm ſigna præceſſerunt exitioſa, commodius videantur, hoc morbum habere pernicioſiorem*: Ex quo apparet cum maiore periculo rediturum: Tum Auicenna *fen.1.4. tract. 4. cap. ...o. & fen.2. lib.4. cap.95.* dicit de hac recidiua, *quod eſt deterior, quàm morbus in ſua radice*: Tum quia in pernicioſa recidiua primus morbi inſultus deſinit, aut quia naturalis calor reſoluitur, & imminuitur; vel quia proſternitur Natura; vel quia materia morbifica tranſmutatur ab ignobili ad nobiliorem partem; vel quia natura conuicta apponit vltimum conatum, vel quia deuicta ceſſat ab incepto opere elaborationis, & alterationis materiæ: quocumque autem modo ex dictis fiat alleuatio redit morbus exuperans naturam, & potentior ſupra illam: Tum quia cum ſignis pernicioſis, pernicioſa qualitas venenoſáque reperitur in corpore, ex Galeno 3. *de locis aff. cap.*... quæ cum ſequatur intenſionem putredinis, & hæc ſit maior in recidiua; maius debet eſſe periculum. Tum quia Galenus 3. *Epidem. ſect.1. text. 8.* dicit quòd ſicut in inflammata parte remiſſus naturalis calor impotens fit ad pus: ſimiliter cum ſignis pernicioſis putreſcens humor nequit à debili concoqui calore; & ideò in recidiua, in qua natiuus calor magis debilitatur à præternaturali, fit impotentior, & morbus magis periculoſus: Tum patet ex Hippocrate in Philiſco *in 1. Epidem. comm. 3. text. 18.* in Hermocrate 3. *Epid. ſect. 1. ægro 2.* qui in recidiua pernicioſa morte ſublati, quia in illa morbus periculoſior factus: quod confirmat Galenus *1. Prorreth. comm. 2. text. 18.* Tum quia cum ſignis prauis, praua, & incoctibilis eſt materia morbifica, quæ cum regulari nequeat tempore interualli, neceſſe eſt, vt in recidiua ob intenſiorem putredinem omnino irruat in maiorem perniciem: Tum quia ex pernicioſa alleuatione ſubſequi mortem ab ignaris non præuiſam docet Galenus *3. Epidem. ſect. 1. text. 8. Ignorant autem Medicorum plerique tales affectiones; lætanturque ex eo quòd ægri melius habere videantur, & ſi ex pernicioſis tum ſignis, tum ſymptomatibus hoc fuiſſe contigerit, neſcientes huiuſmodi affectiones contingere, Natura ad mortem, & calore natiuo ad extinctionem properante.* Ex quo apparet ex infidis, ac pernicioſis alleuationibus lethales recidiuas ſpectandas, ac deteriores primo inſultu: Tum patet ex Auicenna, qui cognoſcens periculoſiorem eſſe pernicioſam recidiuam, quam primum morbi inſultum, timet, ne inferantur remedia, illa adhibere in interuallo, donec periculum

conſtet

conſtet in illa ; inquit enim *fen.* 1.4.*tract.* 4. *cap.* 20. *Et conſilium quidem eſt, vt in ea non fiat inceptio ad curandum, donec ſit manifeſtus motus ægritudinis.*

Sed inquires quæ ſunt ſigna pernicioſa, & quibus pernicioſa cognoſcitur recidiua?

Reſpondetur, Quod pernicioſa ſigna ægrotantium dicuntur, quæ demonſtrant naturam eſſe deuictam, morbúmque inexpugnabilem prænunciant. Huiuſmodi ſunt, ex Hippocrate, *lib.* 1. *prognoſticor.* in primo morbi inſultu nares acutæ, oculi caui, lapſa, contractáque tempora, aures acutæ, frigidæ, in anguſtum deductæ, flexæ ; infimis partibus color niger, viridis, aut liuidus in facie, oculi lucem fugientes, contra voluntatem lacrymantes, ſi alter altero fiat minor ; ſi in illis venulæ liuent, ſi in ſomno palpebræ non coniunguntur ; ſi conuellantur aut labra, aut nares ex Hippocrate 1. *Prognoſt. text.* 10. 11. & 12. Similiter ex eodem 4. *aphor.* 49. & 1. *Prognoſt.* 15. & 17. & 22. & 24. Pernicioſa ſunt ſigna, quod æger non audiat, non videat, quod labatur ad pedes ; quod vngues, aut digiti liueant, quod ſpiritus ſit frigidus, quod cruribus admodum diſtractis aut coruatis iaceat, quòd obliuioſa ſit reſpiratio ex 1. *progn. text.* 24.

Perniciem etiam ex Hippocrat. 2. *aphoriſm.* 1. & 4. *aphor.* 69. monſtrat ſomnus qui laborem facit, neruorum diſtenſiones, timores, deliria, ſomniculoſæ affectiones ; ſimiliter & dentium ſtridores *ex* 1. *Prognoſt.* 21. bilis atra ſupra, aut infra, in principiis morbi, *ex* 4. *aph.* 22. & 23. deiectiones liuidæ, nigræ, virides, oleaginoſæ. 2. *Prognoſt.* 21. & 27. lotium nigrum, craſſum, tenue, furfuraceum, laminoſum : & alia eiuſmodi, de quibus in Prorrethicis, in Coacis, in Epidemiis, & Prognoſticis, Hippocrates, quæ Lucretius complectitur Laeonicè.

Ad 1. Reſpondetur. Quod in praua pernicioſa recidiua ſuperuenit deterior putredo, & intenſiora accidentia debita ſtatui, quod coïncidit cum recidiua : non enim in tempore interualli potuit materia regulari ſicut in benigna, & ſalubri recidiua. Ad probationem patet, Tum pro prima, quòd in pernicioſa recidiua fit interuallum deuicto naturali calore ; tranſmutato humore ad aliam partem, vel per naturæ debilitatem, non autem ob naturam potentem reſiſtere putredini: Tum pro 2. quòd comparatiuè ad vires manet materia morbifica ſuperior: defatigata enim eſt Natura per pernicioſa accidentia, per vim morbi, & per iudicationem & euacuationem infidam, & imperfectam : Tum pro 3. quòd in pernicioſa Recidiua ob rationes dictas, licet pars materiæ depoſita ſit, natura debilis nequit reſiſtere quominus intenſior putredo, & cum maiori periculo ſubſequatur : Tum pro 4. quòd in recidiua ſalubri ſic contingit, non verò in praua recidiua, in qua in interuallo impotens, vt diximus, permanet natura, vt valeat aggredi coctionem.

Ad 2. reſpondetur : Tum pro 1. quòd Galenus loquitur de Recidiua ſalubri : Tum pro 2. quòd experientia id docet in ſalubri Recidiua ; contrarium verò in pernicioſa, in qua intenſior redit putredo, vt docuit Galenus 3. *Epidem. ſect.* 1. *text.* 8. & 1. *Prorret. ſect.* 2. *text.* 17. Non enim fit interuallum deuictâ cauſa morbificâ, ſed Naturâ deuictâ. Tum pro 3. quòd Hieroſon habuit vrinas, & deiectiones nigras, quia expurgauit melancholiam naturalem, cuius excretiones non ſunt ſigna pernicioſa, qualia ſunt euacuationes ſimiles, per quas euacuatur atra bilis: & ideò potuit materia relicta in illo aliqualiter in interuallo regulari, & poſteà perfectè concoqui:

A Tum pro 4. Quòd ob rationem nuper dictam, accidentia in illius recidiua fuerunt benigniora ; quia recidiua Hieroſontis non fuit pernicioſa, ſed benigna.

Ad 3. Reſpondetur, quod morbi ſalubres attingunt declinationem, & ideò recidiua in illis eſt benignior ; morbi pernicioſi, & lethales occidunt ante declinationem : & hæc eſt præcipua ratio, quare recidiua in illis neceſſariò debeat eſſe læthalis, cùm in vltima parte augmenti, aut in ipſo ſtatu ſuperueniat, in quo ægrum de medio tollit, quià deterior eſt morbi pars.

B

RESOLVTIO VI.

Vtrùm materia poſt iudicationem imperfectam derelicta, ſit vnica Recidiuæ cauſa?

Hippocrates 2. *Aphor.* 12. de legitima Recidiua tradens cauſam, docet prouenire ex eis, quæ relinquuntur in morbis poſt iudicationem. Nos de hac, & cauſis illegitimæ Recidiuæ diſputabimus ſub hac reſolutione ; & quòd materia relicta poſt iudicationem nequeat eſſe recidiuæ cauſa ſuadet,

C Primò : Materia derelicta in morbis poſt iudicationem imperfectam, nequit cauſare recidiuam, quin iterum putrefiat; ſed nequit iterum putrefieri: Ergo nequit recidiuam cauſare. Probatur minor; nam deſiit febris & præternaturalis calor, à quo de nouo inducatur, aut conſeruetur putredo: deficit quantitas humoris à quo fiat prohibita ventilatio, quæ ſit cauſa ob quam noua ſuperueniat putredo; nec alia datur cauſa valens illam inducere: Ergo non datur cauſa valens de nouo cauſare putredinem.

Secundò ſi relicta poſt iudicationem imperfectam materia eſſet cauſa recidiuæ, & nouæ putredinis, maximè, quia inepta eſt coctioni, & ideo neceſſario debet corrumpi & putrefieri; ſed ex Galeno D *lib.* 1. *de diebus decretoriis cap.* 1. ſi debita conſtituatur victus ratio, poteſt concoqui, & poteſt per coctionem euitari recidiua : Ergo quæ relinquuntur in morbis poſt imperfectam iudicationem, non ſunt neceſſariò cauſa recidiuæ.

Tertiò ſic ſe habet materia relicta poſt iudicationem, ſicut materia morbifica quæ in conualeſcentibus relinquitur ; ſed in iis relicta materia non eſt cauſa putredinis, & noui inſultus morbi : Ergo nec cauſa relicta poſt iudicationem imperfectam.

Quartò videtur recidiua ab alia cauſa prouenire: inquit enim Galenus 6. *Epidem. ſect.* 2. *text.* 20. & 2. *de differ. febr. cap.* 21. intemperiem in parte relictam, in cauſa eſſe, vt humores putreſcant : Ergo ex ſola intemperie ſine relictâ materiâ, poteſt ex E materiâ de nouo genitâ ſuperuenire recidiua.

Quintò toto tempore intermiſſionis poſt recidiuam natura concoquit, & coquendo facit ceſſare putredinem, vt docuit Galenus : Ergo impedit quominus ex relicta materia fiat nouus morbi inſultus per putredinem materiæ derelictæ ex morbo antecedente.

Reſoluendum 1. quòd cauſa immediata, & proxima Recidiuæ legitimæ eſt materia morbifica, poſt iudicationem imperfectam relicta ex primo morbi inſultu.

Probatur : Tum 1. ex Hippocrate 2. *aphor.* 12 dicente,

dicente : *Quæ relinquuntur in morbis poſt indicationem, Recidiuas facere conſueuere.* Idem ſanciuit 2. *Epidem. ſect.* 2. *text.* 22. & ibidem *text.* 19. idem protulerat. Tum patet ex Galeno in Comment. ſent. 12. *lib.* 2. *aphoriſm.* eamdem doctrinam tradidit: & idem repetit *lib.* 1. *de dieb. decret. cap.* 8. enarrans Hiſtoriam Anaxionis, cuius cauſam tradit fuiſſe materiam ex primo inſultu remanentem poſt imperfectam iudicationem : Tum patet ratione adducta ab ipſo Galeno in *comm. ſentent.* 12. *lib.* 2. *aphor.* vbi tradens rationem Recidiuæ dicit : Quòd materia poſt iudicationem relicta, cùm ſit inepta coctioni, & nequeat ſine aliqua alteratione diu permanere ; neceſſe eſt vt putreſcat, & ſuperueniat febris: quam cauſam *lib.* 3. *Epidem. ſect.* 1. *text.* 10. tradidit, vt Hermocrates recidiuaret, quia humores inepti coctioni, nequeunt in eodem ſtatu permanere ; nec impediri quominus putreſcant ; relinquuntur enim ex morbo antecedente inepti vt coquantur in iuuatiuo, quia prius putreſcebant, & acquiſiere qualitates & ſubſtantiæ modum nutritioni ineptum, quod ſaltem in prauis aut perniciosis morbis contingit: Tum quia in foco putredinis manet intemperies, & in ipſis humoribus relictis nondum regulatis, à qua iterum recaleſcant, & putredinem patiantur propter intemperiem relictam in foco putredinis, quam Galenus fatetur eſſe cauſam nouæ putrefactionis : Tum quia materia relicta poſt iudicationem eſt, à qua fouebatur morbus permanens in ſtatu, ideòque apta ad putredinem in ſtatu debitam, recipiendam in recidiua ; quæ eſt deterior pars ſtatus.

Reſoluendum 2. Quòd cauſæ coadiuuantes, vt iudicium fiat imperfectum, inter remotiores recidiuæ cauſas ſunt, & variæ.

Fit Recidiua ob relictam materiam, vt diximus ; relinquitur materia, quia iudicium fit imperfectum ; fit imperfectum, quia concurrunt cauſæ ob quas nequit ex toto euacuari materia : Et has coadiuuare ad recidiuam.

Probatur 1. Quòd huiuſmodi cauſæ coadiuuent ad efficiendam recidiuam, quia recidiua fit proxime, vt probauimus, ob derelictam materiam : Ergo cauſæ, ob quas hæc relinquitur, coadiuuant ad recidiuam cauſandam.

Probatur 2. Quòd variæ ſint huiuſmodi cauſæ : Tum quia ex parte aſſiſtentium poteſt committi error impediens perfectum morbi iudicium ; vnde Hippocrates 1. *aphor.* 1. dixit quòd oportet non ſolum Medicum ſe præſtare opportuna facientem ; ſed ægrum & aſſiſtentes : ij autem vel intempeſtiuè exhibent alimenta, vel mouent animæ paſſiones in ægris : Tum ex parte ægroti poteſt impediri iudicium ob varios errores, ob inobedientiam circa oblata, ob inquietudinem, & varias animi paſſiones ; ob intempeſtiuum, aut nimium vſum cibi, aut potus, & intempeſtiuos vſus rerum non naturalium: Tum inter cauſas externas, impediunt perfectionem iudicij anni tempus, aëris mutationes, & aſtrorum ; indebita temporum conſtitutio : ex Hippocrate enim indebitæ temporum conſtitutiones varios pariunt morbos, varióſque eorum euentus, quod latius docuit Hippocrates *lib. de locis, aëre, & aquis,* & 3. *aphor.* 4. varias damnat temperierum mutationes eadem die ; & profert quòd in temporibus conſtantibus perfectè fiunt indicationes : Tum dies in quibus fiunt criſes, ſunt cauſa, vt ſint perfectæ, aut imperfectæ iudicationes, vt in imperfectis ſuperueniant Recidiuæ. Vnde Hippocrates 4. *aphor.* 36. dies proponit, in quibus ſi ſuperueniant ſudores, perfectæ fiunt iudicationes : & 3. *Prognoſt.* inquit, *ſent.* 25.

A quòd febres ſine ſalutaribus notis deſinentes, nec in diebus decretoriis reuertuntur. Et 4. *aphoriſm.* 61. recidiuam prænunciat, niſi in 3. die fiat iudicatio: & 6. *aphor.* 29. condemnat euacuationem 6. die factam. Et Galenus *in comment.* dicit non eſſe ſecuram à recidiua. *Et lib. de praſag. ad Poſthumum cap.* 20. in Sexto ciue Romano 6. die iudicato prædixit recidiuam : Tum inter internas cauſas iuuant vt ſit imperfectum iudicium, ex quo ſequitur recidiua, quòd vires ſint debiles, à quibus nequit perfici euacuatio : Tum ob imperfectionem coctionum, tum ob impotentiam ad expellendum, vt tenet Galenus 2. *Prorrethicor. comment.* 17. Similiter adſtrictio viarum impediens tranſitum humorum, impedit perfectam euacuationem in criſi : & ad euacuationem 2. *aphor.* B 9. Hippocrates inquit, quòd oportet corpora fluida facere, demonſtrans quòd poteſt humorum ſubſtantiæ modus impedire eorum motum, qui ideò in criſi poteſt impedire perfectum iudicium : Tum ex parte materiæ, non ſolum ob craſſitiem poteſt perfectum impediri iudicium, ſed ob quantitatem, quæ ideò ex toto nequit euacuari ; facit enim plenitudinem vel quoad vaſa, vel quoad vires, quá oppreſſæ facultates nequeunt iudicium perficere: Tum materiæ cruditas iudicium impedit. Hippocrates 1. *Epidem. ſect.* 2. *text.* 46. cruda, inquit, & incocta, & in malos abſceſſus conuerſa, aut iudicationis ſublationem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorum recidiuas. Et 2. *vulgar. ſect.* 1. *verſ.* 37. dicit : Si cruda iudicata C fuerunt, recidiuæ fiunt ; idem tenet Galenus *in comment.* & 1. *aphoriſm.* 22. Tum heterogeneitas materiæ iudicium reddit imperfectum, nequit enim æqualiter elaborari materia ; nec in cruda fit perfecta criſis ; ideò febres ex illa pendentes, vocat Hippocrates, reuertentes 6. *Epidem. ſect.* 2. *text.* 21. & Galen. 1. *vulgar. ſect.* 3. *text.* 19. in Sileno varietatem humorum docet cognoſcere ex variis, & contrariis accidentibus.

Reſoluendum 3. Quòd Recidiuæ illegitimæ cauſæ ſunt, vel intemperies derelicta, aut error in rebus non naturalibus.

Probatur 1. Quòd ex intemperie relicta cauſetur illegitima recidiua : Tum ex Galeno 6. *Epidem. ſect.* 2. *textu* 20. §. *Bifariam ſiquidem relinqui intelligimus ;* D *vno quidem modo de concomitante morbum humore ; altero verò de morboſa affectione* : Tum *lib.* 2. *de diff. febr. intermittentium.* vbi inter cauſas circuitus poſcit intemperiem relictam : Tum, nam intemperies relicta valet ſimilem humorem producere, ex quo ſimilis ſuperueniat morbus ex Hippocrate *lib. de natura humana* : Tum quia morbus primo productus ex intemperie fit, & conſequenter ex ipſa relictus nouus eius inſultus poteſt ſuperuenire.

Probatur 2. quòd ex errore in rebus non naturalibus poſſit Recidiua illegitima cauſari: Tum de potu, & cibo protulit Hippocrates *lib.* 4. *de Rat. vict. in.* E *text.* 61. §. *ſi in febre lingua aſpera reddatur* : Tum ex Galeno 1. *de dieb. decret. cap.* 1. vbi tradens morbos in quibus timenda Recidiua, ſuperaddit : *Quare animum diligenter adhibere oportet, & in omni cuſtodia ægrum tenere, nihil eorum, quæ iis, qui fideliter ſanati ſunt, vel in cibo, vel potu, vel balneis, vel motu, vel denique in aliis quibuſlibet : ſi namque morbus, qui quieuit, exiguus fuerit, forſan, ob exactam victus rationem prorſus ſubſederit, vt poſteà nunquam reuertatur : ſi verò malignior extitat, etiam tunc cum hoc viuendi modo vſus fueras redibit. non tamen cum ſummo diſcrimine : at ſi ne lexeris, parúmque ſtudioſè animum aduertas tanquam fideliter*

ſolute morbo, grauior, quàm à principio recidiuabit: Tum, nam res non naturales, dum ſe habent ea parte cauſarum motbi, ipſum valeut procreare, vt *lib. de ſanit. tuenda*, & *lib. artis medicinal.* Galenus docuit: Ergo ab errore in earum vſu ſuperuenit recidiua. A

Reſoluendum 4. Quòd efficiens cauſa recidiuæ legitimæ eſt natura aggrediens coctionem humotis, ex primo inſultu relicti.

Probatur: Tum ea Galeno 3. *de morbis vulgarib. ſect. 1. textu.* 10. vbi cum Hippocrates narret die 20. ablatam fuiſſe Hermoctati febrem; inquit Galenus: *Quo ſecundum rationem die debuiſſet febris prorritari, ſi natura coctionem humorum aggreſſa fuiſſet.* vbi febrem à uatura aggrediente coctionem profert prorritari: Tum *lib. 1. de criſibus cap.* 18. Galenus tradit B hanc doctrinam dicens, *Hoc igitur eſt, quod priùs dicebatur, quòd videlicet in morbis febrilibus tale quid accidit, quale in iis, quæ ſuppurantur inflammationibus: ſicut enim ibi cum generatur pus, ita & hic, dum coquuntur humores qui febrem inducunt: ſic igitur in Anaxione quantum ex prima illa criſi defectu relictum erat; hoc rurſum & ferueſcens in coctionis tempore, illam quæ anteceſſit criſim, febrem generauit: hoc verò à naturali calore, non autem febrili proueniſſe, dierum natura non minimè indicat*: Tum patet, quia intra corpus nequit humor contineri, qui non continuò à natura alteretur per coctionem in iuuatino, dum humor aptus eſt nutrire: per coctionem in nocitiuo, dum alere ineptus eſt, non tamen omnimodæ reſiſtit C coctioni: per putredinem verò dum aptus eſt putrefieri, quia cum alteretur à calore, & perfici nequeat coadiuuante caloris naturalis alteratione, proprius humoris calor intenditur, & ab internis illius partibus accenſis præternaturalis fit; & humorem putrefacit derelictum, in quo priùs putredo quieſcebat: Tum quia cùm tempore interualli partes humorem continentes ſint intemperatæ, aptior eſt calor ad alterandum humorem putredini aptum; & ipſum valet in putredinem vertere, etiamſi remiſſus & intra limites naturales appareat; quia, vt inquit Auicenna *lib. 1. ſufficientia.* Agens debile potentiùs agit circa paſſum omnino diſpoſitum, quàm agens fortius circa indiſpoſitum paſſum.

D Ad 1. Reſpondetur quòd materia quæ relinquitur ex morbi primo inſultu, vt diximus, manet inepta nutritioni, alteratur à noſtro calore, à quo cum nequeat regulari & concoqui, nec in eodem ſtatu perſiſtere ſine aliqua ſui mutatione, neceſſe eſt vt putrefiat modo quo diximus.

Ad 2. Reſpondetur, quòd Galenus docet quòd vitatur recidiua quæ ea errore in victu ſuperuenire poteſt. Hæc autem illegitima eſt præcipuè; & in legitima ſalubri vitatur cauſa, ea qua augetur materia, quæ relinquitur in parua quantitate; non autem quæ lethalis eſt, & ex copia materiæ quæ nequit à natura regulari, ſuperuenit.

E Ad 3. Reſpondetur: Quòd materia ex qua fit recidiua, præcipuè pernicioſa, nequit recipere beneficium naturæ; quæ remanet in conualeſcentibus eſt benignior, & iam regulata à natura, ſaltem in nutritiuo.

Ad 4. Reſpondetur: Quòd loquitur Galenus de illegitima recidiua, quam diximus fieri ea intemperie relicta.

Ad 5. Reſpondetur, quod in materia benigna concoquit, & aliquando impedit recidiuam, quæ timetur: dum verò materia eſt inepta recipere coctionem, potiùs ex ipſa elaboratione putreſcit, vt diximus.

Resolvtio VII.

Vtrùm ſint manifeſta ſigna quæ prænuntient Recidiuam?

Hippocrates *lib. de indicationibus* quinque proponit ſigna præmonſtrantia futuram recidiuam: ſumuntur enim vel ex actionibus viuentis; vel ea modo iudicij: vel ea ſignis deſumptis ab excretis; vel ex parte morbi: vel ea tempore quo receſſit, ea quibus qualiter prædicendum proponemus.

Reſoluendum 1. Quòd ea parte actionum viuentis recidiuam prænuntiant ſitis, óris amatitudo, oris exſiccatio, cibi faſtidium, ſpontaneæ laſſitudines, inappetentia, per cibos non refici, turbulentus ſomnus, immodica vigilia; vitium iactatio.

Probatur: Tum ea Hippocrate 6. *Epidem. ſect.* 2. *text.* 20. §. *ſitis intus relicta, & oris exſiccatio, & inſuauitas, & inappetentia*: Eadem ratione Galenus *In comment.* dicit: *Nam cum dixiſſet in textu antecedente per indicationem imperfectam intus relinqui materiam; ad demonſtrandum talem materiam derelinqui, proſequitur præcedente ſententia, vt apponeret ſigna, quibus & materia derelinqui oſtendatur, & futuram eſſe recidiuam*: Tum *lib. de indicationibus verſ.* 78. §. *Morborum reuerſionibus tentantur; quibus citra febrem vehementes vigiliæ, aut turbulenti ſomni adueniunt, aut corporis robur ſoluitur*: Tum 2. *aphoriſm.* 8. §. *Si à morbo cibum aſſumens quis non corroboretur, pluri alimento corpus vti ſignificatur: quod ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet, quòd indiget euacuatione*; quam timens recidiuam, conſulit, vt patet ex Galeno 2. *aphoriſm. comm.* 12. Tum Hippocrates *lib. 2. aphor. ſentent.* 31. dicit, *Qui auidè à morbo comedit, nihil proficere corpus malum*: Tum *libro 4. Coacarum comm.* 1. ex verſione Hollerij Hippocrates inquit, *Qui ex longis morbis conualeſcunt, & benè cibum accipiunt, neque tamen renutriuntur, aut proficiunt, malignè recidiuant.*: Tum ex Auicenna *fen. 2. 4. tractat 1. cap. 91. §. Et ſignificatur quandoque quod erit recidiuatio, ex debilitate virtutis, & appetitu, & nauſea, & corruptione ſomni, longitudine vigiliarum, & vehementia, ſitis; & de illis quæ ſignificant eam, eſt vt corpus benè recipiat cibum, & non remoueatur per ipſum extenuatio*: Tum de ſiti patet ex Galeno 2. *de facult. natural. cap.* 9. §. *Quis porrò non intelligit*, quòd vbi plurima in ventriculo flaua bilis continetur, perpetua ſiti vrgeatur, intemperato enim ventriculo verſus calorem, & ſiccitatem à calidis ſuccis exiſtentibus in illo, vel in partibus occaſionatur ſitis: vel ob præſentiam dictæ intemperiei; vel quia ventriculus humiditate propria ſpoliatur per ſuctionem & attractionem, quam efficiunt aliæ partes; dum enim aliæ partes nimis calefiunt, aut exſiccantur, eum priuantur humiditate intrinſeca, in huius ſubſidium ſugunt à ventriculo humiditatem, & ſic moleſtum ſenſum ſitis occaſionem in illo efficiunt: Ea quo conſtat, quòd immodica ſitis prænunciet Recidiuam; vel ob materiam relictam; vel ob intemperiem: Tum oris exſiccatio immodica, & continua ſignificat recidiuam: Hippocrates enim *lib. 6. Epidem. ſect.* 5. *text.* 23. inquit, Lingua vt lotium ſignificat, ea quo apparet, quòd ſuperabundat os eiſdem humoribus, quibus tingitur vrina, & quibus corpus redun-

dat ; inde ſuperuenit inſuauitas ob eandem rationem : quia , vt inquit Galenus 6. *epidem ſect.* 2. *text.* 20. lingua in ſe recipit humiditates velut lanæ tincturam : Tum de cibo, ad quem non ſequitur reſtauratio , patet ex 2. *aphor.* 33. *in comment.* vbi Galenus dicit , quòd ſignificat prauos redundantes humores, ex quorum coinquinamento reliqui inutiles fiunt, & labefactant facultates, iecoriſque actiones ; quæ doctrina docetur ab Hippocrate 4. *lib. de morbu.* Et *lib. de locis in homine, text.* 142. & 2. *aphor.* 31. Tum de laſſitudinibus ſpontaneis patet ex Hippocrate *lib. de iudicationibus verſ.* 78. proueniunt enim ex redundantibus in corpore humoribus : Et idem docet *lib. de locis in homine ſect.* 1. *verſ.* 172. præcipuè ſpontaneæ recidiuam prænunciant, non autem, quæ exercitio fiunt, de quo Galenus 2. *aphor.* 48. §. *In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies ſtatim laſſitudinem aufert.* Fiunt etiam laſſitudines in febribus ex 4. *aphor.* 31. ſpontaneæ ſunt de quibus timetur recidiua ; ex 2. *enim aphor.* 5. inquit Hippocrates *Laſſitudines ſpontaneæ morbos prænunciant* : Cum enim non ab extrinſeca cauſa fiant, ſed ex redundantibus ſuccis in corpore relictis, ab iis recidiua ſuperuenit , quam ſpõtanea prænũtiat laſſitudo, quæ enim exercitio fit, facile ſoluitur per quietem. Et ideo Hippocrates 2. *aphor.* 6. ſpontaneas laſſitudines, morbos prænuntiare tenet. Tum patet de ſomno turbulento, quem, vt diximus ex Hippocrate, Galeno , & Auicenna, cauſant ſuperflui permanentes ſucci in corpore præternaturales ; licet enim ſomnus naturalis , ex Hippocrate 6. *epidem ſect.* 5. *text.* 10. viſceribus vtilis, coctiones adiuuet, vireſque adaugeat, ex Galeno *lib.* 1. *de ſympt. cauſis cap.* 8. idem conſtet, & ex Ariſtotel. *lib. de ſomno, & vigilia, cap.* 1. tamen dum malignis interturbatur vaporibus, in continuis febribus lethalis iudicatur ab Hippocrate, dicente in aphoriſm. quod *vbi ſomnus laborem facit, lethale.* In interuallo verò recidiuæ interturbatus ex eiſdem vaporibus recidiuam prænuntiat ſomnus. Tandémque hanc totam doctrinam ſancitam reliquit, vt diximus, Hippocrates *lib. de iudicationibus pag.* 4. vbi, vt tenet Cardanus, rectè recidiuam prænuntiat ex dictis ; ſi, inquam, ex diſceſſu febris infeſtent vehementer vigiliæ , aut turbulenti ſomni, aut laſſitudo totius corporis, aut magna debilitas , aut febris remiſerit ſine ſignis coctionis , vel iudicatoriis, vel in die legitimo; ſi vrinæ permaneant rubræ, fuluæ, ſedimentum rubicundum, craſſum, furfuraceum ; ſi terminatur per parotidas, vel imperfectos abſceſſus.

Resolvtio VIII.

Vtrùm dum timetur Recidiua , à Medico ſit aliquid agendum ?

Mercurialis 2. *aphor comm.* 12. negatiuæ adhæret parti ; ipſam deducens ex aphoriſtica ſententia : inquit enim , *Itaque illud poteſt ex hoc aphoriſmo dici pro facienda medicina , vt vbi non videtur criſis perfecta , nihilo victus ratio mutetur , ſed corpus ægrum in ſumma cuſtodia teneatur , atque rurſum præparationi , & euacuationi humorum peccantium ſtudeatur.*

Et imo fauet huic opinioni quod Hippocrates docet , quod *Multa nocent mota, quæ ſi non mouerentur, non nocerent.* Vnde videtur , non mouendum in tempore interualli. Tum 2. in interuallo natura intendit coctionem quæ commotis humoribus interturbaretur ; &, vt docet Galenus, coctio quietem deſiderat. Tum 3. quia Hippocrates morbo ad iudicationem eunte docet , quòd melius eſt quietem habere, in tempore autem interualli, morbus eſt propè iudicationem ; Ergo non debet exerceri aliquod remedium , quod interturbet humores.

Reſoluendum 1. Quòd dum timetur recidiua illegitima, debent exerceri à Medico aliqua remedia.

Probatur , Nam recidiua illegitima aut prouenit ex indebito vſu rerum non naturalium , qui debet vitari , ſeu ex indebito vſu victus , qui non ſolum temperandus , ſed corrigendum damnum , quod ex indebito vſu ſuperuenit , ſiue clyſteribus , ſiue lenientibus, euacuando quod ſuperfluum aggregatum fuerit : ſi timetur recidiua ex intemperie alicuius viſceris , ſimiliter debet corrigi medicamentis intemperiem auferentibus : Ergo in illegitima recidiua à Medico exerceri debent remedia.

Reſoluendum 2. Quòd dum timetur recidiua perniciosa, ſola victus ratio eſt conſulenda ægri

Probatur : Tum quia perniciosa recidiua eſt lethalis, & mortem indicat, vt protulit Hippocrates in Prorrheticis ; non ergo ex Cornelio Celſo ſunt infamanda remedia : Tum quia pernicioſa recidiua prænuntiat virium ſummam debilitatem ; quæ ex remediis magnis omnino incumbet : Tum quia ſanguine miſſo vires concident , pharmaco exhibito , motis humoribus , ſtatim ſuperueniet lethalis recidiua, quæ timetur : Ergo ſola victus ratione vtendum , dum timetur recidiua pernicioſa.

Reſoluendum 3. Quòd dum timetur recidiua legitima ſalutaris , poteſt exerceri ſanguinis miſſio.

Probatur : Tum quia, vt probauimus, eſt ſalubris, & proſunt in illa remedia : Tum quia, vt ſimiliter probauimus , aliquando poteſt euitari recidiua , eo miſſo ſanguine , leuatâ naturâ id continget ſecurius : Tum quia in augmento , aut ſtatu ſi permaneret morbus ſine interuallo , eſſet vtilis ſanguinis miſſio , quod idem in interuallo aſſerendum : Tum quia natura non ſuccumbit in recidiua ſalubri ; ſed ob multitudinem materiæ contingit recidiua, alias non eſſet ſalubris ex Galeno 2. *Prognoſticor.* Ergo debet leuari naturá per ſanguinis miſſionem.

Reſoluendum 4. Quòd purgatio in interuallo recidiuæ ſalubris non eſt exercenda : ſic protulimus *lib. Reſolut. Medicar. p.* 4. *diſp.* 1. *ſect.* 3. *Reſol.* 16.

Probauimus : Tum quia cum in interuallo recidiuæ nondum ſit cocta materia , nondum indicat purgationem , quia ex Hippocrate *concocta medicari ac mouere , non cruda* : Tum quia potiùs in interuallo indicaretur ſanguinis miſſio , cum ſit morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis ; & ideò non eſt ſimul indicata purgatio : Tum quia ſi exercenda eſſet purgatio dum timetur recidiua, vel quia materia eſt cocta ; & hoc non , quia ſi eſſet cocta materia, non timeretur recidiua ; vel quia datur turgentia, aut vrgentia ; & hoc non ; quia loquimur in caſu, in quo hæc non accidunt , ſed in metu recidiuæ , ratione præcautionis illius : Tum quia materia ex qua timetur recidiua ſalubris , poteſt concoqui, & vitari recidiua , vt probauimus ex Galeno · vnde non debet moueri , & interturbari per purgationem , impediríque illius coctio : Tum quia non ſunt infamanda remedia , quæ aliis fuerunt præſidio ex Celſo : Exhibito pharmaco , commota materia & agitata , ac calefacta ſuperueniret citius recidiua , & imputaretur medicamento purganti ; Ergo non debet exhiberi medicamentum

tum purgans, dum timetur recidiua legitima ſalutaris.

Ad rationes dubitandi Reſpondetur: Tum pro 1. quòd ob hanc rationem non purgandum in legitima, pernicioſa, nec ſalubri medicina; in hac verò poteſt ſanguis mitti. Quia leuata natura, & non interturbato humore, concoquit vlterius, quod con- A coqui eſt habile: Tum pro 2. quòd conuinelt ratio vt non exerceatur purgatio, vt diximus: Tum pro 3. quòd Galenus *lib. de ſang. miſſione cap.* 2. dum non eſt ſufficienter ſanguis euacuatus, conſulit miſſionem ſanguinis adhuc poſt multos dies, non autem purgatio eſſet vtilis ob rationem adductam.

APOLOGETICON

Contra nouum quemdam Bombilium Hiſpalenſem, pro doctrina Doctoris Gaſpar. Brauo de Sobremonte; Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis Magni Philippi IV. Archiatri, ſupremæ Inquiſitionis Medici, & olim Primarij in Valliſoletana Regia Academia.

Propoſitio operis, & Apologeticæ diſceptationis ratio.

RESOLVTIONVM Medicarum librum in lucem edidi, non ignarus, quòd illius doctrina eſſet ab aliquibus oppugnanda, quia vt protuli, vnaquæque culpatur ab his; laudatur ab illis, nec cuiquam datur, quod non labatur aliquando, vt inquit Quintilianus *lib.* 10. *inſtitut.* & ea quæ à probatiſſimis Authoribus vt diuina probata ſunt, & apud doctiores venerationi habentur, à viliſſimis Profeſſoribus ſæpe oppugnata ſunt, vt diuina Hippocratis & Galeni opera ſunt recepta: illum tamen impudentiſſime impugnauit Theſſalus, hunc verò Paracelſus, & Van Helmōt: Plures enim infimi, & obſcuri, ignorantiſſimíque homines vt gloriam captarent, auſi ſunt magnorum virorum ſcripta oppugnare, vt docuit Galenus *lib.* 1. *methodi cap.* 3. nec inde miror, quod flagitioſus Bombilius irruat in noſtra; præuidimus enim non deforé, qui impetant me canes, vel qui in me irruant Cynici, vel Hebræi, qui glaucitent. Præcipuè Bombilius mordicus nos impetit, non tam in ſcripta irruens, quam in me bacchanaliter propulſus, in quem in arenam inuitus deſcendo coactus inire bellum, vt inquit Lucanus, *nullos habiturum triumphos*; pugno enim B cum homine, qui non tam rationibus quam proteruia dimicare contendit, & impudentiſſima arrogantia; in quibus ſemper acclamabitur victor; quia, vt protulit Cicero in Tuſculanis, *facile eſt vincere non repugnantem*. Nec enim contentioſas obiurgationes expedit exoptare; nec niſi coactus in ipſas vnquam deueni, & vt Æneas loquitur, *Nunquam acies, nunquam arma libens, in prælia moui, ſed veſtris actus furiis, defendere toto optaui, & licuit Troianas robore partes*; Noſtras tueri cogimur à ſacra Pagina edocti, *Reſpondendum eſſe ſtulto, ne ipſe ſapiens videatur*, & vt vera antiqua, & cõmunis, quã tradidi, doctrina, libera euadat ab argutiis, redargutionibus, & ineptiis, quibus nouus Bombilius eam deturpare contendit, nec vltra progrediar ad ſuæ doctrinæ impugnationem; licet vt tenet Thucydides *lib.* 3. *communis lex omnium affirmat, iuſtè puniri hoſtem, qui te prior inuaſit.* Ignoſcendum iudico maledicenti huic Theſſalo, quia, vt Socrates de ſimili alio ſibi iniurioſo protulit, *beneloqui non didicit.* C Ideoque ad oppugnatæ doctrinæ defenſionem accedo, non more Apologetico verba vnaquæque Bombilij referens, ne pro debito cogar, quod illi debetur, reſpondere, ſed more Academico, illius oppugnantes proferam rationes, vt ipſis confutatis, noſtræ doctrinæ iterum demonſtretur veritas, ſuæ ignorantiæ manifeſtetur profunditas, ſuæ inertiæ conuincatur deſidia, & ex ſuis fundamentis conuellatur ſua proteruia,

DISPVTATIO PRIMA APOLOGETICA,

De minoratiua purgatione.

PROPONIT Bombilius concertationem contra meam, Antiquorúmque doctrinam de minoratiua purgatione; ipſamque inſcribit *Iudicium*, ſibi arrogans poteſtatem proferendi definitiuam ſententiã de hac lite, & in ſuis libris conſtituens theatrum pro ipſa promulganda; tanquam alter Theſſalus, de quo inquit Galenus, *lib.* 1. *method. cap.* 2. *Hiſce ſtimulis agitatus ille Theſſalus, Hippocratem, ac reliquos Aſclepiadas maledictis inceſſit, ac totum terrarum orbis theatrum in ſuis libris conſtituens ſibi iudicatur, vincitque, & contra omnem antiquitatem celebratur.* Proponit duplex iudicium: In primo plura annoranda ex noſtra doctrina deducit; in illam mordicus irruit, plura refutat, plura con-

fundit,

fundit, de ſupernatantia humorum aliqua diſputanda proponit, nec abſoluit, & in limine patefacit ſuam ignorantiam, hæc proferens, *ſanguis provt dicit maſſam ſanguinariam intra venas, eſt cæteris humoribus permixtus, & per minimas partes coniunctus.* Vide abſurdum, ſi ſanguis, provt dicit maſſam ſanguinariam completur ex omnibus humoribus ſimul ſanguini commixtis, vbi remanent alij, quibus ſanguis, provt dicit maſſam ſanguinariam poſſit commiſceri? omittamus craſſam iſtam ignorantiam dignam commiſeratione. In ſecundo iudicio gloriatur Sanctæ-Crucis doctrinam oppugnaſſe, nec miror eius auerſionem in ipſam. Fatetur Metaphyſicas meas rationes probare intentam minoratiuam. Sed ſtandum eſſe ſuæ authoritati contendit, experientiæ, & obſeruationi: & propoſitis meis fundamentis, vi eorum non refractâ, peruenit ad finem ſui iudicij ſine iudicio, ſine fructu, non tamen ſine ſtrepitu vt vulgarium Medicorum auram captare valeat.

Resolvtio Prima.

An in maſſa ſanguinaria humores, dum intra venas perſiſtunt ſupernatantes, ſeparentur à ſanguinis commixtione?

Hanc controuerſiam proponit Bombilius in ſuo iudicio de minoratiua purgatione, *conſideratione prima*, in qua ita turbulentus inſiſtit, vt nihil perficiat, nihil concinnè proponat eorum quæ garrit. Ex noſtris quæ conducunt ad doctrinæ intelligentiam, omittit, vt ipſam ſemper ignoret. Protulimus tria annotata, ex quibus tota hæc reſolutio, eiúſque deciſio dependet, quæ repetam.

Primò, Notauimus ex Galeno *lib. de vſu partium*, humores cum ſanguine in venis tanquam in propriis receptaculis pro partium nutricatu contineri; ſanguis autem ex eodem Galeno *comment. in lib. de natur. humana*, aut ſumitur pro tota maſſa ſanguinaria, quatuor humores complectente; quæ quoddam mixtum per aggregationem omnium humorum eſt; aut ſumitur pro ſanguine quarto humore: hic ſemper permixtus reliquis humoribus permanet, quia cùm nutritio fiat ex eis ex quibus ſumus, ex Ariſtotele; & partes fiant ex omnibus humoribus, ex omnibus petunt nutriri, & ideò omnes humores intra venas permanent ſanguini commixti, vt ex commixtione cum illo ob ſanguinis benignitatem in ſuis qualitatibus attemperentur, aptioréinque ſubſtantiæ modum retineant; fit enim ex illis cum ſanguine quoddam mixtum, quod dicitur maſſa ſanguinaria, cuius ſanguis quartus humor, eſt quaſi forma, quia coërcet, & retinet reliquos ita ſibi commixtos, vt quoſlibet eos attingat ſecundum quaſcumque minimas partes eorum, vt Hugo Senenſis notauit.

Secundò notandum: Quòd reliqui humores intra venas poſſunt cum ſanguine tripliciter reperiri. Primò in mixtione humorum perfectiſſima, in qua cum ſanguine commiſcentur cum debito ſubſtantiæ modo, proportionata quantitate, & cum qualitatibus debitis, debitè moderatis, ex qua commixtione docet Hippocrates *lib. de natur. humana*, prouenire debitam ſanitatem. Secundò ita vt, licet alij humores ſint ſanguini commixti, vel omnes, vel alter illorum in quantitate, qualitatibus, ſubſtantiæ modo, putredine, vſtionéve à naturali ſtatu recedant. Huiuſmodi vitioſi humores ſanguini commixti, ſi ſimul cum ſanguine quantitate peccant, faciunt plenitudinem ſecundum quid dictam; dum verò commixti permanentes ſolo vitio deuiant à naturali ſtatu, in modo ſubſtantiæ, in qualitatibus, vſtione, aut putredine; tunc conſpurcant ſanguinem, illúmque vitiatum reddunt: ſunt enim pars ſanguinis, ſeu maſſæ ſanguinariæ; & tunc dicitur vitium ſanguinis peccatum in quali, quod nondum ad cacochymiam peruenit. Tertiò poſſunt reliqui humores ob indebitum ſubſtantiæ modum, ob qualitatum improportionem, vel ob quantitatem inſuperabilem, ita à naturali ſtatu recedere, vt non poſſint in debita commixtione cum ſanguine ab ipſo coërceri, contemperari, nec contineri, & tunc ſeparantur ab illo, ſeu à cõmixtione cum illo intra maſſam ſanguinariam, & tanquam ſpuma à vini ſubſtantia ſeparata ſuper illum ſupernatant, & nutritioni inepti remanent, & ideò ab illo impermixti, & ſeparati à commixtione, quam ſeparationem ſupernatantiam vocat Galenus *comm. 22. in lib. de natur. humana*, inquit enim, *Pro abundante intellige nunc dictum ſupernatans, cui ſi manus, id quod non eſt cum cæteris omnibus commixtum.* Et *lib. 2. de humoribus comm. 8.* ſoli ſuperabundanti humori, ſuper exedentíque dicit purgationem deberi, inquit. *Hippocrates verò non hic tantum, ſed in aliis ſuis commentariis: Quando inuicem proportione ſeruata, humores omnes augentur: miſſione ſanguinis auxiliatur. Vbi verò vnus ſuperabundat; ibi purgatiuum dat pharmacum.*

Tertiò notauimus, quod humor ſupernatans cum ſit à commixtione ſanguinis, & reliquorum humorum ſeparatus, iam non eſt pars ſanguinis; nec eius vitium, dicitur vitium ſanguinis, ſed ſolus eius humoris qui ſupernatat: & ideò hoc vitium, quod eſt alterius humoris à ſanguine, dicitur cacochymia, à qua ex Galeno indicatur purgatio, quia talis humor iam eſt obiectum facultatis expellentis, poſtquàm ſeparatus eſt à ſanguinis commixtione: toto verò tempore, quo ſanguini fuit commixtus, quia commixtus, & non ſeparatus à ſanguine, erat obiectum facultatis retinentis, & non indicabatur ab illo purgatio, quia hæc petit naturam adminiculantem, & ſolùm indicatur ab humore, qui eſt obiectum facultatis expellentis naturalis: qui verò ſanguini eſt commixtus, eſt pars ſanguinariæ maſſæ, & ideò eius vitium dicitur vitium ſanguinis.

Hac ſic ſtabilitâ à nobis doctrinâ, cæcutiens Bombilius dicit, quòd nõ capit intellectus, quòd humores ſupernatantes poſſint à ſanguinis commixtione ſeparati reperiri intra venas, quod confuſe, & inordinate, tumultuoséque contendit probare: ex tumultuoſa tamen eius cõfuſione hæc poſſunt proponi fundamẽta.

Primò, Hippocrates 1. *Epid. ſect. 2. text. 36.* agens de febre ardente dicit: *febribus autem ardentibus hæc accidebant; quibus rite, & largiter ſanguis per nares erupit, ea de cauſa maxime ſeruabantur*: & in mulieribus febribus affectis, ſuperueniens mẽſtrua purgatio liberat à morbo; ſed id prouenit, quia in iis peccãs humor ſanguini cõmixtus euacuatur: Ergo humor cacochymus cauſans febrẽ eſt intra venas ſanguini cõmixtus.

Secundò, iecur producit omnes humores ſimul cum ſanguine commixtos, vt illos coërceat, & attemperet: Ergo ſemper debet in venis permanere commixtus cum illis.

Tertiò, ſi ſuo loco, & tempore fiat ſanguinis miſſio, morbum ſoluit, ſicut & quælibet alia euacuatio ſanguinis: Ergo quia ſimul cum ſanguine erant reliqui humores intra venas commixti.

Quartò, ſiue humores ſanguini miſceantur per veram mixtionem, corruptis formis [illegible] m, & noua forma ſuperueniente; ſiue ex illis fiat mixtum per aggregationem, manentibus formis; ſemper intra venas ſunt ſanguini commixti. De per-

fecta

fecta mixtione patet non ſeparati, cum ſint ſub vna forma ſubſtantiali: de imperfecta, quia omnes illi vinculo naturali continentur ſub ſanguine: Ergo non ſeparantur ab illo.

Quintò, Data prima mixtione humorum intra venas, aut illa conſeruatur, aut mutatur in aliud mixtú illud, quod præceſſit: Ergo neceſſariò homores permanent ſemper ſanguini commixti, etſi ſupernatent.

Sextò, Impoſſibile eſt, quòd ex mutata mixtione naturali humorũ ſuperueniat cacochymia humorũ; per hoc quod ſeparetur aliquis eorum a ſanguinis commixtione: Ergo manet illis commixtus. Patet antecedens, quia nunquam Bombilius hoc vidit, nec audiuit, nec alibi legit quàm apud noſtram doctrinam.

Septimò, Non capit intellectus quomodo in anguſtæ venæ capacitate poſſint reperiri diſſociati humores, cum ſit de illorum natura reperiri conſociatos: Ergo ſemper reperiuntur ſimul ſanguini commixti, etiam ſi ſupernatent.

Reſoluendum primò, humores ſupernatantes, & cacochymos, poſſe reperiri intra venas ſimul cum ſanguine quarto humore, ſeparatos tamen ab eius commixtione, ita vt non ſint pars maſſæ ſanguinariæ.

Primò, conuincitur palam & euidenter hæc doctrina, ex eis quæ nuper notauimus: vbi modum tradidimus, quo reliqui humores cum ſanguine commixti faciunt maſſam ſanguinariam, & ſunt pars illius, dum commiſcentur, & à ſanguine quarto humore coërcentur; deſinunt eſſe pars ſanguinis, ſeu maſſæ ſanguinariæ, dum redundantes nequeunt à ſanguine quarto humore coërceri intra illam. Quam doctrinam Bombilius fatetur non intellexiſſe, nec nos potuimus intellectum illi præſtitiſſe, vt non allucinaretur in re ita manifeſta, & vt cognoſceret, quòd intra venas idem humor, qui prius erat ſanguini commixtus, ſi commiſceri iam deſinat, poteſt intra illas ab illa vnione, & commixtione ſeparatus ſimul cum ſanguine permanere impermixtus.

Probatur 2. ex Galeno à quo hæc doctrina deducitur *in comm. 1. lib. de natura humana.* vbi ſic illam protulit: *Pro abundante intellige nunc dictum ſupernatans, aut ſi manet, id quod non eſt cum cæteris omnibus commixtum.* En qualiter Galenus humores ſupernatantes ponit ſimul cum reliquis, ſine eo quòd ſint cum illis commixti: imò ratio ſupernatandi ſtat in hoc, quòd iam ſeperati maneant a reliquorum commixtione.

Probatur 3. ex eodem Galeno qui *lib. 2. de humoribus*, hanc ſtatuit doctrinam, dicens: *Hippocrates vero non hic tantum, ſed aliis ſuis commentariis, quando inuicem proportione ſeruata humores omnes augentur, miſſione ſanguinis auxiliatur: vbi vero vnus ſuperabundat; ibi purgatiuum dat medicamentum*: ſed non dat purgatiuum, dum humor eſt ſanguini commixtus: Ergo dum non eſt cum illo, ſed ab eius commixtione ſeparatus.

Dices, quòd Galenus non docet, quòd purgandus humor debeat eſſe à commixtione ſanguinis ſeparatus, ſed quod debet ſuperabundare, quod contingere poteſt etiam ſi ſit ſanguini commixtus.

Contra: Quilibet humor ſuperabundans ſanguini commixtus facit plethoram ſecundum quid, a qua indicatur ſanguinis miſſio: Ergo dum indicat purgationem, debet ſuperabundare, vt ſeparatus à ſanguinis commixtione. Probatur antecedens ex eodem Galeno *lib. 2. de compoſit. medicam. per genera, cap. 3. ſit autem plethora quatuor humoribus ex æquo adaucti, aut etiam ſanguine ſolo: nam cum alius quiſpiam humor redundarit, velut eſt pituita, flaua bilis, itemque nigra, eiuſmodi auctionem, nec ſimpliciter multitudinem, ſed cum appoſitione pituitæ, aut bilis flauæ, aut nigræ, in corpore factam, multitudinem dicunt*: Ergo ex redundante quouis humore ſimul ſanguini commixto, non fit cacochymia, ſed plethora ſecundum quid, a qua ſanguinis miſſio indicatur, non autem purgatio, vt deducitur ex Galeno *lib. de plenitudine, lib. de ſanguinis miſſione, lib. 10. methodi, lib. aduerſus Julianum, lib. 4. de rat. victus.*

Probatur 4. in eodem morbo v.g. in febre ardente ſanguinem mittimus, & purgamus ad euacuandam bilem, a qua fouetur morbus: Ergo debet eſſe in humore euacuando diuerſa ratio, a quo ſumitur indicatio mittendi ſanguinem, & purgandi; ſed hæc diuerſitas non aliunde ſumitur, niſi quia dum abundat ſanguini commixta, facit vitium, a quo indicatur ſanguinis miſſio: dum autem a ſanguinis commixtione ſeparata cum illo intra venas redundat, facit vitium, quod dicitur cacochymia, à qua indicatur purgatio: Ergo fatendum, poſſe humores intra venas reperiri cum ſanguine, ſeparatos ab eius commixtione.

Probatur 5. Dum per coctionem ſeperatur vtile ab inutili in febre putrida, quod permanet ſeparatum ab vtili, fit cacochymum, & ideò ex Hippocrate 1. *aphoriſm.* 22. indicat purgationem, manet intra venas ſimul cum ſanguine, licet iam ſeparatum illi non ſit commixtum: Ergo fatendum cacochymum humorem poſſe cum ſanguine intra venas ſimul permanere, ſeparatum ab eius commixtione.

Probatur 6. Ex ſanguine, & reliquis humoribus, vt deduximus ex Hugone Senenſi, fit quoddam mixtum; dum humores proportionati generantur, vt poſſint ſanguini commiſceri, & ab illo coërceri, & contemperari, ipſo ſe habente veluti forma illorum: Ergo ſi aliquis eorum generetur in tanta quantitate, vt coërceri nequeat à ſanguine, manebit ſimul cum illo intra venas, ſeparatus a commixtione, quæ illi cum ſanguine debetur naturaliter.

Probatur 7. Sicut humores adimplent maſſam ſanguinariam, ſic & ſerum complet cuiuſuis humoris ſubſtantiam; ſed ſi ſuperabundet illuuies ſeroſa, & non poſſit coërceri, & coadunari cum humorum ſubſtantia, vt contingit in hydrope, permanet in venis redundans ſimul cum reliquis humoribus: Ergo quilibet humor ſuperabundans ſeparatus a ſanguinis commixtione, poterit ſimul cum illo in venis permanere.

Probatur 8. Sic ſe habet humor in venis ſupernatans, dum ſeperatur à ſanguinis commixtione, ſicut butyroſa ſubſtãtia lactis, dum ſeperatur ab eius commixtione intra aliquod vas, ſed ſupernatans butyroſa pars, licet iam ſit ſeparata à lactis commixtione, permanet tanquam entitas diſtincta à lacte, cuius fuit pars, ſimul tamen cum illo intra idem vas: Ergo ſupernatans humor in venis poteſt, licet ſeparatus ſit à ſanguinis commixtione, intra venas permanere ſimul cum illo.

Dices, Quòd butyroſa pars lactis non ſeparatur à commixtione cum qua producitur in lacte cum reliquis portionibus illius, donec frigore externo alteretur, intra mammas verò ſẽper vnita manet, quod idẽ debet cõtingere in humoribus manẽtibus intra venas.

Contra: Sicut alteratione cauſæ externæ, poteſt lac alterari, & ſeparari pars butyroſa; ſimiliter alteratione à calore præternaturali, ab aliiſque internis cauſis poteſt humor aliquis à ſanguine alterari, & in tantam molem augeri, vt nequeat ſecundum omnes ſui partes a ſanguine attemperari, coërceri, & commiſceri: Ergo ſeparatus humor ab iis cauſis, intra venas ſimul cum ſanguine permanebit, ab eius commixtione ſeparatus.

Reſoluendum 2. Quòd tripliciter poteſt alter humor à ſanguine fieri ſupernatans, vel in prima ſui generatione, vel per nimiam alterationem, vel per coctionem in nocitiuo.

Probatur prima pars ex nuper dictis: Si enim iecur aliqua laboret intemperie, aliquove vtatur cibo pro aliquo humore proportionato; vt ſi illi offeratur magna copia mellis apta pro generanda bile, tantam illius producet quantitatem, vt omnem excedat molem ſanguinis, & reliquorum humorum: Ergo tunc impoſſibile eſt, quòd excedens ille humor non ſupernatet, & redundet, ſine eo quòd poſſit a ſanguine coërceri, & commiſceri, contemperarique.

Probatur 2. pars. In humoribus turgentibus, dum in febre ardente ſanguinem, & reliquos humores adurente, immutantéque in bilem, vbi tanta copia fit bilis, vt nequeat iam à ſanguine coërceri, & ideò ſupernatans, & effrænis ſtatim fit cacochymia, & indicat purgationem, ex Hippocrate 2. *aphor.* 22. & 4. *aphor.* 1.

Probatur 3. pars, de humoribus putreſcentibus, in quibus per coctionem in nocitiuo ſeparatur inutile ab vtili, & ſic ſeparatum fit ſupernatans talis humor, petitque purgari, quia iam à commixtione ſanguinis ſeparatus & inutilis eſt, & ideò Hippocrates, concocta medicari docet. Ex dictis Bombilius intelligere poteſt, qualiter ſeparati humores a ſanguinis commixtione, deſinunt eſſe pars maſſæ ſanguinariæ, quæ ſanguis dicitur, & remanent ſimul intra venas cum ſanguine quarto humore, ſicut permanet ſimul cum aqua in eodem vaſe, aut cum vino, ſpuma ſeparata ab eius ſubſtantia, ſimul tamen cum eis permanens, & cum lacte butyroſa ſubſtantia ſupernatans.

Ad Bombilij pueriles obiurgationes, Reſpondetur ad 1. Quòd ex dictis patet, quod humor cauſans febrem poteſt eſſe ſanguini commixtus, & febris ſoluitur, ipſo euacuato cum ſanguine, ſiue per ſanguinis miſſionem, ſiue per hæmorrhagiam, ſiue per vterum. Poteſt eſſe ſimul cum ſanguine illi non commixtus, & tunc ſoluitur febris ipſo euacuato per ſudorem, per diarrhæam biliosam, aliámve criticam euacuationem illius peccantis humoris.

Ad 2. Reſpondetur, Quòd iecur in ſtatu naturali producit omnes humores ſimul cum ſanguine commixtos; poteſt tamen impediri commixtio ob cauſas nuper dictas.

Ad 3. Reſpondetur, Quòd ſanguinis miſſio ſoluit morbum, quia humor cauſans illum, euacuatur cum ſanguine, cui erat commixtus: ſi autem ſit ſeparatus & ſupernatans, purgatione euacuari petit, & ſoluitur morbus per illam.

Ad 4 Reſpondetur, Quòd humores ſanguini commiſcentur per aggregationem, & poſſunt, vel non commiſceri, vel commixti ſeparari ob cauſas dictas.

Ad 5. Reſpondetur, Quòd data prima mixtione humorum ſine maſſæ ſanguinariæ mutatione in aliud ſubſtantificum mixtum, poteſt aliquis humor componens illam ſegregari, & ſeparari a commixtione, ſicut manente lacte, ſeparatur & ſupernatat butyroſa ſubſtantia ſimul manens.

Ad 6. Reſpondetur, Quòd, id quod Bombilius non legit, poteſt contingere, quod conuincit veritas à quocumque dicta, & quod poterat legere in Galeno à me citato.

Ad 7. Reſpondetur, Quòd licet anguſtia intellectus Bombilij non capit, quomodo ſimul cum ſanguine ſupernatans humor ſit in venis, poterat inde capere: ſi enim in commixtion[illegible]pit, quod continetur cum ſanguine, & poſt commix[illegible]onem eſt idem, poterit in eodem vaſe contineri: ſicut ſpuma ſeparata à commixtione vini, & butyroſa ſubſtantia a lacte ſeparata, intra idem vas continentur cum eis, à quorum commixtione ſeperantur.

Resolvtio II.

Vtrùm vitium cacochymia ſtet in humorum ſupernatantia.

Bombilius in ſuo iudicio de minoratiua purgatione *conſiderat.* 2. hoc dubium à nobis tra[illegible]u-lit, *diſput. de purgandi rat. ſect.* 1. *Reſolut.* 1 Ibi propeçanter, nec digeſta, nec intellecta plura a nobis adducta refert; quos pro contraria opinione citauimus Authores, pro ſe adducit, & ſequitur contendens quod cacochymia accidat humoribus co[illegible]xtis ſanguini, per hoc quòd alendo idonei non ſint, vt alij tenent.

Primò, ex nobis pro ſe adducit: Tum 1. Galenum, qui *lib.* 3. *methodi cap.* 6. inquit, *Si autem æqu. liter omnes ſucci redundant, plethora appellatur. ſi vero pituita, bile flaua, aut atra, vel ſeroſis humoribus ref[illegible] corpus fuit, cacochymia dicitur.* Tum 2. *lib.* 4. *method. cap.* 4. *lib. de multitudine cap.* 10. *lib. de valetudine tuenda*, cacochymiam docet eſſe vitium in humoribus diſtinctis à ſanguine, ſeu ob eorum exceſſum: Tum 3. plenitudo, & cacochymia ſunt duo vitia humorum diſtincta: plenitudo eſt vitium ſuperueniens ſanguini redundanti; Ergo cacochymia ſuperuenit reliquis humoribus illi coniunctis.

Secundò repetit plures rationes quas ex ipſo pro dubio antecedente retulimus, & quod noſtra doctrina conuincit diſcurſu metaphyſico, & conuincitur tanquam poſſibilis, ſed non vſu, & experientia; nam vera practica pendet ex ſolo rerum vſu, & obſeruatione, de quâ dicit Galenus, quòd eſt *ſuggerens memoria ſignum: quod innoteſcit ex antegreſſa obſeruatione.*

Reſoluendum: Quòd vitium alterius humoris à ſanguine, qui alendo fit inutilis, intra maſſam ſanguinariam contentus, non eſt cacochymia, donec à ſanguinis commixtione ſeparetur, & deſinat eſſe pars maſſæ ſanguinariæ. Hæc doctrina conuincitur ex doctrina Reſolutione antecedente tradita, & à nobis manet demonſtrata *diſp. de purgandi rat. ſe[illegible].* 1. *reſo[illegible].* 1. §. 2. Vbi pro illa adduximus Ambroſium Nuñez. Turiuum, Criſpoltum, Contugium, & Seinam; ſed quia Bombilius renuit hanc doctrinã recipere, quia nouam recuſat, & illam non vidit in alio Authore, ex aliis etiam Authoribus nos illam deſumpſiſſe demonſtrabimus, ne veritatem quia noſtram recuſet.

Probatur. Ergo primo ex Gentili qui *ſen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap. de curationi febrium putridar.* ex Au[illegible]cenna ſanciuit hanc doctrinam, mouens hanc quæſtionem; An in omni febre putrida conueniat ſanguinis miſſio, quam ſic ſoluit; *Auicenna ſoluit hanc quæſtionem dicens, quòd ſi febris eſt de materia ſanguinea, vt Synochus, aut eſt de materia alia mixta, vt cholerica, phlegmatica, vel melancholica; tamen peccent in ſanguine, ſiue ſint mixta ſanguini, tum phlebotomia magis eſt conueniens; & hoc eſt quod dicit, ſi fuerit, quòd vincit ſanguis, quantum ad ſynochos, aut cum hu[illegible]ori, id eſt cum cholera, vel phlegmate, vel melanch[illegible] quod vincat, id eſt, qui eſt cauſa febris ſ[illegible] id eſt fuerit, quia illi ſunt ſan[illegible]i commixti, ſiue i[illegible]ne peccantes.* En Bomb[illegible] Gentili, & Auic[illegible]na traditam noſtram doctrinam, quam iam ex aliis Authoribus

thoribus non recuſes recipere; ſi enim fremis ob nouam doctrinam; antiquitus traditam tibi offero.

Dices cum Bombilio, quod hoc diſcurſu metaphyſico percipitur, non tamen in actu practico poteſt obſeruari, cùm nullis ſignis percipiatur.

Contra ſtat idem Gentilis, qui ſtatim ſuperaddit: *Signum autem quod humor ſit ſanguis, vel cum ſanguine commixtus, eſt vrina rubra; groſſa ſcilicet rubedine quadam ſanguineâ, & groſſitie debita, vel media, quando peccat phlegma, vel melancholia in ſanguine, & tamen magis groſſa, niſi prohibeat oppilatio, ſed rubedine magis clara, & minùs groſſa; quando cum ſanguine peccat cholera, & totum hoc intellexis, cum dixit, cum vrina eſt rubra, groſſa: ſi autem febris putrida ſit de aliis humoribus à ſanguine, cum quibus non peccat ſanguis, nec ſunt ſanguini commixti, non competit phlebotomia.* Hæc Gentilis, Ex quibus patet febres poſſe oriri à ſolo ſanguine, vel ab alio quocumque humore ſanguini commixto, & in iis omnibus non dari cacochymiam; cum maneat indicata ſanguinis miſſio, non autem purgatio, quæ à cacochymia indicatur; patet etiam non ſolo metaphyſico diſcurſu, ſed manifeſtis ſignis cognoſci humores aut eſſe commixtos, aut ſeparatos à ſanguinis commixtione.

Probatur 2. Ex Galeno *lib. de plenitudine cap.* 10. dicente. *Sed opus profectò fuerit, vt cum vnoquoque iſtorum ſimul ſanguis augeatur; alioquin ſi ſola exuperauerit bilis putrida, vel flaua dicta, quemadmodum euenit iis, qui regio morbo implicit ſunt; is affectus non amplius plenitudo, aut plethora appellari merentur, ſed potiùs vitioſorum humorum copia. Græci vero cacochymi, & id ipſum de bile atra ac pituita dicendum.* En Galen. conſtituentem plenitudinem ſecundum quid in redundantia humoris cuiuſlibet ſimul cum ſanguine; cacochymiam verò in exceſſu horum humorum, ob quem ſeparatur humor à ſanguine, vt contingit in ictericia, in qua ad ſenſum patet, quòd bilis ſeparata à ſanguine conſpicitur.

Dices quòd ponit Galenus rationem cacochymiæ in hoc quòd augeantur reliqui humores à ſanguine; non autem in eo quòd ſeparentur ab eius commixtione.

Contrà ſtat contextus, ex quo manifeſtè colligitur, quòd requiritur ſeparatio à commixtione ſanguinis: Tum quia ponit exemplum cacochymiæ in bile flaua redundante; vt contingit in ictericia, de qua conſtat, quòd eſt ſeparata à ſanguinis commixtione: Tum quia ponit antecedentes ſigna plenitudinis ſecundum quid, dicens, *Rubor ſanguinea plenitudini atteſtatur; color verò ſubpallidus flaua bilis, cum autem pituita nimis exceſſerit, in album magis, quam ex natura conueniat, color vergit; quemadmodum in atrum, ſi bilis atra.* Quorum omnium humorum augmentum, ſi ſimul fit cum ſanguine, vocatur plethora: Ergo vt fiat in illis vitium cacochymiæ, debent ſimul cum augmento eſſe à ſanguine ſeparati, aliàs confunderetur vitium plethoræ ſecundum quid, cum cacochymia, quæ ſunt diuerſa, & quorum alterum ſanguinis miſſionem; alterum purgationem indicat: Tum quia in contextu docet, quòd à quouis humore adaucto ſimul cum ſanguine, fit plethora & indicatur ſanguinis miſſio, & ab illo adaucto ſine ſanguine, fit cacochymia, à qua indicatur purgatio, ſed eo ipſo, quòd augeatur ſine ſanguine, iam nequit commiſceri, & à ſanguine coërceri, & contemperari, cum exuperet illum: Ergo neceſſario debet ſeparari à ſanguinis commixtione, dum fit cacochymia.

Dices quod in plenitudine ſecundum quid augetur

A ſanguis, & humor ſimul cùm illo peccans; & in cacochymia ſolus augetur humor qui fit cacochymus, & per hoc differunt plenitudo, & cacochymia; non autem in hoc, quòd humor ſeparetur à ſanguinis commixtione.

Contrà ſtat ratio nuper adducta; quia eo ipſo quòd ſine augmento ſanguinis augeatur quiuis humor, manifeſte conuincitur, quod talis humor ſeparetur à ſanguinis commixtione, quia dum humores commiſcentur cum ſanguine, vt fiat ex illis maſſa ſanguinaria, vt ex Hugone deduximus, ſanguis ſecundum minimas partes cum reliquis humoribus coniungitur, vt ipſos coërceat: ſed eo ipſo quod ſanguis non augetur, alter verò exuperat: in parua exiſtens quantitate, ipſum exuperantem ſecundum

B minimas quaſcumque partes attingere nequit, nec vniri cum exuperante quantitate: Ergo ſecundùm illam exuperans humor neceſſariò debet ſupernatare: & ideò fit cacochymus.

Dices 2. Quòd in ictericia, in qua dicit Galenus quòd exuperat bilis, & eſt cacochyma, ſanguinem mittimus, ex quo apparet, quòd non ſeparatur à ſanguinis commixtione; aliàs non ſanguinis miſſione, ſed purgatione peteret euacuari.

Reſpondetur, Quòd duplex quantitas bilis in ictericis poteſt conſiderari; alia, quæ poteſt commiſceri ſanguini intra venas, à quâ vt ſanguini commixta indicatur ſanguinis miſſio, ne ab illa alterata, & ſepa-

C rata augeatur cacochyma bilis, quæ eſt ſeparata à commixtione ſanguinis, & à venis propellitur in partem ictericiam patientem. Altera eſt quantitas bilis exuperans, quæ nequit commiſceri ſanguini, & hæc eſt, quam cacochymam vocat Galenus, & quæ indicat purgationem, & deberet ſtatim purgari, niſi iecoris phlogoſis, inflamatióve, aut febris intenſio impediret.

Probatur 3. Ex dictis cacochymia eſt vitium in humoribus, à quo indicatur purgatio, ex Galeno *de rat. victus in acutis*, ſed ex eodem à morbo magno pendente ex vitio eorumdem humorum, etſi putreſcant, & alendo idonei non ſint, indicatur ſanguinis miſſio, ſi faciant plenitudinem, vt patet 11. *methodi*

D *cap.* 15. Ergo purgandi, aut mittendi ſanguinem, in eiſdem humoribus non ſumitur indicatio, ex eo quod alendo idonei non ſint.

Dices, quod ſumitur indicatio mittendi ſanguinem, aut purgandi, non ſolum ex eo quòd alendo idonei ſint, aut non, ſed quia faciunt plenitudinem ſecundum quid, aut nequeunt illam efficere.

Contrà ſtat: Tum quòd iam cedit contraria opinio, quæ cacochymiam conſtituit in hoc, quòd humores non ſint idonei nutrire: Tum quia ſine plenitudine ſecundum quid dictâ, poteſt ſanguis mitti: Galenus enim *lib.* 4. *methodi cap.* 6. ſanguinem mittit, etſi plenitudinis ſigna non ſint, & Auicenna *fen.* 1. 4. *cap. de phlebotomia*, ſanguinem mittit propter plenitudinem, aut propter maliriam ſanguinis, aut pro-

E pter vtrumque; ex quo apparet, quòd à plenitudine non ſumatur ratio euacuandi humores per ſanguinis miſſionem, & quod ſanguinem mittimus dum humores putreſcunt, & alendo non ſunt idonei: Ergo ab alio principio debet ſumi ratio indicandi ſanguinis miſſionem, aut purgationem.

Probatur 4. Si ſtat cacochymia in eo quòd humores alendo idonei non ſint, ſemper indicarent purgationem, & numquam ſanguinis miſſionem: ſed dum alendo idonei non ſunt, indicant ſanguinis miſſionem: Ergo qui alendo idonei non ſunt, non fiunt cacochymi, & apti purgationem indicare. Probatur minor ex Galen. *lib.* 9. *meth. cap.* 11. §. *Memineris*

ru verò mihi, ad ea quæ dicenda ſunt, quorum cauſa venæ ſectio petitur, nam quoniam hæc ſanguinis vacuati cauſa adhibetur, ſanguis autem vtilis natura eſt, vtique probe hanc adminiſtrare conuenit, vt quod inutile natura ſit, emittat: fit autem ſanguis natura inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius nutrire, ſicut priùs cum vtile eſſet, poteſt, vel ita multitudine creuit, vt vires premat. Ergo Galenus mittit ſanguinem dum humor alendo ineptus eſt.

Probatur vltimò ex Auicenna *fen.* 1. 4. *cap. de curat. febris putridæ*, §. *Quod ſi fuerit fortis virtus, & fuerit, quod vincit ſanguis, aut fuerit cum humore, qui vincit ſanguis, tunc phlebotomia eſt conueniens*: Ergo etiam ſi ſit alendo inutilis, & putridus ſanguis mittendus.

Confirmatur. Mittitur ſanguis in omni febre putrida, ad euacuandum humorem putridum cauſantem febrem, ſed talis cum non poſſet iterum coqui in iuuatiuo, nequit alendo vtilis eſſe: Ergo licet humor alendo ſit inutilis, non eſt cacochymus.

Ad 1. Reſpondetur: Tum pro 1. quòd Galenus noſtram confirmat doctrinam: tenet enim quod redundantes illi ſucci in magna quantitate, fiunt cacochymi, quia, vt diximus, vt ſic neſciunt cum pauco ſanguine commiſceri: Tum pro 2. quòd hoc idem conuincitur ex reliquis citaris locis: Tum pro 3. quòd plenitudo eſt vitium ſuperueniens ſanguini quarto humori, vel maſſæ ſanguinariæ, vel humori cuilibet ſimul cum ſanguine adaucto; cacochymia ſolùm ſuperuenit reliquis humoribus à ſanguine, dum quilibet augetur, ſine eo quòd ſanguis augeatur in tanta mole, vt nequeat cum illo commiſceri.

Ad 2. Reſpondetur quòd non ſolum methaphyſico diſcurſu manet hæc doctrina probata à nobis, ſed authoritate Auicennæ, & Gentilis, & euidenti ratione ſignis propriis manifeſtante illius cognitionem.

Resolvtio III.

Quid ſit Minoratiua Purgatio?

BOmbilius in judicio de minoratiua purgatione, ſine omni judicio ſe Athletam oſtentat doctiſſimorum Hiſpalenſium Medicorum, quaſi puſillo hoc indigerent propugnatore, & quaſi vnicus tutelaris huius doctrinæ eſſet, in qua pluribus abhinc annis tot digladiantur Medici, ipſum enim controuertunt omnes Academici, omnes Commentatores Hippocratis *in* 2. *aphoriſm.* 22. & Galeni Commentatores *lib. artis medicinalis cap.*87. & Auicennæ Commentatores *in fen.*1. *lib.*4. *cap.* 5. Raſis ad Almanzorem hanc litem proponit. Aponenſis etiam *different.* 7. Forliuienſis *quaſt.* 44. Lemos *lib.*2. *methodi.* Cardanus *lib.*1. *contradict.* Manardus *lib.*13. *epiſtol.* Valleſ. *lib.*7. *controuerſ.* Henriquez *quaſt.* 17. Donatus Antonius *de purgand. rat.* Mena *ſuper cap.* 7. *de purgat.* Vega *lib. Methodi.* Horatius Augenius *lib.*2. *epiſtolar.* Maſſarias *de pur. de minoratiua purgat.* Santa-Cruz *de impediment. magnor. auxilior.* Santorius *de vitandis erroribus*: Simon Ramos *in apologia de minoratiua purgat.* Valdius *in* 1. *Aphor.* Gabriel Fontanus, Iulius Cæſar *in epiſtolis*: & innumeri alij; quorum plerique admittunt minoratiuam purgationem, in quos poſſet Bombilius intumeſcere.

Sed quia minoratiuam admittentes purgationem,
A in determinando quid ipſa ſit, diſſentiunt, vt aptius noſtram muniamus Doctrinam; ſub hac Reſolutione: Quid ipſa ſit, confirmabimus. Raſis 1. *ad Almanzorem*, vocat minoratiuam, purgationem in factam in principiis morborum, ad euacuandam quamcumque materiam, quæ ſuperfluit in magna copia. Montanus, & Fernelius minoratiuam vocant, purgationem in augmento, aut ſtatu factam. Alij minoratiuam vocant, purgationem factam pro tenuibus humoribus, non verò pro craſſis. Alij vocant minoratiuam, lenitiuam, purgationem factam pro purgandis crudis ventriculi humoribus. Santa-Cruz dicit minoratiuam eſſe, purgationem humorum in principio ſupernatantium. Mercatus dicit eſſe purgationem, qua materia morbifica minor
B redditur circa ipſius principia, & hanc molitur ſeligente pharmaco; & debetur humoribus quorum tanta eſt quantitas, ſiue putreſcant, aut non, vt timor ſit, ne natura ſuccumbat, ac ante integram eorum coctionem deficiat, ac hebeteſcat quo fit vt minori facta materia, natura reddatur potentior ſupra reſiduum, illique ſecurius dominetur, ac imperet.

Reſoluendum 1. Quòd minoratiua purgatio non conſtituitur in hoc, quòd ſit euacuatio crudorum humorum in principio facta, in quouis morbo.

Probatur 1. lenitiua purgatio humorum crudorum primæ regionis petit fieri in principio, ex Galeno *lib.*9. *methodi* §. *Quòd ſi præcedat ciborum cru-*
C *ditas, &c. & lib. de ſanguinis miſſione cap.* 12. ex Hippocrate *lib.* 4. *de victu acutor. text.* 43. ex Auicenna *fen.*1. *tract.*2. *cap.* 95. §. *Omnes ſpecies conueniunt in hora principij in tribus, in neceſſitate lenificationis.* ex Auerrhoe 7. *collige cap.*1. §. *Corruptum enim inteſtinorum; ſecta vena, lethaliter ad vaſa trahetur, ſucceſſione ad id, quod euacuatur*; & repetit Galenus idem *lib.*4. *de rat. vict. cap.*4. Sed talis purgatio non eſt minoratiua: Tum quia non eſt ſelectiua, quæ ordinatur ad euacuationem humoris, in ſecunda regione febrem fouentis, cuius intenditur minoratio. Tum quia loquimur de minoratione quæ debetur de cura coacta, lenitiua purgatio de cura regulari debetur: Ergo non eſt minoratiua.

D Probatur 2. Purgatio humorum tenuium debetur in principio morbi pendentis ex colluuie ſeroſæ ſubſtantiæ, ex Galeno *lib.*7. *Quos, quibus, & quando. cap.* 7. §. *Ad hæc omnia etiam tempus monſtrabunt, ſiquidem inter initia morbi, tenues, & aquoſos humores euacuabis*: Sed etiam hæc euacuatio eſt de cura regulari, quia in iis non eſt ſpectanda coctio, cum ſint inepti ad illam: Ergo ſaltem hæc purgatio in principio non eſt minoratiua.

Probatur 3. Plures purgationes fiunt in principio reuulſionis gratiâ, v. g. in ictu, percuſſioneve, in quibus purgare, aut ſanguinem mittere docet Galenus *lib. de curand. rat. per ſanguinis miſſionem.* &
E *in comm.* 23. *lib.*1. *aphor.* in vehementiſſimis doloribus diſtinguendum docet: An ſtatim ſanguis ſit mittendus, vel purgatio conueniat: *& lib.*13. *meth. cap.*12. In opthalmia humores fluentes in prima, aut ſecunda die purgatione reuelli docet: ſed huiuſmodi purgationes, licet fiant in principio, non ſunt minoratiua purgatio, quia hæc de cura coacta fit, & ſolis humoribus debetur, fouentibus febres, de quorum quantitate dubitatur, an coctionem admittant, quæ omnia non occurrunt in iis purgationibus.

Reſoluendum 2. Quòd purgatio ſelectiua, quæ in principio, aut augmento fit; materia iam ſupernatante, non eſt minoratiua.

Probatur

Probatur 2. Humores turgentes ſupernatantes ſiunt, & ideò purgandi ſtarim ſunt in principio ex Hippocrate 2. *aphor.* 23. *&* 29. *&* 4. *aphor.* 10. ex Galeno *in comment. & lib.* 3. *de compoſit. medic.* Similiter fit ſelectiua purgatio ſi in principio ſupernatet humor ob nimiam copiam; vt in cachexia, & hydrope, & copia ſeroſorum humorum; ſed omnes iſtæ purgationes petunt fieri de cura regulari, & ſunt indicatæ ab humorum cacochymia, quia cum ſint à commixtione ſanguinis ſeparati, humores inutiles omnino ſunt: Ergo non quælibet ſelectiua purgatio in principio facta eſt minoratiua.

Reſoluendum 3. Minoratiua purgatio, eſt purgatio ſelectiua, quæ debetur humori fouenti febrem ſanguini commixto: in principio vniuerſali de cura coacta, vt minorata materia naturam ſuperante, quod reliquum eſt poſſit ab illa ſuperari, & deuinci.

Particula, *Purgatio*, generica ratio eſt; comprehendit omnes purgationes. Particula, *Selectiua*, excludit purgationem lenitiuam: de qua non eſt controuerſia. Particula, *Quæ debetur humori fouenti febrem*, excludit alias purgationes; quæ fiunt in principio in aliis morbis, quæ non petunt vinci per materiæ coctionem. Particula, *Sanguini commixto*, excludit purgationes, quæ fiunt pro humoribus iam ſupernatantibus, & ſeparatis à ſanguinis commixtione. Particula, *In principio vniuerſali*, propònit tempus, in quo cogimur ad hanc purgationem: ſcilicet dum adhuc nequit concoqui, nec deuinci à natura, quod ſemper eſt principium vniuerſale: ſi enim natura incipit coquere, & poſſet licet paulatinè deuincere cauſam morbificam, non eſſet neceſſaria minoratiua. Particula, *De cura coacta*, proponit rationem ob quam etiam ſi repugnet tunc exhibere purgationem de cura regulari, cogimur tamen coacti ab vrgente neceſſitate, ad eius exhibitionem. Particula. *Vt minorata materia naturam ſuperante, quod reliquum eſt poſſit ab illa ſuperari, & deuinci*, dicit finem operantis, proponitque rationem, quæ cogit ad exhibitionem purgantis ſelectiui pharmaci, quod nondum indicatum eſt de cura regulari.

RESOLVTIO IV.

Quo tempore ſelectiua purgatio conuenit ex Hippocrate, & Galeno?

VT contra Bombilium conſtet demonſtratam fuiſſe à nobis minoratiuæ purgationis occaſionem, ſanciendum primò de ſelectiua purgatione, quo tempore petat fieri. Hippocrates, ex cuius doctrina hæc præfiniri deberet, inconſtanter loqui videtur, *lib.* 2. *aphor.* 22. *concocta medicari, ac mouere. non cruda docet, nec in principiis morborum, niſi materia turgeat. In ſubſequente ſententia* 29 iterum tradens occaſionem auxiliorum magnorum, inquit: *Si quid tibi mouendū videtur in principiis morborum, moue.* Galenus *in comment.* dicit *ſine ſanguinis miſſione, ſine purgatione.* Hinc deducit Bombilius contrarium ſibi ſtetiſſe Hippocratem, Muſa Braſauolus *in aphor.* 22. *lib.* 2. iudicat loqui Hippocratem de medicamentis ſelectiuis: *in* 29. de lenitiuis. Brachelius iudicat, quòd *in ſententia* 22. loquitur Hippocrates de euacuatione facta per purgationem: *in* 29. de ea quæ fit per ſanguinis miſſionem Manardus tenet quod *in* 22. loquitur de non turgentibus: *in* 29. de iis, ſolùm admittit purgandos.

Pro deciſione difficultatis repetam ex dictis *P.* 4.

A *Reſolut. Medicar. diſputat.* 2. *ſect* 3. *reſolut.* 10. §. 2. quod Medicus, ſicut & alij quamplurimi artifices, vt nautæ, Imperatores, milites, & Reipublicæ Gubernatores, dupliciter ſolent operari ad conſequutionem finis, in quem tendunt: vno modo regulari, alio modo coactè. Regulariter operantur, quando licet exequi finem intentum ſecuriori via, & iuxta regulas communiſſimas, ac ſecuriſſimas, ab arte præſcriptas: coactè operari dicuntur, quando non poſſunt ſecuriori via exequi, quod intendunt, illud tamen conſequi contendunt eo modo, quo poſſunt, & licèt cum periculo, non deſiſtunt à fine, & quem regulari, ac ſecura viâ conſequi non valent, periculoſa alia ac coacta, quia ad illam proſequendam cogit neceſſitas, progrediuntur.

B Reſoluendum 1. Quòd iuxta Hippocratis, & Galeni doctrinam purgatiò ſelectiua in febribus putridis de cura regulari numquam debet exerceri, niſi dum materia morbifica ſit cacochyma & ſupernatans & vt talis indicat purgationem.

Probatur 1. ex Hippocrate & Galeno qui 2. *aphoriſ.* 22. Hanc doctrinam ex communi omnium medicorum ſententia ſancitam reliquerunt: inquit enim Hippocrates *concocta medicari ac mouere, non cruda, nec in principiis morborum, niſi materia turgeat*: vbi purgationem conſulit dum materia turget, vel iam eſt cocta; ſed in vtroque caſu iam eſt cacochyma, & ſeparata à commiatione ſanguinis, in turgente materia; quia à nimio calore ſuperabundat. In materia C coctâ, quia coctione ſeperatur inutile ab vtili: Ergo ſelectiua purgatio regulariter exercenda; dum indicatur à materia ſupernatante cacochyma. Confirmat hanc doctrinam Galenus *in comment. Tales*, inquit; *humores euacuare conuenit. Hoc eſt, qui agitantur, & de loco in locum mouentur, ac transfluunt; eos verò qui ſunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet; nec medicari ante coctionem. Tum enim naturam ipſam habemus adminiculantem euacuationem: videtur quidem ipſam poſt coctiones, humores diſcernere, & ſuperfluitates expellere*: Ergo ex Galeno de cura regulari humores turgentes aut ſeparatos per coctionem conuenit purgari.

Probatur 2. ex Hippocrate, Tum *lib. de medicam.* D *purganti.* §. *Quicumque febribus magnis corripiuntur; iis medicamenta purgantia dare non conuenit, donec remiſerit febris. Hoc autem contingit poſt coctionem*: Tum 4. *acut.* 43. §. *ſi autem tenues fuerint vrina, non purgabis. Hoc autem, ſignum eſt cruditatis: & ideò ſpectanda eſt coctio ſeparans humorem purgandum*: Tum 4. *acut. text.* 22. §. *Quacumque ea quæ inflammata ſunt, non cedit cruda paſſio.* Vbi ante ſeparationem per coctionem non cedere purgationi humorem protulit. Ergo ex Hippocrate de cura regulari purgatio conuenit, dum ab humore ſeparato à ſanguinis commixtione indicatur.

Probatur 3. *ex Galeno* 4. *aphoriſm. comm.* 22. §. *Quibuſlibet incipientibus morbis, ſi atra bilis ſupra;* E *vel infra exierit, lethale*, inquit Hippocrates; Galenus ſuperaddit: *Quando aliquis incipit morbus, ſi aliquid excernitur, nihil tunc excernitur ratione naturæ, ſed omnia ſunt caſus præter naturam earum diſpoſitionum, quæ ſunt in corpore; quo enim tempore à cauſis morbum quidem facientibus, natura grauatur, adeſt cruditas humorum, Tum aliquid vtile euacuari eſt impoſſibile, ſiquidem oportet coctionem præire, ſubſequi vero diſcretionem, poſtea euacuationem.* En Galenum præſcribentem de cura regulari opportunum purgandi tempus: Tum 2. *aphor. comm.* 9. ideò damnat purgationem factam ante coctionem materiæ *& lib* 2. *de humoribus comm.* 10. dicit: *Quæ ſunt incocta,*

ſunt

ſunt ſtabilia, & fixa; itavt cum maxima difficultate trahi poſſint. Tum 4. *aphor.* 22. dicit quòd *cruda materia nequit rectè euacuari*: Tum *lib.* 4. *de ſanit. tuenda cap.* 5. docet incommoda ſubſequuta à purgante pharmaco, dum eſt cruda, & non ſeparata à commixtione: Tum 4. *acutor.* 44. docet quantum noceat mouere humores ante coctionem ſelectiuo pharmaco: Tum 2. *in* 2. *prorrhet. comm.* 57. inquit *Aluus ſponte fluens ſine ſignis coctionis, nihil iuuat, immò nocumentum affert*: Tum 2. *aphoriſ.* 24. docet *ſemper ſpectandam coctionem, niſi turgeat materia*: Tum 2. *de humoribus*, docet purgationem circa iudicationem, malam: Ergo ex Galeno de cura regulati purgatio exercenda, dum humor coctione eſt ſeparatus, & cacochymus, aut turgentia.

Reſoluendum 2. ex Hippocrate, Galeno, & Auicenna, Quòd de cura coacta minoratiua purgatio crudæ debetur materiæ morbificæ, nondum à ſanguinis commixtione ſeparatæ.

Probatur 1. ex Hippocrate 2. *aphoriſm.* 29. inquit enim: *In principiis morborum, ſi quid tibi videtur mouendum, moue*: Galenus *in comment.* dicit, *circa initia verò illorum morborum, in quibus ſpectatur ægrum conualiturum, tentandum maiora afferre remedia, de quibus Hippocrates dicit; ſi quid tibi videtur mouendum, moue. Sunt autem hæc maximè, vena ſectio, & purgatio.* Sed purgatio in principio, vt probauimus, non conuenit de cura regulati: quia materia non eſt cacochyma: Ergo conuenit ex Hippocrate, & Galeno de cura coacta, pro humore ſanguini commixto, & non ſeparato, euacuando.

Probatur 2. ex eodem Hippocrate *lib.* 7. *Epidem. text.* 87. *in hiſtoria fullonis*, de quo dicit Hippocrates, *fullo, qui in Syro phreneticus, cum viſione autem tremulus, crurum color quaſi eſſet morſus à culicibus, oculus magnus, exi... motus, vox clangoſa, manifeſta autem; vrina pura, ſubſidentiam non habens: Nunquid ob deiectionem ex thapſia, decima octaua remiſit emolli... morbus, ſine ſudore?* En Hippocratem, minoratiuam purgationem exhibentem pro cruda euacuandâ materia, ſanguinique commixta.

Probatur 3. ex Hippocrate, qui pluribus exemplis euacuationes ſymptomaticas ante materiæ coctionem, à natura factas vtiles fuiſſe narrat: minoratâ materiâ Natura valuit concoquere reſiduum: *lib.* enim 1. *Epidem.* mulier trimeſtris grauida, vrina exiſtente cruda, ſudauit, & liberata eſt, *in comment.* 3. *in hiſtoria Metonis* idem contigit ex fluxu ſanguinis in principio facto. Et 3. *Epidem. ſect.* 1. qui laborabat febre in horto Dealcis, ſimili modo liberatus euacuata cruda materia: Ergo cum naturam ars imitetur, poterit iuuare aliquando crudam euacuando materiam.

Probatur 4. ex Auicenna, qui *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. crudam materiam purgare permittit: & *fen.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. dicit, *ſi non fuerimus ſecuri, quid virtus vſque ad maturitatem horas perduret, vacuabis eam per ventris ſolutionem, non expectata coctione humoris*: Ergo ante ſeparationem eius, à maſſa ſanguinaria.

Patet ex dictis contra Bombilium conantem impugnare meam doctrinam admittentem minoratiuam purgationem, ipſum non tam in meam, quàm in ſancitam, & determinatam doctrinam ab Hippocrate, Galeno, & Auicenna, irruere.

Resolutio V.

Vtrùm Occaſio & Neceßitas exhibendi minoratiuam purgationem, ſit à Me ſufficienter demonſtrata?

FErtur in nos Bombilius, quia *P.* 4. *diſp.* 2. *ſect.* 2. *Reſolut.* 10. conati ſumus neceſſitatem minoratiuæ purgationis demonſtrare, & noſtris nec refractis, nec intellectis rationibus, leues quaſdam proponit obiectiones. Has ſequenti reſolutione refutabimus, in hac repetam demonſtratam à Me doctrinam, vt pateat cuilibet iſtum futiliter impetere Me.

Pro aperiendo difficultatis ſtatu præſuppoſuit, Quòd de cura regulari, dum aliquis humor in ſanguinis conſortio commixtus putreſcit, vitium ſanguinis efficit, & indicat ſanguinis miſſionem; & ſi vires ſufficiunt, ſanguinem mittimus, vt natura leuata poſſit concoquere, quòd reſiduum eſt, quod poſt coctionem ab vtili ſeparatur, & tunc tanquam cacochymum radicatiua purgatione euacuatur: ſed quandoque contingit, quòd mittatur ſanguis vſque dum vires vlteriorem phlebotomiam tolerare nequeant, & quòd cauſa morbifica ita ſuperior remaneat ſupra naturam, vt non poſſit ab illa deuinci, quin euacuata parte materiæ, natura reddatur ſuperior ſupra reſiduum; quo caſu cum maneat periculum vitæ, niſi coquatur materia, & hæc non poſſit deuinci à natura, niſi deponatur pars illius; & hæc euacuari non poſſit ſanguinis miſſione, pro qua vires non ſufficiunt, nec alia ſit via euacuandi, niſi per purgationem; & hæc non ſit indicata, cùm materia cauſans morbum ſit ſanguini commixta, & de cura regulari purgatio ſelectiua non ſit facienda, niſi ratione cacochymiæ, à qua regulariter indicatur, manet difficultas, An ratione vrgentiæ ſaltem de cura coacta poſſit minoratiua purgatio tentari pro aliqua parte crudæ materiæ euacuanda?

His poſitis decidimus, Reſoluendum in caſu poſito, minoratiuam purgationem neceſſariam eſſe: & hoc his fulciuimus demonſtrationib[us].

Primum fundamentum deſumitur ex Hippocrate, Galeno & Auicenna, quorum decretis manet confirmata hæc doctrina.

Secundum fundamentum poſui, præſupponens caſum ex notabili antecedente, ſic: Dum vnica via ſalutis eſt, etiamſi periculoſa, tentanda eſt ex Galeno, *lib.* 9. *methodi*, dicente ex Thucydidis conſilio, *Quibus alia ſalutis ratio non eſt, & quæ vnica videtur, dubia eſt, neceſſarium videtur aduerſus pericula ire*: Sed caſu poſito vnica via ſalutis eſt minoratiua purgatio, cùm omnes reliquas excludat occaſio, & ſine euacuatione nequit æger liberari: Ergo neceſſarium eſt aduerſus certum mortis periculum ire, minoratiuam exequendo purgationem. En conſequentiam in *dary*, deductam ex euidentibus præmiſſis.

Confirmatur. Potentior indicatio eſt, quæ ſumitur à Medico ad conſeruandas partes componentes corpus humanum, illúdque naturaliter adintegrantes, quàm quæ ſumitur de cura regulari, ad purgandum humorem coctum, & ſeparatum à commixtione ſanguinis: ſed ſi partis conſeruatio minatur periculum vitæ, & alia conſeruandæ vitæ non datur, niſi per partis, aut membri abſciſſionem, hoc eſt abſcindendum, de cura coacta, vt Celſus docet *cap. de Eſthiomeno* §. *vnicum, & miſerabile remedium, reſtat vt ſcindatur pars, ſed quid intereſt, quod mi-*

ſerabile

ſerabile ſit, ſi hoc vnicum eſt: Ergo in caſu poſito vrgentiæ, in quo ſi non datur minoratiua purgatio, quæ vnicum, etſi periculoſum remedium eſt, ea etſi periculoſa exercenda eſt: ex Galeno enim 12. *methodi. cap. 1. melior eſt aliquando inſignis noxa, quàm mors*. Et ex Auicenna *fen. 7. 4. melior eſt abſciſſio vnius membri, quàm mors totius*: Et ex Cornelio *melior eſt dubia ſpes, quàm certa deſperatio.*

Confirmatur 2. à nobis ex Galeno *lib. 10. methodi*, dicente, *Quando ergo ſemel ægro moriendum eſt, à leuioribus incipere præſidiis eſt inutile, quia melius eſt nos agentes aliquid periclitari, quàm ægrum ſpe dempta ſinere mori*: Sed in caſu vrgentiæ leuia medicamenta non ſufficiunt; ex magnis, vires nequeunt ferre ſanguinis miſſionem; purgatio ſelectiua de cura regulari non eſt poſſibilis, cum nequeat concoqui materia morbifica: Ergo ſolùm reſtat vt cum minoratiua purgatione aliquid agentes periclitemur, quàm dempta ſpe ægrum ſinere mori.

His fundamentis, euidentibuſque rationibus comprobaui, demonſtrauique occaſionem, & neceſſitatem exhibendi minoratiuam purgationem; quas ſi legit Bombilius, aut non intellexit, aut conuictus recedit ab illis: & cùm Apologiam proponat aduerſus à Me dicta, his nec refutatis, nec ſatisfactis, pertranſit ad ponendas quaſdam futiles rationes, quas ſequenti Reſolutione examinabimus.

Resolutio IV.

Vtrùm Bombilius in ſuis impugnationibus ſuam conuincat ignorantiam, ſuoſque errores in Praxi manifeſtet?

VT popularem auram videatur conſequi Bombilius, quaſi vnicus propugnator contrariæ opinionis inſurgit in noſtram, & variis inuolutus cauillationibus, huc, & illuc fertur, nec, vt prædiximus, quidpiam vtile proponit; demonſtrationes noſtras, quaſi non viderit, intactas reliquit, hæc tantùm proponens argumenta.

Primum: Impoſſibile eſt intra venas dari humores ſeparatos à commixtione ſanguinis: Ergo corruit minoratiuæ purgationis fundamentum; Indicat enim hoc vnum fundamentum minorandi.

Superaddit: Quòd ſi aliquis dicat, quòd ſaltem per coctionem ſeparatur vtile ab inutili, hoc impugnat dicens, nondum intellectam fuiſſe hanc doctrinam niſi à ſeipſo, quia coctio in ſui ſignificatione tantum indicat naturam ſuperaſſe morbi inſidias, quas parauit morbus, cauſa, & accidens, ſiue exceſſu qualitatis, ſiue vſtione, ſiue putredine, ſiue impiè fraudulenta malignitate.

Secundò ſiſtens Bombil[…] in eo quòd minoratiua purgatio petit indicari à cacochymia, ſic inſurgit: Si eſſet admittenda minoratiua purgatio, maximè quia ſunt cacochymi humores in principio morbi, ſeparati à ſanguinis commixtione: ſed hoc eſt impoſſibile, quia intra venas ſemper ſunt ſanguini commixti: Ergo nunquam minoratiua purgatio eſt ex vſu.

Tertiò: Si minorandum, maxime quia in periculis periclitandum eſt: ſed ſine periculo minoratiuæ poteſt morbus curari per ſanguinis miſſionem: Ergo non eſt neceſſaria minoratiua purgatio.

Superaddit, quòd poteſt reſponderi, quòd aliæ febres amant purgationem, aliæ ſanguinis miſſionem.

Contra inſurgit, oppugnans hoſtem, quem fin-

A git. Quodvis genus febris, aut pendet ex ſanguine, aut ex alio humore commixto ſanguini, quia licet putreſcat, & mutet formam, mutatur in mixtum: Ergo ſemper indicat ſanguinis miſſionem.

Fingit aliam ſolutionem dicens poſſe reſponderi, quòd licet ſanguini ſit commixtus humor, ratione vrgentiæ petit purgari minoratiua purgatione.

Contrà inſurgit: Non eſt maior ratio, vt ſuccurramus ſanguinis miſſione, quàm purgatione, tali vrgentiæ: Ergo potiùs ſanguis mittendus, quàm purgandum, præcipuè cùm purgationis noxas doceat Hippocrates *lib. de medicam. purgantibus, §. carnes ipſorum, & ventres calidi ſunt.*

Quartò Bombilius procedit validiori conatu, dicens conuincere ad hominem minorantes Doctores, B quia ideo ſupponunt minorandum in febre continua, quia ſuperata naturâ humoris quantitate, vel omnino ſuccumbit, vel paulò poſt ſuccumbet, in qua vrgentia magis rationi conſonum eſt purgando periclitari, quam ægrum certæ deſperationi tradere, ſed in febre ſyncopali, humoroſa, & in maligna, in qua præualet putredo ad malignitatem, Cardanus, Mercatus omnem purgationem renuunt in principio, & Doctor Brauus in ſyncopali ſolis frictionibus contentus tenuit omnem purgationem, & idem Doctor Brauus ſuperaddit, quod in peſtilente febre non eſt purgandum; quia non eſt cacochymia in principio.

C Cognouit Bombilius ſui fundamenti ad hominem dicti, faciles ſolutiones, & illas proponit, dicens, poſſe reſponderi diſparem eſſe rationem: nam in Inflammationibus interius ratione inculcati humoris non eſt ex vſu purgatio; in cauſone ob inſuperabile incendium, in malignis, & peſtilentibus; ne à laudabili opere, ſi forte criſim intendit natura, diuertatur, & ampliùs diffundatur venenum; ſed hoſtes, quos proponit, oppugnat dicens, quòd in exemplis non requiritur omnimoda æquiparatio: ſed ſufficit in illis rebus, in quibus æquiparantur; vnde ſi in iſtis eſt paritas in cacochymia, in vrgentia, & quantitate inſuperabili materiæ, in illis etiam debetur minoratio. Attendant ergo iudices (exclamat D Bombilius) an in iis tribus ſit æquilibrata paritas, & proferant ſententiam, qui in verba non iurarunt Magiſtri. Hæc tota eius fartago.

Reſoluendum affirmatiuè, & conuincetur ex horum argumentorum redargutione.

Probatur 1. ex primo, & ſecundo fundamento adductis ex Bombilio, in quibus contendit oppugnare minoratiuam purgationem, quia, inquit, doctor Brauo præſupponit humores poſſe intra venas ſeparatos manere, & per ſeparationem cacochymos fieri, & indigere minoratiua purgatione: ſed ex hoc fundamento conuincitur craſſa ignorantia Bombilij, & eius conuincuntur errores: Ergo Bombilij ignorantia, & errores eius manifeſtantur ex ſua doctrina. Probatur minor: Tum ex reſolutione antecedente, E vbi ex præſuppoſita noſtra doctrina conſtat, quòd caſus minoratiuæ purgationis non eſt dum humor eſt cacochymus, ſed dum purgandus humor eſt ſanguini commixtus: Tum quia ad minoratiuam, licet non ſit neceſſaria humorum à ſanguinis commixtione ſeparatio, hanc eſſe poſſibilem demonſtrauimus contra Bombilium, ipſumque docuimus ſic traditum ab aliis Authoribus: Tum quia detegit ſuam ignorantiam: ſi enim humores eſſent cacochymi, vt ipſe præſupponit, non eſt purgatio minoratiua, & de cura coacta facta, ſed indicata, & de cura regulari exercenda, & eſt error craſſiſſimus Bombilij, & in quo manifeſtat ſuam ignorantiam, & errorem, cum non

cognoſcat,

cognoſcat, qualis ſit purgatio exercenda de cura regulati, & qualis de cura coacta, quæ dicitur minoratiua, quam intendit impugnare, dum non cognoſcit, quæ ſit. Conſtat etiam, quam turpiter errabit in praxi, qui nondum cognouit exercenda remedia in illa per tot annos, vnde manifeſte detegit cum quanto periculo ægrotantium praxim exercuerit, & craſſus hic error, ac lethalis quantum debuerit puniri, præcipuè in homine, qui quod manifeſtè ignorat, petulanter ſuadere contendit: Tum quia cum maneat conuictus quòd ignorat, quam contendit oppugnare doctrinam, manifeſtè conſtat, quod erroneè in eius impugnatione inſaniuit: ſuperaddens delirium delirio, dicit poſſe reſponderi, humores poſſe ſeparari per coctionem; & illis ſeparatis eſſe vtilem minoratiuam; & hanc, quam erroneam fingit reſponſionem, impugnat dicens nondum intellectam eſſe, niſi ab illo, doctrinam de coctione, quia coctio in ſua ſignificatione tantum indicat naturam ſuparaſſe morbi inſidias, quas parauit morbus, cauſa, aut accidens, ſiue exceſſu qualitatis, ſiue vſtione, ſiue putredine, ſiue impia fraudulenta malignitate.

Non eſſet cum deliro concertandum, ſi incognitus non poſſet aliis eſſe errandi occaſio, ideò inanis eius conatus conuincendus: Tum 1. quia humores ſeparari per coctionem, vt de cura regulari indicent purgationem, docuit Hippocrates 2. *aphoriſm.* 22. *concocta medicari, ac mouere, non cruda*: Tum quia Galenus *inutile ab vtili ſeparari per coctionem docet in comment.* §. *Videtur ſiquidem ipſa poſt coctiones humores diſcernere, & ſuperfluitates euacuare.* Et *lib.* 4. *aphor. comm.* 22. §. *Quo enim tempore à cauſis morbum facientibus natura grauatur, & adeſt cruditas humorum; tunc aliquid vtiliter euacuari eſt impoſſibile; ſiquidem oportet coctionem præire: ſubſequi verò diſcretionem, & poſteà euacuationem*: Tum quia ſi per coctionem non ſeparat natura inutile ab vtili, ſed ſe habet vt ſignum; aliqua alia actio à qua id fiat, debet aſſignari a Bombilio, aliàs nunquam aptus redderetur humor, vt poſſet perfectâ criſi euacuari, aut purgatione regulariter illi debita: Tum quia Galenus dicit, quòd coctio eſt quæ facit ceſſare putredinem, quod ſi ſolùm eſſet ſignum, non perficeret: Tum quia vrina, & alia ſigna demonſtrantia coctiones humorum, eſſent ſigna ſigni, non autem elaborationis, & perfectionis humorum: Tum quia ſi coctio tantùm eſt ſignum, quod natura inſidias ſuperauit, quas parauit morbus, cauſa, aut accidens, nulla purgatio poſt coctionem eſſet vtilis, cùm detur ſignum, quod hæc omnia ſuperauit natura: Tum quia Auicenna in lotio bono prænunciat mortem in morbo peſtilente; vnde nequit dici ſignum naturæ ſuperantis morbum, cauſam, & accidentia, malignámque, ac fraudulentam qualitatem: Tum quia poſt ſuperuenientia ſigna coctionis in lotio, timetur recidiua, quod non contingeret, ſi coctio eſſet ſignum certum demonſtrans naturæ victoriam: Tum quia in febre ſynocho ex vſtione apparet ſignum coctionis, dum nondum vincit natura: Tum quia in aliquibus febribus, non niſi poſt multum tempus obſcurantur ſigna coctionis, & tunc minus vincitur morbus, & cauſa, quàm in reliquis temporibus.

Probatur 2. Tertium Bombilij fundamentum eſt. Quod ſine minoratiua purgatione poteſt ſanguinis miſſione vitari periculum; ſed oſtentat Bombilius, quàm ignarus ſit doctrinæ, quam contendit repellere; ſi enim præſupponimus, quòd toto tempore, quo vires ſunt aptæ ferre ſanguinis miſſionem, non datur locus minoratiuæ purgationi, quia non eſt vrgentia cogens ad purgationem: cur recurrit ad ſanguinis

A miſſionem? Craſſa eſt huius impugnatoris ignorantia: Protector iſte Hiſpalenſium opinionum diſcere deberet doctrinas priuſquam refellere quod nondum intellexit: Tum conuincitur error illius, vrgentiæ causâ debet exhiberi minoratiua purgatio; ſi ergo poteſt morbus ſecurè curari ſanguinis miſſione, non datur caſus vrgentiæ, nec minoratiuæ, & fruſtra inpugnat illam in caſu in quo admittitur ab omnibus non eſſe neceſſariam: Tum quia ſi ſupponitur caſus minoratiuæ, dum vires nequeunt ferre ſanguinis miſſionem, cum ridiculo errore contendit, quòd licet vires non conſentiant, ſanguis ſit mittendus, contra omnem antiquitatem decernens ſuum nouum dogma.

Confirmatur, quia in propoſito fundamento tertio, ſupponens, quòd aliqui reſpondent, quòd ſunt aliquæ febres, quæ amant purgationem; hoc impugnat, ſupponens in omni febre ſanguinem eſſe mittendum; quia, aut peccat ſanguis, aut humor ſanguini commixtus.

Sed iterum repellitur noua eius ignorantia: Tum quia ſupponit, quòd purgatio debet exhiberi, quia febres amant illam, quod deliramentum, non niſi Bombilio potuit occurrere, ignoranti quòd remedium non eligitur à febre, quia illud amet, ſed à Medico, quia aut de cura regulari eſt indicatũ, aut de cura coacta cogitur ad eius exhibitionem: Tum quia ſi omnis febris ſemper pendet à ſanguine, aut ab humore ſanguini commixto, & ſemper ab hoc indicatur ſanguinis miſſio: Ergo non ſolùm probat, quòd nunquam ſit vtilis minoratiua purgatio, ſed nec aliqua purgatio de cura regulari vnquam exercenda.

Confirmatur 2. ex impugnatione alterius ſolutionis, quam etiam fingit: dicit enim poſſe reſponderi pro tertio fundamento ſuo, quòd licet ſanguini ſit commixtus humor, debetur illi purgatio ratione vrgentiæ, & hoc impugnans dicit, quod non eſt maior ratio, vt ſanguinem mittamus, quam vt purgemus, præcipuè, cum Hippocrates *lib. de medicam. purgantibus*, varias proponat noxas, quæ ex purgatione ſubſequuntur.

Sed contrà ſtat: Tum quia Bombilius parum ſe in doctrinis oſtentat firmum; ſi non adinuenit maiorem rationem purgandi, quam ſanguinis mittendi in morbis, pro libito curat, & proponit remedia ſine indicatione, aut neceſſitate huius potiùs, quàm illius remedij: Tum quia ſi non eſt maior ratio purgandi, quàm ſanguinis mittendi, fruſtra impugnat purgationem, cuius exhibendæ etiam eſt aliqua ratio: Tum quia craſſus eſſet error, & impius, ſi dum ſunt vires pro purgatione ferenda, & non pro ſanguinis miſſione, ad libitum exerceremus remedium, cum quo vires, & vita deficerent: Tum quia ex Hip[illegible]e, & Galeno datur vrgentia, ob quam debet [illegible]ùs purgatio, quàm ſanguinis miſſio exhiberi: Tum quia à ſolo iſto magno Doctore inter omnes Medicos prolatum fuit hoc deliramentum, quòd non eſt maior ratio ad purgandum, quàm ad mittendum ſanguinem.

Probatur 3. impugnando quartum Bombilij fundamentum, & errorem eius conuincendo: inquit enim, quòd æqualis eſt vrgentia in febre ſyncopali humoroſa, & in maligna, in quâ præualet putredo ad malignitatem, in quibus Cardanus, Mercatus & Brauo tenuunt purgationem, ſed contra ſtat,

Tum quòd in febre ſyncopali humoroſâ, quia vires concidunt, Galenus *lib. 8. meth. cap. 6. lib.* 1[illegible] *cap.* 4. *lib. 4. de ſanit. tuenda & comm. in ſententiam* 31. *ſect.* 5. Auicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 34. tenuunt purgationem, quia deficiunt vires: Ego verò purgatio-

nem

nem admitto, & medicamentum purgatiuum propono. Mercatus cum Auerrhoe, Tralliano, & Rhaſi nec ſolùm purgationem admittit, ſed quæ ſint pharmaca vtilia proponit, ex quo conuincitur Bombilium ignoraſſe, quid doceant prædicti Authores, ſimúlque quòd ex falſo fundamento ſuum deducat errorem: Tum quia non minùs conuincitur ignorantia Bombilij dicentis quòd ego minoratiuam purgationem non admitto in febre peſtilente, quia humor non eſt cacochymus, ex hoc enim fundamento in mea doctrina ſolùm infertur non deberi de cura regulari purgationem in principio febris peſtilentis, non tamen quòd ſi detur caſus vrgentiæ, non debeatur minoratiua purgatio, ſicut in reliquis febribus, in quibus currit eadem ratio. Conſtat hoc ex verbis B à me prolatis *P.4. diſp. 1. ſect. 3. Reſolut. 11. §. 1. Reſoluendum 2. quòd ſelectius purgatio non conuenit in principio cuiuſuis febris malignæ, aut peſtilentis.* V. G. vbi manifeſtè appatet, quòd non nego poſſe de cura coacta aliquando conuenire, numquam tamen de cura regulari, niſi materia turgeat.

Confirmatur firmitas noſtræ doctrinæ impugnando iterum ſolutionem, quam Bombilius tradit cótra ſolutiones ab ipſo confictas pro quarto fundamento: dicit enim quòd licet pro minoratiua exercenda in ſyncopali, & peſtilente non eſt omnimoda æquiparantia, eſt tamen in tribus, in cacochymia, ſcilicet, in vrgentia, & in quantitate inſuperabili.

Sed contrà, iterum ignorantia & illius errores C conuincuntur ex reſponſione: Tum quia ſi æquiparatur ſyncopalis, & peſtilens febris cum aliis febribus, in eo quòd in iſtis, ſicut in illis ſit cacochymia, conuincitur, quòd in nulla earum ſit poſſibilis minoratiua, ſed quod vtriſque æquè debetur purgatio de cura regulari, quæ indicatur à cacochymia, & conſequenter cum ignorantia contendit vtriſque conuenire minoratiuam purgationem ob iſtam paritatem: Tum quia ſi in vtraque eſſet vrgentia, quam ſupponit, & quantitas inſuperabilis humoris, niſi per minoratiuam deponatur pars illius; ſi vires A æqualiter adſint, æqualiter eſſet exercenda minoratiua purgatio: Tum quia Galenus, qui renuit purgationem in ſyncopali, ob vitium impotentiam renuit illam, non verò quia non eſſet ex vſu, & ideò in ſyncopali intermittente, in qua vires reſarciuntur, admittunt omnes purgationem.

Licet ex dictis maneant teſtacta argumenta Bombilij, iterum diſſoluemus illa, vt ordine teſtacta reperiantur.

Ad 1. Reſpondetur quòd iam demonſtrauimus contra illum, poſſe intra venas dari humores ſeparatos à commixtione ſanguinis, & quòd adhuc admiſſo eo, quod præſupponit, nihil concludit, vt ex impugnationibus conuincitur, in quibus ſimul reiicitur ſua ignorantia, erroneéque philoſophari de coctione, nec Galeni vidiſſe, conceptiſſéve quam de ipſa tradidit doctrinam *lib. 2. de natur. facultat. cap. 4. & lib. 3. ſequent. cap. 4. & lib. de differ. ſympt. cap. 4. & de cauſis ſympt. cap. 3.* & quam Ariſtot. tradidit *4. lib. meteor.* & quam tradidère omnes horum Commentatores, docentes coctionem eſſe actionem perfectiuam alimenti.

Ad 2. Reſpondetur ſimili modo ex dictis, humores ad minoratiuam purgationem debere eſſe commixtos, ad eam verò quæ petit fieri de cura regulari, debere eſſe ſeparatos à commixtione ſanguinis, & cacochymos, modo, quo demonſtrauimus ſuprà, & docuit Galenus *4. aphoriſm. 22.*

Ad 3. Reſpondetur, quòd caſus minoratiuæ eſt, vt diximus, dum vires non ſubſiſtunt pro miſſione ſanguinis, nec ſine alia euacuatione poteſt natura deuincere cauſam, quæ cum nequeat fieri de cura regulari, per purgationem, de cura coacta, perficitur per illam.

Ad 4. Iam probauimus Bombilium; nec vidiſſe Authores, quos citauit, & quòd ex paritate quam adducit contrarium ſequitur, quia ſi in ſyncopali humoroſa eſſent vires, conueniret purgatio minoratiua, ſi eſſent conditiones à nobis requiſitæ ad minorandum, exequi deberet.

DISPVTATIO SECVNDA

Apologetica.

DE SANGVINIS MISSIONE EX PEDE in principio cuiuſuis morbi.

NOSTRIS temporibus inter Medicos D Hiſpalenſes ſuborta eſt controuerſia, an in principio cuiuſuis morbi ſemper ſanguis ex pede ſit mittendus. Ramirez partem affirmatiuam tenuit, Doctor Valuerde Orozco tenuit. Medicorum alij huic; illi adhærere alij, quo tempore nos in Appendice de ſanguinis miſſione extallo, ex Galeni teſtimoniis comprobauimus, in omni morbo hoc non eſſe neceſſarium, in aliquibus vero eſſe vtile: tacuit in hoc tempore Bombilius, mea ſcripta, vidit dum ſua eſſent in prælo, & quaſi ipſum viderim, aut impugnarem, aut impugnatione dignum iudicarem, in me proponit Apologeticon, fingens defenſionem in ſua ſententiam, quam fatetur me non vidiſſe, quia nondum ediderat in lucem illam, quæ Hiſpalenſibus prolata eſt, ſuam eſſe contendit, ipſámque potius offendit quam defendit, nam Protectores partis affirmatiuæ Galeno ſe adhærere oſtentant: ipſe vero in Appendice ad Apologeticon, contendit ex aliquibus deducere, licere ſibi diſcedere à Galeno. Omnia liceat tibi,

Bombili, diffunde tua opera: ex ipſis hoc fiet manifeſtum quòd tibi cuncta licent. Præcipuè irruit in me & conuicius, (quòd ex eius teſtimoniis conuincam) quod non ſemper licet mittere ſanguinem ex pede; fatetur ſe à Galeni deuiare doctrina; cúmque iterum ego firmare hanc doctrinam ſim conatus, infirmis rationibus has oppugnat, quas nos iterum confirmare conabimur, illius inanem conatum deuellabimus, & firmioribus fundamentis noſtram ſanctam iterum relinquemus doctrinam.

RESOLVTIO PRIMA

Vtrùm Theorica Praxi ſit contraria?

BOmbilius vnicus eſt protector huius opinionis, ſeu ridiculi erroris, quod opponatur Praxi Theorica; quam ſic protulit. *Theorica, & praxis æque diſtant veluti polis contrarijs, & ſe mutuò impediunt. non inuanimam pugnant vota cum votis, conſilia cum conſiliis.* Sed quod ſit huius inſaniæ fundamentum, non protulit, niſi quia ipſe voluit primus eſſe illius protector; hac commotus ratione, quia, vt ſtatim ſuperaddit, *nulla eſt veritas ſecura ab opinione, & omne facilius ſuum habet protectorem.* Bombilium etiam, protectorem metuit hæc inſania, quam omnium ſcientiarum Profeſſores conuincunt, pro ſua praxi, theoricam priùs adiſpicendo partem, ex qua principia, theoremata & ſcientificas conſequuntur demonſtrationes, ex quibus agendum ſcientificè in praxi, nanciſcuntur. Sic in medicinæ primo ortu Hippocrates, qui primus illam ſanciuit, plurimos conſcripſit libros theoriam complectentes, Galenus theoriam ampliauit, Auicenna ordine eam amplexus eſt, & in principio ſuorum operum ipſam primò ſanciuit protolitque in proœmio operum, quod medicina altera eſt theorica, & quod per theoricam non intelligimus illam partem medicinæ quæ confert ad ſcientiam tantum, abſque hoc quod dirigat ad declarandum qualitatem operandi, ſeu operationis: vbi manifeſte ipſam pro praxi neceſſariam conſtituit. Galenus *de lib. propriis.* probat theoriam demonſtratiuam diſcendam eſſe ante praxim, de Medicis ſine theoria exercentibus praxim dicit: *Medicos qui ſolam experientiam ſequuntur, non admittimus, quoniam ipſi ſicut idiotæ faciunt, quæ vident inſpicientes, rerum quidem euentum mirantur, euentus cauſam ignorant.* Empiricos ſola praxi nitentes ſine theoria, reſpuit protulitque quòd facillime quidquam ratiocinio quæritur, eius verò fidem comprobat experientia: ideò ex ipſo Valleſius deducit, quòd medicina quaſi in duobus cruribus inſiſtit, in theoria, & praxi, & quocumque deficiente nequit progredi: & *in method.* inquit Galenus, *Cum autem in vniuerſalibus methodus, in particularibus exercitatio conſiſtat, fieri non poteſt vt ſine multiplici in ægris exercitatione, quod ex vſu fit, facias, aut ſine vniuerſalium cognitione probè exercitatio procedat.* Sed quid immoror, vt theoria pro praxi neceſſaria in omnibus ſcientiis doceatur? hæ ſubſiſtunt in Europa noſtris temporibus Academiæ. In Hiſpaniæ regno celeberrima Valliſoletana Regia, & Pontificia, quæ olim fuit Palentina, reliquis antiq[...]or, & Profeſſorum inſignium multiplicitate inſi[...]ior, Celeberrima etiam Salmanticenſis, & Compl[...]tenſis, inſignes ſunt aliæ plures Hiſpalēſis, Oſcenſis, Ilerdenſis, Valentina, Toletana, Onatenſis, Cæſarauguſtana, Barcinonenſis, Roſſinenſis, Co-

A nimbricenſis, Gandenſis, Perpinianenſis, Granatenſis, Tarraconenſis, Eborenſis, Compoſtellana, Beacienſis, Soguntina, Hitachienſis, Oromenſis, Ouetenſis, Abulenſis, Limenſis, Mexicana, Maioricana. In Italia ſunt Romana, Bononienſis, Ferrarienſis, Florentina, Mediolanenſis, Ticinenſis, Patauina, Peruſina, Piſana, Salernitana, Senenſis, Veneta, Bergamenſis, Mantuana, Muticenſis, Parmenſis, Placentina, Taurinenſis, Montis-Regalis, Anconitana, Syracuſana, Meſſana, Panormitana, Caticenſis. In Gallia ſunt ſemper celeberrima Pariſienſis, Andegauenſis, Auenionenſis, Aurelianenſis, Bituricenſis, Burdegalenſis, Caconenſis, Dolana, Lugdunenſis, Monſpeſſulana, Nantes, Nime-
B cenſis, Pictauienſis, Toloſana, Caturcenſis, Maſſilienſis. In Germania, Bohemia, & Polonia, ſunt Colonienſis, Baſilienſis, Dilingana, Duacenſis, Erphordienſis, Francfordienſis, Friburgenſis, Cripſualdenſis, Afrinienſis, Heydelbergenſis, Herbipolenſis, Ingolſtadienſis, Lipſenſis, Lotonienſis. Marpurgenſis, Maguntina, Pragenſis, Roſtochienſis, Treuirenſis, Tubigenſis, Viennenſis, Vvittembergenſis, Viſotina, Argentoratenſis, Iuliaoia, Regio-Montana, Græcenſis, Lugduni Patauorum, Cracouienſis. In Anglia, Scotia, & Hybernia ſunt Cantabrigienſis, Oxonienſis, Armacbana, Dunenſis, Liſmionenſis, Caſtelenſis, Mayonenſis, Dublenenſis, innumeræque, & aliæ ſunt, fuerúntque olim in
C Athenis, in Græcia, & per totum vniuerſum, in quibus totius orbis Principes conati ſunt, omni ætate præclariſſimos magiſtros conducere, à quibus omnium ſcientiarum doceretur theorica, in praxi pro omni ſcientia neceſſaria: Ergo per tot ſecula inſaniunt tot præclariſſimi viri omnium ſcientiarum magiſtri, in tot Academiis theoricam profitentes, & docentes, vel inſanit noſtris temporibus Bombilius, proferens quòd Theorica, & Praxis æque diſtant, veluti polis contrariis, & quod ſe mutuò impediunt, ad quem inſanum errorem deduxit illum conatus euertendi noſtras rationes, quibus fatetur conuinci, ſed fidendum ſuo genio medico, ratione relicta, Galeníque doctrina.

D

RESOLVTIO II.

Vtrùm rationes à Me adducta conuincant, nullas dari cogentes, ſanguinem mittere in principio cuiuſlibet febris, ex pede.

IN *Appendice ad diſputationem de ſanguinis miſſione, ſectione 3. de loco mittendi ſanguinem in febribus*, per reliquas reſolutiones vſque ad ſeptimam, decreuimus; in prima quomodo verum ſit ſangui-
E nem eſſe mittendum in omni febre putrida, in ſecunda quod ſtando in Galeni doctrina, ſāguinis miſſio in omni febre, vt putrida debet fieri ex brachio: In tertia, quòd non datur in omni febre putrida vitium humorũ in motu, & ideò ratione illius nõ cõuenit ſanguinis miſſio ex pede in principio: In quarta, quod licet detur vitium in motu humorũ, a febre vt tali nõ indicatur ſanguinis miſſio ex pede, poteſt tamẽ complicari affectus pendẽs ex illo, à quo indicetur reuulſio; In quinta, quòd licet cõplicetur indicatio reuellendi, dum adeſt febris, reuulſio aliquando ex brachio, aliquando ex pede petit fieri: In ſexta, quòd licet febris ſit maligna, aut peſtilens, non indicat ſanguinis miſſionem ex pede, niſi foueatur per hu-

mores

mores contentos in ramis venæ Portæ. His omnibus acquieſcit Bombilius; & cum in ſeptima reſolutione ego inquiram, an præter indicationem reuulſoriam ſint aliæ rationes, quæ cogant ad ſanguinem mittendum in principio cuiuſuis febris putridæ, ex pede; ſexque propoſuerim rationes, ex quibus id videtur ſuaderi, quas iterum impugno, præcipue primam, quam decem rationibus conatus ſum conuellere: Pro hac defendenda ſuum inſtituit Apologeticon, in quo noſtris cum nequeat ratione ſatisfacere demonſtrationibus; fingit quaſdam ſolutiones refertas iniurioſis, & inſauis obiurgationibus, in quo tota vis ſuæ Apologiæ ſiſtit; quas nos refrangere cogimur, non vt inſanè cum inſano loquamur, ſed vt veritatem ab ineptiis vendicemus.

Reſoluendum, quòd rationes quibus probauimus non ſemper ſanguinem eſſe mittendum ex pede in principio, ob humores contentos in venis meſenterij, euidenter conuincunt hanc veritatem, fremat licet Bombilius.

Fundamentum contrariæ opinionis ſic propoſuimus. Si datur cauſa putredinis humorum, illi primo patiuntur putredinem, qui aptiores ſunt illam pati: ſed ſanguis & humores contenti in prima regione in venis meſeraïcis, aptiores ſunt pati putredinem: Ergo prius putreſcunt; ergo in principio debent euacuari per ſanguinis miſſionem factam ex pede ne ſurſum deferantur, & coinquinent maſſam ſanguinariam, communicéntque putredinem. Quo propoſito fundamento; Probatur reſolutio ex impugnatione prima à nobis adducta. *Nullo ex capite conſtat, quod humores contineantur ſemper in vaſis venæ meſeraicæ, ſuperflui, hoc enim accidere in benevalentibus, non eſt neceſſarium.*

Reſpondet Bombilius, (Et en totam vim ſuæ Apologiæ) quod, ex eo conſtat venas meſeraicas ſemper eſſe repletas fæculentis humoribus, quia natura comparatum eſt, quod dum generantur humores, vt ſanguis maneat purior, ſeparetur bilis in ciſtim fellis, in meſeraicas humores fæculenti, velut ad corporis ſentinam, Pituita ad ventrem; ex quo ex Dioclis ſententia, ideò docet 3. *de locis* Galenus, quòd fit melancholia hypochondriaca ex iis humoribus delatis in meſeraicas venas, & quòd patet ex ſanguine qui per hæmorrhoidas purgatur: ſed contra ſtat: Tum. 1. quòd Bombilius ſupponit nullum dari corpus ſanum, cùm febre ſuperueniente ſemper ſupponat in hypocondriis morbum, à quo indicetur ſanguinis miſſio ex pede. quæ præualeat ad indicationem febris petentem ſanguinem mittere ex brachio: dari autem corpus ſanum docuit Hippocrates *in libris Iſagogicis, lib. de natura humana, lib. de humoribus: in 3. aphoriſm.* demonſtrat ætates in quibus homines cum morbis, aut ſine illis degunt & anni tempora. Galenus in comment. latiùs id proſequitur, *lib. de different. morbor. ſanitatem, & morbum poſſe ſucceſſiue dari in corporibus demonſtrat. lib. de ſanitate tuenda* docet, qualiter ſanitas debet conſeruari in omnibus ætatibus, *lib. artis medicinalis* ſalubria corpora vt nunc, & ſimpliciter ſalubria admittit: Tum 2. quia ſuppoſitio ex Diocle, aut Galeno quod in hypochõdriacis datur morboſus apparatus fæculentæ materiæ; & quod fæculentus ſanguis purgetur per hæmorrhoides, conuincit dari in aliquibus hos morbos, hancve fæculentam materiam, non autem in illis, qui perfecta fruuntur ſanitate, in quibus cum non detur indicans mittendi ſanguinem ex pedè, exercenda ex brachio ſanguinis miſſio a venis fo-

A uentibus febrem: Tum 3. quia humor qui ſeparatur in ciſtim fellis, & qui trahitur à liene, ex ordine naturæ trahitur, & iſtæ partes in hunc finem ſunt deſtinatæ, vt patet ex Auicenna *lib. 3. fen. 15. tract. 1.* ex Galeno *lib. de natur. facult. lib. ad Thraſibulum, lib. de Anatomicis adminiſtrationibus, lib. de vſu part. lib. de ſanit. tuenda*, conducitque earum partium actio ad earum nutritionem, humorum deputationem, ſine qua reliquæ corporis partes ſanitatem conſeruare nequirent, & pro voluptuoſa fruitione, & earumdem partium conſeruatione: & ideò nequit ab iis humoribus, in ſtatu naturali ſumi indicatio curatiua, ſed conſeruatiua, qualis ſumitur à reliquis partibus, dum ſuas actiones naturaliter exercent:

B Tum 5. quia ſi ab humore contento in liene ciſti fellis, vel in hypocondriis pro earum partium nutricatu, aut fruitione voluptuoſa, aut pro earum conſeruatione, ſumeretur indicatio euacuandi ex pede, in ſanitate ſemper deberet ſanguis mitti, cum ſemper ſint prædicti humores in illis partibus: Tum 6. quia ex Galeno, ab eodem idem ſemper indicatur, ſed humores melancholici in liene, & bilis in ciſti fellis ſemper ſunt: Ergo per totum morbi decurſum indicarent ſanguinis miſſionem ex pede; ex quo conuincitur, quod numquam poſſet exerceri ex brachio, quod nec Bombilius admitteret, nec reliqui, qui ſaniori iudicio admittunt poſt duas ſanguinis miſſiones ex pede, reliquas ex brachio exer-

C cendas: Tum 7. quia Ego contendo probare quòd non ſemper detur in hypocondriis fæculentus humor cogens mittere ſanguinem ex pede: vnde impertinenter Bombilius deducit, Dioclem, qui in affectu hypochondriaco probat id contingere: ex dictis enim à me conſtat, quòd admitto aliquando ex pede ſanguinis miſſionem, & hoc paſſim admittit Galenus: hoc vnum contendimus; quòd non datur perpetua cauſa, quæ ſemper in omni febre cogat in principio ad mittendum ſanguinem ex pede: & quod ſumpta indicatione à febre putrida pendente ex ſuperfluis humoribus in trunco corporis redundantibus, ſanguis ex brachio ſit mittendus.

D Secundò impugnaui propoſitum fundamentum; quia non omnes humores repertos in hypocondriis neceſſe eſt habere aptitudinem vt putreſcant. aliàs eſſet impoſſibile in venis maioribus aliquod genus febrium humoralium, cum quo non complicaretur quartana, quæ eſt melancholicis humoribus ibi contentis deberet fieri.

Reſpondet Bombilius, quòd debueram ego attendere, quòd febris ſemper ſeruat typum, & conditionem illius humoris, qui in maſſa ſanguinaria præualet, & ita licet in meſenterio ſint melancholici humores, praui, aut cum praua vſtione, non eſt prorſus neceſſarium vt accenſi, ſeu putridi, quarta-

E nam ſecum ferant, ſi alij præualent ſucci.

Sed contra ſtat Tum 1. quòd debebat attendere iſte Bombilius, quòd pueriliter ſuam detegit ignorantiam, contendens, quòd ſi vnus humor putreſcit, alter æque aptus putrefieri, non poſſit ſimul putrefieri, & propriam febrẽ cauſare, forſan quia malè intellexit doctrinam Auicennæ *ſen. 1. 1. d. 3. c. 1.* Galeni *1. Progneſt.* Alcabat. *lib. 1. theoriæ*, qui docent quod ex bile, & pituita, aut melancholia fit vnus præternaturalis humor, dictus bilis vitellina, qui dum putreſcit, febris ſubſequuta ſeruat naturam prædominantis humoris, & quòd ex putredine alterius humoris coadintegrantis bilem vitellinam, non fit nouum genus febris: ij tamen de humoribus contentis intra maſſam ſanguinariam non negant

diuerſas ſimul, ac complicatas poſſe cauſari febres putridas: Tum 2. quia ſi non attenderetur hæc ignorantia Bombilij, inuerteretur Galeni doctrina, qui febres putridas ſimul complicari poſſe admittit, ſiue cum febre inflammationis, ſiue cum aliis febribus ortis ſine Inflammatione, ſiue fiat complicatio inter febres eiuſdem generis, ſiue diuerſi generis, ſiue complicentur continuæ cum continuis, ſiue intermittentes cum intermittentibus, vt late deducitur ex Galeno *lib. 2. de different. febr. cap. & 8. lib. 1. ad Glauc. cap. 4. lib. 4. aphoriſ. comm. 74. lib. 2. criſium cap. 9. lib. 3. de præſagit. pulſuum cap. 3.* Tum 3. Antequam proferret hanc ignorantiam, deberet attendere, quòd hæmitritæus, qua eſt febris humoralis complicata ex quotidiana, continua, & tertiana intermittente, datur ex putredine pituitæ & bilis, ſimul intra venas putreſcentium, ſiue hic, ſiue ille prædominetur humor, vt deducitur ex Hippocrate *lib. 1. Epidem. ſect. 1. & ſect. 2.* ex Galeno *in comment. & lib. 2. de differ. febrium cap. 8. lib. de typis cap. 4. lib. 2. de criſibus cap. 9.* ex Auicenna *fen. 1. 4. tract. 4. cap. 17.* Tum debebat attendere quod etiamſi falſitas ſuæ reſponſionis haberet aliquam apparentiam probabilitatis de humoribus ſimul intra venas manentibus, non deberet hallucinari de febre intra venas orta, cum complicatione febris ortæ in bubone, in dolore laterali, pulmonia, aut phlogoſi materiæ fæculentæ in hypocondriis ſeparatæ: Tum 5. debebat attendere, quòd nequit naturaliter fieri, quin humor putredini aptus ſi denuo alteratus putreſcat, non cauſet febrem ſuæ naturæ proportionatam, ab alterius febris ſpecie diſtinctam, quæ oritur ex humore diuerſæ naturæ impermixto, manente cum illo: Tum 6. febris ſuperueniens ex vno humore putreſcente, potiùs iuuat, vt alter humor putreſcat, ſicut & diaria iuuat vt fiat de nouo putrida febris; & ſi vtraque complicetur, ab vtraque diuerſæ ſumuntur indicationes: Ergò ab vna febre putrida poteſt altera alterius generis coadiuuari, & vtraque diuerſa erit, diuersáſque præſtabit indicationes.

Tertiò ſic impugnaui prædictum contrariorum fundamentum; quia in hypochondriacis redundantibus ſuperfluis humoribus in prima regione, manifeſtè conſtat contentos humores in illâ non putrefieri, cum potiùs experiamur, ipſos febre non laborare; ex quo infertur non dari ſemper in hypochondriis, licet ſit poſſibilis, affectum indicantem ſanguinis miſſionem ex pede.

Reſpondet Bombilius, quod Ego non expendi accurata ſolertiâ: nam debebam attendere, in hypocundriacis, vt plurimum vſtionem in ſimili humore præualere, ex quo febris lenta etiam complicatur pleriſque, aliquando ſolam inſuperabilem cruditatem, quo accidit, vt in varios affectus commutetur, tum frigoris, tum caloris, quo certè nulla cogit neceſſitas, vt ſemper febris putrida talem ſubſequatur hypocondriam.

Sed contra ſtat: Tum 1. quòd deberet Bombilius animaduertere accurata ſoleteriâ, quòd ſui oblitus contraria profert: In antecedente Impugnatione dicit, quod non poteſt fieri quartana febris in hypochondriis: nam ſuperueniente alia febre, quia præualent ſucci, ex quibus fit & ideo nequit alia fieri febris: nunc verò admittit quod ex ſuccis contentis fit febris lenta, eo quod ea complicatur cum ſuperueniente, & indicat ſanguinis miſſionem ex pede: Tum debebat attendere quòd docet experientia, dari plures ſine omni febre, in quibus nec datur febris orta ex obſtructionibus, & conſequenter ſaltem in iis non eſt à quo indicetur ſanguinis miſſio ex pede, & conſequenter non eſt ſemper neceſſarium quod ſanguis mittatur ex pede: Tum 2. debebat ſolertiâ percipere, quòd ex dictis ab ipſo conuincitur, quòd adhuc in hypochondriacis non ſemper ſanguis mittendus ex pede, cum redundent in illis ſucci crudi, à quibus non ſolùm non indicatur ſanguinis miſſio ex pede, ſed potiùs contra indicatur ex Galeno *9. method. & lib. de ſanguinis miſſione cap. 11.* quominùs nec poſſit exerceri ſanguinis miſſio ex brachio, quæ erat indicata à febre orta ex humoribus putridis intra venas: Tum 3 accuratè deberet attendere, quòd ſi omnes homines ob phlogoſim in hypochondriis petunt ſuperueniente febre putrida, phlebotomiam ex pede in principio, debet ob eandem rationem fieri ſemper in illis phlebotomia ex pede; quia ob intenſiorem febrem putridam, intenſior phlogoſis erit in augmento, & ſtatu, in hypocondriis; ſed iſti admittunt in iis temporibus ex brachio ſanguinem eſſe mittendum: Ergo cum illis Bombilius debet in principio permittere (ſi placet) ſanguinem mitti ex brachio; ſi alia vrgentior ratio non ſubſiſtit.

Quartò ſic impugnaui fundamentum propoſitum. Etſi humores in meſenterio contenti eſſent apti putredini, & petant euacuari, cum ſint ſeparati a commixtione ſanguinis, fiunt cacochymi, & indicant purgationem, & non ſanguinis miſſionem, vt *diſput. de purgand. rat. demonſtrauimus.*

Reſpondet Bombilius, quod vt plurimùm hoc eſt verum, dummodo ex hac obſtructione non regurgitent praui & exuſti humores, quia tunc ſanguinis miſſio indicatur non ex obſtructione, ſed ex ſarcina humorum, quæ ſanguine miſſo, non impetit cor, aut hepar; ſi autem timetur ne frænum detrahatur frigidis humoribus, dicit Bombilius, quod purgat, damnans tunc ſanguinis miſſionem cum principe Auicenna: & ideo cautè conſulit ſanguinem mittere in melancholiis, & iſtam magnam animaduerſionem notat prætermiſſam fuiſſe à Me: ſola eſt digna vt proferatur à Bombilio.

Sed contrà ſtat: Tum 1. quòd iam in ſanitate, iam in cacochymia ſanguis non mittendus ex pede & conſequenter non eſt vniuerſalis propoſitio, quod ſemper & in omni febre putrida, ſanguis debeat mitti ex pede in principio ob adductam rationem: Tum 2. Humores non indicant ſanguinis miſſionem ex pede, aut brachio, quia poſſunt regurgitare, aut nocere; ſed ſui euacuationem. Hæc autem an fiat ſanguinis miſſione, aut purgatione, an per venas ſuperiores, per venas inferiores, aut per venas hæmorrhoidales, hoc ab alio principio reſtat determinandum: Tum 3. manifeſtum erat, quod ego deberem prætermittere puerilem, ac communiſſimam diſtinctionem, præcipuè non conducentem ad intentum doctrinæ. Si enim probo, quòd humores contenti in hyppochondriis, indicant purgationem & non ſanguinis miſſionem ex pede, vt quid diſtinctionem afferre deberem inutilem pro intento, qualem ſine illo adducit Bombilius: Tum 4. ſarcina humorum, ſi auferatur per purgationem, impeditur, ne aſcendat ad cor, ſine eo quòd euacuetur per ſanguinis miſſionem: ex quo apparet, quod à ſarcina vt tali, vel à metu, ne ſurſum feratur, non indicatur ſanguinis miſſio ex pede: Tũ 5. ſi Bombilius antecedenter phlogoſim admittit in hypochondriis, à qua ſemper indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria, cur admittit in hac ſolutione, quod ſunt humores frigidi, qui continentur in hypochondriis, & quod non ſunt phlebotomandi, ex Auicenna. Ergo nec

ratione illorum debet execceri ſemper ſanguinis miſſio ex pede,cumab humoribus contentis cootraindicetur.

Qintò, impugnaui ſic propoſitum fundamentum: licet in hypochondriis eſſet vitium ſanguinis, cùm ab illo nun pendeat febris, à quà tanquam à morbo magno indicatur ſanguinis miſſio, ab ea parte debet ſanguis mitti, a qua euacuatur cauſa, à qua febris fouetur, non autem a parte remotiori.

Reſpondet Bombilius, quòd ego periclitor magis, quando iudico, quòd ſanguinis vitium, quod in venis meſeraicis contrahitur,non indicat ſanguinis miſſionem; quia febris ab illu non dependet, ſed ab alio in venis ſuperioribus contento; & quod gratis dat mihi, quòd febris incipiat a venis inter alas, & inguina, & quòd ab illa alterantur humores meſenterij, quia ex definitione Auicennæ calor febrilis per vniuerſum corpus communicatur, & ideò ab humote in hypocondriis fit febris, & indicatur ſanguinis miſſio ex talo.

Sed contrà ſtat: Tum 1. Quòd Bombilius ſcatet erroribus, & ebullit in contradictionibus: dicit in reſponſione antecedente ad noſtram ſecundam rationem, quòd ſi ſucci in venis præualent,& accendantur, non poteſt ex ſuccis in meſenterio accenſis prouenire quartana, quia exuperat humor venatum, a quo ſumit febris denominationem: in hac reſponſione dicit, quòd ſemper, cum in venis accenditur febris,ſit ſimul alia febris in humoribus hypochondriorum; in reſponſione ad 4. dicit, quod humores in hypochondriis quandoque ſunt calidi,quandoque ſunt frigidi, & quod ob frigiditatem eorum timet ſanguinem mittere: nunc dicit, quod ſemper eſt febris orta ab humoribus contentis in hypochondriis, à qua indicatur ſanguinis miſſio ex talo: igitur Bombilius labitur immemor eorum, quæ paulò ante protulerat. Tum 2. Bombilius gratis dat mihi quòd febris accendatur in venis intra alas, & inguina, (ſenilis ætas operatur in illo) ſi enim difficultas ſtat in hoc quod data febre intra venas indicatur ſanguinis miſſio ex brachio, & quod non poteſt præualere indicatio phlebotomandi ex talu, quæ ſumitur à fæculenta ſubſtantiâ in hypochondriis; cur ergo tot ineptiæ; cur gratis dat id ſine quo ruit fundamentum controuerſiæ: Tum 3. certum eſt dari febrem intra venas, à qua indicatur ſanguinis miſſio ex brachio; eſt dubia febris in hypochondriis; in ſanis certum quod non datur, alias non eſſent ſani ante aduentum febris ſuperuenientis in venis: In eis qui abundant frigidis ſuccis in hypochondriis admittit Bombilius, non dari febrem, & contraindicari ſanguinis miſſionem ex illis. Ex quo patet quam alienum à ratione ſit proferre quod ob febrem ortam in hypochondriis ſemper ſit mittendus ſanguis in pede,relicta indicatione mittendi ſanguinem ex brachio, quæ ſumitur à febre ſuperueniente ex humoribus inter inguina, & brachia putreſcentibus: Tum 4. ſi datur neceſſariò talis febris, & in principio contraindicat ſanguinis miſſionem ex brachio, cur non ſemper cogit hæc indicatio,vt ſanguis ex pede mittatur? cur poſt primas ſanguinis miſſiones ex pede, mittunt contrarij ſanguinem ex brachio, manente eadem hypochondriorum febre intenſiore; humoribus ibi contentis denuò calefactis, & alteratis à ſuperueniente febre. Tum 5. ſi quia Auicenna dicit, quòd communicatur febris à corde in reliquas partes, fit in meſenterio febris, à qua indicatur ſanguinis miſſio

A ex talo in hecticâ, & diaria; datur ſimilis cauſa febris ex hypochondriis,& ſemper in illis ab illa præualente indicatione eſſet ſanguis mittendus ex pede: Tum 6. poteſt dari hectica ſine humorali; humoralis ſine hectica, diaria ſine iis, dum reliquæ ſubſtantiæ ab ea, quæ febrem cauſant, reſiſtunt alterationi, vt docet experientia, & protulit Galenus *lib. de different. febr.* 1. *ad Glauc. in lib. method.* & cum illo fatentur omnes: Ergo poterunt humores in hypochondriis non accendi, non habere febrem quæ indicet ſanguinis miſſionem ex talo, & qui non impediant exerceri eam,quæ eſt indicata ex brachio.

Superaddiit Bombilius pro antecedente ſolutione,
B quod obſeruauit ſæpius, quod ex hepatis habituali intemperie calida, rapitur calor ventriculi,deprauat coctionem, & ſubſequitur imperfecta coctio,& praui generantur humores cum malignâ qualitate, & prauo ſubſtantiæ modo, ex quibus fiunt febrea in vaſis maioribus in quibus debet ſaltem in principio fieri ſanguinis miſſio ex pede.

Miror Bombilium tantæ obſeruationis Doctorem, quam poſſet diſcere ex Hippocrate 6. *Epid.* vbi *ventriculi torpor*, inquit, *omnium confuſio*; & Galenus ex Diocle ab ipſu citatus 3. *de locis* 7. idem protulit, & 9. *methodi*, & 11. *de ſanguinis miſſione*, ſed ex hac doctrina incidit in noſtram doctrinam veritate conuictus: fatetur enim, quòd ſaltem in
C caſu propoſito ſit ſanguis ex pede mittendus: hoc nos docuimus, *ſect.* 3. *Reſolut* 5. §. 2. *in appendice*, ibi, *Reſoluendum quòd febre putrida manente, ſi indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria, cuius indicatio praualet, fieri petit ex pede, dum fouetur morbus, à quo indicatur, à vitio humorum fluentium per ramos venæ cauæ deſcendentis: ſi per ramos aſcendentis, ex brachio; ſi ex venis portæ, per hæmorrhoidales venas*: Inde patet, quòd non nego dari caſus in quibus debeat ex pede mitti ſanguis in principio, & in reliquis temporibus; Id vnum contendo, quòd non ſit id neceſſarium ſemper in cuiuſuis febris putridæ principio, qood idem Bombilius fatetur, & per totum Apologeticon tantopere ab ipſo decantatum,
D hoc concludit, quòd vera ſit mea doctrina, quam contendebat oppugnare.

Propeiat ad admittendam meam doctrinam iterum,& ſuperaddit: Ergo ſaltem in illa febre putrida, quantumuis à venis maioribus incipiat,vbi tale vitium complicatur, debet ſanguinis miſſio incipere ex talo,in hoc tamen ſtat diſcernentis prudentia, perfectè comprehendere naturam, & conditionem ægrotantis, & an talem in meſeraïcis venis congetat prauitatem, an ab illa immunis videatur; his tandem conuictus iam Bombilius in noſtræ doctrinæ confirmationem ſuum conuertit Apologeticon. O quale caput, ſi cerebrum haberet! id probat, quod
E oppugnat; id conuincit, quod oppugnandum ſuſcepit.

Sextò, impugnaui propoſitum fundamentum, ſic: Etiam ſi febris foueretur ab illis humoribus, vt commixtis ſanguini, ſanguinis miſſio ex pede nihil iuuaret, quia vt conſtat ex omnium Anatomicorum venarum, hiſtoria, nullæ ſunt propagines in venis meſeraïcis,nec in vena porta tendente ad crura,aut pedes; quia illarum venæ omnes ſunt propagines cauæ deſcendentis, non autem Portæ.

Reſpondet Bombilius,quòd nec ſatisfacit hiſtoria Anatomica venarum; nam ſatis oſtendo aut illam non vidiſſe, aut oſcitanter legiſſe illam, & inſaniens Bombilius ſuperaddit: Nos verò, qui illam

Salmanticæ & vidimus & legitimus, verum attulimus de illa teſtimonium in noſtro Medico Tribunali, dum huc aſſumptum manifeſta demonſtratione comprobauimus; dicitque demonſtraſſe ramos venarum à Caua deſcendente alere regionem meſenterij, & implantari in regione podicis, & ab illis prodire hæmorrhoïdes externas; ac ſpleneticum ramum, quo internæ mariſcæ fouentur, habere ramum deſcendentem ad femur, & talum externum, & internum; & tandem dicit poſſe corpus ſucceſſione ad id, quod euacuatur, ex quacumque parte euacuari.

Sed plura inuoluit Bombilius; ſupponit ex quacumque vena ſucceſſione ad id quod euacuatur poſſe mitti ſanguinem: fateor, quia, vt dicit Veſalius, omnes venæ, vna ſunt vena, & vt docuit Hippocrates, conſenſus vnus, conſpiratio vnica; ſed an æque benè potiùs ex hac, quàm ex illa fiat euacuatio, deriuatio, aut reuulſio, hoc reſtat determinandum: & ſi æquè benè ex brachio, quàm ex pede fit ſanguinis euacuatio, ad quid tendit Bombilij Apologeticon. Contendit hæmorrhoïdales venas non eſſe propagines venæ Portæ, ſed a Cauæ prodire ramis, nutririque meſenterij partes ab illis; ſed tota cohors clariſſimorum Anatomicorum contrarium viderunt; ipſos tamen non vidit Bombilius, quia non fuerunt Salmanticæ, vbi ille talia vidit, & docuit. Auicenna *fen. 1. 1. d. 5. cap. 2.* Galenus *lib. de ſectione venarum, & in lib. de vſu partium,* manifeſtè docent meſenterij venas, propagines eſſe venæ Portæ, & has terminari in inteſtinum rectum, vt fæculenti ſucci in illis contenti, ſi ſuperabundent, expurgentur per hæmorrhoïdes: ſic receperunt, viderunt, & diſſectione comprobarunt omnes iuniores Anatomici, vno ore, harum venarum propagines enarrantes, quibus ſubſcribit Andreas Laurentius, qui ex illis Anatomicam hiſtoriam Portæ ſic transfert. Venæ portæ radices innumeris ſurculis per vniuerſum hepatis corpus ſparſæ in vnum deſinunt truncum, qui ſtatim ferè ac ab hepate proſiliit, bipartito finditur, quaſi duos in prægrandes ramos diremptus: eorum alter ſpleneticus, alter meſentericus dicitur; hos tamen ramos inſignes priuſquam ſpargat, quatuor emittit ſurculos. Primus cyſticus dicitur, ex antica & ſupremâ trunci parte ortus, qui mox in veſiculæ felleæ ceruicem, & corpus diſtribuitur, ſurculis capillorum modo tenuibus: Secundus gaſtricus nominatur, quòd in ventriculum & pylorum prætenues conſpergat venas: Tertium liceat nobis cum Syluio gaſtrepiploïcum appellare; fundo enim ventriculi dextro, & epiploico inſpergitur, ſurculis illum supernè, ac infernè adeuntibus. Poſtremum inteſtinalem vocant, qui per duodeni longitudinem excurrit. Poſteriores hos ramos ſæpe à meſenterio emergere obſeruauimus. Poſtquam exiles hos quatuor venæ portæ truncus diffodit ſurculos, totus in duos inſignes ramos finditur, quorum elatior, tenuior, & ſiniſter, ſpleneticus dicitur, quòd ad lienem totus fere feratur; alter humilior, amplior, dexterque, meſentericus appellatur, quòd totus pene in meſenterium, & inteſtina exhauriatur, gaſtrico minore epiploico dextro, coronario ſtomachico, & epiploico poſteriore. Gaſtricus non admodùm frequenti ramorum ſerie in gibbam ventriculi partem diſtribuitur. Epiploicus dexter in dextram inferioris epiploi regionem ſurculos aliquos deriuat, & quibuſdam ramulis colon inteſtinum irrigat: Coronarius ſtomachicus omnium

A craſſiſimus, dum ad ſimam ventriculi partem peruenit, bifariam diſpergitur, priore ramo orificium ventriculi ſuperius, coronæ inſtar cingit, altero ad Pyloron deſcendit. Epiploicus poſterior Epiploo poſtico toti, & coli parti dorſo commiſſæ, id eſt in eam coli inteſtini partem, quæ epiploi quaſi alterius meſenterij beneficio, dorſo alligatur, ramulos emittit ſuos. Quod reliquum eſt rami ſplenetici in duas abit venas; ille in alias, donec numeroſa ramorum ſerie in cauam lienis partem implantentur, atque infinita ſobole venulas quàm exiles, admodumque implexas per vniuerſam lienis ſubſtantiam ſpargant: A ſummo tamen prope lienem ramo, ſurculus in ventriculi latus ſiniſtrum fer-
B tur, quem vas breue, aut venoſum dicunt; hoc vaſculo effunditur in ventriculi fundum, & os, melancholicus ſuccus, ad excitandam ſuo ſapore acèrbo, & acido appetentiam. Hæc totius rami ſplenitici fidelis eſt deſcriptio, quam in eum vſum comparauit natura, vt ventriculo, & lieni alimentum ſuppeditaret; & craſſum, ac fæculentum ſanguinem deduceret ad lienem, non quidem purum & impermixtum. Alter ramus amplior multo, meſentericus dictus, in meſenterium, & inteſtina infinitos diffundit riuos, ſed tres præcipui obſeruantur, iis nominibus inſigniti: hæmorrhoïdalis per coli extrema, & recti inteſtini longitudinem ad anum vſque prorepit, quem exilibus ramis orbicu-
C latim amplectitur. Hunc ideo conſtruxit natura, vt dum ob lienis obſtructionem melancholicus ſanguis expurgari nequit, ſaltem huius rami beneficio, certis quibuſdam interuallis excernatur, hic occultus internas hæmorrhoïdas parit, vt hypogaſtricus deſcendentis cauæ ramus externas; illæ cacochymiæ vacuatrices, hæ plethoræ depletrices dicuntur. Ramus hic ſæpe ab ſplenetico oritur, ſic Spigelius, Higmorus, Bartholinus, Syluius, Paræus, Veſalius, Columbus; ſed Valuerda hæc ſuperaddit. Ex reliquis venæ portæ ramis in ventriculum diſſeminatis, & inteſtina, alij nutrimentum hiſce partibus afferunt; alij abſumptum ex ventriculo, & inteſtinis alimentum ad iecur mittunt per inſignem
D meatum, ex venis hiſce omnibus conflatum, veluti per portam quamdam; vnde vena hæc Porta dicta, cuius ramus, quem ſub recto inteſtino, & per meſenterium ferri diximus, ramos quoſdam effundit, qui ad anum pertingentes, earum venarum capita conſtituunt, quæ hæmorrhoïdes appellantur, quæ quotieſcumque lien fæculentum ſanguinem ex iecore non excipit, aut ſuſceptum in ventriculum non eructat, reſerantur; tunc enim venæ eiuſmodi intumeſcunt, diſrumpunturque, eſtque illud animaduertendum, quòd ſanguinem alicui detracturi, iecoris, lienis, ventriculi, inteſtinorum, omenti, aut meſenterij occaſione, haud aliunde quam ex hæmorrhoïdibus, id ipſum præſtare poſ-
E ſumus, & ex iis, non alia corporis parte, quam iuxta anum. Hæc Valuerda: ex quibus Authoribus poterat Bombilius dum fuit Salmanticæ, diſcere venas diſperſas per totam regionem meſenterij à Porta ramificari, in anum terminari, & per hæmorrhoïdales tantum venas debere ſanguinem ex illis mitti, nec ex alia corporis parte id conſequi poſſe, niſi ſucceſſione ad id quod euacuatur, (vt ipſe dicit) poſtquàm omnes reliquæ venæ ſint inanitæ, & vacuæ. En, Bombili, conuictum tuum furorem, dum non mecum, ſed cum ipſa rei natura & euidentia concertas, cúmque peritioribus Anatomicis noſtri æui, qui authoplia contra te

demonſtra

demonſtrarunt, quòd euidentia didicerunt: Tum ſtat contra Bombilium, quod non ſulùm eſt paucis, ac communioribus principiis imbutus, ſed quòd impugnaturus meam doctrinam, ipſam debe-ret legiſſe, *in appendice* enim *de ſanguinis miſſio-ne ſect.* 3. dixi ſancitum à Galeno *lib.* 2. *de locis af-fect. cap.* 1. & ab Auicenna *fen.* 1. 1. *doctr.* 4. & ab aſſenſu communi dogmaticorum, quod lienis vſus eſt repurgare humores in illo genitos à melan-cholicis, terreſtribus, limoſiſque ſuccis; tamen apud iuniores receptum eſt lienem prædictos humo-res generare, non trahere illos à iecore eſſeque originem venarum per quas mittit ipſos per totum meſenterium, ad inteſtina, ad ventriculum, & alias partes in meſenterio contentas; in qua opinione probabilius apparet, fæculentam materiam in me-ſenterio cõtentam potiùs per hæmorrhoidales venas euacuandam quàm per pedes, cum quibus non ha-bent communicationem menſenterij venæ: Tum quia ſimiliter ſi Bombilius legeret, licèt oſcitanter, deberet præuidiſſe ex mea doctrina originem vena-rum hæmorrhoidalium, *ſect.* enim 2. citata *reſolut.* 5. diſputaui an venæ hæmorrhoïdales propagentur a vena caua; ibi enim diſceret, nec ita ieiunus à le-ctione Authorum ſuam proponeret inſcitiam, tan-quam inanis ſcriptor ſeu ſubſcriptor ſui manuſcri-pti codicis Salmanticenſis; diſceret enim, quòd Iu-lius Cæſar Benedictus poſt alios multos hanc re-centem dubitationem exagitauerat, in qua ante ipſum Valuerdus *lib.* 6. *anatomes cap.* 5. Realdus Columbus *lib.* 6. Veſalius *lib.* 5. *cap.* 15. Ange-lucius *lib.* 2. *de febre maligna cap.* 6. Ioannes Bap-tiſta Cortes *in ſuis miſcellaneis decade* 7. Saxonia *lib. de febribus*, ſolius venæ portæ propagines eſſe venas hæmorrhoïdales conſtanter affirmant, & va-lidis fundamentis comprobant, illas verò iudica-uimus hæmorrhoidas internas à ramo ſplenetico oriri, externas ab iliaco ramo ex vena caua prodeun-te, adhærentes Andreæ Laurentio *lib.* 6. *anatom. quæſt.* 26. Matthæo Curtio *comm. in cap.* 26. *ana-tomeæ Mundini*, Rondeletio *lib.* 3. *method. curandi, cap.* 23. Minodao *lib.* 2. *de febre maligna cap.* 7. Augenio *lib.* 10. *de rat. curandi per ſang. miſſionem.* En, Bombili, ex Me habes venas hæmorrhoidales poſſe propagari à caua, ſed nihil deduceres, etſi hoc non ignorares, ad intentum: nam ex iis om-nibus conſtat omnes venas continentes fæculentam materiam in meſenterio terminari ad podicem, ibi-que euacuationem tentandam humorum redundan-tium in meſenterio, liene & ramis portæ, nullamque eſſe ramificationem ad pedes; quam doctrinam protuli *in appendice citato ſect.* 3. *reſolut.* 5. §. 2. *Re-ſoluendum quòd febre putrida manente, ſi indicetur ſanguinis miſſio reuulſoria, cuius indicatio præua-leat, fieri petit ex pede, dum fouetur morbus, à quo in-dicatur, ex vitio humorum fluentium per ramos venæ cauæ deſcendentis*: quod vidiſſe Bombilio conferret, vt reſipiſceret: Tum ex eodem Andrea Laurentio, qui anatomiam venæ cauæ deſcendentis deſcribens *lib.* 4. *cap.* 5. ſic protulit §. *deſcendens truncus mag-næ arteriæ, accumbens ad oſſis ſacri initium & ilia vſ-que excurrit, ibi in ramos finditur ampliſſimos, ilia-cos dictos, quos priuſquam ſpargat, quinque quaſi ſur-culis vtrinque fructificatur, Adipoſo, Renali, Sperma-tico, Lumbari, Muſculoſo*: Adipoſus ad exteriorem renis tunicam adipe copioſo circumfuſam fertur, hanc ab emulgente pronaſci aliquando obſeruaui-mus. Renalis quod ad renem feratus, emulgens, quod eò ſeroſum humorem proiectent renes, vt ſpermatica vena ſic dicta, quod ſeminis materiam ad teſtes deferat; Lumbaris, vt quæ lumborum ver-tebras, & ſpinalem medullam irriget; Muſculoſa dicitur, quod in lumborum, & abdominis muſ-culos plurimos profert ſuos. Poſtea in duos inſignes ramos tanquam ſtipites finditur, iliacos dictos. Ab vtroque ramo oriuntur quatuor pares: Sacra, quæ per oſſium foramina fertur in vertebræ medullam. Hypogaſtrica, alens hypogaſtrij partes, tendens ad vterum, & eius ceruicem, & ad veſicam: quæ etiam fertur in inteſtini externam partem. Epigaſtri-ca, quæ fertur ad vmbilicum per epigaſtrij muſcu-los. Pudenda, quæ ad vterorum genitalia fertur. Ra-mus iliacus, qui fertur ad inguina, & ad crura deſ-cendit, & ideo cruralis dicitur, a quâ plures emanant ſurculi per femur, tibiam, & extremum pedem, conſpicui ſunt: Saphena, ſeu malleoli vena, iſchias, ex regione ſaphenæ in anteriorem iſchij cutem. Muſculoſa in tibiæ muſculos extenſa. Poplitea ex duobus ramis cruralis coëuntibus conſtata: Suralis in ſuræ muſculos; Iſchias minor per ſuræ muſculos delata: ex hac hiſtoria conſtat euidenter doctrinam à Me traditam in appendice *Reſol.* 5. *ſect.* 3. euiden-tem eſſe, totúmque irretiri Bombilium in ſpriis, & ignorantiis, a quibus poſſet ex meis ſcriptis erui, ſi attente legeret ad intelligendum, & non ad op-pugnandum, manéque comprobata ſexta noſtra impugnatio.

Septimò à nobis impugnatur ſolutio, quia ra-tio tantum poſſet conuincere (ſi ſuppoſitum eſ-ſet verum) per ſanguiſugas eſſe euacuandos illos humores qui à porta vena originem ducunt, non ve-ro à cauâ.

Reſpondet Bombilius, quòd ex anatome, quam Salmanticæ didicit, & in ſuo Tribunali ſanciuit, conſtat, fæculentos humores meſenterij foueri ex venâ cauâ.

Sed conuictus manet ex dictis, ex quibus conſtat Bombilium oſcitanter, aut ieiunè vidiſſe Salmanticæ anatomiam, & in ſuo Tribunali nugas potiùs quàm doctrinas; errores, potiùs quàm probabiles ſancire propoſitiones.

Octauò impugnaui ſolutionem, quia æque diſtat vena porta à ramis cauæ aſcendentis, & deſcenden-tis, cum ij proueniant à trunco cauæ æquè diſtan-tis à porta, & ſic eodem modo trahentur humores ad truncum, & ramos venæ cauæ deſcendentis, miſſo ſanguine ex pede, ac ex brachio.

Nonò impugnaui, quia cum febris putrida oria-tur ex humoribus in omnibus venis putreſcentibus, humor attractus putreſceeret commixtus cum humo-ribus contentis in caua deſcendente, & ibi etiam poſſet febrem accendere.

Decimò impugnaui, quia ratio qua impugnatur, probaret in vitiis iecoris & lienis ſanguinem eſſe mit-tendũ ex pede, cuius cõtrarium nos demonſtrauimus.

His vltimis impugnationibus acquieſcit Bom-bilius, non tamen ex toto amplectitur verita-tem; contendit enim in fine apologeticonis totam exprimere ſui conatus vim, probaréque indepen-denter ab impugnationibus propoſitis, quod ſanguis ſemper ſit mittendus ex pede in principio febris pu-tridæ, in cuius probationem adducit Hippocratem, qui 4. *aphor.* 9. inquit, Melancholicos autem plenius per inferiora (nempe euacuabis) eadem ratione con-traria opponentes: & dicit quod vltima clauſula re-fertur ad ſententias antecedentes. Medicari æſtate per ſuperiores magis, hyeme vero inferiores; rectè enim æſtate, Galenus in commentario doceri dicit

ab Hippocrate, quod quælibet ſuperfluitas deber euacuari per regionem, ad quam vergit.

Bombilij fundamenta tam inepta ſunt, vt pudeat in illis immorari, quid enim confert ad intentum, quòd Hippocrates, & Galenus doceant purgandos eſſe humores cacochymos per regionem ad quam vergunt, ad hoc vt concludamus in omni febre ſanguinem eſſe mittendum ex pede. Et ſi exemplum A aliquid tenet, probat quòd per venas brachij, & non ex pede ſint ſanguinis miſſione euacuandi humores cauſantes febres bilioſas, quia ſi naturæ motus, vt ipſe tenet, iuuandus, tenuiores humores ex ſua natura ſurſum tendunt. Non vlteriùs progrediar, mi Bombili, in euertendo tuas ineptias, ſat enim demonſtraui inopem conſilij te inire bellum: quod tui conſcius debuiſſes recuſare, quia, vt cecinit Ouen.

Quæ fieri nequeunt, prorſus tentare recuſes,
Ingenij debes pondus habere tui.

FINIS.

DOCT. MED.

D. GASP. BRAVO

DE SOBREMONTE

RAMIREZ.

OPERVM

PARS SEXTA;

Continet varias Conſultationes Medicas.

NVLLVS *inter vetuſtiores Medicos ſcripſit, qui inter ſua opera non interiecerit aliquas Medicas Obſeruationes, aut Curationes. Ex magiſtris Hippocrates* in lib. Epidemior. *proponit quamplurimas inter doctrinalia alia præcepta: Galenus ſparſim in omnibus ſuis Operibus plurimas ſuperaddidit, quas Symphorianus Campegius, & Ioan. Bapt. Syluaticus doctiſsimis Commentariis illuſtrarunt; Reliqui Medicinæ Principes non paucas propoſuerunt, quas Zacutus* in tom. de Medic. Princip. hiſtor. *illuſtrauit, & variis doctrinis locupletauit. Sed inter Iuniores plerique totos libros dedicarunt huic inſtituto, tótque in lucem ediderunt, vt ex eorum monumentis, ac morbis ab ipſis recenſitis totum librum compleuerit Moronus: nos inter tot aliquas proponemus Conſultationes quæ ſextam hanc huius tomi adimpleant partem.*

CONSVLTATIO PRIMA.

Pro propugnanda potentia quorumdam caſtratorum; edita pro Collegio Medicorum Valliſoletanæ Academiæ.

CONTINET.

§. I.

Quæſita conſultationis, & Conſulendi occaſionem.

§. II.

Proponuntur quædam à Medicis recepta requiſita pro deciſione.

§. III.

Hiſtorica enarratio pro primo quæſito.

§. IV.

Hiſtorica enarratio pro tertio quæſito:

§. V.

An ſic curati ſint impotentes maleficiati?

§. VI.

An ſint dicendi impotentes frigidi?

§. VII.

Pro ſecundo quæſito quid tenendum?

§. VIII.

Quòd ſic curati, non habent impotentiam morboſam.

CONSVLT

CONSVLTATIONIS
Deciſio.

§. I.

Quæſita conſultationis & conſulendi proponitur occaſio.

DVBIVM e: *An Spadones indicati quidam homines, quibus in curatione non ſunt ablati teſticuli, ſint idonei ad contrahendum matrimonium? & an illorum matrimonia ſecundum ius ſint irrita, & probibita, & ex conſequenti comprehendantur in litteris Sixti V.* Recenter ſuſcitatum eſt ab admodum pio, ac ſapientiſſimo viro D. Antonio de Veraſtigui, Segouienſis Diœceſis viſitatore, ab ipſóque ita accuratè, ac feliciter reſolutum, vt currente calamo fuerit eius aſſenſus comprobatus à Reuerendiſſimis aliquibus Epiſcopis, & vnanimi aſſenſu à ſapientiſſimis Magiſtris Sacræ Theologiæ Salmanticenſibus, & Complutenſibus, ab Archiatris, & aliis Medicis, pleriſque eorum annuentibus, licet in re tam graui, ſine alio examine, non tamen ſine incuriæ nota.

Sic comprobata opinio ad Apoſtolicam Sedem fuit miſſa, & ab ea commiſſa ad ſacram Congregationem Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, quæ antequam iudicium proferret in re tam ardua, quia ex reſolutione Medicorum iudicauit pendere totam iuris deciſionem; eorum petiit ſententiam, ad ipsóſque quæſtionem remittendam ſanciuit, & hæc quæſita reſpondenda iuuet.

An ſuper validitatem matrimoniorum horum ſpadonum quidquam fuerit pronunciatum, & quibus rationibus. Quæ proferatur ſententia inter Medicos de eorum potentia ad generandum.

An aliqui ex huiuſmodi læſis, qui matrimonium contraxerunt, filios ſuſceperint.

Quæ nobis commiſſa conſulatio à vere Regia, Inſigni ac Præclariſſima Valliſoletana Academia, vt pro collegio Medicorum reſponderemus: hæc protulimus.

§. I I.

Proponam quædam à Medicis recepta fundamenta, ex quibus deciſio Medicorum pendet.

COmmunis Medicorum doctrina tenet, quòd ex parte viri, ſemẽ prolificum eſt neceſſarium principium in omni viuentis generatione vniuoca, vt *in Reſolutionibus Medicis* antecedentes *p.* 1. *diſp.* 1. *ſect.* 3. *reſolut.* 2. deduximus ex Hippocrate *lib. de genitura*; ex Galeno *lib. de ſemine*; *de fœtus formatione, de vſu partium, de facultat. naturab. lib. de placitis Hippocratis, & Platonis.* Ex D. Thoma Auerrhoe, & horum commentatoribus. Ex Triſmegiſto *lib. de opificio Dei.* Ex D. Auguſtino *lib.* 22. *de ciuitate Dei.* Ex D. Gregorio Niſſeno *oratione* 3. *de reſurrectione Chriſti.* Ex Alberto Magno 2. *p ſumma de homine.* Ex Fernelio *lib.* 2. *de abditis rerum cauſis.* Ex Fieno *lib. de fœtus formatione*; & *in Apologia aduerſus ſancta-Cruz.* Ex Peramato *tractatu de ſemine.* Ex Carteiro *diſput.* 34. & 35. *in fen.* 1. 1. Ex Andrea Laurentio *lib.* 8. *de re anatomica.* ex Zacuto *lib.* 5 ex Roderico de Caſtro; Mercato & aliis.

Similiter eſt receptum in ſcholis Medicorum, & inter claſſicos Galeni Sectatores, quòd ſemen prolificum ſola vi teſtium poteſt generari, licet enim Auicenna dicat generari à corde, Democritus, & Hippocrates iudicauerint decidere ab omnibus corporis partibus, & Lucretius *lib.* 4. *carminum* idem teneat, & Plato aſſeruerit in cerebro, & ſpinali medulla generari, eorum tamen Sectatores, vt prolificum fiat, ad teſtes debere ferri fatentur. Reliqui verò & in eſſe entis, & in eſſe prolifici fieri vi teſtium fatentur communi aſſenſu, vt Reſolutionibus prædictis demonſtrauimus *diſpu.* 10. *P.* 1. *ſect.* 3. *reſolut.* 7. Deduximúſq; ac confirmauimus ex Galeno qui hanc demõſtrauit doctrinã *lib. de ſemine, lib. artis medicinalis c.* 4. *lib* 14. *de vſu partium, lib. de natural. facult.* Idem perfecit Auicenna *fen.* 20. *lib.* 3. *cap.* 10. *fen.* 1. *lib.* 1. *doct.* 1. *c.* 2. & *doctr.* 6. quem ſequuntur ſui Commentatores, & inter Iuniores tenent Valleſ. *lib.* 2. *controuerſ. cap.* 3. Valletiola *lib.* 1. *de loc. communib. cap.* 17. Fontanus *vniuerſa artis medicæ lib.* 5. *cap.* 2. Zacutus *tom.* 2. *lib.* 3. Manuel Martinez *lib.* 1. *tract.* 5. Carteirus *in fen.* 1. 2. *diſp.* 35. Serna *lib.* 1. *de princip. generat.* Peramatus *tract. de ſemine.*

In hunc finem mirabili artificio teſticulos præcipuè in viris conſtruxit natura; conſtant enim duabus tunicis vtrique communibus. Prima ſcrotum dicitur ex cuticula & cute conflatum, ſecunda dicitur carnoſa, à pãniculo carnoſo orta. Sũt propriæ tunicæ vnicuiq; teſti Tunica Erithrois dicta, eſt quæ primo teſtem ambit, & ſimul ſpermatica vaſa vſque ad peritoneum, cuius eſt productio: Secunda ex propriis dicitur dartos; ſuperaddunt alij tertiam propè carnẽ teſtis attingẽtem; Epydidima ab Andrea Laurentio vocatur, quam alij nõ diſtinguunt à ſecunda, quæ dartos dicitur. Contenta teſticuli ſubſtantia eſt caro mollis, cauernoſa, glandulæ ſimilis, in qua ſeminis perficitur generatio, pro qua deſeruiunt ſex vaſa, quatuor ſpermatica dicta, præparantia, & conducentia ſeminis materiam, quorum vaſorum in dextro latere eſt vena orta à Caua deſcendente, & Arteria orta ex arteria Aorta: In ſiniſtro eſt vena orta ab emulgente, & arteria orta ex Aorta, quæ in vtroque latere mutuo inter ſe complicantur, & in progreſſu ad teſtem, ad quem feruntur, eodem aſſurgentes itinere deorſum per peritonei productionem vſque ad teſticuli extremum, epydidimum dictum, quod eſt corpus oblongum vtrique teſtis extremo adhærens, in medio aliqualiter dehiſcens, dicatum pro ſemine dealbando, quod ab ipſo in carnem teſticuli perficiendum, & prolificandum fertur. Ab epydidimo duo vaſa, vnum in vnoquoque teſte tamquam ſpermaticarum propagines, eodem aſſurgunt itinere, quo præparantia deorſum deflectuntur per peritonei productionem, dicunturque vaſa deferentia, quia ſemen iam productum deferunt obliquo ductu, ad poſteriorem, & exteriorem veſicæ partem, ad veſiculas, ſeu proſtrata ſemen recipientia, & conſeruantia pro actu generationis. Sic deducitur ex Galeno *lib. de ſemine.* Ex Andrea Laurentio *lib. hiſtoriæ anatomicæ cap.* 4. 5. & 6. Ex Ioanne Valuerde *lib.* 3. *anatomiæ cap.* 14. Ex Veſalio *lib.* 5. *de humani corporis fabrica.* Ex Ambroſio Paræo *lib.* 2. *de corporis humani anatomia cap.* 27. 28. & 29. Ex Fragoſo *lib.* 1. *cap.* 5. Ex Fallogio *in obſeruat. anatomicis.* Ex Mundino, Baldeo, Columbo, Syluio, & aliis.

Partibus has debitè ſe habentibus, fiunt homines potentes & apti ad generandum prolificum ſemen, filioſque procreandos. Impotentes dicuntur, ſi generare

nequeunt,

nequeunt, qui apud Iuriſconſultos diuiduntur in frigidos, & maleficiatos: nos vero claritatis gratia diuidemus in impotentes factos à natura, vel ope dæmonum, vel ab arte.

A natura Eunuchi fiunt, qui ſine teſtibus procreantur, fiuntque impotentes à natura; & qui cum indebita partium conformatione, quæ debentur genito, ſunt geniti: & etiam illi, quibus data eſt a natura, in eiſdem partibus indebita temperies, & ij propriè dicuntur impotentes frigidi. Ope dæmonum fiunt impotentes qui Magicis artibus redduntur inepti ad generandum, & ij vocantur impotentes maleficiati. Impotentes ab arte redduntur homines quadrupliciter, vel per omnimodam abſciſſionem Penis, ſcroti, & teſtium qualiter, apud Turcas conſuetum eſt caſtrare Eunuchos. Secundo modo per teſtium abſciſſionem, & auulſionem, qualiter communiter herniſtæ ſolent caſtrare eos, quos intendunt curare ab hernia inteſtinali, aut Zirbali. Tertio modo per atritionem teſticulorum, quo pacto apud barbaras aliquas nationes ſolent infantes caſtrare, teſtium ſubſtantiam inter digitos conterendo, & diluendo. Quarto modo per contorſionem vaſorum, quomodo ſolent tauri, & equi caſtrari, & ex iis quatuor modis, qui primo modo caſtrantur, fiunt impotentes ad generandum, & coëundum, qui verò caſtrantur per tres reliquos modos, licet fiant impotentes ad generandum, non tamen ad coëundum, vt tenet Cæſar Scaliger *exercitat*. 144. *ſect*. 8. & 172. *ſect*. 2. & 175. *ſect*. 3. (licet aptos ad generandum eos iudicent Cabriolus, & Adrianus,) ineptè tamen: quia ſi quod emittunt, non tam ſemen dicendum, quam aquoſa quædam, & non prolifica ſubſtantia. Hos caſtratos omnes Firmicus, Rodericus de Caſtro, & præcipuè Cælius Rhodiginius vocant Spadones, Eunuchos, Ectomas, Apocopos, Thlibias, Thladiſas, ſeu Thlaſias: Myſinger inter Iuriſconſultos his ſpecialiùs vtitur terminis, Vlpianus *l. ſpadonum*, & Alciatus *ff. de verbor. ſignificat.* Hos omnes ab arte impotentes redditos ſpadones vocant, ſeu Eunuchos; quos nos etiam ſequemur.

Spadones verò, qui apti ſunt ad coëundum, iudicati ſunt à D. Thoma 4. *diſtinct*. 34. inepti ad contrahendum matrimonium: fuit illis permiſſum vſque ad annum 1586. in quo Sixtus V. Pontifex Maximus eorum prohibuit matrimonia motu proprio, & contracta irrita fecit, & ideò de iis omnibus non currit difficultas, iudicati enim ſunt impotentes ad generandum: ſed quia in curandis herniis Zirbali, & inteſtinali, aliqui Herniſtæ perficiunt curationem non per abſciſſionem, & auulſionem, vt diximus in ſecundo modo curationis, ſed extrahendo teſticulos ab ſcroto, & ipſos reponendo, & relinquendo intra inguina; & ſic curati remanent in ſuis actionibus non diſſimiles aliis hominibus, qui ſemper ſani ſteterunt, barbam emittunt, pilos generant in reliquis partibus, vocem habent integram, & ideò de iis noua nobis proponitur difficultas, An Spadones ſint dicendi, ſub aliquo ex quatuor generibus annumeratis? An impotentes ſint iudicandi ſub aliis enumeratis impotentiæ generibus.

Hos curandi modus proponitur dupliciter à D. Antonio de Veraſtigui per hæc verba: Curationis modus autem hic eſt, vt aiunt, ſciſſo vno, vel altero inguine, extrahuntur teſticuli hærentes cordæ extenſæ, quæ, vt ſupponunt ex Anatomicis, eſt vena & arteria ſimul, & illæſa tunica illa communi ambobus teſtibus, quin & toti corpori, quæ eſt ipſa pellis; exuuntur tunica cuique propria, quæ, vt ex ipſis Anatomicis ſupponunt, diuiditur, in duas, quâ abſciſſâ, & proiecta, teſtes denudati, & decoriati, & poſtmodum loti iterum intra viſcera reconduntur, poſitione tamen, & ſitu à noſtro diuerſo. Sebaſtianus Sanzcoronel, & plures alij Iuniores herniſtæ, quos nos conſuluimus, qui ex proprio munere exercent hanc curationem, dicunt, quòd illam faciunt ſine teſticulorum denudatione ab aliqua tunicarum, ſine vaſorum deſeruientium aliqua læſione, ſolùm ſcindendo partem proceſſus peritonei, quæ deorſum tendit ad teſticulum; & ſupra illum integrum teſtem deducendo ad inguen, intra quod recluſum relinquitur, parte inferiori tunicæ coarctata per ligaturam, poſt quod, vulnus inguini inflictum curatur communi modo, quo reliqua vulnera. Sic deduxerunt curationem ex Ioanne Laurentio doctiſſimo olim Pontificis Chirurgo *cap*. 176. *ſui operis*.

§. III.

Hiſtorica enarratio pro primo quæſito.

PRo primo quæſito, hæc ad noſtram notitiam peruenere. Ignatius Garcia nobis cognitus vir, ſi alius quiſpiam, robore virium prædictus, & plenè barbatus, ortus in oppido de Eſqueuillas, diſtante ab hac ciuitate per quatuor leucas, in pueritia fuit modo dicto curatus, teſtibus relictis intra inguina; adoleſcens puellam amauit, cuius causâ fuit in carcerem delatus ab Epiſcopo Palentino, cuius eſt Diœceſis; vt liberetur à carcere, promittit cum illa matrimonium contrahere: opponitur illi, quòd eſt incapax, quia eunuchus; negat, quia teſticulos intra ſe habet barbam, & viriles omnes actiones retinet, lite conteſtata, ex ſententia Ordinarij conceduntur illi nuptiæ, viuit nunc vxoratus, & viuunt duo filij poſt contractum matrimonium ex vxore ſuſcepti.

§. VI.

Hiſtorica Enarratio pro tertio quæſito.

PRæter virum nuper enarratum, qui ex vxore ſuſcepit duos filios, ad noſtram peruenit notitiam, quòd in oppido de Torrelobaton per quinque leucas diſtante ab hac vrbe, Ildephonſus de las Amadas in omnibus actionibus externis, in barba, & pilorum in aliis partibus procreatione, & robore virium ſanis reliquis ſimilis, in pueritia fuit curatus vno auulſo teſticulo; altero intra inguen relicto: tractu temporis contraxit matrimonium, & ex vxore filium ſuſcepit; & nunc vxor grauida iudicatur. Similiter in oppido de Triaſueque Ioannes, & Antonius de Atienza, fratres modo dicto curati, & vnicuique vno tantum relicto teſticulo intra inguen; ambo ſuſcepêre filios ex contracto matrimonio, vt per litteras teſtimoniales Sebaſtianus Coronel atteſtatur comprobaſſe, qui per eaſdem conteſtat, quod in oppido de Briguega Ildephonſus Ruiz, & alij ſic curati, contracto matrimonio filios ſuſceperunt ex vxoribus, aliæque plurimæ hiſtoriæ ſimiles nobis ſunt enarratæ.

§. V.

An ſic curati iudicandi ſint Impotentes maleficiati?

ASſerimus, quòd huiuſmodi homines modo dicto curati non ſunt dicendi impotentes maleficiati: ſtatuitur hæc aſſertio aduerſus hæſitationem quamdam, quam habet D. Antonius de Veraſtigui, An ſit horum hominum curatio Diabolica fraude inuenta.

Primum fundamentum eſt, quia hæc curatio tradita fuit ab Antiquis Medicinæ Proceribus, & in vſum reuocata à præclatiſſimis eiuſdem artis profeſſoribus: Ergo non eſt dæmoni tribuenda, nec eius ope introducta. Patet antecedens, nam ipſam tradidit Cornelius Celſus Latinorum Medicorum Princeps *lib. 7. cap. 19. &* 20 Paulus Ægineta *lib. 6. cap.* 66. & poſt hos omnes in vſum redegit illam Ioannes Laurentius præclatus olim Chirurgus Romanus *cap.* 176.

Secundum fundamentum ſit: Impotentes maleficiati fiunt ope dæmonum, à Maleficis, Veneficis, Sagis, aliiſque à dæmone imbutis artibus veneficis, vt impediatur hominum generatio, quæ dæmoni eſt odioſa; ſed hæc hominum curatio ab hominibus piis, & artis Chirurgicæ peritis fuit inuenta, vt reſtibus intra corpus relictis, ſic curati manerent apti ad filios generandos, prolemque ſuſcipiendam: Ergo ſic curati ex vi huius curationis non ſunt iudicandi impotentes ex maleficio facti. Maior patet ex Malleo Maleficarum *lib. 2. cap. 2.* Codronco *de veneficiis*, ex Strozio *lib. de omniſaria magia.*

Tertium fundamentum ſit, quia viri ope dæmonum ſex tantum modis redduntur impotentes ad generandum. Primò odium inducendo vito reſpectu fœminæ. Secundò impediendo eius approximationem ad illam. Tertiò penem flaccidam, & debilem reddendo. Quartò offerendo medicamenta naturalia, ſi eis applicentur, eorum auferendo virtutem. Quintò ſpiritus vitales cohibendo, ne tranſeant ad membra generationis. Sextò ſemen prolificum exſiccando, & ſubtrahendo: vt tenet Martinus del Rio *lib. 3. diſquiſition. Magicar. p. 1. q. 4. ſect.* 8. & tenet Pater Thomas Sanchez *diſput.* 114. *num.* 2. & ante ipſos Paludanus. 4. *diſtinct.* 31. *q.* 2. *art.* 3. *num.* 6. Sed nullo modo ex dictis intendit hæc curatio viros reddere impotentes. Ergo ex hac curatione non eſt dicendum, quòd ſic curati fiant ex illâ impotentes, & maleficiati. Patet: nunquam hæc curatio perficitur ope dæmonum à maleficiatis, nec tentatur aliquo modo ex dictis; ſed conſilitur cum doctioribus Medicis; exercetur ab Herniſtis in hunc rantum finem vt perficiatur curatio rupturæ peritonei; quæ cum non poſſit perfici, niſi teſticulis ex toto ablatis, & omnino impedita generatione defectu illorum, vel in inguina delatis, & intra corpus relictis, vt generatio ex toto non impediatur, eam tentant viam, quæ ſecurior illis in hunc finem videtur approbata: Ergo nullo modo ex dictis intendit hæc curatio viros reddere impotentes, vt Veraſtigui videtur inducere.

§. VI.

An ſic curati ſint iudicandi impotentes frigidi?

ASſerimus quòd homines ſic curati ex vi huius curationis non ſunt dicendi Impotentes frigidi, vel à naturà facti.

Probatur: Impotentes à naturà fa[illegible], qui à natiuitate, vel ratione indebitæ confo[illegible]nis vel ratione indebitæ temperiei, nati [illegible] impotentes ad generandum; ſed ſic curati, a natura benè conformati, & temperati immutantur ab arte, ab illa conformatione, quam receperunt à natura, in prima conformatione, (ſi illam forſan amiſerint omnino): Ergo ſic curati non ſunt dicendi impotentes frigidi, vel à natura facti.

Dices, quòd licet ſic curati non poſſint dici impotentes frigidi à natiuitate ſic facti, po[illegible]nt tamen reduci ad illos, & vocari impotentes frigidi facti ab arte, quatenus ratione curationis, & quia nudantur teſticuli à tunica erytroide, manent teſtes frigidiores, & ratione intemperiei contractæ, inepti ad generandum ſemen prolificum, ad quod coadiuuare poteſt, quod lauatur teſticulus, vt inguini immittatur, vt ſupponit Veraſtigui in primo curationis modo.

Sed contrà ſtat. 1. quòd, vt hæc perficiatur curatio, non eſt neceſſarium, quòd teſticulus denudetur à tunica erytroïde, quia perficitur curatio iuxta ſecundum modum curationis, qui eſt ſolus quem Herniſtæ exercent, & quem Antiquiores docuerunt, quibus ſtandum, quia, vt protulit ſummus Dictator, credendum eſt Peritis in arte: iuxta quem modum, nec tunica aufertur, nec teſticulus lauatur, nec alteratur alio modo: Ergo ratione curationis nõ inducitur intemperies in teſticulo.

Confirmatur. Denudatio tunicæ erytroïdis non eſt ex vſu pro hac curatione: Ergo falsò ſupponitur. Probatur: Tota ratio curationis tendit ad auferendam rupturam peritonei, per quam omentum, aut inteſtinum deſcendunt ad ſcrotum: Sed hæc ruptura conſtringitur, ablatis à ſua cauitate vaſis ſeminalibus, ſiue teſtibus ex toto abſciſſis, ſiue parte peruia peritonei abſciſſa, vt teſticulis, & vaſis ſupra delatis, valeat peritoneum ligamento conſtringi: Ergo denudatio tunicæ erytroïdis fruſtra tentaretur, & ſine vtilitate pro hoc fine, & pro curatione perficienda.

Dices quòd ex Cornelio Celſo & Ægineta colligitur, quod tunica erytroïdes debet nudari, aut abſcindi.

Reſpondetur, quòd illi non intendunt, quòd nudetur tunica, quia hoc opus, vt probauimus, non eſt neceſſarium; ſed cùm hæc tunica ſit propago peritonei, & teſticuli ſurſum ferri nequeant, neque eorum vaſa, niſi pars peritonei ſcindatur, de hac ſciſſione, ſeu denudatione loquuntur, quæ neceſſaria eſt propter rationem dictam; non verò de abſciſſione erytroidis, quæ teſticulum continet.

Probatur 2. aſſertio, adhuc præſuppoſito, quòd teſticulus nudetur, à tunica Erytroide, non ſequitur, quòd non habeat debitam temperiem, & calorem pro ſemine prolifico generando: Ergo ſic curati adhuc iuxta primum modum curationis, non ſunt dicendi impotentes frigidi. Probatur antecedens: Tum quia, vt obſeruauit Hollerius contingit, licet rarò, quòd erytroïs abſciſſa iterum reproducatur: Tum quia licet teſtes nudentur ab hac tunica, cum ratione curationis ab ſcroto deferantur ad inguina, eorum calor magis fouetur à carne, & reliquis partibus cooperientibus illos quàm poſſet foueri, à ſola erytroïde, ſi manerent in ſcroto: Ergo adhuc nudata erytroide, habent teſticuli debitam temperiem vt producant prolificum ſemen.

Probatur 3. Tunica Erytrois non eſt ſimpliciter neceſſaria ad teſticuli conformationem, ſed in viri teſtibus reperta, non autem in teſtibus mulierum,

quia

quia, vt docuit Galenus, teſtes mulierum cum remaneant intra peritoneum ſine eritroïde, habent ſufficientem calorem pro ſemine prolifico generando: viri verò teſtes, qui extra peritoneum ſunt, indigent illa, vt foueatur eorum calor: Ergo cum per iſtam curationem reponantur intra inguina, vbi calor eorum poteſt foueri, etiam ſi nudarentur ab illa tunica, poſſent prolificum generare ſemen, nec illâ ablatâ, defectu debitæ temperiei deberent frigidi, & impotentes reddi.

§. VII.

Pro ſecundo Quæſito ſatisfacimus.

ASſerimus tandem; Quòd viri modo dicto curati, ex vi curationis non ſunt dicendi ſpadones, ſeu eunuchi, nec inepti ad generandum.

Probatur 1. euidenter. Qui ab arte fiunt ſpadones, & inepti ad generandum, nequeunt ex ſuis vxoribus filios ſuſcipere: Sed viri ſic curati, vt ex præſuppoſitis enarrationibus, litteris teſtimonialibus, & viris nobis cognitis conſtat, ſuſcepêre filios ex ſuis vxoribus: Ergo nec ſpadones, ſeu eunuchi, nec impotentes ab arte facti ſunt dicendi. Conſequentia ab actu ad potentiam euidenter concluditur.

Contrariè opinantes pio, vt apparet affectu, cum pro comperto habeant vxoratos hos homines filios ſuſcipere ex vxoribus, nec ab hac ſe poſſe demonſtratione aliter liberare; Reſpondent, quod filij ab iis ſuſcepti omnes ſunt ſpurij.

Sed cum hæc ſolutio ſit tot filiorum, qui legitimi habentur, & nati ſunt durante matrimonio ab Eccleſia permiſſo, tot mulierum, quæ matronæ honeſtæ iudicantur, tot maritorum, qui ſub debito honore in propriis oppidis viuunt, infamatoria non tam iudicatur impugnanda, Eminentiſſimi Domini, quàm veſtro iudicio committenda.

Probatur 2. manifeſtè à poſteriori: Signa propria, & pathognomica Eunuchorum, & eorum, qui ab arte ſpadones, & impotentes ſunt facti graphicè, ac perdoctè proponuntur à Zacuto *tom. 1. lib. 3. hiſtoria 26.* ſic: *Quid commemorem indicibilem mutationem ex caſtratura; nam ſiue auferantur teſtes, ſiue rumpantur, ſiue interqueantur, pili non ampliùs naſcuntur, ſiue in mento, aliáue corporis parte; carnes emoleſcunt, labuntur vires, animoſitas ceſſat, & timidi redduntur; vox acuta fit, caro ſuauis, pingueſcunt, frigidi ſunt, & humida corpora demum tota in fœmineam naturam tranſmutantur*: Sed in omnibus modo dicto curatis, nullum ex iis pathognomonicis ſignis eunuchorum reperitur; immò ex oppoſito pili in barba, & in aliis partibus, ac ſi non eſſent ſic curati, producuntur; permanet animoſitas, tandémque in eis reperiuntur omnia ea, quæ in reliquis ſanis hominibus; ita vt per hæc ſigna propoſita, nec cognoſci, an fuerint ſic curati, poſſit, nec diſcerni ab aliis non curatis: Ergo ex vi huius curationis, nec ſunt dicendi eunuchi, ſeu ſpadones; nec ſunt iudicandi impotentes facti ab arte ad generandum.

Probatur 3. Homines Eunuchi facti ab arte, & impotentes ad generandum redditi, quadrupliciter per caſtraturam tales fiunt, vt ſuprà diximus; vel per penis, ſcroti, & teſtium omnimodam abſciſſionem, qualiter vſitatum apud Turcas refert Proſperus Alpinus; vel ſolis teſtibus abſciſſis, & auulſis, qualiter communiter herniſtæ ſolent pueros caſtrare pro curanda ruptura peritonei; vel per teſticulorum attritionem in pueris; qualis fit apud impias, ac barbaras aliquas nationes, vel per vaſorum contorſionem, qualiter & in tauris, & in equis communiter fit caſtratura: ſed homines, de quibus dubitatur, in nullo genere ex dictis poſſunt annumerari: Ergo ex vi curationis nec ſpadones, nec impotentes ad generandum ſunt iudicandi.

Probatur minor de caſtratis, pene, teſtibus, & ſcroto abſciſſis; quia ex vtroque curationis modo, quo eos curari poſſe diximus, manent cum teſtibus, ſcroto, & pene, ſitu teſtium tantùm immutato, & permanent apti ad coëundum, quod non datur ſic caſtratis: Ergo non permanent eunuchi iuxta primum caſtrationis modum.

Probatur 2. minor: Quòd homines ſic curati non fiant ſpadones per teſticulorũ abſciſſionem, & auulſionem, quia curationis modus, qui ſupponitur, fit reducendo ad inguina teſticulos, & intra immiſſos reſeruando reconditos: Ergo ſic curati non ſunt ſpadones iuxta ſecundum modum caſtrandi Eunuchos.

Probatur 3. minor; quòd non ſint ſpadones facti per tertium modum caſtrandi, ſcilicet per attritionem teſticulorum, vt aliqui oſcitanter inferunt, quia ſpadones per attritionem teſticulorum, vt docet Fragoſus *in ſua chirurgia*, & Chriſtophorus à Vega *6. aphoriſm. 16.* fiunt lauádo teſticulos cum aqua tepida, & poſteà inter digitos minutiſſimè eos conterendo, donec tota ſubſtantia diluatur; ſed homines, de quibus loquimur, curantur ſine attritione teſticulorum, ſine eorum compreſſione, ſolùm mutando illos ab ſcroto ad inguina, & intra illa ipſos recondendo: Ergo ex hac curatione ſic curati non fiunt ſpadones.

Probatur 4. minor: quòd ſcilicet nec per contorſionem ſic curati fiant ſpadones, quia Eunuchi per contorſionem fiunt contorquendo eorum cordas, ſeu vaſa ſpermatica, & deferentia, taliter quòd in poſterum per illa nequeat materia deduci ad teſticulos pro eorum alimonia, & ſeminis generatione; & ideò neque poſteà teſticuli nutriuntur, ſed exſiccati permanent, & inmiouti: ſed, vt apparet, curati modo à nobis propoſito, ſine contorſione curantur, nec ipſa intenditur, ſed teſticulorum conſeruatio in loco apto, vt poſſint generare: Ergo nec ſunt dicendi ſpadones ſic curati.

Dices pro illis, qui ſub hoc genere ſpadonum contendunt eos comprehendere, quòd licet non contorqueantur vaſa ex intento artificis, cùm teſticuli deberent eſſe in ſcroto, & vaſa extenſa eſſe, & ea comprimantur, teſtibus in inguina delatis, ea corrugantur, cuius causâ impeditur vaſorum vſus in deferendo materiam ad teſtes, ex quâ fit ſemen; & eadem de cauſa, etiamſi generaretur, non poſſet expelli.

Sed contrà: Motus teſtium verſus inguina non ſolùm vſui eorũ nõ opponitur, ſed potiùs ad ſeminis expulſionem eſt neceſſarius: Ergo ex hoc, quòd retrahantur vaſa, ſic curati non redduntur Eunuchi, nec impotentes ad generandum. Probatur antecedens ex Ambroſio Paræo *lib. 2.* vbi agendo de teſtium Anatome docet, quòd teſtes nequeunt ſemen emittere, quin ſurſum verſus inguina retrahantur.

Confirmatur 1. ſicut in rerum natura aliæ res naſcuntur vni loco affixæ, vt arbores, & plantæ, aliæ indifferentes, vt in diuerſis locis ſua munia exerceant, vt animalia; ſimiliter intra corpus aliæ partes ſunt vni loco affixæ, vt aures, & oculi vltra quem nequeunt ſuas exercere operationes: aliæ ſunt aptæ, vt in quadam loci latitudine

ſua munia valeant exercere, vt brachia, & manus, crura, & pedes, veſica, & ventriculus; ſed teſtes ſeu eorum vaſa, & ſcrotum inter hæc reponuntur membra; datur enim illis naturaliter deorſum cum caliditate extendi, & ſurſum ferri à frigore, & ad ſeminis eiaculationem: Ergo ſiue ſint intra ſcrotum teſtes, & eorum vaſa, ſiue ad inguina ferantur, ſiue vaſa comprimantur, ſiue extendantur, ſemper manent intra locum illis à natura deſtinatum.

Confirmatur 2. ex eo quòd licet venæ, arteriæ, & nerui, qui ſunt in brachiis, & cruribus, contrahantur aut extendantur, intra latitudinem loci deſtinati pro contractione, & dilatatione harum partium, non impeditur, quominus per venas ſanguis, per arterias ſpiritus, per neruos illuſtratio communicetur reliquis partibus inferioribus: Ergo ex eo, quod venæ, & arteriæ, ex quibus fiunt vaſa ſpermatica, contrahantur, aut extendantur verſus ſcrotum, aut verſus inguina, quæ ſunt loca deſtinata pro teſtium motu, non impeditur eorum vſus, nec ſanguinis, & ſpirituum communicatio.

Confirmatur 3. Plerumque teſtes naſcuntur à prima conformatione intra inguina, donec tractu temporis, & ſæpe poſt multos annos à natura propellantur ad ſcrotum: Ergo tam ſcrotum, quàm inguina ſunt naturalis locus intra quem teſtes ab ipſa procreantur, & naturaliter locantur, & eorum vaſa ſunt naturaliter conſtituta, & ideò Hucherius *lib. de ſterilitate cap. de teſticulorum occultatione*, eorum intra inguina occultationem iudicat non impedire generationem.

Probatur 4. aſſertio principalis, per hoc, quòd teſticuli ponantur intra inguina, vel peritoneum, & vaſa ſpermatica contrahantur, non impeditur ſanguinis, & ſpirituum motus per eorum cauitatem ad carnem teſtium: Ergo ex hac loci poſitione & vaſorum contractione non redduntur homines ſic curati ſpadones, nec inepti ad generandum ratione contorſionis. Probatur antecedens: ex hac poſitione teſtium, & vaſorum, non impeditur communicatio virilitatis, quæ à teſtibus ad omnes corporis partes fit per vaſa deferentia, vt docet Galenus *libro de ſemine. §. Ita quoque à teſtibus per totum corpus vim quamdam diſpergi dicimus, quæ in maribus robuſti ac maſculi habitus eſt cauſa*: conſtat enim ſic curatos barbam emittere, & reliqua habere virilitatis ſigna: Ergo cum fiat per eaſdem vias neque impeditur ſanguinis ad teſtes tranſitus.

Porrò hic teſtium ſitus per ſe quidem fœcunditati non obſtat; cùm teſtibus præter ſitum nihil deficiat ad perfectam ſeminis elaborationem; non vaſa præparantia, & eiaculantia, nec debita temperies, & valida facultas, cùm teſtes ſint intra inguina recluſi, vbi potentior eſt calor, quàm in ſcroto; nec defectu virtutis ibi retinentur; ſe ab arte recluſi; Ergo maneat potentes ad prolificum ſemen generandum.

Dices, quòd benè verum eſt, quòd fit per eadem vaſa ſpermatica communicatio virilitatis à teſtibus ad partes ſuperiores corporis, & communicatio ſanguinis, & ſpirituum à partibus ad teſtes (nullæ enim ſunt viæ aliæ ad hanc communicationem) ſed quod ex contractione non impeditur virilitatis communicatio, quia hæc eſt qualitas, quæ per adſtrictiora loca poteſt communicari per continui alterationem, quàm humores, qui craſſiores cum ſint, impeditur eorum tranſitus.

A Sed contra: Communicatur in ſic curatis virilitas continuo: Ergo continuò communicatur ſanguis, ex quo generetur ſemen. Probatur conſequentia, eo ipſo, quod communicatur virilitas, viuunt teſtes, ab ipſis enim iam non viuentibus non poſſet virilitas produci, quæ eſt viuentis proprietas: ſed eo ipſo quòd viuunt teſtes, nutriuntur, & generant ſemen, quod eſt materia pro eorum nutritione: Sed pro nutritione, & ſeminis generatione, communicatur illis materia per vaſa ſpermatica, quæ eſt ſanguis: Ergo toto tempore, quo per illa valent emittere virilitatem, conſtat euidenter, quod valent per eadem vaſa recipere materiam aptam pro ſeminis generatione.

B Confirmatur: In ſic curatis, vt apparet, teſtes intra inguina conſeruantur ſine imminutione, & exſiccatione, cuius contrarium manifeſte apparet in contortis, defectu nutritionis: Ergo in ſic curatis teſtes viuunt: Ergo nutriuntur: Ergo vaſa materiam ſubſeruiunt pro ſeminis generatione: Ergo compreſſio non impedit prædictæ materiæ tranſitum: Ergo ex vi huius curationis homines prædicti non ſunt iudicandi eunuchi, & impotentes.

§. VIII.

C *Nec ſic curati, ex vi curationis, contrahunt morboſam impotentiam.*

Aſſerimus vltimò, quòd in teſtibus eorum, qui modo dicto curantur, ex vi curationis non ſuperuenit morbus impediens prolifici ſeminis generationem. Sic ſtatuimus aduerſus aliquos, qui ob ſolutionem continuitatis in tunica externa, iudicarunt ineptos permanere ſic curatos ad generandum prolificum ſemen.

Probatur 1. Tum quia, vt ſupponitur ex herniſtis, quibus eſt ſtandum tanquam peritis in arte, & tanquam exercentibus hanc curationem, per illam leuis fit tunicæ ſciſſio, & quæ facilè à natura curatur ſine eo quod dartos, & caro teſticuli patiantur: D Tum quia dato, quòd tota tunica nudaretur, non impeditur ſeminis prolifici generatio, provt neque in teſtibus mulierum carentibus illa, vt deduximus ex Galeno: Tum quia vini lotione facta, vulnus abſtergitur, & curatur à natura, provt contingit in reliquis vulneribus leuibus externis: Tum quia ſeminis generatio perficitur à carne teſtium, provt eſt pars ſimilaris, media facultate, & temperie illorum, quæ non patitur ex vi curationis: Ergo ex vi illius non impeditur prolifici ſeminis generatio.

Probatur 2. Cerebrum, cor, iecur, & ventriculus, quæ ſunt partes principes, & officiales, & E præcipuè deſtinatæ pro coctione, licet partes continentes earum lædantur, vel propria ſubſtantia; imo etſi pars eius abſcindatur, non fiunt impotentes, vt poſteà perfectum ſuæ concoctionis perficiant terminum: Ergo nec teſticuli, læſa externa tunica, & curata redduntur impotentes, ad prolificum ſemen producendum. Probatur antecedens exemplis variis. Fabricius Hildandus *centur. ſecunda obſeruatione*, refert Heluetium, vulnerato iecore, & parte iecoris abſciſſa, ad ſanitatem perductum, in quo debita poſteà ſanguificatio fuit facta: & Galenus vidit iecur curatum fibris extra is: & Auicenna *fen. quarto, cap. ſecundo* idem fatetur, quibus ſanis

factis

factis, perfecta ſanguificatio conſeruata eſt in iecore. De cerebro Zacutus *lib.* 1. *hiſtor. mir. ...*, refert vidiſſe hominem qui cum parte cultelli in cerebro relicta, per octo annos ſanus vixit, perfectas cerebri eliciendo actiones, & Galenus *lib.* 8. *de Placitis*, & *lib.* 6. *aphoriſm. c.* 8. & Nicolaus Maſſa *lib.* 2. *epiſt.* 11: & Bertapalia *cap.* 5. *de fracturâ crany*, & Nicolus *ſermone* 7. *tract.* 4. *ſumma* 2. *cap.* 91. & Carpus *tract. de fracturis crany*. Vega *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5. plures ſimilea hiſtorias referunt eorum qui vulnerati in cerebro, vel partibus continentibus illius, ſani facti perfectam ſpirituum animalium coctionem, & reliquas proprias actiones ſanas in poſterum habuerunt. De corde ſimiliter vulnerato, vel à propria tunica denudato coctionem poſteà ſpirituum vitalium perfeciſſe, reliquaſque proprias actiones, deducitur ex Galeno *lib.* 1. *de Placitis*, & *lib.* 2. *de anatomicis adminiſtrationibus cap.* 12. & 131 *in hiſtoria Mirilij Miecographi, lib. de Placitis.* Thomas à Veiga *comm. in lib. de locis.* refert vidiſſe ceruum ex venatione captam infixam gerentem ſagittam cordi, quæ pro ſuis actionibus benè ſe habebat: & Realdus Columbus *de iis quæ rarò in anatome contingunt*: vidit quendam qui ſine pericardio vixerat, quod eſt tunica cooperiens cor, cuius defectus non abſtulit cordi vim concoctricem ſpirituum. Pro ventriculo Nicolus *ſermone* 21 *ſumma* 2. *tract.* 4. *cap.* 9. vidit quemdam in cuius ventriculo fixus fuit cultellus vſque ad dorſum, qui ſanus factus perfectè chylum per totam vitam generare valuit, & Matthias à Cornace ruſticum vidit, in ventriculo ictum venabulo, qui vulnere glutinato, ſanus vixit, in poſterum, perfectum generando chylum.

Probatur 3. Morbus parti ſuperueniens non neceſſariò abſolutam actionem cauſat: Ergo licet ex præſuppoſita curatione ſuperueniret morbus teſticulis, non neceſſariò fierent ſic curati impotentes ad prolificum ſemen generandum. Probatur antecedens: Tum quia læſio à morbo poteſt eſſe ex Galeno *lib. de different. ſympt.* deprauata, abolita, vel diminuta, neque ex hac ſequitur impotentia ſicut neque ex actione læſa auditus vel viſionis, ſequitur neceſſariò ſurditas abſoluta, vel cæcitas: Tum quia licet detur morbus in parte lædens aliquas eius actiones, poſſunt aliæ perfectæ elici in illa, ſicut contingit in cerebro, læſis actionibus rectricibus, contingit coctionem, attractionem, & retentionem perfectè fieri: contingit & in parte eadem alias lædi actiones ex vegetatiuis, illæſis aliis: Tum quia ex læſione partium continentium, non impeditur perfecta coctio partium contentarum: vulnerata enim cute, panniculo carnoſo, aut alia continente parte, caro ſub iis contenta perfectam elicit coctionem; nutritionem, & augmentum: Ergo licet maneret morbus in externa continente tunica, poſſet caro teſtis prolificum coctione perficere ſemen.

Confirmatur. Etiamſi oculus ſit organum perfectiſſimum, & illius partes continentes tunica cornea, aut adnata, quæ pro viſione vſum præſtant, patiantur vulnus, non ideò homo fit cæcus: Ergo licet tunica teſtis externa vulneretur, non ideò homo fit impotens neceſſariò.

Confirmatur 2. licet in partibus organicis, quæ deſeruiunt pro actionibus gradus ſenſitiui, poſſet impediri actio; vna aut altera particula ex componentibus patiente morbum; non inde ſequitur, quòd patiente morbum vna aut altera particula ex deſeruientibus ad coctionem, lædatur coctio in parte, & auferatur: ſed facultas generans ſemen

A quæ reperitur in carne teſtium, eſt facultas concoquẽs gradus vegetatiui: Ergo adhuc ſi ſuperueniat morbus in parte continente illius, perfectum poſſet produci ſemen media eius coctione. Probatur maior, quia cum actiones gradus vegetatiui ſint vnicuique parti corporis neceſſariæ, omnes facultates gradus vegetatiui in vnaquaque particula corporis inhærent, & in vnaquaque corporis parte operantur pro ſui conſeruatione, ſecundum vltimum potentiæ, ſeipſis, ſine concurſu reliquarum partium vicinarum: partes verò componentes organum, pro actionibus ſenſitiuis concurrunt omnes ad actionem debitam tali organo, vna principaliter, reliquæ præſtantes vſum; & ideo principalis ſine reliquis nequit ſuam perfectè elicere actionem: Ergo

B licet ipſa particula ex continentibus partis organicæ, læſa ſit, nõ ideò ſequitur, quòd læſa aliqua parte continente teſtium, non fiat ſeminis prolifici generatio, quæ in ipſo teſticulo perficitur, mediâ facultate concoctrice inhærente in carne teſticuli, illi propria, & quæ ab ipsâ ſolâ perficitur, reliquis vſum præſtantibus; non pro coctione perficienda, ſed pro ſubminiſtranda materia, & ſemine deducendo; & aliis commoditatibus ad melius eſſe pertinentibus.

Pater Diana his viſis fundamentis in *tom.* 12. hos homines iudicat poſſe contrahere matrimonium.

C

Consvltatio II. Archiatrorvm,

Qui iudicaturit fontanellam pro Principe Hiſpaniarum non ſolùm proponi vtilem, pro præcauendis morbis, quibus eſt obnoxius, & quibus ſæpe infeſtatur, ſed neceſſarium pro eius vitæ conſeruatione.

CONTINET

D

§. I.

Hiſtorica enarratio ætatis, temperiei, & morborum, quibus Princeps eſt obnoxius; & quibus infeſtatur.

§. II.

Scribendi occaſio, & neceſſitas: fundamentum totius diſcurſus, & aſſenſus, ac diſſenſus Archiatrorum proponitur.

E

§. III.

Ex coinquinamento in vtero contracto indicata eſt fontanella pro præcauendo Principe ab epilepſia, quæ ex illo poteſt illi ſupervenire.

§. IV.

Hemicranea, & epilepſia, quæ morbi ſunt Principis hæreditary ex matre, indicant neceſſariam eſſe fontanellam in illo ad ſui præcautionem.

§. V.

Quantumuis Epilepſia non eſſet Principi hæreditaria, ſed ex ventriculi cruditatibus timeretur; indigeret fontanella, præcautionis gratiâ.

§. VI.

Fontanellam tanquam præcautorium remedium ad præcauendos morbos, quos Princeps ſæpiſsimè patitur ex propriis intemperiebus, neceſſariam eſſe conſtanter aſſerimus.

§. VII.

Locus fontanellæ ob vrgentiorem indicationem reuellendi à iecore, quæ præualet reliquis, debet eſſe in dextro Principis crure, in parte interiori, per quatuor digitos infra genu.

§. VIII.

Fontanella in Principe neceſſaria, non obſtant contraria Opinantium rationes.

§. IX.

Totius diſcurſus concluſio, & fundamenta ex dictis deducuntur.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Hiſtorica enarratio ætatis, temperiei, & morborum, quibus Princeps eſt obnoxius, & quibus infeſtatur.

PHILIPPVS Proſperus Carolus Hiſpaniarum Princeps, conſtitutus in quadrageſimo menſe, & dimidio ſuæ ætatis, temperie gaudet calida, & humida; fruitur albo calore in maxillis rubro inſperſo, partibus conſtituitur benè conformatis. Mater eius ſtatim ab illius ortu correpta eſt lethali ferè epilepſiâ, quod in partu vnoquoque illi accidit. Materni aui, duóque fratres ex eadem matre orti Epilepſiâ ſunt infeſtati, & extincti.

Princeps in lactante ætate lactis varietate fuit nutritus; vndecim expertus nutrices, quo tempore, & ſubſequente, quo ſolidiori vtitur cibo; vnoquoque anno ter, quatérve incidit in febres cum vomitibus, nauſeis, ventriculi cruditatibus, cibíque faſtidio, capitíſque grauitate. Harum duratio in tres, quatuórve porrigitur dies. In tempore lactationis ſuperueniebat ſimul catharroſa in pectus deſtillatio non ſine metu ſuffocationis. Vltra hæc, has concomitantur febres, plurima exanthemata, cutis rubores, variæque in illam excretiones; aliàs rubor cutis per plurimas partes; aliàs rubri tumores per corpus diſperſi; aliàs tumores ſimiles albicantes variolas æmulati; aliàs lati, & rubri tumores ſtatim in pus abeuntes, & immanantes cruſtas, quæ omnia per corpus diſperguntur, verſus caput tamen, & in illo luxuriant maximè. Eædémque excretiones præcipuè rubræ in omni anni tempore ſine febre etiam continuò efflorеſcunt, ſæpe permanentes, ſæpe cito euaneſcentes; harum febrium terminationes variæ. Primæ ſuperuenientes febres, quæ ipſum poſt ortum aggreſſæ ſunt, ſudore finiebantur, altera impoſterum tumore retro aurem ſiniſtram fuit terminata, qui poſt plures dies ſuppuratus, & vſtus per tres ferè menſes expurgans, ſalutem Principis non párum iuuauit. Altera ſubſequens febris ſimili terminata tumore in eadem parte, qui reſolutione finitus: aliam poſteà febrem terminauit icor, bilioſúmve pus per plures dies per aurem excretus. Vltima harum febrium caruit manifeſto ſenſibili abſceſſu; caruit exanthematibus ſemper reliquas concomitantibus, Princeps per octo dies permanſit à febre immunis, non à neutra diſpoſitione. Poſt illos apparuere rubri tumores in ſupernis partibus, & in facie, & repentè euaneſcentes, ſtatim vomitus ſine febre, nauſea, & cibi faſtidium ſimilia præcedentibus ſubſequuta.

Præter nuper relata ſymptomata, grauiora duo animaduerſa. Alterum elapſo anno, quo tempore tumor ſuperuenit ſine febre in parte anteriori colli ſub mandibula, cui ſuperuenit alter in inguine, ex cuius augmento imminutus fuit primus; vtroque deliteſcente repentè, ſuperuenit bilioſa ventris deiectio, in quauis pulſus fiebant languidi, vires animales deiectæ, ſudores frigidi, iterum recurrentibus tumoribus, accidentia ſunt remiſſa, permanſit bilioſa deiectio per aliquos dies, quæ tumores terminauit. Alterum ſymptoma ſuperuenit in vltimo hoc recidiuante morbo, quo tempore ſtupore ſuperueniente, cutis excretiones euanuerunt, commotus fuit ventriculus, Princeps vomuit cœnæ alimentum, bis vomitu reiecit cruditates, in ſomnum delapſus, cum mutaretur color, & partes perfrigerarentur, tentatur expergefactio, non conſequuta fuit vociferatione, nec Principis in brachiis eleuatione; frictionibus, & dolorificis remediis fuit aſſequuta, & duobus clyſteribus, totidémque iniectis enematibus, priſtinus ſtatus reſtitutus.

Harum febrium curatio ſemper ab arte conſequuta fuit inſtituto modo in alimento, cum frictionibus, & neceſſariis inunctionibus, ſed potiſſimum purgantium clyſterium vſu, quibus ſemper magna expurgatur cruditatum copia, ſimul & bilioſorum humorum: quæ & ſanitatis tempore contingit commiſceri.

§. II.

Scribendi occaſio, & neceſſitas, fundamentum totius diſcurſus, & aſſenſus, ac diſſenſus Archiatrorum proponitur.

CVm morboſis prædictis affectionibus ſæpiſſimè infeſtetur Princeps, continuoque labi in peius timeatur, nec ſecurus permaneat ab hæreditariis aliis affectionibus, plures non ſolum pro eius curatione, ſed pro præcautione illarum habitæ ſunt conſultationes, in quibus ter placuit minori parti fontanellam ex vſu maximè futuram; diſplicuit reliquis, & tandem vltimo iterum proponitur quid agendum pro præcautione, æquali numero, & conuenire, & non conuenire fontanellam proponitur à nobis; problematica hæc ſolutio in ardua, difficili, ac neceſſaria reſolutione mouet, vt Regis decreto cogamur noſtri aſſenſus aperire fundamenta, quod vtriſque opinantibus fuit commune.

Pro ipſis ſanciendis deducimus ex Hippocrate, *lib. de articulis, lib. de morbo ſacro, lib. de aëre, & aquis*, quod morbi, qui habituali, aut reuerſiua nos affligunt

affligunt ſucceſſione, quique remedia indicant, quibus continua euacuatione præcaueantur reuerſiui inſultus, præcipuè in infantibus, & pueris, ex triplici poſſunt ſuboriri origine, vel à coinquinamento in vtero contracto, & non repurgato, vel ab hæreditaria contracta infectione, ob quam tractu temporis prædicti ſuperueniunt inſultus, vel ab intemperie contracta in officinis, partibuſve principalibus, ex qua paulatim ſucci aggregantur, à quibus varij morbi ſucceſſiuæ-ve illorum fiunt reuerſiones. Ex his fontibus exhauriemus, qui morbi ex illis poſſunt timeri in Principe, & quales ad ſui præcautionem indicent fontanellam.

Concors fuit inter conſulendum omnium aſſenſus in eo, quod Principis ventriculus diminutam habet coquendi vim, ſiue ex natiua temperie, ſiue ex vitio aliunde illi communicato, ratione cuius copiam generat cruditatum, à quibus, & febres proueniunt magna ex parte, pluri maque accidentia, quæ illas concomitantur, & quod immorandum maxime, perſiſtendumque in ventriculo roborando, & in ipſo expurgando per interualla à recrementis, quæ aggregantur in illo. Sed diſcordes fuimus in eo, quod reliqui in hac ſola indicatione ſiſtunt: nos vero non eſſe fidendum huic ſoli iudicamus, ſed vitam Principis rimemus, eiuſque ſalutem inſidiari ab aliis quamplurimis cauſis periculum minantibus, à quibus indicari fontanellam contendimus tanquam remedium illarum omnium præcautorium, quod conabimur fundamentis confirmare, quibus cogimur ad hanc opinionem, ſimolque refrangemus fundamenta eorum, qui communiſſimum hoc, proficuum, ac expertiſſimum remedium reprobare contendunt.

§ III.

Ex coinquinamento in vtero contracto indicata eſt fontanella pro præcauendo Principe ab epilepſia, quæ ex illo poteſt illi ſuperuenire.

FVndamentum huius doctrinæ deducitur ex Hippocrate, *qui libro de morbo ſacro textu* 30. hæc protulit: *Et quibuſcumque quidem pueris exiſtentibus erumpunt vlcera in caput, & in aures, & in reliquum corpus, & qui ſalinoſi ſunt, ac mucoſi, ij ipſi progreſſu ætatis faciliime degunt, hic enim abijt, ac expurgatur pituita, quam in vtero expurgari oportebat, & qui ſic purgati fuerint, comitiali morbo, ſiue ſacro ferè non apprehenduntur, qui vero mundi ſunt, & neque vlcus vllum, nec mucus, neque ſaliua prodit, neque in vtero purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, vt ab hoc morbo corripiantur.*

Sed Princeps mundus ab his ſemper ſtetit, itavt nec mucos, nec ſaliuam, nec vlcus, quo expurgari potuerit ab hoc coinquinamento, habuit, nec potuit in vtero repurgari ab illo; ergo imminet ex Hippocrate periculum, vt ab hoc morbo corripiatur: ergo imminente hoc periculo, indicata eſt pro ipſo præcauendo fontanella, quæ illius remedium præcautorium eſt, in hoc caſu, vt Doctor Santa-Cruz vnicus huius libri commentator tenet in commentariis ad hunc textum. Patet prima pars antecedentis ex omnium aſſiſtentium aſſenſu, quibus hoc eſt manifeſtum. Secunda pars, quod non fuerit in vtero repurgatus, ex hiſtorica enarratione patet, ex qua conſtat quod ſtatim à partu mater aggreſſa eſt lethali fere epilepſia ex commotione eiuſdem ſanguinis in puerperio, cum quo in vtero Princeps erat commixtus, & ex quo erat nutritus; ergo nequiuit mundari ab illo coinquinamento in vtero.

Dices, quod Princeps per continuas excretiones ad cutem, quas patitur, vt conſtat ex hiſtorica enarratione, potuit repurgari à coinquinamento contracto in vtero, ſine eo quod immineat periculum epilepſiæ.

Contra ſtat experientia, quæ docet, quod excretiones, per quas pueri liberantur, & repurgantur, ſunt diu permanentes, per vlcera, vel cruſtras, vel mucoſitates copioſas, craſſiſſima excrementa purgantia, quæ in Principe non contigerunt, Tum, quòd vt infra probauimus, excretiones ad cutem in Principe non ſunt iudicatæ ex coinquinamento ortæ, ſed ex propria iecuris intemperie congenitæ, & ex tenui, ac biliosa materia: coinquinamentum in vtero ex craſſa, ac pituitoſa materia coaceruatur, vt patet ex contextu Hippocratis.

Dices ſecundò, quod in primis menſibus hæc epilepſia poſſet timeri, non vero in adulta iam infantia, in qua potentior virtus in Principe valet illud coinquinamentum deuincere, humoreſque in quibus permanet reſoluere.

Sed contrà ſtat, quod Hippocrates non ſolum in primis menſibus, ſi non repurgentur, timet epilepſiam, ſed ipſis iam pueris exiſtentibus, vt patet ex contextu.

§. IV.

Hemicranea, & epilepſia, quæ morbi ſunt Principi hæreditarij ex matre, indicant neceſſariam eſſe fontanellam in illo ad ſui præcautionem.

SEcunda ſors morborum, qui debent timeri, & præcaueri in Principe, ſunt hemicranea, & epilepſia, quas conſtat ex matre Principi hæreditarias eſſe in hiſtorica enarratione.

De hemicranea, quæ fit ex continua ſuccorum generatione, & confluxu in caput, præcaueri debere continua ſuccorum, ac paulatina euacuatione, qualis fit per fontanellam, conſtat ex Galeno 6. *aphor.* 46. vbi morbos monet præcauere habituales, inter quos ponit epilepſiam, & *lib.* 2. *de compoſit. medicam. ſec. Loc.* eligit in hunc finem rapſiæ emplaſtrum: dyacryſu, & columbinum, quæ cauſtica ſunt, neceſſitatem præcautionis hemicraneæ cum cauterio, ſeu fontanella demonſtrans, ne ſuperueniens, vel miſere torqueat ægrum, vel in apoplexiam deducat, vt obſeruarit Horſt *lib.* 2. *obſeruat.* Coſtæus *lib. de i... præſidiis*, Ioannes Zechius, Mercatus, fontanellam pro præcautione huius morbi neceſſariam eſſe confirmant, & alij iuniores, & ante ipſum Aëtius *lib.* 4. *cap.* 5. Oribaſius *to. medic. collect.* Aretæus 1. *de morbis diuturnis cap.* 2. Cornelius Celſus *lib.* 11. *cap.* 1. Albucaſis *lib.* 1. *cap.* 5. huius remedij vtilitatem pro hoc præcauendo morbo proponunt.

Dices, quod hemicranea in Principe nondum ſuperuenit, & ideo nec ipſum aggreſſura videtur.

Sed contrà ſtat, quod hæreditarij morbi præcauentur; quia licet non ſtatim reluceant, poſſunt tamen tractu temporis ſuperuenire, & in hunc finem tendit præcautio. Præterea, quod hic morbus in prouectiori ætate maxime ſuperuenire ſolet, ante quam petit præcaueri.

Sed quia epilepſia Principi hæreditaria maius periculum minatur, immorabimur magis in demonſtranda fontanellæ neceſſitate pro illius præcautione: eſt enim, vt inquit Arethæus, morbus non ſolum fœdus, ſed inexpugnabilis, periculoſus, & ple-

rumque lethalis, & fundamentalis ratio affigendæ fontanellæ in Principe pro illius præcautione eſt.

Principis aui epilepſia extincta ſunt; & propter hæreditariam labem ex ipſis contractam duo Principis fratres ex eadem matre orti epilepſia obiere: ergo in poſſibili, & nuper iam experto hoc periculo, non eſt immorandum in affigenda fontanella Principi pro illo præcauendo.

Qui diſſentiunt ab hac opinione, dicunt, quod ſine fötanella poteſt Princeps præcaueri ab epilepſia hæreditaria, ſola victus ratione mutata, ventriculi corroboratione, aut expurgatione, ætatiſque mutatione: quam euaſionem Setna, & Syluaticus deducere conantur ex Hippocrate, qui lac ratificare, aut elecrio purgare infantes tantum conſulit, *&* *in lib. epidem. 6. ſect.* 1. mutatione ætatis aliquos liberari ab epilepſia protulit, *lib. 2. aphor. 46. Comitialium*, inquit, *liberationem faciunt mutationes ætatu, temporum, & locorum.* & Galenus *lib. de puero epileptico, & lib. 5. de locis*, ſola victus mutatione, & ventriculi amari medicamenti expurgatione contendit epilepſiam præcauere, ſine eo quod Hippocrates, nec Galenus pro hoc morbo præcauendo vnquam vſi ſint fontanellis.

Sed contrà ſtat: Primò, quod licet Hippocrates, & Galenus, fontanellæ non meminerint pro præcauenda epilepſia, hoc nullum inducit fundamentum ad ipſam denegandam: nam alia plura omiſſa ſunt remedia ab illis, quæ poſteriores in rempublicam medicam adduxerunt, quæque noſtris temporibus maxime ex vſu ſunt. Tota remediorum ſylua, quibus opera Meſuës abundant, ſimplicium vbertate ſunt referta, compoſitorum multiplicitate luxuriantia apud antiquiores illo, nondum ſunt experta. Plura ſimplicium quæ apud Arabas cognita ſunt, quæque noſtris temporibus apud Indos ſunt inuenta, quæque pro vſu medicinæ maxime ſunt vtilia ab Hippocrate, & Galeno non fuerunt cognita, nec ex hoc ab vſu medicinæ exterminanda. Sanguinis miſſionem pro pueris, ſenibus, & prægnantibus, nec ſolum omiſerunt illi, ſed conati ſunt prohibere. Ratio tamen, & vſus amplectendam eſſe demonſtrarunt, & nullus eſt, qui renuat illa noſtris temporibus. Ratio enim, & vſus illud, & alia dogmata inuertenda eſſe demonſtrarunt.

Præterea, nulla eſt ſecta Medicorum, ſiue Rationalis, ſiue Methodica, ſiue Empyrica, ſiue Spagyrica, quæ innumera non proponat remedia pro præcauenda epilepſia, & tamen ob inexpugnabilem vim morbi recurrunt ad fontanellam, tanquam ad vltimum artis aſylum: præterea licet Hippocrates, & Galenus expreſſe non conſulant fontanellam pro epilepſiæ præſeruatione, ex eorum doctrina manifeſtè conuincitur huius remedij vtilitas, & neceſſitas ad ipſam præcauendam: Hippocrates enim in aphoriſticis ſententiis: *Extremis morbis, extrema, & exquiſita remedia eſſe adhibenda*, docet. Cum ergo epilepſia Principi hæreditaria exitialis fuerit in auis, & fratribus, & extremum vitæ: ex Hippocratis doctrina deueniendum ad cauterium, & ignem, quæ extrema ſunt remedia. Tum ab eodem docetur, *quod medicamentum non ſanat, ferrum ſanat. quod ferrum non ſanat, ignis ſanat, quod ignis non ſanat, incurabile eſt.* Cum igitur tanta ſit vitam Principis conſeruandi neceſſitas, & præcauendi illum ab epilepſia, deueniendum eſt ad ignem, & fontanellam ad præcauendam illius ſalutem, antequam ſuperueniat morbus, & incurabilis fiat, ſicut contingere vidimus in sereniſſimo Infante fratre ſuus, quem in prima acceſſione epileptica ex-

A tinctum fuiſſe vidimus: Tum Hippocrates 6. *epidem. ſect.* 3. dicit: *Et quicumque alij abſceſſus, vt fiſtula aliorum ſunt medella*: cum ergo medicus ſit naturæ imitator; ſicut & illa curat, & præcauet abſceſſus, & inſultus morborum, qui timentur aperiendo fiſtulam, per quam paulatine euacuetur, & auertatur materia, ex qua timetur abſceſſus, debemus Medici, pro auertenda materia, & euacuando paulatim illam, ex qua timetur hæreditaria epilepſia, aperire fontanellam, quæ fiſtulæ gerit vicem: Tum Hippocrates 6. *epid. ſect.* 6. inquit: *Decubitus quidem, in quibus facta tollit, hæc ante acta prohibet*: cum ergo Princeps, vt patet ex enarratione hiſtorica, per fontanellam retro aurem, rupto abſceſſu, & expurgante per

B plures menſes, fuerit curatus à ſarcina humorum, quibus caput erat oppreſſum, ſimili modo poterit præcaueri per fontanellam, quominus coacerueтur in capite humor, ex quo timetur hæreditaria epilepſia: Tum Hippocrates 6. *epidem.* docet: *Quod alterius loci loca recipientia, aut dolore, aut pondere, aut alio aliquo liberant*, ex quo conſtat, quod ſi fontanella aperiatur in alia parte in Principe, liberabit illum, aut dolore, aut pondere, aut naturaliter trahendo humorem, qui fertur, aut in capite generatur ab epilepſia, quæ ex illo humore in capite aggregato poſſet ſuperuenire: Tum 6. *epidem. ſect.* 2. Hippocrates *de Moscho*, inquit: *Admodum calculoſo in ſuperiori palbebra hordeolum fiebat, verſus aurem magis*

C *deinde ruptum eſt intro. quinta aut ſexta ab anteriori parte pus effluebat, quæ infra ſoluit*, & cum in mutatione abſceſſus in contrariam partem, & puris purgatione liberatus fuerit à calculo. Valleſius rectè hac doctrina concludit *in comment.* euidenter deduci ex Hippocrate fontanellam eſſe remedium præcautorium pro epilepſia, inquit enim: *Accidit non vnquam abſceſſus exignos aſſiduitate expurgandi liberare ſolere à magnis morbis, vt vel vnica puſtula multum tempus non ſaneſcens. vel ſordes quaſdam continenter demittens liberet nonnumquam ab epilepſia, aut morbo alio magno.* ex quo, & nos concludimus deduci ex Hippocratis doctrina, quod fontanella ſit remedium præcautorium pro præcauenda epilepſia, &

D quod in hunc finem ſit Principi, nec ſolum vtilis, ſed neceſſaria.

Præterea ex Galeni doctrina comprobatur fontanellæ vtilitas & neceſſitas pro præcauenda epilepſia, & in Principe & in aliis quibuſlibet: *In comment.* enim *ad 6. epidem ſect.* 1. vbi docet Hippocrates Puerorũ ſiderationes ætate terminari in pluimis, *&* 2. *aphoriſ. comm.* 46. vbi dicit Hippocrates, *comitialium liberationem faciunt mutationes ætatum, temporum, & regionum*, reddens Galenus rationem dicit contingere liberationem epilepſiæ, quia per illa fit ægri mutatio ad ſiccius temperamentũ, quod opponitur humiditati, ex qua fit epilepſia, ex cuius doctrina patet, quod fontanella ſit ſecurius, ac poten-

E. tius remedium ad epilepſiam, cum non ſolum exſiccet auertendo humores caput humectantes, ſed ipſam enacuando cauſam, ex qua aggregata ſuperuenire ſolet epilepſia. Tum idem Galenus non fidens ætatum mutationi, *lib. de ſanguinis miſſione cap.* 19. ſanguinem mittit ex pede ad ipſam præcauendam, *&* *lib. 6. aphor. comm.* 46. vere ad præcautionem epilepſiæ docet ſanguinem eſſe mittendum, & exhibendum medicamentum purgans: cum ergo non fidens ætatum mutationi Galenus tranſeat ad magna remedia pro epilepſiæ præſeruatione, & hæc plerumque vel non ſufficiant, vel nequeant in omnibus exerceri, vt contingit in Principe, cuius ætas, nec corporis habitus illa tolerare poſſunt, deueniendum

ad fontanellam ; quæ continuo licet paulatim euacuando illorum gerit vices.

Præterea, non eſſe fidendum ſoli ætatum mutationi pro epilepſiæ præſeruatione, & curatione conſtat ex quotidiana experientia, qua ante hanc mutationem plurimos trucidari ab epilepſia vidimus : & in ſimilibus morbis Hippocrates docet 4. *aphor.* 10. *medicari eodẽ morbi die.* & quod *extremis extrema, & exquiſita remedia ſtatim adhibeantur* , & *in epiſtola ad Crateuam* , *num.* 18. inquit : *Ab omni artifice aliena res dilatio eſt , & præcipue in medicina , vbi dilatio vitæ periculum eſt* , & Celſus dixit , *Propera dum æger venit , quia ſemel pereunti nulla remedia proſunt. & in præfatione ad ſua opera* , idem repetit Meſuës: tenere ergo dum ex hæreditaria epilepſia comminata eſt Principis vita , committitur mutationi ætatis eius præſeruatio , præcipue cum ſecurius poſſit per fontanellam conſequi , & hæc non impediat , quominus mutatione ætatis coadiuuetur.

Præterea , neceſſitas fontanellæ in Principe pro præcauenda epilepſia probatur. Illud remedium eſt eligendum in Principe pro præcauenda epilepſia, quod vt magis expertum, magis vtile , & magis efficax temporum decurſu fuit receptum apud Claſſicos Medicos , ſed omnes communi aſſenſu magis fontanellam tanquam vltimum , & efficaciſſimum receperunt remedium plurimis abhinc ſæculis: ergo pro præcauenda epilepſia in Principe fontanella eſt eligenda. Minor manifeſta eſt apud ipſos Authores, Herodotus antiquiſſimus author de Lybiæ gentibus dicit, *Puerorum ſuorum , cum annum quartum attingerent , œſipo ſuillo venas verticis adurunt , alij ipſorum temporales venas , & hæc faciunt , ne vllo tempore à capite deſcendens pituita offendat , & propter hoc ſe ipſos ſanos prædicant : & certe Libyci omnium hominum , quos vidimus , ſaniſſimi exiſtunt* , Mercurialis *l.* 2. 2. *variar. cap.* 2. ſuperaddit . *In Thuſcia, ac nonnullis Italiæ Regionibus vetus conſuetudo eſt , vt pueros adhuc lactantes , vel paulò maiores in occipitio ferris igniteis vrant , ſperantes eo auxilio ipſos à pituita malis , & præſertim à puerili morbo tutos futuros.* En vſum , ſecuritatem , & vtilitatem fontanellæ pro morbis ex crudis humoribus à capite ortis , & pro vitanda epilepſia in veſtuſtiori ſeculo. & noſtris temporibus vſu , & experientia , ac authoritate confirmata. Simulque , & inter probatiſſimos authores fontanellam pro præcautione epilepſiæ Latinorum Medicorum princeps Cornelius Celſus approbat *lib.* 3. *cap.* 23. & Auicenna *fen.* 1. 3. *tract.* 5. quem ſequuntur Arabes , Aëtius *tetrabili* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 13. Actuarius *lib. methodi morb. cap.* 2. idem tenent. & vnanimi aſſenſu eos ſequuntur Auerroës *lib. collige*, Oribaſius *lib.* 8. *ſynopſeos cap.* 3. qui ſynapiſmis vtitur. Fontanellam ſimiliter Practici , ac Conſulentes omnes iuniores pro epilepſia indubitanter proponunt Ioachinus 9. *ad Almanſorem* 14. Rondeletius *cap.* 36. Montanus *conſ.* 50. Baptiſt. Theodoſ. *epiſt.* 45. Eraſtus *p.* 4. *diſput. contra Paracelſum* , Montuus *lib.* 1. *Analecte* Proſper Alpin. *lib. de medicina methodica, & lib. de medicina Ægyptiorum* , Piſo *lib.* 1. *de morb. curandis cap.* 9. Zacut. *lib.* 1. *de M. P. hiſtoria obſeruat.* 6. Sennert. *tom.* 2. *p.* 2. *cap.* 31. Riuerius *cap. de epilepſia lib. praxeos*, Santa - Cruz *lib. de morbo ſacro in text.* 30. Ganaſſt. *lib. de natura cauterij cap.* 15. Zechius *lib. conſult. medicar. conſult.* 45. Heurn. *lib. de morb. capitis, cap. de epilepſia*, Gentilis, *in fen.* 1. 3. Maſſarias *in praxi , cap. de epilepſia*, Hollerius *in ſcholio ad cap. de epilepſia* , Bauderonius *cap.* 13.

Præterea , neceſſitas fontanellæ pro præcauenda epilepſia in Principe probatur à ſimili. Eadem eſt ratio expurgandi cerebrum ab eo humore, qui in illo aggregatur , & ex quo timeretur catharrus ſuffocatiuus , aut lethalis , ac præcauendi , & expurgandi illud à pituita, ex qua timetur lethalis epilepſia : ſed pro præcauendo illo à catharroſa affectione, nullum eſſet præſtantius remedium, quam fontanella : ergo nec pro præcauendo illo ab epilepſia. Probatur minor ex Proſpero Alpino *de medicina Ægyptiorum cap.* 12. ex Gauaſcto *lib. de fontanellis.* ex Coſteo *lib. de igneis præſidiis*, ex Zechio, Mercato , & aliis , qui hanc doctrinam deducunt ex Galeno *lib.* 2. *de compoſit. medicam.* ex Aëtio *lib.* 4. ex Paulo *lib.* 3. ex Celſo *lib.* 1. *tardar. paſſionum* , & ex Albucaſi *lib.* 1.

§. V.

Quamtamuis epilepſia non eſſet Principi hæreditaria , ſed ex ventriculi cruditatibus timeretur , indigeret fontanella præcautionis gratiâ.

Epilepſiam ex conſenſu ventriculi , communiſſimam eſſe fatentur Practici, vidit illam Galenus 5. *de locis* , *cap.* 5. Valleriola *lib.* 3. *obſeruat.* 7. Fernellus *conſ.* 7. Foreſtus *lib.* 10. *obſeruat.* 64. Zacutus *de P. M. hiſtoria lib.* 1. *in* 21. Schenkius *lib.* 1. *obſeruat.* Chifflet. *obſeruat.* 3. Guainerius *conſ.* 118. Montagnana *conſ.* 43. & ex hiſtorica enarratione videtur ad ipſam acceſſiſſe Principem in ſomno profundo enarratione relato , quia vt refert Galen. *lib. de vtilit. reſpirat.* Ariſtoteles iudicat epilepſiam non differre à profundo ſomno : & idem Galenus *lib.* 3. *de locis*, admittit dari epilepſiam ſine concuſſione, & Auicenna hanc vocat non ſenſatam , & ſine alienatione omnimoda à ſenſibus vidit illam Brunerus *conſ.* 14. & Marcellus Donatus *lib.* 2. *hiſtor. Medica mirabilis cap.* 4. & Beniuenius *lib. de abditis morborum cauſis*, *cap.* 97.

Siue enim epilepſia ſit nominandum prædictum accidens in Principe , ſiue ſoporoſus alius quiuis ſit affectus ; ipſe tamen videtur ſubditus , vt ex ventriculi cruditatibus patiatur ob conſenſum caput, quod præcipuè eſt expertum in omni febre , cum ſemper grauetur caput, vt ex hiſtorica enarratione comprobatur , & adhuc ob has cruditates fontanellam illi futuram præcautorium remedium aſſerimus , ne caput aſſiduitate abeat in idiopathicam paſſionem, aut vapores eleuati concreſcant : ſic Mercatus *lib.* 1. *de recto præſidiorum vſu , cap. de fontanellis.* 6. *Cæterum in pueris diuerſa quodammodo ratione res fieri debet; namque ſiue caput primario affectu , ſiue per conſenſum laboret , ſemper in occipitio fontanella eſt aperienda . purgato protinus , vt par eſt, corpore , quia etiamſi per conſenſum pueris ſæpius hoc malum (id eſt epilepſia) præſertim ventriculi vitio fiat , nihilominus tamen , vt in his eſt acutiſſimus & ſummè periculoſus, ita facili negotio, & continuo à primis diebus caput eſſentialiter obſidet , idque profectò propter facilem apparatum , quem ex crudorum humorum redundantia caput ipſum obtinet ; quod quidem ob halitus aſcẽdentis malitiam, nullo negotio eadem labe fœdatur , præterquam quod puerorum caput imbecillum eſt , & facile quoduis vitium ſuſcipeat.* En doctrinam ſuper poſitam , à Mercato prius ſancitam , ſimulque rationibus munitam, & comprobatam , ex qua patet , quod ſi ex vitio ventriculi repleatur caput , vt enarratione hiſtorica conſtat ſæpiſſime contingere in Principe , & ex

quo timetur epilepſia, qualiter ex eadem enarrationa colligitur dum aggreſſam fuiſſe, fontanellam eſſe omnino neceſſariam.

Præterea Michael Gauaſctus *lib. de natura cauterij cap.15.* inquit: *Quare ex iis conſtat illa corpora cauterium deſiderare, in quibus extrementa maxime redundant, vel propter capitis, vel ventriculi, vel iecoris imbecillitatem, & præſertim vbi periculum eſt, ne materia in corpore peccans ad aliquam partem nobiliorem præcipitata grauiſſimum aliquod vitium, aut mortem tandem inducat.* Quæ cum timeantur in Principe ob ventriculi cruditates, caput per conſenſum replentes illi eſt fontanella aperienda.

Præterea Coſtæus *lib. de igneis præſidiis medicinæ,* inquit: *In iis igitur vbi primum huius mali germen appareat* (loquitur de epilepſia) *etiam ſi fit ex ventriculo, videtur rationi conſonum, occipiti ſtatim cauterium adhibere, vt aſcendenti prauo alitui exitus prius pateſiat, quam noxia eius qualitas caput pertingat.*

Præterea Fienus *lib. 1. de cauteriis cap. 15.* docens morbos à quibus fontanella præſeruat, inquit: *Quocirca medici plerumque in frigidis, & pituitoſis capitis, thoracis, ſtomachi, & hepatis affectibus, in epilepſia, cephalea, & catharro; & omnibus frigidis fluxionibus, fontanellis vtimur.* Ex quo apparet fontanellam præcautorium fore remedium adhuc pro fluxione frigidorum humorum à ventriculo in caput.

Præterea roboratur hæc doctrina ex Hippocrate *lib. de morbo ſacro, text. 46.* inquit enim: *Sic vero ſe res habet etiam in homine, cum enim ætatem adeptus fuerit, morbus non amplius curabilis eſt, cerebrum enim corroditur à pituita, & colliquatur: id vero, quod colliquatur, aqua fit, & foris cerebrum ambit, & circumundat & propterea frequentius epilepſia corripiuntur.* Ex quo apparet à ſimili, quod frigidi vapores à ventriculo eleuati, & in caput rapti poſſunt in cerebro recepti, & corrupti, putrefieri, putrefacti corrodere, & immedicabilem epilepſiam, ac læthalẽ efficere, niſi per fontanellam continuo trahantur, qui aggregantur humores, & expellantur à cerebro.

Præterea probatur à ſimili: In epilepſia contracta ex hæreditaria labe conuenit fontanella; vt cum communi claſſicorũ Authorum aſſenſu probauimus; non quia poſſit deuinci hæreditaria intemperies, à qua prouenit, ſed vt continuo euacuentur humores, qui continuo ab illa generantur, ex quibus prouenire poteſt acceſſio epileptica. Ergo eadem ſimili ratione licèt per fontanellam nequeat curari frigida intemperies ventriculi, nec poſſint euacuari cruditates, quæ ſuperfluunt in illo, ex quibus eleuantur vapores, qui in cerebro cauſant epilepſiam, eſt tamen neceſſaria fontanella tanquam præcautorium remedium, vt per illam euacuentur vapores, ſeu humores recepti in cerebro, antequam aggregentur, alterentur, & cauſent epilepticam acceſſionem.

§. VI.

Fontanellam tanquam præcautorium remedium ad præcauendos morbos, quos Princeps ſæpiſſime patitur ex propriis intemperiebus, neceſſariam eſſe conſtanter aſſerimus.

PEruenimus iam ad culmen difficultatis, cuius cauſa fit conſultatio. Patet ex hiſtorica enarratione Principem ſæpiſſimè vexari febribus cum vomitibus, nauſea, cibi faſtidio, & capitis grauitate, & illas concomitari catharroſas affectiones, varia exanthemata, terminarique febres per varias excretiones, abſceſſus, & tumores. Hæc omnia cum moleſta, ac periculoſa ſint, & præcautorio indigeant auxilio de fontanella, quam in Principe probauimus ob varias indicationes eſſe neceſſariam, aſſerimus vlterius, pro iis omnibus vitandis morbis, & accidentibus nuper relatis, magis neceſſariam eſſe tanquam remedium curatorium, & præcautorium.

Prima horum affectionum origo eſt imperfecta coctio ventriculi, ob quam aggregantur cruditates, ex quibus febris fit, & reliqua ſubſequuntur concomitantia accidentia; læſam vero coctionem, ciborumque corruptionem in illo, non ſemper neceſſe eſt prouenire ex vitiato ventriculi temperamento, aut debilitate, ſed plerumque corrumpitur adueniens alimentum ab humorum prauitate, vt docet Galenus *lib. 1. de locis affect. §. quod ſi omnino accuratiori ſcrutinio volueris huiuſmodi quæſtiones emdare interdum ſimul ac alimenta fuerint corrupta, coctionis quoque actionem læſam eſſe dices. Interdum hanc quidem non lædi, illa vero eſſe vitiata, quippe corruptiones ciborum tres prima, ac veluti generaliſſima ſunt differentia: vna quidem fit per proprios ventriculi morbos: altera à vitioſis humoribus et ipſo accumulatis: tertia ab alimentorum qualitate inducitur.*

Primò; ex hac doctrina deſumimus fundamentum ad probandum, quod febres ortæ ex corruptione ciborum in ventriculo, & prauis humoribus in illo contentis, indigeant fontanella ad earum præcautionem.

Febres, quæ oriuntur ſæpiſſime in Principe ex prauis ventriculi humoribus, non ſolum oriuntur ex cruditatibus in illo genitis, ſed ex prauis humoribus, & icoribus à iecore, & venoſo genere ad ipſum confluẽtibus: Sed hunc confluxum, & bilioſorum humorum generationem, nullum aliud remedium valet præcauere, quàm fontanella: per accidens enim iecur attemperat, & ſuperfluos illos humores redundantes, qui continuo generantur ab illo, continuo valet euacuare: Ergo ad præcauendas febres, & illarum plurima accidentia, eſt indicata tanquam remedium præcautorium.

Probatur maior: Primò, quia, vt patet ex hiſtorica enarratione, omnes iſtæ febres curantur per clyſteres, euacuando per ventrem cruditates ſimul, & bilioſos humores, verum non generantur bilioſi humores in ventriculo; nam ſimul ab eodem calore in eodem tempore, & ex eodem alimento non poſſunt cruditates, quæ fiunt à remiſſo, & debili calore, & bilis, quæ ab illo adurente, & intenſiſſimo fit generari: ergo cum cruditates fiant à debili calore ventriculi, bilis in iecore tantum generari petit, à quo refluit ad ventriculum, & tanquam praua ſubſtantia calida, & apta corrumpi eſt præcipua cauſa febris, & à qua crudi reliqui humores alterantur. Tum tertiò, quia coctio ventriculi imperfecta nõ fit ex ſolo vitio ventriculi, alias omni tẽpore ventriculus eſſet impotens ad coquendum; quia natiua intemperies non eſt periodica, ſed continua: ſed in Principe in determinatis periodis fit læſio, & cruditas; ex quo apparet, quod hæc prouenit ex prauis bilioſis humoribus refluentibus à venis, in quibus paulatim coaceruantur. Tertiò, tempore ſanitatis, dum ſuperueniunt bilioſæ deiectiones, bene ſe habet Princeps, non alia ratione, niſi quia non immoratur in ventriculo continuus bilioſi humoris affluxus, à quo poſſet coctio interturbari. Quartò, dum excretiones ad cutem bilioſæ permanent, Princeps bene ſe habet

bet: dum ſubito euaneſcunt, interturbatur ventriculus, & vel in vomitus, vel in deiectiones, aut febres incidit, vt ex enarratione hiſtorica conſtat. Ex quo apparet ex refluxu billioſi humoris ad ventriculum, & coctionem lædi ob prauos commixtos humores, vt nuper vidimus ex Galeno, & alia ſimul concitari ſymptomata. Quintò, vt conſtat ex hiſtorica enarratione, tumores duo ſimul apparentes in Principe in collo, & inguine retrocedentes, in bilioſas deiectiones mutati ſunt, & per ipſas tandem terminari, quod manifeſtum præſtat indicium, quod Princeps his in venis redundat humoribus, & quod illi facilem habent recurſum in ventriculum, & ventrem, dum nequeunt moueri ad tertiam regionem. Sextò, quia vitiata coctio ventriculi non poteſt ex ſola frigiditate ventriculi oriri, ſed ex calidis humoribus, depravatiſque, coctionem impedientibus, aliàs Princeps non frueretur colore albo naturali rubro inſperſo, quod patet ex hiſtorica enarratione, ſed albo morboſo indicante cacochymiam pituitoſam prouenientem à ventriculo, materiam omnino ineptam nutritioni præſtantem. Septimò, febris, quæ bilioſorum humorum euacuatione per aurem terminata eſt, vt ex enarratione conſtat, manifeſte conuincit febres in Principe non dependere ex ſola cruditate ventriculi; ſed ſimul redundare bilioſos humores, qui in ventriculum delati valent ſua prauitate coctionem lædere. Octauò, vt patet ex hiſtorica enarratione, Princeps non eſt in vltima febre liberatus à ventriculi noxis, cibi faſtidio, & nauſeis, donec exanthemata cutis apparuerunt, & ipſis ſubito recurrentibus, ſubito incidit in eadem ventriculi accidentia, quæ permanſerunt cum deiectionibus crudis, & bilioſis, donec iterum bilioſi humores in cute effloruerunt: ergo manifeſtum præſtant iodicium, quod bilioſi humores praui, ventriculi coctionem impediunt, & quod ab illis depravata coctio ventriculi ex alimento materiam generat, ex qua permanent deiectiones, donec in cutem refluant bilioſi humores, & in defectu illorum ventriculus valeat perficere coctiones.

Probatur ſecundò ab exanthematibus indicari in Principe fontanellæ præcautoriæ neceſſitatem. Rubores, & tumores, quibus Prioceps in morbis, & ſanitate ſcatet, bilioſique humores, quos iecur continuo fere mittit ad cutem, retrocedere poſſunt ſubito in principes, & internas partes, vel naturæ impotentia, vel frigore impediente, cutemque conſtringente: Sed huiuſmodi recurſus periculoſus, ac lethalis eſt: ergo ad illum vitandum indicata eſt fontanella, per quam refrigerato iecore, impediatur bilioſorum humorum generatio, & vt qui continuo generantur, continuo euacuentur, & qui in partea principes poſſunt refluere, reuellantur.

Probatur minor ex Hippocrate *lib. 1. de morbis, §. febricitanti, ac bilioſo in tempore foras diſperſa bilis bonum; diffuſa vero, ac diſperſa ſub cutem, toleratu eſt lenior habenti, & curatu facilior; diffuſa autem, ac diſperſa, & ad vnam aliquam corporis partem colapſa, malum.* Tum *lib. 2. præſagit. text.* 68. inquit: *Si vero euaneſcant abſceſſus, & retrocedant, ſputo non excreato, & febre detinente, periculum imminet, ne deſipiat, & moriatur homo.* Tum, *lib. 2. de morb. vulgaribus*, inquit: *Maligniora ſunt, quæ derepente diſparent.* Tum, *lib. 3. epidem. de Serapi*, cui repente euanuit pruritus io ventre, dicit Hippocrates, quod pruritus in ventre, repente vanuit, & in parte inani factus eſt abſceſſus, ex quo periit. Tum, *lib. 5. epidem.* de Ephronoris filio dicit, quod euanuerunt exanthemata ſubito, & incidit in febrem malignam.

A Tum, 2. *progn. text.* 68. dicit: *Si abſceſſus ſubito retrocedant, valde funeſtum.* Tum 5. *aphor.* 68. inquit: *Quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur valde, neque inſaniunt, verum iis euaneſcentibus derepente, quibuſdam à tergo conuulſiones fiunt, quibuſdam intra inſania, vel dolor lateris acutus, vel difficultas inteſtinorum.* Tum ex hiſtorica enarratione conſtat Principem, dum tumores ſubito euanuerunt, in deiectiones bilioſas incidiſſe, cum vitalium, ac animalium virium ſumma deiectione, ac fere ſyncoptica diſpoſitione, frigidiſque ſudoribus: ergo huiuſmodi recurſus in illo poteſt eſſe periculoſus, ac lethalis.

Probatur tertiò fontanellæ præcautoriæ neceſſitas B in morbis Principis ob periculoſas ſuorum morborum terminationes: Nam caput ſemper grauatur ex humoribus in ipſum confluentibus, & in dies debilius redditur: conſtat enim ex hiſtorica enarratione; quod in primis febribus fuit potens, vt principio febris ſe exoneraret in pectus per catharroſas affectiones, in aliis verſus aures per tumores, poſtea non niſi per aures intra ſuppurando materiam, ſi ergo vlterius grauetur ſupra expertam iam debilitatem, impotens fiet ad expellendum, & incidet in grauiſſimum, ac lethalem ſoporoſum affectum, qualiter vltimo illi contigiſſe ex receptis à ventriculo vaporibus conſtat, ex enarratione: ergo ne ex toto, caput ex receptis excrementis imbecillum reddatur, conuenit C fontanella, qua paulatim expurgetur.

§. VII.

Locus fontanellæ, ob vrgentiorem indicationem reuellendi à iecore, quæ prævalet reliquis, debet eſſe in dextro Principis crure, in parte interiori, per quatuor digitos infra genu.

PRobatur, quia fontanella indicatur à maiori vrgentia tanquam remedium attemperans iecoris, & ad reuellendos, & euacuandos humores bilioſos; qui ab ipſo iecore refluunt ad ventriculum, quique D confluentes ad caput, & ad alias partes externas minantur maiora incommoda: & ſi ſubito retrocedant, ſummum periculum, vt probauimus: ergo in crure dextro, debet aperiri fontanella in hunc finem. Probatur conſequentia ex Hippocrate qui *6. epid. m.* docet: *Reuellere ſi quo non oportet vergat humor*, & *lib. 2. epidem. ſect. 5. in hiſtoria Stymargi famula* docet in curatione deueniẽdum eſſe ad occaſionem, & occaſionis initium, quod io Principe eſt intemperatum iecur. Tum ex Galeno *lib. 3. de loc.* vbi referens hiſtorias eorum, qui epilepſias patiebantur ex conſenſu cum partibus inferioribus, in ipſis ſiſtendum in remediis aſſentitur, in pedeque tapſiam eſſe E imponendam, vt fonticulo facto, præcaueatur aſcenſus venenoſæ auræ in caput. In eadem incidunt doctrinam Trallianus *lib. 1. cap.* 15. Ætius *ſerm. 2. cap.* 18. Paulus *lib. 3. cap.* 15.

Probatur ſecundò experientia, & obſeruatione Zacut. *lib. 1. de M. P. hiſtoria*, qui iuuenem vitio iecoris laborantem, ob illiuſque calidam intemperiem, curare aggreſſus, aliis omnibus remediis non proficiẽtibus, inquit: *Verum cum malum hiſce celebratis ferocius inſoleſceret, vt humor neceſſario ex partium diurna debilitate gignendus ad imas differretur corporis partes, vt ſpiraret iecur, ſuaque excrementa ad ignobiles partes detruderet, fontanellam in dextro crure aperiendam curaui, ex qua cum impura ordec manarent*

manarent, iſtorum exſiccatis vlceribus, alterius factus pri... imum miserem reimperauit. En caſum noſtro ſimilem, fontanellæ in crure dextro vtilitatem, & neceſſitatem confirmantem.

Probatur tertiò, ex Mercuriali ab illo citato, *lib. de decorat. cap.* 13. in quo agens de morbis faciei, inquit: *Si in vllo caſu vſus cauteriorum vtilis eſt, procul dubio in hoc, vt viderim ſolis cauteriis cruribus affixis, rubedines faciei prorſus eſſe ſublatas.* Cum ergo Princeps continuo in febribus, & ſine illis, vexetur, rubris exanthematibus in facie, quæ iecoris calidam intemperiem atteſtantur, & affluxum bilioſorum humorum in varias partes, ſi in vllo caſu vſus cauteriorum in crure eſt vtilis, præcipue in hoc.

Præterea Zechius *lib.* 1. *conſult.* 4. pro ſanguine bilioſo erumpente in nares ob calidam iecoris intemperiem, fontanellam in crure dextro conſulit ſubtus genu ad internam partem; tum ad attemperationem, tum ad auertendum infra ſanguinem, aut eius ichorem, qui rapitur in partes ſuperiores, & in caput: & idem Zechius *conſult.* 49. fontanellam conſulit ſub crure dextro infra genu in parte interna ad vapores, ichoreſque calidos, infra detrahendos, ne ſurſum ferantur, ex quo apparet ſimili ratione in crure eſſe aperiendam Principi fontanellam, ad iecoris attemperationem, & ad reuulſionem bilioſorum humorum, ne in ventriculum refluant, aut ſuperabundantes confluant in caput, aut alias internas partes.

§. VIII.

Fontanella in Principe neceſſaria non obſtant contrariè opinantium rationes.

Pluribus iam fundamentis probauimus ob varias cauſas indicatam eſſe fontanellam pro Principis ſalute, & vita conſeruanda; ſed quia Galenus *lib. de ſanguinis miſſione cap.* 20. duo requirit, vt ſanguinis miſſio, aut aliud remedium exerceatur, quod ſcilicet adſit præſentia poſtulantium, & abſentia impedire valentium, cumque maius fundamentum contrariè opinantium ſiſtat in proponendis eis, quæ illam impediunt, proſequemur in ipſis examinandis in hac vltima parte.

Primum ſit genericum fundamentum, quod probat nulli eſſe aperiendam fontanellam, quia plura ſunt incommoda, quæ ex fontanella ſuperueniunt habenti illam, quam vtilitas quæ poteſt ſubſequi ex illa: ergo in nullo debet aperiri, quia ex Hippocrate in *lib. epidem.* remedium tale debet eſſe, vt ſi non proſit, ſaltem non lædat; ergo adaptando hanc Doctrinam Principi, fontanella illi non eſt aperienda. Antecedens deducitur ex Syluatico *lib. controuerſ. medicar. controuerſ.* 87. ex Santa-Cruz *lib. de morb. ſacro in comment. ad text.* 30. ex Ranchino *tract. de morb. pueror. ſect.* 2. *cap.* 2. ex Serna *lib. de alendi infantes ratione cap. vlt.* qui plura proponunt incommoda, ſed præcipue adducit illa Fienus *lib.* 3. *de cauteriis cap.* 1. hæc proponens, quod per fontanellam ſpiritus reſoluantur, quod optimi humores apti pro partium nutritione eiiciuntur, quod defectu ſpirituum vitalium, & debitæ nutritionis, corpore refrigerato, fiat, qui fontanellam habet, debilis, quod non poſſit augeri, & perduci ad ſibi debitum augmentum, quod imperfectas omnes eliciat coctiones, quod ventriculi calor, quia debilis eſt, continuo cruditates generet, & fiat omnino impotens ad coquendum, quod defectu coctionum, fiat

A extenuatus, debilis, & impotens ad animales motus, per quos puerorum partes roborantur, & ad exercitium, quod maxime confert pueris. Prouenit ſimul quod calidum innatum imminuatur, & reſoluatur, & quod nequeat peruenire ad longæuam vitam, & terminum viuendi illi debitum, nec ad vtilitatem neceſſariam, nec acquirere generandi potentiam, quæ ex partium principum extincto calore neceſſario debet labefactari: ergo hæc incommoda maiora ſunt, quam vtilitas, quæ ex fontanella ſubſequi poteſt.

Magna equidem ſunt, quæ timenda proponuntur incommoda ad impediendum fontanellæ vſum ipſumque exterminandum à medicina, & potiori

B iure in Principe. Sed licet ſubſequi aliqua poſſint ex indebito vſu fontanellæ, vt Fienus fatetur, *lib.* 3. *de cauteriis cap. de noxiis, quæ proueniunt à cauteriis male adhibitis.* Si debite adhibeatur, nullum ſubſequi ex iis incommodis confirmat experentia in illis, qui in vltimam ſenectutem deducuntur cauteriorum adiuti beneficio, nullo incommodo ex illis ipſis ſuperueniente. Confirmat antiquiſſimus cauteriorum vſus vſque ad noſtra tempora, ſemper in medicina receptus, & apud clariſſimos Medicos omni ætate laudatus, & expertus; Aëtius enim, vt inquit Fienus, qui ſub Conſtantino Magno floruit, & Ægineta ipſius coætaneus, & ante eos Cælius Aurelianus multos morbos docuerunt curare per cauteria, ſimi-

C liter & Plinius Secundus *lib.* 3. *cap.* 5. & Quintus Serenus, qui floruit tempore Gordiani, Galenus *lib.* 2. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 2. 9. & 10. & *lib.* 5. *methodi*, & aliis in locis, cauteriis vtitur, & fatetur eodem vſos fuiſſe illo antiquiores, Cælius Aurelianus *lib.* 3. *curat. diuturn. paſſion. cap.* 4. antiquiores refert, qui vſi ſunt cauteriis, & Themiſonem, ac Praxagoram pro epilepſia illa exercuiſſe, adducitque Fienus hoc amplexos fuiſſe auxilium Archigenem, Antyllum, Theophraſtum, Hippocratem, Herodotum, qui vixit per trecentos annos ante Chriſti aduentum. Empirici, Methodici, Dogmatici; & inter hos omnes Arabum ſcholæ ſectatores, omneſque omni ætate medici Rationales, nullo dempto, pro variis morbis hoc am-

D plectuntur remedium, quod ab vſu eſſet relegatum, ſi tot ſuperuenirent ex illo incommoda. Imò potius hæc nos mouent incommoda, ne ſubſequantur in Principe, ad aperiendam fontanellam; ſiue qua nec hæc incommoda, nec pericula à nobis propoſita poſſunt in Principe præcaueri. Ratio huius eſt, quia, vt docet Galenus *lib. de natural. facult. cap.* 6. noſtri corporis partes ex naturæ œconomia inſitum habent, quod attrahant vtile, & expellant inutile, & ne ſe impedirent, alias robuſtiores, alias debiliores fabrefecit natura, vt in has illæ noxios humores mitterent, præcipue in cutem, quam docet Galenus, quod in hunc finem debiliorem fecit natura, vt reliquarum

E partium reciperet excrementa.

Ad eius imitationem ars Medica, quæ imitatrix eſt naturæ, adinuenit fontanellas, vt inquit Michael Gauareus, per quas debiliores efficeret noſtri corporis partes externas, & minus nobiles, vt nobiliores aliæ ſuperfluis redundantes ſuccis ſe exonerarent in illas, & vt per illas expurgarent continuo, & paulatine, quod continuo, ac paulatine generatur, aut aggregatur in partibus nobilioribus, vel quod aliunde in illis recipitur, à quorum humorum noxa ipſæ per refluxum in fontanellas ſe exonerant, ſimul, & repurgatur maſſa ſanguinaria à ſuccis commixtis ipſam impuram reddentibus, & ſua impuritate ipſam conſpurcantibus, & impedientibus, quo minus puriores humores poſſent partes nutrire, impeditur enim

nutritio ab impuris humoribus, vt docuit Hippocrates *lib. 2. aphoriſm.* dicens: *Impura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes*. & Galenus *in comment.* reddit rationem dicens: *Corrumpitur enim adueniens alimentum ab humorum prauitate, corpus iam obtinente, ita quod ipſorum quidem quantitas adaugeatur, qualitas vero ſeruetur. Hoc vero præcipuè fit, quando ventriculus quibuſdam humoribus vitioſis plenus ſteterit.*

Ex quibus patet ad cumulum obiectionum, quod non obſtant, vt diximus, pro fontanellis in aliis quibuſcunque ægris, ſi indicentur ab aliquibus morbis. At verò in Principe potiori iure fontanellam debere exerceri, vt ſe expediat ab omnibus iis propoſitis incommodis, quia, vt ſupra probauimus, Princeps patitur recurſum bilioſorum humorum à iecore in ventriculum, & à venis, & ab ipſis, vt inquit nuper citatus Galenus; *quando ventriculus quibuſdam humoribus vitioſis eſt plenus, corrumpitur alimentum*, & inde neceſſe eſt, vt fiat ineptum, vt partes poſſint ex illo nutriri. Præterea vitioſi huiuſmodi humores ad venas delati conſpurcant maſſam ſanguinariam, redduntque impuram, & ineptam pro nutritione. Cum igitur per fontanellam, vt diximus, poſſint expurgari prædicti praui humores, hos enim partes reſpuunt, & expellunt per fontanellas, ob rationes ſupra dictas, his euacuatis, ſperandum ſemper quod reliqui humores puriores relicti in Principe perfectius nutriant, & materiam præſtent pro partibus augendis aptam; & vt ex illa puriori perfectiores generentur ſpiritus vitales, à quibus vigorato calore, omnes actiones illius perfectiores fiant, ipſeque ſanus euadat ad generandum, & ad longiorem vitam conſequendam aptior, influente, & innato calore roboratis. Quæ omnia nos mouent ad deſiderandam fontanellam in illo, qua hæc iudicamus poſſe conſequi.

Confirmat hunc diſcurſum experientia tot hominum, qui per fontanellas à grauiſſimis morbis liberati ſunt, & ad perfectam ſanitatem deducti, & ab extenuatione in naturalem habitum redacti. Confirmat, & antiquiſſima Herodoti obſeruatio, quæ demonſtrat, Tyrones in Lybia, quia omnes ob morboſam diſpoſitionem coacti ſunt vti cauteriis, poſt illa præ reliquos ſaniores factos, vt ex illo ſupra deduximus. Confirmat illam Zacutus in ſimili caſu nuper adducto, dicens, quod aperuit in iuuene fontanellam, *vt humor neceſſario ex partium debilitate gignendus ad imas deferretur partes, & expurarei iecur, ſuaque excrementa ad ignobiles partes detruderet.* & ſuperaddit, quod poſt fontanellam *æger obeſior factus priſtinum nitorem recuperauit*, quod & nos conamur ratione, & experientiis ducti, exemplisque commoti conſequi in Sereniſſimo noſtro Principe per fontanellam.

Secundò ſpeciali ratione videtur impediri fontanellam in Principe, licet eſſet indicata, quòd ſpiritus vitales poſſunt per illã continuo reſolui. Princeps autem eſt in ætate creſcendi, qui creſcunt ex Hippocrate plurimo indigent alimento, cum enim ex enarratione hiſtorica conſtet, quod illius ventriculus imperfecte concoquit, & plurimas continuo generat cruditates, ſi alimentum augeatur, & reſolutis ſpiritibus, calor influens imminuatur, neceſſario ex maiori copia cruditatum ex iis cauſis ſuperuenientium, & febres, & accidentia, quæ ex illis continuo illi accidunt, fient frequentiores, & periculoſiores, quod maxime eſt vitandum.

Antiqua, vt vidimus ex Fieno, eſt hæc obiectio contra fontanellæ vſum: quod ſpiritus vitales reſol-A uantur per illam, Michël Gatſetus *lib. de natura cauterij cap. 15.* ſatisfacit complete dicens: *Præterea ſi cauteria vim haberent diſſipandi ſpirituum ſubſtantiam, omnes illi citiſſime interirent, qui quamplurima vulnera, & vlcera magna, & antiqua patiuntur. Sed in iis, cum ſpiritus nihil omnino patiantur, niſi ex fluxu ſanguinis, vel ſinuum cordis, & cerebri dilatatione, non eſt dicendum reſolutionem ſpirituum apertionem cauteriorum impedire.*

Sed ſpecialiter in apertione fontanellæ in Principe conuincitur contra Archiatros, hanc rationem nullam vim habere, ipſi enim vnanimi aſſenſu conati ſunt cauterium in Principe apertum in tumore tetro antem per tres menſes conſeruari, fruſtra hoc, B & non inculpate, ſi per illud ſpiritus reſoluerentur, præcipue circa cerebrum; ex quo refrigerato, Princeps poſſet fatuus euadere, & tamen cum illo perfectam aſſequutus eſt ſanitatem, vt patet ex hiſtorica enarratione.

Tertiò ſpeciali etiam ratione ex ſupra relatis nocumentis, videtur impediri fontanellam in Principe, etiam ſi ſit indicata, quòd debemus longæuam illius vitam, quantum poſſibile fuerit, conſeruare, ipſius accretionem, & augmentum coadiuuare, illius vires perficere; nutritionem partium, quæ in ipſo diminuta eſt, roborare: quæ omnia ſi fiat fontanella, impediuntur, quia cum continuo per fontanellam euacuetur portio alimenti vtilis pro nutritione, & pro C augmento neceſſarij in Principe, defectu illius debilis euadet, & longæua eius vita intercipietur. Præcipuè cum extenuatus ſit, & corpora extenuata ex Hippocrate 2. *aphoriſ. 7.* non euacuare, ſed reficere oportet.

Vetuſtam hanc obiectionem contra vſum fontanellæ reiiciunt Fienus, & reliqui authores, qui de fontanellis agunt. Reiecit eius fundamentum pro ipſa vitanda in Principe, quòd ſi ſemel pereat ex morbis, quos per illam præcauere contendimus, qui, vt diximus, vitæ periculum minantur: quando continget Principi frui vita longæua, & aliis vtilitatibus, quæ illi promittuntur, ſi non apetiatur fontanella.

Præterea nos ſatisfacimus cum doctrina Galeni D pro prima obiectione adducta, quod ſcilicet per fontanellam praui humores vacuantur: illi enim ad illam feruntur, quos mittit facultas expultrix, hæc verſatur circa inutile, ſi tamen aliqua portio vtilis commixta cum inutili euacuetur, hæc non impedit, quominus non teneatur in Principe per fontanellam prauorum humorum euacuatio, per quam humores apti nutrire depurati apti reddantur, vt in poſterum valeant nutrire, partes reficere, augere, & Principem in naturalem habitum, & longiorem vitam deducere, ac in omnimodam ſanitatem, vt ſupra vidimus in ſimili caſu contigiſſe iuueni à Zacuto relato, qui repurgatis per fontanellam vi-E tioſis ſuccis, ac bilioſis, quibus redundabat in venis ſanitatem, & priſtinum recuperauit ſtatum.

Summus dictator Hippocrates tot abhinc annis hanc obſeruauit doctrinam *lib. 5. epidem.* Oeniadis viro tabeſcente, & nullo adiuto pharmacorum genere, quia conſumebatur, cui ſanguinem miſit ex vtraque manu, vſque dum exanguis redderetur, & expurgato ſimul cum ſanguine prauo ſuperabundante humore, ſanus factus fuit; quod cum in Principe nequeat fieri per ſanguinis miſſionem, quam renuit ætas, & habitus illius, fontanella indiget, quæ loco ſanguinis miſſionis licet paulatine, quod tutius eſt ex Hippocrate, bilioſos ſuccos euacuet, qui exu-

perantes

perantes conſpurcant reliquos humores, ex quibus Princeps deberet nutriri, & ſine quibus in priſtinam ſanitatem redactus vitabit omnia incommoda in obiectione propoſita.

Magiſter Galenus *lib.6.epidem. ſect. 3. comment.* 29. extenuatam mulierem ex prauis retentis menſtruis conſpurcantibus reliquos humores, & impedientibus illius nutritionem curauit, ſanguine largiter miſſo, & ſic ad ſanitatem eam reduxit. Similes hiſtorias, ac obſeruationes referunt Beniuen. *lib. de abditis morb. cauſis cap.* 44. & Dodonæus in annotationibus in illum, rationem reddidit ipſe Galenus 6. *epidem. ſect.* 4. *comm.* 26. quia ſcilicet partes non trahant, niſi quod ſimile, qua eadem ratione Princeps extenuatus manet, prohibentibus illius nutritionem biliosi redundantes in venis ſucci, quorum copiam demonſtrant continuæ expulſiones ad cutem eorum, ſimul, & ad ventrem, & reliquæ bilioſæ terminationes morborum.

Quartò, alia etiam peculiaris ratio in Principe, videtur impedire, quo minus aperiatur fontanella in illo. Quia id, quod minatur periculum in Principe, & ratione cuius proponitur neceſſaria in crure, ſunt febres, quibus per quaſdam quaſi periodos infeſtatur, ad quas reliqua ſubſequuntur accidentia, vt ex hiſtorica enarratione patet. Sed hæc nequeunt per fontanellam præcaueri, quia ex eadem enarratione patet, quod pendent ex ventriculi cruditatibus, quæ in illo generantur à debili illius calore, fontanella autem nequit debilem calorem adaugere, nec poteſt euacuare ventriculi cruditates, quia nullæ ſunt viæ communes, per quas poſſint excrementa ventriculi, aut primæ regionis deferri ad crus; ſolum enim expurgari poſſunt per ventrem, aut vomitum.

Peculiaris hæc obiectio contra Principis fontanellam ex ſupra dictis manet refracta. Conſtat enim, quod fontanella eſt Principi neceſſaria, ad plures alios morbos vitandos, ad vitandam epilepſiam, quæ ex coinquinamento in vtero contracto timetur, ad vitandam illam, prout timetur ab hæreditaria labe, & ad vitandam hemicraneam hæreditariam, à quibus eſſet indicata, etiam ſi nulli illi superuenirent morbi ex propriis intemperiebus, vnde ſupponit falſum obiectio, quod ob hos morbos ſit indicata tantum.

Secundò ſupponit falſum; dicendo, quod fontanella conſulitur à nobis in crure ad vitandas febres, & reliqua accidentia, quia poteſt euacuari per illam cruditas ventriculi, ex qua fouentur febres; quia iam fatemur, §. 2. quod huiuſmodi cruditates debent præcaueri, & curari roborando ventriculum, ipſas concoquendo, & euacuando præcipuè per purgantes clyſteres, vel exhibito lenitiuo aliquo purgante pharmaco, in his enim exequendis adhæremus doctrinæ Hippocratis, & Galeni, qui in debita victus ratione, & ventriculi corroboratione, & mundificatione inſiſtunt maxime, dum pendent morbi ex cruditatibus ventriculi, ſicut & Auicenna, præcipuè in curatione febris ex nauſeatiua ſatietate.

Sed nos vlterius attendimus ad bilis portionem, quam §. 6. probauimus refluere à iecore, & venis in ventriculum, & ab illa conturbari, & impediri ventriculi coctionem, conſpurcari alimenta, & cruditates congenitas alterari, febres accendi, & reliqua ſubſequi accidentia, & in hunc finem cenſemus aperiendam eſſe in crure fontanellam, vt iecur attemperet per accidens, expurgando bilioſos humores, quibus ſcatet, & alteratur etiam, & vt reuellat, & attrahat ad ſe ſuperfluos redundantes ſuccos bilioſos, qui continuo refluunt ad ventriculum, & modo dicto conturbant illius coctiones, & ſunt cauſa febrium, & ſæpiſſime in ventrem delapſi cauſant bilioſas deiectiones, ſimul, & crudas, ventrem conturbando. Non autem intendimus per fontanellam ventriculi attrahere cruditates, quæ vomitu, aut per ventrem tantum purgari petunt.

Quintò, peculiariter videtur probari fontanellam in crure pro præcauendis febribus, & accidentibus ex illis ſubſequutis inutilem eſſe in Principe. Si aperiatur ad iecur attemperandum, & ad euacuandos bilioſos ſuccos ſuperabundantes, quia huiuſmodi ſucci bilioſi non generantur in iecore, ſed in ventriculo fit nidoroſa ſubſtantia, quæ ad ventrem cum ſuccis crudis deſcendit, & dum fertur cum alimento ad iecur, & venas, eſt cauſa excretionum cutis: cùm ergo fontanella in crure non attrahat à ventriculo humores in ipſo congenitos, & contentos, fruſtra aperiretur in Principe pro euacuatione horum humorum, & pro præcautione febrium, quæ dependent ex illis.

Hæc à nobis præponderata obiectio maiorem videtur inferre vim, ſed falſo nititur fundamento contendens, quod ventriculus Principis valeat nidoroſam ſubſtantiam ſimul, & cruditates maximas, eodem ſimul calore remiſſo, & ex eodem alimento laudabili producere. Tum, quia in §. 6. demonſtrauimus bilioſos humores redundantes in Principe in iecore generari. Tum quia nec poteſt dici bilioſos humores in febribus fieri in ventriculo Principis: nam ſine febre continuò habet in cute rubores, & exanthemata, quæ ſuperfluos humores bilioſos demonſtrant redundantes, qui non potuerunt à febre generari. Tum quia ante febres ſunt excretiones, & plerumque, febres ſubſequuntur ex retroceſſu exanthematum. Tum quia conſtat ex enarratione hiſtorica, quod rubræ ſunt excretiones, quod rubro ſæpe colore perfunditur cutis, qui color atteſtatur ſanguinem bilioſum, quem nequit ventriculus generare cum febre, nec ſine illa, quia ſoli iecori data eſt virtus illius generatiua. Tum bilioſi humores petunt fieri ab igneo, adurenteque calore cum prædominante ſiccitate, qui in ventriculo Principis nequit reperiri, cum remiſſo gaudeat calore cum prædominante humiditate. Tum qui Galenus *lib. 1. de locis affectis*, inquit: *Age rurſus, vt quiſpiam nidoroſum ructum emittat, nihilque nidoroſum comederit, nimirum huic igneum quendam calorem à ventriculo eſſe dicendum.* Cum igitur igneus calor non ſuperabundet in Principis ventriculo, nequit nidoroſam ſubſtantiam, nec bilem producere. Tum quia ex cruditatibus aquea natura, ac humiditate gaudentibus non datur apta materia, ex qua bilis generetur. Tum quia Galenus loco citato, paucis interpoſitis, docet, quod fit nidoroſa ſubſtantia in ventriculo, vel ab intemperie calida illius, quod nõ cõtingit in Principe, qui illa nõ gaudet, vel à commixtis humoribus bilioſis, à iecore, aut venis tranſmiſſis ad ventriculum, quod docet ipſe Galenus cognoſci, quia bilis apparet commixta cũ excrementis in deiectionibus, qualiter ex hiſtorica enarratione patet contingere in Principe, cum febre aut ſine illa: ex qua doctrina Galeni colligitur, Quod ſi quæ fieret nidoroſa ſubſtantia in ventriculo Principis, hæc deberet prouenire à bile in ipſum tranſmiſſa à iecore, & venis, quam nos paulatim euacuandam eſſe per fontanellam iudicamus, ne refluat ad ventriculum: quocumque enim modo refluat, illius interturbat coctiones, & fit febrium cauſa modo dicto.

Sextò,

Sextò, fontanellæ vſum in Principe pro præca-nenda hæeditaria epilepſia inutilis videtut, quia nullam poteſt præſtare vtilitatem, nam epilepſia, vt hæteditaria aut eſt qualitas, quæ cum petat cum ſuo contraiio curari, & fontanella non ſit illi contra-rium, neque illam valebit curaic: aut eſt intemperies contracta ex ptincipiis generationis, & hæe nequit etiam pee fontanellam auferri, quia inſita, & natura-lis eſt ſubiecto: eego nullo modo eſt ex vſu pro epi-lepſiæ curatione.

Doctoe Santa-Cruz maximè diuagatur in diſ-ſoluenda hae obiectione, quæ nihil conuincit con-tra nos; adhuc ſi ob bane ſolam cauſam fontanellam neceſſariam iudicaremus: nam nititur falſo funda-mento, non enim intendimus pee fontanellam præ-caueri epilepſiam, ob rationes poſitas, ſed quia ex hæreditaria epilepſia ob contractam debilitatem continuò generantut in cerebro pituita, crudive ſuc-ci, qui retenti acquieunt, quaſi putredinalem diſ-poſitionem, & ieritantem facultatem: & ſuſcitant epilepticos inſultus, iuxta doctrinam Hippocratis *lib. de morb. ſacro, text. 57.* & ad euacuandos bos ſuecos paulatim, & continuò, ne aggregentur in ceeebro, conſulimus funtanellam, pro præcauenda epilepſia hæeditaria. Q'æ doctrina etiam deduci-tur ex Galeno *lib. 6. aphor. comm. 28.* inquit enim: *Qui podagra eſt laboraturus, neceſſe eſt pedes habeat imbecilliores, ſicuti cerebrum infirmius, qui epilepticus eſt futurus*, & paulò infra, quaſi docens præcauece hos morbos ſupeeaddit: *Non affluet autem, ſi corpus ſemper excrementis vacet.* Ergo vt Princeps præca-ueatur ab epilepſia hæteditaria, debet ſempee vaca-re excrementis, quæ ex cerebro infirmo generantur, quod per fontanellam, quæ illa euacuet continuò, ſecurius conſequetur.

Septimò fontanellam in Principe non eſſe ape-riendam, adhuc ſi ſic indicata, ſuadet: quia nullus eſt locus aptus in Principe, in quo poſſit apeciri. Quia ſi fiat in crure ob ventrieuli cruditates, nihil ex illis poteſt euacuate. Si fiat ob caput expurgan-dum in crure, nullæ ſunt viæ per quas contentum in capite valeat ad ſe trahere, nec eſt illi virtus tra-hendi a tam diſtantiori parte. Si fiat in brachio, at-trahet ad caput redundantes ſuccos ex ventriculo, & bilioſos ex iecore, & erit cauſa, vt grauetur caput, & ſuſcitetur epilepſia, quæ timetur in illo. Si fiat in oc-cipitio, maxima minantur pericula ex illa, quæ Ser-na refert, & ante ipſum Syluaticus *lib. controuer. me-dicar. in 97.* & ante ipſos Galenus *lib. 1. ſecund. locos cap. 1. §. Neque enim facile exuritur capitis pars, quæ occiput, & Græcis inium appellatur, neque etiam citra moleſtiam refrigerantia ſuſtinet, propterea quod iſtic principium ſpinalis medullæ exiſtat, ad ſtipitis modum in multos ramulos diuiſa. At verò regio capitis iuxta ſyncipiut propter laxitatem coarticulationis iuxta eorun-dem ſuturam, & oſſium tenuitatem, & raritatem facile tum caliditatem, tum frigiditatem omnium, quæ adhi-bentur pharmacorum, intro diſtribuit*, ex quo apparet nullibi poſſe in Principe fontanellam aperiri.

Decreuimus fontanellam Principi affigendam eſſe in crure ob rationes poſitas in §. 7. non ad ex-purgandas ventriculi cruditates, quas euacuandas per ventrem diximus, ſed ad attempecandum iecur, & expurgandos bilioſos humores, ex quibus tot incom-moda ſubſequuntur contra ſalutem Principis, & ſi-mul ad reuellendum humores ad ventriculum, & iecurem confluentes, & aliqualiter à capite ob com-munem conſenſum pattium, iuxta illud Hippocra-tis, conſpiratio omnium, conſenſus vnus, & quia præualet indicatio ex Galeno, eius, quod magis ve-

A get, & inter morbos, à quibus indicatue fontanella in Principe, màgis vrget neceſſitas præcauendi mor-bos infeſtantes illum, prouenientes ab illius intem-periebus, quam morbi, qui timentue hæreditarij, qui nondum infeſtati ſunt illum, & ſi à iecore time-tur ſurſum eefluxus, ſub crure dextro probauimus aperiendam fontanellam, & annuit Gauaſetus *lib. de natura cautery cap. 19.* agens de loco affigendi cauterij inquit: *Cum verò moueatur ad caput, in crure dextro, vt ad partem ignobiliorem: & à nobilioribus ad longe diſtantem auocetur*, & cum vlterius funtanella ſit indicata à morbis caput minantibus, ſi non peoxi-me euacuando, qualiter ſi affigeretue in occipitio, nec in vicinam partem deriuando, qualiter ſi affigere-tur in beachio, ſaltim reuellendo, in parte diſtantiori, B pro eiſdem morbis erit ex vſu.

Octauò videtur obſtate fontanellæ in Peincipe, quod in inguine, vt patet ex enarratione hiſtorica paſſus fuerit tumorem: ex fontanella enim traheee-tur humoe veeſus partem illam, acquireeet debilita-tem, laxitudinem; vel aptitudinem ad recipiendum, quod maxime vitari debet.

Sed modus tumoris, & illius terminatio demon-ſtrant vtilem fure fontanellam ad eius præcautio-nem; quia conſtat ex hiſtoeica enarratione, quod cueatus fuit à natura pee diarrhæam bilioſam ſupee-uenientem, & ars præcauebit cum fontanella, quæ euacuet bilioſos redundantes humores, ante quam C natura ab illis irritata ipſos trudat in inguina.

Nonò, non poteſt fieri fontanella, adhuc ſi futura eſſet Principi neceſſaria, ſine metu perieuli ob in-commoda, quæ ſubſequuntur in apertione: ergo pro-ptee dubiam ſpem in ſalute Principis, non debee ex-perici periculum ex apertione comminatum. Quod poſſint ſubſequi pericula, protulit Fienus *lib. 3. de cauteriis cap. 1.* dicens, quod ratione vſtionis poteſt ſubſequi inſignis calefactio, & inde inſignis doloe, quod internæ partes nimis vrantue, quod humores vſtione intempetentur, quod moti, & fuſi rapiantur in partes principes, quod inde febris ſubſequatur, & ſyncopis, aut ſubita moes, quod pars debilitata cau-terio humorum fluxu obruatur. Quod ſi corpus eſt cacochymum abeat in gangrenam, vt præcanet Aëtius *terrabili 3. ſermon. 2.* quod comburantue ar-D teriæ, venæ, nerui, aut tendunes, & inde dolo-res, conuulſiones, ſanguinis effuſiones ſubſequan-tue, quod ſi fiat non debito modo, aut in non debi-to loco, aut non conſtituto tempore materiam ad-ducat, quò non deberet, aut reuocet vbi non con-uenit.

Magna proponuntur pericula, ſed hæc omnia prouenire poſſe fatentur authoees ex indebita fonta-nellæ adminiſtratione, quæ in Principe potius vita-bitur, quam in reliquis, in quibus docet expecientia aperiri fontanellas ſine aliquo incommodo ex an-numeratis, quod idem in apertione fontanellæ Prin-cipis ſpectandum eſt.

E Decimò tandem nos poſſet deuiare ab apertione fontanellæ in Principe, quod plura ſoleant ſubſe-qui accidentia ob fontanellas poſt earum apertio-nem. Nam vt latè proſequitur Gauaſet. *lib. 3. de natura cauterij cap. 21. & ſeqq.* poſtquam factæ ſunt fonta-nellæ ſuperuenire ſolent doloees, inflammationes, eryſipelas, excoriationes, excreſcentiæ carnis, à loco motiunes, caloſitates, & ſiccitates, quæ cum moleſta ſint, debene in Principe euitari.

Sed nec hæc obſtant; nam ſi proueniant ex incu-ria, vt pleriſque contigit, hæc non timenda in tanti Peincipis ſalure, ſi timenda ob ſuperfluos vi-tioſos humores confluentes in partem; in qua eſt

fontanella, boc intendimus, quod pet illam trahantur in ignobiliorem pattem humores, qui ſi refluerent in partem principem, ægtum poſſent de medio tollete: facilius enim poſſemus ſubuenire accidentibus in crure ſuperuenientibus ob occurrentes humores, quàm tecurrentibus in caput, aut aliam pattem principem. Hippocrates enim 1. *aphoriſ.* 21. inquit: *Qua ducere oportet, quo natura vergit per loca conſerentia eo ducere.* Galenus *in comment.* inquit: *Oportet igitur medicum natura motum animadnertere, & ſi quidem idonens fuerit, ei conuenit adminiculari, & cooperari, ſi verò contrarius, & noxius, hunc prohibere, transferre, ac dinertere oportet.* Ex cuius doctrina, & nos conamur in Principe per fontanellam *humorum natura motum noxium prohibere*, transferre, & diuertete in partem ignobilem, & infra ventrem ex Hippoct. *lib. 1. epidem. ſect. 1. §. optimi ſunt inferni, & longiſſimi infra ventrem.*

§. IX.

Totius diſcurſus concluſio, & fundamenta ex dictis deducuntur.

FOntanellam in crure dextro pro Principe Hiſpaniarum indicamus non ſolùm vtilem pro præcauendis morbis, quibus eſt obnoxius, & à quibus ſæpè infeſtatur, ſed neceſſario aperiendam pro eius vita conſeruatione.

Probatur primò. Remedium quoduis iuxta Medicos Rationales debet exerceri, *dum adeſt præſentia poſtulantium, & abſentia impedire valentium.* Sed vſque ad §. 7. demonſtratum eſt, quod adeſt præſentia poſtulantium in Principe fontanellam. Et in §. 8. manet demonſtratum, quod eſt abſentia impedire valentium illam in Ptiocipe: Ergo fontanella apetienda eſt io Principe, vt neceſſaria ad eius vitæ conſeruationem.

Probatur ſecundò Ex §. 8. vnicuique conſtabit nullum poſſe ſubſequi periculum Principi pet fontanellam: imò plures ſubſequi poſſe vtilitates ex illa. Sed ex §. 3. 4. 5. 6. & 7. manifeſtè conſtat, quod imminent plures morbi periculoſi, niſi præcaueantur pet fontanellam: Ergo pro eorum præſeruatione neceſſariò eſt apetienda fontanella in Principe, & pro eius vitæ conſeruatione.

DIXIMVS,

Si non quidquid dici potuit, forſan quidquid dici oportuit.

HIs propoſitis, contrariiſque fundamentis à contrariè opinantibus tecenſitis, quia æquali nomeio Archiatrorum, hæc pars, & contraria tuebatur, tres Auguſtiſſimæ Reginæ noſtræ procreantur Medici, à quibus vtriſque fundamentis præponderatis, vnanimi aſſenſu in noſtram coinciderunt opinionem: fuit fontanella aperta, cum qua Princeps benè ſe habuit, donec ſuperueniente febre tertiana notha continua, cuius acceſſiones duplicatæ erant febre omnibus diebus, & aliis accidentibus ſubſequutis 22. die obiit.

A

CONSVLTATIO TERTIA.

De præcautione inſultus Epileptici in puerperio Auguſtiſſimæ Reginæ noſtræ.

CONTINET

§. I.

Ex euentibus neceſſitas præcautionis, & qualis fuerit proponitur.

B

§. II.

Proponuntur cauſa epileptici inſultus, in puerperio Auguſtiſſima Regina noſtra.

§. III.

Curationis ratio ex indicatione à cauſa, & qua antiepileptica forent ex vſu.

C

§. IV.

Nunquam in puerperis acuto morbo correptis adhuc in ſuperioribus partibus ſanguis eſt mittendus ex brachio.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Ex euentibus neceſſitas præcautionis, & qualis fuerit, proponitur.

D AVGVSTISSIMA Regina noſtra parturiens filiam ſereniſſimam Ambroſiam, ſereniſſimúmque noſtrum Principem Carolum Proſperum, ſtatim à partu lethali ferè epilepſia fuit oppreſſa, antiepilepticis auxiliis, & ſanguine miſſo, licet cum diſcrimine, fuit io ſanitatem reſtituta. Parturiens vlteriùs ſereniſſimum Infantem Ferdinandum, præcautionis causâ ſtatim à partu ſanguinem miſimus: plurimam, poſt phlebotomiam, expurgauit lochiorum copiam concretorum. Poſt duas horas itetum ſanguinem miſimus ſimiliter ex talo, & iterum ſimili modo poſt ſex horas intra eundem diem; in ſubſequente iterum phlebotomatur. His libetata fuit in hoc puerperio ab Epileptico in-
E ſultu, & lochiis largè fluentibus, ob phlebotomias confertim repetitas, benè ſe habuit.

§. II.

Proponuntur cauſa Epileptici inſultus in puerperio Auguſtiſſima Regina noſtra.

SExcentorum morborum cauſa eſt vterus. Hippocrates 5. *aphoriſm.* 57. *ſi menſtrua non fluant ab vtero, morbi contingunt; ſi largè ſuperueniant, morbi fiunt*: Nam, vt inquit *lib. de loc. in homine: Vteri omnium morborum muliebrium ſunt cauſa*, habet enim vterus ſympathiam cum omnibus corporis partibus, cum cerebro per neruos, cum corde per arterias,

ſpiritus, vnde ſyncope, cordis dolor anxietas, exolutio; cum hepate per venas, ex quarum occluſione innumeti in iecore, & contentis partibus ventris & in teliquis in qoas tefluit ſanguis, contingunt morbi. Ptæcipuè tamen in tetentis lochiis menſtruiſque ſupptesſis, Epilepſiæ fiunt: inquit enim Hippoctates *lib. coacar. pranot. Salutare eſt muliebria non cohiberi, nam inde eueniunt epilepſia*, ptæcipuè tamen nocent tetenta lochia, quia vt inquit Galenus *lib. 3. Epidem. ſect. 3. comm. 73. Quippe menſtruorum ſuppreſſio offendit, tamen non perinde vt ſi à partu ſupprimantur, efficit; quod non abundantiam modo, ſed inſignem etiam humorum pariunt prauitatem*. Sunt enim lochia ſanguis fæculentus, deterrimus, à quo vtilis ſeparatus fuit pro fœtus alimonia, per longum conceptiouis tempus, in eloaca vteri retenus, labe fœdatus, cuius malitiam conteſtantur ſymptomata, quibus continuò grauidæ afficiuntur, quibúſque infeſtantur in puerperio, ſi non debitè expurgetur. Qualiter ex enarratis conſtat Reginam noſtram hanc ob cauſam graui epilepſia infeſtatam fuiſſe, nóſque coactos fuiſſe ter ſanguinem mittere intra ſex horas à partu; quæ ptaxis, affatimque adimpleta euacuatio, licèt non ſit nimis vſitata, apud Medicóſque commendata; ipſam ſuaſit tatio, exegit neceſſitas, apptobauit euentus.

Eſt affectus, quo infeſtabatur ex Galeno *lib. 3. de locis, Conuulſio omnium corporis partium, non perpetua, ſed qua ex temporum interuallis accidit, cum mentis, ac ſenſuum oblaſione*. Alia eſt idiopathica: Alia per conſenſumà ventriculo, aut aliis partibus, & ſub hac communior eſt, quæ fit ex conſenſu cum vtero, ſiue in non prægnantibus, de qua communiter, qui Gynæptiorum ediderunt libros, & inter conſulentes Fonſeca *tom. 1. conſil.* 15. Schenkius *lib. 1. obſeruat.* Porunerus *conſil.* 13. Guatin. *conſil.* 197. Hugo *conſil.* 82. Fulpius *lib. 1. conſil.* 10. Alia ſuperuenit tempore, quo mulieres vtero getunt. Vidimus prægnantem per viginti quatuor hotas patientem vltra triginta inſultus epilepticos per plures dies. Leuis erat cauſa, vapor, inquam, ex vtero eleuatus: reſtituta fuit ad ſanitatem à nobis ſanguine miſſu ex pede: hanc epilepſiam obſetuarunt Lotichius *lib. 2.* Schenkius *lib. 1.* à quibus ſanguinis miſſio ex pede proponitur exercita ſine offenſione fœtus, quod Horatius Augenios magis confirmauit. Non ita frequens eſt epilepſia ex vtero tempore puerperij, quæ ſuperuenit Reginæ noſtræ; Vidit tamen illam Valleriola *lib. 4. obſeruat. 6.* poſt lochiorum nimiam euacuationem; nos in Regina vidimus ex ſupptesſis lochiis: & hanc docuit Hippoctates citatus *coacar. pranot.* vbi inquit: *Salutare eſt muliebria non cohiberi, nam inde eueniunt epilepſia*.

Huius inueſtigantes cauſam, iudicauimus fuiſſe eleuatos vapores ex lochiis tetentis & commixtis, ex quibus matronæ à Valleriola relata inſultus plures paſſa eſt epilepticos; quam epilepſiæ cauſam obſeruauit Zacutus *lib. 1. de hiſtor. mirabili, obſeru. 26. Poſt partum*, inquit, *præſertim violentum, aurâ venenatâ ab vteri ergaſtulo aſcendente, ex ſuppreſſo putreſactoque menſtruo retento eleuatâ; diri, funeſti, venenoſique morbi ab vtero tamquam à primario fonte ſcaturiunt*. Reddenſque rationem malignæ huius qualitatis, eam deducit ex prauo ſubſtantiæ modo, quem acquirunt retenta lochia in vtero; quod docuit Galenus *lib. 3. Epidem. ſect. 3. comm. 73.* dicens, *Quippe menſtruorum ſuppreſſio offendit, non tamen perinde, vt ſi à partu ſupprimantur, efficit, quod non abundantiam modò, ſed inſignem etiam humorum pariunt prauitatem; nam meliorem ſanguinem ad ſe, ceu nu-*

A *trimenti causâ alliciens, relinquenſque deteriorem; cauſa eſt, vt prægnantes prauis humoribus repleantur, quos à partu eleuat natura*. Nec ex hac communi cauſa ſequitur, quòd omnes parturientes deberent iis affici inſultibus epilepticis: Tum quia nec in omnibus generantur humores æque praui: Tũ quia nec in omnibus eſt æqua diſpoſitio in capite ad reſiſtendum: & Regina noſtra caput habet infirmum: orta eſt enim ex parentibus, qui paſſi ſunt epilepſiam, & ipſa hæmicranias patitur, quibus fit aptius caput ex Hippocrate, vt profligetur Epilepſia. Nam *ſi aliqua pars ante morbum dolet, aut labore fatigata eſt; ibi morbus firmatur*.

Sed præter hanc communem cauſam in Augu-
B ſtiſſima Regina noſtra, cum caput repleri conſpiceretur, & facies quaſi tumida, & rubra appareret, in mentem venit, quòd non ſolùm ex maligno halitu, vaporéve eleuato ex vtero fierent in illa epileptici inſultus; ſed ex ſanguine lochiorum, qui cum non poſſet erumpere per vterum, refluit ad caput tanquam in partem, ob rationes dictas, infirmam, quem humorum recurſum docuit Hippocrates *lib. de morb. virginum, §. Poſteà enim ſanguis in vteros confluit, veluti effluxurus; cum igitur oſculum exitus non fuerit apertum, ſanguis autem amplius influxerit, propter cibos, & corporis augmentum: tunc ſanguis non habens effluxum, pra multitudine reſilit ad cor, & ad ſeptum tranſuerſum: cum igitur hac repleta fuerint,*
C *cor fatuum fit, & deinde ex fatuitate torpedo, poſteà ex torpedine delirium apprehendit*. Conſtat qualiter ex Hippocrate ab vtero ſanguis in caput refluit: ſi in pauca quantitate intemperat, & cauſat delirium: ſi in maiori, ita vt venæ repleantur, fit venarum interceptio & occluſio, quod videtur reformidari ab Hippocrate ex curatione quam pauló poſt proponit, dicens: *Caterùm curatio, vt hinc liberentur eſt ſanguinis detractio*. Sed luculentius docuit *lib. 4. de ratione victus, §. Vt aliquis repente voce priuatus fiat, venarum interceptiones faciunt, ſi ſano hoc contingat, abſque manifeſta cauſa*: & ſuperaddit: *Coincidunt autem plurimis ipſorum hac, rubores faciei, oculorum ſtabilitates, digitorum in manibus diſtenſiones, dentium*
D *ſtridores, maxillarum contractiones, extremitatum perfrigerationes, ſpirituum per venas interceptiones*.

Cum igitur ſuperueniente inſultu epileptico, derepente voce priuetur Regina noſtra, & hæc nuper relata ſuperueniant ſymptomata, & cauſa ſupra poſita videatur præcedere; Epilepſia videtur ex interceptione venarum in illa: Galenus enim in comment. ad prædictam ſententiam dicit: *Venarum interceptiones appellat oppletiones, quæ à copiâ exoriuntur: Cum igitur ſupra modum oppleta fuerint vena, grauari virtutem eſt neceſſe, ac in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, qua ob copiam ſuffocationis*
E *quippiam ſimile patitur, oriuntur ſiquidem epilepſia, & apoplexia, & ſyncopa cardiaca*. Nec alienum ex dictis apparet à ratione, quòd ſuperueniens Reginæ Epilepſia potiùs ex refluxu humorum ad caput, quàm ex vapore ſuperueniat, quod oſtendit curatio, quæ per pluries repetitas ſanguinis miſſiones fuit conciliata, & præcipuè ex ſubſequuta ex illis copioſa euacuatione ſanguinis lochialis concreti.

§. III.

Curationis ratio ex indicatione à cauſa, & quæ Antiepileptica forent ex vſu.

SVmpta indicatione à cauſa ſanguinem copiosè, & confertim miſimus ex talo, ſiue enim epilepſia foueretur ex refluente ſanguine ab vtero, ſiue ex vapore eleuato ab ipſo, in vtero retento, ſemper eius vrgebat euacuatio per vterum: quæ nullo alio auxilio efficacius concitari poſſet, quam ſanguine miſſo ex talo; quod Hipp. docuit *lib.* 1. *de morb. mulier.* vbi ad facilitandum partum, ipſúmque amouendum ab vtero, nullum præſtantius remedium adinuenit, quàm ſanguinem mittere ex talo, & præcipuè pro curandis B morbis ortis in eniais ex retentis lochiis, ſanguinem mittendum ex talo docuit *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 4. *in hiſtoria famulæ Stymargi*. quam liberauit à morbo superueniente ex retentis lochiis, ſanguine ex talo miſſo; cuius reddit rationem; *quia ad occaſionem oportet venire, & occaſionis initium*. Quâ doctrinâ edoctus Zacutus *lib.* 1. *de hiſtor. mirabili obſeruat.* 26. in fœmina, quæ ſtatim à partu incidit in Epilepſiam ob retenta lochia, non ſolùm ſanguinem miſit ex talo, ſed per ſanguiſugas vtero affixas, proximè ſanguinem vtero exhaurire contendit.

Pro adimplendâ indicatione ſumptâ ab affectu Epileptico, cogitabamus de antiepilepticis præparandis, propoſui puluerem de la gutteta, apud pharmacopeos Monſpelienſes vſitatum: & tranſlatum ſic à Riuerio. C

℞. Radic. pæoniæ; ſemin. eiuſdem, Dictamni albi: viſci quercini. ana ℥ß. ſemin. atriplicis ʒ. ij. cranij humani ʒ. iij. corallor. rubror. præpar. Hyacynth. præpar. ana ℥ 1. ß. vngulæ Alcis præpar. ℥. ß. moſchi ℈. j. folior. aur. ʒ. j. miſce fiat puluis doſis. ʒ. j. cum aqua ex antiepilepticis.

Renuerunt reliqui hoc medicamentum illis inuſitatum; placuerunt illis pulueres quos Regibus propoſuerat Legatus Imperatoris, quorum compoſitio ſic.

℞. Oſſis ſpinæ anguium, vel viperarum, callorum D durorum exorientium iuxta articulationes crurum equorum, cornu cerui vſti oſſis de corde cerui ana ʒ. ij. cornu vnicornis; vnguis Alcis, vnguis magnæ belluæ, maxillarum piſcis Auratæ, lapidum in cerebro piſcis Percæ inuentorum, margaritarum præparat. coralli rubri, coralli albi, terræ ſigillatæ albæ ex Malha aduectæ ana ʒ. j. carbonum ex tilia, ſeminis Fraxini. Rad. pæoniæ, viſci quercini: (lignum crucis dictum) viſci ex auellanis, herbæ geranij, ſeu robriſiconiæ, flor. papauer rubri. granor. nigror. pæoniæ ana ʒ. j. ſeminis rapæ, oſſium paſſeris, Aquileiæ, myrrhæ elect. ana ℥ 1. ß. folia auri num. 35. terantur omnia, fiat puluis.

Hoc effluuiuum medicamentorum antiepilepti- E corum, imo plurium numerum, non finem adimplentium, non ita placuiſſet nobis, ſi permaneret affectus, ſicut electuarium propoſitum à Zacuto *lib.* 1. *de Praxi Mirabili*, ſic.

℞. Conf. Hyacinth. confect. Alcherm. Electuar. de gemmis; Lætificantis Rhaſis ana ʒ. j. theriacæ. ℥ß. theriacæ ſmaragdor. ʒ. ij. lapidis Bezoar ʒ. ij. ß. Aromatic. roſat. diamarg. vtriuſque. diarrhod. Abb. ana ℥ß. diamoſchi ʒ. j. trochiſcor. Galliæ moſchat. ℈. j. marg. præpar. rubinor. præpar. ana ʒ. j. coral. rubr. ʒ. ij. Puluer. vetinium rubi. rutæ ſiccæ ana ℈. j. cornu cerui vſti, vnicornis ℈. j. raſuræ eboris vſti, cinamom. ana ℈ ß. Criſtallorum præpar. ʒ. ß. viſci quercini A ℈. j. Angelicæ, flor. anthos ʒ. j. dictamni, Zedoariæ Valerianæ, Been albi & rubri ana ℈. j. ß. ſerici crudi torref. ℈. j. galangæ, ſemin. ocimi, cardamomi ana ℈. j.

Puluer iſanda pulueriſentur, & ſequenti ſyrupo excipiantur.

℞ Seminis meliſſæ ℥ 1 ß. betonicæ ʒ. ij. flor. ſtœchados ʒ. ij. ß. Spicæ Indicæ ℥ß. Saluiæ m. ß. Aniſor. marathri ana ʒ. j. myrabol. Indor. citror. num. XX. flor. boriag. ʒ. j. rad. acor. ℥ß. coque in lib. iiij. æquæ ad duarum partium conſumptionem, colaturæ adde mellis deſpumati quod ſufficiat, vt fiat Syrupus, quo prædicta excipies. Fiat electuarium.

Paracelſus ſpecificum indicat pro epilepſia ex vte- B ro guttulas olei ligni Heracki, & tincturam granorum actes, ſeu ſambuci. Fertur fœminam per plures annos vexatam epilepſia hyſterica ſanam euaſiſſe ſumpta lupi carne in puluerem redactâ, & continuo geſtando fruſtulum eiuſdem carnis ſalitæ.

§. IV.

Numquam in puerperis acuto morbo correptis adhuc in ſuperioribus partibus, ſanguis eſt mittendus ex brachio.

SAnguinem miſimus in Regina noſtra ſemper ex pede, adhuc ſi in capite vrgeret neceſſitas C euacuandi cauſam morbificam, iudicantes foueri affectum, per conſenſum ab vtero: & ex doctrina Hippocratis *lib.* 2. *Epidem. in hiſtoria famulæ Stymargi.* deueniendum eſſe ad cauſam, & cauſæ initium. Sed non parum vrget difficultas apud Iuniores propoſita. An ex brachio deberet etiam mitti ſanguis in vltimis ſaltem euacuationibus, adhuc fluentibus menſtruis: affirmatiua enim pars Præclariſſimos haber patronos claſſicóſque Medicinæ profeſſores, à quibus arduum eſt diſcedere.

Morbi, qui in puerperio ſuperueniunt lethales, & indigentes ſanguinis miſſione non ſolùm ſunt epilepſiæ, ſed ſi lochia ſupprimantur, vt tenet Auicenna *fen.* 21. 3. *cap.* 35. fiunt febres, difficiles reſ- D pirationes, anginæ, pleuritides, paraplexiæ, maniæ, melancholiæ, phrenitides, qui morbi vno ex duobus fiunt modis, vel ex imminuta, aut larga lochiorum euacuatione; vel ex mala humorum diſpoſitione, aut apparatu, commotis ex labore partus, licet proſpera fiat purgatio lochialis: contingit etiam lochiis proſperè fluentibus, ex eorum ab aliqua cauſa retentione ſuccreſcere morbos, vt *lib.* 1. *Popul.* conſtat ex Hippocrate contigiſſe in vxore Philini in Thaſo; quæ poſt rectam euacuationem ex retroceſſu, recurrente fluxione ad iecur, febricitauit ex eius eryſipelate, aut inflammatione: de laborioſo, & abortiuo partu, patet apud Hippocratem 3. *Po-* E *pul. p.* 2. in ea quæ apud Pantimedem abortum fecit, in hiſtoria vxoris Occete, & quæ decumbebat in foro mendacij 3. *Epidem. p.* 2. ex morboſo apparatu, incidit in febrem; in quibus ſuperuenit neceſſitas mittendi ſanguinem, communis Praxis tenet ex talo mittendum eſſe.

Sed inter Iuniores claſſicos Fernelius *lib.* 1. *meth. cap.* 8. vbi tempore quo menſes fluunt docet ſanguinem mittendum eſſe ex brachio. Mercatus *lib.* 4. *de morb. mulier. c.* 11 Rodericus de Caſtro *lib.* 4. *de morb. mulier. cap.* 12. Riuerius *lib.* 15. *Praxis Medicæ cap.* 24. Valleriola *lib.* 5. *Medic. obſeruat. cap.* 10. Mercurialis *in Epidem. hiſtoria* 4. *in vxore Philini.* Horatius Augenius *l.* 1. *Epiſtol. tom.* 2. *ad Ludouicum Pium.*

Petrus

Pettrus Salius Diuerſus *lib. de affectibus par.icularibus cap. 23.* qui ſanguine ex pede miſſo, morbo perſeuerante tranſeunt ad ſanguinem ex brachiis mittendum, imo & aliqui ſtatim iudicant in vehementi inflammatione partium ſuperiorum, ſtatim deueniendum ad ſanguinem ex brachiis mittendum: inquit enim Salius, quod tunc ſiue ſofficienter expurgetur, ſiue non, ſtatim deueniendum ad ſectionem venarum ſuperiorum. Ratio horum eſt, quia, vt docet Galenus, quibus mittitur ſanguis per venam ſectam ex latere oppoſito in dolore laterali, aut tardam, aut obſcuram percipiunt vtilitatem; ex quo apparet, quòd ob maiorem diſtantiam ſectis venis pedis in laterali morbo aut angina, nullam percipiant vtilitatem, cùm tales venæ nullam habeant communicationem cùm venis partium ſuperiorum, à quibus fouetur morbus: quæ ratio conuincit de febribus ardentibus, quæ pendent ex materia intra vaſa maiora contenta, in trunco & ramis venæ cauæ aſcendentis.

Practica exercitatio inter doctiſſimos noſtrates ferè ſemper euertit hanc doctrinam, imo potiùs ſanguinis mittendi ex talo noua doctrina Practicantium modum introduxit, quod vnoquoque incipiente morbo ſanguis primis diebus mittatur ex talo, poſtea deueniatur ad brachium, etiamſi ſit in viris, fœminiſue, nec menſtruatis, nec puerperis: in iis vero abſurdum eſſet proponere ſanguinis miſſionem ex brachio, cuius opinionis ſtat acerrimus protector Corteſius *decade decima Miſcellaneor. q. 5.* tenet Trincauellus *lib. 12. cap. 1.* Amatus Luſitanus *centur. 7. curat. 31. centuria 1. curat. 34. & centur. 1. curat. 15.* quos ipſe ſequitur, & maximè luxuriat in conuellendis opinionibus contrariorum; ſuam tamen opinionem tuetur fundamentaliter ex Galeno *lib. de tremore, & palpitat. cap. 5.* qui illam docet his verbis: *Quod igitur ſanguine abundante venam incidere oportet, nemo non nouit, ſiquidem in venis ille continetur. Quod autem vtero affecto, circa talum, aut poplitem, diuidere conueniat; niſi prius venarum communiones ex vtero didiceris, haud poteris id, quod dico, aſſequi, alia enim alij corporis parti vena communicat, oportetque ſemper euacuationes ex communibus moliri: nam ſi venam, quæ nihil parti affectæ communicat, incideris, neque affecta medeberis, & ſanam ſemper offendes.* Superaddit Hippocratem in Stymargi famula ſanguinem ex talo mittentem, & Galenum maximè eum laudantem, quia ex talo non ex ſupernis partibus ſanguinem mittit, etſi tremor, & ſuperiorum partium morbi ſuperuenerint illi.

Ego verò ex ſupra dictis repeto, quòd morbi, & accidentia ſuperuenientia puerperis, aut fiunt ex naturali commotione ſanguinis confluentis ab vtero in mammas, vt ex illo generetur lac; aut fiunt, quia cum erumpere lochia nequeant per vterum, ſurſum refluunt, & fiunt epilepſiæ, vt diximus de Auguſtiſſimæ Reginæ noſtræ epilepſia in puerperio: aut confluunt ad iecur, pectus, vel alias partes ſuperiores, & in eis efficiunt inflammationes; aut intra venas ſuperiores putreſcunt, & fiunt febres: Vel morbi ſuperueniunt puerperis ob concluſa lochia & retenta in vtero, in quo putreſiunt, & cauſant febres, aut inflammationes: Vel fiunt prædicti morbi in puerperia ob vitioſos ſuccos quibus redundabant intra corporis venas, commotos, & agitatos, accenſóſque ob labores partus.

Morbi, qui ſuperueniunt ex naturali motu ſanguinis ad mammas, vel naturæ relinquendi, dum puerpera lactare contendit, vel ſanguis mittendus ex talo ad motum illum humorum reuellendum, dum

A non contendit lactare, ne lactis materia non neceſſarij refluat ad mammas.

Si verò ex lochiorum refluxu in ſuperiores partes ſuperueniant puerperarum morbi, ſemper ex pede ſanguis eſt mittendus, quia ex Hippocrate, oportet reuellere, ſi quò non oportet vergat humor, & ex ipſo in hiſtoria famulæ Stymargi, ſanguis in puerpera ex talo mittendus, dum refluxu eius in alias partes fit morbus quia *ad occaſionem oportet venire, & occaſionis initium.* Quæ doctrina maxime celebratur a Galeno. Ratio huius eſt, quia lochia (ex quibus fouetur confluxus ad partes ſuperiores; ſanguine miſſo ex brachio) ſemper fouebunt morbum, quia ratione phlebotomiæ adducentur, quò non debent moueri,
B cum potiùs petant reuelli, auocata per ſanguinis miſſionem ad vterum, ad quem nullum aliud remedium præſtantius attrahit, quàm ſanguinis miſſio, vt *lib. 1. de morb.* Hippocrates docet.

Dum autem morbi acuti, & lethales ſuperuenientes puerperis fouentur ex humoribus prauis, quibus omnes venæ ſcatebant ante partum, & ex eius commotione morbos cauſant, nec ex lochiis fouentur, & hæc perfectè expurgantur, tunc ſanguine miſſo ex pede, ex quo & lochiis fluentibus coniecturaliter conſtet, maiorem eorum partem euacuatam fuiſſe, poſitis ligaturis, & poſt phlebotomiam cucurbitulis affixis cruribus, ne ſupra refluant, iudico conferre ſanguinem mittere ex brachiis. Deduco fundamentum ex Galeni doctrina adducta à Corteſio pro con-
C traria opinione: inquit enim Galenus: *Oportetque ſemper euacuationes ex communibus moliri, nam ſi venam, quæ nihil parti affectæ communicat, incideris, neque affecta medeberis, & ſanam ſemper offendes:* Ergo ſi morbus non foueatur ex retroceſſu lochiorum, ipſoque impedito modo dicto, niſi venas incidamus, quæ cum parte affecta communicant, quales ſunt brachij venæ nec affectæ medebimur.

Consvltatio Qvarta.

D De primo Epilepſiæ inſultu, qui vitam ſuſtulit ſereniſſimi Infantis Ferdinandi.

CONTINET

§. I.

Natiua infantis debilitas proponitur, & infelix euentus.

§. II.

Qui affectus, varia eius differentia, & Authorum obſeruationes referuntur.

E

§. III.

Communis curandi via ex Dogmaticis, & Empiricis proponitur.

§. IV.

Quòd dubia ſit ſpes ſalutis in Epilepſia, & Epileptici quibus honoribus fiant inepti.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Natiua Infantis debilitas proponitur , & infelix euentus.

SERENISSIMVM Infanrem noſtrum Ferdinandum concomitatæ ſiunt ab ortu liuidæ excretiones extremitatum digitorum, oris , & labiorum , quæ per decem menſes permanſerunt , cum maiori , aut pauciore extenſione , cum magna viralium actionum,ac naturalium debilitate; quo tempore vixit ſemper ore ferè hiante, ſuperuenit in menſe decimo ventris dolor cum rugitu , & ploratu:poſt aliquas horas repentè oculis conuulſis, ſenſu fuit orbatus:Incepit concuti per interualla, ſic vixit vltra viginti quatuor horas , & omni ferè auxiliorum genere adhibito, numquam immunis omninò ſtetit, clyſteres , ſanguiſugæ , cucurbitulæ , ſiclepi , electuatia , extracta , inunctiones , & antiepilepsica nihil profuerunt ; nec innumera amuleta. Tandem obiit.

§. II.

Qui affectus ; varia eius differentia , & Authorum obſeruationes referuntur.

MOrbus puerilis , comitialis, Herculeus,caducus , ſacer, ſonticus , Arreptitius , Lunaticus, Maior, puerorum mater , ſeu epilepſia eſt actionum principum , ſenſúſque,& motus voluntatis ceſſatio, cum totius corporis concuſſione à materia acri , & peculiari,ac occulta vi cerebro infeſta , principium neruorum vellicante , conſtringente , & ad expulſionem irritante ex Tonſtonio. Nec homini eſt propria, vt protulit Atiſtuteles *ſect. 5. Problem.* 49. Sed communis capris , ouibus,coturnicibus,alaudæ, accipitribus,gtaculis , picæ , & perdici. Quòd capris accidat,& ouibus tenet Hippocratea *lib. de morbo ſacro text.* 46. Lælius Rhodiginius *lib. 6. antiquit. text.* 46. Quòd accidat canibus , tenet Scaliger *comm. in lib. 2. Ariſtot. de plantis*. Plinius *lib.* 11. *c.* 22. Iulius Solinus *in Pol. hiſtor*. Idem affirmat de coturnicibus,de graculis,& accipitribus Dalechampus *lib. 3. comm. in Plinium c.* 22. De pica, de perdicibuſque idem refert Aldroandus,& de aliis paſſeribus.

In homine præcipuè multiplex eſſe apparet epilepſia , alia ſenſata , quæ nuper definita eſt;alia non ſenſata, cuius meminit Auicenna,in qua torpor ſine concuſſione : alia eſt cum concuſſione ſine torpore, cum auditu , & memoria eorum , quæ contingunt in paroxyſmo , qualem vidit Brunerus *conſil.* 14. vel fit ſine actionum rectricum abolitione , nec locomotiuarum omni concuſſione , ſic non cadentem epilepticum vidit Marcellus Donatus *lib. 2. hiſtor. mirab. cap.* 4. & Beniuenius *de abditis morb. cauſ. cap.* 97. Sedentem Epilepticum vidit Dodonæus. Alia eſt epilepſia nullis cedens auxiliis , qualem experti ſumus in ſereniſſimo Infante. Alia eſt mitia , quæ ſuperatur ab illis. Alia eſt recens. Alia inueterata; Alia hæreditaria. Alia non hæreditaria. Alia eſt periodica. Alia non periodicans. Alia eſt idiopathica , qualis fuit de qua loquimur , quæ ſuperuenit illi per propriam cerebri affectionem , in quo perſiſtebat epileptica diſpoſitio , cum quâ fuit congeA nitus;qualiter poſſet cauſari docuit Hippocrates *lib. de loc. aëre , & aquis, & lib. de morb. ſacro text.* 46. quæ ex diſpoſitione matris poteſt ſuperuenire,vt obſeruat Fabricius Hildandus *centur. 3. obſeruat.* Fit etiam ob venenatam qualitatem cerebro communicatam ex partibus continentibus læſis , qualiter ex cranio cariato obſeruauit Vidus-Vidius *libr. ſecundo , morbor. particul.* Et ex ictu capitis obſeruat Langius *lib. primo epiſtol.* 10. Similiter ex vulnere in capite epilepſiam idiopathicam obſeruat Taranta *cap. de epilepſia*. In Infante autem ex hæreditaria labe , & natiua debilitate fuit idiopathicè congenita.

Herculeam huius affectus vim omnes Practici à vetuſtiori in noſtram vſque ætatem conati ſunt B deuincere , ſed præcipuè inter conſulentes, vt congerit Moronius, id conantur Augenius *tom. 2. lib.* 8. Ballonius *lib. 2. conſil. 4. & conſil.* 60. *& tom. 1. conſil.* 53. Brunerus *conſil.* 16. *&* 17. Fauentinus *conſil.* 7. Genath. *decade 2. diſp.* 3. Garin. *conſil.* 16. *&* 87. Hildan. *centur. 4. obſer.* 81. Lælius Afonte *conſil.* 93. Maſſa *p. 2. epiſtol.* 16. Grad. *conſil.* 61. Mercatus *conſil.* 3. Mercurial. *tom. 1. conſil.* 77. *tom.* 3. *conſil.* 9. *&* 85. *tom. 4. conſil.* 56. Montagoana *conſil.* 43. Montanus *conſil.* 41. Platerus *lib.* 1. Fonſeca *tom.* 2. *conſil.* 80. Scholzius 39. *&* 46. Theodoſius *Epiſt.* 6. *&* 65. Venuſtus *p. 1. conſil.* 13. Vuolf. *cent.* 4. Zacutus *tom. 1. hiſtor.* 22. Zoccat. *conſil.* 32.

C Epilepſia per conſenſum , cujus cauſa irritans communicatur in caput ab aliis partibus , differt ex partium varietate,quas eruditè refert Sennertus : aut enim eleuatur eius materia ex ventriculo , vt vidit Galenus *5. de loc. cap.* 5. Valleriola *lib. 3. obſeru.* 64. Brunerus *conſil.* 21. Trincauellus *conſil.* 12. Zacutus *tom. 1. lib. 1. hiſtor.* 21. Schenkius *lib.* 1. Chifflet. *obſeruat.* 3. Guainerius *conſil.* 118. Montagnana *conſil.* 43. Vel eleuatur ex liene , vt obſeruat Hollerius *ad cap. 4. lib.* 1. Tulpius *lib. 1. cap.* 9. vel eleuatur ex menſium obſtructione , vt obſeruat Beniuenius *de abdit. cauſ. cap.* 97. Vel eleuatur ex vtero , vt obſeruauimus antecedenter , & obſeruat Ægineta *lib. 3. cap.* 13. Fernelius *lib. 1. pathol. cap.* 3. Iachinus *in 9.* D *Rhaſis ad Almanſ.* Foreſtus *lib. 10. obſeruat.* 65. Schenkius *lib. 1. obſeruat.* 85. Heldeſchim. *in ſpecilegio.* Brunerus *conſil.* 13. Fonſeca *tom. 1. conſil.* 15. Hugo *conſil.* 83. Zecchius *conſil.* 92. Vel eleuatur ex vtero vt perforato , aut ex retentis ſecundinis, vt obſeruat Fabricius *cent. 3. obſeruat.* 60. Vel eleuatur ex veſica , vt obſeruat Heurnius *de morb. capit.* 22. Vel eleuatur ex teſticulis , & vaſis ſpermaticis , vt obſeruat Iachinus *in 9. Rhaſis*. Marcellus Donatus *lib. 4. cap.* 21. Vel eleuatur ex inteſtinis , aut lumbricis in illis contentis , vt obſeruat Foreſtus *lib. 10. obſeruat.* 65. Clandinus *conſil.* 64. Rulandus *centur. 8. curat.* 13. vel eleuatur ex E ſuperueniente cholica , vt obſeruat Ægineta *lib. 3. cap.* 13. Aëtius *tetrabili 3. ſerm. 1. cap.* 29. Vel eleuatur ex corruptione maſſæ ſanguinariæ , vt in morbillis & variolia contingit : Vel eleuatur ex pede , vt obſeruat Galenus *3. de loc. cap.* 7. Iachinus *in 9. Rhaſis*. Valleſius *in ſcholio ad cap. 16. lib. 1.* Hollerij Trincauellius *lib. de rat. curandi cap.* 6. Zacutus *tom. 1. lib. 1. obſeruat.* 15. Vel eleuatur ex retroceſſu à partibus externis , vt obſeruat Horſt. *fol.* 102. Vel eleuatur ex crure , vt obſeruat Brunerus *conſil.* 43. *&* 86 Zacutus *tom. 1. hiſtor.* 18. Vel eleuatur ex pollice pedis , vt obſeruat Gentilis in Auicennam *fen. 1. tract. 3. c.* 8. Doncelinus *in Scholzaei conſiliis* 34. Mercurialis *tom. 1. conſilio* 61. Zacutus *tom. 1. hiſt. 20. lib.* 1. Epiphanius *hiſtor.* 24. Vel eleuatur

ex

ex digitis, vt obſeruat Fauentanus *cap.* 11. vel ex manu, vt obſeruat Zotoaſt. *conſil.* 13. Platerius *lib.* 1. Hæcſt. *p.* 2. *Decade* 4. *conſil.* 7. Matthæus de Gradi *conſil* 13. Braſauol. *i 1 comm. ad apher.* 45. *ſect.* 2. Piuellus *tom.* 1. *conſil.* 13. Vel eleuatur ex mammis, vt obſeruat Marcellus Donatus *cap.* 4. *lib.* 1. *de hiſtor. mirabili*: Vel eleuatur ex labro ſuperiori, vt obſeruat Douanetus *lib.* 3. *apologia*, vel quaſi in corde incipit, vt obſeruat Schenkius, vel ex conſtipata cute, vt obſeruat Vuolfg. *centur.* 2.

§. III.

Communis curandi via ex Dogmaticis, & Empiricis proponitur.

IN varia hac ſylua Epilepſiarum, quæ differunt ratione partis, ex qua fouetur Epilepſia, vel ex qua tranſmittitur illius cauſa in cerebrum; variæ etiam ſumuntur indicationes reuellendi, euacuandi, aut intercipiendi cauſam affectum fouentem. Noſque, qui in ſereniſſimo Infante vnum agnouimus idiopathicè affectum caput, ab hoc vno cauſam euacuare, totis viribus conati ſumus, omni auxiliorum genere vtentes iuxta illius vires.

Vnam tamen pro omnibus adductis Epilepſiis communem inuenimus viam occurrendi: ſcilicet cum antiepilepticis, & amuletis pro hoc affectu appropriatis, quorum innumeram proponunt ſyluam Plinius, Nicolus Florérinus, & Beueronicius: quorum aliqua ex ipſis referam: Galenus *l.* 6. *ſimpl. cap. de paonia*, ipſam collo appenſam præcauere epilepſiam, obſeruatione confirmare contendit, Aëtius *tetrabili* 1. *ſerm.* 3. Auicenna *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. Leuinius Lemnius *lib.* 8. *de occult. natur. miracul. cap.* 3. Fernelius *lib.* 1. *de abdit. rerum. cauſ. cap.* 17. Montius, & Trogus *lib.* 1. *hiſtor. ſtirpium*, Gilib. Meſuës, & Oribaſius cum omnibus Iunioribus Galeno ſubſcribunt, licet horum aliqui ſuperaddant radicem pæoniæ eſſe vtilem, ſi colligatur menſe Iulio, ſole exiſtente in Leone, die ſolari, decreſcente luna. Saxonia in luna noua colligit; Alij in menſe Aprilis, variántque alij in Aſtris determinandis ſub quibus debet colligi, nec vidi, nec poſt tot Aſtrorum ſpectationes ſcio aliquem ſubſequntum fuiſſe felicem euentum ex miraculoſa hac à tot viris decantata radice. Vngulam Alcis commendant plurimi, Fabius Columbus radicem Valerianæ ſylueſtris, Rulandus laudat lignum corili, Doncelinus, ſtercus caponis. Alij Ranas virides captas menſe Iulio, Saphirum, Hyacinthum, Rubinum commendant plerique; Auicenna Smaragdum, *lib. de viribus cordis*, cui adhærent Caſtro, *lib.* 4. *de meteoris microcoſmi*, Lacuna in Dioſcoridem, Scaliger, Cornelius Celſus, & alij, Cornelius Celſus *lib.* 3. *cap.* 23. gladiatoris ſanguinem calidum nuper occiſi vincere epilepſiam credidit, nec diſcedit ab illo Aretæus *lib.* 1. *diuturnar. paſſionum cap.* 4. licet Galenus, Aëtius, & Myrepſius, Paulúſque reprobent hunc abuſum: & merito, quia inutile eſt figmentum, quidquid minus piè reclament Guintetius, & alij, quos humaniori affectu Riolanus reiecit. Largus *lib. de compoſit. medicam cap.* 16. ſcobem eboris epilepſiam præſeruare iudicat, cuius mirabiles vires in alios etiam morbos Zacutus laudat, Galenus *lib. de theriaca* commendat cameli cerebrum deſiccatum, & in aceto propinatum. Rabi muſtelæ cerebrum, Dyas coagulum leporis, vel hepar aſini, Ioanitius ex corio frontis aſini excerpit corrigiam latam, ex qua fiat ſertum pro patiente. Alexander vtitur veſica capræ cum lotio exſiccata, & in puluerem redacta, vel felle vrſino. Getat laudat hepar capræ, Rhaſis ſanguinem muſtelæ. Paulus, eius carnem, Rhaſis caninum dentem, vel pellem canis albi. Beltramus cor lupi vel milum; Mundinus, ranam, vel eius cor ſolutum ſucco caulium, vel caput cuculli, vel vinum in quo coquatur talpa, vel vulpis cerebrum, vel antimonium ſupra patellam poſitum, vel teſticulos, vrſi vel fel canis, vel collo appendit lapidem hirundinum, Gilib. appendit corallum, Mundinus nomina regum, Galbanus pulueres teſticulorum galli, Gordonius viſcum quercinum.

Spagyrici tanquam ſpecifica antiepileptica commendant vnicornu ſolare, argentum potabile, ſiue animam veram lunæ, crocum metallorum, Tartarum Hemeticum, Magiſterium corallorum Pæoniatum, Margaritas trochiſcatas. Tincturam antimonij, Auram Hadrianeam, pulueres cranij hominis ſtrangulati, ſpecies dyaſulphuris, rotulas ſmaragdinas, pomum ambræ, ſuffumigium epilepticum, ſyrupum perlarum, elyxir vitrioli, liquorem cephalicum, Balſamum Polycreſtum, & alia innumera.

Rationales vtimur aliquibus ex antiepilepticis; ad ratione inuenta alia confugimus auxilia, Galenus *lib. de ſanguinis miſſione cap.* 19. ſanguinem mittit præcipuè in plectoricis, purgationem non renuit, Aretæus mittit ſanguinem ex cubito, & ex fronte, Ægyptij ex arteriis frontis. Themiſon pluries repetit phlebotomiam. Aurelianus poſt ſecundum morbi inſultum ea vtitur, Celſus mittit ex talo; nullam nos exercuimus ob tenellam Infantis ætatem, viriúmque debilitatem, loco eius cum Aretæo frictiones exercuimus vſque ad ruborem, cum Paulo appoſuimus cucurbitulas, affiximus retro aures ſanguiſugas, metuentes non peruenimus ad crani perforationem quam conſulit Celſus in occipitio vſque ad ſecundam laminam, ne imfamaretur remedium Inuſitatum in tanto Principe, etiamſi vrgere videbatur periculum, vt temeritas cogeret, quod ratio non iuuabat, gargariſmata, perrhinia, maſticatoria, apophlegmatiſmata & alia cerebrum roborantia, quæ dogmatici conſulunt, omiſimus, néc ætas permittebat, nec continuus inſultus præſtabat inducias; ideóque nec alia exercuimus auxilia, quæ pro aliis ſolent exerceri, fas enim non erat incertum, aut periculoſum proponere remedium, in tanti Principis tam periculoſo euentu.

Si ab exitiali inſultu liberaretur, ratificatio lactis prodeſſet ex Hippocrate, & purgatiunculæ in ipſo eſſent ex vſu, ſicut & puluis præſeruatiuus *de la gutteta*, à nobis præſcriptus ſupra, cum aquis appropriatis ceraſorum dulcium de Tilla, viſci quercini, vel Pæoniæ, & pro debili ventriculi calore cataplaſma conduceret ex foliis vlui p. iij. in lotio pueri coctis cum ℥. ij. butyri recentis.

An fontanella foret illi præſeruatiua, ſi liberaretur ab inſultu, non paruam induceret dubitationem, licet, vt patet ex ſupra dictis, eſſet indicata ratione affectus, eſſentialis, illius debilitas omnium partium dubiam præſtaret ſpem auxilij:

§. V.

Quòd dubia ſit ſpes ſalutis in epilepſia; & Epileptici quibus honoribus fiant inepti.

PAret ex dictis, quòd Epilepſia alia eſt mitis, alia lethalis, aut vehemens. Mitis dicitur, quæ breui finitur, ſine membrorum diſtentione, gemitu, aut vociferatione ſenſibili, ſine excrementorum inuoluntaria excretione, animalium operationum læſio-

ne 1 vehemens eſt in qua horum contraria contin- A gunt, in qua grauiſſima ſunt ſymptomata, & multa, magna acceſſionum frequentia, & duratio,& magna læſio poſt acceſſionem, vt mentis inconſtantia, ſtultitia, fatuitas, pigritia, torpor, oculorum offuſcatio. Hanc grauiſſimam iudicant Iuris Profeſſores, & incurabilem;reddit Zachias rationem, quia cauſa horum accidentium, & vehementiæ affectus, eſt vehementiſſima ; inueſtit organum,caput intemperat,cerebri temperiem euertit, vel potiùs crederem id contingere ob rationem Hippocratis *lib. de morb. ſacro textu. 45. §. Cerebrum enim humidius quàm ex natura ſit & pituita inundat , vt defluxiones quidem frequentiores fiant , non amplius autem poſſibile ſit pituitam excerni , nec cerebrum reſiccari , ſed peririgatur, & hu-* B *midum exiſtit.* Qui ſic intemperati fiunt , habituali intemperie cerebri laborant , & incurabiles fiunt, quia ſit habitualis , & quaſi natiua intemperies , vt inquit Santa-Cruz *in Commentario.* Eſt enim tanta vis cauſarum præter naturam , vt non ſolum hunc morbum verum ipſam ſenectutem in ipſo naſcendi tempore valeat inducere.

Cum ergo huiuſmodi epileptici habitualiter fiant tales, & incurabiles reddantur ob contractam humidam habitualem cerebri intemperiem , à Iuris Profeſſoribus iudicantur irregulares ob incidendi periculum in acceſſionem , & vt tenet Maiolus *lib. 1. de irregularitate cap.* 14. filij etiam eorum ex Gabucino C debent irregulares iudicari. Zachias non abſolute huic aſſentitur opinioni;ſed ſi ab vtroque parente ſit hæreditaria Epilepſia,magis irregularem illum iudicat. Ego verò cùm morbi hæreditarij non ſemper in filios pertranſeant, & etiamſi tranſierint,non ſemper cum æquali intenſione, iudicarem quòd filij in quibus non fiat habitualis intemperies, ex qua vehemēs ſubſequatur Epilepſia , non fient filij irregulares , quod idem de nepotibus iudico : nam ex proprio vitio vnicuique læduntur operationes , & ab vnoquoque contrahitur impedimentum. Similiter , qui frequenter Epilepſiam patiuntur , iudicantur inepti vt poſſint publicè inter reliquos officia recitare ; & Hoſtienſ. & Bertacbin. eos qui vexantur vehementi epilepſia, iudicant non poſſe eligi in Epiſcopos,& D Garz. *de benef.* dicit nec poſſe obtinere beneficia, nec ad ſacra promoueri , nec religionem profiteri , quod in vehementi epilepſia , non leue fundamentum præſtat , quod debeat obſeruari, cum epileptici irruant plerumque in maniam, vt fertur contigiſſe Cambiſi , qui epilepſia laborans ab ineunte ætate, tandem vt tenet Cælius *lib.9.cap.* 20. pleroſque ſibi familiares per inſaniam occidit, & Hercules Hereuleo , hoc correptus morbo in inſaniam irruens proprios occidit filios, vt tenet Crinitus;nec ſolum crederem irregulares facere epilepſiam , & ineptos ad celebrandum , dum minatur tranſmutationem ſui in maniam, ſeu furorem ; ſed dum repente in indicen- E tes motus ac inordinatos,ægros prorritat:qualis erat, quam refert Marcellus Donatus , de Ricino hiſtrione, qui ſæpius in die acceſſione corripiebatur,in qua contractiones manus fiebant, & pedum;& hinc, aut illinc ipſum inuadebant varij motus , inſtar eorum qui in monomachia ſe oppugnant,numquam tamen cadebat ; qui continui motus irriſorium illum facerent, & ideò etſi per conſenſum fiant epilepſiæ, ſine habituali cerebri læſione,ob continuitatem & habitualem intemperiem in parte mandante debent contineri ſub vehementibus.

CONSVLTATIO QVINTA.

De ſanguine mittendo in grauida Auguſtiſſima Regina noſtra.

CONTINET

§. I.

Proponitur caſus , ratio adducitur conſultationis.

§. II.

Quæ nos coegerunt fundamenta determinare ſanguinem mittendum in Regina vtero gerente.

§. III.

Nec ſolùm ob matrem, ſed ob fœtum debebat Regina phlebotomari.

§. IV.

Requieuimus ab opere , & quæ nos auerterunt ab illo ?

§. V.

Prægnantia tempore quando licet phlebotomare ex pede ?

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Proponitur caſus , ratio adducitur Conſultationis

AVGVSTISSIMÆ Reginæ noſtræ in variis vteri geſtationibus hæc contingere: Dum primo vtero geſſit, plurimas, ac continuas habuit hæmorrhagias ex naribus, peperit Sereniſſimam Margaritam benè valentem , & adhuc nunc ſuperſtitem : nec regina in eius puerperio infeſtata fuit inſultu Epileptico. Dum ſecundo vtero gerebat, ſuppreſſis eiuſmodi hæmorrhagiis peperit Sereniſſimam Infantam Ambroſiam , quæ paucis diebus à partu obiit : & Regina ſtatim à partu lethali ferè epileptico inſultu fuit infeſtata. Dum tertio vtero gerebat , eiſdem deficientibus hæmorrhagiis , peperit Sereniſſimum Principem Philippum , Carolum , Proſperum , in cuius partu ſimili lethali Epilepſia fuit correpta. Dum quarto vtero gerebat , eiſdem deficientibus hæmorrhagiis, peperit Sereniſſimun Infantem Ferdinandum ore fere ſemper hiantem, & cum liuidis extremitatibus tempore quo vixit ; in partu ab inſultu Epileptico fuit liberata miſſo ſanguine ſtatim à partu , & quater intra viginti quatuor horas. Dum iam ſexto vtero gerebat, in quinto menſe ſine hæmorrhagiis ſuperuenientibus . fœtus , qui priùs bene mouebatur , cœpit tardos habere motus, ſicut & mater , quæ grauata ſentiebatur. Dubium in conſultatione fuit nobis propoſitum, An ſanguis illi prægnanti eſſet mittendus?

Pars

Pars affirmatiua placuit maiori parti, aliquibus renuentibus, erat Regina intra tempus quo ſolebant fluere menſtrua: decreuimus ſanguinis miſſionem differre per aliquos dies. Interim ſuperuenerunt hæmorrhagiæ per nares, ſimul & dyarrhea ſuperuenit, quibus exonerata fuit natura, fœtus, & Mater à grauante pondere liberantur, vterque motum non laborioſum exercebat, & cùm Regina fateretur benè ſe habere, omiſimus ſanguinis miſſionem diebus ante elapſis propoſitam. Peperit feliciter Principem Carolum poſt obitum Principis Philippi per ſex dies, qui ortus bene conformatus, debite conſtitutus, robuſtus: ipsàque ſtatim à partu ſanguine miſſo, lochiis debitè expurgatis, ab inſultu Epileptico in puerperio ſtetit immunis.

§. II.

Quæ nos coëgerunt fundamenta determinare ſanguinem mittendum in Regina vtero gerente?

PLura nos cogebant ad mittendum ſanguinem in Regina noſtra vtero gerente: erat enim impeditus in matre, & fœtu motus animalis, qui prius in vtroque fuerat expeditus; indicium plenitudinis aggrauantis vtriuſque vires: præſtabant indicium plenitudinis, hæmorrhagiæ deficientes in hac prægnantia, quæ in aliis Reginæ profuerant, & fuerunt etiam ex vſu pro impediendis epilepticis inſultibus in puerperio. Renuebant plerique contendentes cum Donato Antonio ab Altomari, ſanguinem in grauidis numquam eſſe mittendum propter Hippocratis Edictum *lib.* 4. *aphoriſm.* 31. ſic prolatum: *Vtero gerens ſanguine miſſo abortit, præcipuè ſi fœtus ſit grandior*: & Galenus *in comment.* reddit rationem, quia auferrtur fœtui alimentum cuius defectu perire videtur neceſſe; & quòd ratione aborſus mater in grauiſſima deducatur diſcrimina vitæ; quia in aborſu, magis fœminæ periclitantur, quam ex partu, quia eſt violentior, in tempore alieno, & fit naturâ reluctante, & extra tempus irritatâ, & ob labores plerumque mulieres ſteriles fiunt inſigniter laceratæ, incurabiles ſuperueniunt hæmorrhagiæ, ad quas ſubſequuntur ſyncope, deliria, & conuulſiones, & his ſuperuenientibus ex Aretæo, nulla immunis euadit: fit etiam lethalis ſuperueniens ſæpe ex aborta vteri inflammatio. Quæ omnia obſtabant præcipuè in Regina noſtra, quominùs ſanguis mitteretur dum gerebat vtero, & & vrgebat, quòd nullus ad id cogebat morbus magnus à quo deberet remedium hoc magnum indicari, & adhuc ſi ob præcautionem daretur indicatio mittendi ſanguinem, poſſet ſecurioribus auxiliis ſuppleri.

Nos tamen in conſultatione ſanguinem eſſe mittendum in grauidis decreuimus, ſi indicetur à morbo magno, qui foueatur, aut ſit imminens ratione vitij ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu, & hanc doctrinam deducimus ex Hippocrate loco ab ipſis citato, vbi inquit: *Vtero gerens ſanguine miſſo abortit, præcipuè ſi fœtus ſit grandior.* Cuius rationem reddit Galenus, quia deficit fœtui alimentum. Ex quo deduco; Ergo ſi ſanguis ſit inutilis ratione quantitatis, qualitatis, aut ob motum, pro fœtus nutritione, & alimonia, ſanguine miſſo, non fiet aborſus, quia inutilis cum fiat pro fœtus alimonia, aborſus non fiet cauſa: & ideò in grauidis, ſi indicetur ſanguinis miſſio à morbo magno præſente, aut imminente ob ſanguinis vitium in quantitate, qualitate, aut motu, ſanguinem eſſe mittendum admittunt, Auicenna *ſen.* 4. 1. *cap.* 20. Raſis *lib.* 4. *ad Almanſ. cap.* 27. Hali-Abbas *lib.* 1. *Practica cap.* 19. Ioachinus *lib. de acutor. morb. curat.* Muſa, Fuchſius, Mercurialis, & plurimi Hippocratis Commentatores *in ſentent.* 31. *citata.* Fernelius *lib.* 2. *Methodi.* Petrus Salius Diuerſus *cap.* 2. *de affect. particul tr.* Mercatus *lib.* 3. *de morb. grauidar.* Valleſ. *lib.* 7. *cont. euerſ.* 7. Augenius *tom.* 1. *lib.* 5. *epiſtol. cap.* 2. Rodericus de Caſtro *lib.* 2. *de vniuerſa mulier. medic. cap.* 11. Chriſtophorus à Vega *lib.* 2. *artis medicinal. ſect.* 5. *cap.* 2. Raphaël Moxius *lib.* 2. *de morb. curand. per ſang. miſſion. cap.* 7. Mocha. *conſil.* 57. & 141. Mundela, *epiſtol.* 28. Foreſtus *tom.* 1. *obſeruat. lib.* 2. *obſeruat.* 29. & *in ſcholio.* Riuerius *lib.* 15. *Praxis cap.* 16. Zacutus *tom.* 1. *lib.* 1. *obſeruat.* 22.

Sanciuit hanc doctrinam Hippocrates *lib.* 2. *epid. ſect.* 2. curans Lybiam prægnantem morbo acuto correptam, quam pluries phlebotomauit, & Galenus 3. *Epidem. ſect.* 2. *comm.* 8. §. *Iam etiam propter ſanguinis miſſionem*, fatetur ſuo tempore grauidas morbo acuto correptas tutò ſanguine miſſo curari. Cornelius Celſus *lib.* 3. *cap.* 10. hanc confirmat doctrinam ſic: *Tamen cùm noſtra ars conceptionem ſolam non videat; ſed vires exiſtimet, non dubitandum in grauidis, conſtantibus viribus, ſanguinem exhauriri: quoniam vſus oſtendit grauidam phlebotomia curatam non eſſe perpetuum aborſum facturam.* Idem ſnader experientia, cùm nullus in arte verſatus non ſit expertus prægnantes acuto morbo affectas, ſanguine miſſo, ab illo liberari ſine aborſus periculo: ſimiliter hæc eadem oſtendit, quòd à naturâ plures prægnantes à morbis acutis liberentur per hæmorrhagias ex naribus, aut per vterum factas, & confirmat Schenkius pluribus obſeruationibus *in lib.* 4. *obſeruat.* Læmoſius *ſect.* 1. *de curand febribus*, Ioubertus *lib.* 2. *de natur. facult.* Solenander *ſect.* 5. *conſilio* 15. Deducitur ex Hippocrate 4. *aphoriſm.* 1. vbi vrgente neceſſitate purgationem conſulit in grauidis; ex quâ maior fit commotio, vrgétque maius periculum commouendi fœtum, & efficiendi aborſum.

Conſtat ergo, ſi Regina infeſtaretur morbo acuto, ſanguinem eſſe mittendum. Cum igitur ex apparatu morboſo timeretur morbus, ſanguine miſſo debebat præcaueri ex doctrina Hippocratis *lib.* 6. *Epidem. ſect.* 6. *decubitus*, inquit, *in quibus facta tollit, hæc ante acta prohibet*: eiſdem enim remediis, quibus præſens petit morbus curari, præcaueri petit.

§. III.

Nec ſolùm ob matrem, ſed ob fœtum debebat Regina phlebotomari.

RAtione matris indicatam eſſe ſanguinis miſſionem decreuimus: reſtat probare, quòd ob fœtum conſeruandum petebat etiam exerceri: vt enim patet ex dictis ob prædominantem ſanguinem in matre, defectu hæmorrhagiæ in aliis prægnantiis ſolitæ, fœtus obruebatur, motus animalis illius ignauiâ id atteſtante; quo caſu ſanguinem eſſe mittendum ratione fœtus tenet Auerrhoes, *lib.* 7. *collige cap.* 4. vbi dicit quod ſi prægnans ſuccis abundat, ex quibus poſſit timeri aborſus, potiùs eſt vtendum ſanguinis miſſione, quàm purgatione ad aborſum præcauendum: & Auicenna *ſen.* 21. 3. *tract.* 2. *cap.* 8. ponit inter cauſas aborſus plenitudinem matris, quæ cum appareret in Regina, debebat ſanguine miſſo, præcaueri aborſus, qui timebatur. Fernelius *lib.* 2. *method. cap.* 2. dicit: *Multa niſi vena circiter quartum menſem reſerentur, abortiunt.* Raphaël Moxius *lib.* 2.

lib.2.de mulier.morb. curand. per ſang. miſſionem, poſt longam diſputationem idem concludit : & tenent Augenius *epiſt. 5. lib. 5.* contra Donatum Antonium. Zacutus obſeruationibus hoc comprobat, *l.2. de Praxi Medic. admirand.* 160. Riuerius *lib. 15. Praxis cap. 16.* Horſt. *p. 2. lib.1.obſeruat.* 4. Mundela *epiſtola* 28. Peramatus, Lugubius, & alij.

Præcipuæ rationes, quæ nos cogebant ad ſanguinem mittendum pro matris ſalute, & fœtus conſeruatione, ex enarratione deſumebantur. Nam Regina dum vtero non gerit, patitur continuas hæmicranias, vel vnoquoque, vel tertio quoque die, cum cruditatum, & bilioſorum humorum copioſa per vomitum euacuatione, quæ ſupprimuntur tempore prægnantiæ; ex quorum ſuppreſſione neceſſe eſt plures ſuccos aggregari tempore prægnantiæ, ex quibus ſuperueniens plenitudo videbatur matrem, & fœtum grauare, & motum vtriuſque impedire; ex quo indicata erat ſanguinis miſſio: Tum quia dum vtero gerens habuerat hæmorrhagias, bene ſe habuit in puerperio Regina, & fœtus ſanus, & expers; viſus bonæ valetudinis: indicium, quòd pro matris, & fœtus ſanitate deberent ſuppleri hæmorrhagiæ per ſanguinis miſſionem: Tum quia in proximo partu Sereniſſimi Infantis Ferdinandi Regina liberata fuit ab inſultu epileptico, quater quàm citiſſimè ſanguine miſſo, quod præſtat indicium redundantis ſanguinis in prægnantia, ex quo inſultus fiunt in puerperio, & petunt ſanguine depoſito vitari: Tum quia Epilepſiæ in partu contingunt in Regina, dum deficiunt hæmorrhagiæ: loco earum debet ſanguinis miſſio exerceri, ad illas vitandas: Tum Sereniſſimus Princeps valetudinarius erat, & infans morboſè degit, non defectu ſanguinis, quo in puerperio opprimebatur mater; reſtat vt fuerit ob ſanguinis copiam, quæ petit euacuari, ne fœtus in ventre obruatur, aut valetudinarius congeneretur. Vel ſi morboſi fiant fœtus ob vitium ſanguinis, petunt præcaueri ſanguinis miſſione, ad vitium euacuandum, quod impedit nutritionem, quia ex Hippocrate impura corpora quanto magis nutriuntur, magis læduntur. Et ideo de vitiato nutrimento confert euacuare miſſo ſanguine plurimùm; quod ipſe Hippocrates exercuit *in viro Omade tabeſcente*, & Galenus *in 6. Epidem.* mulierem tabeſcentem ob vitium humorum curauit miſſo ſanguine: Tum quia colores liuidi in Infante Ferdinando permanentes in extremitatibus, indicium fuere copioſi ſalſuginoſi, bilioſive redundantis ſucci coinquinantis ſanguinem, vt colligitur ex Ariſtotele *7.de hiſtor. animal.* ob quod imperfecta fit nutritio, quæ niſi ſanguine vitiato euacuato, nequit euitari: Tum quia viuit Auguſtiſſima Regina noſtra vitâ ſedentariâ, cuius cauſa debet repleri ſuccorum copia, ex quibus obtundatur calor, grauentúrque facultates, vnde Vitruuius *lib. 2.cap. 9.* tenet grauidas non eſſe integrè ſanas: & Hippocrates *lib. de morbis*, grauidas ſemper pallere dixit; & Ariſtoteles *lib. 4. de generat. animal. cap. 6.* reddit rationem dicens, quòd reliqua animalia non deſiſtunt à debito exercitio, & ideò ſana fiunt; cuius defectu ægrotant mulieres: vnde licet non eſſet plenitudo, eſſet vtilis ſanguinis miſſio ob alios redundantes ſuccos, matris, & fœtus vires impedientes, & grauantes, iuxta Galeni doctrinam *lib. de ſanguinis miſſion.cap. 9.* vbi ob hanc rationem ſanguinem mittit, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint, *& lib. 9. methodi cap.* 11. mittit ſanguinem, ſi ſit inutilis, vel *quia nimis craſcit*, vel *quia non ſeruat ad vnguem qualitatem*: & Auicenna *fen.* 1. 4. *cap.* 20. ſanguinem docet eſſe mittendum illis *qui ægrotant, vel in eis, qui parati ſunt ægrotare, & in vtriſque, vel*

A *propter plenitudinem, vel propter cacochymiam, vel propter vtrumque.* Ex quibus deducebamus ſanguinem mittere in Auguſtiſſima Regina noſtra vtero gerente neceſſarium fore pro illius, & fœtus ſalute conſeruanda & præcauenda; differendum tamen remedium per aliquos dies, donec tranſiret tempus, in quo menſtrua illi ſuperuenire ſolebant, ſub quo erat tempore conſultationis, ne ex aſſueta illius commotione, ſeu naturæ ad illam propenſione, ſimul cum ſanguinis miſſione, fœtus diuerſis agitatos motibus debilior fieret, & ab irritata natura conturbaretur.

§. IV.

B ### *Requieuimus ab opere, & quæ nos auerterunt ab illo.*

QVæ à nobis timebatur conturbatio tempore menſtruorum, ob copiam redundantium ſuccorum ſuperuenit, non vt contingere ſolet in aliis, ſanguine ad vterum auocato, ſed ad nares ſurſum delato; ex quo largæ fuerunt hæmorrhagiæ, ſimúlque ex reliquis ſuccis ad ventrem commotis ſuperuenit diarrhæa; quibus exonerata natura matris, & fœtus; cœperunt & fœtus moueri pro conſuetudine, & mater ſine grauante onere, quo antea premebatur: quibus animaduerſis iterum habito conſilio circa ſanguinis miſſionem, in ea fuimus opinione, quòd C nobis erat adhærendum Hippocratis doctrinæ, quòd in eis *quæ indicantur, aut iudicata ſunt integrè, nec nouare, nec mouere, ſed ſinere oportet*; & Galeni præcepto, qui in hoc caſu conſulit, *naturæ rem omnem relinquere*, à qua perfectè iuuata Regina noſtra in poſterum benè ſe habuit; donec poſt completum tempus peperit Sereniſſimum Principem Carolum, robuſtum, integrâ ſanitate fruentem, & nunc Dei gratiâ nobis ſuperſtitem, carnibus, & viribus perfectè munitum, ex quo conſtat, quòd licet in mittendo ſanguine, ex indicationibus adductis mouebamur iuxta complures indicationes; & tanquam Medici Rationales, iis adimpletis naturæ beneficio, rectè nos emancipauimus doctrinæ Hippocratis, naturæ rem omnem committendo, cui etiam aſſenti- D tur Galenus *lib.6.Epidem. ſect. 2. comm. 9. §. Vbi igitur, vel integra iudicatio facta eſt, vel adhuc fit, totum naturæ permittere, & nihil nos nouare oportet*: & Auicenna *fen 4. 1. cap.3.§. Si natura mouet, aut mouit, dimitte eam, & operationem eius.*

§. V.

Prægnantiæ tempore quando licet phlebotomare ex pede.

SAnguinem mittendum in grauidis, dum indicatur, conſtat ex nuper dictis, & probauimus *p. 4. Reſolut. Medicar. diſput.* 1. & communis tenet opi- E nio, quòd debet mitti ex brachio, ne ſi fiat ex pede ſubſequatur abortus, nam ſanguinis miſſio ex pede mouet fœtum; & ideò Hippocrates *lib. 1. de morb. mulier.* ad partum difficilem facilitandum, nullum præſtantius adinuenit remedium, quàm ſanguinem mittere ex pede; ſed inter recentiores, Tamayus Hiſpalenſis primus, in Apologia quadam in prægnante, morbo epileptico affecta per conſenſum ab vteri inflammatione, ratione vrgentiæ coactus eſt ſanguinem mouere ex pede: Zacutus *tom. 1. q.* 21. in hoc caſu an poſſit mitti ex pede dubitat, & ſequitur affirmatiuam partem; nóſque loco nuper citato, aſſerimus, quòd non ſolùm in lethali epilepſia; ſed in

quouis

quouis lethali morbo ex conſenſu vteri ſupetuenien-te, debet ex talo mitti ſangnis, quia ad vitandum periculum deueniendum eſt ex Hippocrate ad cauſæ originem; & docuit experientia non ſemper ſubſe-qui aborſum ex illa plebotomia, & licet ſemper contingeret, nequit ſaluari ſine tali phlebotomia vita matris, viuere poteſt fœtus in ancipiti vtriuſque periculo, præſtat vnum ſeruate, quàm euidenter vtriuſque ſpectare mortem: & ideò Gradius *conſil.* 77. Maginnus *lib. 2. de regimine pragnantium*, Rondeletius *cap. de Epilepſia grauidarum*, Tamayus. & Zacutus citati, in euidenti matris periculo vitæ, quæ aliter ſaluari nequit quàm ſanguine miſſo ex talo, ipſum conſulunt.

Sed inter noſtrates plerique adeò luxuriant conatu mittendi ſanguinem ex talo in omni morbo, omni ſexu, omni ætate, vt in ipſis prægnantibus ex talo ſemper ſanguinem mittant. ſine probabili, aut neceſſario vitæ periculo, ſi non fiat ex talo, prætextu leuis gonurrheæ, aut infectionis Gallicæ, & plerumque ſine illo; quorum mirari rubeo audaciam, ſi enim Hippocrates *lib. 1. de morbis mulierum num.* 100. partum difficilem, qui nullis aliis ſpectatur remediis ſanguine miſſo ex talo, facilem teddi ſanciuit: & Zacutus *in hiſt. or. mirabil.* eandem efficaciam adinuenit ad fœtum mortuum excludendum, in phlebotomia ex talo, cur non ſemper, ex hac ſanguinis miſſione non eſt ſpectandus aborſus, probabiliter ſaltem, quod ſufficit ad ipſum vitandum; quod manifeſte conſtat: ſi enim licet inter Ethnicos noſtrates Principes Aëtium *tetrabili* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 16. Auicennam *fen.* 21. 3. *tract.* 2. *cap.* 17. Raſim 22. *continentu tract.* 7. *cap.* 2. & alios ſit receptum, poſſe Medicum impedire remediis conceptionem, quia tamen Ethnica eſt hæc opinio, & noſtræ fidei oppoſita, merito relinquitur à Carreito *diſp.* 74. *de locis affectis cap.* 1. & iuſtiſſimè ac piiſſimè damnatur ex motu proprio Pij Quinti Pontificis Maximi, tanquam impediens propagationem humani generis, etiamſi ex prægnantia, aut ex partu poſſet timeri matris vitæ periculum, quia non ſunt facienda mala vt eueniant bona. Quanto igitur magis impium eſt, & contra noſtram religionem tentare ex leui cauſa aborſum, ex quo mors ſequitur fœtus, & impeditur quominùs ex aqua Baptiſmatis poſſint illi aperiri Cœlorum Ianuæ, & per æternitatem à facie Dei auertatur ope Medici parum pij.

Præterea vrget non minùs, quòd præter doctrinam Hippocratis experientia nos docet nullum auxilium frequentiùs cauſare aborſum quàm ſanguinis miſſionem ex talo; ex quo conſtat, quòd cum hoc vtplurimum contingat, ſaltem eſt probabilis aborſus ex quacumque pedis phlebotomia: quæ probabilitas ſufficit ad ipſam vitandam, præcipue cum inter Ethnicos Hippocrates lege naturali edoctus hoc perpetrati facinus aufugit, & iureiurando promittit nec aborſum facturum, nec ad id daturum conſilium; quam doctrinam exercitio firmauit, cum nec in libris Epidemiorum, nec in aliis in quibus prægnantes curauit, numquam refert ſanguinem miſiſſe ex talo in illis: quod idem obſeruatur in Galeni ſcriptis, qui potiùs, vt tenet *lib. an animal ſit, quod in vtero eſt, cap.* 5. inquit, *Etenim leges ha ſunt qua mala quidem ſunt prohibere, cuſtodire autem ea, qua honeſta iam ſunt: quaque autem ſutura ſunt, aut iam inſtant arceſcere; ij duabus maximis, quas ipſi tulerunt, legibus, qua in vtero ſunt animalia eſſe demonſtrarunt: alterâ ei, qui aborſus cauſa ſuiſſet, pœnam ſtatuente: alterâ, qui nondum nati eſſent, hos haredes inſtitui poſſe iubente.* Nec ſolum Antiquiores leges, vt tenet Galenus, aborſum prohibebant, & auxilia quæ ipſum poſſent cauſare, ſed & noſtrorum leges, & ſanctiones, vt patet *in capite cōſuluiſti* 1. *l.* 2. 15. *l. Cicero*, *l. ſed ſi quam*, *ff. de pœnis*. Vbi pro homicida habetur cauſans aborſum, & fit irregularis. Et Nicolus Plotinus *de irregularitate num.* 21. Nauarrus *in manuali cap.* 25. idem tenent. Et adhuc pro liberanda matre ab aliquo læthali morbo, non debere exerceri auxilium à quo ſubſequatur aborſus, præcipuè dum fœtus eſt animatus, tenent relati à Zachia Nauarrus *in manuali cap.* 25. *num.* 62. Azor. *Inſtit. mor. lib.* 2. *cap.* 4. *p.* 3. Leſſius *de Iuſtit. & iure lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. *n.* 60. Sanchez *de matrimon. lib.* 9. *diſp.* 20. Layman. *lib.* 2. *Theol. moral. tract.* 3. *p.* 3. & ex noſtris tenet Epiphanius *Theorem.* 11. Sed adſtrictiùs ſiue fœtus ſit animatus, ſiue non animatus ſit, abortiuum auxilium adhuc pro matris ſalute non debere exerceri tenent citati à Carranza Mercurial. *lib. 1. de morb. mulier. cap.* 2. Hucher. *de ſterilit. lib.* 3. *cap. de conceptione.* Syluat. *controuerſ. Medic.* 82. Rauchinus *Hippocrat. de iureiurando.* Codronchus *lib.* 1. *cap.* 22. Mercurial. *lib.* 2. *error. popul. cap.* 26. Rodericus à Caſtro *de morb. mulier.* Cortelius *in Miſcellan. decade* 10. Sennertus *lib.* 4. *Pract. ſect.* 5. & *cap.* 3. *q.* 5. & præter hos acriter hanc doctrinam tuetur Carreitus *de locis affect. diſp.* 76. *cap.* 4.

Tenent prædicti Authores nec pro ſalute matris aborſum cauſantia auxilia eſſe exhibenda. Reſtat iterum redire ad id quod ſupra diximus, quod licet ſine euidenti periculo matris nequeat mitti ſanguis ex pede, adhuc pro ſalute matris; in quo non contrariamur Auctoribus nuper citatis, ſed in eius euidente periculo illos relinquimus, aſſerentes, quòd poſſit ex pede mitti: quod an poſſit compati cum illorum doctrina examinandum. Moxius contendit, quòd non opponitur illorum doctrinæ, ſi contingat, ſanguinem mittere ex talo ante fœtus animationem, vel illo grandiori exiſtente in ſeptimo, nono, aut decimo menſe, in quo iam fœtus eſt vitalis; ſed fallitur: Tum quia ex probabili opinione Fieni ſeptimo die anima rationali informatur fœtus, & non eſt quando poſſit mater prægnans phlebotomari abſque animatione fœtus: Tum quia ſi aborſus fiat non à natura poſt eius maturationem; ſed violentia ſanguinis miſſionis ante illam, numquam erit vitalis: Tum quia matris vita in violento partu ope auxilij abortientis facto, numquam eſt ſecura. Hippocrates *lib.* 5. *Epidem textu* 5. refert, quòd quæ aborſum fecit ob pharmacum cauſans aborſum, quarta die obiit. Zachias *tom.* 1. *lib.* 6. *tit.* 1. dicit, quòd prædicti Authores & Sixtus Quintus prohibentes auxilia, quæ poſſunt cauſare aborſum, & damnantes Medicos a quibus applicantur, loquuntur de eis qui per ſe intendunt aborſum, & mortem fœtus; non verò de illis, qui per hæc auxilia, aut per ſanguinis miſſionem ex pede, contendunt per ſe matris ſanitatem; licet per accidens poſſit ſubſequi fœtus aborſus, & mors: ſed etiam diſplicet, dum non eſt euidens matris periculum, quia ſi non ſunt facienda mala vt eueniant bona, non debet nec per accidens inferri mors fœtui, vt mater ſanitatem conſequatur: Tum quia ſi matris morbus non eſt euidenter lethalis, poteſtque aliis auxiliis leuioribus, vel à Natura ſanari, impium eſt propter matris ſalutem fœtum occidere, & priuare à beatifica Dei viſione: Tum quia licet mater habeat gonorrhæam, & ſimiles affectiones, & mittatur, ſi vrget neceſſitas, ſanguis ex brachio, hoc vnum timeri debet, quòd gallicæ infectionis accidentia in partibus ſuperioribus reluceant magis, quæ cum poſſint curari poſt partum; impium eſt ex talo

cam: dum fit abſceſſus verſus partem anteriorem, per inteſtina; dum rumpitur, per inferiorem, quæ ſubiacet illis. Si vero vlcus fiat in interna tunica, per vterum expurgatur pus.

Cum igitur partim ad inguen dextrum recurrerit in hac ægra, poſteaque pus fuerit expurgatum per inteſtina; manifeſtè conſtabat in externa vteri tunica vlcus permanere, quod docuit Hippocrates *quinto aphoriſm. 45. §. ſi vterus in coxam vergens ſuppuratur, neceſſe eſt linimentum fieri.* Galenus *in comment.* inquit: *Quòd autem vterus ſuppuratus, & præſertim ad exteriora, curatione tali ex neceſſitate indigebit.* Vbi palam profitetur cognouiſſe vtrumque vlcus vteri ex abſceſſu rupto in tunica exteriori.

Quod pus exiens ab abſceſſu vteri rupto per exteriorem tunicam poſſit expurgari per inteſtina, aut per veſicam Oribaſius primus inter Principes Medicinæ obſeruauit; cuius meminit Schenkius in ſuis obſeruationibus: vidit vtrumque euentum Euſtachius Rudius agens de vteri abſceſſu ſic fatetur, tenent Riuerius, Rodericus de Caſtro, Hurnius, & alij.

Sed nullus ex iis tetigit per quas vias à cauitate in veſicam, aut inteſtina pus valet expurgari: quod ſi diu permaneat, & ſit corroſiuum, non dubitarem, quòd corroſione exulceret, & ſibi paret vias manifeſtas. Sed in hac ægra nullum ſolutionis, ſiue vlceris apparuit indicium: vnde coniectare cœpimus, quód ſine illo per occultas vias exitum parauit Natura, iuxta illud Hippocratis *lib. ſexto Epidem. ſect. 5. Inuenit natura ſibi ipſi vias, non ex cognitione.* Idem repetit *lib. de alimento, §. Natura omnium ſine doctore.* Idem docet Galenus *lib. primo de vſu partium*: & Hippocrates *lib. ſecundo Epidem. ſect. ſecunda*, docens vias per quas fiunt abſceſſus, mouentúrque humores, inquit: *Abceſſus fiunt per venas, aut per oſſa, aut tonos, aut per cutem, aut alias emotiones.* vbi per oſſa ipſa poſſe penetrare humores docet: & Valleſius *in comment.* inquit: *Nimirum decurrunt ſæpe humores per perioſtium iuxta oſſa, & nonnunquam in ipſa oſſa ſubeunt, corrumpúntque ea.* Nec mirum, quòd tranſeant per ſubſtantiam inteſtinorum, præcipuè ſi fiat vlcus, tunc enim ab vteri cauitate ad inteſtinorum ſubſtantiam fœtus mortui permutari ſolent, putridáque caro, & oſſa per ventrem euacuari, vt apud Schenkium obſeruarunt Langius *tom. ſecundo, epiſtol. 30.* Marſilius Cognatus *lib. quarto obſeruat. cap. 9.* Marcellus Donatus *cap. 22. lib. quarto hiſtor. mirabilis.* Balduinus Roſeſeus *epiſtola 1. Miſcellaneor.*

Quodcumque vteri vlcus periculoſum ex Hippocrate *lib. primo de morb. mulier.* fit enim in parte corporis cum omnibus conſentiente, quæ corporis omnes ſuperfluitates recipit & in qua difficulter poſſunt applicari auxilia, difficiliúſque retineri in vlcere.

Vlceri in interna vteri parte faciliùs per iniectiones poſſunt applicari remedia, ideoque præter vniuerſalia, varia topica proponunt Practici, vel ob dolorem leniendum, vel ob attemperandum, vel ob detergendum, vel ob cicatricem inducendam. Lenit dolorem quidquid attemperat acrimoniam, & ardorem; vt aqua frigida, lactis ſerum, aut cum melle roſaceo; hordei decoctum cum lentibus, & fabis: mundificat decoctum vulnerarium, ſeu aqua catapultarum: hæc.

℞ Zedoariæ, ariſtolochiæ rotundæ ana ℥. j. vini albi lib. vj. bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, in collatura diſſolue ſacchari lib. ß. ſerua ad vſum.

Si putridum fiat vlcus, detergit aqua Lanfranci, confert puluis Mercurij dulcis. Vlcus conſolidant exſiccantia: dum iam deterſum fuerit, vnguentum Pompholigos, de ceruſa, de plumbo, oleum ex vitellis ouorum, ſuffumigia ex thure, myrrha, maſtice, ſtyrace calamita. Proſunt thermæ ſulphureæ. & aluminoſæ; ſed quia nulla ex iis poterant applicari externæ vteri parti, in qua erat vlcus; cúmque pus quotidie in maiori copia augeretur, magis fœtidum magiſque ſanioſum, nec iniectiones per vterum, nec per inteſtina, nec leues purgatiunculæ quibus vſi fuimus, quidquam prodeſſent, conſultum fuit, quodnam efficacius remedium poſſet in tanto periculo eſſe proficuum, vt vlcus mundificaret, curarétque, quodque poſſet in partem læſam applicari. Decretæ fuere inunctiones vniuerſales vnguenti mercurij, quo & Gallica lues, prima morbi origo corrigi, & extirpari poſſet, & in penetralibus vlcus Gallicum mundificari; confluxuſque humorum fluentium auerti in alias partes, ſimúlque expurgari.

Propinquioribus, & affinibus fere renuentibus coëgit morbus, accidentiúmque vrgentia peruenire ad hydrargyri inunctiones, quæ iuxta repugnantiam, & paruam ægræ obedientiam infra neceſſitatem continuatæ profuerunt partim: ægra poſt aliquas euacuationes meliùs ſe habuit, ſed permanſit cum metu recidiuæ.

Prodeſſent forſan externæ inunctiones cum oleo auti, & internæ iniectiones cum ſero, & vnguento vlcerico Polycreſtico Roderici de Fonſeca, aliæque apptopriatæ: ſed renuebat ægra, nec exteriori vteri tunicæ aptè poſſent applicari vtiliores eæ, quæ pro vlcere in interiori tunica forent ex vſu.

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

CONSVLTATIO SEPTIMA.

De vitalitate, & perfectione partus ſereniſſimi Caroli Ioſeph Hiſpaniarum Principis.

CONTINET

§. I.

Principis natalis proponitur dies, & conſultationis occaſio.

§. II.

Præfinitum naſcendi tempus homini eſſe à Natura conſignatum decernimus.

§. III.

Quòd ex Hippocratis doctrinâ deducitur, homini eſſe à natura determinatum naſcendi tempus.

§. IV.

Principis partum intra decimum menſem non eſſe ita naturalem, ſicut ſi fuiſſet in menſe nono, videtur ſuaderi poſſe ex aliquibus.

§. V.

Sereniſſimi Principis partus intra decimum menſem vitalis magis iudicatur, ipſéque præſtantior Heros.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Principis natalis proponitur dies, & Conſultationis occaſio.

POST ſex dies ab obitu ſereniſſimi Principis Philippi Proſperi Caroli, ortus fuit illius frater, noſter ſereniſſimus Princeps Carolus Ioſeph ioachin, anno 1661. die ſexta menſis nouembris, poſt horam vnam, & quartam alterius partis ſupra meridiem, menſtruis deficientibus matri per nouem ſolares menſes, & duos dies. Inde orta eſt dubitatio huius conſultationis radix, An ortus Principis vltra adimpleros nouem menſes naturalis ſit iudicandus, vitalis, & magis completus, vt ipſum magis compactum, perfectiùs conformatum, viribus validiorem, Heroémque excellentiſſimum futurum expectemus.

§. II.

Præfinitum naſcendi tempus hominis eſſe à Natura conſignatum decernimus.

SI nollum eſt homini præfinitum naſcendi tempus; nulla eſt noſtræ conſultationis ratio, cum in quocumque potuerit vitalis, validus, perfectúſque oriri Heros: Inualuit, inquit, Zachias, *lib. primo, titul. ſecundo, quæſt. prima*, apud cunctos non doctos homines tantùm, ſed & apud viles tonſores huiuſmodi opinio, quòd homo non vt cætera animalia præfixum quemdam terminum naſcendi à Natura habeat, ſed varium, & multiplicem, ita vt in ſeptimo, & octauo, & nono, & decimo, & vndecimo menſe, vitalis oriatur. Huic opinioni præſtitit fundamentum Hippocrates, qui ſeptimo menſe, nono, decimo, & vndecimo vitales edi fœtus protulit: *& lib. de diata*, aſſerit varium omnino eſſe homini naſcendi tempus: & Plato *quinto de Republica* idem fatetur; ex quibus edoctus Ariſtoteles *lib. quarto de generat. animal. cap. ſexto*, & *Problemat. ſect.* 10. *problemat.* 30. palam profitetur nullum eſſe homini præfixum naſcendi tempus. Quæ propoſitio tanquam certiſſimum, & indubitatum axioma in omnium ore

A profertur, quaſi à tanto magiſtro receptum, à quo receperunt Amatus *centur. prima, curat.* 27. Ioubertus *lib.* 3. *errorum popul. capital. ſecundo.* Mercurial. *lib. ſecundo de morb. mulier. cap. primo.* Andreas Laurentius *lib. octauo anatom. capitul.* 30. Codronchus *in methodo teſtificandi capital.* 14. Nancel. *in analog. microcoſmi lib. ſeptimo part. quarta.* Hos Zachias adducit pro hac opinione; ipſe tamen viriliter inuehitur in ipſos, conſtantérque aſſerit tenendum, à Natura homini præſcriptum fuiſſe determinatum naſcendi tempus, omneſque hos Authores immerito ſequutos fuiſſe Ariſtotelem; quia ipſe ab Hippocrate didicit in pluribus menſibus partus poſſe eſſe vitales, ſine examine ta-
B men, & ſine diſtinctione eius, quod prouenit, tamquam incertum & rarum, ab eo, quod ſemper, vel vtplurimum fit. In omnibus prædictis menſibus vidit Hippocrates partus vitales, ſed in nono & decimo id plerumque fit, in reliquis raro: ideo nos deducimus cum Zachia, quòd illi menſes debent iudicari à Natura præfixi pro vitali hominis partu, in quibus ſemper, aut vtplurimum partus contingit eſſe vitales; reliquos verò per accidens tantùm vitales dici.

Quæ opinio fulcitur: Tum quia ſi nullus eſſet præfixum naſcendi tempus, omnes menſes eſſent apti, vt in illis ſuperuenientes partus eſſent æqualiter vitales: Ante ſeptimum pereunt omnes: In
C octauo idem contingit: In ſeptimo pauci ſunt ſuperſtites, ſicut in vndecimo: Ergo non omnes ſunt indifferentes pro vitali partu, ſed illi in quibus vtplurimum contingit fœtum eſſe vitalem, quod enim à Natura eſt, ſecundum plurimum eſt, ex Ariſtotele *ſecundo phyſicor. texta* 77. Ex Galeno 14. *methodi*: Tum quia ex Ariſtotele *ſecundo phyſicor. texta* 66. ex Galeno *lib. de cauſis procatarcticis cap. primo*, quæ à Natura fiunt ob aliquem finem fiunt: At nullus apparet finis, ob quem Natura non determinauerit homini certum naſcendi tempus, ſicut reliquis animalibus, ſi quæ enim aſſignetur ratio, eadem currit in aliis. Nec ſpeciei propagatio poteſt eſſe finis non præfigendi illud tempus homini,
D cum reliquæ animantium ſpecies propagentur, etiam ſi habeant præfixum tempus naſcendi: nec finis poteſt dici indiuiduorum maior perfectio, quia in omni tempore eſſet indiuiduum perfectum ſub ſpecie humana, ſi poſſet perfectus in omni tempore naſci, cuius contrarium demonſtrat experientia: Tum natura nihil fruſtra molitur ex Ariſtotale *primo cœli, textu* 32. ex Auërrhoe *in comment. & lib. tertio de anima, texta* 45. Cum ergo in nono, aut decimo menſe fiant vitales, & perfectiſſimi partus, fruſtra moliretur per reliquos omnes menſes, ſimiles partus fieri: Tum quia in latitudine à ſeptimo in duodecimum menſem, ſi in pri-
E mis menſibus naſcitur homo perfectus, in vltimis imperfectus debet eſſe, aut è contra, quia quanto magis aliquid diſtat à perfecto, tanto fit imperfectior, & ſi partus per menſes à perfecto diſtarent, in altero extremo, aut diſtantia ab illa perfectione, imperfecti deberent eſſe. Tum quia ex variis temperamentis hominum nequit conuinci, quòd ratione temperamenti, alij, quia calidi, ſanguinei, aut bilioſi, priùs formentur, & petant naſci, quàm pituitoſi, aut melancholici; & ideò diuerſum debeat eſſe naſcendi tempus. Nam diuerſa etiam in aliis ſunt temperamenta. Patet in vegetabilibus ratione regionis, ſoli, aquarum, anni temporum varietatis, valdè immutati eorum temperamentum, colores, ſapores. In brutis idem contingit

contingit ob eaſdem cauſas ; boues , & oues & ſimilia alia animantia ; alia ſunt alba ; alia nigra , & pro nutrimento & pro aliis medicinæ vſibus diuerſo modo ipſis vtimur , & in illis in quibus colores idem apparet , in diuerſis regionibus diuerſæ ſunt figuræ , & magnitudo illorum , & intra eamdem regionem mas differt à fœmina ; mares inter ſe , & fœminæ inter ſe , in robore , in viuacitate , in viribus , & in eſſe indiuidui ſaltem ; & cum temperamentum ſit ipſa natura , quæ in indiuiduo ſunt alia , etiam ſunt in temperamento diuerſa , & ſicut hoc non obſtat , vt habeant præfixum naſcendi tempus , nec obſtabit in homine , prætetquàm quod conuinceret ratio , vt omnes cholerici , & omnes ſanguinei , & ſic de reliquis , haberent eumdem naſcendi tempus ; & ſic ſaltem homini eſſet præfixum determinatum ſaltem ſub determinato temperamento. Tum quia nec vteri in mulieribus diuerſitas conuincit , vt tempus non ſit præfinitum : nam iuxta magnitudinem aut paruitatem ; iuxta gracilitatem , aut obeſitatem , iuxta materiam ſeminis aptam pro maiori , aut minori fœtu, ſunt variæ cauſæ ob quas vterus diuerſo modo ſe habeat in reliquorum animantium fœminis , & idem conuinceret , vt non haberent præfixum pariendi tempus , præcipuè in illis , quæ plures fœtus generant , in quibus pro paucioribus deberet præfiniri plus temporis , quàm pro multis , cum ij contineri ſimul diu nequirent ; nec anguſtia vteri conducit ad naturalem partum , de quo loquimur , ſed cauſa eſt aborſus , cum fœtus maturationem impediat , & ſine maturatione non ſit tempus partus vitalis , de quo dubitamus. Tum quia nec conuincit ratio Auerrhois *quarta de generation. animalium* , qui fœminam in natura humana dicit eſſe partim multiparam , partim pauciparam , ex quo videtur non poſſe præſcribi illi tempus pariendi : nam ſi parit multos , determinabitur tempus , vt multiparis ; ſi vnum fœtum habet , determinabitur , ſicut vniparis , prætetquam quòd , ex eo quòd vt plurimum accidit , quod vnum ſcilicet pariat , illi eſt adaptandum à natura tempus , non ex illo , quod tarò contingit ; boues , oues , capræ & aliæ vniparæ fœminæ in aliis animantibus ; quæ aliquando multiplices pariunt fœtus ; determinatum habent à natura pariendi tempus. Tum quia nec noſtræ obſtat doctrinæ , quòd homo , quouis tempore , quauis horâ , quauis ferè ætate , anniue tempore , aut diei vtitur coitu , ex quo apparet non debere illi determinari naſcendi tempus. Nam hæc probant , quòd non habeat homo præfixum anni tempus ad naſcendum , ſicut reliqua animantia , quæ præfixis anni temporibus coëunt , non tamen , quod fœtu ſemel concepto , hic non debeat iuxta propriam ſpeciem habere determinatum tempus , quo intra vterum perficiatur , ad maturitatem deducatur , & ad certum naſcendi tempus aequirat perfectionem.

§. III.

Quòd ex Hippocratis doctrinâ deducitur determinatum eſſe homini naſcendi tempus.

COmprobauimus , aduerſus Ariſtotelem , & eius ſectatores , ex Hippocrate male deducere , nullum eſſe homini præfixum à natura naſcendi tempus , cum ſolùm poſſit ex eius doctrina deduci , quòd in diuerſis menſibus contingat partus eſſe vitales ; non autem quod in eo per accidens id contingat , aut vt plurimùm , & ex naturæ inſtinito. Proſequemur ad examinandum , An ex eius doctrina poſſit menſis præfixus determinari , in quo mulierum partus vitales debeant cenſeri , tanquam à naturâ determinatus ; ad quorum intelligentiam proſequemur temporis , anni , & menſium computationem.

Cùm tempore menſuretur ſublunarium duratio , id quod Ariſtoteles *lib. quarta phyſicorum* docet eſſe *numerum motus ſecundùm prius , & poſterius* : Nos verò vocamus menſuram durationis ſublunarium. Illud diuidunt homines per annos , menſes , dies , & horas ; per hebdomadas ; & hebdomadarum decadas ; anni ex menſibus complentur , & tota duratio fœtui in vtero debita tarò per annum , ſæpius menſuratur per menſes. Ariſtoteles annum vocauit maximum , quem vocat Cenſorinus magnum , quem conficiunt ſolis , lunæ , & quinque vagarum ſtellarum orbes ; & eſt illud tempus , quod menſurat durationem , ab eo tempore , quo ſimul fuerunt ſub vno ſigno , vſque dum ſimul ad idem redeunt : Magnus Democriti annus , vt tenet Cenſorinus *capitul. octauo de die natali* , conſtat ex annis octuaginta duobus. De illo agunt Laërtius *in vita Democriti.* Cicero *libr. ſecundo de natura Deorum.* Apuleius *de dogmat. Platonis* ; Plutarchus *lib. vndecimo de placitis.* Quintilianus *dialogo de claris oratoribus* , & alij relati à Lindembrog. Alij verò ex diuerſis ſideribus , eorúmque motibus anni deſumebant durationem ; variaſque inde annorum computationes : quibus relictis , vſitatior acceptio anni eſt , iuxta quam , dicitur Cœleſtis , vel Ciuilis : Cœleſtis , ſeu naturalis ſolaris , eſt tempus , quo ſol ſuum peragit naturalem curſum per ſigna Zodiaci , quem peragit in 365. diebus , quinque horis , & 49. minutis ; vel in 365. diebus cum quadrante. Dicitur hic annus ſolaris , quia ex ſolis curſu perficitur , vel , vt tenet Cenſorinus , dicitur vertens , quia vertitur ſol ad ſignum , à quo diſceſſit , ſicut à ſole ſolaris.

A Luna alij lunarem naturalem annum deſumebant ; annumque vocabant lunarem aliqui menſem , in quo luna peragit ſuum curſum ; vt tenet Varro *lib. quinto de lingua Latinâ* , & Iouianus Pontanus *lib. decimo Vrania.* qui profert , quòd poſtea lunarem Ægyptij annum complebant ex duobus menſibus , vlteriùs verò tribus , poſtea ex quatuor menſibus. Macrobius *lib. prima Saturnal.* 12. tenet quod Arcades ſuum adimplebant annum ex tribus menſibus. Atcamanes ex ſex menſibus. Romulus adimpleuit ex decem menſibus. Aſtrologi lunarem annum adimpleuere , ex duodecim lunaribus menſibus , deſumptis ex duodecim Lunæ curſibus , iuxta duodecim lunæ congreſſus cum ſole , & iuxta lunares menſes , annus lunaris completur ex 354. diebus : Annus ciuilis , vt inquit Cenſorinus *de die natal. capitul.* 19. dicebatur , quem diuerſæ ſibi adaptabant ciuitates , qui , & ſolaris fuit , & lunaris , fixus , aut vagus. Apud nos coïncidunt ſolaris & ciuilis annus.

Menſium ſimiliter , ex quibus & annus completur , ex Cenſorino alij ſunt naturales , ciuiles alij. Naturales alij ſunt ſolares , alij lunares : ſolaris menſis eſt qui conſtat duodecima parte anni ſolaris , completur ex duratione temporis , quo ſol percurrit 30. gradus

ſub quouis Zodiaci ſigno. Menſis lunaris eſt ex Varrone, tempus in quo lu..a à ſole profecta turſus redit ad illum, qui apud Medicos maximè ſolet eſſe ex vſu. Ideò illum Galenus *lib. 2. de diebus cap.* 2. triplicem eſſe conſtituit. Alter dicitur periodicus, & eſt illud tempus, quo luna motu ſuo reuertitur ad eumdem locum Zodiaci, vnde fuerat digreſſa, quod perficitur in 27. diebus, & octo horis. Alter dicitur ſynodicus, & eſt illud tempus, quo deuiat luna ab vna coniunctione cum ſole, vſque ad ſequentem; & ex Cenſorino completur per 29. dies, & dimidium. Alter dicitur menſis lunaris, illuminationis ſeu apparitionis, & eſt illud tempus, quod incipit à ſecundo die, ſeu à coitu, primòve conſpectu lunæ, vſque dum deficit in 28. durátque per 26. dies, & 12. horas; licet non ſemper æqualiter id contingat. Ciuilis menſis ex Cenſorino eſt, quem quæuis ciuitas ſibi præſcripſit. Nec ſicut ciuiles anni, & menſes æquales ab aliquibus conſpiciuntur; ita & ſolares, ac lunares æquales eſſe poſſunt, ſumitur enim eorum duratio ex permanſione ſolis, aut lunæ in vnoquoque ſigno Zodiaci, quæ non ſemper æqualis & vniformis eſt. Inter menſes intercalatis ponitur, cum quo ſolaris, & lunaris annus coæquantur.

Ex hac Galenica menſium lunarium triplici acceptione, ſolariúmque menſium ab ipſis diuerſitate contendemus cum Roderico de Caſtro *lib. quarto de natura mulierum, capit. tertio* conciliare varias ſententias, quæ ex Hippocrate deducuntur de termino legitimi partus, ſimúlque & determinare præfixum naturalis partus in mulieribus tempus, iuxta eius doctrinam, à decimo, inquam, noni menſis die, vſque in decimum diem menſis decimi, cum aliquali latitudine verſus vtrumque extremum: ſupponitur enim ex Hippocrate computandum tempus vſque ad partum, per hedomadarum decadas, ita vt vnaquæque decas conſtet 70. diebus; hebdomada verò ſeptem integris diebus; ſed contendimus quòd aliquando decas, & hebdomada adimpleatur ex diebus ſolaribus, aliquando ex lunaribus, vnde deducimus, quod quando Hippocrates *libro de carnibus*, docet ſeptimeſtrem partum vitalem eſſe, & continere tres hebdomadarum decadas, quæ conficiunt ducentos, & decem dies, tunc intelligendus venit de diebus ſolaribus Hippocrates, ſicut *lib. de alimento.* vbi dicit, *Cúmque triginta ſoles fœtum forment, ſeptuaginta mouent, decem, & ducenti perficiunt*, vbi de ſolaribus diebus etiam conſtat loqui: *libro* verò *de octimeſtri partu*, dicit decimeſtres, & vndecimeſtres partus fieri ex ſeptem quadragenariis; ibi de menſibus lunaribus loquitur, ſeu progreſſionis, qui decem, aut vndecim, conficiunt nouem menſes ſolares: ex ſolaribus enim ſeptem quadragenariis, nouem fiunt menſes & decem dies, quorum vnuſquiſque conſtat 30. diebus, & vnuſquiſque dies viginti quatuor horas habet, quos menſes, qui habent 280. dies, ſi in menſes redigas lunares, per 27. dies & octo horas, fiunt decem menſes; & fœtus nouem menſium ſolarium iuxta hunc numerum attingit ferè per ſeptem dies vndecimum menſem. Hinc conſtat quòd menſis ſeptimus per dies ſolares, per lunares attingit decimum & vndecimum; vnde ſemper partus legitimus & vitalis eſt determinatus ad nonum menſem, præcipuè completum à decem illius diebus vſque ad decimi menſis decimum diem.

Iuxta hanc doctrinam videntur interpretandi plures Iuris periti, qui tenent in dubio omnes

A partus naturales debere iudicari editos fuiſſe nono menſe, inter quos ſunt Baldus *in leg. ſeptimo menſe. ff. de ſtatu hominum.* Socinus Iunior *conſil. 35. num. 25. volum. 2.* Sforcia *conſil. 28. numer. 63.* Burſatus *conſil. 63. num. 21.* Marius Giurba *in conſuetudine Senatus Meſſanenſis 1. p. cap. 11. gloſ. 4.* Maſcardus *de probationib. concl. 805.* Berous *conſil. 162. numer. 52.* Menochius *de arbitr. caſu 89. num. 37.*

§. IV.

B

Principis partum intra decimum menſem non eſſe ita naturalem, ſicut ſi fuiſſet in menſe nono, videtur ſuadere poſſe ex aliquibus.

CVm ex dictis conſtet, à decimo die noni menſis vſque ad decimi menſis diem decimum, licet cum aliquali latitudine naturaliſſimum eſſe homini naſcendi tempus, & sereniſſimus noſter Princeps intra hoc tempus natus fuerit in hac temporis latitudine, ſub dubio cadit, An magis vitalis magíſque naturalis eſſet iudicandus illius partus, ſi intra nonum menſem natus fuiſſet? Videtur ſic deduci ex Iuris Profeſſoribus nuper citatis, ex
C Bartolo *in leg. Gallus.* cui reliqui omnes aſſentire videntur, vt tenet Neguſant. *in ſylua reſponſion. quæſtion.* 400. & plures fatentur Medici, qui ex Hippocrate, & Ariſtotele conantur deducere nonum menſem magis legitimum eſſe homini naſcendi tempus, quod confirmat ſacra Pagina *libro ſecundo Machabæorum capit. ſeptimo.* vbi mater ſeptem filiorum inquit, *Fili mi, miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui.* Huic adhærent ſententiæ Bonauentura *libro tertio de octimeſtri partu, capit. 25.* Zachias *in quæſtion. Medico-legalibus, titul. ſecundo, quæſtion. ſecunda.* Mercatus *lib. quarto de mulier. affect.* Valleſ. *lib. de ſacra philoſophia capitul. 83. & libr. 2. Epidem. ſect. 2.* Calan-
D tius *in Galen. de diebus decret.* Capiuaccius *lib. 4. de affect. vteri, capitul. 8.* Andreas Laurentius *libr. de hiſtor. anatomica capitul. 9.* & antiquitus Macrobius *lib. de ſomno Scipionis.* Ioannes Lalamantius *de dieb. decret.*

§. V.

Sereniſſimi Principis partus intra decimum menſem vitalis magis iudicatur, ipſéque præſtantior Heros.

E PRincipis ortum in decimo menſe naturalem, vitalem, & intra propriiſſimum tempus à natura præfixum pro Heroum virilitate acquirenda decernimus ex communi Antiquitatis conſenſu, vſu & experientia comprobato. Sic deducit Carranza tenendum *libr. de naturali partu*, deducítque ex Iuriſprudentiæ Profeſſoribus, qui licet nonum conſtituant menſem præfixum à natura pro naturali partu, vel decimum ſimili modo admittunt, vel, vt ſupra tetigimus, in nono menſe includunt decem dies primos menſis decimi, quos præſtantius eſſe naſcendi tempus in præfixo nono menſe indicant, pro quo adducit plures Gilkenius *in lege Gallus. numer. quinquageſimo ſecundo de liber. & poſthum.* Ibi Donellus *in princip.*

Picharuus

Piehardus *cap. 3. à num.* 201. Menoch. *de arbitrar. lib. 2. caſu* 29. Horman. *lib. 9. obſeruat. capit.* 9. Daimerus *de iure hominis p.6. num.* 1.4. Hedrian. Neguſant. *in ſylua reſponſorum q.* 400. Ex quibus comprobatur, & ex lege Decemuirali, quæ apud Ricardum Virum eſt 14. §. *ſi mulier poſt viri mortem in decem menſibus proximus parit, qui, quave, ex ea naſcitur, &c.* Probatque Rodulfus Magiſter de limitibus humani partus *ex lege* 12. *tabularum.* & Tertullianus *lib. de anima cap.* 37. dicit *legitima natiuitas fermè decimi menſis ingreſſus eſt. Ergo potius ad Deum argumentabor hunc modum temporis, vt decem menſes decalogo magis inaugurent hominem, vt tanto temporis numero naſcantur, quanto diſciplina numero renaſcimur.* Ariſtoteles qui nullum præfixum naſcendi tribuit homini tempus, decimum menſem vt frequentiorem admittit *lib.7. de hiſtoria animal. cap.4.* §. *ſoli ex animalibus homini multa praſcripta ſunt partus tempora, nam & ſeptimo, & octauo, & nono menſe parit, plurimumque etiam decimo,* id eſt vt plurimum: Et Philo inquit: *Mulieres pragnantes decem fermè menſes grauiſſima ſarcina premuntur; cumque ad partum ventum eſt, ſape inter dolores deficiunt:* Mercatus, qui nonum menſem præfinit pro partu, primos dies decimi includit in ipſo: deducit ex Hippocrate *lib. de carnibus, & lib. de alimento:* inquit enim: *Conſtituit enim hic dierum numerum nouem menſes ſolares & decem dies, & ex communi fere omnium ſententia, hoc eſt frequentius pariendi tempus*, ſed ex ſacra pagina, ſanctiſque Doctoribus firmatur hæc doctrina *in lib. Sapientia cap. 7. verſu* 2. hæc proferuntur verba: *In ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine.* Et Rabanus in gloſſa inquit, Natos in decimo menſe magis vitales, & perfectiores reliquis eſſe, tanquam maturiore, & perfectiſſimo tempore editos. Hac de cauſa Chriſtus Dominus Deus noſter, qui ſecundum carnem perfectiſſimus debuit naſci ex D. Thoma 3. *p. ſumma, quaſt.* 46. *articul.* 6. vt debitam haberet conformationem, natus eſt menſe decimo, vt notat D. Bonauentura *in comment. ad cap.7. Sapientia:* Sanctus Damaſcenus *lib.4. fidei cap.*15. Et diuus Chryſoſtomus *in ſermone de ſancti Ioannis Baptiſta natiuitate, §. Suppletis nouem menſibus, initiante decimo Chriſtus mundo natus eſt.* In quo ob nuper adductam rationem debuit naſci; & quia vt inquit Tertullianus *capit. 37. citato, legitima natiuitas fermè decimi menſis ingreſſus eſt. Qui circa numeros ratiocinantur, decurialem numerum, vt exinde reliquorum parentem colunt, denique perfectiorem natiuitatis humana.*

Licet ſatis ex ſacris Litteris conſtet, natalem diem intra decimi menſis principium maximè vitalem eſſe, neceſſariúmque ad omnimodæ perfectionis fœtus complementum, nec vlterius hæc indigeat veritas corroboratione, proferam ex antiquorum obſeruationibus, quantum fuerit ab illis obſeruatum Heroas, præclariſſimóſque viros intra decimum menſem natos fuiſſe, huncque menſem maximè apud præclariſſimos Authores deſideratum fuiſſe pro illorum natalitio die. Pro Hercule illo magno antiquitatis Heroë laudando, & vt robuſtiſſimum virum commendando inquit Theocritus *in edyllio* 25. *Herculem decimo prognatum menſe quondam Mideatis:* Et vt congerit Larranza, inter bonos authores decimi menſis meminere Plautus *in Sticho act. 2. ſcena 1. verſu 6. Nam me illa in menſes geſtauit decem.* Et *in Trucul. actu 2. ſcena 4. verſu* 48. *quoniam iam decimus menſis aduentat prope.* Et mox: *Amicam decimo menſe poſt Athenas Attico viſo, quam grauidam reliqui meo complexu.* Terentius *in Adelphis actu 3. ſcena 4. virgo ex eo compreſſu grauida facta eſt, menſis hic decimus eſt.* Et *in Hecyra actu 5. ſcena 3. Nam memini abhinc menſes decem fere ad me nocte prima.* Seneca *in Thebaide actu quarto. Per decem menſes graues vteri labores.* Et Virgilius *Eclog. quart. Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.* Ouidius *lib. ſecundo Faſtor. Luna nouum decies implerat cornibus orbem, qua fuerat virgo, credita mater erat.* Et *lib. tertio: Seu quia bis quino femina menſe parit.* Et *lib. quinto. Iamque decem menſes, & puer ortus erat.* Statius *lib. primo ſylua: Accelerat partu decimum bona Cynthia menſem.* Cælius: *Inſoletur mulier decimo menſe parere.* Ariſtophanes *in Cere. libus decem menſes ipſam ego geſtaui.* Menander, *Mulier decimo menſe pariens.*

Sit igitur ex dictis finis conſultationis, ſereniſſimi Principis noſtri natalis dies intra decimum menſem non ſolùm felicitatis omen prædicere, ob tanti Principis natiuitatem, & propterea quod ſit tit alterius ſupplementum; ſed quia & perfectiſſimum attingit naſcendi tempus, & magnum ipſum Heroem futurum auguratur.

CONSVLTATIO OCTAVA.

De impotentia viri ex Maleficio.

CONTINET

§. I.

Caſus proponitur, & conſulendi Occaſio.

§. II.

Sterilitatis qua ſint naturales cauſa, proponitur.

§. III.

Maleficiati ope damonum, corpora variis modis immutare valent, morbos cauſare, & impotentiam.

§. IV.

Impotentiam ex maleficio poßibilem admittimus; ex ipſa, conſulentem infirmatum iudicamus.

§. V.

Impotentia ex maleficio curatio non facilis; varia pro illa auferendâ proponuntur curationes.

CONSVLTATIONIS
Deciſio.

§. I.

Caſus proponitur , & conſulendi Occaſio.

VIr 23. annorum, qui per plures annos ſtrenuè ſe geſſit in actu venereo cum variis fœminis, duxit vxorem pulchram, benè valentem, nec impeditam naturali coarctatione , cum qua coire nequiuit , potens adhuc permanens cum reliquis : remittit in tempus ſpem recuperandi potentiam, nec ſpes adimpletur: recurrit ad diuina auxilia, & interim tandem percurrit ad medica. Peruenit ad nos , ſuum detegit infortunium , nouitatis perquirit cauſam , nullam adinuenit manifeſtam , timet maleficium , nec ſine ratione , exorat vt conſultationis modo illi proferam impotentiæ coëundi communes cauſas , & an ab aliqua earum ſuam impotentiam prouenire iudicem , ſin minus an ex maleficio id contingere valeat ; in quo euentu vt illi proferam, quæ ſint ex vſu auxilia, rogat.

§. II.

Sterilitatis quæ ſint naturales cauſæ , proponitur.

INter cauſas ſterilitatis ponitur coëundi Impotentia : ſterilitas gentibus omnibus , populiſque eſt odioſa, vt protulit Hucherius : commune vitium eſt viris, & fœminis. Ex quatuor cauſis prouenit vnicuique horum. Requiruntur in fœminis ad generandum, & fouendum fœtum, quatuor ; ſeminis conueniens in vtero receptio, huius in vtero debito tempore retentio , quod retentum in vtero foueat , & conſeruet , quod debitam materiam ſuppeditet ad fœtus conformationem , & incrementum. Variæ cauſæ has impedientes actiones ab Auctoribus relatæ , ſterilitatis fœminarum ſunt cauſæ. Impotentiæ verò ad coëundum ſolùm naturalis coarctatio, naturalis in fœminis cauſa iudicatur.

Steriles etiam fiunt quaduplicitet viri à cauſis naturalibus, vel ob vitiatam conformationem partium, quæ generationi dicantur: vel ob ſeminis vitium : vel ob debilitatem partis principis: vel propter ignauiam partium genitalium. Eſt hæc ignauia, vt tenet Rodericus de Caſtro, inertia ad exercendam venerem, quãuis ea vti conetur vir , hæc dicitur impotentia ad coëundum , quam Brunel. *de ſponſo , & matrim.* Hoſtien. *in ſumma lib. 4. tit. de frigid. & malefic.* dicunt eſſe *vitium naturale , vel accidentale , quo quis impeditur alteri carnaliter commiſceri.* Sic impotentes diuidunt Iuris Profeſſores in frigidos , & maleficiatos.
E Rodericus de Caſtro dicit , quòd naturalis impotentia ſignificatur apud Iuris profeſſores per verbum , *frigidos* : accidentalis verò per verbum , *maleficiatos.* Cardanus *lib. 1. de venenis.* Barboſa *collect. lect. DD. lib. 4. tit. 15.* Frigidos vocant non potentes cum aliqua muliere coire : maleficiatos , potentes cum omnibus coire præterquam cum vnâ. Capella Toloſ. *q. 35. n. 1.* Frigidos vocat non potentes penem erigere : Maleficiatos erigentes, opus tamen non conſummantes. Alij vocant frigidos ſemen non emittentes; Maleficiatos illud ante tempus emittentes. Nos tamen frigidos vocamus viros conſtitutos intra ætatẽ aptam

A ad coëundum , qui impotentes fiunt ab aliqua cauſa naturali, ſine ope dæmonum. Maleficiatos vocamus eos, qui impotentes ad coëundum redduntur ope dæmonum.

Frigidi , vt tenent Iuris Profeſſores *tit. de frigidis , & Maleficiatis* ; & tenent ex noſtris præcipuè auctores qui Gyneciorum libros ediderunt , ſimul & Practici ferè omnes : Alij à cauſis naturalibus : Alij ab accidentalibus fiunt tales. Cauſæ naturales , inquit Zachias, vel attenduntur ex parte totius, quia in vito præualet frigida totius intemperies, ob quam frigidum generat , aquoſúmque ſemen , nec in venerem ſtimulatur : vel attenduntur penes vitium partis principis, cordis , cerebri , iecoris teſtium , ſeu partium illis deſeruientium. Cauſæ accidentales frigido-
B rum , aut ſunt intrinſecæ aut extrinſecæ. Inter intrinſecas ſunt humores ſuperflui, frigidi, extinguentes naturalem calorem; ſeu calidi, ipſum reſoluentes, ſpiritus diſſipantes ; ſeu humidi, illum obtundendo , & partes relaxando , viréſque imminuendo ; ſeu ſicci , partes nimis exſiccando , & impediendo. Sunt etiam ex intrinſecis accidentalibus cauſis debilitas , aut morboſa partium principum diſpoſitio , molliſſima caro , ætas infra , vel ſupra tempus generando deſtinatum, effœminata complexio , aut conformatio.

Accidentales cauſæ extrinſecæ, intemperatus aër, calidus pro viris, frigidus pro fœminis ex Ariſtotele *lib. 4. problem. 16. & 24.* ſunt animæ paſſiones , & deſuetudo, vt exemplis confirmat Schenkius *lib. 3. ob-*
C *ſeruat.* ſunt vſus ciborum frigidorum , & humidorum , & aliorum ſemen imminuentium ; refrigerationes inſignes, potus nimis frigidus , largæ euacuationes, validæ capitis contuſiones, fœminæ fœtor, aut deformitas , immunditties, & innumeri alij morbi vires proſternentes , vt ex noſtris latè deducitur, & fatentur Iuris Profeſſores *in l. filium cum definimus, ff. de iis qui ſunt ſui, vel alieni iuris.* Et *in l. ſi pater, §. final. ff. de adopt. & arrogat.* vt latè Zachias proſequitur , qui vſum veneris ex morbis impediri deducit ex Sauanarola *in Practica Magna tract. 6. c. 20. rubr. 27.* & ex aliis ; præcipue ex Rota dicente, quòd coïtos , & infirmitas non compatiuntur, quod in morbis chronicis , habitualibus , vires nimis inuertentibus, præ-
D cipuè eſt verum.

Inter has naturales cauſas nullam adinuenimus valentem impotentiam cauſare noſtri conſulentis, ipſumque frigidum reddentem , quia à naturalibus frigidum non fieri demonſtrat, quòd eaſdem haberet cauſas antequam vxorem duceret , & dum ipſam ducit impedirent coitum cum aliis , ſicut & cum illa, quæ ratio etiam comprobat reſpectu accidentalium cauſarum , in quibus non poteſt eſſe electio vt impedirent cum vna coire potiùs, quàm cum aliis, ſi cauſæ ſe haberent ex parte illius. Ex parte verò vxoria nulla eſt cauſa ex ſupra propoſitis , quæ ſe habent ex parte fœminæ , nec naturalis clauſura. Reſtat ergo vt ſit impotens ſub maleficiatis , non vero ſub frigidis.

§. III.

Maleficiati ope dæmonum , corpora variis modis immutare valent , morbos cauſare , & impotentiam.

MAleficium, à quo maleficiati fiunt , Incantatio, Veneficium , & Magia , vt tenet Sennertus, *actionem* dicit , *quæ ab homine , qui cum malo dæmone pactum iniit, eiuſdem dæmonis operâ aliquid quod ſupra naturæ curſum eſt , perficitur.* Eiuſmodi operationes,

&

& operantes dicuntur incantationes, veneficia, magicæ artes, incantatrices, veneficæ, maleficæ, magi, lamiæ, ſtriges, ſagæ, à quibus nec impotentiam, nec morbos cauſari poſſe, nec corpus aliter alterari tenent Pomponacius, pluréſque alij relati à Lorino *Actor.8. ad verba, Vir autem.* Et inter Iuniores Ioannes Brauus Chamiſius relatus à Moura; qui Doctor fuit Conimbricenſis huius temporis, ac Medicus. Ij Magorum operà iudicant fieri, non ope dæmonum; ſed naturali virtute, præcipuè Chamiſius eorum opera reducit ad naturalem verborum vim, recurrítque ad artem Cabaliſticam Hebræorum, vnde præcitati omnem contendunt exterminare Magiam. Viuerius inſiſtit maxime in eo, quòd lamiæ, & ſagæ nequeant morbum inducere, alitérve corpus alterare ope dæmonum *in lib. 3. de praſtig. dæmonum cap. 14. & lib. de lamiis*: iudicat enim lamiarum opera in eo conſiſtere quod earum fantaſia à dæmone vitietur ſimulachris, in quem finem dicit vti dæmonem melancholicis, Deo diffiſis, impiè, & illicitè curioſis, male inſtitutis in noſtra religione, malitioſis, fatuis, malignis, mulierculis, à quibus adoretur, inſectetur, quos aggreditur aſſumpta plauſibili forma, vel agitando cogitationem, corrumpendo imaginationem vt credant quod in illorum mente proponit. Hoc comprobat: Tum quia varia ſunt figmenta, quæ id videntur atteſtari, qualia ſunt melancholicorum deliria, vt videre eſt in variis eorum deliriis, quæ refert ex diuerſis Auctoribus. Præterea quia ſi qui ſunt euentus conteſtantes lamias ope dæmonum operari, vt id quod narratur ab Hectore Boëtio *lib. 1. hiſtor. Scitor.* de Duſo Rege, & alij ſimiles, ab aliis Auctoribus pro fabula habendi ſunt: quod idem affirmaret de aliis hiſtoriis, ex quibus lamias ope dæmonum in homines agere comprobatur; quales referunt Sennertus *lib. 6. in appendice.* Foreſtus *in lib. 18. obſeruat. 26.* Hildeſehim. *ſpicil. 186.* Codronchus *lib. 2. de morb. veneſ. cap. 3.* Cornelius Gemma *lib. 2. de diuinat. natural. characteriſm. cap. 4.* Springerus *in Malleo Maleſ.* Bodinus *in dæmonom.* Langius *lib. 1. epiſtol. 18.* Beninenius *de abdit. cauſ. ſanit. & morb.* Alexander Benedictus *lib. 7. pract. cap. 25.* Strozzius *lib. de magia omnifaria.* Præterea quia iudicat, quòd ſagæ vnguentis ſomniferis ſtupefactæ à dæmone recipiunt ſpecies plurimum, quæ ipſas ope dæmonum verè & realiter credunt effeciſſe, ex quibus, & ſe ipſas, & alios fallunt, credentes ab ipſis morbos aliquos fuiſſe ope dæmonum inductos: & ſimiliter falli contingit homines credentes morbos nullis cedentes remediis, ope dæmonum fuiſſe inductos à maleficis aut ſagis.

Sed relictis his ſagarum maleficorum, & dæmonum defenſoribus, quos plerique iudicant parum firmos in Chriſtiana religione, morbos à maleficis, & ſagis induci, corpora alterari, & inuerti, impotentiámque cauſari ope dæmonum manifeſtè conuincitur à reliquis Scriptoribus Theologis, Iuris Profeſſoribus, & Medicis: quæ veritas ex diuerſis deducitur fontibus. Primo ex Magiæ origine, quæ fallax, & ſuperſtitioſa eſt, quam Philo *lib. de ſpecialibus legibus*, ex naturali Magia, & corrupta fallacem, & ſuperſtitioſam ortum ducere iudicat. Zoroaſter creditur eius Auctor, qui vt tenet author hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *in lib. Geneſeos cap. 39.* Cham Zoroaſtrem eſſe docetur, quem Perſem vocant Plinius, & Laërtius, Barrium Diodorus Siculus: hunc Plinius & Ariſtoteles vixiſſe ſex millibus annorum ante Platonem putant. Hermipus autem, & Hermodorus *in lib. de diſciplinis*, vixiſſe ante Bellum Troianum quinque millibus annorum tenent. Xanthus Lydius

A recentiorem ipſum ponit. Caſſianus ante diluuium ponit originem Magiæ, artiúmque maleficarum, quo tempore filij Dei permixti ſunt filiabus hominum, modúmque proponit, quo poſt diluuium ars malefica fuerit hominibus communicata, edoctus doctrina Abbatis Sereni. Lactantius diabolum Magiæ auctorem facit *lib. 2. diuinar. inſtitut* inquit: *Dæmonum inuenta ſunt Aſtrologia, & Aruſpicina & Auguratio, & quæ dicuntur Oracula, & Necromantia, & Ars Magica, & quidquid præterea malorum exercent homines vel palam, vel occultè, quæ omnia per ſe falſa ſunt, vt Sybilla Erithrea teſtatur.* Cyprianus *in lib. de idolorum vanitate.* luculentius idem docet. Euſebius *de præpar. Euangelic. cap. 6.* inquit: *Magicæ artis*

B *dij gentilium & inuentores, & doctores fuerunt.* Ex hac origine cùm magi proueniant, receptum fuit omni tempore, Zoroaſtrem, Protheum, Syrenum, Circem, Orpheum, Oſthanem, Iarcham., Ætyopum, Ieſpenſionem, Apollonium Tyanæum, Plotinum, Porphyrium, Iamblicum, Proclum Apuleium, Simonem Magum, Ioannem, Mambres, & reliquos Magos, ac ſagas dæmonis opè potuiſſe ees immutaree, elementa perturbare, homines morbis infeſtare, mortes cauſare, & Impotentias inducere; quod ex ſacra Pagina firmatur, quæ ob vitanda huiuſmodi facinora, Maleficos grauiſſimis imperat pœnis puniri, vitáque priuari, vt patet *in Exodo cap. 22. in Deuteronomio cap. 18. & cap. 20.* quos morte puniri inquit

C Philo, ne homines deducant in graues calamitates, ad quas vitandas Eccleſia Romana in Sacerdotali Romano contendit exorciſmis auertere maleficia, & morbos per ipſa inductos; nec hanc veritatem quiſpiam negare poſſet, quin ſuſpectus appareat in Chriſtiana veritate, præcipuè cum ſit hæc veritas confirmata ex Conciliis, & Canonicis, ac Pontificiis Inſtitutionibus. Liberitanum enim Concilium interdicit dari ſacram communionem ei, qui alterum maleficio interfecerit. Concilium Laodicæum *cap. 36.* Carthaginenſe *cap. 89.* Ancyranum *lib. 6. c. 7.* Agatenſe *lib. 8. canon. 6.* Pariſienſe *lib. 3. cap. 2.* Synodus Moguntina *cap. 101.* Mediolanenſéque contendunt euertere maleficos, quia ope dæmonum per morbos poſſunt reliquos infeſtare, qua eadem ratione idem

D intendit Gratianus *2. p. decret. 33. q. 1.* & *in decretalib. titul. de frigidis. & maleficiatis*, idem firmatur, ſimúlque ex variis conſtitutionibus ſancitis a Pontificibus, à Ioanne XXII. ab Innocentio VIII. ab Alexandro VI. à Leone X. & à Sixto V. Horum doctrinam ſequuntur D. Iſidorus 8. *Etymolog.* D. Auguſtinus *2. de doctr. Chriſtiana, cap. 19. lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. 19.* D. Chryſoſtomus *de fato, ſerm. 7.* D. Thomas *4. ſentent. diſt. 3. q. 3.* D. Bonauentura, Richardus, Ioannes Maior, Durandus, Syluester, Scotus, Sanctus Antoninus, Caietanus, & Nauarrus, & reliqui Commentatores *in 2. ſentent.* Nec in Canonico tantum iure, ſed in Cæſareo apud Iuſtinianum *C. de maleficiis, l. multi*, & in aliis plurimis, pœnæ

E imponuntur maleficis, quia reliquos valent per morbos interficere & impotentes reddere, ſed cremandos eſſe decernitur, ne hæc & alia grauiſſima facinora valeant ope dæmonum perpetrari. Hanc maleficam poteſtatem veneficis his hominibus tribuunt etiam veteres, & recentiores. Plato *in Conuiuio* & *lib. 11. de legibus*, & *in Charmide.* Mercurius Triſmegiſtus *in Aſclepio.* Porphyrius *in epiſtola ad Anebonem.* Iamblicus *in lib. de myſteriis Ægyptior. Chaldæorum & Aſſyrior.* Michaël Pſellus *lib. de dæmonibus.* Calcidius, Lucius Apuleius, Delrius *lib. 2. diſq. Mag.* Torreblanca *lib. 2.* Guacetus *in compendio Maleficar.* Hucherus *de ſterilitate*, Zachias *lib. quæſt. Medico-*

legal.3. tit.1. Sennertus *lib.6. p.10.* Strozzius *lib. de omnifaria magia.* Moura *lib. de incantat.* Galenus *lib. de Medic. Homeri tract.* quem citat. Alexander, licet ad nos non perueniat, creditur huius opinionis. Eam tenet *lib. de incantatione*, illi abdicato. Inter noſtrates morbos inductos à maleficis contendunt curare, Abraraυius *lib. pract. ſect.2.* Iſac. *cap. de impotentia.* Vigo *lib.9. praxis.* Nicolus, Aponenſis, Marſilius, Montagnana, Mathiolus, Sennertus, Hucherus, ſed inter reliquos Codronchus, qui plures citat, & cunctos exuperat. Nec pauci apparent huius veritatis ſectatores in Strozzij mundi theatro in omnigena litteratura. Profitentur illam Nicephorus *lib.5. hiſtor. Eccleſiaſt. cap.2.* Cicero *in orat. pro Cluentio & in Catilinam.* Strab. *lib.* 15. Lucianus *in ſuo aſino aureo*, Apuleius ibi & *lib.2. & in 3.* Vetoaldus Virgilius *lib. de rerum inuentione cap.23.* Lactantius Firmianus *lib.2. inſtit.* D. Cyprianus *de duplici martyr.* Locanus *lib. 6.* Torquatus. Taſſus Philoſtratus refert Cyrum à muliere necandum prædixiſſe ſagam: Ariſtoteles refert, quòd Sacerdos Iouis Magus indicauit Cercydam homicidam: Trallianus narrat Romanos ope Magorum terrefactos, amiſiſſe victoriam, ab Antiocho recuperatam. Columbæ loquebantur Dodones vt tenet Sophocles, Magorum ope. Apollonins Thianæus ſimili arte fuit ſalutatus ab vlmo, vt ſcribit Phyloſtratus, Pythagoras ſimili magia fuit ſalutatus à fluuio Cauſo, vt protulit Porphyrius, & Vallerius refert, quod audita magna voce repentè Romani Etruſcos terrefactos vicerunt. Mennonis ſimulachrum ſole Oriente edebat voces ope Magorum. Simon Magus effecit ſuum canem loqui: & Pharaonis Magi tot portenta ope dæmonum fecere qualia refert ſacra Pagina. Ex iis decepti Plutharcus, Democritus, Leucippus, Parmenides, Porphyrius brutis aliquam tribuunt rationem, quibus veſtigia tantum animi humani tribuunt D. Thomas, Gregorius, Arnobius, Gerſon, & Albertus Magnus: nec aliis artibus aliqui Magi, ope Dæmonum homines inuehunt in profundos ſomnos, vt Grillandus, Paris de Puteo, Hippolytus de Marſiliis referunt; ſic Olaüs Magnus refert de ecſthaſi Finnorum: & Liuius refert in Germania ruſticum hac de cauſa per annum ſomno fuiſſe ſepultum; ſed inter Iuniores lucent recentiora exempla. Conridus Vuimpina *lib. 5. de ſuperſt.* aliqua profert: Delrius iudicat *lib.3. ſect. 3.* ob ſumma ſcelera, quibus nos immutant, Magos pro Ethnicis habendos: Springerius innumera refert ſymptomata quibus homines infeſtantur à Lamiis ope Dæmonum operantibus: Meierus *lib.16.* refert modum, quo Malefici Carolum Principem occidere contendebant ope dæmonum. Lutetiæ Pariſiorum nobilis vir ceream habebat imaginē variis characteribus inſignitam pro alio interficiendo dæmonis ope: & ipſe morte mulctatus ob facinus: hoc vtebantur maleficio & alij malefici ad inſidiandam vitam Caroli IX. Regis Galliæ, & Henrici Ducis Guiſiæ. Ceſalpinus *lib. de dæmon. inueſtig. cap.* 16. dicit dæmonem ex rebus venenoſis deducere quintam eſſentiam, qua magi vtuntur ad reliquos interficiendos: Springerius per ſeceſſum refert puellam ob maleficium eieciſſe ſpinas, acus æneas, & ouiformem maſſam, ex qua euolarunt formicæ; Zacutus ſimilem refert hiſtoriam, & vidiſſe fœminam vomentem conglomeratos crines, tribulorum faſciſculum, acus æneas, & maſſam ſimilem formicis plenam, quæ Binsfeldius dæmonis ope intromitti in hominibus iudicat, vel applicando actiua paſſiuis niſu maleficorum. Hæc fiunt à dæmone, vt contendit D. Auguſtinus *lib. de Ciuitate Dei cap.*18. Sæpe verò malefici infeſtant homines

A tranſmutando impuros ſuccos ab ignobilibus in nobiliores partes, vt tenet Zacutus *lib. 3. de praxi admirab.* qui humores moti ad extra minuunt morbos à maleficiis in ipſis inductos. Benivenius *lib. de abdit. & mirabil. morbor. cauſ.* adoleſcentulam vidit reiicientem per vomitum plura inſtrumenta malefica, à quibus in vtero grauiter vexabatur. Sic contingit in concrematis extrinſecis huiuſmodi inſtrumentis ægros à maleficio liberari, vt *lib. de Medico & eius officio* profert Carrarius, & aſſentiuntur Ioannes Nider *in ſuo præceptorio.* Henricus Inſtitor, Syluester, Prierius *in lib. de ſtrimag. dæmonúmque mirandis.* Iacobus Springer. *in malleo maleficar.* Alfonſus de Caſtro *lib. de punitionibus hæreticor.* Paulus Chiradas *tract. de*
B *ſortilegiis*, Ioannes Bodinus *in dæmonoman.*

Ex quibus cum manifeſtè conſtet homines à maleficis infeſtari, variiſque morborum generibus opprimi, non eſt dubium, quin & ſimul impotentiam valeant cauſare, quidquid Pomponacius impiè, & alij Antiquiores, Camiſius minus doctè, & Vuerius temerarie reclament: ſtandum enim veritati confirmatæ doctrina Sanctæ Eccleſiæ, ſacrorum Canonum, Pontificum ſanctionibus, legum decretis, omnigenæ litteraturæ Scriptoribus, aſſeoſui, ſimúlque & euidentibus experientiis, quas negare nequit qui ſenſibus non caret, vel qui hæreſis ſuſpicione ipſa non abundat.

C

§. IV.

Impotentiam ex maleficio poſſibilem admittimus, ex ipſa conſulentem infirmatum indicamus?

QVòd magi, venefici, & ſagæ valeant morbos cauſare ope dæmonum manet comprobatum ex dictis; inter quos vt humani generis propagationem impediat dæmon, ipſos impellit, vt homines reddant impotentes ad generandum; quod ſex modis contendunt conſequi, quos Delrius, Torreblanca, Codronchus, Sennertus, Guacius, Thomas Sanchez & alij referunt; & deſumpſerunt ex Paludano *4. diſtinct. 34. q. 2. art. 3. num. 6.*

D Primus modus eſt, quando coniugem alterum alteri reddunt odioſum, vel inuicem ambos odioſos faciunt per calumniam, ſuſpicionem, aut morbi alicuius immiſſionem. Secundus, quando impedit corpora, ne ad ſe mutuò appropinquare poſſint, vel ſeparando ea ad loca diuerſa, vel iungens phantaſmata hoc repræſentantia. Tertius, quando cohibet concurſum ſpirituum vitalium ad membra generationis, quorum defectu impeditur actus, vel ſeminis emiſſio. Quarto exſiccando ſemen prolificum, ipſúmve ſubtrahendo. Quinto reddendo flaccidam virgam, & ineptam coëundo. Sexto, applicando naturalia pharmaca impedientia virilem potentiam. Septimum
E ſuperaddunt Iuniores, nempe inducendo in muliere naturalem coarctationem, quâ actus coëundi impediatur.

Reſtat ergo quòd propoſitus æger, conſulénſve noſter, ex maleficio contraxerit impotentiam coëundi quâ laborat, non omnibus modis dictis, ſed ob debilitatem contractam in membris generationi dicatis, præcipuè in virga impedita ad coëundum cum vxore, quod manifeſtè confirmat, quòd, vt diximus, nullis naturalibus impediri poſſit cauſis, ab illis enim impediretur ſimul cum aliis coïre: cum igitur potens ſit cum aliis, & non cum vxore, hoc maleficij euidens eſt indicium, vt docet D. Thomas *in 4. ſent. diſtinct. 24. §. Hominem ligari ad vnam, & non ad*

alias

dias ex naturalibus cauſis non prouenit. Diuus Bonauentura ſimiliter tenet prouenire ex maleficio. Virum ad vnam, & non ad alias impediri, & hoc, quia venefica reſpectu determinatæ mulieris diabolum aſciuit, vel quia prohibuit Deus impediri reſpectu reliquarum.

§. V.

Impotentiæ ex maleficio curatio non facilis: varia pro illa auferenda proponuntur curationes.

EX maleficio impotentiæ, curationi nec ſemper aditus liber, nec omnino impoſſibilis. Theodoricus Burgundiæ Rex, vt Beuerouicius *lib. de veteri medicina p. 3. cap.* 14. deducit ex Mariana 6. *rerum Hiſpan.* 2. nullis proficientibus auxiliis Hiſpaniæ Regis filiam virginem dimiſit, erat enim carminibus impeditus pro ipſa. Pierius, & Codronchius referunt quemdam Comitem in Argentenſi ditione per triennium ligatum & cum vxore impeditum, liberatum fuiſſe, inſtrumentis veneficis deſtructis: cui Grillandus *in tract. de ſortilegiis*, ſimilem refert euentum. Herodotus *lib.* 2. refert Amaſim Ægypti Regem impotentem ex veneficio, precibus ſanitatem recuperaſſe; licet id falſis tribuat diis. Codronchus *lib.* 3. *de morb. veneficis cap.* 5. refert iuuenem, quadam iuuencula poſitum, priuatum genitalibus, & reſtitutum in ſanitatem tactu manus veneficæ inter ſemora. Ex quibus & ipſe triplicem proponit curationem pro auferenda hac impotentia ex maleficio; Diuinam, Naturalem, & Magicam: quem ſequitur Sennertus ſimiles proponens curationes. Deſumunt auxilia ex Iſaac, Delrio, Hucherio, Plinio, & aliis. Nos ipſos inſequemur pro hoc ægro triplicem curationem proponentes cum illis, ſuperaddemus, & curationem Empiricam, proponendo auxilia quæ à tota ſubſtantia creduntur huic affectui proficua. Hucherus proponit plura quæ amatoria philtra valent auertere, & coniugum mutuum amorem reuocare. Cleopatra commendat fel ceruinum oleo ſeſamino mixtum, vt corpus inungatur totum. Iſaac conſulit ſuffumigium ex felle alicuius piſcis, ignitis carbonibus, poſito quòd fiat, dum coniuges ſunt ituri ad ſomnum. Nicolus laudat theriacam exhibitam cum ſucco hypericonis. Plinius hypericon vocat fugam dæmonis; & ſupra renes poſitum commendat, vel abrotanum cum vino illitum, & ſumptum cum melle; cerebrum corniculæ viuæ captæ, & necatæ, cum melle mixtum, & pudendo applicatum dicitur prodeſſe, vel oua eius fracta, & ſimili modo appoſita. Stercus damarum cum oleo tepido diſſolutum, vel fel apri, lupi, aut hirci cum oleo mixtum & applicatum: vel cor hirudinis vſtum, & ex vino exhibitum. Sennertus *lib. 6. cap.* 7. renuens ſuperſtitioſa plura Gentilium medicamenta, inter ea quæ proſunt occulta vi adducit ex Dioſcoride *lib. 1. cap.* 104. rhamnum depellere veneficia: ex Plinio *lib.* 13. *c.* 4. proponit lignum palmæ: ex Dioſcoride leontopodij radicem: ex Plinio *lib.* 28. *cap.* 8. corium frontis hienæ: ex Muſa, betonicam; quam & præſeruare, & curare maleficium impotentiæ iudicat. Sed hæc cum phyſica ratione non proſint, vana, ac irrita potius iudicatem habenda; cum enim fatear maleficos & ſagas vi dæmonum operari, in quos nec occulta, nec manifeſta vi operari queunt naturales res: nec ideo iudico ipſos poſſe cogi per hæc medicamenta, vt deſiſtant à facinore, mediis veneficis perpetrato.

Nec curatio Magica tutior debet iudicari in quâ A nec ſolum fruſtratio remediorum timenda, ſed peccati periculum ex commercio cum dæmone, aut maleficis aufugiendum, quidquid impius Paracelſus à Sennerto citatus, contendat pro morbis veneficis curandis ad dæmonem recurrere, cereas imagines efformare ſimiles parti patienti, ad Necromanticos, Agyrtas, vetulas, & ſagas, licitum eſſe; ipſe enim Necromanticus pactum cum dæmone iniuit, cum ipſo continua habuit commercia; ab ipſo didicit impietates, quas litteris tradidit, diſcedens tanquam diaboli miniſter à vera ſanctorum doctrina; ex quibus docemur à dæmonis diſcedere commerciis, tanquam ab infeſtiſſimo humani generis hoſte. In cuius comprobationem adducit Sennertus ſacræ Paginæ B varia teſtimonia, per quæ oſtendit quantum Dominus Deus noſter abhorreat homines cum dæmone, & veneficis commercium habere, nec aliquod bonum per illos ſpectare, cum Deus tot habeat Angelorum myriades, per quos benefactor ſit illorum. Et ideo 4. *Regum cap.* 1. Rex Aſias, quia conſuluit dæmonem, habuit à Deo ſententiam mortis, & Chriſtiani, qui in Baptiſmate diabolo renunciarunt, ſine ſummo crimine nequeunt ad ipſum recurrere, nec ad veneficos, & ſagas, quia quæcumque operantur, ope dæmonum operantur, & ideò ſi quæ ſunt leges, aut Authores aſſerentes poſſe ad hos recurrere, ad vitandos veneficos morbos aut vi, aut pretio, non ſatis securè loquuntur, cum ſemper cogant ſaltem veneficos vt ad dæmonem perueniant iniqua adora- C tione aliquid exorantes, quod potiùs Chriſtiani deberent petere à Deo, cuius eſt ſumma poteſtas, & ſine cuius nutu impotentes ſunt dæmones ad perficiendum, aut conſeruandum maleficium.

Nec licet ad maleficium auferendum, ſigna maleficij quærere, amouere, & deſtruere, quidquid plures citati à Delrio, & Sennerto cogitauerint, quia, vt diximus, cùm Deus ſit ſumma poteſtas, & ſine cuius nutu nullꝰ poſſunt veneficia induci, ad ipſa auferenda ad ipſum ſemper recurrendum. Signa malefica nullam operandi vim habent, nec illa coactus ponit diabolus, vt ipſis ablatis, deſinat operari, ſed tanquam ſigna pacti & maleficij, quod poteſt ablato ſigno conſeruare, & ideò, qui ſpetat auferendum D maleficium, à dæmonis libera voluntate ſpectat illud beneficium recipere, & petit ab illo tacitè, quod explicitè deberet exorare à Deo: à dęmone enim nullum ſpectandum beneficium, quia beneficia diaboli omnibus ſunt nocitura vulneribus, inquit Leo *in ſerm.* 19. *de Paſſione Domini*. Plura apud Sennertum ſunt huius veritatis fundamenta, qui ad Delrium contrariè opinantem reſpondet, varias ab ipſo adductas authoritates *lib. 6. diſq. Magicar.* eorum Authores non tam adhærere veritati, quam opinioni communiori: nec negamus ablatis maleficis ſignis, plures ad ſanitatem reſtitutos, ſed iudicamus hoc factum ope dæmonum, quia Chriſtiani ad ipſos minùs pie recurre- E runt, dum deberent recurrere ad auxilia diuina, & ſupernaturalia, vt Zachias protulit *tom. 2. quæſt. Medico-legal. lib.* 10. *deciſ.* 22. & tenent citati ab ipſo *in cap. ſi per ſorciariam* 33. *quæſt.* 1. Canouiſtæ, & præſertim Torreblanca *quæſt.* 1. Et tenent inter Theologos D. Thomas, D. Bonauentura, Petrus Paulus de Palude, Scotus, Durandus, & communiter Commentatores *lib. 4. ſent. diſt.* 34. à quibus nec diſcedit Delrius. Vnde deducitur dæmonem non per ablationem ſignorum maleficorum cogendum ad auferendum morbum ſeu impotentiam ortam ex maleficio, ſed per exorciſmos, per quos ſancta Eccleſia ipſum opprimit, & cogit ad agendum, quod aliâ viâ eſſet illicitum conſequi ab ipſo, ad quos præcipua

iudicatur

iudicatur à Zachia, praxis, quam proponit Frater Hieronymus Menguas *in ſuo fuſte dæmonum, ſiue flagello dæmonum exorciſmo.*

Dum Magica curatio impietatem redolrat; & ſuperſtitioſa, aut inutilis videatur Empirica: cogimur accedere ad naturalem, phyſicam, & Dogmaticam, aut Rationalem: de qua an ſit ex vſu, non leuem controuerſiam proponit Sennertus, quam dirimit notando, quòd aliquando dæmon ſuadet ſagis, & maleficis morbum inducere, non quia habeat permiſſionem ad ipſum inducendum, ſed quia cognoſcit, facilem diſpoſitionem in aliquo, vt incidat in illum, qui morbus poteſt, & debet curari rationali methodo, etſi maleficus iudicetur. Secundò diabolus inducit morbos mediis naturalibus cauſis, & tales debent curari naturalibus, & diuinis auxiliis. Tertiò poſſunt permiſſione Dei ſine cauſis naturalibus fieri à dæmone, & pro his curandis nulla naturalia poſſunt auxilia. Superaddam ego quòd morbi, quos afficit dæmon mediis cauſis naturalibus, aut habet permiſſionem Dei ad ipſos cauſandos tantùm vel ſimul ad ipſos cauſandos & conſeruandos: ſi ad vtrumque fruſtra adhibentur auxilia naturalia: cum valeat dæmon ſimiles cauſas mouere, iterúmque applicare, & conſeruare, contra cuius vim nulla naturalia auxilia prodeſſe poterunt: ſi tamen habuit permiſſionem ad morbos cauſandos, applicatione cauſarum, non autem ad ipſos fouendos, erit vtilis naturalis, ac rationalis curatio, per quam auferantur cauſæ, quas dæmon ſemel valuit applicare.

Cum igitur noſtri ægri impotentia à maleficis ope dæmonis introducta Deo permittente, potuerit induci, Domino permittente, per applicationem cauſarum, ad ipſam inducendam, non ad conſeruationem: primo enim modo Sennerti, non poſſet à naturalibus ſolis cauſis induci; eſſet enim abſoluta ad omnes mulieres, non autem reſpectiua ad ſolam vxorem: Reſtat vt aliqua proponamus remedia dogmatica quæ abſolute pro omni impotentia, diuerſa petunt eſſe, iuxta diuerſas indicationes deſumptas ex ſex diuerſis modis, quibus hanc impotentiam diximus cauſari a dæmone. Fruſtra videtur pro ipſo proponere varias euacuationes, vomitus, balnea, ſuffumigia, quæ Codronchus, & alij ſine diſtinctione proponunt; nec alia auxilia quæ pro aliis impotentiis ortis ex aliis cauſis poſſent prodeſſe. Siſterem tantum in illis quæ ſemen augere valent, prolificum reddere, ſpiritus vitales augere, eos ad genitales partes deducere, ſimúlque & earum humiditatem deſiccare, flaccidámque ac mollem ſubſtantiam corroborare, & fortiorem reddere. Commendat Sennertus inter euacuantia remedia, vomitoria, quia per illa euacuari contingit prauos humores, & philtra, vt Rulandus refert, Henricus ab Heer, & alij: ſed hunc ægrum non tam ex philtris, aut commotis ſuccis impotentem iudico, cum non ſit circa omnes fœminas impotentia, quam ex ſpirituum retractione, quorum defectu, vel flatus occurrentis ad coïtum, deficit illi potentia, ſin minùs prodeſſent omnia auxilia, quæ communiter afferuntur à Practicis pro curanda ignauia genitalium, orta ex frigiditate. Commẽdant aliqui in debilitate ex maleficio antidotum ſaxonicam. Codronchus approbat ſeminis hyperici, ℥. j. margaritat. ℈. j. cuius puluerem exhibent cum vnc. iv. ſtillatitiæ aquæ melliſſæ, & licet reprobet Sennertus, aptum in noſtro ægro pro ſpiritibus generandis iudicarem. Heer hoc vnguentum proponit, quod Sennertus approbat; Adipis canis vnc. iv. vrſi ℥. viij. caponis vnc. xxiv. viſci corylini virentis truncos iij. raſos, & fruſtratim fractos, contunde lignum, folia

A baccas miſce in phiala, expone ſoli per nouem ſeptimanas, exibit virens balſamus. Nicolus Florentinus laudat theriacam cum ſucco hypericonis ad formam emplaſtri renibus appoſitam, quod laudarem etiam pro ægro. Quæ pro ſemine generando, ac ſpiritibus vitalibus proſunt, poſſunt eſſe ex vſu. Proponunt aliqui remedia fœtida, amara, & alia quæ iudicant dæmoni odioſa, & ideò tenent fugere ab illis; ſed cum careat dæmon ſenſibus, difficile eſt inuenire ob quid hæc illi ſint moleſta. Nec fugeret quia eſſent ludibrium illi, nam vnde id conſtat, & ſi conſtaret, cur non ob ludibrium non affligeter? Ioannes de Rupe concedit in dæmone ſenſitiuam potentiam ſpiritualem, quod deducit ex D. Auguſtino, quo ad-B miſſo nec inutilis eſſet harum rerum vſus.

Cum igitur nec naturalia remedia prodeſſe conſtet, pro impotentia coëundi in hoc ægro; cum conſtet non factam fuiſſe per ſolam partium debilitatem, ob humores in ipſas à dæmone tranſmiſſos; aliàs eſſet impotens factus ad coeundum cum omnibus fœminis: patet quòd impotentia cauſatur à dæmone, auertendo ſpiritus, vel impediendo tranſitum eorum, dum intendit cum vxore coire: patet ſimiliter, quòd dæmon perpetuam habet permiſſionem ad illam cauſandam, cum ponat hanc cauſam, quoties coïre intendit cum vxore, & illam auferat, dum coëundum cum reliquis. Vnde conuincitur recurrendum eſſe illi ad auxilia diuina, & eccleſiaſtica, vt docent C Doctores *in cap. ſi per ſorciarias*, & iam citati D. Thomas, D. Bonauentura, Petrus de Palude. Ioannes Hider, & alij. In qua curatione plura aduertit Sennertus. Iſaac conſulit, quòd coniuges peracta cõfeſſione peccatorum, reuerenter ſumant ſacratiſſimum Corpus & in feſto Paſchæ per reliquos ſolemnes dies, quod Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis ſuadere ſolitus fuerat. Codroncbus docet ad Deum confugere, peccata confiteri, carnem attenuare, eleemoſynas elargiri, ad ſanctiſſimam Virginem Matrem, & reliquos Sanctos recurrere. Tandem recurrendum ad exorciſmos, præcipuè iuxta praxim Hieronymi Menguas, vel vt aduertit Zachias *lib. 10. quæſt. Medico-legal. deciſion.* 80. recurrendum ad Theoricam D quam proponit Syluester *lib. 2. de ſtrigibus cap.* 12. Ex cuius doctrina poterunt deduci quæ requiruntur, vt vir propoſitus ope Dei liberetur ab iniuſta, & tyrannica dæmonis poteſtate, quæ illum vexat, & reiicit ab optato Matrimonij fine.

CONSVLTATIO NONA.

Pro nutrice Sereniſſimi Principis Caroli mutanda ob lochiorum paruam ſuperuenientem euacuationem.

E *CONTINET*

§. I.

Caſus proponitur, & redditur conſulendi ratio.

§. II.

Nutricum Heroüm vſum approbat antiqua conſuetudo; quibus dotibus vnaquaque debet ornari proponitur.

§. III.

Qui morbi, aut euacuationes nutricem mutare cogant?

§. IV.

§. IV.

Quo tempore lochia poſſunt perdurare in puerperis.

§. V.

Hippocratis doctrina non opponitur Moyſis decreto.

§. VI.

Deducimus ex dictis nutricis Principis ſubſequutam purgationem non impedire progredi in lactatione.

CONSVLTATIONIS

Deciſio.

§. I.

Caſus proponitur, & redditur conſulendi ratio.

PRO Sereniſſimo Principe Carolo Ioſeph alendo nutricem elegimus, quæ virum pepererat, poſt quadraginta & quatuor dies a partu cœpit illum lactare, poſt quinquaginto dies à partu, dum lactabat, guttulæ aliquæ lochiorum illi ſuperuenerunt, quæ multo antea defecerant. Conſultum fuit Archiatris, an impediretur lactatio ob hoc nouum accidens, vndique exeogitatis aptis nutricis dotibus: placuit ſpectare euacuationis permanentiam, quia non vltra progrediente, perfectiſſimè ab hac lactante Princeps imposterum & nutritur, & accreſcit, & benè ſe habet, & in debita ſanitate perficitur. Suadet experientia noſtrum iudicium rationi conſonum fuiſſe; ſed eius ſub hac conſultatione rationem reddere conabimur.

§. II.

Nutricum Heroüm vſum approbat antiqua conſuetudo: quibus dotibus vnaquæque debeat ornari proponitur.

OMnes ferè fœminas mediocris licet ſtatus, ſuos filios lactandos tradere nutricibus nouum eſt: Heroës antiquiſſimos illis fuiſſe traditos, & Poëtarum, & Hiſtoricorum comprobatur monumentis, ipſaſque & in pretio, & honore fuiſſe conſtitutas. Pauſanias in Bœoticis: Eupheme Muſarum nutricem fuiſſe affirmat, & in Helicone monte effigiem eius ex lapide fuiſſe fabricatam. Aonius in Beroſuio; Calderinus in Starium, Caphyrnam, ſeu Calphurniam Oceani filiam fuiſſe nutricem Neptuni fabulantur, Apollodorus Cyreniacus, Hyadas Bacchi refert fuiſſe nutrices; Apollodorus, Adraſteam & Ictam nutrices Iouis aſſeuerat. Elephiam nutricem fuiſſe Dianæ refert Pauſanias: ſed in verá hiſtoria ex Geneſi 36. Debora fuit nutrix Rebeccæ vxoris Iſaac, & ex hiſtoricis conſtat, quod Hellanice fuit nutrix Alexandro, vt tenet Quintus Curtius. Lupa fuit nutrix Romuli & Remi, vt tenet Liuius. Phylix nutrix fuit Domitiani Imperatoris, vt tenet Suetonius. Euryclea fuit nutrix Vliſſis, ex Homero. Spago nutrix Cyri, ex Herodoto. Caieta nutrix Æneæ, ex Virgilio. Barce nutrix Sichei ex Virg. Policha nutrix OEpidi. Aceſtre fuit nutrix filiarum Adaſtri, ex Statio, & tanta fuit nutricum prouidentia apud veteres, vt Plato in libris de Republica tres inſcripſerit; in quibus agit de illarum requiſitis. Plutarchus plures proponit conditiones pro ipſarum electione. Quantum hæc interſit proſequitur late Quintilianus: Chriſtophorus à Vega, Mercatus, & Rodericus de Caſtro plurima deduxerunt ex antiquioribus Medicis.

Sed Aëtius graphicè, & completè omnes dotes quibus debet ornari nutrix, vt ſit apta Principes præcipuè lactare, ſic deſcribit: *Præ omnibus his eligenda eſt nutrix non iunior viginti annis, neque ſenior quadraginta, quæ bis, aut ter pepererit, non morbida, boni habitus, iuſtæ magnitudinis, ampli pectoris, vbera habens moderata, non rugoſas papillas, nec magnas, nec paruas, neque anguſtiores, neque valdè latas, aut cauernoſas. Magna enim vbera, pluſquam opus eſt lactis præparant; & hoc manens in ipſis corrumpitur, & infantem lædit, ſimulque etiam matrem grauat. Parua vero parum lactis exhibent, & magnæ papillæ offendunt gingiuas, & impediunt linguam, ne iuuet deglutionem: paruæ vero apprehendi non poſſunt, & propterea affligunt maxillas, ſed eiaculatum lac per anguſtos meatus ſublinentem oris pelliculam ferit, & aphtam Græcæ appellatum vlcus igneæ caliditatis generat. At latiores, & cauernoſæ papillæ aceruatim remittentes lac, ſuffocationis cauſa ſiunt, præterea conuenit eſſe nutricem caſtam, ſobriam, manſuetam, mundam, hilarem, non triſtem.* Cùm his frueretur omnibus ferè dotibus nutrix Principis, & cùm paucæ ſint, quæ fruantur illis, illius diſtulimus mutationem.

§. III.

Qui morbi, aut euacuationes nutricem mutare cogant?

AEtius, vt patet, excludit nutricem morbidam, vnde huiuſmodi nec eligi debet, nec conſeruari iam electa, ſi morbida fiat, quia morbus vel pendet ex humoribus; vel ex illo, humoribus noxa communicatur, cúmque ex iis fiat lac, etiamſi morbus contagioſus non eſſet, nequiret non inferre noxam lactanti. Sed quia tempore lactationis contingit ſuperuenire per vterum aliquas euacuationes, quarum aliæ ſunt morboſæ, vt goootrhæa, menſtrua immoderata, aut in qualitate, aut quantitate excedens; aliæ verò ſunt ex ordine naturæ, vt menſtrua purgatio conſueta, aut lochia in tempore non adimpleto redeuntia; de morboſis euacuationibus, cùm ſymptomaticæ ſint, & ex morbo oriantur, non eſt dubium, quòd in illis fiunt nutrices morbidæ, & debent mutari: de menſtrua periodica euacuatione, quæ ordine conſueto ſuperuenit, & de lochiis tempore nòn adimpleto redeuntibus, maior eſt dubitatio, an ſint cauſa ad mutao.lam nutricem, quia ad vnam ex iis euacuationibus debet reduci, quam habuit Principis nutrix.

Non iudicauimus fuiſſe menſtruam purgationem, quia nimis diminuta fuit, nec vltra guttulas quaſdam, quia fuit tempore, quo contigerat illi in antecedente puerperio lochia repetere: ſi enim ſuperueniens nutrici euacuatio menſtrua iudicaretur, etiamſi modo conſueto, & periodica, mutaremus illam; licet enim Vega *lib. 2. artis Medicinal. ſect. 7. cap. 1.* dicat: *At vero ſi eis alimentum non deficiat, vt in quibuſdam ſanguine abundantibus fieri vidimus, non parum commodi ſequitur ex purgatione menſtrua, puriore facto ſanguine,*

ſanguine, quamuis purgationis tempore turbationem patiatur. Contrarium enim deducitur ex Galeno *lib. 5. de ſanit. tuenda, cap. 9.* quem ſequitur Zacutus *lib. 2. tom. 1. dubio* 19. Valleſ. *in lib. de aliment. facult.* Peramatus *de regimine infantis*; Serna, & reliqui omnes Medici, ſuadétque ratio. Nam quæ non menſtruant, non ideò eſt, quia ſeruant cacochymum ſanguinem, quo lac conſpurcent, quem menſtruantes euacuant; ſed quia illum non generant, nec alium præternaturalem, & requiſitum pro lacte generando. Tum quia ſtatus naturalis lactantium, vt docet experientia in eis quæ bene ſe habent, & benè lactant, eſt quod menſtrua deficiant: vnde ſi ſuperueniant menſtrua, actio hæc deuians à naturæ inſtituto, eſt ſymptomatica, aut morboſa. Tum quia nequit lactans non debilitari ſuperueniente hac noua euacuatione lactationi; ex debilitate neceſſariò debet perfecta lactis coctio impediri: Tum quia humorum motus ad vterum non eſt conformis naturæ motui, quæ ad mammas contendit ſanguinem mouere pro lactis generatione: inquit enim Ariſtoteles 7. *de hiſtor. animal. c.* 11. *Sed enim natura ita fert, ne in vtroque loco plurima ſimul erumpere ſoleat,* ob quod Galenus *lib. 14. de vſu part. cap.* 8. inquit: *Quando in matricibus fœtus augetur, ac conformatur, illi ſoli venæ communes ex vtriſque alimentum effundunt: Quando verò natus fuerit, mammis rurſus alimentum totum affluit. Quæ cauſa eſt, cur eodem tempore, menſtrua benè procedere nequeant.* Deducitur hæc doctrina ex Hippocrate *lib. de alimento*, quia natura toto tempore, quo vtero gerit, intenta alere fœtum, mittit in vterum alimentum, poſteà relinquit illum motum, & naturæ neceſſitate mouet ad mammas, vnde poſt partum motus deorſum iam à natura debitè operante non fit; ſed ab illa coacta, & irritata pondere magnitudinis, aut irritata ab indebita qualitate humorum. Si ab hac, cum nequeat prauus omnis humor ſeparari, qui præſtat materiam pro lacte, impurus etiam permanet, & ineptus pro perfectiſſimo lacte generando. Si quando purus omnino ſanguis multitudine grauet, & expellatur per menſtrua, ſubſequuntur alia accidentia, & incommoda quæ priùs retulimus, debilitatur mater, lac imperfectius debilitate fit, non fit motio ſine perturbatione, & tandem hoc raró fit, quòd in lactante fœmina plurimum ſimul redundet puriſſimi ſanguinis, qui prorritet pro ſui expulſione, ſine aliquo vitio.

Si prorritet ob vitium, ſuperueniunt incommoda a Zacuto iam citato recenſita, & *lib. 1. de Praxi mirabili obſeruatione* 127. iterum recenſita: Menſtruus ſanguis motus libidinem prouocat, turbat corpus, humores calefacit, purum ſanguinem conuertendum in lac conſpurcat: ſanguine per menſtrua erumpente lac minuitur, fœdi colores ſuperueniunt, faſtidia, vomitus, alui fluxus, febriculæ, puſtulæ per cutem, & vlcera. Hinc & ſuperueniunt infantibus epilepſiæ; paraplexiæ difficilis reſpiratio, macies, & alia ſymptomata. Nec mirum cùm lac tunc temporis generetur ex ſanguine coinquinato malignis menſtrui qualitatibus, de quo dicit Plinius *lib. 28. natural. hiſtor.* quòd venenoſa qualitate inficitur: ideò nec ſine moleſtia, viarúmque mordicatione profluit, imbecillas reddit menſtruatas, coëuntes cum illis malè afficiuntur, membrum intemperatur. Reliquæ etiam res externæ inficiuntur menſtruo ſanguine; immedicabiléſque patiuntur noxas vites, & reliquæ fruges fiunt ſteriles, ſæpè moriuntur, germina hortorum exſiccantur, muſtum aceſcit, ferrum corripitur rubigine, in aliis fœminis cauſat abortum, in aliis adimit concipiendi vim, eboris, & ſpeculi A nitorem aufert, menſtrua à cane guſtata ipſum in rabiem inuehunt: epota reddunt homines lunaticos, & venenum eſſe indicatur menſtruus ſanguis: ideò Zabrorum legibus mulier menſtruata ſola domi cogebatur manere: cremabantur loca in quibus pedes ponebat: & Leuitici lege Moſaico Populo id fere decretum; & inter noſtrates ratione menſtrui iudicant fœminas peccare mortaliter, ſi ipſo præſente debitum petant. Sic tenent Sannazar *de matrimonio cap. 3. art. 5.* Sanchez *de matrimonio.* Syluester *in ſumma, verbo debito, num.* 15. Ledeſma, & alij: ex quo apparet quantam valeant infanti læſionem communicare menſtruatæ nutrices: & licet non ſit eadem portio ſanguinis ex qua fit lac, quod ex puriori fit, & menB ſtruus ſanguis, qui vt noxius ab illo ſeparatur, vt tenent Ariſtoteles 3. *de hiſtor. animal. cap.* 19. Columella *de re ruſtica lib. 11. cap.* 3. Solinus *hiſtor.* 14. Ælianus *lib. 6. de anim. cap.* 36. Fernelius 8. *Phyſiologia*: fatendum tamen, quòd ſicut ſpeculum, & herbæ, & vina a vaporibus menſtruatæ læduntur, poterit infans ab eiſdem lædi à nutrice, & ratione alimenti, quia nequit ex toto expurgari ſanguis, ex quo fit lac, ab inquinamentis menſtruorum. Nec ideò ſecuri poſſunt eſſe infantes lactantes, quominùs ſuperuenientibus menſtruis lædantur, incidant in epilepſias, paraplexias, grauiſſimóſque, ac lethales morbos, qui prohibent eius lactationem, cogúntque ipſam mutare, antequam ſuperueniant. C

§. IV.

Quo tempore lochia poſſunt perdurare in puerperis?

CVm nutricis purgatio fuerit lochialis, de hac percurremus Conſultationis diſcurſum. Lochia, vt tenet Rodericus de Caſtro *lib. 4. de natura mulier.* ſunt inſtar ſanguinis à victima exeuntis, ſuntque ſuperfluum alimenti, quo fœtus nutriebatur in vtero quod toto geſtationis tempore retentum fuit, ne apertis matricis venis, vnà cum illo laudabilis ſanguis expelleretur, néve acetabula in ipſa reſeratione laxarentur, aut etiam vterus lubricus redderetur: vnD de etiam abortus facilis foret: licet enim aliquibus menſtrua tempore prægnantiæ ſuperueniant, non per vteri oſcula deſcendunt, ſicut nec aliæ purgationes, ſed per venas externas terminatas ad vteri collum. Quænam debeat eſſe menſura lochiorum, non vndequaque eſt manifeſtum: variant illam puerperæ temperies, natura, ætas, fœtuum ſexus, anni tempus, vitæ inſtitutum, regio, cæli ſtatus, & alia quamplurima. Ex eo tamen coniectari oportet, quòd euacuatio eſt qualis puerperæ conuenit, quia confert, & leuiter fert euacuationem, ex Hippocratis doctrina, qui tamen *lib. de natura pueri*, quantitatem contendit metiri lochiorum ex ea, quæ deberet euacuari per menſtruas purgationes: inde colligit deberi E parturienti fœminam, euacuationem triginta librarum; parturienti maſculum euacuationem librarum duodeuiginti, ita vt vnoquoque die in prima hebdomada, puerpera euacuet ominem Atticam alteram, & ſemiſſem, ſeu cotyllam, ſeu vncias tredecim, & ſemiſſem.

Nec ſimiliter temporis purgationis lochiorum cunctis eſt æqualis duratio: aliæ enim citius, aut intra viginti dies, aliæ verò tardiùs euacuationem perficiunt. Hippocrates *lib. de natura pueri num.* 10. & 11. trigeſimum diem præſcribit virum enixis, pro omni duratione lochiorum: parturientibus verò fœmellam præſcribit quadrageſimum ſecũdum. Fundamentalis

damentalis illius ratio eſt, quia oportet purgationem reddi in toto puerperij tempore, & forſitis exire, ac correſpondere pro dierum ratione, ac proportione. Cum ergo fœmina, vt ipſe teſtatur, & tenet Galenus *lib.2. de femine capit.4. & 5.* intra quadrageſimum ſecundum diem formetur, vir autem intra trigeſimum, natura in expurganda matre, artificioſo quodam conſenſu ſeruat eandem durationem in lochiorum euacuatione, quam ſeruat in fœtus conformatione. Hac eadem ratione ſimilem dierum computationem, ſeu durationem lochiorum ponit *lib.1. de morb. mulier. num.98.* quem terminum vt communiorem, non vt neceſſarium proponit, quia vigeſimus dies pro enixo pueri; vigeſimus quintus pro fœminæ enixu ſolent ſufficere, & pauciores in pleriſque; in quo determinando potius ſtandum experientiæ, quàm adductæ rationi, non enim omnibus attribuit idem conformationis tempus, ex quo ſumitur hæc computatio; ipſe enim Hippocrates, vt Valleſius tenet *libr. 2. controuerſiar. capit. 10 lib. de ſacra Philoſoph. capite 18.* nunc triginta dies, nunc quadraginta & quinque, nunc triginta & quinque dies pro conformatione fœtus enumerat *in libello de alimento*: & licet Moxius hunc librum non eſſe Hippocratis genuinum teneat, cum Galeno *libro de aliment. facult. capit. 1. numer. 21.* & *libr.1. de rat. victus, ſentent. 18.* ſed plures aliter ſentiunt, Ariſtoteles *libr.7. de hiſtor. animal. capite 3.* mares circa quadrageſimum; fœmellas circa nonageſimum iudicat formari. Auicenna *libr.16 de animal.* diſcedit ab Hippocrate, & Auerrhoes *lib. de anima*, longiorem proponentes terminum. Soranus Epheſius tertium formationi conſignat menſem. Fernelius *libr. 7. pathol.* poſt tertium, aut quartum menſem porrigit terminum iſtum. Mena *libr. de ſeptimeſtri partu cap 14.* quem Fienus ſequitur, aſſignat ſeptimum diem pro termino animationis animæ rationalis, quorum opiniones alibi examinabimus, relinquentes pro nunc Hippocratis doctrinam in ſua probabilitate, vt magis conteſtatam ab experientia, & magis receptam. Amplectuntur illam Peramatus *lib. de hominis procreat.* Henricus de Gandaleo Mercatus *lib physiologia part.5.* Caſtro *de natura mulier.* Andreas Laurentius *lib.8. de hiſtor. Anatom. quæſt.18.* & eſt communis.

§. V.

Hippocratis doctrina non opponitur Moyſis decreto.

Licèt in Hippocratis perſiſtamus opinione, cum quo fas eſt ab alijs Medicis recedere; cum tamen non liceat recedere à ſacra Pagina, infallibilique illius doctrina, reſtat Hippocratis computationem, & durationem lochiorum componere cum ea, quam Moyſes diuino afflatus ſpiritu protulit *in Leuitico cap.12.* Hæbreis ex Numinis præſcripto, vt inquit Moxius, hanc ſanciens legem, *Mulier ſi concepto ſemine, pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtruæ; & die octauo circumcidetur infantulus; ipſa vero triginta diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ: omne ſanctum non tanget, neque ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies ſuæ purificationis: ſin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadis iuxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Cumque impleti fuerint dies purificationis ſuæ pro filio, ſiue pro filia, deferet agnum iuxta hanc legem.* Val-

A leſius *lib. de ſacra Philoſophia cap. 18.* ex Hebræorum doctrina durationis lochiorum deducit computationem, ſupponens ex ipſis, quòd in eis quæ pepererunt duplex euacuatio ſuperuenit. Prima eſt ſanguinis copiosè fluentis ad modum victimæ, vt in ſingulis menſibus ſuperueniit in non prægnantibus. Secunda eſt aliorum excrementorum cum exiguo ſanguine, quæ pro mare eſt breuior euacuatio vnaquæque, quam pro fœmina. Prima intra ſeptem dies terminatur: ſecunda intra trigeſimum in enixu viri, in enixu puellæ intra duplicatum tempus. Præterea ad implendos dies legis, ſic fit dierum enumeratio. In viri enixu numerantur primò ſeptem primi dies, qui ex lege deſtinabantur ſeparationi, erat enim in illis enixa ſeparata à commer- B cio gentium. Poſtea ſuperaddebantur triginta dies deſtinati expurgationi, qui enumerabantur poſt ſeptem dies ſeparationis, poſt quos infans ferebatur ad templum; & complebantur dies triginta ſeptem. Tres poſtea dies propter infantem ſumebantur, vt poſſet cum matre exire ex domo ad templum: ne ante quadrageſimum ex domo exiret puer: ex quibus adimplebatur numerus quadraginta dierum, poſt quos mater deferebat agnum ad templum. In enixu fœmellæ duplicabantur dies ſeparationis vſque ad quatuordecimum, dies expurgationis vſque ad ſexageſimum, & ſuperaddebantur ſex dies, qui ſumebantur pro fœmella; & adimplebantur octoginta dies, ante quos non licebat puerperæ ingredi ſan- C ctuarium. Conſtat inde quòd tres dies in enixu pueri, ſex in enixu fœmellæ ante adimpletum terminum erant ſine metu euacuationis, reliqui verò non; & ideò prohibebatur in iis fœminæ ingredi tabernaculum, ne illud coinquinaret cum expurgatione: ex quo videtur Hippocratem non rectè attigiſſe tempus durationis lochiorum in puerperio, cum opponatur veritati ſacræ Paginæ: de cuius veritate non eſt dubitandum: Cui aſſentiens Valleſius *lib. de ſacra Philoſophia cap.18.* inquit: *Ego itaque diuinam ſequutus authoritatem, eam quæ marem peperit, profluuio muliebri vocato, aut ullo alio morbo teneri hanc ob cauſam non cenſeo, niſi diem quadrageſimum euacuatio ſuperauerit; neque eam, quæ fœminam, niſi octuageſimum;* etiamſi Hippocrates loco citato *libello de* D *genitura*, & ruſſus *lib 1. de morb. mulier.* dicat *longiſſimam expurgationem eius, quæ peperit marem, eſſe dierum triginta*, & ruſſus *lib.1. de morb. mulierum, longiſſimam expurgationem eius, quæ peperit marem, eſſe dierum triginta, & eius quæ fœminam quadraginta dierum.* Ex quo manifeſtè conſtat Valleſium cedere ſacræ Paginæ, vt debuit; indefenſum, & falſitatis notatum reliquiſſe Hippocratem, quod non debuit, ſimúlque cunctat inconſequenter ad ſuam computationem dierum, inferre ex ſacræ Paginæ doctrinâ, quòd in enixu pueri permanent purgationes vſque ad trigeſimum diem, & in enixu fœmellæ vſque ad octuageſimum: cum ex ipſo conſtet, tres dies in enixu pueri, & ſex in enixu fœmellæ, non E impedire acceſſum ad templum, propter matris impuritatem, & purgationem, ſed propter puerum, aut fœmellam.

Abulenſis, & Pineda *lib. 1. de rebus Salomonis cap.10.* acquieſcunt doctrinæ Hippocratis in computatione temporis durationis lochiorum. Temporis duratio quæ ſuperadditur in Leuitico, creditur ab illis, quòd ſuperadditur à Diuino Spiritu ob moralem tantum ſignificationem: ſed cum aſſerat ſacra Pagina, *Manebit puerpera in ſanguine purificationis ſuæ ad quadrageſimum, vel octuageſimum*: conſtat non prohiberi ab ingreſſu templi ob moralem ſignifi-

cationem,

cationem, ſed ad vitandam phyſicam coinquinationem, quæ non timeretur ob moralem repræſentationem, ſed ob phyſicam expurgationem, nec in rebus ita manifeſtis vtendum tali ſubterfugio: & ſi admittunt expurgationem impedientem ingredi templum in duratione ab Hippocrate determinata, cur moralitatem quærunt poſt illam ad tempus, in quo, licet minus frequenter, poſſibilis eſt expurgatio euacuationis.

Raphaël Moxius, hac relicta interpretatione, inuehitur in Valleſium, quia omni robore deſtitutus ad ſacram confugit anchoram, quia profugus, inchoato prius bello, committit aliis victoriam, quam ipſe gloriatur ſe conſequutum fuiſſe, diuino flante ſpiritu, & conſequutio victoriæ ſtat in hoc, quòd iudicat valuiſſe componere vtraſque doctrinas dicendo, quòd Hippocratis doctrina eſt intelligenda de fœminis ſanis, quarum purgatio non excedit terminos ab Hippocrate aſſignatos, & quod ſacra Pagina non tantùm loquitur de termino euacuationis naturalis, ſed de termino morboſarum etiam euacuationum poſt partum; quæ poſſunt extédi vſque ad dies ab ipſa præfinitos. Zacutus illi adhæret *tom.1. lib.3.*

Sed hæc decantata victoria, opinióque Moxij tanta acutie ab ipſo reperta, diuino flante Numine, vt ipſe fatetur, Valleſióque denegata, mihi diſplicet: Tum quia deberet probare, quòd ſacra Pagina loquebatur de præternaturali euacuatione, quæ poſſet ſubſequi vſque in terminum ab ipſa præfixum; cum ipſe Valleſius contrarium determinauerit loco ab ipſo citato, dum dicit: *Ego itaque diuinam ſequutus authoritatem, eam quæ marem peperit, profluuio muliebri vocato, aut vllo alio morbo teneri hanc ob cauſam non cenſeo.* Cum ergo ex ſacra Pagina deducat Valleſius, quòd loquitur de naturali euacuatione menſtruali, non de morboſa; fruſtra non conuicta hac opinione, in ſuppoſitione contrariæ fundat ſuam victoriam, & doctrinarum compoſitionem: Tum quia ſi, vt fatetur Moxius, purgatio puerperij, ex qua dicit ſacra Pagina, quòd puerpera ſit immunda, non poteſt perdurare, niſi per dies ab Hippocrate præfixos: ergo quæ ſubſequitur morboſa euacuatio, iam non eſt lochiorum, nec faciens immundam puerperam, nec impediens ingredi templum: Tum ſi non poteſt progredi lochiorum purgatio naturalis vltra terminum ab Hippocrate præfixum, ſequitur quòd euacuatio ſubſequuta, vt Valleſius aduertit, ſit alius morbus, vt profluuium muliebre, vel aliud ſimile, vt gonorrhæa, immodicus menſium fluxus, menſtrua corrupta, aut ſuppurata, aut alia præternaturalis euacuatio per vterum, quæ ſi illo tempore, iam finitis lochiis, impuras redderet mulieres, omni tempore redderet impuras, & omni tempore Leuitici lex illas impediret, templum ingredi: Tum quia ſi poſt terminos purgationis lochiorum deſignatos ab Hippocrate, deberent aſſignari alij dies à ſacra Pagina pro fœminis morboſè lochia patientibus; non eſt ratio cur quadrageſimus, & octuageſimus aſſignarentur, quia non eſt vnde præfiniri poſſit, quod ille morbus intra illos dies debeat finiri, & ſi vltra progreditur, idem inconueniens eſt, quominus mulier templum ingrediatur, & legem diuino Numine prolatam iudicaremus non prouidè reſpicere quominus templum inuiolatum permaneret, aut non coinquinatum: Tum quia lochia, vt patet ex definitione, quam adduximus, ſunt ſanguis, & purgamenta, quæ poſt partum excernuntur, quæ prius fuerunt tempore prægnantiæ in vtero aggregata: ſi ergo hæc vt fatetur Moxius, in tempore ab Hippocrate conſignato expelluntur, quæ poſteà excernuntur morboſe, non ſunt lochia, nec impuram reddunt fœminam, quominus poſſit ingredi tabernaculum, quia Leuitici lex citata de ſola hac impuritate loquitur, non autem de omni impuritate proueniente à morbo, loquit enim *Mulier ſi concepto ſemine peperit, immunda erit.* En qualiter loquitur de ea, quæ fit in partu immunda, ratione expurgationis, non ratione alterius morbi, & ideò ſubſequenter immundas ex lepra cohibet ab ingreſſu in templum, & ab hominum commercio.

Ego verò & Hippocratis, & Leuitici doctrinas vtraſque vt veras recipio, nec inter ſe repugnantes. Quia Hippocrates & tanquam Medicus, & tanquam Philoſophus doctrinalem proponit ſententiam, ad cuius veritatem ſufficit, quòd regulariter, & vt plurimùm ſic contingat: tales enim ſunt Aphoriſticæ eius ſententiæ, & ferè omnes quas nobis proponit: nec aliter hæc ſaluari poſſet intra illius doctrinam: ſuperaddit enim: *Vacauerit autem periculo ſi in viginti quinque diebus purgetur in fœmella, & in viro ſi intra viginti dies*: & Ariſtoteles 7. *de hiſtor. animal.* inquit, *A partu alijs purgationes eodem numero dierum conſequi volunt, quamquam non æque ita diligenter eueniunt*: Si ergo ipſe Hippocrates alios proponit purgationis ſecuros terminos, & Ariſtoteles ipſos varios eſſe fatetur, conſtat quòd quadrageſimum ſecundum in fœmellis, & trigeſimum in pueris conſignat ſolùm doctrinaliter verum, quia vtplurimùm ſic contingit. Nec poteſt euidenter præfinitus terminus poni pro omnibus fœminis, quia vt vidimus Hippocrates hunc terminum deducit ex quadam quaſi analogia, quæ eſt inter terminum conformationis, & terminum expurgationis: conformatio autem vt tenet ipſe Hippocrates *lib de diæta num.*10. *Non in æquali temporis ſpatio omnes fœtus exornantur, ſed alij citiùs, alij tardiùs prout ſinguli & ignem, & alimentum fuerint nacti.* Quæ doctrina licet ab aliquibus genuina Hippocratis non iudicetur, veritate ab ipſa adducta conuincitur, quia calor, aut conformatrix perfectior in vna, ac alia poteſt reperiri, & alimentum ſeu materia ſeminis, quia aptior, poteſt coadiuuare, vt citiùs, aut tardius formetur fœtus. Si ergo à conformatione deſumit Hippocrates computationem temporis, quo fit lochiorum purgatio, adhuc ſi hoc principium ſit verum, ex ſua doctrina non poteſt deducere neceſſariò, & infallibiliter, quod terminus purgationis lochiorum ab ipſo conſignatus ſit neceſſarius, ſed quòd vt plurimùm ſit verus, & eius computatio doctrinalis, cum qua compatitur quod breuiori tempore poſſit præfiniri, ſine fœminarum incommodo, & ſimiliter longiòri tempore.

Cum quo compatitur, quod licèt vtplurimùm in trigeſimo die in enixu pueri, & in quadrageſimo ſecundo in enixu fœmellæ, vtplurimùm terminetur lochiorum euacuatio naturalis, poterit tamen in aliquibus vltra progredi vſque ad terminum lege Leuitici determinatum, vt puerperæ non ingrederentur templum, quod ex ipſamet conuincitur lege: fruſtra enim Moyſes prohiberet enixam in templum ingredi vſque ad illos dies, niſi diuinitus inſtructus ſciret poſſe aliquas vſque ad illos habere lochia, ex illis conſpurcari, & templum coinquinare; ad quod vitandum lex Leuitici non determinat tempus ad quod vtplurimum contingit extendi purgationem, ſed illud, ad quod poſſibile eſt poſſe peruenire. Vnde compatitur Hippocratis præceptum Phyſicum & doctrinale, cum cognitione infallibili diuinâ demonſtrante poſſibilem terminum euacuationis, licet rariſſimum, intra quem nefas

fuiſſet

fuiſſet cum poſſibili periculo coinquinandi templum, ad ipſum adire; quantumcumque contingat pleraſque enixas non progredi in expurgatione lochiorum vltra terminos ab Hippocrate præfixos. A

§. VI.

Deducimus ex dictis, nutricis Principis ſubſequutam purgationem non impedire progredi in lactatione.

DEducitur ex dictis, quòd parua menſtrualis euacuatio nutrici ſuperueniens poſt quinquageſimum diem non impedit lactationem. Primò ſic demonſtrauit euentus in caſu propoſito; non enim progreſſa fuit vlterius; ex quo conſtitit non fuiſſe menſtruam purgationem, quæ ſuperueniret copioſa; non mutatus Princeps à naturalibus actionibus, imò in cunctis in melius ſe habuit, ſine aliqua immutatione, quia non careret in menſtruis ſuperuenientibus: Tum quia lochia non immutant ſanguinem venarum, nec conſpurcant eum ex quo generatur lac: non enim ex venis ab eius ſeparantur commixtione, ſed ab vtero egrediuntur, in quo tempore prægnantiæ fuerant aſſeruata: Tum quia deſcendit illa euacuatio intra præfixos ſibi terminos, non à cauſa morboſa, ſed ex naturæ præſcripto ordine, quæ eius, quod aggregatur tempore partus, & ſuperflui, tentat euacuationem: Tum quia menſtrua niſi nutrix malè ſe habeat petunt tempore lactationis ſupprimi, lochia in primis diebus à natura conſtitutis exigunt euacuari, & nequiret aliqua nutrix proſequi lactationem, ſi toto illo tempore abſtineret à lactatione; vnde prouida natura non debuit in illo habere euacuationem impedientem lactationem: Tum quia ex Hippocrate, & Ariſtotele, menſtrualis euacuatio timetur in lactantibus, quia ſimul ex eiſdem vaſis tentat Natura duos contrarios motus humorum ad mammas, & ad vterum: in euacuatione verò lochiali poſt tam longum tempus, & in tam parua quantitate non fit duplex motus ex eiſdem humoribus, ſed ex venis mittitur ſanguis pro lacte, ex aceruatis lochiis in vtero, fit euacuatio lochiorum, in quo erant recondita vſque ad ſui euacuationem. Nec parua illa quantitas quidquam mouere valet, nec conturbare, moleſtiámque inducere, nutricémve debilitare: nec conſequenter aliquam inducet noxam ratione cuius cogeremur mutare illam, nouámque eligere inexpertam, & dubiam, præcipuè cum ſæpe experiamur nutricis vtcumque bonis conditionibus exornatæ lac non omnino adaptari infanti nutriendo: cuius cauſa inexpertum lac, etſi optimum appareat, ſemper cum præmeditatione admittendum.

CONSVLTATIO DECIMA.

De vteri geſtatione vltra duos annos cum variis accidentibus.

CONTINET

§. I.

Proponuntur accidentia, geſtationis tempus, & conſulendi occaſio.

§. II.

Vteri geſtationis variæ proponuntur ſortes.

§. III.

An mola carnoſa fieri petat ex ſemine virili?

§. IV.

Nullum eſt euidens ſignum manifeſtans naturalem genituram in vtero.

§. V.

B *Ex quibus ſignis coniectabamur excellentiſſimæ fœminæ geſtationem non eſſe naturalem.*

§. VI.

De monſtruoſis ex vtroque ſemine genitis animalibus, qualis fuerit haſitatio.

§. VII.

An geſtatio ex ſolo ſemine fœmineo perſtiterit in hac fœmina?

C

§. VIII.

Inter geſtationes vteri, quæ ex ſemine non fiunt, recipitur vteri geſtatio huius fœminæ, & ſub qua illarum, determinatur.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Proponuntur accidentia, geſtationis tempus, & conſulendi occaſio.

D

EXCELLENTISSIMA Domina, quæ vxorata per plures annos non concepit, optima fruebatur ſalute, menſtrua rectè fluebant, appetens filios, exorauit à Domino, auxilia coadiuuantia expectauit à Medicis, confugit, vt moris eſt, ad mulierculas, & Empiricos: fertur ex horum conſenſu deuoraſſe hirundinem pullum. Non dubium quod cœpit venter intumeſcere, ita vt intra paucos menſes plurium menſium adæquaret tumorem, qui increſcens peruenit ferè vſque ad trigeſimum menſem, menſtrua fluebant ordine, ſentiebat plurimos, ac vehementiſſimos in ventre motus per interualla inuoluntarios, ſi manu venter comprimebatur, manus retrò pellebatur violenter, motus fiebat verſus omnes differentias ventris, ſpectabatur partus adhuc poſt biennium, quia ſigna vitalis partus apparebant in tumore, & motu, & bona fœminæ valetudine, & quia ſerotini alij partus proponebantur illi. Spreta iam ſpe, circa tertium geſtationis annum accerſiti fuimus, vt noſtram cum aliis aperiremus ſententiam circa hanc vteri geſtationem, ad imminuendos flatus vſi ſumus variis purgantibus auxiliis, ſimul & reſoluentibus, quibus ventris tumor cedebat non parum, & motus minus violenti apparebant, quo tempore lethali ſuperueniente dyſenteria, E

ægra in ſeptimo die à morbo hoc vitam cum morte A commutauit.

§. II.

Vteri geſtationis variæ proponuntur ſortes.

PRro ſpeciei humanæ conſeruatione fuit in fœminis neceſſarius vterus locus excipiendo, concipiendo, nutriendóque ſemini aptus, vocatur vterus, vas fœtum conſeruans, mater, matrix. Plinius vocat vtriculum, Ariſtoteles membrum ſeruile, éſtque (vt inquit Andræas Laurentius *lib.7. Anatomi.c.*11.) Ma- B trix nobiliſſima, ac propemodum diuina fauilla, ex qua naturæ theſauri reconditi depromuntur, ſeu eſt veluti campus, & hortus feraciſſimus excipiendo virili & fœmineo ſemini ad ſobolis propagationem comparatus, ſimúlque & eſt locus à natura deſtinatus, vt confluant ad ipſum ſuperflui ſucci, qui continuò ſuperfluunt in fœminis ob earum naturam.

Hinc contingit, quòd variæ in ipſo procreentur ſubſtantiæ, quæ dum tempore augentur & ab ipſo concreantur, aut fouentur, ipſius dicuntur geſtationes. Harum aliæ ex ſemine, & ab ipſo ſemine fiunt; aliæ ex aliis præternaturalibus cauſis. Quæ ab ipſo fouentur ex ſemine factæ, aut fiunt iuxta naturæ finem, & ex ordine illius, & dicuntur impregnationes, naturaliſve conceptus. Aliæ aberrant a debito C fine, quæ a Barbaris omnes dicuntur molæ, monſtra vocarunt alij, ſeu conceptus monſtruoſos: Nos vocabimus vteri præternaturales geſtationes, quia aliqua horum conceptus nequeunt dici, licet omnia in vtero geſtentur. Multipliciter contingit fieri vteri huiuſmodi geſtationes, vel ex ſemine, vel ex aliis præternaturalibus cauſis. Quæ fiunt monſtrica ea ſemine, fiunt multipliciter. Primo modo dum fœtus habet mutatam alicuius partis conformationem, vt gentes quæ in medio frontis habent vnicum oculum. Secundo modo dum corpora recedunt à mediocritate, magnitudine, aut paruitate, vt Gigantes, & Pumiliones. Tertio dum deficit in fœtu aliquod membrum, aut ſuperabundat, vt in illiaqui plura bra- D chia manus, aut digitos habent, aut pauciora, quàm naturalia. Quarto dum fœtus completur ex humanis membris ſimul cùm membris aliorum animalium. Quinto dum id quod generatur, alterius eſt ſpeciei diſtinctæ, vel completur ex membris animalium aliarum ſpecierum; quorum variæ hiſtoriæ, & icones repetiuntur apud Paræum, & alios ſcriptores, præcipuè apud Vliſſem Aldroandum tomo de monſtris.

Geſtationes verò vteri, quæ ſine vi ſeminis fiunt, & à morboſis procreantur cauſis, aliæ ſunt ſubſtantiæ non omnino diſſimiles in eſſe viuentis, ſed diſſimiles in gradu vitæ, vt molæ carnoſæ, quæ ad ſenſitiuum non perueniunt gradum vitæ. Aliæ ſunt ſubſtantiæ in gradu vitæ omnino diſſimiles, à præternaturalibus cauſis genitæ: has geſtationes Græci falſas E grauidationes vocarunt, Arabes molam non veram, quarum meminit Hippocrates *lib. de morb. mulier. & lib. de natura pueri.* ſic illas deſcribens, *Et putant ſe in ventre habere, & videntur ſibi mulieres concepiſſe, & non conceperunt: tunc enim fit, cum fœmina viro carens menſes opprimuntur, venter intumeſcit, accidentiaque vera grauidationis ſimillima accidunt; tamen nihil vitæ particeps in vtero efficitur.*

§. III.

An mola carnoſa fieri petat ex ſemine virili?

MOla inter geſtationes vteri præternaturales reponitur, nondum tamen conſtat an ſit ponenda inter monſtruoſas, quæ petunt fieri ex ſemine; an inter falſas grauidationes, quæ à præternaturalibus fiunt cauſis ſine ſeminis vi; an verò media debeat dici, quæ ſeminis virilis vi nun indigeat, ex ſemine tamen petat fieri muliebri, nec ſolam materiam, ſed vim actiuam præſtante.

Eruditiſſimus Zachias *tom. 1. quæſt. Medico-legal. lib. 1. tit. 3 quæſt. 6.* duas proponit opiniones, alteram aſſerentium molam ſine viri ſemine non poſſe generari; alteram ex ſemine fœminæ ſolius poſſe generari affirmantium; & vtriuſque proponit aſſertores. Indigere molam virili ſemine tenet Hippocrates, qui protulit fieri ex pauco ſemine virili, cum multo ſanguine menſtruo, teſtet Galenus *lib. 14 de vſu part. cap. 10.* molam neminem vidiſſe ſine vſu viri. Ariſtoteles *lib. 10 de hiſtor. animal.* idem fatetur, illis adhærent Actuarius *lib. 1. method. medend. cap. 22.* Fernelius *lib. 7. phyſiolog. cap. 8. lib. 6. patholog. cap. 5.* Montanus *de affect. vterin. in principio.* Amatus Luſitanus *cent. 4. curat. 36.* Cordæus *in princip. de morb. vulg.* Hollerius *de morb. internis lib. 1. cap. 16.* Duretus *in ſchol.* Mattaria *lib. 4. pract. cap. 8. & in prælect. de morb. mulier. cap 8.* Riolanus *in method. partib. ſect. 4. tract. 2. cap. 9.* Ruff. *lib. 1. de hominis conceptu, cap. 1.* Capiuaccius *in Practica lib. 4. cap. 7.* Vidus Vidius iunior *libr. 11. cap. 20* Rondeletius *lib. 2. cap. 67.* Hucher. *de ſterilitate lib. 3. cap. de mola.* Piſo *de cognoſc. & curand. morb. lib. 3. cap. 53.* Paræus *lib. 23. cap. 53.* Aleomat. *cap. 112.* Zoroaſt. Tinelli, *conſil. 11.* Cordæus *libr. 2. cap. 3.* Laurentius *Anat. lib. 8. quæſt. 13.* Saxonia *lib. 4. pract. cap. 30.* Platerus *tract. 3. cap. 3.* Zechius *libr. 1. conſult. 86.* Caſtro *lib. 3 de morb mulier cap 7.* Nincel *in Analog. Microc. ad Microc. lib. 10. Probl. 8.*

Sed geſtationem molæ fieri ſine ſemine viri tenent Auicenna *fen. 21. 3. tract. 2. cap. 18.* Gordonius *part. 7. cap. 18.* Valeſcus *in Philonio lib 6. cap. 15.* Pedemont. *in additis ad Meſuës Pract. ſumma 4. capit. 15.* Scaliger *comm. lib. 10. de hiſtor. anim. text. 43.* Lemnius *de occult. naturæ miracul. lib. 4. cap. 25.* Rucheus *de morb. mulier. cap. 7.* Bonaciolus *in Ennead. mulier. cap. 5.* Valleſ. *lib. 2. controuerſ. Medicar. cap 7.* Marcellus Donatus *hiſtor. mirab. lib. 4 cap. 25.* Valleſ. *lib. 2. controuerſ cap. 25.* Fuchſius *lib. 3 pract. cap. 28.* Padilas *lib. 1. cap. 58.* Marinellus *de medicina mulier. libr. 2. cap 26.* Conticicle *lib. 3. cap. 57. pract.* Mercurius *lib. 1. de nutrice cap. 41.* Inter admittentes contrariam opinionem probabiliorem, hanc probabilem admittunt Actuarius iam citatus. Alexander Benedictus *lib. 25. cap. 34* Camillus Rauen. *in meth. rational. capit. de mola.* Taurel. *in comm. lib. 3. Breuiar.* Arnaldus *cap. 5.* Santa-Cruz *de ſacra Philoſ. text. 73.* Peramatus *in appendice de hominis procreat.* Epiphanius Ferdinandus *lib. 2. theorem. 58.* Moxius *in meth. curand. mulier. per venæ ſect. lib. 2. cap. 29.*

Ego vero iudico, quòd mola eſt ponenda inter vteri geſtationes, quæ non petunt fieri ex virili ſemine, nequeunt tamen ſine ſeminis fœminei vi fieri: ſic Gordonius *lib. Praxis cap. 18.* dicit molam fieri cùm multitudo ſeminis calidi currit ad matricem cum carentia ſeminis virilis: Marcellus Donatus comprobat ex hiſtoria honeſtæ matronæ, quæ plures molas generauit ſine virili ſemine, hoc non requiri

ad

ad molæ generationem: Iulius Cæſar, Scaliger *ad text.43. lib.10. de hiſtor. animal.* ex Feſto Pompeio confirmat virgines molas generaſſe. Ex quibus conſtat non requiri virile ſemen, pro illarum generatione: Sauanarola *cap. de mola*, deducit hanc doctrinam ex Auicenna *cap.10. de animal.* Plinius *lib.10. cap.64. natur. hiſtor.* inquit, Molas gigni putant vbi mulier non ex mare, verùm ex ſemetipſa tantùm conceperit, ideò nec animari, quia non fit ex duobus, altricemque habere per ſe vitam illam, quæ ſatis, arboribuſque contingit. Nicolaus Rocheus *de morb. mulier. cura. d. cap.7.* fieri molam, inquit, ex ſeminis mulieris, & plurimi ſanguinis menſtrui in vtero retentione. Marcellus Donatus de mola, ſenſu & motu carente, loquit, quòd fit ſine viri ſeminis concurſu: at verò, quòd ea quæ fit cum ſenſu, & motu fit ex ſemine viri.

Conſtat noſtræ opinionis ratio exinde, quòd cùm conceptio ex Galeno *lib. de ſemine*, ſit virilis ſeminis in vteris mulierum ad infantis generationem comprehenſio, non mola, ſed naturalis fœtus fieret, ſi vtrumque concurreret, vt Hippocrates tenet *libr. de natura pueri*, & Galenus *lib.2. de ſemine cap.4.* Reſtat ergo, quòd mola nequeat fieri ex vtroque ſemine. Nec ſufficit dicere cum Hippocrate, quòd ex vitiato ſemine viri fiat mola, quia ex vtroque ſemine naturaliter fit animal ſaltem, etſi vitiatum fuerit, tametſi hoc fiat monſtruoſum, dum autem fit viuens non ſenſitiuum, vt mola, eſt argumentum, quod deficit ſemen virile, quia fœmineum, vt inquit Galenus, vt generet anima, principium motus à virili deſiderat, vnde ex fœmineo imperfecta viuitas vegetatiua tantum oriri poteſt, quæ adhuc ſi imperfecta entitas vegetatiua ſit, ſine aliquo ſemine neutiquam fieri poteſt in ordine generationum per ſe, niſi per accidens fiat à cauſa vniuerſali, vt mures, & alia ſimilia contingit fieri. Vnde Valleriola *lib.1 obſeruat.* benè infert *obſeruat.10.* Loyſonam conglobatam membranam generaſſe ex ſolo muliebri ſemine, deficiente virili, à quo illud deberet foueri pro animali generando, ſicut fouetur mola ex ſolo fœmineo, quia licèt natura ex Ariſtotele *lib.1. de cæ o*, nihil fruſtra efficiat, & fruſtra videatur molam generari, & licet natura non intendat operari diminutè, aut ſuperflue ex Galeno *libr. 16. de vſu partium capit. 9.* tamen ſemine fœmineo ſemel eiaculato, melius eſt aliquid omnino, quàm prorſus nihil efficere, & cùm deficiat commune principium ad perfectum fœtum, efficit naturæ poſſibile reſpectu ſeminis fœminei, & producit ſaltem vegetatiuum ens, quia natura vt ſic operatur perfectius, quod iuxta materiæ aptitudinem, & vim ſeminis operari poteſt. Ideò Fernelius *libr. 7. de procreat. hominis cap.1.* dicit fœminam ſine viro molam producere ex ſe ipſa; ſicut gallina ſine gallo generat oua ſubuentanea, licet aliter ſentiat *libr. 6. de part. morb. & ſymptom. capite 5.* Plutarchus incidit in hanc opinionem, ſic conuictus.

Præterea patet hæc doctrina, quia ſi viri ſemen eſſet neceſſarium pro molæ generatione, vel tanquam principium actiuum, & hoc non, quia ſimul cum principio actiuo ſeminis materni fieret animal ſenſitiuum, quod eſt terminus actionis generatiuæ perfectæ, & completæ, cuius eſt adæquatum principium virtus generandi in vtroque ſemine reperta: nec requiritur, vt ſit principium paſſiuum, quia vt tale præſtaret materiam pro efformandis partibus ſeminalibus, quales ſunt oſſa, arteriæ, neruí, quæ cum in mola non reperiantur, præſtant indicium manifeſtum, quòd non fiunt ex viri ſemine, ſed ex imperfectiori alio, quale eſt fœmineum; de quo dicit Galenus *libr. 2. de ſemine*, & *4. de vſu part.* quòd ſolum præſtat materiam, vt ex eo membrana inteſtinalis generetur, & vt ſit virilis ſeminis quaſi alimentum. Cùm igitur virile ſemen præſtet materiam pro partibus ſeminalibus, molam carentem illis, ex ipſo non generari conſtat. Nec ſufficit dicere, quòd ad molam concurrerit virile ſemen morboſum, quia ex illo fierent ſaltem partes ſpermaticæ morboſæ, & fierent monſtruoſæ conceptiones vita animalis fruentes, principio illo vitali ſenſitiuo correſpondentes, tanquam neceſſarius terminus ſuæ actiuitatis. Nec contrarium contendit Galenus *l.4. de vſu par. capite ſeptimo*, docens, quòd in maris ſemine eſt omne principium formationis, quia loquitur de formatione per ſe intenta à Natura, qualis eſt hominis generatio reſpectu ſeminis virilis, non verò de generatione imperfecta, & quam natura intendit, vt diximus, non vt aſſequatur intentum finem, ſed ne omnino aberret ab illo: tunc enim intendit potiùs aliquod imperfectum, quàm omnino nihil efficere.

Conſtat ex dictis fœmineum ſemen, eſſe principium actiuum ſui ſimilis productiuum, ſed imperfectum: ita vt niſi virili ſemine fiat validum, nequeat ſimile in ſpecie producere, benè tamen aliquod imperfectum viuens vegetatiuum, quale eſt mola. Sed non conſtat quare mulieres viduæ & omnes virgines aptæ ad nubendum non generent molas, cum habeant fœmineum prolificum ſemen, à quo generari diximus, & ſimul menſtruum ſanguinem, quod eſt materiale etiam earum. Varias Authores reddere conantur rationes. Zachias aliquas proponit: Mihi videtur, quòd ratio deducenda eſt ex doctrina doctiſſimi Andreæ Laurentij, qui *lib. 7. hiſtoriæ anatomicæ, cap 9.* adinuenit quòd duo vaſa eiaculantia dicta, per quæ in mulieribus fertur ſemen à vaſis præparantibus ad vterum, non, vt alij iudicant Anatomici in vteri cornua obliterantur, ſed duos veluti in ramos dirempta, altero ampliori, ſed breuiori in latera vteri cornua dicta feruntur; altero anguſtiori, ſed longiori per latera vterini corporis inter membranas excurrentes ad ſinum oris interni, vel principium ceruicis deſinunt: illo ſemen in vteri fundum eiaculantur mulieres: hoc verò dum conceptione facta contractus eſt vterus, conniuentque exquiſitè eius oſcula, ſemen in ceruicem effundunt. Ex qua doctrina deduco, quòd ſemen muliebre, per quas vias extra vterum eiaculatur, dum vtero gerunt, per eaſdem eiaculatur continuò, dum ſine viro ſemen emittunt mulieres: dum enim coeunt auiditate attrahendi ſemen virile, attrahit etiam vterus proprium ſemen, quod à fœmina in illo actu eiaculatur; nec illud à quo putrefacto fiunt hyſtericæ affectiones, eſt intra cauitatem vteri, ſed intra cornua retentum. Poteſt tamen contingere in aliquibus, quòd tanta ſit auiditas, vt vterus ſuum prolectet ſemen ſine coïtu, & tunc fiet mola; conante natura ex illo principio actiuo cum ſanguine menſtruo potiùs aliquid licet imperfectum generare, quàm nihil. Zachias implicatur, vt dixi, in aliis ſolutionibus non magis concludentibus. Concludit tamen aſſenſius, quòd ſi in aliis animalibus valet ſe ſola fœmina imperfectos producere fœtus ſine maris concubitu, valebit etiam mulier cum proprio ſemine; de aliis enim animantibus non dubitarunt Authores ab illo recenſiti. Varro *de re ruſtica*

lib.2.cap.1. Plinius *natur. hiſtor.lib.8. cap.42.* Virgil. *3. Georg.* Solinus *de ſitu orbis, lib.3. cap.26. & 56.* Columella *de re ruſtica lib.6. cap 27.* Auicenna quem ſequitur Albertus Magnus *6. de animalib. tractat.3. cap.2.* Geſnerus *in hiſtor. animal lib.1. c.de equo.* Albertus Vucton. *lib.5.de differ. animal.* iudicant equas abſque mare concipere ſaltem debiles fœtus. Plura Carranza de iis de refert, & Aldroandus, quæ ſi non ſunt communiter recepta, de ouiparis negari non poſſunt.

§. IV.

Nullum eſt euidens ſignum manifeſtans naturalem genituram in vtero.

IN dubia hac conſultatione optabant ſcire? An prægnantiæ naturalis eſſent manifeſta ſigna. Inter Iuris Profeſſores Cagnolus & Giurba affirmatiuam tenent partem, & inter Medicos Cagnatus, Fernelius, Varandæus, & Iocbus illis adhærent, fulti rationibus infra opp ugnandis, quas refutant Zachias *tom 1 lib.1.tit.3 quæſt.1.8.* Zacutus *tom.1 lib.3. quæſt. 28.* adhærentes Vallerio *in lib.4 Epidem text.49.* Andreæ Laurentio *lib.8. Anat. cap.4* Sanctorius *libr.1. de vitand. erroribus, cap.28.* Fortun. Fidea. *3. de relat. Medicina cap.4.* Mercur. *lib.1, cap.10.* Codronchus, *in method. teſtifica. de cap.12.* qui ſequuti ſunt Auenzoar *lib. 2. Theiſir, tract. 3. cap.1* qui vxori exhibuit medicinam ſolutiuam fortem, ignotaos quòd eſſet grauida; & Auicennam *21. tract. 3.cap.8.* Rhaſim *lib.9. ad Almanſ. cap 39.* Matthæum Gradium *in comm.* Vallerjolam. *1. obſeruat.1. & 19.* Foreſtum *lib.26. de morb. mulier.* Amatum *1. centur. 27.* Fatentes verum grauiditationem nullis poſſe euidentibus conuinci ſignis. Licet enim dum mulier in coitu maiorem ſentit delectationem & ſeminis ſuctum, & vir ſentit ſuctionem, & obſeruat mulier retentum fuiſſe ſemen, & quod ipſa perhorreſcit cum leui dolore circa vmbilicum, & ſuperueniat coitus faſtidium, & hæc præſtent conceptionis indicia: & licet ſibi faſtidium, pigritia, appetitus prauorum ciborum, nauſea, vomitus, malacia, prauus color, menſtruorum mutatio, aut defectus, lumborum, ac renum dolor, vrinæ niſus, ac moleſtia, ſolent conceptum fœtum indicare; & licet magis pallidus color faciei, ac extenuatio, maculæ in facie, oculorum contractio, & albi in liuidum colorem eorum mutatio, & ſuperueniens mammarum dolor, & tumefactio, arteriarum iuguli in exercitio pulſatio, pupillarum denigratio, aut circulos liuidus in illis, licet venter intumeſcat, ventriculus infeſtetur, fiat oris amaritudo, aut fiat ſalſuoſum, cibi auidios appetantur, licet tumor increſcat ventris, ſit mollis, & alia complura appareant prægnantiæ indicia propoſita à Medicis: hæc omnia non ſunt infallibilia, nam poſt prima, poteſt non amplecti, aut fouere ſemen, reliqua ex retentis proueniunt menſtruis, & horum retentio ab aliis morbis, ac diuerſis præternaturalibus cauſis. Contingunt etiam hæc ſigna in falſis grauidationibus, & in prægnantiis monſtruoſis, ſeu in quibus diuerſa ſpecie geſtantur animalia. Vnde ex illis non deducitur demonſtratio infallibilis naturalis prægnantiæ, ſed vt plurimùm probabilis opinio, quæ cum fallax, peritiſſimos plerumque fallit medicos, vt probat Sanctorius *lib 1. methodi de vitandis erroribus.* Vnde nos nec certam in hac re promiſimus reſponſionem ad rem incertam, vt Zachias, & Zacutus latiſſimè demonſtrant.

Ex nullis enim ſignis, quæ contrariè opinantes tanquam infallibilia proponunt, id conuincitur. Nam licet venter ſit tumoroſus, ex quo probauit Sacra Pagina prægnantiam naturalem Thamar, non poſſemus conuinci, cùm omnis falſa grauidatio, & præternaturalis geſtatio hoc habeant ſignum: & in hac prægnante vltra modum tumoroſus venter potiùs contrarium ſuadebat. Nec lac in mammis eſt euidens prægnantiæ naturalis ſignum: Hippocrates enim in virginibus poſſe dari affirmat, *5. aphor.39. Similiter*, inquit, *quæ lac in mammis habet, neque grauida eſt, nec peperit, huic menſtrua defecerunt*: quod in eis contingere poteſt, quod Auicenna confirmat *21. 3. capit. 13.* prætterquam quòd & in viris lac in mammis poſſe generari comprobat Zachias ex Ariſtotele *lib.1. de hiſtor. animal. cap.12 & lib.3. capit.20.* Auicenna *11. 3. cap.3.* Mercurial. *de morb. mulier. lib. 3. capite 1.* Siluat. *contrad. Medic. 69.* & Schenkius confirmat exemplis. Nec motus in ventre præſtabat euidens prægnantiæ naturalis indicium, ob violentiam, ex qua ſuſpecta fiebat naturalis prægnantia, & quia in falſis reperitur grauidationibus vt docuit Hippocrates *lib.1 de morb mulier. §. Quæcumque in vtero ſe concepiſſe putant, & non conceperunt, & per multos menſes falluntur, menſtruis purgationibus non apparentibus, & ventres augeri, & moueri vident.* Nec Hippocratis communia indicia conuincunt prægnantiam naturalem ex *lib. de ſterilibus*: aut ex aphoriſticis ſententiis, aut *lib. de genitura*: nec adducta ex Auicenna *21. 3. tract.1. cap.13.* ex Aetio *tetrabili 4. ſermon.4. cap 48.* nec ex Rhaſi *22. continentis, tract.6. cap.1.* nec ex Martinello *lib. de med cam. mulier. cap.2.* nec ex Mercuriali *libr. 1. de morb. mulier.* nec ex Mercato *libr. 3. de morb. mulier, cap 6.* nec ex Zacuto *tom.1. lib.3. q.28.* quia vt ex ipſis conſtat, & ex Hippocratis commentatoribus, plerumque fallant, cùm ex oppoſitis præternaturalibus cauſis hæc ſuperueniant ſigna & experimenta propoſita, & quibus aliqui vti ſolent, periculoſa ſint, & quæ, vt tenent Zachias, & Codronchius, nequeunt, ſine periculo experiri: Mulſa enim ab Hippocrate propoſita ex ipſo *de rat. victus*, menſtrua prouocat, & ideò poſſet prouocare aborſum, ſicut ab aliis recenſita Ariſtolochia, & Galbanum, non minoris ſunt incommodi.

§. V.

Ex quibus ſignis coniectabamur excellentiſſimæ fœminæ geſtationem non eſſe prægnantiam naturalem.

CVm ſigna prægnantiæ naturalis non poſſent infallibiliter nos deducere in ſui cognitionem, nec ab illa nos in totum auertere, coincidebant duo ex quibus dubitare cœpimus, & conuicti ſumus ad credendum, quòd enarrata vteri geſtatio non eſſet naturalis prægnantia. Alterum erat duratio in tertium ferè annum. Alterum, violentus geſtationis motus, quæ cœpimus examinare. De duratione fœtus in vtero nulla ferè videbatur ratio nos conuincens, quia latiſſima eſt commenſuratio temporum, intra quæ partus poteſt eſſe naturalis, vt congerit Schenkius *in ſuis obſeruationibus.* Bonauentura *de octimeſtri, partu* & Carranza *de partu naturali.* Menſe quinto partum fuiſſe vitalem, obſeruarunt Montius *Anaſcene morbor. lib.4. cap 41.* Cardanus *contradict. 8. tract.3. lib.1.* Mena *comment. ad cap.4. de ſeptimeſtri partu.* Valleſius *in ſacra philoſ. cap.18.* Vitales fuiſſe in ſexto menſe obſeruarunt Auicenna *lib 6. de natura animal.* Cardanus *lib.8. contradict. tract.3 cap.1.* Hippocrates vitales partus dari in ſeptimo menſe

doce[t]

docet,& confirmat experientia, ſicut in nono, decimo, & vndecimo. De octauo menſe aſſerit Hippocrates *lib. de carnibus*,quòd nulli in ipſo poſſunt dari partus vitales, ipſos tamen vidit Plinius *lib.7. natur. hiſtor.c.5.*Gellius *lib.3.cap.16.*Marſilius Ficinus *lib.1. de vita cœlitus comparanda*, Cardanus *lib.1. tract.3. contradict.8.* & Riolanus, ac Fracaſtorius *in lib. de ſeptim. partu.* In menſe decimo quarto vitalem fœtum firmat Ariſtoteles poſſe reperiri *lib.7. de hiſtor. animal. cap.5.* De quinto decimo menſe natis idem confirmat Plinius *lib.7.cap.5.* Auicenna *lib.9.de animal.* Alexander Benedictus *lib.25.cap.23.* Paſchalis Gallus obſeruauit fœtum in vtero geſtatum per viginti menſes, vitalem euaſiſſe. Albertinus idem affirmat de fœtu geſtato in vtero per duos annos Schenkius ex relatione Sigiſmundi Schinzeri obſeruat alterum fuiſſe vitalem geſtatum per tres annos in vtero, & ex Mercuriali alium geſtatum eſſe per quatuor annos. Ex quibus videbatur poſſibile quòd poſſet hæc fœmina adhuc vitalem ſpectare partum, ſed ex eis, quæ tam raró,& vltra naturæ metas contingunt, non poteſt aliquid promitti, niſi ad fallendam ſpem. Hanc nobis diminuebat alterum ſignum propoſitum, ſcilicet motus violentus vltra modum, qui adhuc intra primos menſes valuit incertam promittere prægnantiæ naturalis ſpem.

§. VI.

De monſtruoſis ex ſemine vtroque genitis animalibus, qualis fuerit haſitatio.

CVm nec certis ſignis poſſemus prægnantiam naturalem eſſe aſtimare, & ex probabilibus conuicti eſſemus ad iudicandum eſſe geſtationem vteri præternaturalem, reſtabat determinare qualis hæc fuiſſet: diximus enim quòd eſt multiplex: alia ex eis quæ ex vtroque generantur ſemine, alia quæ ex ſolo fœminco, aut ex nullo: determinabimus nunc an ſit geſtatio monſtruoſa ex eis, quæ vtroque fiunt ſemine: & in primis coniectabamur nullum eſſe ex monſtris, quæ ſub ſpecie humana continentur: hæc enim ſequuntur modum naturalis prægnantiæ, & eiſdem rationibus, quibus illa excluditur, debent excludi. Poſſet tamen eſſe dubitatio an fœminæ huius geſtatio eſſet alicuius animalis ſpecie diſtincti, in vtero geniti, ſunt enim varia animalium monſtra, & genera, quæ in vtero mulieris generari poſſunt, quæ ſolent ab aliquibus vocari Molæ viuentes, ſeu vitales, præcipuè ab Schenkio *lib.4. obſeru.* qui in vtero generari molas vitales, pecudem, feram, belluam, aquilam, accipitrem, bufonem, talpas, ranas, echinos, lepuſculos, feles, aſtacos, tencha, polypos, ſanguiſugas, lacertas,& ſerpentes, aliquando cum fœtu, aliquando ſine alio fœtu, & aliquas ſerpere, repere, diſcurrere & volare eſſe viſas, confirmatque ex plurimis Authoribus: Gordonius enim *p.8. cap.18.* dicit Lombardas ſæpè generare in vtero vermes, reptilia, ſeu arpam: Platearius *de ægritudinibus matricis* dicit, Salernitanas mulieres plerumque contendere occidere bufonem in matrice genitum. Guainerius tenet bufonem cum fœtu ſolere gigni,& illum ſuo veneno occidere. Sauanarola præcipuè in Apuleia obſeruat, cum fœtu generari plerumque feram, bufonem, accipitrem, aquilam, lacertam. Nicolus *ſerm.6. tract.3.cap.20.* idem affirmat de mulieribus Septentrionalibus. Pedemontanus *in ſumma 4. p.4.ſect.1.in adit.* Menſes in Regionibus Meridionalibus, & Septentrionalibus id tenet eſſe commune. Tornamira in Almanſorem, dicit generari in matrice arpam, quam vocat fratrem Lombardorum. Guatinaria vidit partum animalis ſimilis Tincæ piſci, *cap. de mola.* Bonaciolus *cap.6 de morb. mulier.* in Hiſpania feram in vtero frequentiùs generari tenet. Ludouicus Viues *lib. de anima*, in Belgica, & Flandria hoc communius eſſe affirmat, fœminas peperiſſe hæc monſtra. Affirmant Dominicus Leo *lib 6. art. medicinal.* Gen. *hiſtor. animal. libr. 3.* Rondeletius *de dignoſc. morb. cap.17.* Lycoſthen. *lib. prodigior.* Bodinus *theatr. Nat lib.3.* Amatus *centuria 1. curat.27.* Scholiograph. Hollerij *in cap.61. lib.1.* Paræus *libr. 19.cap.3.* Vierus *lib.4 cap 17.* Mercurial *conſi.85.* Andræas Laurentius *lib.2.quæſt.8.* Giriugus *lib. de fontibus acidis cap.7.* Peperiſſe veros ſerpentes narrat Alexandrinus ex Apiano *lib.1, de bellis ciuilibus* Plinius *lib.7. cap.3.* Iulius obſequens, Lycoſthenes. *libr. de prodigiis.* Augustus Iuſtinus *lib.5. Annalium*, & alij citati ab Schenkio. Reinerius obſeruauit mulierem peperiſſe leonem *lib.3. de hiſtor. de Lydorum origine.* Lycoſthenes *lib. de prodigiis*; Plinius *lib.7.* naturalis hiſtoriæ narrat aliam peperiſſe elephantem: Lycoſth. aliam peperiſſe canem, quod etiam vidit Paræus. Quæ omnia referre volui; vt ex iis conſtaret, non eſſe alienum à ratione poſſe ex aliquo animali ſimili huius fœminæ geſtationem præſumi, à quo violentiſſimi illis motus fierent, præcipuè cum Marcellus Donatus referat ex Liuinio Lemnio viſam in mulieris partu huiuſmodi feram cum roſtro adunco, longo, tereti que collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximia pedum agilitate, quæ vltro citróque diſcurrens latebras quærebat, donec exempta fuit, ex quo monſtro magis deberent timeri violenti motus in vtero, qualis in hac fœmina obſeruabatur. Sed quia inter tot annumeratos Auctores non conſtet monſtra iſta ſpecie diuerſa in vtero mulieris genita ſimilia adduxiſſe accidentia, nec talem geſtationis durationem, nec motum violentum permanentem aut interpolatum ſimilem. Cúmque, vt infra patebit, illius adinuenerimus exemplar,& cauſas ſubalus geſtationibus animaduerſas, ad illarum ſpeculationem recurremus.

§. VII.

An geſtatio ex ſolo ſemine fœmineo perſtiterit in hac fœmina?

DE mola, de qua ſuprà diximus verè talem dici, et eſſe informem carnem in vtero genitam, ex ſolius fœminæ ſemine cum menſtruo ſanguine, reſtat indagare an fuerit cauſa geſtationis diuturnæ, & cum motu illo violento, aliiſque annumeratis accidentibus: geſtabat enim vltra annos duos, increſcebat venter cum magna duritie, & hæc ſuſpicionis inducebant cauſam, nam poſſunt duræ molæ per multos annos in vtero permanere, vt probat latè Marcellus Donatus *lib.4 de hiſtor. mirab.cap 25.* & docuit Ariſtoteles *lib.10. de hiſtor animal text.43.* molas geſtari ab aliquibus per quinque annos ſine moleſtia: idem vidit Salius in Altumar. *cap.152.* & Sauanarola *tract.6, cap.21.* Duretus in coacas refert molam permanentem in vtero per 15. annos. Paræus *lib.23. cap.34.*per annos 17.molam in vtero geſtatam refert. Nicolus *ſerm.6.*per annos 20.Sed cum hæc fœmina vehementiſſimos ſentiret motus, quos mola, quæ ſenſitiua anima caret, animales edere non poſſet, nec ratione ſui ponderis, cum motus fierent verſus omnem differentiæ poſitionem, & grauitas ſolum moueat deorſum, nec vtero geſtanti erant partium ſuper incumbentium grauitas, nec proſtratus appe-

titus, nec ventriculi ſubuerſiones, nec ſuppreſſi menſes, nec compreſſus manu cedebat à loco tumor, immo vehementer manum pellebat tumor, molam coniectare nequimus, ad aliámque recurrere geſtationem digreſſi ſumus.

§. VIII.

Inter geſtationes vteri quæ de ſemine non fiunt, recipitur vteri geſtatio huius fœminæ, & ſub qua illarum, determinatur.

ALiis excluſis vteri geſtationibus, reſtat recurrere ad eas quæ ſine ſemine fiunt à cauſis præternaturalibus, quas molam etiam vocarunt Auicenna, Alſaharauius, Taranta, Gradius, Schenkius, Marcellus Donatus, & omnis barbara familia: Græci verò vocant falſas grauidationes, quas, vt diximus deſcribens Hippocrates inquit: *Et putant ſe in ventre habere, & videntur ibi mulieres concepiſſe & non conceperunt; tunc enim fit*, cùm fœminæ viro vtenti *menſes ſupprimuntur, venter intumeſcit, accidentiaque accidunt vera grauidationis; cum hoc tamen nihil vita particeps in vtero gerunt.* Vt profert Rodericus de Caſtro *lib.4. de morb. mulier. cap.* 8. ſed ſuperuenit aliquid alicui elemento correſpondens, vt quid tophaceum, aqua ſpiritus, aut flatus. Quæ harum ſubſtantia in vteri geſtatione huius fœminæ geſterit, reſtat examinare. Tophacea ſubſtantiá non ita communis reperiri ſolet præter carnoſam, licet ex craſſa poſſit exuperante pituita ſuperaſſata fieri, dum ſuperfluit in vtero in magna copia, qualem obſeruauit pultaceam Arculanus *comment. ad cap. de mola lib. 9. ad Almanſ.* quam vidit in parturiente iam mortua in tanta quantitate, vt illam videretur exuperare; ſed nec hanc geſtationem patiebatur hæc fœmina, licet enim poſſet ventrem augere vltra modum, non tamen ipſum violenter mouere.

De grauidatione falſa ex aqua, quæ dicitur hydrops vteri, poſſemus dubitare; cum ex ipſa poſſet modo dicto vterus intumeſcere, vt Alſatius notat *de quæſitis per epiſtolam centur. 3. cap* 25. & obſeruarunt Rhaſis, Iacobus de Partibus *in fen. 3. Auicennæ tract. 3. cap.* 2 qui tribus annis ex hydrope vteri vidit laborantem: & Marcellus Donatus Dodonæus, Eraſtus, & alij, geſtationes huiuſmodi per multum tempus obſeruarunt; ſed Valleſius *lib.5. cap.9.* obſeruat aquam geſtantem, ex cuius vtero exierunt ſupra ſexaginta Auguſtanæ menſuræ aquæ. Nec de hac vterigeſtatione dubitabamus in excellentiſſima noſtra fœmina, licet enim increſcere ex illa poſſet venter, non tamen moueri venter motu dicto à nobis, & quia facies viuido fruebatur colore, nullæ aliæ intumeſcebant corporis partes, nec pedes; & quia ab aqua pondus grauitatis potius quam motus ſurſum ſentiretur.

De ignea contenta ſubſtantia, à qua celeres, violentique fierent motus, poſſet etiam dubitari: ſimilem enim generari intra vterum videtur colligi ex Marcello Donato *lib.4. de hiſtor. mirabili cap.25.* Qui ea Lycoſthene, & Cornelio Gemma demonſtrat in quadam fœmina vteri geſtationem terminatam fuiſſe nixu quodam poſt partum fœtus mortui, ex quo auditus eſt ab vtero fragor, veluti excuſſo tormento bellico: hoc autem non niſi ob igneſcentem motu ſubſtantiam tenuem, intus quaſi exhalationem genitam, a qua tumor magnus, & violentus motus poſſent ſuperuenire, ſi per tres annos exhalatio poſſet ita igneſcens permanere: Sed vteri geſtatio huius fœminæ fuit per tres ferè annos permanens, & ideo non ab inflammata materia prouenire potuit, vt ignea; licet poſſet fieri ab illa vt aerea.

Reſtabat nobis vnica indaganda cauſa vteri geſtationis, an eſſet flatus: aereave ſubſtantia; ſimulque & hoc deducere ex aliqua ſimili geſtatione ab aliis obſeruata, inueniréque rationem accidentium ſuperuenientium geſtationi, quorum præcipua erant tumor ventris ſuprà modum eleuari, & violentus vndique per ventrem diſperſus flatus. Omne optatum nobis obtulit Marcellus Donatus in obſeruatione quam *lib.4. cap.2 hiſtor. mirab.* proponit ex Alexandro Benedicto *lib.26. de morb. curand. cap.34.* Cuius hæc ſunt verba: *Hoc anno 1575. viderunt multi Medici in vrbe noſtra non ſine magna omnium admiratione Annam de Fortis mulierem Hebræam ex Caſtro Porixelo, quæ iam tranſacto quinto menſe in vtero habere videbatur, mamma maximè intumuerat, vt iam noni menſis impragnationis tumorem æquaret, dúmque venter à nobis comprimeretur, manus retropellebantur violentia quadam, at per vniuerſum abdomen motus quidam palpitationis conſpiciebatur, ac veluti ſaltus per internalla inuoluntarius, ſatis que validus, ita vt ab imo ventre vſque ad os ventriculi motus ij excitarentur. Quod ipſi laborioſo partu ſuperaeniſſe aiebant: menſes tamen prodibant ſtatis temporibus. Nos omnibus ritè conſideratis in eam venimus ſententiam, quod os vteri ex callo, vel carne ſupercreſcente poſt partus labores penitus conniuiſſet, eo pacto, quo caruncula in virga meatu poſt abraſionem succreſcere ſolent; vnde multi flatus craſſi in vtero collecti exitum minimè inuenientes, motus illos efficerent. Nec obſtabat, quòd menſes ſtatis temporibus fluerent, ex venis enim colli matricis prodire poſſe ſupra decreuimus.* Decernit etiam Andræas Laurentius deſcribens vteri Anatomiam.

Cum igitur in hac obſeruatione reperiantur omnia accidentia, quæ excellentiſſima domina patiebatur, quæ in aliis à nobis relictis vteri geſtationibus reperiri non contingebat; túmque ſimul in illa apertæ ſint cauſæ ſuorum accidentium: vno dempto, quod hæc non pepererat, ſed fuerunt illi cauſæ, ex quibus potuit vteri os callum, carnoſámve procreare carunculam ob prægreſſam excoriationem. Hinc deduximus eius vteri geſtationem ex flatu modo dicto impedito prouenire; inde tumorem ventris vltra modum cauſari, ſimul & motus illius omnino ſimiles à nobis expertos, ac ab Alexandro Benedicto: & cùm ſimili modo prouenirent menſes, ob eamdem iudicabamus cauſam fluere, ſimúlque & geſtationis durationem prolongari, ex continua flatuum generatione, & impedita euacuatione.

Hanc arte ſupplere conabamur, medicamentis euacuantibus materiam ex qua eleuabantur, ſimul & reſoluentibus, quibus venter non parum imminui cœpit, & motus violentia remitti. Sed tum temporis ſuperuenit lethalis dyſenteria, quæ ægram de medio ſuſtulit intra ſeptem dies.

CONSVLTATIO VNDECIMA.

De vulnere capitis cum cranij læſione & ſuſpicione veneni.

CONTINET.

§. I.

Proponitur euentus, & conſulendi ratio.

§. II.

Vulnerum capitis eſſentiam, & differentias propono, & qualis affectus fuerit æger.

§. III.

In Prufugiendo præcipuè apud Iudices, quanta requiratur ſolertia.

§. IV.

Vulneri propoſito qualis curatio ex communi Chirurgorum praxi debuit adaptari.

§. V.

Maguti, & aliorum curatio per primam intentionem in fracturis capitis proponitur, & vulneribus.

§. VI.

Vnguenti Armarij quanta ſit vis ad hæc vulnera curanda.

§. VII.

Qualis curatio vtilis foret ægroto pro vulnere vt venenoſo.

CONSVLTATIONIS decisio.

§. I.

Proponitur euentus, & conſulendi ratio.

CVm duo adoleſcentes mutuo inter ſe odio flagrarent, ſéque adinuicem quærerent, cùm ſe offenderent, alter alterum volnerauit gladio in capitis parte dextra, ſupra ſyncipnt: facta fuit continui ſolutio, non ſolùm in partibus externis continentibus, ſed in pericranio, & inciſura apparuit in cranio, effuſa magna ſanguinis copia. Nulla apparuerunt ſymptomata, quæ partes intra caluariam læſas eſſe demonſtrarent, nec vomitus, nec vertigo, nec alia ſimilia. Poſt horam cum iam volnus eſſet curatum, ſanguíſque retentus, cum duobus Chirurgis vocati fuimus ad inuiſendum ægrum, vt de eius periculo aut ſecuritate decerneremus. Chirurgus à quo fuerat curatus, ſta-A tum vulneris proponit, rimam in cranio inueniſſe fateatur, non progredi vltra primam laminam iudicat. Tetigi pulſum, facultatem vitalem deliteſcentem obſeruam, animales facultates ſine vigore. Contendunt chirurgi cum deficerent ſigna læſionis partium internarum, non multum timendum de euentu. Ego verò cum ſine multa ſanguinis effuſione languidas cernerem omnes facultates, inſcius an ab animi paſſione & conturbatione ſanguinis, & ſpirituum id coadiuuaretur; an verò occultæ qualitatis viribus id eſſet tribuendum, cum odium diu concitatum poſſet nos in ſuſpicionem adducere; nec ſolum proculi non contemnendum periculum cum Hippocrate *lib. de vulneribus capitis*, in quocumque illius vulnere, ſed magis hoc timendum ob collapſas vi-B res, conſulendumque de animæ beneficiis, quæ cum peracta fuiſſent, anxios æger, iactabundus, vigil, cum deliquiis, ſudoribuſque ſyncopticis noctem pertranſiuit, ſubſequente die, Eſtiomenum tum apparuit vulnus, æger deceſſit à vita, cum aliàs eſſet boni habitus, ſanguineus, & inculpata fruens valetudine.

§. II.

Vulnerum capitis eſſentiam, & differentias propono, & qualis affectus fuerit æger.

SOlutio continuitatis recens in capite ab inſtrumento ſcindente, vocatur capitis vulnus, quod C multiplex eſt, & maximè in periculo diuerſum, curationémque varians. Aliud dicitur ſimplex; aliud compoſitum; vtrumque aut paruum, aut magnum, rectum, aut obliquum; aliud factum ab inſtrumento contundente; aliud à ſcindente; aliud à pungente; aliud ſuperuenit cum accidentibus; aliud ſine illis. Compoſitum vulnus aliud cum contuſione; aliud cum fractura. Fractura cranij, inquit Paulus *lib. 6. c. 89.* eſt *diuiſio, aut ruptio, aut præciſio à violentia quadam extrinſecus accidens*. Et eſt multiplex; triplex fit ratione inſtrumenti, ſciſſione, contuſione, aut fractione: multiplex ex modo quo fit: Alia enim dicitur ſedes, rhogme, ragamia, aut fiſſura, ſeu inciſio: Alia dicitur Trichiſmus, quæ antecedens eſt, dum in diploem porrigitur: Alia Eepieſma, Antrea fractione, D Alia Camaroſis, Camaromata, Cotanotos, ſeu Cameratio: de qua dicit Paulus, quòd eſt diuiſio caluariæ, in qua pars affecta, Cameræ modo eleuata relinquitur: Alia eſt Encope, Diacope, Angiis, in qua oſſis particula partim abſcinditur, partim vnita manet. Auicenna ſuperaddit *fen. 5. 4. tract. 3. cap. 1.* eam in qua frangitur cranium, & non finditur cutis. *Multoties* (inquit) *frangitur cranium, & non finditur cutis.* Alia fractura dicitur perforatio, quæ à pungente fit inſtrumento: Alia vocatur Apochema ſeu oppoſitio. Præterea capitis vulnus, aliud ſine venenoſa qualitate, aliud venenoſum eſt.

De iis omnibus ad proponendam prognoſim ante Iudicem erat nobis examinandum, quale fuiſſet vulnus capitis in hoc ægro: conſtabat non fuiſſe ſim-E plex, ſed compoſitum cum cranij fractura, hæc enim apparuit primo chirurgo curanti vulnus; & erat vel fiſſura, vel trichiſmus, ſed cum virium lapſus, propera tâque periculum, maiorem nobis, occultámque proponeret cauſam, nec ſuſpicio eſſet de reliquis manifeſtis nuper relatis fracturis: de occulta, illa, quæ Apochema, ſeu oppoſitio dicitur, cœpimus dubitare, an ſimul eſſet occulta cauſa accidentium, hæc enim nullis poſſet à nobis percipi ſignis, niſi à poſteriori ex læſione actionum. Inquit enim Hippocrates *lib. de vulneribus capitis*, *Quod infortunium*

fortunium vbi accidit, nihil eſt quod iuuare poſſit, quoniam vbi hoc malum ſit, nulla via deprehendere licet, homó ve id patiatur, aut quâ parte caluaria. Inter conſulentes aliqui negabant hanc fracturam poſſibilem eſſe cum Paulo *lib.6. cap.90. §. At falluntur y, quoniam non ſit in hominis calua, quemadmodum in vitreis vaſculis fieri illi docent, illa ſiquidem vacua ſunt, ideóque id patiuntur; calua autem hominis vndique plena, & alioquin ſolida eſſet.* Sic tenent Guido, *de vulneribus cap.* Fallopius & Vidus-Vidius ibidem, quibus fauet Galenus *lib.9 de vſu part.* admittens ex pluribus oſſibus compoui cranium, quia alterius damnum alteri non communicaretur: ſed cum contrarium doceat Hippocrates iam citatus, & ibidem §. *frangitur caluaria ſub vulnere alia parte, quàm vbi plaga eſt*: quem vt tenet Daza ſequuntur Celſus *lib.8. cap.4* Soranus *lib.8. de affect. cap.4.* Antilus, Meges, Auicenna *fen.* 5.3. *tract.3.cap* 1. Nicolus *ſerm.7.* Gentilis, Iacobus, Carpenſis, Vigo, & reliqui ferè omnes chirurgi, ſed vrgebat prætereà quòd reſonitus oppoſitio, ſeu fractura ſit in parte propinqua, vel contraria, dum para primò affecta non recepit læſionem, & ictus vis feriens in aliâ parte caluariam frangit; ſed in noſtro caſu ictus imprimit vim in parte vulnerata, & fracturam ſaltem in prima lamina effecit: ex quo non videtur in aliâ parte ex vi cauſæ vulnus cauſantis, poſſe reſonitum reſultare.

Nec hæc ratio me poſſet auertere ab hac ſuſpicione, quia vt doctè noſter eruditus Daza iudicat *p.2. Chirurgia c.6.* quæ admittitur oppoſitio non eſt intelligenda de fractura reſultáte in parte oppoſita cranij patientis ictum verſus contrariam partem caluariæ, ſed in eademmet parte, ita vt ſi connexa ictum recepit, in caua inferiori, & illi oppoſita parte fiat fractura, & hoc euentu bene poſſet permanere prima lamina cum leui fractura, aut ſine vlla, & fieri vi ictus in interiori, ex cuius læſione membranæ, & cerebrum maximè læderentur.

Sed cum huiuſmodi fractura magnum dolorem inferret, nec ita ſubito mortem inducere poſſet, qualem cœpimus timere in ægro, & qualem vidimus: reſtabat ſuperuenire ad aliam inueſtigandam cauſam in vulnere, eiúſque differentiam, à qua poſſet æger in interitum celerem permeare, nec reſtabat alia, quàm inquirere an eſſet vulnus venenoſum, ita vt inſtaret periculum non à vulnere vt ſimplici, aut compoſito, nec ab accidentibus ex iis ſubſequutis, ſed à coniunctâ venenosâ qualitate, qua eſſet inſtrumentum affectum, à quo inflictum fuit vulnus, quod, vt inquit Cæſar Magatus *lib.2. cap* 10. præceps ſit ad periculum ratione venenoſæ qualitatis, quoniam veneni ea eſt conditio, vt quodlibet in corpore obuium corrumpat, & in ſui naturam vertat, donec imminutio ad principia vitæ, & cor peruenerit, quod coniectabamur potuiſſe contingere in ægro ob ferrum venenatum à contrario inimico diu quærente illum ad ipſum interficiendum: tanta enim eſt hominum nequitia vt forſan à dæmone hoc didicerint. Mercurialis *lib.1. de venenis cap* 17. hiſtoriam refert mulieris quæ particulam cultelli veneno infecit, cum qua diuiſit coctam gallinam verſus vnam partem, & verſus aliam cum alia cultelli parte non venenata, & ideò dum altera venenatam comedit gallinæ partem ex qua interfecta fuit, illa ſanam comedens partem, euaſit ſana: tanta eſt hominum malignitas! Georgius Geſnerus ex nummis venenatis à puero in manu receptis mortem fuiſſe inductam tradidit. Eſt apud Schenkium ex helleboro veneficum medicamentum quo ferrum illitum, venenoſum efficit vulnus. Guillandinus Pharicum ab Antiquis in hunc

A finem cognitum parum omnino differre indicat à veneno, quod dicitur de la Cerua Balleſtera, quod fit ex ſucco radicis hellebori albi, cuius meminit Mathiolus *comment. ad lib.4. Dioſcoridis cap* 141. vocatque Hiſpanorum Toxicum, cuius Cyriacus Lucius dicit contrauenenum eſſe cotoneum malum: & Iulius Alexandrinus aſſeuerat vinci ſola mali Cydonij fragrantia. Galenus idem refert de herba, quam vocant helenium Græci; Ariſtoteles refert xenicon apud Celtas Gallos vſitatum fuiſſe venenum, quo ſagittas inficiebant. Plinius iudicat venenum, quo Galli ſagittas inficiebant, fuiſſe helleborum quod cum inter noſtrates ſit vſu expertum, pro ceruis interficiendis, forſan inſtrumentum, quod vulnus effecit, hoc toxico fuit venenatum, cuius tanta eſt vis, B vt pateat apud Schenkium ex ſanguine cerui occiſi ſagitta ſucco hellebori infecta, cum recurreret in aſini vlcus, in quo ferebatur, Aſinum in itinere extinctum fuiſſe.

§. III.

In præſagiendo præcipuè apud Iudices, quanta requiratur ſolertia.

CHirurgi parui pendentes vulnus apud Iudicem, quaſi ſecurum iudicarunt, inſcij quòd Hippocrates in Prognoſticis primùm proponit *Optimum eſſe Medicum, vel prouidentia* Et quàm maximè eſt C illi fugiendum polliceri quod adimplere nequit, nec illius eſt munus omnes ſanare ægros, ſed vt inquit Hippocrates *lib. de arte: Medici eſt vehementes morborum impetus intundere, ſanabiles curare, & inſanabiles non attingere*: quos morborum ſtatus debet Medicus & cognoſcere, & iuxta illos præſagire, ſed non temerè, ſed cum ſolertia: ſic enim inquit Hippocrates *lib.1. Prognoſt. textu* 4. quòd *Medicus morituros, euaſuróſque cognoſcens, & prædicens culpa vacabit*; vnde infertur, quòd contrarium prædicens non vacabit culpâ, nec ſemper prognoſis eſt ſecura Medicis, quia coniecturalis, & cauſarum immutatio varia poteſt eſſe ex quibus immutetur euentus, imò & naturæ conatus, & error euentum immutant, vnde Hippocrates 2. *aphoriſmor.* 18. inquit: D *Acutorum morborum ſalutis, aut mortis prænuntiationes non omnino ſunt certæ* Et Galenus *in comment. & lib. de conſtitut. artis Medicæ*, reddit rationem monens quanta cum ambiguitate ſit præſagiendum, & Hippocrates *lib.1. Prædict. Conſulo*, inquit, *vt quàm prudentiſſimè agant, tum in reliqua arte, tum in huiuſmodi prædictionibus, illius probè memores, quod ſi cui ſucceſſerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit.* Sed non ſemper homo cuncta quæ requirit hæc ars, præſtat, quia, vt tenet Galenus 1. *aphor. comm.* 12. *lib.2. Prognoſt. cap.penult. & lib.1. ad Glauc.* ille præſtantior in prædicendo, qui minùs errat, quia, nunquam errare, ſupra captum hominis eſt.

E Si autem hoc vniuerſaliter eſt verum in cuiuſuis morbi prædictione, multò magis in noſtro ægro, qui vulnus capitis, fracturam cranij, &, vt coniecturare potuimus, venenoſum vulnus habebat, in quibus nec in quovis horum eſt ſecuritas; ſi enim de ſimplici ac ſecuriori vulnere capitis loquamur, Hippocrates *lib. de vulneribus capitis* tenet quòd hæc vulnera etſi leuiſſima non ſunt ſpernenda. *Nullum capitis vulnus vtcumque paruum debet contemni*, Aretheus *lib.1. cap.2.* inquit, *Capitis vulnerum initia leuia, fines mortiferi.* Reddit rationem Galenus 2. *per loc. cap.1. §. Etenim membrana, quæ caluariam ambit, & cutis*

qua

quæ forinſecus circumtenditur, vtraque propriam ſubſtantiam continuam habet, per omne caput extenſam. Qua de cauſa ex leui cutis capitis ſolutione continuitatis ſuperuenit mors: & ideò protulit Hippocrates *lib. 2. prædict.* quòd ex omnibus vulneribus contingit homines mori. Sic tenent Zacbias *tom. 1. lib. 5. tit. 2. q. 2.* Valleſ. *comm. 5. Epidem. textu* 16. Paræus *lib. 8. cap. 4.* Codronchus *in methodo teſtificandi cap* 4. Cuius reddunt rationem, quia licet ex ſua natura ſit ſalutare vulnus, fieri poteſt lethalis ob morboſum corporis apparatum, ob cacoethiam, ob animi vehementem paſſionem, imò & ob nimium riſum, vt obſeruauit Fabricius Hildanus: & vtcunque paruum ſit vulnus in capite, ſit magnum ratione partis principis læſæ.

Cum igitur capitis vulnus in ægro non ſolùm eſſet ſimplex, ſed compoſitum cum fractura cranij; hoc minus ſecurum debebat iudicari: inquit enim Hippocrates *lib. 2. prædict. Porrò ex capitis vulneribus, lethaliſſima ſunt, quæ ad cerebrum pertingunt.* Et præcipuè periculum minatur vulnus ſi fiat in commiſſuris, ad quas cum ſint indifferenter poſitæ, vt protulit Hippocrates *lib de vulnerib. cap. 5. Nec ſutura caluariæ omnibus eodem loco*: poſſemus timere vulnus peruenisse, ex præcipiti morte: eis enim vulneratis, inquit Hippocrates, *lib. de vulner. cap 5. Cum autem os telo iſtiúve denudatum eſt*, vulnúſque in ſuturis ipſis ſit, pernicioſum; cuius ex Paulo ſumitur ratio, quia dura mater, quæ mediis illis alligata fuerat cranio, concidit, & tandem in omnibus vulneribus capitis ad ſecuritatem maximè conducunt vires naturales, vitales, & animales ex Hippocrate *lib. 1. Prognoſt. text.* 1c. Et Cornel Celſo *lib. 7. cap. 3.* ex Galen. *lib. 1. de criſib. cap.* 14 quæ vt prænotauimus in hoc ægro maximè collapſæ fuerunt.

Nec in pronunciando periculo in hoc ægro paruam inducebat periculi ſuſpicionem venenoſi vulneris timor, ex præcedente odio, & ſubſequutis accidentibus: venenum enim inditum inſtrumento venenato inquit Cardanus *lib. 2. de venen. cap.* 6. maiorem vim obtinet, quam epotum, quia, vt inquit Zachias *tom. 1. lib. 5. tit. 2.* illicò per venas ad cor penetrat, quod in ſententia circulationem ſanguinis admittentiſque euidentiùs manifeſtatur. Paræus *lib. 20. c. 5.* Fallopius *de vulnerib. capitis, cap. 8.* Cardanus *lib. 2. de venenis cap* 6. quos Zachias adducit & ſequitur, familiare eſſe venenoſis vulneribus tenent, quòd vulnerati ſtatim patiantur animi ſeu virium defectum, quem in ægro experti ſumus, quæ cum ſuperuenirent citiùs in vulnerato, quàm ratione vulneris deberent timeri, venenoſi præſtabant indicium vulneris, & confirmauit euentus, citáque mors, ante quam quæ ſubſequuta fuerint accidentia nota fuerunt nobis; nullum poſt mortem inquirentibus ſubſequutum accidens.

§. IV.

Vulneri propoſito qualis curatio ex communi chirurgicorum praxi debuit adaptari.

CApitis vulnus ſi ſimplex, noſtri Chirurgi intendunt curandum per primam, quam vocant intentionem, filamentis vniendo ſolutionem continuitatis, & naturæ opus relinquendo, impediendóque partis dolorem, & inflammationem, cum vitellis ouorum, & aſtringentibus ſæpè commixtis pulueribus, præcipuè ſi aliqua ſit leuis contuſio.

Si autem vulnus ſit compoſitum, & cum cranij fractura, Rodericus à Fonſeca *tom. 2. conſultat.* 3. non iam per primam intentionem, ſed per ſecundam curare docet cum communi chirurgicorum methodo, vulnus apertum relinquendo, ſcalpro abradendo rimam: ſi abraſio poteſt fieri ſine dilatatione vulneris, ab ea abſtinendo; ſin minùs dilatandum vulnus, & appoſito inſtrumento ſutorio abraſio continuanda vſque ad partem ſanam, apponendo pulueres exſiccantes ſupra os, & filamenta illita digeſtiuo ex therebentina, roſaceo, & croco, quibus implent vulnus: ſupra apponitur emplaſtrum ex farina hordei cum oleo roſaceo, & poſca: digeſto vulnere vtuntur ſarcoticis: noſtri omnes in vulnere curando adimplent intentiones cum oleo Aparitij: ſed tamen admittunt ſanguinem eſſe mittendum, diætam præſcribendam & alia à Dogmaticis Medicis in ſanitatem conducentia recipiunt.

Alij vero in nullo capitis vulnere admittunt ſanguinis miſſiones, diætæ vſum, nec cranij vulnerati abraſionem, ſed vtuntur quibuſdam medicamentis, quæ vocant balſama: ij dilatant vulnus, infundunt aquam balſami, ſuperinfundunt pulueres ex aloë, myrrha & thure, imponunt linteolum mundum, poſtea balſamum, poſtea pulueres, & ſic ſucceſſiuè adimplent vulnus, quod ligatum ſic ſeruant in tertium diem; poſt quem ſimili modo curant vulnus, & modo & diebus dictis vſque ad perfectam ſanitatem. Fallopius tribuit hanc curationem Ioanni Baptiſtæ Romano chirurgo errabundo; balſamum tamen approbat Fallopius, & curandi modum Fonſeca in paruis ſaltem vulneribus; qui tria proponit remedia ex tribus chirurgis pro omni vulnere curando per primam intentionem, etiam ſi ſit in capite cum fractura, quæ proponam, ne quid deficiat pro hac noua exercenda curatione.

℞ Aquæ vitæ optimi & generoſi vini, pluries circulatæ, ita vt ſupra peſulam poſita accendatur; quod volueris, ponatur in boccia vitrea, vel pellicano, & ponatur vas ſub fimo equino calido per dies viginti, ita tamen, vt ſuperior pars pelicani ſit extra ſtercus aëri expoſita: apparebit poſt viginti dies aqua cærulea ſupra fæces, quæ erit coloris albi, tunc oportet paulatim per inclinationem aquam iſtam ſine fæcibus ſeparare, & reponere in vas vitreum bene obturatum ad vſum. Dum autem pelicanus eſt in fimo equino, obturetur os diligenter, ſi non habueris pelicanum, ſupponatur aqua vitæ in boccia colli oblongioris bene obturati in ſtercore equino, & digeratur, vt dictum eſt.

℞ Therebentinæ lib j. olei Lauri ℥. iiij. galbani ℥. iij. gummi Arabici ℥. iiij. thuris, myrrhæ ana ℥. iij gummi hederæ, ligni aloes, galangæ, cariophillorum, conſolidæ minoris, cinnamomi, nucis muſcat, zedoariæ, Zinziberis, dictamni albi ana ℥. j. moſchi, ambræ ana ℥. j. omnia infunde in retortam vitream cum lib. vj aquæ vitæ ter circulatæ, vt ſupernatent in infuſione per nouem dies, deinde diſtilletur per cinerem igne lento cum capello, & recipiente bene obturato, tunc emanabit aqua clara, limpida, quæ diſtillanda eſt quoad colorem mutet, & flaueſcat; poſtmodum auferatur recipiens, & illa aqua clara ponatur in vaſe vitreo benè obturato, vt nihil reſpiret, & iterum appoſito recipiente, excipiatur ſecundus liquor flauus dato igni maiori paulò, quoad vapores nigri, & liquor ſubnigreſcens exire incipiat: tunc auferatur recipiens, & ille liquor flauus in alio vaſe vitreo reponatur, & apponatur rurſus recipiens benè obturatum, & ignis augeatur, donec fæces exſiccentur; ille humor, qui erat ſubniger reponatur in vaſe vitreo ſeparatus. Primus liquor dicitur aqua vulneraria prima: ſecundus aqua vulneraria

netaria ſecunda: tertius medicina balſamica; quibus omnia, inquit Fonſeca, Empirici curant vulnera per primam intentionem apponendo primum liquorem, deinde aquam primam vulnerariam, poſteà pulueres ex thure, aloë, & maſtiche, ac ſarcocolla modo dicto.

Plura alia in hunc finem proponunt balſama, & olea, tam naturalia, quàm artefacta Magatus, & alij, quæ Sennertus adducit, & parantur ex radice conſolidæ maior. biſtortæ, tormentillæ, foliis alchimillæ, burſæ paſtoris, virgæ aureæ, balſaminæ, verbenæ, betonicæ, hyperici, millefolij, ſaniculæ, caudæ equinæ, vlmi, plantaginis, betonicæ, cupreſſi, piloſellæ ex floribus roſar. rubr. hyperici, balauſtiorum ex fructibus nucum expreſſi, ex gummi, lacrymis, & ſuccis, thure, aloë, maſtiche, lachryma abietina, reſina therebentina pini, hederæ, tragacanthi, tacamacæ, caranæ, ſarcocollæ, ſanguine draconis, bolo armena corticibus thuris, lapidibus hæmatite, corallor. ex quibus variæ apud ipſum ſunt deſcriptiones.

Inter Iuniores plerique pro curandis vulneribus, vulnerariis vtuntur potionibus; quæ licet Antiquis inuſitatæ, & ideò ab aliquibus damnantur, tamen Sennertus admittendas eſſe duxit, & pro earum vſu confirmando, ſunt apud ipſum Galenus *lib. 5. methodi cap. 9.* Author libri de Dynamidiis *tit. de plaga.* Ioannes Manardus adhærens Meſuë in antidotario: & ibi Chriſtophorus Georgius de Honeſtis, Guido *p. 2. chirurg. parua cap. 9.* Ioannes de Vigo *lib. 3. c. 10.* Ioannes Anglicus, Nicolaus Maſſa *epiſtol. 28.* Tagault. *lib. .. inſtit. Chirurg.* Ioannes Andreas a Cruce *de vulner. cap. lib. 4.* Fallupius *de vulneribus cap. 14.* Mathiolus *in lib. 4 Dioſcorid. cap. 6.* Paræus *lib. 18. cap. 28.* Fabricius ab Aqua Pendente *lib. 2. cap. 23.* Septalius *lib. 8. animaduerſ. num. 181.* Apud Andream à Cruce quatuor proponuntur herbæ, ex quibus huiuſmodi fiunt potiones. Alchimilla, Gariophillata, Vinca peruinca, & herba Trinitatis: Sennertus plurimas adducit & herbas conducentes in hunc finem, & potiones ex ipſis compoſitas.

§. V.

Magati, & aliorum curatio per primam intentionem in fracturis capitis proponitur & vulneribus.

Vulnerum capitis ſimplicium & cum fractura propoſuimus Galenicam curationem & nouam ſeu empiricam recentiorum. Reſtat iudicium ferre de horum vulnerum curatione iuxta Cæſaris Magati nouam opinionem, traditam in duobus libris quos inſcripſit de rara medicatione vulnerum: cui ſubſcribit Septalius *lib. 8. animaduerſionum Medicarum*; & inter noſtrates Hidalgo chirurgus Hiſpalenſis noſtro idiomate librum edidit ipſi ſubſcribens hanc doctrinam, in qua contendit omnia vulnera debere curari per primam intenſionem etiam ſi ſint compoſita. Magatus autem contendit quòd omne vulnus debet curari vniendo ſeu coniungendo labia illius, imponendo loco tegumenti primo aliquod adſtringens quod ſanguinis fluxum prohibeat, natiuum foueat calorem, ſuperfluitatem inhibeat, qualis eſt reſina therebentina, aut abietina, tacamaca ſarcocolla, ſanguis draconis; ſupra apponit lintea aliqua, quibus calor conſeruetur partis, nec ligaturam ante quartum, aut plerumque ante ſeptimum immutat; & ſic procedit in poſterum vſque ad curationem quam contendit perficiendam ſine eo quòd quotidie vel ſemel vel bis abſtergatur, & medicamenta panni ac ligaturæ multiplicentur, vt docuit Galenus, & admiſerunt & exercuerunt omnes Chirurgi vſque ad noſtra tempora.

Horum hæc proponit fundamenta. Primò quod experientia quam exemplis confirmat, docuerit vulnera præcipuè capitis cum fracturis, & ſubintrationibus ſic feliciter fuiſſe curata: Tum quod ſic conſeruatur innatus calor, qui vulnere detecto diſſipatur, imbecillis redditur; obtunditur ab aëre externo, quo deficiente, cùm debito inſtrumento careat natura, nec agglutinationem, nec ſuppurationem, nec carnis generationem poteſt conſequi, nec valet corruptioni reſiſtere. Tum quia ex repetita curatione ſuperuenit dolor, ex dolore, ſanguinis in partem affluxus, ex affluxu, intemperies; à quibus impeditur natura à curatione vlceris, & actionibus requiſitis nuper propoſitis, & cum aër intemperet vulnus, ſimul coadiuuat, & impeditur ne ab aëre intemperante cranium, aut oſſa ipſa abſcedant, ne ob communicatam intemperiem plura in vulnere ſuccreſcant excrementa, ne impediatur vigor caloris, à quo & recrementa, & extranea faciliùs mundantur à vulnere. Tum ſuadet ratio, quod ex frequenti vulneris curatione ægri difficiliùs conualeſcant, & confirmat experientia: nam interturbatur natura, debilitatur, excrementa obtinet, & ab intento fine auertitur. Nec repetita mutatio appoſitorum poteſt prodeſſe ad excrementorum abſterſionem, aut nouam medicamentorum, ac continuam applicationem, quia ſi non debilitetur calor ex vulneris manifeſtatione, pauca ſunt excrementa; & hæc exſupetant, ſi intemperetur ab ambiente pars: & valet roborata natura inſenſibiliter pauca expellere; nec natura roborata, & non impedita indiget noua applicatione medicamentorum, qua indigeret ſi ex multiplicata curatione debilis redderetur.

In hac noua opinione ſtandum eſt iudicio Sennerti *tom. 3. lib. 5. part. 4 cap. 9.* & Rodericus de Fonſeca *tom. 1. conſult. Medic.* aliqualiter ei adhæret, tenet enim quòd in ſimplici vulnere eligenda eſt Magati opinio; non autem in compoſito indigente ope chirurgi, vel ob extranea auferenda, vel ob ſymptomata corrigenda; nec diſcedit ferè à Magato & Septalio, qui plures excipiunt caſus qui fortan ſub iis conditionibus continentur: ſed dato caſu, quòd ob maximam cranij læſionem non poſſit Magati proſequi curatio, & cum Galeni doctrina pluries repetenda curatio, noua inter Iuniores inſurgit difficultas, an liceat cranium perforare in eius fracturis. Contendunt, qui ſemper curationem per primam intentionem defendunt, quòd numquam cranium ſit perforandum, quia horrendum eſt remedium caluariam perforare ac concutere, exponere extrinſeco aëri, & quòd falluntur ob ſuturas plerique, & ſine neceſſitate perforant os, & mortem inducunt, quòd in frigidis regionibus ob aërem frigidum pereunt plerique perforato cranio, quòd, vt teſtatur Fallupios, cum aqua vulneraria ab ipſo præſcripta plures liberi euaſerunt in fracturis capitis, ſine abraſione cerebri, quod ſuo oleo idem apud nos ſæpe conſequutus fuit Aparicius.

Fonſeca in calidis regionibus admittit abraſionem cranij, non tamen in frigidis, ſi cranij læſio ſit parua. Ego verò contemnerem contraindicationem deſumptam ab aëre frigido valente cerebrum intemperare & oſſa alterare, vt abſcedant; ſi intra caluariam oſſa lethalia inferant accidentia, ſin minus abſque cranij abraſione tentarem curationem, quam ſæpiùs feliciter conſequutam vidi.

§. VI.

§. VI.

Vnguenti Armarij quanta ſit vis ad hæc vulnera curanda.

TAnti pleriqueque faciunt vnguenti Armarij vim ad vulnera curanda, vt iudicem non ſine examine percurrendam hanc opinionem ex aliorum nutu confirmatam, tanquam miraculum, huius remedij vim extollentium. Primus illius inuentor fuit Paracelſus vir impius, & iniquus, dæmonis alumnus, & ſocius; qui inter alias impoſturas hanc pro vulneribus curandis introduxit, *lib.* 1. *Archidox. Magica:* Cuius eſt hæc deſcriptio. ℞ vſneæ ℥.ij. mumiæ ℥.ß. pinguedinis humanæ ℥.ij.ſanguinis humani ℥.ß.olei lini ʒ ij roſar.boli armenæ ana ℥.j.miſce,fiat vnguentum. Ex alijs Authoribus Sennertus varias adducit deſcriptiones: Ex Iacobo Coleto *lib.* 18.*œconomiæ*,ex Vvurichio. ex Baptiſta Porta & alijs: ſed præcipuè Crollius Paracelſi ſummus protector vnguentum Armarium, Sympatheticum, ſeu Stellatum Paracelſi vocat, & aliquibus ſuperſtitionibus ſuperadditis ſic præſcribit. ℞. Adipis veteris aprugni, vrſini,ana loriones octo, quo ſeniora animalia, eo melior adeps, vtriuſque animalis adeps priùs in vino rubro per dimidiam horam lento igne bulliat poſteà effunditur ſuper aquam frigidam, & cochleari colligitur pinguedo innatans, quidquid fundum petit, abijciatur. Poſtea ℞. Lumbricorum ex vino, vel aqua lotorum ſextarios duos, torrefiant in olla tecta: in fornace piſtoris, cauendum tamen ne adurantur, poſteà terantur in puluerem. ℞. Huius pulueris, cerebri aprugni ſiccati, ſandali rubri odoriferi. Mumiæ, Hæmatit. ana ℥ j. Demùm ℞. Vſneæ è cranio hominis violenter morte perempti, abraſæ lunâ creſcente, & in bona domo exiſtente, non Veneris ſi fieri poſſit, aut Saturni, ad pondus duarum auellanarum circiter: ex omnibus tritis, & inuicem mixtis cum adipe ſecundum artem vnguentum fiat in vitro clauſo, vel pixide, diligenter ad ſuos vſus reſeruandum. Iſte maximus impietatis, & nugacis impoſturæ Paracelſi author, poſtquam ingredientibus ſuperſtitioſis adimplet compoſitionem, vnguenti Armarij, vt ipſi Paracelſo, & dæmoni illius magiſtro, & ſuæ impietati fidem adſcribat in ignorantibus,ſimplicibuſque hominibus nouitatis inquiſitoribus, tanquam præuidens, iudicium quod de ſuis ineptiis cordati eſſent facturi, ſuperaddit, quòd hæc cura non eſt venefica,ſed facta per vim Magneticam medicamenti attractiuam, à ſideribus cauſatam; quæ mediante aere vulneri adducitur, & coniungitur, vt ſpiritualis operatio in effectum deducatur, & quod fit propter coniunctionem aſtralem,& elementalem, quòd tria cauſantur per hoc vnguentum, tam mirabilem effectum,ſympathia naturæ,influentia corporum cœleſtium,& balſamum,quod habet vim ſanandi. Tandem concludit quòd hoc vnguentum ſanat omnia vulnera, quocumque telo, ictu, iactu, cuicumque etiam ſeaui inflicta, & modo telum haberi poſſit,etiamſi patiens multis milliaribus à nobis abſit, telum debet vngi, quo homo vulneratus eſt, ſingulis diebus ſemel, ſi neceſſitas vrgeat, & vulnus ſit ingens, alioquin ſecundo vel tertio die, ſeruetur in mundo linteolo, & loco tepido, non nimis calido, ne damnum inferant parti: cauendum ne puluis cadat ſuper telum, nec ventus afflet in loco frigido, alioquin patiens ad inſaniam redigetur. Non eſt neceſſe conſuere vulnus, ſed linteolo mundo quotidie circumligare, made-

A facto vrinâ patientis: & aliæ innumeræ caeli i ino dignæ animaduerſiones proponuntur à Crollio: ſed impoſtores huiuſmodi homines potiùs eſſent deridendi, quàm oppugnandi, niſi nos doceret ſacra Pagina reſpondendum eſſe ſtultis, ut ſapientes iudicentur. Ab ipſo exordio exordium deſumamus Vnguentum Paracelſi diuerſum eſt, ab eo quod Crollius adducit: poſt hunc reliqui eius Sectatores variant in modo, in ingredientibus & in compoſitione, vnde errant in primo præſuppoſito, & fundamento virtutis Magneticæ. Secundo Crollius petit vſneam ex hominis cranio violenta morte perempti: ex quo patet futilis virtus vnguenti, quæritur enim in impietate mortis violentæ: quid ergo dat Deus B ob impiam violentiam mortis, virtutem ſanandi vulneris cranio hominis, quam priùs non habebat. Tertio quod luna creſcat dum abraditur, vt plurimum: Superaddit vigorem virentis lunæ quæ eſt humectare, hæc impedit vulneris curationem: quæ petit fieri exſiccando: ex coniunctione cum Venere: hac augetur virtus humectandi,quæ,vt dixi,eſt contraria: vt quid ergo talis vnio? Quarto ſi à ſideribus communicatur illa virtus vnguento, vt quid a Crollio neceſſaria iudicatur, ſi fatetur, quod illud balſamum illam habet naturaliter. Quinto omne agens habet limitatam ſphæram actiuitatis, & ideò nec vnguentum poſſet vltra illam operari: nec ſufficit, quòd illa virtus deferatur à mundi ſpiritu, nam ab ipſo omnium rerum virtutes poſſent ſine entibus C per mundum ferri, & calor ignis ſine ipſo in diſtans vltra ſphæram actiuitatis propriæ operari. Præterea vnguentum non fertur à mundi ſpiritu, nec ideò virtus eius ferri poteſt, quia hæc eſt accidens & hoc non migrat de ſubiecto in ſubiectum.

Prætereà hæc virtus curandi iudicatur propria paſſio huius vnguenti, & ſine illo nequit alteri communicari, quia propriæ paſſiones concomitantur formam cuius ſunt propriæ paſſiones Prǽterea ſi hæc virtus iudicatur poſſe ab ſpiritu delatore communicari per orbem, ab vnguento deferri poteſt ſine teli inunctione. Præterea ſi communicatur, &, vt ſupponit Crollius, recipitur ab Aſtris, ab eiſdem etiam communicabitur per ſpiritum delatorem, & Aſtra D curabunt omnia vulnera ſine vnguento. Præterrà ſi talis virtus defertur ab ſpiritu delatore mundi, ſi duo ſint homines vulnerati ſimul, vel vnus cum duobus vulneribus cauſatis à diuerſis telis, à virtute vnguenti delata ad vnum vulnus, curabitur vicinum vulnus, etiamſi illius telum non inungatur vnguento. Præterea ſpiritus delator mundi, aut eſt animal, quod operatur præcedente cognitione, & hoc deberet eſſe corporeum, quod nullus vnquam vidit, aut tetigit: vel eſt angelus, aut dæmon: ſi dæmon non ferret opem ægro, cuius intendit mortem ob hominum odium, ſi bonus angelus omnibus ferret auxilium vnguenti, & ſi non tangeretur inſtrumentum cum vnguento, ob beneficam eius natu- E ram in homines. Sextò, etſi vnguenti virtus feratur ad vulnus diſtans, virtus pulueris iniecti in illud non poteſt deferri vt ægrum delirantem reddat, & licet etiam puluis feratur; virtus nequit delirium cauſare, cum non habeat vim intemperandi cerebrum, & ſi ſit puluis rei frigidæ, potiùs temperaret cerebrum, & impediret delirium. Septimo ſi datur mundi ſpiritus delator virtutum rerum, ab eo trahetur ab Indis ſimplicium virtus, qua innumeri morbi curentur, ab hoc vnguenti mercurij virtus deferri poterit ſine vnguento ad morbum gallicum, & ipſum curare; ab hoc

cationem, ſed ad vitandam phyſicam coinquinationem, quæ non timeretur ob moralem repræſentationem, ſed ob phyſicam expurgationem, nec in rebus ita manifeſtis vtendum tali ſubterfugio: & ſi admittunt expurgationem impedientem ingredi templum in duratione ab Hippocrate determinata, cur moralitatem quærunt poſt illam ad tempus, in quo, licet minus frequenter, poſſibilis eſt expurgatio euacuationis.

Raphaël Moxius, hac relicta interpretatione, inuehitur in Valleſium, quia omni robore deſtitutus ad iactam confugit anchoram, quia profugus, inchoato prius bello, committit aliis victoriam, quam ipſe gloriatur ſe conſequutum fuiſſe, diuino flante ſpiritu, & conſequutio victoriæ ſtat in hoc, quòd iudicat valuiſſe componere vtraſque doctrinas dicendo, quòd Hippocratis doctrina eſt intelligenda de fœminis ſanis, quarum purgatio non excedit terminos ab Hippocrate aſſignatos, & quod ſacra Pagina non tantùm loquitur de termino euacuationis naturalis, ſed de termino morboſarum etiam euacuationum poſt partum; quæ poſſunt extendi vſque ad dies ab ipſa præfinitos Zacutus illi adhæret *tom. 1. lib. 3.*

Sed hæc decantata victoria, opinióque Moxij tanta acutie ab ipſò reperta, diuino flante Numine, vt ipſe fatur, Valleſióque denegata, mihi diſplicet: Tum quia deberet probare, quòd ſacra Pagina loquebatur de præternaturali euacuatione, quæ poſſet ſubſequi vſque in terminum ab ipſa præfixum; cum ipſe Valleſius contrarium determinauerit loco ab ipſo citato, dum dicit: *Ego itaque diuinam ſequutus authoritatem, eam quæ marem peperit, profluuio muliebri vocato, aut vllo alio morbo teneri hac ob cauſam non cenſeo.* Cum ergo ex ſacra Pagina deducat Valleſius, quòd loquitur de naturali euacuatione menſtruali, non de morboſa; fruſtra non conuicta hac opinione, in ſuppoſitione contrariæ fundat ſuam victoriam, & doctrinarum compoſitionem: Tum quia ſi, vt fatetur Moxius, purgatio puerperij, ex qua dicit ſacra Pagina, quòd puerpera ſit immunda, non poteſt perdurare, niſi per dies ab Hippocrate præfixos: ergo quæ ſubſequitur morboſa euacuatio, iam non eſt lochiorum, nec faciens immundam puerperam, nec impediens ingredi templum: Tum ſi non poteſt progredi lochiorum purgatio naturalis vltra terminum ab Hippocrate præfixum, ſequitur quòd euacuatio ſubſequuta, vt Valleſius aduertit, ſit alius morbus, vt profluuium muliebre, vel aliud ſimile, vt gonorrhæa, immodicus menſium fluxus, menſtrua corrupta, aut ſuppurata, aut alia præternaturalia euacuatio per vterum, quæ ſi illo tempore, iam finitis lochiis, impuras redderet mulieres, omni tempore redderet impuras, & omni tempore Leuitici lex illas impediret, templum ingredi: Tum quia ſi poſt terminos purgationis lochiorum deſignatos ab Hippocrate, deberent aſſignari alij dies à ſacra Pagina pro fœminis morboſè lochia patientibus; non eſt ratio cur quadrageſimus, & octuageſimus aſſignarentur, quia non eſt vnde præfiniri poſſit, quod ille morbus intra illos dies debeat finiri, & ſi vltra progreditur, idem inconueniens eſt, quominus mulier templum ingrediatur, & legem diuino Numine prolatam iudicaremus non prouidè reſpicere quominus templum inuiolatum permaneret, aut non coinquinatum: Tum quia lochia, vt patet ex definitione, quam adduximus, ſunt ſanguis, & purgamenta, quæ poſt partum excernuntur, quæ priùs fuerunt tempore prægnantiæ in vtero aggregata: ſi ergo hæc vt fatetur Moxius, in tempore ab Hippocrata conſignato expelluntur, quæ poſteà excernuntur morboſe, non ſunt lochia, nec impuram reddunt fœminam, quominus poſſit ingredi tabernaculum, quia Leuitici lex citata de ſola hac impuritate loquitur, non autem de omni impuritate proueniente à morbo, loquit enim *Mulier ſi concepto ſemine pepere, immunda erit.* En qualiter loquitur de ea, quæ fit in partu immunda, ratione expurgationis, non ratione alterius morbi, & ideò ſubſequenter immundas ex lepra cohibet ab ingreſſu in templum, & ab hominum commercio.

Ego verò & Hippocratis, & Leuitici doctrinas vtraſque vt veras recipio, nec inter ſe repugnantes. Quia Hippocrates & tanquam Medicus, & tanquam Philoſophus doctrinalem proponit ſententiam, ad cuius veritatem ſufficit, quòd regulariter, & vt plurimùm ſic contingat: tales enim ſunt Aphoriſticæ eius ſententiæ, & ferè omnes quas nobis proponit: nec aliter hæc ſaluari poſſet intra illius doctrinam: ſuperaddit enim: *Vacauerit autem periculo ſi in viginti quinque diebus purgetur in fœmella, & in viro ſi intra viginti dies:* & Ariſtoteles 7. *de hiſtor. animal.* inquit, *A partu etiam purgationes eodem numero dierum conſequi volunt, quamquàm non æque ita diligenter eueniunt:* Si ergo ipſe Hippocrates alios proponit purgationis ſecutos terminos, & Ariſtoteles ipſos varios eſſe fatetur, conſtat quòd quadrageſimum ſecundum in fœmellis, & trigeſimum in pueris conſignat ſolùm doctrinaliter verum, quia vtplurimùm ſic contingit: Nec poteſt euidenter præfinitus terminus poni pro omnibus fœminis, quia vt vidimus Hippocrates hunc terminum deducit ex quadam quaſi analogia, quæ eſt inter terminum conformationis, & terminum expurgationis: conformatio autem vt tenet ipſe Hippocrates *lib de diæta num. 10. Non in æquali temporis ſpatio omnes fœtus exornantur, ſed alij citiùs, alij tardiùs prout ſi gulis & ignem, & alimentum fuerint nacti.* Quæ doctrina licet ab aliquibus germina Hippocratis non iudicetur, veritate ab ipſo adducta conuincitur, quia calor, aut conformatrix perfectior in vna, ac alia poteſt reperiri, & alimentum ſeu materia ſeminis, quia aptior, poteſt coaduuare, vt citiùs, aut tardiùs formetur fœtus. Si ergo à conformatione deſumit Hippocrates computationem temporis, quo fit lochiorum purgatio, adhuc ſi hoc principium ſit verum, ex ſua doctrina non poteſt deducere neceſſariò, & infallibiliter, quod terminus purgationis lochiorum ab ipſo conſignatus ſit neceſſarius, ſed quòd vt plurimùm ſit verus, & eius computatio doctrinalis, cum qua compatitur quod breuiori tempore poſſit præfiniri, ſine fœminarum incommodo, & ſimiliter longiori tempore.

Cum quo compatitur, quod licèt vtplurimùm in trigeſimo die in enixu pueri, & in quadrageſimo ſecundo in enixu fœmellæ, vtplurimùm terminetur lochiorum euacuatio naturalis, poterit tamen in aliquibus vltra progredi vſque ad terminum lege Leuitici determinatum, vt puerperæ non ingrederentur templum, quod ex ipſamet conuincitur lege: fruſtra enim Moyſes prohiberet enixam in templum ingredi vſque ad illos dies, niſi diuinitus inſtructus ſciret poſſe aliquas vſque ad illos habere lochia, ex illis conſpurcari, & templum coinquinare; ad quod vitandum lex Leuitici non determinat tempus ad quod vtplurimum contingit extendi purgationem, ſed illud, ad quod poſſibile eſt poſſe peruenire. Vnde conuatitur Hippocratis præceptum Phyſicum & doctrinale, cum cognitione infallibili diuinâ demonſtrante poſſibilem terminum euacuationis, licet rariſſimum, intra quem nefas

fuiſſet

fuiſſet cum poſſibili periculo coinquinandi templum, ad ipſum adire ; quantumcumque contingat pleraſque enixas non progredi in expurgatione lochiorum vltra terminos ab Hippocrate præfixos.

§. VI.

Deducimus ex dictis, nutricis Principis ſubſequutam purgationem non impedire progredi in lactatione.

DEducitur ex dictis, quòd parua menſtrualis euacuatio nutrici ſuperueniens poſt quinquageſimum diem non impedit lactationem. Primò ſic demonſtrauit euentus in caſu propoſito ; non enim progreſſa fuit vlterius, ex quo conſtitit non fuiſſe menſtruam purgationem, quæ ſuperueniret copioſa ; non mutatus Princeps à naturalibus actionibus, imò in cunctis in melius ſe habuit, ſine aliqua immutatione, quâ non careret in menſtruis ſuperuenientibus : Tum quia lochia non immutant ſanguinem venarum, nec conſpurcant eum ex quo generatur lac : non enim ex venis ab eius ſeparantur commixtione, ſed ab vtero egrediuntur, in quo tempore prægnantiæ fuerant aſſeruata : Tum quia deſcendit illa euacuatio intra præfixos ſibi terminos, non à cauſa morboſa, ſed ex naturæ præſcripto ordine, quæ eius, quod aggregatur tempore partus, & ſuperfluit, tentat euacuationem : Tum quia menſtrua niſi nutrix malè ſe habeat petunt tempore lactationis ſupprimi, lochia in primis diebus à natura conſtitutis exigunt euacuari, & nequiret aliqua nutrix proſequi lactationem, ſi toto illo tempore abſtineret à lactatione ; vnde prouida natura non debuit in illo habere euacuationem impedientem lactationem : Tum quia ex Hippocrate, & Ariſtotele, menſtrualis euacuatio timetur in lactantibus, quia ſimul ex eiſdem vaſis tentat Natura duos contrarios motus humorum ad mammas, & ad vterum : in euacuatione verò lochiali poſt tam longum tempus, & in tam paruâ quantitate non fit duplex motus ex eiſdem humoribus, ſed ex venis mittitur ſanguis pro lacte, ex aceruatis lochiis in vtero, fit euacuatio lochiorum, in quo erant recondita vſque ad ſui euacuationem. Nec parua illa quantitas quidquam mouere valet, nec conturbare, moleſtiámque inducere, nutricémve debilitare : nec conſequenter aliquam inducet noxam ratione cuius cogeremur mutare illam, nouámque eligere inexpertam, & dubiam, præcipuè cum ſæpe experiamus nutricis vtcumque bonis conditionibus exornatæ lac non omnino adaptari infanti nutriendo : cuius cauſa inexpertum lac, etſi optimum appareat, ſemper cum præmeditatione admittendum.

✠✠✠✠✠:✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Consvltatio Decima.

De vteri geſtatione vltra duos annos cum variis accidentibus.

CONTINET

§. I.

Proponuntur accidentia, geſtationis tempus, & conſulendi occaſio.

§. II.

Vteri geſtationis variæ proponuntur ſortes.

§. III.

An mola carnoſa fieri petat ex ſemine virili?

§. IV.

Nullum eſt euidens ſignum manifeſtans naturalem genituram in vtero.

§. V.

Ex quibus ſignis coniectabamur excellentiſſimæ fœminæ geſtationem non eſſe naturalem.

§. VI.

De monſtruoſis ex vtroque ſemine genitis animalibus, qualis fuerit haſitatio.

§. VII.

An geſtatio ex ſolo ſemine fœmineo perſtiterit in hac fœmina?

§. VIII.

Inter geſtationes vteri, quæ ex ſemine non fiunt, recipitur vteri geſtatio huius fœminæ, & ſub qua illarum, determinatur.

✠✠✠✠✠✠✠:✠✠✠✠✠✠✠✠

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Proponuntur accidentia, geſtationis tempus, & conſulendi occaſio.

EXcellentiſſima Domina, quæ vxorata per plures annos non concepit, optima fruebatur ſalute, mẽſtrua rectè fluebant, appetens filios, exorauit à Domino, auxilia coadiuuantia expectauit à Medicis, confugit, vt moris eſt, ad mulierculas, & Empiricos : fertur ex horum conſenſu deuoraſſe hirundinem pullum. Non dubium quod cœpit venter intumeſcere, ita vt intra paucos menſes plurium menſium adæquaret tumorem, qui increſcens peruenit ferè vſque ad trigeſimum menſem, menſtrua fluebant ordine, ſentiebat plurimos, ac vehementiſſimos in ventre motus per interualla inuoluntarios, ſi manu venter comprimebatur, manus retrò pellebatur violenter, motus fiebat verſus omnes differentias ventris, ſpectabatur partus adhuc poſt biennium, quia ſigna vitalis partus apparebant in tumore, & motu, & bona fœminæ valetudine, & quia ſerotini alij partus proponebantur illi. Spreta iam ſpe, circa tertium geſtationis annum acceſſiti fuimus, vt noſtram cum aliis aperiremus ſententiam circa hanc vteri geſtationem, ad imminuendos flatus vſi ſumus variis purgantibus auxiliis, ſimul & reſoluentibus, quibus ventris tumor cedebat non parum, & motus minus violenti apparebant, quo tempore lethali ſuperueniente dyſenteria,

ægra in ſeptimo die à morbo hoc vitam cum morte commutauit.

§. II.

Vteri geſtationis variæ proponuntur ſortes.

PRo ſpeciei humanæ conſeruatione fuit in fœminis neceſſarius vterus locus excipiendo, concipiendo, nutriendóque ſemini aptus, vocatur vterus, vas fœtum conſeruans, mater, matrix. Plinius vocat vtriculum, Ariſtoteles membrum ſeruile, éſtque (vt inquit Andræas Laurentius *lib.7. Anatomi.c.*11.) Matrix nobiliſſima, ac propemodum diuina fauilla, ex qua naturæ theſauri reconditi depromuntur, ſeu eſt veluti campus, & hortus feraciſſimus excipiendo virili & fœmineo ſemini ad ſobolis propagationem comparatus, ſimúlque & eſt locus à natura deſtinatus, vt confluant ad ipſum ſuperflui ſucci, qui continuò ſuperfluunt in fœminis ob earum naturam.

Hinc contingit, quòd variæ in ipſo procreentur ſubſtantiæ, quæ dum tempore augentur & ab ipſo concreantur, aut fouentur, ipſius dicuntur geſtationes. Harum aliæ ex ſemine, & ab ipſo ſemine fiunt; aliæ ex aliis præternaturalibus cauſis. Quæ ab ipſo fouentur ex ſemine factæ, aut fiunt iuxta naturæ finem, & ex ordine illius, & dicuntur impregnationes, naturaliſve conceptus. Aliæ aberrant à debito fine, quæ a Barbaris omnes dicuntur Molæ, monſtra vocarunt alij, ſeu conceptus monſtruoſus: Nos vocabimus vteri præternaturales geſtationes, quia aliqua horum conceptus nequeunt dici, licet omnia in vtero geſtentur. Multipliciter contingit fieri vteri huiuſmodi geſtationes, vel ex ſemine, vel ex aliis præternaturalibus cauſis. Quæ fiunt monſtrica ex ſemine, fiunt multipliciter. Primo modo dum fœtus habet mutatam alicuius partis conformationem, vt gentes quæ in medio frontis habent vnicum oculum. Secundo modo dum corpora recedunt à mediocritate, magnitudine, aut paruitate, vt Gigantes, & Pumiliones. Tertio dum deficit in fœtu aliquod membrum, aut ſuperabundat, vt in illis qui plura brachia manus, aut digitos habent, aut pauciora, quàm naturalia. Quarto dum fœtus completur ex humanis membris ſimul cùm membris aliorum animalium. Quinto dum id quod generatur, alterius eſt ſpeciei diſtinctæ, vel completur ex membris animalium aliarum ſpecierum; quorum variæ hiſtoriæ, & icones reperiuntur apud Paræum, & alios ſcriptores, præcipuè apud Vliſſem Aldrouandum tomo de monſtris.

Geſtationes verò vteri, quæ ſine vi ſeminis fiunt, & à morboſis procreantur cauſis, aliæ ſunt ſubſtantiæ non omnino diſſimiles in eſſe viuentis, ſed diſſimiles in gradu vitæ, vt molæ carnoſæ, quæ ad ſenſitiuum non peruenirunt gradum vitæ. Aliæ ſunt ſubſtantiæ in gradu vitæ omnino diſſimiles, à præternaturalibus cauſis genitæ: has geſtationes Græci falſas grauidationes vocarunt, Arabes molam non veram, quarum meminit Hippocrates *lib. de morb. mulier. & lib. de natura pueri.* ſic illas deſcribens, *Et putant ſe in ventre habere, & videntur ſibi mulieres concepiſſe, & non conceperunt: tunc enim fit, cum fœmina viro carens menſes ſupprimuntur, venter intumeſcit, accidentiaque vera grauidationis ſimillima accidunt; tamen nihil vitæ particeps in vtero efficitur.*

§. III.

An mola carnoſa fieri petat ex ſemine virili?

MOla inter geſtationes vteri præternaturales reponitur, nondum tamen conſtat an ſit ponenda inter monſtruoſas, quæ petunt fieri ex ſemine; an inter falſas grauidationes, quæ à præternaturalibus fiunt cauſis ſine ſeminis vi; an verò media debeat dici, quæ ſeminis virilis vi non indigeat, ex ſemine tamen petat fieri muliebri, nec ſolam materiam, ſed vim actiuam præſtante.

Eruditiſſimus Zachias *tom. 1. quæſt. Medico-legal. lib.1.tit.3. quæſt.*6. duas proponit opiniones, alteram aſſerentium molam ſine viri ſemine non poſſe generari; alteram ex ſemine fœminæ ſolius poſſe generari affirmantium; & vtriuſque proponit aſſertores. Indigere molam virili ſemine tenet Hippocrates, qui protulit fieri ex pauco ſemine virili, cum multo ſanguine menſtruo, tenet Galenus *lib.*14 *de vſu part. cap.*10. molam neminem vidiſſe ſine vſu viri. Ariſtoteles *lib.*10 *de hiſtor. animal.* idem fatetur, illis adhærent Actuarius *lib.* 1. *method. medend. cap.*22. Fernelius *lib.7. phyſiolog. cap.*8. *lib.6. patholog. cap.*5. Montanus *de affect. vterin. in principio.* Amatus Luſitanus *cent.4. curat.*36. Cordæus *in princip. de morb. vulg.* Hollerius *de morb. internis lib.*1 *cap.*16. Duretus *in ſchol.* Maſſaria *lib.4. pract. cap.* 8. & *in prælect. de morb. mulier. cap* 8. Riolanus *in method. partit. ſect.4. tract.2. cap.*9. Ruff. *lib.*5. *de hominis conceptu, cap.*1. Capiuaccius *in Practica lib.4. cap.*7. Vidus Vidius iunior *libr.*11. *cap.*20 Rondeletius *lib.2. cap* 67. Hucher. *de ſterilitate lib.3. cap. de mola.* Piſo *de cognoſc. & curand. morb. lib.3. cap.*53. Paræus *lib.*23. *cap.*33. Altomar. *cap.*112. Zotoaſt. Tinelli, *conſil.*51. Cordæus *libr.2. cap.*3. Laurentius *Anat.lib.8. quæſt.*13. Saxonia *lib.4. pract. cap.*30. Platerus *tract.3. cap.*3. Zechius *libr.1. conſult.*86. Caſtro *lib. 3 de morb mulier cap* 7. Nincel *in Analog. Microc. ad Microc. lib.*10. *Probl.*8.

Sed geſtationem molæ fieri ſine ſemine viri tenent Auicenna *fen.*21. 3. *tract.2. cap.*18. Gordonius *part.7. cap.*18. Valeſcus *in Philonio lib 6 cap* 15. Pedemont. *in additis ad Meſuer Pract. ſumma 4. capit.*15. Scaliger *comm. lib.*10. *de hiſtor. anim. text.*43. Lemnius *de occult. naturæ miracul. lib. 4. cap.*25. Rueſſus *de morb. mulier. cap.* 7. Bonaciolus *in Ennead. mulier. cap.*5. Valleſ. *lib.2. controuerſ. Medicar. cap* 7. Marcellus Donatus *hiſtor. mirab. lib.4 cap.*25. Valleſ. *lib.2. controuerſ cap.*25. Fuchſius *lib.3 pract. cap.*28. Padilas *lib.1. cap.*58. Marinellus *de medicina mulier. libr.2. cap* 26. Conticiele *lib.3. cap.37. pract.* Mercurius *lib.1. de nutrice cap.*41. Inter admittentes contrariam opinionem probabiliorem, hanc probabilem admittunt Actuarius iam citatus. Alexander Benedictus *lib.*25. *cap.*34. Camillus Rauen. *in meth. rational. capit. de mola.* Tautel. *in comm. lib.3. Breuiar.* Arnaldus *cap.* 5. Santa-Cruz *de ſacra Philoſ. text.*75. Peramatus *in appendice de hominis procreat.* Epiphanius Ferdinandus *lib.2. theorem.* 58. Muxius *in meth. curand. mulier. per genera ſect. lib.2. cap.*29.

Ego vero iudico, quòd mola eſt ponenda inter vteri geſtationes, quæ non petunt fieri ex virili ſemine, nequeunt tamen ſine ſeminis fœminei vi fieri: ſic Gordonius *lib. Praxis cap.*18. dicit molam fieri cùm multitudo ſeminis calidi currit ad matricem cum carentia ſeminis virilis: Marcellus Donatus comprobat ex hiſtoria honeſtæ matronæ, quæ plures molas generauit ſine virili ſemine, hoc non requirit

ad

ad molæ generationem: Iulius Cæſar, Scaliger *ad text. 43. lib. 10. de hiſtor. animal.* ex Feſto Pompeio confirmat virgines molas generaſſe. Ex quibus conſtat non requiri virile ſemen, pro illarum generatione: Sauanarola *cap. de mola*, deducit hanc doctrinam ex Auicenna *cap. 10. de animal.* Plinius *lib. 10. cap. 64. natur. hiſtor.* inquit, Molas gigni putant vbi mulier non ex mare, verùm ex ſemetipſa tantùm conceperit, ideò nec animari, quia non ſit ex duobus, altricemque habere per ſe vitam illam, quæ ſatis, arboribúſque contingit. Nicolaus Rocheus *de morb. mulier. cura d. cap. 7.* fieri molam, inquit, ex ſeminis mulieris, & plurimi ſanguinis menſtrui in vtero retentione. Marcellus Donatus de mola, ſenſu & motu carente, inquit, quòd fit ſine viri ſeminis concurſu: at verò, quòd ea quæ ſit cum ſenſu, & motu fit ex ſemine viri.

Conſtat noſtræ opinionis ratio exinde, quòd cùm conceptio ex Galeno *lib. de ſemine* ſit virilis ſeminis in vteris mulierum ad infantis generationem comprehenſio, non mola, ſed naturalis fœtus fieret, ſi vterque concurreret, vt Hippocrates tenet *libr. de natura pueri*, & Galenus *lib. 2. de ſemine cap. 4.* Reſtat ergo, quòd mola nequeat fieri ex vtroque ſemine. Nec ſufficit dicere cum Hippocrate, quòd ex vitiato ſemine viri fiat mola, quia ex vtroque ſemine naturaliter fit animal ſaltem, etſi vitiatum fuerit, tametſi hoc fiat monſtruoſum, dum autem fit viuens non ſenſitiuum, vt mola, eſt argumentum, quod deficit ſemen virile, quia fœmineum, vt inquit Galenus, vt generet anima, principium motus à virili deſiderat, vnde ex fœmineo imperfecta virilitas vegetatiua tantum oriri poteſt, quæ adhuc ſi imperfecta entit. s vegetatiua ſit, ſine aliquo ſemine neutiquam fieri poteſt in ordine generationum per ſe, niſi per accidens fiat à cauſa vniuerſali, vt mures, & alia ſimilia contingit fieri. Vnde Valleriola, *lib. obſeruat.* benè infert *obſeruat. 10.* Loyſonam conglobatam membranam generaſſe ex ſolo muliebri ſemine, deficiente virili, à quo illud deberet foueri pro animali generando, ſicut fouetur mola ex ſolo fœmineo, quia licèt natura ex Ariſtotele *lib. 1. de cœlo*, nihil fruſtra efficiat, & fruſtra videatur molam generari, & licet natura non intendat operari diminutè, aut ſuperfluè ex Galeno *libr. 16. de vſu part. capit. 9.* tamen ſemine fœmineo ſemel eiaculato, melius eſt aliquid omnino, quàm prorſus nihil efficere, & cum deficiat commune principium ad perfectum fœtum, efficit natura poſſibile reſpectu ſeminis fœminei, & producit ſaltem vegetatiuum ens, quia natura vt ſic operatur perfectius, quod iuxta materiæ aptitudinem, & vim ſeminis operari poteſt. Ideò Fernelius *libr. 7. de procreat. hominis cap. 1.* dicit fœminam ſine viro molam producere ex ſe ipſa; ſicut gallina ſine gallo generat oua ſubuentanea, licet aliter ſentiat *libr. 6. de part. morb. & ſymptom. capite 5.* Plutarchus incidit in hanc opinionem, ſic conuictus.

Præterea patet hæc doctrina, quia ſi viri ſemen eſſet neceſſarium pro molæ generatione, vel tanquam principium actiuum, & hoc non, quia ſimul cum principio actiuo ſeminis materni fieret animal ſenſitiuum, quod eſt terminus actionis generatiuæ perfectæ, & completæ, cuius eſt adæquatum principium virtus generandi in vtroque ſemine reperta: nec requiritur, vt ſit principium paſſiuum, quia vt tale præſtaret materiam pro efformandis partibus ſeminalibus, quales ſunt oſſa, arteriæ, nerui, quæ cum in mola non reperiantur,

A præſtant indicium manifeſtum, quòd non fiunt ex viri ſemine, ſed ex imperfectiori alio, quale eſt fœmineum; de quo dicit Galenus *libr. 2. de ſemine*, & *4. de vſu part.* quòd ſolum præſtat materiam, vt ex eo membrana inteſtinalis generetur, & vt ſit virilis ſeminis quaſi alimentum. Cum igitur virile ſemen præſtet materiam pro partibus ſeminalibus, molam carentem illis, ex ipſo non generari conſtat. Nec ſufficit dicere, quòd ad molam concurrit virile ſemen morboſum, quia ex illo fierent ſaltem partes ſpermaticæ morboſæ, & fierent monſtruoſæ conceptiones vita animalis fruentes, principio illo vitali ſenſitiuo correſpondentes, tanquam neceſſarius terminus ſuæ actiuitatis. Nec contrarium contendit Galenus 14. *de vſu par.*

B *capite ſeptimo*, docens, quòd in maris ſemine eſt omne principium formationis, quia loquitur de formatione per ſe intenta à Natura, qualis eſt hominis generatio reſpectu ſeminis virilis, non verò de generatione imperfecta, & quam natura intendit, vt diximus, non vt aſſequatur extremum finem, ſed ne omnino aberret ab illo: tunc enim intendit potiùs aliquod imperfectum, quàm omnino nihil efficere.

Conſtat ex dictis fœmineum ſemen, eſſe principium actiuum ſui ſimilis productiuum, ſed imperfectum: ita vt niſi virili ſemine fiat validum, nequeat ſimile in ſpecie producere, benè tamen aliquod imperfectum viuens vegetatiuum, quale eſt

C mola. Sed non conſtat quare mulieres viduæ & omnes virgines aptæ ad nubendum non generent molas, cum habeant fœmineum prolificum ſemen, à quo generari diximus, & ſimul menſtruum ſanguinem, quod eſt materiale etiam earum. Varias Authores reddere conantur rationes. Zachias aliquas proponit: Mihi videtur, quòd ratio deducenda eſt ex doctrina doctiſſimi Andreæ Laurentij, qui *lib. 7. hiſtoriæ anatomicæ, cap. 9.* adinuenit quòd duo vaſa eiaculantia dicta, per quæ in mulieribus fertur ſemen à vaſis præparantibus ad vterum, non, vt alij indicant Anatomici in vteri cornua obliterantur, ſed duos veluti in ramos dirempta, altero ampliori, ſed breuiori in latera vteri cornua dicta

D feruntur; altero anguſtiori, ſed longiori per latera vterini corporis inter membranas excurrentes ad finem oſſi interni, vel principium ceruicis deſinunt: illo ſemen in vteri fundum eiaculantur mulieres: hoc verò dum conceptione facta contractus eſt vterus, conniuentque exquiſitè eius oſcula, ſemen in ceruicem effundunt. Ex qua doctrina deduco, quòd ſemen muliebre, per quas vias extra vterum eiaculatur, dum viro gerunt, per eaſdem eiaculatur continuò, dum ſine viro ſemen emittunt mulieres: dum enim cocunt auiditate attrahendi ſemen virile, attrahit etiam vterus proprium ſemen, quod à fœmina in illo actu eiaculatur; nec illud à quo putrefacto fiunt hyſtericæ affectiones, eſt intra cauitatem vteri, ſed intra cornua retentum. Poteſt tamen con-

E tingere in aliquibus, quòd tanta ſit auiditas, vt vterus ſuum prolacter ſemen ſine coïtu, & tunc fiet mola; conante natura ex illo principio actiuo cum ſanguine menſtruo potiùs aliquid licet imperfectum generare, quàm nihil. Zachias implicatur, vt dixi, in alijs ſolutionibus non nimis concludentibus. Concludit tamen efficaciùs, quòd ſi in alijs animalibus valet ſe ſola fœmina imperfectos producere fœtus ſine maris concurſu valebit etiam mulier cum proprio ſemine, de alijs enim animantibus non dubitarunt Authores ab illo recenſiti. Varro *de re ruſtica*

A *lib.2.cap.*1. Plinius *natur. hiſtor.lib.*8. *cap.*42. Virgil. 3. *Georg.* Solinus *de ſitu orbis*, *lib.*3. *cap.*26. & 56. Columella *de re ruſtica lib.*6. *cap* 27. Auicenna quem ſequitur Albertus Magnus 6. *de animalib. tractat.*3. *cap.*2. Geſnerus *in hiſtor. animal. lib.*1. *c.de equo.* Albertus Vuoton. *lib.*5. *de differ. animal.* iudicant equas abſque mare concipere ſaltem debiles fœtus. Plura Carranza de iis de refert, & Aldroandus, quæ ſi non ſunt communiter recepta, de ouiparis negari non poſſunt.

§. IV.

Nullum eſt euidens ſignum manifeſtans naturalem genituram in vtero.

B IN dubia hac conſultatione optabant ſcire? An prægnantiæ naturalis eſſent manifeſta ſigna. Inter Iuris Profeſſores Cagnolus & Ginba affirmatiuam tenent partem, & inter Medicos Cagnatus, Fernelius, Valandæus, & Ioelius illis adhærent, fulti rationibus intra opuſcula, quas refutant Zachias *tom* 1 *lib.*1.*tit.*3 *quæſt.*1. & Zacutus *tom.*1 *lib.*3. *quæſt.* 28. adhærentes Vallerio *in lib.*4 *Epidem text.* 49. Andreæ Laurentio *lib.*8. Anat. *cap.*4 Sanctorius *libr.*1. *de vita d. erroribus*, *cap.*18. Fortun. Fidea. 3. *de relat. Medicina cap.*4. Mercur. *lib.*1 *cap.*10. Codronchus, *in method. teſtifica. de cap.*12. qui ſequitur ſunt Auenzoar *lib.*2. *Theizir*, *tract.* 3. *cap.*1 qui vxori exhibuit medicinam ſolutiuam fortem, ignorans quòd eſſet grauida; & Auicennam 21. *tract.* 3. *cap.*8. C Rhaſim *lib.*9. *ad Almanſ. cap.* 39. Matthæum Gradium *in comm.* Valleriolam. 1. *obſeruat.*1. & 10. Foreſtum *lib.*26. *de morb. mulier.* Amatum 1. *centur.* 27. Fatentes verum grauidationem nullis poſſe euidentibus conuinci ſignis. Licet enim dum mulier in coitu maiorem ſentit delectationem & ſeminis ſuctum, & vir ſentit ſuctionem, & obſeruat mulier retentum fuiſſe ſemen, & quod ipſa perhorreſcit cum leui dolore circa vmbilicum, & ſuperueniat coitus faſtidium, & hæc præſtent conceptionis indicia: & licet ſibi faſtidium, pigritia, appetitus prauorum ciborum, nauſea, vomitus, malacia, prauus color, menſtruorum mutatio, aut defectus, lumborum, ac tenuum dolor, vrinæ niſus, ac moleſtia, ſoleant contemptum fœtum indicare; & licet magis pallidus color faciei, ac extenuatio, maculæ in facie, oculorum contractio, & albi in liuidum colorem eorum mutatio, & ſuperueniens mammarum dolor, & tumefactio, arteriarum iuguli in exercitio pulſatio, pupillarum denigratio, aut circulus liuidus in illis, licet venter intumeſcat, ventriculus infeſtetur, fiat oris amaritudo, aut fiat ſaliuoſum, cibi auidius appetantur, licet tumor increſcat ventris, ſit mollis, & alia complura appareant prægnantiæ indicia propoſita à Medicis: hæc omnia non ſunt infallibilia, nam poſt prima, poteſt non amplecti, aut foueri ſemen, reliqua ex retentis prouenium menſtruis, & horum retentio ab aliis multis, ac diuerſis præternaturalibus cauſis. Contingunt etiam hæc ſigna in falſis grauidationibus, & in prægnantiis monſtruoſis, ſeu in quibus diuerſa ſpecie geſtantur animalia. Vnde ex illis non deducitur demonſtratio infallibilis naturalis prægnantiæ, ſed vt plurimùm probabilis opinio, quæ cum fallax, peritiſſimos plerumque fallit medicos, vt probat Sanctorius *lib* 1. *methodi de vita d. erroribus.* Vnde nos nec certam in hac re promiſimus reſponſionem ad rem incertam, vt Zachias, & Zacutus latiſſime demonſtrant.

Ex nullis enim ſignis, quæ contrariè opinantes tanquam infallibilia proponunt, id conuincitur. Nam A licet venter ſit tumoroſus, ex quo probauit Sacra Pagina prægnantiam naturalem Thamar, non poſſemus conuinci, cùm omnis falſa grauidatio, & præternaturalis geſtatio hoc habeant ſignum: & in hac prægnante vltra modum tumoroſus venter potiùs contrarium ſuadebat. Nec lac in mammis eſt euidens prægnantiæ naturalis ſignum: Hippocrates enim in virginibus poſſe dari affirmat, 5. *aphor.*39. *Similiter*, inquit, *quæ lac in mammis habet, neque grauida eſt, nec peperit, huic menſtrua defecerunt*: quod in eis contingere poteſt, quod Auicenna confirmat 21. 3. *capit.* 13. prætereàquam quòd & in viris lac in mammis poſſe generari comprobat Zachias ex Ariſtotele *lib.*1 *de hiſtor. animal. cap.*12 & *lib.*3. *capit.*20. Auicenna 11. 3. *cap.*3. Mercurial. *de morb.* B *mulier. lib.* 3. *capite* 1. Siluat. *contrad. Medic.* 69. & Schenkios confirmat exemplis. Nec motus in vtero præſtabat euidens prægnantiæ naturalis indicium, ob violentiam, ex qua ſuſpecta fiebat naturalis prægnantia, & quia in falſis reperitur grauidationibus vt docuit Hippocrates *lib.*2 *de morb mulier.* §. *Quæcumque in vtero ſe concepiſſe putant, & non conceperunt, & per multos menſes falluntur, menſtruis purgationibus non apparentibus, & ventres augeri, & moueri vident.* Nec Hippocratis communia indicia conuincunt prægnantiam naturalem ex *lib. de ſterilibus*: aut ex aphoriſticis ſententiis, aut *lib. de genitura*: nec adducta ex Auicenna 21. 3. *tract.*1. *cap.*13. ex Aetio *tetrabili* 4. *ſermon.*4. *cap* 48. nec ex Rhaſi C 22. *co tinentis*, *tract.*6. *cap.*1. nec ex Martinello *lib. de med cam. mulier. cap.*2. nec ex Mercuriali *libr.* 1. *de morb. mulier.* nec ex Mercato *libr.* 3. *de morb. mulier*, *cap* 6. nec ex Zacuto *tom.*1. *lib.*3. *q.*28 quia vt ex ipſis conſtat, & ex Hippocratis commentatoribus, plerumque fallunt, cùm ex oppoſitis præternaturalibus cauſis hæc ſuperueniant ſigna & experimenta propoſita, & quibus aliqui vti ſolent, periculoſa ſint, & quæ, vt tenent Zachias, & Codronchius, nequeunt, ſine periculo experiri: Mulſa enim ab Hippocrate propoſita ex ipſo *de rat. victus*, menſtrua prouocat, & ideò poſſet prouocare abortum, ſicut ab aliis recenſita Ariſtolochia, & Galbanum, non minoris ſunt incommodi.

D

§. V.

Ex quibus ſignis coniectabamur excellentiſſimæ fœminæ geſtationem non eſſe prægnantiam naturalem.

CVm ſigna prægnantiæ naturalis non poſſent infallibiliter nos deducere in ſui cognitionem, nec ab illa nos in totum auertere, coincidebant duo ex quibus dubitare cœpimus, & conuicti ſumus ad credendum, quòd enarrata vteri geſtatio non eſſet naturalis prægnantia. Alterum erat duratio in tertium ferè annum. Alterum, violentus geſtationis motus, quæ cœpimus examinare. De duratione fœtus E in vtero nulla ferè videbatur ratio nos conuincens, quia latiſſima eſt commenſuratio temporum, intra quæ partus poteſt eſſe naturalis, vt congerit Schenkius *in ſuis obſeruationibus.* Bonauentura *de octimeſtri, partu* & Carranza *de partu naturali.* Menſe quinto partum fuiſſe vitalem, obſeruarunt Montius *Anaſceuo morbor. lib.*4. *cap* 41. Cardanus *contradict.* 8. *tract.*3. *lib.*1. Mena *comment. ad cap.*4. *de ſeptimeſtri partu.* Valleſios *in ſacra philoſ. cap.*18. Vitales fuiſſe in ſexto menſe obſeruarunt Auicenna *lib* 6. *de natura animal.* Cardanus *lib.* 8. *contradict. tract.* 3 *cap.*1. Hippocrates vitales partus dari in ſeptimo menſe

docet, & confirmat experientia, ſicut in nono, decimo, & vndecimo. De octauo menſe aſſerit Hippocrates *lib. de carnibus*, quòd nulli in ipſo poſſunt dari partus vitales, ipſos tamen vidit Plinius *lib. 7. natur. hiſtor. c. 5.* Gellius *lib. 3. cap. 16.* Marſilius Ficinus *lib. 3. de vita cœlitus comparanda*, Cardanus *lib. 1. tract. 5. contradict.* 8. & Riolanus, ac Fracaſtorius *in lib. de ſeptim. partu*. In menſe decimo quarto vitalem fœtum firmat Ariſtoteles poſſe reperiri *lib. 7. de hiſtor. animal. cap. 5.* De quinto decimo menſe natis idem confirmat Plinius *lib. 7. cap. 5.* Auicenna *lib. 9. de animal.* Alexander Benedictus *lib. 25. cap. 23.* Paſchalis Gallus obſeruauit fœtum in vtero geſtatum per viginti menſes, vitalem euaſiſſe. Albertinus idem affirmat de fœtu geſtato in vtero per duos annos. Schenkius ex relatione Sigiſmundi Schinzeri obſeruat alterum fuiſſe vitalem geſtatum per tres annos in vtero, & ex Mercuriali alium geſtatum eſſe per quatuor annos. Ex quibus videbatur poſſibile quòd poſſet hæc fœmina adhuc vitalem ſpectare partum, ſed ex eis, quæ tam raiò, & vltra naturæ metas contingunt, non poteſt aliquid promitti, niſi ad fallendam ſpem. Hinc nobis diruebat alterum ſignum propoſitum, ſcilicet motus violentus vltra modum, qui adhuc intra primos menſes valuit incertam promittere prægnantiæ naturalis ſpem.

§. VI.

De monſtruoſis ex ſemine vtroque genitis animalibus, qualis fuerit haſitatio.

CVm nec certis ſignis poſſemus prægnantiam naturalem eſſe aſſumare, & ex probabilibus conuicti eſſemus ad iudicandum eſſe geſtationem vteri præternaturalem, reſtabat determinare qualis hæc fuiſſet: diximus enim quòd eſt multiplex; alia ex eis quæ ex vtroque generantur ſemine, alia quæ ex ſolo fœminino, aut ex nullo: determinabimus nunc an ſit geſtatio monſtruoſa ex eis, quæ vtroque fiunt ſemine: & in primis coniectabamus nullum eſſe ex monſtris, quæ ſub ſpecie humana continentur: hæc enim ſequuntur modum naturalis prægnantiæ, & eiſdem rationibus, quibus illa excluditur, debent excludi. Poſſet tamen eſſe dubitatio an fœminæ huius geſtatio eſſet alicuius animalis ſpecie diſtincti, in vtero geniti; ſunt enim varia animalium monſtra, & genera, quæ in vtero mulieris generari poſſunt, quæ ſolent ab aliquibus vocari Molæ viuentes, ſeu vitales, præcipuè ab Schenkio *lib. 4. obſeru.* qui in vtero generari moles vitales, pecorum, feram, belluam, aquilam, accipitrem, bufonem, talpas, ranas, echinos, lepuſculos, feles, aſtacos, tenchas, polypos, ſanguiſugas, lacertas, & ſerpentes, aliquando cum fœtu, aliquando ſine alio fœtu, & aliquas ſerpere, repere, diſcurrere & volare eſſe viſas, confirmátque ex plurimis Authoribus: Gordonius enim *p. 8. cap. 18.* dicit Lombardas ſæpè generare in vtero vermes, reptilia, ſeu arpam. Platearius *de ægritudinibus matricis* dicit, Salernitanas mulieres plerumque contendere occidere bufonem in matrice genitum. Guainerius tenet bufonem cum fœtu ſolere gigni, & illum ſuo veneno occidere. Sauanarola præcipuè in Apuleia obſeruat, cum fœtu generari plerumque feram, bufonem, accipitrem, aquilam, lacertam. Nicolus *ſerm. 6. tract. 5. cap. 20.* idem affirmat de mulieribus Septentrionalibus. Pedemontanus *in ſumma 4. p. 4. ſect. 1. in adit.* Menſes in Regionibus Meridionalibus. & Septentrionalibus id tenet eſſe commune. Tornamira in Almanſorem, dicit generari

A in matrice arpam, quam vocat fratrem Lombardorum. Guatinaria vidit partum animalis ſimilis Tincæ piſci, *cap. de mola*. Bonaciolus *cap. 6 de morb. mulier.* in Hiſpania feram in vtero frequentiùs generari tenet. Ludouicus Viues *lib. de anima*, in Belgica, & Flandria hoc communius eſſe affirmat, fœminas peperiſſe hæc monſtra. Affirmant Dominicus Leo *lib. 6. art. medicinal.* Gen. *hiſtor. animal. libr.* 3. Rondeletius *de dignoſc. morb. cap. 17.* Lycoſthenes *lib. prodigior.* Bodinus *theatr. Nat. lib. 3.* Amatus *centuria 1. curat. 27.* Scholiograph. Hollerij *in c. p. 61. lib. 1.* Paræus *libr. 19. cap. 3.* Vierus *lib. 4. cap. 17.* Mercurial *conſ. 85.* Andræas Laurentius *lib. 2. quæſt. 8.* Giriugus *lib. de fontibus acidis cap. 7.* Peperiſſe vero ſerpentes narrat Alexandrinus ex Appiano *lib. 1. de bellis ciuilibus*. B Plinius *lib. 7. cap. 3.* Iulius obſequens, Lycoſthenes. *libr. de prodigiis.* Auguſtus Iuſtinus *lib. 5. Annalium*, & alij citati ab Schenkio. Reinerius obſeruauit mulierem peperiſſe leonem *lib. 3. de hiſtor. de Lydorum origine.* Lycoſthenes *lib. de prodigiis*; Plinius *lib. 7.* naturalis hiſtoriæ narrat aliam peperiſſe elephantem: Lycoſth. aliam peperiſſe canem, quod etiam vidit Paræus. Quæ omnia referre volui; vt ex iis conſtaret, non eſſe alienum à ratione poſſe ex aliquo animali ſimili huius fœminæ geſtationem præſumi, a quo violentiſſimi illi motus fierent, præcipuè cùm Marcellus Donatus referat ex Liuinio Lemnio viſam in mulieris partu huiuſmodi feram cum roſtro adunco, longo, tereti que collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximia pedum agilitate, quæ vltro citróque diſ- C currens latebras quærebat, donec extincta fuit, ex quo monſtro magis deberent timeri violenti motus in vtero, qualis in hac fœmina obſeruabatur. Sed quia inter tot annumeratos Auctores non conſtet monſtra iſta ſpecie diuerſa in vtero mulieris genita ſimilia adduxiſſe accidentia, nec talem geſtationis durationem, nec motum violentum permanentem aut interpolatum ſimilem. Cumque, vt infra patebit, illius adinuenerimus exemplar, & cauſas ſub aliis geſtationibus animaduerſas, ad illarum ſpeculationem recurremus.

§. VII.

D *An geſtatio ex ſolo ſemine fœmineo perſtiterit in hac fœmina?*

DE mola, de qua ſuprà diximus verè talem dici, eámque informem carnem in vtero genitam, ex ſolius fœminæ ſemine cum menſtruo ſanguine, reſtat indagare an fuerit cauſa geſtationis diurnæ, & eum motu illo violento, aliiſque annumeratis accidentibus: geſtabat enim vltra annos duos, increſcebat venter cum magna duritie, & hæc ſuſpicionis inducebant cauſam, nam poſſunt diu æ molæ per multos annos in vtero permanere, vt probat Laté Marcellus Donatus *lib. 4. de hiſtor. mirab. cap. 25.* & docuit Ariſtoteles *lib. 10. de hiſtor animal. text. 43.* molas geſtari E ab aliquibus per quinque annos ſine moleſtia: idem vidit Salius in Almanſor. *cap. 282.* & Sauanarola *tract. 6. cap. 22.* Duretus in coacas refert molam permanentem in vtero per 15. annos. Paræus *lib. 23. cap. 54.* per annos 17. molam in vtero geſtatam refert. Nicolus *ſerm. 6* per annos 20. Sed cum hæc fœmina vehementiſſimos ſentiret motus, quos mola, quæ ſenſitiua anima caret, animales edere non poſſet, nec ratione ſui ponderis, cum motus fierent verſus omnem differentiæ poſitionem, & grauitas ſolum moueat deorſum, nec vtero geſtanti erant partium ſuper incumbentium grauitas, nec proſtratio appe-

titus, nec ventriculi ſubuerſiones, nec ſuppreſſi menſes, nec compreſſus manu cedebat à loco tumor, immo vehementer manum pellebat tumor, molam coniectare nequimus, ad aliámque recurrere geſtationem digreſſi ſumus.

§. VIII.

Inter geſtationes vteri quæ de ſemine non fiunt, recipitur vteri geſtatio huius fœminæ, & ſub qua illarum, determinatur.

ALiis excluſis vteri geſtationibus, reſtat recurrere ad eas quæ ſine ſemine fiunt à cauſis præternaturalibus, quas molam etiam vocarunt Auicenna, Alſaharauius, Taranta, Gradius, Schenkius, Marcellus Donatus, & omnis barbara familia: Græci verò vocant falſas grauidationes, quas, vt diximus deſcribens Hippocrates inquit: *Et putant ſe in ventre habere, & videntur ibi mulieres concepiſſe & non conceperunt; tunc enim fit,* cùm fœminæ viro vtenti *menſes ſupprimuntur, venter intumeſcit, accidentiaque accidunt veræ grauidationis; cum hoc tamen nihil vitæ particeps in vtero gerunt.* Vt profert Rodericus de Caſtro *lib. 4. de morb. mulier. cap.* 8. ſed ſuperuenit aliquid alicui elemento correſpondens, vt quid tophaceum, aqua ſpiritus, aut flatus. Quæ harum ſubſtantia in vteri geſtatione huius fœminæ geſſerit, reſtat examinare. Tophacea ſubſtantia non ita communis reperiri ſolet præter carnoſam, licet ex eadem poſſit exuperante pituita ſuperaſſata fieri, dum ſuperfluit in vtero in magna copia, qualem obſeruauit pultaceam Arculanus *comment. ad cap. de mola lib. 9. ad A. manſ.* quam vidit in parturiente iam mortua in tanta quantitate, vt illam videretur exuperare; ſed nec hanc geſtationem patiebatur hæc fœmina, licet enim poſſet ventrem augere vltra modum, non tamen ipſum violenter mouere.

De grauidatione falſa ex aqua, quæ dicitur hydrops vteri, poſſemus dubitare; cum ex ipſa poſſet modo dicto vterus intumeſcere, vt Alſatius notat *de quæſitis per epiſtolam centur. 3. cap.* 25. & obſeruarunt Rhaſis, Iacobus de Partibus *in fen. 3. Auicennæ tract. 3. cap.* 2 qui tribus annis ex hydrope vteri vidit laborantem: & Marcellus Donatus Dodonæus, Eraſtus, & alij, geſtationes huiuſmodi per multum tempus obſeruarunt; ſed Valleſius *lib. 5. cap.* 9. obſeruat aquam geſtantem, ex cuius vtero exierunt ſupra ſexaginta Auguſtanæ menſuræ aquæ. Nec de hac vterigeſtatione dubitabamus in excellentiſſima noſtra fœmina, licet enim increſcere ex illa poſſet venter, non tamen moueri venter moto dicto à nobis, & quia facies viuido fruebatur colore, nullæ aliæ intumeſcebant corporis partes, nec pedes; & quia ab aqua pondus grauitatis potius quam motus ſurſum ſentiretur.

De ignea contenta ſubſtantia, à qua celeres, violentique fierent motus, poſſet etiam dubitari: ſimilem enim generari intra vterum videtur colligi ex Marcello Donato *lib. 4. de hiſtor. mirabili cap.* 25. Qui ex Lycoſthene, & Cornelio Gemma demonſtrat in quadam fœmina vteri geſtationem terminatam fuiſſe nixu quodam poſt partum fœtus mortui, ex quo auditus eſt ab vtero fragor, veluti excuſſo tormento bellico: hoc autem non niſi ob igneſcentem motu ſubſtantiam tenuem, intus quaſi exhalationem genitam, a qua tumor magnus, & violentus motus poſſent ſuperuenire, ſi per tres annos exhalatio poſſet ita igneſcens permanere: Sed vteri geſtatio huius fœminæ fuit per tres ferè annos permanens, & ideo non ab inflammata materia prouenire potuit, vt ignea; licet poſſet fieri ab illa vt aerea.

Reſtabat nobis vnica indaganda cauſa vteri geſtationis, an eſſet flatus: aereave ſubſtantia, ſimulque & hoc deducere ex aliqua ſimili geſtatione ab aliis obſeruata, inueniréque rationem accidentium ſuperuenientium geſtationi, quorum præcipua erant tumor ventris ſupra modum eleuati, & violentus vndique per ventrem diſperſus flatus. Omne optatum nobis obtulit Marcellus Donatus in obſeruatione quam *lib. 4. cap. 2 hiſtor. mirab.* proponit ex Alexandro Benedicto *lib. 26. de morb. curand. cap.* 34. Cuius hæc ſunt verba: *Hoc anno 1575. viderunt multi Medici in vrbe noſtra non ſine magna omnium admiratione Annam de Fortis mulierem Hebream ex Caſtro Porixelo, quæ iam tranſacto quinto menſe in vtero habere videbatur, mamma maximè intumuerat, vt iam noni menſis impregnationis tumorem æquaret, dumque venter à nobis comprimeretur, manus retropellebantur violentia quadam, ac per vniuerſum abdomen motus quidam palpitationis conſpiciebatur, ac veluti ſaltus per internalla inuoluntarius, ſatis que validus, ita vt ab imo ventre vſque ad os ventriculi motus ij excitarentur. Quod ipſi laborioſo partu superueniſſe aiebant: menſes tamen prodibant ſtatis temporibus. Nos omnibus ritè conſideratis in eam venimus ſententiam, quod os vteri ex callo, vel carne ſupercreſcente poſt partus labores penitus conniuiſſet, eo pacto, quo caruncula in virga meatu poſt abraſionem ſuccreſcere ſolent; vnde multi flatus craſſi in vtero collecti exitum minimè inuenientes, motus illos efficerent. Nec obſtabat, quòd menſes ſtatis temporibus fluerent, ex venis enim colli matricis prodire poſſe ſupra decreuimus.* Decernit etiam Andreas Laurentius deſcribens vteri Anatomiam.

Cum igitur in hac obſeruatione reperiantur omnia accidentia, quæ excellentiſſima domina patiebatur, quæ in aliis à nobis relictis vteri geſtationibus reperiri non contingebat; rúmque ſimul in illa apertæ ſint cauſæ ſuorum accidentium: vno dempto, quod hæc non pepererat, ſed fuerunt illi cauſæ, ex quibus potuit vteri os callum, carnoſamve procreare carunculam ob prægreſſam excoriationem. Hinc deduximus eius vteri geſtationem ex flatu modo dicto impedito prouenire; inde tumorem ventris vltra modum cauſari, ſimul & motus illius omnino ſimiles à nobis expertos, ac ab Alexandro Benedicto: & cùm ſimili modo prouenirent menſes, ob eamdem iudicabamus cauſam fluere, ſimulque & geſtationis durationem prolongari, ex continua flatuum generatione, & impedita euacuatione.

Hanc arte ſupplere conabamur, medicamentis euacuantibus materiam ex qua eleuabantur, ſimul & reſoluentibus, quibus venter non parum imminui cæpit, & motus violentia remitti. Sed tum temporis ſuperuenit lethalis dyſenteria, quæ ægram de medio ſuſtulit intra ſeptem dies.

CONSVLTATIO VNDECIMA.

De vulnere capitis cum cranij læſione & ſuſpicione veneni.

CONTINET.

§. I.

Proponitur euentus, & conſulendi ratio.

§. II.

Vulnerum capitis eſſentiam, & differentias propono, & qualis affectus fuerit æger.

§. III.

In Præſagiendo præcipuè apud Iudices, quanta requiratur ſolertia.

§. IV.

Vulneri propoſito qualis curatio ex communi Chirurgorum praxi debuit adaptari.

§. V.

Magati, & aliorum curatio per primam intentionem in fracturis capitis proponitur, & vulneribus.

§. VI.

Vnguenti Armarij quanta ſit vis ad hæc vulnera curanda.

§. VII.

Qualis curatio vtilis foret ægroto pro vulnere vt venenoſo.

CONSVLTATIONIS deciſio.

§. I.

Proponitur euentus, & conſulendi ratio.

CVM duo adoleſcentes mutuo inter ſe odio flagrarent, ſéque adinuicem quærerent, cum ſe offenderent, alter alterum vulnerauit gladio in capitis parte dextera, ſupra ſynciput: facta fuit continui ſolutio, non ſolùm in partibus externis continentibus, ſed in pericranio, & inciſura apparuit in cranio, effuſa magna ſanguinis copia. Nulla apparuerunt ſymptomata, quæ partes intra caluariam læſas eſſe demonſtrarent, nec vomitus, nec vertigo, nec alia ſimilia. Poſt horam cum iam vulnus eſſet curatum, ſanguíſque retentus, cum duobus Chirurgis vocati fuimus ad inuiſendum ægrum, vt de eius periculo aut ſecuritate E decerneremus. Chirurgus à quo fuerat curatus, ſta-

A tum vulneris proponit, rimam in cranio inueniſſe fatetur, non progredi vltra primam laminam iudicat. Tetigi pulſum, facultatem vitalem deliteſcentem obſeruam, animales facultates ſine vigore. Contendunt chirurgi cum deficerent ſigna læſionis partium internarum, non multum timendum de euentu. Ego verò cum ſine multa ſanguinis effuſione languidas cernerem omnes facultates, inſcius an ab animi paſſione & conturbatione ſanguinis, & ſpirituum id coadiuuaretur; an verò occultæ qualitatis viribus id eſſet tribuendum, cum odium diu concitatum poſſet nos in ſuſpicionem adducere; nec ſolum proruli non contemnendum periculum cum Hippocrate *lib. de vulneribus capitis*, in quocumque illius vulnere, ſed magis hoc timendum ob collapſas vi-
B res, conſulendumque de animæ beneficiis, quæ cum peracta fuiſſent, anxius æger, iactabundus, vigil, cum deliquiis, ſudoribuſque ſyncopticis noctem pertranſiuit, ſubſequente die, Eſthiomenum tum apparuit vulnus, æger deceſſit à vita, cum aliàs eſſet boni habitus, ſanguineus, & inculpata fruens valetudine.

§. II.

Vulnerum capitis eſſentiam, & differentias propono, & qualis affectus fuerit æger.

SOlutio continuitatis recens in capite ab inſtrumento ſcindente, vocatur capitis vulnus, quod
C multiplex eſt, & maximè in periculo diuerſum, curationémque varians. Aliud dicitur ſimplex; aliud compoſitum; vtrumque aut paruum, aut magnum, rectum, aut obliquum; aliud factum ab inſtrumento contundente; aliud à ſcindente; aliud à pungente; aliud ſuperuenit cum accidentibus; aliud ſine illis. Compoſitum vulnus aliud cum contuſione; aliud cum fractura. Fractura cranij, inquit Paulus *lib. 6. c. 89.* eſt *diuiſio, aut ruptio, aut præciſio à violentia quadam extrinſecus accidens.* Et eſt multiplex; triplex fit ratione inſtrumenti, ſciſſione, contuſione, aut fractione: multiplex ex modo quo fit: Alia enim dicitur ſedes, rhogme, ragamia, aut fiſſura, ſeu inciſio: Alia dicitur Trichyſmus, quæ antecedens eſt, dum in diploem porrigitur: Alia Ecpieſma, Antica fractione,
D Alia Camaroſis, Camaromata, Cotamotos, ſeu Camerario: de qua dicit Paulus, quòd eſt diuiſio caluariæ, in qua pars affecta, Cameræ modo eleuata relinquitur: Alia eſt Encope, Diacope, Angiir, in qua oſſis particula partim abſcinditur, partim vnita manet. Auicenna ſuperaddit *fen. 5. 4. tract. 3. cap. 1.* eam in qua frangitur cranium, & non finditur cutis. *Multoties* (inquit) *frangitur cranium, & non finditur cutis.* Alia fractura dicitur perforatio, quæ à pungente fit inſtrumento: Alia vocatur Apochema ſeu oppoſitio. Præterea capitis vulnus, aliud ſine venenoſa qualitate, aliud venenoſum eſt.

De iis omnibus ad proponendam prognoſim ante Iudicem erat nobis examinandum, quale fuiſſet vulnus capitis In hoc ægro conſtabat non fuiſſe ſim-
E plex, ſed compoſitum cum cranij fractura, hæc enim apparuit primo chirurgo curanti vulnus; & erat vel fiſſura, vel trichiſmus, ſed cum virium lapſus, properántque periculum, maiorem nobis, occultámque proponerent cauſam, nec ſuſpicio eſſet de reliquis manifeſtis nuper relatis fracturis: de occulta, illa, quæ Apochema, ſeu oppoſitio dicitur, cœpimus dubitare, an ſimul eſſet occulta cauſa accidentium, hæc enim nullis poſſet à nobis percipi ſignis, niſi à poſteriori ex læſione actionum. Inquit enim Hippocrates *lib. de vulneribus capitis*, *Quod infortunium*

fortunium vbi accidit, nihil eſt quod iuuare poſſit, quoniam vbi hoc malum fit, nulla via deprehendere licet, homó'ue id patiatur, aut quâ parte caluaria. Inter conſulentes aliqui negabant hanc fracturam poſſibilem eſſe cum Paulo *lib.6. cap.90. §. At falluntur y, quoniam non fit in hominis calua, quemadmodum in vitreis vaſculis fieri illi docent, illa ſiquidem vacua ſunt, ideóque id patiuntur; calua autem hominis vndique plena; & alioquin ſolida eſſet.* Sic tenent Guido, *de vulneribus cap.* Fallopius & Vidus-Vidius ibidem, quibus fauet Galenus *lib.9 de vſu part.* admittens ex pluribus oſſibus componi cranium, quia alterius damnum alteri non communicaretur: ſed cum contrarium doceat Hippocrates iam citatus, & ibidem §. *frangitur caluaria ſub vulnere alia parte, quàm vbi plaga eſt:* quem vt tenet Daza ſequuntur Celſus *lib.8. cap.4* Soranus *lib.8. de affect. cap.4.* Antilus, Meges, Auicenna *fen. 5.3. tract.3.cap* 1. Nicolus *ſerm.7.* Gentilis, Iacobus, Carpenſis, Vigo, & reliqui ferè omnes chirurgi, ſed vrgebat prætereà quòd reſonitus oppoſitio, ſeu fractura ſit in parte propinqua, vel contraria, dum pars primò affecta non recepit læſionem, & ictus vis feriens in aliâ parte caluariam frangit; ſed in noſtro caſu ictus imprimit vim in parte vulnerata, & fracturam ſaltem in prima lamina effecit: ex quo non videtur in alia parte ex vi cauſæ vulnus cauſantis, poſſe reſonitum reſultare.

Nec hæc ratio me poſſet auertere ab hac ſuſpicione, quia vt doctè noſter eruditus Daza iudicat *p. a. Chirurgia c.6.* quæ admittitur oppoſitio non eſt intelligenda de fractura reſultante in parte oppoſita cranij patientis ictum verſus contrariam partem caluariæ, ſed in eademmet parte, ita vt ſi connexa ictum recepit, in caua inferiori, & illi oppoſita parte fiat fractura, & hoc euentu bene poſſet permanere prima lamina cum leui fractura, aut ſine vlla, & fieri victus in interiori, ex cuius læſione membranæ, & cerebrum maximè læderentur.

Sed cum huiuſmodi fractura magnum dolorem inferret, nec ita ſubito mortem inducere poſſet, qualem cœpimus timere in ægro, & qualem vidimus: reſtabat ſuperuenire ad aliam inueſtigandam cauſam in vulnere, eiúſque differentiam, à qua poſſet æger in interitum celerem permeare, nec reſtabat alia, quàm inquirere an eſſet vulnus venenoſum, ita vt inſtaret periculum non à vulnere vt ſimplici, aut compoſito, nec ab accidentibus ex iis ſubſequutis, ſed à coniuncta venenosâ qualitate, qua eſſet inſtrumentum affectum, à quo inflictum fuit vulnus, quod, vt inquit Cæſar Magatus *lib.2. cap.10.* præceps fit ad periculum ratione venenoſæ qualitatis, quoniam veneni ea eſt conditio, vt quodlibet in corpore obuium corrumpat, & in ſui naturam vertat, donec imminutio ad principia vitæ, & cor peruenerit, quod coniectabamur potuiſſe contingere in ægro ob ferrum venenatum à contrario inimico diu quærente illum ad ipſum interficiendum: tanta enim eſt hominum nequitia vt forſan à dæmone hoc didicerint. Mercurialis *lib.1. de venenis cap.17.* hiſtoriam refert mulieris quæ particulam cultelli veneno infecit, cum qua diuiſit coctam gallinam verſus vnam partem, & verſus aliam cum alia cultelli parte non venenata, & ideò dum altera venenatam comedit gallinæ partem ex qua interfecta fuit, illa ſanam comedens partem, euaſit ſana: tanta eſt hominum malignitas! Georgius Geſnerus ex nummis venenatis à puero in manu receptis mortem fuiſſe inductam tradidit. Eſt apud Schenkium ex helleboro veneficum medicamentum quo ferrum illitum, venenoſum efficit vulnus. Guillandinus Pharicum ab Antiquis in hunc

A finem cognitum parum omnino differre iudicat à veneno, quod dicitur de la Cerua Balleſtera, quod fit ex ſucco radicis hellebori albi, cuius meminit Mathiolus *comment. ad lib.4. Dioſcoridis cap 141.* vocatque Hiſpanorum Toxicum, cuius Cyriacus Lucius dicit contrauenenum eſſe cotoneum malum: & Iulius Alexandrinus aſſeuerat vinci ſola mali Cydonij fragrantia. Galenus idem refert de herba, quam vocant helenium Græci; Ariſtoteles refert xenicon apud Celtas Gallos vſitatum fuiſſe venenum, quo ſagittas inficiebant. Plinius iudicat venenum, quo Galli ſagittas inficiebant, fuiſſe helleborum quod cum inter noſtrates ſit vſu expertum, pro ceruis interficiendis, forſan inſtrumentum, quod vulnus effecit, hoc toxico fuit venenatum, cuius tanta eſt vis, B vt pateat apud Schenkium ex ſanguine cerui occiſi ſagitta ſucco hellebori infecta, cum recurreret in aſini vlcus, in quo ferebatur, Aſinum in itinere extinctum fuiſſe.

§. III.

In præſagiendo præcipuè apud Iudices, quanta requiratur ſolertia.

CHirurgi parui pendentes vulnus apud Iudicem, quaſi ſecurum iudicarunt, inſcij quòd Hippocrates in Prognoſticis primùm proponit *Optimum eſſe Medicum vel prouidentia* Et quàm maximè eſt C illi fugiendum polliceri quod adimplere nequit, nec illius eſt munus omnes ſanare ægros, ſed vt inquit Hippocrates *lib. de arte: Medici eſt vehementes morborum impetus retundere, ſanabiles curare, & inſanabiles non attingere*: quos morborum ſtatus debet Medicus & cognoſcere, & iuxta illos præſagire, ſed non temerè, ſed cum ſolertia: ſic enim inquit Hippocrates *lib.1. Prognoſt. textu 4.* quòd *Medicus morituros, euaſuróſque cognoſcens, & prædicens culpa vacabit*; vnde infertur, quòd contrarium prædicens non vacabit culpâ, nec ſemper prognoſis eſt ſecura Medicis, quia coniecturalis, & cauſarum immutatio varia poteſt eſſe ex quibus immutetur euentus, imò & naturæ conatus, & error euentum immutant, vnde Hippocrates 2. *aphoriſmor.* 18. inquit: *Acutorum* D *morborum ſalutis, aut mortis prænuntiationes non omnino ſunt certæ* Et Galenus *in comment. & lib. de conſtitut. artis Medicæ*, reddit rationem monens quanta cùm ambiguitate ſit præſagiendum, & Hippocrates *lib.1. Prædict. Conſulo*, inquit, *vt quàm prudentiſſimè agant, tum in reliqua arte, tum in huiuſmodi prædictionibus, illius probè memores, quod ſi cui ſucceſſerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit.* Sed non ſemper homo cuncta quæ requirit hæc ars, præſtat, quia, vt tenet Galenus 1. *aphor. comm.* 12 *lib.2. Prognoſt. cap. penult. & lib.1. ad Glauc.* ille præſtantior in prædicendo, qui minùs errat, quiſquam errare, ſupra captum hominis eſt.

E Si autem hoc vniuerſaliter eſt verum in cuiuſvis morbi prædictione, multò magis in noſtro ægro: qui vulnus capitis, fracturam cranij, & vt coniecturare potuimus, venenoſum vulnus habebat, in quibus nec in quovis horum eſt ſecuritas; ſi enim de ſimplici ac ſecuriori vulnere capitis loquamur, Hippocrates *lib. de vulneribus capitis* tenet quòd hæc vulnera etſi leuiſſima non ſunt ſpernenda. *Nullum capitis vulnus vtcumque paruum debet contemni*, Aretheus *lib.1. cap.2* inquit, *Capitis vulnerum initia leuia, fines mortiferi.* Reddit rationem Galenus 2. *per loc. cap.1. §. Etenim membrana, quæ caluariam ambit, & cutis*

qua

quæ foriſecus circumtenditur, vtraque propriam ſub ſtantiam continuam habet, per omne caput extenſam. Qua de cauſa ex leui cutis capitis ſolutione continuitatis ſuperuenit mors: & ideò protulit Hippocrates *lib. 2. prædict.* quòd ex omnibus vulneribus contingit homines mori. Sic tenent Zachias *tom. 1. lib. 5. tit. 2. q. 2.* Valleſ. *comm. 5. Epidem. textu* 16. Paræus *lib. 8. cap. 4.* Codronchus *in methodo teſtificandi cap* 4. Cuius reddunt rationem, quia licet ex ſua natura ſit ſalutare vulnus, fieri poteſt lethalis ob morboſum corporis apparatum, ob cacoethiam, ob animi vehementem paſſionem, imò & ob nimium riſum, vt obſeruauit Fabricius Hildanus: & vtcumque paruum ſit vulnus in capite, ſit magnum ratione partis principis læſæ.

Cum igitur capitis vulnus in ægro non ſolùm eſſet ſimplex, ſed compoſitum cum fractura cranij; hoc minus ſecurum debebat iudicari: inquit enim Hippocrates *lib. 2. prædict. Porrò ex capitis vulneribus, lethaliſſima ſunt, quæ ad cerebrum pertingunt.* Et præcipuè periculum minatur vulnus ſi fiat in commiſſuris, ad quas cum ſint indifferenter poſitæ, vt protulit Hippocrates *lib. de vulnerib. cap. 5. Nec ſutura caluariæ omnibus eodem loco*: poſſemus timere vulnus perueniſſe, ex præcipiti morte: eis enim vulneratis, inquit Hippocrates, *lib. de vulner. cap 5. Cum autem os telo illic denudatum eſt*, vulnuſque in ſuturis ipſis ſit, pernicioſum; cuius ex Paulo ſumitur ratio, quia dura mater, quæ mediis illis alligata fuerat cranio, concidit, & tandem in omnibus vulneribus capitis ad ſecuritatem maximè conducunt vires naturales, vitales, & animales ex Hippocrate *lib. 1. Prognoſt. text.* 10. Et Cornel Celſo *lib. 7. cap. 3.* ex Galen. *lib. 1. de triſib. cap.* 14 quæ vt prænotauimus in hoc ægro maximè collapſæ fuerunt.

Nec in pronunciando periculo in hoc ægro paruam inducebat periculi ſuſpicionem veneno ſi vulneris timor, ex præcedente odio, & ſubſequutis accidentibus: venenum enim inditum inſtrumento venenato inquit Cardanus *lib. 2. de venen. cap. 6.* maiorem vim obtinet, quam epotum, quia, vt inquit Zachias *tom. 1. lib. 5. tit. 2.* illicò per venas ad cor penetrat, quod in ſententia circulationem ſanguinis admittente euidentius manifeſtatur. Paræus *lib. 20. c. 5.* Fallopius *de vulnerib. capitis, cap. 8.* Cardanus *lib. 2. de venenis cap* 6. quos Zachias adducit & ſequitur, familiare eſſe venenoſis vulneribus tenent, quòd vulnerati ſtatim patiantur animi ſeu virium defectum, quem in ægro experti ſumus, quæ cum ſuperuenerint citiùs in vulnerato, quàm ratione vulneris deberent timeri, venenoſi præſtabant indicium vulneris, & confirmauit euentus, citaque mors, ante quam quæ ſubſequuta fuerint accidentia nota fuerunt nobis; nullum poſt mortem inquirentibus ſubſequutum accidens.

§. IV.

Vulneri propoſito qualis curatio ex communi chirurgicorum praxi debuit adaptari.

Capitis vulnus ſi ſimplex, noſtri Chirurgi intendunt curandum per primam, quam vocant intentionem, filamentis vniendo ſolutionem continuitatis, & naturæ opus relinquendo, impediendóque partis dolorem, & inflammationem, cum vitellis ouorum, & aſtringentibus ſæpè commixtis pulueribus, præcipuè ſi aliqua ſit leuis contuſio.

Si autem vulnus ſit compoſitum, & cum cranij fractura, Rodericus à Fonſeca *tom. 2. conſultat.* 3. non iam per primam intentionem, ſed per ſecundam curare docet cum communi chirurgicorum methodo, vulnus apertum relinquendo, ſcalpro abradendo rimam: ſi abraſio poteſt fieri ſine dilatatione vulneris, ab ea abſtinendo; ſin minùs dilatandum vulnus, & appoſito inſtrumento ſutorio abraſio continuanda vſque ad partem ſanam, apponendo pulueres exſiccantes ſupra os, & filamenta illita digeſtiuo ex therebentina, roſaceo, & croco, quibus impletur vulnus: ſupra apponitur emplaſtrum ex farina hordei cum oleo roſaceo, & poſca: digeſto vulnere vtuntur ſarcoticis: noſtri omnes in vulnere curando adimplent intentiones cum oleo Aparitij: ſed tamen admittunt ſanguinem eſſe mittendum, diætam præſcribendam & alia a Dogmaticis Medicis in ſanitatem conducentia recipiunt.

Alij vero in nullo capitis vulnere admittunt ſanguinis miſſiones, diætæ vſum, nec cranij vulnerati abraſionem, ſed vtuntur quibuſdam medicamentis, quæ vocant balſama: ij dilatant vulnus, infundunt aquam balſami, ſuperinfundunt pulueres ex aloë, myrrha & thure, imponunt linteolum mundum, poſtea balſamum, poſtea pulueres, & ſic ſucceſſiuè adimplent vulnus, quod ligatum ſic ſeruant in tertium diem; poſt quem ſimili modo curant vulnus, & modo & diebus dictis vſque ad perfectam ſanitatem. Fallopius tribuit hanc curationem Ioanni Baptiſtæ Romano chirurgo errabundo; balſamum tamen approbat Fallopius, & curandi modum Fonſeca in paruis ſaltem vulneribus; qui tria proponit remedia ex iis chirurgis pro omni vulnere curando per primam intentionem, etiam ſi ſit in capite cum fractura, quæ proponam, ne quid deficiat pro hac noua exercenda curatione.

℞ Aquæ vitæ optimi & generoſi vini, pluries circulatæ, ita vt ſupra peſulam poſita accendatur; quod volueris, ponatur in boccia vitrea, vel pellicano, & ponatur vas ſub fimo equino calido per dies viginti, ita tamen, vt ſuperior pars pelicani ſit extra ſtercus aeri expoſita: apparebit poſt viginti dies aqua cærulea ſupra fæces, quæ erit coloris albi, tunc oportet paulatim per inclinationem aquam iſtam ſine fæcibus ſeparare, & reponere in vas vitreum bene obturatum ad vſum. Dum autem pelicanus eſt in fimo equino, obturetur os diligenter, ſi non habueris pelicanum, ſupponatur aqua vitæ in boccia colli collongioris bene obturati in ſtercore equino, & digeratur, vt dictum eſt.

℞ Therebentinæ lib j. olei Lauri ℥. iiij. galbani ℥. iij. gommi Arabici ℥. iiij. thuris, myrrhæ ana ℥. iij. gummi hederæ, ligni aloes, galangæ, cariophilorum, conſolidæ minoris, cinnamomi, nucis moſcat, zedoariæ, Zinziberis, dictamni albi ana ℥. j. moſchi, ambræ ana ℥. j. omnia infunde in retortam vitream cum lib. vj aquæ vitæ ter circulatæ, vt ſupernatent in infuſione per nouem dies, deinde diſtilletur per cinerem igne lento cum capello, & recipiente bene obturato, tunc emanabit aqua clara, limpida, quæ diſtillanda eſt quoad colorem mutet, & flaneſcat; poſtmodum auferatur recipiens, & illa aqua clara ponatur in vaſe vitreo benè obturato, vt nihil reſpiret, & iterum appoſito recipiente, excipiatur ſecundus liquor flauus dato igni maiori pabulò, quoad vapores nigri, & liquor ſubnigreſcens exire incipiat: tunc auferatur recipiens, & ille liquor flauus in alio vaſe vitreo reponatur, & apponatur rurſus recipiens benè obturatum, & ignis augeatur, donec fæces exſiccentur; ille humor, qui erat ſubniger reponatur in vaſe vitreo ſeparatus. Primus liquor dicitur aqua vulneraria prima: ſecundus aqua vulneraria

§. VI.

Vnguenti Armarij quanta ſit vis ad hæc vulnera curanda.

TAnti plerique faciunt vnguenti Armarij vim ad vulnera curanda, vt iudicem non ſine examine percurrendam hanc opinionem ex aliorum nutu confirmatam, tanquam miraculum, huius remedij vim excellentium. Primus illius inuentor fuit Paracelſus vir impius, & iniquus, dæmonis alumnus, & ſocius; qui inter alias impoſturas hanc pro vulneribus curandis introduxit, *lib.* 1. *Archidox. Magica:* Cuius eſt hæc deſcriptio. ℞ vſneæ ℥. ij. mumiæ ℥. ß. pinguedinis humanæ ℥. ij. ſanguinis humani ℥. ß. olei lini ℥. j. roſar. boli armenæ ana ℥. j. miſce, fiat vnguentum. Ex aliis Authoribus Sennertus varias adducit deſcriptiones: Ex Iacobo Colero *lib.* 18 *œconomiæ*, ex Vvitrichio, ex Baptiſta Porta & aliis: ſed præcipuè Crollius Paracelſi ſummus protector vnguentum Armarium, Sympatheticum, ſeu Stellarum Paracelſi vocat, & aliquibus ſuperſtitionibus ſuperadditis ſic præſcribit. ℞. Adipis veteris aprugni, vrſini, ana lotones octo, quo ſeniora animalia, eo melior adeps, vtriuſque animalis adeps priùs in vino rubro per dimidiam horam lento igne bulliat poſteà effunditur ſuper aquam frigidam, & cochleari colligitur pinguedo innatans, quidquid fundum petit, abiiciatur. Poſtea ℞. Lumbricorum ex vino, vel aqua lotorum ſextarios duos, torrefiant in olla tecta: in fornace piſtoris, cauendum tamen ne adurantur, poſteà terantur in puluerem. ℞. Huius pulueris, cerebri aprugni ſiccati, ſandali rubri odoriferi. Mumiæ, Hæmatit. ana ℥ j. Denium ℞. Vſneæ è cranio hominis violenter morte perempti, abraſæ lunâ creſcente, & in bona domo exiſtente, non Veneris ſi fieri poſſit, aut Saturni, ad pondus duarum auellanarum circiter: ex omnibus tritis, & inuicem mixtis cum adipe ſecundum artem vnguentum fiat in vitro clauſo, vel pixide, diligenter ad ſuos vſus reſeruandum. iſte maximus impietatis, & nugacis impoſturæ Paracelſi author, poſtquam ingredientibus ſuperſtitioſis adimplet compoſitionem vnguenti Armarij, vt ipſi Paracelſo, & dæmoni illius magiſtro, & ſuæ impietati fidem adſcribat in ignorantibus, ſimplicibuſque hominibus nouitatis inquiſitoribus, tanquam præuidens, iudicium quod de ſuis ineptiis cordati eſſent facturi, ſuperaddit, quòd hæc cura non eſt venefica, ſed facta per vim Magneticam medicamenti attractiuam, à ſideribus cauſatam, quæ mediante aere vulneri adducitur, & coniungitur, vt ſpiritualis operatio in effectum deducatur, & quod fit propter coniunctionem aſtralem, & elementalem, quòd tria cauſantur per hoc vnguentum, tam mirabilem effectum, ſympathia naturæ, influentia corporum cœleſtium, & balſamum, quod habet vim ſanandi. Tandem concludit quòd hoc vnguentum ſanat omnia vulnera, quocumque telo, ictu, iactu, cuicumque etiam ſeaui inflicta, & modo telum haberi poſſit, etiamſi patiens multis milliaribus à nobis abſit, telum debet vngi, quo homo vulneratus eſt, ſingulis diebus ſemel, ſi neceſſitas vrgeat, & vulnus ſit ingens, alioquin ſecundo vel tertio die, ſeruetur in mundo linteolo, & loco tepido, non nimis calido, ne damnum inferatur parti: cauendum ne puluis cadat ſuper telum, nec ventus afflet in loco frigido, alioqnin patiens ad inſaniam redigeetur. Non eſt neceſſe conſuere vulnus, ſed linteolo mundo quotidie circumligare, madefacto vrinâ patientis: & aliæ innumeræ eac ſine dignæ animaduerſiones proponuntur à Crollio: ſed impoſtores huiuſmodi homines potiùs eſſent deridendi, quàm oppugnandi, niſi nos doceret ſacra Pagina reſpondendum eſſe ſtultis, ne ſapientes iudicentur. Ab ipſo exordio eam initium delineamus. Vnguentum Paracelſi diuerſum eſt, ab eo quod Crollius adducit: poſt hunc reliqui eius Sectatores variant in modo, in ingredientibus & in compoſitione, vnde errant in primo præſuppoſito, & fundamento virtutis Magneticæ. Secundo Crollius petit vſneam ex hominis cranio violenta morte perempti: ex quo patet futilis virtus vnguenti, quæritur enim in impietate mortis violentæ: quid ergo dat Deus ob impiam violentiam mortis, virtutem ſanandi vulneris cranio hominis, quam priùs non habebat. Tertio quod luna creſcat dum abraditur, vt plurimum: Superaddit vigorem virtutis lunæ quæ eſt humectare, hæc impedit vulneris curationem: quæ petit fieri exſiccando: ex coniunctione cum Venere hac augetur virtus humectandi, quæ, vt dixi, eſt contraria: vt quid ergo talis vnio? Quarto ſi à ſideribus communicatur illa virtus vnguento, vt quid a Crollio neceſſaria iudicatur, ſi fatetur, quod illud balſamum illam habet naturaliter. Quinto omne agens habet limitatam ſphæram actiuitatis, & ideò nec vnguentum poſſet vltra illam operari: nec ſufficit, quòd illa virtus deferatur a mundi ſpiritu, nam ab ipſo omnium rerum virtutes poſſent ſine entitatibus per mundum ferri, & calor ignis ſine ipſo in diſtans vltra ſphæram actiuitatis propriæ operari. Præterea vnguentum non fertur a mundi ſpiritu, nec ideò virtus eius ferri poteſt, quia hæc eſt accidens & hoc non migrat dè ſubiecto in ſubiectum.

Præterea hæc virtus curandi iudicatur propria paſſio huius vnguenti, & ſine illo nequit alteri communicari, quia propriæ paſſiones concomitantur formam cuius ſunt propriæ paſſiones Præterea ſi hæc virtus iudicatur poſſe ab ſpiritu delatore communicari per orbem, ab vnguento deferri poteſt ſine teli inunctione. Præterea ſi communicatur, &, vt ſupponit Crollius, recipitur ab Aſtris, ab eiſdem etiam communicabitur per ſpiritum delatorem, & Aſtra curabunt omnia vulnera ſine vnguento. Præterea ſi talis virtus deferetur ab ſpiritu delatore mundi, ſi duo ſiue homines vulnerari ſimul, vel vnus cum duobus vulneribus cauſatis à diuerſis telis, à virtute vnguenti delata ad vnum vulnus, curabitur vicinum vulnus, etiamſi illius telum non inungatur vnguento. Præterea ſpiritus delator mundi, aut eſt animal, quod operatur præcedente cognitione, & hoc deberet eſſe corporeum, quod nullus vnquam vidit, aut tetigit: vel eſt angelus, aut dæmon: ſi dæmon non ferret opem ægro, cuius intendit mortem ob hominum odium, ſi bonus angelus omnibus ferret auxilium vnguenti, & ſi non tangeretur inſtrumentum cum vnguento, ob beneficam eius naturam in homines. Sextò, etſi vnguenti virtus feratur ad vulnus diſtans, virtus pulueris iniecti in illud non poteſt deferri vt ægrum delirantem reddat, & licet etiam puluis feratur; virtus nequit delirium cauſare, cum non habeat vim intemperandi cerebrum, & ſi ſit puluis rei frigidæ, potiùs temperaret cerebrum, & impediret delirium. Septimo ſi datur mundi ſpiritus delator virtutum rerum, ab hoc trahetur ab Indis ſimplicium virtus, qua innumeri morbi curentur, ab hoc vnguenti mercurij virtus deferri poterit ſine vnguento ad morbum gallicum, & ipſum curare; ab hoc

poterunt odores à regione in regiones immutari, & ab hoc victus, & alimenta deferri ad patientes famem, cum quibus maximam habent ſympathiam, cum à natura ſint ordinata in ſubſidium & alimentum eorum. Octauo ſi ex certo cæli curſu prouênit hæc virtus, vt communicetur vnguento, cur ſemper quod conficitor, illam ſpectat, cur ſaltem tunc non communicatur omnibus vulneratis, cur ceſſante influxu conſeruatiuo eius, non aboletur ab vnguento? ſicut pereunt reliqui ſtellarum influxus, ipſis deficientibus, aut mutatis. Nono ſi vis vnguenti, balſami virtus dicitur, & deſiccatiua, cur in diſtantia magna valet deſiccare, cum id nequeant elementa, in quibus eſt ſiccandi primaria virtus? cur reliqua balſama non poſſunt in diſtans operari deſiccando, delata a mundi ſpiritu delatore? Decimo ſi virtus defertur, & ſufficit pro vulnere curando, cur iſti aliqua vulnera proponunt, pro quibus non fit miraculum illud ſanandi, ab hoc vnguento?

Dices quòd eſt debilitas intellectus quærere rationem, vbi ſenſus finem facit, & quod plures Principes, Reges, & Imperatores viderunt per hoc vnguentum modo dicto ſanari plurima vulnera; ex quo patet cedendum eſſe veritati, & experientiæ.

Sed adhuc ſi citati ab ipſis Principes euentum confirment, & atteſtentur, non poſſunt atteſtari, quòd ægri ſanentur vi medicamenti propoſiti, ſed quod propoſita hac fallacia ab his impoſtoribus ipſi viderunt ægros ſanari, qui cum ab aliis cauſis poſſint in ſanitatem reduci, eorum authoritas poteſt euentum teſtificare, non verò cauſam. Hæc autem in impio Paracelſo, qui dæmoni erat coniunctus, & tanquam veneficus pactum cum illo habebat, ſicut plerique ſuorum Sectatorum, poteſt reddi cauſa ipſe dæmon, qui illum docuit hoc vnguentum, vt cum eius fallacia poſſet contegere ipſum operari tanquam veneficum: in non veneficis ſi quandoque id contingat, id fit, ſicut dum vulnera curantur ab aliquibus pannis, vino aut oleo madefactis, quæ naturæ ope curantur: quod confirmat, quòd non omnia vulnera curantur ab his impoſtoribus per vnguentum armarium, & ſi haberet vim ab illis decantatam, omnes per illam, integram conſequerentur ſanitatem.

§. VII.

Qualis curatio vtilis foret ægroto pro vulnere vt veneneſo?

CVm ægrum non tam ad curandum inuiſeremus, quàm ad prædicendum de eius periculo, & cum vehemens veneni virtus breuiter illum è vita abſtulerit, nulla fuit nobis curandi illum occaſio: ſi autem in hunc finem eſſemus vocati, aut certior eſſet ſuſpicio de venenato inſtrumento; exhiberemus primò malum cytonium, quod vnicum, & expertum eſt auxilium contra toxicum, quod dicitur *Ierba Balleſtera*, vt tenet Guillandinus, qui Toxicum dictum Pharicum à Praxagora, Pharis ab Arcadis ſiue, ab Arcadicis Pharis, vt alij tenent, ſiue à Pharis in Theſſalia, vt placuit aliis, ſiue à Pharis in Lacedemonia tale dicatur, indicatur eſſe Hiſpanum Toxicum *d'ella Ierba Balleſteria*, cui pomum cotoneum vnicum eſſe alexipharmacum tradit. Idem tenet Langius *lib. 1. mirabilium auſcult. ex Ariſtotele.* Mathiolus *comment. ad lib. 4. in Dioſcoridem.* Iulius Alexandrinus *in ubrum lib. 10. c. 5.* Cyriacus Lucius *de ligni cotonei natura.* Crato *lib. 2 ad Thomam Iordanum*, citati ab Schenkio.

Generaliter tamen pro omni vulnere venenoſo Magatus *lib. 2. de vulnerib. c. 10.* appropriatam adducit curationem, duas præcipuas attendens indicationes, & cor corroborare, & venenum quantum poſſibile fuerit, attrahere ad partem primò venenatam, ſeu in quam inflictum fuit vlcus veneoſum, quas indicationes ibi late proſequitur: & nos proſequeremur, ſi datus eſſet curationis locus.

CONSVLTATIO DVODECIMA

De Triſtitia, & morte ſuperueniente ex commota melancholia.

CONTINET

§. I.

Proponitur euentus, traditur conſulendi ratio.

§. II.

Melancholici humoris traditur natura, malus eius detegitur mos.

§. III.

Melancholia & triſtitiam inducere, & omnes conturbare Rectricum Virtutum actiones valet.

§. IV.

Triſtitia an ſubſequatur ex melancholia quavis, inquiritur? & modus oſtenditur.

§. V.

Commota melancholia cur ſit mortis ſubitò irruentis cauſa?

§. VI.

Via deſtinata à natura ad expurgandam melancholiam proponuntur, & hæmorrhoidalium venarum vſus.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Proponitur euentus, traditur conſulendi ratio.

IN prima ſenectute vir excellentiſſimus conſtitutus, variis deditus curis, qui annis elapſis apertas habuit hæmorrhoides, ex retenta diu euacuatione cœpit melancholica grauari plenitudine. Erat ſomnolentus, ad motum non aptus, ſubtriſtis incedebat, dum lenta ſuperuenit illi febricula hæmorrhoïdalis ſanguis cœpit fluere, non pro conſuetudine venter commoueri, cum anxietate, & inſomniis, ac peruigiliis, ſanguine miſſo ex talo, térque repetito, nec pro conſuetudine, mouit hæmorrhoides, venter ſupprimitur, & hæmorrhoïdalis fluxus. Poſt hæc parũ febricitabat præcipuè noctu, in quo ingraueſcebant anxietates, donec nocte tranquilliore peracta, nona hora matutina repẽtè cœpit ventriculus commoueri, ſtatim ſyncope ſuperuenit à qua paulò poſt liberatus, anxius permanſit, cũ ventriculi & totius vẽtris anxietate, cum pulſuum nimia debilitate, & omni inæqualitatis genere. Paulatim vſq; ad ſeptimam horam veſpertinam deliteſcebat vitalis facultas, ἀσφυξία ſubſequuta, cum qua vixit vſque ad horam vndecimam noctis

noctis, & vſque ad decimam, licet ſine pulſu cum extremis artubus frigidis, per duas horas ante obitum vomitus nigri, & vt aiebat, acerbi commoti ſunt, cum magno effluentis humoris fœtore.

§. II.

Melancholici humoris traditur natura, malus eius mos detegitur.

EX retenta conſueta hæmorrhoïdali euacuatione, plenitudine melancholica replebatur æger. Inde melancholia, cum triſtitia, & ſigna plenitudinis ſuperuenerunt, aliáque ipſius effectus, ac accidentia, commotio melancholiæ, ac ſubito mors ſubſequuta ſunt. Melancholia Græca eſt dictio à *melan* quod ſignificat nigrum colorem, & *chole*, quod ſignificat bilem. Componitur, vt tenet Symphorianus Campegius *lib. 2. c. 5.* æquiuocè ſumitur, & pro humore & pro morbo ab ipſo proueniente, & pro vno ex quatuor humoribus naturalibus complente maſſam ſanguinariam, & in nutritionem partium terreſtrium à natura deſtinato; & pro excrementitia melancholia quæ ex vſtione ab vnoquoque naturali humore fieri poteſt; & fit excrementitia ſubſtantia, nigra, terrea, acerba: & quadruplex iuxta diuerſitatem humoris, à quo vſtione, aut alteratione fit.

Ab iis prouenit affectus, qui melancholia dicitur, & à quo fit potentiarum rectricum deprauata actio, quæ delirium melancholicum, ſeu melancholia etiam ſolet vocari, vt docuit Galenus *lib. 2. de cauſis ſympt. c. 7. lib. 3. de loc. affect. c. 7. lib. 2. methodi c. 2 & 3.* Hoc delirium melancholia dicitur, à cauſa ex qua prouenit, vt Galenus tenet *lib. 2. methodi c. 2.* Alex. *lib. 1. c. 22.* Paulus *lib. 3. c. 14.* Aetius *lib. 5. c. 9.* Celius *lib. 3. cap. 18.* Aurelianus *lib. 1. tardar. paſſion. c. 6.* Nec ab effectu vt alij voluit poteſt melancholiæ delirium nominari, ſicut morbus niger dicitur ab Hippocrate, ob nigrum colorem, vt Magliocca comprobat, & tenet Aretæus *lib. 1. de cauſis, & ſignis diuturnar. paſſionum c. 5.* Auicenna *lib. 3. fen. 1. tr. 4. c. 1.* Rhaſis *lib. 1. contin. 1. c. 3. & ad Almanſ. c. 2.* Serapion *lib. 1. cap. 20.* Gentilis in Auicennam nuper citatum, Iacobus de Partibus, Nicolus Florentinus, & tenent recentiores, Fernelius *lib. 5. c. 2.* Altimarus *lib. de medend. human. corpor. morb. c. de melancholia* Manardus *lib. 9. epiſt. 2.* Capiuaccius *c. de melanch.* ibidem Trincauellius, Fuchſius *lib. 6. Epidem. comm. 9.* Valleſ. *lib. 1. controu. 14.* Mercatus *lib. 1. de curat. morb. c. 17.* Maſſaria *lib. 1. Pract. c. 21.* Rodius *lib. 1. c. 13.* Saxonia *lib. 1. cap. 16.* Vidus Vidius *lib. 2. de curat. membratim cap. 10.* Fauentinus *lib. 2. cap. 17.* & alij ferè omnes vnanimi aſſenſu idem fatentur.

Æger melancholia hac non laborauit, ſed ex melancholico humore redundante ac retento varia illi ſuccreuere ſymptomata, quatenus excrementitius, & ſuperfluus erat. Naturalis melancholia in alimoniam fuit a natura deſtinata. Galenus *lib. 2. de locis affectu*, alios ipſi aſſignauit vſus, vt tanquam limoſum excrementum traheretur à liene pro eius nutritione, & vt reliquum mitteretur in ventriculum, vt excitaret ſua acerbitate famem naturalem, & vſque ad noſtra tempora credidere Galeni Subſcriptores. Heſmanus & alij hos vſus denegarunt lieni, à quo comprobant chyloſam terreſtriorem trahi partem, ex quâ generet imperfectiorem ſanguinem, quo ſeipſum, & ventris alias nutriat partes, vt in Medicis Reſolutionibus retulimus. Goringius, & alij circulationem ſanguinis admittentes coïncidunt in hanc opinionem, à quibus non diſcedimus.

Sed quæ ſuperfluit in corpore melancholia ſuccúſve excrementitius melancholicus, cum fiat nutritioni ineptus, & ſuperfluus redundet in corpore, nec pro partium nutritione ſit aptus, nec diu, ſi ineptus, à natiuo valeat gubernari calore, varios cauſat morbos; omniáque producit morborum genera, in intemperie, in mala compoſitione, & in ſolutâ vnitate: per vires manifeſtas offendit, per occultas, & à tota ſubſtantia, occidit, corpúſque, & ſanitatem opprimit. Si putreſcat, febres cauſat erraticas, octomanas, ſeptimanas, ſextanas, quartanas, & has ſimplices, duplices, triplices, continuas, aut intermittentes, ſæpiúſque, & lacticas, ac latentes; ob obſtructiones, quas inculcatus hic humor in ventre, meſenterio, vtero, & ventris partibus valet cauſare fiunt in mala compoſitione tumores ſchirroſi & cancroſi, & in ſoluta vnitate fiunt cancri vlcerati in vtero, in meſenterio, & in alijs corporis partibus. Schirrus, quem ſchiroſim, vel ſephiros vocat Alſarauius *lib. pract. 16. tract. c. 22.* Ex terreſtri melancholia fit, ſchirrus improprius; cancrum vocauit Galenus *5. ſimpl. med. c. 9.* à ex atra bile fit, quo & plures aliæ fient excretiones citris vt therebintum, variæ defœdationes, vt lepra, ſcabies, impetigo, color niger, elephantiaſis.

Ex iis etiam melancholicis ſuccis refluentibus, aut accumulatis in hypochondriis, in meſenterio, in liene, in cœterisque ventris partibus, varij inſurgũt morbi, varia ſuccreſcunt ſymptomata, ſuperueniunt enim in liene obſtructiones, tumores, ſchirrus ſcorbutica affectio, in meſenterio obſtructio, abſceſſus vlcus, ſchirrus: in pancreate ſchirrus, in omnibus iis partibus fit melancholia hypochondriaca, cuius varia ac rariſſima ſunt accidentia, quorum meminit Marcellus Donatus, & reliqui Practici, quorum præcipua ſunt ventriculi debilitas, flatuũ copia, imperfectæ coctiones, vomitus aſſiduus, ructus, hypochondriorum murmura, dolores, ſitis, metus, & triſtitia, quas ſæpe concomitatur delirium, cum varia phantaſmatum diuerſitate. Hæc omnia ſymptomata grauiora fiunt ſi ſuccorum fiat receſſus ad partes ſuperiores, præcipuè ſi natura aſſueta expellere illos ad hæmorrhoides, impotens fiat proſequi operationem, atri ſucci ſurſum vergant. Tunc enim (vt inquit Ludouicus Ferrãr *lib. 1. in Coacas*) melancholici metuendi abſceſſus, ſeu decubitu, ſique periculoſi, nam vel apoplexiam, paraplexiam, conuulſionem, cæcitatémve ſignificant; ſi verò tranſlatio ſymptomatica alterius impreſſa ſit, tunc fit intemperies primigenia, quæ alterationem, vel alienationem induxerit, nulla liberalis cacterio ſoluet, à priuatione ſiquidem ad habitum non datur regreſſus.

Nec ſolùm nobis obnoxia fit melancholia, ſua materiá, & manifeſtis qualitatibus, ſed magis occultis viribus, quas vitæ oppoſitas contrahit. Platerus omnem retentam in corpore melancholiam credidit venenoſam acquirere qualitatem, ac naturam. Quæ in atram bilem abit manifeſtum eſt, manifeſtas acquirere venenoſas primas qualitates; terram enim ſua acrimonia eleuat, cancroſa efficit incurabilia, ac lethalia vlnera, cancróſque vlceratos, quæ plerumque etiã in hypochondriis fiunt, & mortem accelerant; ſed quivis ſuccus ater ibidem contentus venenoſus, vt putredine, ac vſtione: inquit enim Platerus *tom. 1.* agens de melancholia hypochondriaca, quòd fœculentus ſit melancholicus humor in hypochondriis contentus, malignitatémque acquirit, & adhuc ſine putredine venenoſæ fiunt contagioſæque occultæ diuerſæ facultates, vt tenet Riuerius *cap. de ſcorbuto lib. 11. Praxis*: quæ non tam reſultant ſimpliciter, à forma, quàm ab ipſa vt determinata per diuerſam humoris alterationem, diuerſumve ſubſtantiæ modum; ex quibus prouenit diuerſa veneficia qualitas, ſicut diuerſa prouenit in venenoſis

animalibus ob hanc cauſam, & in diuerſis medicamentorum partibus & in putreſcentibus humoribus superuenit peſtilens, aut maligna qualitas mutato ſubſtantiæ modo, quæ non pullulabat antea; ex hoc principio contingit quod à melancholia, quæ eſt humor minùs conformis noſtræ naturæ, plures se diuerſæ pullulent occultæ qualitates contagioſæ, morboſæ & lethales, ſic in hypocondriacis ſuperuenit occulta qualitas, à qua tot, & tam varia, ac moleſta fiunt accidentia, quæ à melancholia non fiunt in quartanariis, & aliis in quibus manifeſtè redundat melancholiæ copia per vniuerſum corpus: ſimili ratione in ſcorbutu ſuperuenit ex melancholico humore contaginſa, venenoſa, & inſuperabilis occulta qualitas, à qua intenſiora, & inſuperabiliora accidentia cauſantur: in intricatione capillorum non minùs lethalis, ac inſuperabilis contagioſa reſultat diuerſa qualitas occulta, quæ diuerſa ac grauiſſima parit accidentia. Ab eadem diuerſo modo alterata, vel iuxta diuerſum ſubſtantiæ modum prouenit elephantiaſis non minus contagioſa, horribilis, ac incurabilis, cum tanta ſymptomatum incurabilium ſyndrome, nec aliter ſolet ex contentis intra venas hypochondriorum ſuccis atris, & per hæmorrhoïdas non expurgatis ſuccreſcere venenoſa qualitas, quæ ſubitò ſpiritus diſſipat, & mortem inducit, vt in ægro vidimus, & infrà comprobabimus.

§. III.

Melancholia, & triſtitiam inducere, & omnes conturbare Rectricum virtutum actiones valet.

Hippocrates melancholiam poſſe vergere in corpus protulit, vnde varij ſuperueniunt morbi, quos ſupra retulimus, & poſſe vergere in animam: & inde triſtitia, & metus, deliria, & varia phantaſmata ſuperueniunt. Triſtitiam in ægro contulit: hæc eſt mœror, ac languor ex apprehenſione alicuius mali præſentis, aut proximè ingruentis metu contractus. Hic metus animo conceptus confeſtim cor agitat, mentem obnubilat, omnes facultates animales perturbat, maximam minatur ruinam omnibus facultatibus internis, & tandem ſua malignitate vim imaginatiuam de ſuo ſtatu deturbat, vt doctè concludit Quercetanus, qui duas triſtitiæ ponit differentias, alteram veram vocat, & naturalem, qualem iam definiuimus, alteram adulterinam, ſeu fucatam, potiùs fictitiam. Hanc luctum vocare expedit cerimoniis, ritibúſque circundatum, præcipuè vſitatum in mortuorum monumentis, quem in exequiis defunctorum vetuſtiores demonſtrarunt, vt tenent Herodotus, & Diodorus: latiùs tamen proſequitur Petrus Bellunius Cenomanus.

Vera Triſtitia à cauſis fit ſæpè externis dolorificis, ab ærumnis, filiorum, coniugum, aut parentum interitu, bonorum iactura, & ex terreſtrium eduliorum vſu: vulgus triſtitiam confundit cum melancholia, eſt ſaltem quid ſubſequutum ex illa; ideo inquit Hippocrates quòd metus & triſtitia melancholicum ſignificant. Cum igitur variæ ſint melancholiæ ſpecies, variæ ex illis triſtitiæ ſuperueniunt effectus, ex diuerſo modo alterata melancholià, diuerſi orti vapores, variæ fiunt phantaſiæ, aut imaginationes triſtitiam commitantes, quas referunt Authores. Galenus *lib. 3. de locis* aliquos refert indicantes ſe eſſe vas figulinum: alij credebant ſeipſos vitrum eſſe, alij recuſabant cibum timentes venenum: alij optant mortem: alij ſe mutari contendunt in nouam rei ſpeciem. alij carere capite: alij ſe Reges, Imperatores,

A aut Pontifices iudicarunt: alij credidere infrigidari à calore: aliique & innumeras triſtitiæ erroneas adiunxere imaginationes, aut phantaſmata, ad quos gradus non peruenit æger, ſe enim continebat intra ſtatum naturalem in rectricibus actionibus, licet triſtitià admodum tunc vexaretur.

Tametſi triſtitia non ſemper perturbet imaginationem, nec inuertat phantaſmata, plerumque mortem accelerare valet: Cælius *lib. 29. c. 8.* refert Ariſtotelem prolapſum in mortem ob triſtitiam contractam, quia in freto Euripi cauſas reciprocationis maris non fuit adeptus. Seneca *de conſolat.* Octauiam ſororem Augusti tenet interemptam ex triſtitia filij Marcelli mortis: Adraſtus, nunciata morte filij, triſtiti[a] obrutus obiit: Eduardus Anglorum Rex ob ſimil[em] cau-
B ſam triſtitia fuit interemptus; & alij quamplurimi, vt referunt Cuſpianus, & Polydorus.

§. IV.

Triſtitia an ſubſequatur ex quauis melancholia, & modus oſtenditur.

Diocles referente Galeno 3. *de locis cap. 7.* triſtitiam indicant non prouenire ex quauis melancholia: confirmari videtur, quia Democritus melancholia laborans ridebat continuò. Hippocrates deſipientias cum riſu admittit 6. *aphoriſmor.* 53. & *lib. 5. Ep. dem.* 87. Parmenis cum melancholia laborantem à triſtitia, dicit vertiſſe in riſum, & *lib. 1. Epidem.*
C *comm 3. ægroto* 2. Silenum melancholicum inquit nequiſſe moderare riſum, & cantum: ex quibus Marcellus [Do]natus & Trincauellius triſtitiam iudicant non eſſe melancholiæ pathognomicum ſignum.

Sed Hippocrates 6. *aphoriſm. 23.* decreuit, quod ſi *metus, & triſtitia longo tempore perſeuerent, melancholicum ſignificant.* Ex quibus Galenus, & reliqui Commentatores confirmarunt triſtitiam concomitari melancholiam, tanquam eius ſymptoma. Riſum melancholicis ſuperuenientem improprium, & quaſi ſardonicum eſſe crediderunt aliqui. Mercatus quod riſus reperitur in maniacis, non in melancholicis: Auicenna, & Trallianus, ſi cum melancholia ſit ſanguis admittunt per interualla à ſanguine riſum poſſe
D prouenire in melancholicis: Valleſius *lib. 5 Epidem. comm.* 82. coincidit in hanc opinionem, nec d[is]cedit Gentilis nec Carterus, licet oſtentet recedere: Noſque aſſerimus quòd ſi ſimul ſit ſanguis cum melancholia, poteſt triſtitia licet ſit propria paſſio melancholiæ occultari, ſicut occultatur riſibilitas in aliquis melancholicis, licet ſit propria paſſio hominis. & Hippocrates *lib. 4. de rat. victus*, docet ſitim inextinguibilem, quam pathognomonicum ſignum febris ardentis conſtituit, poſſe manente febre ardente occultari, ſi fuerit ſimul capitis deſtillatio; quæ etiam occultatur languente facultate, aut à delirio illam obſcurante. Nec mirum quòd occultetur propria paſſio, manente eſſentia, ſi occultari poteſt ipſa morbi eſſentia, qualis eſt rationalitas in fatuis, &
E ardens febris, quæ conſiſtit in inextinguibili calore, vt docet Galenus *lib. 1. Prorrhetic. comm.* 22. ſeruans propriam naturam ſolet occultari, & 4. *aphoriſm.* 28. inquit Hippocrates. *In continuis febribus malum, ſi externa partes frigeant.* vbi manente febre occultatur calor, & Galenus has febres vocat ardentes, & *lib. 7. aphoriſm.* 1. docet Hippocrates, *frigus partium extremarum malum, in morbis acutis.* Et febrem occultari multipliciter contingit: Galenus *lib. 4. acut. text.* 47. *lib. 1. Epidem. comm. 3. ægroto* 1. & 2. & *lib* 1. *Epidem. comm. 2. text.* 28. febrem docuit occultari ab interni

viſceris

viſceris inflammatione ſpiritus ad ſe reuocante, occultari etiam poteſt ea craſſiorum humorum copia, in vaſis minoribus, aut in ambitu corporis expanſionem caloris ad extra impediente. ſimiliter & occurſus acrium humorum ad ventriculum, partium externarum refrigerationis fit cauſa ex Galeno *lib. 2. acut. text. 4.* ſicut & nimius dolor ſpiritus reſoluens, ex eodem, *3. de ration. victus comm. 35.* Contingit & febris occultatio à veneno aſſumpto, vel intra corpus genito, vt in hyſtericis, & opiatis ſtupefactis: quid ergò mirandum, ſi ob tot cauſas valet eſſentia febris occultari, quòd valeat occultari triſtitia aliquando, quæ melancholiæ accidens eſt.

Magis nos anxios reddere debet, inueſtigare cauſam ob quam à melancholico humore valet triſtitia produci: contendunt quidam à dæmone cauſari melancholicos affectus, ſimulque illius ope poſſe cauſari triſtitiam, Auicenna, Azaranius, Raſis in hanc inciderunt opinionem: contendunt alij, illam adſcribere Hippocrati *lib. de morbo ſacro*, & Paulo ſed cùm melancholia naturalem habeat cauſam, & licet à dæmone non agitetur melancholicus humor, valeat ipſe homines melancholicos reddere; de naturali dubitamus cauſa: de dæmone enim Deo permittente poſſe melancholiam cauſare conſtat ex ſacra Pagina in Saule melancholico à dæmone vexato: & D. Lucas *cap. 8* docuit virum occurrentem Chriſto Domino vexatum à dæmone cauſante melancholiæ quamdam ſpeciem. Modum quo dæmon illam cauſet, docet Auicenna eſſe conuertendo humores omnes in atram bilem: Iacobus quòd illam cauſat mouendo ad caput totius corporis melancholiam; vel illudendo humanos ſenſus, aut imaginationem, vel inducendo animum ad varios timores, aut ad triſtitiam. D. Thomas *1. p. q. 110. art. 2.* non admittit poſſe dæmones melancholiam generare ex aliis humoribus, ſed poſſe illam iam genitam in corpore transmutare, vt tenet Iacobus, & melancholiam cauſare applicando actiua paſſiuis, quod idem fatetur *3. contra Gentes cap. 143. de potent. quæſt. 6. art. 5. de malo q. 16. art. 9.*

Redeamus ad naturalem vim, qua valet melancholicus humor melancholiam cauſare, & triſtitiam. Galenus grauem hanc difficultatem, ac iudicat difficilem *lib. quod animi mores,* [illegible] Rationem reddit [illegible] melan[illegible] cauſet metum, quia ſedes [illegible] obtenebratur à melancholia cerebrum: triſtitiæ autem ibi non protulit cauſam, vt notauit Ioachinus, ſed *lib. 2. de cauſis ſymptomat.* ipſam obtenebrationem dicit eſſe cauſam & metus, & triſtitiæ, quia ob metum cauſatur timor, mortiſque ſpectatio, ac triſtitia ob imminens periculum: ſequuntur plerique Medicorum exe[illegible] que in noſtra tempora licet Auerrhoes *lib. colliget c. 40.* illam irrideat, & impugnet. Auicenna etiam recessit ab illo, timoris cauſam tribuens non obtenebrationi, ſed ſiccitati in melancholico humore prædominanti. Carreitus his adhæret *lib. de* [illegible] *cap. de melancholia.* probans cum Auerrhoe in cerebro non requiri lucem pro eius actionibus, & conſequenter non impediri ob obtenebrationem, præcipuè cùm melancholia nigredinem cerebro non communicet, quia illa non eſt qualitas actiua ſimilem producens, ſed ex modo tali ſubſtantiæ pullulans in materia, quem non immutat in cerebro melancholicus humor. Nec ſiccitati, aut frigiditati communicatis à melancholia admittunt Iuniores tribuendam eſſe vim efficiendi triſtitiam, quia ſimili modo poſſet cauſari ab extrinſecis cauſis ſiccitatem, & frigiditatem cerebro communicantibus: & potius

ſenectuti inducenti frigidam, & ſiccam temperiem in cerebro, à quibus non fit melancholica triſtitia: Ideò Quincius Ioannes Bon diſcedens, & Maglioca nouas quærunt cauſas. Quincius triſtitiam à melancholia dicit cauſari, quia ex illa prædominante fiunt ſpiritus minus ſplendidi, quam qui requiruntur ad actiones animales, & quia illi ſunt impuri, & terreſtres, rectrices actiones fiunt imperfectiores, ſed iſte Author coincidit in opinionem, à qua recedit, de obtenebratione cerebri, & lucis defectu, de quo diximus non poſſe in cerebro reperiri, ſolùm enim in oculorum organo requiritur, & repetitur ab extrinſeco communicata, tanquam ratio formalis, *quæ* videndi. Maglioca *tom. 1. diſput. 5. cap. 9.* diſcedens ſimiliter ab omnibus recentioribus Authoribus, cauſam triſtitiæ reddit, quia melancholia eſt humor terreſtris, ineptus vt ex illo fiant ſpiritus vitales, & ex horum defectu pauci fiunt animales, quorum defectu fiunt imperfectæ cognoſcitiuæ potentiæ actiones, & ideò prouenit triſtitia, quia cùm ſpiritus ſint inſtrumentum animæ pro ſuis actionibus, & præſtent diſpoſitionem pro lætitia ob ſuam ſplendeſcentiam, mobilitatem, & agilitatem, diaphaneitatemque; his deficientibus in ſpiritibus ex melancholia genitis, quia illa humor eſt terreus, craſſus, frigidus, ſegnis, & grauis, non poteſt debita poni diſpoſitio in cerebro, ſed phantaſmata interturbantur, agitantur, franguntur, diſſipantur, & effingunt varias, ac monſtruoſas figuras ob intermixtos vapores atros eleuatos ex melancholia, quæ ſubeunt in imaginationem, & obiecta timoroſa repræſentant: vnde timor, quia monſtruoſa illa obiecta imminens periculum minari videntur, quod demonſtrat pallor in timore, & externarum partium frigiditas in melancholicis ob retractos per timorem ſpiritus. Sed licet probabiliorem philoſophandi hic Author proferat modum, tamen non adæquatum: cùm triſtitia detur in melancholia, orta ex atra bile, in qua non datur tanta terreſtreitas nec craſſities, nec frigiditas, ac immobilitas. Prætereà magis communis eſt triſtitia in melancholia hypochondriaca, in qua melancholia eſt in hypochondriis, & non in venis, & ideò nec ab illa generantur ſpiritus, ex quorum generatione ipſe aſſerit triſtitiam originari. Prætereà in quartanariis, & eis qui abundant in venis melancholiæ copia, non [illegible] tia, & in iis omnes rationes quæ add[illegible] a Maglioca, deberent concurrere ad illam efficiendam.

Mihi tamen videtur, quòd cùm melancholicus humor tot, ac tam varias valeat producere qualitates occultas, quæ, vt diximus, non proueniunt ab illius forma ſpecifica, vt tali, ſed vt hoc, vel illo modo ſe habet, vnde in aliquibus producit ſymptomata varia, ſcorbutum, lepram, intricationem capillorum, cancroſas diſpoſitiones, & alias contagioſas ſimiles; [illegible] cendum quòd ex mutato illius ſubſtantiæ modo reſultat occulta qualitas, quæ cerebrum afficiens valet eius deprauare rectrices actiones, & varia phantaſmata immutare, & triſtitiam inducere, quæ qualitas ſi non pullulet, nec ſuperueniunt melancholiæ morbus, vt apparet in pluribus melancholicis, & in [illegible] patientibus quartanam adhuc continuam, in qua eſt prædominans melancholia, ex qua generantur ſpiritus imperfectiores, quàm in hypochondriacis, cum redundet in venis melancholia, & ſunt plures vapores eleuati ab humore melancholico putreſcente in toto corpore, & qui aptiùs eleuantur in caput, & poſſunt magis interturbare phantaſmata, quàm qui ex hypochondriis poſſunt eleuari ſine febre, ſine putredineque;

ex quo apparet quòd certa magis cauſa conſignari debet, quæ triſtitiam valeat in melancholicis cauſare, quæ nulla cum ſit ex manifeſtis, occulta debet eſſe, reſultans non in omni melancholia; ſed in illa cum tali ſubſtantiæ modo, vt reſultant à forma in plantis iuxta diuerſas partes diuerſæ facultates, & in medicamentis purgantibus, & in venenoſis animalibus diuerſæ facultates alexiteriæ, vel deleteriæ, & in ipſis hypocondriacis, in quibus contingit plures diu hoc morbo vexatos, nec pati metum, nec mœſtitiam, nec delirium; alios vero quàm maximè iis affici ſymptomatibus ob ſubſequutam occult in hanc qualitatem ex variato ſubſtantiæ modo. Et ideò iuniores Practici hypocondriacos aliquos vocant tantum, alios vocant hypocondriacos melancholicos.

§. V.

Commota melancholia fit mortis ſubitò irruentis cauſa.

CVm ægri incepta euacuatio hæmorrhoidalis ſit retenta, & natura tentauerit iterum illam, contigit quod *in lib. de morb. virginum* docuit Hippocrates in ipſis contingere, quod ſcilicet cum menſtrua moueantur, & erumpere non poſſint, refluunt in ventrem, cor, aut caput, & varia, ac lethalia accidentia cauſant: ſic & in ægro, humores melancholici cum in hæmorrhoides tenderint, nec erumpere valuerint, commoti ſurſum ſunt delati, præcipuè ad ventriculum, & partes circum circa, & ex commota ſic melancholia ob venenoſos eleuatos vapores, ſpiritibus reſolutis concidit æger in ſyncopem, & paucis interpoſitis in ἀσφυξίαν & mortem, quam minari commotam melancholiam protulit Hippocrates 4. *aphoriſm.* 22. *dei Ciantes* (inquit) *nigra, qualis eſt niger, ſponte venientes, ſiuè cum febre, ſiue ſine febre peſſima*, inquit enim Galenus, quòd *ſunt ſigna multarum ac malarum in corpore diſpoſitionum*; ſed præcipuè damnadi nt, quia à commotis prauis, ac venenoſis humoribus compatiuntur partes principes, & præcipuè de nigra bile commota, mortem minari docet Hippocrates 4. *aphor.* 22. & 23. quæ euacuationes damnantur, quia ſunt ſignum prauæ diſpoſitionis corporis, & humorum, & ob periculum ex commotione prauorum, ac venenoſorum humorum, qui quieti non eleuabant venenoſam auram, quam commoti eleuant: ideò Hippocrates docuit, quòd multa nocent mota, quæ ſi non mouerentur, non nocerent, ſicut contingit in ægro, qui inceperat quieſcere, & melancholiâ commotâ incidit repentè in ſyncopem, & cœperunt anxietates ventriculi, & ventris, pulſuum debilitas, & inæqualitas, virium iactatio, & tandem ſubſequuta eſt mors, quæ maximè eueniebant quia melancholia commota eſt ad ventriculum, vt oſtendebant anxietates eius, & oſtendit vomitus nigri humoris ſuperueniens ante mortem, pulſibus tam deficientibus ob conſenſum cordis cum ventriculo, & ob venenoſos inde communicatos ſimul & à venis vapores.

Nec ſolum in atra bilis fit venenum ob adurentes, quas acquirit facultates, ſed & quælibet ſpecies melancholiæ, & quivis humor diu retentus præcipuè in cacochymis corporibus vt *tom.* 1 *con.* 12. tenet Zachias, & tenent Galenus *comment.* 2. *in* 1. *Prorrhetic. text.* 17. Cælius Aurelianus *lib* 3. *cap* 9. Petrus Salius *de affect. partic* & ex luſitanis Boſſius *in pract. crimin. de omni genere homicidij*. Platerus *tom.* 1 *cap. de melanch. l. hypocondriaca.* Mercurial. *lib.* 4. *aphoriſm* 21. Tetlius *de cauſis mortis repentinæ, cap.* 3.

A comprobat generari ex omni humore, & ſubſtantia humorali noſtri corporis venenum, ſi corpus ſit cacochymum: patet de ſanguine menſtruo, & ſemine ex quibus ſubſequuta accidentia demonſtrant commutari ſæpe in venenum, ſicut & ſanguis extrauaſatus grumeſcens venenoſos producit effectus: ab ipſo fiunt pulſus debiles dum abiit in thrombos, homines refrigerantur, & languentibus viribus, ſuperuenit mors, ex quocumque putreſcente humore & qualitas maligna, & peſtilens ſolet ſubſequi: ſi enim humores nequeant regi à naturali calore, in venenoſam abeunt naturam, ſicut in cane abeunt ob cacochymam diſpoſitionem in rabiem; in quam etiam homines abire poſſe Doctor Sanchez, & alij obſeruarunt in aliquibus hominibus, in quibus ſine cauſa B procatarctica rabies ab interna diſpoſitione ſuperuenit: ſic & in alias venenoſas qualitates abeunt humores noſtri præcipuè melancholia, quæ ineptior eſt nutritioni, & minus coërceri valet à noſtro calore, à qua commota vapores venenoſi eleuati, in partes principes recepti ſpiritus diſſipant, vires reſoluunt, & mortem inducunt, vt vidimus in ægro propoſito, præcipuè cum hypocondriis ſint reconditi, quia eum ventilari nequeant, vel in atram bilem tranſeunt, vel corrupti in venenoſam naturam, præcipuè dum aggregantur in magna copia, à qua ſuffocatur naturalis calor, à quo regebantur, quo tempore natura irritata à maligna contracta, ac venenoſa qualitate aeq… in illis tentat illos expellere C per hæmorrhoides, & ſi nequeat hoc conſequi refluunt commoti humores præcipuè in ventrem & ventriculum, & quomodocumque expellantur, fœtidi & corrupti percipiuntur, & breui tempore tam æ… tantis præcipitant, quia ſic commoti eleuant venenoſos vapores, non quia commotione illos generent, ſed quia, coaceruati paulatim, dum mouentur, commouent venenoſos vapores, vt docuit Galenus *lib.* 3 *Epidem. comment.* 75. *Eſt vero*, inquit, *eorum morborum ad …a de generatio, quonam pacto commodè valeres ſubitò inuadat, nempe non eſt permode eere … ationi … iuſta cauſa, ac ipſorum eſt generatio.* Et ſuperaddit: *In hac plurimitide vitioſus in corpore humor concernatus fuit veneno lethalis aſſimilis, in corporibus vi inis aliquid paulatim agens, quæ quando vi* D *tio iam aliquo pacto opportuna erant, humórque ipſe quaſerat maligniſſimus, lethale repentè apparuit ſymptoma*, quod nec aliter in ægro contigit, in quo melancholia commota, in ipſa prima commotione, recurſu ab hypocondriis ad ventriculum ſyncopem cauſauit per venenoſos vapores in magna copia primò eleuatos; & paulo poſt, ab eiſdem eleuatis paulatim in minori copia, cœperunt delabi vires, reſoluti ſpiritus, pulſus facti languidi, qui in ἀσφυξίαν peruenere per quatuor horas antè obitum, circa quem per vomitum reiecit atros humores fœtidos vltra modum, & acerbos, vt ipſe fatebatur. Nec profuerunt alexipharmaca, nec paruæ euacuationes, nec præ maioribus ſubſiſtebant vires.

E

§. VI.

Via deſtinata à natura ad expurgandam melancholiam proponuntur, & hæmorrhoidalium venarum vſus.

PRo neceſſariis excrementis expurgandis deſtinauit in id conſignatas vias natura … alias pro excrementis pluriſque contingit …: ſic vterum pro menſtruis ſuperfluis, ſic hæmorrhoidales venas, pro melancholia redundante deponenda. Per has ſi

dabuè

debitè expurgatur corpus, ſanitas conſeruatur ſi largè fluant, aut retineantur, morbi contingunt, ſicut & in fœminis contingit ob menſtruas purgationes, ex Hippocrate, in aphoriſticis ſententiis, dum retinentur, aut largè fluunt: ſi largè fluant, pariunt corporis totius debilitatem, perfrigerationem omnium viſcerum, atrophicam cachexiam, aut hydropem; ſi retinentur, morbos procreant, quos retulimus; ſi debite fluant, liberant à variis morbis, quorum meminit Hippocrates 6. *Epid. ſect.* 6. *Hæmorrhoidales*, inquit, *habentes neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedena, neque furunculis, neque terebinthi formam habentibus, fortaſſe neque lepris, fortaſſe autem neque aliis.* Sic tenet 6 *aphoriſm.* 12. ex quo infert, non temerè ſupprimendas hæmorrhoides, dicens, *A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi vna non ſeruetur, periculum eſt aquam inter cutem vel tabem aduenire.* Sic dedocet ea obſeruatione Alcipi 4. *Epidem. text.* 132. qui curatus ab hæmorrhoidibus inſaniuit: *Et lib.* 5. *Epidem. text.* 26. qui intempeſtiuè curatus fuit ab [illegible] bile periit, quia vt tenet Valleſius, bilia ſine [illegible] ſanguinis commota eſt, ſiue, vt his noſtro ægro obſeruauimus, quia atra bilis retenta commota fuit, & venenoſa facta, calore naturali extincto, tranſit in venenoſam naturam, à qua irritata natura ipſam ſurſum pellit, tendit in ventriculum, & ob venenum in motu commotum, ſyncopem fecit.

A ſplenetico venæ ramo meſentericus deſcendit, in meſenterium, & inteſtina infinitos fundens riuulos: Tres inſigniores: hæmorrhoidalis, cœcalis, & meſentericus. Hæmorrhoïdalis per coli extrema & recti inteſtini longitudinem, ad anum extenditur, quem amplectitur orbicularim exilibus ramis, vt dum ob obſtructionem lienis neque melancholia conſumitur, vel ab ipſo præternaturalis fit, per hunc excernatur ramum, certis periodis; ideò parit occultas hæmorrhoidas internas dictas, ſicut hypogaſtricus ramos externas. Hic à caua ſæpe deſcendit, plerumque ab ſplenico ramo, vnde vterque plenitudini, & cacochymiæ præcipuè meſenterij deponendis ſunt deſtinati, vnde Iuniores non parum inter ſe concertant, vt Ioannes Baptiſta Cortes, Angelutius, & alij notarunt. Alchimarus *lib. de medendis humani corpor. morb. cap.* 76. Matthæus Curtius *in Mundi* [illegible] *cap.* [illegible]. Rondeletius *lib.* 3. *cap.* 23. omnes venas hæmorrhoidales internas recti inteſtini indicant eſſe propagines venæ portæ, quæ ſunt circa ſedem ani, à vena cauâ originem trahere. Valuerdus *lib.* 6. *cap.* 5. Realdus Columbus *lib* 6. Veſalius *lib.* 5. *cap.* 15. hæmorrhoidales venas indicant ducere ortum à vena Portâ, & poſt tranſitum per meſenterium terminari in cauitatem & extremitatem recti inteſtini. His aſſentitur Pereda *in Paſchalium lib* 1 *cap* 2. Andreas Laurentius *lib.* 4. *Anatom.* internas hæmorrhoïdales venas tenet procedere ſemper à vena porta, externas ſæpe à caua deſcendente, ſæpius ab ipſius portæ meſenterij propagatione. Galenus venæ cauæ propaginem in hæmorrhoïdes videtur admittere 5. *de morbis vulgar. comm.* 25. vbi per hæmorrhoïdes dicit naturam euacuare plenitudinem ſanguinis, ſicut & per nares. Hihgmorus admiſſa ſanguinis circulatione, non ſolùm admittit venas hæmorrhoïdales, ſed ſimul & hæmorrhoidales arterias internas, & externas, per quas ſimul cum venis tenet in rectum inteſtinum deponi, & per oſcula earum enaenari redundantiam melancholici humoris: In parte, inquit, anteriore trunci aortæ priuſquam in ramos iliacos diuidatur iuxta ſacrum os meſenterica inferior enaſcitur, & in culi inteſtini ſiniſtram partem, rectúmque cum venis hæmorrhoïdalibus ad extremum vſque anum deſcendens, arterias hæmorrhoïdales internas conſtituens, extenditur. Per arteriam hanc apertis venis hæmorrhoïdalibus, vel arte vel natura melancholici, & ſeroſi euacuantur humores, ac ſic lien, renes, & totum meſenterium à cœnoſis, ac vitioſis humoribus liberantur. Huius autem exortus ab arteriis emulgentibus & ramo lieni oblato non multum diſtat, adeò, vt ab vtriſque facilè ruentes detinet humores: ſuperaddit, quòd hæmorrhoïdalia vaſa, alia ſunt interna, alia externa. Interna ſunt arteria hæc meſenterica, quæ implantatur in poſteriora recti inteſtini, & vena eius ſocia, quæ ſupra à nobis fuit propoſita, quæ frequentibus anaſtomoſibus cum illa vnita, tendens per meſenterium, ſanguinem ab hac arteria prolatum, exonerat in Portam, quæ ſi à natura aut arte ſanguinem effundant, conſuetis multum inde leuamen accreſcit; ſuppreſſâ verò iſtâ euacuatione, grauiſſa experiuntur a nobis tradita ſymptomata, ob regreſſum humorum per venas, aut arterias in iecur, aut pulmones & in cor: in viris etiam a ſede interiore iliacæ vas hypogaſtricum exoritur, à quo & hæmorrhoïdales fiunt externæ arteriæ.

Aperiuntur hæc vaſa nonnunquam ſanguinis impetu in ipſas irruente, vel laxata virtute, vel ab acri irritante facultate, vel ob præcipitem fluxibilitatem ſanguinis ſeroſi, vel ob multitudinem ſanguinis à natura exonerata propulſi, in ipſa enim prouida natura onus deponit, tanquam in partes, quæ ea onere minorem noxam recipiunt, & magis aptæ ſunt vt ſe poſſint ab onere liberare per euacuationem; ideò melancholicos fœculentos recipiunt humores quos apertione expurgant, vel repletæ retinent: ſolent & repleri ob receptum fœculentum ſanguinem à venis miſeraïcis, à quibus obſtrictis, & repletis prauis, & aduſtis melancholicis ſuccis, intenditur per vaſa hæmorrhoïdalia euacuatio humorum contentorum, ſimiliter & iecur obſtructum, quod imperfectos ideo, & malè elaboratos ſuccos producit, & ineptos ipſos tranſmittit in hæc vaſa, vt corpus ab eis exoneret. Nec aliter ſe lien in eadem vaſa exonerat, dum inepta repletur materia, ſiue a iecore recepta, ſiue à ventriculo, & a ſe malè elaborata. Præterea in hæc feruntur ſucci, qui venenoſi facti per primas, vel occultas qualitates, naturam irritant, ipſiúſque ad ipſorum propulſionem properant, quibus de cauſis ſi deoneretur natura, inſpecto fluentis impetu ſi ſatisfacere videtur naturæ rem omnem [illegible] attendam docuit Galenus, ſi vltra modum erumpat euacuatio, & natura nec leuiter ferat, nec conferat euacuatio, impediendus impetus eius, ſi diminute aut nullo modo ſe exoneret arte iuuanda, tentata horum vaſorum apertione, non per arterias, ſed per venas facta, per quas anaſtomoſi ſimul ſe exonerant arteriæ hæmorrhoïdales.

Fit apertio hæmorrhoïdum ab aliquibus ferro, quæ parum ſecura eſt, & difficulter impeditur; ab aliis frictione panni linei, aut foliorum ficus, ſed ſæpiſſimè per ſanguiſugas, ſeu hirudines, quæ poſitæ hæmorrhoïdibus totum euacuare valent ex Galeno 4 *de ſanit. tuend.* 4 præcipuè illarum plenitudinem, & meſenterij, nec tantum ſanguinem tenuem trahendo, vt intendit Maſſarias, ſed craſſum, vt tenet Claudinus, & docuit Oribaſius *lib.* 7. *collectaneor. cap.* 17. & non ſolùm cutaneum, vt intendit Galenus, ſi cuti applicentur, ſed centralem, ſi apponantur venis à quibus fit per illas ſanguinis miſſio, ſicut & per alia inſtrumenta, per quæ intendimus ſanguinis miſſionem.

Consvltatio Decima-Tertia

De Dyſuria, Iſcuriáque per plurimos dies permanente, & lapidoſo miɛtu terminata.

CONTINET

§. I.

Proponitur euentus, & profertur conſulendi occaſio.

§. II.

Dyſuriæ proponuntur diuerſæ cauſæ, & qualis in ægra iudicabatur fuiſſe.

§. III.

Iſcuriæ per plures dies permanentis cauſæ aperiuntur.

§. IV.

Iſcuriæ permanentia, quibus remediis fuerit deuicta.

§. V.

Lapidum generatio in corpore, in quibus fiat locis, & quo in loco in ægra genitos fuiſſe coniectabamur.

§. VI.

Lapidum generatio in corpore à quibus proueniat cauſis, præcipuè in vtis lotio deſtinatis.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Proponitur euentus, & profertur cõſulendi occaſio.

EXcellentissima Domina vxor Marchionis Aquilarenſis, adoleſcens, poſtquam peperiſſet ſemel, & iterum abortum fecerit, vidua facta, monialis vitæ inſtitutum profitetur: bilioſæ erat temperaturæ, in aliis bene ſe habebat: ob mutatum vitæ inſtitutum, ac victum cœpit pati dyſuriã doloroſam per interuálla, quæ migrauit in iſchuriam, à qua bis tenebatur, ſémel per viginti dies, in quibus per ventrem aquoſitatis reddebat vrinæ co-
E piam: iterum per triginta dies, poſt primos cum magna reſpirationis difficultate, & tunc per plures dies reddebat per os lotium, quod retentum per moram permanebat cum ſedimento, ac ſi per veſicam expurgaretur naturali modo: difficultas reſpirandi ceſſabat poſt vomitum, donec paulatim aggregat[illegible] lotium in pectore reſpirationẽ impediret. Poſt longam auxiliorum [illegible] vtraque Iſchuria fuit terminata euacuando plurimam ſabuloſam materiam arenulis, & lapidibus commixtam, qualem ex ripa fluminis ſolemus extrahere; quæ per plures permanebat dies in
A magna copia, poſtquam redibat lotium ad proprias vias; nec copioſa materia, lapidum diuerſitas, & quantitas eſſet nobis credibilis, niſi in obſeruantiſſimo Regali Cœnobio id contingeret, à nobiſque eſſet obſeruata euacuatio eadem, dum nobis prope exiſtentibus lotium ab ægra reddebatur.

§. II.

Dyſuriæ proponuntur diuerſæ cauſæ, & qualis in ægra iudicabatur fuiſſe.

VEſica ad lotium continendum eſt deſtinata, ad ipſúmque expellendum pro nutu appetitus: indéque illius læditur actio, vel dum non recipit, vel dum receptum non expellit debitè. Contingit hoc
B triplicitet, vel dum reddit cum dolore, vt in ſtranguria; vel dum nihil expellit, vt in iſchuria; vel dum reddit diminutè: & hoc aut fit ſine dolore, vt in dyſuria; aut cum dolore, vt contingit in doloroſa dyſuria, quam Euſtachius & alii recentiores admittunt. Et ægra patiebatur, quæ & iſchuriæ, & ſtranguriæ ampleɛtitur cauſas, & ab identia, licet remiſſiora; differunt tamen ſecundum magis & minus dyſuria & iſchuria, quia in hac ex toto, in illa ex parte ſupprimitur lotium: ab ſtranguria verò, quia dyſuria doloroſa, eſt diminuta ac[illegible] cum ardore vrinæ: in ſtranguria verò ob irritationem ante tempus fit conatus meiendi, fitque guttatim, & cum vehementi dolore, ac conatu, aliquas tantum
C guttulas reddendo.

Prouenit inde coniectari eaſdem eſſe cauſas doloroſæ dyſuriæ & ſtranguriæ, & in quadruplici differentia, vt late proſequuntur Mercatus, Rudius & Iuniores. Prima cauſarum differentia deſumitur à cauſis veſicæ extrinſecis, à quibus poteſt acri c[illegible] intemperati: huiuſmodi ſunt v[illegible] inflammatio, [illegible] vlcus, ragades, hæmorr[illegible]oïdum inflammatio, ex[illegible]ceratio, vt in teneſmo, in quo etiam contingit dolor ob muſculorum communicationem. Secunda differentia ſumitur ex morbis, quibus veſica laborat, ſiue in compoſitione, ſolutáve vnitate, aut intemperie. Ratione malæ compoſitionis fit dyſuria cum dolore aut ardore, ſi in collo veſicæ aut in via ſuperu[illegible] inflammatio, vel ſi ſuccreſcant caruncul[æ]. Ra[tio]ne
D ſolutionis continuitatis, dum propter inflammationem, aut aliam cauſam ſuccreſcunt vlcera in veſica, aut eius collo. Ab intemperie ſicca prouenit dolor, ſiue ardor; dum glandulæ quæ ſunt in collo veſicæ, & quibus dedit natura quandam mucilaginoſam ſubſtantiam, ne ſentirent continuam acrimoniam, exſiccantur, & à lotio naturali irritantur; quod dupliciter contingit, vel in extenuatis, ob partium humidarum reſiccationem, ſeu conſumptionem, vel dum humiditas conſumitur ob nimium vſum veneris. Tertia differentia cauſarum ſumitur ex extraneis ſubſtantiis contentis cum vrina, vt contingit dum pus ſimul cum lotio continetur in veſica, ſiue ex veſicæ inflammatione ortum; ſiue à renibus percola-
E tum, aut à pectore tranſmiſſum: vel continetur in veſica flatus diſtendens, aut comprimens: vel continetur ſalſa pituita, vel bilis acris, ac mordax; vel lapis ex cuius pondere, & pungentibus partibus fit ſolutio continui. Quarta differentia cauſarum ſumitur ab vrinæ ſubſtantia; vel in maiori copia, vel magis alterata, & aduſta, vt contingit in febribus ardentibus; vel ſi dum ratione putredinis loco ſalſuginoſæ qualitatis acquirit nitroſam naturam; à qua nimis abſtergente, & mordicationem inducente in vlis, per quas mouetur, accreſcit dolor, & acrimonia.

Sub

Sub primo morbi ingreſſu, de iis cœpimus dubitare a qua cauſa fieret dyſuria doloroſa, iudicabamúſque quòd à ſalſa pituita id contingeret, vel potiùs ex tartarea humorum natura proueniente ob nouum vitæ inſtitutum, ſub auſtera religione, in quam mutata fuit ægra, ob nouum vſum craſſioris alimenti, ex quo craſſiores debebant generari ſucci, cum bilis commixtione ob calidam & ſiccam ægræ naturam, ob vſum immoderatum alimentorum aliquorum calidorum, præcipuè de chocolate, quod ob achiote maximè ſolet ad veſicam tartareos mouere humores, ſimul & ſuis qualitatibus ardorem cauſare.

Ad curationem deuenientes, illius prohibuimus vſum, ægram ad vſitatum reduximus alimentum, abſtinere a calidis, artioribuſque cibis conſuluimus, corpus expurgauimus, attemperauimus, vſi ſuionis appropriatis pro lotij, veſicæ & renum attemperatione, & expurgatione, ipsamque reduximus in integram ſanitatem. Profuit maximè purgatio per caſſiam, & therebentinam, aqua calcitrapæ & maluarum cum guttulis olei vitrioli, ſale glandium, & ſpiritu fabarum, & oleum ceræ in decocto cicerum.

§. III.

Iſchuriæ per plures dies permanentis cauſæ aperiuntur.

AD yſoria in Iſchuriam gradum fecit ægra, quæ primo inſultu per viginti perdurauit dies: in ſecundo per triginta. Huius affectus cauſas protulit Galenus *lib. 1. de loc. cap. 1. & cap. 2. lib. 6. de loc. cap. 3. lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 2.* quas latius proſequiti ſunt Iuniores non inutiliter di ingentes lotij ſuppreſſionem, in eam quæ fit patiente veſica, & eam, quæ fit veſica non patiente. Primam vocant legitimam, ſeu veram, ſecundam, non veram, ſeu illegitimam. Veræ Iſchuriæ tres ſunt cauſæ, ſenſus abolitus in veſica ob paralyſim ortam ab obſtructione in neruo: aucliſio ſpirituum, ſeu aduertentiæ defectus; vel frigida veſicæ intemperies debilitans expultricem, aut anguſtis, aut occluſio ceruicis veſicæ, quæ ex Galeno *1. de loc. cap. 1.* poteſt prouenire ex ſchirrbo, inflammatione, aut abſceſſu in muſculo occludente, & poteſt fieri occluſio meatus a caruncula eclicta ex vl[illegible], aut a callo, à lento humore, crudo, aut craſſo, & plerumque à lapide. Poſſunt ſimul occludere meatum tumores partium vicinarum incumbentium, vt contingit in grauidis, & ob hæmorrhoïdas, ac ob induratas fæces. Nec aliter copia lotij retenti diſtendendo veſicam vltra proprium tenorem impedit eius compreſſionem ad expellendum, & efficit Iſchuriam.

Iſchuria ſpuria, quæ fit veſica nihil patiente, nec lotium continente, nec conante expulſionem, fit ob obſtructionem partium deſeruientium attractioni ſeri in veſicam, ſiue in emulgentibus, ſiue in renibus, ſiue in vreteribus; in quibus contingere poteſt obſtructio ob varias cauſas, aut propter pus contentum, aut calculum, aut ſabuloſam ſubſtantiam, aut ob contentum in renibus calculum vt obſeruat Schenkius *lib. 3.* Dodonæus *cap. 46* Zacutus *tom 1. lib. 2. hiſtor. 151.* aut propter alterum reſiccatum vreterem, alterúmque calculo obſtructum, vt obſeruat Schenkius *lib. 3.* vel ob carnoſitatem caſu in dorſu genitam, vt obſeruat Trineauellius *conſil. 67.* vel prouenit ex vno tantum læſo rene, vt obſeruat Lotichius *lib. 4. obſeruat.* vel ob tumores, aut inflammationes partium deferentium lotium ad veſicam; vel ob lotij decurſum in partes ſuperiores, vel in alias re-
A giones. per ipsáſque expurgatum, vt vidimus in ægra & obſeruat Hœcſtete *p. 2. decade 5.*

De iis Iſchuriis non multum dubitauimus, qualem pateretur ægra: erat enim ſine niſu meiendi nullus percipiebatur retentionis ſenſus, nullus veſicæ eleuabatur tumor; & ideo ſupra illam coniectabamur reperiri cauſam retentionis; ſed qualis hæc fuiſſet, quæque pars ſuperior affecta, nullum manifeſtum oſtendebat ſignum, præcipuè in prima iſchuria. Ex præcedente dyſuria coniectabamur ſalſam pituitam quæ ante fuerat, glutinoſam factam, vreteres vel emulgentes occludere; donec demonſtrauit euentus, præter ſabuloſam ſubſtantiam, mucoſam, ac glutinoſam, magnam ſimul lapidum reperiri copiam.

B Affectus permanentiam per tot dies mirabamur magis; illúſque conati ſumus ſimul perquirere cauſas, inueſtigaréque rationem ob quam non lethalis euaſerit, cumque lotium per tot dies retentum, non conſpurcarit humores & ſubſequuta febris in ægra ob prauam corruptelam, non fuerit maligna. ſimulque lethargus fuerit ſubſequutus, ob irrigatum cerebrum à lotij in ipſum expanſione, prout in aliis contingit, & hoc intra primum ſeptenarium, ita vt licet poſtea emittant lotium, moriantur ob contractum iam vitium ex retento lotio, alij citius, alij tardius, quia, vt tenet Tulpius *lib. 2. cap. 45.* corpora valentia excurrunt vltra vigeſimum diem; infirma vix ſeptimum attingunt. Ego vero præcipuam iudicaui
C eſſe cauſam, quòd ſcilicet vrina non fuit ex toto retenta, ſed per ventrem in prima iſchuria, per os in ſecunda expellebatur, quem receſſum per ſuperiores partes obſeruauit Deſiderius Iacotius *in coacis* dicens, *Redundat vero ſerum in partes ſuperiores, quæ per ſympathiam cum veſica afficiuntur*: ex quo receſſu lotium delatum in ventrem valuit expurgari per ipſum ſine maximo detrimento ſalutis; imo omnia mutuo ventris, & veſicæ euacuationes poſſunt ſubſtitui, docuit enim Hippocrates *4 aphor. 83. Vrina plurima noctu facta paruam ſignificat deiectionem*, maxima enim eſt communicatio inter has vias mutuò coadiuuantes: & ideò Galenus in comment. inquit, *Vnius ſolutio alterius eſt adſtrictio, & è contra.* Et ſuperaddit, *Vbi humiditates, quæ ſolent aluum reddere*
D *mollem ad veſicam vertuntur, neceſſario fæces indurari ac præterea vetiores, & minores reddi.* Cognouit hanc communicationem Ariſtoteles, qui *libr 4. de generat. animal. cap. 4* narrat vaccam Perinthi cui fuit anus recluſus, vixiſſe, quia excrementa liquata excernebantur per veſicam, & de Leonibus ſcripſit, fœtidiſſimum habere lotium, quia cum ventrem habeant aſtrictum, cum lotio emittunt excrementa.

Per quas verò vias, nullum proferentem inueni. pus vteri per vias occultas alibi diximus à natura propelli in inteſtina: & Hippocrates *in epidem.* abſceſſus dixit fieri per oſſa, per neruos, & per carnem: hæc molitur natura in morbis, vt liberet ægrum à cauſis morboſis; ſed in lotij tranſitu à veſica in ven-
E trem & è contra, cum intra limites ſanitatis fiat à natura; viæ ab ipſa communiores deſtinari debuerunt: forſan ſunt arteriæ, quæ à ramo cœliaco, & meſenterico efferuntur in inteſtina, vt tenet Andreas Laurentius *lib. 6 Anatom. cap. 12* qui reſtuit in arteriam aortam, à cuius trunco ſurculi in renes deſcendunt, & prodit anterior cum emulgentis venæ ramo anteriore, propter quem in renem, ſuſcepiam valeat exonerare materiam, & è contrà.

Similiter in ſecundo inſultu iſchuriæ vrina reiiciebatur per os, communicata prius ad pectus cuius communicationis pauciora ſunt exempla. Zecchius

conſul. 18.

conſultat. 18. lucem nobis obtulit: refert quod Cardinalis Paliotus aſthmaticus, & cum vrinæ ardore & difficultate ita ſe habebat, vt in difficultate vrinæ, leuaretur aſthma, & è contra: Ex quo manifeſtum deſumitur indicium communicationis inter has partes: Sed per quas vias communicent pulmones cum veſica non protulit Zeghius, ſed communem adducit rationem, qua omnes corporis partes communicant inter ſe, quia communi ratione ſibi conſentiunt. Hæc ratio probaret quòd ſimili ratione poſſet lotium expelli per pedem: Hippocrates *lib.* 1. *de morbis*, cauſam adducit, cur in catharroſis affectibus à capite in omnes corporis partes poſſit materia communicari; catharroſa erat, & Petrus Salius Diuerſus latiùs proſequitur per quas vias: & in Cardinali Piolato, qui catharroſus, poſſemus credere, quòd à capite quandoque in pulmonem, quandoque in vias vrinæ deferebantur humores. Sed inter vrinæ vias, & pulmones Higmorus *lib.* 2. *p.* 2 *cap.* 9. communes adinuenit vias, per quas inter ſe communicent: inquit enim agens de vena arterioſa. *Per venam hanc humores iȷ in pulmonibus infarti, aut purulenta materia in pulmonum vlceribus, ad renes deducitur, ac ſic per vrinas expurgatur. A pulmonibus enim deſcendentes in cordis ſiniſtrum ventriculum, inde in aortam, ac hinc ad arterias emulgentes amandantur, via facilis eſt, & frequentiſſime ad humores hoſce expurgandos a natura perperam vſurpata.*

§. IV.

Iſchuriæ permanentio, quibus remediis fuerit deuicta.

CVm certum appareret nobis, ex obſtructis viis ſupra veſicam, a lapidibus & commixtis ſabuloſis ſuccis iſchuriam cauſari, illiuſque durationem pendere, cœpimus vti remediis conuenientibus obſtruentes ſubſtantias, glutinoſas materias ſcindentibus, expurgantibus, & in inferiores partes attrahentibus, in quem finem venam ſecare iuſſimus ex talo ex conſilio Aetij *lib.* 3 *ſerm.* 3. *cap.* 26. & Galeni *l. b. de ſanguin. miſſio. c, cap* 9. qui præcipuè metu inflammationis eam conſuluint. Aetius ex cubito conſulit: Galenus 13. *meth. cap.* 11. 6. *aphor.* 26. *lib.* 6. *Epidem* conſulit ex talo; & *lib. de ſang. miſſ. cap* 17. & 18. Exhibuimus ſolutiua pharmaca, pulpam caſſiæ fiſtulæ, pilulas de hiera, aggregatiuas, cochias, catholicum & therebentinam: vſi fuimus inunctionibus ventris, ac fomentis, vnguento Agripæ, & Arthanitæ; ſed præcipuè ventrem inunximus vnguento Mercurij, cui & pulueres cantharidum miſcebamus, per os exhibuimus diureticas potiones cum oleo vitrioli, vinum alkechengi, ex Arnaldo de Villanoua; ſyrupum de raphano, ex Fernelio, lixiuium ouorum ex teſtis in cinerem redactis, cum Dodonæo; aſellos in vino albo tritos, ex Eugenio; oleum ſcorpionum, ex Mathiolo: cœpimus exhibere aquam de Gambo, quam nequiuit ferre: exhibuimus ius galli veteris cum aperientibus herbis, & tartari cremore, ſpiritibus ſalis, vitrioli, therebentinæ, ex cinere viui, ſcorpionum, radicis braſſicæ, leporis, putaminum ouorum, lapidis ſpongiæ, ſanguinis hircini præparati, lapidis iudaici, gummi iuglandis, acori petroſelini, danci, ſeminum althææ, ex quibus cum melle parauimus Electuarium, ex Vatonio: vſi fuimus veſica muſtellæ, aſellis, cancris fluuiatilibus, vermibus terreſtribus exſiccatis; & morbo permanente reſtabat peruenire ad cantharidas per os aſſumptas, quas *lib.* 4. *ſimpl.* ponit Galenus inter putrefacientia, & erodentia, quæ toto genere ſunt lethalia pharmaca, quæque ex Rhaſi *lib.* 22 *continentis*, exhibita ad pondus aurei in potu, cauſant apoſtemata, veſicam exulcerant, efficiunt ſanguinis mictum & properanter mortem inducunt ex Galeno *lib. de theriaca ad Piſonem*; ex Aetio *lib.* 4. *ſerm.* 1. *cap.* 49. ex Paulo *lib.* 3. *cap.* 51. Tamen in pauca quantitate poſſe exhiberi docuit Galenus *lib.* 3. *de ſimpl. medic. facult. cap.* 23. centeſimam partem vnius drachmæ poſſe exhiberi fatetur Author *lib.* 4. *de rat. vict. text.* 122. Tres cantharides ablatis pedibus, & alis, Galenus *lib* 2. *ſimpl.* integras exhibet: *lib.* 2. *de antidotis* alas, & pedes eſſe earum antidotum fatetur, pro eis qui corpora ſimpſerunt. Nos iuxta Galeni doctrinam exhibuimus ægræ integras cantharides, & ex doctrina Dio[illegible]dis *lib.* 2. *cap.* 54. duo grana ex ipſis integris [illegible]mus, & poſtea tres cum emulſione ſeminum melonum, & cum lacte, quæ pluries repetita profuerunt parum dolores tamen aliquos circa vreteres [illegible]uebant. Exhibuimus vltimò [illegible] extractum ex veſica hirci nuper ſciſſi, & omentum p[illegible] imus [illegible] pia ventrem profuit hoc remedium præ reliquis in vtraque iſchuria.

§. V.

Lapidum generatio in corpore, in quibus fiat locis, & quo in loco in ægra genitos fuiſſe coniectabamur.

HIppocrates generationem calculorum in noſtro corpore cognouit *lib. de aere loc. & aquis lib.* 4. *de morb. & in coacis præ[not]ionibus.* Galenus *l[i]b.* [illegible] *de locis affect. cap* 1 & 5. *lib* 6 *de locis affect. cap.* 2. *lib* 6. *Epidem. ſect.* 1. *comm* 6. & *ſect.* 3 *comm.* 15 & [illegible] [ſ]olum in veſica, & renibus admittat generari calculos *lib.* 1. *de loc cap.* 5. & 6. *de loc. cap* 2. tamen *lib.* 4. *de loc. cap.* 8. vidiſſe illos fatetur tuſſi reiectos ex pectore *lib.* 6 *vulgar. ſect.* 2 *comm* 6. admittit poſſe generari in arthricis in locis patientibus fluxionem: & *lib.* 14. *method cap.* 2. in abſceſſibus tenet vidiſſe calculos. Sed non ſolum in his partibus, ſed in reliquis corporis partibus lapides poſſe generari pluribus obſeruationum exemplis confirmat Sennertius. Nam generari in cerebro obſeruat Ioannes Kentman *libello de calculis.* Hollerius *lib.* 1. *de morb. intern. curat. in ſcholio cap.* 48. Cornel. Gemma *lib* 1. *Coſmocrit. cap* 6. Fabricius *cent.* 1. *obſeruat.* 1. Generari in palpebra vidit Aetius *tetrabili* 2. *ſerm.* 3. *cap.* 8. Iulius Cæſar Scaliger *exercit.* 108. *ſect.* 3 ſub lingua vidit, Nicolus Florentinus *ſerm.* 4. *tract.* 1. *cap.* 8. & *ſerm.* 5. *tract* 9. *cap.* 12. Guainer. *tract. de calcul. paſſion. c.* 1. Kentman. vbi ſuprà, Cornel. Gemma vbi ſuprà, Iouberius *paradoxi* 3. *decade* 2. In tonſillis & in faucibus obſeruat generari calculos Nicolus Florentinus *ſerm.* 5. *tract.* 9. *cap.* 12. Langius *lib.* 1 *epiſt.* 57. Kentman. vbi ſupra, in gutture obſeruant. Auicenna *lib.* 3. *fen.* 9. *cap.* 9. in pulmonibus. Galenus citatus, Trallianus *lib.* 5 *cap.* 4. Arethæus *lib.* 1. *cap.* 1. Ægineta *lib.* 3. *cap.* 31. Fernelius *lib.* 5. *de part. morb cap.* 10. Beniuenius *de abdit. morb. cauſ. cap.* 24. Scaliger vbi ſupra, Dodonæus *medic. obſeruat. c.* 23. Triueauellius *lib.* 10. *curat. affect. c.* 6. Cardanus 4. *aph.* 79. Circa baſim arteriæ magnæ obſeruat Cornel. Gemma, vbi ſupra. In cordis arteriis vidit Fernelius *lib.* 5. *part. morb cap.* 12. In corde vidit Hollerius *lib* 1. *de morb. intern. in ſcholio cap* 29. & 50. & *comm.* 2. *in lib* 6. *ſect.* 2. *caucar.* Eraſtus *apud Scholzium* 103. In mammis vidit L[e]mnius *lib.* 4. *de occult. nat. mirac. cap.* 12 In ve[ntri]culo Nicolus Florent. *ſerm.* 5. *tract.* 4. *cap.* 53. Gent[ili]s

in

in Auicennam lib.4.fen.1. tract.1.cap. de febris ſextana. Cardanus *contrad.* 9.*lib.* 2.*tract.*1 & *lib. de ſubtilit.* Gemma vbi ſuprà : In inteſtinis obſeruat Galenus 1. *de loc cap.*5.& 6. *de loc. cap.*2. Arculanus *in* 9. *Rhaſis,* Gentilis vbi ſuprà : Beniuenius *capite* 19. Fernelius *lib.*6.*part. morb. cap.*9 Scaliger vbi ſupra : Trincauellus vbi ſupra, & Kentmanr : Hullerius *lib.*1. *de morb. cap.*48. *in ſchol.* Capiuaccius *libr.* 3 *capite* 13. Mercurial. *lib.*1.*de excrem. cap.*4. *lib.*2. *variar. cap.*2. Paræus *lib.*24.*cap.*19 Petrus Salius *Auer in cap.* 9. Marcel. Donat. *hiſtor. mirab. lib.*4. *cap.*3. Crato *ep ſtol.* 540. Foreſtus *lib.*14. *cap* 26. In meſenterio Fernel. *lib.*6. *internor. morb. cap.*9. Hollerius vbi ſupra: In vena portæ Columbus *lib.* 15. in hepate Kentmanus vbi ſupra, Beniuenius *cap.* 3. Dodonæus *in ſchol.* Rhodiginus *lib.*4 *cap.*17. Scaliger vbi ſupra. Camenicennus *in Mathiolum lib* 5.*epiſtol.* Hullerius vbi ſupra, Columbus vbi ſuprà, Dominicus Leon. *de art. medic. lib.*5.*cap.*6. In veſica fellis Florentinus vbi ſupra, Beniuenius *cap.* 94. Dodonæus *in ſcholio*, Fernelius *lib.*1.*phyſiol. cap.*7. Fallopius *in obſeruat.* Gemma Coſinocr. *libr.*1. *cap.*8. Foreſtus *lib.*14. *cap.*26. In liene Veſalius *lib.*5. *cap.*9. Hollerius vbi ſupra. In venis hæmorrhoidalibus Columbus vbi ſupra. In vmbilico Author Definit. Nicolus *ſerm.*5. *tract.*9. *capit.*13. Saxonia *lib.*3. *cap.*41. In vtero obſeruat Hippocrates 5.*epid ægro* 25. Aëtius *tetrabil.*4.*ſerm.*4. *cap* 98. Nicolus *ſerm.* 5. *tract.* 9. *cap.*12. Hollerius vbi ſupra. In veſica verò & renibus obſeruarunt omnes Practici.

Sed in quo loco tanta copia calculorum, qualis fuit expurgata ab ægra, fuerit congenita, maximum induxit dubium : non parua fuit coniectura quod fuiſſent in vtero congeniti lapides, & oppreſſis vijs vrinæ inde fuerit orta iſchuria: a Baronio obſeruatum eſt ex Mailatia *lib.* 1. *cap.* 17. vidiſſe plures lapides magnitudinis iuglandis ex vtero cuiuſdam monialis fuiſſe reiectos, cuius præſtabat indicium, quòd vtraque iſchuria iuxta menſtrualem purgationem ſuperuenerit, quòd tanta copia lapidum, & ſabuloſæ ſubſtantiæ nequiuit contineri in renibus, & viis ſupra veſicam; quòd lapides in tam magna quantitate, nec poterant pertranſire per vreteres & emulgentes, quòd ſine dolore ferè euacuabantur, quòd in tranſitu per illas vias arenulæ, & paruus lapis cruciatibus ac doloribus infeſtant, ſine quibus pluſquam lib.13. eiiciebat noctu, & die, & hoc per plures perdurabat, nec poterat alia reperiri via quaſi indolens, per quam deſcenderet ſimul cum vrina tanta copia calculorum, & ſabuloſæ ſubſtantiæ ſine dolore, & nihil in expulſione, quòd poſt tot ſecula ab Hippocrate & antiquioribus Medicinæ parentibus calculorum generatio in vtero fuerit reperta.

§. VI.

Lapidum generatio in corpore à quibus proueniat cauſis, præcipuè in viis lotio deſtinatis?

PRo lapidum generatione intra corpus noſtrum, duplex cauſa reperitur : materialis, ex qua hic, quæ eſt materia fœculenta, lutoſa, terrea, craſſa, & viſcoſa : & efficiens, à qua in lapidem mutatur. Præcipua diſpoſitio requiſita in materiali cauſa eſt viſciditas, ſeu tenacitas. Et viſcoſum ex Ariſtotele *lib.*4 *meteor. cap.*2. *humidum exiſtens molle eſt, ad multúmque ſe extendere poteſt.* Hanc pro calculis requiri materiam docuit Hippocrates *lib.*4. *de morb.* & *lib. de loc. aere, & aquis.* Galenus *libr.* 6. *Epidem. ſect.* 3. *comm.*13. Aëtius *lib.*3 *ſerm.*3.*cap.*4.& 9 Auicenna *lib.*3. *fen.* 18. *tract.*2. *cap.*16. Alexander *lib* 9. *cap.*4. & 7. Paulus *lib.*3.*cap.*45. De efficiente cauſa maior eſt dubitatio: fit enim lapis dum fit dura glutinoſa materia. Durum ex Ariſt. *eſt quod ſecundum ſuperficiem non cedit in ſeipſum* : & hoc fit tale vel à frigore, vel à calore : A frigore concreſcere intra corpus non datur; reſtat quod fiat à calore, vt tenet Galenus *lib.*6. *Epidem. ſect.*3. *comm* 15. *lib.*14. *methodi, cap.*4. *lib.*2. *de natur. human. comm.*15. Iuniores antiquam hanc reiiciunt opinionem quia non iudicant in corpore poſſe reperiri adurentem calorem, à quo inducatur lapidis durities, & ſi à moderato calore fierent lapides, aquà madefacti diſſoluerentur, ſicut lateres diſſoluuntur, qui concreuere calore. Ideo cum Cordæo admittunt præter calorem in glutinoſa materia dari vim coagelatiuam, qualis reperitur in corallo, qui circundatus ab aere à propria vi ſuæ materiæ concreſcit, hancque virtutem tribuunt alij ſali, aut tartaro, alij aeri vt tartareæ vi commiſto; alij tribuunt vim illam ſucco lapideſcenti. Sennertus iis adhæret, vim quandam lapidioſam tribuens aliquibus materiebus, quæ ſimul cum calore concreſcunt, & lapides fiunt: atque horum Authorum ſententias, ſuamque contendit confirmare pluribus rationibus, & exemplis.

Sed meo iudicio fruſtra Sennertus, & reliqui contendunt diſcedere ab Hippocrate, Galeno, Ariſtotele, & reliquis, qui ex eorum opinione contendunt quòd calor ſit ſolus efficiens cauſa lapidum qui in noſtro corpore generantur : ſi aliqua tamen qualitas, virtúſque reperiatur ex parte materiæ, quam nos etiam neceſſariam admittimus; hanc nos non efficientem eſſe cauſam dicimus, ſed diſpoſitionem, vt lapidis forma introducatur in tali materia, à qua forma proueniat, & conſeruatur durities, quæ nequit aquà diſſolui; ſicut enim in mineralibus à calore ſolis fiunt varia mixta ex terrea materia diuerſa, nó quia in illis eſt alia virtus generatiua, ſed quia eſt diſpoſitio vt fiat aurum, argentum, aut ferrum ob ſuperuenientes formas iuxta materiæ diſpoſitiones diuerſas à ſole genitas, ex quibus ſequitur durities, & conſeruatur, quæ nequit diui, licet iniiciantur in aquam, & ſicut intra noſtrum corpus poſita diſpoſitione in materia, ſine peculiari vi generatiua animalis reſidente in materia ex qua fit, fit animal, à cuius forma conſeruatur ſubſtantiæ modus illi debitus, ſine eo quòd in aqua poſitum liquetur eius materia, ſeu reddatur ad mollitiem, quam prius habuit; ſimili modo dicendum in lapidum generatione in noſtro corpore, quorum non eſt eadem ratio ac in lateribus: in iis enim ſolùm mutatur forma accidentalis à mollitie in duritiem, à calore deſiccante, & ideò poſſunt ab humectante virtute, aquæ reduci ad amiſſam humiditatem. In lapidis productione fit generatio ſubſtantialis, & introducitur forma ſubſtantialis lapidis, cuius eſt propria paſſio durities quæ reſultat ex illa intenſior, quam quæ introducitur à calore, & præceſſit tanquam præuia diſpoſitio.

Ex quo conſtat non eſſe ſuperaddendas entitates fictitias ſine fundamento, præcipuè cum in Parentum doctrina ſint manifeſtæ omnes cauſæ lapidum; & ſimilis ratio conuinceret ad infinitas quærendas alias generatiuas virtutes, aurificam in materia auri, ferrificam in materia ferri, & ſic de aliis mineralibus.

CONSVLTATIO DECIMA-QVARTA.

De chocolate, eius vſu, & quam potus habeat rationem.

CONTINET

§. I.

Refertur Occaſio conſultationis, & euentus.

§. II.

Quid ſit chocolate proponitur, & ex quibus componitur Indica hac confectio.

§. III.

Quæ ſit temperies Indicæ confectionis chocolatis, & quæ ſint eius vires.

§. IV.

Sub quo potus genere ſit, qui ſit ex chocolate, & qualem habeat vim alimenti.

§. V.

Qualiter potus chocolatis iudicetur non frangere ieiunium.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Refertur Occaſio conſultationis, & euentus.

CATHOLICVS noſter Potentiſſimus Hiſpaniarum & Indiarum Rex, vſum chocolatis, qui fertur ex illis abhorrebat, tenuebatve, donec elapſo anno laborauerit ventriculi debilitate, virium laſſitudine, & ventris adſtrictione. Proponebatur chocolate pro his omnibus vtilis, tennebat tamen, ſed cum loco eius ex pharmaceutica Medicinæ parte nulla ipſo gratiora ſe offerrent medicamenta, loco eorum illum prætulit, paulatimque aſſueſcens in interpolato dierum vſu, ad quotidianum pertranſiuit, ſemel vnoquoque mane illo vtens: ventriculus roboratus eſt, corporis animales motus validiores ſunt redditi, venter in aſſuetam rediit conſuetudinem. Dum in iis bene ſe haberet, coincidit dubium: An ieiunandi cauſa deberet intermittere aſſuetudinem; proponebatur enim ab aliquibus hunc potum frangere ieiunium, quod nobis nouam dedit occaſionem conſultationis huius, in qua vtrumque proſequemur: Quid ſit chocolate, & an potus qui ex illo conficitur, ex eis ſit quæ valent frangere ieiunium.

§ II.

Quid ſit chocolate proponitur, & ex quibus componitur Indica hac confectio.

PInellus *in quæſtione de chocolate*, & recenſiti ab ipſo Petrus Martyr *decade 5. Oceani cap. 4.* &

A *decade 8. capit. 4.* Frater Toribius de Molina *tract. Indiar. cap. 1.* Acoſta *lib. 4. hiſtor. natural. de Indis cap. 22.* Gomar. *2. p hiſtor. Indor.* Benzon. *lib. 2. hiſtor. Indorum cap 16.* Padilla *lib 2. hiſtor. ſanct. Domin. de Megico.* Herrera *decade 2. hiſtor. general. Indor. lib. 6. cap. 13. lib. 7. cap. 16. decade 4. lib. 8. cap. 3. & 9.* Torquemada *lib. 14. Indiar cap 10. tom. 2. Monarch. Indiar.* Caſtillo *cap. 3. & 5. hiſtor. Indorum.* Corneſo *lib. ſimpl. medicam. Indiar. cap. del cacao.* Barrios Rouilius *in ſuo herbario.* Hernandez *hiſtor. natural. noua Hiſpania lib 1. ſect 2.* Antonius Recus *lib. rerum medicam. noua Hiſpania.* Carolus Cluſius, Figueroa, & Marrandus, & recentes Zachias *tom. 1. lib. 2. cap. 15. lib. 9. tit. 8. tom. 2.* Caldera *in Tribunali Medico ſect. 4. cap. 2.* Pater Thomas Vrtado *tractatu de chocolate*, de ipſo plu-
B ra proponunt. Ex quibus deducitur, quòd eſt quædam compoſitio, ſeu confectio Indica compoſita ex varijs ingredientibus, quorum Baſis eſt *Cacahuate*, quod Hiſpani vocant *Cacao*, fructus arboris dicti etiam *Cacao*, qui reperitur apud Indos in varijs Prouinciis, in Guatimala, Soconuſco, Chiapa, Nicaragua, Tabaſco, Yucatana, Guaxaca, Hixiala, in montibus Syracuſæ, & Antiochiæ, Venezuela, Guaiaquil, Acapulco, Tepuano, Paytiri, & aliis calidis regionibus Indorum. In eis *Cacao* arbor acceſcit non abſimilis palmæ cum nudo trunco, terminato in copioſum foliorum numerum ſimilium folijs ficus: virgulæ porriguntur in vlnæ longitudinem, & ſemiſſem alterius partem, floreſcunt bis in anno, florea ſunt
C pallidè dealbicantes, ex eis fiunt quaſi parui viridea melones, oblongi, continentes à viginti vſque ad triginta grana, quæ ſicut arbor, à qua procreantur, à noſtris vocantur *Cacao*, & granum quoduis obtegitur tunica alia ſub qua eſt caro, ex qua fit chocolate: vocant Indi fructum hunc *Cacahuate*.

De temperamento in *Cacao* variant Authores. Franciſcus Hernandez *lib. 1. ſect. 2. cap. 36.* temperatum eſſe in primis qualitatibus aſſerit, cum leui vergentia in frigiditatem, & humiditatem: Guillelmus Robilius *lib. 8. cap 93.* frigefacere corpus fatetur: Doctor Ioannes de Barrios illis ſubſcribit. Ioannes de Cardenas de *Cacao* viridi, & non torrefacto dicit, quòd ventrem adſtringit, cohibet menſtrua, retinet lotium, obſtruit iecur, & lienem, debilitat ventricu-
D lum, lædit reſpirationem, efficit melancholicos affectus, Lipothymias, vteri ſuffocationes, & hydropem; quæ frigidam atteſtantur temperiem; ſi verò torrefiat *Cacao*, & triturerur, inquit, quòd curat obſtructiones, iuuat coctiones, & appetitum, vteri ſuffocationes cohibet, vires adauget, & cauſat lætitiam, quod calidam atteſtatur temperiem. Horum autem contrariorum effectuum cauſam reddit, quia ex varijs partibus componitur terreis, aëreis, & igneis. in terreis frigiditatem habet, & ſiccitatem, craſſitiemque terreſtrem, ac melancholicam: In aërea habet prædominantem caliditatem, & humiditatem, butyroſamque ſubſtantiam, ſeu oleaginoſam, ac pinguem. In igneis habet prædominium caliditatis, & ſiccita-
E tis, ob quas amarum habet ſaporem, & ſolet cauſare capitis dolorem.

Ex iis deducto, quod Cacao ante torrefactionem præcipuè ſi ſit viride, frigidum eſt, & ſiccum in primo gradu ſaltem: poſt torrefactionem, & triturationem, cum reſoluantur partes frigidæ terreæ, & aqueæ, prædominantur aëreæ, & igneæ, & Cacao torrefactū redditur humidum, & ſaltem in primo grado calidum; ex quo prouenit, quod cauſet contrarios effectus, quàm ante torrefactionem, ſicut contingit in lapide ex quo fit calx, qui per torrefactionem mutatur à frigida in calidiſſimam naturam.

cacao, vt ex illo fiat chocolate, torrefactione præparatur, ob quam denudatur à tunica exteriori, & mutatur in butyroſam maſſam, amiſſis terreis partibus; fit paſta mollis, dum malaxatur. Nec torrefactio debet eſſe magna, vt appetunt aliqui Recentiores; amittit enim butyroſam ſubſtantiam, fit parui nutrimenti, & inſalubris, magis ſiccum, & minùs calidum, nimis reſolutis aereis partibus. Poſtquam torrefit cacao, in matate demollitur, donec mutatur in mollem maſſam, ac lenem, vbi illi ſuperadduntur varia ingredientia, ex quibus omnibus ſimul cum ſaccharo fit Indica confectio dicta *chocolate*.

Huius Pincilus varias refert compoſitiones, & ex ipſo transfert Caldera. Robles tribus pro libris de cacao ſuperaddit duas vncias aniſorum, vnciam vnam cinamomi, caryophillorum vnciam ſemiſſem. Ledeſma pro centum granis de cacao ſuperaddit Axiduo, pugillum aniſorum, caxelli duo, Meſcaſuchiles duo, vel ſex roſas Perſicas, Tetactu vnum, cinamomi dragmas duas, auellanas duodecim, & totidem amygdalas, ſacchari libram ſemiſſem, Achiote parum. Medicus de Marchena pro ſeptem centum de cacao ſuperaddit libram vnam, & ſemiſſem ſacchari, cinamomi vncias duas, quatuordecim chiles, dimidiam vnciam caryophillorum, ex fructibus campeche, quos nôſtri vocant vainillas oloroſas, tres, cinamomi vncias duas, quatuordecim chiles, dimidiam vnciam caryophillorum, vainillas tres, cinamomi dragmas duas, vel aniſorum dragmas quatuor, & parum de achiote. Apud noſtrates fit communiter hæc confectio varia, quinis enim variat in ingredientibus, & in eorum doſi pro nutu, aut voluptate. Alij verò pro temperie, aut morbis, quibus afficiuntur: qui benè temperati ſunt, nec vltra propriam commoditatem quidquam optant, pro libra vna de cacao alteram ſuperaddunt ſacchari, quatuor vainillas dictas apud nos oloroſas, vnciam vnam, aut ſaltem ſemiſſem cinamomi, & de achiote aut parum, aut nihil, ſi timent vrinæ ardorem.

§. III.

Quæ ſit temperies Indicæ confectionis Chocolatis, & quæ ſint illi vires?

DE temperie chocolatis nequit abſolutè determinari gradus, variæ enim ſunt illius compoſitiones, & præter adducta ingredientia, varia alia apud Indos ſunt in vſu pro eius compoſitione, quibus plerique vtuntur, quæ calidiſſima ſunt; vtuntur enim Axi, Chili, Chilcotes, Chiltecpin, Tonalchiles, Chilpatlagua, quæ tertio gradu ſunt calida: ſuperaddunt alij Mecaxuchil calidum in quarto gradu, alij Vinacaxchil parum diſtans in caliditate: alij Mshax in ſimili gradu calidum, ſicut alij Nacaz, Iuchitli, Tiljuchith, ex quibus magis minuſve calidum reddi eſt neceſſe: ſuperaddunt alij ambarum, & moſchum, & alia plura aromata. Zacutus *de Praxi Medica admirabili lib. 2. obſeruat.* 6. licet huius confectionis ſe ignarum oſtendat, eius has protulit vires, ventriculum roborat, ob fructum cacao, & radicem vocatam Bachina, flatus diſcutit, mucoſam pituitam per aluum educit, pituitoſoſque ac craſſos humores, venerem potenter excitat, prodeſt aſthmaticis, mitigat veſicæ dolores ortos ex flatu, ructus leuat, menſtrua mouet, obſtructiones aperit. Caldera chocolatem iudicat eſſe temperatum, quia, inquit, fit ex frigido cacao, & ex aromaticis calidis; & ſtatim calidum illum eſſe fatetur conuictus ex eius viribus, quia abſtergit, & aperit, quod tribuitioni maximè

A tribuit, & hæſitans varia propoſuit, nec nimis cohærentia.

Ego verò iudico quòd chocolate ratione *Cacao* ſit calidum in primo gradu, iuxta illius temperiem, & quod ob calida alia ingredientia, poteſt porrigi vſque ad ſecundum; quod maximum præſtat alimentum, ſitim auget in bilioſis, cohibet in reliquis, ventrem mouet, abſtergit, & aperit obſtructiones, prodéſtque quàm maximè in ventriculo corroborando, famem excitat, coctionem iuuat, flatus diſcutit, maximè eſt vtilis pro omni frigida intemperie corrigenda; in cachexia, hydrope, & hypochondriaca B affectiona, dum ſucci non bileſcunt. lotium mouet, generationem iuuat. Nocet pycrocolis, in quibus ventriculus bilioſis ſcatet ſuccis, aut calida, ac ſicca laborat intemperie, in febribus bilioſis, & præcipuè in quouis lotij ardore.

Ob has vires maximè profuit in Catholico Rege noſtro illius vſus, ex quo ventriculi languor robur recepit, vires laxæ recuperatæ ſunt, venter ad naturalem redut conſuetudinem.

§. IV.

Sub quo genere potus ſit, qui fit ex chocolate, & qualem habeat vim alimenti?

C CHocolate, vt ſolida eſt ſubſtantia, paſtáque, aut compoſitio Indica, ſolius cibi habet rationem, dum verò diſſoluitur in aqua & potus, & cibi habet rationem. Indi illum puluerisatum immiſcent cum Atole, quod potus eſt genus etiam ab ipſis vſitatum. Alij diſſoluebant in aqua cum melle Malagoey. Noſtri diſſoluunt in aqua cum ſaccharo; ſed alij in aqua frigida; alij in aqua calida, alij donec ferueat; alij donec mutetur in ſpumam, quam ſeparant in aliud vas, & ea vtuntur, nec omnes cum eadem quantitate efficiunt potum; alij craſſiori hoc potu vtuntur; diluto magis alij; communiter pro vnaquaque potiona duæ ſufficiunt vnciæ de chocolate, & duæ ſacchari.

Potus, inquit Beyerlink *tom* 6. dicitur, pro omni D eo, quod bibitur leuandæ ſitis gratia; ſed plurima Electuaria, Iulepi, & alia liquida medicamenta, ſunt potus, & tamen non leuandæ ſitis causâ, ſed ob ſanitatem bibuntur. De naturali potu hoc potiùs eſt verum. Potus tamen latiſſimè ſumitur pro quacumque ſubſtantia liquida, quæ bibitur causâ leuandæ ſitis, elixationis alimenti, vel ob alios fines, & potus in hac acceptione eſt duplex: alter naturalis, à natura leuandæ ſitis gratiâ, & ob cibi elixationem productus, alter eſt artificialis, & ex hominum induſtria factus. Naturalis potus eſt duplex; alter à natura deſtinatus, & productus pro omni animantium genere, & dicitur aqua; alter a ſummo Deo hominibus conceſſus, & vocatur vinum. Artificialis potus eſt multiplex; alter ex ſua natura eſt cibus, licet li- E quidus, à natura deſtinatus in nutritionem, ab hominibus pro potu acceptus, ex modo quo aſſumitur, vt carnis expreſſiones, inſtillationéſque, quæ carnis ſubſtantia ſunt, licet liquida; & lac, quod ex Nonnio eſt ſanguis concoctus ad infantium alimentum, & ex Hippocrate *lib. de alimento*, à natura diſtinatum. Alter maiori ex parte eſt potus, commixtus tamen cum ſolidiori cibo, vt cato, in aqua diſſoluta, mel, ſaccharum, farina, aut chocolate.

Omnis cibus quantúmcumque ſolidus admixtã habet potus ſubſtantiam, quæ poſt coctionem, materiã præſtat pro lotio, & in diſtillationibus vt aqua extrahitur. Omnis potus cibi habet commixtam materiam, & alimentũ præſtat. De quo maximè poſſet dubitari,

eſt de aqua, quæ à natura pro potu fuit conceſſa omnibus animalibus, & eſt ſimplex elementum, de quo dicit Ariſtoteles *lib de ſenſu, & ſenſibilis* aduerſus Pythagoræos, quòd vt tale non poteſt nutrire: & Galenus 3. *de rat. vict. text.* 17. inquit, *At qua nullo modo nutriunt, ſicuti aqua, ea virtutem neque ſummè debilitare, neque ſummè roborare quiſpiam dixerit*: & *libr.* 4. *aphor. comm.* 12. inquit, *Aqua verò neque epota, neque extrinſecus occurrens apta eſt ſolidas animalis partes humectare.* Sed ipſa, adhuc ſi elementalis deſeruiret pro potu, poſſet ſaltem nutrire inadæquatè partes aqueas quibus eſt ſimilis in modo ſubſtantiæ, vt diximus, *part.* 1. *ſect.* 2. *Reſolut. Medicar.* Quæ pro potu deſeruit ſiue putealis, ſiue fluuialis, ſiue fontana, ſiue pluuialis, ſiue cyſternina, licet non ſit perfectè mixta, vt tenet Cæſar Benedictus, nec ex commixtione cum cibo vim habeat nutriendi, vt tenet Tancredo, aliqua tamen ex parte ſit commixta aliis mixtis ſubſtantiis, & cibi rationem habet, vimque nutriendi, vt docet Hippocrates *lib.* 1. *de Diæta. Ignem omnia vorare, aquam verò omnia nutrire*, protulit, & *lib.* 3. *de rat. victus text.* 19. dicit, *ſed & multa, quàm aqua multo potentior*, vbi aliquam concedit in aqua nutriendi potentiam: *lib. de alimento*, & aquæ, & aëri vim nutriendi tribuit, dicens, *cibo, potu, & aere nutriri partes corporis*: ſi aër nutrit, potiùs nutrire poterit aqua. Ariſtoteles *ſect.* 1. *Problem.* 13. aquam nutrire probat, ea eo quòd aquarum mutationes ægrè ferunt corpora. Galenus 3. *de rat. victus in acut. potentiorem aquam docet habere aliquam vim nutriendi; potentiorem* vocat ob commixtionem ob quam ad nutriendum fit potentior: *lib. de pulſibus ad Tyrones capit.* 24. *Aqua*, inquit, *omnium qua offeruntur minimum alimentum prabet*, quaſi docens quòd ea ſua natura niſi commixtionis gratiâ, inadæquatum tamùm præſtat alimentum, quod minimum eſt reſpectu adæquati. Athenæus *libr.* 11. probat aquam nutrire, quia ex ſola illa Cicadæ nutriuntur. Cælius Rhodiginus *libr.* 13. *capit* 24. narrat puellam in Hiſpania ſola aqua vixiſſe vltra vigeſimum ſecundum annum. Rondeletius *libro* 1. *de piſcibus capite* 12. obſeruat plures piſces in vaſis vitreis cum ſola aqua nutriti, & viuere multum tempotis.

De vino, quod potus eſt, & à ſummo Deo hominibus præcipuè in hunc finem condonatum, Mercurialis in Piſanis prælectionibus non eſſe alimentum contendit, nec habere vim nutriendi aliquam, quia nulli ex ipſo ſolo vixiſſe contigerit nutriri, nec partes habet ſolidas, quæ pro nutritione requiruntur, & ideo Galenus *lib. de facult. medicament.* illud inter nutrientia non reponit, ſed tantus vir ſolus recedit à communi omnium opinione, ab antiquis recepta, & à cunctis experta. Hippocrates *lib. de alimento*, inquit, *quibuſdam lac alimentum ſecundum naturam, aliis autem non ita, quibuſdam vinum alimentum; quibuſdam non eſt alimentum*, ideſt, idoneum. Galenus 3. *de aliment. facult.* inquit, *vinum quidem ex eorum numero eſt, qua noſtrum corpus alunt omnes fatentur: nam ſi modo quid alit, nutrimentum eſt: vinum etiam in numero alimentorum eſt ponendum, quidam tamen Medici negant, id alimentum eſſe appellandum, quod potus in ſermone quotidiano, alimento ſit oppoſitus, veluti alimentum, & cibus. & eſca, & edulium dicitur: ob eam cauſam vinum nolunt vocare alimentum, quamquam alere ipſum non diffiteantur.* Ea quo patet ab omnibus admittendum vinum dicendum ſaltem aſſe

A potum valens alere, licet non dicatur propriè alimentum, quia in potum à natura eſt deſtinatum. *Lib. de temperamentis*, inquit Galenus, *Vinum verò vt adſimiletur, mutationem deſiderat minimam, quo fit, vt tum nutriat, tum roboret celerrimè. Et* 2. *aphor.* 18. *celerrimè, & maximè vniuerſum virum alit.*

De potu artificiali magis manifeſtum eſt, quòd ſit cibus, ſeu alimentum: fit enim ea aliquo, quod ex ſua natura alimentum eſt; éſtque hic potus ex hominum induſtria factus, ex ſolido alimento in liquidum, ſeu potabile, mutato per coctionem, liquationem, expreſſionem, colationem, filtrationem, diſtillationem, infuſionem, vel diſſolutionem: vnde licet in formam potus mutetur, hæc potio, ex modo B quo aſſumitur eſt potus, ex ſua natura eſt alimentum; & per hoc differt potus artificialis à potu naturali, quòd naturalis potus eſt ſimpliciter, & per ſe potus, per accidens eſt cibus: potus verò artificialis per ſe eſt cibus, ex quo fit, per accidens eſt potus, quia liquida eſt ſubſtantia quæ bibendo ſumitur.

Potus verò chocolatis eſt cibus, qui fit per diſſolutionem paſtæ Indicæ confectionis; & cum alimentum, quod diſſoluitur, aliud ſit abſolutè ſolidum alimentum, vt caro quæ diſſoluitur in iure, aliud ſpiſſatum alimentum factum ea liquido ſucco, vt mel, manna, ſaccharum; potus chocolatis vtrumque continet, quia dum diſſoluitur, diſſoluitur cacao, & alia ingredientia quæ ſolida ſunt alimenta, C & diſſoluitur ſaccharum quod eſt alimentum ſolidum ſpiſſatum ea liquida ſubſtantia.

Potus artificiales varij reperiuntur apud omnes gentes omni æuo vſitati, inter quos proponuntur varia vina medicata, quorum meminit Myrepſius *ſect.* 37. *cap.* 29. Aetius *tetrab.* 1. *ſerm.* 3. *cap.* 38. 60. & 61. Oribaſius *libr.* 5. *medic. collect. cap.* 25. Trallianus *libr.* 1. *capite* 15. Ægineta *libr.* 1. *de re medica cap.* 23. *lib* 7. *cap* 9. Celſus *lib. de re medica* 4. *capit.* 5. Ex quibus Quercetanus plura refert vina medicata: Vinum Acori, vinum Angelicæ, vinum Enulatum, vinum de Tuſſilagine, vinum Anthioſatum, vinum Saluiatum, Bugloſſatum, Iuniperinum, Euphraziæ, Fœnicolatum, Hyſſopi, Aniſi, Epithymij, Hypericonis, Abſinthij, Centaurij minoris, Alkekengi, Eryn- D giotum, Scylliticum ſimplex ſenæ, Hermodactillotum, Turbith, ſeminis Ebuli, ſeminis Sambuci, ſeminis Hederæ, vinum Hippocraticum, & claretum, Antepilepticum, Antepoplecticum, Antepatalyticum, Zedoariæ, Chalybeatum, Antephreneticum, Cydonites, Penanthinum, Rhoites, Rhodites, Melomeli, Hydromeli, Omphacomeli, Aromatices, Nectarices, quæ ob varios affectus ordinata potus ſunt artificiales.

Sed ſine vino artificiales potus fiunt varij ex variis ſimplicibus, variiſque aliis ingredientibus cum aqua, aut per expreſſionem, aut alios modos, quos retulimus, quorum qui inebriandi habent vim, vina etiam ſolent nominari, inter quæ Zythum, & Ceruiſia, E vſitata ſunt potus genera apud omnes fere Septētrionales, circa quos vites non reperiūtur. Fit ex hordeo, & lupulis; alia fiunt ex tritico, & aliis ſeminibus: apud alias nationes ex piris, & aliis arborū fructibus. præcipuè fit ſydra ex pomis, ex melle fit hydromel, ſeu melicratum apud Antiquos vſitatum, apud Hiſpanos in frequenti vſu, & vocatur Aloxa, apud Indos Chicha, eſt potus habens vim inebriandi. Similiter fit ex Indorum tritico apud nos Maiz, in Peru, Zara, ſi coquatur, Mori, ſi torrefiat, Anica; fit potus apud eoſdem ex radice Yuca dicta, ſeu Cazaui inebrians, ſicut zota, ſeu chiaba; fit apud alios

Chupo,

Chupo ; & ex Molli alius ſimilis potus ; ſicut ex fructibus Auxubæ : Ex melle potum Guarapum faciunt;& alij ex aliis fructibus : Lacina fit ab aliis & eſt potus ſimilis potui chocolatis factus ex foliis arboris ſic dictæ. Ex ſimili commixtione alicuius maſſæ,ſeu diſſolutione in aqua fit etiam Atole , Puſole, ſeu Api,aut Puxeoapi · Ex farina tritici Indici diſſoluti in aqua, aut ſimul commixti cum illa. Similiter & ebuno fit ex radicibus,quas vocant noſtri Papas, quas diſſoluunt in aqua pro potu , poſtquam rediguntur in farinam fit etiam Vlpyo ſeu Vllapu, Pito, aut Purux ex farina tritici Indici torrefacti cum aqua frigida commixta,& iacbato fit potus;qui omnes artificiales ſunt,ſicut apud nos iulepi,ſyrupi,& aliæ innumeræ potiones , quæ fiunt apud pharmacopolas, ex variis electuariis , aliiſque medicamentis in formam potus diſſolutis cum aquis , aliiſve liquoribus, vt faciliùs poſſint ſumi ab ægrotis.

§. V.

Qualiter potus chocolatis indicetur non frangere ieiunium?

COnſtat ex dictis chocolatem liquatum com aqua eſſe potum,non tamen ex eo, quod ſit potus infertur abſolutè , vt intendit Magiſter Thomas Vrtado , quod non frangat ieiunium , quia hoc ſimpliciter eſt intelligendum de potu naturali, aqua, inquam,& vino,& de hoc licet ex ſua natura ſit potus, & hominibus à Deo in potum conceſſus ; tamen aliqui dubitarunt , & antiquiores abſtinebant ab eo in die ieiunij, vt tenet Cyrillus Hieroſolymitanus : ſed cum potus naturalis ſit , omnes iam Theologi receperunt non frangere ieiunium , ita vt hoc idem teneant , etiam ſi in fraudem ieiunij ſumatur. Nauarr. *in ſumma Latina capit.*12. *numero* 13. Sanchez *lib.* 5. *conſilior. cap.*2. *dubio* 13. Ioannes Sanchez *ſelect.* 51. *numero* 2. Fagundez *in quartum Eccleſiæ præceptum lib.*5. *cap.*2. *num.*46. qui , vt refert Magiſter Vrtado tenet hanc ſententiam eſſe communem Theologis , ac Iuris Profeſſoribus. Ratio huius eſt , quia cum ex ſua natura ſit potus , & potus non ſit prohibitus ab Eccleſia in die ieiunij , nunquam ſub quocumque prætextu poteſt ieiunium frangere.Nec ſufficit dicere quòd nutrit , quia hoc eſt commune omni potui & ipſi aquæ , vt probauimus , non tamen poteſt , etſi nutriat , quod naturaliter eſt potus , dici cibus , ſed vocatur potus valens alere, ratio enim cibi conſtituitur per hoc quod à natura ſit talis , & ordinatus in corporis alimoniam abſolutè ; quod colligitur ex Galeno *libro* 3. *de alimentor. facultat. cap.*39. *vinum etiam in genere alimentorum eſt ponendum , quidam tamen Medici negant id alimentum eſſe appellandum , quòd potus in ſermone quotidiano alimento ſit oppoſitus , veluti alimentum , & cibus & eſca & edulium dicitur ; ob eam cauſam vinum nolunt vocare alimentum , quamquam alere ipſum non diffiteantur.* Ex quo manifeſtè conſtat , quòd licet vinum prout nutrit largo modo dicatur alimentum, propriè tamen non ſic dicendum , ſed potus nutriens : ſi enim eſſentialiter eſt potus,& vt talis, cibo opponitur , proprie cibus non eſt & conſequenter nequit frangere ieiunium , etſi indebitus vſus frangat intemperantiæ præceptum.

De cibo artificiali quantum ad hoc , quod eſt frangere ieiunium , cum diſtinctione eſt loquendum : alter enim eſt potus artificialis , qui fit ex alimento , qui opponitur ieiunio prout cibus eſt, & ſimul præcepto abſtinentiæ ab illo , vt ius , caro elixata diſtillata , aut lac , quæ nunquam poſſunt abſolui ab hoc , quod frangant ieiunium , niſi in quamminima quantitate , & materiæ paruitate : alius verò eſt potus artificialis , qui fit ex cibo in liquidum mutato , modo quo diximus ; & hic potus ſimiliter ſi cibus ſit , paruâ materiâ , ieiunium non frangit ; ſin minus etiam ſi ab hominibus fuerit inuentus , vt ſit potus , frangit ieiunium. Ratio huius eſt , quia intentio artificis poteſt mutare cibum in formam potus , reddendo illum liquidum ; non tamen poteſt facere , quòd illud , quod à natura eſt factum , vt ſit cibus , mutetur in potum naturalem , quia potus naturalis aqua , & vinum fit à natura in eſſe talis ; ſicut & cibus à natura fit cibus , ab arte liquatur , non tamen mutat eſſentiam. Ex quo patet , quòd ſicut caro in aqua diluta , & piſces ſemper ſint cibi , & ratione quantitatis ſeu paruæ materiæ poſſunt abſolui ab hoc quod frangant ieiunium ; hoc idem dicendum de chocolate , & de aliis potibus artificialibus : Cereuiſia , ſeu Zytum, & alij potus non frangentes ieiunium , ob cibi paucitatem non frangunt , non quia potus , aliàs nullus frangeret ieiunium. Ex quibus deducimus Reſolutionem conſultationis , quòd potus chocolatis vt communiter bibitur ſemel in die , non frangit ieiunium , quia eſt parua materia : diximus enim quòd ſufficiunt duæ vnciæ pro vno potu ; quam quantitatem paruam materiam reputat Magiſter Vrtado , præcipuè cum paſta , ſeu confectio chocolatis fiat cum æquali proportione ſacchari , & cacao , & ſaccharum dilutum aqua paucam præſtat ſubſtantiam. Pinellus huius ſtat opinionis, *part* 3. *quæſtionis de chocolate.* Ludouicus Torres *in ſumma part.* 2. *cap* 156. *dubio* 24. Diana *part.*5. *Reſolut.* 12. tenent idem aſſerentes quòd duæ vnciæ alimenti ſunt parua materia ; & ideò non frangunt ieiunium , ſi verò pluries ſumatur , & vt ſic corpus reficiatur per eius alimentum , frangit ieiunium , quia ſumitur in eius fraudem : deducitur ex D. Thoma quem ſequuntur Pater Vrtado & citati ab illo Martin. Ledeſma 2. *parte quarta , quæſtion.* 17. *artic.* 6. Reginaldus *libr.* 4. *num.*153. Gabriel *in* 4. *diſt.*16. *quæſt.*3. *artic.* 3. Palacios *diſt.*15. *diſput.* 8. Richardus *artic. tertio , quæſtion.* 2. Onnaia *opuſcul. de ieiunio* , Roſella *verbo Ieiunium, numero* 85. Tabiena *numero* 3. *quæſt.* 2. Syluester *quæſtion.* 3. § 9.

Deducimus 2. quòd chocolate ſi ſumatur ad roborandum ventriculum , vel ob alios vſus medicinales , ad quos diximus prodeſſe , non frangit ieiunium , deducitur ex D. Thoma , qui electuaria , quæ ſumuntur ob ſanitatem , licet ſint alimentum , tenet non frangere ieiunium *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 3. *art.*4. §. *Si autem aliqua ſumantur , quæ ad manducandum de ſe ordinata non ſunt , ſed ad alium vſum , qui vſus manducatio communiter non vocatur, talis cibi vel potus ſumptio poſt manducationem vnam ante , vel poſt , non facit binam manducationem ; & ideo talis ſumptio ieiunium non frangit.* Et ſuperaddit : *Electuaria cibi quidam ſunt , ſed eorum ſumptio ieiunium non ſoluit* , & cum hoc ponat pro argumento , in ſolutione docet : *Et ideo dicendum quod electuaria , etſi aliquo modo nutriant , non tamen hic eſt principalis vſus eorum , nec loco manducationis ſumi conſueuerunt , & ideò talis ſumptio ieiunium Eccleſiæ non ſoluit.* Et 2. 2. *quæſtione* 147. *artic.* 6. inquit , *Electuaria etſi aliquo modo nutriant , non principaliter aſſumuntur ad nu-*

trimentum, ſed ad digeſtionem ciborum : vnde non A *ſoluunt ieiunium.* Idem tenet Paludanus *in 4. diſt. 15. quaſt. 4. art. 4. concl. 3.* Cramuel de Lumbrino *in ſumma, verbo Ieiunium.* Sylueſter *verbo Ieiunium num. 9. quaſt. 5.* Durandus *in 4. diſt. 15. quaſt. 9. num. 7.* Medina *quaſt. 4. de his per qua Eccleſiaſticum ieiunium ſoluitur.* Quos ſequitur Magiſter Vrtado, & Pinellus concludentes idem dicendum de confectione hac Indica quæ electuarij formam ſeruat, quam Abulenſis comprehendit ſub electuario *in capit. 6.* Diui Matthæi *quaſt. 168.* dicens, *Vocatur electuarium, quacumque confectio facta, qua homines ſolent vti, quando bibunt. & tales confectiones regulariter, ſunt de rebus delicatis, & parum nutritiuis, & ideò ieiunium frangere non videntur.*

B Patet ex dictis, quàm fucatè contendunt aliqui, quòd chocolate non frangat ieiunium, quia per accidens eſt cibus, cum componatur ex Cacao, quod ex ſua natura cibus eſt, & licet ſumatur vt potus, cum ex ſua natura, quia eſt fructus & cibus, petat manducari, frangit ſemper ieiunium, niſi in parua materia, vt docet D. Thomas *in 4. diſt. 15. circ. §. Intendit autem Eccleſia certum modum ſtatuere manducandi, vt ſcilicet ſemel in die ieiunij manducet : & ideò ſi aliquorum ſumptio, ſecundum quã manducatio ſolet compleri, iteretur, ieiunium prædicto modo acceptum ſoluitur.* In quibus omnes potus artificiales docet ieiunium frangere, ſi iteretur per illos ſumptio alimenti, ſecundum quod ſolet fieri manducatio, & ſi aliqui ſunt huiuſmodi potus non frangentes ieiunium, C eſt ob paruitatem materiæ, vt diximus, qualiter accidit in Aloxa, Zyto, & aliis potibus artificialibus, quàm minimi nutrimenti.

Contendunt aliqui, quod conſuetudo vtendi in die ieiunij potu chocolatis, quæ ab aliquibus indicatur foueri Pontificis Gregorij XIII. decreto, qui fertur Reſponſum præbuiſſe viua voce quod non frangit ieiunium chocolate; ab aliis creditur foueri ex communi errore populi credentis chocolatis potum, eſſe verè potum & non frangere ieiunium : Nos tamen phyſicam proponimus reſolutionem, non progredientes vltra proprias metas, relinquentéſque Theologis, & iuris Profeſſoribus quæ ſui ſunt iuris. D

CONSVLTATIO DECIMA-QVINTA.

De Repentina morte Ducis de Vejar.

CONTINET

§. I.

Proponitur euentus, ex quo mortis repentina inueſtigantur cauſa.

§. II.

Hominis præſtantia morte præfinitur; quid hac, quot illius ſortes.

§. III.

Mortis Repentina inueſtigantur cauſa.

§. IV.

Determinantur cauſa, qua mortem repentinam valent cauſare, corrumpendo calorem vitalem.

§. V.

Superadduntur cauſa mortis repentina, ob vitiatam conformationem.

§. VI.

Proponitur cauſa, qua ſubita mortis Ducis indicabatur fuiſſe.

§. VII.

Quod indicium fuit factum de repentina morte Ducis : quibus ſignis comprobata, & tandem tempore confirmata.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Proponitur euentus, ex quo mortis repentina inueſtigantur cauſa.

EXCELLENTISSIMVS dominus Dux de Vejar, ex natiua, ac hæreditaria conformatione ortus fuit malè conformatus, circa pectoris partes externas, conſtitutus in conſiſtentiæ ætate cœpit pati diſtillationem catharroſam à capite in pectus, qua premebatur per interualla, præcipuè hyeme: leuabatur ſanguine miſſo, cœpit in facie apparere color albidior, apparebantque indicia mali corporis habitus: pedes intumeſcebant, & reſpiratio plus ſolito fiebat frequentior. Appetebat plura remedia ex quibus vlterius debilitato calore, hæc erant frequentiora : Dum ſic valetudinarius degebat, appetens extra domum deambulare, vehebatur plauſtro, & repentè extenſis brachiis, & pedibus ſubitò mortuus eſt. Inueſtigatis ſignis vitæ nullum apparuit vlterius vitæ indicium; ſpectato tempore, in quo ſolent, qui inanimes apparent, reuiuiſcere, mortis indicia confirmata fuerunt.

§. II.

Hominis præſtantia morte præfinitur, quid hac, quot illius ſortes.

QVod homo ſit præſtantior cunctis animantibus ex Geneſis 1. demonſtratur, ſicut & ex eius præſtantioribus operationibus, cuncti admittunt Rationales; & præ reliquis comprobat Laurentius ex igniculis, ſeminibúſque Diuinitatis, quæ præ ſe fert, ob quæ Ægyptij Sacerdotes animal adorandum illum appellarunt, ac admirandum. Mercurius Triſmegiſtus E vocauit eum miraculum magnum, animálque Deo ſimillimum, Deorum interpretem. Pythagoras dixit eſſe rerum omnium menſuram : Theophraſtus eſſe vniuerſi exemplar : Ariſtoteles eſſe animal Politicum: Syneſius eſſe orizontem corporeorum ; Tullius eſſe diuinum animal : Plinius eſſe mundi epitomen : Zoroaſter eſſe decus audaciſſimæ, & omnia confidenter molientis naturæ. Hoc igitur Auguſtiſſimi Dei præſtantiſſimum templum, de quo Fauorinus dixit, quod nihil in terra magnum præter illum, inquit Iob, quòd breui viuens tempore, quaſi flos egreditur, & conteritur; ab ipſo enim ſummo Deo, à quo gloria, & honore

honore coronatus fuit, ſtatutum fuit etiam ipſum ſemel moti, mortéque totam eius præſtantiam, ac dignitatem terminari. Eſt mors ex Ariſtotele *lib. de vita, & morte*, receſſus animæ à corpore. Cæſar apud Saluſtium fertur vocaſſe illam, requiem ærumnarum; Cicero vocauit portum malorum, Ariſtoteles malorum omnium longè maximum iudicat, ipſámque diuidit *lib. de reſpirat. cap.* 7. in naturalem, & violentam. Mors naturalis ineuitabilis eſt ob ſtatutum Dei, qui ideò cum natiuo calore, qui eſt vitæ principium, coniunxit ineuitabilem cauſam mortis naturalis: quod cognoſcens Hippocrates dixit, quod calor, qui nos viuificat, nos occidit. Vnde Polybius protulit, quòd quantumuis nihil extrinſecus lædat, eſt neceſſaria mors, quia, vt inquit Plutharcus; rebus, dum naſcuntur, fatalis admiſcetur portio, ob quam Manilius cecinit, *Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet*. Ex quo deducit Seneca quòd naturalem mortem nulla diligentia euitat, nulla felicitas domat, nulla potentia vincit. Nos verò huius ineuitabilia euentus cauſas demonſtrauimus *in Medicis Reſolut. diſput. de cauſis mortis naturalis*.

Mors violenta, vt deducitur ex Ariſtotele 2. *Moral. lib. de reſpirat. lib. de iuuentute, & ſenectute*; eſt receſſus animæ à corpore, à cauſa non ineuitabili, ante tempus a natura præfinitum vitam auferente. Eſt duplex alia paulatina, quæ optuata ſupervenit: alia repentina, quæ ſubito, ex inopinato caſu accidit, præter ſpem, ſuperueniens citiùs quam timebatur. Repentina hæc mors alia ſine procatharctica contingit cauſa, alia ſuperuenit ob cauſam procatharcticam. Repentina mors ſine cauſa procatharctica cognita ſuſtulit de vita Mithridatem Regem Ponti, vt refert Volaterranus *lib.* 17. Nicanorem filium Parmenionis, vt narrat Curtius *lib.* 5. Seruilium Panſam, vt tenet Plinius *lib.* 7. *cap.* 53. Theodoricum Regem Oſtrogotorum, vt tenet Sigeb. *In chronic.* Alaricum Regem Viſigotorum, vt tenet idem; Conradum ſecundum, Imperatorem, vt tenet Cuſpinus, Otonem Barbariæ Ducem, vt tenet Neuclet. *in chronic.* Mirandulanum, vt tenet Fulgentius *lib.* 9. Baſilium Imperatorem, vt tenet Ioan. Zun; Catulum Nauarræ Regem, vt tenet Fulgoſus *lib.* 9.

Mors repentina à procatharcticis cauſis orta, ex omnibúſque ferè noſtris actionibus poſſibilis, innumeros interfecit: Aliquos ex vrbe Theatro proferam; Boëtius id confirmat referens plurimos repentè niue ſuffocatos; Æneas Syluius & Iouius horum plurima adducunt exempla. Herudotus *libr.* 2. Sabellicus *libr.* 7. referunt plures repentè puluere interfectos: in luto ſuffocatos vidit Iulianus Sextus Aurelianus; vidit & Iouius *libr.* 23. Henricus Imperator buccellâ panis ſubitò fuit extinctus, vt tenet Cuſpianus: Taurinus ſanguis occidit repentè Regem Pſaſum, vt tenet Strabon, Fiolmum Regem, vt tenet Fulgoſus; Sophoclem repentè ſtrangulauit vuæ acinus, vt Valerius, & Volaterranus referunt; & idem accidit Anacreonti, vt protulit Nuclerus. Adrianus Pontifex muſca repente ſtrangulatus fuit: Fulgoſus de Fabio Senatore narrat extinctum ſubitò pilo cum lacte commiſto. Ioram Rex ex 4. *Regum.* repentè obiit oppreſſus, & ex Soetonio plurimi etiam Romanorum, in ſpectaculis: Albertus primus Auſtriacus, inquit Cuſpianus, quòd vectibus oppreſſus; obiit repentè; puluere oppreſſi extinctíque repentè enumerantur à Cœlio, Partenio, Fulgoſo, Sabellico, & Zooara. Æſtus repentè ſuffocauit Thalem Mileſium, vt refert Laërtius; Minoëm Regem, vt tenet Diodorus, Fauſtam vxorem Conſtantini, vt tenet Suidas. Plures extinxerunt propriæ actiones, animæque pathemata ipſos repentè extinguentia: ſunt enim motus quidam præcipites, & efferi, feruidum animum, turbulentum, ac inquietum, & a rectæ rationis via, ac terminis euagantem agitantes, vt protulit Quercetanus *in Polyhiſtoricon*. Nec ſolum violentiſſimæ paſſiones animi repentinam inducunt mortem, ſed & ipſum gaudium, riſus, ac lætitia: Chryſippus enim dum conſpiceret aſinum ficus edentem, riſu ſuborto repentè extinctus fuit; Zeuxis inſignis Pictor videns deformem vetulam a ſe depictam riſu ſubito obiit: Sophocles Poeta ex congratulatione Tragœdiæ, gaudio ſubitò obiit. Similiter & Comicus Philippides in Poëtarum certamine victor. Lælius, Pauſanias, Gellius, & Liuius ſimiles referunt euentus: imo & ipſa quies, aut ſomnus a iis quos repentè trucidarunt, qualiter Cleobo ac Bitono contigiſſe referunt Cicero *libro primo Tuſcul.* Her *libr.* 1. Zeces *libr.* 1. *hiſtor.* Plutarchus in Solone. Idem tenet Sabellicus contigiſſe Biæ Prianæo, & Cicero tenet contigiſſe Pindaro: de Periclide idem refert Plut. de Ariſtipo, Laërtius, de Timoleone, Plautus.

§. III.

Mortis repentinæ inueſtigantur cauſæ.

Plurimas adduximus mortis repentinæ ſortes, plurimáſque retulimus procatharcticas, caeteráſque cauſas, ad quas ſubſequi ſolet mors repentina: ſed cum vltra has, aliæ debeant reperiri cauſæ internæ ac proximæ, ex quibus ſubitò mors repentina accidat, de iis præcipua eſt difficultas. Dominicus Tirillus libello in hunc finem dicato ſupponens ex Galeno *libr.* 1. *de præſagit. ex pulſibus capite* 4. quòd vitæ conſeruatio debet tribui calori; huius defectum in corde conſtituit proximam, & immediatam cauſam mortis repentinæ, duo ſubitò corrumpitur, aut ſuffocatur: alias ſuperaddit, à quibus hæc prouenit, de quibus & nos agemus. Et ſtatim explicans qualis ſit hic calor, ex cuius extinctione vita repentè deficit, dicit, quòd hæc doctrina debet intelligi de innato calore implantato, & infito in parte ſolida cordis; ſed immeritò hæc profert tamen vir: ſi enim ſubito deficit hic calor, vt ſtatim admittit, quia reſoluitur, quia ſuffocatur, quia expanditur, quia ſpiritus comprimuntur, aut contrahuntur, fruſtra hoc tribuitur ſubſtantiæ viuenti ſolidæ cordis, quæ nec ſubitò reſolui, nec reponi, aut generari poteſt, expandi aut contrahi, vnde potiùs dicendum, quòd debet intelligi Galeni doctrina de calore ſpirituum, qui vitalis dicitur, quia ſimpliciter neceſſarius eſt ad vitæ conſeruationem, nec ſolum in ipſo corde, ſed & in reliquis corporis partibus; & ideò viuificum vocatur nectar quo cor, & reliquæ partes conſeruantur, aptæque redduntur pro ſuis eliciendis operationibus, præcipuè naturalibus, quarum ſit inſtrumentum. Hæc autem vitalis caloris neceſſitas maximè relucet in corde, quod illius eſt origo, & cauſa ſimul & fons, à quo per vniuerſum corpus diffunditur: ex quo prouenit, quòd ſi ſubitò, cor ſpiritibus vitalibus priuetur, mediis quibus, vitali fruitur calore, & mediis quibus, illum

communicat per vniuerſas corporis partes, homo ſubito priuatur vita, & ideò proxima & immediata cauſa mortis repentinæ eſt defectus vitalis caloris, vitæ conſeruatiui, in corde, ac reliquis corporis partibus. Hoc præcipuè intelligendum venit de morte repentina proueniente in corpore integrè conſtituto in ſua conformatione, & vnitate: ſi enim repentè totum corpus, aut partes principes ſcindantur, aut contundantur, aut compreſſione aut alio modo, debitam amittant conformationem, illi procatarticæ cauſæ tribuenda eſt repentina mors, ſicut & manifeſtis morbis, dum ab illis prouenit, vt in apoplexia ſuffocante cerebrum.

Dum verò ab intemperie potiùs prouenit repentina mors, hæc ex caloris vitalis defectu fit: hic autem deficit ex variis cauſis, quas Tirillus reducit ad quatuor cauſarum genera: Primum eſt alteratio contrariæ qualitatis: Secundum eſt ſuffocatio. Tertium eſt marcor, ſeu defectus pabuli. Quartum eſt digeſtio, ſiue diſſolutio ipſius calidi. Hanc doctrinam deducit ex Galeno *libro de vtilitate reſpirationis cap.* 3. vbi ſimilem proponit doctrinam, ſumptâ ſimilitudine à flamma externa, quæ deficit vel ob materiæ combuſtibilis defectum, vel quia priuatur altero ex duobus motibus contrariis, quorum alter eſt ſurſum, quo ignis ad propriam ſphæram tendit, & fuligines expellit; alter eſt deorſum, quo verſus idoneum pabulum mouetur: vnde flamma deficit, ſi deficit pabulum verſus quod moueatur deorſum, & etiam ſi ſuffocetur, & impediatur illius motus ſurſum, debitus leuitati, vel in circumferentiam debitus raritati. Sed falsò innititur in hoc fundamento Tirillus, cum ſupponat, quòd calor inſitus & implantatus partium ſolidarum cordis, eſt qui repente ób has quatuor cauſas corrumpitur; calor enim vt calor eſt, ſolùm corrumpitur à ſuo contrario, vel defectu ſubiecti, vt dum flamma ſuffocatur, à cuius forma producitur, & conſeruatur: calor autem inſitus, & implantatus partibus ſolidis cordis, nequit ſuffocari, neque illius motus ſurſum, aut deorſum impeditur, quia cor non informatur forma ignis, cui eſt proprium ſurſum moueri, & deorſum materiam quærere, ſeu pabulum: vnde ſicut calor inhærens in alio quocumque ſubiecto præter ignem, ſine iis motibus conſeruatur; ſimiliter in corde: & ideò cauſæ propoſitæ ab illo pro corrumpendo vitali calore & cauſanda morte repentina, falſo fundamento comprobantur.

§. I V.

Determinantur cauſæ, quæ mortem repentinam valent cauſare, corrumpendo vitalem calorem.

CVm vitalis calor, vt diximus, ſit qui oritur ex ſpiritibus vitalibus, & ex eius ſubita, aut repentina corruptione, aut defectu valeat repentina mors ſubſequi; eius corruptionis cauſæ, repentinæ mortis ſunt cauſæ proximæ, non quia flammam diſſipent, quæ in partibus ſolidis cordis non reperitur, nec in alia parte viuentis; ſed quia ſpiritus vitales diſſipant, reſoluunt, ſuffocant, aut corrumpunt; in quibus vitalis producitur calor, conſeruatur, & fulcitur; vnde totalis defectus ſpirituum vitalium eſt cauſa mortis repentinæ, dum repentè ſuperuenit.

Spiritus vitales repente deficere poſſunt ob quatuor cauſas; vel quia impeditur eorum generatio, vel quia geniti ſubitò diſſipantur, & euacuantur, vel quia præternaturali cauſâ alterati corrumpuntur, vel quia geniti ſuffocantur, vt latè proſequitur Riuerius. Impeditur vitalium ſpirituum generatio, vel quia deficit materia ex qua generentur, vel quia deficit virtus generatiua illorum: Materia eſt aer, & ſanguis, aër deficit, pro illis, dum omnino eſt corruptus, & peſtilens, & ideò ineptus pro eorum generatione, licet attrahatur, vel quia licet eſſet aptus, nec reſpiratione, nec tranſpiratione adducitur in cor: ſanguis pro materia ſpirituum deficit, dum nullus aptus pro eis generandis generatur, vel dum genitus corrumpitur, & fit pro materia ſpirituum incapax materia. Licet materia ſit apta pro ſpirituum vitalium generatione, impeditur eorum generatio, dum facultas eorum productiua defuit in corde: hæc eſt debita cordis temperies, quæ eſt concoctricis facultatis inſtrumentum, quæ corrumpitur ex nimia dyſcraſia ſiue frigida, ſiue calida, vt contingit in febribus ſyncopalibus, malignis, peſtilentibus, colliquantibus; ſiue aliunde communicata, vt ab vtero, hypochondriis, iecore, ventriculo, aliiſque partibus cum corde communicantibus. Præcipuè tamen debita cordis temperies, qua ſpiritus vitales generantur, obtuitur ab aere nimis frigido, calorem corrumpente cordis, ſimul & indurante ſpiritus ipsâ frigiditate, vt deducitur ex Galeni doctrina 5. *in 6. Epidem. comm.* 27. ex Ariſtotele *lib* 4 *meteor. lib. de reſpirat. cap.* 17. ob quam cauſam plures repentinâ morte extincti reperiuntur in niuoſis montibus, ac Borealibus locis. Ob id Galenus *lib.* 2. *de loc. affect.* immodicum frigus mortis repentinæ cauſam eſſe fatetur, ſicut & nimia caliditatis diſtemperies. Hac eadem causâ ſubitò corrupto calore cordis, & impedita ſpirituum generatione, ſubita ſuperuenit mors ex potu aquæ frigidæ, quia ob viciniam ventriculi cum corde, huius calor ſtatim extinguitur, præcipuè dum poſt exercitium ſpiritus ſunt diſſipati: ideò Dioſcorides inter venena ponit potum aquæ frigidæ, quia ſubito extinguit cordis calorem, ex quo repentina mors ſubſequuta fuit Federico OEnobardo Imperatori: Alexander Magnus ſimili cauſa fuit ferè extinctus ex natatione in fluuio prægelido, & poſteà mortuus repente ex frigido aquæ potu: ſicut & alij quamplurimi, quos referunt Schenkius *lib.* 3. *obſeruat.* & *lib.* 2. Galenus *lib. de cauſis procatharticis.* Amatus *centuria* 2. Scaliger *aduerſus Cardanum exercit.* 35. Tirillus & alij.

Dum ſpiritus geniti ſubitò reſoluuntur, aut euacuantur, repentina etiam ſuperuenit mors. Euacuantur ſenſibiliter ſpiritus vitales ſimul cum ſanguine, per vulnera, per os, per nares, per vterum, per phlebotomiam, per hæmorrhoïdes, per aluum, per vomitum, per apertionem abſceſſuum aut tumorum. Inſenſibiliter reſoluuntur ex immodico æſtu, nimia cutis raritate, humorum tenuitate, acthnonia, labore immodico, calidiori balneo, ex vehementi gaudio, immodicis vigiliis, ingenti dolore, præcipuè partium principum, aut neruoſarum, præcipuè ventriculi, immodico corporis motu, ambulando per loca eminentia, ſaxoſa, vel veloci curſu aut alio exercitio nimio, vt in vehemente oratione, qualiter Tirillus refert contigiſſe Aloïſo Michaeli facundiſſimo oratori, qui repentè obiit in oratione ob nimium eius conatum reſolutis ſpiritibus, & Horatio Gelæ, ob eandem cauſam. Ex nimia inedia etiam reſolutis ſpiritibus ſuperuenit repentina mors, non ſolum, quia materia deficit pro ſpiritibus generandis, ſed quia in biliosis, & picrocholis vniuerſum habitum euacuat, colliquat carnes, & ſimul ſpiritibus tenuibus reſolutis repentinam

cauſat mortem. Ex nimio coitu reſoluuntur ſubitò plerique ſpiritus vitales, & euacuantur in magna copia ſimul cum ſemine, vt Vallerius *lib. 9. cap. 12.* refert contigiſſe Cornelio Gallo, & contigit etiam Tito Æthero; & Sebenxius *lib. 4.* obſeruauit contigiſſe Giacheto Geneuæ Saliciano. Aer nimis æſtuoſus ſpiritus reſoluendò repentinam cauſare poteſt mortem, vt colligitur ex Hippocrate *lib. de locis aëre & aquis, & 4. aphor.* & ex Galeno *9 method.*, præcipuè in gracilibus, ac biliosis quorum exempla vidimus ſupra. Ex gaudio nimio exemplis confirmauimus plures extinctos fuiſſe; expanduntur enim ſpiritus in partes externas, & diſſipantur, quod contingit ex croci vſu nimio, vt tenet Ardoncius *lib. de venenis.*

A præternaturali cauſa corrupti ſpiritus vitales repente corrumpi ſolent, & ideò mors ſuperuenit repentina. Huiuſmodi cauſa eſt multiplex, vel praua diſpoſitio viſcerum, vt ſolet in hypochondriacis contingere, vel maligna qualitas venenoſa, aut peſtilens; qualiter in aëre peſtilente contingit, in halitu fœtido, & venenoſo; vel venenum aſſumptum ab animali venenoſo communicatum; vel in corpore congenitum. Hoc admittit Galenus *6. de locis cap. 5.* ſimiles enim effectus producit ac ipſum venenum; ſubito enim ſpiritus vitales corrumpit, & mortem repentinam efficit, vt experimur in ſanguine concreto, & extrauaſato, & in thromboa mutato; & patet ex Galeno *lib. de ſuccorum bonit. & vitio.* Idem efficit ſæpe concretum lac, ſemen, & ſanguis menſtruus, dum corrumpuntur, venenoſa vi repente ſpiritus corrumpunt; ſicut in determinata corporis parte congenita venenoſa aura, qualem vidit Galenus *3. de locis cap. 7.* in quam prauam naturam, quam citiſſimè mutantur contenta quæcumque corporis, & præcipuè quæ perfectiora, quæ ob perfectiorem ſubſtantiæ modum facilius declinant à ſua perfectione, vel quia humidiora ſunt, & aptiora vt ruant in maiorem corruptionem vt colligitur ex Hippocrate *lib. de affect.* ex qua mutatione ob mutatum ſubſtantiæ modum, reſultat venefica qualitas formæ ſpirituum contraria, ac corruptiua, quæ ſubitò exurgens, poſtquam paulatim fuit congenita, repentè lethalia inducit ſymptomata, & mortem ex Galeno, *3. in 3. Epidem. comm. 7.* Venena propriè talia, quæ ad extra generantur, alia agunt à proprietate ſubſtantiæ, vt aconitum, Napellus: alia per manifeſtas qualitates, vt euphorbium corrodendo, lepus marinus putrefaciendo, opium refrigerando, vel potius inducendo ſoporem, arſenicum, & ſublimatum adurendo, quæ à tota ſubſtantia venena ſunt, tria præcipua, Napellus, Aconitum, Toxicum quambreuiſſimè vitam auferunt, quia non paulatim corrumpendo, ſed ſubito vi ſua deleteria ſpiritus diſſipando, ipſos repentè diſſoluunt, & vitam ſubitò auferunt.

Præter hæc venena ſubitò interficientia Theophraſtus *lib. 9.* ſpatio vnius diei vitam auferentem refert radicem quam aliqui iudicant eſſe arboris Baxeræ. Leo *lib. 7.* venenum narrat apud Æthiopes repertum, cuius granum intra decem & ſex horas interficiat. Ariſtoteles *lib. de mirabilibus*, in monte Circeo venenum reperiri dixit, quàm breuiſſimo interuallo occidens. Scaliger *exercit. 253.* radicem Adad refert, quòd inſtillata eius aqua epota interficit intra horæ ſpatium. Toxicum Hiſpanum experti ſumus, quod duæ gallinæ quibus applicatum fuit in ſolutione leui continuitatis, intra quartam partem horæ ambas occiderit.

Dum partes reſpirationi ſeruientes ad motum omnino impediuntur, ſubita fit mors: ſic contingit A dum muſculi inter coſtales, vel à iugulo exorti, à ſcapulis, à lumbis, abdominis muſculi, qui à morbo impediri poſſunt; ſicut à voluntate à qua cohiberi non mouerentur, & reſpiratione ſubito ablata periit ſubito ſeruus Barbarus, apud Galenum *lib. de motu muſcul.* Demoſthenem, & alios.

Præcipua tamen, & aſſidua cauſa mortis repentinæ ſubito, & ſtatim superuenientis, prout in Duce contigiſſe vidimus, fit ex refluxu aut impedita ſpirituum expanſione, eorúmque refluentiâ verſus cor, & ex fuliginum prauarum copioſa aggregatione circa illud, & partes vicinas; ob quæ ſuffocantur ſubito ſpiritus, ſanguine ſimul confluente in has partes, craſſove humore. Ex quibus ſubitam mortem obſeruat Riuerius, ex refluxu ſpirituum vitalium in cor, in B puella quæ in nuptiali contractu, tradita illi penna a Tabellione ad illum ſubſcribendum, ex retroceſſu ſpirituum ſubito extincta fuit. Petrus Salius alteram vidit puellam, quæ ex ſubito capitis dolore ſuborto à craſſis vaporibus, & tranſmutatis ipſis in cor, ſuffocata fuit repente dolore ablato.

§. V.

Superadduntur cauſa, mortis repentina, ob vitiatam conformationem.

MOrbi in mala compoſitione ſubitò mortem inducentes præcipuè pertinent ad morbos in C via, viarum cordis, aut partium illi deſeruientium, quibus ſubito occluſis ſubita ſuperuenit mors: contingit obſtructio ſic lethalis, in magna arteria, in arteria venoſa, in vena arteriali, in cordis ventriculis, impedita impartitione ſpirituum vitalium, & ventilatione fuliginum. Si enim obſtruitur arteria venoſa, retinentur in corde, ſi vena arterialis ſanguis ſpiritus ſuffocat, ſi clauditur arteria magna, nequeunt ſpiritus impartiri, nec fuligines difflari: ſi vena caua obſtruitur, deficit materia pro ſpirituum generatione; ſi autem cordis ventriculi occluduntur, vel impeditur materiæ requiſitæ receptio, vel impartitio ſpirituum, & tranſpiratio fuliginum. Nec aliter hæc impedimenta contingunt, dum fiunt abſceſſus in corde, eius vaſis, & in eis qui illi deſeruiunt: ſi- D militer ſi fiant tumores tubercula, aut lapides generentur, vel vermes, à quibus ob rationes dictas mors ſuperuenit repentina, ſicut & dilatatis cordis ventriculis vltra modum recipiendo, aut euacuando, cauſa repentinæ mortis fiunt.

Præcipuè tamen replentur, & obſtruuntur huiuſmodi viæ ex ſuccorum confluxu, vel redundantia. Hippocrates *lib. 4. acutor.* venarum interceptiones, ſeu occluſiones docet fieri ex plenitudine, & indè ſyncopem ſubſequi & mortem repentinam. Nec ſolum ex repletione humorum occluduntur hæ viæ, ſed ex refluxu eorum ab aliis partibus in has vias, confluentibus humoribus à iecore, à liene, ab vtero, aut a capite tranſmiſſis per venas, aut per arterias, ex E quibus ſubita ſuperuenit mors, præcipuè ſi aquoſi eſtuant humores, ſeroſive ineci, qualiter contingit ſæpe in hydropicis per refluxum à ventre, vel à renibus in eorum obſtructione.

§. VI.

Proponitur cauſa, qua ſubita mortis Ducis iudicabatur fuiſſe.

FVit mors relata Ducis de Veiar non ſolùm repentina, ſed ſubitò eueniens, & inſtantanea

valde operoſum fuit ex tot annumeratis cauſis eam proponere ex qua fuerit ſubſequuta. Non alienum videbatur à ratione ortam fuiſſe ex obſtructione viarum cordis, non ab abſceſſu, tumore, carnis excreſcentia, aut cauſa permanenter obſtruente, ſed per concurſum & per interualla recepta, cum per illa plures paſſus fuerit exolutiones, quæ ex Hippocrate 2. *aphor.*41. repentina morte terminantur; dum ſuperueniunt ſine cauſa manifeſtâ; ſimiliter & palpitationes, quas Auicenna. *fen.*11 *tract.*2. *c.*1. dicit demonſtrare obſtructiones viarum cordis, & habuit etiam pulſus inæquales, inordinatos, & deficientes, qui ſimiliter fiunt ex obſtructionibus viarum cordis, & arteriarum, vt Stephanus Rodericus deducit ex Galeno 3. *de Præſagit. ex pulſibus c.*4.*lib.*4.*de locis c.*8. vbi ideò ex illis docet præſagire mortem repentinam; quæ ſigna cum ſuperuenerint per interualla, & præcipuè in eo tempore, quo Dux iam erat cum cachexia pituitoſa, & cum ſuccis ſeroſis redundantibus præcipuè in facie, capite, & ſupernis partibus ſatis manifeſtis, ex iis ſuccis confluentibus ad vias cordis videbantur hæc ſuperuenire accidentia, & tandem ex maiori eorum confluxu, viis iis omnino obſtructis, ex ſubita ſuffocatione, ſubita ſubſequuta fuiſſet mors.

Vel potiùs videtur ſubita hæc mors contigiſſe repleto pulmone: & impedito omnino illius motu, ex quo perficitur reſpiratio, ſine qua ex Ariſtotele animal viuere eſt impoſſibile. Cum ergo pulmo ſit aptiſſimus ad fluxiones recipiendas, ex Hippocrate *lib. de morb.* ob imbecillas ſuas naturales facultates, ideò in Duce de Veiar, in quo plures abundabant ſeroſi ſucci & pituita, horum fluxit in pulmones copia ſubitò & affatim, ipſis ob exercitium repentè commotis; ob quod inceptis comprimi, & dilatari, ſtatim ſuffocatus fuit iuxta Galeni doctrinam 4. *aphor.* 34. quod idem poſſet contingere, ſi conflueret pituita in aſperam arteriam, aut laryngem, ſeu in muſculos aſperæ arteriæ; ſed non ita ſubitò ſicut dum confluit in laxam ſubſtantiam pulmonum, in vias, aut poroſitates eius, in aſperæ arteriæ propaginibus, aut arteriæ venoſæ ramulis, aut in cauitate: quibus oppletis ſtatim deficit motus, & ſubitò deficit vita, quod præcipuè in Duce erat facilius ob vitiatam pectoris conformationem, adſtrictionem, & ob quam gibboſi ex Hippocrate pereunt ante pubertatem, quia creſcunt pulmones, & non habent locum ſufficientem, vel quia nequeunt ex toto dilatari; & ideo non trahitur ſufficiens copia aëris pro ſpirituum generatione, nec ideò impartitur ſufficiens calor reliquis partibus pro earum actionibus, ob quod & reliqui, & Dux iſte intemperiem acquirunt frigidiorem, fiunt hydropici, & ex ſuccis ſeroſis, & pituitoſis ſubitò confluentibus ad pectus, tanquam ad partes à natura eum debilitate, & mala compoſitione conformatas, & ad pulmones, horum repentè auferunt motum, & ſubita morte finiuntur.

§. VII.

Quod iudicium fuit factum de repentina morte Ducis; quibus ſignis comprobata, & tandem tempore confirmata.

Licet Dux exanimis fuerit viſus, quia ſubitò euanuit vita, exigebant à Medicis, an euidens aliquod ſignum id manifeſtaret, plures enim mortui iudicati, inquit Rodericus de Caſtro, ex ſarcophago ſunt redditi, & in ſepulchro ſunt auditi. Sic ſubtiliſſimus Doctor Scotus dum mortuus videretur, viuus fuit ſepultus, & in apoplecticis, & fœminis hyſtericis contingit pluries, in aliiſque quorum hiſtorias plures referunt Schenkius, & Tirillus, & apud Fortunium Licetum, Plinius, Plutharcus, Fulgoſus, Volaterranus referuntur comprobantes, plures mortuos fuiſſe iudicatos, dum adhuc viuerent ſine manifeſtis vitæ ſignis, vt contigiſſe puellæ renet Plinius, quam poſt ſeptem dies *lib* 7. *natur. hiſtor.* refert ad vitam rediiſſe. Hæc Plinij eſt veritas: alij reſpiratione, & pulſu non apparentibus, citius reducuntur ad ſenſibiles vitales operationes; obſcura, aut nulla apparet reſpiratio in aliquibus, quia tranſpiratio ſupplet pro illa animal viuere, & non reſpirare. Impoſſibile eſt inquit Ariſtoteles, dum *lib. de reſpiratione* agit de illa, quæ pulmonum motu perficitur, pro qua ſupplet in aliquibus tranſpiratio, & ideo Ariſtoteles *lib.*1 *de hiſtor. animal. cap.*11. inquit, *Sed datur viuendi facultas etiam ſi deſit reſpiratio* Hoc ideo quia ſupplet tranſpiratio, vt conſtat ex Galeno *lib. de cauſis morbor.* §. *Calor vero. qui in omnibus arteriis quæ per totum animalis corpus diuiduntur, per cor quidem ipſum, in quantum viam habet ad fauces, & per vniuerſam cutem in ambientem nos aerem reſpirat. Et refrigerium quidem, cum illæ ſe attollunt, accipit, cum autem reſidet, id, quod fuliginoſum eſt, expellit, quorum vtrumque natiuam eius mediocritatem conſeruat: & ſi quidem ſtipata ſint arteria ita vt nullam habeant tranſpirandi viam, calorem extingui neceſſe eſt.*

Cùm igitur nec manifeſte per pulſum, nec per ſenſibilem reſpirationem poſſet percipi quod Dux frueretur vita, deuentum fuit ad experimenta, quæ docuit Galenus *lib.*6. *de locis, cap.*5. Poſitum fuit vas aqua plenum ſupra pectus, & ſupra regionem ventriculi, nec tamen aqua viſa fuit moueri. Poſitus fuit floccus lanæ & goſſipij circa nares, & os; nullus in illis apparuit motus. Poſitum fuit ori terſiſſimum ſpeculum, nullis inſperſum fuit maculis: appoſita fuit manus ſupra pectus, & ſupra ſiniſtram partem, nec percipiebatur motus. Ex quibus pronunciatum fuit mortuum eſſe Ducem.

Sed cum fœtor, & tempus, indubitata ſint cadaueris ſigna, non ſepeliendum determinatum fuit, donec cogeret fœtor, vel tres dies pertranſierint, intra quos ſolitum fuit Germanis nullum ſepelire, forſan quia fœtor euidens corruptionis ſignum poſt illos ſaltem ſuperuenit: alij dicunt, quod bilis vſque ad illud tempus mouetur. Aponenſis vſque ad tres dies repentina morte extinctos non ſepelire iubet, quia humores in ſeptuaginta, & duabus horis adimplet ſuum agendi terminum, quo peracto corpus debet ſepeliri.

CONSVLTATIO DECIMA-SEXTA.

De ægro per decem, & octo dies abſtinente à cibo.

CONTINET

§. I.

Hiſtorica enarratio ex qua conſultationis doctrina deducitur.

§. II.

Examinantur Occaſiones ob quas cœpit ægrotare:

§. III.

§. III.

Diu viuentium ſine alimento varia exempla proponuntur.

§. IV.

Diurni ieiunij varia Authorum aſſignantur cauſa, & in noſtro agro aſſignatur cauſa.

§. V.

Proponuntur plura auxilia, qua pro fame excitanda fuerunt propoſita.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Hiſtorica enarratio ex quâ conſultationis doctrina deducitur.

ADOLESCENS vino & cibis deditus poſt concitatum motum, incidit io febrem continuam mali moris. A primo ingreſſu vexabatur cibi faſtidio, cum omnimoda auerſione, ita vt per decem, & octo dies nullo fuerit vſus cibo, patiebatur alia varia ſymptomata, præcipuè lethargum: pluries miſſo ſanguine, minoratiuâ vſi fuimus. Nulla critica ſuperuenit euacuatio, nec ſymptomatica, poſt diem decimum ſeptimum leuior apparuit febris, remiſſáque reliqua accidentia, magnâ ex parte: cibi faſtidium nondum ablatum fuit; cœpit tamen non omnino renuere alimentum; quo ſine appetitu tamen veſcebatur. Poſt vigeſimum primum diem remiſſâ iam febre, & ægro radicatiuè purgato, æger in priſtinum appetitum fuit redactus.

§. II.

Examinantur Occaſiones ob quas cœpit ægrotare.

CAuſas, vnde æger ægrotare cœpit, docet Hippocrates animaduertendas *lib.6. Epidem.* Nec parum frequentes ſunt, ob quas æger incidit in febrem; motus, cibus, & potus nimij. Frater vxoris Ariſtei *lib.2. Epidem. ſect* 2. itinere fatigatus, incaluit, & ob cacochymiam varia illi ſuccreuere ſymptomata. Et *in lib.3. Epidem. ſect.3.* Adoleſcens qui habitabat ſuper foro mendacij, igne correptus fuit ex laſſitudinibus, laboribus, & curſibus inſolitis. In Melibea Adoleſcens *in lib.4. Epidem. text.22.* febre ardente fuit correptus ob nimium vini vſum: & *lib.5. Epidem. text.47.* qui ægrotauit ob curſum concitatum per viam aſperam, vigeſimo obiit. Apilleus *in 5. Epidem.* qui multum luctauit, & multiuorus erat, & quia poſt cœnam fuit morbo correptus, obiit. *lib.3. de diata,* Hippocrates reddit noxæ ſubſequutæ ex exercitio nimio cauſam *Plus eſt*, inquit, *quod de carne colliquatur pra labore, quàm quod expurgatur pra circuitu.*

Plutharcus, de occultè viuendo, inquit, quòd quies alta, vitáque in otio tranſacta, non corpora modò, ſed & animos rabefacit. Ideo exercitium ex Platone in Timæo, ex Luciano de Gymnaſt. ex Galeno *de ſanitate tuenda.* ex Mercuriali *in arte Gymnaſtica*, ex Paulo *lib.1. de re medica cap 16.* ex Oribaſio *lib.1. ſynopſeos cap. 2.* ſeu motus, præparat partes inſtrumentales, ne facilè offendantur, omnes partes robuſtiores reddit ad ſuas actiones, ad alimenti attractionem, roboratque appetitum. Hanc Lycurgus, vt tenet Plutarchus, pro omni ſexu, & pro omni ætate congruam deſtinauit in ſuis legibus exercitationem. Seneca alias dicit eſſe faciles, & breues, quæ corpora non laſſant, vt deambulatio, equitatio, pilæ ludus, & ſimiles, dum moderatæ; quas Medici cum Galeno conſulunt, & pro cauenda ſanitate proponunt, Et Laertius, Xenophon, & Suetonius vſitatas fuiſſe perhibent à præclariſſimis viris. Si autem vehemens ſit motus nocet, præcipuè in corporibus plethoricis, & cacochymis, & in quibus plenus eſt ventriculus: ideò ſemper debet antecedere prandium, licet Plutarchus præcipuè poſt cœnam leuem motum admittat *in pracaut. ſanit.* ſudor leuis, aut laſſitudo debent eſſe exercitationis finis. Vetuſtiores quinque exercebant exercitationis genera, curſum, luctam, pugillatum, ſaltum, iactum diſci, ſaxi, & iaculi. Ambulatio quæ omnibus eſt communis, & neceſſaria, & præcipuè ad ſanitatem vtilis ex Cornelio Celſo *lib. de re medicâ*, differentias ſumit, vel à ſitu loci, vel ab hora & tempore. Æginieta tempus eligit à cibo diſtanti, & in quo non eſt copia ſuccorum in venis, aut cruditatum in prima regione. Nimia deambulatio ex Hippocrate corpus colliquat, & præcipuè in io corpore cacochymo febrem excitat, qualiter in Epidemicis hiſtoriis narrat Hippocrates, & nos vidimus in ægro hoc.

Muſonius apud Stobeum, Petronius, Agellius, Athenæus omniſque antiquitas celebrant temperantiam in cibis. Plinius, Cicero, & Socrates naturam paruo alimento eſſe contentam confirmant: Socrates docet cauendum à cibis, qui non eſurientes inuitant: Seneca eorum condemnat diuerſitatem; idem, Cicero. Ariſtoteles, & Martialis copiam ciborum tenent ſalutem auferre, & animum impedire. Plato *de mundi opificio*, ciborum congeſtionem veneficam ac lethiferam eſſe tradidit: ideò populi Samanei & Brachmani, vt tenet Ioſephus *lib.5. de Bello Iudaico* ab omni abſtinebant, ingluuie. Xenophon refert turpe fuiſſe apud Perſas redundare quovis genere excrementi humidi, quia gulæ erat indicium. Iouius, & Vallerius laudant Arabum, Lacedæmoniorum, & Spartanorum temperantiam: è contra vituperio afficiunt Angliam Iouius *lib.2. hiſtor.* Boetius *lib.* 17. Athenæus *lib* 4. Scotos ac Delphicos & Illyricos. Stobeus Sauromatas, Plato Syracuſanos reprehendit. Cælius *lib.7.* Leontinos, ſimul & Tyrrhenos; Noſtro æuo omnes nationes ingluuie notatas videmus. Diſceſſus à debita cibi temperantia aliquos. ſub hominum memoria reliquit: Athenæus tibicinem Megarenſem refert comedentem vnoquoque die ſex panis modios, & viginti libras carnis, & Agliam comedentem quatuor ſomodios panis, & duodecim carnis libras: Plutarchus *lib. 1 conuiual.* meminit Heraclidis infinitum propè cibum edentis. Athenæus *lib.10.* de Milone Crotoniate refert ſemel deglutiiſſe carnis minas viginti & totidem panis, & quòd ſolus aſſumebat taurum: Sabellicus *lib.10.* meminit Maximini Imperatoris vno die edentis quadraginta libras carnis. Aurelianus fertur habuiſſe in diliciis Phagonem vno die centum panes deuorantem, & pro vna vice integrum aprum: plurium aliorum luxurioſa ingluuies enarratur ab aliis non ſine eorum ignominia; à quâ non fuit immunis

Suitrigalus

Suirrigalus Lituaniæ Dux, de quo refert Æneas Syl- A uius, quòd cœnas protrahebat vltea ſex horas, in quibus ferculis vtebatur non minus 130. Seneca notauie de Ingluuie Apij Romani, quòd varias penetrauit prouiocias, vt varias adinuenirer ciborum differentias; & ſine tanta ingluuie periere ea cibo, Læcides, Quinrus Ænius, Mieetinus, Thimocreon, Boooſus & innumeri alij, qui ea eduliis ad mortem repentè tranſlati ſunt; & noſter ægee ex cibo, & potu incidii in febrem & in grauiſſimum periculum vitæ.

Simul ea immodico vſu vini æger ægrotauit; licet enim vinum plurimùm pro ſanitate conferat, ſi moderatum, ſin minus, granes infert noaas vt Gale- B nus, Canonerius, & Bacius laiè proſequuntur; eius abuſum proſequuntur Sepremitionales præcipuè Lithuani, Moſcouitæ & Tartari, vt tenet Matthias Michou. *lib.2. cap.3.* Germani præ reliquis ignominioſo hoc vitio gaudent, & Canoherius iudicat illis permirrendum ſine reprehenſione, quia eſt illis inſitum. Diæteticon Polyhiſtoticon Quercetani plures continet ex hoc virio notatos: plures tetigit Beuerouicius, Pauſanias, Athenæus, Suïdas, Victorius, Cælius, Plinius, Cuſpianus varia referunt certamina vini potatorum; quorum alij ebrietatis præmio reliquêre ſeipſos memotabiles: aliis ſubſequuta ex ebritate mors.

§. III.

C

Diu viuentium ſine alimento varia exempla proponuntur.

CVm æger poſtquam incidit in febtem ob Inuſitatum potum, ac cibum, in tantam eotum inciderit auerſionem, vt per decem & octo dies ab iis omnino abſtinuerit; cuncti mirabantur, & præcipuè mulierculæ aſſiſtentès, quæ pro certo habent, quòd ægrotantium ſalus conſiſtit in eo quòd comedant, & bibant pro earum nutu. Nos tamen cum vires conſiſtentes reſpiceremus; ea illa abſtinentia mortem non neceſſario timendam iudicabamus: apud Schenkium enim, Benerouicium, Quercetanum, Pa- D trem Euſebium, & alios plures diu viuentium ſine alimento exempla relata ſuadebant noſtram aſſertionem. Sed præ cunctis Fortunius Licetua hunc eaotnar aſſenſum, quem ea innumeris deducit Authoribus, & obſeruationibus, ex quibus demonſtratur ſine omni cibo plures vixiſſe per pluras dies, per plures meoſes, & per plures annos vltra conſuetum tempus: docet Galenus Diatritarios Medicos cunctos ægros per triduum ſine alimento ſeruaſſe. Celſus memioit aliotum Medicorum, qui interdicebant alimento vſque ad quintum, aut ſeatum diem, quod aliis contigiſſe Schenkius, & Cardanus referunt. Ad ſeptimum ſine alimento poſſe hominem peruenire docuit Hippocrates *lib. de carnibus*, vltra hunc terminum abſtemios vixiſſe aliquos teſtatur Mercurialia & Braſano- E la: Clytias nouem dies fertur ſine cibo permanſiſſe; & alios vſque ad duodecimum perueniſſe conſtat ex Auicenna, & Platone, vſque ad vigeſimum, ea Horatio Angenio, vltra menſem vidit Gradius: & de Lucomoriæ habitatotibus refert Citeſius. Per octo menſea grauidam abſtemiam vidit ſine omni cibo viuere Licetus, puellamque Tuſcam, per menſem decimum ſeatum; per duos annoa vidit Rhodiginus: ſimiliter & Aponenſis, aliam per triennium à cibo abſtinentem obſeruat Langius: per quadriennium vidit Portius, abſtinentem à cibo: per ſeptem aunos Hulſius retulit, per duodecim Citeſiua, per decem Pogius, pee decem & octo Apooenſis per vigintl Baeconus, qui & aliam refert abſtinuiſſe à cibo per triginta annos, Hermolaus, Rondeletius, & Iobertus eeferunt Romæ Sacerdotem viaiſſe per quadraginta annos ſine omni cibo: Gyraldus meminit Epimenidis ooium paſtoris, qui in ſpecum ſe coocludens permanſit in ſomuo vt aliqui volunt pee ſeptuaginta ſeptem annos, ſicut & Christi ſeptem fideles, qui ab Imperio Decij vſque ad tempora Theodoſij dormierunt ſine cibo pee annos fere ducentos: aliique quamplurimi referuntur ab Authoribus abſque cibo diu viuentes, cum æquali admiratione, licet imperitis videntibus ægrum propoſitum à nobis ſine omni cibo per decem, & octo dies, non minor erat admiratio, præcipuè cum vires non defuerint, nec vè morbi eeſolutæ, nec ea euacuationibus minoratæ.

§. IV.

Diurni Ieiunij variæ Authorum referuntur opiniones, & in noſtro Ægro aſſignatur cauſa.

CVm abſtemius ab omni cibo noſter annumeretur æger inter alios plures, qui diutius abſtinuerunt, omnium quærere cauſas, referre, & relegare non ſine fortuna contigiſſe Fortuno Liceto apud omnea eſt, compertum, ea cuius ſcaturientibus Doctrinæ fontibus aliquos deducimus riuulos Laconico more & quantum permittit adſtricta deciſio. Plurimi vltra ſeptimum diem non poſſibile iudicant viuere ſine alimento, præcipuè per plures annos qualiter in ſpeluncis manentes plures creduntur ſine alimento viaiſſe. Hoc autem eſſe figmentum tenet Braſauolus 1. *de rat. victus in acutis, comment* 44. Plinius *lib.*7. Ariſtoteles, Simplicius, Strabo *lib.* 15. Sed quia plutium experientiis non ſatisfacit hæc opinio, qui ſine ſomno viſi ſunt diu ſine alimento viuere, Haruetus iudicat hos fuiſſe fraudulentos, & ſimulaſſe longam abſtinentiam, non tamen ſine cibo permanſiſſe, quod exemplis aliquorum impoſtorum coofirmat, qui randem de fraude ſunt conuicti: ex quo infert, quod ſi qui ſine alimento viſi ſunt diu vixiſſe, hos miraculosè vixiſſe: ea Hippocrate enim conſtat vltra ſeptem dies hominem nequire ſine alimento viuere, quod Laertius, & Demetrius confirmant, iodicantes id etiam Ethnicis contigiſſe, & apud Catholicos hoc ſæpius viſum, quòd ab Angelis plores fuerint diu enutriti eahibito alimento. Alij vero cum ſine alimento viuere, nequeant credere, iudicarunt eos qui experti ſunt diu eſſe ſine alimento, eſſe corpora non viuentia, animata tamen apparuiſſe & viuentia, quia ab aliquo dæmone fuerunt aſſumpta & mota; & licet cadauera, conſeruata, ſine cibo tamen, cuius vſus viuentium eſt proprium ſignum quo ſe viuentem Chriſtus Dominus demonſtrauit diſcipulis, poſtulaodo ab ipſis alimenta ne dubitarent de eius vita. Iamblicus *lib. de myſteriis Ægyptiorum* indicat aliquos habentes humana corpora ooo informari rationali forma, ſed à dæmone, qui cum non habeat formaliter vegetatiuam animam alimento non eget, & ideò aliquoa crediſſe poſſe homines viuere, ſine alimento, quia hos ſine illo viaiſſe viderunt.

Qui verò fatentur diu homines viaiſſe ſine alimento, varias eacogitarunt cauſas: Rondeletiua *lib.*1. *de piſcibus cap.*13. Vidus Sanior 2. *de curat. per gener. cap.*4. Laurentius Argenterio adhærere videntur 1. *aphoriſm. com.* 2. qui diu ſine cibo vioentes nutriri aere tenet, quaſi ex Galeno 11. *method.* ex Conciliatore *differ.* 155. ex Theophraſto 3. *de cauſ.*

cap.

*cap.*8. ipſam deducens doctrinam, præcipuè tamen ex ſummo Diætatore *lib.*1 *de alimento*; & *lib. de flatibus*. Alij verò ex odoribus abſtemios nutritos fuiſſe contendunt, quantumuis odor leuis ſit ſubſtantia: ex ſimili enim rore apes nutriri fatentur Authores; ex tenui ſimili ſubſtantia pennatum animal in Cypri fornacibus nutriri admittit Ariſtoteles, & Rhintacem in Perſia admittit Plutarchus; & canem leuem in Indiis Occidentalibus, vt admittit Cardanus; & Manucodiata in aere ſemper habitans: ſine cibo, & odore etiam Democritum diu vitam prorogaſſe admittit Homerus, & ex Hippocrate *lib de alimento*, vti pro reficiendis viribus diſcimus odoribus, viniue vapore odorato. Coſtæus *in diſquiſitionibus Phyſiologicis lib.*4. diu abſtinentes à cibo poſſe viuere, & nutriri aqua ſola contendit, forſan deductus in hanc opinionem experimento puellæ Germanicæ, quæ ſolo vſu aquæ ſine alimento diu vixit, ſicut & plantæ, & arbores ea ipſa nutriri docet experientia, cum eius defectu areſcant. Nos alibi qualiter nutriat diximus, nec hic Author ſoluit difficultatem; cum ſine aquæ vſu & ſine cibo plures viſi ſint per plures annos vixiſſe; nec Bouamicus, qui ſaltem in eis qui debili calore gaudent, aquam tenet ſufficere pro nutrimento, vnde alij ab aqua confugiunt ad terram, a qua diu ſine alio viuentes cibo, clam vſurpata iudicant nutriri, quorum confirmat opinionem malus corporis habitus diu à cibo abſtinentium, qui ex abuſu alimenti, terræve vſu prouenire videtur, vt docet experientia in eis, quæ terrâ veſcuntur, vt demonſtrant fœminæ virgineum morbum ob hanc cauſam patientes. Scaliger buffones ſola terra tenet nutriri, Armadillum & Codertum, Mures, Lacertum Indicum: Aponenſis relictis cauſis inferioribus recurrit ad cæleſtes influentias: alij confugiunt ad ſympathiam cum aere, & antipathiam cum alimentis: alij ad indiuiduales proprietates; alij ad ecſtaſim. Poſthius ſomniauit quòd propter ſomnum poſſunt homines diu viuere ſine alimento, quia anima per lethargum quaſi ligata manet in ſuis operationibus. Mercurialis, Montuus, & Benedictus acutiori iudicio tribuunt denſitati pororum, ob quam non fit reſolutio partium viuentis, quod diu alimento non indigeat: Tribuit adſtrictioni partium ventris abſtinentiæ cauſam Citeſius, iudicans ex earum conſtrictione oriri: eam tribuit Langius iecoris tabi: Quercetanus putrefactioni partium ventris: Valleriola conſuetudini: Cardanus copiam melancholici humoris poſſe cauſam eſſe dicit, ex qua nutriri homo diu poteſt. Probabilius Albertus Magnus recurrit ad pituitoſos craſſos, viſcidoſque humores in corpore redundantes, quibus animalia frigida abundant.

Nos vero iuxta vltimum hoc placitum iudicabamus, quod æger etiamſi per plures dies non aſſumeret cibum nec potum, ob antecedentem tamen ingluuiem manebat cum copia crudorum ſuccorum, ex quibus poterat alimoniam deſumere ſine nouo cibo. Iuniores adhærentes huic placito, idem in abſtemiis aliis hominibus, & animalibus contingere dicunt, quia frigida ſunt, ideò voracia, ob quod & craſſos, multoſque generant ſuccos crudos, qui ob debilem calorem paulatim abſumuntur, & parua fit reſolutio partium viuentium ob cutis denſitatem; quæ ratio licet non fuiſſet in noſtro febriente, fuit tamen ſufficiens ſuccorum copia, pro pauco tempore, poſtea enim rediit ad conſuetum alimentum. Aponenſis ex Galeno, & Hippocrate confirmat hanc opinionem, aſſerentibus ſenes, & pituitoſos facillime ieiunium tolerare; Simon Portius comprobat ex Ariſtotele 3. *de partibus animal. capit.* 14. ex Auicenna *fen.* 1. 3. *tract.* 3. *capit.*7. & ex experientia puellæ Spirenſis, diu ſine cibo viuentis, quæ ſi cogebatur aſſumere, multam vomebat pituitam. Confirmat Galenus aſſerens quod tempore indigentiæ ex pituita generatur ſanguis, quod nos contigiſſe in ægro iudicauimus, quidquid reclamet Fortunus Licetus in omnibus abſtemiis id non poſſe prouenire ex hac cauſa, quia plures diu abſtinuerunt à cibo, in quibus non præceſſit ingluuies, nec ciborum vſus præceſſit in noſtro ægro: de reliquis alibi trademus cauſas.

§. V.

Proponuntur plura auxilia, quæ pro fame excitanda fuerunt propoſita.

Cibi auerſio, licet febris ſymptoma, & ex eius curatione petebat auferri, vrgebat tamen ad ſui ablationem præcipuè in aſſiſtentium metu, & clamoribus; ideò vſi ſumus pro ventriculi exteriori parte inunctione corroborantium, olei abſinthij, menthæ, & eorum puluerıbus, apponebamus abſinthium vino concoctum, oleum roſarum, myrthinum: cydoniorum totorum aceto roſaceo cum puluere ſantabor. corall. rubr. coriandri roſar. granor. hermes, & placenta irrorata aceto vſi ſumus; appoſuimus cataplaſma ex fermento, aceto & ſucco menthæ, & abſinthij. Conſulebamus vſum aquæ ſtillatitiæ abſinthij, ſyrupum cidoniorum, cum corticibus citri aromatizatum, ſal. abſinth vel de mentha, caſſiæ ligneæ tincturam, ſpecies diaplantaginis, trochiſcos cordiales, aquam cordialem, ſed omnia renuebat æger, nec aliqua per os aſſumebat, per decem, & octo dies; ſi quæ autem cogebatur aſſumere, ſtatim vomitu reiiciebat, & ideo totam ſpem curationis poſuimus in euacuatione prauorum humorum, quibus ſcatebat ventriculus, quæ cùm euacuationibus nequiret conſequi, ipſam diætam, humores prauos ventriculi conſumentem, remedium eſſe iudicabamus; & reuerſi ſumus ad eius concoctionem iuuandam applicando calida emplaſtra, fomenta cum ſpongia ex vino ſtiptico aromatizato, viuaque animalia per dorſum ſciſſa.

Consvltatio Decima-Septima.

De ſcholaſtico patiente varios, ac periodicos motus conuulſionis, qui energumenus apparuit.

CONTINET

§. I.

In quo proponitur euentus, & conſulendi occaſio.

§. II.

Conuulſiui motus quid, & quot eius differentiæ.

§. III.

Conuulſiui motus qualiter fiant, dæmone non concurrente.

§. IV.

Dæmone concurrente quomodo fiant motus conuulſiui.

§. V.

Quibus ſignis, quotve modis poteſt inueſtigari an aliqui morbi ſint dæmoniaci.

§. VI.

Dæmon in energumenis quos morbos inducat, quas immutet vegetatiuas, ac ſenſitiuas potentias.

§. VII.

Dæmon in energumenis, qualiter valeat immutare, aut deprauare actiones animæ rationalis.

§. VIII.

Quid ſentiamus de facinore dæmoni tribuendo.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Proponitur euentus, & conſulendi occaſio.

MATAR vidua, quæ habitabat prope templum Scorotum, nos acceiſiuit anno 1658. ad inuiſendum filium ſcholaſticum, conſtitutum ſub anno vigeſimoſecundo, bene morigerstum, pium, deuotum, ſtudiis literarum deditum, in rebus non naturalibus bene ſe habentem, vexatum tamen per inteeualla periodicè ſæpè conuulſiuis motibus, à quibus aggreſſus ſiue ſederet, ſiue in lecto iaceeet, cogebatur ſurgere, & deambulare ſupra pedum digitos, indiſcriminatim verſus omnem loci poſitionem in cubiculo, & verſus omnes corporis poſitiones, ſurſum, deorſum, verſus ſiniſtram, aut dextram partem, rectè, & obliquè, & quaſi io circulum caput declinando, ita vt timeremus caput concutiendum in terram, vel parietes; ipſe tamen ob experientiam, nos hortabatur ne timeremus, manebat poſt receſſionem laxatus, mente conſtabat, & periodicè affligebatur, ſemel quietus à puero irritatus, eius mortem fuerat aggreſſus, ob varios, inordinatos, ac periodicos motus conuulſiuos, & vt liberaretur à crimine intentæ necis, energumenus habebatur. Plura ex arte remedia adhibita non profuetonr, exorciſmis apparuit poſſeſſus à dæmone, quibus & à dæmone & à morbo liber euaſit.

§. II.

Conuulſiui motus qui affectus, & quot eius differentia.

INtra naturæ metas conuulſiui motus inter res præternaturales ſunt ſymptomata in deprauata actione motus localis animalis, epilepticorum motibus ſunt ſimiles, periodici ſæpe, quos primus omnium cognouit Hippocrates, varias eorum differentias obſeruarunt inter recentiores Schenkius, Marcellus Donatus, Horſtz & Fernelius, & inter Practicos Sennertus, & Riuerius, qui omnes conuolſionem noo veram eſſe contendunt: Proſpetus Marcianus

A contendit, qood apud Hippocratem ij conuulſiui motus fuerint iudicati vera conuulſio, quæ autem vera recipitur ex Galeno, ab Hippocrate numquam ſub conuulſionis nomine fuiſſe denominatam. Noa ne in tradenda hac doctrina confuſi videamur, communiori Iuniorum adhæremus doctrinæ, veram cum illis admittentes conuulſionem, ad ipſamque motus conuulſiuos reducentes, quos non veram nominabimus conuolſionem.

Eſt igitur vera conuulſio apud Iuniores ex Galeno, retractio neruorum, & muſculorum verſus originem: Alia eſt vera, & legitima, quæ eſt perpetua, & inooluntaria neruorum, & muſculorum retractio verſus ſuam originem: Alia eſt non vera, quæ eſt interpolata retractio neruorum, & muſculorum
B verſus ſuam originem. Conuulſio vera alia eſt vniuerſalis, alia particularis, vniuerſalis eſt triplex, emproſthotonos, opoſthotonos, & tetanus. Particularis eſt multiplex, ſtrabiſmus, conuulſio canina, riſus ſardonicus, & aliæ à parte læſa denominationem ſumentes. Conuulſio non vera alia fit per conſenſum, alia per primogeneam affectionem, alia fit cum manifeſto alio morbo, vt cum febre ardente, aut capitis, aut alterius partis vulnere: alia fit ſine manifeſto alio morbo.

Conuulſiuorum motuum prouenientium ſine manifeſto alio morbo variæ ſunt obſeruationes. Marcellus Donatus *lib. 2. de hiſtor. mirabili cap. 3.* vidit *Monialem, quæ ſedendo diu, noctuque, capite, collo,*
C *ac ſpatulis commotis antrorſum, retrorſumque inceſſanter edendo, bibendo quaſſare cogeretur, ita vt nec adſtantes eam continere valerent, quod ſi valida vi aliquando prohibere tentaſſent, decidebat in animi deliquium.* Fernelius *lib. 2. de abditis rerum cauſis cap. 16.* cuius meminit Schenkius, *lib. 1. obſeruat. Medicinal.* agens de Spaſmo, & Codrouchus *lib. 1. de morb veneficis cap. 8.* refert vidiſſe iuuenem Galliæ, Equeſtris familiæ, *Qui corporis concuſſione ex temporum interuallis laborabat, qua nunc ſolum ſiniſtrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum vnum, alias crus dextrum, aliàs vtrumque, aliàs corporis truncum tanta celeritate exagitabat, vt vix à miniſtris quatuor decumbens cohiberetur, caput in concuſſum iacebat, lingua, & loquutio libera, mens ſana, omnes ſenſus*
D *integri, vel in conuulſionis ferocia, & in interuallis ſanus, ſed labore confractus permanebat.* Gregorius Horſtz *epiſtol. Medicar. ſect. 3.* poſt varia alia accidentia vidit puellam: quæ *Poſtremo die maxima omnium membrorum inquietudine fuit correpta, primum tandem in pedes ſe coniicere ac ſaltare cœpit, miſerabili ſane & ſtupenda inſania ſpecie, tentata, ac turbata varios, atque turbulentos motus exhibuit, nam nullis nec vi, nec increpatione contineri potuit, quo minus hinc inde conſiſteret, nulloque modo ſubſiſteret, ſed indeſinenter inquietudine hac detenta, in lecto etiamſi forſan cohiberetur, ex vno in alium locum ſe coniiceret:* & ſuperaddit: *Attamen cum inquietudo nunc hoc, nunc aliud membrum inuaſit, ita vt inceſſanter quaſſare, nempe*
E *brachium, hinc inde mouere, vel pedem ſurſum, deorſumque trahere continua ſerie cogatur, ſæpe caput ſolum, ſæpe partem eius maxillam, vnde dentium colliſio, & ſtridor, aures, naſum, buccam, totam demum faciem, vnde fœda diſtorſio.* Salius *cap. 10. de affectib. particul.* in quo agit de conuulſiuis motibus, huius affectus proponit ideam. *Hic motus*, inquit, *fit retractis ad propria principia neruis, & membris motui voluntario deſeruientibus, cum quadam concuſſione, & vibratione, vt videatur neruorum palpitatio, vel vibratio correſpondens motui pulſus vibrantis, conſueuit hic motus admodum affligere patientes & eos de-*

tines

tinet aliquando per menſes, & annos, ſed diuerſimodè, in aliquibus enim hic motus antiquatur, & conſeneſcit continuo affligens, in aliquibus autem periodos habet, vt contingit in epilepticis acceſſionibus, per interualla, repetit, & moleſtat, niſi factus fuerit in morbis acutis, hic enim morte cito terminatur. Hic motus aliquando eſt non doloroſus, aliquando doloroſus, & valde moleſtus ratione concuſſionis & vibrationis, raro occupat totum corpus, celerrime autem modo dextram, modo ſiniſtram partem.

Manet ea iunioribus delineatus affectus, qui quia infrequentior, nouus, ac naturæ metas excedens iudicatur ab aliquibus, ab antiquioribus tamen cognitus fuit, & præcipuè ab Hippocrate: inquit enim Proſperus Marcianus *lib.7.epidem.ſect 1.verſ.377. Ex quibus patet Hippocratem conuulſionem tantummodo appellare motum illum concuſſionis membrorum, per quem æger in lecto contineri vix poteſt ne decidat.* Conſtatque ex dictis differentia inter veram, & non veram conuulſionem, vera enim eſt retractio neruorum indeſinens, perpetua, & continua. Non vera eſt neruorum contractio interpolata: Tum in vera conuulſione membrum conuulſum permanet immobile, in non vera varie agitatur, & mouetur, ſicut in epilepſia: Tum vera conuulſio fit ex Hippocrate ab inanitione, aut repletione, non vera ab irritante cauſa: Tum vera conuulſio fit à ſolo morbo, non vera à ſola facultate: Tum in vera conuulſione conuulſum membrum vnam ſeruat figuram, non vera varias figuras facit membrum conuulſum mutare.

§. II.

Conuulſiui motus qualiter fiant dæmone non concurrente?

A Cauſis præternaturalibus naturaliter ſine ope dæmonum motus conuulſiuos cauſari à tetris, malignisque vaporibus, tenuibusve humoribus præditis maligna, acri, ac mordaci qualitate, communi aſſenſu fatentur Hippocrates, Galenus, Schenkius, Marcellus Donatus, Proſperus, Marcianus, Petrus Salius, Horſtz, Piſo, Sennertus, Riuerius, & Hippocratis Commentatores, licet varient in determinando modo, quo prædicti vapores ſeu tenues humores maligni varias motuum differentias efficiant.

In febribus ardentibus fiunt conuulſiui motus, vt docet Hippocrates *in coacis*, & *lib.6. aphor. 26.* ob acres, ac mordaces humores, ſeu alitus aſcendentes ad exortum neruorum, ipſoſque vellicantes, & irritantes ad expulſionem moleſtantis materiæ, à quorum communicato calore intemperatur cerebrum, & etiam ſubſequitur delirium, quod prædicit Hippocrates dicens: *Tremores ſuperuenientes delirio ſoluuntur.* Seu terminantur in illud conuulſiui motus, quos vocat tremores. Hi autem ſi perſeuerent, aut poſt delirium ſuperueniant, terminantur morte, vt inquit Ollerius, quia fiunt teſiccatis neruis, vel ob cerebri inflammationem.

Superueniunt etiam conuulſiui motus in capitis vulneribus, ſuntque indicium appropinquantis mortis, dum fiunt ex capitis vulneribus. Fiunt etiam ex vulneribus inferiorum partium, & tunc fiunt in eadem parte capitis ſecundum rectitudinem cum parte vulnerata ob vapores directè aſcendentes, vt Marcianus probat ex hiſtoria Scamandri in Lariſſa. Si verò vulnus ſit in capite, dum corrumpitur eius ſubſtantia, fiunt tremores in parte oppoſita. Rationem reddidit Salius, quia fiunt tunc conuulſiones, quia in vulnere corrumpitur viuens ſubſtantia à vaporibus eleuatis, & contrariæ parti communicatis, ad quorum expulſionem fiunt in parte ſana conuul-

A ſiui motus, non vero in vulnerata; tam putrida, & corrupta, & quæ vires proprias amiſit.

De conuulſiuis vero motibus ab occultis cauſis, & ſine manifeſto morbo prouenientibus, conſtat ſimiliter fieri ex humoribus, aut vaporibus irruentibus in principium neruorum, ſiue genitis in cerebro, ſiuè in ipſo receptis & aliunde immiſſis, de iis Hippocrates *lib.1.Prorrhet.comm.3.text.87.*inquit: *Conuulſiones in hyſtericis ſine febre faciles*: vbi docet fieri conuulſiones ex vaporibus aliũde tranſmiſſis, vt docet etiam Galenus *in comment.* §. *Nempe mulieribus hyſtericis appellatis, quæ ſtrangulationibus vteri capiuntur, fiunt continuè totius corporis contractiones conuulſiua* Marcellus Donatus *de hiſter. Mirabili lib.2.cap.3.*ex ſpina dorſi

B obſeruat poſſe alitus communicari. §. *In eam deueni ſententiam illos motus conuulſiuos concitatos eſſe ex vapore craſſo malo ad neruorum originem, ſpinæ nucam dicunt, mala qualitate pradito, à parte illa dorſali eleuato, ac per partem poſt partem à calore materiam eo in loco contentam agitante, fomentum recipiens.*

Petrus Salius ſimiliter decreuit modum, quo vaporibus, tenuibusve humoribus acribus, ſiue aliunde receptis, ſiue in cerebro genitis fiant conuulſiui motus, & quia ex vaporibus receptis & communicatis à vulneribus docet experientia concuti neruos, & cauſari motus conuulſiuos, inde comprobat, ex quibuſcumque aliis ſimilibus ſine aliunde receptis, ſiue in cerebro genitis debere cauſari conuulſiuos motus ſine manifeſto morbo ortos, dum inſiguntur in prin-

C cipiis neruorum & ſunt pauci, nam ſi ſint in maiori quantitate obſtruent neruos, & fient apoplexiæ ſeu paralyſis. Parua verò quantitas ob prauam vim ſtimular neruos, & irritat, vt inſurgant ad expulſionem, qualiter in ventriculo contingit in ſingultu. Si continua eſt generatio materiæ in cerebro, vel aliunde tranſmiſſio, continui ſunt motus conuulſiui, ſi non continua, fiunt per interualla, & periodicè dum per periodos generantur, aut tranſmittuntur, ſi tranſmittuntur in totum exortum neruorum in toto corpore motus conuulſiui fiunt, ſi in dimidia eius parte, in vno latere, ſi in determinatis neruis, determinatis partibus, pro quarum motu illi deſeruiunt, plerumque eleuantur vapores per ſomnum, & tunc excitantur ægri à ſomno, & plerumque

D coguntur ſurgere ex lecto.

Sed quo pacto ab hac propoſita cauſa conuulſiui, varij, atque diuerſi ij motus fiant, aliquorum exercuit ingenia: Piſo iudicat motus conuulſiuos cauſari ex humoribus ob efferueſcentiam & ebullitionem, neruos commouentibus. Horſtz tenet, quod fiunt conuulſiui motus ob flatus ſpirituoſos eleuatos ab humoribus mouentibus membra deſtinata motui voluntario, Marcianus ſupponit, quod in cerebro arteriæ, per quas feruntur vitales ſpiritus, mutantur, & fiunt nerui, qui vlterius in cerebro deſeruiunt, vt animales ſpiritus in eo geniti vlterius deferantur: quæ doctrina fuit Praxagoræ, ſuperadditque, quod conſtant nerui ex duplici tunica, & ex medullari ſubſtan-

E tia, & quod hæc ſtat intertexta tenuiſſimis fibris, vt per illas deferantur ſpiritus animales, quæ continentur in arteriis in cerebro deſeminatis per propriã ſubſtantiam, & per eius ventriculos, ex iis deducit. *Idem quando aut nerus ipſi, aut neruoſæ parti quidpiam occurrit quod moleſtiam inferat, facultas, vt noxium expellat, animales ſpiritus commouet, concitatque, qui conſuetum munus obeuntes muſculos replent, qui inde contracti per chordam membrum contrahunt, quemadmodum in naturali voluntario motu fieri ſolet, & quia muſculorum alij extenſioni inſeruiunt, alij contractioni, inter eos pugna quadam*

& contentio oritur, in qua modo iis, modo illis ſuperantibus, motus ex contractione, & extenſione permixti concutiuntur.

Doctiſſimus, & acutiſſimus eſt Martianus, ſed fruſtra acuit vires ingenij in immutanda ſubſtantia arteriarum in neruos, in tribuendo animalibus ſpiritibus vim localiter mouendi, cum ſolùm præter diſpoſitionem potentiæ, quæ vitalis eſt, & in viuente parte animalis debet reperiri tanquam propria paſſio animæ informantis illam; ſi enim ventriculus in ſingultu mouetur conuulſiuo motu, quia irritata natura à re moleſtante inſurgit loco-motiua facultas ad concuſſionem, & expulſionem noxij, & ſimiliter in rigore inſurgunt muſculoſæ partes ob eamdem rationem, ad expellendos acres ac mordaces irritantes humores, cur non irritatio neruorum orta à ſimili cauſa non inſurget cum loco-motiua facultate ſubdita imperio appetitus, ad expulſionem cauſæ irritantis, ſicut & inſurgunt manus, pedes, & reliquæ partes quæ mouentur in conuulſiuis motibus, ad expellendas cauſas externas moleſtantes, vt ignem, puogeos inſtrumentum, vel quodvis aliud moleſtans obiectum, quod ſubito conantur expellere per motus conuulſiuos contractionis, & diſtenſionis.

§. II.

Dæmone concurrente, quomodo fiant motus conuulſiui?

Ægri mater, & conſanguinei contendebant illum energumenum eſſe, & morbum pati dæmoniacum, contendebant hoc pacto illum liberare à crimine quod illi imponebatur de intenta pueri nece, quibus nos non facile aſſentiebamus; non quia Hippocrates *lib. de morbo ſacro*, Ariſtoteles *lib. 8 phyſicorum*, Galenus *lib. 9. & 10. de ſimpl. medicam. facult.* Plutarchus *in vita Periclis*, Theophraſtus *de hiſtor. plantar.* Valleſius *lib. de ſacra philoſophia in Matthæum* 17. contendant non dari morbos a dæmone inductos, vt intendit Torreblanca. Ipſi enim admittunt cum Huchario *lib. 4. de Malef.* duplex morborum genus cauſari à Dæmone, aliud Methaphyſicum, quod cauſat ſola ſua poteſtate: aliud Phyſicum dæmoniacum, quod cauſat commouendo humores, ex quibus ſolet naturaliter cauſari; & ij authores intendunt, quod non fiant à dæmone omnes morbi quos iudicat vulgus cauſari ab illo: vel quod plerique fiant ab illo mediis humoribus, quos commouet, non autem à ſola abſoluta eius virtute. Nec aſſentimur Viuerio impie contendenti abſolute nullos poſſe morbos à dæmone induci *lib. de venenis cap. 5. lib. de lamiis, c. 7.* Morbos enim à dæmone cauſari ſatis manifeſte conſtat ex ſacra Pagina, & luculenter demonſtrat Codronchus *lib. 1. de morbis veneficis*, ex ſacris litteris, ſanctaque Scriptura, ex Conciliis, Iuribuſque Canonicis, & Conſtitutionibus Pontificiis, ex ſanctis Doctoribus, Theologis, ac Summiſtis, ex Platone, Ariſtotele, & eorum Sectatoribus, ex Hiſtoriis quamplurimis, ex Medicis, & communi omnium gentium aſſenſu, & experientia.

Probat non minus luculenter, hanc veritatem Torreblanca, quam confirmat variis Authoribus: fauent enim illi Patres Orthodoxi, D. Auguſt. *lib. 8. de ciuitate Dei cap. 19. lib 2. doctr. chriſtiana cap. 19.* D. Iſidorus *lib. 8. etymol cap 9.* D. Chryſoſtomus *lib. 8. de fato ſerm. 7.* Ex Theologis, D. Thomas *1. p. q. 115. & 2. 2. q. 96. & in ſent. 4. diſtinct. 34.* ibi D. Bonauentura, Scot. Richardus, Origenes *in Iob. lib. 3.* D. Antoninus *p. 2. tit. 12. cap. 1.* Niderus *in Formicar.*

A *lib. 5.* Sprenger. *in Mall. p. 1. q. 1. c. 12. & p. 2. q. 1. c. 11.* Spina *de ſtrigibus c. 9. 10. 11.* Caſtro *de iuſta hæretic. punit. lib. 1. c. 14. 15. 16.* Bensfeld. *in confeſſ. malef. concluſ. & in l. eorum. C. de malef q. 6. concl. 1. 2. 3.* Martio. Delrio *lib. 3. Magicar. p. 1. q. 1. c. 1. & q. 3. ſect. 4. & q. 4. ſect. 1. 2. 3. 4. & 15.* Suarez *de relig. lib. 2. c. 9.* de Angel. *lib. 8. c. 20.* Thom. Sanchez *tom. 2. de matrim. lib. 7. diſp. 94. & tom. 1. Decalogi cap. 40.* Valentia *tom. 3. diſp. 6. q. 13.* Raphael de Turre *tom. 2. de vitiis oppoſitis relig. q. 96.* Malderus *de virtut. Theolog. tract. 10. c. 8.* Bubal. de Angelis *in D. Thomam p. 1. q. 50. art. 1. q. 1.* Moura *de incantat. tom. 1. ſect. 2. c. 1.* Bulenger. *de*
B *Magia lib. 2. c. 34. & 35.* Ex Iuriſperitis, Turrecremata *in c. ſi per ſortiarias 33. q. 1.* Abbas, & Felin. *in c. ex litteris, de frigid. & maleficiat.* Bartol. Baldus, Salicet. *in l. eorum. C. de Malef. & Mathem.* Simanchas *de Catholic. inſtit. tit. 37.* Grilland. *de ſortileg. lib. 2. q. 6. 7. & 8.* Remigius *lib. 1. de Monolog. c. 24. & 29.* Couarr. *in decretales 4. c. 5. & tract. de frigid. & malef. cap. 11.* Viderius Molitor *de Pithon. mulier. c. 7.* Iulius Clarus *lib. 5. receptar. q. 62.* Dambauder. *in praxi c. 61.* Farinacius *in Pract. qq. tom. 1. q. 10. & tr. de hæret. q. 181.* Menoch. *de arbitrar. caſ. 329.* Campanillus *diuerſ. iur. rubrica 11. c. 26. n. 100.* Ex Medicis Auicenna *lib. 3. fen. 1. tract. 4. c. 18. & fen. 10. cap. 3.* Africanus *lib. 8. Praxis c. 29.* Dioſcorides *lib 2. c. de Ramo.* Theophraſtus *hiſtor. plantar. lib. 7. c. de Scylla.* Fernelius *lib. 2. de*
C *abdit. rerum cauſis c. 16.* Meſuë *lib. 3. Antidot. ſect. 9.* Paræus *lib. 24. c. 19.* Vairus *lib. 3. de faſcinat.* Ceſalpinus *de inueſtigat. dæmonum c. 1. & 8.* Codronchus *lib. 1. de morb. venefic.* Foreſtus *tom. 1. obſeruat. lib. 26.* Carrerius *de loc. affect. diſp. 74.* Schenxius *tom. 2. obſeru. lib. 4* Ficinus, Fallupius, & Mercado. Ex Recentioribus Medicis Sennertus *tom. 3. lib. 6 p. 9.* Marcellus Donatus *de hiſtor. Mirab. lib. 4.* Hucherius *de ſterilitat. lib. 4. de Malef.* Zachias *qq. Medico-legal. tom. 1. tit. 1. q. 4. lib. 2. tit. 2. q. 13. tom. 2. lib. 10. deciſ. 21* Roſeus *epiſt. Medicar.* Fauet ſimiliter huic doctrinæ ſpecialiter, quod dæmon quammaximè appetit inducere conuulſiones, & conuulſiuos motus, omneſque morbos, quos poteſt cauſare commotis melancholicis humo-
D ribus, quibus maximè vtitur ad varia excitanda ſymptomata, vt tenet Codronchus, Hucharius, Sennertus, Zachias, Fernelius, & Torreblanca fatetur dicens: *Nam melancholicos morbos excitat, bilem atram, quæ corpori ineſt, & fuligines in cerebrum & internorum ſenſuum cellulas propellit.* Hucherius hunc mouere humorem in hepar, cor, & cerebrum fatetur, & varia inducere per illum ſymptomata *lib. 4. §. Vnde funeſtiſſimum ſymptomatum iliadem exacerbari contingit, vt ſpontaneas leipothimias, apoplexias, conuulſiones.* Idem confirmat Codronchus *lib. 2. de morb. venef. cap. 5. §. Interdum etiam vitioſos humores, quos vel generat, vel mouet ad cerebrum, vel neruos detrudit, ac epilepſiam, atque conuulſiones & paralyſim excitat.* Marcellus Donatus *lib. 2. de hiſtor. mirabili cap. 1.* latiſſimè
E proſequitur modum quo dæmon hos cauſat morbos commotis iis humoribus: ſed Fernelius *lib. 2. de abdit. rerum cauſis cap. 16.* poſtquam proponit motus conuulſiuos ſimiles eis, quos vidimus in hoc ægro, palam fatetur in Equite, in quo ipſos vidit, à dæmone fuiſſe cauſatos, reddens enim rationem, quare non fuit æger variis remediis adhibitis curatus inquit: *Quoniam omnes longe aberramus à cognitione veri. Nam menſe tertio, primò deprehenſus dæmon quidam totius mali author, voce, ſueteſque verbis ac ſententiis, tum Latinis, tum Græcis, quàm ignarus linguæ Græcæ laborans eſſet ſe prodens, is multa aſſidentium, maximeque Medicorum ſecreta detegebat, videnſque quod eos magno periculo circumiſſet,*

circumiſſet, quodque iritis pharmacis corpus hoc perin-gu aſſens.

His commoria aſſentiebat doctrinæ communi, quod poſſet hic æger eſſe energumenus, quod poſſet dæmon ipſum torquere, varios cauſando morbos, Deo permittente, ſiue metaphyſicos, propria ac ſola dæmonis poteſtate, ſina alia concurrente cauſa inductos, ſiue phyſicos, dæmoniacos morbos inducendo commouendo humores, quos poſſet generare, vel in corpora iam genitos, & præcipuè poterat cauſare conuulſiuos motus, quos patiebatur æger, quia redundant in illo atri, ac melancholici ſucci, ex quibus adhuc ſina ope dæmonis ſolent cauſari Sed nullum apparebat energumeni ſignum, quod nos poſſet daducere in eius cognitionem, qualiter nec Fernelius, ac reliqui Medici potuerunt cognoſcere dæmonem in ægro ab ipſo propoſito.

§. V.

Quibus ſignis, quibusve modis poteſt inueſtigari, an aliqui morbi ſint dæmoniaci?

MOrbi dicuntur dæmoniaci qui à dæmone cauſantur ſiue ea maleficiata, ſiue in energumenis aut poſſeſſis à dæmone, aut obſeſſis. qui morbi cum plerumque cauſentur ex humoribus ſimili modo ac in non obſeſſis à dæmone, non facile eſt inuenire per quid cognoſcantur: id autem illos demonſtrata eſſe dæmoniacos poteſt quod ſimul appareant aliqua ſigna quæ dæmonem eſſe intra corpus demonſtrent, ex iis enim facile infertur morbos cauſari ab illo. Fernelius ſupra citatus licet morbum dæmoniacum aſſa non cognouit, quia in principio non erant ſigna dæmonem atteſtantia; aliqua tamen propoſuit ea quibus cognoſcitur dæmonem ægrum poſſidere, inquit enim: *Neque ſolum morbos, verum etiam dæmones, ſcelerati homines in corpora immittunt. Hi quidem viſuntur furoris quadam ſpecie diſtorti, hoc vno tamen à ſimplici furore diſtant, quod ſumme ardua obloquuntur, præterita, & occulta renunciant, aſſidentiumque arcana referrant, eoſque multis conuitiis impetunt, & diuinorum verborum poteſtate terrentur & contremiſcunt.* Furor maximà apparet in energumenis, vt patet ex ſacra Pagina. Marcus *cap.* 5. inquit: *Se concidebat lapidibus*, de dæmoniaco, *& cap.* 9. *Ss terra elidunt, & ſpumantes voluntantur, & in ignem proſiliunt.* Matthæus *c.* 8. inquit: *Quod nemo auderet transire ob dæmoniaci furorem.* Vnde ait Michael Pſellius *lib. de operat. dæmonum: Enthuſiaſmos autem, inſanias, & catochonias, ſeu ſpiritus immundos, quibus, qui correptus eſt & detentus nihil quidquam agere poteſt omnino neque mente, neque ſermone, neque phantaſia, ſeu imaginatione, neque ſenſu: at aliud quidem eſt, quod eos imbuit, & agitat, eaque loquitur*, quæ ab eo qui correptus, eſt ignorantur, idemque futurorum nonnihil interdum prædicit.

Sed maximum præſtat argumentum, quod morbus ſit à dæmone, ſi non cedit auxiliis naturalibus, & quæ communiter ſolent prodeſſe pro aliis, vt per *DD. in cap. fraternitatis, de frigidis & maleficiatis*, conſtat, & latè demonſtrat Codronchus *lib.* 2. *cap.* 9. & Ceſalpinus *de inueſtigat dæmonum cap.* 22. Præterea ſuperaddunt Martinus Delrio *lib.* 6. *cap.* 2. *ſect.* 2. *q.* 3. Raphaël de Torre *tom.* 2. *de vitiis oppoſit. relig.* Sennertus *tom.* 3. *lib.* 6. *part.* 9. Gregorius Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 13. Codronchus *lib.* 3. *cap.* 13. Hucherius *lib.* 4. *de Malefic.* quod ſuperueniunt in morbis dæmoniacis diuerſa accidentia, & grauiora, quam quæ debentur illis ſine ope dæmonum inductis, ſiunt enim dolores vehementiſſimi, ægris ignorantibus partem affectam, vexantur maxime viſcera variis accidentibus nullis cedentibus auxiliis, vt tenet Sprenger. *part.* 2. *quæſt.* 1. *cap.* 13. Codronchus *libr.* 3. *cap.* 12. Energumeni ſimiliter, vt Fernelius tenet, linguis vtuntur incognitis ab ipſis, ſecreta detegunt, & præcipuà reſponſa futurorum præbent, hoc maximè vt ementiantur prophetias, vt tenent Hieronymus Mengus *in compendio lib.* 2. *cap.* 12. & Maiolus *tom.* 2. *canicul. colloq.* 3.

Hæc omnia, & alia quæ pro maleficiatis ſolent experiri, deficiebãt in hoc ægro, qui temperatus, pius, deuotus erat, & in nullis deuians actionibus ſibi in naturali ſtatu debitis, præterquam in ira quâ concitatus perdere conabatur pueri vitam. Vnum tamen nobis ſignum deducebat in ſuſpicionem quod à dæmone cauſarentur illius motus conuulſiui, quod ſcilicet omnia auxilia pro morbo curando requiſita fuerant adhibita ſecundum artem, nulla tamen profuerant, quo vno indicio coacti deuenimus in opinionem, quam tenet Zachias *tom.* 1. *lib.* 19. *deciſion.* 80. quod aliis deficientibus ſignis demonſtrantibus dæmonem morbos cauſare, ſi ſit ſuſpicio recurrendum eſt ad remedia Diuina, & Eccleſiaſtica, & ad exorciſmos, quod prius docuerat Rex Ioſaphat *lib.* 2. *Paralipomen. cap.* 20. dicens, *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus in te, Domine.*

Præcipue per exorciſmos dæmones coacti ſe manifeſtant, quidquid fremant Hæretici, Huſitæ, Vuicleuiſtæ, Lutherani, qui contendunt eſſe idololatriam exorciſmos exercere, quia nullum Dei mandatum ipſos faciendos docuit. Nam poteſt Eccleſia ceremonias inſtituere, ad languores leuandos, & expellendos dæmones: inquit enim Matthæus *cap.* 10. *Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem.* Marcus *cap.* 3. *&* 15. *Dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia, & vt languores curarent*: & inde Eccleſia poteſtatem habet inſtituendi exorciſmos, per quos per modum imperij dæmonas expellat, & Dei nomine compellat, vt ſe manifeſtent: tenet Suarez *tom.* 3. *in D. Thom. diſput.* 15. *part.* 3. *ſect.* 4. & Chriſtus Dominus nos docuit ad ipſum recurrere, vt diuina virtute dæmones manifeſtentur, & expellantur, vt ſua nos adiuuet virtute, cum qua dæmones toties ex corporibus eiecit, vt docent D. Lucas *cap.* 4. *cap.* 8. *cap.* 18. *cap.* 9. *&* 10. Diuus Matthæus *cap* 8. *&* 9. *&* 12. *&* 31. qui propria id virtute effecit, vt fatetur Nicodemus *apud Ioannem cap.* 3. dicens: *Nemo poteſt facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*, quæ poteſtas fuit tradita Eccleſiæ, vt tenet D. Chryſoſtomus in Matthæum, Maiolus *tom.* 3. *canicul. colloq.* Lactantius *lib.* 3. *diuinar. inſtit.*

Cum ergo reuerſi ad Deum, eius imploraremus opem, & per exorciſmos conaremur inquirere veritatem, & an dæmon poſſideret ægrum, & morbus, quo vexabatur, ab illo foueretur, exorciſmis ſe dæmon manifeſtauit, ab ipſo foueri morbum faſſus eſt, eorum vi ex corpore exterminatus fuit, & æger in priſtinam rediit ſanitatem.

§. VI.

Dæmon in Energumenis, quos morbos indicat, quas immutet vegetatiuas, ac ſenſitiuas potentias.

OMnes morbos ope dæmonũ poſſe in hominibus cauſari ex ſupra dictis, conſtat, ſed vehementiores maximè

maximè contendit dæmon prudncere. Ideo, vt tradit A Thyræus *de dæmoniaca p 2.c.4.* & Hieronymus Mengus *in malignos ſpiritus cap.*13. ſæpiſſimè energumeni toto rigeſcunt corpore, redduntur inflexibiles, concidunt velut mortui, tetano corripiuntur, quaſi ſtrangulantur, patiuntur anhelationes ; palpitationes cordis, ſyncopes, & conuulſiuos motus, vt ſupra retulimus.

Vegetatiuæ animæ potentias & earum operationes lædunt, præcipuè infeſtant, ventriculum ſubuertunt, vomitus mouent, coctiones impediunt, vt tamen Codronchus *lib.3.cap.13.de morb.venefic.* Et loco chyli, vel humorum generari faciunt oſſa, ſpinas, clauos, pilos, vt idem Codronchus tenet, & Springer. & obſeruarunt Langius, *lib* 1.*epiſtol.*39. Beniuenius *de admirand. morb.* Cæſalpinus, *de inueſtigat.* B *dæmonum.*

Sed præcipuè pergunt dæmones ad animæ ſenſitiuæ potentias illudendas, & inuertendas actiones non ſolùm loco-motiuas, ſed cognoſcitiuas externas, & internas, ſimulque & appetitiuas, vt latè probat Torreblanca *lib.2. de Magia cap.*14. & 15. *lib. 3. de iure ſpirituali cap.*5. & 6. Guilb. *part. fin. de vniuerſ. cap.*22. Martinus Delrio *lib.2. Magicar. quæſt.*14. Raphael de la Torre *tom.1.de vitiis oppoſ.relig. quæſt.*5. Remigius *lib.*1. *dæmonol. cap.*11. Illudit enim externos ſenſus, auditum, organum intemperando, & phantaſmata commouendo, per quæ impediatur in receptione ſpecierum, ita vt tinnitum tibicinis iudicet, vt in morbis etiam contingere poteſt : ſimiliter C & tactum valet illudere intemperando illum, vel obiectum repræſentando, quod tactui diuerſam ſui præſtet repræſentationem : ſic & guſtum, & odoratum inmutare poteſt, commouendo ad ipſos humores, quod docuit D. Augustinus *lib* 18. *qq.* 5. *ſerpit hoc malum diaboli per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat ſe caloribus, adhæret ſonis, odoribus ſe ſubiicit, infundit ſe ſaporibus, & quibuſdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ.* Internos illudit ſenſus, confundendo ſpecies rerum in memoria, ex ipſis commiatis alias eliciendo, ſicut & delirantibus accidit, ſeu phantaſticum & chimæricum proponens ex illis obiectum, vt admittit D.Thomas *art.*1. *quæſt.*111. *art.*3. Illudit præterea ſenſus internos, eaternis illuſis ex parte obiecti, quia ſubito D oſtenditur, agitatur, occultatur, aut variè illud aut eius partes collocantur, vt Guilh. & Raphaël de la Torre latius proſequuntur : ex parte medij ſi illud imbuat qualitate qua modificatæ ſpecies diuerſo modo repræſenteot obiectum, & etiam ex parte medij, ſi aerem commouet, & ideò ſpecies immutentur, quem modum immutandi obiectum admittit D.Thomas *in 2.ſentent. diſtinct.*8.*quæſt.*1.*art.*5. & tenent Remigius *lib.*1. *dæmonolog. cap.*11. Martinus Delrio *lib.*21. *Magiæ quæſt.*24. Anglex *in 2. ſentent. diſtinct.*8. Ex iis non infertur, quod eo ipſo, quod illudantur ſenſus externi, aut interni ſimul, & appetitus ſenſitiui actio, propoſito obiecto illuſorio ſemper debeat inſurgere ad operandum cum actu iraſcibilis aut concupiſcibilis circa illud vt illuſorium eſt, E quia dum intellectus non aſſentitur errori, voluntas nunquam potentia ſuperior, cui appetitus ſubditur, poteſt illum corrigere : ſicut contingit in morbis in quibus deprauantur actiones internarũ potentiarum cognoſcitiuarum, quarum deprauatio non ſufficit vt actus appetitus deprauetur, dum illarum actiones poſſunt corrigi ab intellectu, & voluntas deprimere poteſt actus appetitus ſenſitiui qui poſſent ſubſequi ...bus deprauatos potentiarum internarum cognoſcitiuarum.

Sed cùm dæmon nequeat ſe ſolo communicare ſpecies in internis ſenſibus, quæ deprauatam eliciant cognitionem, quin ab obiecto nullæ cum deprauatione recipiantur in internis, & ideò externis ſenſuum actionibus non læſis, nec internas poſſe lædi contendunt Auerroës *lib.3. collig. cap.*38. Fracaſtorius *lib.2. de intellectu.* Vega *lib.2. progn. comm.*19. *lib.1.art.medend. cap. vlt. & lib.3. cap.*3. quam opinionem conatur deducere ex Galeno *de differ. ſympt. cap.*3. vbi refert Theophilum Medicum habuiſſe læſam imaginationem, quia putabat videre & audire tibicines, *& lib. 4. de loc. cap.*2. de Seuarrat. quod iudicabat eſſe in cubiculo feſtucas, quas conabatur colligere, quia iudicabat videre eas : & *ibidem* phreniticos diſtinguit penes modum, quo errant circa ſenſus externos, & *lib.* 1. *prorrhet. comm.* 17. proponit delirij ſuperuenientis modum ea erroribus ſenſuum externorum, & idem tenet *lib.*1. *progn. comm.*19. quorum eſt ratio quod nihil eſt in internis ſenſibus quod ab externis non ſubminiſtretur.

At verò poſſe à dæmone Interturbari internas potentias, & earum deprauari actiones ſine deprauatione externorum ſenſuum ſuadet : Quia applicando humorea, ipſos commouendo vel ſpecies agitando poteſt dæmon ſimili modo internas deprauare potentiarum operationes, ne poſſont morbi ſine externarum præcedente deprauatione : fatetur Brauus Salmanticenſis *lib.*1. *prognoſt. comm.*19. Valleſ. *lib.5. controuerſ. cap.*13. Carreirus *lib. de loc. affect. diſp.7. cap.*8. Maglioca *tom.*1. *diſp.*1. *cap.*3. Quibus fauet quod inter dormiendum plerique delirare incipiunt, externis ſenſibus nihil operantibus, vt docet Galenus 2. *aphoriſm. comm.*1. & quod in delirio Theophili fuit imaginatiuæ deprauatio circa ſonum tibicinum, quæ non præfuerunt cognita ab externis ſenſibus : & qui delirant iudicantes ſe eſſe teſtam, gallum, aut vitrum, habent deprauationem imaginatiuæ, ſine eo quod ſimilia obiecta fuerint ſenſibus externis cognita. Vnde non ſemper contingit ad errorem internarum potentiarum, præceſſiſſe errorem ſenſuum eaternorum circa idem obiectum, & fatetur Galenus *lib.*1. *prognoſt. comm.*23. Immò potiùs imaginatiua plerumque corrigit errorem ſenſuum externorum ; & ſine eorum læſione deprauatur, vt tenet Gentilis *lib.1. fen.1. doctr.6. cap.*5. Galenus *lib.*1. *prorrhet. comm.*3. *text.*69. Quibus patet, quod nec ſemper dæmon perturbatis eaternis ſenſibus, valet internorum deprauare actiones, & quod ſine illorum deprauatione, poteſt internarum potentiarum interturbare, ac deprauare cognoſcitiuas actiones.

§. VII.

Dæmon in Energumenis, qualiter valeat immutare, aut deprauare actiones animæ rationalis?

CONtendebant huius energumeni conſanguinei, Dæmone manifeſto, quod facinus intentæ necis pueri eſſet dæmoni adſcribendum, quatenus eius potuerit rationales deprauare, aut interturbare potentias, ita vt liberum arbitrium poſſet à poſſeſſo auferre. Ardua erat hæc difficultas, licet enim poſſidebatur à dæmone, nullum prius apparuerat ſignum, nullumque delirium, hoc vocat Hippocrates, diſceſſum à ratione,

quæ

quæ recta via eſt per quam omnes ducuntur, qui diſcedunt, dicuntur delirare, deſipere, nugare, dementes eſſe, inſanire, eaagitari furore, qood poteſt cauſari à dæmone, inducto morbo, cuius delirium ſit ſymptoma; poteſt enim dæmon peſtes cauſare, febres & alios morbos cauſantes delirium, ea quo deprauatur intellectus, & impeditur liberum arbitrium. Nullum borum præceſſerat in hoc ægro; attamen potuit ſuperuenire à dæmone furor ſine alio morbo, quo communiter energumeni corripiuntur, vt ea Fernelio, Martino Delrio, & ex aliis comprobauimus: & ideò lunaticos hos vocant Iuris Profeſſores, non tamen poſſunt vocari delirantes, quia, vt tenet Maglioca *tom.* 1. *diſput.* 1. *cap.* 1. delirium, quid maius eſt ipſa mentis perturbatione, nam poteſt quis ea leui caoſa mente perturbari, non tamen delirare, cum ad hoc vt delirium fiat, requiratur vt ipſa potentia deprauetur, quod maius eſt, quam vt mens agitetur: ea qnibus conſtat quod licet potuerit meos à dæmone agitari, & fieri perturbatio qua æger deductus eſt in aggreſſum criminis, non tamen ea hac poteſt dici quod delirium patiebatur, quo poſſet à dæmone, libero arbitrio intermiſſo, cogi ad illud committendum facious.

Cum conſtet ex dictis poſſe à dæmone deprauari imagioationem, & actos internarum poteotiatum, poſſet ea hoc inferri, ea earum deprauatione à dæmone neceſſario ſubſequi diſcurſus deprauationem: Mercurialis enim *lib.* 1. *de affect. capitis cap.* 15. Rudius *lib.* 1. *practica cap.* 4. Mercatus *lib.* 1. *de internor. morb. curat. cap.* 11. ex deprauata quacumque interna actione, & quæ ſubſequuntur, & diſcurſum debere deprauari contendunt. Nos tamen diſcurſum oon neceſſario deprauari iudicamus per hoc quod deprauatæ fuerint internorum ſenſuum actiones. Sic docuit Galenus *lib.* 4. *de locis affect. cap.* 2. *lib. de different. ſympt. cap.* 3. quod comprobat ex Theophilo, & ex ſeipſo, qui læſam habuerunt imaginationem diſcurſu illæſo. Et *lib.* 6 *epidem comm.* 8. *text.* 15. idem docet. Ea ipſo eamdem comprobat doctrinam Auicenna *fen.* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap* 6. & *tract* 4. *cap.* 7. Ariſtoteles *lib. de inſomniis, cap.* 2. Paulus *lib.* 3. *cap.* 11. Argenterius *lib.* 1. *art. medicin.* Fernel. *lib.* 5. *de part. morb. & ſympt. cap.* 2. Manardus *lib.* 7. *epiſtol* 3. Vega 1. *prognoſt. comm.* 19. Trincauellius *lib.* 2. *de curand. morb cap* 4. Capiuaccius *lib. de affect. capitis cap.* 8. Althimarus *de cura d. corporis malis cap.* 6. Ratio eſt, quia ad diuerſas actiooes internas diuerſi temperamenti gradus, ſeu intenſio requiritur, & poterit intenſio aliqua eſſe eaceſſus pro vnius potentiæ actionibus, & non pro reliquis, & ideo dæmon inducendo intemperiem poteſt aliquas deprauare actiones internarum potentiarum ſine deprauatione diſcurſus, & ſi ipſe non deprauetur, poteſt corrigere deprauationem ſenſitiuarum potentiarum & ſic homo non dicitur delirare, qoia non deuiat à ratione. Ideo qui patiuntur vertiginem, licet deprauetur imaginatio cognoſcens res quietas, quaſi mouerentur, quia intellectus corrigit errorem, non eſt delirium. Nec Galenus dum capiebat floccos, & feſtucas ob imaginatiuum errorem, delirabat, quia corrigebat intellectus errorem, & petebat auxilium, ne tranſiret ad delirium, ſi aſſentiret intellectus. Et Theophilus, qui ex errore phanthaſiæ iudicabat audire tibicines, habebat non læſum diſcurſum, aſſerebat enim ſonum ægro non eſſe bonum, ſi vero nimia ſit intemperies, trahitur etiam diſcurſus in conſenſum, quia licet intellectus ſit ſpiritualis, vt immerſus materiæ operatur ſpeculando phantaſmata, & cum ſubminiſtratione ſpecierum ab aliis potentiis, ex quarum

A nimia dyſcraſia impeditur, quominos valeat earum corrigere deprauatiooes, & ideo dæmon intemperando cerebrum morboſa intemperie valet deprauare diſcurſum; ſicot & illum valet perficere, & ſubtiliorem reddere ponendo meliorem organi diſpoſitionem, vt tenet Torreblanca, humoribus craſſioribus depulſis, vel adhibitis iuuantibus medicamentis, vt etiam admittit Martinus Delrio, & Raphael de la Torre. Nequit tamen dæmon propria poteſtate agere ſe ſolo in intellectum, ſed ſolum mediis phantaſmatibus, vt docet D. Thomas *part.* 1. *quæſt.* 111. *art.* 1. quem ſequuntur Vaſquez ibidem *diſput.* 245. *cap.* 1. & Torreblanca *de iure ſpirit. lib* 3. *cap.* 5. Moura *lib.* 1. *ſect* 2. *cap.* 5. *num.* 18. Quibus perfectis & illis ſubminiſtratis variis ſpeciebus omnium rerum à dæmone, tenet B idem Torreblanca, dæmonem pluribus communicaſſe ſcientias, inter quos pro certo habet fuiſſe Socratem, & Ariſtotelam: quibus à dæmone fuiſſe communicatas ſcientias tenent ab eo citati Guil. Albern. *part* 1. *de vniuerſ part.* 2. *cap.* 52. & *part.* 2. *partis cap.* 39. & 96 *tract. de legib. cap.* 24. Zedoeus *tom.* 1. *controuerſ lib* 4 *cap. de dæmone art.* 1. Laërtius *in vita Socratis.* Victoria *de Magia num.* 11. Xenophon *in Apologeticon.* Quorum hoc eſt fundamentum, quod nequierunt tantam acquirere ſcientiam ſine auxilio ſpeciali vel diuino, vel diabolico, & cum fuerint idololatræ, & ſacrificauerint dæmoni, potius ab illo quam à Deo credendum ſcientias acquiſiuiſſe deducunt D. Thomas, Suarez, & Valle de Moura, à qui- C bus non eſt facile diſſentire. Sed non alienum à ratione iudico, quod cùm Deus vt ibidem D. Thomas docet 1. *part. quæſt* 78. dederit Adamo omnea ſcientias naturales in quibus homo natus eſt inſtrui, & ipſæ fuerunt tempore amiſſæ, ad ipſas reſtaurandas homines creauit aptos & propenſos, vt ſuo ſe iuuarent labore, quibus & plurimorum rerum infundit ſpecies non ob propria merita, ſed ob reliquorum hominum conuenientiam, & vt ſuorum laborum præmia conſequerentur in hac vita, quæ in alia largiri illis, quia Idololatræ, non poterat. Sic Hippocrates in Medicina, ſic Euclides in Mathematicis, ſic in Moralibus virtutibus Seneca, & alij in aliis ſcientiis profuerunt; & D. Thomas in Theologia, in qua conſtat quammaximè coadiuuatus à Deo profeciſſe D ob laborea, & ſanctitatem.

Circa voluntatem verò, ac liberum arbitrium nullam habet dæmon poteſtatem, inquit Magiſter Bernardus Baſio. *Nam credere liberum arbitrium hominis à dæmone poſſe cogi, eſt hæreſis, quia directò opponitur dictis ſacræ Scripturæ. Dicitur enim Eccleſiaſtici* 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui. Et Geneſis* 10. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi. Et ad Rom.* 8. *Scio quod nec Angeli, neque principatus, neque poteſtates poterunt me ſeparare à charitate.* Et ad *Corinthios* 1. *cap.* 10. inquit: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patitur vos tentari vltra id quod poteſtis, ſed facit etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Et D. Auguſtinus *ſermon.* 197. E *Latrare,* inquit, *poteſt diabolus, ſolicitare poteſt, mordere omnino non poteſt niſi volentem: non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.* Springer *in Malleo Malef. part.* 1. *quæſt.* 7. tenet directe dæmonem non habere poteſtatem cogendi voluntatem, ſed tantum indirecte, ſuadendo. Et tenet Torreblanca *lib.* 2. *de Magia cap.* 4. & *lib.* 1. *de iure ſpirituali cap.* 5. fateturqne quod dæmon nequit noſtram voluntatem mouere aliter quam obiecto exterius poſito, tanquam odibili, vel amabili, & excitatis imaginariis viſionibus, & cogitationibus, & allecta, & inclinata voluntate

per paſſiones in parte ſenſitiua inflammatas, quæ quo vehementiores ſunt, eo acrius inclinant, & quaſi abripiunt aliquando, vt fatetur Martin. Delrio. *Nunquam tamen illam voluntati neceſſitatem imponunt, quia dæmones ab inuito conſenſum nequeunt extorquere:* vt tradunt D.Thomas 1.2. *q.*80. *art.*3. *& ſentent.* 4. *diſtinct.* 34. D.Cyril. *Catecheſ* 4. Medina *de recta in Deum fide lib.* 1. Caſtr. *lib.* 1. *de vita hæreticor. punct...cap.* 15. Petrus Binſg. *l. in l. eorum. C. de Malef. & Mathemat.* Paul. Grillan. *de ſortileg. q.* 3 *n.* 15. *& q.* 10. *num.* 3. Suarex *lib.* 2. *de relig. c.* 9 *q.* 96. *art.* 1. *diſp.* 5. Ioan. Malderus *de virtut. Theolog. tract.* 10. *cap.* 8. *dubio* 2. Ratio notum eſt, quia ſi dæmon valeret imponere neceſſitatem in voluntate, valeret auferre liberum arbitrium, quod hæreticum eſſe affirmare deduximus ſupra ex Magiſtro Bernardo Baſin, ſi enim homo amitteret liberum arbitrium, deſineret eſſe homo, deſtitueretur enim gratiâ gratum faciente.

§. VIII.

Quid ſentiamus de facinore dæmoni tribuendo.

REſtat vt pro quæſito reſpondeamus; maximè enim inſiſtebant in hoc quod exponeremus, quod cùm æger eſſet energumenus, dum tentauit mortem pueri, quod dæmon potuerit cogere illum ad peccatum illud & facinus patrandum. Nos tamen in ea fuimus opinione, quod ſi dæmon cauſaret morbum, & delirium, poſſet ope dæmonis manere ſine libertate voluntatis, quia a morbo & ſymptomate læderetur eius actio, ſi intellectus ob intemperiem deprauaretur in ſuis actionibus; ſin minus non eſſe in poteſtate dæmonis cogere voluntatem eius ad peccandum, vel facinus patrandum, quod docet D.Thomas 1 2 *quæſt.* 80. *art.* 3. *in corpore. Reſpondeo dicendum, quod diabolus propria virtute niſi refrenetur à Deo, poteſt aliquem inducere ex neceſſitate ad faciendum aliquem actum, qui de ſuo genere peccatum eſt, non autem poteſt inducere neceſſitatem peccandi, quod patet ex hoc, quod homo motiuo ad peccandum non reſiſtit, niſi per rationem, cuius vſum totaliter impedire poteſt mouendo imaginationem, & appetitum ſenſitiuum, ſicut in arreptitiis patet. Sed tunc ratione ſic ligata quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum, ſed ſi ratio non ſit totaliter ligata, ex ea parte qua eſt libera, poteſt reſiſtere peccato, vt ſupra dictum eſt, vnde manifeſtum eſt, quod diabolus nullo modo poteſt neceſſitatem inducere homini ad peccandum.*

CONSVLTATIO DECIMA-OCTAVA.

De patiente ventris adſtrictionem.

CONTINET

§. I.

Proponitur æger, cuius causâ fit conſultatio.

§. II.

Excrementorum neceſſaria generatio in noſtris corporibus, & expulſionis vtilitas aperiuntur.

§. III.

Naturalis expulſio excrementorum per ventrem, quæ requirat.

§. IV.

Quid ventris adſtrictio, variæ illius obſeruationes proponuntur.

§. V.

A quibus cauſis prouenire poteſt ventris adſtrictio.

§. VI.

Quid prædicendum de ventris lubricitate & adſtrictione.

§. VII.

Quæ curatio vnicuique adſtrictioni ventris adaptanda.

CONSVLTATIONIS Deciſio.

§. I.

Proponitur æger, cuius causâ fit conſultatio.

IVxta Regium Sancti Dominici Cœnobium habitabat homo qui negotiis, variiſque occupationibus deditus, habitum melancholicum habebat, erat hypochondriacus, ventrem habebat cum adſtrictione, nec excrementa reddebat niſi vnoquoque ſeptimo, aut octauo die, & hoc plerumque cum iniectis clyſteribus emollientibus: cœpit pati vertigines, capitis dolores, ventriculi inuerſiones, quæ magis in dies increſcebant, ob quæ vitanda nos acceerſiuit id exagitans vt ventrem reduceremus in communem conſuetumque ordinem, cum quibus poſſet ſe liberare à moleſtia, noxiaque ventris adſtrictione, pro qua vitanda hanc illi obtulimus conſultationem, in qua & adſtrictionis ventris ampleas fuimus cauſas, & varia pro omnibus propoſuimus auxilia.

§. II.

Excrementorum neceſſaria generatio in noſtris corporibus, & expulſionis vtilitas aperiuntur.

CVm alimentum, licet ſimile fiat nobis poſt nutritionem, ante ipſam partes habeat diſſimiles, quæ aſſimilari nequeunt, & ideo vt inutiles perunt à corpore exterminari, poſtquam per coctiones ſeparantur: docet enim Galenus *lib.* 3. *method. cap.* 3. *&* 9. *lib. de vſu part. cap.* 1. *lib. de ſanitat. tuen da cap.* 12. ex vnaquaque coctione duo excrementa reſultare, craſſum, & tenue, & ideo prouida natura pro expellendis excrementis continuo reſultantibus ex tribus coctionibus, iuxta tres officinas ad alimenti elaborationem deſtinatas, varias adaptauit vias proprias, & vnicuique determinatas, tribuitque & vnicuique parti proprias, ac determinatas ad id exequendum facultates, quod docuit Galenus *lib.* 1. *de ſanitat. tuenda, cap.* 3. non minus prouidam fuiſſe naturam in expellendis ſubſtantiis, quæ non potuerunt aſſimilari, quam fuit in reſtaurandis illis deperditis. Et *c.* 12. has vias explicans, dicit inteſtina deſtinata pro redundantibus primæ coctionis excrementis, pro excrementis ſecundæ coctionis vreteres, renes, & emulgentes, cutem verò pro recrementis tertiæ coctionis. Pro propriis cuiuſuis partis excrementis euacuandis propriæ vnicuique ſunt etiam viæ, vt pro capitis excrementis nares, aures, os colatorium, palatum, oculi;

pro

pro corde expurgando ſunt glandulæ,ſicut pro capi. te , & iecore expurgandis. Horum excrementorum expulſionem Galenus *lib.art.medic. c.85.* neceſſariam indicat pro ſanitate & vita conſeruandis,& pro huius protogatione, retardandáque ſenectute, vt ipſe protulit, *lib 1.de ſanit.tue.d.c.5.lib.9. de vſu part* incommoda quæ ſubſequuntur ex retentis excrementis ſic proponit. *Ad quam excernendam natura meatus requiſiuit opportunos,quos niſi nacta fuerit,acerbata quidem ibi primo inſtar oneris aggrauat dei**e vero prohibet,quominus ſucci poſtea affluant, vias ipſorum praeoccupando,quo fit,vt membrum ipſum nutrire non ſinat:ſed hac quidem ſunt leuiora ; maiora vero iis,& iam morborum inſtrumenta duo hac ſunt ,in qua incidere corpora impura neceſſe eſt. Alterum quidem eſt, quod quemadmodum animalia exhaurientia lutum, aut aliud quoduis eiuſdem generis,ita partes accommodato alimento carentes,ob ingenitam cibi appetentiam coguntur aliquod ſibi,vel ex ipſis prauis ſuccis attrahere. Alterum vero, quod collecta excrementa putreſcunt, eoque modo acriora ſimul calidiora reddit ,ab inflammatione,eryſipelata, herpetes,carbunculos,febres, innumerabiléque aliorum morborum turbam excitant.* Hæc ex retentis ſubſequuntur excrementis: ex retentis,excrementis ventris quæ ſubſequuntur patebit ſubſequenter.

§. III.

Naturalis expulſio excrementum per ventrem qua requirat.

Agimus de ventris aſtrictione , qua vexabatur æger , quæ ad ſui dignotionem prærequirit cognitionem naturalis expulſionis excrementorum, quæ perunt per ventrem euacuari, circa quam attenditur expulſionis modus, tempus, & quantitas. Pro modo expulſionis deducendum ex Galeno *lib.4.de vſu part* c.1. quod diuino opificio fuit fabricatus ventriculus:tanquam promptuarium & officina,in qua per eſophagum recipiatur alimentum, vt conuertatur in chylum,vt ſeparet partes craſſas,& inutiles nutritioni, vt pellat in tenuia inteſtina,& inde ad reliqua, & poſt varias circumuolutiones , in quibus detinentur diu, vt inquit Plato, ne homo in altioribus occupatus,continuo auerteretur,tandem natura extra corpus trudit, media facultate expultrice, vt tenet Galenus *lib 1. de ſanitat tuenda c.12.* §. *Primum namque excrementum, & a ſincero ſeparatur , & paulatim impellitur per omnia inteſtina vſque ad ſatis capax ſpatium , quod in eo inteſtino vertitur,quod rectum vocant,ad cuius exitum muſculi ſunt , qui ipſum coerceant , eiuſque retineant,vt nec immaturè fluat,poſtea vero quamplurimum congeſtum, cum graue animali fuerit , tum feras agi ſinunt , iuuantibus ſimul ad celeritatem expulſionis abdominis muſculis, cum ſepto tranſuerſo.*

Cum non deceret continua expulſio,tempus determinauit natura congruum ad illam,quod Hippocrates *lib.4.de morb.text.25.*docet eſſe poſtridie ab aſſumpto cibo quia licet citius ſeparetur fæculentum in ventriculo,fit mora in inteſtinis,vt docet Galenus *4.de vſu part c* 8. poteſt tamen hoc immutari tempus,ex Gal. *2.aphor.*18.ratione alimentorum:ſi velocius nutriant, quia facilius ſeparantur excrementa,vel ob lubricitatem,aut nimiam quantitatem Hora autem matutina ob ſomnum perficiens coctionem ſolet præire meridianam, ex Hippocr.2. *prognoſt.*15. & eſt perfectior, vtiliſſimúſque eſt ordo expellendi hæc excrementa, quia ex Gal.1.*de criſibus c.*11. arguit non eſſe coctionis tarditatem,nec expellentis imbecillitatem,quia vt protulit 2 *de diff febr.c.*16.neceſſe eſt æquale quod ab eadem alteratur facultate,æqualia reddere excrementa,vnde ſi ordo immutetur,ſanitas videtur immutari, ſiue in retentione , ſiue in frequentiori euacuatione, hæc enim arguit retentricis ventriculi debilitatem, aut ex parte excrementorum irritationem.

Quantitatem conducere ad ſanitatem docet Hippocrates 2.*prognoſt. text.*44. vbi docet requiri copioſam euacuationem proportionatam ingeſtis cibis. Gal.*lib.1.de criſibus c.*11.idé repetit nec ſolum à quantitate copia excrementorum attenditur,ſed ab imperfecta eorum ſubſtantia pro nutritione,& a fluxibilitate,ſi correſpondens alimentis excrementorum deficiat quantitas, fit ex Galeno 3 *de ſympt.cauſ.* c.2. vel ob obſtructionem meſenterij,vel ob iecoris debilitatem ex eodem 3.*de loc.c.*5.vel quia cibus abiit in humidam ſubſtantiam & per lotium expellitur,vel quia eſt paucæ ſubſtantiæ, ex Auicenna *fen.16 lib. 3.tract. 4.cap vltimo*, ſi ſuperflua copia fit, corpus debilitari ſignificat, ex Rhaſi *lib.*10.*ad Almanſ.*

§. IV.

Quid ventris adſtrictio, varia illius obſeruationes proponuntur.

Ventris adſtrictio,qua æger cóquerabatur ,diſpoſitio eſt præter naturá,ob quam alui excrementa in tempore excernútur non debito,aut non in debita quantitate,eſt ſymptoma in excretis,retinentur enim quæ perút excerni,ideo alui adſtrictionem,ſeu retentionem diffinit Ionſtonius, quod ſit fæcum vel nulla, vel pro ratione aſſumptorú admodúm parua deiectio.

Communiſſimus eſt hic affectus,de quo inter conſulentes plures ſunt obſeruationes , præcipuè apud Schenkium *lib.3.ob ern.5.aluus prodigioſe pigra*,apud Marcellum Donatum *lib.4 de medica hiſt mirab c.*10. apud Dodonæum *obſern.c.*35. apud Hildánum *cent.*3. *obſern.*75.apud Scholziú *conſil.*198.342.apud Cerniſonem *conſil.*11. apud Matthæum de Gradi *conſil.*54. apud Montagnanam *conſil.*134.apud Fonſecam *tom* 2. *conſil.*343. apud Mercatum *conſil.*17. apud Lælium à Fonte *conſil.*55.apud Zacutum *de Princip.Med.hiſt.l.*2.

§. V.

A quibus cauſis prouenire poteſt ventris adſtrictio?

Cvm æger variis eſſet deditus negotiis,cogitationibuſque , eſſet melancholicus , & hypochondriacus; vt adſtrictionis ventris inueniremus cauſas, cœpimus inueſtigare cauſas omnes , ex quibus ventris adſtrictio ſuperuenire poteſt. Galenus *lib.3. de ſympt. cauſis* ad duo genera eas reducit, alias deſumit ex parte victus rationis , alias ex parte inſtrumentorum, quæ deſeruiunt expulſioni fæcum:earum etiam meminit *lib 1.de ſanit.tuend.cap.*18.

Ex parte victus rationis prima cauſa adſtrictionis vétris prouenit ex potu,aut alimétis præditis acerba, auſtera,aut ſicca qualitate,ob quas comprimunt vias, & corrugando illas ſui tranſitú impediunt,& defectu humiditatis deficit lubricitas requiſita ad excrementorum motum,vt docet Galenus 3.*de cauſis ſymptom. c.*2.Nec in ſolo cibo,ſed in potu,hæ qualitates ventré adſtringunt.Hippocrat.*lib. de aëre,& aquis ſect.*2. *text.*23. aquas denſas, & ſubſalſas docet ventrem retinere,& nos experimur idem in calybeatis,& maſtichatis,& in vino rubro,& auſtero.Ex parte quantitatis victus eſt alia adſtrictionis cauſa,ex pauciori enim quantitate minus irritatur facultas ab eius grauitate, ex Galeno 2 *de ſanit.tuenda c.*12.& 2 *de rat.victus*.Ex Hippocrat.2. *de diæta* , ſemel in die comedere, docet ſiſtere aluum , & ideo quibus cibi faſtidium accidit, ventris aduenit adſtrictio,ſi potus fiat paucior,fit adſtrictio ventris,quia deficit ad elixationé,& ad transfluxum alimenti ad iecur,ex Gal.4 *de vſu part c.*5 ſine

llo nequit per anguſtas vias permeare,& excrementa ſiunt ſicciora,& inepta ad motum: ideo Hippocrates 4.*aph. vltim* mictio, inquit, plurima noctu facta ſignificat paruam deiectionem: & Galenus *in comm.* inquit, quia humiditas ventris deficit. Tertio ratione victus adſtringitur venter, vt tenet Galenus 3. *de ſanit. tuēda* lib. 1. ſi in prima menſa acerba alimenta, ſicca, aut adſtringentia ſumantur, retinent enim fæcum expulſionem, & ideo Galen. *lib. 2. de alim facult. c.* 11. conſulit faciliotis ſubſtantiæ alimenta prius ſumenda eſſe: & *lib. 1. de ſanit. cap.* 3. docet dulcia, pinguia, & lubricantia ventrem in prima menſa ſumenda eſſe.

Secundum genus cauſarum ſumitur ex parte inteſtinorum, & partium coadiuuantium expulſionem fæcum. Prima eſt imbecillitas virtutis expulſiuæ, quæ prouenire poteſt à frigiditate, non ab extrinſeco in inteſtinis communicata, quam Galen. 6 *epidem. ſect.* 2. *text.* 47. non iudicat poſſibilem, ſed in exterioribus coadiuuantibus à frigore cauſata, à morbo debilitante illas, & à nimio etiam contingit coitu ex Hipp. *epid. ſect.* 5. Secunda ex iis cauſis eſt ſiccitas, à qua potentior fit retentio, & excrementorum exſiccatio, & ob duritiem ad motum ineptitudo, & impedimentū deſcenſus à grauitate, ex Galen. 3. *de ſympt. cauſis c.* 2. qualiter in aridis fieri docuit Hipp. 3. *aph.* 5. & 17. vbi docet quod in Aquilonia tempeſtate tuſſes vrgent, & alui fiunt duri. Idem docet *lib de loc. aere, & aquis, ſect.* *text.* 10. & 3. *de humor. tex.* 13. Galen. *in comm.* inquit, in aere ſicco, & regione ſicca cauſari à ſiccatis fæcibus ventris adſtrictionem. Tertia cauſa adſtrictionis ventris ſumpta ab inteſtinis, eſt illorum calor ſiue ſine affluxu materiæ, ſiue cum affluxu materiæ in illis exiſtens, ſiue cōmunicetur illis à iecore, à meſenterij adductis humoribus, à veſica, aut ab vtero, licet enim iuuat calor roborando expellentē facultatem, ex Gal. *lib. de facult. natur* ex accidente impedit expulſionem, exſiccando, & indurando fæces, ineptáſque reddendo expulſioni, vt docet Galen. 5. *epid. ſect.* 5. *text.* 27. Ideo in febribus fit ventris adſtrictio à calore inteſtinorū induratis excrementis, ex Hipp. 2. *progneſt.* 6. 5 *ſi interrupta aluus parua aut nigra, aut, &c.* A calore communicato ex vicinis partibus adſtringitur venter conſumptis humiditatibus chyli, & excrementorum, ex Hipp. 2. *aph.* 20. Indurātur fæces defectu humiditatis quæ reſoluitur, ſicut dum ad cutem tranſmittitur, & ideo 6 *epid.* dicit pototum raritas ventris adſtrictio. Idem docet Galen. 3. *de cauſis ſympt. c.* 2. & Montanus *conſ.* 235. reddens cauſam adſtrictionis ventris in hypochōdriaco, dicit, quod prouenit à caliditate iecoris urente humiditatem fæcum, & *conſ.* 233. pathonomicum ſymptoma habentium calidum iecur, iudicat adſtrictionem ventris. Galen. 4. *de rat. victus text.* 17. iecoris calidi ſignum eſſe dicit excrementa ſicca ſimilia excrementis capratum, deducens hanc doctinā ex Hipp. 2. *progneſt.* Si venæ meſeraïcæ nimio æſtu flagrant, vt in habentibus in illis phlogoſim, cancroſamve diſpuſitionem, in quibus vētris arteriæ pulſant nimis, vrget ſitis, faciei interpolatus ardor, fit fæcum exſiccatio, & ventris adſtrictio nimia, vt notauit Aretæus *lib. 2. paſſion. acutar. cap.* 7. niſi chylus nequiens permeare recurrat ad inteſtina, & ventrem ſoluat humectando fæces; ſi calidus fiat vterus, vel veſica inflammata ob eandem cauſam adſtricta ſit, vt aluus, ex Hippocrate 2. *progneſt.* 71.

Præterea ex inteſtinorum vitio ventris ſuperuenit adſtrictio dum omnino ſenſus aboletur vel imminuitur, vel defectu illuſtrationis cōmunicatæ per neruos, vel ob intemperiem deficientem actum facultatis expulſricis, vel quia bilis deſcendit in minore quātitate, & minus irritat, quod demonſtrat remiſſus fæcum

A color, vel ob excedentem pituitam fit obtuſus inteſtinorum ſenſus, obtundit enim acrimoniā bilis irritantis pro expulſione, ne irritet pro neceſſitate, vt notat Montanus *conſil.* 232. obſeruat enim quod adhuc in iecore calidiore, & multa bile deſcēdente, obtunditur huius irritatio ob multam pituitam. Et *conſ.* 348. idem repetit; ideò ex Hippoc. 2. *aphor.* 2. traditur cauſa ob quam iuuenes licet bilioſi poſſunt ob cruditates pati adſtrictionem ventris ex parte inteſtinorum. Prouenit vētris adſtrictio, dum occluditur, vel impeditur cauitas. Marcellus Donatus *de hiſt. mirab. lib.* 4. *c.* 10. vidit adſtrictionem ventris prouenientem quia rectum inteſtinum coiuit per partē ſuperiorem partibus in tumorem quemdam veluti glanduloſum eleuatis, & omnino impedito fæcum tranſitu, periit æger. Vel impe-
B ditur trāſitus à pituita vitrea, & viſcida, quæ fæcibus obuoluta alligat eas, & impedit deſcenſum, ex Montano *conſ.* 248. & in colicis doloribus hæc ſæpe apparet cauſa, & ex eadem fit ſæpe fæcum recurſus ſurſum, vt in iliaco affectu, vt docet Auicenna *lib. 3. fen.* 16. *tract.* 5. *c.* 29. & Galen. *lib. 6. aphor. comm.* 44. *lib* 3 *de cauſis ſympt. c.* 2. Vel carnoſum quid ſuperueniens in ventriculo ventrem adſtringit, obſtruitque vias, & fæces detinet, vt obſeruauit Corteſius *decade* 5. *c.* 8. *Miſcellancar.* Vel prouenit ex adnaſcente carne in inteſtino dolor, vt obſeruat Holler. *lib. 1. de morb. intern. in ſcholio ad c.* 41. Vel ex craſſis flatibus impedientibus fæcum deſcenſum, fit adſtrictio ventris, vt in iliacis, & valuuloſis apparet, & in flatulenta Hypochondria
C obſeruat Montanus *conſ* 237. vel retentæ induratæ fæces ventrem adſtringunt ex Galen. 3. *de ſympt. cauſ. c.* 2. Prouenit ex inteſtinis etiam ventris adſtrictio, dum non habent debitam figuram, nec ſeruant ſibi deſtinatum locum, vt in valuulu, in herniáſve.

Per conſensū contingit vētris adſtrictio, vel neruis obſtructis communicātibus illuſtrationem inteſtinis, vt in paralyticis ſolet obſtrui vēter, vel dum impeditur bilis deſcenſus, à qua irritatur expellens facultas ad fæces expellendas, vt accidit ictericis, in quibus illæ fiunt albæ defecto bilis, cum deberēt eſſe ſubtuſæ, ex Hippocrate 2. *aphor.* 16. Vel ex defectu aduertentiæ prouenit ventris adſtrictio ſiue in morbis, ſiue in ſanitate, in depranatione rectricum facultatum, & abolitione, vt in apoplexia ſic cōtingit, vt tenet Rhaſis *cap.*
D *de apoplexia.* Similiter apparet in phreneticis ob intentam imaginationem circa alia obiecta, vbi deficit attentio, & defectu eius retinetur lotium, & venter, imò & fit rara reſpiratio. Per ſanitatem defectu attentionis in eis qui ſtudij literarum, vel alterius negotij curis ſe tradunt, & ſpeculationi, venter adſtringitur, ex Galenò *lib.* 3. *de cauſis ſympt. cap.* 2. & ideo inquit, quod violenter retentum excrementum ob aliquam occupationem, rurſus ſurſum vertitur, & caput replet.

Ex omnibus iis cauſis aliquas ſaltem patiebatur æger noſter; habebat enim continuas curas, & vehementes imaginationes, iecoris calidam intemperiem, & hypochondriorum, ob adductos humores contentos in obſtructionibus, & defectu ventilationis com-
E buſtos, & in cancroſam fere naturam continentes partes immutantes.

§. VI.

Quid prædicendum de ventris lubricitate & adſtrictione?

ALiabas protulit, quod in habendo ventrem lubricum conſiſtit ſanitas, in principio ſuorum operum. Hippocrates prius docuit *l. 4 de morb. n.* 239. Galenus *lib artis medic. c.* 85. lubricum ventrem ponit inter cauſas conſeruatiuas ſanitatis: & *lib. 1. de ſanit. tuenda c.* 3. docet ſenectutem retardare. Auenzoar ex

communi

communi conſenſu Medicorum comprobat, fluidam aluum ſanitatis tutelam eſſe, & tenet Galenus 9. *de vſu part. cap.* 1. expelluntur enim cruditates per quas valetet excretio impediti ſimul cum fæcibus, ex Auicenna *fen.* 1. *t. doct.* 5. *cap.* 3. Nec contrarium deducitur ex Hippocrate 2. *aphor.* 59. docente, quod iuuenes meliùs degunt cum humida aluo, ſenes peius degere. Vnde deducit Cornelius Celſus *lib.* 1. *c.* 3. quod eſt melior in iuuene aluus laxa, & adſtricta in ſene; non enim damnat debitam fluxibilitatem ventris, quam laudat in Coacis, & Prorrhetticis: ſed in ſenibus timet immoderatos ventris fluxus, quia arguunt eacedentes intemperies humidas contrarias ſiccitati debitæ illis, cùm illam exuperent, à qua deberent fæces retineri. Præterea fluida aluus vitam protrahere docuit Hippocrates *lib. de aere & aquis num.* 59. vbi in humidis regionibus, quia ventres fluidi ſunt, inquit, *Pleuritides, peripneumoniæ, febres ardentes, & quæcumque morbi acuti putantur, ideo non multum proueniunt.* Et 6. *aphor.* 63. dixit, *Qui acidum eructant, non multum morbo laterali corripiuntur.* Galenus *in comm.* reddit cauſam, quia acida pituita, à qua eleuantur ructus, fluidam aluum facit, & ideo ſuperuacui humores per ventrem euacuantur, & liberantur ægri à morbis, qui poſſent ab illis cauſari. Ideo Hippocrates 2. *aphor.* 15. inquit, Quod ſi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones oportet inſpicere. nam ſi biliosæ ſunt, corpus vnà ægrotat, ex quo apparet, per ventrem deponi humores in toto corpore redundantes, quia debilior factus, vt reliquæ partes ſe exonerent in illum, iuxta Galeni doctrinam 3. *de facult. natural. cap.* 13. & docet experientia in pueris, qui dum habent aluum fluidam liberantur ab epilepſia, quia per ventrem euacuatur materia, ex qua poſſet cauſari, vt docuit Hippocrat. *lib. de dentitione, in principio*: & 3. *aphor.* 25. Apparetque, quod fluida aluus liberat à morbis, dum poteſt per ventrem euacuari materia apta illos cauſare, ſin minùs, ex remanente poteſt ſimul morbus ſuperuenire, & permanere, & ideo Galenus *lib.* 1. *de arte curatiua ad Glauconem cap.* 14. magnifacit febrem incipientem cum fluxu ventris, quia ſeponit magnam ſarcinam: ob quod Hippocrates 6 *aphor.* 16 affecto pleuritide aut peripneumonia malum eſſe dicit, quod ſuperueniat fluxus alui, quia magnam denotat copiam, & quia indicat dari inflammationem in ventris partibus, à qua trahuntur humores, vel defectum coctionis in ventriculo à nimio calore, à quo impeditur coctio, ex Galeno 3 *de ſympt. cauſis cap.* 2. Ob quod Hippocrates 2 *aphor.* 53. *lib. de aere locis, & aquis num.* 71. laudat pro ſanitate fluidam aluum, liberat enim à plurimis morbis: quæ autem adſtricta eſt contrarios affectus cauſat, caput grauat, quia ex retentis vapores eleuantur ad illud, & quia ſuperflui ſucci recurrunt ad caput, ex Hippocrate *lib. de aere n.* 72. *lib. de locis in homine ſect.* 1. *n.* 13. §. *Etenim cùm venter egeſtionem moderatam non efficeret, & in ipſam cibus ingeratur, humiditate ciborum ingeſtorum corpus irrigat, ipſa autem humiditas à ventre obſtructa aceruatim ad caput viam facit*, &c. per quas vias docet ibidem: & *lib. de morb.* laté proſequitur Petrus Salius Diuerſus, & ipſe Hippocrates vlterius docet *lib. de flatibus.* Et recurſum ex retentis excrementis ad caput docet vlterius *lib.* 2. *prorrhet. n.* 119. *ſect.* 3. *text.* 23. dicens, *capite dolentes, ſtupore detenti, delirantes, aluo intercepta conuulſoria diſtenſione corripiuntur.* Et *n.* 171. inquit, *in febribus exſudantes, capite dolentes, aluo intercepta, conuulſi fiunt.* Et in coacis *ſect.* 1. *n.* 220. inquit: *Qui in febribus exſudant, capite dolentes, aluo ſuppreſſa, conuulſi fiunt.* Idem repetit *num.* 236. *&* 260. *& ſect.* 2. *n.* 171. docet enim Hippocrates inter caput, & ventrem communicationem, & mutuum humorum refluxum ab vna in alteram partem ex iis; quam etiam docuit *lib.* 1. *de aere & loc. ſect.* 1. *n.* 70. & *lib. de loc. in homine, in principio*, dicens *venter conſentit capiti, caput carnibus, & ventri*, vnde deducit Hollerius *lib.* 3 *Coacar. ſect.* 1 quod ita caput & venter conſentiunt, ſicut in rerum vniuerſo terræ viſcera, & aeris regio. Hinc prouenit, quod ventris adſtrictio ſit cauſa epilepſiæ in pueris, & acutorum morborum in adultis, præcipuè ex recurſu in caput, & quò recurſum indicet adſtrictio, quia ſicut ſudaturis vrina ſupprimitur, quia in aliam regionem natura mouet materiam: ſic ſupprimitur venter, dum in caput pellit illam natura, & in vulneratis, dum in vulnus fluit humor; ex Hippocrate *lib.* 1. *de morb. ſect.* 1. *n.* 24. ex quo apparet vtilitas ſollicitandi ad ventrem, dum ſupprimitur, ob intemperiem, vulnus, aut dolorem capitis, ne ſucci retenti in illud confluant, vt deducitur ex Hippocrate 3. *de morb. text.* 23. & idem tentandum in fluxionibus ad pectus, licet enim pro fæcum expulſione in morbis acutis ob parſimoniam cibi, minus petat venter ſolicitari, petit tamen euacuari vt refluentes ſurſum ſuccos attrahat, & reuellat, per quod, & caput attemperari, & vigilias moderari, & deliria, per clyſteres conſequimur, quatenus attrahunt biliosos ſuccos ſurſum fluentes. De chronicis etiam morbis docet Hippocrates fieri incurabiles, dum venter adſtringitur 2. *prorrhet. text.* 73. §. *De Podagricis hæc dico. Quicumque aut ſenes ſunt, aut circa articulos tophaceos concretos habent, ac ſiccam habent aluum, hi ſani fieri non poſſunt humana arte.* Et de coxendico dolore, *eod. lib. ſect.* 2. *n.* 186. dicit: *Porro de coxendicum morbo ſic conſiderationem facere oportet, quicumque femoribus & torpores vehementiſſimi ſunt, & perfrigerationes, tum lumborum, tum crurum, & quibus aluus non egerit, niſi ad neceſſitatem correcta, & prodit multus ſtercorarius mucus, his maximè diuturnus morbus erit.* Ex quibus patet, quantum proſit pro curandis longis morbis, ventris laxitas, & per illum crudorum humorum euacuatio. Quod confirmat Hippocrates *in coacis ſect.* 2. *n.* 72.

Præterea ex adſtrictione ventris Duretus *lib.* 1. *in ſcholio ad cap.* 42. Hollerij, timet ne rumpantur inteſtina ob multitudinem, & duritiem. Poteſt vlterius timeri poſt longam adſtrictionem, quod duritie fæcum, venæ hæmorrhoidales aperiantur, & fluxus ſuperueniat ſanguinis, hæmorrhoidarum dolor, & inflammatio.

Nec ideo ſemper, & ex quacumque adſtrictione hæc omnia ſubſequuntur incommoda. Schenkius, & Marcellus Donatus plures afferunt obſeruationes eorum qui diu paſſi ſunt ventris adſtrictionem. Alexander Benedictus vidit Venetam *lib.* 19. *c.* 36. quæ geſtationis tempore, nihil ferè reddebat per ventrem, niſi ſeptimo quoque die parum ſiccati excrementi. Nicolus *ſerm.* 3. *cap.* 7. *tract.* 8. vidit puellam, quæ à die à qua concepit, nihil reddidit per ventrem per quadraginta, & quinque dies. Rhaſis 9. *continentis*, vidit paralyticam cuius venter conſtipatus fuit per menſem. Fernelius *de part. morb. & ſympt.* nouit quemdam nihil reddentem per ventrem, niſi duodecimo vnoquoque die. Marcellus Donatus vidit, qui aſſumptas pilulas non reddidit niſi poſt quadrageſimum diem. Foreſtus *in ſcholio ad obſeruat.* 34. *lib.* 2. *de febribus*, obſeruat ægrotum per ſex menſes aluum non deponentem, niſi globulo plumbeo rotundo deglutito, qui mouebat fæces, & cum illis excernebatur: huiuſmodi tamen fæcum retentiones, licet non mortem, plura incommoda adducta cauſarunt, qualiter & in noſtro ægro experti ſumus.

§. VII.

Quæ curatio vnicuique adſtrictioni ventris adaptanda?

CVm ex Celſo morbi non rethoricâ, ſed remediis curentur, & æger hæc à nobis exoptaret, poſt propoſitam diagnoſim progrediemur ad curationem, & pro ipſo adaptatam, & pro aliis neceſſariam, incipientes à ratione victus: ſi enim ex vitio in illo fiat ventris adſtrictio, ipſum auferendum; ſi fiat defectu alimenti, ex quo fiant fæces, ipſum augendum docet Hippocrates *lib. 1 de diæta*, ſi prouenit ex auſtero, aut ſicco cibo, mutatio fiat in humidum, & lubricantem, ſi ex auſteris in prima menſa ſumptis, mutentur in vltimam, & comprimendo mouebunt ventrem, ſi defectu potus, ipſe augendus ex Galeno *4. aphor. vlt.* ſi prouenit ex vſtione, aut ſiccitate viſcerum ventrem mouet multam bibere aquam, ex Hippocrate *lib. 1. epidem ſect. 3. in hiſtoria Methonis, §. Secundo multum aqua bibenti aluus bene reddidit.*

Si virium debilitas cauſa eſt adſtrictionis ventris, vires ſunt roborandæ auferendo cauſas debilitantes illas ſpirituum vitalium generationem augendo, aptum victum pro ipſis generandis, & pro partium nutricatu exhibendo, præcipuè valentem ſimul lubricam aluum reddere, & fæces molliendæ vlterius per linimenta, & per clyſteres emollientes, expurgantia, irritantiáve medicamenta vitanda, ne viribus delapſis impotens reddatur natura ad retinendum, ſi ventris adſtrictio fiat à cauſa obſtruente inteſtina. Dum fit per coalitum incurabilis, & lethalis eſt, vt obſeruat Marcellus Donatus *lib. 4. cap.* 10. in Carolo Noualono, qui ex hac obiit obſtructione, & adſtrictione ventris, non proficientibus clyſteribus, nec oleo amygdalino exhibito ad vncias ſex, nec cubitali candela immiſſa, nec aquis thermalibus in caruncula, aut membrana cauſante adſtrictionem. Hæc incurabilis eſt, niſi in vltima appareat parte inteſtini. Si fiat adſtrictio ex fæcum copia, & duritie, prout in colico, & iliaco accidit dolore, flatibus coadiuuantibus, proſunt clyſteres emollientes, & carminantes proponendi. Solenander linimentum proponit ex oleo amygdalarum dulcium recenti, pinguedine anſerin. butyro maial. vnguent. dialtheæ ana ℥ ij. colocynthidis g. xvj. ſalis ℈. j. ß. ſpecier. hieræ ſimpl. ℈. j. dyagridij g iv. inungatur vmbilicus. Si fiat obturatio a pituita viſcida, proponemus remedia agentes de adſtrictione ex obtuſo ſenſu, ſi locus inteſtinorum ſit mutatus, ad caput de hernia inteſtinali pertinet reductionis cognitio, ex qua pendet adſtrictionis ventris curatio.

Si ventris adſtrictio proueniat à ſicca intemperie corporis, inteſtinorum, vel excrementorum illius quæ ſolet cum calida complicari, vel ab illa cauſari, confert mutatio ad aerem humidum, frigidum, frigidámve, ac humidam regionem, aut locum, ex Hippocrate *lib de aëre, aquis, &c. num.* 59. Confert victus ratio eiſdem prædita qualitatibus, ſit panis fermentatus, non multum à furfuribus mundus, ex Hippocrate *lib. de diæta num.* 119. Carnes ſint humidæ ex Hippocr. *ibid. n.* 363. domeſticæ, non recentes nimis, nec montanæ *ex eodem lib. num.* 148. Quadrupedes ſunt præſtantiores, quia humidiores, præcipuè hædinæ, vitulinæ, agninæ recentes *ex eodem lib n.* 178. & macidæ, ex Hippocrate *lib. eodem n.* 377. ſint pingues *ex eodem lib. n.* 339. Animalium partes quæ minus exercentur vt caput, iecur, & quæ ſunt ſub ventre, ex Hippocrate *eodem lib. n.* 380. Carnes elixas præferendas docetur *eodem*

A *lib. num.* 350. lac equinum, aſininum, & caprinum laxat, quod craſſum, & caſeoſum adſtringit ventrem *eodem lib. n.* 125. Ex herbis laxant ventrem malua cum foliis, & cauliculis, ſuccus vetæ, ſubſtantia aliqualiter ſiſtit ob terreſtres partes, *lib eodem n.* 293. braſica, & mercurialis lubricant, *ibid. n.* 303. ſicut hordeum, cum paleis & cortice, in qua ſtat ſolutiua vis *ex eod. n.* 84. Similiter & lupini, & carthamum, *ibi n.* 383. farinæ in lacte etiam ventrem lubricum reddunt, *ibid. num.* 134. Poma redolentia lubricantia ſunt, malus punicus dulcis, morarubæ, & ficus, quibus opponũtur mala acida, pira, mala punica, cidonia, *ibid à num.* 3n. *ad* 339. Pinguia, butyroſa, oleaginoſa lubricant ventrem, ſicut dulcia, quæ conſtant caliditate, & humiditate, vt mel aqua diſſolutum *ex eodem n.* 262. Aqua ſe ſola ven-
B trem ſoluit, vt deducimus, ex Hippocrate *lib. 1. epid. ſect. 3. in hiſt. Methonis*, non quælibet, ſed quæ dulcis, ſeu ſine ſapore eſt, ſplendida, ac leuis ex Hippocrat. *lib. de aere & aquis, text. 23. comm. 3. Septalij: & text. 19. in verſ. Adriani*, ſalſa ex eodem adſtringit, flatum excitat, ſicut craſſa, in qua non bene coquitur alimentum, ex Hippocrate *loco citato.* Vinum recens laxat etiam ventrem, & nigrum molle, ſicut album tenue, & dulce, auſterum enim, & craſſum adſtringit.

Reliquæ res non naturales poſſunt ventrem etiam laxare, vt ſomnus moderatus, qui opponitur vigiliæ, à qua deſiccante adſtringitur venter, ſicut à nimia venere, ex Hippocrate *6. ep. d.* ex Ariſtot. *4. problem.* 18. Adſtringit etiam nimium exercitium calefaciens, &
C mouens ſudorem, laxat moderatum præcipue matutinum, ex Hippocrate *vbi ſupra n.* 446. Ordo, vt diximus, in accipiẽdis cibis talis ſit, vt ad laxandum ventrem primo ſumantur, ex Gal. 2. *de alim. facult. cap* 11. lubricãtia, vt pinguia, ſaccharum, butyrum, vuæ, ficus pruna dulcia, aut Damaſcena, ex Gal. 5. *de vſu part. c.* 9. Eis non ſunt præpoſteri melones, mora, & reliqui fructus dulces, & humidi, & ipſa pruna ſicca, ſi aqua elixentur, vuæ pẽſiles, paſſulæ cum ſaccharo, vt tenet Montanus *conſil.* 8. Poſt hæc liquidum ius non parum iuuat, & olera condita cum eius pinguedine & ſaccharo laudantur à Galeno 5. *de vſu part. citato.* Poſt hæc debent ſubſequi tenuioris ſubſtãtiæ carnea elixæ nec omittendus interim potus ad elixationem, & fluxibilitatem; claudant menſam, quæ adſtringunt, ex
D Galeno 2. *de aliment. facult.* Sed præcipuè in cœna ſit Initium ex oleribus laxantibus oleo, & ſale conditis: garum conditum præfert Galen. 5. *de ſanit. tuend.* a 9. muriam appellat Hippocrates 2. *de diæta.* Prodeſſe compertum maluas coctas teneras, & ſuos cauliculos conditos oleo amygdalarum dulcium, aut oleo dulci cum ſaccharo & ſale, & in calida intemperie poſſunt miſceri lactucæ, ſcariolæ, ex Martiali proferente,

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis.

Si pro adſtrictione ex ſicca, calidáque intemperie orta non proſint ſuperius poſita, ad alia reſtat progredi, clyſteres in conualeſcentibus, & nuper purgatis, non ſine præmeditatione vtendi, conualeſcentes pauciora habent excrementa, quia auidæ partes plus
E attrahunt de alimento. Proxime purgati, habent inteſtina nuper nudata à propriis humiditatibus, & excrementa retinent, in quibus potius lenientibus, quam purgantibus clyſteribus vtendum, ex Galeno 5. *de ſanit. tuend. cap* 9. quia ex nimis purgantibus deſiccatur aluus, & magis adſtringitur, quia calefaciunt & propriam inteſtinorum humiditatem auferunt, & ideo ſicciora relinquunt; defectu propriæ lubricitatis, & ideo ibidem Galenus in ſenibus, & conualeſcentibus vtitur clyſtere ex ſolo oleo, vt ſicca excrementa humectentur, & lubrica fiant inteſtina, & ideo Montanus *conſil.* 205. dicit, quod in principio

adſtrictionis

adſtrictionis non debent adhiberi clyſteres, nec propinari purgantia, quia ex aliis partibus adducunt ſuccos, quibus fæces impinguantur, & ideo Tiberius Zacharias *in comm. ad cap. 3. lib. 1. Cornel. Celſi*, dicit fuiſſe nimis pernicioſum errorem Medicorum putantium eadem eſſe medicamenta ſtercoraria, ac purgantia, quia magna ſequuntur nocumenta purgantia propinando, adſtringitur enim venter, & ideo Alſarius *de Quæſitis centur. 3. f. 527.* refert Montanum, Mercatum, & omnes Italos conſulentes pilulas ex hiera, in qualibet adſtrictione ventris ſiue defectu cauſæ, licet Montanus ſit immunis à calumnia, nam in adſtrictione ex ſiccitate potius conſulit iura alterata cum herbis emollientibus, carthamum cum ficubus, & alia emollientia. Hæc ſi non ſufficiant, & reſtet progredi ad purgantia, hæc ſi ſicca ſint vt pulueres, debent cum humidis exhiberi, vt Galenus docuit *lib. 5. de ſanit. tuend. cap. 9* qui aloen condemnat, ſolúmque permittit exhiberi cum aliquo liquore, imò & carthamum, licet magis oleaginoſum propinat cum tipſana. Quæcumque autem exhibeamus purgantia pro ventris adſtrictione, ipſa ſunt immitanda, ne natura aſſueſcens reſpuat, vt docuit Galenus *5. de ſanit. tuenda cap. 9.* non ita contingit in laxantibus, quæ vſu magis lubricant.

Nec ſolum in laxantibus clyſteribus inſiſtendum, ſed per os exhibenda, inter quæ confert ius pulli gallinacei, alteriúſve ſuis humidæ, ſeu alterius humiſtationis carnis, cum quibus coquendæ malua. violæ recentes, aliqua paria prunorum dulcium, poſt coctionem fiat expreſſio addendo ℥. ß. ſacchari pro ℥. viij. huius ſucci ex laxantibus expreſſi. propinetur per duas horas ante prandium, prodeſt enim ſi calor cum ſiccitate ſit coniunctus, ſin minus fiat cum maluis, ſuperaddantur mercurialis, & beta, ſicut in magno ardore borum loco exhibeantur vnoquoque mane ℥. viij. ſeri lactis. Commendant alij oleum amygd. dulc. ab ℥ ij. vſque ad ℥ iv. Montanus laudat oleum amygd. amar. vel ſeminis lini, & clyſteres ex decocto herbarum emollientium ad ℥ x. cum olei. ℥. iij. & ſacchari nigri vel mellis ℥. ij. ſalis parum: omittenda electuaria, quia irritant, & impediunt humectationem fæcum, clyſteres ex lacte cum olei violacei ℥. iv. pro æſtuante calore proſunt, & qui fiunt ex iure cum herbis prædictis alterato cum ℥. ij. butyri, olei communis, & ſacchari nigri ana ℥. ij. ſed præſtantior ſit clyſter ex ℥. vij iuris pinguis & axungiæ ſuillæ ℥. viij. cum olei dulcis parte quarta, nocte iniiciendus cum moderato calore, vt per noctem retineatur, vtilis eſt clyſter ex ſucc. maluarum coctarum ℥. viij. cum ℥. iv. olei lini.

Si hæc non proſint, conferunt cochlearia aliqua conditorum, quæ proponuntur, ſumpta per vnam, aut dimidiam horam ante prandium, ne mutentur in alimentum Primo conferunt pruna condita cum ſenna & ſaccharo n. ij cum ℥. ij. mius earum, quarum hæc formula.

℞. Prunor. Damaſcenor. n. xij. coquantur in ſufficiente quantitate aquæ, in qua per noctem madefiant, ſennæ ℥. ij. cum ſaccharo ſufficiente fiat ad formam ſyrupi.

Vel ℞. pruna Damaſcena quot volueris, adde flor. violar. & roſar. perſicar. eandem quantitatem repone in vaſe vitreo, adde ſacchari ſufficientem quantitatem, vt pruna cooperiantur & flores, expone ſoli æſtiuo, cooperto vaſis ore, vt liquor ſacchari, & flor. imbibatur in prunis. Sic Heurnius *2. meth. gener. cap. 4.*

Vel proſunt paſſulæ Corinthij Godofredi ℞. folior. ſennæ mundatæ ℥. iij. aniſor. ʒ. vj. infunde in aquam per diem, ac noctem, bulliant vnica ebullitione, fiat fortis expreſſio, cui adde paſſularum Corinthij ℥. vj. bulliant lento igne ad conſumptionem liquoris, in fine adde ſacchari nigri ℥ iv. cinnamon ʒ j. & ß. coquantur ad formam ſyrupi vſque dum acuat ſaccharum.

Vel fiat conſerua Neopolitana dicta ab Heurnio ſic. ℞. radic. polypodij quercini ℥ vj. folior. ſennæ mundator. ℥. iv. aniſor. ℥. ß. rad. mechoac. ℥. iv infunde in vaſe vitreo, coque ſecundum artem, fiat expreſſio, adde pulpæ paſſular. tranſmiſſatum per ſetaceum, prius maceratarum in vini, & ſacchari albi ana ℔. j. f. conſerua doſis ℥. j.

Vel ℞. folior. ſennæ mundat. ℥. iij. mechoacann. ℥. ß turpeti veri ʒ. iij. gingiber. ʒ j. ſchenanth. ʒ. ß. cinnamom. ℈. ij. incita infundantur per noctem & diem in ſuff. quant. vini dulc. albi, facta expreſſione dulceſcat cum ſaccharo, adde paſſular. ℥. iv. repone in loco calido, vt paſſulæ imbibant humiditatem, pro doſi cochlearia duo.

Vel ℞. pulpæ caſſiæ fiſtulæ, prunor. Damaſcen. & vuarum paſſar. ana ℥ j. mannæ elect. ℥. j. puluer. tartari & aloës ana ʒ. ij. vini albi ℥. ß. cinnamomi ʒ. j cum melle perſico fiat conſerua.

Vel ℞. carnem ficuum pinguium n. vj. ſeminis carthami ʒ. ij. fiant boli.

Lacuna *lib. 1. cap. 131.* Mathiolus in Dioſcoridem *lib. 1. cap. 131.* meminerunt florum malorum perſicorum ſecundum omnes ſpecies, florum roſarum perſicarum, florum, quorum vſus eſt pro ventre lubricando, vel in fructibus horariis, immiſcendo ipſos pro prima cœnæ menſa, vel in conictura vtendo ipſis, modo quo & reliquis ſupra poſitis. Quercetanus in pharmacopea parat vinum laxatiuum cum floribus pruni; cum oleribus, & aliis alimentis pro ventre laxando ſolemus vti aceto ſolutiuo facto, vel cum ℥. j. foliorum ſennæ pro ℔. j. aceti, vel addendo mannæ electæ aliquam portionem. Vel ℞. acet. ℔. j. ſennæ ℥. j. ß. flor. cordial. m. ß. infunde, ſecundum artem fiat expreſſio. Vel ℞ Polypodij quercini ʒ. x. paſſular ℥ j. cinnamomi aniſorum ana ʒ. ß. contunde, bulliant ad quartæ partis conſumptionem, adde foliorum ſennæ ʒ. x flor. cordial p. 2. poſt vnicam ebullitionem & perfrigerationem cola cum forti expreſſione. Soluunt ventrem pruna hæc. ℞. pruna Damaſcena dulcia bene matura excoriata, ponantur ad ſolem in vaſe vitreo repleto manna trita, euoluantur ſingulis diebus, donec accipiant corticem ex manna. Soluit ventrem ſal tartari, ad g. xv. in ouo ſorbili: ſed non minus prodeſt ex Claudino. Sed placide magis ventrem ſoluit aceti in cœna in cibariis ſumpti ℥. j. ſic ℞. foliorum ſennæ ℥. iij paſſular. Corinthij ℥. iv. cinnamomi ʒ. ß. infunde in lib. xvj aceti albi fortiſſimi, per viginti quatuor horas, fiat leuis ebullitio, coletur, & diſſoluitur mannæ electæ ℥. j. iterum cola & ſerua ad vſum in vaſe vitreo.

Vel fiat aqua ex citris pſutatis excauatis & repletis puluere ſennæ, rad. polypodij, tartari albi cum ſaccharo in paſta obductis, in furno coctis, & diſtillatis in B. M. doſis ℥. iij.

Galenus *5. de ſanit. tuend. cap. 9.* commendat therebinti reſinam pinguiſſimam, de qua dicit, habet paucam vim medicamentoſam, aluum emollit ſine moleſtia, & viſcera omnia roborat. Iachinus *lib. 9. Rhaſis ad Almanz. cap. 45.* eligit eam, quæ ex Cypro fertur, aut Syria, loco eius ſumitur reſina larycea, aut laritia ex Montano *conſil. 179.* doſis eſt à ʒ. j. ad ʒ. ij diſſoluitur in ſufficiente quantitate olei amygdalarum, quia, vt tenet Iachinus, recipit ab oleo vires, ad abſtergendum, præcipue ſi oleum ſit ex amygdalis amaris. Proponatur etiam cum ſaccharo ad formam boli

boli. Pro crudiratibus ventriculi doſis eſt ad ℥. ß. abſtergit, & opilationes lienis, ventris, & iecoris aperit, ex Gal 8. *de compoſ. medic. cap. proprio.* Iachinus priùs lauat illam decocto cinnamomi, & ſebinanti, vt fiat gratior, & ventriculum roboret, & vt vim acquirat attenuandi, mouet vrinam, abſtergit vias illius. Tamen ſi à ſiccitate fit ventris adſtrictio, à ſiccitate minus vtilis cenſetur, ſiccat enim ventrem, mouendo humidam ſubſtantiam ad vreteres, vt licet colligi ex Hippocrate 4. *aphor. vlt.* §. *Mictio plurima paruam ſignificat deiectionem.* Prodeſt maximè ſi ventris adſtrictio fiat a pituita, ex Galeno *lib. de ſanit. tuend. cap.* 9.

Ventrem laxat etiam cochlear ſemin. ſiplij mane ſumptum, ſuperbibendo parum aquæ, licet Dodonæus interdicit, qui ſtomachum ſubuertit, & Scrapio alia proponit incommoda. Mathiolus *lib. 4. in Dioſcor. cap.* 65. agitat in aqua fontana, percolat à ſeminibus, admiſcet mucilaginem cum oleo, aut ſyrupo violarum.

Si tandem adſtrictio ventris ptouenit obtuſo ſenſu, ſiue defectu bilis non deſcendentis, ſiue ob naturalem contrahentem porum felleum, ſiue ob ineptam intemperiem ad ſentiendum, ſiue ob pituitam impedientem bilis ſtimulum, ſiue defectu aduertentiæ curatio talis debet eſſe.

Pro defectu aduertentiæ ſuperuenienti adſtrictione ſtatim curatio requiritur, inquit enim Galenus 3. *de ſympt. cauſ. capit.* 2. *violenter retentum ob aliquam occupationem rurſus ſurſum vertit, & caput replet*, ad hoc vitandum Platerius *lib.* 1. *pract. cap.* 7. conſulit ſtudioſis, & in negotiis detentis, vt horam aſſueſcant ad fæces eiiciendas, iuuat enim conſuetudo, ſi vero non ſufficiat, & retentæ fæces duræ fiant, conferunt clyſteres emollientes proponendi. Si fiat adſtrictio defectu aduertentiæ per morbos, emollientes clyſteres aliquam acrimoniam debent habere vt fæcibus humectatis, irritetur natura ad expulſionem, auertatur imaginatio ab idolis. Confert clyſter ex decocto emolliente cum ʒ. ij. ſalis, ſuccis roſar. perſicar. & diacatholicona, aut electuar. de ſucco roſar. vel fiant ſuppoſitoria ex hiera ſimplici Galeni, vel fiat decoctio ex herbis calidis, & irritantibus calcantho, origano, mercuriali, & ex electuariis Scamoniatis, fiat clyſter, benedicta laxatiua hiera, diaprunis, maſſa pilular. Arabicarum aurearum, in morbis ex pituita ortis. In ortis ex inflammatione, emollientibus addendus ſuccus Perſicarum, & electuaria temperata.

Si prouenit adſtrictio ventris defectu bilis irritantis aut propter malam conformationem pori fellei, eiúſve obſtructionem, conferunt irritantes clyſteres, qui ſuppleant defectum bilis, quæ deberet irritare, prodeſt conſerua ſolutiua, paſſulæ lenientes, emplaſtra, infra adducenda pro laxando ventre. Præcipuè tentanda curatio obſtructionis pori fellei.

Si inteſtinorum ſenſus fiat obtuſus, ob adhærentem pituitam viſcidam, quæ, vt tenet Heurnius, extenditur compacta, & lenta, ita vt inteſtinorum æmuletur figuram, vt apud Ganaſetum, Heurnium, Vallerioiam & alios patet, tentanda euacuatio lentæ pituitæ, victus ratione adhibita, de qua prius loquuti ſumus, proponendo cibos minus humectantes. Confert exercitium, quod augeat calorem concoquentem, iuuat oximel, rhodomel, ſyrupus de ſucco roſacum; & attenuantes reliqui, ac ſcindentes. Præcipuè iuuant euacuando clyſteres præcipuè. ℞. caput arietis nigri cum pelle (detractis lingua, & cerebro) diuide in fruſta, iniice in ſufficientem quantitatem aquæ, vt poſt ſufficientem decoctionem maneant ℔. vj. coquantur ſimul radices ariſtoloch. rotundæ & polypodij ana ℥. j. foliot. verbaſci, artemiſiæ, biſ-

B malux, parietar. ana m. ij. rutæ, aneth. meliloti ana m. j. ſeminis lini, & fænugræci, fæniculi, & flor. chamæm. ana m. ij. ſalis parum, fiat colatura, reponatur in vaſe vitreo, in frigido loco aſſeruetur, & pro ſingulo clyſtere ℞. prædictæ decoctionis ℥. x. adde hieræ picræ ℥. ß. ſacchar. nigri ℥. j. mellis deſpumati, vel Perſici ℥. ij. ferueant parum, iniiciatur cum moderato calore vſque ad 10. aut 12. dies. Poſtea confert leniens pharmacum: erit ea vſui ℞. ſeminis carthami ℥. j. fiat expreſſio in ℥. iij. decoct. Magd. ſennæ adde ſyrup. principis ℥. iij. m. Poteſt vlterius exhiberi therebentina modo quo ſupra diximus ad ʒ. ij. vnaquoque hebdomada, vel loco illius proſunt pilulæ

C de hiera ſimpl. Galeni, ad quantitatem ʒ. ß. Montanus ſuperaddit ℥. iv. olei amydal. & ſi appareant obſtructiones non parum conferunt pilulæ Detribus. Vel proderit aloës lota, exhibita vſque ad gr. xij. à Græcis ſtercoraria dicta, quia inteſtina abluit, ex Galeno 6. *ſimpl. cap.* 6. Platerius lauat illam cum ſucco roſar. perſicat. & exſiccat ſole æſtiuo: licet enim bilem purgat in magna quantitate, in parua inteſtina abſtergit ſine attractione eius ex Montano *lib.* 3. *conſiliorum.* Meſnëa tenet, quod venas aperit, de hæmorrhoïdalibus intelligunt plerique dum nimius eſt eius vſus. Sumitur aloes tempore matutino, vacuo ven-

D triculo, ne cibos corrumpat, Paſſulæ lenientes præſcriptæ erunt pro vſu, & conſerua, quæ tartarum recipit.

Exterius appoſita ventrem mouent emplaſtra, ℞. ſucci ebulor. depurat. ℥. j. ß. olei liliot. alborum, & capparor. ana ℥. j. in quibus bulliant ʒ. j. pulpæ coloquintidæ, ſalis Gem., & puluer. hellebori nigri ana ℈. ij. aloës ʒ. j. vng. de opilat. quod ſufficiat pro linimento. Vel prodeſt vnguentum Agrippæ & efficacius vnguentum Arthanitæ.

Ex iis iam patet pro noſtro ægro, quod varias

E habeat adſtrictionis ventris cauſas, quod varia ſint remedia pro vnaquaque illarum, & quod poſſunt propoſita auxilia pro illis adaptari iuxta vniuſcuiuſque exigentiam, & dum complacantur iuxta vniuſcuiuſque prædominium, & prædominantem indicationem.

INDEX
OMNIVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc Reſolutionum Medicarum Libro continentur.

Prior nota Arithmetica, Paginam; poſterior, Columnam; Character ſubſequens, ſedem materiæ indicant.

A

Aborſus.

ABORSVS eſt imperfecti & immaturi fœtus eiectio. 456.1.B.
Aborſus fit ab externis vel internis cauſis, & quæ illæ ſint? ibid.
Aborſus periculum regulariter prohibet ſanguinis miſſionem ex pede in prægnante. 454.2.A.
Aborſum procurare & fœtum corrumpere nemini licet. ibid.B.C. & 589.2.C.
Aborſum numquam faciendum ſe Hippocrates iureiurando firmauit. ibid.C.
Aborſum procurantes homicidij rei ſunt ex Edicto Sixti V. & communi Iuriſperitorum & Canoniſtarum conſenſu. ibid.
Aborſus non ſemper ſequitur ex ſanguinis miſſione ex pede. 455.1.D. & 2.B.
Aborſum non intendit Medicus ſanguinem mittendo ex pede, vrgente neceſſitate, & ideò immunis à pœna. 455.1.D.
Aborſus ſi cauſetur ab externis cauſis, corpus aut animum afficientibus, vel ab internis abſque humorum occurſu, ſanguinis miſſio ab eo non præſeruat. 456.1.B.
Aborſus poteſt præcaueri interdum per ſanguinis miſſionem, vt declaratur. 456.2.B.& ſeqq.
Aborſus cauſa per ſe non eſt ſanguinis miſſio, ſed ſolùm per accidens. ibid.E.
Aborſus quamuis timeatur & ſequi poſſit per accidens; poteſt tamen pharmacum exhiberi prægnanti, aut venæ ſectio, quando illa directè ordinantur ad ſanitatem matris aliàs perituræ. 590.1.D. & ſeqq.& 591.1.B.
Conſtitutio Sixti V. & leges aborſum prohibentes quomodo intelligendæ. 591.1.D.
Exodi locus de aborſu quomodo intelligendus. ibid.
Aborſus prouenire poteſt ex cauſa omninò voluntaria, vel omninò inuoluntaria, vel mixta. ibid.
Aborſum facere Hippocrates lege naturali ductus Medicis prohibendum cenſuit. 589.2.C.
Aborſus ſæpe ſequitur ex ſanguinis miſſione ex pede 589.2.D.
Aborſum procurantes puniunt leges ciuiles & canonicæ. ibid.D.E.
Aborſum tentare maximè impium. 695.1.D.
Aborſum nihil frequentius cauſat quam ſanguinis miſſio ex talo. ibid.E.

Aborſus & auxilia quæ ipſum poſſunt cauſare prohibentur legibus tum antiquioribus, tum nouis. 695.2.A.
Aborſum cauſare ad matris vitam tuendam impium eſt. ibid.E.
Aborſum tentare pro matris vita conſeruanda parum pia opinio. 696.1.B.

Abſtemius.

Abſtemij ab omni cibo, quomodo poſſit defendi ipſos poſſe viuere. 742.2.E.& ſeqq.

Acceſſio.

Acceſſio eſt ſignum ex quo tempora morborum indicantur. 257.2.C.
Acceſſionum anticipatio duplex eſt. 238.1.E.

Accidens.

Accidentia quomodo ſanguinis miſſionem indicent inquiritur. 441.1.E.
Accidentia morbum comitantia varia ſunt. ibid.
Accidentia pathognomica ſolùm atteſtantur morbi naturam à quo ſumi poteſt, vel non, indicatio ſanguinis mittendi. ibid.2.B.
Accidentia ſymptomatica qualiter indicent ſanguinis miſſionem. ibid.C.D.
Accidentia à quibus vires debilitantur, ſæpe contraindicant ſanguinis miſſionem. ibid.E.
Accidentia critica contraindicant ſanguinis miſſionem. 442.1.A.
Accidentia critica indicant criſim venturam. ibid.
Accidens dupliciter determinatur ab extrinſeco ad operandum. 616.2.D.

Actio Actus.

Actiones ſpecificantur à ſuo termino. 80.1.D.
Actione quadruplici ſubſtantiali quatuor humores iecur producit. ibid.
Effectus adæquatus vnica actione adæquata quomodo fiat. ibid.2.D.
Actus actiuorũ ſũt circa paſsũ benè diſpoſitũ. 183.2.D.
Actio realis & vera à ſimili non fit in ſimile. 192.2.D.
Actio Medicinæ tota eſt in morbo expellẽdo. 193.1.B.
Actio duplici de cauſa poteſt aboleri. 199.2.D.
Actionis læſio quomodo eſt ſignum æqualis intemperiei quæ eſt in eadem parte. 217.2.A.B.C.
Vide *Læſio.*
Actio læſa eſt ſymptoma, ſeu accidens proprium quarto modo morbi. 220.1.B.
Actio læſa adæquate diuiditur in diminutam, abolitam & deprauatam. 268.2.E.
Actio quæ aberrat à naturali ſtatu ſecundùm ſubſtantiam, vel durationem, vel modum, dicitur de-

prauatio,

prauatio, à Galeno. 269.1.A.
Actio tripliciter impediri poteſt. 268.2.E. & 269.1.B.
Actio diminuta in quo differat ab actione naturali. ib.
Actio deprauata quid ſit? definitur variè à variis. ibid. 1.C. & ſeqq.
Actionis deprauatæ propria traditur definitio. ib. 2.A.
Actiones naturales dupliciter dicuntur. 281.1.E.
Actio vitalis non conſiſtit præcipuè in immanentia. 614.2.B.

Actiuitas.

Actiuitas fundans relationem paternitatis & maternitatis variè aſſignatur. 156.1.D.E.
Actiuitatem an habeat ſemen fœmineum. 554.2.C.
Actiuitas an potiùs fundet rationem paternitatis quam maternitatis. 156.2.B. & 157.2.C.
Actiuitas admittitur in ſemine fœmineo, ſicut & in virili. 156.1.C. & 157.2.D.
Actiuitas quæ fundat maternitatem non conſiſtit in vtero. 157.1.A.B.
Actiuitas quæ fundat maternitatis relationem non eſt ad ſanguinem menſtruum referenda. 157.1.C.

Adeps.

Adeps an ſit pars humidior corporis, & quomodo? 58.1. & 2.E. Vide *Humidum.*

Adoleſcentia.

Adoleſcentia quid ſit? 63.1.C.
Adoleſcentiæ temperies. ibid. D. & ſeqq.
Adoleſcentia cur frigida videtur? ibid.
Adoleſcentia eſt calida æquali calore cum pueris. 63.2.B. & ſeqq.
Adoleſcentia eſt in paſſiuis qualitatibus tẽperata. ib.E.
In Adoleſcentia humor augetur ſicut & in Pueritia. ibid. 2.D. & 64.1.C
In Adoleſcentia homo peruenit ad æqualitatem in qualitatibus paſſiuis. 64.1.D.
Adoleſcentia menſurat durationem hominis ſeparatim ab aliis ætatibus. ibid. E.
In Adoleſcentia homo mutatur ab humiditate pueritiæ ad ſiccitatem iuuentutis. ibid.
Adoleſcentiâ declinâte, homo parũ augetur. 64.2.B.

Adſtrictio.

Adſtrictio in pororũ coarctatione conſiſtit. 237.2.B.
Adſtrictio inter cauſas morbi calidi enumeratur, & qua ratione? ibid. & 238.1.B. C.D.
Vide in verbo *Venarum adſtrictio.*

Aer.

Aër an ſit ſummè humidus. 13.1.E.
Aër requiritur ad temperandum cordis calorem. 14.1.A. & quomodo? ibid. 2.E.
Aëra medicamenta temperata ſunt. ibid.
In media Aëris regione fiunt meteorologicæ frigidæ impreſſiones. ibid.
Aër habet humiditatem in ſummo & calorem prope ſummum. 14.1.B.
Aër qua ratione terram exſiccat. 14.2.E.
Aër ex ventorũ variis mutationibus alteratur. 49.1.C
Aëri magnæ ſuperueniunt mutationes in Æquinoctio verno. ibid. 1.E. & ſeqq.
Aër peſtilens non dicitur morbus, licet ſit morbi cauſa. 205.1.E.
Aëris præſcribitur vſus pro Med. cognoſcẽdus. 322.2.
Aër eſt neceſſarius pro ſanitate conſeruanda & morbis profligandis. ibid.
Aër partitur in tres regiones, Infimam, Mediam, & Supremam. ibid. E.
Aërem primæ regionis ſpeculatur Medicus. ibid.
Aër infimæ regionis dupliciter deſeruit animali. ibid.
Purus aër omni ætati vtilis eſt. 323.1.B.
Aër contrariis abundans qualitatibus vtilis eſt habenti contrariam intemperiem illis. ibid.
Aër optimus à Galeno deſcribitur. ibid.
Præſcribitur aër vtilis pro Hecticæ curatione. ibid. D.
Aëris immutatio aliquando conuenit in putridis febribus chronicis. 358.2.C.
Aër inter res non naturales locum habet. 447.2.D.
Aër aliquando ſe tenet ex parte morbi, aliquando ex parte naturæ. ibid.
Aër variis modis nos alterare poteſt. 447.2.D.
Aër magnam habet vim indicandi aut contraindicandi ſanguinis miſſionem. 448.1.A. & ſeqq.
Aëris temperies pro morbis curandis maximè attendenda. ibid.
Ab aëre Galenus docet indicationem ſumi pro remediis exhibendis. 531.2.C. & 532.2.A.

Æſtimatiua.

Æſtimatiua diſtinguitur à ſenſu communi. 130.1.A.
Æſtimatiua potentia lædi poteſt, non læſâ memoriâ, & contrà. 150.2.E.
Æſtimatiua eſt perfectior quàm Phantaſia. 150.2.B.

Ætas.

Ætatum diuerſa mutatio in viuente varias primarum qualitatum diſpoſitiones ſucceſſiuè ponit 37.1.B.
In Ætatibus mediis homo habet æqualem omnium Elementorum portionem. 39.1.D.
Ætatis natura multipliciter inueſtigatur pro diuerſitate artium. 59.1.E.
Referuntur Doctores de Ætate tractantes. ib. & ſeq.
Variæ Ætatis definitiones referuntur. 60.1.D.E.
Ætatis propria definitio traditur. 60.2.B.
Ætates ad quid Medicus ſpeculatur? 60.2.A & 61.1.
Ita ſe habent Ætas in medica ſpeculatione pro menſuranda hominis duratione, ſicut ſe habent anni tempora ad illum menſurandum. 61.1.C.
Vndenâ Authorum varietas in diffiniẽda Ætate ib. D.
Ætatum numerus ex Iuriſperitis, Poiloſophis, & Medicis. 61.1.C. & D.
Ætates quinque à Medico admittendæ. ibid. E.
Vnicuſque Ætati morbi quidam proprij ſunt. 61.2.B.
Authorum ſenſus in diffiniendo Ætatum numero explicatur. 61.2.D.
Ætatis aliæ differentiæ ad quinque annumeratas referuntur. ibid. E. & 62.1.A. & B.
De variis ætatibus, vide in propriis locis.
Ætas Conſiſtentiæ. Vide *Conſiſtentia.*
Ætatis cuiuſlibet duratio an ſit inuariabiliter præfixa. 68.1.E.
Ætates ſeptem Aſtrologi enumerant. 69.1.B.
Ætas variè à variis accipitur. 435.1.D.E.
Ætas ad per ſe indicet ſanguinis miſſionem? reſoluitur negatiuè. ibid. 2.B.
Ætas conducit ad permittendam vel prohibendam ſanguinis miſſionem. ibid. C.
In Ætate florente ſanguis abundat, non tamen ideò mittendus. ibid. E.
Ætas puerilis an cõtraindicet omninò ſanguinis miſſionem, diſceptatur & reſoluitur negatiuè. 436.
Ætas ſenilis, quæ? 437.1.E. & 2. A.
Ætatum diuerſitas quos pulſus efficiat. 636.2.C.
Ætatum ſoli mutationi non eſt fidendum pro epilepſiæ præcautione & curatione. 679.1.A.B.

Alimentum.

Alimentum calidum poteſt eſſe cauſa morbi calidi, & quomodo? 236.1.A. & ſeqq.
Alimenti læſa coctio non ſemper prouenit ex vitiato ventriculi temperamento. 680.2.B.
Vide *Cibus, Potus, Victus.*

Amor.

Amor pulſus inæquales anonymos & inordinatos efficit. 637.1.C.
Amor vtrum habeat determinatum pulſum ex determinata prouenientem cauſa. 641.1.D.E. 2.A. & ſeq.

Notabilium.

Amphemerina febris.

Amphemerina febris qualis. 396.1. A. & ſequentibus.

Amphemerina febris, licet rara, tamen poſſibilis eſt 397.1.D.

Vide *Quotidiana.*

Anatomia.

Anatomia noſtris temporibus magis quam olim exculta. 385.1.D.

Anatomia circa venarum originem & ſectionem laudatur. ibid.C.

Angina.

Angina quos pulſus efficiat. 638.1.D.

Anima.

Anima licèt ſit vna forma ſimplex, eſt tamen multiplex virtute. 91.1.D.

Anima rationalis qualiter in diuerſis partibus corporis operetur? 91.2.A. & B.

Anima rationalis omnes corporis partes ſubſtantialiter informat ſecundùm eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum. ibid.

Anima eſt principium, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus. 116.1.& 2.& E.

Anima quomodo ſit principium ſuarum operationum. 127.1.B.

Anima rationalis quomodo exerceat ſuas operationes. 129.2.B.

In Anima ſola non inhærent facultates corporeæ, ſed in organo. ibid.3.A.

Animæ vegetatiuæ officium duplex eſt. 135.2.E.

Anima rationalis, qua ſpiritualis eſt, petit à Deo creari. 153.1.A.

Anima rationalis qua ratione dependeat à corpore ibid.1.B.

Animæ vnio tribuitur homini tanquam cauſæ ſecundæ coordinatæ cum prima ad illam actionem. 153.1.A.

Anima non eſt principium adæquatum productiuum caloris, ſed vt determinata à temperamento ſubſtantifico. 207.1.& 1.B.

Animæ paſſiones poſſunt eſſe cauſa morbi calidi. 255.1.B.& 253.1.C.

Animæ paſſiones poſſunt dupliciter conſiderari. ibid.D.

Animæ paſſiones ſunt actus appetitus fugæ, aut proſecutionis. 448.1.E.

Animæ paſſiones multiplices producunt actus. ibid. 2.A.& ſeqq.

Animæ paſſiones poſſunt impedire ſanguinis miſſionem. ibid.E. & 449.1.A.& ſeqq.

Anima ad opera ſua exequenda maximè indiget calore. 612.2.E.

Anima principium motus vitalis, qui fit ab intrinſeco. 614.1.E.

Anima eſt cauſa principalis motus pulſus in animali. 616.1.C.

Animæ diſtinguuntur ſecundum quod animæ operatio diuerſimodè ſupergreditur operationem naturæ corporalis. 618.1.C.

Animæ operationes diuerſæ. ibid.

Anima nequit operari cum facultate pulſifica ſine mutatione cauſarum continentium. 635.2.E.

Animalia.

Animalia imperfecta abſque fœmina generari poſſunt. 153.1.D.

Animalia diuerſæ ſpeciei coëuntia qualem producant fœtum? 175.1.C. & 176.1.E.

Animalium ſemen an ſit perfectius ſemine plantarum? 175.1.B.

Animalia, plantæ, & ſemina, tria conſtituunt viuentium genera. 173.1.B.

Animal a primo ortu conformatur cum naturali temperamento ſubſtantifico cordis, & reliquarum partium. 276.1.D.E.

Animal vt mixtum minimam petit diſpoſitionem, vt viuens indiget calore. 612.2.D.

Animalia & non viuentia in quo præcipuè differant. 616.2.B.

Animatum.

Animatum quodlibet aliquo modo mouet ſeipſum ibid.

Annus.

Annus ille ſalubrior eſt in quo pauciores ſunt morbi 50.1.D.

Conſtantia Anni vel inconſtantia an magis conferat ad ſanitatem. ibid.E.

Annos quid? & eius partes. ibid.2.A.

Anni partes quæ ex Modernis. ibid.

Anni temporibus temperies peculiaris aſſignatur. ibid.C.D.& E.

Anni conſtitutio legitima quos morbos pariat? ibid. E. & 51.1. A. & ſeqq.

Anni conſtitutio legitima quæ? ibid.

Anni tempora conſtantia vel inconſtantia quæ dicantur? ibid.D.E.

Anni tempora deſcribuntur. 443.1.A B.

Anni tempora an valeant coindicare ſanguinis miſſionem? latè diſquiritur & reſoluitur. ibid. D. & ſeqq.

Annus Maximus vocatus. 699.1.B.

Anni diuerſæ computationes; & menſurationes. ibid.

Anni vſitatior acceptio. ibid.C.

Anni & menſium pro præfiniendo homini determinato naſcendi tempore diuerſa computatio. 700. 1.C.D. & ſeq.

Appetitus.

Appetitus ſenſitiui diuiſio. 631.1.D.

Apologeticon.

Apologeticon pro Doctrina D. Gaſpar. Brauo Medici. 651.

Aqua.

An ſit ſummè frigida? 14.1.A.

Aqua Lunæ aſſimilatur. 13.2.E. & 14.2.E.

Aqua plus aëre humectat ob compactionem materiam. 14.1.E.

Aquis maritimis vicina loca calida ſunt, ſeu temperata. 14.1.B. & 15.1.A.

Aqua frigiditatem habet in ſummo, & humiditatem prope ſummum. 14.1.C.

Aquæ inſtillatitiæ à carnibus ſolis vel cum herbis refrigerantibus; febrientibus vtiles. 369.1. D. & ſeqq.

Aquæ frigidæ potus ad ſatietatem vtilis in ſynocho. 372.2.D.E. & 375.1.A. & ſeqq.

Aquæ dulcis balneum an & quomodo prodeſſe poſſit pro febribus curandis? 373.2.B. & ſeqq.

Vide *Balneum.*

Aqua ſimplex elementum cunctis animalibus in potum conceſſum, an habeat nutriendi aliquam virtutem. 734.1. A. & ſeqq.

Ars.

Ars Spagirica quid ſit? 3.2. E. & 4. 2.E.

Eſt miniſtra Medicinæ Dogmaticæ. ibid.

In medicamentorum extractione conſiſtit. 4. 1. E. 5.1.D.

In quo conueniat, & in quo differat cum Secta Paracelſiſtica. 4.2.B. & 5.1.& 2.A.

Medicina Dogmatica an ſit Ars. 5.2.D.

Ars dupliciter ſumitur ſtrictè & latè. 6.2.B.

Ars in latiori acceptione iterum duplex eſt, Mechanica,& Doctrinalis. ibid.
Ars differt à ſcientia. 6.1.D.
Ars non ſpecificatur à materia,ſed à fine. 8.1.A.
Et quomodo intelligendum. 8.2.D.
Ars Veterinaria,Mulomedicina, & Agricolura an ſub Medicina contineantur? 8.1.C.& 2.E.

Arteria.

Arteriæ ſunt partes Spermaticæ, ſubſtantificæ frigidæ. 124.2.A.
Arteriæ non producunt Spiritus vitales. ibid. & ſeqq.
Arteriæ frigidam attrahunt alimenti ſubſtantiam, quam aſſimilant in nutritionem. ibid.C.
In Arteriis qua virtute Spiritus vitales generentur? 114.2.D.
In Arteriis idem motus reperitur ſicut in corde. ibidem.D.
Arteriæ à corde oriuntur & ſpiritus vitales per totum corpus deferunt. 135.2.D.
Arteriæ deſcriptio & vtilitas. 603.2.C.
Arteria eadem, ſicut quodlibet agens poteſt in eadem actione agere & pati. 607.2.C.
Arteriæ deſcriptio pro motu ſpirituum vitalium. 608 1.E.
Arteriæ duas habent ſubſtantias quas intra ſe mouent. ibid.2.A.
Arteriæ,corde compreſſo, non dilatantur à ſolo ſanguine recipiunt illas. 621.2.E.
Arteriæ dilatantur corde compreſſo, & è contra. 622.1.A.
Arteria compreſſa nequit recipere ſanguinem, neque ſpiritus. ibid.1.E.
Arteriarum motus fit à facultate Loco-motiua illis inſita. 629.2.E.

Aſperitas Aſperum.

Aſperitas & Læuitas ſunt ſpecies morbi in ſuperficie, & contenti ſub morbis in mala conformatione. 212.2.B.
Aſperitas duplex eſt. ibid C.D.
Aſperitas & Læuitas ſunt qualitates ſecundæ. ib.1.B.
Aſperitatis & Læuitatis effectus quales ſunt. ibid. 1.C.D.
In Aſpere & læui duplex eſt entitas. 204.2.C.

Aſtra.

Aſtrorum ortus & occaſus varij, & in quibus temporibus.49.1.E.& 2.A.& ſequentibus. & 50. 2. B. & ſeqq.
Aſtra an cauſent ineuitabiliter interitum naturalem? 69.1.B.
Aſtra ſunt principia ad eſſe. ibidem; & quomodo? 70.1.A.
Aſtra continuò agunt in hæc inferiora. 69.1.C.& D.
Aſtra & cœleſtes orbes quomodo nos valeant alterare & deducere ad naturalem interitum. 69.2. C.& D.
Aſtra an valeant coindicare pharmaci ſolutiui exhibitionem? 531.1.B.& ſeqq.
Aſtrorum, aut anni tempeſtatum contraindicatio non attenditur tempore vigentiæ. 531.1.E.
Ab Aſtris vel anni temporibus indicatio, aut contraindicatio attendi debet abſente vigentia. ibid. 2.B.C.
Aſtris aliquid tribuendum eſt pro pharmacorum vſu, vt explicatur. ibid.D.& ſeqq.
Aſtra valent immutare corporis temperiem. 531. 2. E.

Aſtrologi.

Aſtrologorum opinio de naturali interitu. 69.1. A.
Aſtrologorum authoritas nullius momenti. 69.2.E.
Aſtrologia varia apud varias nationes. ibid.
Aſtrologi filiorum ſimilitudines indiuiduales aſtris tribuunt. 178.1.D.

Attractio.

Attractio humoris in partem an fieri poſſit à calore? diſcutitur. 262.1.D E.& ſeqq.
Attractio fit à calore dupliciter. 263.1.D.
Attractio naturalis eſt propter potiri, attractio morboſa ſecùs. ibid.1.A.
Attractio fit ſæpè vt vitetur Vacuum. 262.2.D.
Attractio humorum in partes cauſari poteſt a dolore. 265.1.B.
Attractio humorum & ſpirituum in partem doloroſam,qua ratione fiat? ibid.2.A.B.C.
Attractio non fit in morbo Gallico, in febre maligna, & in ſimilibus vehementiſſimis. 263. 1. E. & 265.2.C.
Attractio humorum in partes an fiat vt illis ſubueniatur. 264.1.B.
Attractio humoris in partem an fiat propter ſympathiam & condolentiam. ibid.D.
Attractio humoris in partem doloroſam an fiat à facultate animali pellente illum mediis muſculis ad parti auxiliandum. ibid.E.
Attractio humoris an fiat quia partes vicinæ propter irritationem comprimuntur. 264.2.B.
Attractio humorum an fiat à facultate attractrice partis dolorem patientis. ibid. D.& ſeqq.

B.

Balneum.

BAlnei natura deſcribitur. 323.2.E.
Balnei vſus eſt vel propter delicias, vel ob ſanitatem tuendam, vel propter curationem morborum. ibid.
Balnea olim à Romanis ſumptu magnifico conſtructa. ibid.
Balnea aquæ dulcis quibus magis vtilia ſunt. ib.2. A.
Balnea alia fiunt ex aqua dulci, alia ex aqua à mineralibus alterata. ibid.
Balnea à mineralibus alterata vocantur Thermæ. ibidem B.
Balneorum mineralium facultates ſeu virtutes breuiter deſcribuntur. ibid.
Balneum ex aqua dulci pro Hectica curanda vtilius eſt. ibid.2.D.
Balneum antiquiores Dogmatici pro Hectica curanda in tres partes diuidebant. ibid.D.
Balneum ex aqua dulci decoctione ex herbis alterantium ab aliquibus commendatur. ibid.E.
Balneum partim ex aqua dulci, partim ex lacte; vel ex ſolo lacte ab aliis laudatur. ibid.
Balnei aquæ dulcis vtilitatem euentu firmat Schenkius. 325.2.B.
Balnei aquæ dulcis vires oleo adaugeri euentu firmat Zacutus. ibid.D.
Balnei aquæ dulcis vſum in Hectica cum febre putrida complicata, vtili confirmat euentu Zacutus. ibid.E.
Balneorum vſus pro ſanitate tuenda, pro morbis curandis, & pro deliciis. 373.2.B.
Balneorum partes variæ nempe Abditerium, Hipocauſtum, Tepidarium, Frigidarium, & Vnctuarium. ibid.
Balneum in Synocho imputri proponit Galenus. ib.C.
Balneum in Hecticis febribus an & quomodo ſit vtile? ibid.
Balneum in febre putrida an & quomodo prodeſſe poſſit ex Zacuto? ibid.

Balneorum

Balneorum vſus pro febribus putridis curandis nollus eſt. ibid. D.

Balſamum.

Balſami vſus in curandis vulneribus capitis. 719. a.C.
Balſami Authot.& à quo approbatum. ibid.
Balſamorum diuerſa genera. 720.1.B.

Bilis.

Bilis in veſicula fellea proprium locum habet. 73. 1.D.
Bilis cùm ſit amara an proſit ad nutritionem corporis? ibid.a.E.
Ex redundantia Bilis color ictericius cauſatur. ibid.
Bilis an ſit humor liquidus? 75.1.C.& 2.B.
Bilis an & quomodo nutrire valeat? 81.1.& 2.C.
Bilis naturalis quid ſit? 88.2.E.
Bilis an ſit ſanguinis ſpuma? ibid.&.89.1.B.
Bilis an determinatum habeat colorem? 89.1.C.
Bilis an ſit calidior reliquis humoribus. ibid.
Bilis præternaturalis quot ſunt ſpecies, & quæ? 89.1. D.& 1.B.
Bilis porracea poteſt in ventriculo generari.89.2. C.
Bilis Vitellina vnde dicta? 89.2.B.
Bilis porracea à porrorum foliis ſic denominata. ibid.
Bilis Æruginoſa ſimilis eſt ærugini æris. ibid.
Bilis Cærulea & Iſatidea cæruleum colorem referunt. ibid.
Bilis Glaſtea, Cinaria, & Citrina an alias conſtituant ſpecies? 89.2.D.
Bilis maioris vel minoris famæ quid ſit, & vnde dicta? ibid.
Bilis atra ſit putredine aut vſtione ex bile aut melancholia. 90.2.C.
Bilis atræ quatuor ſunt ſpecies. ibid.
Vide *Melancholia.*
Febris non cauſatur à Bile naturali. 289 1.C.& ſeqq.
Bilem humorem dari in corpore ex vomitu flauæ & amaræ ſubſtantiæ plerumque conuincitur. 333.2. D.E.
Bilem, ex ictericis, ſeoſu & ratione dari conuincitur. 334.1.E.
Modernorum quorumdam Bilem dari ex icterico colore negantium rationes referuntur. 333. a. C. & ſequent.
Et ſoluuntur. 334 2.C.& ſeqq.
Bilem naturalem in venia dari ex tinctura lotij & aliis ſignis à poſteriori conuincitur. 335.2.B.C.& ſequent.
Contrariorum argumenta referuntur & diluuntur. ibid.1.& 2.E.& ſeqq.
Bilem in corpore dari ex quatuor Elementis probatur. 336.2.E.
Ex bile triplex genus febrium oritur. 380.1.B.
Bilis nomine ipſam bilem vel Ichoroſam ac Bilioſam ſubſtantiam intelligimus. 380.1.D.
Bilis ſincera putreſcens febrem exquiſitam cauſat. ibid.
Bilem euacuat ſanguinis fluxus ex naribus. 384.2.C.
Vide *febris ardens,& Cauſus.*
Ex Bile ſyncera an & quomodo poſſit oriri Tertiana exquiſita? 388.2.E.
Bilis ſincera dupliciter dicitur, ſinceritate permixtionis, & ſinceritate qualitatis. 389.1.A.
Bilis ſincera ſinceritate permistionis in ſolo folliculo fellis reperitur. ibid.B.
Bilis ſincera an appareat in eryſipelate? 388.2.E.& 389.1.B.
Bilis vitellina ſola alteratione poteſt fieri. 392.1. B.C.
Bilis vitellina cur ita dicatur? ibid.C.
Ex Bile & pituita poteſt fieri altera ſpecies bilis vitellinæ. ibid. a C.
Ex Bile vitellina Tertiana Nutha maioris famæ generati poteſt. ibid. D.
Bilis vitellinæ vltima hæc ſpecies qualis ſit. ibid.E.
Bilis vitellina in iis qui ſimul bile & pituita redundant reperitur. ibid. D.
Bilis dupliciter dicitur permiſceri reliquis humoribus qui cum illa faciunt bilem vitellinam cauſantem tertianam Notham. 393.2.C.& 393.1.C.D.
Bilis vitellina an fiat ex pituita & melancholia, formis corruptis, & noua ſuperueniente forma ſubſtantiali diſputatur. ibid.D.E.
Bilem vitellinam ex dictis humoribus non fieri per ſuperuenientem ſubſtantialem formam, reſoluitur. 394.1.A.& ſeqq.
Bilis mixtio vera & permixtio cum reliquis humoribus non ſunt idem. ibid.C.D.
Bilis vitellina non poteſt fieri niſi prædominante bile ſuper reliquos humores illi commixtos. 394. 2.B.
Bilis maiori ex parte eſt cauſa morborum magnorum. 416.2.B.
Bilis quos morbos præcipuè cauſare dicatur. ibid.
Bilis eſt admittenda in corpore humano. ibid.C.
Bilis eſt humor naturalis alendo vtilis. ibid.
Bilis duplex eſt, Naturalis & ſupernaturalis. ibid. D.
A Bile febris Tertiana fouetur. ibid.
Bili flauæ turgentia obiectiua & analoga contingere poteſt. 490.1.D.
Bili atræ obiectiua accidit Turgentia. ibid.E.
Bili atræ conditiones denegantur, quibus analoga proportione turgere dicatur. ibid.1.A.
Bilis atra & quælibet melancholiæ ſpecies vertuntur in venenum. 726.1.E.
Bilis duplex in ictericis. 655.2.C.

Bombilius.

Bombilius impugnat minoratiuam purgationem. 659.1.D.& ſeq.2.A.B.
Bombilius in ſuis impugnationibus ſuam detegit ignorantiam. ibid.2. E.
Bombilij fundamenta euertuntur, eiuſque error in praxi manifeſtatur. 660.1.A.B.
Bombilij fundamenta ideo expugnantur quia poſſunt eſſe errandi occaſio. ibid.1.C.
Bombilius ignarus purgationis minoratiuæ quam contendit repellere. ibid.E. & ſeq.
Bombilij ineptum fundamentum de febribus. ibid. a.E.
Bombilij fundamenta ex reſponſionibus ſoluuntur. 661.2.B.C.
Bombilius ſupponit nullum dari corpus ſanum. 665. 1.D.
Bombilij & authoris diſſidia & alternæ reſponſiones. ibid.1.E.& ſeq.664. & ſeq.
Bombilius fatetur in aliquo caſu ſanguinem ex pede eſſe mittendum. 665.1. B.C.
Bombilius ignarus hiſtoriæ anatomicæ. 666.1.B.C.
Bombilius hiſtoria anatomica conuictus. ibid.2.E.
Bombilij reliqua fundamenta euertuntur, & nullius ponderis habentur. 667.1.C.D.& ſeq.

Bonum.

Bonum in communi animalis nequit eſſe cauſa finalis ob quam immutatur pulſus in paſſionibus animæ. 632.1.E.

Brutum.

Brutis tribuitur rationalitas ab aliquibus dæmonis aſtutia deceptis. 704.1.C.D.

Bubo.

De bubonibus gallicis qui egerint. 591.1.B.C.
Bubones gallici ſunt affectus, qui proueniunt in partibus infernæ regionis, per defluxum humorum ad illas prouenientem à iecore tanquam à parte mandante. 591.2.C.
Bubo gallicus eſt humor præter naturam. 591.2.D.
In bubonibus gallicis ſemper expedit ſanguinem mittere ex pede. ibid.2.E.& 592.1.A.& ſeqq.
In bubone gallico non eſt reuellendus humor, & cur? ibid.B.E.
In bubonibus gallicis humores, quia venenoſi, petunt ſeparari à parte principe, & retrahi in ignobiles & diſtantiores partes. 592.1.C.
In bubonibus gallicis eadem ratio eſt mittendi ſanguinem, quantum ad locum: ac in peſtilentibus. 592.1.D.
In bubonibus gallicis in propria emunctoria venenoſos humores trudentibus non vtimur communibus indicationibus, & cur? 592.2.A.
In bubonibus gallicis licèt euacuatio videatur ſymptomatica, vtilis eſt & petit iuuari. ibid.
Bubones gallici ſi complicentur cum aliis affectibus petentibus ſanguinis miſſionem ex brachio, qua parte ſit exercenda? dubitatur. ibid.2.C.
Vide *Indicatio.*
In Bubonibus gallicis complicatis cum aliis affectibus, præſtantior eſt indicatio ad inferiores partes reuellendi. ibid.2.E.& 593.1.A.
In bubonibus gallicis complicatis maior ſequitur vtilitas ſanguine miſſo ex pede. 593.1.D.
In Bubonibus gallicis & gonorrhœis, ſanguine miſſo ex pede, iuuatur natura ad humores propellendos in ſua emunctoria. ibid.& E.

C

Cacao.

Cacao apud Indos, & alias regiones calidas. 732.2.C.
Cacao temperamentum. Ibid.2.D. & ſeq.

Cacochymia.

Cacochymia ab antiquioribus Medicis parum cognita. 417.1. B. & ſeqq.
Cacochymia vitium dicitur in Quali ſuperueniens cuicumque humori ſeparato à ſanguinis commixtione. ibid.2.E.& 418.A.B.
Cacochymia eſt vitium ratione cuius indicatur purgatio. ibid.2.E & 418.1.A.
Cacochymia non eſt dicenda vitium in Quali ſuperueniens ſanguini, reliquiſve humoribus illi commixtis. ibid.1.C. & ſeqq.
Cacochymiam maximè callere debent Medici ad diſcernenda purgationis indicantia & phlebotomiæ. 438.1.D E.
Cacochymiæ ſanguinis mittendi indicatio denegatur. Ibid.1.D.& ſeqq.
Cacochymus humor eſt obiectum facultatis expellentis, & petit purgari. 449.1.B.C.
Cacochymia quale vitium? ibid.E.
Cacochymia quid ſit ex Celſo? 481.1.C.
Cacochymia corruptelam ſonat apud Latinos & Barbaros? ibid.
Cacochymiam nonnulli confundunt cum plenitudine ſecundùm quid dicta. Ibid.E.
Cacochymia quid ſit ex Sennerto. ibid.2.A.
Cacochymiæ ratio ab Authore dilucidatur. ibid.D.
Cacochymia & Plethora ſunt duæ proprietates in humoribus ſuperuenientes. 481.2.B.C.
Cacochymia eſt vitium in humoribus, ratione cuius indicatur in morbis magnis purgatio. 482.2.E. & 2.A.
Cacochymiæ noua definitio adducitur ab Authore & explicatur. 483.2.A.& ſqq.
Cacochymiæ definitio Galenica declaratur. ibid.2.E.
Cacochymia & Plethora in quo differant. 484.1.A.
Cacochymia & Plethora poſſunt ſimul & ſeorſum reperiri. ibid.D.
Indicatio à Cacochymia deſumpta præualet ei quæ ſumitur à plenitudine. ibid.2.E.
Cacochymiæ materia eſt malignior quàm plethoræ. ibid. & 485.1.A.
Cacochymia humorum duplex in prima regione oriri poteſt. ibid.2.E.
Cacochymia in ventriculo alia eſt acidorum ſuccorum, alia nidoroſæ ſubſtantiæ. ibid.2.B.
Cacochymia ſuccorum in ventriculo fit ob viciatam coctionem. ibid.
Cacochymiæ plures ſunt ſpecies, quæ genericè ad nidoroſam & acidam ſubſtantiam reduci poſſunt. ibid.D.
Cacochymiæ natura declaratur. ibid.E.
Cacochymia quadruplex reperiri poteſt in ſecunda regione. 486.2.C.
Cacochymiæ differentiæ in ſecunda regione tot ſunt quot ſubſtantiæ ſeparabiles à ſanguinis commixtione. ibid.
Cacochymiæ differentiæ deprehenduntur, quæ in ſecunda regione eaſdem etiam in tertia regione reperire eſt. ibid.2.D.
Cacochymia variis modis inducitur in ſuccis. 487.2.A.
Cacochymiæ ratio deterior in humoribus quæ dicatur? ibid.B.C.
Cacochymia interdum reperitur ab initio in ſuccis, interdum ſuperuenit. ibid.D.
Cacochymiæ cauſæ internæ adducuntur. ibid.
Cacochymiæ cauſæ externæ quinque referuntur. ib. 2.B.C.
Cacochymia nuda quæ dicatur? 507.2.E.
In Cacochymia nuda ſtatim indicatur purgatio. ibid. & 508.1.A.B & ſeqq.
Cacochymia & Plethora concurrentibus quale remedium ſit celebrandum? ibid.D.&c. & 484.2.E.
Cacochymia non eſt vitium alterius humoris à ſanguine qui alendo ſit inutilis, donec talis humor deſinat eſſe pars maſſæ ſanguinariæ. 654.2.D.
Cacochymiæ ratio in quo conſtituatur ex Galeno. 655.1.C.D, & ſeq.

Caliditas.

Caliditas aut frigiditas ſunt differentiæ temperamenti, non pulſus. 623.2.B.

Calor, Calidum.

Partes corporis quænam calidiores. 54.2.D.
Vide *corporis partes.*
Semen eſt ſanguine calidius, & cur? 54.2.D. & 55.1.C.
Calidum & Humidum conſtituit puerum. 55.2. B.
Calor natiuus eſt qualitas connaturalis animæ illi debita ad ſui conſeruationem. 70.1.D.
Calor qua ratione reſoluat. ibid.& 75.1.A.
Putredo an fiat à calore naturali putreſcentis, vel ab extraneo. 70.1.E.& 75.2.G.
Calor qui nos viuificat, nos occidit. 70.2.B.& 2, B. & ſeqq. 4
Calor naturalis eſt opifex ineuitabilis reſolutionis in homine. 70.2.C.
Caloris, à quo humanum corpus nominatur calidum, multiplex acceptio refertur. 110.2.D.

Calns natious ex calido innaro ortus qualia ſit. 552. 3.E.
Calor natiuus ignens & elementalis probatur. ibid. 2.C.
Calor productus in viuente virtute elementali producitur. ibid.
Calor animalia poteſt remitti à frigiditate. ibid.D.
Calor cœleſtis an ſit eiuſdem naturæ ac Elementalis. ibid.E.
A calore naturali qua ratione operationes diuerſæ perfectioreſque fiant. 513.3.B.
Calor natiuus eſt, quo viount omnia animalia. 112. 2.A.
Calor Calidi innati diuinus dicitur. 131.3.& 2.E.
Doctores de calido ionato tractantes referuntur. 110.1.D.
Calidum innatum variis rationibus impugnatur. 111.1.B.C.
Calidum innatum ob quas ratiooes recipiendum? ibid.D.
Calidum innatum an ſit pabulom Humidi radicalis. ibid.1.C.& 2.A.
An ſine Calido innato, quædam animalia viuere poſſint? 116.3.C.& 2.B.
Calidum inoatum & Humidum radicale an ſe penetrent? 115.3. B.& E.
Calidum innatum variis modis à Doctoribus accipitur. 133.2.C.D.
Calidi innati vera diffinitio. ibid.E.
Calidum innatum cur dicitur ſpiritus implantatus. 122.1.C.
Calidum innatum cuius caloris ſit particeps? 532.2. C.& ſeqq.
Calidum innatum ad varios fines requiritur. 533. 1.E.
Calidum innatum producit calorem mitem cum humiditate coniunctum & proportioonatum ad vitam. 513.2.B.C.
Calidum Innatum fit ex partibus aëreis quæ in ſanguine & ſemine abundant. 114.1.B.
Calidum innatum quod rependitur non reponitur per humidum radicale. 135.1.C.
Calor quo facoltas concoctrix vritur, eſt indifferens ad benè vel malè operandum, & à quo determinetur? 211.3.A.
Calor excedens eſt febris pro materiali. ibid.B.
Calor in corpore a ſpiritibus conſeruatur. 260.1.A.
Calor eſt cauſa tractionis humorum in partes. 263. 1.A.& ſeqq.
Calor eſt cauſa trahendi dupliciter. ibid.B.
Calor congregat homogenea, & diſgregat heterogenea. 262.1.E.& 2.A.
Calore attarante partes, homores mouentur ad illas ne detur Vacuum. ibid.D.
Calor eſt maximè neceſſarius in Iuoentute pro ſuis actionibus. 276.1.E.
Calor non per ſe, ſed diſpoſitiuè humores attrahit. 521.3.A.
Calor in ordine ad eleuandum vaporem ſecundùm quatuor gradus conſideratur, qui explicantur, 538.1.A.B.
Calor robuſtus proportionatus eſt cauſa efficiens copioſæ euaporationis præerequiſitæ pro ſudore naturali. ibid.2.D.E.
Calor producit raritatem & leuitatem. ibid.E.
Calor variis modis excitat ſudorem. 539.1.A.
Calor in pueritia, adoleſcentia, & iuuentute, quamuis intenſior non cauſat ſudorem. ibid.
Quatuor caloris gradus conſiderantur in ordine ad ſudorem. ibid.D.
Calor neceſſarius ad animæ actus. 632.2.E.

Calor febrilis.

Calor in febre Hectica extraneatur à principio intrinſeco. 276.1.E.
Calor febris Hecticæ eſt habitualis. ibid. E.
Calor febris Diariæ & humoralis eſt ſolùm per modum diſpoſitionis. ibid.
Calor qui a corde communicatur, vnde dicatur Vitalis? 277.2 E.
Calor independenter à corde fit febrilis. 279.2.C. & ſeqq.
Calor ab ira procedens & excedens an ſit dicendus febrilis? 282.1.A.& ſeqq.
Calor ex labore an ſit febrilis. ibid.
Calor naturalis & præternaturalis quomodo differant? 284.1.D.
Calor qui eſt febris entitatiuè, non poteſt diuidi diuiſione accidentis in ſubiecta per ordinem ad ſpiritos, humores, & partes viuentes. 287.1.B.
Calor febris Hecticæ eſt præternaturalis. 313.2.D. & ſeqq.
Vide *Hectica*.
Calor ab anima ortus quomodo poteſt eſſe naturalis & præternaturalis? ibid.E.
Calor Hecticus eſt habitualis. 312.1.E.
Calor Hecticus an ſit æqualis? ibid.2,D.& ſeqq.
Calor Hecticus quomodo dependeat à cauſa interna? 314.1.D.& ſeqq.
Calor Hecticus poteſt intendi & remitti, idque ab intrinſeco. 316.2.B.
Calor febris Hecticæ eſt remiſſior quàm febris ardentis. ibid.2.C.
Calor Hecticus difficilius remouetur à ſubiecto. ibid.D.
Calor febris ardentis tranſit in Hecticum. ibid.
Calor febrilis fit difficilè mobilis à ſubiecto, non ex intenſione, ſed ex modo quo inhæret. 317.1.A. B.
Idem calor poteſt eſſe naturalis & præternaturalis in corpore ſub diuerſo reſpectu. 341.1.B.
Calor eſt ratio generica & eſſentialis Febris. 273.2. C.& ſeqq.
Calor vnde fiat extraneus & febrilis? 274.2.A. & ſeqq.
Calor febrilis fit præternaturalis dupliciter. ibid.D.
Calor febrilis eſt in partibus interois, etiam dum fatigua ſentitur in actione. ibid.E.
Calor febrilis fit non ſolùm noua acquiſita intenſione, ſed etiam modificatione læſiua operationum. ibid. 2.D.
Calor extraneus & febrilis fit duobus modis, intenſione & modificatione. 274.1.E.& ſeqq.
Calor febrilis per nouam intenſionem an fiat à principio intrinſeco? variæ referuntur opiniones & dubitandi rationes. 275.2.B.& ſeqq.
Modus, quo calor febrilis petit communicari explicatur. 280.3.C.& ſeqq.
Calor febrilis prout abſtrahit à calore, qui entitatiuè eſt febris, benè diuiditur diuiſione accidentis in ſubiecta per ordinem ad ſpiritus, humores,& partes viuentes. 287.1.D.

Calx.

In calce ex perfuſione aquæ reſultat ignis, & cur? 321.2. C.

Caro.

Caro qua ratione dicitur pars ſimilaris? 227.1.A.
Caro ratione formæ dicitur pars organica. ibid.B.

Catharctica.

Catharctica medicamenta non leuia habent incommoda. 510.1.C.

Cathartica pharmaca vt venenoſa reiicit Van Helmont. 516.1.E. & 2.A.

Catharticorum medicamentorum cognitio Medico maximè neceſſaria. ibid.2.D.E.

Cathartica medicamenta debito modo ſumpta vtilia ſunt. 510.2.B.C. & 516.2.E.

Cathartici medicamenti definitio traditur & explicatur. 517.1.D.

Catharticum propriè quid? ibid.C.

Cathartica ſelectiua non habent vim generandi humores. 519.1.C.

Catharticis ſelectiuis ſolam irritandi facultatem tribuebant antiquiores Medici pro exequenda purgatione. ibid.2.B.

Cathartica ſelectiua non exequuntur purgationem ſola irritatione. ibid.2.E. & 520.1.A.& ſeqq.

Cathartica propria vi proprium ſeu ſimilem attrahunt humorem moderata quantitate exhibita. 520.1.C.

Cathartica in maiori doſi oblata quomodo humores attrahant? ibid.

Cathartica operari manifeſtis primis aut ſecundis qualitatibus plures tenent, ſed diuerſimodè, quorum placita referuntur. 520.1.D.E. & 2.A.B.

Cathartica vim ſuam non exerunt prædictis modis. ibid.1.C. & ſeqq.

Catharticis vim attrahendi aliqui tribuunt ratione contrarietatis. 521.1.D. & ſeqq.

Catharticorum vera attrahendi ratio in quo conſiſtat reſoluitur. ibid.2.C. & ſeqq. & 522.1.A.& ſeqq.

Inter Catharticum ſelectiuum & humorem, quæ ſimilitudo eſſe debeat? ibid.C.D.& 521.2.C.

Cathartica qua ratione purgent humores ex Ariſtotele? ibid.1.E.

Cathartica humores attrahunt facultate occulta & à tota ſubſtantia dicta. ibid.2.B. & ſeqq.

Cathartico non quilibet humor indifferenter, ſed determinatus mouetur. ibid.C.

Catharticum humores attrahit ſicut planta alimentum. ibid.

Cathartica qua ratione ad humores perueniant & ipſos attrahant? deciditur. 525.1.E.& ſeqq.

Cathartica integros attrahere humores, non autem putridos tenuit Zacutus. ibid.2.D.E.

Cathartica putridos humores attrahere reſoluitur. 526.1.B.& ſeqq.

Cathartica ſunt à natura deſtinata in ſalutem humanam in quantum valent humores à corpore expellere. ibid.C.

Cauitas.

Cauitatis morbus dupliciter contingere poteſt. 221.2.D.

Cauitatis morbus an diſtinguatur à morbo in Via. ibid.

Cauſa.

Nihil eſt in effectu quod non ſit in cauſa. 123.2.E. & 124.1.B.

Cauſa formaliter aut virtualiter continere debet quod producitur in effectu. ibid.1.B.

Cauſa eſt rerum omnium fons perennis. 240.1.A.

Cauſæ morbi cognitio principaliter requiritur ad illius curationem. ibid.

De cauſis morborum agunt Hippocrates, & alij relati. ibid.

Cauſæ acceptio multiplex eſt. ibid.C.D.

Cauſam materialem non habet morbus formaliter ſumptus. 240.2.D.

Cauſæ quatuor requiruntur pro cuiuſuis entis generatione. 240.1.A. & 241.1.B

In cauſa efficienti quomodo rerum omnium formæ & entitates lateant. ibid.C.

Morbus non habet cauſam formalem phyſicam per quam fiat. 241.2 A.B.

Morbus formaliter ſumptus non induit rationem cauſæ finalis. 242.1.B C.

Cauſam efficientem morbus habet. ibid.2.A.B.

Omnis cauſa efficiens operatur propter finem. ib.2. E.& 2.B.

Cauſa efficiens morborum quæ ſit iuxta varios Doctores. 242.2.C.

Cauſa morbi illa eſt quæ naturalem euertit corporis conſtitutionem. ibid.D.

Cauſæ nullæ morborum admittendæ quæ ad efficientem non reducantur. 243.1.B.

Cauſa inſtrumentalis morbi ad efficientem reducitur. ibid.E.

Cauſa rectè diuiditur in cauſam per ſe, & cauſam per accidens, etiam reſpectu morborum. 243.2. D.

Cauſa per ſe eſt illa à qua vt tali prouenit effectus. ibidem.

Cauſa per accidens eſt à qua, ſed non vt tali, producitur effectus. ibid.

Cauſæ morborum aliæ Totales dicuntur, aliæ Partiales: item aliæ Proximæ, & aliæ Remotæ. 244.1.A.B.

Cauſæ morbificæ præcipua diuiſio eſt in Internam & Externam. ibid.

Cauſa Interna ſubdiuiditur in Antecedentem & Coniunctam. ibid.

Cauſa Externa multis nominibus donatur. ibid.

Cauſa Procathartica ſtrictè & latè vſurpatur à Galeno. ibid.

Cauſæ Procatharticæ variæ definitiones referuntur. ibid.C.

Cauſa Procathartica definitur ab Authore. ibid. D.

Cauſa Procathartica differt à cauſa Interna. ibidem 2.B.

Cauſa Procathartica antecedit ad Internam. ibid.

Cauſæ Procatharticæ morbi cur non in omnibus illum efficiant. 244.1.D.& 2.C.

Cauſæ internæ antecedenti non eſt intrinſecum quod ſit tantùm cauſa in actu primo. 245.1.B.

Cauſa Antecedens poteſt aſſignari quæ nunquam fiat cauſa Coniuncta, & viciſſim. ibid.C.

Cauſa Antecedens & Coniuncta ita ſe habere poſſunt intra corpus, ſicut ſe habent extrà. ibid.

Cauſa in actu ſecundo eſt quæ actu influit in effectum. 244.2.E.

Cauſa tam Antecedens quàm Coniuncta in ſuo ordine quælibet influit in actu ſecundo. 245.1.D.

Cauſa Antecedens dupliciter dici poteſt. ibid.E.

Cauſa Antecedens variis modis definitur. ibid. & 2.A.

Cauſa continens à Stoicis fuit recepta, & à Galeno admiſſa. 245.2.C.

Cauſa continens quæ dicatur apud Antiquos. ib.D.

Cauſa continens à quibuſdam impugnatur. ibid.& 246.1.A.B.

Cauſæ particulares continentes admittuntur in rebus. ibid.C.

Cauſa continens particularis quæ? ibid.

Cauſa particularis continens morborum admittenda. ibid.D.E.

Cauſa continens vniuerſalis Stoicorum impugnatur à Galeno. 245.2. E. & 246.1.E.

Cauſam Continentem & ſui eſſe conſeruatiuam non ſolùm res ſucceſſiuæ petunt, ſed etiam res aliquæ permanentes. 246.2.B.C.

Cauſæ Continentis definitiones ex Galeno adducuntur. 246.2.D.
Cauſa continens magis propriè ab Authore definitur. ibid.D E.
Cauſæ continentis definitio ab Authore data explicatur. 247.1.A.
Cauſam continentem ſolùm intendit explicare Galenus à poſteriori. 246.2.D.& 247.1.B.
Cauſam continentem cum Coniuncta nonnulli confundunt. 247.1.E.
Cauſa continens quomodo differat à Coniuncta? ib. 2. C.& ſeqq.
Cauſam continentem habet morbus formaliter ſumptus. 248.1.E.
A Cauſa continente pendent entitates ob varias rationes; de quibus. 248.1.& 2.D.
Cauſam continentem habet quælibet intemperies habitualis. 249.1.C.D.
Cauſam continentem an & quando habeant morbi in mala compoſitione. ibid.2.D.
Cauſam continentem non habet ſolutio continuitatis. 250.1.B.
Cauſæ morbi calidi quot ſint? ibid.1. D. E.& 2. C.& ſeqq.
Cauſæ morbi calidi tot ſunt à quibus diuerſa ſumitur indicatio curatiua. ibid. 2.E. & 251.1.B.
Cauſa morbi calidi quomodo ex motu locali deſumitur? 251.2.C.& ſeqq.
Cauſa morbi calidi alia eſt ex paſſionibus animæ. 253.1.C.& ſeqq.
Inter Cauſas morbi calidi etiam annumeratur vicinia rei calidæ. 255.2.B.& D.
A Cauſæ calidæ vicinitate peculiaris ſumitur indicatio curatiua pro morbo calido. ibid.D.
Cauſa morbi calidi eſt alimentum calidum, 256.1. D.
Ad cauſas morbi calidi putredo refertur, & quomodo? 256.2.A.& E.& ſeqq.
Inter cauſas morbi calidi Adſtrictio ſeu obſtrictio recenſetur. 258.2.B. C.
Cauſæ morborum frigidorum referuntur & probantur. 259.1.A.& E.& ſeqq.
Cauſæ morbi ſicci quot ſunt? 260.1.B.& ſeqq.
Cauſæ ſiccitatem inducentes explicantur. ibid.E.
Cauſæ morborum humidorum reducuntur ad quatuor. 260.2.E.
A cauſis diuerſis complicatis compoſita intemperies fieri petit. 261.1.C.E.
Cauſæ vniformes quæ ſunt? ibid.& 2.A.
Cauſæ compoſitæ, à quibus compoſita cauſatur intemperies, interdum impeditæ ſunt à contrariis, interdum non. ibid.B.
Cauſa intemperiei cum affluxu materiæ traditur. 261.2.C.E.
Cauſa febris Hecticæ quid & quotuplex? 318.1. D. & ſeqq.
Vide *Hectica.*
Cauſæ à natura determinatæ vt moueant ſanguinem quæ. 608.1.B.
Cauſæ accidentales frigidorum aliæ intrinſecæ, aliæ extrinſecæ. 708.2.B.C.
Cauſæ mortem repentinam inducentes conſumpendo calorem vitalem. 718.

Cauſus.

Cauſus eſt febris ardens ſic dicta à nimio incendio. 380.1.B.
Cauſus alia eſt quæ fit ab ipſa bile putreſcente in vaſis mainibus & cordi propinquis. ibid.
Cauſus alia eſt quæ fit ex ichoribus attractis à venulis reſiccatis. ibid.
Vide *Febris Ardens.*
Cauſus non ſolùm ratione vſtionis, ſed etiam putredinis fieri poteſt. 382.2.B & ſeqq.
Cauſus in quo differat à Tertiana Continua? ibidem & E.
Cauſus fit à bile vſta aut putrefacta in vaſis cordi proximioribus. 383.1.B.& ſeqq.
Cauſus in quo conueniat cum Tertiana continua & differat. 383.2. B.
Cauſus differt à Tertiana Continua maximè per calorem ardentiſſimum & ſitim inextinguibilem. ibid.C.E.
In Cauſo & aliis humoralibus ſanguinis miſſio ex quocumque brachio aut vena fieri poteſt. 385.1. B.& ſeqq.

Cauterium.

Cauteriorum vſus antiquus vſque ad noſtra tempora in Medicina receptus. 682.2.B.C.

Cerebrum.

Cerebrum eſt origo neruorum. 78. 2.A.& 98. 1.C.
Cerebrum eſt pars vna corporis princeps. 98.1.C.
Cerebri ſubſtantia qualis. 101.1.E.
Cerebrum quomodo influat in partes ſubiectas. 101. 2.E.& 102.2 C.
Cerebri influens qualitas vna. 104. 1.A.
Cerebrum ita ſe habet ad qualitatem neceſſariam pro ſenſu & motu, ſicut Cor pro motu arteriarum. 106.2.E.
In Cerebro ſpiritus animales ad quid requirantur? 107.1.C.& D.
Cerebri ſubſtantiâ denudatâ à cranio & meningibus, animal non priuatur ſenſu & motu. 106.2. A. & 107.1.B.
Cerebrum eſt principium ſenſus naturalis. 107. 2.E.
Cerebrum influentem qualitatem in reliquas partes communicat irradiatione. 108.2.D.
Inter Cerebrum & Cor quæ differentia quoad vitæ conſeruationem. 135.1.D.& 136.1.B.
Cerebri influxu deficiente non deficit vita. 136. 1.B.

Chocolate.

Chocolate quid ſit, & ex quibus componitur hæc Indica confectio. 732.1.E.
Chocolate confectionis fundamentum & baſis. ibid. 2.B.
Chocolate diuerſæ compoſitiones. 733.1.B.
Chocolate temperamentum eſt iuxta varias illius compoſitiones. ibid.E.
Chocolate ratione Cacao calidum in primo gradu. ibid. 2. A.B.
Chocolate ſumptum ſub forma potus, induit tamen rationem cibi. 734.2.C.
Chocolatis potus an frangat ieiunium? 735. 1.C.
Chocolate ſumptum ad roborandum ventriculum & alios vſus medicinales non frangit ieiunium. ibid.
Chocolate frangit ſemper ieiunium niſi ſumatur in parua quantitate. 736. 1.B.

Chriſtianus.

Chriſtianus maxime dedecet cum dæmone commercium. 705.1.B.
Chriſtiani ad Deum ſemper recurrere debent, etiam ad tollenda maleficia. ibid.D.

Chylus.

Chylus non defertur à ventriculo in iecur per venas meſeraicas. 597.2.E.
Chylus per quas vias deferatur à ventriculo in iecur? 598.A.& ſeq.
Chyli ſubſtantia an tota feratur in iecur. 598.1.E.

Chyli aliqua pars fertur ad lienem. 598.2.E. & ſeq.

Chirurgus.

Chirurgi in præſagiendo de vulneribus apud Iudices quanta debeat eſſe ſolertia. 718.2.C.

Cibus.

Cibus vtilis præſcribitur in febribus. 368.2 A.& ſeqq.

Cibus ægrotis offerendus, qui à viribus Indicatur vt nutrimentoſus, & à morbo vt medicamentoſus. ibid.

Cibus eſt neceſſarius ad vitæ conſeruationem, ibid.B.

Cibum appetit natura vtilem in debita temperie conſtituta. ibid.E.

Cibus paruus & bonus eſt offerendus iis qui impura habent corpora. ibid.

Ciborum prauorum ex quibus praui humores generantur, duo ſunt genera. 487.1.A.

Cibus quilibet admixtam habet potus ſubſtantiam. 733.2.E.

Cibi immoderatè ſumpti varia exempla. 741.1. D.E.& ſeq.

Circulatio.

Circulatio ſanguinis quomodo fiat. 595.1.C.596. 1.& 2.A.

Circulatio ſanguinis ab aliquibus negatur. ibid.

Eorum fundamenta. ibid.B.C.& ſeq.

Circulatio ſanguinis neceſſario admittenda & vtilis demonſtratur. ibid.E.

Circulationem ſanguinis quæ corporis partes præcipuè oſtendant neceſſariam. 596.1.B.& ſeq.

Circulationis ſanguinis neceſſitas oſtenditur ex fine. 597.1. B.

Circulatio ſanguinis Galeno ignota. 602 1.E.

Circulatio ſanguinis per quas vias exerceatur. 602. 2.E.

Clima.

Clima quid ſit, & quotuplex, quæ latitudo, & quæ ſit diſtantia poli? 51.2.C.& ſeq.

Secundùm diuerſa climata diuerſæ ſunt temperies. ibid.

Clima quod ſit aptius pro conſeruando natiuo temperamento? 51.1.B.& 52.1.D.

Sub ſuo climate quiſque melius degit & conſeruatur. ibid.

Ab vnoquoque authore ſuum clima laudatur. ibid.

Clima ſeu natale ſolum in longis morbis vnicum plerumque remedium. ibid.E.

Clyſteres.

Clyſterium vſus maximè vtilis & neceſſarius pro febribus & aliis morbis curandis. 365.1.E.

Clyſteres, Enema, Infuſiones, & Immiſſiones ſynonyma ſunt. Ibid.

Clyſteris vox ſumitur pro iniectione ſubſtantiæ liquidæ in aliquam corporis partem. ibid.

Clyſteres alij ſunt Auriculares, ſeu otenchytæ. ibidem 2.A.

Alij dicuntur Siphones ſiue Catheres. ibid.

Alij Metreochytæ. ibid.

Clyſteres tamen propriè dicuntur qui in inteſtina iniiciuntur, quorum etiam variæ ſunt differentiæ, quæ referuntur. ibid.

Clyſterium vſus omnium Medicorum & Philoſophorum aſſenſu, experientiâ, & ratione comprobatur. ibid.B.

Clyſterium vſus naturali inſtinctu quibuſdam animalibus inditus eſt. ibid.C.

Clyſterium vſus maximè imitatur naturam. ibid.D.

Clyſterium vſum inutilem eſſe probare nititur Van-Helmont. 365.1.A.& ſeqq

Eius conatus euertuntur. ibid.2.E.& 366.1.A.& ſeqq.

Coalitus.

Coalitus morbum inducit in corpore & quomodo? 225.1.D.& 2.A.B.

Coctio.

Coctiones tres præcedunt in alimento. 77.1.E.

Quod coquitur redditur ſimile parti concoquenti & quomodo? 120.2.E.

Quod per Coctionem generatur in corpore ſit materia nutritionis partis concoctricis. ibid.

In qualibet coctione duo reſultant excrementa. 121. 1.A.

Per Coctionem ſpiritus generantur. ibid.B.& ſeqq.

Quæ coquuntur calidiora euadunt. 121.2.D.& 122.1.C.

Coctio duplex eſt. ibid.

Quæ per coctionem à determinata parte producuntur, non poſſunt ab alia produci quæ non ſit omninò ſimilis in ſubſtantifica temperie & modo ſubſtantiæ. 124.1.E.

Coctione diſcernitur vtile ab inutili. 134.1.C.

Coctionis læſio in ventriculo quando dicitur ſymptoma. 200.2.D.

Coctio eſt indicium, quo tempora morborum vniuerſalia cognoſcuntur. 237.2.D.

Vt coctionis ſignis fidat Medicus, quæ requirantur? 238.1.C.

Coctio maturationem, aſſationem, & elixationem continet. 480.in paraphraſi, verbo, *Concocta*.

Coctio duplex eſt. ibid.

Coctam materiam requirit Hippocrates ad purgationem. ibid.*verbo*, *Ac mouere*.

Coctio ventriculi & alia quælibet tripliciter lædi poteſt. 485.1.E.

Coctione non præcedente exerceri poteſt purgatio lenitius. 495.1.D.& ſeqq.

Coctione non exſpectatâ, ſeroſa ſubſtantia ſtatim purgatur. 495.2.E.

Coctione non præcedente in morbis ex nuda humorum cacochymia pendentibus, poteſt fieri purgatio. 496.2.A.& ſeqq.

Coctio regulariter requiritur ante purgationem lectiuam in febribus. 498.1.C.& ſeqq.

Coctio humorum duplex eſt, alia in inuatiuo, & alia in occitiuo. ibid.2.B.& 551.1.D.

Coctioni humores ſeroſi & tenues inepti ſunt. ib. C.

Coctionem ſicut natura, ita & Medicus exſpectat ad purgandum. ibid.D.

Coctio quomodo requiratur ad medicamenti purgantis exhibitionem, diſcutitur & reſoluitur. 527. 2.D.E.& 528.1.A.& ſeqq.

Coctio duplex propria, & impropria, declarantur. ibid.2.A.

Coctio prima celebratur in prima corporis regione, ex qua duplex reſultat excrementum. 536.1.B.

Coctio ſecunda perficitur in ſecunda regione ex qua triplex reſultat excrementum. ibid.C.

Coctio tertia fit in tertia regione ex qua duplex reſultat excrementum. ibid.

Coctionis ſigna debent præcedere in ſudore critico ſalutari. 550.2.E.

Coctio prærequiritur pro omni criſi ſalutari. 551. 1.B.

Coctionis ſigna in latio alia ſunt perfecta, alia imperfecta. ibid.C.D.

Coctio vitiata non ſemper prouenit ex frigiditate ventriculi. 681.1.B.

Coïtus.

Coïtus hominis indeterminatus non arguit eiuſdem

indeterminatum naſcendi tempus. 699.1.E.

Cælum.

An conſtet quatuor Elementis. 12.1.D.
Cœli corruptibiles ſunt. 12.2.E.
Cœli facti ſunt ex eadem materia ac rerum ſublunarium. 13.1.A.
Cœli ſunt corpora ſimplicia. ibid.B.
Cœlum habet homogeneam naturam, & Aſtra, & ſtellæ. ibid.C.
Cœli ſunt tantùm tres Æthereum, Sidereum, & Empyreum. ibid.D.
Cœli & Aſtra ſunt entia diuerſa. 13.2.A.

Conſeruatio.

Conſeruationem petit Sanitas, quæ ex fluxili pendet fundamento. 190.2.B.
Conſeruatrices cauſæ Sanitatis indagantur. 190.1. & 2.E.& 192.1.& 2.A.& ſeqq.
Conſeruatio per ſe fit à ſimili. 192.2.A.& E.
Conſeruatio duplex eſt. ibid.
Conſeruatio Sanitatis per cauſas non naturales eſt indirecta & per accidens. ibid.
Conſeruatrices cauſæ Sanitatis pugnant cum temperie noſtri corporis. 192.1.C.

Conſiſtentia.

Conſiſtentia ſeu virilitas quæ ætas ſit. 65.1.E.
Conſiſtentia eſt medietas vitæ humanæ. ibid.
Conſiſtentia & virilitas vnde dicantur? 65.1.A.
Conſiſtentiæ temperies qualis? ibid.C.
Conſiſtentiam à Iuuentute non diſtinguunt Iuriſconſulti. ibid.B.
In conſiſtentia calor & frigiditas ad mediocritatem perueniunt, & quomodò? ibid.C.& D.

Conſtitutio.

Conſtitutio Corporis tribus conſtat. 201.2.A.
Conſtitutio duplex reperitur in viuente. 203.2.C.
Conſtitutio morborum eſt determinata morbi curatio ſecundùm ſua tempora vniuerſalia. 236.1.D.
Conſtitutio morbi eſt ſignum commune, quo tempora vniuerſalia conjecturaliter cognoſci poſſunt. 237.1.D.

Conſtitutiuum.

Conſtitutiuum ſenſitiui gradus in quo conſiſtat ex Diuo Thoma. 619.1.E.

Conſuetudo.

Conſuetudo an idem ſit quod Temperamentum? 52.2.C.
Facultates naturales ex frequenti vſu veneni acquirunt conſuetudinem. ibid.2. D.& E.
Conſuetudo propriè ſumpta non differt à Temperamento ſubſtantifico acquiſititio. 53.1.A.
Conſuetudo eſt promptitudo ad ſimiles actus comparata ex longo rerum vſu. ibid.1.B.
Conſuetudo duplex eſt, propria & impropria. ibidem.
Conſuetudo diuerſo modo acquiritur in potentiis diuerſi gradus. ibid.& ſeqq.
Conſuetudo eſt altera natura. 53.2.C.
A Conſuetudine ſumitur indicatio pro morbis curandis. ibid.C.
Faciliùs curantur qui per conſuetudinem in morbum incidunt, quam qui per naturam. 52.2.D.& 54.1.C.
Conſuetudo eſt altera natura ſeu adſcititia. 444.1.B.C.
Conſuetudo in ſanguinis miſſione magna ex parte illam coincidat. ibid.E.& 2.A.& ſeqq.

Conſultatio.

Conſultationes omnibus fere operibus medicis interiectæ. 669.
Conſultatio prima, pro propugnanda potentia caſtratorum. 670.1.A.
Conſultatio ſecunda, de fontanela Principi Hiſpaniarum vtili, & neceſſaria pro eius vitæ conſeruatione. 675.2.C.
Conſultatio tertia, de præcautione inſultus epileptici in puerperio. 686.2.A.
Conſultatio quarta, de primo epilepſiæ inſultu qui vitam ſuſtulit Sereniſſimi infantis Ferdinandi. 689.2.
Conſultatio quinta, de ſanguine mittendo in grauidis. 692.2.
Conſultatio ſexta de vlcere in tunica externa vteri. 696.2.D.
Conſultatio ſeptima, De vitalitate & perfectione partus Sereniſſimi Caroli Ioſeph, Hiſpaniarum Principis. 697.2.
Conſultatio octaua, de impotentia viri ex maleficio. 703.2.
Conſultatio nona, de nutrice ſereniſſimi Principis mutanda ob paruam lochiorum ſuperuenientem euacuationem. 706.2.
Conſultatio decima, de vteri geſtatione vltra duos annos cum variis accidentibus. 711.1.
Conſultatio vndecima, de vulnere capitis cum cranij læſione, & ſuſpicione veneni. 717.1.
Conſultatio duodecima, de triſtitia & morte ſuperueniente commotâ melancholia. 722.2.
Conſultatio decimatertia, de dyſuria, iſcuriáque per plurimos dies permanente, & lapidoſo mictu terminata. 728.1.
Conſultatio decimaquarta, de chocolate, eius vſu, & quam potus habeat rationem. 732.1.
Conſultatio decimaquinta, de repentina morte ducis Vcjar. 736.
Conſultatio decimaſexta, de ægro per decem & octo dies abſtinente à cibo. 740.
Conſultatio decimaſeptima, de Scholaſtico patiente varios ac periodicos motus conuulſiuos, qui energumenus apparuit. 743.
Conſultatio decimaoctaua, de patiente ventris adſtrictionem. 750.

Continens.

In Continentibus, contentis, & impetum facientibus duæ ſunt cauſæ, vt calor febrilis ſit habitualis. 293.2.B.C.
Continentium, contentorum, & impetum facientium vſtio & putredo peruertunt temperamentum. ibid.D.
In Continentibus putredo, reſolutio, & vſus calidi alimenti temperamentum ſubſtantificum peruertunt. ibid.E.
Febris adæquata diuiſio fit per ordinem ad continentia, contenta, & impetum facientia. 288.1.D.
Continens cauſa. Vide *Cauſa.*

Continuum, Continuitas.

Continuum quid ex Ariſtotele. 228.1.E.
Continuitas duplex eſt. ibid

Contractio.

Contractio, aut extenſio venarum & arteriarum componentium vaſa ſpermatica non impedit eorum vſum. 674.1.B.

Contrarium.

Duo contraria an poſſint ſimul eſſe vera. 41.2.E.& 42.1.D.
Contraria magis diſtant inter ſe quàm diſtare poſſunt duo contenta ſub vno contrariorum. 186.2.C.
Vni vnum eſt contrarium. 184.1.D.& 185.1.E.& 186.1.D.& 187.1.D.

Contrariè oppoſita debent ſub eodem genere collocari. 187.1.B.
Contrariorum contrariæ ſunt & oppoſitè differentiæ. 214.2.D.

Conuulſio.

Conuulſionis veræ & non veræ differentia. 745.2.B.C.

Cor.

Cor eſt origo Arteriarum. 78.2.A.
Cor eſt vna Corporis humani pars princeps. 97.2.E. & 98.2.B.
Cor eſt principium vitalis facultatis. ibid. & 98.B. & C.
Cor an ſit principium omnium facultatum? 97.2.C. & 98.2.D.
Cor qualiter influat in partes ſubiectas? 101.2.E.
A Corde mittuntur ſpiritus vitales. 103.1.A. & 2.C.
A Corde vna tantùm influit qualitas. 104.2.C.
A Corde ſola irradiatione communicatur influens qualitas. 108.2.C.
Cor indiget calore à ſpiritibus communicato. 125.2.B.
Cordis reſolutio ineuitabilis à ſpirituum calore fit in ſtatu naturali. ibid.C.
Cor etiam pro ſeipſo ſpiritus vitales generat. ibid.D.
Corde refrigerato præ gaudio quidam perierunt. ibid.D.
Cor eſt ſubſtantificè calidum. 124.2.A.
Cor eſt ſubiectum proprium facultatis vitalis per ſe. 155.1.E.
Sine Corde an poſſit vita in animali conſeruari. 135.1.A. & 2.E.
Corde extracto militem ſat diu vixiſſe: Hiſtoria. 155.1.B.
Cor ſi ſpatio trium pulſationum deficiat, deficit animal. 136.1.B.
Cordis motus ad quid neceſſarius? 140.2.D.
Cor calidiſſimum conſtituit natura, & ad quid? 276.1.E.
Cor in ſtatu naturali producitur cum temperie ſubſtantifica & qualitatiua ſibi connaturali. 276.1.D.E. & 2.C.
Calor calefit in paſſionibus animæ ex retroceſſu ſpirituum vitalium ad ipſum. ibid.2.D.
Cor in cadauere frigefit defectu ſpirituum. ibid.
Cordis concauitas minera generationis ſpirituum. 605.2.C.
Cor & arteriæ mouentur ab eadem facultate. 612.1.A.
Cor duplicem habet motum. 618.2.D.
Cor & arteriæ nequeunt ſimul dilatari & comprimi. 621.2.D.
Corde compreſſo dilatantur arteriæ, & è contra. 622.1.A. & ſeq.
Cor animæ domicilium. 595.2.B.
Cor inter principes corporis partes præſtantior. ibid.

Corpus.

Corpus fit rarum, quia ſub pauca quantitate magnas habet dimenſiones: è contra denſum, quia ſub magna quantitate paruas habet dimenſiones. 12.2.A.
Corpus rarum aut denſum fit ex occluſione, vel apertione pororum ibid.
Vide *Raritas.*
Corpus humanum diuiditur in continentia, contenta & impetum facientia, & quid hoc ſit? 91.1.B.
Vide *Corporis partes.* & *Pars Corporis.*
Corpus ſalubre deſcribitur ex Galeno. 582.1.A.
Corpus ſalubre quale ſit? ibid.2.A.
Corporis debita conſtitutio quibus conſtat? 202.2.A.
Corpus an minimis corpuſculis impaſſibilibus componatur. 109.2.C.
Corpora calida & ſicca ad quas febres ſunt aptiora. 295.2.D.
Corpora calida & humida magis diſpoſita ad febres putredine cauſandas. ibid.
Corpora quatenus à ſecundis qualitatibus fiunt rariora aut denſiora diſpoſitionem acquirunt ad febres plus minúſve. 294.1.B.
Corpora rara magis reſiſtunt febri Diariæ, aut Humorali à cauſis internis inducendæ. 294.2.B.
Corpora craſſiora magis reſiſtunt febri Diariæ, aut Humorali à cauſis internis inuehendæ. ibid.
Corporis habitus eſt in multiplici differentia. 442.1.D.
Corporis habitus gracilis magna ex parte contraindicat ſanguinis miſſionem. ibid.1.A.
Corpora gracilia ſunt in duplici differentia. ibid.2.E.
Corpus obeſum qualiter contraindicet venæ ſectionem. ibid.2.B.
Corporis habitus carnoſus cum venis latis, &c. coindicat ſanguinis miſſionem. ibid.D.
Corpus humanum variis modis conſideratur & diſtribuitur. 556.1.A.
In Corpore tres reperiuntur regiones pro excrementorum expulſione. ibid.B.
Prima corporis regio quæ dicatur, & quæ ſit eius functio? ibid.
Secunda corporis regio & quæ in ea perficiantur, deſignatur. ibid.C.
Tertia corporis regio quas contineat partes. ibid.
Ex triplici Corporis regione varia reſultant excrementa. ibid.1.B.C.
In tribus corporis regionibus ſanguinis miſſio exerceri poteſt. 584.2.E.
In vnaquaque corporis regione contingit oriri morbos ex humorum fluxione, quibus euacuatio, deriuatio, aut reuulſio debetur. 585.2.B.
In qualibet corporis regione quædam ſunt partes oppoſitæ cum parte affecta, aliæ diſtantiores in ipſa regione, aliæ verò in toto corpore. ibid.C.
Corpus aliquando ſanum admittendum. 665.1.D.E.
Corpora in quibus excrementa redundant, cauteriũ poſtulant. 680.1.A.
Corpora impura quantò magis nutriuntur tanto magis læduntur. 683.1.A.

Corporis partium temperies.

Partes ſeminales in corpore carnoſis calidiores eſſe contendit Ioubertus. 54.2.C.
Partes ſeminales frigore facilius læduntur & cur? 54.2.D. & 55.1.E.
Partes ſeminales an operentur aptius cum remiſſiori calore. ibid.
Partes carnoſæ calidiores ſunt ſpermaticis. 54.2.E.
Partes ſeminales compactiores, duriores, & fortiores ſunt quàm carnoſæ. 55.1.B.
Partes quæ ex ſanguine fiunt calidiores ſunt, quàm quæ ex ſemine. ibid.A.
Partium Corporis temperies an proportionetur materiæ ex qua fiunt: Valleſius negatiuam tenet. 55.2.A.B.C.
Partium temperies quomodo à forma proueniat. 55.2.C. & 56.1.C.
Partes Corporis quænam ſint calidiores. 56.1.E.
Semen eſt ſanguine calidius ratione ſpirituum. 55.1.C.

Teſtes

Notabilium.

Teſtes in calore natiuo frigidiores ſunt renibus. 56. 1. B.
Spiritus vitales, Cor, Sanguis, Hepar, Caro, Muſculi, Lien, Renes, Tunicæ arteriarum, Venæ, Cutis ordine annumerationis caliditate præpollent. 56. 1. E. & ſeqq. vbi reſpondetur contrariis.
Partes Corporis quænam dicantur frigidiores. 57. 1. E.
Pituita, Pili, Oſſa, Cartilago, Ligamentum, Panniculus, Chorda, Nerui, Nuca, Cerebrum, Adeps, Cutis, ordine quo ponuntur, frigidiora ſunt. ibid.
Hæc Auicennæ doctrina variis impugnatur argumentis. 57. 2. A. & ſeqq. defenditur. ibid. 2. E. & 58. 1. A. & ſeqq.
Adeps duplici ratione dicitur calida. 58. 1. C.
Pili ex terrea fiunt materia. 57. 2. E.
Cerebrum ratione temperiei frigidum & ratione ſpirituum calidum. 58. 1. B.
Partes Corporis quænam ſint humidiores. ibid. 1. B.
Partium corporis humidarum iuxta magis & minus ordo proponitur ex Auicenna. ibid.
Auicennæ doctrina variis argumentis impugnatur. ibid.
Auicennæ doctrina recipitur & à contrariis defenditur. 58. 2. D.
Partium corporis ſiccarum ordo proponitur. 59. 1. D.
Pili an ſint reliquis partibus ſicciores? ibid.
Neruorum ſubſtantia eſt duplex. 59. 2. D.
Cor qua ratione dicatur humidum & ſiccum? ibidem.
Partes in homine quæ dicantur? 91. 1. B.
De partibus corporis humani qui Doctores tractent? 91. 1. C. & D.
Vide *Pars corporis*.
Corporis partium temperiei propriæ ſigna ſubſtituit. 189. 2. E.

Creatio.

Creatio duplex eſt, alia propria, & alia rigoroſa. 19. 2. B.
Creatus fuit Adam ex limo terræ. 18. 2. D.

Criſis.

Criſes ſalutares quibus diebus euenire debeant? 549. 2. D. E.
Criticus ſudor quis & quotuplex. 545. 2. B. & ſeqq.
Pro diuerſis criſium ſpeciebus diuerſa ſunt ſigna prænunciantia. 549. 1. D.
Pro omni criſi decernit Hippocrates, quòd nox eſt grauis ante acceſſionem. 549. 2. D.
Pro criſi ſalutari vires vincentes requiruntur. 550. 2. D.
Criſis ſalutaris fit dum natura potens pugnam aggreditur aduersùs morbum. ibid. 1. D.
Criſis fit ſalutaris, dum per illam euacuatur materia inutilis ab vtili ſeparata. 551. 1. A.
Pro omni criſi ſalutari coctio prærequiritur. ibid. B.

Cruditas.

Cruditas opponitur coctioni. 445. 1. A. & 480. *in paraphraſi, verbo, Non cruda.*
Cruditas in prima regione dupliciter accidere poteſt. ibid.
Cruditas primæ regionis ſuperabundans impedit ſanguinis miſſionem indicatam exerceri. ibid. B.
Cruditatis tempore ſi mutatur ſanguis, qualia ſequantur incommoda. ibid. 2. A. B. C.
Cruditas quomodo fiat in ventriculo, & à iecore. ibid. 2. E.
Crudi humores in ſecunda regione poſſunt dupliciter reperiri. 446. 1. B. C.
Crudi humores ſanguini commixti quomodo indicent ſanguinis miſſionem? ibid. E. & 2. A.
Cruditas tertiæ regionis an & quomodo impediat ſanguinis miſſionem? 447. 1. C. & ſeqq.
Crudorum duplex genus eſt. 480. *in paraphraſi, verbo, Non cruda.*
Ex cruoris ſiue ſanguinis vitio morbos magnos dari fatentur Dogmatici omnes. 414. 1. E.
Cruori reliqui humores commiſcentur, ex quorum vitio fiunt morbi magni indicantes ſanguinis miſſionem. ibid. 2. B.
Cruor propriè ſumitur pro ſanguine quarto humore, in quo differt à ſanguine, qui talis dicitur etiam cum admiſtione aliorum humorum. 432. 1. E. & 2. A. & ſeqq.

Cucurbitula.

Cucurbitulæ vtiles ſunt pro febrium curatione. 366. 2. C. D.

Curatio.

Curationi epilepſiæ apta medicamenta. 688. 1. B. & ſequent.
Curatio magica impietatem redolet. 706. 1. A.
Curationis modus abſque abſciſſione teſticulorum, duplex. 671. 1. E.

Curatus.

Curatus quidam abſque abſciſſione teſticulorum nuptias contrahit & filios generat. 671. 2. C.
Curatus alius vno tantum teſticulo relicto filios generat. ibid.
Curati abſque abſciſſione aut auulſione teſticulorum non ſunt iudicandi impotentes. 672. 2. A.
Curati abſque abſciſſione non ſunt dicendi impotentes frigidi à natura facti. ibid. 2. A. & ſeq.
Curati abſque abſciſſione non ſunt ſpadones, nec eunuchi, nec inepti ad generandum filios. 673. 2. B.
Curati abſque abſciſſione teſtium non comprehenduntur ſub quatuor curationis modis quæ eunuchos & ſpadones efficiunt. ibid. 1. A. & ſeqq.
Curati modo curationis ſupradicto non contrahunt morboſam impotentiam. 674. 2. D.
Curati modo curationis ſupra poſito poſſunt contrahere matrimonium. 675. 2. B.

D

Dæmon.

DÆmones ſe manifeſtant coacti præcipuè per exorciſmos. 747. 2. C.
Dæmon quas potentias animæ vegetatiuæ poteſt immutare. 748. 1. B.
Dæmon præcipuè illudit potentias animæ ſenſitiuæ. ibid. C.
Dæmon an valeat lædere potentias ſenſitiuas internas illæſis externis. ibid. 2. A. & ſeq.
Dæmon in energumenis qualiter valeat immutare, aut deprauare actiones animæ rationalis. ibid. 2. E.
Dæmon ſua ſola poteſtate nequit agere in intellectum. 749. 2. A.
Dæmon an poterit communicare aliquibus ſcientias. ibid. 2. B. C.
Dæmon non habet poteſtatem circa voluntatem & liberum arbitrium. ibid. E.
Dæmon poteſt inducere aliquem in actum peccaminoſum, non tamen cauſat neceſſitatem ad peccandum. 750. 1. C. D.

Declinatio.

Declinatio eſt tempus morbi à Medico conſideratum.

ratum. 231.1. A.B.C.
Vide *Tempus*.
Morbi lethales an poſſint peruenire ad declinationem. 231.2.B.& ſeqq.
In Declinatione interdum perit æger. ibid. & 233. 1. E. & 2. A. B.
Declinatio morbi alia Legitima ac fida, & alia Infida. 233.2.C.D.
Declinatio Fida in quibus morbis fiat? ibid.
Declinatio infida fit ex aliqua euacuatione ſymptomatica. ibid.D.
Declinatio alia dicitur Falſa & pernicioſa,& quæ ſit? ibid.
Vide *Morbus*.

Definitio.

Definitio an & quomodo debeat dari per genus proximum. 564.1.E.
Definitio tradita per genus remotum non eſt vitioſa ſi contrahatur per differentias proximas. 610.2.C.
Definitio pulſus explicata per ſingulas particulas. 610. 1. D.

Denſitas.

Denſitate locali concreſcit vapor pro ſudore in poris tertiæ regionis. 542.2.C.& E.
Denſitas localis dupliciter fit. 542.1.C.
Denſitas localis non eſt terminus per ſe alicuius locomotiuæ facultatis inſitæ vapori. ibid.1.D.
Denſitas localis poteſt pendere per accidens ab inſitis qualitatibus. ibid.1.E.
Denſitas localis per quam vapor abit in ſudorem, fit immediate & per ſe ab impetu communicato à cauſis extrinſecis localiter mouentibus. 544.1. B. &c. ſeqq.
Denſitas localis eſt terminus motus localis. ibid.C.
Denſitas localis eſt compreſſio dimenſionum, quæ mouentur à circumferentia ad centrum. ibid.

Deriuatio.

Deriuatio non indicatur à ſolo humore fluente, ſed etiam à membro obſidente. 552.2.B.
Deriuatio non eſt ſemper auerſio, contra Sanctorium. ibid.E.
Deriuationi debetur, quòd fiat à parte proximiore illius quæ afficitur. 560.1.B.C.D.
Deriuatoria ſanguinis miſſio à quo indicetur, & vbi debeat exerceri? 559.1. D. & 560.1. B. & ſeqq.
Vide *Sanguinis miſſio*.
Deriuatio ſi non poſſit fieri à parte vicina,quid agendum? 560.1.D.
Deriuatio includit formaliter reuulſionem. 560.1.E.

Deſtillatio.

Deſtillationum vſus pro Hecticis curandis traditur. 325.1. A. & ſeqq.
Deſtillationes vnde habuerint originem? 369.1.D.E. & 2.A. & B.
Deſtillandi artem didicit Hermes ex tabulis lapideis in valle Ebron inuentis poſt diluuium. 369.2. A.
Ars deſtillandi in plures Arabum Reges ab Hermete iure ſucceſſionis tranſmiſſa. ibid.
Artem deſtillandi exornarunt plurimi Doctores, quorum aliqui referuntur. ibid. B.
In Deſtillationibus non excrementa & ſudores, ſed propria centralis ſubſtantia extrahitur. ibid. C.

Determinatio.

Determinatio ad operandum duplex. 616.2.D.
Determinatio effectiua actualis quæ. ibid.
Determinatio effectiua habitualis quæ. ibid.

Diarrhœa.

In Diarrhœa, ſuperueniente febre, an ſit exercenda purgatio dimicant Doctores. 511.2.D.E.
Diarrhœa tripliciter poteſt coincidere cum febre. 512. 1.B.
Si Diarrhœa & febris ſimul incipiant, quid agendum decernitur. ibid. C.
Diarrhœa ſuperueniente, ſymptomatica aut critica febre iam infeſtante, quid exequendum. ibidem 2. D.
In Diarrhœa ſi febris ſuperueniat, adaptatur remedium. ibid.2.E.
Doctrina Galeni prohibens purgationem in Diarrhœa variis modis declaratur. 513.1. D.& ſeqq.

Dies decretorij.

Dies decretorij qui ſint? 549.1.D.
Sudores ſuperuenientes in diebus non decretoriis an poſſint eſſe ſalutares? ibid. & 550. per tot.
Dies decretorij alij ſunt radicales, & alij indicantes. 550.1.E.
In Diebus decretoriis natura dum potens eſt pugnam contra morbum aggreditur. ibid. D.

Dilatatio.

Dilatatio & compreſſio, ſicut & earum quietes in pulſu fiunt à pulſifica facultate. 610.2.C.

Diſcurſus.

Diſcurſus non neceſſario deprauatur, deprauatis internorum ſenſuum actionibus. 749.1.C.

Diſpoſitio.

Morbus & Sanitas à Galeno dicuntur Diſpoſitiones. 195.2. C. & ſeqq.
Morbus eſt in prædicamento Qualitatis ſub Diſpoſitione. 196.2. C.
Diſpoſitio dupliciter conſideratur. ibid.E.
Diſpoſitiones hæ ſunt quæ faciliter dimoueri aut mutari poſſunt à ſubiecto. 197.1. A.
Diſpoſitio & Habitus in quo conueniant & differant? 186.1.D.

Diuiſio.

Diuiniſſimum in Scientiis eſt rectè diuidere, ex Platone. 193. 1. E.
Diuiſio illa optima eſt, in qua membra diuidentia adæquant totam rationem diuiſi. 221.1. C.
Diuiſibilitas quomodò dicatur paſſio quantitatis? 228. 1.E.

Diuulſio.

Diuulſio ſeu apoſpaſma poteſt accidere. 228.1.D.

Dolor.

Dolor omnis fit ex inæquali Intemperie. 215.1. & 2.B.
Dolor ſignum intemperiei inæqualis eiuſdem partis 216.2.B.& 217.1.A. B.
Dolor non ſentitur dum intemperies eſt æqualis. 215. 1.C.& 217.1.B.
Dolor poteſt eſſe ſignum intemperiei æqualis comparatiuè. ibid.C.
Dolor vnde contingat? ibid.& 250.1. C.
Dolor non eſt in omni intemperie. ibid.
Dolor an ſit cauſa tractionis humorum in partes, latè diſputatur. 263.2.D.& ſeqq.
Affirmatiuè reſoluitur. 265.1.B. & ſeqq.
Dolor an ſit de genere eorum quæ lædunt corporis facultates. 263.2.D. & 264.1. A.
In Doloribus vehementiſſimis non fit attractio humorum in partes. ibid. 2.E. & 265.2. C.
Dolor an attrahat ſanguinem & ſpiritus in partes vt ſubueniat illis? 464.1.B.
Dolor quid? 449.1.E.

Dolor

Dolor ingens interdum poteſt impedire venæ ſectionem. ibid.2.B.& ſeqq.

Dolor in principio quem pulſum efficiat. 637.2.E. & 2.A.

Dyſenteria.

in Dyſenteria an ſit vtilis purgatio, negatiuam tenent plures Doctores. 513.2.A.& ſeqq.

in Dyſenteria, ſumpta indicatione à parte affecta, non eſt exhibenda purgatio. ibid.2.E.

in Dyſenteria, ſumpta indicatione à cauſa antecedente, qualiter indicetur ſanguinis miſſio? 514.1.B. & ſeqq.

in Dyſenteria, ſumpta Indicatione à Cacochymia, ſecundæ regionis purgatio decernitur. ibid. E. & 2. A.& ſeqq.

in Dyſenteria purgatio quando debeat præcedere ſanguinis miſſionem? reſoluitur. 515.2.C.D.& ſequentibus.

in Dyſenteria qua ratione ſanguinis miſſio fieri debeat ante purgationem, ſtatuitur. 516.1.A. & ſeqq.

Dyſuria.

Dyſuriæ diuerſæ proponuntur cauſæ. 728.2.B.

E

Effectus.

Effectus adæquatus vnica adæquata actione petit fieri, & quomodo hoc intelligendum? 80.1.C. & 2.D.

Elementum.

de Elementis Medici, & Philoſophi diuerſo modo diſputant. 9.1.B.

Elementorum tractatio à quibus peragitur. 9. 1.C.

Elementi acceptio multiplex. 9.1.E.

Elementi acceptio, & numerus apud Paracelſum. 9. 2.C.E.

Elementa quatuor ſunt admittenda in rebus tum ob Vniuerſi compoſitionem, tum propter mixtorum neceſſitatem. 10.1.B.

Elementa omnia mixtam adintegrant materiam pro receptione formæ. ibid.

Elementa ſunt in quæ vltimò mixtũ reſoluitur. ib.E.

Elementum eſt minima pars eius rei cuius eſt elementum. 10.2.B. & ſeqq.

Elementi definitio ex Ariſtotele. ibid.

Elementorum numerus variis modis à Veteribus Philoſophis aſſignatus. 11.1.C.

Elementa ſunt quatuor Ignis, Aër, Aqua, & Terra. 11.1.B.

Elementa duo Ignis, & Aqua ex Hippocrate ſunt generationum omnium principia. 11.1.E.& 12. 1.B.

Elementa quatuor corruptibilia, & alia quatuor incorruptibilia excogitauit Valleſius. 12.1.D.

Elementa quatuor corruptibilia tantùm admittenda. 12.2.D.

Elementa aliqua diſſymbola ſunt admittenda. 15. 2.E.

Elementa neceſſaria ſunt vt materiam ſubſternant pro mixtis. 15.2.C.

Elementa ſunt propter mixtionem. 16.1.E. & 2. A.

Elementa quomodo vniantur pro mixtione? 16.2. C.

Elementa in mixto non retinent formas ſubſtantiales. 17.2.A.

Elementa in mixto virtualiter continentur. 18.2.A.

Elementa an retineant formas ſuas ſubſtantiales in mixtis? 19.2.B.

Elementorum materiæ quomodo formam mixtam recipiant. ibid.D.

Elementum quodlibet fit vnum ens per ſe per ſuam formam ſubſtantialem. 20 1.E.

Elementa virtualiter contineri in mixtis quid ſit? 21. 2. D.

Elementorum continentia virtualis in mixto in quo conſiſtat? 22.1.C.

Explicatur D. Thomæ de virtuali continentia Elementorum in mixtis. 23.1.E.

Partes materiales Elementorum determinant formam mixtam ad Qualitatum productionem. 25. 1. A.

Partes materiales Elementorum pro forma mixta ita ſunt neceſſariæ ſicut pro viuente forma organizatio. ibid.C.

Partes materiales Elementorum ſunt cauſa mutationum ætatum. 25.2.B.& ſeqq.

Partium materialium Elementorum diuerſitas eſt cauſa diuerſitatis humorum ex chylo. 26.1.B.

Partes materiales Elementorum in mixto ſub eadem exquiſita parte fingit Carterius. 26.2.C.

Partes omnium Elementorum materiales in quauis parte formali mixta admittendæ. 27.2.E.

Partes materiales Elementorum in mixto ad quid neceſſariæ? 27.1.C.

Pars materialis mixta alia materialis, alia formalis. 27. 1.E.

Elementorum materiæ non conſeruant qualitates à formis Elementorum productas, ſed quas in inſtanti generationis mixti receperunt à forma mixta. 28.1.E.

Pars materialis elementalis manet ſigillata ex præceſſiſſe formæ ſimplicis. 29.1.B.

Elementa quatuor in rebus ſunt admittenda. 336.2. A.B.C.

Elementorum numerum quidam non admittunt. Ibid. 1.D.E.

Empiricus.

Empirici reſpuunt cauſas febrium inquirere. 290. 1.E.

Empirici febrem ſupponunt productam, & ſolùm agunt de illius curatione. ibid.2.E.

Empirici aliquas agnoſcunt febrium differentias. 291. 1.E.

Empiricorum variæ Impoſturæ & deliramenta pro febrium curatione euulgantur. 303. 2. E. & 2. A. B. C.

Empiricorum amuleta pro Tertiana Exquiſita curanda. 387.1 A.B.

Empiricorum varia remedia pro Tertianæ Spuriæ curatione traduntur. 390.2. B.

Empiricorum opem maximè implorant quotidiana febre laborantes. 396.1.D.

Empiricorum remedia pro curatione Quotidianæ referuntur. ibid.2. E.& ſeqq.

Empiricorum remedia adducuntur pro Quartana curanda. 400.1.C.D.

Empirici quomodo curent omnia vulnera. 720. 1.A.

Empyema.

Empyema quem pulſum efficiat. 637.2.D.

Ens.

Entia ſublunaria phyſica in quadruplici rerum genere ſunt diuerſa. 53.1.C.

Entitas.

Entitas duplex eſt, in aſpero & leni. 204.2.C.

Ephemera.

Ephemera febris ſiue Diaria vnde dicta? 294.2.E.

Ephemera febris duplex eſt, Legitima & Illegitima. ibidem.

Ephemera febris à variis variè definitur. 295.1.B.

Ephemeræ febris propria traditur definitio. ibid.D.

Febris Ephemera, ratione ſpirituum à quibus ſit, duplex eſt opinio. ibid.2.C.& ſeqq.
Ephemeræ febris diuiſio in Legitimam & Illegitimam, eſt analoga. 296.1.E.
Ephemera febris illegitima cur talis dicatur? ibid. C.
Ephemera ſeu Diaria reſpectu cauſarum, à quibus fit, duplex eſt. 297.2.D.
Ephemera alia prouenit à cauſis internis, alia ab externis. ibid.
Cauſæ internæ Ephemeram inducentes aliæ ſunt inter animalis actiones ſenſitiuas, aliæ inter loco-motiuas, aliæ inter ſubſtantias in corpore redundantes. ibid.E.
Cauſæ externæ Ephemeram cauſantes aliæ ſunt calidæ, aliæ frigidæ, aliæ ſiccæ. 298.1.B.
Ephemerarum cauſæ externæ proponuntur. ibid. D.
Ephemerarum cauſæ internæ enumerantur. ibid.E.
Cauſæ ex corporis paſſionibus valentes Ephemeram cauſare, recenſentur. ibid.
Febris Ephemeræ ſigna ex Galeno & Auicenna proponuntur. 298.2.D. & ſeqq.
Ephemera eſt facilè cognoſcibilis ex ſignis ibi adductis. 299.1.B.
Ephemera Illegitima eſt cognitu difficilior. ibid.
Ephemera quæcumque facilè cognoſcitur ex ſignis adductis collectiuè ſumptis, non autem diuiſiuè. ibid.C.
Ephemeræ proprium eſt incipere à cauſa procatharctica, 299.2.C.
Saltem vt plurimùm. ibid.
Ephemera ſeu Diaria fieri poteſt dupliciter, ſine complicatione, vel cum complicatione alterius febris. ibid.E.
In febre Ephemera ratione cauſæ à qua proximè ſequitur, non eſt vnde lotium non appareat cum ſignis coctionis a primo inſultu febris. 300.2.B. & ſeqq.
Ephemera poteſt cognoſci ex pulſu. 301.1. D. & ſequentibus.
Ephemeræ qualis pulſus debeatur. ibid. E.
Ephemeræ Legitimæ ſignum ex modo caloris ab Auicenna deſignato admittitur. 301.1.E. & 302. 1.B.
Ephemeræ proprium eſt quod ſoluatur cum ſudore. ibid.1.D.E.
Ephemera in Humoralem & Hecticam interdum permutatur. 302.2.D.
Ephemeræ permutatio in alias febres cognoſci poteſt ex ſignis ab Auicenna adductis. 303.1.B.& ſequentibus.
Ephemeræ ſi ſudor non ſuperueniat in declinatione, eſt indicium tranſmutationis in aliam febrem. ibid.C.
Ephemera tripliciter conſideratur in ordine ad curationem. ibid.1.E.
Ephemeræ Legitimæ ſimplicis curatio traditur ex Dogmaticis. ibid. 2.D.
De Ephemeræ curatione Authoris conſilium. ibid.B.
De curatione Ephemeræ varia ex variis Medicorum Sectis amuleta referuntur. 303.2.A.
Ephemeræ curatio, cauſâ illius permanente, & fouente. 304.1.B.
Ephemeræ illegitimæ curatio traditur. ibid.D.
Ephemeræ ex cruditate Diagnoſis præſcribitur. ib.E.
Ephemeræ ex cruditate acida & nidoroſa diagnoſis & diuiſio adducitur. ibid. 2.C.& D.
Ephemeræ ex cruditate curationes extra Dogmaticorum Scholas vſurpatæ referuntur. ibid.E.
Ephemeræ curatio ex Dogmaticis præfertur. 305.1.E. & ſeqq.
Diariæ ex cruditate nidoroſa ortæ curatio ſtatuitur. ibid.2. D.
Ephemeræ ex cruditate cum lumbricis curatio examinatur & reſoluitur. 306.1.& 2.A. & ſeqq.
Vide *Vermes.*
Ephemeræ febris ortæ ex cruditate cum lumbricis curatio duplici tentanda eſt remediorum genere. ibidem.2.E.
Ephemeræ ex cruditate ortæ in ſecunda regione dignoſis proponitur. 307.2.B.
Eiuſdem ſigna & prognoſis proferuntur. ibid.D.
Illius curatio methodica traditur. ibid.E.
Ephemera ex cruditate orta, vomitu, clyſteribus, diæta, & ſomno curata. 308.1.C.
In Ephemera ſeu Diaria ex cruditate orta ſanguinis miſſio lethalis. ibid.D.
Ephemeræ ſeu Diariæ cum lumbricis quæ ſymptomata lethalia concomitantur. ibid.2.B.C.
Ephemera febris an & quomodo indicet ſanguinis miſſionem. 457.2.A.& C.

Epididymi.

Epididymi albâ ſubſtantiâ pleni apparent in diſſectione, & cur? 166.1.E.& 2.A.

Epilepſia.

Epilepſia Principis Hiſpaniarum præcauenda per fonticellam. 677.1.D.
Epilepſia an poſſit præſeruari ſola victus ratione mutata. 678.1.B. & ſeqq.
Epilepſia profundus ſomnus. 679.2.C.
Epilepſia ex ventriculi humiditatibus orta caput aggrauantibus quomodo curanda. ibid.2.E.
Epilepſia eſt actionum principum, ſenſuſque & motus voluntatis ceſſatio. 690.1.D.
Epilepſia communis pluribus animalibus. ibid.
Epilepſia in homine multiplex. Ibid.E.
Epilepſia diuerſa ex partium diuerſitate orta. ibid. C.D. & ſeq.
Epilepſia quomodo communi via à Dogmaticis & Empiricis tradita, curetur. 691.1. C.& ſeq.
Epilepſia mitis & vehemens, quæ. 691.1.E.
Epilepſia dubiam facit ſalutis ſpem, & eſt quaſi incurabilis. 692.1.C.

Epilepticus.

Epileptici inſultus cauſæ. 687.1.E.
Muliebria cohibita cauſant Epilepſiam. 687.1.D.
Epileptici affectus Herculeam vim multi Practici vincere conati ſunt. ibid.1.B.
Epileptici quibus honoribus & dignitatibus inhabiles. ibid.692.

Epithemata.

Epithemata pro partibus principibus in Hecticis vtilia. 324.1.C.
Aliud pro emolliendis viis, quò alimentum partes corporis permeare poſſit. Ibid.E.
Vide *Hectica.*

Euacuare.

Euacuare, eſt repletum corpus à corpore replente vacuum facere. 558.1.D.
Euacuationum variæ ſunt ſpecies. ibid.
Euacuatio vniuerſalis eſt phlebotomia. ibid. 2.A.
Euacuatoria ſanguinis miſſio à quo indicetur? ibid. B.& ſeqq.
Vide *Sanguinis miſſio.*
Euacuari poſſunt humores vel per ipſam partem affectam, vel per partem vicinam illi communicantem. ibid.2.B.C.

Euacuatio.

Euacuatio duplex puerperis ſuperuenit. 709.1.A.

Eunuchus.

Eunuchi à natura fiunt. 671.1. A.

Extrementum

Excrementum.

Exeremntorum oeceſſaria generatio ln noſtris corporibus, & expolſioois vtilitas. 750.a.E.
Excrementorum naturalis expulſio per ventrem quæ requirat. 751.1.C.D.
Excrementa expelluntur à natura determinato tempore. ibid.1.E.
Excrementorum quantitas conducit ad ſanitatem. ibid.a.A.

Excretio.

Excreriunes puerorum per quas repurgantor diu permanent. 677.a.B.

Exercitatio.

Exercitatio confert ad ſanitatem. 741.1.E.
Exercitationis quinqoe genera apud veſtutiores. ibidem.

Exiens mutatum.

Exeuntls mutati ſymptomata. 270.1.A.
Exeuotis mutati adducuntur differentiæ: ibid.B.

Exorciſmus.

Exorciſmi dæmones fugant. 747.2.C.
Exorciſmos aliqui renuunt. ibid.
Exorciſmi poteſtate Eccleſiæ inſtitoti. ibid.

F.

Facultas.

FAcultates vegetabiles ex longo rerum vſu acquirunt conſuetudinem. 52.2.E.
Facultatum vegetabilium varia miniſteria. 54.1.E.
Facultatis natura à quibus dilucidatur. 125.1.E.
Facultates ſunt accideotia aoimæ ſuperaddita ad agendum. 126.2.B.
Facultates ab anima nón diſtingui qui aſſerunt ? 126.1.D.
Facultatum ab Anima diſtinctio qualis ? ibid.a. B. & ſequens.
Facultatis actiuæ ad paſſiuam quæ ſit proportio. 127.1.A.
Facultatum operandi modos triplex. ibid.C.
Facultatis variæ diffinitiones. 127.1.D.
Facultatis vera datur diffinitio. ibid.E.
Facultatum multiplex diuiſio. 127.2.B.
Facultatis diuiſio apud Medicos celebris. ibid.a.D.
Facultatis diuiſio penes quos fines deſumatur ? ibid. D.& E.& 128.1.A.& B.
Facultates corporeæ quomodo inhæreans partibos organicis. 128.a.E.
Facultas corporea an recipiatur in ſubiecto materiali & ſpirituali. 128.a.D.& 129.1.C.
Facultates vegetatiuæ cur dicontur naturales. ibidem. 1.D.
Facultates naturales qualites differant à temperamento ? ibid.2.E.
Facultates vitales Animæ non poſſunt ab aliquo extrinſeco produci. 130.D.
Facultas vegetatiua depender à qualitatibus corporeis. 130.1.E.
Facultas naturalis cum temperamento quomodo attingat actionem. ibid.
Facultates miniſtrantes vegetatiuæ à naturalibus non diſtinguuntur. 130.2.E.
Facultatis naturalis qoid ? 131.2.B.
Facultatis naturalis adæquata diuiſio. ibid.E.
Facultatum an tot ſint genera, quot ſunt potentiæ diuerſo modo attiogentes ſuum obiectum. 131.a. D.& 132.1.B.

Facultas auctrix differt realiter entitatiuè ab altrice. 132.a.C.
Facoltates vnde ſpecificanent ? ibid.D.
Facultas altrix & auctrix verſantur circa alimentum. 133.1.B.C.
Facultas auctrix terminatur per ſe primò ad quantitatem. 133.1.D.
Facultas nutrix tendit ad repoſitiooem ſubſtantiæ deperditæ. ibid.
Facultas generatiua qoaliter differat à nutritiua. 133. a. E.
Facultas nutritiua & generatiua ſubiecto inhæſionis differunt. 134.1.A.
Facultas nutritiua & generatiua diuerſo modo agunt circa alimentum. 134.1.C.
Facultates miniſtrantes quot ſunt ? 134. 1. D. & E.
Facultates miniſtrantes qua ratiooe verſeotur circa alimentum. ibid.a.A.B.
Facultatis attrahentis viuentis à non viuente diſtinctio. 134.2.C.D.
Facultas vitalis quid ſit ? 134.2.E.
Facultas peculiariter vitalis in corde inhæret. 135.1.E.
Facultas vitalis pecoliariter ſic dicta neceſſaria eſt in corpore, & cur ? ibid.a.D.
Facoltas vitalis ſpecialiter talis diſtinguitur à nutritiua: 136.2.C.
Facultatis vitalis læſio maiorem noxam inducit quàm læſio naturalis & animalis facultatis. ibidem.
Facultas peculiariter vitalis dicta quæ ? 137.1. C.
Facoltas vitalis ad quid præſertim neceſſaria ? 137.1.D.
Facultas generatiua ſpirituum vitalium ab aliquibus peculiariter vitalis iudicatur. ibid.E.
Facultas generatiua ſpirituum vitalium diſtinguitur à facultate vitali. ibid.2.C.& ſeqq.
Facultas deſeruiens pro calore communicando cur dicitur vitalis maximè. 138.1.A.
Facultas pulſifica præcipuè vitalis dicitur. 138.a.B.
Facultatem pulſificam à vitali diſtioguit Albertious. 138.1.C.D.
Facoltas pulſifica ſufficit ad vitæ conſeruatiooem. 138.2.E.
Facultate pulſifica deficiente breui tempore perit animal. 139.1.B.
Facultas pulſifica quomodo diſponit pro aliis facultatibus ? 138.1.D. & 139.1.C.
Facultas vitalis dupliciter dici poteſt. 139.1.E.
Facultas intrinſecè vitalis quæ ? 139.1.E. & a. A.
Facultas pulſifica quod oon ſit intrioſecè vitalis, quinam iudicarunt. 139.B.& ſeqq.
Facoltas pulſifica intrinſecè vitalis eſt. ibid.E.
Facultas pulſifica operatur modo vitali lo heterogeneitate motus pulſus. 140.1.A.
A Facultate pulſifica fit duplex motus. ibid. B.
Per Facultatem pulſificam & illius actum conſtituitur anima in determinato gradu vitæ. ibid. C. & D.
Facultas poteſt dupliciter determinari ad operandum. ibid.E.& a.A.B.C.
Facultates animales diuidontur in Comprehenſiuam. & Loco-motiuam. 140.a.E.
Facoltas localiter motiua diſtioguitor ab appetitu & imaginatione. 141.1.C.
Facoltas localiter motiua quod habet inhæſionis ſubiectum. 141.a.E.
Facultas localiter motiua non reſidet in corde contra Ariſtotelem. 142.1.A.

Facultas localiter motiua ſub gradu ſenſitiuo duplex. 141.1.E.
Facultates externæ cognoſcitiuæ à quibus negantur. 157.2.D.E.
Facultates externæ cognoſcitiuæ admittuntur. 143.1.C.
Facultas externa cognoſcitiua definitur. 143.2.D.
Facultates externæ cognoſcitiuæ dicuntur actiuæ & paſſiuæ. ibid.C.
Facultas externa cognoſcitiua quotuplex eſt. ib.2.E.
Facultatum externarum determinatur numerus. 144.1.C.
Facultates externæ cognoſcitiuæ tot ſunt, quot organa pro illis deſtinata. ibid.
Facultati cuique externæ quale organum debetur. 144.1.C.& ſeqq.
Facultates rectrices quæ dicuntur? 145.1.A.
Facultates rectrices negant Stoici. ibid. D.
Facultates rectrices admittunt Plato, Ariſtoteles, & alij. 145.2.A.
Facultates rectrices quid? 146.1.B.
Facultatis rectricis adſcribitur numerus. 146.2.C.
Facultas æſtimatiua lædi poteſt reliquis recte ſe habentibus. ibid.E.
Facultates indiuiduantur à ſubiecto in quo inhærent, & quomodo? 147.1.A.
Facultates ſpecificantur ab obiecto. 146.2.B.
Facultatum rectricium quod ſit ſubiectum. 147.2.A.& ſeqq.
Facultates rectrices in ſpiritibus inhærere contendunt aliqui. 147.1.D.
Facultates rectrices in quacumque Cerebri parte inhærent. ibid.2.A.& ſeqq.
Facultatis internæ operationes tripliciter lædi poſſunt. 148.2.C.
Facultas cognoſcens inſenſatas actiones admittenda eſt in animali. 150.1.B.
Facultates externæ & internæ cognoſcitiuæ habent idem obiectum, ſed differunt in modo tendendi in illud. 151.1.A.
Facultatis formatricis & nutritiuæ vis & effectus. 164.1.B.C.& 167.2.B.
Facultas formatrix quomodo ſit indifferens ad hanc vel illam ſpeciem producendam. 176.2.C.D.
Facultas formatrix ſimilitudinem filiorum ad parentes inducit. 178.2.B.& ſeqq.
Facultas conformatrix cauſat ſimilitudinem ad auos & proauos. 179.1.C. & ſeqq.
Facultas Pulſifica an ſit ſubordinata appetitui? 254.1.C.& ſeqq.
Facultas Nutritiua cur Naturalis dicta? Ibid.2.A.B.
Facultas Regitiua quæ ſit ex Auerroë? ibid.2.C.
Facultas attractrix in Catharticis pharmacis quæ ſit? 522.1.B.& D.
De Facultate occulta in pharmacis ardua difficultas eſt. 523.1.B & ſeqq.
Facultas occulta quomodo operetur? ibid.2.E.
Effectus prouenientes à facultate, quæ pullulat à forma vt tali, ſunt mirabiles. ibid.2.C.
Facultatis occultæ aperitur natura. 524.2.B.& ſeqq.
De Facultate occulta Galeni doctrina explicatur. ibid. 1.C.D.E.
Facultas vitalis motiua in corpore duplex. 612.1. E.
Facultas vitalis, ſic dupliciter dicta. 612.2.C.
Facultas vitalis ſic dicta peculiariter quia immediate attingit, & reſpicit vitæ conſeruationem. 613.1.C.
Facultas peculiariter vitalis, eſt cordis facultas pulſifica. ibid.E.
Facultas pulſifica cordi inhærens auget calorem pro vitæ conſeruatione. ibid.2.B.C.
Facultas pulſifica & illius motus ſunt intrinſecè vitales. 615.1.E.
Facultas pulſifica eſt vitalis intrinſecè ſub loco-motiuis gradus ſenſitiui. 618.2.A.
Facultas pulſifica operatur ſine concurſu qualitatis corporeæ. ibid.1.E.
Facultas pulſifica non eſt ſub gradu vegetatiuo. ibid. 2.C.
Facultas pulſifica non reſpicit expulſionem & attractionem tanquam terminum ſui ſpecificatiuum. ibid.2.D.
Facultas pulſifica non recepit ſuam ſpecificationem à primo termino motus, ſed à ſecundo. ibid.
Facultates ſenſitiuæ & vegetatiuæ in quo differant. 618.2.E.
Facultas pulſifica licet ſit loco-motiua ſub gradu ſenſitiuo, operatur tamen ſine præcedente cognitione. 619.1.B.
Facultates loco-motiuæ reſidentes in fibris ſunt gradus ſenſitiui. ibid.1.D.
Facultas pulſifica eſt animalis. ibid.E.
Facultas pulſifica operatur eleuatiori modo quam facultates gradus vegetatiui. ibid.
Facultas pulſifica operatur pro vſu & indigentia. 619.2.C.
Facultas pulſifica ab anima pullulat in corde & in arteriis. 620.1.C.
Facultas pulſifica eſt cauſa dilationis & compreſſionis in pulſu. ibid.2.C.
Facultates gradus vegetatiui nequeunt mouere ſpiritus vitales in paſſionibus animæ. 631.1.B.
Facultas nulla datur regens cui reliquæ ſubordinentur. ibid.D.
Facultas generans ſemen poteſt illud perfectè coquere etſi pars illius aliqua ex componentibus morbum patiatur. 675.1.A.B.

Fæx.

Fæx eſt pars quæ in coctione ſubſidet. 89.2.E. & 90.1.C.

Fames.

Fames quibus auxiliis poſſit excitari? 743.2.C.

Febris.

Febres aliæ ſemper decreſcunt, aliæ creſcunt, aliæ eundem ſeruant tenorem. 234.2.E.
Febris interdum iugulatur ſtatim ſanguine miſſo. ibid.C.
Febres pendentes ab alteratione materiæ, ſi ſalubres, percurrunt quatuor tempora vniuerſalia. 255.2.A.
Febris Synochus à vigore procinùs neminem inuadit. ibid.D.
Febris ex ira inducitur. 123.2.D.
Febris interdum oritur ex triſtitia. 255.1.C.
Febrem aliquando gaudium parit. ibid.
Febris omnium morborum communiſſimus. 272.1.A.
Febris vnde dicta? ibid.D.
Febris definitio iuxta varias omnium Sectarum opiniones. ibid.D. & ſeqq.
Febris formaliter ſumptæ propria traditur definitio. ibid.2.D.
Febris materialiter ſumpta definitur. 273.1.B.
Febris prout eſt morbus vniuerſalis definitur. ibid.C.
Febris an conſiſtat in calore? variæ referuntur ſententiæ. ibid.E.
Calor eſt ratio generica & eſſentialis Febris. ibid.2.C. & ſeqq.

Febris quare vocetur frigida. 274.1.C.
Vide *Calor febrilis.*
Febris fit pro a-tionibus improportionata dupliciter. 275.1.E
Febris humoralis & Diaria vnde fiat? 276.2.D.
Febris Hecticæ productio traditur. ibid.E.
Febris Hectica non curatur ſola cauſæ externæ ablatione. 277.1.A.
Febrem fieri per noui gradus caloris aduentum, nouis ab Authore fulcitur fundamentis. 278.1.E.& 2.A.& ſeqq.
Febris duplex eſt, alia quæ eſt morbus particularis, & alia quæ vniuerſalis. 280.1.C.
Febris ratio in vſu Medico vnde deſumitur. 281.1.C.D.
In Febre omnes operationes lædi neceſſe non eſt. ibid.2.B.
Subiectum inhæſionis Febris, vt ſic, deciditur. 282.2.B.C.
Febris, quæ eſt morbus communis, ſubiectum declaratur. ibid.D.
Subiecta inhæſionis caloris febrilis habitualis explicantur. ibid.E.
Triplex febrium ſubiectum à Schenkio inuentum refertur & impugnatur. ibid.1.& 2.E.
Febrium variæ diuiſiones referuntur pro varia earum conſideratione. 283.1.C.D.
Febris differentiæ eſſentiales nullæ dantur.ibid.2.E.
Febris habitus, & febris diſpoſitio ſolùm differunt quoad modum. 284.1.C.
Febrium differentiæ qua ratione eſſentiales dicantur? ibid.D.
Febris an & quomodo dici poſſit accidens? 284.2.E. & 285.1.A. & ſeqq.
Febris Lipyria. Vide *Lipyria Febris.*
Febris Lipyria an ſit accidens. ibid.2.A. & ſeqq.
Febris in Factam & Fientem diuiditur. 286.1.A.B.
Febris alia Simplex, alia Compoſita. ibid.C.
Febris alia Continua, alia Intermittens. ibid.D.
Febris alia Acuta, alia non acuta. ibid.E.
Febris alia eſt Chronica, & alia non chronica. ibid.
Febris alia Diurna, alia Nocturna. ibid.2.A.
Febris alia Putrida, alia non putrida. ibid. 2.B.
Febris iterùm tripartitur in Diariam, Humoralem, & Hecticam. ibid.C.
Febrium diuiſiones à variis Medicinæ Sectis inueſtigantur. 287.2.A. & ſeqq.
Febrium adæquata diuiſio eſt per ordinem ad continentia, contenta, & impetum facientia. 288.1.D.
Febris diuiſio in Diariam, & Humoralem, & Hecticam coincidit cum ſuperiori. ibid.E.
Febris ex bubone orta plerumque habet adiunctam Diariam. ibid.2 B.
Febris Synochus eſt humoralis. ibid.
Febris ab anima pullulans quacumque ratione eſt Hectica. ibid.C.
Febris Diaria, Humoralis, & Hectica ſunt vna tantùm eſſentialiter, differunt tamen accidentaliter. ibid.D.
Febris non cauſatur ab humore, niſi extrahatur vſtione aut putredine à ſtatu naturali. 289.1.B. & ſeqq.
Febris non cauſatur à bile naturali.ibid. C. & ſeqq.
Febrium cauſas ad quinque reducit genera Galenus. 290.1.C.
Febris pro formali licèt habeat cauſam efficientem, non induit rationem finis. ibid.2.E.
Febris pro materiali induit rationem finis & habet cauſam efficientem. ibid.
Febris pro materiali non petit cauſam materialem ex qua fiat. ibid.D.
Febrium cauſas non inquirunt Empirici. ibid.1.E.
Febris cauſa materialis ex Paracelſo eſt Tartarum; efficiens autem, Putredo. ibid.
Febris cauſa ex Van Helmont. ibid.
Febris cauſa efficiens quæ ſit apud Methodicos & Archiatros Medicos. 291.1.A.
Febris cauſa efficiens quæ ſit ex Dogmaticis. ibid.B.
Febris cauſa immediata adducitur & explicatur. ib. C.
De Febrium cauſis variæ referuntur opiniones. 291.1.E.& 2.A.& ſeqq.
Febrium cauſæ à Galeno inductæ proponuntur. ibid. 2.D.& ſeq.
Febris cauſa alia eſt Procatharctica ſiue externa, alia interna ſiue coniuncta, ſiue antecedens. 292.2.C.
Febrium cauſa alia eſt per ſe, alia per accidens. ib.D.
Galeni diuiſio admittitur. ibid.E.
Febrium cauſæ à Galeno propoſitæ explicantur. 292.2.B. & ſeqq.
Febrilis caloris habitualis cauſæ productiuæ traduntur. 293.1.A.B.C.
Ad Febrem recipiendam quænam ſit aptior temperies. 293.2.B.& ſeqq.
Febris Ephemera. Vide *Ephemera.*
Febris Synochus ſiue putredine, febris ex bubone, vel inflammatione, vel ex vaporibus, ſeu fuliginibus retentis, pororum occluſione; quare dicantur à Galeno Diariæ, cum ſint humorales. 300.2.E.
Febris maligna aut peſtilens duplex eſt. 301.1.B.
In febre humorali duplex pulsûs inæqualitas poteſt reperiri. ibid.2.B.C.
De Febre Hectica. 309.& ſeqq.
Vide *Hectica.*
Febris Hecticæ calor eſt intenſibilis & remiſſibilis ab intrinſeco. 316.1.B.&. ſeqq.
Febris ardens intenſior eſt febre Hectica. ibid. 2.C.
Febris ardens tranſit in Hecticam, & quomodo. 316.2.E. & 317.1.A.
Febris Humoralis dicitur quæ ortum ab humoribus deducit. 326.1.D.
Febres ortæ ex cruditatibus ventriculi, quomodo curandæ. 680.2.E. & ſeqq.681.

Febris Humoralis.

Febris Humoralis fit dupliciter, nempe ab vſtis humoribus & putrefactis. 142.2.E.
Febrem Humoralem non dari pluribus nititur probare Van Helmont. 343.1.A.& ſeqq.
Febris Humoralis admittenda. ibid.2.A.& ſeqq.
Febris Humoralis ex quibus cauſis fiat. 344.2.D.
Febris Humoralis ab vno humore putrefacto, aliis non putrefactis, oriri poteſt. 345.1.D.
Febrilis calor in humoribus an ſit independens à cauſa extrinſeca, diſceptatur. 345.2.C.& ſeqq.
Et affirmatiuè reſoluitur. 346.1.D.& ſeqq.
Febris Humoralis conſideratio & diuiſio ex variis Sectis. 346.2.E.
Febris Humoralis ratione cauſæ eſt quadruplex. 347.1.B.
Febris Humoralis ratione durationis caloris diuiditur in Continuam, & Intermittentem. ibid.C.
Febris Humoralis ex modo alterationis Humorum, iterùm diuiditur. ibid.D.
Febris Humoralis fit multiplex ab accidentibus, vt explicatur. ibid.E.
Febris Humoralis ab humorum diuerſitate diuiditur in Legitimam, & Spuriam. 347.2.B.
Febres Humorales aliæ ſunt ſimplices & aliæ complicatæ. ibid.C.
Febris Horrifica, quæ? 347.1.E.
Febris Aſſodes, quæ? ibid.

Index Rerum

Febris Elodes, quæ? ibid.2.A.
Febris Syncopalis. ibid.
Febris Epiala. ibid.
Febris Lipyria. ibid.
Febris Lenta. ibid.
Febris Humoralis an à ſola bile proueniat? ibid.E.
Febris Humoralis à quolibet humore vſtione aut putredine alterato fieri poteſt. ibid.
Febres humorales plus minúſve graſſantur pro diuerſis anni temporibus. 348.1.A.
Febris Humoralis continua fit à putrido humore in quacumque parte diu valeat eum putredine permanere. ibid.D.
Febris continua poteſt fieri extra vaſa maiora vt patet in cauſo, & aliis. ibid.
Febre continua infans correptus orta ex ſanguine putrefacto in ventriculo. 348.2.A.
Febris continua in quo differt ab intermittente? ibid B.
Febrium Humoralium ſigna & differentiæ explicantur. ibid.D.E.
Ex febribus Humoralibus ſanguinea ſemper eſt continua, reliquæ interdum continuæ, interdum intermittentes. ibid.E.

Febrium Humoralium remedia.

Febres debellantur victus ratione, Chirurgia, & Pharmacia. 357.2.A.
Pro febribus putridis curandis varia inter diuerſas Sectas ratio reperitur. ibid.C.
Practicorum diuerſa placita referuntur. ibid. & ſeqq.
Pro febribus curandis Dogmaticorum præſcribitur ratio. 358.1.B.
Victus ratio pro febribus curandis aſſignata, ſex comprehendit; quæ referuntur. ibid.E.
In febribus putridis chronicis mutare ſolum interdum conuenit. ibid.2.C.& ſeqq.
In febribus acutis non conuenit mutare ſolum, & cur? 358.2.A. & 359.1.B.
Febre putrida laboranti præcipuè Acuta, cohibendus eſt localis motus, & cur? 359.1.E.& 2.A. & ſeqq.
Pro febribus chronicis curandis natale ſolum ſalubre eſt, & cur? 358.2.C.D.
Licet interdum ratione cauſæ febris contrarium ſtatuatur. ibid.E.
Pro febribus curandis ſanguinis miſſio vtiliſſima eſt. 360.1.B. & ſeqq.
In omni febre putrida an conueniat ſanguinis miſſio? latè diſceptatur. 361.2.B. & ſeqq.
Et reſoluitur. 362.1.E.& 2. A & ſeqq.
In omni febre putrida pendente ex humoribus non cacochymis indicatur ſanguinis miſſio. ibid.1.C.
Contrariorum fundamenta eneruantur. ibid.E.& 363.1.A.& ſeqq.
Febres Humorales purgatione curantur. 364.1.A. & ſeqq.
Pro febribus curandis clyſterium vſus maximè vtilis. 365.1.E & 2. A.& ſeqq.
Febrium materiam attrahunt clyſteres, dum minera putredinis eſt in prima regione. 366.1.B.
Pro febrium curatione cucurbitulæ, ſcarificationes, ſanguiſugæ, & veſicatoria vtilia ſunt. 366. 2.C.D.
Non in omni febre vinum eſt exhibendum. 367.1.D.
In febribus, ſi vrgeant indicationes, vinum rectè offertur. ibid. E. & ſeqq.
In febribus vinum vtile præſcribitur. ibid.2.E.& 368.1.A.
Vide *Vinum.*
Pro febribus curandis cibus vtilis ſunt iuſcula carnium, carnes ipſæ, & piſces. 368.1.A.& ſeqq.
Pro febribus curandis inſtillationum vſum Dogmatici comprobant. 369.1.D. & ſeqq.
Febribus diuerſis ſicut & cuilibet enti Deus author naturæ durationes & tempora propoſuit, iuxta vniuſcuiuſque naturam. 369.1.C.
In febribus profundum ſomnum damnoſum probat experientia. 370.1.A.
Vide *Somnus.*
Febrium Humoralium differentiæ vnde ſumantur? 370.1.C.
Febres Humorales diuiduntur in Synochos, Bilioſas, Pituitoſas, & Quartanas, ſumpta diuiſione à cauſa. ibid.D.
Febris Synochus quid? ibid.E.
Vide *Synochus.*
In febre Humorali nullus eſt balneorum vſus. 373. 2.C.D.

Febris intermittens.

Febri intermittenti debetur ratione cauſæ, à qua pendet, quòd perueniat ad infebricitationem. 349.1.C.D.& ſeqq.
Febres ſubintrantes dicuntur intermittentes, & continuæ diuerſo modo. 349.2.A.
Circa febris intermiſſionem variæ referuntur opiniones 349.1.B.
In febre intermittente intermiſſio non eſt tempus febris prout hæc eſt formaliter morbus. ibid.E.
Licèt eaſe interuallum ſit pars febris, prout eſt intermittens. 350.1.B.
In febribus intermittentibus quinam ſit focus putredinis? variæ referuntur ſententiæ. ibid. 2. A.& ſeqq.
In febre intermittente humor putreſcens in varias corporis partes redditur. 351.2.E.
Vt febris fiat intermittens, quid requiratur? ibid. D.
Authoribus diuerſimodè focum putredinis in febre intermittente ſtatuentibus ſatisfit. ibid.2. E.& 352. 1.A.& ſeqq.
Febrium intermittentium varia ſigna in principio acceſſionum referuntur, & explicantur. ibid. 2. B. & ſeqq.
In febre Intermittente contingit horripilatio, fractio, frigus, & rigor. ibid.
In febre intermittente poteſt dari rigor abſque eo quod ſequatur acceſſio febris. ibid.2.E.
Vide *Rigor.*
In febribus intermittentibus paroxyſmi ſeu reditus periodici ſuperueniunt, & quæ ſit illorum cauſa? variæ proponuntur opiniones. 355.1.D.& ſeqq.
Febrium intermittentium acceſſionum & redituum ſanciuntur cauſæ. 356.1.E.& 2.A.B.
Contrariis Authorum opinionibus reſpondetur. ibid. C.& ſeqq.
Febrium intermittentium periodica repetitio vnde contingat? 357.1.B.
Aſtrologi illam aſtrorum viribus tribuunt, quorum opinionem nonnulli ſequuntur. ibid.C.
Alij ſpecificæ humorum formæ adſcribunt. ibid.
Alij humoris quantitati. ibid.
Alij Naturæ doctæ ſine Doctore. ibid.
In febribus intermittentibus determinatos periodorum decurſus ſancitur. ibid.D.E.
Febris intermittens an fieri poſſit ex ſanguine putreſcente? diſceptatur. 378.1.E.
Et negatiuè reſoluitur. ibid.2.C.& ſeqq.
Febris Continés quæ dicatur? 379.1.C.& 2.A.& ſeq.
Febris Continens à ſolo ſanguine fieri poteſt. ibid.1. E.& 2.A.

Febres

Febres ex bile ortæ cur à Galeno Continentes vocentur? 379.2.D.
Febrium triplex genus ex bile oritur; nempe Ardens, ſeu Cauſus, Tertiana Continua, & Tertiana Intermittens. 380.1.A.B.
Febris Ardens, Tertiana Continua, & Tertiana Intermittens in quo conueniant & differant? ibid.B.
Febris ardentis, intermittentis, continuæ, & tertianæ continuæ focus putredinis aſſignatur. ibid.
Febris ardens dicitur Cauſus a nimio incendio. ibid.
Febris ardens vocatur ignis ab Hippocrate. ibid.
Febris à ſincera bile putreſcente orta & ardens dicitur exquiſita. ibid.
Febris dum fit à bile mixta cum pituita aut melancholia, dicitur notha. ibid.
Febris ardentis & tertianæ nothæ in quo conueniant, & differant? & vtriuſque cauſæ quæ ſint tam internæ quàm externæ. ibid.C.
Febris ardentis ſigna pathognomica traduntur. ibid.D.
Febres ardentes periculoſæ. ibid.
In febre ardente ſanitatem promittunt coctionis ſigna, & alia quæ referuntur. ibid.
Febris ardentis peſſimum euentum præſtant ſigna tradita. ibid.E.
Febris ardentis varia à variis Sectis excogitantur remedia. 380.2.A.& ſeqq.
Febris ardentis & tertianæ continuæ indicationem à viribus deſumunt Dogmatici. ibid.B.
In his febribus qualem Dogmatici victum præſcribunt. ibid.
Febri ardenti vtilis eſt potus aquæ frigidæ. 381.1.D.
In febribus continuis vehementiſſimis ſanguinis miſſio prodeſt. ibid.E.
Febris continuæ biliosæ raram & mirabilem terminationem obſeruauit Author anno 1643. ibid. & 381.1.A. & ſeqq.
In Febre continua aut ardente ſi fiat terminatio ad partes extremas, venæ Sectio timenda. ibid.C.
Febris ardens exquiſita duplex eſt. 382.1.4.B.
Febris ardens & tertiana continua vbi & vnde fiant? 383.1.B.& ſeqq.
Febris ardens dupliciter ſumitur & explicatur. ibid.E.
Febris ardens diſtinguitur à Tertiana continua præcipuè ex calore ardentiſſimo & ſiti inextinguibili. ibid.2.D.E.
Vide *Cauſus*.
Febris ardens & aliæ quæcumque continentes critica euacuatione ſanguinis narium terminare valent. 384.1.E.& 2.A. & ſeqq.
In febribus humoralibus ſanguinis miſſio ex quocumque brachio, aut vena fieri poteſt cum pari vtilitate. 385.1.B. & ſeqq.
Pro febribus biliosis vtilis victus præſcribitur. 385.2.B. & ſeqq.
Febris humoralis putrida ex quouis humore ſeorſim, aut ſimul cum bile putreſcente oriri poteſt. 388.1 D.E.
Febres humorales dupliciter poſſunt conſiderari. 390.1 B.
Febris tertianæ exquiſitæ quidditas, cauſæ, ſigna, prognoſis, & curatio manifeſtantur. 386.1.C. & ſeqq.
Febris tertianæ ſpuriæ diagnoſis, cauſæ, ſigna prognoſis & curatio proponuntur. 390.1.D.E. & ſeqq.
Vide *Tertiana*.
Febris quotidianæ quidditas, diuiſio, cauſæ, ſigna & curatio explicantur. 396.1.A.& ſeqq.
Vide *Quotidiana*.
Febres intermittentes incipiunt cum frigore, horripilatione, aut rigore. 398.1.B.
Febris Lactea, quid? 399.2.C.& ſeqq.
Vide *Quotidiana*.
Febris quartanæ diagnoſis & prognoſis traduntur. 400.1.E. & ſeqq.
Vide *Quartana*.
Febris putrida.
In febribus putridis an ſit vtile ſanguinem mittere? ex variis Sectatorum opinionibus diſputatur. 458.2.D.E. & 459.1.A.& ſeqq.
Pro febribus putridis curandis conuenit ſanguinem mittere. ibid.E. & 2.A. & ſeqq.
In omni febre putrida an ſaluberrimum ſit ſanguinem mittere, Galeni doctrina quomodò ſit intelligenda, diſcutitur. ibid.2.E, & 460.2.A. & ſeqq.
Galeni doctrina de febribus quæ pendent ab humoribus cacochymis non eſt intelligenda. 460.1.D.E.
De febre putrida pendente ex vitio ſanguinis Galenus eſt intelligendus. ibid.E.ſeqq.
Febres humorales aliquæ pendent ab humoribus fluentibus in partes; aliæ verò ab humoribus conſiſtentibus. 461.2.E.
In febre humorali an ſanguinis miſſio indicetur ſolùm euacuationis causâ, vel etiam reuulſionis? inquiritur. 461.1.C. & ſeqq.
Ex diſtinctis reſolutionibus deciditur. ibid.2.E.& 462.1.& 2.A. & ſeqq.
In febribus putridis pendentibus ab humoribus cacochymis non indicatur ſanguinis miſſio. ib.2.C.
Febres putridæ pendentes ex vitio ſanguinis ſtatim à principio indicant ſanguinis miſſionem. 464.1.C.
In febris putridæ augmento quando poſſit exerceri ſanguinis miſſio? 465.1.C.D.
In febre putrida ſanguinis miſſio interdum fieri poteſt in ſtatu. ibid.2.B. & 466.2.A. & ſeqq.
In febris putridæ declinatione an liceat ſanguinem mittere, euacuationis & attemperationis causâ, ibid.2.C. & ſeqq.
In febre pendente ex humore cacochymo à ſanguinis commixtione ſeparato & ſupernatante, ſanguis non eſt mittendus. 467.2.E.& 2.A.& ſeqq.
In febribus duo tempora neque vniuerſalia & particularia repetiuntur, & qua ratione attendantur. 468.1.C.
In intermiſſione aut declinatione febris continuæ putridæ ſanguis mitti debet. ibid.1.A.ſeqq.
Febris Maligna.
In febre maligna an & quomodò debeat exerceri ſanguinis miſſio? 473.2.E. & 474.1.A.& ſeqq.
Febris Puncticularis, eſt putrida. ibid.
Febris maligna ſæpe incipit vt putrida & tracto temporis fit maligna. ibid.
Febres malignæ ſolent habere concomitantes aliquas excretiones ad cutem. ibid.2.A.B. & ſeqq.
In Febre maligna apparentes maculæ ſæpe ſunt ſigna victricia naturæ. 475.1.C.
In febre peſtilente pendente à ſanguine aut humoribus illi commixtis, exerceri debet ſanguinis miſſio, ſi vires permittant. 476.2.C. & ſeqq.
In febre peſtilente quo ex loco mittatur ſanguis; dubitatur. 477.1.B.& ſeqq.
In febre peſtilente & maligna ſanguinis miſſio maiori ex parte debet fieri ex brachij venis. ibid.E.
In febre peſtilente aut maligna, quando mittendus ſit ſanguis à venis pedum, ſtatuitur. ibid.2.B.& ſeqq.

Humo

Humores à quibus pendent febres ſunt in duplici differentia. 478.1.B.& ſeqq.
In febribus putridis vtilis eſt purgatio ſelectiua. 497.1.C.& ſeqq.
In febre peſtilente vel maligna primæ regionis purgatio in principio fieri poteſt. 590.2.D.
In febre peſtilente aut maligna ſelectiua purgatio non conuenit. ibid.1.E.
Febres ſudorificæ quæ? 551.2.C.
Non in omni febre putrida reperitur humorum vitium in motu. 576.1.C.
Febribus quibuſdam putridis denegatur ſanguinis miſſio reuulſoria. ibid.E.
In febribus putridis vt ſic debet mitti ſanguis ex brachio. 574.1.E.& 2.A. & ſeqq.
In febribus putridis licèt aliqua humorum portio reperiatur, non tamen propterea indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria. 577.1.C. & ſeqq.
In febre peſtilente aut maligna non indicatur ſanguinis miſſio reuulſoria regulariter. 580.1.D. & ſeqq.
Febre putrida manente, ſi ſuperueniat affectus indicans ſanguinis miſſionem reuulſoriam, quomodo phlebotomandum? 578.2.C.&ſeqq.
In febribus malignis ſi foueantur ex vitio ſanguinis in ramis cauæ deſcendentis, ex pede ſanguis mittitur. 581.1.D.& ſeqq.
Febris peſtilens & maligna qua ratione indicant ſanguinis miſſionem. ibid.1.B.
Febris maligna & peſtilens ſunt acutiſſimæ & celerius petunt remedium. ibid.C.
Febris peſtilentis minera eſt in omnibus venis. ibid. 2.C.
In omni febre vitandum ne humor trahatur in partem principem. 581.1.D.
In febribus nullam præter humorum motum, rationem mittendi ſanguinem ex pede, pluribus rationibus reſoluitur, & contrariæ opinionis argumenta latè refelluntur. 582.1. E. & 2.A. & ſeqq. & 583.per tot.
A febre putrida, prout pendet à vitio ſanguinis in Quali, indicatur ſanguinis miſſio vt remedium refrigeratorium per accidens. 584. 1.E. & 2.A. & ſeqq.

Fimus.

Sicut ex fimo equino putreſcente fit calor præternaturalis, fit ſimiliter ex putridis humoribus. 538.2.A.
Fimus vaccinus non tam citò putreſcit quàm equinus. ibid.
Ex fimo ratione putredinis oritur calor. ibid.B.

Finis.

Finis dicitur id, cuius gratiâ aliquid fit. 241.2.D.
Finis rationem habere non ſufficit vt aliqua entitas ſit bona. 242.1.B.
Finis rationem aliqui morbo tribuunt. 241.2.E.
Vide *Cauſa.*
Omnis cauſa operatur propter finem, licèt omne quod producitur, non ſit finis, propter quem cauſa operatur. 241.2.B.

Fœmina

Fœminam maſculo calidiorem qui tenuerint. 43.1.E.
Fœmina citiùs ad augmentum peruenit, generat, aliáſque elicit operationes à calore procedentes quàm maſculus. ibid.& 44.1.A.
In fœmina pulſus celerior eſt quàm in maſculo, & ſanguis copioſior, & ita promptior. 44.1.B.
Fœmina maſculo frigidior iudicatur. 44.1.C.& ſeq.
Fœmina intenſiorem calorem habet aſcititium quàm maſculus, non natiuum. ibid.2.B.
Fœmina neceſſaria eſt pro hominis generatione. 153.1.E.
Fœmina cur dicitur Animal deficiens. 153.2.B.
Fœmina etiamſi non generaret ſemen, eſſet neceſſaria pro generatione. 153 2.C.
Fœminas ſemen prolificum non generare qui teneant? 153.2.D.& ſeqq.
Fœminis generatio ſeminis prolifici tribuenda eſt. 154.1.C. & ſeqq.
Fœmina habet omnia organa apta pro ſemine generando. ibid.E.
Fœminæ ſemen an aliquid actiuitatis habeat. ibid. 2.C,
Fœminæ morbi hæreditarij apparent ſæpius in genito, & vnde id fiat? ibid.
Fœminæ quibus abſcinduntur teſtes ineptæ ſunt ad generationem. ibid.D.
Fœminæ in quo differant & conueniant cum Eunuchis. 153.1.B. & 155.1.C.
Fœmina an potuerit concipere ex ſemine à viro in balneo reiiecto. ibid.
Fœmina ſine ſeminis emiſſione non generat. 154. 2.B.
Fœmina ſe ſola non generat, licèt prolificum ſemen emittat. 153.2.D.
Fœmina fœmineum tantùm præſtat ſemen. 156.1. B.
Fœminæ quod tempus pro generatione eſt deſtinatum. 158.1.D.
Fœminæ productio ſeminis frigiditati tribuitur. 177. 2.C.
Fœmina & maſculus ſolùm differunt differentia accidentali ex actiuo aut paſſiuo principio deſumpta. ibid.D, & 178.1.B.C.
Fœmina ſiue multipara, ſiue vnipara determinatum ſemper habet naſcendi tempus. 699.1.C.D.
Fœminæ vterum gerentis & eorum varij alimenti & ſanguinis motus. 708.1.B.C.
Fœminæ enixæ vterum prohibebantur à templo ob moralem ſignificationem. 709.2.E.
Fœmina generat molam abſque ſemine viri ſicut gallina oua abſque gallo. 715.1.E.

Fœtus.

Fœtus aliquando matri, aliquando patri fit ſimilis. 155.2.E
Fœtus ab vtroque parente vt partiali agente fit. 156. 1.C.
Fœtus formatur ex ſanguine menſtruo. 158.1.D.E. & 2.A.
Vide *Sanguis menſtruus.*
Fœtus formatio an ſine ſanguine menſtruo fieri poſſit? 158.1.& 2.C.
Fœtui in vtero debita duratio rarò per annum ſæpius menſuratur per menſes. 699.2.B.
Fœtus in vtero quo tempore formetur, iuxta diuerſos Authores. 709.1.B.& ſeqq.
Fœtus omnes non in æquali temporis ſpatio exornantur. 710.2.C.D.
Fœtus ſecundum diuerſam temporis durationem diuerſimodè in vtero geſtati. 714.2.E.& ſeqq.

Fontanella.

Fontanella vtilis pro præcauenda epilepſia contracta ex vteri materni inquinamento. 677.1.D.
Fontanella vtilis, etſi ea neque Hippocrates nec Galenus vſi fuerint. 678.1.C.
Fontanella extremum remedium ad præcauendam epilepſiam. ibid.1.E. & ſeqq.
Fontanellæ vſus pro morbis ex crudis humoribus à capite ortis apud quaſdam gentes. 679.1.C.

Fontanellæ vſus à multis Medicinæ Authoribus comprobatus. 679.1.E.
Fontanella præcautorium remedium pro fluxione frigidorum humorum. 680.1.B.
Fontanellæ locus in dextro crure in parte interiori per quatuor digitos infra genu. 681.2.D E. & ſeq. 682. A.B.& 686.C.D.
Fontanellæ vſus pluribus fundamentis impugnatus. 681.1.E.& ſeqq.
Fontanellæ plurium generum morbos grauiſſimos curant. 683.1.D.
Fontanellæ vſus impugnatur & impugnationibus reſpondetur. 683.1.E. & ſeq. 684.& 685.
Fontanellæ pericula proueniunt præcipuè ex mala eius adminiſtratione. 685.2.E.

Forma.

Formæ morbus non datur diſtinctus ab intemperie, mala compoſitione,& ſoluta vnitate. 203.1.D.& ſeqq.
Vide *Morbus*.
Forma eſt quæ dat eſſe rei. 241.2.A.
Formæ ſeipſis habent eſſe tales. ibid.C.
Formalem cauſam an morbus habeat ? ibid.
Vide *Cauſa*.

Forma mixta.

Forma mixta eſt indifferens ad ponendam mixtam diſpoſitionem,& à quo determinetur ? 18.1.C.
Forma mixta excludit formam propriam Elementorum. 20.2.A.
Forma mixta non poteſt introduci in materia niſi præcedente mixta diſpoſitione quæ corrumpit formam Elementorum. ibid.B.
Forma mixta eſt vna,& vnam tantùm Informat materiam. ibid.C.
Forma mixta virtualiter continet Elementorum formas. 21.2.A.
Forma mixta producit qualitates primas prout communicat in virtute cum formis Elementorum. 22.2.B.
Forma mixta introducitur cum diſpoſitionibus remiſſioribus. ibid.D.
Forma mixta viuens habet virtutem illimitatam Qualitatum primarum productiuam. ibid.E.& 23.1.A.& ſeqq.
Forma mixta ſubſtantialis per quid determinetur ad productionem primarum qualitatum ? 24.2. C.
Forma mixta producit mixtam diſpoſitionem in quacumque parte materiali mixta. 31.1.C.
Sub mixta forma eodem modo ſe habent materiæ Elementorum quoad receptionem primarum qualitatum poſt mixtionem, ſicut ſe habebant ſub formis Elementorum in mixtione. ibid.D.
Forma mixta nullam valet informare materiam, quæ non conſtet ex omnium Elementorum materiis. 34.1.B.

Frigidus.

Frigidi alij à cauſis naturalibus, alij ab accidentalibus. 702.2.B.

Fuligo.

Fuligines ſunt frigidæ. 257.1. C.& 258.1. C. D. & ſeqq.
Fuligines au dentur in corpore. 258.1.A.
Fuligines inter cauſas morbi frigidi ponuntur à Galeno, & calorem ſuffocant. ibid.C.

Furor.

Furor maximè apparet in energumenis, & obſeſſis. 747.1.D.

G

Galenus.

GAleni ſenſus de inæqualitate pulſus abſque vitio inſtrumenti. 655.1.C.
Galeni & Hippocratis doctrina comprobat fontanellæ vtilitatem & neceſſitatem. 678.2.E.
Galenus & Hippocrates numquam miſerunt ſanguinem ex talo in grauidis. 695.1.E.

Gallina.

Gallina ſe ſola ouum generat. 155.2.C.

Gaudium.

Ex gaudio quidam perierunt corde refrigerato ob ſpirituum vitalium ſparſionem ad cutem. 123.2 D.

Generans.

Generans dupliciter aliquid facit. 16.2.C.

Generatio.

Generatio eſt medium à Natura conceſſum ad rerum ſpecies perpetuandas. 151.1.C.
De Generatione Doctores tractantes referuntur. ibid. D.E.
Generatio quotuplex. ibid.2.C.
Generationem ſubſtantialem qui non admittant ? ibid.E.
Generationem ſubſtantialem rerum ſancivit Author. 155.1.A.
Generatio ſubſtantialis quid ? ibid.C.D.
Generatio perfecta viuentium ſublunarium eſt proceſſio viuentis à viuente ſecundùm rationem ſimilitudinis. ibid.E.
Generatio viuentium tripliciter ſumitur. ibid.& 2.A.
Generationis veram habet rationem hominis productio. 152.1.E.
Generari poſſunt animalia imperfecta abſque fœmina. 153.1.D.
Ad Generationem animalis fœmina neceſſaria eſt. 154.1.E. & ſeqq.
Generare non poteſt ſola fœmina. 155.1.D.
Generationis tempus in fœminis ab anno 14. vſque ad 50. 158.1.D.
Generatio hominis an ſine ſanguine menſtruo fieri poſſit ? 158.1. & 2.C.

Gonorrhœa.

De Gonorrhœa & bubonibus gallicis qui tractauerint ? 591.2.B.C.
In Gonorrhœis & ſimilibus morbis quo loco ſanguinis miſſio debeat exerceri, variant Doctores. ibid.
Gonorrhœa quid ſit ? ibid.C.
Gonorrhœa eſt affectus præter naturam. ibid.D.
In Gonorrhœis & aliis bubonibus venereis ſemper expedit ſanguinem mittere ex pede. ibid.E.& 592.1.A.& ſeqq.
In Gonorrhœis complicatis cum aliis affectibus fluxione ortis diuerſam venarum ſectionem indicantibus, quid agendum ? 592.2.E.& 593.1.A.& ſeqq.
Vide *Indicatio*.
In Gonorrhœis complicatis cum aliis affectibus ſuperiorum partium, ſanguinis miſſio ex pede fieri præſtat. ibid.

Gyrus.

Qui in Gyrum mouentur, ſenſu & motu priuantur, & vnde id contingat ? 109.1.E.

H.

Habitus.

HAbitus quomodo ſit facilè vel difficilè mobilis ? 184.1.A.

Habitus

Habitus, & diſpoſitio in quo conueniant & differant. 186.1.D.
Habitus duplex eſt. 197.1.A.& B.& 198.1.B.C.
Habituales quidam morbi dicuntur, ſed non habitus. 198.2.B.
Habitus & diſpoſitio ſunt in duplici differentia. 284.1.E.
Habitualis qualitas quæ dicatur? 315.2.A

Hæmorrhois.

Hæmorrhoïdes quid ſint, & à quibus venis procedant? 570.1.E. & 2.A.
Hæmorrhoïdes aliæ ſunt internæ à ramo ſplenetico ortæ,& ex vena porta; aliæ externæ ab iliaco ramo ortæ ex vena caua deſcendente prodeuntes. ibid.2.E.& 571.1.A.& ſeqq.

Hectica.

Hecticus calor,& ſiccitas ſunt habituales, & à propria forma producuntur in corde. 207.1.D.
Hectica febris qua ratione vocetur à Galeno Intemperies æqualis? 214.2.C.& 215.1.A.
Hecticæ febris diagnoſis. 309.1.B.
Subiectum emanationis Hecticæ ſancitur. ibid.E.
Subiectum proprium inhæſionis Hecticæ aperitur. ibid.1 B.
Nomine febris Hecticæ quid intelligendum? ibid. D.
Hectica ſuperueniente calor febrilis eſt in omnibus partibus, & ab eo læduntur operationes. 310.1.C.D.
Hecticæ febris variæ definitiones referuntur. 310.1.E.
Hecticæ vera adducitur definitio,& explicatur.ibid.2.B.& ſeqq.
Febris Hectica in calore conſiſtit. 311.1.B.& ſeqq.
Calor febris Hecticæ eſt præternaturalis. ibid.2.C.D.
Febris Hecticæ calor eſt habitualis. 312.1.E.
Hecticæ intemperies qualis ſit. 315.2.E.
Hecticæ calor non ſentitur ab ægrotante. 313.1.A.
Hecticæ negatur æqualitas intemperiei in diuerſis partibus. ibid.1.C. & ſeqq.
Hecticæ febri quænam propria ſit inæqualitas intemperiei,ſancitur. 313.2.A.& ſeqq.
Hectica febris pullulat ab anima vt determinata per temperamentum ſubſtantificum peruerſum.ib.2.E.
Hectica febris non dependet à cauſa externa fouente illam,niſi per accidens. 314.2.D.
Hectica febris dependet continenter ab anima vt determinata per ſubſtantificum temperamentum præternaturale. ibid.D.E.
Doctrina Galeni,quòd Hectica febris eſt independens à cauſa, variis modis explicatur à Doctoribus 314.1.D.& ſeqq.
Hecticæ febris calor ex natura ſua facilè mobilis eſt, ſed ex modo quo inhæret, difficilè mobilis fit, & habitualis. ibid.2.E.
Hecticus calor non fit difficilè mobilis per productionem ſecundæ qualitatis conſeruatiuæ illius. 315.1.A.
Hectica febris habet intra ipſum viuens cauſam productiuam & conſeruatiuam. ibid.B.C.& ſeqq.
Hecticæ independentia explicatur. ibid 2.C.
Hecticæ febris calor eſt intenſibilis & remiſſibilis ab intrinſeco. 316.1.B. & ſeqq.
Febris Hecticæ calor non intenditur propter ſiccitatem adiunctam. 315.2.E.
Neque ratione nouæ vſtionis aut putredinis in corde. 316.1.C.D.E.
Hecticæ febris calor eſt habitualis non verò habitus ibid.F.
Hecticæ febris ratio intrinſeca non conſiſtit in ſiccitate. 317.1.E.
Hectica febris variè à variis Auctoribus deſcribitur 317.2.D.
Hecticæ differentiæ particulares aliquæ referuntur. 318.1.C.
Hectica alia eſt Simplex,alia Complicata. ibid.
Hectica alia Primaria,& alia Secundaria. ibid.
Hectica alia dependet à cauſa per accidens, & per ſe ſimul; alia à ſola cauſa per ſe illius, vbi vtraque cauſa explicatur. ibid.D.
Hectica febris ex diuerſo modo quo complicatur cum ſiccitate, habet tres differentias accidentales, quæ referuntur. ibid E.
Hecticæ febris cauſa quid ſit? 318.2.D.
Hecticæ febris cauſa duplex eſt. ibid.E.
Hecticæ cauſa prior eſt ſubſtantia viuentis, quæ iterùm diuiditur in Efficientem, & Determinantem. 319.1.B.
Hecticæ cauſa poſterior eſt entitas diuerſa à viuentis ſubſtantia coadiuuans ad peruertendum ſubſtantificum temperamentum. 318.2.E.& 319.D E.
Hecticæ cauſa non viuens iterùm diuiditur. ibid.E.
Cauſæ remotiores non viuentes febris Hecticæ aliæ coadiuuant pro calore diſponendo, aliæ ipſum intendendo. 319.2.C.
Hectica febris induci poteſt à cauſa procatarctica abſque alia præcedente febre. ibid.2.E.
Hecticæ febris ſigna proponuntur illam diſtinguentia ab aliis febribus. 320.1.E.
Hecticæ febris gradûs ſigna conſiderantur. ibidem 2.B.
Hecticæ febris tres gradus ſunt. ibid.
Hecticæ tertius gradus incurabilis eſt. ibid.C.
Hecticæ febri proprium ſignum eſt incaleſcentia poſt vnam aut alteram horam ab aſſumpto cibo. 321.1.B.& ſeqq.
In Hectica iecur vehementer appetit & attrahit alimenti portionem. 321.1.D.
In Hectica duplex ſumitur indicatio. 322.2.A.
Hecticæ curatio prætenſa extra Dogmaticorum Scholas proponitur & refellitur. 322.1.C. & ſeqq.
Hecticæ febris curatio Dogmatica adducitur. ibid. E.
Indicationes curatiuæ febris Hecticæ conſiderantur. ibid.2.A.B.C.
In Hecticæ curatione aëris vſus eſt attendendus. 322.2.D.& ſeqq.
Pro Hecticæ curatione vtilis aër præſcribitur. 323.1.D.
Pro Hectica febre curanda balneum eſt vtiliſſimum. 323.2.D.
Vide *Balneum*.
Pro Hecticis curandis balnei vſus ab Auctore præſcribitur. ibid.
In Hecticis pro vſu & remedio ſunt inunctiones attemperantes & humectantes. 324.1.A.
Vide *Inunctio*.
Hecticis victus ratio præſcribitur. 324.2.B.
Iuſcula & Iulepi referuntur Hecticis vtilia. ibid. B. & ſequent.
Pro Hectica curanda communior deſtillationum vſus aſſignatur. 325.1.A.B.C.
Hecticis lac præ reliquis alimentis optimum eſt. ibid.D.
Hecticis traditur modus vtendi lacte. ibid.D.E.
Pro Hecticorum nutritione teſtudinum & limacum carnes,& ex eiſdem ſyrupi commendantur. 326.1.B.
Pro Hecticæ curatione ranarum vſum probat euentu Zacutus. ibid.C.
Hecticis lethalis eſt vſus magnorum auxiliorum.ibid.2.B.C.

Hecticæ

Hecticæ tres grados conſtituuntur. 457.a. E. & 458. 1.A.
Hectica nullo in gradu indicat ſanguinis miſſionem. Ibid.D.
Hectica conſiſtit in hoc quòd ſit calor habitualis pendens à temperamento ſubſtantifico peruerſo per exceſſum partium ignearum. ibid.
Hectica curatur humectantibus remediis, frigidam & humidam ſubſtantiam reponentibus. ibid.E.
Hectica ſi complicetur cum Humorali, & vires ſint conſtantes, an liceat ſanguinem mittere? ibidem a.C.

Hemicranea.

Hemicranea & Epilepſia morbi Hiſpaniarum Principis à matre hereditarij. 676.1.D.
Hemicranea & Epilepſia neceſſarium indicant fontanellæ vſum. 677.a.D.

Herniſta.

Herniſtæ in curandis herniis perficiunt curationem abſque abſciſſione, aut auulſione teſticulorum. 671.1.D.

Hippocrates.

Hippocrates & Galenus fontanellæ non meminerunt ad præcauendam epilepſiam. 678.1.C.
Hippocrates & Galenus numquam miſerunt ſanguinem ex talo in grauidis. 695.1.E.
Hippocratis doctrina componitur cum ſacra Pagina iuxta lochiorum computationem, & durationem. 709.1.E.

Homo.

Homo in prima ſui creatione à Deo factus eſt ex quatuor Elementis. 58.a.D.
Homo eſt temperatior cunctis mixtis. 39.a.C.& D.
In Homine non reperitur temperamentum ſubſtantificum æquale ad pondus. ibid.E.
In qua proportione fuerint Elementa in Homine in prima ſui formatione ex D.Thoma. ibid.
Homo cur naturali motu non deferatur ad motum ignis aut aëris. ibid.E.
Homo in ætatum mutatione pertranſit à prædominio partium humidarum & calidarum ad prædominium ſiccarum. 39.a.D.& 40.1.A.
Homo in pueritia & in ſenectute abundat prædominio partium terrearum. 40.1.B.
Homo ad ſcientias addiſcendas natus. 40.a.E.
Hominis temperamentum diuerſum ex ætatis mutatione. 41.1.E.
Homo an perfectiori modo vitales operationes exerceat quam reliqua animantia. 42.a. A. & 43. a. A. & B.
Homo melancholicus an mentis actiones perfectiùs eliciat quàm biliouſus, alteriúſve temperiei. 42.a.B. & 43.1.C.D.E.
Homines ingenio & ſcientia claros melancholicos fuiſſe, ex Ariſtotele. 43.1.E.
Vide *Melancholia.*
Hominis generatio & principia à quibus pertractentur? 151.1.C.
Hominis generatio quid? 152.a.E.
Homo generans hominem verè conſtituitur in eſſe patris. ibid.
Homo totus morbus eſt. 517.1.B.
Hominis præſtantia deſcribitur, quæ morte præfinitur. 736.a.E.

Humiditas, Humidus.

Neceſſarius eſt Humorum tranſitus in quatuor ſecundas humiditates, vt nutrire valeant. 82. 1. C.& ſeqq.
Humiditates ſecundæ ſunt formæ mediæ, ſine quibus humores non nutriunt. 83.1.A.
Humiditates ſecundæ quatuor. ibid.C.
Humiditates ſecundæ qualiter inter ſe differant. 83. 1.D.
Secunda humiditas extra venas ſpargitur, & formam roris admittit. ibid. E.
Tertia humiditas ſolùm differt à ſecunda circa maiorem vel minorem craſſitiem. ibid.
Quarta humiditas viuentis formâ informatur. ibid.
Humiditas quarta & ſecunda an & quomodo ab aliis differant? 83.a.E.
Humiditates ſecundæ quales ſint, & quodnam earum officium. 83.a.C.E.& 84.1.B.
Secundæ humiditates qualiter ordinantur in nutritionem partium. 83.a.D.& 84.1.C.
Secundæ humiditates an poſſint informari formâ viuentis, & quomodo? 84.1.B.
Humidarum corporis partium ordo. 58.1.D.
Pituita an præſtet humiditate cæteris partibus. ibid. & a.D.
Sanguis an ſit humidus? ibid.E.
Pinguedo, & Adeps an ſint pituitâ & ſanguine humidiores. 58.1.& a.E.
Cerebrum, & Nuca an dicantur humida? 58.a.A.& E.
Explicatur Auicenna repugnans pulmonis humiditati. 58.a.B.& 59.1.B.
Humidæ partes ex mollitia cognoſcuntur. 58.a.B.

Humidum radicale.

De humido radicali Doctores tractantes referuntur. 110. 1.D.
Humidum radicale coniunctum eſt calori innato. 115. 1.E.
Humidum radicale à calido innato quomodo diſtinguitur. 114.1.C.
Humidi radicalis variæ deſcriptiones referuntur. 114. a.A.
Humidum radicale quid ſit? ibid.B.& C.
Humidum radicale non eſt pabulum calidi innati. 115. 1.B.& ſeqq.
Humidi radicalis defectu quomodo deficiat calidum innatum. 115.1.B.
Humidi radicalis neceſſitas indicatur. 115. a. C.& ſeqq.
Humidum radicale ſicut & calidum innatum ſunt materia apta pro reſolutione animalis. ibid.E.

Humor.

De humoribus Doctores tractantes referuntur. 72.1. C.D.E.
Humores in corpore negat Paracelſus. 72.a. C.& D.
Morbi an ex humoribus proueniant? ibid.
Humores in corpore dari ad ſenſum patet. 73.1.B. & C.
Humores in corpore admittit Hippocrates & vera Philoſophia. ibid.D.
Ex humoribus nutritur corpus. ibid.D.& E.
Humores in maſſa ſanguinaria an ſint actu & formaliter diuerſi? 73.a. C. vbi negatiuam tenet Fernelius.
In humoribus reperiuntur omnes conditiones ad mixtionem neceſſariæ. ibid.C.
In quocumque corpore humano quatuor humores actu intra venas diſtincti reperiuntur. 74.1.A.
Humorum generatio ſubſtantialis debetur iecori. ibidem C.
Humores ſunt propter partium nutritionem. ibid.
Humores in propriis receptaculis ſunt ſub propria forma. 74.a.C.
Humor vt nutriat, qualis in eo debeat ſufficiat? 74.a.E.

Humores quatuor ſunt in ſanguine, ex quibus materia ad generationem deſumitur. 75.1.A.
Humoris definitio ex Auicenna proponitur & impugnatur. 75.1.B.& C.
Vera humoris definitio ſancitur & explicatur. 75.1.D.E.
Humores æquiuocè dicuntur chylus, lac, ſemen, & pituita gipſea. 75.2.A.& C.
Humor naturalis quotuplex ſit? variæ referuntur ſententiæ. 75.2.E.
Humor naturalis quadruplex admittitur, 76.1.B.& ſeqq.
Quatuor humores poſſunt catarthico medicamento purgari. ibid.E.
Quatuor humores ſectâ venâ in ſanguine miſſo deprehenduntur. 76.2.B.
Humorum cauſa materialis eſt tantùm chylus. 77.1.O & ſeqq.
Humores à quibus corporis partibus generentur? variæ referuntur ſententiæ. 78.1.A.
Pro humorum generatione an ſint varia in corpore principia à iecore diſtincta? 78.1.B.& 2.D.
Humor quilibet habet qualitates primas quibus valet alterare paſſum, & quomodo? 78.2.E.
Humores ſola vi iecoris poſſe generari deciditur. 78.1.D.& E.
Quatuor Humores ab vno & eodem iecoris calore producuntur. 79.1.C.D.E.
Quomodo idem numero calor in iecore diuerſos generet humores. 79.2.B.
Vide *Iecur*.
Humores naturales ſunt inter ſe ſpecie ſubſtantiali diſtincti. 80.1.D.E.
Humores ita ſe habent in maſſa ſanguinaria vt lapidea in aceruo. ibid.
Quatuor humores in vena ita ſe habent ſicut quatuor Elementa in hoc vniuerſo. ibid.2.A.
Humores an generentur à iecore ſicut in muſto generatur vinum, feces, & ſpuma. ibidem. 1. A. & 2.C.
Omnes humores naturales ſunt propter partium nutritionem. 81.1.D.
Humor quilibet etiam à ſanguine diſtinctus nutrire valet partem ſibi proportionatam in modo ſubſtantiæ? 81.2.A.
Humor quilibet qualiter deſeruiat ad nutritionem? ibid.
Humor vt nutriat, debet reſarcire ſubſtantiam rei nutritæ, & quomodo id intelligendum? 82.1.D.
Omnis humor cum ſit mixtum, conſtatur ex omnibus Elementis. 82.2.A.
Humores non poſſunt nutrire niſi mutentur in humiditates ſecundas. 82.2.C.& ſeqq.
De humore quolibet, Vide *propriis locis in particulari*.
Quatuor humores naturales quatuor anni temporibus, & quatuor Elementis reſpondent, & quomodo? 86.1.D. & 87.1.A.
Humor non poteſt eſſe ratio conſtitutiua temperiei cum affluxu. 212.2.E.
Idem numero humor in vna parte efficit tumorem, in alia non. 213.1.C.
Humores Paracelſus & Van Helmont in corpore non admittunt. 327.1.A.
Quatuor humores dari ratione & experientiâ comprobatur. 327.2.C.& ſeqq.
Humores quatuor in corpore humano admittendi quatuor Elementis reſpondentes. 336.2.A.
Humores recedunt à naturali ſtatu in quali vel in quanto. 337.1.E.
Humores putredinem pati poſſe ſancitur. 338.1.B. & ſeqq.
In Humoribus nullam putredinem agnoſcit Van Helmont, cuius fundamenta referuntur, illiſque fit ſatis ab Authore. 337.2.A.& ſeqq.& 338.1.E.& 2. A.& ſeqq.
Vnus humor poteſt putreſieri, reliquis non putrefactis. 345.1.D.E.
Sancitur modus quo fit in humoribus præternaturalis calor habitualis ratione putredinis. 346.1.D. & ſeqq.
Humores ſunt cauſa materialis morborum magnorum. 412.1.E.& 413.1.D.& ſeqq.
Humorum cacochymia non indicat ſanguinis miſſionem. 438.2.D.& ſeqq.
Humores intra venas duplex vitium in quali pati poſſunt. 439.1.E.
Humorum turgentia numquam indicat ſanguinis miſſionem. ibid.2.D.
Humores à quibus pendent febres humorales, ſunt in duplici differentia. 478.2.B.& 481.2.D.E.
Humores intra venas poſſunt cum ſanguine tripliciter reperiri. 482.1.B.
Humor ſupernatans non eſt pars ſanguinis, & eſt ſubiectum purgationis, & obiectum facultatis expellentis. 482.1.E.
Humores cum ſanguine in venis vt in propriis receptaculis pro partium nutricatu continentur. 481.2.E.
Humor qui obiectiuè turget tantùm, non ſtatim ſemper purgationem indicat. 490.2.D.
Humores, qui analogia proportionis turgere dicuntur, regulariter ſunt eadem die purgandi. ibid.2.E.
Humores turgentes etiam analogia proportionis, & purgationem indicantes quando purgari non debeant? declaratur. 491.1.B.& ſeqq.
Humores euacuandi lenitiua purgatione ſunt in multiplici differentia. 495.2.C.
Humor putridus poteſt ſine plenitudine febrem cauſare. 493.2.E.
Humores licèt quis non admittat, debet admittere diuerſas præternaturales ſubſtantias in corpore febres cauſantes, & purgatione indigentes. 493.1.B C.
Vide *Purgatio*.
Humores diuerſi diuerſis anni temporibus redundant. 503.2.A.
Humores cacochymi fiunt ex variis cauſis. ibid.E.
Humores maligna qualitate infecti dum in propria emunctoria truduntur, eorum motus iuuari debet, non autem reuelli. 592.1.A.B & E.
Humorum fluxus dum fit à partibus principibus in ſua emunctoria non vtimur communibus indicationibus ad vitandum retroceſſum. ibid.2.A.
Humore fluente in propria emunctoria in Gonorrhœis & ſimilibus bubonibus, licèt euacuatio videatur ſymptomatica, eſt vtilis & debet iuuari. ibid.
Humores noxij & excrementitij feruntur cum ſanguine & ſpiritibus in propria emunctoria. 604.2.B.
Humores dum intra venas perſiſtunt ſupernatantes, an ſeparentur à ſanguinis commixtione. 652.2.C.
Humores intra venas poſſunt cum ſanguine tripliciter reperiri. ibid.1.E.
Humor ſupernatans non eſt pars maſſæ ſanguinariæ. ibid.2.C.
Humores ſupernatantes & cacochymi poſſunt intra venas reperiri cum ſanguine, ab illo tamen ſeparati. 653.1.C.
Humor debet ſuperabundare vt ſeparatus à ſanguinis

nis commixtione dum indicat purgationem. ibid.D.
Humor ſupernatans in venis ſeparatus à ſanguinis commixtione ſe habet ſicut butyroſa lactis ſubſtantis. ibid.D.
Humor à ſanguine ſeparatus poteſt tripliciter fieri ſupernatans. 654.1.A.
Humorem eſſe ſanguinem vel ſanguini commixtum vnde dignoſcatur. 655.1.B.
Humor ſiendo inutilis non eſt cacochymus. 656.1.B.
Humoris melancholici natura,& malus eius mos detegitur. 723.1.B.

I.

Iecur.

Iecur humores generat in quo formam ſuam recipiunt. 74.1.B.& C.
Iecoris neceſſitas an ſit maior quam ventriculi. 77.2.B.
Iecur eſt origo & principium omnium venarum. 78.2.A.& 2.D.
A iecore omnes quatuor humores naturales producuntur. ibid.1.E.
Iecori humores ſunt ſimiles in modo ſubſtantiæ & in accidentibus. 78.1.A.
A iecore eodem modo ſe habente & cum eadem caloris intenſione quatuor humores producuntur. 79.1.C.D.E.
In iecore diverſæ partes materiales ſunt,quarum quælibet aptior eſt pro vno quam pro alio humore generando. 79.1.E. & 2.A.
Iecur duplici actione concurrit ad humorum productionem. 79.1.E.
A iecore quadruplici actione ſubſtantiali generantur humores. 80.1.D.
Iecur ita ſe habet in eſſe cauſæ æquiuocæ ad productionem humorum, ſicut cœlum ad productionem metallorum,murium,&c. ibid.B.
Iecur eſt pars Corporis princeps vna. 98.1.E.
Iecur eſt venarum origo. ibid.
Iecori nulla adſcribitur influens qualitas. 105.1.B. & ſeqq.
Iecur quid influere dicatur. 105.1.E.
Iecur eſt opifex perfectorum humorum. 566.1.D.
Iecur eſt principium & origo venarum, per quas humores corpori impartiuntur. ibid.
Iecur eſt pars princeps à qua fit ſanguis,propria ac inſitâ vi. ibid.2.E.
Iecur eſt origo venarum lactearum. 568. 2. A & ſeq.

Ieiunium.

Ieiunij diurni variæ Authorum opiniones. 741.2.C.D.& ſeqq.

Ignis.

An ſit ſummè calidus. 13.2.D.
Ignis an proprium locum habeat, & vbi reperiatur iuxta Veterum opinionem. ibid.D.
Ignis an habeat ſiccitatem. ibid.E.
Ignis habet calorem in ſummo, & ſiccitatem prope ſummum. 14.1.B.
Ignis proprium locum habet ſub concauo Lunæ. 14.1.C.
Igni ſiccitas maximè conuenit vt reſiſtat ſummæ Aëris humiditati. ibid.D.
Ignis cur non propriam humiditatem conſumit. 16.1.B.
Ignem non dari in Elementis putauit modernus Van Helmont. 327.1.D.
Ignem dari omnis Philoſophorum Schola clamat. 358.1.E.
Ignem dari ſub concauo Lunæ renuunt Pythagorici. 336.1.E.
Ignis ſub concauo Lunæ admittendus. 336.2.D.
Ignis cur à Moyſe in Geneſi mentio non fit? 337.1.C.
Ignis Elementalis neceſſarius eſt ob Vniuerſi compoſitionem. ibid.D.

Imaginatio.

Imaginatiua facultas differt à ſenſu communi. 149.1.C. Vide *Phantaſia.*
Imaginatio in parentibus immutare poteſt indiuidualem aſſimilationem in fœtu. 180.1.B.& ſeqq.
Imaginatio quomodo dirigit facultatem formatricem. ibid.E.
Imaginatio an habeat vim mouendi localiter. 253.1.E.
De viribus Imaginationis qui ſcripſerunt. ibid. 2.A.B.

Impotens.

Impotentium diuiſio à Iuriſconſultis, & alia diuiſio à Medicis. 671.1.A.
Impotentes pluribus modis fiunt. ibid.1.B.
Impotentes ab arte quatuor modis fiunt. ibid.
Impotentes homines fiunt ope dæmonum ſex modis. 672.1.D.
Impotentes ab arte ad generandum facti quadrupliciter fiunt. 673.1.E.

Impotentia.

Impotentia ſicut & aliæ prauæ corporum alterationes poſſunt à dæmone cauſari. 703.1.E.
Impotentia ex maleficio poſſibilis. 704.2.C.
Impotentia ſex modis cauſatur. ibid.
Impotentiæ ex maleficio curatio difficilis. 705.1.B.
Impotentiæ ex maleficio curatio triplex. ibid.
Impotentiæ curatio Empirica diuerſa. 705.1.D.
Impotentiæ curatio magica parum tuta,& ob commercium cum dæmone prohibita. 705.2.A.B.
Impotentiæ cuilibet curandæ diuerſa remedia dogmatica. 706.1.D.
Impotentiæ curationis auxilio diuino obtinendæ modus, & remedium. ibid.2.D.

Indicatio.

Indicationes duæ quando concurrunt, altera euacuandi, & altera reuellendi, quænam præferri debeat? 478.1.B.C.
Indicatio ſumpta æqualiter à Plethora & à Cacochymia ſimul exiſtentibus in venis, quæ præualere debeat? 484.2.E.& 508.1.E.
Indicatio purgandi,vel ſanguinem mittendi non à parte affecta,ſed ab humore ſumitur. 501.2.D.
Indicationibus complicatis, qua ratione ſit reuellendum. 592.2.E.
Duabus Indicationibus ſuperuenientibus illa eſt exequenda,quæ morbum,à quo indicatur,curare poteſt ſine læſione alterius. 591.1.A.
Indicationibus complicatis ad id quod magis vrget, altero non neglecto, attendendum. ibid.C.
Pluribus indicationibus concurrentibus præualet ea, quæ naturæ coadiuuandæ gratiâ ſumitur. ibid.E.
Indicatio mittendi ſanguinem & purgandi vnde deſumatur. 653.2.B.

Indiuiduum.

Pars princeps conſtituitur in ordine ad ſuum indiuiduum. 99.2.B.& E.
In indiuiduo duplex eſſe conſideratur. 100.1.B.

Inflammatio.

Inflammatio interna an, & quando purgari debeat. 505.1.E.& 506.1.E.
Inflammatione ſuperueniente in ſuperioribus regionibus ſanguis mittitur ex brachiis. 588.2.C.
In inflammatione veteri quando reuulſio perat fieri verſus originem ex brachij venis. 589.1.C.

Inflammatio in ſuperioribus partibus quæ fouetur à vena porta, ſeu caua deſcendente, verſus illas fit attractio à pedum venis. ibid.
Inflammatio ſuperiorum partium quæ fouetur à iecore ſeu à venis cauæ aſcendentis fit reuulſio a brachij venis. ibid.
Inflammatio vteri etiam in grauidis petit curari per ſanguinis miſſionem reuulſoriam ex pede. 590.1.D.
Inflammationem vtero patiente citò peribit grauida niſi ſtatim reuulſoria ſanguinis miſſio fiat ex pede. ibid.2.A.
Inflammatio quos pulſus efficiat. 637.1.B.

Intellectus.

Intellectus non neceſſariò errat imaginatione depra- uata. 749.1.E.

Influens.

Influens qualitas à partibus principibus in reliquas admittenda. 101.1.D.
Influens qualitas cur à cerebro & non à partibus inferioribus pullulet? ibid.E.& 2.B.
Influens qualitas non eſt facultas ſaltem entitatiuè & eſſentialiter. 101.2.E. & ſeqq.
Influens qualitas ordinis ſuperioris influit à parte principe. 103.1.B.
Influens qualitas à cerebro vna eſt. 104.1.A.& ſeqq.
Influens qualitas à corde vna tantùm eſt. ibid.2.C.
Influens qualitas à iecore nulla admittitur. 105.1.B.
Influens qualitas pro actionibus indiuidui admittenda in teſtibus. 105.2.E.
Influens qualitas qua ratione communicatur? 106. 1.C.
Influens qualitas cerebri reſultat ab eius ſubſtantia. ibid.2.C.
Influens qualitas cerebri non poteſt fieri ab eius membranis. 107.1.E.
Influens in cerebro & corde non fit media facultate vitali. 108.1.A.
Influens qualitas adimplet naturalem viuentis ſenſitiui temperiem. ibid.C.
Influens qualitas à cerebro irradiatione communicatur. 108.2.D.
Influens qualitas à corde & teſtibus irradiatione communicatur. ibid.
Influenti qualitati recipiendæ in partibus ſpiritus tribuunt diſpoſitionem. 109.1.C.& ſeqq.
Influens qualitas communicatur à cerebro, in tempore, ſi non ſunt in parte ſpiritus animales. 109.2.E.
Influens qualitas à corde, & teſtibus & cerebro, dum ſpiritus animales ſunt in partibus in inſtanti communicatur. 110.1.B.
Influens qualitas non concurrit principaliter nec inſtrumentaliter, ſed diſpoſitiuè. ibid.2.B.

Intemperies.

Intemperies eius partis eſt morbus, cuius conſtitutionem vitiat. 210.1.B.
Intemperies ſeu qualitates intemperatæ ſunt morbus pro materiali. 211.1.D.
Intemperies eſt paſſibilis qualitas. ibid.
Intemperies non eſt morbus formaliter ſumptus, nec cauſa morbi formaliter ſumpti. ibid.E.
Intemperies duplex admittitur intra contrarietatis latitudinem. ibid.2.E.
Intemperies remiſſa ſenſu non percipitur. 212.1.A.
Intemperies ita ſe habet pro parte ſimilari ſicut compoſitio pro organica. ibid.
Vna ſimplex intemperies ſenſibilis admittitur ex affluxu humoris in partem. 212.1.E. & 2.A.B.
Intemperies oriri poteſt ſine tumore ex humoris affluxu in partem. 212.2.E.
Intemperies cum affluxu humoris non diſtinguitur à nuda intemperie in eſſe intemperiei. 213.1.A.
Intemperies duplex admittitur æqualis, & inæqualis. 213.2.A.
Intemperies inæqualis quid, & vnde dicatur? 214. 2.D.
Intemperies improportionatæ ab intellectu poſſunt comparari quantitatibus inæqualibus, in quibus reſultat relatio inæqualitatis. ibid.E.
Intemperies propria & impropria locutione vſurpari poteſt. ibid.
Intemperies inæqualis deſcribitur exemplis à Galeno. 214.2.B.215.1.A.
Intemperies inæqualis poteſt dari inter duas intemperies inæqualiter ſe habentes in diuerſis partibus. 215.1.E.
Intemperies inæqualis fit ob diuerſam applicationem cauſæ ad ſubiectum. 215.2.A.
Intemperies ſub diuerſo reſpectu in eodem ſubiecto dici poteſt æqualis & inæqualis. 215.2.B.
Intemperies inæqualis dari poteſt in eadem parte per comparationem intemperiei ſubſtantificæ & qualitatiuæ. 216.1.A.& ſeqq.
Intemperies duplex in Anaſarca reperitur. 216.1.D.
Intemperies inæqualis, reſpectu eiuſdem partis, producitur ab extrinſeco. 216.2.A. & ſeqq.
Intemperies inæqualis cauſat dolorem. 215.1.C. & 216.2.B.
Intemperies petit auferri per ſuum contrarium & quomodo? 249.1.B.& 2.A.
Intemperies morboſæ habituales quæ? ibid.B.
Intemperies quælibet habet cauſam continentem. ibid.1.C.
Intemperies habitualis vnde reſultet, & à quo conſeruetur? ibid.& D.
Intemperies alia actualis & alia habitualis. ibid.E.
Intemperiei calidæ quinque cauſæ referuntur ex Galeno. 250.1.D.& 2. C.& ſeqq.
Intemperies compoſita ex compoſitis cauſis valentibus diuerſas cauſare intemperies oritur. 261.1. C.E.
Intemperies non inducitur teſticulo ex curatione abſque eius abſciſſione. 672.2.B.C.

Interrogatio.

Interrogationi ex quo fiat morbus quid reſpondendum? 240.2.B.& 241.1.B.C.
Interrogationes illæ ſolum petunt cauſæ aſſignationem, quæ denotant tendentiam illius in effectum. 243.1.C.
Interrogationibus de morbo quibus reſponſionibus ſatisfiat? ibid.D.

Inteſtinum.

Inteſtinorum vitio ſuperuenit ventris adſtrictio. 752.1. B.& ſeqq.

Inunctio.

Inunctionis vſus pro hecticis præſcribitur. 354.1.A.
Inunctio partium varia eſt, iuxta diuerſos fines, ibidem B.
Pro partibus principibus quæ vtilis. ibid.B.C.
Inunctio ex vnguento reſumptiuo, & aliud ex Pereda relatum pro dorſi ſpina commendatur, ibidem D.
Inunctio pro omnibus corporis partibus, quâ facillùs permeare poſſit alimentum, ex Zacuto proponitur. ibid.E.

Ira.

Ira correpti interdum febre laborant. 123.2.D.
Ira eſt efferueſcentia ſanguinis circa cor. 255.1.B.
Ab Ira plerique inſani fiunt. ibid.
Ira violentior interdum mortem cauſat. ibid.C.

Calor

Calor ab ira procedens & excedens an ſit dicendus febrilis. 282.1.A.& ſeqq.
Ira cauſat calorem dupliciter. ibid.C.

Irradiatio.

Irradiatione influens qualitas communicatur à Cerebro, corde, & teſtibus. 108.2. C.D.& ſeqq.
Licèt irradiatione communicetur qualitas influens, requiritur præterea communicatio ſpirituum animalium in partes. 109.1.C.

Iſcuria.

Iſcuriæ per plures dies permanentis cauſæ. 729.1.C.
Iſcuriæ permanentia quibus remediis diuincatur. 730.1.D.

Iuuentus.

Iuuentutis ætas deſcribitur. 64.1.D.
Iuuentus eſt menſura durationis vitæ humanæ poſt totale corporis incrementum. ibid.
Iuuentutis quæ ſit temperies. ibid.
In Iuuentute tantum de ſubſtantia reponitur nutritione, quantum deperditur reſolutione. ibid.2. in fine.
Iuuentus menſurat hominis durationem ſub calidirate & ſiccitate. 65.1.A.
In Iuuentute curatur morbus comitialis. ibid.B.
Iuuentus quomodo dicitur moderata in qualitatibus? 65.1.D.

L

Lac.

Lactis balneum pro Hecticis curandis vtile. 315. 2.E.
Lactis irroratio ab vbere quammaximè vtilis dorſi ſpinæ pro Hecticis curandis. 324.1.D.
Lactis vſus præ reliquis alimentis optimus eſt Hecticis. 325.1.D.
Lactis natura & qualitates deſcribuntur. ibid.
Lac muliebre reliquis præfertur. ibid.E.
Lac Aſininum pro Hectica curanda ſecundum locum obtinet. ibid.
Lacte vtendi modus pro Hecticis. ibid.D.& E.
Ex lacte in quo diuerſæ ſubſtantiæ percipiuntur ad ſenſum, ad maſſam ſanguinariam rectè argumentari licet. 328.1.E.& 2.A.

Lænitas.

Lænitas duplex eſt. 222.2.C.D.
Lænitas & Aſperitas ſunt morbi in Superficie ad malam conformationem ſpectantes. ibid.B.

Læſio.

Læſio actionis qualiter eſt ſignum æqualis intemperiei, quæ eſt in eadem parte. 217.2.A. & ſeqq.
Læſio facultatis eſt duplex. ibid.C.
Læſio operationis eſt de intrinſeca ratione morbi. 220.1.B.

Lapis.

Lapis in veſica qua ratione dicatur morbus? 208.2.D. & 209.1.E.
Lapidum generatio in corpore in quibus locis poſſit fieri. 730.2.D.
Lapidum generatio in corpore immenſæ multitudinis. 731.1.D.
Lapidum generatio in corpore à quibus fiat cauſis, præcipuè in viis lotio deſtinatis. 731.1.E.

Laſſitudo.

Laſſitudo in nimio brachiorum cruriúmve motu qualiter fiat? 109.2.B.

Latica febris.

Latica febris an differat à Quotidiana continua? 399. 2.C.& ſeqq.
Vide *Quotidiana.*

Laurus.

Ex Lauri & Hederæ mutua confricatione ignis producitur. 252.2.C.& E.

Leo.

Ex Leonis oſſium confricatione accenditur ignis 252.2.C.& E.

Lethargus.

In Lethargo an ſit purgatio celebranda? inquiritur. 506.2.B.
In Lethargo nec in principio nec in fine purgatur, ſumpta indicatione à materia contenta in capite. ibid.2.D.
Lethargus eſt tumoroſus affectus à pituita in cerebro contenta & putrefacta ortus. ibid.
In Lethargo exercetur ſelectiua purgatio ab initio ſi humor ſit à ſanguine ſeparatus, ſumpta indicatione à cauſa antecedente. ibid.E.
Si pituita ſanguini ſit commixta, exercetur ſanguinis miſſio. ibid.& 507.1.A.& ſeqq.
In Lethargo cauſa coniuncta indicat repellentibus & reſoluentibus curari. ibid.E.
In Lethargo cauſa antecedens poteſt eſſe ſine putredine & cum illa, & vtroque modo ſanguini commixta vel non. ibid.
Lethargici quos pulſus habeant. 638.1.B.

Lien.

Lienis vſus qualis ſit? 569.1.C.D.& ſeqq.
Lien aliquos generat humores. ibid. & 2.C.
Lienis conformatio eſt ſimillima conformationi iecoris. ibid.1.D.
Lien quarumdam venarum conſtituitur principium. ibid.2.C.& ſeqq.
Humores, quos Lien generat, ſunt minùs perfecti, & minùs apti nutritioni partium, quam humores à iecore geniti. ibid.2.D.
Lien & reliquæ ventris partes imperfectæ humoribus à Liene genitis nutriuntur. 570.1.C.D.
Lien non eſt conformatus à natura vt ſit receptaculum humoris melancholici. 598.2.C.
Lienem ad quid natura produxit. 599.1.B.
Lien per accidens formatus. ibid.
Lienis morbi. ibid.D.
Lien per quas vias euacuet redundantem aquoſam ſubſtantiam. ibid.E.& 2.A.
Lien recipit chyli partem craſſiorem, illámque mutat in ſanguinem imperfectiorem. ibid.2.C.
Lienis conformationis cauſa aliquibus antiquis Dogmaticis ignota. ibid.E.

Lipyria Febris.

Lipyria febris eſt in qua interiora vruntur, & exteriora algent. 285.1.E.
Lipyria febris duplex eſt. ibid.
Febris Lipyria ex putredine orta eſt morbus. 285.2.C.
Lipyria ex inflammatione orta quid ſit? ibid.D.
Lipyriæ febris ratio conſtitutiua in eſſe talis an ſit accidens? deciditur. ibid.

Lochium.

Lochiorum natura. 708.2.D.
Lochiorum menſuram variant puerperarum temperies. ibid.E.
Lochialis purgationis tempus diuerſum. ibid.E.& 709. 1.A.& ſeq.
Lochialis purgatio iuxta tempus formationis fœtus computatur. 709.1.A.
Lochiorum computatio & duratio ex ſacra Pagina, & Hippocratis doctrina. ibid.1.E.
Lochiorum computatio ad implendos Legis Moſaicæ dies. ibid.2.B.

Lochialis expurgatio poteſt extendi vſque ad terminum lege Leuitici præfixum. 710.2.E.
Lochialis partus purgatio ſuperueniens non impedit progredi lactationem. 711.1.B.

Lex.

Leges antiquiores & nouæ aborſum prohibent & annexa ad illum conducentia. 695.2.A.
Lex Leuitici de puerperis ad templum admittendis. 709.1.E.

Luna.

In Concauo Lunæ quatuor ſunt loca deſtinata pro termino loco-motiuarum facultatum quatuor Elementorum. 10.1.B.
Sub concauo Lunæ cuilibet Elemento proprius deſtinatur locus. 74.2.E.
Lunæ ſanguinis menſtrui profluuij cauſam aliqui adſcribunt. 160.2.E.
Luna decreſcente vt plurimùm mouentur menſtrua. ibid.
Luna ob prædominium humiditatis fœmineæ naturæ tribuitur. ibid.
Lunæ non poteſt aſſignari cauſa localiter motiua ſanguinis menſtrui. 161.1.C.
Lunæ decurſu commotus aut rarefactus ſanguis menſtruus expultricem facultatem vrget irritat. ibidem.D.
Luna coadiuuat ad menſtruam periodicationem. 161.1.A.
Lunæ lumen ſummoperè humectat. ibid.
Sub Luna prætereunte nutrices puerulos diligenter cooperiunt, & cur? ibid.
Sub Luna ſomnum diu captantes ægrè excitantur. ibid.
Lunæ varij effectus ex Macrobio referuntur. ibid.
Luna & reliqua Aſtra valent immutare corporis temperiem. 531.2.E.
Luna eſt cauſa mutationum corporis ex Galeno. 531.1.A.
Luna agit in mare & alia tum viuentia tum non viuentia. ibid.

Lux.

Lux eſt cauſa productiua caloris. 121.2.E.
Lux non continet formaliter calorem. 122.1.D.

M

Magia, Magicus.

MAgiæ origo fallax & ſuperſtitioſa. 703.1.E.
Magiæ author. ibid. & ſeqq.
Magi vnde. ibid.2.B.
Magorum pœnæ ex Conciliis, atque variis Pontificum conſtitutionibus. 703.2.C.D.E.
Magicæ artis varij effectus. 704.1.A.& ſeqq.

Maleficium.

Maleficorum & ſagarum ad inducendos in corpora hominum morbos, artis protectores. 702.2.E. 703.1.A.B.& ſeqq.
Maleficia diuerſa magica arte patrata. 704.1.A.B.& ſequent.

Malignitas, Malignum.

Malignitas eſt qualitas occulta vires diſſoluens & præcipitans. 473.2.C.
Malignitas ſæpe ex ingenti putredine, & aliquando ſine illa accidit in febribus. 474.1.D.
Febres, quibus accidit malignitas, ſolent habere aliquas excretiones ad cutem. ibid.2.B.
Maligniora ſunt quæ derepentè diſparent. 681.1.E.

Mammæ.

Mammæ an ſint in viris ad ornatum. 154.1.E.
Mammæ viri an lac generare poſſint? ibid.1.A.

Maraſmus.

Maraſmi ſimplicis pulſus quis. 637.2.E.

Maſculus.

Maſculus caliditate præfertur fœminæ. 44.1.C.
Maſculus generatur ex ſemine calidiore & in loco calidiori, &c. quam fœmina. ibid.E.
Maſculus generatur ex ſemine genito in dextro teſticulo. 44.2.A.
Maſculus minus abundat ſanguine quàm fœmina ob maiorem conſumptionem. ibid.2.D.

Materia.

Materiæ morbus non admittitur diſtinctus ab intemperie, mala compoſitione, & ſoluta vnitate. 204.1.D.& ſeqq.
Materia non minùs conducit ad viuentis conſtitutionem conſeruatiuam, quàm temperies, compoſitio, & vnitas ad conſeruatiuam. 204.1.A B.

Materia prima.

Materia prima non dicit ordinem ad formam mixtam, niſi mediis formis Elementorum. 19.2.E.& 23.1.D.

Maternitas.

Maternitatis relationem fundari in actiuitate, qui iudicent? 156.1.E.
Maternitatis relatio in actiuitate fundatur. 156.2.D.
Actiuitas fundans maternitatem diuerſimodè aſſignatur. 156.2.D.
Vide *Actiuitas.*
Maternitatis vera ratio fuit in Beatiſſima Virgine, 156.2.A & 157.2.A & B.
Maternitatis relatio eſt realis prædicamentalis. 157.1.D.

Medicamentum.

Medicamenta potentialia ſub forma propria operantur. 45.1.A.
Medicamenta an à calore noſtro actuentur? ibid.1.& 2.A.B.
Medicamenta alia ſunt Potentialia, alia Actualia. 45.2.D.
In Medicamentis potentialibus an producatur qualitas innominata, quæ auferat impedimentum innominatum vt agant. Ibid.E.& 36.1.A & B.
Medicamenta alexiteria, deleteria, ſolutiua reducuntur ad actum, quia partes ſeparantur in quibus virtus reſidet. 47.1.B.& 46.C.& ſeqq.
Medicamentum potentiale quid ſit? 46.1.E.
Medicamentum potentiale habet tenues partes craſſioribus admixtas. ibid.2.E.
Medicamenta potentialia alia frigida ſunt, alia humida, & alia ſicca. Ibid.1.D.
Medicamenta calida potentialia an reducantur de potentia ad actum per nouam caloris acquiſitionem. ibid.& 48.1.E.
Medicamenta frigida potentialia reducuntur de potentia ad actum abſque noua acquiſitione intenſioris frigiditatis. Ibid.
Medicamenta frigida dicuntur opium, & cicuta, &c. 47.2.E.
Medicamenta frigida vnde potentialia dicantur? 48.1.B.
Medicamenta potentialia frigida actuantur per noſtrum calorem. ibid.
Quædam aſſumuntur vt medicamenta, quædam vt alimenta, & quid inter vtrumque diſcriminis. Ibid.E.
Medicamentum iuxta naturam ægri, debile aut validum præſcribendum, ex Auicenna. 506.1.E.
Medicamenta ſunt à Deo hominibus condonata. 517.1.C.
Medicamenta alia intus alia extra offeruntur. ibid.

Medicaments purgantia cathartica propriè dicuntur. ibid.
Medicamenti vox latiùs patet. ibid.
Vide *Catharticum.*
Medicamentum primò diuiditur in Selectiuum & Lenitiuum. 517.1.E.
Vide *Pharmacum.*
Medicamentum Hæmagogum quid ſit? & an admittendum? 517,2.B. & ſeqq.
Medicamentum Hæmagogum eſt ſuperfluum. ibid.E.
Medicamentum Hæmagogum non poteſt euacuare ſanguinem. ibid.
Medicamentum Hæmagogum à nemine fuit cognitum. ibid.& 518.1.A.
Medicamenta ſolutiua primæ regionis non purgant vi ſelectiua, ſed manifeſtis qualitatibus. 518.1 B.
Medicamenta quæ abluunt, abſtergunt, emolliunt, ad lenientia reducuntur. Ibid.2.A.
Medicamenta colliquantia ad ſelectiua aliquo modo referuntur. ibid.
Medicamenta comprimentia, lubricantia, & lenientia qua ratione purgent? ibid. 1.D.
Medicamenta purgantia cur ita dicantur. ibid. 2.E. & 519.1.A.
Medicamenta purgantia non debent exhiberi febre correptis donec febris remiſerit. 657.2.D.

Medicina.

Medicina comprehendit omnes habitus in acquiſitionem ſanitatis ordinatos. 1.1.A.
Medicinæ origo, nobilitas, neceſſitas, & præſtantia remiſſiuè. ibid B.
Diuiditur in Theoricam, & Practicam. 2.1.A.
Medicinæ neceſſitatem qui negent? ibid.C.
Incognita à Populo Rom. vltra ſexcentos annos. ibid.
Medicinæ neceſſitas probatur. ibid. 1.E.
A ſummo Deo originem duxit in ſubſidium ſalutis humanæ. 2.1.& 2. A.
Probatur authoritate, ratione, & experientia. ibid. B.C.D.
Plinij, & aliorum huius farinæ hominum garrulitas & petulantia damnatur, eorúmque fundamenta euertuntur. 2.2. E.
Medicina Naturam iuuat. 3.1.C.
Demonſtrat media quibus morbi curentur. 3.1.D.
Medicina eſt neceſſaria, licèt vnicuique præfixus ſit vitæ terminus, & cur? ibid.
Medicinæ Dogmaticæ excellentia. 3.2. B.
A quibus fuerit exculta? ibid.
Einſdem Profeſſores. ibid. C.D.
Medicina Dogmatica quid ſit? 5.2.D.
Quòd ſit Ars, exiſtimarunt aliqui. ibid.
Medicina Dogmatica eſt ſimpliciter ſcientia nihil artis includens. 6.1. B.
Medicinæ Dogmaticæ demonſtrationes. ibid. C.
Medicina vſurpatur pro habitu ſcientifico, & pro habitu artis per experientiam acquiſito. 6.2. D.
Medicina Dogmatica eſt ſimpliciter Speculatiua. 7, 1.D.
Medicinæ Dogmaticæ habitus non habet pro fine praxim. 7.1.E.
Medicinæ obiectum. 7.1. E.
Medicinam reſpicere corpus humanum tanquam materiam intendit Valleriola. ibid.
Medicinæ obiectum materiale eſt corpus viuens ex Plempio. 8.1.A.
Corpus humanum non ſolùm vt ſanabile ſed vt ſanum, eſt Medicinæ obiectum vt vult Santorius. ibid.
Verum Medicinæ obiectum ſanciuit Author. 8.1. E.
In Medicinæ inſania plura tentabantur remedia, quæ iam ab vſu receſſerunt. 375.1. C.
Medicina in ſubtractione & adiectione conſiſtit. 481.1.A.
Medicina naturam imitatur efficiendo aliquas noſtri corporis partes debiliores. 682.2.E.

Medicus.

Medicus in acquiſitione ſanitatis ſe habet ſicut Architectus in conſtruenda domo. 1.2.B. & 6.1.E.
Medicus exercet opera miniſtrorum, non vt Medicus, ſed vt miniſter artis. 7. 1. B.
Ætatis acceptio apud Medicos. 60.1.C.
Medicus Speculatur ætatem. 60.2.B.& 61.1.A.
Medicus ſpeculatur varia hominis temperamenta. 60. 2.E.
Medicus eſt artifex ſenſualis. ibid.
Medici ſpeculatio extenditur ad res naturales, non naturales, & præternaturales. 421.1. D.
Medicorum variæ Sectæ variant circa ſanguinis miſſionem. 423.2. E.
Medicus imitator naturæ, quemadmodum & natura, dupliciter operatur. 500.1.B.C.
Medicus pharmacum propinans prægnanti in cura coacta non ſubiacet conſtitutioni Sixti V. nec aliis legibus ſimilibus. 590.1.D. & ſeq. & 591. 1. & & ſeqq.
Medicus nullam habet intentionem voluntariam nec mixtam abortum procurandi exhibendo artem prægnanti. ibid. D.
Medici & alij quamplurimi homines & artifices dupliciter ſolent operari ad conſecutionem finis in quem tendunt. 675. 2. A.
Medicum poſſe impedire conceptionem opinio ethnica damnata à Pio V. 695.1. C.

Melancholia. Melancholici.

Melancholiæ prædominium videtur temperamentum aptius ad ſcientias aſſequendas. 41.2.B.
Melancholici diu perſiſtunt circa obiectum, & improbo labore veritates inueſtigant. 43.1. D.
Melancholicos fuiſſe qui in ſtudiis Philoſophiæ & in Republica adminiſtranda claruerunt, obſeruat Ariſtoteles. 43.1. E.
Melancholia in liene eſt vt in proprio loco. 73.1. D.
Melancholia cùm ſit auſtera an ſit humor aptus ad nutritionem. ibid.2. E.
Melancholia an ſit corpus liquidum? 75.1.C.& 2. B.
Melancholia naturalis quid eſt? 90.1.B.
Melancholia an ſit fæx ſanguinis. ibid. & 90. 1. C.
Melancholiæ præternaturalis quot ſunt ſpecies. 90. 2. B.
Plures quàm quatuor dari vnde probari poteſt. ibidem. 1.E.
Melancholiæ præternaturalis tot ſunt ſpecies quot ſunt humores, qui vſtione aut putredine aduſti poſſunt in atram bilem conuerti. 90.2. C.
Melancholia reſpuit reliquorum humorum commixtionem. 90.2.D.
Melancholiæ pars quæ deſeruit in ſanguine. ibid. E.
Melancholia naturalis petit eſſe frigida & ſicca. 90. 2. A.& 91.1. A.
Melancholia præternaturalis vnde calidos producat effectus? ibid.
Melancholici quare libidinoſi? 165.5.1.C.& 2.E.
Melancholia naturalis eſt humor pro partium nutritione neceſſarius. 330.2.B. & ſeqq.
Melancholicorum mores & color conſiderantur. 331. 1.B.
Melancholia naturalis vnde generatur? ibid. C.
Melancholia naturalis maximè à iecore generatur ſimul cum aliis humoribus. ibid.1.D.& 1.B.

Melancholiam etiam à liene, ſaltem pro ſui nutritione generari denegandum non eſt. ibid. 1. B. & ſeqq.
Melancholia eſt cauſa quorundam morborum magnorum. 415.1.E.& 416.1. A. B.
Melancholia non habet diſpoſitionem aptam vt turgeat. 489.2.B.
Melancholicus affectus vnde proueniat. 723.1.B.
Melancholia plures morbos cauſat. 723.2.C.
Melancholiam triſtitiam inducere & omnes Rectricum virtutum facultates conturbare & actiones conturbare valet. 724.1. D. & ſeq.
Melancholia commota fit mortis ſubito irruentis cauſa. 726.1.C.
Melancholia per quas vias expurgetur. 726.2.E.

Menſis.

Menſis non quilibet aptus ad hominis perfectam natiuitatem. 698.2.C.
Menſis annus lunaris. 699.1.E.
Menſibus diuerſimodè complebatur annus. ibid.
Menſium diuiſio. ibid.& 700.1.A B.
Menſis nonus in dubio legitimum homini naſcendi tempus. ibid. 2.A.
Menſis nonus an magis arguat partum vitalem, an decimus. ibid.& ſeq.

Memoria.

Memoria eſt potentia ab Æſtimatiua diſtincta. 150. 2.D.
Memoriæ neceſſitas in animali. ibid.
Memoria illæsâ, facultas æſtimatiua lædi poteſt, & viciſſim. ibid.E.
Memoria eſt potentia actiua. 151.1.A.

Menſtrua.

Menſtrua inter res non naturales cenſentur. 451. 1.C.
Menſtrua cum moderamine debito vtilia, aliàs nociua. ibid.
Menſtrua purgatione ſuperueniente, an exerceri poſſit ſanguinis miſſio. ibid.2.A.
Menſtruis ſuppreſſis grauiſſima incommoda ſuperueniunt. ibid. 1.C.
Menſtruis ſuperuenientibus quando mittatur ſanguis ex pede,& quando ex brachio? 593.1.A.B.
Menſtruis complicatis cum aliis morbis indicantibus ſanguinis miſſionem ex brachio, quæ ſit exercenda, diſſentiunt Authores. ibid.
Menſtruorum cum aliis morbis ſex complicationes eſſe poſſunt. ibid.
Menſtruis imminentibus locus ſanguinis miſſionis determinatur. ibid.C.
Menſtruali fluxo critico antecertente aſſignatus locus ſanguinis miſſioni. ibid.D.
Menſtruali fluxu antecertente indicium eſt, quod natura irritata tentat ſe exonerare. ibid.E.
Menſtruæ purgationes ſymptomaticæ antecertentes in venis vteri ſuperueniunt. ibid.
Pro menſtruali purgatione vterus eſt locus à natura deſtinatus. 594.1.B.
Menſtruis debitè fluentibus, ſanguis ex pede mittendus, non obſtante complicatione. 594.1.C.
Menſtruali materia furſum delata quæ pariant incommoda. ibid.D.
Menſtruis ſuppreſſis, ſi morbus ſuperueniat, ſanguis mittendus ex pede. 594.2.C.
Menſtruis ſuppreſſis ſi morbus ſuperueniat plerumque fouetur ab illa ſuppreſſione. ibid.2.D.
Menſtruis retentis ſi morbus ſuperueniens aliunde foueatur, etiam ex pede ſanguis mittendus. 594. 2.D.
Menſtruis ſuperuenientibus debito tempore vel anteuerſo, morbo præexiſtenti, etiam ſanguis ex pede mittendus. 594.2.E.
Menſtrua debent deficere in lactantibus bene ſe habentibus. 708.1.A.B.

Menſura.

Menſura rerum quæ? 60.2.B.
Menſura durationis vitæ humanæ. 60.1. D. & per tot.
Menſura Ætatum. 61.1.C. & ſeqq.

Meſenterium.

Meſenterij venæ propagines venæ portæ. 666.1.C.

Mixtio. Mixtum.

Mixtio quid,& quibus modis vſurpatur. 16.1.B. &.C.
Mixtio an ſit poſſibilis, & an fiat per generationem. ibid.D.
Mixtio eſt generatio,& quomodo. 16 2.D.
Partes materiales Elementorum an ſint neceſſariæ mixtis? 171.1.A.
Mixta meteorologica non fiunt ex omnibus Elementis. 17.1.E.
Mixtum perfectum ex omnibus Elementis neceſſariò conſtat. 27.2.B.
Mixta viuentia nutriuntur ex quatuor Elementis. 17.1.E.
In Mixto viuente debent neceſſariò eſſe quatuor Elementa. 18.1.B.
Mixta an fuerint à Deo creata ex nihilo? 18.2.C.
Mixta in prima rerum creatione ex quatuor Elementis facta ſunt. 18.2.D.
Mixtorum congrua productio petit ex Elementis fieri. 18.2.E.
Mixta perfecta quæ dicuntur ex Ariſtotele. 19.1.A.
Mixtum reſoluitur in quatuor Elementa. 19.2.C.
Mixtum ab extrinſeco poteſt corrumpi. ibid.2.E.
Mixtum ſit tale ſubſtantificè per formam mixtam ſubſtantialem diſtinctam à formis Elementorum 19.2.E.
Mixtum eſt vnum ſubſtantificè tale. 20.1.B.
In Mixto perfecto reperiuntur Elementorum materiæ; & quomodo? 24.2.E.
In Mixtione duplex motus reperitur, qui terminatur ad ea quæ ex Elementis remanent in mixto. 33. 2.D.
Mixtum corruptibile eſt à principio intrinſeco. 37. 1.B.
Mixta omnia viuentia ſunt calida & humida à prædominio. 40.1.E. & quomodo intelligendum? 41.2.B.
Mixtum omne debet eſſe graue aut leue. 40.2.B.
In mixto tria conſideranda ſunt, ſubſtantia, ſubſtantiæ modus, & accidentia, quæ benè explicantur. 525.1.& 2.A.& ſeqq.

Mola.

Molæ in vtero,falſæ grauidationes. 712.1.E.
Mola vteri geſtatio præternaturalis. ibid.2.A.
Mola ex quo petat fieri: & circa id duplex opinio earumque Authores. ibid. 2.B.& ſeq.
Mola vteri geſtatio quæ non petit fieri ex ſemine viri. ibid.E.
Mola nequit fieri ex vtroque ſemine. 713.1.C.
Mola fit ex ſolo ſemine fœmineo. ibid.
Mola cur non generetur à virginibus & viduis. 713. 1.C.D.& ſeq.
Molæ geſtationis in vtero plura referuntur accidentia. 715.2.E.

Monſtrum.

Monſtra multipliciter in vtero fiunt. 712.1.C.

Morbus.

Morbis frigidis Pueritia infeſtatur. 62.1.D.
Morbus comitialis in iuuentute curatur. 65.1.B.

Morbis

1

Morbis ab humiditate ortis ſenectus infeſtatur. 66.1. B.& D.

An ſine morbo mors naturalis accidere poſſit? 71.2. A.& E.

Morbi diuerſi ſuperueniunt diuerſis ventis flatibus. 49.1 B.& C.

Morbi peſtilentes ex variis ventorum mutationibus producuntur. ibid.

Morbos regionales parit ventorum diuerſitas. ibid. 2. A & ſeqq.

Morbi an ex humoribus proueniant? 72.2.D.

Morbi cauſa ex Paracelſo. ibid. & 197. 1.E.

Morborum tria genera ex eodem Paracelſo. 72.2.E.

Tria morborum genera ex Dogmaticis contra Paracelſum. 73.1.E.

Morborum tria genera, aliud in parte ſimilari, aliud in diſſimilari, & tertium vtrique commune. 94.2. F.& 95.2.A.

Morbus cùm ſit ex genere mali ex quocumque defectu prouenit. 184.2.C.

Morbo intrinſecum eſt lædere operationes. 187.2. E.

Morbus & ſanitas dupliciter conſiderantur. 188. 1. B. C.

Morbum expellere propria & præcipua eſt Medicinæ actio. 193.1.B.

De Morbi natura & differentiis Doctores tractantes referuntur. ibid. B.C.D.

Morbus formaliter ſumptus eſt entitas realis poſitiua. 194.1.E.

Morbus & ſymptomata non conſiſtunt in priuatione niſi in obliquo. 195.1.A.& D.

Morbus non eſt relatio. 195.2. C.

Morbus formaliter ſumptus eſt in prædicamento Qualitatis ſub diſpoſitione. 196.2.D.& 198. 1.B.

Morbi intrinſeca ratio in quo conſiſtat? 197.1.C.

Morbi materiales aliquando vocantur à Galeno cauſæ continentes. ibid. D.

Morbum diuagari per omnia prædicamenta quibus ſuaderi poſſit? 196.1.E.& 2. A. B.

Morbi variæ definitiones adducuntur & reiiciuntur. 197.2.A. & ſeqq.

Morbi propria definitio traditur ex Galeno. ibid.

In Morbi definitione Galenus ſumit affectum pro diſpoſitione. 198.1.A.

Morbi intrinſeca ratio debet per diſpoſitionem explicari. 198. 1.D.

In Morbi definitione particula *Præter naturam* eſt admittenda. 198.2. E.

Morbi intrinſeca ratio in quo conſiſtat? 199.1.A.

Morbi aliqui an & quomodo dicantur ſecundùm naturam. 198.2.D.& 199.1.B.

Morbi hæreditarij ſunt naturales & quomodo. 197. 2. D.& 199.1.C.

Morbi conſtitutiua ratio eſt, lædere operationes. 199. 2.B.

Morbi ſymptomata quæ. 199.1.A.

In Morbi definitione particula *Senſibiliter*, ponenda eſt. 200.1.C.

Morbus operationes elicit ſenſibiliter læſas. 200.1.E.

In Morbi definitione particula *Primo & per ſe*, ponenda eſt. 200.2.C.

Morborum variæ ſpecies & differentiæ referuntur. 201.1.A.& ſeqq.

Morbum formaliter ſumptum multiplicem eſſe, quibus probari poſſit? ibid.1.E.

Morbus formaliter ſumptus vnus eſt ſecundum ſpeciem atomam. 201.2 B.

Morbus formaliter ſumptus nullam admittit differentiam, niſi quòd alter altero magis aut minùs operationes lædat. ibid.2.D.

Morbus pro materiali eſt multiplex. ibid.E.

A morbo formaliter ſumpto vna ſola eſt curatiua indicatio. ibid.

Morbus materialiter ſumptus diuiditur adæquatè in intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem. 201.1.E.

Morborum genera tot ſunt materialiter quot ſunt in corpore noſtro adintegrantia illius naturalem conſtitutionem. ibid.2.A.

Morbus reſultat ex intemperie qualitatis primæ, ſecundæ, & alterius cuiuſuis. 202.1.2.D.

Morbus formæ dictus propriè continetur in adducta diuiſione. 203.1.D.E.

Morbo exiſtente, fit pugna & contrarietas expellens aut corrumpens debitam conſtitutionem. ibid.E.

Morbus materiæ nullus datur diſtinctus ab enumeratis. 204.1.D.E.

Morbus à tota ſubſtantia dictus reducitur ad intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem. 205.1.A.

Morbus à tota ſubſtantia eſt morbus corrumpens naturam & ſubſtantiam partis ſimilaris. ibid.

Morbus eſt paſſio viuentis. ibid.B.

Morbus hæreditarius differt ab enumeratis ſolum accidentaliter. 206.1.C.

Morbus hæreditarius qualis, & quomodo contrahitur? ibid.

Morbi hæreditarij ſunt eiuſdem ſpeciei cum eis qui erant in generante. ibid.E.

Morbus Gallicus eſt hæreditarius. ibid.B.& E.

Morbi hæreditarij occulta & contagioſa qualitate traducuntur. ibid.2.A.

Morbus formaliter ſumptus non habet cauſam per ſe. 206.2.B.

Morbi aliqui in mala compoſitione poſſunt prouenire ab intrinſeco. 207.2.B.

Morbum eſſe à natiuitate, & prouenire à principio interno, an differant? ibid.E.

Morbi plures fiunt à facultate formatrice. ib. & 208. 1.A.& ſeqq.

Morbi in ſoluta vnitate non proueniunt ab intrinſeco. 208.2.A.

Morbi in cauitatibus ſunt morbi in mala compoſitione. ibid.

Morbus formaliter ſumptus debet neceſſariò inhærere in ſubiecto viuente. 208.2.E.

Morbus pro formali debet eſſe in ea parte in qua ſtat morbus pro materiali. 209.1.B.

Morbus pro materiali debet reperiri in parte viuente. ibid.

Morbus pro materiali quid ſit, & in quo conſiſtat. ibid.C.

Morbus non eſt paſſio viuentis quarto modo. ibid. D.& 108.2.C.

Morbi in intemperie ſunt admittendi. 209.2. E.

Morbi partium organicarum vnde proueniant? 210. 2.B.

Morbi partium ſimilarium numquam accidunt organicis. ibid.1.E.

Morbus partium organicarum verè morbus eſt. 218.1. B & ſeqq.

Vera morbi ratio in quo conſiſtat & vbi reperiatur? ibid.

Morbus partium organicarum illis proprius eſt. 218. 2.D.

Morbus dicitur proprius parti, cuius perfectioni opponitur. 219.1.D.

Morbus in mala compoſitione oritur ex vitio naturalis conſtitutionis partis organicæ vt ſic. 219. 1.E.

Morbus in ſoluta vnitate communis eſt parti organicæ & ſimilari. ibid.2.A.& 225.2.C.

Morbus in mala compoſitione ſubdiuiditur in morbos malæ conformationis, magnitudinis, numeri, & ſitus. 221.1.A.

Morborum partium organicarum tot ſunt differentiæ primæ, quot requiſita ad earum compoſitionem. ibid.B.

Morborum partium inſtrumentalium an duo ſint genera? 219.2.D.E.

Morbus partis organicæ ea defectu influentis caloris vnde ſuperueniat. 221.1.D.

Morbus in mala conformatione adæquatè diuiditur in morbum in figura, in Via, & in ſuperficie. 221.2.C.

Morbus In Via & cauitatis, an ſint idem? 221.2.D.

Morbus in Via eſt genus ad morbum in meatu & in cauitate. ibid.E.

Morborum in mala conformatione plures ſunt differentiæ infimæ. ibid.

Morbus in cauitate dupliciter accidere poteſt. ibid.

Morbus in numero duplex conſtituitur. 222.2.E.

Morbi cauſa ſunt quæ in corpore generantur præter naturam à ſubſtantia viuentis diſtincta, non verò morbus. 223.1.B.

Morbus in numero adaucto pro materiali, quid? ibid.C.

Morbos interdum Galenus vocat morbi cauſas, ibid.D.

Morbus in numero diminuto pro formali non inhæret parti abſciſſæ. 224.2.E.

In morbo partis abſciſſæ duo conſiderantur. ibid.2. E.& 214.1.A.

Morbus in numero diminuto & in quantitate diminuta, quid? 224.1.E.

Morbus qualis dicendus, ſi pars integrè vel ſecundum quid abſcindatur. ibid.

Morbus pro materiali dicitur ſubſtantia præternaturalis viuens adaucta. 224.2.E.

Morborum differentiæ interdum à ſuis cauſis ſumuntur. 225.1.B.

Morbi in quantitate adaucta qualiter fiant? 224.2.B.

Morbus in mala compoſitione ſpecialiter dicta diuiditur adæquatè in morbum in Situ, & morbum in Coalitu. 225.1.E.& 2.A.

Morbi in ſoluta vnitate differunt ratione cauſæ & ſubiecti. ibid.2.C.D.

Morbus in ſoluta vnitate an poſſit ſoli parti organicæ accidere non patiente ſimilari. 227.2.D.E. Vide *Solutio Continuitatis*, & *Organica pars.*

Morborum tempora. Vide *Tempus.*

Morbus quiuis, quantum eſt de ſe, percurrit ſemper quatuor tempora vniuerſalia. 230.2.B.C.

Morborum tempora vniuerſalia ſunt quatuor, & quæ? 331.1.A.B.C.

Morbi principium tripliciter accipitur. ibid.D.E.

Morborum tempora particularia ſunt ſex, & quæ? ibid. 2.B.C.D.E.

Morborum accidentia augentur vel remittuntur iuxta augmentum vel remiſſionem morborum. 232.1.C. & ſeqq.

Morbi lethales ſunt qui vires ægroti ſuperare poſſunt. 232.2.B.

Morbi alij ſunt ex natura ſua lethales & inſanabiles, alij à natura poſſunt deuinci. ibid.

Morbi vnde fiunt lethales. ibid.

Morbi ex natura ſua lethales non poſſunt peruenire ad declinationem vniuerſalem. ibid.2.E.

Morbi à putredine orti ſi accidat eis quòd ſint lethales, non perueniunt ad declinationem fidam. 233.1.B.C.D.

Morbi lethales poſſunt peruenire ad pernicioſam declinationem. 233.2.E.

Morbi lethales poſſunt peruenire ad infidam, & imperfectam declinationem. 234.1.C.D.

Morbus lethalis poteſt remitti nondum coctâ materiâ. ibid.D.E.

Morbus lethalis periculoſior fit in Recidiua. ibid. D.

Morbi ſalubres quatuor tempora vniuerſalia percurrunt. 235.1.B.& ſeqq.

Morbi tempora vniuerſalia declarantur. ibid.D.

Morbi pendentis ab alteratione materiæ tempora declarantur. ibid.2.A.& ſeqq.

Morbus ſalubris interdum ſanguine miſſo, vel criſi ſtatim iugulatur. 234.2.C.& ſeqq.

Morborum conſtitutiones explicantur. 236.1.B.

Morbi conſtitutio quid? ibid.

In morbis non pendentibus à materia nulla eſt proportionalis duratio temporum. ibid.E.

Morbi chronici tardo modo ſua tempora percurrunt. ſecùs acuti. 236.1.D.

Morbus alius acutus ex decidentia, alius acutus ſimpliciter, alius peracutus, alius exactè peracutus, & quanto tempore quiſque terminetur? ibid. Vide *Conſtitutio.*

Morbi ſalubres pendentes ex materiæ alteratione ſunt in ſtatu intenſiores. 238.2.D.

Quomodo Turriſanus & alij aliter iudicent. ibid. B.C.

Morbus non eſt ſecurior, quia remiſſior. 239.1.A.

Morbi ſalubres pendentes ex humorum putredine ſunt ſecuriores in ſtatu, in quo ſunt intenſiores. 239.2.A. & ſeqq.

Morbi ſalubritas vnde dignoſcitur? 239.2.B. & ſeq.

Morborum cauſæ. Vide *Cauſa morborum.*

Morbus eſt accidens quod non petit ad ſui fieri materiam Ex qua. 240.2.D.E.

Morbus an habeat cauſam materialem, diſceptatur, & reſoluitur negatiuè. 240.1.E.& ſeqq.

Quærenti ex quo morbus fiat, quid reſpondendum. ibid. 2.B.& 241.B.C.

Morbi forma qualis ſit, variant Doctores. 241.1.E.

De morbis octo quæruntur. 245.1.A.

Morbus formaliter ſumptus dependet tanquam à cauſa Continente, à morbo pro materiali. 248.1.E.

Morbi pro materiali in duas claſſes à quibuſdam reducuntur. 249.1.A.

Morbi in numero & magnitudine formaliter ſumpti habent cauſam Continentem. ibid.2.C.

Morbi in mala compoſitione materialiter ſumpti, ſi ſint morbi in figura habent cauſam Continentem. ibid.D.

Morbus in figura pendet ex tali vel tali terminatione quantitatis. 249.2.D.

Morbus in obſtructione à contenta materia dependet. ibid.

Morbi calidi cauſæ referuntur. 251.1.D.E. & ſeqq.

Morbus calidus an & quomodo à paſſionibus animæ cauſetur? 253.1.C.& ſeqq.

Morbus calidus ex vicinitate rei calidæ cauſatur. 255.2.B.& D.

Morbus calidus qua ratione ex alimento calido contingat? 156.1.D.

Morbus calidus à putredine cauſatus. 256.2.A.& E. & ſeqq.

Morbus calidus ab obſtructione ſeu adſtrictione cauſatur. 258.2.B.

Morbi

Morbi frigidi ſex cauſæ admittuntur. 259.1.A.& E.
Licet iſte numerus impugnetur. ibid.
Morbi ſicci cauſæ adducuntur. 260.1.B.& ſeqq.
Morborum humidorum cauſæ. ibid.2.C.& ſeqq.
Morbi ex intemperie cum affluxu materiæ, à quibus cauſis proueniant? 261.2.C.& D.
Morbus & Sanitas latitudinem admittunt, intra quam in eodem ſubiecto reperiri poſſunt. 277.2.E.
Morbus & Sanitas habent magis & minus. 278.1.A.
Morbus & Sanitas ſunt contraria. ibid.C.
Morbo intrinſecum eſt, lædere operationes. ibid.D.
Morbus & Sanitas dupliciter poſſunt conſiderari in gradibus remiſſis & in intenſis. 279.1.B.
Morbus acutus dupliciter dicitur. 359.2.A.
Morbus acutus quis dicatur? 1.C.D.
Morbi natura qualiter à variis ſectis definiatur. 410.1.C.D.
Morbi propria definitio adducitur. ibid.E.
Morborum diuiſiones ex variis Sectis referuntur. ib. & 2.A.
Morbi prima traditur diuiſio nempe pro formali & pro materiali. ibid.C.
Morbus pro materiali eſt triplex. ibid.D.
Morborum accidentales differentiæ proponuntur. ibid.E.
Morbi magnitudo quid ſit, aperitur. 411.1.D.
Morbi magni definitio explicatur. ibid.E. & 2.C.& ſeqq.
Morbus magnus dicitur, prout accidens & prout morbus eſt. ibid.D.
Morbus paruus poteſt fieri vehemens, & hoc reſpectu dici magnus. ibid.
Morbi magni quadruplex genus admittitur & explicatur. 412.1.C.
Morborum cauſa materialis latè declaratur in genere. 412.1.E.
De morborum cauſis quid Paracelſus & alij huius farinæ homines exiſtimauerint. 412.2.B. & ſeqq.
Morbi magni ab hominibus producuntur & fouentur. 413.2.D.& ſeqq.
Morbus non fit ex ſemine ſicut nec metalla nec lapides. ibid.2.C.
Morborum cauſæ ſeminales variæ ſunt. ibid D.
Morbi magnitudo eſt differentia accidentalis ipſi ſuperueniens. 433.1.E.
Ex morbi magnitudine non indicatur per ſe ſanguinis miſſio ſpecificè, ſed tantùm indicatur remedium magnum genericè. ibid.2.C.
Morbus ratione magnitudinis indicat remedium magnum nempe ſanguinis miſſionem aut purgationem. ibid.
Morbus ſuffocans difficilè curatur ob illius ſæuitiam & vrgentiam. 507.2.B.
Morbi ſuffocantis curatio an ſit incipienda à purgatione, vel ſanguinis miſſione dubitatur. ibid.
Morbus ſuffocans à qua materia foueatur? & an illa purgari poſſit? ibid.D. & 508.2.B.
Morbi ſuffocantis curatio ſtatim à purgatione ſelectiua incipienda eſt, ſi adſit nuda cacochymia. 507.2.E.
In morbo ſuffocante quandò ſanguinis miſſio vel purgatio ſit exercenda? 508.1.E.
Morbi quot modis terminantur. 642.1.B.
Morborum ad partes quantitatis comparatio. 644.
Morbus poteſt contingere parti lædens aliquas eius operationes, non tamen omnes. 675.1.D.
Morbi qui habituali aut reneſſiua ſucceſſione affligunt, præcipuè in infantibus & pueris triplicem habent originem. 677.1.A.
Morbis extremis extrema remedia adhibenda ſunt. 678.1.E.
Morbi in puerperio ſuperuenientes lethales qui. 688.2.D.
Morbi aut accidentia ſuperuenientia puerperis, ex quibus fiant. 689.1.E.
Morbi ſuperuenientes puerperis, aut ex naturali fluxu ſanguinis ad mammas, aut ex lochiorum refluxu in ſuperiores partes, aut ex humoribus prauis in hominibus venis contentis, quomodo curandi. 689.1.2.A.B.& ſeq.
Morbi poſſunt in corpora humana induci opere dæmonum. 703.1.E.
Morbi à dæmone diuerſimodè cauſantur vel fouentur. 706.1.B.
Morbi dæmoniaci quibus ſignis quoue modis poſſint inueſtigari. 747.1.C.
Morbos non tantum, verumetiam dæmones, ſcelerati homines in corpora mittunt. ibid.
Morbi vehementes maximè à dæmone poſſunt cauſari. 757.2.E.

Mors.

Mors naturaliter ſubſequitur ex mutatione ætatum. 66.1.E.
Mortem eſſe naturalem an poſſit demonſtrari? 65.2.A.
Mors an & quomodo ſit naturalis & præternaturalis? 66.1.E.& 67.1.A.
Mors an debeat & poſſit eſſe ſine dolore 66.1.A.& 67.1.C.
Mors quæ ſubſequitur ad vltimam ſenectutem, dicitur naturalis. 66.2.B.
Statutum eſt Hominibus ſemel mori. ibid.C.
A cauſis naturalibus mors ſubſequitur. ibid.C.D.E.
Aliter Medici, & aliter Iuriſconſulti mortem naturalem definiunt. 67.1.B.
Mors naturalis qualiter à rebus præternaturalibus cauſetur? 67.1.E.2.A.& ſeqq.
Mors naturalis quomodo ſuperueniat. ibid.E.
Mors naturalis qualiter cauſetur à non naturalibus cauſis. 68.1.D.
Mors naturalis ab ſpiritibus quomodo fiat? 68.2.C.D.E.
Mors naturalis ab aſtris & cauſis ſuperioribus quomodo fiat? 69.1.A.
Mors naturalis à calore naturali prouenit; calor enim qui nos viuificat, nos occidit. 70.2.B.& ſeqq.
Mors naturalis eſt effectus naturalis neceſſarius & ineuitabilis. ibid.C.
Mortis naturalis non cunctis eſt eadem præfixa dies. 71.1.E.
Mors naturalis an ſine morbo accidat, & quomodo? 71.2.A.& E.
Chriſtus Dominus ſi non fuiſſet interfectus, ad mortem naturalem perueniſſet. 72.2.A.
Mors naturalis an fieri poſſit cum voluptate? ibid. B.& C.
Mors naturalis non neceſſariò, ſed per accidens fieri poteſt cum voluptate. ibid.C.& D.
Mors alia Naturalis, alia Violenta. ibid.E.
Mors terribilium terribiliſſimum. 71.2.B.
Mors eſt obiectum doloroſum. 702.A.
Mors quæ in ſenectute contingit an cum dolore & triſtitia coniuncta ſit? 71.2.E.& 72.2 B.
Mors terminat omnem hominis præſtantiam. 736.2.A.
Mors naturalis homini ineuitabilis. 757.1.B.
Mors violenta quid ſit? ibid.C.
Mors violenta duplex. ibid.
Mors repentina ſine cauſa procatarctica cognita quos

quos è vita ſuſtulit. ibid.
Mors repentina à procatharticis cauſis orta innumeros è vita ſuſtulit. ibid.E.
Mortis repentinæ inueſtigantur cauſæ. ibid.2.D.
Mors repentina corrupto calore vitali ex quibus cauſis proueniat. 738.1.E.
Mortis repentinæ cauſæ ob vitiatam conformationem. 739.2.C.
Mortis cuiuſdam repentinæ afferuntur cauſæ. ibid. & 740.1.A.& ſeq.
Mortis repentinæ indicia, quibus ſignis fuerint comprobata. ibid.E. & ſeqq.

Motus.

Motus Cœli fit ab Intelligentia. 140.1.B.
Motus in contrarios terminos in non viuentibus non eſt poſſibilis. ibid.
Ex duobus motibus contrariis naturalibus alter eſt naturalis, alter violentus. ibid.
Motus cordis ad quid neceſſarius. 140.2.C.D.
Ad motum localem perfectum animalis quæ requirantur? 141.1.& 2.A.
Motus cœli in quo differat à facultate motrice animalis? 141.2.B.
Motus an fiat concitatior aut remiſſior ab appetitu. ibid.
Motus animalis eſt vitalis. 141.1.& 2.E.
Motus principium nouem eſt cor. 142.1.A.
Vide *Facultas loco-motiua.*
Motus localis partium officialium qui fit mediis fibris, fit a facultate loco-motiua gradus ſenſitiui. 142.1.A.
Motus per ſe non datur ad Sanitatem. 188.2.D.
Motus quo producitur qualitas non ſpecificatur ab illo. 189.1.B.
Motus per ſe datur ad tria tantùm prædicamenta. 188.2.D.
Motus an & quomodo producat calorem, latè diſputatur. 251.1.C & ſeqq.
Motus localis poteſt eſſe cauſa morbi calidi. 252.2.B.
Motus & Raritas non ſunt idem in eſſe cauſæ. 261.2.A.
Motus eſt cauſa febris per accidens. 292.2.B.
Motus localis in febre putrida acuta prohibendus. 559.1.E.& 2.A.
Motus eiuſque vtilitates deſcribuntur. ibid.1.D.
Motus ſanguinis è vena ſecta fluentis à quo procedat? plures referuntur opiniones. 425.2.E.& 426.1.A.& ſeqq.
Motûs localis ſanguinis traditur cauſa. ibid.E.& 2.A.
Motus humorum ad partem ex qua fluit ſanguis cauſa præſcribitur. ibid.2.B. & ſeqq.
Motus à parte affecta ad originem poteſt eſſe duplex. 559.2.D.
Motus per ſe ab intrinſeco eſt adæquatum conſtitutiuum viuentis. 614.1.C.
Motus cordis in animali non eſt cauſa alicuius motus vitalis. ibid.2.E.
Motus cordis non eſt primus motus qui elicitur ab animali. 615.1.D.
Motus cordis eſt vitalis. ibid.1.A.
Motus cœli & motus cordis diuerſi. ibid.2.B.
Motus dilatationis & compreſſionis in pulſu, ſunt motus contrarij, tamen vitales. ibid.2.C.
Motus pulſus fit à generante quoad determinationem. 616.2.C.
Motus teſtium verſus inguina ad ſeminis expulſionem neceſſarius. 673.2.E.
Motus conuulſiui qui affectus & quot eius differentiæ. 744.1.E.
Motuum conuulſiuorum prouenientium ſine alio manifeſto morbo variæ obſeruationes. ibid.
Motus conuulſiui qualiter fiant dæmone non concurrente. 745.1.D.
Motus conuulſiui qualiter fiant dæmone concurrente. 646.1.D

Mulier.

Mulier neceſſariò requiritur ad generationem hominis. 153.1.E.& ſeqq.
Mulieres, in quo ſunt ſimiles Eunuchis? 154.1.B.& 155.1.C.
Vide *Fæmina.*
Mulier frigidior Viro. 157.1.E.
In Muliere an ſanguis menſtruus ſit ſuperfluus? 158.2.D.& 159.1.D.
Mulier menſtruata quidquid tangit maligna qualitate infeſtat. 158.1.B.& 159.1.C.
Mulier menſtruata interdicebatur Templo in Lege Moſaica. 159.2.E.
Mulieris corpus molle, laxum, fungoſum & ad ſanguinis receptionem aptum. 162.2.C.
Mulieres menſtruatæ antiquitùs ignominiam patiebantur. 708.2.A.

N

Natura, Naturalis.

Natura eſt morborũ medicatrix. 2.1.C.& 3.1.C.
Naturæ inſtinctu propriam appetimus regionem ſeu natale ſolum, & cur? 52.1.E.
Natura qualiter vtile retineat, & inutile ſeu redundans expellat. 82.1.E.
Natura mediante generatione rerum ſpecies conſeruat. 151.1.C.
Natura communis quomodo determinetur ad ſuam indiuiduationem. 176.2.B.
Natura non deficit in neceſſariis. 190.2.B.
Naturale ſumitur tripliciter. 199.1.C.
Natura in prima hominis conformatione producit quamlibet partem cum debita temperie. 206.2.D.
Natura id facit quod melius eſt. ibid.E.
Naturæ hominũ robuſtiores erant tẽpore Hippocratis & Galeni, quàm ſint noſtris tẽporibus. 375.1.B.
Natura dupliciter operatur, prout victrix cauſæ morbificæ, vel prout ab ea irritata. 500.1.B.C.
Natura aptas comparauit vias ad expellenda corporis excrementa. 533.1.A.B.
Natura ſicut cæteris animalibus, ita homini præfixit determinatum naſcendi tempus ex multis Authoribus. 698.2.B.

Nutritio.

Subſtantiæ odorificæ an nutriant, & quomodo? 76.1.E.& 77.2.C.
Ad nutritionem Corporis requiruntur humores. 73.1.D.E.& 74.1.C.
Nutritio fit per repoſitionem ſubſtantiæ ſimilis parti nutriendæ. 81.1.E.
Ex eiſdem nutrimur ex quibus ſumus conformati. ib.
Vide *Humores.*
Solũ ſanguinem poſſe nutrire putauit Ariſt. 81.1.A.
Quidquid nutrit an & quomodo dulce eſſe debeat. ibid.1.& 2.B.
Bilis an nutrire poſſit. ibid.
Sine nutritione per aliquot dies viuit animal. 137.1.A.& B.

Nutrix.

Nutricum Heroum vſum approbat antiqua conſuetudo. 707.1.D.E.
Nutricis ad Principes & Heroes lactandos apta graphica

graphifica deſcriptio. ibid. 2.B.
Nutricis mutandæ cauſæ quæ? ibid.D.

O

Obſeruatio.

OBſeruationes variæ tum ex ſacra Pagina, tum ex ſanctis PP. tum ex antiquis iuxta præfixum homini naſcendi tempus. 698.1. E. & ſeqq. 699.

Obſtructio.

Obſtructio eſt cauſa morbi calidi. 157.1.C.& ſeqq. & 158. per totum.
Obſtructio in quo conſiſtat? 157.1.C.

Occaſio.

Occaſio requiritur pro pharmaci ſolutiui exhibitione. 531.1.E.
Occaſionis definitio ex Cicerone. ibid.
Occaſio ex Hippocrate eſt præceps præcipuè tempore vrgentiæ. ibid.

Operari.

Operandi modus triplex eſt. 127.1.C.
Operationum humanarum principium immediatum quod ſit? 126.2.A.& 127.1.A.B.C.

Organica pars.

Organica pars, quid? 217.2.D.
Partium organicarum morbus veram morbi rationem obtinet. 218.1.B.C.
Vide *Morbus.*
Partes organicæ quomodo ſint partes ſimiliares ſimul ſumptæ,& in quo ab eis differant. Ibid.2.B. & E.
A parte organica quomodò eliciatur actio. 219.1.A.
Partis organicæ morbus qualiter inhæreat ſimilari. ibid. B.
Pars organica dupliciter conſideratur ratione ſuæ temperiei, & conſtitutionis. 219.1.E.&1.A.
Parti organicæ vt ſic conuenit, quòd toti cohæreat. 219.2.E.
Pars organica quid addit ſupra ſimilares. ibid.2.B.
Ad Partium organicarum compoſitionem quatuor ſunt neceſſaria. 221.1.B.C.
Ad Partium organicarum conformationem tria requiruntur. ibid.1.C.
Organica pars componitur ex ſimiliaribus vnitis & ex earum deunione pati poteſt ſolutionem continuitatis. 228.1.B.

Orgaſmos.

Orgaſmi vox tranſlata eſt ad humores turgentes. 481. *in paraphraſi, verbo, Niſi materia turgeat.*
Orgaſmos ſeu Turgentia quid ſit? 487.2.D.E.
Vide *Turgentia.*

Orthopnœa.

Orthopnœa quos pulſus efficiat? 638. 1. E.

Oua.

Oua integra, recentia, & tremula ſumptâ indicatione à febre, ſemper vtilia ſunt. 385.2.E.
Oua recentia ac tremula ſumpta ſunt frigida aut ſaltem temperata. ibid.
Oua non ſemper & in omni febre ſunt indicata. 386.1.B.
Oua recentia ſunt multi nutrimenti. ibid.
Oua poſſunt eſſe vtilia in omni febre, ſumpta indicatione à viribus. ibid.C.
Oua ad vires reficiendas maximè præſtant. ibid.
Ouorum vſus in febre peſtilenti & putrida multùm prodeſt. ibid.D.

P.

Pagina.

PAgina ſacra loquitur de vera & naturali puerperarum euacuatione. 710.1.C.
Pagina ſacra tantùm loquitur de purgatione menſtruali, non de omni morboſa impuritate. ibid. 2. A.

Paracelſus.

Paracelſus artis Spagiricæ ſuſcitator. 4.1.A.
Paracelſi Diſcipuli ſectam Paracelſiſticam non differre à Spagirica contendunt. 4.1.B.
Paracelſus totam Medicinæ eſſentiam in medicamentis arte Spagirica extractis conſtituit. 4.2.C.
Tria tantum principia admittit in omni mixto. ibid, D. & 5. 1. B.
In vnione Salis, Sulphuris, & Mercurij ſanitatem ponit; Morbum verò in diſſolutione. ibid. C.
Paracelſus ſuperſtitioni, & veneficiis deditus. ibid.D. E.
Paracelſus noua conſtruit Elementa. 9.2.C.
Paracelſi origo, impietas, & opinio de morborum cauſis proponuntur. 412.2.B. & ſeqq.

Paralyticus.

Paralytici quos pulſus habeant. 638.1.C.

Pars Corporis.

Doctores de partibus Corporis tractantes referuntur. 91.1.C.D.
Partes Corporis humani quæ ſint ex Hippocrate? 91. 1. B.
Partes in corpore ſubſtantialiter differre, qui defendant? 91.2.C. & ſeqq.
Partes Corporis humani accidentaliter differre, reſoluitur. 91. 1. B.
Partium diuerſitatem ſolùm anima petit, vt per diuerſas potentias, diuerſas eliciat operationes. 92. 2. B.
Vide *Anima.*
Variæ Partis definitiones adducuntur. 92.2.D.
Vera Partis diffinitio traditur ex Fernelio. 93.1.B.
De partibus humani corporis qua ratione agat Medicus. ibid.C.& D.
Pars reſpectu partium, quæ in homine ſunt, eſt æquiuocum, & quomodo? 93.1.E.
Pars alia Similaria, alia Diſſimilaris. 93.1.E.
Partes quædam ratione formæ ſunt diſſimilares, ratione materiæ ſimilares. 94.1.B.
Pars ſimilaris quid? ibid.1.E.
Pars ſimilaris ac diſſimilaris quælibet dici poteſt organica. 95.1.A.& ſeqq.
Pars organica quid ſit? ibid.B. & quid ad eam requiratur. ibid.C.D.
Pars diſſimilaris ſemper eſt organica. 94.2.D.& 95.1.D.
Pars organica in quo differat à ſimilari? 95.2.A.
Partes ſimilares & organicæ qualiter eliciant ſuas operationes. 95.2.E.& 96.1.E.
Pars ſimilaris qualiter concurrat ad actiones ſua temperie. 96.2.B.& ſeqq.
Pars princeps quid ſit. 97.1.A.& ſeqq.
Varia Antiquorum placità circa principem Corporis partem. 97.1.E.
Pars princeps quotuplex ex Galeno. 97.2.E.
Pars princeps cenſeri debet quæ eſt principium & origo influxus neceſſarij ad operationem. 98.1.C.
Partis principis rationem habent teſtes reſpectu ſpeciei. 99.1.D.
Vide *Teſticulus.*
Pars princeps reſpectu indiuidui quæ dicatur? 99.2.B. & E. & 100.1.A.

Partium principum præſtantia. 100.1.C.D.E.& ſeqq.
Partium principum influxus in reliquas admittitur. 101.1.D.
Pars princeps nullam communicat facultatem vitalem ad reliquas. 102.1.E.
Partes principes communicant qualitatem ſuperioris ordinis neceſſariam pro operationibus. 103.1.B.
Partes principes ad reliquas ita ſe habent, ſicut cœlum in hæc inferiora. 103.1.E.
In Parte organica vnica eſt particula eliciens actionem. 202.2.D.
Partes Corporis ſimplices conſiderantur vel ratione materiæ, vel ratione formæ. 210.2.D.
Vide, *Similaris*.
Pars tripliciter fit debilis. 262.1.C.
Partes principes, officiales, & deſtinatæ ad coctionem non læduntur, læſis earum continentibus, neque etiam ipſis. 674.2.E.& ſeq.
Partes corporis alias debiliores, alias robuſtiores fabrefecit natura. 682.2.D.

Partus.

Partus magis vitales in decimo menſe. 700.2.E.& 701.1.A. B. & ſeq.

Paſſio.

Paſſio animæ quid. 631.1.B.
Paſſiones appetitus ſenſitiui. ibid.D.
Paſſiones appetitus iraſcibilis. ibid.E.

Peripneumonia.

Peripneumonia quos pulſus efficiat. 637.2.E.

Phantaſia.

Phantaſia differt à ſenſu communi. 149.1.B.
Phantaſia eſt paſſio ſenſus communis. ibid. A. & E.
Phantaſiæ & ſenſus communis idem eſt obiectum. ibid. 1, & 2. B.
Phantaſia obiectorum ſpecies retinet in eorum abſentia. ibid D.E.& 2.B.
Phantaſia differt à facultate æſtimatiua. 150.1.A.

Pharmacia.

Pharmacia, Chirurgia, & victus ratio ſunt inſtrumenta quibus febres debellantur. 357. 2. A. & 358. 1. B.
Pharmaca ſolutiua licet habeant deleterias qualitates, porrecta tamen vtilia ſunt. 364.2.A.
Ex Pharmaci debiti exhibitione non ſequitur mors. ibidem.
Pharmacum ab ignaro exhibitum, ſi mors ſequatur, turpis eſt calamitas. ibid.
Corporibus ſanis ſolotiua pharmaca non ſunt exhibenda. ibid.B.
Pharmacum in debita quantitate exhibitum ſolùm humorem peccantem attrahit. ibid.C.& D.
Pharmacum ſi quantitate excedat, fit ſuperpurgatio, & alia damna ſequuntur. ibid.
Pharmaci ſolutiui vim nimiam Theriaca impedire poteſt. ibid.E.
Pharmacon pro quo vſurpetur tam apud Græcos quàm Latinos, & ab ipſo Hippocrate. 517.1.C.
Pharmacum ſelectiuum eſt triplex, Cholagogum, Plegmagogum, & Melanagogum. ibid.2.A.
Pharmacum lenitiuum etiam triplex eſt. ibid.
Pharmacum Hæmagogum nullum à natura fuit productum. ibid.D.
Pharmaca primæ regionis ſolutiua ſunt tantum tria; comprimentia, lubricantia, & lenientia. 518.1. E. & 2. A.
Pharmaca lenientia, & lubricantia differunt in modo purgandi. 518.1.E.
Pharmaca ſelectiua putridos euacuant humores. 526.1.B.& ſeqq.
Vide *Cathartica*.
Pro pharmaci exhibitione ſecurior debet eſſe Medicus de virium robore, quam pro ſangoinis miſſione. 526.2.E.& 527.1.A.& ſeqq.
Pharmaca benigniora fortioribus ſunt præferenda. 527. 2.B.C.
Pro pharmaci purgantis exhibitione prærequiritur coctio in humoribus. 528.1.B.& ſeqq.
Ad pharmaci ſolutiui exhibitionem requiritur quod humores putredinem patiantur, vt ad Cacochymiam reducantur. 529.2.B.& ſeqq.
Pro pharmaci exhibitione an ab Aſtris coindicatio ſumenda ſit, diſceptatur. 531.2.B.& ſeqq.
Vide *Aſtra*.

Phreneticus.

Phrenetici quos pulſus habeant. 638.1.C.

Phrenitis.

In Phrenitide an conueniat purgatio? dubitatur. 505.1.C.& ſeqq.
In Phrenitide nullo tempore exercenda purgatio, ſumpta indicatione humoris firmati in capite. ib. E. & 506.1. C.
Phreneticum purgare perniciosum eſt. ibid. 2. A.
In Phrenetide conuenit ſanguinis miſſio ab initio, ſi cauſa antecedens eſt ſanguis, aut bili ſanguini commiſta. ibid.2.B.& ſeqq.
In Phrenitide purgatio exercenda ab initio, ſi cauſa antecedens ſit bilis à ſanguine ſeparata. ibid.
De Phrenitidis diuerſitate, ratione cauſæ, Auicennæ doctrina refertur. ibid.C.
Phrenitidis duæ ſunt ſpecies. ibid.D.
In Phrenitide indicata eſt attemperatio cauſæ antecedentis & coniunctæ. 506.1.B.

Pituita.

Pituita an humectet plus ſanguine? 58. 1. & 2.D.
Pituita gypſea an ſit humor. 75.1. & 2.C.
Pituita duplex eſt. 77.2.D.& 415.2.B.
Pituita an generetur in ventriculo? 78.1.A.& 2.B.
Pituita variè accipitur. 85.2.E.
Pituita naturalis quid ſit. ibid.
Pituita an & quomodo in iecore generetur. 85.2.D. E. & 86.1.A.
Pituita naturalis duplex, ex Galeno. ibid.1.E.
Pituita naturalis alia conuertitur in ſanguinem, alia numquam. 86.2.B.
Pituita naturalis eſt humor frigidus & humidus, maiori ex parte factus ex partibus aqueis. ibid.
Pituita naturalis an ſit inſipida, an ſalſa, an dulcis? variant Doctores. ibid.D.
Pituita naturalis vnica eſt in ordine ad aquearum partium nutritionem. 86.2.E.
Pituitæ naturalis altera ſpecies eſt ſanguis ſemicoctus aptus conuerti in perfectum ſanguinem. ibid. & 88.1.C.
Pituita cur non habet proprium receptaculum. 87. 1. B. C.
Pituitæ præternaturalis quot ſunt ſpecies, & quæ? ibid. 1. D. & ſeqq.
Pituitæ præternaturalis differentiæ à ſapore & ſubſtantiæ modo deſumuntur. ibid. 1. & 2. E.
Pituitæ dulcis duæ ſunt ſpecies. 87. 2. E.
Pituita vnde fiat acida? ibid.
Pituita qualiter fiat ſalſa? 87.2.B. & 88. 1. A.
Sapor ponticus qualiter Pituitæ accidat. 88. 1. B.
Pituita vnde fiat mucilaginoſa? ibid. C.
Pituita vitrea qualiter fiat. ibid.D.
Pituita gypſea ex quibus cauſis contingat. ibid.
Pituita naturalis an poſſit in alios humores naturales transmutari, reſoluitur negatiuè. 88.1.E.
Pituita quæ eſt ſuccus crudus, ſiue ſanguis ſemico-

ctus

ctus poteſt in ſanguinem duntaxat vi iecoris conuerti. 88.2.B.
Pituita quæ eſt cruditas in ventriculo genita poteſt in quatuor humores vi iecoris tranſmutari. ib.C.
Pituitoſi diu inediam perferunt, & cur? ibid.
Pituita quæ in ventriculo generatur, eſt cruditas; & vnde genita? ibid.2.D.
Pituitam admittendi neceſſitas ſancitur. 329.1.D.E.
Pituita duplex eſt. ibid.2.B.& ſeqq.
Pituitæ quidditas explicatur. ibid.
Pituitæ præternaturalis plures ſunt ſpecies, & quomodo diſtinguantur. 398.1.B.
Pituita naturalis an poſſit putredine alterari? & Quotidianam febrem cauſare? diſputatur. ibid.& reſoluitur affirmatiuè. ibid. D. E.
Pituita datur in corpore humano, quæ eſt humor proprius. 415.1.D.
Ex Pituita putreſcente aut vitium aliud magnum acquirente morbus magnus generatur. ibid.
Pituita eſt humor frigidus & humidus aptus pro nutritione partium humidarum. ibid.
Pituita quorum morborum præcipuè cauſa dicatur? ibid. E.
Pituita non habet conditiones ad Turgentiam requiſitas. 489.2.B.

Plenitudo.

Plenitudo ſecundum quid in quo conſtituatur ex Galeno. 655.1.C.
Plenitudo & cacochymia in quo differant. ibid.2.B.

Plethora.

Plethura ſiue plenitudo an detur. 419.1.B.& ſeqq.
Plethora eſt vitium quod accidit plerumque ſanguini & humoribus illi commixtis. ibid.D.
Plethoræ definitio ex Galeno proponitur. ibid.E.
Plethoræ vera definitio ſancitur & explicatur ibid. 2.C.
Plethoræ prima diuiſio proponitur. Ibid.E.
Plethora alia eſt ſimpliciter talis, & alia ſecundùm quid. 420.1.C.
Plethora alia eſt quoad vaſa, & alia quoad vires. 419. 2. E.
Plethora alia eſt vniuerſalis & alia particularis. 420. 1. E.
Plethoræ ſeu plenitudinum inter ſe & cum cacochymia traditur complexus. ibid.D.
Plethora quoad vires per quid conſtituatur, definitur. ibid.2.D.
Plethoræ ſigna quænam ſint ex Galeno. ibid.E.
Plethora vires opprimit. ibid.& 421.1.A.B.
Plethoræ vitium inter morborum cauſas cenſetur. 421.1.E.
Plethora quoad vaſa & quoad vires poteſt ſimul ſangini ſuperuenire. 421.2.E.
Plethora quoad vires poteſt reperiri ſine plenitudine quoad vaſa. 422.1.A.
Plethora ſimiliter quoad vaſa poteſt eſſe ſine plenitudine quoad vires. ibid.B.C.
Plethoræ quoad vaſa propria ſigna quibus cognoſci poſſint, proponitur. ibid.2.C.
Plethora quoad vires propriis ſignis cognoſci poteſt. 423.1.C.D.
Plethora ſecundùm quid quomodo dignoſcatur. ib. 2. A.
Plethora & cacochymia ſunt duæ proprietates in humoribus ſuperuenientes. 481. 2.B.C.
Plethora ex vitioſis humoribus ſanguini commixtis, quæ dicatur? 482. 1.C.
Plethora quid ſit, & quæ ad eam requirantur? 484. 1.B. C.
Plethora & Cacochymia poſſunt ſimul & ſeorſum reperiri. ibid.D.
A Plethora ſanguinis miſſio indicatur. Ibid.2. B.
Plethora & cacochymiâ ſimul exiſtentibus in venis, quæ indicatio præualeat? ibid.E.
Plethoræ materia benignior eſt quàm cacochymiæ. ibid. & 485. 1. A.

Pleuritis.

In Pleuritide & aliis inflammationibus ſunt duo morbi nempe tumor & febris. 232.1. D.
Pleuritis in febre ex lumbricis orta plerumque accidit, & vtriuſque Mercurius eſt remedium. 308. 2. D. E.
Pleuritidem curaſſe gloriatur Van Helmont cum ſtercore equino abſque ſãguinis miſſione. 360.2.A.
Refellitur. 361.2.A.
In Pleuritide an & quomodo exerceri debeat purgatio, maximè variant Authores. 508.2.C.
In Pleuritide vera ſiue in deſcendente, ſiue in aſcendente dolore, non debet fieri purgatio, ſumpta indicatione a cauſa coniuncta. ibid.E.
In Pleuritide ſumpta indicatione à cauſa antecedente, ſanguinis miſſio exercetur. 509. 1. C. & ſeqq.
Pleuritis vera eſt morbus magnus pendens ex vitio ſanguinis in quantitate, qualitate, aut motu. ib.
In Pleuritide ſumpta indicatione à regione, in qua continetur cauſa antecedens, quid agendum, reſoluitur. 509.2.A.& ſeqq.
Pleuritis quos pulſos habeat. 637.2.C.

Potentia.

Potentiæ vitales non communicantur à parte in partem. 615.1.B.

Potus.

Potus vini an & quomodo exhibendus in febribus? 367.1.D.& ſeqq.
Potus & cibus ægrotis neceſſarius ad vires reficiendas. 368.2.A.& ſeqq.&.369. 1. E.
Potum aquæ gelidæ ad ſatietatem conſulit Galenus pro Synocho curanda. 372.2.D.E.
Potus aquæ frigidæ an poſſit exhiberi antequam appareant ſigna coctionis, dubitatur. 373.1.A.B.
Potus aquæ gelidæ interdum conuenit etiam ante ſigna coctionis. ibid. C.D.
Ante potum aquæ frigidæ in cura regulari debent præcedere ſigna coctionis. ibid.E.
Potus aquæ frigidæ ad ſatietatem Synochum putridam extinguit. 376.2.B.
Potus in febre Ardenti & Tertiana Continua qualis exhibendus ex Dogmaticis. 380.2.D.
Potum aquæ frigidæ vtilem eſſe pro ardente febre firmatur euentu. 381.1.D.
Potiones vtiles pro curandis vulneribus. 710.1.C.
Potus ex chocolate factus cuius generis ſit, & quam vim alimenti habeat. 733.1.C.
Potus latiſſime ſumitur pro quacumque ſubſtantia liquida quæ bibitur leuandæ ſitis gratia. ibid.D.
Potus naturalis quotuplex. ibid.
Potus quilibet cibi habet aliquam materiam admixtam, & alimentum præſtat. ibid. E.
Potus ſimplex aqueus an habeat aliquam nutriendi vim. 734.1.A.& ſeq.
Potus artificialis & cibus. ibid.2.B.
Potus artificiales varij apud varias gentes. ibid.2.D.
Potus artificiales varij abſque vino componuntur. ibid.2.E.
Potus quilibet nutrit, non eſt tamen cibus. 735.1.D.
Potus artificialis an frangat ieiunium, cum diſtinctione loquendum. ibid.E.& ſeq.
Potus chocolatis non frangit ieiunium. 735.2.C.

Prægnans.

Prægnaotes qua ratione medicandæ? 453.1.B.
In Prægnante ſanguinis miſſio exerceri poteſt.ibid. C. & ſeqq.
Prægnans cumquibus præcantionibus ſit phlebotomanda ex Roderico de Caſtro. ibid.2.C.
In prægnante ſi ſanguis mittatur, an venarum diſcrimeo ſit obſeruandum,reſoluitur oegatiuè.454.1.B.C.
In prægoante ſanguis ex pede quando ſit mittendus? ibid.2.E.
Prægnans ob ſuperuenientem Epilepſiam poteſt in pede phlebotomati. ibid.
Prægnante vnà cum fœtu periclitante an liceat ſanguinem mittere? 455.2.C.& D.
In prægnantibus ad vitandum aborſum iuuat interdum ſanguinem mittere. 456.2.B.& ſeqq.
In prægnantibus qua ratione ſit exerceoda purgatio? decernitur. 510.1.A.& ſeqq.
In prægnaotibua de cuta coacta ſanguinem mittere licet ex pede. 590.1.D.& ſeqq.
De prægnantibus Hippocratis doctrina circa ſanguinis miſſionem ex pede etiam eſt intelligenda. 591.1.D.
In prægnaotibus qua parte ſit mittendus ſanguis pro affectibus ſuperiorum partium, variæ referuntur opiniones. 589.2.B.& ſeqq.
Prægnantes quos pulſus habeant. 638.2.B.
Prægnantes aliquæ acuto morbo correptæ ſanguine miſſo curatæ. 693.2.C.

Prægnantia.

Prægnaotiæ tempore quando licet phlebotomare ex pede. 694.2.E.
Prægnantia inſolita, accidentia plurima illi ſuperuenientia. 711.2.E.
Prægnantiæ variæ ſortes. 712.1.C.& ſeq.
Prægnantiæ naturalis in vtero nulla infallibilia ſigna. 714.1.B.& ſeq.

Princeps.

Principes Hiſpaniarum epilepſia extincti. 678.1.A.

Principium.

Ars Spagirica docet omnia mixta reducere in ſua prima principia. 4.2.D.& 5.1.A.
Tria tantum rerum principia admittit Paracelſus Sal, Sulphur, & Mercurium. ibid.
Antiquiores Philoſophi alij cœlum, & materiam primam, Alij atomos, Alij alia excogitarunt prima rerum principia. 9.2.C.
Principium paſſiuum ſic ſe habet ad recipiendum ac actiuum ad agendum. 126.1.E.& 127.1.A.
Principium motus localis in viuente quod ſit ex Ariſtotele. 141.2.D.
Principium io morbis tripliciter ſumitur.231.1.D.E.
In principio morbi natura debilior eſt. 238.1.A.

Priuatio.

Priuationis genus duplex eſt. 195.1.B.
Priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto ad illam habendam. 194.1.E.

Pueritia.

Pueritia quid ſit, quaodo incipit, & deſinit? 62.1.C.
Pueritiæ qualis temperies aſſignatur. ibidem E.& ſeqq.
Puerorum temperamentum debet eſſe calidum & humidum, vt in magnitudinem debitam deducantur. 62.2.D.
Puer aſſimilatur Veri quoad temperiem. 62.1.D.& 1.E.
Pueri infeſtātur frigidis morbis,& quomodo? 63.1.A.
Pueritia cur dicitur temperata? 62.2.E.
Pueris frequentiorem reſpirationem tribuit Galenus quàm Adoleſcentibus. 63.1.E.
Io puero & Adoleſcente tactus eandem caloris intenſionem percipit. ibid.2.D.
In Pueritia an liceat ſaoguinem mittere? grauis eſt Antiquorum Doctorum controuerſia. 435.2.E.& 436.1.A.& ſeqq.
A Pueritia non interdici venæ ſectionem, reſoluitur. ibid.E.& 2.A.& ſeqq.

Puerpera.

Puerperam an purgare liceat? 510.2.D.& ſeqq.
In puerperis plura ſunt quæ purgationem etiam indicatam impedire valent. ibid.E.& 511.2.C.
Io puerperis indicatione ſumpta à cauſa coniuncta, omninò denegatur purgatio. 511.1.A.B.
Io puerperis qua ratione interdum concedatur benigna purgatio. ibid.C.
Morbi in puerperis quomodo fiant? ibid.2.D.

Pulchritudo.

Pulchritudo ex partium coaptatione, magnitudine, & figura reſultat. 25.2.E.& 37.2.A.

Pulſus.

Pulſus finis eſt tribuere vnicuique parti temperiem aptam ad ſui conſeruationem, & ad operandum. 253.1.E.
Pulſus differentiæ ſecundùm diuerſitatem paſſioonm animæ vnde oriantur. ibid.D.E.& 254.2.E.
Pulſifica facultas an ſubordinetur appetitui & voluntati. 254.1.C.D.& ſeqq.
Pulſus ex quo Diaria cognoſci poteſt qualis ſit.301.1.D.& ſeqq.
Pulſus inæqualitas duplex reperiri poteſt in febre Humorali. ibid.2.C.
Pulſus variatur in Diaria orta ab ira, vigilia,dolore, & cur? ibid.D.
Pulſus in Hectica celerior eſt in dilatatione quàm in compreſſione. ibid.1.E.
Pulſus in febre intermittente non peruenit omninò ad oaturalem ſtatum. 301.2.D.
Pulſus qualis ſit in Synocho imputri? 371.2.E.
Pulſus in Syoocho imputri eſt aliqualiter,inæqualis. ibidem.
Pulſus in Synocho imputri vehemens eſt. 372.1.B.
Pulſus maior eſt in Synocho quàm io Cauſo.ibid.D.
Pulſus velocior in Cauſo, quàm in Synocho. ibid.
Pulſus celerrimus eſt in febre ardente. 380.1.D.
Pulſus qualis ſit io Tertiana Exquiſita? 386.2.D.
Pulſus in Tertiana Notha deſignatur. 390.1.E.
Pulſus in Quotidiana qualis deprehēdatur? 396.1.C.
Pulſus in Quartana tardior ſit & rarior quàm in aliis febribus. 400.2.B.
Pulſus variæ acceptiones. 595.1.A.
Pulſus dignotio vtile medium ad præcognoſcendum morbi euentum. 609.2.C.
Pulſus variæ definitiones. ibid.2.D.
Pulſus definitio à Galeno tradita optimè ponderatur. ibid.2.E.
Pulſus definitio à Galeno tradita,illius completè explicat naturam. 610.1.B.& ſeq.
Pulſus definitionis particulæ ſeparatim explicantur. ibid.1.D.
Pulſus motus facultas diuerſa à diuerſis aſſignatur. 610.2.E.611.1.A & ſeq.
Pulſus elicitur efficienter à facultate vitali pulſifica inhærente io corde & arteriis. 611.1.E.
Pulſus debet fieri à facultate vitali. ibid.& 611.2.B.& ſeq.
Pulſus nequit fieri à calore nec raritate, nec leuitate. ibid.2.D.
Pulſus non fit à generante efficienter ſed ab anima

media

media pulſifica loco-motiua facultate inhærente cordi & arteriis. 616. 3. B.
Pulſus dupliciter conſideratus. 621. 1. D.
Pulſuum primæ differentiæ tres. 622. 2. D.
Pulſuum octo differentiæ ex tribus primis ortæ, ad omnes alias pulſuum differentias ſupremæ. ibid. E.
Pulſuum octo primæ differentiæ vnde deſumantur. 623.
Pulſuum quinque ſimplices differentiæ primæ. ibidem. 1. E.
Pulſuum variæ denominationes. ibid.
Pulſus poteſt tripliciter dici magnus, paruus, aut mediocris. ibid.
Pulſuum differentiæ aliæ propriæ, aliæ familiares, aliæ incompoſſibiles. ibid. E.
Pulſuum compoſitorum vtiliores differentiæ duodecim. 624.
Pulſus diuiduntur in æquales & in inæquales. 624. 2. C.
Pulſus inæqualis inæqualitate ſyſtematica quomodo fiat. ibid. E.
Pulſus inæqualis inæqualitate ſecundum quid quotuplex. 625. 1. B.
Pulſus inæqualitas quomodo attendatur. ibid. C. & ſeq.
Pulſus inæqualitas reperitur in omnibus ſimplicibus differentiis. ibid. E.
Pulſibus accidit ordo aut ordinis perturbatio. ibid. 2. B.
Pulſibus ordinatis & inordinatis quod conueniat medium. ibid. C.
Pulſuum diuiſio per octo differentias eſt adæquata. ibid. E.
Pulſus vehementia à ſola prouenit facultate. 626. 1. E.
Pulſus dicrotus à Galeno comparatur ictibus mallei in incudem. 627. 1. B. C. D.
Pulſus dicrotus tantam poteſt habere crebritatem, vt nulla in eo poſſit attendi poſitiua quies. ibid. 1. E. 2. A. B.
Pulſus dignotioni requiſita. ibid. 2. D. E. & 628. 1. A. & ſeq.
Pulſus differentiis cognoſcendis requiſita. ibidem 1. E.
Pulſus magni differentiæ qualiter cognoſcendæ. ibid. 2. B. C.
Pulſus celeritas & tarditas qualiter attendi debeat. ibid. 2. D.
Pulſus creber aut rarus qualiter cognoſcantur. 629. 1. B.
Pulſus vehemens & languidus quomodo cognoſcantur. ibid. C.
Pulſus durus & mollis qualiter cognoſcantur. ibid. E.
Pulſus Rhytmi proportio ex quo dignoſcatur. ibid. 2. A.
Pulſus inæqualitas qualiter ſit cognoſcibilis. ibid. 2. C.
Pulſus cauſa efficiens. 929. 2. E. & 530. 1. A. & ſeqq.
Pulſus cauſæ quot ſint. ibid. 1. D. E.
Pulſus nequit variari ſine immutatione alicuius ex cauſis continentibus. ibid. 2. C.
Pulſu variato in paſſionibus animæ, immutatur etiam aliqua ex cauſis continentibus. ibidem 2. D.
Pulſus in paſſionibus animæ non immutatur ob bonum animalis in communi, tanquam ob cauſam finalem. 632. 1. E.
Pulſuum differentiæ communiter aſſignatæ in paſſionibus animæ debentur illis pro materiali. ibid. 2. B.
Pulſuum differentiæ quæ ponuntur in paſſionibus animæ pro formali fiunt ex mutatione vſus. 633. 1. A.
Pulſuum differentiæ pro vſu adaucto quæ ponantur. ibid. 2. E.
Pulſuum differentiæ pro vſu diminuto quæ fiant. 634. 1. D.
Pulſuum differentiæ ex connexione facultatis & vſus. ibid. E.
Pulſuum differentiæ ex vſu & inſtrumenti connexione. ibid. 2. C.
Pulſuum relatiuorum cauſæ. ibid. D. E.
Pulſus inæqualitas ſemper prouenit à vitio inſtrumenti, vel ſaltem ipſo concomitante 635. 1. D.
Pulſus intermittens in vnica pulſatione tres habet cauſas. ibid. 2. B.
Pulſus inæqualitas ſingularis quas habeat cauſas. ibid. B. & ſeq.
Pulſus inæqualitatis peculiaris aliarum differentiarum cauſæ. 636. 1. A. & ſeq.
Pulſus ex rebus, non naturalibus quæ. 637. 1. D.
Pulſus magnus quid indicat. 638. 2. E.
Pulſus paruus quid ſignificat. 639. 3. A.
Pulſus celer quid denotat. ibid. C.
Pulſus tardus quid indicat. ibid.
Pulſus creber quid denotat. ibid. E.
Pulſus ratus quid ſignificet. ibid.
Pulſus vehemens, quid prænuntiet. ibid. 2. B.
Pulſus mollis & durus quid indicat. ibid. 2. C.
Pulſus inæquales quid prænuntient. 640. 1. A. & ſequent. 2. A. B. C.
Pulſus complicatæ inæqualitates proprio gaudentes nomine quid prænuncient. ibid. 2. D. & 641. 1. A. & ſeq.

Puluis.

Puluerum pro epilepſia curanda compoſitio. 688. 1. C. D. & ſeq.

Pupilla.

Pupillæ oculi dilatatio vnde fiat? 520. 2. C.

Purgatio.

Purgatio eſt vtile remedium pro febribus humoralibus curandis. 364. 1. A. & ſeqq.
Purgatio eſt remedium omnium experientiâ, & communi Doctorum aſſenſu comprobatum. ib. B. D. E.
Purgatio duplex eſt, Selectiua & Lenitiua. 405. 2. E.
Purgatio Lenitiua in principio Quartanæ exerceri poteſt. 406. 1. C. & ſeqq.
Purgatio Lenitiua euacuat cauſam remotam Quartanæ, non proximam. ibid.
Purgatio Selectiua non debet exhiberi pro curanda Quartana, niſi concoctâ materiâ. ibid. 2. E.
Purgatio ſelectiua non fit antequam appareant ſigna coctionis, niſi ratione turgentiæ, aut vrgentiæ. 407. 1. A.
Purgatio ſelectiua in Quartana Simplici vel Duplici quali die exhibenda? 407. 2. C. D.
De purgandi ratione explicantur Sententiæ XXII. Aphoriſm. Hippocrat. 480.
Purgandi rationem qui primi inuenerint? & de ea tractauerint. 481. 1. A. B.
Purgatio indicatur ratione cacochymiæ. 482. 2. A. & ſeqq. & 483. 1. A. & ſeqq.
Purgatio non ſemper conuenit ſtatim humori obiectiuè turgenti. 409. 1. C. D.

Purgatione regulariter euacuandi humores,qui analogia ptoportionis turgere dicuntur. ibid. E.
Purgationi indicatæ in ſuccis turgentibus quæ obſtent ptoponuntur. 49. 1. 1. B. & ſeqq.
Purgatio in lata ſignificatione quid? ibid.2.B.
Purgatio eſt remedium magnum & auxiliumq neceſſarium pro motbis cuandis. 492.1.C. & ſeqq.
Purgationis auxilium omnium Philoſophorum & Medicotum, imò & Sanctorum Doctorum commentatione comprobatum. 492.1.D.E.
Purgatio etiam vtilis cenſenda eſt , licet quis non admittat humores in eotpore. 493. 1. B.
Purgatione èuacuari diuerſas ſubſtantias quocumque nomine donentut, experientiâ conſtar. ibid.
Purgatione pars materialis febrium aufertur.ibid.C.
Purgationis definitio communis adducitur.ibid.2.B.
Ab authore reiicitur. ibid.2.D.
Purgandi indicatio ſumi poteſt reſpectu bumoris etiam debita gaudentis qualitate. 494.1.C.
Purgandi ratio non ſpecificatur præcisè ab humoribus qualitate peccantibus. ibid. B.
Purgationis vera & integra definitio ſancitur & explicatur. ibid.D.
Purgationis definitio Galen. declaratur.ib.E.& 2.A.
Purgatio & euacuatio differunt. ibid.
Purgatio & ſanguinis miſſio diuerſa ratione euacuanr. ibid.B.
Purgatio alia eſt lenitiua & alia ſelectiua.ibid.C.D.
Purgationes primæ regionis adducuntur. ibid.E.
Purgatio ſecundæ regionis iterùm diuiditur. ibid.
Purgationis ſelectiuæ diuetſitas explicatur.495.1.B.
Purgatio lenitiua poteſt fieri abſque præcedeute coctione. 495.1. D.
Purgatio ſelectiua coctionem præcedentem exigit , & quæ ſit ratio diuerſitatis. ibid. 2.B.
Purgatione lenitiua euacuandi ſucci ſunt in multiplici differentia. ibid.C.
Purganda eſt ſtatim ſeroſa ſubſtantia redundans, nonexpectata coctione. 495.2.E.
Purgatio ſelectiua quando poſſit exerceri non expectata coctione ? 496.2.A.& ſeqq.
Purgatio radicatiua indicatur in principio à morbis pendentibus ex nuda humotum cacochymia.ib.B.
Purgatio ſelectiua exercenda , dum habemus naturam adminiculantem. ibid.1.& 2. E.
Purgatio ſelectiua in febribus putridis vtilis eſt. 497.1.C.& ſeqq.
Purgatiua præcepta vatiis in locis tradit Galenus. ibid.2.A.B.
Purgatio ſelectiua ad materiam febrilem euacuandam non exercenda in principiis morborum niſi materia turgeat. 498.1.C.& ſeqq.
Purgatio ſelectiua in febribus anre coctionem regulariter non eſt indicata. ibid.E.
Purgatio minoratiua poteſt exerceri, ratione vrgentiæ,cruda exiſtente materia. 499.1. D.
Purgatio alia regularis eſt,alia coacta. ibid.
Purgatio regularis non eſt facienda niſi ratione cacochymiæ. ibid.2.C.
Purgatio minoratiua coacta ſit ratione vrgentiæ. ibid.& ſeqq.
Purgatio lenitiua conuenit in febre peſtilente & maligna ab initio, ſi putridi humores redundant in prima regione. 500.2.D.
Purgatio ſelectiua non conuenit in principio cuiuſuis febris malignæ aut peſtilentis. ibid.E.
Purgatio an debeat exerceri in principio morbi,ſumpta indicatione ab aliqua parte?dubitatur.50.1.2.B.C.
Purgandi indicatio non ſumitur à parte affecta , ſed ab humore. ibid. D.
Purgatio indicata ab humorum cachochymis,pluribus de cauſis impediti poteſt. 502.1. C. & ſeqq.
Impedimenta purgationem retardantia proponuntur. ibid.
Purgatione impedira,an ſanguinis miſſio ſubrogari poſſit ? inquiritur. 502. 1. B.
Purgatione indicata ſimul cum ſanguinis miſſione, purgatione impedita ſubrogari poteſt ſanguinis miſſio. ibid.E.
Purgatione indicata & impedita,ſi non coindiceretur ſimul ſanguinis miſſio, illa ſubrogari nequit. 503. 1. A. B.
Vt purgatio ſubrogari poſſit ſanguinis miſſioni & è contra, quid requiratur? ibid.D.
Purgationis loco interdum inedia , frictio & inunctiones ſubrogantur. ibid.E.
Purgatio Vere tutiùs quàm aliis temporibus exercetur ad vitandum imminens morbi periculum 503. 1. C.
Purgatio non ſemper Vere,ſed pro morbi præcauendi intemperie aliis temporibus celebratur. ibid. 2. D.
Purgatio ſelectiua tempore intermiſſionis in quotimetur recidina,non eſt exercēda.504.1.E.& ſeqq.
Purgatio ſelectiua non eſt vtilis in Phrenitide,ſumpta indicatione ab humore firmato in cerebro. 505. 1. E.
Purgatio delirantibus eſt pernicioſa. ibid.2.A.
Purgatio quando poſſit exerceri in principio Phrenitidis. ibid. B.C.
Hippocratis doctrina de purgando phrenitico,quomodo intelligenda? 506.1.C.
Purgatio ſelectiua an & quomodo poſſit exerceri in interna inflammatione. 506.1. E.
Purgatio non eſt exhibenda neque in principio,neque in fine lethargi,ſumpta indicatione à materia contenta in capite. 506.2.D.
Purgatio ſelectiua conuenit in principio lethargi, ſumpta indicatione à cauſa antecedente,ſi pituita ſit à ſanguine ſeparata. ib.E. & 507. 1. A.& ſeq.
Purgatio regulariter competit ab initio in affectibus frigidis. 507. 2. E.
A purgatione ſelectiua morbi ſuffocantis purgatio incipienda eſt in nuda cacochymia. ibid.2.E.
Purgatio an & quomodo ſit exercenda in Pleuritide, maxima eſt inter Doctores contentio. 508.2.C.
Purgatio qua ratione in pleuritide celebrāda ſit? reſoluit Author ſumptis variis indicationibus.ibid. E.& 509.per tot.
Vide *Pleuritis*.
Purgatio vtrùm in prægnantibus celebranda , dubitatur. 510.1.A.& ſeqq.
Purgatio neque in leui morbo,neque in omninò lethali celebrande eſt. ibid. C.
Purgatio in morbis periculoſis qua ratione exercenda. ibid.D.E.
Ex Purgatione Cathartica quæ ſoleant ſequi incommoda. ibid.1.C.
Purgatio an fieri liceat in puerperis , inquiritur. 510. 1. D. & ſeqq.
Purgatio in puerperis denegatur ſumpta indicatione à cauſa coniuncta. 511. 1. A. B.
Purgatio benigna celebrari poteſt interdum in puerperis, provt declaratur. ibid.C.& ſeqq.
Purgatio an conueniat pro Diarrhœa,superueniente febre ? anceps quæſtio eſt. 511.2.D.E.
Vide *Diarrhæa*.
Purgatio an ſit vtilis pro dyſenteria curanda , cum diſtinctione reſoluitur. 513.2. E.& ſeqq.
Vide *Dyſenteria*.

Purgatio

Purgatio in intervallo recidiuæ ſalubris non exercenda. 650. E.
Purgationis minoratiuæ diſputatio prima. 651.
Purgatio minoratiua à pluribus controuertitur. 656. 1. E.
Purgatio minoratiua non conſtituitur in hoc quod ſit euacuatio humorum crudorum in principio cuiuſuis morbi facta. ibid. 2. C. & ſeqq.
Purgatio ſelectiua quæ in principio aut augmento fit, materia iam ſupernatante, non eſt minoratiua. ibid. E.
Purgationis minoratiuæ definitio, & eius per ſingulas particulas explicatio. 657. 1. B. C.
Purgatio ſelectiua nunquam debet exerceri in febribus putridis de cura regulari, niſi materia morbifica ſupernatet, fiat cacochyma, & indicet purgationem. ibid. 2. B. C.
Purgationis tempus à Galeno deſcribitur. 657. 2. E.
Purgatio minoratiua poteſt exerceri de cura coacta, materia morbifica cruda exiſtente, neque à ſanguine ſeparata. 658. 1. B.
Purgationis minoratiuæ plura exempla. ibid.
Purgatio minoratiua eſt neceſſaria. ibid. 2. D.
Purgationis minoratiuæ exercitium multis fundamentis probatum. ibid. 2. E. & 659. 1. A. B.

Putredo.

Putredo qua ratione dicatur cauſa morbi calidi? 256. 2. B. & E. & 257. 1. A. & ſeqq.
Putredo aliquando prouenit ex cauſa frigida externa. ibid. 1. B.
Per putredinem intenſior calor communicatur, quam poſſit ab ſpiritibus & fuliginibus cauſari. ibid.
Putredo vnde proueniat? 257. 2. A.
Putredo humoribus ſuperuenire poteſt. 338. 1. B.
Putredo eſt paſſio mixtorum. ibid.
Ex putredine humorum fit febris putrida. ibid.
Putredo & coctio ſunt contraria. ibid. D. & 339. 1. D. E.
Ex putridis humoribus oritur calor præternaturalis non ſecus ac ex fimo. ibid. 2. A.
Putredo & vſtio qua ratione differant? 339. 1. C. & ſeqq.
Putredo eſt determinatus motus quo humidum in mixtis mouetur à centro ad circumferentiam ſub eadem forma manens. ibid. D.
A putredine prouenit fœtor. ibid. E.
Putredinis definitio ex variis Authoribus. 340. 1. D. E.
Vera putredinis definitio adducitur & explicatur. ibid. 2. B. & ſeqq.
Putredo dupliciter accipi poteſt nempe in fieri, & in facto eſſe. 341. 1. A.
Putredinis ratio formalis in quo conſiſtat? 341. 2. B. & ſeqq.
Putredinis cauſa eſt calor præternaturalis cùm ab externo, tum ab interno communicatus. 342. 1. D. & ſeqq.
Putrida in termino redduntur frigida, in fieri habent intenſiorem calorem. 346. 2. B.
Putredinis focus in febribus intermittentibus quinam ſit? variæ proponuntur Doctorum opiniones. 350. 2. A. & ſeqq.
Putredinis focus in febribus intermittentibus ſtatuitur ab Authore. 351. 1. E. & 2. A. & ſeqq.
Putredo quam ſanguis patitur, eſt cauſa proxima Synochi putridæ. 375. 2. A.
Putredinem ſanguis pati poteſt ex qua oritur febris. 377. 1. B.
Putredinem pati omnia poſſunt præter ignem. ibid.
Putredo & coctio ſunt paſſiones mixtorum. ibid.
Putredinem in ſanguine non admittunt Paracelſus & Van Helmont. 376. 2. E.
Putredo ſuperuenire poteſt in omnibus humoribus, eoſque ad cacochymiam reducere, quâ indicant purgationem. 529. 2. B. & ſeqq.

Pus.

Pus exiens ab abſceſſu vteri rupto, per quas vias poſſit expurgari. 697. 1. B. C.

Q.

Qualitas.

QValitates inſunt in Elementis, & ad quid? 14. 1. D.
Duæ qualitates cuilibet Elemento aſſignantur, quarum altera eſt in ſummo, & altera prope ſummum. ibid.
Qualitas in ſummo dicitur, quando adimplet latitudinem octo graduum. 15. 1. C.
Qualitas prope ſummum dicitur, quæ mediocritatem excedit, nec tamen ad ſummum peruenit. ibid.
Qualitas mediocritatem attingens, dicitur moderata. ibid.
Qualitas infra mediocritatem, dicitur remiſſa. ibid.
Qualitatum primarum combinatio, qualiter eſt diſpoſitio pro forma mixta? 15. 1. & 2. E.
Cum Qualitate prope ſummum datur altera qualitas remiſſa in Elementis. 15. 2. A.
Qualitates in plantis ſunt moderatæ. 18. 1. A.
Qualitates primæ, quæ reperiuntur in mixtis, non continent Elementa. 22. 1. E.
Qualitates primæ, ex quibus fit mixta diſpoſitio, producuntur à forma mixti. 22. 2. A.
Qualitas influens quid ſit? 103. 2. B.
Qualitas ſuperioris ordinis à partibus principibus communicatur, complens diſpoſitionem requiſitam pro operationibus. 103. 2. B. & ſeqq.
Qualitas, quæ pro motu influit à corde, vna eſt. 104. 2. C.
Vna qualitas poteſt eſſe diſpoſitio pro pluribus potentiis. 104. 1. E.
Qualitas corporea non poteſt concurrere inſtrumentaliter ad actiones ſenſitiuas. 110. 2. B.
Qualitates contrariæ poſſunt reperiri in aliquo ſubiecto intra ſuam latitudinem, ſecundùm magis & minus. 187. 2. C.
Qualitas alia dicitur in facto, & alia in fieri. 198. 1. E. & 2. A.
Qualitates occultæ deleteriæ qualiter morbus formæ a Galeno dicuntur. 203. 1. C. & 2. D.
Qualitas deleteria qua aër peſtilens afficitur eſt tantum illi accidens. 205. 2. A.
Qualitates ſunt in quadruplici genere. ibid. B.
Qualitas deleteria diuerſimodè vitiat debitam temperiem. ibid. D.

Quartana febris.

Quartana febris ab omni Secta agnoſcitur. 400. 1. E.
Quartana febris inter morbos humorales à Dogmaticis refertur. ibid.
Quartana febris duplex eſt, legitima, & illegitima. ibid.
Quartana legitima fit ex melancholia naturali putreſcente. ibid.
Quartana illegitima ex atra bili generatur. ibid.
Quartana iterum vel eſt continua vel intermittens. ibid.
Demum quartana quælibet vel eſt ſimplex, vel duplex, vel triplex. ibid.

Quartanæ cauſæ conſiderantur. ibid.& 2.A.
Quartanæ diagnoſis ex quibus ſignis ſumatur. ibid.
Quartanæ prognoſis traditur. ibid.B.
Quartanæ curatio ex omni Secta præſcribitur. ibid. C. & ſeqq.
Quartanæ curatio ex Dogmaticis ſtatuitur. 401. B. & ſeqq.
Pro Quartana curanda varia remedia recenſentur. 401. 2. A. & ſeqq.
Quartanæ longitudo in plures annos ſe extendit ex quorumdam obſeruatione. ibid.2.E.
Pro Quartanæ curatione Saluatellæ ſiniſtræ manus ſectionem commendat Schenkius. ibid.
Ad quattanam curandam ex Saphenis venæ ſectionem poſtulat Zacutus. 402.1.B.
Ad Quartanam Authoris obſeruatio. ibid.C.
Quartanam febrem & nouit & curat Dogmaticorum Schola. 402.2.D.& ſeqq.
Quartana fit non à liene ſed à melancholia in venis contenta & redundante. 403.2.D.
Quartana ex melancholia naturali generari poteſt. 403.2. A.B.
Quartana fieri etiam poteſt ex atra bile putreſcente. ibid.2.C.
Quartana fieri poteſt ex melancholia per vſtionem facta ex pituita. ibid.E.
Quartanam ſemel tantùm cuipiam accidere poſſe vulgaris fuit opinio. 404.1.B.
Quartanâ poteſt idem homo corripi pluries in pluribus ætatibus. ibid.1.C.D.E.
Pro Quartanæ curatione vomitus vtilis eſt. ibid.2.D.
Pro Quartanæ curatione victus humidus præſcribitur. 405.1.C.D.
Pro Quartana curanda vinum album vtile proponitur. 401.1.C.& 405.2.B.
Pro Quartanæ curatione qualis purgatio & quando exercenda. 406.1.C.& ſeqq.
Quartana fouetur à melancholia à iecore genita, quamuis lien ſoleat pati tumorem. 407.1.C.
In Quartana ſimplici vel duplici quo die pharmacum ſelectiuum exhibendum. ibid.
Quartana febris à melancholia producitur, & fouetur. 416.1.A.B.
Pro Quartana curanda variant Doctores circa ſanguinis miſſionem. 471.2.E.& 472.1.A.& ſeqq.
In Quartana pendente à melancholia ſanguini commixta, exerceri debet ſanguinis miſſio. 472.1.D.E.
Quartana non pendet ex ſanguine ſed ex melancholia. ibid.2.B.
Pro Quartana curanda quæ vena aperienda ſit, dubitant Doctores. 472.2.D.E.
Quartana fouetur interdum à vitio iecoris, interdum vitio lienis. 473.1.C.D.E.
Quartana pendente ex vitio iecoris ex quolibet brachio, & ex quauis vena ſanguis mitti poteſt. 473.1.C.
In Quartana orta à liene mittitur ſanguis ex pede, aut venis hæmorrhoidalibus externis. ibid.2.E.

Quies.

Quietes duplices. 620.2.E.
Quietes poſitiuæ quæ fiunt à facultate pulſifica ſunt partes eſſentiales illius. 621.1.B.
Quies interna in pulſu nequit tactu percipi. 623. 1. C.

Quotidiana Febris.

Quotidiana febris dicta eſt à Græcis Amphemerina. 396. 1. A.
Quotidianæ diagnoſis aperitur. ibid.
Quotidiana alia eſt intermittens, alia continua. ibid. & 399.2.C.
Quotidiana alia eſt exquiſita, alia non exquiſita. ibid. B.
Quotidiana ex quo humore generetur? ibid.
Quotidianam febrem ſigna demonſtrantia deducuntur. ibid.
Quotidiana, ratione cauſæ, à qua pendet, longior Tertianâ Nothâ. ibid.1.B.
Quotidiana interdum minùs durat quàm Tertiana Notha. ibid.C.
Quotidiana continua non apparet diſſimilis ab Hectica. 396.1.C.
Quotidiana intermittens in principio incipit ſine rigore. ibid.
Quotidiana ratione cauſæ longiſſima eſt. ibid.
Quotidianæ prognoſis conſignatur. ibid.
Quotidianæ febris curatio ex omni Secta proponitur. 396.1.D.& ſeqq.
Pro Quotidiana curanda varia Empiricorum amuleta referantur. ibid.
Pro Quotidianæ curatione remedia à Dogmaticis deſcripta traduntur. ibid.2.D.
Pro Quotidiana curanda obſeruatio Zacuti refertur. ibid. E.
Quotidiana febris, quamuis rara, eſt tamen poſſibilis. 397.1.D.E.
Quotidiana aliqua reperiri poteſt Intermittens. 397. 2.C.& ſeqq.
Quotidiana oriri poteſt à pituita naturali ob aliquam diſpoſitionem præternaturalem putredinem inferentem. 398.1.D.
Quotidiana Intermittens incipit cum frigore aut horripilatione, non autem cum rigore propriè dicto. ibid.C.D.
Quotidiana alia eſt Nocturna, alia Diurna. 399. 1. C.
Quotidiana diurna fit periculoſior quàm nocturna. ibid. D.
Quotidiana diurna fit à maiori copia pituitæ. ibid. 2. A.
Quotidiana continua dupliciter ſumitur. 399. 1. C.
Quotidiana continua non differt à Latica. ibid.E.
In Quotidiana an & quando conueniat ſanguinis miſſio. 471.2.B.& ſeqq.

R.

Raritas.

RAritas, & denſitas in quo conſiſtant? 12.2.A.
Raritas, & denſitas ſunt qualitates ſecundæ. ibid.B.
Raritas, & denſitas dupliciter conſiderantur. ibid.
Raritas & denſitas locales ſunt vbicationes quædam ſeu dimenſiones quantitatis. 13.2.A.
Raritas ſicut & denſitas duplex eſt. 222.1.D.E.
Raritas duplex eſt, alia qualitatiua, & alia localis, 253. 1. B.

Ratio.

Ratio quærenda non eſt vbi ſenſus fidem facit. 73. 1. B.

Recidiua.

Recidiua quid ſit? definitur. 504.1.C.
Recidiua alia eſt propria ſeu legitima, alia impropria ſeu illegitima. ibid.
Recidiua qua ratione ſuperueniat? ibid.
Recidiua ſi timeatur, non poteſt materia morbifica euacuari, purgatione ſelectiua non indicata. ibid. E. & ſeqq.
Recidiua ſuperueniente exercetur ſanguinis miſſio, &

& non purgatio, niſi coctione peracta. ibid. 2. A. & ſeqq.
Recidiuæ nomen vnde. 642.1.C.
Recidiua quid ſignificet apud Medicos. ibid.
Recidiua apud Medicos in latiori ſignificatione ſumpta ſolius morbi reditum non ſignificat. ibid.
Recidiuæ propria acceptio. ibid. 2. B.
Recidiuæ morbi definitio. ibid. D.E.
Recidiuam debet præcedere ſolutio integra primi inſultus morbi. 643. 1. B.
Recidiuæ reditus debet eſſe ex vi primi morbi occaſionaliter ſeu cauſaliter. ibid. D.
Recidiua quotuplex. ibid. E.
Recidiua propria quotuplex. ibid. 1. A.
Recidiua illegitima duplex. ibid. B.
Recidiua & primus morbi inſultus ſunt idem numero morbus. 644. 2. A. & ſeqq.
Recidiuæ non aduenit eadem pars morbi, ſed nouus inſultus. 645. 1. A.
Recidiuæ legitimæ ſuperuenit recidiua ex humore qui ex primo morbi inſultu remanſit. ibid.
Recidiua triplex. ibid. 2. B.
Recidiua legitima peior, & periculoſior, comparatiuè ad minus legitimas. 645. 2. E.
Recidiua benignior quàm primus morbi inſultus, ſi in illo ſalubria præceſſerunt ſigna. 646. 1. C.D.
Recidiua praua periculoſior quàm morbus in primo inſultu. ibid. 1. E.
Recidiua pernicioſa periculoſior quàm morbus in ſua radice. ibid. 2. B.
Recidiua pernicioſa quomodo dignoſcatur. 647. 1. A.
Recidiuę legitimæ propria & immediata cauſa quæ. ibid. 2. E.
Recidiuæ cauſæ coadiuuantes ſunt cauſæ remotiores, & variæ ſunt. 648. 1. D.
Recidiuæ illegitimæ cauſæ duæ. ibid. 2. D.
Recidiuæ legitimæ cauſa efficiens. 649. 1. A.
Recidiuam varia prænuntiantia ſigna. ibid. 2. B. & ſeq. 650. 1. A. & ſeq.
Recidiua illegitima debet præcaueri à Medico dum timetur. 650. 2. B.
Recidiua pernicioſa dum timetur quid ægris conſulendum. ibid. C.
Recidiua legitima dum timetur poteſt exerceri ſanguinis miſſio. ibid.
Recidiua ſalubris purgationem renuit. ibid. E.

Refrigeratio.

Refrigeratio multipliciter corpori accidere poteſt. 451. 2. E.
Refrigeratio an & quomodo valeat impedire, vel non ſanguinis miſſionem, pluribus diſtinctis reſolutionibus declaratur. 452. 1. C. & ſeqq.
Vide *Remedium.*

Relatio.

Relatio paternitatis & maternitatis in quo conſiſtat? 156. 2. D. & ſeqq.
Relatio maternitatis eſt relatio realis prædicamentalis. ibid. 1. D.
Relationes prædicamentales in quo fundantur? ibid.
Relatione reali mater refertur ad filium. 157. 1. A.
Relationis eſſe eſt ad aliud ſe habere. 196. 1. A.
Relatiua tantùm relatiuè opponuntur. ibid. B.
Relationes aliæ ſunt Prædicamentales, alię tranſcendentales. ibid. C.
In Relationis prædicamento an conſtituantur morbus & ſanitas. 195. 1. E. & 2. C. & ſeq. & 196. 1. C.

Remedium.

Remedium vtiliſſimum pro febribus eſt ſanguinis miſſio. 560. 2. B. & ſeqq.
Remedia magna ſunt ſanguinis miſſio & purgatio. 362. 2. C.
Remedium magnum exercetur ſumpta indicatione à cauſa. ibid. C.
Remedium periculoſum, & ex quo poteſt mors ſubſequi, quando exercendum? 374. 2. D.
Remedium periculoſum eſt pro Synocho & cauſis curandis ſanguinis miſſio vſque ad syncopen. ibid.
Remedia plura ferebant priſcorum temporum homines, quæ hodie ferre nequeunt. 375. 1. B.
Remedia plura tentabantur olim, quæ iam ab vſu receſſerunt. ibid. C.
Remedia pro febre ardenti & tertiana continua tum ex Medicina Diathetica, tum ex Pharmaceutica deſumpta & alia præſcribuntur. 380. 2. A. & ſeqq. & 381. 1. A. & ſeqq.
Remedium refrigeratorium an ſit ſanguinis miſſio. 463. 1. E.
Remedium quodlibet ſuo tempore exhibendum. ibid. 2. E.
Remedium quod vno tempore proficuum eſt, paulò poſt in venenum mutari poteſt. ibid.
Remediis extremis, vbi non eſt alia ſalutis via, vtendum eſt. 499. 2. E.
Remedium aliquod quamuis non ſit indicatum de cura regulari, de cura coacta exercendum eſt. 500. 1. A.

Res.

Res nonnaturales quæ dicantur? 68. 1. C.
Res non naturales an coadiuuent ad mortem naturalem cauſandam. ibid.
Res præternaturales an inducant mortem naturalem. 67. 1. E. & ſeqq.
Res naturales, non naturales, & præternaturales ſunt ſpeculationis medicæ. 190. 1. B. & 191. 2. B.
Res nonnaturales admittuntur vt cauſæ ſalubres & conſeruatrices Sanitatis. ibid. E.
Rerum nonnaturalium definitio quid nominis & quid rei? 190. 2. E. & 191. 1. A.
Res nonnaturales ſunt ſex. 191. 1. E.
Rerum nonnaturalium numerus in controuerſiam adducitur. 191. 1. B. & ſeqq.
Res nonnaturales medium tenent inter res omninò naturales, & omninò præternaturales. 191. 2. E.
Res incorporeæ ex communi vſu loquendi magnæ & paruæ denominantur. 213. 2. B.

Reſolutio.

Reſolutio continua inſenſibilem noxam adducit intra limites ſanitatis. 183. 1. E.

Reuulſio.

Reuulſio per ſe petit fieri ſemper ad diſtantiora ac oppoſita cum directione. 427. 2. C. & ſeqq.
Reuulſio eſt, per quam intendimus auertere humores & impedire ruentes in partem nondum in illa firmatos. ibid. E.
Reuulſio differt ab euacuatione & deriuatione. ibid. & 428. 1. A.B.C.
Reuulſio non ſolùm per venas, ſed & per alias vias fieri poteſt. 428. 1. E. & 2. A.
In reuulſione quæ requiratur rectitudo? declaratur. ibid. 2. D.E.
Reuulſionis definitio proponitur. 560. 1. E. & 2. A.B.
Reuulſionis prima diuiſio adducitur. ibid. 2. C. & ſeqq.
Reuulſio quibus auxiliis perficiatur? 561. 1. B.
Reuulſoriæ ſanguinis miſſionis quod ſit indicans? diſcordes ſunt Authores. ibid.
Vide *Sanguinis miſſio.*

Reuulſio

Reuulſio per quam partem fieri debeat, diſceptant Iuniores. 562.2.B.& ſeqq.
Reuulſio ex ſe fieri petit à parte contraria diſtantiori, ſecundùm eam diſtantiam, per quam illam intendimus. 563.1.C.& ſeqq.
Reuulſioni non eſt eſſentiale auertere ad originem. 564.1.B.& ſeqq.
Licèt id plurimùm illi conueniat. 563.2.E.
In Reuulſionibus rectitudinem obſeruandam eſſe ſancinit Hippocrates. 564.2.C.
In Reuulſionibus ſeruanda eſt rectitudo versùs omnes poſitionis differentias. ibid.2.E.
Reuulſio fit per vaſa communia, & quæ illa ſint? variant Doctores. 565.2.A.
Vaſa communia, per quæ fit reuulſio, ſunt venæ, inteſtina, & aliæ viæ communes quæ referuntur. ibid.C.
Reuulſio curatoria humoribus ad ſupernas corporis regiones fluentibus qua parte fieri debeat ex Galeno. 585.2.C.& ſeqq.& 586. per tot
Reuellendi ex pede traditur occaſio. 587. 1. C. & ſeqq.
Galenus docens reuulſionem debere fieri ad partem contrariam, quomodo intelligendus. 586.1.B.C. D. & 587.2.C.D.
Reuulſio ex pede pro præcautione vtilis eſt. 587. 1. C.D.
Reuulſio curatoria qua parte exercenda ex Hippocrate. 588.1.D.E.& ſeqq.
In reuulſione curatoria interdum ex pede, interdum ex brachiis Doctores plus minúſve nocumenti experti ſunt, & vnde id contingat? 588.2.E.
Reuulſio petit quandoque exerceri ex ſuperioribus, quandoque ex inferioribus partibus. 589.
Reuulſio in quibus fieri non debeat. 592.1.A.
Reuulſio quæ fit ſanguinis miſſione, potentior eſt quàm quæ ligaturis aut cucurbitulis efficitur. 594.2.A.
Reuulſio celerior & præſtantior eſt ex brachio, ſi morbus à iecore, aut ramulis cauæ aſcendentis foueatur, aliàs ſecus. 589.1.A.& 594.2.B.

Rhytmus.

Rhytmi nomen vnde deriuatum. 624.1.C.
Rhytmus & proportio inter motum compreſſionis & dilatationis. ibid.
Rhytmi æqualis tres differentiæ. ibid.E.
Rhytmi inæqualis ſex differentiæ. ibid.2.B.
Rhytmus quid ſignificet. 639.2.D.

Rigor.

Rigor aliquando ſumitur pro ſpecie conuulſionis. 352.2.C.
Rigor in febre Intermittente quid ſit? ibid.
Rigor dupliciter contingere poteſt. ibid. E. & 353. 1.A.
Rigoris natura ex Van Helmont. ibid.1.C.
Rigoris natura quæ ſit apud Dogmaticos. ibid.D.
Propria Rigoris ratio traditur. ibid.2.A.
Rigor an ſit motus expultricis facultatis. ibid.E.
Rigor eſt modus facultatis loco-motiuæ ſenſitiui gradus. 354.1.B.
Rigor intenſior an fiat à debili vel fortiori facultate, Galenus & Auicenna videntur diſſentire. ibid. 2. A. B.
Rigor intenſior à potentiori facultate loco-motiua ſenſitiua fit. ibid.C.
Galeni & Auicennæ doctrinam Author explicat. ibid.D.
Rigoris cauſa quæ ſit? variæ Doctorum referuntur ſententiæ. 355.1.A.& ſeqq.
Rigor fit efficienter à loco-motiua facultate ſenſitiui gradus, & quò cauſa craſſior eſt, eò fit intenſior. ibid. E.
Cum Rigore incipere proprium eſt febris intermittentis. 398.1.B.C.
Cum Rigore propriè dicto quotidiana intermittens non incipit. ibid.D
Rigoris nomen latè & ſtrictè ſumi poteſt. ibid.D.
Ad Rigorem quæ requirantur? ibid.E.
Rigor, frigus, & horripilatio non ex fuliginibus, ſed humoribus procedunt. 399.1.A.

S.

Sanguis.

SAnguis fit ex ſanie per coctionem, ex Ariſt. 76. 2.D.& 77.2.A.
Sanguis in medio pituitoſorum & bilioſorum conſtituitur. ibid.
Sanguis an poſſit fieri ex cibis nondum in chylum tranſmutatis. 76.2.E.& 77.2.B.
An ſoli ſanguini nutrire conueniat? 81.1.A.
Sanguis frigidus iudicatur à Iouberto. 84.1.E.
Sanguis extra corpus quare concreſcit. 84.2.E.
Sanguis qua ratione frigidus iudicatur. ibid.
In ſanguine eſt duplex ſubſtantia. 84.1.D.& E.
Sanguis à prædominio eſt calidus. 84.1.B.& D.
Sanguis Aeri correſpondet & Veri. ibid.2.B.
Sanguis quid ſit? 84.1.D.
Sanguis alter naturalis, alter præternaturalis. 85. 1. C.
Sanguis eſt humor naturæ amicus. 85.1.B.
Sanguis naturalis alter quartus humor, alter maſſa ſanguinaria. 85.1.D.& E.
Sanguis & alij humores præternaturaliter affici poſſunt. 85.2.B.
Sanguis eſt ſeminis materia. 566.2.B.& ſeqq.
Sanguis ruber loco ſeminis in nimio coitu effunditur. ibid.E.
Sanguis in tranſitu ad formam ſeminis reſoluitur vſque ad materiam primam. 167.1.A.
Sanguis non decidit à ſingulis partibus pro adintegranda ſeminis materia. ibid.1.C.
Sanguis moderatus eſt ſedes animæ, ſed nimius nocet. 362.2 B.
Sanguis poteſt corrumpi intra venas. ibid.C.
Sanguis quibus modis vitiari poſſit? 432.2. E. & 433.1.A.B.C.
Sanguis an differat à cruore. 432.1.E.& 2.A.& ſeqq.
Sanguis ſumitur dupliciter vel pro tota maſſa ſanguinis quatuor humores continente, vel pro ſolo ſanguine quarto humore. 481.2.E.
Sanguis tripliciter reliquos humores continere poteſt. 482.1.B.
Sanguis turgentiam acquirere non poteſt. 489. 2. E. & 490.1.A.
Sanguis dupliciter poteſt per poros euacuari. 546. 2. D.
Sanguineus ſudor naturaliter datur. ibid.1.E.& 2.A. & ſeqq.
Vide *Sudor.*
Sanguis qui in iecore generatur, alter dicitur venalis, alter arterialis. 567.1.E.

Sanguis Menſtruus.

Sanguis menſtruus eſt ſimpliciter neceſſarius pro fœtus generatione. 158.1.D.
Sanguis menſtruus in fœmina redundat, non in viro ibid.E.

Sanguini

Sanguinis menſtrui noxæ. 158. 1. A. & B. & 159. 2. C.
Sanguinis menſtrui variæ definitiones referuntur. 158.2.D.
Sanguinis menſtrui vera definitio ſancitur. 159. 1. B. C.
Sanguis menſtruus ad quid deſeruiat? ibid.A.& D.
Sanguinis menſtrui euacuatio an ſit præter, vel ſecundùm naturam? ibid.
Sanguinem menſtruum peccare in quali, qui defendant? ibid.2.A. & ſeqq.
Sanguis menſtruus in fœminis boni habitus ſola quantitate peccat. 160.1.B.
Sanguis menſtruus eſt materia ex qua fit lac pro fœtu alendo. 160.1.C.
Sanguis menſtruus non ſemper eſt veneficus. ibid.D.
Sanguis menſtruus eſt eiuſdem rationis, ac Sanguis ex quo fœmina & vir nutriuntur. ibid.E.
Sanguis menſtruus ſtatutis periodis petit expelli. 160.2.A.
Sanguinis menſtrui nomine quid intelligendum. 160.2.B.C.D.
Sanguis menſtruus tempore profluuij prohibebat mulieri ingreſſum in templum ex Lege Moſaica. 159.2.E.
Vide *Mulier*.
Sanguine menſtruo infecti homines ſocietate communi ex Legibus Zabrorum interdicebantur. ibid.
Filamenta ex induſiis earum, quibus fluebat Sanguis menſtruus incurabilia reddunt vlcera. ibid.
Sanguinis menſtrui cauſam aliqui Lunæ adſcribunt. 160.2.E.
Vide *Luna*.
Sanguinis menſtrui euacuationis cauſa aſſignatur. 161.1.B.C.
Sanguis menſtruus eſt obiectum facultatis expultricis. ibid.
Sanguinis menſtrui periodicatio demonſtratur. ibid. D.
Sanguis menſtruus regulariter petit vnoquoque menſe euacuari. 161.1.B.
Sanguis menſtruus per quas partes purgari debeat. 161.2.E.
Sanguinis menſtrui purgatio petit fieri per vterum 162.1.B.
Sanguis menſtruus abundat vt excrementum in Quanto.
Sanguinis menſtrui euacuatio aliquando per os & nares aliáſve corporis partes contingit. 162. 1. & 2. A.
Sanguinis menſtrui ad vſum generationis ſeparandi naturæ ſolertia. ibid.2.B.
Sanguine menſtruo ſe ipſam priùs fœmina alit, quàm tribuat pro fœtus formatione. 163.1.A.

Sanguinis miſſio.

Sanguinis miſſionis remedium an ſit vtile? pars negatiua pluribus ſuadetur ex Van Helmont. 359. 2.D. & ſeqq.
Sanguinis miſſio pro febribus curandis vtiliſſima eſt. 360.1.B.& ſeqq.
Sanguinis miſſio indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis. 361.1.A.& 361.2.B.
Sanguinem mittit Hippocrates in Athletis. ibid.D.
Sanguinis miſſio conuenit in febribus putridis, licet non ſit plenitudo. 362.1.E.
Sanguinis miſſio indicatur, quoties humor committens febrem, eſt ſanguini commixtus. ibid.A.
Sanguinis miſſio in omni febre putrida pendente ex humoribus non cacochymis eſt indicata. ibid.C.
Sanguinis miſſio eſt remedium magnum. 362.2.C.
Sanguinis miſſio vſque ad animi deliquium an conueniat pro febribus curandis? diſputatur. 374. 1.B.& ſeqq.
Affirmat Zacutus adhærens Antiquorum doctrinæ. ibid.
Negatiuè reſoluitur. ibid.2.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſio vſque ad Syncopen pro Synocho & Cauſis curandis, periculoſa eſt, nec ideò exercenda. ibid.B.
Sanguinis miſſio partitis vicibus æquè cauſam morbi poteſt deponere, ac ſi fiat vſque ad deliquium. ibid. E.
Sanguinis miſſio vſque ad ſyncopen, exhaurit vires & reddit naturam impotentem ad cauſam morbi vincendam. 375.1.A.
Sanguinis miſſio vſque ad animi deliquium olim Athletis & robuſtioribus hominibus plethoricis fuit vtilis. ibid.B.
Sanguinis miſſione curatur Synochus putrida, ex Galeno. 376.1.E.& ſeqq.
Sanguis eſt aptus putredinem pati. 377. 1.B. & ſeqq.
Ex Sanguine putrido oritur febris. ibid.
Ex Sanguine putreſcente manente ſub propria forma Synochus putrida oritur. ibid.2.D.
Sanguis putreſcens febrem intermittentem non cauſat. 378.2.C.& ſeqq.
Sanguis commiſcetur reliquis humoribus, & ad quid? ibid. E.
Sanguis auidè retinetur à natura. 379.1.A.
Ex ſolo ſanguine febris continens fieri poteſt. 379. 1.E.& 2.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſio in febribus Continuis & Ardentibus, vtilis. 381.1.E.
Sanguinis miſſio in febre continua vel ardente timenda, quando fit terminatio ad partes extremas. ibid.2.C.
Sanguinis fluxus per nares poteſt terminare bilioſam febrem Continuam. 384.1.E.& 2.A.& ſeqq.
Sanguinis fluxus per nares euacuat bilem. ibid.2.C.
Sanguinis fluxus hæmorrhoidalis, aut menſtruus in debita quantitate, & præcedente coctione, proficiunt in febribus. ibid.
Sanguinis miſſio ex quocumque brachio aut vena cum æquali vtilitate in febribus humoralibus fieri poteſt. 385.1.B.& ſeqq.
Sanguis & reliqui humores morbos magnos producunt & fouent. 413.1.D.& ſeqq.
Vide *Cruor*.
Sanguis proportionatus intra venas eſt Nectar viuificum. 416.2.E.
Sanguis vitium poteſt contrahere in motu. 417. 1. A.
Sanguis quod vitium ex motu acquirat? exponitur. ibid. B.
De ſanguinis miſſione variæ Sectarum opiniones referuntur. 423.2.E. & 424.1.A. & ſeqq.
Sanguinis miſſio eſt vtile remedium pro curandis morbis magnis ex vitio ſanguinis pendentibus. 424 2.A & ſeqq.
Sanguinis miſſionem in Medicina reprobantium fundamenta euertuntur. 425.1.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſionis definitiones aliquot referuntur. ibid. E.
Sanguinis miſſionis optima definitio ſancitur & explicatur. ibid.2.C.
Sanguis ſectâ venâ à quo moueatur? plures proponuntur opiniones. 425.2.E. & 426.1. A. & ſeqq.

Sanguinis motus localis vera cauſa traditur. 426.1. E.& 2.A.

Sanguine fluente, ſectâ venâ, reliqui humores euacuantur, & vnde ille motus? 426.2.B.& ſeqq.

Sanguinis miſſio in ordine ad ſuum indicans triplex eſt. ibid.2.E.

Sanguis mittitur ob vitium in Quanto, in Quali,& in motu. ibid.

Sanguinis miſſio ratione loci, à quo intenditur euacuatio triplex eſt, Euacuatoria, Reuulſoria, & Deriuatoria. 427.1.A.B.

Sanguinis miſſionis ex parte finis plures enumerantur differentiæ. ibid.C.

Sanguinis miſſio ratione partis in qua exercetur,iterùm duplex eſt. ibid.D.

Sanguinis miſſio reuulſoria quæ ſit? 427.1. E. & ſeqq.

Vide *Reuulſio*.

Sanguinis miſſio eſt auxilium magnum. 429.1.A.

Sanguinis miſſionis indicans.

Sanguinis mittendi indicatio à quo deſumatur? variæ Authorum ſententiæ, & rationes adducuntur & refelluntur. 429.1.& 2.A & ſeqq. & 430.1.& 2. A. & ſeqq.

Sanguinis miſſionis genericum indicans eſt morbus magnus. 430.2.E.

Sanguinis miſſionis proprium indicans per ſe determinatur. 431.1.B.& ſeqq.

Qualis morbus magnus valeat indicare ſanguinis miſſionem? 431.2.D.E.

Doctorum rationibus circa indicans ſanguinis miſſionis ſatisfit. ibid.2.E.& 432.1.A.& ſeqq.

Sanguinis miſſio indicatur ſeu vitium accidat cruori ſiue ſanguini, prout dicit maſſam ſanguinariam. ibid.2.C.

Sanguinis miſſio non indicatur per ſe ex morbi magnitudine & ſpecifice. ibid.2.C.

Sanguinis miſſio an ſumat indicationem à viribus? 434.1.E.& 2.B.

Sanguinis miſſio non indicatur ab ætate per ſe. 435. 2. A. B.

Sanguinis miſſionem qualiter ætas permittat, profertur. ibid. C.

Sanguinis miſſio an poſſit exerceri in pueritia. ibid. 2.E.& 436.1.A. & ſeqq.

Sanguinis miſſio non contraindicatur à ſenectute. 437.2.D.& ſeqq.

Sanguinis miſſionem nunquam indicat Cacochymia. 438.2.D.& ſeqq.

Sanguinis miſſio ab humore turgente nunquam indicari poteſt. 439.2.D.& ſeqq.

Sanguinis miſſio an indicetur ex temperamento? 440.1.B.& ſeqq.

Sanguinis miſſio an & quomodo indicetur ex temperamento ſubſtantifico? ibid.2.B.

Modus indicandi ſanguinis miſſionem ex temperie qualitatiuâ calida & ſicca proponitur. ibid.C.

Sanguinis miſſionem qua ratione indicet temperamentum frigidum & humidum. ibid.E.

Sanguinis miſſio quomodo indicetur à temperie calida & humida? 441.1.A.B.& ſeqq.

Sanguinis miſſio an indicetur ab accidentibus morbum concomitantibus, inquiritur. 441.1.E.

Sanguinis miſſionem accidentia pathognomica nec coindicant, nec contraindicant. ibid.2.D.

Sanguinis miſſionis à ſymptomatibus qualiter fiat contraindicatio? ibid.E.

Sanguinis miſſio contraindicatur ab accidentibus criticis. 442.1.A.B.

Sanguinis miſſio contraindicatur magna ex parte in corpore gracili. 442.2.A.

Sanguinis miſſionem difficilè patitur corpus obeſum. ibid. B.

Sanguinis miſſionem indicat corpus carnoſum, venæ latæ, &c. ibid.B.

Sanguinis miſſio an, & quomodo coindicetur ex variis anni temporibus. 443.per tot.

Sanguinis miſſionem Ver magis quam reliqua anni tempora coindicat. ibid.1.E.& 2.A & ſeqq.

Sanguinis miſſionem magna ex parte coindicat conſuetudo. 444.1.E.& 2.A.

Sanguinis miſſionem indicatam impedit cruditas primæ regionis ſuperabundans. 445.1. D.E. & 2. A. & ſeqq.

Sanguinis miſſio an,& quomodo indicetur, vel impediatur, dum adſunt crudi humores in ſecunda regione. 446.1 B. & ſeqq.

Sanguinis miſſionem an contraindicet cruditas humorum in tertia regione, diſtinctis reſolutionibus ſtatuitur. 447.1.C.& ſeqq.

Sanguinis miſſionem coindicandi vel contraindicandi vis magna aëri tribuitur. 448.1.A.& ſeqq.

Sanguinis miſſio an & quando ab animi paſſionibus impediri poteſt. 448.1.& 2.A. & ſeqq.

Sanguinis miſſionem magna ex parte ingens dolor impedire poteſt. 449.2.B.& ſeqq.

Sanguinis miſſio ob nimias vigilias impediri poteſt. 450.1.D.

Sanguinis miſſionem plerumque impedit Veneris vſus. ibid.2.E.

Sanguinis miſſio an debeat exerceri menſtruis ſuperuenientibus? 451.1.C.& ſeqq.

Sanguinis miſſio impeditur ratione frigoris acceſſionum. 452.1.C.D.

Sanguinis miſſio non impeditur ex leui perfrigeratione cutanea. ibid.E.

Sanguinis miſſio lethalis eſt in perfrigeratione interna. ibid. 2.A.

Sanguinis miſſio an impediatur in morbis ortis ex frigidis humoribus. ibid.2.C.& ſeqq.

Sanguinis miſſio non impeditur in prægnante ſeruata debita quantitate. 453.1.C.

Sanguinis miſſio in quacumque vena brachij vtriuſuis in prægnante fieri poteſt cum æquali vtilitate. 454.2.B.C.

Sanguinis miſſio ex pede fieri poteſt in grauidis, ſi vrgeat Epilepſia, morbúſve alius periculoſus. 455.1.A. & ſeqq.

Sanguine miſſo in prægnante abortum non ſemper ſequi docuit Experientia. 455.1.D. & 2.B.

Quòd ſanguis mitti poſſit abſque periculo aborſus cum aliis obſeruauit Author. ibid.

Sanguine miſſo ex pede in prægnante Medicus non intendit aborſum, & ideò immunis à pœna.ibid. 2. D.

Per ſanguinis miſſionem an liceat matrem à periculo liberare, fœtu periclitante? ibid.

Vide *Aborſus*.

Sanguinis miſſio an ſit remedium præſeruatiuum aborſus, inquiritur. 456.1.B.& ſeqq.

Cum diſtinctione reſoluitur. Ibid.E.

Sanguinis miſſio in quibus caſibus præſeruet ab abortu. ibid. 2.A.B.

Sanguinis miſſio non eſt per ſe cauſa abortus.ibid.E.

Sanguinis miſſio dum exercetur in prægnante ad quid fiat? 457.1.A.

Sanguinis miſſio nunquam per ſe indicatur in febre Diaria, quæ naturâ ſit talis. 457.2.A.B.

Sanguinis miſſio qua ratione indicetur in febre Diaria.

Diaria. ibid.C.
Sanguinis miſſio nunquam indicatur in febre Hectica. 458.1.D.E.
Sanguinis miſſione non ſolùm bilis, ſed etiam ſanguis & pituita euacuantur, & inde damnoſa Hecticis. ibid.B.
Sanguinis miſſio exerceri poteſt in Hectica complicata cum Humorali, & quomodò. ibid.C.
Sanguinis miſſio conuenit in febribus ortis ex humorum putredine. 459.1.E.
Sanguinis miſſione euacuatur cauſa, à qua febris putrida cauſatur. ibid.2.C.D.
Sanguinis miſſio in ſolis febribus putridis ex vitio ſanguinis vel alterius humoris ſanguini commixti pendentibus fieri licet. 460.1.E.& 2.A.& ſeqq.
Sanguis non mittendus in febribus quæ pendent ab humoribus cacochymis. ibid.1. D.E.
Sanguinis miſſio an debeat ſolùm exerceri euacuationis causâ, an etiam reuulſionis in febribus, latè diſputatur. 461.1.C.& ſeqq.
Sanguinis miſſio euacuatoria indicatur in febre Humorali, ſi humor fluat ad focum putredinis. 462.1.C.
Sanguinis miſſio euacuatoria & reuulſoria ſimul, quando indicatur in febre humorali. ibid.E.
Sanguinis miſſio non indicatur vt remedium per ſe te frigeratorium, ſed ſolùm per accidens. 463.1.E.
Sanguinis miſſio ſumpta occaſione exercēda. 463.2.E
Sanguinis miſſio in febribus putridis pendentibus ex vitio ſanguinis ſtatim à principio exercenda. 464.1.C.& 2.B.
Sanguinis miſſione humores non extenuantur, nec impelluntur, nec permiſcentur. ibid.2.B.
Sanguis quòd interdum exeat putus, vnde contingat? ibid.
Sanguinis miſſio in augmento febris putridæ, debet exerceri, ſi in principio non fuerit miſſus ſufficienter. 465.1.C.D.
Sanguinis miſſionem cur Galenus prohibeat in ſtatu? ibid.2.A.
Sanguinis miſſio cùm poſſit interturbare coctionem in ſtatu, ſi poſſibile ſit, cohibenda. ibid.
Sanguinis miſſio in ſummo rigore ſæpe conuenit. ibid.2.E.
Quod explicatur. 466.1.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſio in febrium Humoralium vniuerſali declinatione euacuationis & attemperationis causâ exerceri poteſt. 466.2.C.& ſeqq.
Sanguis non eſt mittendus in febre pendente ex humore cacochymo ſeparato à ſanguinis commixtione & ſupernatante. 462.2.C.
Neque in declinatione, neque alio quovis morbi tempore, nec reuulſionis, nec ventilationis causâ. 467.2.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſio in febre humorali cur non indicetur in declinatione morbi. ibid. C.
Sanguinis miſſio quando poſſit exerceri in febribus ab humore cacochymo pendentibus? ibid.D.
Sanguinis miſſio ex quo fine iudicari debeat. 468.1.A
Sanguinis miſſio in febris continuæ putridæ intermiſſione aut declinatione exerceri debet. 468.2.A & ſeqq.
Sanguinis miſſio in Tertiana exquiſita an ſit vtilis, dubitatur. 469.1.B.
Sanguinis miſſio in Tertiana exquiſita exerceri debet, cuius causâ antecedens eſt ſanguini commixta. ibid.E.
Sanguinem mittendi in Tertiana exquiſitæ tempus præſcripſit Auicenna, cuius doctrina declaratur. 470.1.B.C.
Sanguinis miſſionem præire debet purgatio in Tertiana perniciosa. ibid.2.D.E
Sanguine miſſo ſucceſſione ad id quod euacuatur ſe-fluunt humores. ibid.E.
Sanguis quando mittendus in Tertiana exquiſita ſtatuitur. 471.1.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſio exercenda in Quotidiana, dum pituita manet ſanguini commixta. ibid.2.B.
Sanguis & quomodo mittendus in Quartana, variant Doctores. 471.2.E.
Sanguinis miſſio vtilis eſt in Quartana pendente à melancholia ſanguini commixta. 472.1.D.E.
Sanguinis miſſio debet exerceri attentis viribus & proportionata quantitate. ibid.2.C.
Ex qua vena ſanguis mittendus ſit in Quartana Dogmatici ſentiunt. 472.2.E.
Sanguis ex quacumque vena, & ex quouis brachio mitti poteſt dum Quartana pendet ex vitio iecoris. 473.1.C.
Sanguis non ex brachio, vel ex pede, aut venis hæmorrhoidalibus mittendus, dum Quartana pendet ex liene. ibid.D.E.
Sanguinis miſſio debet exerceri in omni febre maligna pendente ex vitio ſanguinis vel alio humore illi commixto, præcipuè in primis morbi diebus ibid.2.E.
Sanguinem mittere in febre puncticulari conuenit. ibid.
Sanguinis miſſio exerceri non debet in febre puncticulati maculis apparentibus, aliiſve criticis excretionibus modò natura potentior videatur. 475.1.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſio exerceri poteſt in febre maligna, maculis apparentibus, etiam dum dubia eſt naturæ victoria. 475.1.E.& 2.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſione perficiendum quod deficit ſuperuenienti euacuationi. ibid.2.C.D
Sanguine miſſo dum apparent excretiones cutaneæ, natura vberius proſequitur euacuationem. ibid.E.
Sanguinis miſſio exerceri debet in febre peſtilente pendente à ſanguine aut humoribus illi commixtis, ſi vires permittant. 476.2.C. & ſeqq.
Sanguis ex quo loco mittendus ſit in febribus peſtilentibus & malignis, vocatur in dubium. 477.1.B.& ſeqq.
Sanguinis miſſio exerceri debet maiori ex parte, ex brachij venis in febribus peſtilentibus & malignis. ibid.E & 2.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſio in febribus peſtilentibus magis indicatur vt remedium euacuatorium, quàm reuulſorium. ibid.2.B.
Sanguinis miſſioni à venis pedum quando locus ſit in febribus peſtilentibus & malignis. ibid. 2. D. & ſeqq.
Sanguinis miſſio non debet exerceri in febre peſtilenti orta ex humoribus cacochymis, & ſeparatis à ſanguine. 478.2.B.
Sanguinis miſſio an poſſit ſubrogari purgationi impeditæ. 502.2.A.& ſeqq & 503.1.A & ſeqq
Sanguinis miſſio in recidiua potius indicatur quàm purgatio. 504.2.B.
De ſanguine mittendo ex pede in febribus putridis & morbis fluxione ortis in ſuprema corporis parte, orta eſt inter Medicos Hiſpalenſes controuerſia 557.1.B.
Sanguinis miſſio ratione loci diuiditur in euacuatoriam deriuatoriam, & reuulſoriam. ibid. D.E.
Sanguinis miſſionis prædicta diuiſio optima eſt, & admittenda. ibid.2.D.E.
Sanguinis miſſio euacuatoria indicatur à morbo

magno pendente ex vitio ſanguinis in quanto, aut quali. 558.2.B.& ſeqq.
Sanguinis miſſio deriuatoria medium locum tenet inter reuulſoriam & euacuatoriam. 559.2.B.& 2.A.
Sangoinis miſſio deriuatoria à quo indicetur reſoluitur. ibid.1.D.& ſeqq.
Sanguinis miſſio reuulſoria à quo indicetur. 561. a. A.B.& ſeqq.
Sanguinis miſſio reuulſoria non ſolùm indicatur à morbo magno pendente ex vitio ſanguinis, prout mouetur, ſed prout aptus eſt moueri. 562. 1. B. & ſeqq.
Sanguinis miſſione reuulſoria quid intendat Medicus. 563.1.E.
Sanguinis miſſio reuulſoria à qua parte fieri debeat. ibid.C.
Sanguinis miſſio reuulſoria vt plurimùm petit fieri ad originem. ibid.2.E
Sanguinem mittere in omnibus febribus putridis ſaluberrimum eſſe ſancioit Galenus. 573.1. A.B.
Sanguinis miſſio non indicatur ab humoribus pendentibus ex humorum cacochymia. ibid.D.E.
Sanguinis miſſio ſalubertima tantùm eſt in febre putrida pendente ex vitio ſanguinis vel alio humore illi commixto. ibid.2.A.& ſeqq.
Sanguinis miſſioné in febribus putridis fieri debere ex pede nonnulli Moderniores exiſtimant. 574.1.B.
Sanguinis miſſio in omni febre vt putrida, debet fieri ex brachiis, iuxta Galeni doctrinam. ibid.E. & 2. A.& ſeqq.
Sanguinis miſſio reuulſoria ex pede quibuſdam febribus eſt deneganda. 576.1.E.
Sanguinis miſſio reuulſoria non indicatur in febribus putridis, licèt aliqua humorum portio reperiatur. 577.1.C.& ſeqq
Sanguinis miſſionis duplex indicatio interdum reperitur in febribus. ibid D.
Sangoinis miſſio euacuatoria & reuulſoria ratione complicatæ indicationis concurrere poſſunt. ibid. 2. E.
Sanguinis miſſio quomodo exercenda in febre putrida, superueniente affectu indicante reuulſoriam. 578.2.C.& ſeqq.
Sanguinis miſſio etiam reuulſoria debet fieri ex venis quæ communicationem habent cum parte affecta. ibid.2.E.
Sanguis an ſit ex pede mittendus in febre maligna & peſtilente? dubitatur. 579.2 D.& ſeqq.
Sanguinem mittendum ex brachiis in febribus peſtilentibus ſanxit Author. 580.1.D.
Sanguine miſſo ex brachiis in morbis malignis fit euacuatio per accidens, & reuulſio per ſe. ibid. 2. D.
Sanguis mittendus in febribus malignis & peſtilentibus ex venis quæ maiorem habent communicationem cum parte affecta. 581.2.A.
Sanguinis miſſio quomodo exercenda, ſi timeatur foueri febrem ex vitio ſanguinis, in ramis cauæ deſcendentis. ibid.1.D.& ſeqq.
Sanguinis miſſio an & quomodo ſit remedium refrigeratorium, diſquiritur & reſoluitur. 584. 1. A. & ſeqq.
Sanguinis miſſio reuulſoria curatoria ſtatuitur ex Galeno, & eius doctrina explicatur. 585. 2. C. & ſeqq.& 586. per tot.
Sanguinis miſſio ex pede pro cautione, data occaſione vtilis eſt. 587.1.C.& ſeqq.
Sanguinis miſſio reuulſoria curatoria qua ratione exercenda ex Hippocrate in morbis ſuperiorum regionum. 588.1.D.E.& 2.A.& ſeqq.
Sanguis mittitur ex brachiis, ſuperueniente in ſuperioribus regionibus inflammatione. 588.2.C.
Sanguis mittitur ex pedibus in ſuperiorum regionum morbis, ſi ſuperueniant menſtrua, lochia, aut hæmorrhoïdes, ibid.
Sanguinis miſſio ex pede in quibus cauſis fieri liceat & debeat in grauidis? 590.1.D.& ſeqq.
Sanguinis miſſio reuulſoria fieri debet ex pede in prægnante, ſi epilepſia lethaliſve alios morbus ortus ſit ex vteri inflammatione, vel humoribus in illum fluentibus. ibid.E.& ſeqq.
Sanguinis miſſionem fieri ex pede ſemper expedit in Gonorrhœis, aliiſque bubonibus ſimilibus. 591. a.E.& 592.1.A.& ſeqq.
Sanguinis mittendi eadem eſt ratio, quoad locum, in Gonorrhœis, ac in peſtilentibus bubonibus. 592. 1. D.
Sanguinis miſſio ex brachio cur prohibeatur menſtruis ſuperuenientibus? ibid.
Sanguinis miſſio reuulſoria indicata per venas brachij & pedum in affectibus complicatis quæ ſit præſtantior, reſolitur. 592.2.C. & E.& 593.1. A. & ſeqq.
Sangoinis miſſio fieri debet ex pede in Gonorrhœa cum affectibus diuerſæ ſpeciei complicata. 592.2. E.& 593. 1. A.
Sanguine miſſo ex pede in bubonibus gallicis complicatis cum aliis affectibus, maior ſubſequitur vtilitas. 593.1.D.
Sanguinis miſſio exercetur diuerſimodè menſtruis ſuperuenientibus. 592.2.A.& ſeqq.
Vide *Menſtrua*.
Sanguis qui generatur in liene per quas vias feratur in iecur. 600.1.D.
Sanguis totus in iecore genitus, & aliunde receptus continuò refluit ad cor. ibid.2.E.
Sanguinis motus in venis quomodo fiat. 601.2.E.
Sanguis à minoribus venis ad maiores fertur. 602. 1. B.
Sanguis fertur ad cor per circulationem. 603.2.A.
Sanguis ob quas vtilitates fertur ad cor. ibid.
Sanguis elaboratus in corde ſimul cum ſpiritibus truditur in arterias. 604.1.D.
Sanguis & ſpiritus vitales truduntur per Aortam in reliquas arterias, & per vniuerſas corporis partes. ibid.1.E.
Sanguis communicatur venis per arterias, & per anaſtomoſes tranſcolatur. 605.1.D.
Sanguinis motus diuerſæ opiniones. 605.2.D.& 606. 1. B. C.
Sanguis non mouetur ab impulſu ex cordis compreſſione cõmunicato per venas & arterias. ib.D.
Sanguis non mouetur per venas & arterias à calore, a leuitate, nec à grauitate tanquam à cauſis per ſe mouentibus. 606. C.
Sanguis mouetur per arterias & venas ab attrahente, & expellente facultate gradus vegetatiui. 607.1.D.
Sanguis habet omnia requiſita vt moueatur in arteriis. ibid.2.D.
Sanguinis duplex acceptio. 652.1.D.
Sanguis poteſt mitti ſine plenitudine ſecundum quid dictâ. 655.2.E.
Sanguis fit naturæ inutilis dupliciter, 656.1.A.
Sanguis non ſemper mittendus ex pede in principio cuiuſuis morbi. 663.1.B.C.
Sanguinis miſſio, & vt quodlibet aliud remedium exerceatur, duo prærequiruntur. 682.2.D.
Sanguis lochialis ab vtero ad caput refluens quos morbos cauſet, 687.2.B. & ſeqq.

Sanguis in puerperis acuto morbo & in ſuperioribus partibus correptis, ex brachio nunquam mittendus. 688.2.C.

Sanguinem mittendi ex talo noua Practicantium doctrina modum introduxit. 689.1.C.

Sanguis ex vtero gerentibus, an in aliquibus caſibus ſit mittendus. 693.1.E.

Sanguis in grauidis in quo caſu ratione fœtus ſit mittendus. 693.2. E. & ſeqq.

Sanguis mittendus in ægrotantibus, vel paratis ægrotare, vel ob plenitudinem, vel ob cacochymiam vel propter vtrumque. 694.1.E.

Sanguis in grauida an ſit mittendus ex pede matris morte iminente. 695 2.D.

Sanguis menſtruus in lactante motus varia cauſat incommoda, tum in matre, tum in fœtu, & quare. 708.7.E.

Sanguinis menſtrui malignæ qualitates. ibid.

Sanguiſuga.

Sanguiſugæ vtiles ſunt pro febrium curatione. 366. 2. C. D.

Sanitas.

Doctorer de Sanitate tractantes referuntur. 182. 1. A B C.

Sanitas dupliciter vſurpatur. ibid.D.

Sanitar perfecta poſſibilis eſt in homine. ibid.2.E.

Sanitar in quo conſiſtat? 183.1.A.B.

Sanitas & morbus contrariè opponuntur. ibid.C. & 201.2.B.& 202.1.B.& 2.C.

Sanitas eſt principium quo omnes operationes debitè eliciuntur. 182.2.B.

Sanitas perfecta reſultat ex vnitate, conformatione & temperie debitis. ibid.2. D.

Sanitatis variæ deſcriptiones adducuntur. 183.1. E. & 2. A.& ſeqq.

Sanitatis optima definitio proponitur. ibid 2 C.

Sanitatis materiale & formale in quo conſiſtant? 183.2.E in fine.

Sanitas vna eſt ſecundum ſpeciem atomam. 184.1.E.

Sanitas formaliter eſt diſpoſitio modificans & afficiens ſubiectum ad bene operandum. 184.1. C.

Sanitatis differentiæ accidentales admittuntur. 185. 1. C.

Sanitas vna eſt, quia non habet fundamenta ſpecie diuerſa, à qua fiat multiplex. ibid E.

Sanitas pro formali eſt vna ſimplex qualitas. 185. 2. D.

Sanitas & morbur ponuntur in Prædicamento Qualitatis. ibid.

Sanitas ita ſe habet ad primar qualitates proportionatas, ſicut forma & figura ad quantitatem hoc vel illo modo terminatam. ibid E.

Sanitas & morbus in quo conueniant & differant? 186.1.E.& 2.A.

Sanitas eſt de genere boni. 185.2.C.

Sanitas & morbus pro materiali non ſunt neceſſariò contraria ſub eodem genere. 186.2.D.E.

Sanitar & morbur formaliter ſumpta ſunt contraria. ibid.& 187.2.E.

Sanitas & morbus an & quomodo poſſint reperiri in eodem ſubiecto. 187.2.C.

Sanitas habet latitudinem ſecundùm quam poteſt in homine reperiri & compati cum morbo. ibid.

Sanitati intrinſecum eſt, perficere operationes. 187. 2. E.

Sanitar & morbus dupliciter poſſunt conſiderari. 188. 1.B.C.

Sanitas exquiſitiſſima per inſtans tantùm durat. ibid. D.& 190.1.& 2. C.

Sanitas alia eſt bona & Communis, alia Tenuis, & alia Media. ibid.2.A.

Sanitatem & Morbum diuagari per plura prædicamenta qui iudicent? ibid. 2.B

Sanitatis ſunt diuerſi gradus intenſionis. 180.1.E.

Sanitatir latitudo tripartitur. 189.2.A & B.

Sanitatis gradum plura ſigna à poſteriori indicant. ibid. 2.D.

Sanitatis & temperiei propriæ ſigna dantur partium corporir. ibid. E.

Sanitas quibus conſeruetur. 190.2.B.

Vt Sanitas conſeruetur quæ requirantur. 191.2. A.

Sanitas formaliter ſumpta non eſt cauſa conſeruatiua alterius ſanitatir ſimilis. 192.1.B.

Sanitas pro materiali poteſt per ſe conſeruare ſimilem ſanitatem in alio. ibid.D.

Sanitas habet latitudinem, intra quam in homine reperiri poteſt ſimul cum morbo. 278.1. A.& ſeqq.

Sanitati intrinſecum eſt operationer perficere.ibi.D.

Sanitas & morbur in gradibus intenſir & remiſſis conſiderari poſſunt. 279.1.B.

Inter Sanum & ægrum an detur medium? ibid. & 277. 2.D.

Sanitar vnde oriatur? ibid.C.

Sanitas exquiſitiſſima ſolùm durat per inſtans. ibid.

Sanitar eſt de genere boni, habet tamen latitudinem, ſeu gradus, iuxta quos alia dicitur Exquiſitiſſima, alias Tenuir, ſeu Inſalubris, & alia neutra. ibid.

Scarificatio.

Scrarificationes vtiles ſunt pro febrium curatione. 366.2.C.D.

Secta.

Secta quid ſit? 3.2.B.

Secta Medicinæ triplex, Empirica, Rationalis, & Methodica, quibus Moderniores addunt Spagiricam. ibid.

Sectarum Medicinæ Profeſſores apud varias Nationer. 3.2.C.

Secta Dogmatica an ſit præſtantior reliquis. 3. 2. E. vbi pars negatiua ſuadetur.

Sectæ Dogmaticæ præſtantia. 3. 2. B.

Sectæ Dogmaticæ cultores & Profeſſores. 3.2.C.D

Secta Empirica indoctorum hominum inuentum. ibid.

Illius cultores & Profeſſores. ibid.

Secta Methodica quæ ſit. 3.2.E.

Sectæ Methodicæ Profeſſores. ibid.

Secta Spagirica quid ſit? ibid.

Tria ſunt illius principia, Sal Sulphur, Mercurius. ibi.

Eiur origo, & Profeſſores. 4.1. A.

Secta Dogmatica reliquis præſtat. 3.1.B.C.

Secta Empirica Impoſtoribus & vetulis relicta. 4. 1. D.

Secta Methodica adhæret rationali ſecundum aliqua principia. 4.1.E.

Secta Spagirica Pharmaceuticæ ſocia & Medicinæ miniſtra. 4.2.A. & 5.1.A

Secta Paracelſiſtica differt ab arte Spagirica. 4.2.E.

Semen.

Semen an à fœminir generetur. 153.2.D.

Semen prolificum à fœmina generari, reſoluitur. 154.1.C.

Semen fœminæ an quidpiam actiuitatir habeat? 254.2.C.

Semen fluidum & aqueum ineptum eſt pro generatione. 154.1.B & 155.1.C.

Semen & ſanguis menſtruur fiunt per coctionem, & ad quid? 154.2.E.

Semen viri in quo differat à fœmineo? 156.1.A.

Semen viri & fœminæ quomodo concurrant ad fœtus

tus productiooem. 155.2.C.& 156.1.C.
Semeo vtriuſque parentis eodem modo coocurrit. 156.2.E.& 157.1.E.
Semē fœminæ aqueum magis quam virile. 155.1.B.C.
Semen principium neceſſarium eſt pro generatiooe. 163. 2. D.
Semen qua ratione dicatur excrementum. ibid. 2. ad finem.
Sine ſemine quædam animalia generantur. 163.2. C. & 164.2.A & B.
Semen quid ſignificat. 163.2.A.
Seminis variæ definitiones referuntur. 164.1.D.
Seminis aptior definitio traditur. 164.2.D
Semen fit ea reliquiis alimenti vltimi, & quomodo. 164. 2. E.
Semen an ſit tertiæ regionis excrementum. ibid.2.B. 165. 1. A.
Seminis propria accidentia traduntur. 165.1.E.
Semen conflatur ex magna copia Spirituum vitalium. ibid.2. A.
Semen præſtat materiam pro fœtus formatione.ib.B.
Semen fit ex humida ſubſtantia ſanguinis conclusa & agitata. ibid. C.
Semeo pro generatiooe aptum quibus debeat gaudere qualitatibus. 165.1.B.C.& 2.E.
Semen quomodo ſpumoſum dicitur. 166. 1. A. & 165. 2. C.
In ſemine aërea humiditas prædominatur. 165.2. B. & 166. 1. A.
Seminis cauſa materialis decernitur. 166.2.B.& ſeqq.
Semen ea ſanguine immediatè à teſtibus elaboratur. 166. 2. C.
Seminis virtus productiua quæ ſit. ibid.D
Semen pro omnibus corporis partibus fit ex ſanguine. ibid.D.E.
Seminis materia quæ generantit ea ſanguine quæ ſit. 167.1.C.
Seminis virtus qualiter decidat à partibus. ibid.D
Seminis elaboratio an præſtet reliquis elaborationibus. 166.1.E & 167.1 E.
Seminis ſpirituoſa pars decidere videtur ab omnibus partibus. 167.1.D.& ſeqq.
Seminis quævis pars à ſolis teſtibus ſufficit decidere. 168.1.C. & ſeqq.
Semen decidit ab omnibus partibus quoad eſſe obiectiuum, non quoad eſſe entitatiuum. 168.2.E.
Seminis ſpirituoſa pars fit ex vitali ſpiritu. 169.1. D. E.
Semen quomodo elaboratur. 169.1.C.& 2.B.
Seminis producendi vim tribuunt Antiqui cuilibet parti. 169.2 C.D.E.
Seminis generatio ſolum teſtibus adſcribenda. 170. 1.A.& ſeqq.
Seminis eiectio vnde voluptatem cauſet. 170. 1. E. & 2. A.
Semen qualiter poſſit dici decidere ab omoibus partibus. 171.1.A.& B.
Seminis duplex eſt eſſe, obiectiuum, ſpecificatiuum. 171.1.C.D.
Semen eſt inſtrumentum generantis tendens ad productionem fœtus illi ſimilis. ibid.1.A.
Semen materialis principij rationem obtinet pro fœtus formatione. 171.2.E.
Semen diuerſa ratione poteſt eſſe actiuum & paſſiuum principium. 172.1.D.
Semini præſtat materiam ſpirituoſa etiam ſeminis pars. 173.1.A.
Seminis ſpirituoſa pars qualiter craſſioribos eſt commixta. 173.1.E.
Semen an ſit animatum, quidam affirmatiuam tenent. 173.2.D.
Semen oulla viuentis informatur ſubſtantiali forma. 174. 1. D.
Semen non eſt corpus organicum. ibid.E.
Semen ratione finis in quem ordinatur, non indiget anima. ibid.2.B.
Semen qualiter fiat vitalitatis inſtrumentum. ibid.D.
Semen quomodo attingat generationem fœtus viuentis. 174.2.E.
Semen animalium qualiter ſit perfectius ſemine plantarum. 175.1.B.
Semen determinatur ab anima ad productionem ſimilis in ſpecie. 176.1.B.
Semen non agit virtute propria, ſed vt inſtrumentum à generante eleuatum. ibid.
Semen vt inſtrumentum virtutis generatiuæ ita ſe habet ſicut calor vt inſtrumentum nutritiuæ. ib.D.
Seminis actiuitas an inducat ſimilitudinem in ſexu. 176. 2. E.
Seminis materiali principio ſexus ſimilitudo tribuitur. 177.1.D.E.
Semen virile & fœmineum ſiunt vnum numero inſtrumentum. ibid.E.
Semen prolificum ex parte viri, neceſſarium principium in omni viuentis generatione. 670.1.E.
Semen prolificum ſola vi teſtium poteſt generari. 670. 2. A.
Semen viri non eſt neceſſarium pro molæ generatione. 713.1.E.
Semen fœmineum abſque virili ſemine nequit producere ſibi ſimile in ſpecie. 713.2.C.

Senectus.

Senectus quid. 65.2 E.
Senectus eſt menſura durationis vitæ humanæ ſub frigido & ſicco temperamento. 66.1.A.
Senectus trifariam conſideratur. ibid.B
Senectus frigida eſt & ſicca. ibid.C.
Senectus morbis ab humiditate aeris infeſtatur. 66. 1. B. & D.
Senectus omnium officina malorum. 71.2.E.
Senectus quid & quotuplex. 437.1.E.& 2.A.& ſeq.
Senectutis incommoda. ibid.B.
Senectus an contraindicet omninò ſanguinis miſſionem, reſoluitur negatiuè. ibid.

Senſus.

Senſus communis quæ ſit potentia. 148.1. A.& ſeq.
Senſus communis eſt facultas rectrix ſpecie ab aliis internis diſtincta. ibid.E.
Senſus externus nullus vltra ſuum proprium obiectum cognoſcit. ibid.2.A.
Senſus externus nullus poteſt ſuam ſenſationem cognoſcere. ibid.B.
Senſus communis neceſſitas. ibid.1. C.& 2.D.
Senſus communis amplectitur omnes modos tendendi in obiecta externa. ibid.
Senſus communis non retinet ſpecies obiectorum in eorum abſentia. 149.1. D.
Senſus communis & phantaſia idem habent obiectum. ibid.1.& 2.B.
Vide *Phantaſia.*

Seroſa ſubſtantia.

Seroſa ſubſtantia duplex in venis reperiri poteſt. 486.1.E.
Seroſa ſubſtantia eſt humorum pars. ibid.D.
Seroſa ſubſtantia in ſtatu naturali moderata à renibus attrahitur, redundans venis ſupernatat. ibid.E.
Seroſa ſubſtantia redundans, non expectata coctione purganda. 495.2.E.& 496.1.A.
Seroſa ſubſtantia eſt inutilis, & excrementitia. ibid.

Seroſa

Seroſa ſubſtantia alia eſt ſub humorum forma remaneus,alia ſeparata & ſupernatana. ibid. C.
Seroſa ſubſtantia an poſſit alia coctione in benigniorem ſtatum reduci. ibid.

Siccitas.

Siccitas in corpore humano vnde proueniat. 260. 1. E.
Sicci morbi cauſæ referuntur. ibid.
Siccitas an ſit de conceptu febris Hecticæ,diſputatur & reſoluitur negatiuè. 317.1. C.D.E.

Sigillatio.

Sigillatio materiæ quid ſit. 29.1.B.
Sigillatio duplex eſt , alia Qualitatiua , & alia Subſtantifica. ibid.C.
Sigillatio an ſufficiat , vt qualitates producantur in materia. ibid.D
Materiæ Elementorum ex vi ſigillationis determināt formam mixtam in illis ſubſequutam ad producēdas in qualibet ſui Elementi qualitates. ibid.2.B.
Sigillatio quid relinquit in materia. ibid.C
Sigillatio remanet in materiis Elementorum , etſi non præceſſerint immediatè ſub eorum formis. ibid.2. D.
Sigillatio ex præceſſiſſe formæ pro quibus qualitatibus fiat. 30.1.E.& 2.A.& ſeqq.
Forma qualibet ſigillat ſubſtantificè pro aliquibus accidentibus. ibid.2.D.
Forma mixta non ſigillat pro qualitatibus primis.ibi.
Forma mixta cùm contineat virtualiter formas Elementorum poteſt ſuperueniens in eorum materias,eorum conſeruare ſigillationem. ibid.E.
Ex præceſſiſſe qualitatum ſolùm remanet qualitatiua ſigillatio. ibid.

Signum.

Signa pathognomica & propria Eunuchorum & ſpadonum. 673.1.D.

Similaris Pars.

Similarium partiū intemperies diuiditur.209.1. A.B.
Parti ſimilari intemperies ita accidit vt nunquam accidat organicæ viciſſim. 210.1.E.
Pars ſimilaris quid. ibid.2.A.
Pars ſimilaris eſt quanta independenter ab organi quantitate alia. 227. 2 B.
Pars ſimiliaria duo habet. ibid.
Parti ſimilari an poſſit accidere morbus in diminuta quantitate. 227.2.C.

Similitudo, Simile.

Similitudo fœtus ad quid referenda. 154. 2. C. & 155. 2.E.
Similitudo filiorum ad parentes vnde contingat. 166.2.A & 167.2.E.
Similitudo filiorum ad parentes an ſeminis virtuti adſcribenda. 169.2.E.& 170.1. D.
Similitudo fœtus in quo fundatur. 174.1.B.
Similitudo filiorum ad parentes triplex. 175.1. E.
Similitudo filiorum ad parentes quid. ibid.2.A.B.
Similitudo ſpecifica prouenit , quia ſemen operatur vt inſtrumentum generantis. 176.1.A.
Similitudo in ſexu cui tribuenda. 177.1.D.& ſeqq.
Similitudo indiuidualis cui tribuenda , variæ referuntur opiniones. 178.1.D.& ſeqq.
Similitudo in accidentibus indiuidualibus filiorum ad parentes à vi formatrice prouenit. ibid.2.B.
Similitudo ad conſanguineos cui adſcribenda. 179. 1. C.
Similitudo indiuidualis ab imaginatiua facultate immutari poteſt. 180.1.B.
Similitudinis , quæ ex vehementi imaginatione procedit, ratio redditur. ibid.D. & ſeqq.
Simile non agit in ſimile. 192.2.D.

Similitudo alia eſt genetica & alia ſpecifica.193.2.A.

Solutio continuitatis.

Solutio continuitatis eſt morbus. 226.1.B.
Solutio continuitatis eſt morbus communis partibus ſimilaribus & organicis. 225.2. C. & 226.2.D.
Solutæ continuitatis morborum differentiæ ſumuntur à cauſa,vel à ſubiecto. ibid.
Solutio continuitatis variis modis ſumitur. 226.1.D.
Solutio continui eſt morbus pro materiali,non verò formaliter. ibid. E.
Solutio continuitatis accidere poteſt parti ſimilari abſque eo quòd ſimul accidat organicæ. 227.1. E.
Solutio continuitatis quale vitium eſt. ibid.2.A.
Solutio continuitatis dari poteſt in parte organica per ſeparationem ſimilarium partium ſine ſolutione propria ſimilarium. 228.1.B.C.D.
Solutio continuitatis poteſt ſimul accidere parti ſimilari & organicæ. 228.2. E.& 229.1.& 2.A.

Somnus.

Somnus profundus damnoſus eſt in febribus. 370. 1. A.
Somno ſoporoſo affectos ſæpe occumbi demonſtrat experientia. ibid.
Somnus , ſi modum excedat, malum ex Hippocrate. ibid.
A ſomno profundo excitandi ſunt febrientes.ib.2.A.
Somnus profundus in febrientibus vnde contingat. ibid.
Somnus qui morbi eſt ſymptoma , fit etiam morbi cauſa. ibid.
A ſomno ſi febriens excitetur,impeditur febris intenſio. ibid.
Somnus inter res non naturales reponitur. 450.1.A.
Somnus cum moderamine pro ſanitate iuuat. ibid.
Somni moderati magna ſunt commoda. ibid.E.
Somnus quos pulſus habeat. 636.2.E.

Spado.

Spadones quidam , homines , quibus in curatione non ſunt auulſi teſticuli an ſint habiles ad contrahendum matrimonium. 670.1.B.
Spadonum ad coeundum validorum matrimonia à quo tempore irrita, & prohibita. 671.1. D.

Sphygmica.

Sphygmica vnde? 596.2. A.
Sphygmica ars ad quid deſeruit. ibid.
Sphygmicæ artis partes. ibid.
Sphygmicæ artis phyſiologia. 609.1.A. & ſeq.
Sphygmicam Galenus non docuit. 609.1.C.
Ipſam tamen percalluit. ibid.2 B.
Sphygmicæ artis cognitio vtilis, & neceſſaria Medico. ibid.1.E

Spina dorſi.

Spina dorſi qualiter inungi debeat in Hecticis. 314. 1.D.
Vide *Hectica,& Lac.*

Spiritus.

Spiritus prærequiruntur in partibus vt influens qualitas recipiatur. 209.1.C.& ſeqq.
Spirituum natura à quibus illuſtretur. 117.1. A.
Spiritus nomine, quid intelligatur. ibid.C.
Spiritus non dari in corpore quibuſdam argumentis probatur. ibid.D.
Spiritus eſſe admittendos reſoluitur. 116.2.C.
Ex ſpiritibus alteratis febris oritur. ibid.
Spiritus ad quid conducit. 117.1.A.
Spiritus variæ definitiones referuntur. ib.1.C.& ſeq.
Spiritū Author definit ex Galeno, & aliis. 217.2. A.
Spiritus an ſit anima. ibid.B.
Spiritus an ſit vehiculum facultatum. ibid

Spiritus & humores in corpore exiſtentes quomodo iudicent. 117.2.D.
Spiritus non viuere tenet communis Medicorum ſententia. 118.1.A.
Spiritus non ſunt continui reliquis corporis partibus. ibid.B.
Spiritus an informentur ab anima ſecundùm gradum vegetatiuum? ibid.
Spiritus vnde moueantur? 118.2.A.
Spiritus qua nutritione nutriantur? ibid.B.
Spiritum triplicem in corpore humano reperiri contendunt plures. 118.2.C.
Spiritus vitalis & animalis admittuntur. ibid.E.
Spiritus animalis in cerebro & vitalis in corde generantur. 119.1.E.& 120.2.B.
Spiritus naturalis an producatur in genere? 118.2.D.& 119.1.B.& ſeqq.
Spiritus vitalis ratione, apertâ venâ ſanguis cum impetu proſilit. 119.2.A.
Spiritus naturalis inſitus ſiue implantatus admittitur. ibid.2.C.D.E.
Spiritus inſitus nil aliud eſt quam calidum innatum. ibid.
Spiritus naturalis eſt pars illa viuentis, à qua calor innatus pullulat. ibid.E.
Spiritus vitales & animales ſpecie differunt. 120.1.E. & 2.A.& ſeqq.
Spiritum vnicum Ariſtoteles admittit. 120.1.& 2.C.
Spiritus generantur per coctionem. 121.1.B.
Ex ſpirituum coctione an reſultet excrementum? 121.1.& 2.A.
Spiritus animalis vnde dicatur? 121.2.B.
Spiritus animalis quid ſit ex Galeno. 121.2.C.
Spiritum animalem Author definit. ibid.D
Spiritus animalis eſt frigidior vitali. ibid E.
Ex ſpirituum vitalium calore ſi digitus immitteretur in cor, cremaretur. 122.1.A.
Spiritus vitales ad quid ordinati à Natura. ibid.
Pars priuata ſpiritu vitali redditur frigida. ibid.B.
Spiritus animales ſunt humidiores quam vitales. 122.1.E.
Spiritus animales ſunt lucidi. ibid.2.B.
Spiritus viſûs lucidus eſt. ibid.
Spiritus animalis eſt perfectiſſima ſubſtantia, & ad quid ordinata. ibid 2.C.
Spirituum forma ſubſtantialis eſt principium lucis productiuum. ibid D
Spiritus animalis quæ ſit cauſa materialis? ibid.E.
Spiritus vitales an coadiuuant cauſam mortis naturalis. 68.2.C.& E.
Spiritus vitalis ad vitæ conſeruationem omninò neceſſarius. 123.1.A.
Spiritus vitalis eſt delator virtutum animæ. ibid.B.
Spiritus vitalis definitur. ibid. C.
Spiritus vitales ſunt calidiores corde. ibid.2.A. Vide *Cor*.
Spiritus vitales qua ratione vocentur temperati à Galeno? 124.1.A
Spiritus vitales ad quid ordinentur. 123.2. E.& 124.1.C.
Spiritus vitales à ſolo Corde generantur. 124.1. E.
Spiritus vitales in Arteriis generantur cordis virtute. 124.2.D.
Spiritus vitales ex ſanguine & aëre generantur. 125.1.A.& ſeqq.
Spiritus vitalis ex propria temperie debet eſſe pars corporis calidior. ibid.B.
Spiritus vitales nihil vitalitatis præter calorem partibus communicant. ibid.2.B.
Spiritus vitales vnde dicantur. 125.1.A. & C.
Spiritus an requirantur pro ſeminis materia. 168.1.C.& ſeqq. A. & 2.& ſeqq.
Spiritus in teſtibus eandem patiuntur alterationem, ac ſanguis. 168.2.C.
Spiritus in ſemine triplex. 169.1.B.
Spiritus vitalis ſpirituoſam ſeminis partem ſubſternit. 169.1.D E.
Spiritus implantatus reperitur in animalibus perfectioribus. 173.1.A.
Spiritus ſicut & reliqua membra animâ informantur. ibid.B
Spiritus à partibus non admittunt ſigillationem. 168.1.E.
Spiritus vitales in ſtatu naturali ſunt Corde calidiores. 276.2.C.D.& 277.1.C.
Spiritus vitales ſunt mixta perfecta. 289.2.D.
Spiritus vitales poſſunt putreſieri & ſic febrem cauſare. ibid.
Spiritus ſunt ſubſtantiæ tenuis, & ideò non valent obſtruere. ibid.B.
Spiritus vitales poſſintne moueri per arterias ab eiſdem facultatibus, à quibus mouetur ſanguis. 608.1. D.
Spiritus vitales mouentur à corde in reliquas partes, & è conuerſo. ibid.2.D
Spiritus vitales & ſanguis non mouentur per eaſdem vias, neque ob eundem finem. ibid.2.D.
Spiritus vitales in venis, alij ſunt commixti ſanguini, alij ſeparati. ibid. 2. E.
Spiritus vitales nequeunt à ſe moueri in paſſionibus animæ. 631.2.D.
Spiritus vitales nequeunt moueri à facultatibus gradus vegetatiui in paſſionibus animæ. 632.1. B.
Spiritus vitales in paſſionibus animæ expelluntur, aut trahuntur ad partes à facultate vitali, vt partes operentur. 632.2.D.
Spiritus vitales non reſoluuntur per fontanellæ & cauterij apertionem. 683.2.A.B.

Sterilitas.

Sterilitas vnde oritur? 169.1.C.& 2.B.

Stomachicus.

Stomachici quos pulſus habeant. 638.1.E.

Struthio-camelus.

Struthio-camelus ferrum concoquit. 35.2. D.

Stupor.

Stupore parti adueniente, ſenſus moleſti cauſa quæ ſit? 109.2.C.

Sudor.

De ſudore corporis humani qui tractauerint? 533.1.C.
Sudor tripliciter accidere poteſt homini. 533.1.C. & 2.A.
Sudorem naturalem intra ſtatum ſanitatis corpori humano accidere poſſe probatur. 534.1.C.& ſeqq.
Sudor reponitur inter ea quæ excernuntur aut retinentur. ibid.
Sudor naturalis ſuperuenit homini ex inſolatione,& exercitio. ibid.D
Sudor in homine ſano quomodo fiat? ibid.E
Sudoris variæ definitiones adducuntur. ib.2.C.& ſeq.
Sudoris genericè ſumpti proponitur definitio & explicatur. 535.2.A.
Sudor naturalis definitur. ibid.B.C.
Sudor ſoli animali accidit. ibid.1.B.
Sudoris materia quæ ſit? ibid.
Sudoris animalia quædam ſunt incapacia. ibid.
Sudoris incapacia ſunt lapides, plantæ,& alia mixta non animalia. ibid.D.E
Sudor ſeu lacbrymæ ex columnis Sepulchri Chriſti Domini miraculosè effluunt. ibid.D.

Sudaſc

Sudaſſe lapides & columnas in perſecutione Maximini etiam miraculo adſcribitur. ibid.

Sudor vetus eſt intrà genitus,& extrà miſſus. ibid.

Sudor plantarum impropriè dicitur. ibid.E.

Sudor eſt excrementum tertiæ regionis. ibid.D.

Ad ſudorem naturalē quatuor prærequiruntur actiones,quarum prima eſt copioſa euaporatio. ibid.E.

Sudor naturalis non fit ſi calor eſt debilis. ibid.2.B.

Sudor ex humida materia non fit,niſi ea in vaporem mutetur. ibid.

Secunda ad ſudorem actio prærequiſita aſſignatur, nempe propulſio vaporum ad tertiam regionem. ibid.2.D.

Tertia pro ſudore actio eſt vaporis concretio in tertia regione. ibid.2.E.

Quarta pro ſudore actio eſt expulſio per poroſitates cutis. 537.1.A.

Sudor naturalis non eſt excrementum tertiæ regionis. ibid.B.

Sudoris materia nempe omnis humida ſubſtantia intra corpus exiſtens conſignatur in genere. 537.2.A.

Sudoris aptior materia eſt potulenta ſubſtantia & humorum ſerum. ibid.D.

Sudor copioſus ſequitur ex potu aquæ copioſo æſtatis tempore. ibid.

Ex ſudore nimio ſitis accidit. ibid.

Sudoris & vrinæ eadem eſt materia. ibid.

Sudor ſæpius melancholicis accidit. ibid.

Sudoris indicium eſt vrinæ ſuppreſſio. ibid.

Sudoris materia eſt humorum ſubſtantia, humiditates,& viuens quælibet humida pars. 538.1.A.B.C.

Sudor quomodo dicatur excrementum tertiæ regionis. ibid.C.D.

Quæ ſit cauſa efficiens euaporationis requiſitæ pro ſudore naturali,exponitur. 538.2.D.E
Vide *Calor*.

Euaporatio pro naturali ſudore prærequiſita vtilis eſt pro ſanitate cōſeruanda. 540.1.E.& 2.A.& ſeq.
Vide *Vapor*.

Vaporum motus pro ſudore requiſitus propria raritate & leuitate partim perficitur,partim à viuentis facultate. 541.1 & 2.C.& ſeqq.

Ad ſudorem tertius modus requiſitus eſt vaporum concretio, quæ fit à cauſis loco-motiuis medio impulſu,non autem à frigiditate. 542.2.C.& ſeqq.
Vide *Vapor*, & *Denſitas*.

Sudoris motus vltimi loco-motiua virtus ſancitur. 544.1.B C.

Sudori omni non eſt proprium quod exeat guttatim. 545.1.B.

In Sudore naturali & critico ſemper accidit quod exeat guttatim. ibid. C.

Sudori guttatim exeunti proprium eſt, quòd guttæ ſint rotundæ. ibid.E.

Guttæ ſudoris cur ſint rotundæ,varij opinandi modi referuntur. ibid.

Sudor criticus quis & quotuplex. 545.2.B.

Sudor criticus ſalutaris medium retinet naturam inter omninò naturalem & ſymptomaticum. ib. E.

Sudor criticus ſalutaris eſt naturalis ex parte finis, nō ex parte cauſæ materialis & efficiētis. 546.1.A.

Sudor criticus naturaliter contingere poteſt, quod pluribus exemplis probatur. ibid.E.& 2.A.& ſeq.

Sudor ſanguineus reducitur ad criticum ſalutarem. 547.1. A.

Sudor ſanguineus ſimilis eſt hæmorrhagiæ criticæ ſalutari. ibid.

Sudor ſanguineus ex parte cauſæ efficientis eſt præternaturalis. ibid.B.

Sudor ſanguineus licèt à cauſis naturaliter operantibus proueniat,non eſt tamen naturalis. ib.B.C.D.

Sudor ſanguineus Chriſti Domini ſine periculo ſuperuenit. ibid.2. C.

Sudor ſanguineus Chriſti Domini fuit ad oſtendendam veritatem humanæ naturæ. ibid.

Sudor ſanguineus Chriſti Domini ex vehementiſſimis animi paſſionibus contigit. ibid.E.& 548.1. A. & ſeqq.

Sudor ſanguineus quibus ex cauſis fiat? ibid.2. A.

Sudor ex Hippocrate eſt liquoris effuſio per poros facta. ibid.2.C.

Sudoris critici ſalutaris ſigna traduntur. ibid. E.& 549.1.A.& ſeqq.

Sudorem criticum ſalutarem à ſymptomatico diſtinguentia ſigna dari probatur. 549.2.B.C.

Sudori critico ſalutari proprium eſt, quod fiat in die decretorio. 550.1.B & ſeqq.

Sudores in diebus non decretoriis facti,vel mortem, vel recidiuam prænunciant. ibid.C.

Sudor criticus fit ſalutaris ſicut quælibet alia critica euacuatio. ibid.D.

Sudor criticus vt fiat ſalutaris, debent præcedere ſigna coctionis. 550.2.E.& 551.1.A.& ſeqq.

Sudor criticus ſalutaris debet eſſe copioſus moderate. 551.2.D.

Sudor vltra proportionem moderatam fit præternaturalis & ſymptomaticus. ibid.E.

Sudorificæ febres quæ? 551.2.C.

Sudoris ſymptomatici deſcriptio proponitur. 552.1.D.

Sudoris ſymptomatici referuntur differentiæ. ibid.E.

Sudor ſymptomaticus à ſubſtantiæ modo dictus deſcribitur. ibid.

Sudor ſymptomaticus à ſubſtantiæ modo diuiditur in craſſum & tenuem. ibid 2.B.

Sudor diaphoreticus & ſyncopticus ſub craſſo & tenui continentur. ibid.C.

Sudor ſymptomaticus craſſus vel tenuis ex quibus cauſis fiat? ibid.D.E.

Sudores ſymptomatici craſſi & tenues ſunt periculoſi, & cur? 553.1.B.

Sudoris ſymptomatici aliqualis curatio proponitur. ibid.C.D.

Sudores ſymptomatici ratione quantitatis alij ſunt multi,alij pauci. 553.1.E.

Sudor multus ſymptomaticus fit plerumque ex copioſa materia. ibid.2.B.

Sudor multus, ſi non terminat morbum, eſt malus. ibid.C.

Sudoris copioſi ſuperflui aliæ referuntur cauſæ. ibidem D.E.

Sudor paucus vel fit in vna parte tantùm,vel in pluribus in pauca quantitate vel in pauco tempore. 554.1.C.

Sudor paucus prouenit à contrariis cauſis à quibus fit multus, vt explicatur. ibid.D.

Ex pauco ſudore ſymptomatico quid prædicendum? ibid.2.C.

Sudor paucus in ſanis quid ſignificet? ibid.

Sudores à qualitate varias habent differentias. ib.D.

Sudorum præcipuæ differentiæ ratione qualitatis caliditate & frigiditate ſumuntur. ibid.

Sudores frigidi & calidi à quibus cauſis procedant. ibid.E.

Sudores calidi & frigidi à nimio calore proueniunt, & quomodo id fiat? 555.1 A B.

Sudores calidi ſunt frigidis ſalubriores. ibid C.

Sudoris ſymptomatici frigidi deducitur prædictio. ibid.D.E.

Sudores

Sudorea calidi & frigidi apparent guſtui diuerſi pro diuerſis humoribus, à quibus fiunt. ibid.2.C.
Sudor ratione humoris calorem habere poteſt, ſi ſit ſymptomaticus. ibid.D.
Sudores à tempore diuerſas ſumunt differentias. ibid. E.& 556.1.A.
Sudor in principiis morborum ſemper ex ſe ſymptomaticus eſt. 556.1.C
Sudores ſicut aliæ euacuationes in principio ſuperuenientes cur inutiles & noxij. ibid.D.
Sudor periodicus duplex eſt. ibid.E.& 2.A.
Sudor periodice antecedens acceſſionem, eſt ſymptomaticus lethalis. ibid.2.C.
Sudor in principio paroxyſmi à quibus cauſis procedat. ibid.D.& ſeqq.

Suffocatio.

Suffocatio vteri quos pulſus habeat. 638.2.B.

Sybilla.

Sybilla Erithrea de origine Magiæ. 703.2.B.

Symptoma.

Symptoma morbum ſequitur, ſicut vmbra corpus. 220. 1.C.
Symptoma ſeu accidens proprium quarto modo morbi, eſt actio læſa. ibid.B.
Symptomatis acceptio multiplex. 265.1.D
Symptoma morbi dari reſoluitur. 266.1.A.
Symptoma quid? ibid.B.& ſeqq.
Tuſſis, ſingultos, & ſimilia, an ſint ſymptomata? ibid. 1.C.& 2.A.
Symptomata an dicantur euacuationes criticæ? ibid.
Morbus ab alio ſubſequens qua ratione dicatur ſymptoma? ibid.2.B.
Symptoma eſt morbi effectus & ſolius morbi. 266. 1.& 2.E.
Tria Symptomatum genera admittit Sennertus poſt Mercatum. ibid.2.B.
Symptoma vel eſt actio læſa, vel terminus ab actione læſa productus. 267.1.B.
Symptoma aliquando ſumitur pro accidente. 266. 2.D.& 267.1.C.
Cruditas quando dicatur ſymptoma? ibid.
Symptoma interdum largo modo accipitur. ibid.
Omne ſymptoma petit fieri immediatè à morbo immediatione cauſæ, non immediatione alterius ſymptomatis. 267.1.A.& ſeqq.
Symptoma triplex eſt, nempe in actione læſa, in qualitate mutata, & in excunte mutato. 268. 1. D.
Symptomata alia mediatè, alia immediatè oriuntur à morbo. ibid.2.B.
Vide *Actio*.
Symptoma in qualitate mutata, ratione ſubiecti eſt triplex. 269.2.C.
Symptoma in qualitate mutata, ratione ſenſus externi quintuplex decernitur. 269.2.D.
Symptoma in excunte mutato duplex. 270.1.A.
Vide *Exiens*.
Symptoma in retentis eſt triplex. ibid.2.A.
Symptomata alia ſunt propriè talia, alia impropriè 421.2.B.

Synochus.

Synochus febris definitur. 370.1.E.
Synochus febris duplex eſt, putrida & imputris. ibid.
Synochus imputris definitur, & explicatur. ibid. & 2. C.
Synochus imputris oritur ex ſanguinis efferueſcentia. ibid.
Synochus febris imputris diuiditur in Epacmaſticam, Paracmaſticam, & Acmaſticam, ſeu Homotonam. ibid.D
Synochus imputris quales perſonas inuadere ſoleat? ibid.E.
Synochum febrem quibus remediis variæ Sectæ curare contendunt. ibid.& 371.2.A B
Synochi curatio ex Galeno & Dogmaticis. ibid.C.
Pro Synochi curatione quid obſeruent Iuniores? ibid. E.
Ad Synochi curationem refertur Zacuti hiſtoria. ibi.
Circa Synochum obſeruatio Authoris exhibetur. ibid.2.C.
Synochi imputris pulſus aliqualem habet inæqualitatem. ibid.E.
Vide *Pulſus*.
Synochus imputris ſalubris quatuor percurrit tempora. 372.2.B.
Synochus quare dicatur creſcens, decreſcens, aut homotoma? ibid.C.
Synocho prodeſt potus aquæ frigidæ ad ſatietatem. 372.2.D.E.& 373.1.A.& ſeqq.
Vide *Potus*.
In Synochis an balneorum vſus conueniat, negatiuè reſoluitur. 373.2.D.
In Synocho non conuenit ſanguinem mittere vſque ad ſyncopen. 374.2.A.& ſeqq.
Vide, *Sanguis miſſio*.
Synochus putrida quid. 375.1.E.
Synochus putrida triplex eſt Acmaſtica, Paracmaſtica, & Epacmaſtica. ibid.
Synochi putridæ cauſa quæ ſit? ibid.2.A
Synochum putridã ſigna indicantia referuntur. ib B.
In Synocho putrida pulſus qualis. ibid.
Synochus putrida ſæpe periculoſa, & quanto tempore terminetur. ibid.C.
Pro Synocho putrida curanda varia à variis Sectis proponuntur remedia. ibid.2.D.& ſeq.
Pro Synochi putridæ curatione qualem ſumant indicationem Methodici. ibid.E.
Pro Synocho curanda indicatio à Dogmaticis ſumpta refertur. 376.1.B.
Ad Synochi curationem victus præſcribitur ex Hippocrate. ibid.
Pro Synocho curanda indicatio deſumpta à cauſa quomodo completur. ibid.C
Synochi curationem confirmat Galenus per ſanguinis miſſionem. ibid.D.
Synochum putridam ſæpe eſſe periculoſam firmatur euentu ex Zacuto. ibid.E.
Synochum putridam interdum potus aquæ frigidæ ad ſatietatem extinguit. 376.2. B.
Synochi putridæ raram & mirabilem terminationem obſeruauit Author. ann.1652. ibid.C.D.
Synochus putrida oritur à ſanguine putreſcente manente ſub propria forma. 377.2 D.
Synochus putrida duplex eſt, própria, & impropria. 378.1.A.& ſeqq.

T.

Temperies, Temperamentum.

Temperamentum quid ſit, & variæ de eo Doctorum opiniones referuntur. 31.1.E.
Temperamentum qualitatiuum non dari, quibus ſuadetur. 32.1.C.
Temperamentum qualitatiuum admittendum, reſoluitur. ibid.2.A.
Temperamentum qualitatiuum non eſt anima. ib.2.B.
Galenus errauit, dum Temperamentum ab anima non differre iudicauit. ibid.B.& C.
Temperamentum qualitatiuum qualiter ſe habet ad actiones? ibid.C.

Tempera

Temperamentum ſubſtantificum non admittendum in mixtis à qualitatiuo diſtinctum quidam contendunt. 32.2.E.
Nullum poteſt eſſe Temperamentum, cui non competat diffinitio Temperamenti. 33.1.C.
Temperamenti ſubſtantifici neceſſitas ſancitur. ibi. D.
Temperamentum interdum ſubſtantia, interdum qualitatis vocatur à Galeno. 33.2.B.
Temperies qualitatiua præternaturalis aliquando per modum diſpoſitionis, aliquando per modum habitus ſuperuenit. 33.2.E.
Dato Temperamento ſubſtantifico in mixtis ex quo reſultet qualitatiuum, an poſſit dari Temperamentum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis, & quomodo. 33.1.B. & 34.1.D.
Temperamentum qualitatiuum ſolùm intendit definite Auicenna. 33.1.C. & 34.1.E.
Temperamenti variæ definitiones. 34.2.A. & B.
Temperamenti vera definitio. ibid. C.
Temperamentum ſubſtantificum quid ſit ex Valleſio. ibid. E.
Subſtantificum Temperamentum definitur. 35.1. C.
Temperamenti ſubſtantifici ratio in quo conſiſtat. ibid. C. & D.
De qualitatiuo Temperamento variæ Doctorum opinationes referuntur. 35.2.B.
Temperamentum qualitatiuum incongrua mixtione qualitatum non conſiſtere, quibus ſuaderi poteſt. 35.2.C. & ſeqq.
Temperamentum ſubſtantificum definitur. 36.1.B.
Temperamenti qualitatiui ratio in debita qualitatum mixtione conſiſtere pluribus ſtabilitur. ibid. C.
Temperamentum qualitatiuum in mixto viuente & in non viuente eſt eiuſdem rationis. 36.2.D.
Idem Temperamentum qualitatiuum an poſſit eſſe in duobus mixtis ſpecie diſtinctis, & quomodo. 35. 2.E. & 37.2.A.
Temperamenti qualitatiui nouem differentiæ an ſint admittendæ, negatiua ſententia refertur. 37. 2. C.D.E.
Temperamenta qualitatiua ſunt nouem. ibid. E.
Temperamenta qualitatiua tot admitti debent, quot dari poſſunt congruæ mixtiones qualitatum. 38. 1. B.
Temperamenti qualitatiui innumera eſt multitudo 37.2.C. & quomodo id intelligendum. 38.1.E.
Temperamenti ſubſtantifici nouem differentias non admittit Mercatus. 38.2.B.
Temperamenti ſubſtantifici differentiarum vera ratio. ibid. D.
Temperamentum ſubſtantificum quid ſit. ibid. E.
In Temperamento ſubſtantifico plures differentiæ reperiuntur ratione diuerſæ proportionis in quantitate. 39.1.A.
Temperamentum ſubſtantificum æquale ad pondus admittit Valleſius. 39.1.C.
Temperamentum qualitatiuum oritur ex ſubſtantifico, & iuxta eius proportionem immutatur. ibid. E. & 40. 1.C.
Temperamentum Iuſticiale vnicuique mixto debetur ad ſuas operationes perficiendas. 39 2.A.
Temperamentum æquale ad pondus ſubſtantificum non conceditur mixtis, ita vt partes materiales Elementorum æquales ſecundùm quantitatem in illis remaneant. 39.2.B.
Temperamentum æquale ad pondus in alteratiuis qualitatibus aliqui negant. 40.1.D.
Temperamenti æqualis poſſibilitas in qualitatibus alteratiuis admittitur. 40.2.C.
Temperamentum æquale ad pondus in homine reperitur. ibid. C. & D.
Temperamentum æquale ad pondus in qualitatibus alteratiuis non implicat. 40 2.E.
Temperamentum æquale in alteratiuis non reperitur vniformiter ſecundùm omnes partes. 41.1.C.
Temperamenti ponderalis tempus præſcribitur. 41. 1. E.
Temperamentum æquale in loco-motiuis qualitatibus à quibuſdam impugnatur. 41 2.D.
Temperamentum æquale ad pondus in motiuis qualitatibus admittendum reſoluitur. 42 1.A B C.
Temperies illa aptior eſt in homine ad eliciendas actiones quæ eſt illi debita ex principiis generationis. 42.1.B. & 43.2.B.
Temperies aptior ad operationes etiam aptior eſt ad longiorem vitam, & ad reſiſtendum cauſis morbificis. 42.2.C. & 43.2.C.
Cum Temperamento æquali ad pondus homo vitales operationes perfectiùs elicit. 42.2.D. & E.
Temperamentum potentiale non videtur admittendum. 44.2.E. & ſeqq.
Contrarium reſoluitur. 46.1.C.
Temperamentum potentiale definitur & tripliciter contingere explicatur. ibid. D.
Temperies diuerſæ ob diuerſitatem climatum. 51. 2. C.
Temperamentum ſubſtantificum multipliciter in nobis acquiritur. 54.1.A
Temperamentum aliud dicitur Innatum, aliud Ætatiuum, & aliud Conſuetudinarium. ibid.
De temperamento ætatiuo. 62. & ſeqq. Vide *Ætas*.
De temperamento cuiuſlibet ætatis. 67.2.A.
Temperies præternaturalis poteſt ab Intrinſeco produci in partibus corporis, ſi peruertatur temperamentum ſubſtantificum earum. 207.1.B.
Temperies æqualis quid, & vnde dicatur. 214.1.B.
Ex temperie qualitatiua & ſubſtantifica eiuſdem partis an fiat temperies æqualis. 213.2.D & 214. 1. E.
Temperies quænam ſit aptior ad febrem recipiendam. 293.2.B. & ſeqq.
Temperies calida & ſicca eſt magis diſpoſita ad Hecticam, & ad Diarias, & Humorales febres vſtione producendas. ibid. 2.D.
Temperies calida & humida eſt magis apta ad febres putredine cauſandas. ibid.
Temperamenta nouem ex Valleſio. ibid. 1.C.
Temperies æqualis eſt duarum temperierum æqualitas quæ duplex eſt. 312.2.D
Temperamentum aliud eſt Subſtantificum, & aliud Qualitatiuum. 434.1.A.
A Temperamento dependent vires. ibid.
Temperamentum quibus modis lædatur. ibid.
Nullum temperamentum indicat per ſe ſanguinis miſſionem, ſed naturale permittit, præternaturale impedit. 440.1. E & 2.A.
Temperamentorum variæ qualitates conſiderantur. ibid. B.C.
Temperamentum ſubſtantificum peruerſum ferè ſemper impedit venæ ſectionem. ibid. 2 B
Temperamentum naturale calidum & ſiccum parum permittit ſanguinis miſſionem. 440.2.C.
Temperies calida & ſicca apta eſt ad Hecticam. ibid.
Temperamentum frigidum & humidum non plenam permittit ſanguinis miſſionem. ibid E.
Temperamentum naturale calidum & humidum magis quàm reliqua permittere valet ſanguinis miſſionem. 441.1.A.
Temperamentum calidum & humidum aptum eſt

pro ſpirituum generatione, & vitæ conſeruatione. ibid. B.
Temperamento ſicco quis pulſus debeatur. 636.B.
Temperamentum nec reliquæ circumſtantiæ impediunt quominus homo habeat determinatum naſcendi tempus. 698.2.E.

Temperantia.

Temperantia in cibis laudata. 741.2.D.

Temperies.

Temperies calida quos pulſus appetat. 636.2.B.

Tempeſtas.

Tempeſtates anni diuerſos reddunt pulſus. 636. 2.D.

Tempus.

Tempus eſt pars morbi ſeu menſura. 229.1.C.
Doctores de temporibus morborum tractantes referuntur. ibid.
Tempora in morbis non dari, quibus ſuaderi poteſt. ibid.E.& 2.C.D.
Tempora in morbis dari reſoluitur. 229 D E.
Tempora morbi ſunt menſuræ durationis illius. ibid.E.
Tempus eſt menſura rerum omnium ſublunarium. ibid.
Circa tempora morborum definitiones quædam referuntur. 230.1.C.
Temporis morbi ratio in quo conſiſtat. ibid.
Temporis morbi vera ratio & propria definito ſancitur & explicatur. ibid. E.& 2.A.
Tempus morbi non eſt quælibet menſura durationis illius. ibid. B.
Tempus morbi eſt quod menſurat mutationes viciſſitudine naturali ſuperuenientes iuxta propriam illius conſtitutionem. ibid.
Quatuor tempora vniuerſalia regulariter percurrit quodlibet morbus. ibid.
Tempora morborum alia ſunt vniuerſalia, & alia particularia. 230.2.D.& E.
Tempora morborum debet conſiderare Medicus ad varianda pro occaſione remedia. ibid.E.
Tempora morborum vniuerſalia ſunt quatuor; nempe Principium, Augmentum, Status, & Declinatio. 231.1.A.B.C.
Tempora morborum particularia ſunt ſex. 231.1. C.& quæ ? ibid.
Tempus Integritatis qua ratione dicatur tempus particularis morbi, ſeu pars integrans morbi periodum. ibid.2.D.
Tempora vniuerſalia morborum, alterationis materiæ & accidentium coincidunt. 232.1.C.
In temporibus morborum duratio debet proportionari propriæ morbi conſtitutioni. 235.2.E.
Tempora morborum ita ſe habent ad ipſos in ratione menſuræ, ſicut ætates ad durationem vitæ humanæ. 236.2.B
Tempora ſenſibiliter aliquando, aut inſenſibiliter pertranſeunt in morbis ob cauſæ diuerſitatem. 236. 2. E.
Tempora vniuerſalia morborum quibus ſignis cognoſci valeant. ibid.2.D.& ſeqq.& 237.1.D.E.& 2. A B & ſeqq.
Tempora morborum vniuerſalia ex conſtitutione indicantur. 237.1.D. & 2.B.
Tempora morborum vniuerſalia ex temporibus anni cognoſcuntur. 237.2.B.
Tempora morborum ex acceſſionibus ſignificantur. ibid.C.
Tempora vniuerſalia morborum ex ſignis coctionis aut cruditatis in excrementis deprehendi poſſunt. ibid. D.
Tempus morbi in febre Intermittente quale ſit. 350. 1. D.
Tempus naſcendi nullum homini eſſe præfixum qui aſſeruerint. 698.1.E.
Temporis in varias partes diuiſio. 699.2.B.

Terra.

Sine Terra nihil ſolidum. 12.1.D
Terra habet ſiccitatem in ſummo, & frigiditatem prope ſummum. 14.1.C.
Terra aliqualem habet calorem. ibid.

Tertiana exquiſita.

Tertiana continua in quibus differat & conueniat cum ardente. 380.1.B.& ſeqq.& 382.2 B.& E. & 383.1 & 2.B & ſeqq.
Tertiana Exquiſita definitur. 386.2.C.
Tertiana Exquiſita multiplex eſt. ibid.
Tertianæ Exquiſitæ cauſa tam proxima quàm remota explicatur. ibid.
Tertianæ Exquiſitæ ſigna referuntur. ibid. D.
Tertianæ Exquiſitæ prognoſis traditur. ibid. E.
Tertianæ Exquiſitæ curatio in omni Secta proponitur. 387 1.B.& ſeqq.
Tertianæ Exquiſitæ curatio ex Dogmaticis adducitur. ibid.E.
De Tertiana Exquiſita Dogmaticorum doctrina firmatur euentu. ibid.2 C & ſeqq.
De Tertiana Exquiſita ſimplici Authoris obſeruatio. 388.1.A.
Siccitas an ſit de eſſentia Tertianæ Exquiſitæ, acceptatur, & reſoluitur negatiuè. ibid 2.A B C.
Tertiana Exquiſita licèt non generetur a bile ſyncera, ſynceritate permixtionis, fit tamen à bile pura, ſynceritate qualitatis. ibid.2.E.& 389.1.A.B.
Quod explicatur exemplo vini aquæ permixti. ibid.
Tertiana Exquiſita an ſit morbus acutus ? dubitatur. 389. 1 D.
Tertiana Exquiſita non eſt morbus acutus rigorosè loquendo. ibid. E.
Tertiana Exquiſita qua ratione poſſit dici morbus acutus. 389.2 A.B.
Tertiana Exquiſita an ſit morbus periculoſus addiſceptatur. 389.2.C.D.
Tertiana exquiſita ſi fiat perniciosa, eſt periculoſa, alias non. ibid.E.

Tertiana Notha.

Tertiana Notha definitur. 390.1.E.
Tertiana Notha vnde cauſetur. ibid.
Tertiana Notha ex pituita bili commixta vocatur maioris famæ. ibid.
Tertiana Notha à bile melancholiæ commixta minoris famæ nuncupatur. ibid.
Tertiana Notha alia ſimplex, & alia duplex. ibid.
Tertianæ Nothæ ſigna adduntur. ibid.
Tertianæ Nothæ prognoſis explicatur. 390.2. A.
Tertianæ Nothæ curatio ex omni Secta traditur. ibi. B.& ſeqq.& 391.1.A.& ſeqq.
Pro Tertiana Notha curanda varia amuleta referuntur. ibid.
Tertianæ Nothæ curatio ex Dogmaticis. 391.1.D.E.
Tertianæ Nothæ longiſſima duratio eſt. ibid.2. C.
Pro Tertiana Notha curanda victus ratio maximè conducit. ibid.2.B.
Tertianam Notham duraſſe triginta annos, firmatur euentu. 391 C.
De Tertianæ Notha ſimilem euentum obſeruauit Zacutus. ibid.D.
Pro Tertiana Notha curanda Rhabarbari vſum probat Author, & præſcribit. ibid.
Tertiana Notha fit ex bile vitellina, idque tripliciter. 391. 2. E.

Tertianæ

Tertiana Notha ex bile vitellina facta ex bile & pituita generari poteſt. 392.2.D.
Tertiana Notha an fieri poſſit ex permixtione bilis cum melancholia, dubitatur, & affirmatiuè reſoluitur. 393.1.A.& ſeqq.
Tertiana Notha quomodo generetur ex bile vitellina? 394.1.E.
Tertiana Notha an ſit longior Quotidiana? diſputatur. 394.2.D.E.
Tertiana Notha minùs durat quàm Quotidiana, ratione cauſæ à qua pendet. 395.1.B.
Tertiana Notha cur interdum longius fiat quàm Quotidiana. ibid C.
Pro Tertiana Notha craſſior cibus exhibendus quàm in Exquiſita. ibid.2.B C.
In Tertiana Notha ſingulis diebus & pluries cibus offerri poteſt. ibid.D.E.
In Tertiana Exquiſita ſanguinis miſſionem non eſſe vtilem putant nonnulli Recentiores. 469 1.D.
In Tertiana exquiſita pendente à ſanguine, vel ab humore illi commixto ſanguinis miſſio conuenit. ibid E.
Tertiana eſt morbus magnus quatenus cor afficit, &c. ibid.2.A.& C.
De tempore ſanguinem mittendi in Tertiana Exquiſita explicatur Auicenna. 470.1.B C.
Tertianas intermittentes periculo vacare ſemper exiſtimauit Antiquitas. ibid.E.
Tertianas perniciosas & lethales reddi deprehendit noſtra ætas. ibid.
In Tertiana perniciosa purgatio debet præcedere ſanguinis miſſionem. ibid.2.D.
In Tertiana perniciosa præſcribitur tempus ſanguinem mittendi. 471.1.A.B.
In Tertiana perniciosa bilis duplex reperitur, quod explicatur. ibid.C.

Teſticuli.

Teſticulus dexter calidior eſt. 44.2.A.
Maſculi generantur ex ſemine genito in teſticulo dextro. ibid.
Teſticulo ſiniſtro ligato marem pullum gigni obſeruant Admiſſarij. ibid.
Teſticuli ſunt pars princeps in ordine ad conſeruationem ſpeciei. 99.1.D.
Teſticuli an ſemen generent? 99.1.B.& ſeqq.
Teſticuli partis principis rationem induunt reſpectu ſui indiuidui. 99.2.C.& ſeqq.& 105.2.C.
A teſtibus communicatur qualitas influens viris virilitatem, fœminis fœmineitatē tribuens. 105.2.E.
Teſtibus abſciſſis naturalis habitus mutatur. 106. 1.A B.
Teſtes irradiatione communicant influentem qualitatem. 108.2.C.
Teſticulorum præcipuè virorum mirabile artificium & in quem finem. 670.2.C.D.E.
Teſtes nequeunt ſemen emittere quin ſurſum verſus inguina moueantur. 673.2.E.
Teſtium intra inguina occultatio non impedit generationem. 674.1.C.
Teſtium intra inguina occultatio non efficit homines ſpadones. ibid.D.& ſeq.

Theorica.

Theorica vtrum praxi ſit contraria. 662.1.B.C.
Theoricam qui adinuenerint & ampliarint. ibid.
Theorica demonſtratiua diſcenda ante praxim, ex Galeno. ibid.
Theorica & praxis duo medicinæ crura. ibid.
Theoricæ in Europa Academiæ plures. ibid.2.

Thermæ.

Thermæ ſūt balnea à mineralib^9 alterata. 323.2 A.B.
Thermæ ſunt in multiplici differentia. ibid.B.
Thermarū varius vſus pro variis morbis curādis. ib.
Vide *Balneum.*

Triſtitia.

Triſtitia plerumque fit a cauſis externis dolorificis. 724.1.E.
Triſtitia poteſt accelerare mortem. ibid.2.A.
Triſtitia an ſubſequatur ex quauis melancholia, & quomodo. ibid.C.& 725.1.A. & ſeq.

Tumor.

Tumor eſt incrementum naturalem ſtatum excedens. 213.1.B.
Tumor accidit ſoli parti organicæ. ibid.
Tumoris cauſæ cognitio neceſſaria eſt ad illius curationem. 215.1.C.
Cauſæ proximæ & remotæ tumorum quales? ibid.
Tumores ſuperiorum partium ſi complicentur cum bubonibus venereis aut Gonorrhœis, qualiter ſit ſanguis mittendus? inquiritur & reſoluitur. 592. 2.C.& ſeqq.
Vide *Indicatio.*
Tumor in principio fluxionis qualem indicet ſanguinis miſſionem regulariter. 591.2.D.
In tumoribus venereis & bubonibus Gallicis mittitur ſanguis ex pede ob metum retroceſſus. ib.2 E. & 992.1.A.& ſeqq.

Turgentia.

Turgentiæ definitio ſancitur & explicatur. 487.2 E.
Turgentiæ ratio humoribus adſcribitur. 488.1.E & 2.A.
Turgentiæ ratio in humoribus explicatur. ibid.1.D. & 2 B.
Turgētiæ ratio formalis in humoribus denegatur ib.
Turgentia humorum per quid dicatur? ibid. 2.E.
Turgentiæ conditiones adducuntur. 489.1.B.C.
Turgentiæ cauſalitas in humoribus aperitur. ibid.D.
Turgentia pituitæ & Melācholiæ denegatur. ib.2.B.
Turgentia non accidit ſanguini. ib.2.E. & 490.1.A.
Turgentia tam obiectiua quam analoga flauæ bili poteſt ſuperuenire. 490.1.D.
Turgentia obiectiua atræ bili accidit. ibid.E.
Turgentia analoga atræ bili non competit. ibid.2.A.
Turgentes humores an & quando purgari debeant vel non? 49[illegible].2. C. & ſeqq. & 491.1.A. & ſeqq.

V.

Vanhelmont.

VAnhelmōt negat humores in corpore. 327.1.A.
Vanhelmont in ſomno Medicinam recepiſſe gloriatur. ibid.C.
Vanhelmont cruorem ſiue ſanguinem admittit in corpore. ibid.
Vanhelmont inſomnia conuelluntur. ib.2.C.& ſeqq.
Vanhelmont fucatæ rationes diluuntur. 328.1.E. & 2.A.& ſeqq.
Vanhelmont exiſtimat ignem non dari in Elementis. 327.1 E.
Vanhelmont referuntur fundamenta, quibus pituitam dari negat. 328.2.E.& 329.1.A.& ſeqq.
Eiuſdem argutiæ refelluntur. 329.2 B. & ſeqq.
Vanhelmont contendit melancholiam non eſſe humorem nutritioni aptum, & eius fundamenta adducuntur. 330.1.B. & ſeqq.
Quibus ab Authore ſatisfit. ibid.2.D.& ſeqq.
Vanhelmont bilem in corpore non admittit. 332 1. D.E.& 2.A & ſeqq.
Nugæ ex Vanhelmont propoſitæ patefiunt. 333.1. 6.& ſeqq.

Vanhelmont negat humorum putredinem, eiuſque rationes proponuntur, & ſoluuntur. 337.2. A. & ſeqq.& 338.1.& E 2.A.& ſeqq.
Vanhelmont negat febrem humoralem. 343.1.A. & ſeqq.
Huius fundamentis reſpondetur. 344.1.A. & ſeqq.
Vanhelmont ſanguinis miſſionem nulla ratione conuenire pluribus contendit. 359.2 D.& ſeqq.
Eiuſdem rationibus reſpondetur. 361.1.A.& ſeqq.
Vanhelmont purgationis remedium abnuit. 363. 2. A. & ſeqq.
Vanhelmont ſcabie affectus ex purgatione nullum recepit leuamen. ibid.C.
Eius rationes diluuntur. 364.1.E.& 2.A.& ſeqq.
Vanhelmont Quartanam febrem à Dogmaticis ignorari, nec poſſe curari pluribus probare contendit. 402.1.E & ſeqq.
Illius fundamenta ſoluuntur. ibid.2.E.& 403.1.A. & ſeqq.
Vanhelmont quis,& quid de humoribus ſentiat proponitur. 414.1,A & ſeqq.
Vanhelmont purgationis remedium pluribus rationibus abolere nititur. 491.2.D.& ſeqq.
Vanhelmont depingitur, eiúſque inſomnia de Medicina propalantur. 414.1.A & ſeqq.
Vanhelmont ſanguinis miſſionem ab vſu Medicinæ relegare nititur.ibid.2 B.C.& 424.1.A & ſeqq. & 425.1.E.& 2.A.
Vanhelmont ſanguinem alio nomine Cruorem, & humores Saniem vocat. 493.2. A.

Vapor.

Vapor eleuatus ab aqua an differat ab illa formâ ſubſtantiali, antiqua fuit inter Philoſophos controuerſia. 539.1. D.
Vaporis ex aqua eleuati determinatur forma.ibi.2.B.
Vapor ex aqua eleuatus in aquam redit. ibid.
Vapor qui in corpore eleuatur ex humorum viuentiúmve partium humida ſubſtantia habet formam ſubſtantialem diuerſam. ibid.C.D.
Vapor ex aqua eleuatus non mutat formam ſubſtantialem,benè tamen eleuatus à mixtis. ibid. D. vbi ratio diſparitatis datur,& E.
Vapor conſtituitur in ſpecie accidentali diuerſa ab aqua. ibid.E.
Vapor à calore rarefit. 538.2.C.
Vapor ex quo fit ſudor,eſt verè vapor. ibid.E.
Vide *Sudor.*
Vapor, producitur inducta leuitate & raritate circa materiam aqueam. ibid.
Vapor non generatur ex aqua,ſed ipſe eſt aqua. 540. 2. A. B.
Vapor quo feratur motu ad tertiam vſque regionem pro ſudore in controuerſiam cadit. 540.2.D.E. & 541. 1. A. B.
Vaporum motus partim propria leuitate & raritate fit. ibid.1.C.& ſeqq.
Vaporum motum ad tertiam regionem pro Sudore requiſitum coadiuuant viuentis facultates. 541. 2. C.D.
Vapor eſt quid inutile corpori, & tanquam excrementum petit trudi. ibid.& 541.1.B.
Vaporum concretio per quam abeunt in ſudorem, procedit à cauſis loco-motiuis,medio impulſu, & non à frigiditate. ibid.2.B.C.& ſeqq.
Vapor delatus ad tertiam regionem, dum mutatur in ſudorem,eodem modo concreſcit, ſicut in pericardio, dum fertur ad illud. ibid.D.
Vapor tertiæ regionis eodem modo,concreſcit ſicut fit in vaſis deſtilatoriis. ibid.
Vapor eleuatus pro naturali ſudore ſic denſatur in tertia regione, ſicut denſatur pro critico ſudore in febre ardente. ibid.E.

Vena.

Vena quomodo dicatur pars ſimilaris. 221.1.A.
Venæ narium communicant cum reliquis vaſis maioribus. 384.2.C.
Venarum diſcrimen in ſanguine mittendo an ſit habendum diſceptatur. ibid.2. D. & ſeqq.
Vena quælibet ſecari poteſt in febribus humoralibus. 385.1.B.& ſeqq.
Venarum diſcrimen in ſanguine mittendo iam ſuſtulit anatomia noſtris temporibus magis quàm olim exculta. ibid.C.D.E.
Venarum origo conſideratur. 454.1.B.C.
Venarum diſcrimen an obſeruandum in ſanguine mittendo. ibid.
Venæ brachij ſunt rami à iugulari orti. ibid.
Vena iugularis à caua aſcendente procedit. ibid.
Vena caua aſcendens à iecore ſanguinem ducit. ibid.
Per venas ad vterum tendentes fœtus alimoniam recipit. ibid.D.
Venæ ſunt vaſa communia,per quæ fit reuulſio.565. 2. C.
Præter venas ſunt aliæ viæ communes,quibus fit reuulſio. ibid.& ſeqq.
Venæ in diuerſos vſus propagantur, & ideò inter ſe differunt. 566.1.C.
De venarum origine antiqua fuit inter Peripateticos, & Dogmaticos controuerſia. ibid. D.E.
Venarum principium iecori adſcribitur. ibid.2.E.
Vena caua deſcendens prope iecur, eſt maior, quàm ipſa caua aſcendens prope cor. 567.1. A.
Venarum caudices à iecore procedunt & in ipſo implantantur. ibid.2.A.
Vena arterialis licèt venæ retineat nomen, arteriæ retinet ſtructuram. ibid.C.
Vena arterialis aliquam habet pulſationem in principio exortus. ibid.D.
Vena Porta à iecore ducit originem. 568.1.B.
Venæ lacteæ cur ita dicantur. ibid. C.
Venæ lacteæ ſicut & reliquæ à Iecore oriuntur. ibid.2.A.
Venæ lacteæ habent eandem ſtructuram, ſubſtantiæ modum, conformationem & temperiem ac reliquæ. ibid.2.B.
Venæ lacteæ in quem finem ordinentur. ibid.2.E.
Venæ qua ratione inter ſe differant. 569.1.B.
Venæ quædam à Liene originem ducunt. ibid.2.C.
Vena Splenetica implantatur in trunco venæ cauæ, & ad quid. 570.1.B.C.
Venæ hæmorrhoïdales vnde procedant. ibid.2. E.
Venæ hæmorrhoïdales aptæ ſunt expurgare ſanguinem redundantem,& melancholiam. 571.7. B.C. & ſequent.
Venarum apertiones variæ ſunt. 571.2.E.
Quadraginta ſunt venæ in tribus corporis regionibus aptæ ad phlebotomiam. 572.1.A.
Venæ aptæ phlebotomari in qualibet corporis regione enumerantur. ibid.& ſeqq.
In venis inferioris regionis nulla eſt differentia,quæ magis vnam quàm alteram cogat aperire. 572. 2. A. B.& ſeqq.
Venæ pedis maiorem habent ſocietatem cum venis ortis à caua deſcendente. 578.2.D.
Venæ brachij cum venis cauæ deſcendentis. ibid.
Venæ hæmorrhoïdales cum venis portæ. ibid.
Venarum Meſeraïcarum vſus. 597.2.C.
Venæ Meſeraïcæ non deſeruiunt pro chylo in iecur deferendo. ibid.E.

Venæ

Venæ lacteæ antiquis aliquibus ignotæ. 598.1.C.
Venæ Portæ, anatomica hiſtoria ex Andrea Laurentio. 666.1.D.& ſeqq.
Item ex Valuerda. ibid.2.D.
Venarum hæmorrhoïdalium vſus. 727.1.A.& ſeqq.

Venenum.

Veneno vtentium notabiles calliditates. 718.1.D.E.
Venenorum diuerſa genera. ibid.& 2.A.B.
Veoenum inditum inſtrumento lædenti maiorem vim habet quam epotum. 719.1.D.

Venter.

Ventris adſtrictio,& variæ illius obſeruationes. 751.2. C.
Ventris adſtrictio à quibus cauſis prouenire poteſt. ibid.2 E.& ſeqq.
Ventris adſtrictio vel lubricitas quid indicent. 752.2 E.& 753 1.A.& ſeqq.
Ventris adſtrictionis varia incommoda, & plures obſeruationes. 753.1.A.& ſeqq.
Ventris vnicuique adſtrictiooi quæ curatio adaptanda. 754.1 B. & ſeqq.
Ventris adſtrictiones diuerſæ,& varia illarum remedia,& compoſitiones. ibid.C.& ſeqq.755.& 756.

Venus.

Veneris abſtinentia qoid incommodi pariat.450.2.D
Nimius veneris vſus poteſt impedire ſanguinis miſſionem. ibid.E.
Veneris vſus inter res non naturales cenſetur. ibid.
Veneris vſus immoderatus magna parit incommoda. 451.1.A.B.

Ventus.

Ventus quid ſit ioxta variorum Philoſophorum placitum. 48.2.E.
Ventus an ſit aër. ibid.D.
Ventus eſt exhalatio calida & ſicca. ibid.& 49.1.E.
Veoti facultas loco-motiua vnica ex Stoïcis.48.2.E.
Ventorum differentiæ plures. ibid.
Venti variis alterationibus noſtram valent immutare temperiem 49.1.B.
Ventorum diuerſitate diuerſi mores in diuerſis regionibus ſunt. 49.1.B.
Flantibos ventis diuerſis diuerſi ſuperueniunt morbi. ibid. C.
Ex variis ventorum mutationibus morbi peſtilentes prodocuntur. ibid.
Ventus eſt exhalatio calida & ſicca &c. ibid.D.
Ventus non eſt aër. ibid.
Ventorum temperies & ortus ex ortu & occaſu cœleſtium ſiderum immutantur. ibid.E.
Venti pro materiali quid habeant, & quid pro formali. ibid.
Venti quot ſint? ibid.
Ventorum diuerſitas diuerſos parit morbos regionales & mores diuerſos. ibid.2.A. & ſeqq.
Venti noo mouentur ab intrinſeco. ibid.D.

Ver.

Ver magis coiodicat ſanguinis miſſionem qoàm reliqua anni tempora. 443.1.E.& 2.A.& ſeqq.
Veris tempore vires magis robuſtæ ſunt. ibid.2.B.
Veris tempeſtate aſtrorum influxus ſuot benigniores. ibid.
Veris temperies eſt calida & humida. ibid.
Vere aptiùs celebratur purgatio, quàm aliis temporibus,dum illius imminet neceſſitas. 503.2.C.
Vere non eſt purgatio exercenda ſi morbi præcauendi reliquorum anni temporum intemperiem ſequantur. ibid.D.

Verbum Diuinum.

Verbum Diuinum dom aſſuopſit naturam humanam, etiam ſpiritus vitales & animales, & ſanguinem aſſumpſit. 117.2 D.
In Verbi Diuini Incarnati generatione quomodo B. Virgo coocurrerit. 156.2. A.157.2.A.

Vermes.

Vermium variæ ſpecies cooſiderantur. 306.1.B.
Vermes io qoibus locis generaotur. ibid.& ſeqq.
Vermes in vlceribus procreantur. ibid.
Vermis in capite puellæ diſſecto repertus. ibid.
Vermes à cerebro per oares eiecti. ibid.
Vermis ex oculo extractus. ibid.
Vermis ex aure proſiliit ibid.
Vermis ex pectore proiectus. ibid.
Vermium genera tria admittenda. ibid.D.
Vermes lati per omnia inteſtina generantur. ibid.
Vermes Teretes in inteſtinis ſuperioribus producuotur. ibid.
Vermes Aſcarides in inteſtinis inferioribus fiunt. ibid.
Vermium materia, ex qua gignuntur, in examen venit. ibid.
Vermium ſigna à Zacuto collecta referuntur. ibid. A. B. C.
Febris, vbi adſunt vermes, ſemper timenda. ibid.
Pro vermibus exterminandis Archiatrorum Medicorum remedia. ibid. D.
Pro vermibus necandis io prima regione manentibus,quid agendum? remiſſiuè. 307.1.D.E.
Vermes cur noo fiant intra venas ex ſpiritibus, vel humoribus putridis. 334.2 E

Veſicatoria.

Veſicatoria vtilia ſunt pro febrium curatione. 366.2. C. D.

Victus.

Victus ratio, Pharmacia, & Chirurgia ſunt fontes remediorum, quibus febres humorales curantur. 357.2.A.& 358.1.B.
Victus ratio comprehendit aërem, motum, & quietem,ſomnum, & vigiliam, excreta & retenta, horum affectiones, cibum & potum. 359.1.E.
Victus ratio in febribus Ardeotibus & Tertiaois Continuis aſſignatur à Dogmaticis. 380.2. C.
Victus vtilis pro febribus bilioſis præſcribitur.385.2.B.& E.& 386.1.A.ſeqq.
Victus ratio pro Tertiana Nothæ curanda præſcribitor. 391.2.B.
Victus craſſior exhibendus in Tertiana Notha quàm in Exquiſita. 395.1.C. & ſeqq.
Victus ratio pro Quotidiana curanda. 396.2.B.
Victus pro Quartana curanda exhibendus. 401.1.B.C.& ſeqq.
Victus humidus pro Quartanæ curatiooe præſcribitur. 405.1.C.D.

Vigilia.

Vigilia inter res nou naturales reponitur. 450.1.A.
Vigiliæ commoda. ibid.B.
Vigiliæ oimiæ incommoda. ibid D.
Vigiliæ nimiæ valeot impedire ſanguinis miſſiuoem. ibid.

Vinum.

Vioi variæ ſunt ſpecies. 366.2.E.
Vinum propriè, quid. 367 1.A.
Vinum eſt aptum alimentum pro celeri ſpirituum, generatione, partiumque nutritione. ibid.
Vinum oon debet exhiberi in febribus bilioſis, & Synochis. ibid.D.
Vinum rectè offertur febrientibus, ſumptâ indicatione à cauſa frigida febrem fouente,& aliis accidentibus. ibid E.

Vinum coctionem iuuat & frigidos calefacit humores. ibid.2.A.
Vinum ſomnum conciliat, lotium protitat, ſudorem mouet, & alias operatur vtilitates. ibid.
Vinum rubrum & auſterum ventrem ſiſtit in febre Diarrhœa. ibid.B.
Vinum prodeſt in febre Syncopali pro ſpiritibus generandis. ibid.
Vinum in febre peſtilenti optimum remedium eſt. ibid.
Vinum celeriter vires reficit. ibid.C.
Vinum exhiberi poteſt in febribus, ſumptâ indicatione à conſuetudine ægroti, & regionis. ibid.D.
Vinum vtile eſt in febribus ſi præualeat indicatio illud offerendi. ibid.E.
Vinum quale, & qua ratione in febribus exhibendum. ibid. & 368.1.A.
Vinum album maximè conducit pro Quartanæ curatione. 401.1.C & 405.2 B.
Vinum album tenue & aquoſum humidum eſt. 405.2.C.
Vinum hominibus in potum conceſſum an habeat nutriendi vim. 734.1.E.
Vina medicata diuerſa. ibid.2.D.
Vinum etſi largo modo poſſit dici alimentum, non eſt tamen propriè cibus. 755.1.E.
Vini vſus immoderatè ſumpti valde lædit ſanitatem. 742.1.B.

Vir.

Vir, & Fœmina in quibus conueniant & quomodo differant? 154.1.E.& 2.D.& 155.1.C. & 2.E.
Viri mulieribus multo maiores ac vehementiores pulſus habent. 636.1.E.

Vires.

Vires ſunt id quo eliciuntur actiones neceſſariæ pro eſſe & operari viuentis. 433.2.E.
Vires à temperamento dependent. 434.1.A.
A viribus non ſumitur indicatio per ſe ad mittendum ſanguinem. ibid.E.
Vires reponuntur inter ea quæ noſtrum corpus adintegrant, & nobis ſunt ſecundum naturam. ibid.
Vires qua ratione indicent ſanguinis miſſionem? declaratur. ibid.2 B.

Viſio.

Viſionis actio deprauata vnde proueniat? 219.2.C. & 221.1.D.

Vita.

Vitæ duratio præualuit in antiquioribus Patribus. 71.1.E.
Vitæ duratio vnde abbreuiata. ibid.
Vita an poſſit conſeruari in animali ſine corde? 135.1.A.& 2.E.
Vita conſiſtit in immanentia motus. 614.1.C.

Vitalitas.

Vitalitas in quo conſiſtat. 125.1.C.
Vitalitas quotuplex eſt. ibid.D.
Vitalitatem in actu primo, nec ſecundo ſpiritus vitales non deferunt. ibid.

Viuens.

Viuentium ſine alimento varia exempla proponuntur. 742.1.D. & ſeqq.

Vlcus.

Vlcus in vtero varium. 696.2.E.
Vlceris locus in vtero. ibid. & 697.1.A
Vlcus vteri quodcumque periculoſum. ibid.1.E
Vlceri in interna vteri parte, quomodo & quæ applicentur remedia. ibid.
Vlceribus vteri diuerſis diuerſa proficua remedia. ibid.2.B.

Vnguentum.

Vnguenti Armarij quanta ſit virtus ad capitis vulnera curanda. 721.1 A.

Vnio, Vnitas.

Vnitas reperta inter partes heterogeneas viuentis eſt media inter vnionem mathematicam, & inter contiguitatem artificiatorum. 228.2.B.
Vnio duplex eſt Mathematica, & Phyſica. ibid.C.

Vomitus.

Vomitus pro Quartanæ curatione vtilis proponitur. 404.2.D.E.
Vomitus ad quid tendat? ibid E.
Vomitus quo die prouocandus ad Quartanam curandam. 405.1.A.

Vſtio.

Vſtio in quibus differat à putredine. 339.2.C.
Vſtio & putredo ſunt motus locales tendentes ad diuerſas ſubſtantias mouendas. ibid.
Vſtio eſt motus, quo ſubſtantiæ corporis aptæ in vaporem verti reſoluuntur, ſurſu oque feruntur naturali motu. ibid.D.
Vſtionis definitio ſancitur & explicatur. 339.2.B.

Vterus.

Vterus eſt locus deſtinatus pro menſtrua purgatione. 162.1.D.
Vterus eſt locus à natura deſtinatus pro fœtus formatione. ibid.E.
Vteri partes ſunt laxæ. 162.2.C.
Ad vterum defertur ſanguis menſtruus vi facultatis expultricis. ibid.2.E.
Vterus an ex ſanguine menſtruo attracto nutriatur. 162.2.D, & 163.1.C.D.
Vide *Inflammatio.*
Vterus ſexcentorum morborum cauſa. 686.2.E.
Vteri inflammationis cauſæ, & quæ illius prima curatio. 696.2.B.C.
Vteri diuerſitas in fœminis non indeterminatum facit homini naſcendi tempus. 699.1.B.C.
Vteri geſtationes à morboſis procreatæ cauſis. 711.1.E.
Vteri geſtatio inſolita, accidentia illi ſuperuenientia. ibid.2.E.
Vterus vas fœtum conſeruans variæque illius denominationes. 712.1.B.
Vterus tument non eſt prægnantiæ naturalis infallibile ſignum. 714.2.A.
Vteri geſtationes diuerſæ monſtruoſæ ex vtroque genitæ ſemine. 715.1.D.& ſeqq.
Vteri geſtationes ex diuerſis ſubſtantiis. 716.1.B. & ſeqq.

Vulnus.

Vulnerum capitis eſſentia & differentiæ proponuntur. 717.2.C.
Vulnera capitis tam ſimplicia, quàm compoſita curandi varij modi. 719.1.E.& ſeqq.
Vulnera capitis curandi, Magati, & aliorum modus. 720.1.E.
Vulneri venenoſo qualis curatio vtilis. 722.1.E.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE